DOCTORIS SERAPHICI

S. BONAVENTURAE

S. R. E. EPISCOPI CARDINALIS

OPERA OMNIA

IUSSU ET AUCTORITATE

R.[mi] P. ALOYSII LAUER

TOTIUS ORDINIS FRATRUM MINORUM S. P. FRANCISCI

MINISTRI GENERALIS

EDITA

STUDIO ET CURA PP. COLLEGII A S. BONAVENTURA

AD PLURIMOS CODICES MSS. EMENDATA

ANECDOTIS AUCTA PROLEGOMENIS SCHOLIIS NOTISQUE ILLUSTRATA

TOMUS VIII.



AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)

PROPE FLORENTIAM

EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

MDCCCXCVIII

DOCTORIS SERAPHICI

S. BONAVENTURAE

S. R. E. EPISC. CARD.

OPUSCULA VARIA AD THEOLOGIAM MYSTICAM

ET

RES ORDINIS FRATRUM MINORUM SPECTANTIA

TOMUS VIII.



AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)
PROPE FLORENTIAM
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

—

MDCCCXCVIII

OPUSCULA HUIUS TOMI.



CLASSIS I. OPUSCULA MYSTICA.

Opusc. I. De Triplici Via, alias Incendium amoris . . . . *pag.* 3
» II. Soliloquium de quatuor mentalibus exercitiis. . . » 28
» III. Lignum vitae. . . . . » 68
» IV. De Quinque Festivitatibus pueri Iesu. . . . . » 88
» V. Tractatus de praeparatione ad Missam . . . . » 99
» VI. De Perfectione vitae ad Sorores . . . . . . » 107
» VII. De Regimine animae . . . . » 128
» VIII. De Sex Alis Seraphim . . . . » 131
» IX. Officium de passione Domini . . . . » 152
» X. Vitis mystica sive Tractatus de passione Domini . » 159

CLASSIS II. OPUSCULA AD ORDINEM SPECTANTIA.

Opusc. XI. Apologia pauperum . . . . » 233
» XII. Epistola de tribus quaestionibus . . . . . . » 331
» XIII. Determinationes quaestionum circa Regulam FF. Min.
Pars I. . . . . » 337
Pars II. . . . . » 356
» XIV. Quare Fratres Minores praedicent et confessiones audiant . . . . » 375
» XV. Epistola de sandaliis Apostolorum . . . . . . » 386
» XVI. Expositio super Regulam Fratrum Minorum . . » 391
» XVII. Sermo super Regulam Fratrum Minorum . . . » 438
» XVIII. Constitutiones Generales Narbonenses. . . . » 449
» XIX. Epistolae officiales. . . . . » 468
» XX. Regula novitiorum . . . . » 475

Opusc. XXI. Epistola continens XXV Memorialia . . . . *pag.* 491
» XXII. Epistola de imitatione Christi . . . . » 499
» XXIII. Legenda S. Francisci . . . . » 504
» XXIV. Legenda minor S. Francisci . . . . » 565

APPENDIX PLURIUM OPUSCULORUM QUAE SUNT DUBIA.

Opusc. I. Speculum disciplinae Pars I. . . . . » 583
» » Pars II. . . . . » 615
» II. Speculum conscientiae . . . . » 623
» III. Summa de gradibus virtutum . . . . » 646
» IV. Collatio de contemptu saeculi . . . . » 655
» V. Compendium de virtute humilitatis. . . . . . . » 658
» VI. Epistola ad quendam novitium . . . . » 663
» VII. Rhythmica . . . . » 667



PROLEGOMENA

IN OCTAVUM TOMUM.

In editionibus Omnium Operum S. Bonaventurae Vaticana eamque sequentibus multa inveniuntur opuscula mystica et ad res Ordinis nostri spectantia, quae vel certe sunt supposititia, vel saltem dubia. Unde incumbit nobis de tot opusculis quaestionem instituere, utrum legitima sint, nec ne. Quod ut ordinate procedat, in capitulo primo loquemur de genuinis operibus, quae ad theologiam mysticam magis generatim sumtam spectant; in secundo, de iis quae ad res Ordinis quoquo modo pertinent; in tertio agemus de dubiis et spuriis ad hanc duplicem classem pertinentibus.

CAP. I.

De genuinis operibus spectantibus ad theologiam mysticam sive asceticam generatim sumtam.

§ 1. **Opusculum I. sive de Triplici Via, alias Incendium amoris.**

a. Casimirus Oudinus (Comment. de Scriptoribus ecclesiast., tom. III. col. 422, ed. Lipsiae 1722) ausus est hoc praestantissimum, in summa brevitate maximum opus inter spuria relegare. Ratio eiusdem nititur in eo, quod prologus ille, qui invenitur in editionibus (exceptis tribus antiquioribus, infra notandis) et incipit *Evigilans vero* (vide Additamentum I. infra pag. 18), manifeste sit alienus a stilo et indole S. Doctoris; et cum prologus iste sit supposititius, Oudinus perperam infert, totum opusculum, quod certe evidentissima signa genuinitatis prae se fert, esse spurium. P. Bonelli (Prodromus etc. col. 453 seqq.) inutili labore conatur etiam istum prologum Bonaventurae vindicare, et P. Sbaralea (Supplement. ad Scriptores Ordinis Minorum, pag. 152) opinatur: « De prologo non satis liquet, an verum, vel addititium sit ». Sed ratio causam omnino conficiens est auctoritas codicum plurimorum et probatissimorum. Nam praeter tres memoratas edd. inter fere *trecentos* quos notavimus codd., quorum multi antiquitate eminent, tres solummodo sequioris aetatis (sunt enim saeculi XV. exeuntis et saec. XVI.) inveniuntur, qui habent praeter genuinum prologum: *Ecce, descripsi* etc., etiam alterum memoratum. Insuper cum Oudino censemus, praefatum prologum a S. Bonaventurae indole et stilo esse alienum, quidquid dixerit Bonelli. In Vat. et aliis edd. genuinus ille prologus perperam trahitur ad cap. I, qui si recte positus fuisset ante hoc capitulum, facilius error duplicis prologi perspicuus fuisset. — Eadem auctoritate codicum reprobatur etiam singularis error Possevini, qui in suo *Apparatu sacro* (tom. I. in Appendice, pag. 635 ed. Venetiis 1606.) scripsit: « Bonaventura Patavinus, Ord. Fratrum Eremitarum S. Augustini scripsit... *Ternarium* seu *Primum* (parvum?) *Bonum, de regimine conscientiae* ac *Breviloquium (!)*, quo accurate ac theologice procedit a prima causa ad suos effectus, sicut e contrario philosophica deductio progreditur ab effectibus ad Deum benedictum ». Mira sane in tam docto viro auctorum et notissimorum opusculorum confusio!

b. Cum supposititio prologo etiam falsus *titulus* in editiones irrepsit, cum in fine spurii prologi dicatur: « Istius libri titulus est *Incendium amoris* »; quam inscriptionem antiqui codd. ignorant, licet ipsi miro modo dissentiant in assignandis diversis titulis, ut videre licet in subsequenti elencho codicum. Libellus enim inscribitur modo *Parvum bonum*, modo *Itinerarium* (Itinerarius) *mentis in se ipsum*, modo *Fons vitae* (ab ultimis verbis cap. III: « Nota diligenter, quoniam in illis est *fons vitae* »), modo *Regimen conscientiae*, modo *Incentivum amoris*, modo *Mystica theologia*, modo *Stimulus conscientiae*, vel *amoris* (ut alius libellus falso Bonaventurae tributus), modo *Trinarius* sive *Ternarius de vita contemplativa*. Praeter alios nonnullos titulos vagos in multis antiquis codicibus inscribitur *De Triplici Via*, sive *Libellus de triplici via*. Hanc formam, utpote rei tractatae magis conformem, prae aliis elegimus, quamvis de primitiva inscriptione ob tantum codicum et aliorum testium dissensum constare non possit, immo dubium remaneat, utrum auctor specialem titulum suo operi praefixerit. — De ipsius autem opusculi legitimitate nulla dubitatio insurgere potest tum propter auctoritatem codicum et aliorum testium, ut Chronicorum XXIV Generalium, S. Antonini, Ioan. Trithemii aliorumque, quibus subscribunt Sbaralea, Editores Veneti et Bonelli. Hic (Prodrom. loc. cit.) opinatur, hoc opusculum editum esse post aliud inscriptum de *Reductione artium ad theologiam*. Rationem hoc asserendi sumit ex verbis, quae in ed. Argentina an. 1495 et seqq. editionibus in fine genuini prologi leguntur (cfr. infra pag. 3, nota 6 in fine): « Sicut ostensum est supra in tractatu de Reductione artium ad theologiam ». Ipse Bonelli confitetur, verba: *in tractatu* etc. *non inveniri* in editionibus illa Argentinae publicata anterioribus; sed

nec in codicibus habentur; quinimmo probatiores eorum omittunt etiam verba *sicut ostensum est supra*. Hinc tota ratio Patris Bonelli deficit.

c. Pretium huius opusculi vix satis aestimari potest, cum totam theologiam mysticam in nucleo comprehendat et iure alterum quoddam *Breviloquium*, sed theologiae non scholasticae, sed mysticae, vocari possit. Celeberrimus et famosus Savonarola an. 1497 scripsit in partem huius libelli (scil. in c. II, de oratione) accuratam elucidationem cum inscriptione *Graduum doctissimi ac religiosissimi viri S. Bonaventurae* etc., Florentiae 1497 in 4, et Venetiis 1537 in 16; etiam versio huius Italiana prodiit Venetiis 1538 et 1547 in 8. Ita testatur Echard. *(Scriptores Ord. Praed.*, tom. I. pag. 887. n. 18); cfr. etiam Sbaralea (loc. cit.) et Bonelli, Prodromi col. 309. Multae existunt editiones huius libelli tum in collectionibus opusculorum (vide tom. V. Prolegomena pag. LIII), tum etiam separatim, multae etiam versiones in linguas vernaculas. Prima editio, quam vidimus, est in quadam collectione plurium opusculorum sine loco et anno in principio et in fine totius collectionis; sed in fine inserti Breviloquii legitur: Anno Domini MCCCCLXXXIIII. Alia est Coloniensis an. 1486; alia Brixiensis 1497, quae tres non habent illum spurium prologum, sed incipiunt: « Ecce, descripsi eam tibi tripliciter ». Editio Argentinae an. 1495 est prima, quae habet illum prologum spurium.

d. Denique observandum est, complures codices omittere integrum capitulum III. (cfr. infra pag. 11, nota 7.); quod facile explicatur hac ratione, quod res in illo tractata ad altam et non communem spectat perfectionem et excedit vitae ordinariae praxim. Alii codices quaedam alia omittunt (vide pag. 11, notam 1.) — E contrario in fere omnibus editionibus praeter spurium prologum habentur quaedam insertiones manifeste illegitimae, quas reiecimus ad calcem opusculi (vide pag. 18, 19, Additamentum II.); quod additamentum fere omnes codices et editio an. 1484 omittunt. Accedit, quod prima pars ipsius (scil. *Meditanda* inter Missam), incohaerens et extranea est argumento tractato, et altera pars (quod *sumus quadrupliciter debitores*) eodem vitio laborat et insuper transcripta est ex Bernardo, Serm. 22. de Diversis, n. 5-9. — Tertium additamentum et quartum non habetur in editionibus, sed tertium (pag. 19) in codd. S T Z, quartum in S T. Haec exhibent complura extracta ex diversis aliis operibus S. Bonaventurae (cfr. pag. 19. nota 13.), quae deinde conflata sunt in specialem tractatum, qui sub nomine *de Pietate* invenitur in aliquibus codd. et S. Bonaventurae attribuitur. Eo sensu hoc recte dici potest, quo et *Centiloquium* Bonaventurae inscribitur, nempe quia materia libelli collecta est saepe verbotenus ex eiusdem libris; minime vero credendum est, ex his centonibus ipsum Bonaventuram consuisse tractatulum. Praeter codd. S T Z hic tractatus de Pietate habetur in bibliotheca Hospitalis *Castelli Tabernarum* in cod. 20. C. progess. 43. miscellaneo saec. XV., qui in nostra editione signatur aa. In bibliotheca Universitatis *Pragensis* in codd. infra descriptis sub n. 202. sign. bb et n. 203. sign. cc. In bibliotheca civitatis *Metensis* in cod. 497 chartac. in 8. parvo sub titulo *Libellus de contemplatione;* in bibliotheca *Avenionis* in cod. sine numero, olim Caelestinorum Avenionensium cum signo A. 8 7; porro *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 3939, miscell. in fol. saec. XV. fol. 275 r, ubi legitur: « Sequitur passus repertus in uno libro et tractatus Domini Bonaventure, qui est de triplici actu ierarchico, scilicet via purgativa, illuminativa et unitiva, et quomodo perveniatur ad sapientiam contemplationis. Notandum, quod sex sunt potentiae animae, quas plantavit in nobis natura » etc. Cod. est mutilus, habens tantum primam partem. — Quia ille tractatus habet aliqua non spernenda, ipsum duximus dignum, ut post opus genuinum de *Triplici Via* publicetur in praedictis additamentis.

Huius opusculi P. Fidelis a Fanna b. m. invenit in bibliothecis quam plurimos codices msc., quos hic notamus.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Claris Aquis*, in archivo nostri Collegii S. Bonaventurae, cod. membranaceus in folio parvo saeculi XIV. ineuntis. — Folio 1. recto, manus saec. posterioris inscripsit hoc opusculum: *Tractatus deducendi animam in Deum sub misterio mirabilis triplicitatis; et potest dici funiculus triplex*. Deinde fol. 35. v. incipit sine titulo: *Ecce, descripsi tibi eam tripliciter, Prov. XXII. Cum omnis scientia gerat Trinitatis insigne* etc. Desinit fol. 42. r. verbis cap. 3. n. 12: *Et ideo in hoc utile est exerceri. Deo gracias.* Signatur littera V.

Nota, ubi infra in recensione codd. nihil dicitur de prologo, supponitur, eum convenire cum nostra editione, id est incipere *Ecce, descripsi* **etc., qui tamen textus interdum omittitur.**

2. *Cortonae*, in Tuscia, bibliotheca Civitatis, cod. 209. chartaceus saec. XV, de quo egimus etiam tom. V. pag. XXVII n. 1. — Fol. 52. r. exhibetur tabula capitulorum huius opusculi, postea legitur: *Incipit liber Domini Bonaventure Ordinis Minorum, qui dicitur itinerarium mentis in se ipsam. Incipit prologus. Ecce, descripsi eam* etc. Additur opus de Pietate, de quo modo locuti sumus. Desinit verbis: *Et hoc Seraphim.* Sign. Z.

3. *Florentiae*, bibliotheca Nationalis, cod. II. II. 67. ex libris Antonii Magliabecchi, miscellaneus saec. XV. ineuntis. — Fol. 55. r.: *Incipit itinerarium compendiosum magistri Bonaventure de Balneoregio Ordinis Minorum, de triplici via perveniendi ad perfectionem vite. Ecce, scripsi eam* etc. Desinit cap. 3. n. 7. verbis: *Et a te nunquam separabor.* Sign. B.

4. *Maydeburgi*, bibliotheca Civitatis, cod. XII. oct. 25. chart. saec. XV, ut iam notavimus tom. V. pag. XXVII n. 2. — Hoc opusculum incipit fol. 40. v. sub rubrica: *Incipit ternarius sive nucleus seu parvum bonum domini ac patris nostri Bonaventure. Liber delectabilis.* Desinit fol. 49. v. ad verba cap. 3. n. 7: *et amplexum, quo nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Explicit parvum bonum patris Bonaventure sub anno Domini MCCCCLXXVI in conventu Gottingensi.* Sign. C.

5. *Monachii*, bibliotheca Regia, cod. 2657. membr. in fol. saec. XIV, quem alias notavimus, scilicet tom. V. pag. XXVIII n. 10. — Opusculum incipit fol. 224. v., cui prima manus praemisit hunc titulum: *Stimulus conscientie Bonaventure*, ac desinit fol. 229. r. cap. 2. n. 12: *Ponit misericordiam, que est utriusque principium.* Deinde pergit: *Quid sit cogitandum in Missa. Cogitandum est in Missa, quod.... Nec liberamur omnino. Explicit*, de quo cfr. pag. 11, nota 7. et pag. 18, nota 2. Sign. D.

6. *Ibidem*, cod. 5950. chart. in 4. saec. XIV, quem iam recensuimus tom. V. pag. XVII n. 10. — Fol. 192. r. opusculo

praemittitur haec rubrica: *Bonaventura. Incipit stimulus conscientie, vel secundum alios, tractatus trium graduum, quibus pervenitur ad sapientiam*, et desinit fol. 199. r. in cap. 2. n. 12: *Exhibendo complacentiam. Et sic est finis istius operis. Amen. Explicit stimulus conscientie Bonaventure.* Sign. E.

7. *Ibidem*, cod. 7971. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis, de quo egimus tom. V. pag. XXVIII n. 13. — Opusculum incipit sine titulo fol. 15. r. et desinit fol. 18. v. per verba: *Nec tamen liberamur omnino. Explicit Itinerarius mentis in Deum* (sic); vide pag. 11, notam 7. Sign. F.

8. *Ibidem*, cod. 8439. miscell. in fol. saec. XV, ut iam notavimus tom. V. pag. XXVII n. 4. — Hoc opusculum incipit fol. 173. r. sequenti rubrica: *Tractatus graduum, quibus ad veram sapientiam pervenitur. Ecce, descripsi eam* etc., et desinit fol. 166. v. verbis cap. 3. n. 7: *osculum et amplexum. Ad quod nos perducat qui sine fine vivit et regnat. Amen.* Sign. G.

9. *Ibidem*, cod. 9612, quem iam descripsimus tom. V. pag. XLVI n. 1. — Hoc opusculum incipit fol. 343. sine ullo titulo et desinit fol. 348. in cap. 2. n. 10. ad verba: *cum profectus eius ducat ad perfectionem omnium bonorum, quam nobis prestare dignetur qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.* Cetera desiderantur. Sign. H.

10. *Ibidem*, cod. 15311. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 137. v. in margine superiore notatur: *Incipit ternarius;* deinde col. 1: *Cum omnis scientia* etc. Prosequitur usque ad cap. 3. n. 7: *et osculum et amplexum. Ad quod* etc., et desinit fol. 143. r.: *primum ad miranda beneficia, secundum ad cantica exsolvenda, tertium ad oscula geminanda* (in nostra edit. pag. 16, nota 9.). Cetera desiderantur. Sign. I.

11. *Ibidem*, cod. 16064. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 48. r. est rubrica huius opusculi sic expressa: *Stimulus conscientie de regendo rationem, Bonaventure.* Desinit fol. 55. v. per verba: *Quoniam in eis est fons vite.* Quibus additur: *Explicit liber Bone Fortune, qui dicitur parvum bonum.* Sign. K.

12. *Ibidem*, cod. 16456. chart. saec. XV. — Fol. 66. r. est titulus huius opusculi: *Incipit tractatus Bonaventure de tribus punctis. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 70. v. in cap. 2. n. 12. verbis: *Interponit misericordiam, que est utriusque principium.* Sign. L.

13. *Ibidem*, cod. 17837. iam descriptus tom. V. pag. XXVII n. 5. — Opusculum incipit folio 274. r. sub titulo: *Trinarius Bonaventure, Ministri generalis Ordinis Fratrum Minorum, eoque dicitur Trinarius, eo quod de triplici via ad sapientiam tractat, scilicet de tropologico* (sic), *seu morali, de allegorico et anagogico. Ecce, ego descripsi eam* etc. Post verba cap. 3. n. 7: *osculum et amplexum*, interponit hanc conclusionem: *Ad quod perducat nos Iesus Christus, Filius Dei benedictus in secula seculorum. Amen. Explicit tractatus bonus et pulcher trium graduum, quibus pervenitur ad veram sapientiam.* Hinc prosequitur: *Possunt autem isti gradus reduci ad compendium* etc. usque ad verba: *et hoc Seraphim* (in nostra edit. n. 14.), quibus subnectit: *Et sic est finis. Finit liber Bonaventure Ministri generalis Ordinis Fratrum Minorum, qui dicitur ternarius, eo quod de triplici via ad sapientiam in eo tractet.* Sign. M.

14. *Ibidem*, cod. 18779. chart. in 4. — Opusculum incipit fol. 220. r., praemisso titulo: *Tractatus Bonaventure de exercitatione mentali secundum triplicem actum hierarchicum: purgationem, illuminationem et perfectionem.* Desinit fol. 231. v. cap. 3. n. 7: *et osculum et amplexum, ad quod nos perducat Iesus Christus, in secula seculorum benedictus. Amen. Explicit tractatus compendiosus de triplici exercitio mentis: meditatione, oratione et contemplatione, 1457.* Sign. N.

15. *Ibidem*, cod. 19855. chart. exaratus anno 1457. — Fol. 190. v. incipit sine aliquo titulo: *Ecce, descripsi eam* etc. ac desinit fol. 197. r. post verbum *mori* in cap. 2. n. 10: *Sciendum autem, quod ad proficiendum in caritate erit perfectus in omni bono opere. Ad quam caritatem nos perducat qui sine fine vivit et regnat. Amen. Laus Trinitati, alleluia, alleluia. Explicit tractatus Bone venture cardinalis de tribus punctis.* Sign. O.

16. *Ibidem*, cod. 23861. iam notatus tom. V. pag. XXIV n. 8. — Tractatus hic continetur a fol. 219. v. usque ad fol. 223. v. sub titulo: *Tractatus bonus et pulcher trium graduum, quibus pervenitur ad veram sapientiam.* Sign. P.

17. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. VII. D. 43. saec. XIII. exeuntis. — Opusculo huic praemittitur haec rubrica: *Incipit libellus quantum ad triplicem viam, per quam pervenitur ad veram sapientiam, a fratre Bonaventura Ordinis Fratrum Minorum Generali Ministro compositus. Ecce, descripsi eam* etc. Cap. 3. numero 7. addit conclusionem hoc modo: *et osculum et amplexum, ad quod nos perducat. Amen.* Hinc prosequitur: *Possunt autem* etc. usque ad verba: *et hoc Seraphim. Laus tibi sit Xte, quoniam liber explicit iste.* Sign. Q.

18. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 14976. membr. in fol. parvo saec. XIII. exeuntis. — Fol. 17. r. est initium huius opusculi sub hac rubrica: *Incipit parvum bonum fratris Bonaventure*, quod prosequitur usque ad verba: *In illis est fons vite. Amen. Explicit.* Sign. R.

19. *Romae*, cod. apud Dom. Spithoever asservatus, olim bibliothecae sacri Conventus Assisiensis, iam a nobis descriptus tom. V. pag. XXXIV n. 11. — Incipit fol. 202. r. sub titulo: *Fratris Bonaventure tractatus de conscientia regenda.* Desinit fol. 204. r. verbis cap. 2. n. 12: *interponit misericordiam, que est utriusque principium. Explicit tractatus fratris Bonaventure de conscientia regenda.* Sign. A.

20. *Tuderti* in Umbria, bibliotheca sancti Fortunati, cod. 174. membr. in 8. saec. XIV, iam descriptus tom. V. pag. XXXII n. 120. — Hoc opusculum incipit fol. 122. r.: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 132. v. Sign. S.

21. *Ibidem*, cod. 182. membr. saec. XIV, de quo egimus tom. V. pag. XXVIII n. 15. — Incipit opusculum fol. 102. r., omisso titulo et nomine auctoris; excurrit usque ad folium 109. r. et verba: *Hoc Seraphim* (cap. 3. n. 14.). Immediate sequitur opusculum de Pietate, de quo vide supra ante elenchum codicum. Sign. T.

22. *Venetiis*, bibliotheca Seminarii patriarchatus, cod. F. III. 16. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 92. v.: *Incipit libellus de triplici via, scilicet purgativa, illuminativa et perfectiva, compositus a magistro Bonaventura Ordinis Minorum.* Desinit fol. 97. r. in cap. 2. n. 12. verbis: *Quae est utriusque principium. Explicit tractatus.* Sign. U.

Quoad relationem, quam codices a nobis collati inter se habent, principalior differentia in eo consistit, quod iam tetigimus supra, scilicet quod codd. A L U integrum cap. 3 omittunt, et

H O insuper praecedentem § 5, qui inscribitur *Recapitulatio* (cfr. pag. 11, nota 1. et 7.); porro, quod in fine capituli 2. codd. K R et ex parte D F addunt cum Vaticana manifestam insertionem, infra in Additamento II. impressam; quod E S alia quaedam adiiciunt (cfr. pag. 16, nota 9.); denique, quod codd. S T Z copiosa extracta ex aliis libris Bonaventurae addunt (vide Additam. 3. et 4.), ex quibus illud opusculum *de Pietate* conflatum est.

Praeterea confitemur, dubium esse, utrum recapitulatio illa in cap. 2. § 5. sit auctori tribuenda, nec ne, cum plurimi codices pag. 11, nota 1. notati (quibus etiam H O iam penitus exinde deficientes accedunt) hanc § non necessariam omittant. Attamen eam non expunximus, cum iam in antiquis codicibus, ut R, et editionibus exhibeatur.

Ceterum quoad ipsum textum egregii libelli tantam in minutis rebus varietatem lectionum ex codicibus collegimus, ut longe maiorem earum partem in notis nostris negligere debuerimus. Praeterea, omnes quidem isti codices unum originale primitivum satis fideliter referunt, sed in rebus minoris momenti ita arbitrarie librarii processisse videntur, ut quoad textum reformandum certa et determinata familia ab aliis distingui non potuerit. Praecipue secuti sumus antiquiores codd. A B D E F P S T U V et etiam R, qui tamen non solum memoratum maius additamentum, sed etiam interdum quaedam superflua vocabula interserit.

II. Codices non collati.

23. *Admont* in Styria Austriae, bibliotheca Monasterii S. Blasii O. S. B., cod. 627. chart. in 4. saec. XV. — Fol. r. non numerato opusculum hoc incipit sine titulo et desinit: *et hoc est Seraphim* (in nostra edit. cap. 3. n. 14.). Sequitur fragmentum: *Deus est esse* etc. usque: *absque appetitu. Finis est.* Vide infra n. 93.

24. *Altovadi,* bibliotheca Monasterii Cisterciensium, cod. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 1. v. habetur: *Incipit triplicitas Bone venture. Cum omnis scientia* etc. Desinit fol. 4. ad verba cap. 2. n. 8. *Qui non est amabilis nisi propter Deum, qui dilexit nos et tradidit se pro nobis, Iesus Xtus.*

25. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Civitatis (olim Conventus sancti Francisci), cod. 129. membr. in 4. saec. XIV. — Opusculum hoc est sub rubrica: *Incipit liber de regimine conscientie,* et desinit verbis cap. 2. n. 11.: *cum profectus eius inducat perfectionem omnium bonorum, quam nobis prestare dignetur etc.*

26. *Augustae Taurinorum,* bibliotheca Universitatis, cod. E. VI. 3. membr. saec. XIV. ineuntis. — Incipit fol. 133. r. col. 1: *Ecce, descripsi eam tibi tripliciter, Prov. 52. Cum omnis scientia* etc., ac desinit fol. 142. v.: *amplectenda per osculum et dilectionem, et hoc seraphim. Explicit, per omnia benedictus Deus* (cap. 3. n. 14.). De hoc codice aliqua iam diximus tom. V. pag. XXV n. 203.

27. *Augustae Trevirorum,* bibliotheca Publica, cod. 746. progress. 565. membr. in 8. saec. XV. ineuntis. — Folio non numerato r.: *Incipit quidam tractatus, qui dicitur parvum bonum Bonaventure. Ecce, descripsi eam* etc., et desinit cap. 2. n. 12. ad verba: *quae est utriusque principium. Explicit parvum bonum, quod est perutile. Deo gracias.*

28. *Ibidem,* cod. 889. progress. 1057. iam descriptus tom. V. pag. XXXII n. 119. — In superiore parte fol. r. praemittitur rubrica: *Opusculum domini Bone aventure;* et in fine post verba: *In illis est fons vite,* additur tantum: *Amen. Explicit.*

29. *Ibidem,* cod. 666. progress. 775, de quo egimus tom. V. pag. XXXII n. 114. — Fol. 14. r. legitur: *Incipit meditatio seu liber fratris Boneventure de triplici via.* Fini, qui est fol. 22. r., subiicitur: *Explicit liber de triplici via per fratrem Bonaventuram compositus. Deo gracias.*

30. *Ibidem,* cod. 853. progress. 580, de quo vide quae diximus tom. V. pag. XXXII n. 117. — Incipit fol. 64. r. hoc titulo: *Tractatus Bonaventure de triplici via.* Fini additur post verba *et hoc seraphim: Exerce igitur te* etc. ut infra n. 33.

31. *Ibidem,* cod. 271. progress. 683. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 5. v. sub titulo: *Incipit liber Bonaventure intitulatus parvum bonum, vel imago vite, de triplici via perveniendi ad sapientiam.* Desinit verbis: *et hoc seraphim;* repetit titulum ut in principio.

32. *Augustae Vindelicorum* in Bavaria, bibliotheca Civitatis, cod. chart. lat. LXVIII. saec. XV. — Legitur fol. 1. r.: *Incipit Speculum sive Itinerarium mentis in Deum Bonaventure, sacrosancte Romane Ecclesie Cardinalis egregiique doctoris. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 6. v. verbis: *in sequentibus dominatur affectio* (quae habentur cap. 3. n. 7.); subiicitur: *Explicit Speculum sive Itinerarium mentis in Deum Bonaventure.*

33. *Aurelianis* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 166. membr. in 4. exaratus anno 1426. — Opusculum praenotatur per verba: *Incipit liber Bonaventure de triplici via;* et desinit: *et hoc est Seraphim.* Sequitur haec admonitio, quae habetur etiam infra n. 95: *Exerce te igitur ad virtutes secundum conformitatem ad Ierusalem supremam, de qua gloriosa dicta sunt, quae est civitas Dei omnipotentis, ad quam nos perducat Dominus noster, qui cuncta gubernat per infinita secula seculorum. Amen.*

34. *Avenione* in Gallia, bibliotheca Publica, cod. 105, olim Caelestinorum Avenionensium, in 8. saec. XIV. — Fol. 2. praemittitur opusculo: *Incipit speculatio fratris Bonaventure secundum triplicem viam: purgationis, illuminationis et perfectionis.* Opus decurrit usque ad fol. 4. et verba: *Secundo dilatandus est radius intelligentie ad beneficia* (cap. 1. n. 1). Hinc notatur: *verte in fine libri:* ubi revera prosequitur usque ad verba eiusdem capituli n. 13: *Per quem fecit animam xtianam, suam amicam, filiam, sponsam. Hec omnia mira sunt.*

35. *Balneoregii* in Italia, cod. Ecclesiae cathedralis inter Reliquias Sanctorum adservatus, membr. in 4. parvo saec. XIV. exeuntis. — Hoc opusculum est post libros sacrae Scripturae et ab alia manu ac illi exaratum. Incipit: *Ecce, descripsi eam tibi* etc., et desinit cap. 2. n. 11. verbis: *cum profectus eius inducat perfectionem omnium bonorum* etc.

36. *Basileae* in Helvetia, bibliotheca Publica, cod. B. VIII. 29, quem notavimus tom. V. pag. XXXIV. n. 12. — Post opus de Reductione artium ad theologiam ponitur rubrica: *Alia distinctio,* deinde sequitur: *Ecce, descripsi eam* etc. Sed manus saeculi XV. praeponit: *Incipit parvum bonum vel regimen conscientie eiusdem doctoris, quod vocatur fons vite.* Opusculum desinit cap. 2. n. 10. verbis: *Nec tamen liberamur omnino* (cfr. pag. 16, nota 9. et pag. 18, nota 2.).

37. *Ibidem*, cod. A. VIII. 26. chart. in 4. saec. XV. — Foliorum series non numeratur. Opusculum incipit sine titulo: *Ecce, descripsi eam* etc., et desinit: *et hoc Seraphim. Et sic est finis. Explicit liber Bonaventure, Ministri generalis Ordinis Fratrum Minorum, qui trinarium dicitur, eo quod de triplici via ad sapientiam tractetur in ipso.*

38. *Ibidem*, cod. A. IX. 37. membr. saec. XIV. ineuntis. — Folio 79. r. a prima manu notatur: *Tractatus fratris Bonaventure de conscientia regenda.* Deficit fol. 85. v. ad verba cap. 2. n. 12: *optabat gratiam et pacem.* Reliqua pars folii remansit alba.

39. *Ibidem*, cod. B. VIII. 32. miscell. plurium aetatum. — Hoc opusculum est saec. XV. et incipit fol. 26. v. sub titulo: *Trivium Bonaventure*, ac desinit fol. 33. v.: *In illis est fons vite. Ad quam* etc.

40. *Berolini*, bibliotheca Regia, MS. theol. lat. 165. chart. in 4. saec. XV. — Folio 59. v. legitur: *Incipit ternarius Bone venture de regimine conscientie. Ecce, descripsi eam* etc. Protrahitur usque ad fol. 69. r, ubi deficit cap. 3. n. 7. verbis: *et osculum et amplexum, quo nos perducat qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Explicit ternarius de regenda conscientia.*

41. *Ibidem*, MS. theol. lat. 105. chart. saec. XV. — Fol. 161. r. incipit sub rubrica: *Sequitur ex tractatu fratris Bonaventure de triplici via ad sapientiam.* Continet aliquos numeros cap. 2. et desinit fol. 182. r.: *perfectionem omnium bonorum, quam nobis prestet qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.* (in nostra edit. cap. 2. n. 11.).

42. *Ibidem*, cod. 106. in fol. membr. saec. XV. — Fol. 1. praemittitur haec memoria a librario coaevo exarata: *Iste liber comparatus est pro perpetua memoria cuiusdam boni viri, uxoris sue et parentele totius utriusque, anno Domini millesimo CCCCXLIV. pro usu Conventus Fratrum Minorum in veteri Brandeborg sub tali conditione, quod a Conventu nullo modo debeat alienari.* Hinc fol. 174. r.: *Incipit Ternarius domini et fratris Bonaventure Cardinalis, doctoris*, ac desinit fol. 177. v.: *et hic Seraphim.* Sequitur: *Dicitur Deus cognoscere absque possibilitate* etc., usque ad verba: *absque appetitu.* De qua additione vide infra n. 93.

43. *Ibidem*, cod. theol. 4. membr. saec. XIV. — Hoc opusculum incipit fol. 52. v. sub titulo: *De stimulo conscientie*, et desinit fol. 59. v. verbis: *amplectenda per osculum et dilectionem, et hoc Seraphim* (in nostra edit. cap. 3. n. 14).

44. *Brugis* in Belgio, bibliotheca Civitatis, cod. 500. miscell. saec. XV, in quo inveniuntur etiam quaedam impressa. — Legitur fol. r. non numerato: *Incipit libellus, qui appellatur regimen conscientie vel parvum bonum, editus a fratre Bonaventura Cardinali.* Desinit: *Et hec Seraphim. Explicit libellus* etc., ut in initio.

45. *Brunopoli* (Braunschweig) in Germania, bibliotheca Civitatis, cod. 121. chart. in 4. saec. XIV. — Fol. 1. v. notatur: *Ternarius Bonaventure, liber Fratrum Minorum in Brunswic. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 9. r. verbis cap. 3. n. 7: *ad copulam et osculum divine.* Cetera desunt.

46. *Ibidem*, cod. 44. chart. in fol. saec. XV, quem iam notavimus tom. V. pag. XXXIX. n. 1. — Fol. 11. r.: *Incipit Ternarius Bonaventure, doctoris devoti ac Cardinalis ordinis minorum Fratrum.* Desinit fol. 14. v.: *et hoc Seraphim. Deo gracias.* Deinde repetit quae opusculo praemiserat.

47. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 1520-42. miscell. saec. XV. — Fol. 74. v.: *Incipit Itinerarius mentis ad seipsam, sive meditationes vel parvum bonum Boneventure, et debet precedere Itinerarium mentis ad Deum ab eodem compositum.* Desinit fol. 79. v.: *et hoc Seraphim. Explicit Itinerarium mentis ad se ipsam Bonaventure.*

48. *Ibidem*, cod. 3716-28, ut notavimus tom. V. pag. XIX n. 46. — Incipit fol. 148. r. sine titulo: *Ecce, descripsi eam* etc., et desinit fol. 155. v. verbis: *In illis est fons vite. Amen. Explicit parvum bonum Bonaventure.*

49. *Ibidem*, cod. 9978-82. membr. in 8: exaratus anno 1497. — Fol. 93. v.: *Incipit liber sancti Bonaventure de triplici via ad sapientiam.* Desinit fol. 108. v.: *et hoc Seraphim. Ad quod perducere dignetur qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.*

50. *Ibidem*, cod. 19610. membr. in 8. saec. XIV. — Hoc opusculum occurrit fol. 26. r. sub rubrica: *Incipit tractatus, quem fecit Bonaventura, generalis Minister Fratrum Minorum.* Desinit fol. 44. v. verbis: *In illis est fons vite. Amen.*

51. *Burdigalae* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 267. membr. in fol. saec. XIV. — Huic opusculo praemittitur: *Incipit liber de triplici via.* Desinit verbis: *Tertia Seraphim. Explicit liber de triplici. Deo gracias.*

52. *Cantabrigae* in Anglia, bibliotheca Universitatis, cod. L. i. VI. 15. iam descriptus tom. V. pag. XX n. 50. — Fol. 135. r. post alia sancti Bonaventurae habetur: *Sequitur alius tractatus ab eodem de triplici via.* Desinit fol. 160. verbis: *Et hoc est Seraphim. Ad que nos perducere dignetur Deus gloriosus, qui in unitate perfecta vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Explicit tractatus domini Bonaventure de Triplici Via.*

53. *Ibidem*, cod. F. f. VI. 53. membr. in 12. saec. XIV. — Fol. 8. r. legitur: *Documentum Bone fortune, qualiter possumus illuminari.* Desinit fol. 30. v.: *In illis est fons vite. Amen. Explicit documentum Bone fortune.*

54. *Ibidem*, bibliotheca Collegii sanctissimae Trinitatis, cod. B. 1. 44, quem notavimus etiam tom. V. pag. XX n. 57. — Hoc opusculum incipit sub titulo: *Meditatio Boneventure* et desinit: *Tertia Seraphim* (in nostra edit. cap. 3. n. 14.).

55. *Ibidem*, bibliotheca Collegii sancti Emmanuelis, cod. 1. 3. 12, cuius mentionem fecimus tom. V. pag. XXVIII n. 27. — Opusculum incipit post Itinerarium mentis in Deum, nullo medio: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit verbis: *Sapere absque appetitu.* Sequitur: *Explicit liber secundum Fratrem Minorem;* alia antiqua manus addidit: *Bonaventuram.*

56. *Carnuti* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 238. membr. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 203. r. habetur rubrica: *Incipit tractatus, qualiter se debet habere homo in lectione, meditatione, oratione, contemplatione. I. capitulum. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 208. r. per verba cap. 3. n. 8: *in te exsulto, tibi in sempiternum adhereo. Explicit.*

57. *Carolopoli* (Charleville) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 92. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis. — Incipit fol. 1. et desinit ut editio nostra Indicationes tituli et nominis auctoris omnino omittuntur.

58. *Colmariae* in Alsatia, bibliotheca Civitatis, cod. chart. in 8. saec. XV, ut notavimus tom. V. pag. XXVIII n. 28. —

Opusculum incipit fol. 150. v. sine ullo titulo et desinit fol. 160. v. verbis cap. 3. n. 7: *Osculum et amplexum, ad quos nos perducat Iesus Christus, qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.*

59. *Coloniae*, bibliotheca Seminarii archiepiscopalis, cod. XLI. chart. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 177. v. sic: *Ad sapientiam christianam via triplici pervenitur, scilicet meditando, orando et contemplando.* Desinit fol. 182. r. verbis cap. 3. n. 5: *habebit lumen vite in hac via, gratie et postmodum glorie. Explicit determinatio Boneventure de triplici via, qua pervenitur ad sapientiam christianam. Deo gracias. Amen.*

60. *Cracoviae*, bibliotheca Universitatis Iagellonicae, cod. 399. A. III. 35. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 150, sed inseruntur in principio haec: *Stimulus conscientiae, quare debeat homo penitere. Conscientia debet gerere insigne et praecipue illa que in sacra Scriptura* etc. Desinit fol. 154. his his verbis: *Explicit summa confessionis.*

61. *Ibidem*, cod. 1298. A. A. I. 15. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 311. legitur: *Incipit Hugo de arra anime. Speculum sive Itinerarium mentis in Deum fratris Bone venture. Ecce, descripsi eam tibi tripliciter. Prov. Cum omnes scientie gerant sancte Trinitatis* etc. Desinit fol. 327. cap. 3. n. 5. ad verba: *et amplexum. Quo nos conducat.* Inde abrupte prosequitur: *In primis vigent, in sequentibus dominantur affectus. Explicit Ternarius fratris Bone Venture.*

62. *Cremisani* (Kremsmünster) in Austria, bibliotheca Patrum Ord. S. Benedicti, cod. 280. membr. saec. XIV, ut notavimus tom. V. pag. XXIX n. 32. — Opusculum hoc incipit fol. 131. r., cui praemittitur tantum: *Triplicitas Bonaventure.* Desinit fol. 317. v. ad verba: *Et hec Seraphim. Explicit de triplici via ad Deum.*

63. *Ibidem*, cod. 49. membr. in fol. saec. XIV. — Fol. 64. r. legitur: *Incipit Triplicitas Bonaventure de meditatione.* Deinde, omisso textu Scripturae: *Cum omnis scientia* etc., desinit fol. 69. v.: *nec tamen liberarem* (cfr. pag. 11, nota 7. et pag. 18, nota 2.).

64. *Darmstadii* in Germania, bibliotheca Ducalis, cod. 673. chart. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 155. r. *Incipit parvum bonum Bonaventure. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 163. r. per verba: *in his est fons vite, ad quam nos perducat Iesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in secula seculorum. Amen.*

65. *Ibidem*, cod. 696. membr. in 8. saec. XV. ineuntis, de quo locuti sumus tom. V. pag. XXIX n. 33. — Opusculum incipit fol. 185. r., cui praemittitur rubrica: *Parvum bonum;* alia manus posterioris saeculi addidit: *Sancti Bonaventure.* Desinit fol. 196. ut editi. Post: *Amen,* subiicitur: *Orate pro scriptore Ioanne de Walbeec.*

66. *Ibidem*, cod. 1021. membr. in 4. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 62. r. sine ullo titulo; desinit incompletum fol. 163. r. verbis cap. I. n. 8: *utique facere iudicium* etc.; sequentia non fuerunt scripta.

67. *Ibidem*, cod. 961. membr. in 8. saec. XIV. — Librarius saeculi XV. praemisit opusculo: *Parvum bonum Bonaventure. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit: *in illis est fons vite. Amen. Explicit.*

68. *Duaci* (Douai) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 503. membr. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. 45. v. legitur: *Incipit contemplatio Bonaventure. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 54. v. verbis: *Tertia Seraphim.* Hinc additur: *Expliciunt contemplationes Bonaventure cardinalis.*

69. *Ibidem*, cod. 430. membr. in fol. saec. XV. ineuntis. — Opusculum incipit fol. 22. v. sine ullo titulo: *Ecce, descripsi eam* etc., et decurrit usque ad fol. 32. v.: *Et hec est Seraphim. Ad quos nos perducere dignetur qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Explicit libellus de triplici via, qui vocatur Ternarium.*

70. *Ducumburgi* (Herzogenburg) in Austria, bibliotheca Canonicorum Regularium, cod. 16. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. — Titulus opusculi est fol. 183. v.: *Incipit libellus fratris Bonaventure, qui dicitur stimulum* (sic) *consciencie. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 190. v.: *Tertium Seraphim,* sine alia additione.

71. *Erfordiae* in Borussia, bibliotheca Regia, collect. Amploniana, cod. 98. chart. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 99. v. legitur: *Incipit tractatus Bonaventure de gradibus ascendendi in veram sapientiam,* et desinit fol. 107. verbis: *et hoc est Seraphim.*

72. *Ibidem*, cod. I. in 8. chart. saec. XV. — Folio sine numero parte recta incipit absolute: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit ut in editis. Ad calcem additur: *Explicit tractatulus bonus de regimine consciencie editus a Bonaventura cardinali et intitulatur: Ternarius Bonaventure. Explicit.*

73. *Ibidem*, cod. 13. in 8. chartaceus. — Hoc opusculum incipit fol. 67. r. sine ullo titulo; desinit fol. 78. v. in cap. 3. n. 7. per verba: *osculum et amplexum, quo nos perducat qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Deo gracias. Gloria fine carens sit ter pia parens. Explicit tractatulus bonus de regimine consciencie, editus a Bonaventura cardinali 1477.*

74. *Florentiae*, bibliotheca Nationalis, cod. VIII. B. 1817. membr. saec. XV, de quo locuti sumus tom. V. pag. XXIX n. 39. — Incipit fol. 17. r. sub titulo: *Trinarium de vita contemplativa Bonaventure.* Desinit fol. 22. v.: *et hoc est Seraphim. Ad que nos perducere dignetur qui est benedictus in secula seculorum. Amen. Explicit liber de triplici via, qui vocatur Trinarium, compilatus per B. Bonaventuram cardinalem, Ordinis Fratrum Minorum.*

75. *Ibidem*, cod. XXXV. D. 237. chart. — Fol. 11. legitur: *Incipit prologus in Parvum bonum S. Bonaventurae, quod etiam Incendium amoris dicitur, vel regimen conscientie. Evigilans vero* etc., sequitur ut in editis usque ad fol. 39. v. Hinc additur: *Deo gracias. Finit Parvum bonum vel regimen consciencie S. Bonaventure, quod vocatur fons vite vel Stimulus amoris. MDXVI.*

76. *Ibidem*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, cod. 51. (olim Camaldulensium 116.) chart. saec. XV. — Titulus opusculi exhibetur fol. 148. r. hoc modo: *Incipit libellus quantum ad triplicem viam, per quam pervenitur ad veram sapientiam, a fratre Bonaventura compositus, qui est de Ordine Fratrum Minorum et magister in theologia.* Desinit fol. 160. r. verbis: *Et hoc Seraphim.*

77. *Ibidem*, bibliotheca Riccardiana, cod. CCCXLIX. chartac. iam descriptus tom. V. pag. XXXIV n. 2. — Opusculum incipit fol. 79. v. et desinit 88. v., ut in editis, dein additur: *Haec compendia composuit dominus frater Bonaventura.*

78. *Friburgi* in Brisgovia, bibliotheca Universitatis, cod. 388. a. chart. in 8. saec. XV. — Fol. r. non numerato legitur: *Incipit parvum bonum fratris Bonaventure.* Prosequitur opusculum usque ad verba: *In his est fons vite. Ad quam nos perducat Iesus Xtus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in secula seculorum. Amen.*

79. *Gandavi* in Belgio, bibliotheca Civitatis, cod. 226. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 212. r. legitur: *Incipit liber fratris domini Bonaventure de regimine consciencie.* Desinit fol. 217. r. verbis cap. 2. n. 11: *Inducat perfectionem omnium bonorum, quam nobis prestet qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.* Sequitur: *Explicit*, et titulus qui supra.

80. *Ibidem*, cod. 291. iam descriptus tom. V. pag. XXIX n. 42. — Opusculum est fol. 14. r. indicatum hac rubrica: *Incipit meditatio seu liber fratris Bonaventure ordinis minorum de triplici via: Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 23. r. per verba: *Et hec est Seraphim. Ad que nos perducat qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen. Explicit liber de triplici via a fratre Bonaventura Ordinis Minorum compositus, cuius anima requiescat in gaudium sempiternum. Amen.*

81. *Gedani* (Danzig) in Borussia, bibliotheca sanctae Mariae, cod. 95. progress. Scrinio 298. chart. in fol. saec. XV. — Incipit fol. 92. r. sine titulo et nomine auctoris, desinit fol. 98. v. in cap. 3. n. 5. verbis: *et osculum et amplexum Iesu xti, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen.*

82. *Ibidem*, cod. 10. progress. Scrinio 55. iam descriptus tom. V. pag. XXIX n. 43. — Incipit fol. 195. r. et desinit 198. v. *et haec Seraphim.* Sequitur fragmentum: *Deus est esse absque non entitate* etc. Omittitur omnino titulus operis et nomen auctoris.

83. *Giessae*, bibliotheca Universitatis, cod. 788. chart. saec. XV. — Incipit fol. 1. r. sine ullo titulo, et desinit fol. 7. v. verbis cap. 2. n. 11: *ad perfectionem omnium bonorum, quam nobis prestare dignetur in secula benedictus. Deo laus.*

84. *Gottingae* in Borussia, bibliotheca Universitatis, ms. 114. chart. in 8. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 2. r. sine titulo: *Cum omnis scientia gerat* etc., desinit fol. 18. r. verbis: *et hoc est Seraphim. Ad que nos perducere dignetur Iesus xtus, qui est benedictus in secula. Amen. Anno 62.º* (1462).

85. *Gottwicii* (Göttweih) in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. 102. (74). — Folio 134. v. post alium librum *finitum anno 1577. post diem sanctae Luciae*, sequitur rubrica: *Nucleus Bone Venture de contemplacione, vel stimulus amoris, seu consciencie.* Desinit fol. 138. r. in cap. 3. n. 8. post *adhaereo* verbis: *A te nunquam separabor.*

86. *Ibidem*, cod. 256. (456.) chart. in 4. saec. XV. — Fol. 2. r. legitur: *Incipit Itinerarium mentis in seipsam editum per dominum Bonaventuram cardinalem.* Desinit fol. 13. v. *Et hoc Seraphim. Et sic est finis.* Hinc sequenti folio sequitur compendium opusculi sub hac inscriptione: *Incipit tabula exercitii interioris hominis, quo pervenitur ad veram scientiam et sapientiam ex ternario reverendi patris et doctoris Bonaventure. Sacra Scriptura in se continet triplicem intellectum* etc. Hoc schema desinit fol. 16. r.: *In qua est cognitio per veram experientiam. Et sic est finis. Explicit verum et pulcherrimum speculum corporis et anime medicinale.*

87. *Graecii* Styriae in Austria, bibliotheca Universitatis, cod. 1011. chart. in 4. saec. XV. ineuntis. — Folio non numerato r. incipit absolute: *Ecce, ego descripsi eam* etc., desinit per verba cap. 2. n. 11: *inducat perfectionem omnium bonorum, quam nobis prebeat Iesus christus Dominus noster. Amen.*

88. *Ibidem*, cod. 1082. chart. in 4. saec. XV. — Opusculo praemittitur titulus fol. 89. r. hoc modo: *Incipit stimulus consciencie fratris Bonaventure.* Protrahitur usque ad verba cap. 2. n. 12: *exhibendo complacentiam. Deo gracias. Explicit tractatus perutilis volenti proficere, de stimulo consciencie.*

89. *Ibidem*, cod. 886. iam relatus tom. V. pag. XVII § 3, ubi erronee fuit tributus bibliothecae Capituli Posoniensis. — Opusculum, de quo hic agimus, incipit circa finem voluminis et detruncatur cap. 2. n. 11. ad verba: *In qua tanta est pax et quies, ut...*

90. *Ibidem*, cod. 851. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 171. v. a cap. 1. n. 2. sub titulo: *Stimulus consciencie fratris Bonaventure. Sciendum est, quod tria sunt intra nos* etc. Desinit fol. 174. in cap. 2. n. 2: *Tria debet habere, dolorem, pudorem et timorem.* Alia desunt omnino.

91. *Ibidem*, cod. 1112. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Post medietatem voluminis fol. v. non numerato incipit opus: *Ecce, descripsi eam* etc., et desinit per verba cap. 2. n. 12: *interponit misericordiam, que est utriusque principium. Amen.* Titulus et nomen auctoris omittitur.

92. *Ibidem*, cod. 1015. membr. in 4. saec. XIV, quem notavimus tom. V. pag. XLIV n. 18. — Fol. 44. r. incipit sine titulo et desinit fol. 56. v. verbis: *Tercia Seraphim.* Additur: *Deus habet esse absque non entitate, per se esse absque accidentalitate, actuale esse absque materialitate, vivere absque nutribilitate, cognoscere absque passibilitate, movere absque variabilitate, conferre absque successione, intelligere absque abstractione, contemplari absque ascensu, sapere absque appetitu.*

93. *Gratianopoli* (Grenoble) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 607. saec. XIII. exeuntis, foliis non numeratis. — Fol. 1. r. prima manus in margine inferiori haec exaravit: *Incipit speculatio fratris Bone venture secundum triplicem viam.* Desinit detruncatum cap. 2. n. 4. ad verba: *Exhibitio latrie, ex quacunque gratia colatur, debet habere tria...*

94. *Hafniae* (Kopenhagen) in Dania, bibliotheca Regia, cod. 3397. in 8. membr. saec. XIV. — Fol. 2. r. est rubrica: *Parvum bonum Bone venture.* Hinc: *Incipit processus ordinarius ad perfectionem vite presentis et future beatitudinis. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 19. r.: *quoniam in illis est fons vite. Amen.*

95. *Hagae comitum* in Hollandia, bibliotheca Regia, cod. 162. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Circa medium voluminis: *Incipit liber de triplici via a beato Bonaventura compositus.* Desinit: *In illis est fons vite. Et exerce te ad virtutes in conformitatem ad supernam Ierusalem, de qua gloriosa dicta sunt, que est civitas Dei omnipotentis. Ad quam nos perducere dignetur qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

96. *Heidelbergae*, bibliotheca Universitatis, cod. Scrin. VIII. n. 43. in 4. chart. saec. XV. — Est rubrica opusculi huius fol. 132. r. sic efformata: *Incipit tractatus Bone Venture*

de triplici actu hierarchico. Desinit fol. 143. v. verbis cap. 3. n. 7: *ad osculum et amplexum, ad quod nos perducat Iesus xtus, qui vivit et regnat cum Deo Patre et Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.*

97. *Herbipoli* in Bavaria, bibliotheca Universitatis, cod. M. ch. 9. 16/2. saec. XV. — Hoc opusculum incipit post alia fol. 369. r. hac rubrica: *Sequitur tractatus domini Bonaventure, qui dicitur speculum anime de tribus viis, scilicet purgative, illuminative et perfective. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 372. r. verbis cap. 2. n. 12: *Cum fiducia spei, quam habemus a Christo, qui mortuus est pro nobis omnibus.*

98. *Ibidem*, bibliotheca Conventus sanctae Crucis Minorum Conventualium, cod. I. 124. chart. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Circa medium voluminis fol. r. non numerato incipit opusculum, praemissa rubrica: *I. capitulum. Nota quod ad veram sapientiam triplici via pervenitur, scilicet, via meditationis et via orationis et via contemplationis, et de his tractatur in presenti opusculo. Ecce descripsi eam* etc. Desinit per verba fragmenti additi: *sapere absque appetitu.* Fini subiicitur: *Explicit tractatus de triplici via perveniendi ad veram sapientiam, quarum prima est via meditationis, secunda via orationis, tertia via contemplationis. Et intitulatur: Parvum bonum Bonaventure. Deo gracias.*

99. *Ibidem*, cod. I. 48. chart. in fol. saec. XV. — Post alia opera fol. r. legitur sub titulo: *Incipit ternarius Bonaventure de regimine consciencie.* Desinit verbis cap. 3. n. 7: *et osculum et amplexum. Quo nos perducat qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.* Hinc iterum: *Explicit ternarius de regenda conscientia.*

100. *Hilarini* (Wilhering) in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. 103, de quo locuti sumus tom. V. pag. XXIX n. 51. Huic opusculo praemittitur tantum: *Bonaventura.* Desinit verbis: *Et hoc Seraphim.*

101. *Hispali* in Hispania, bibliotheca Columbina, cod. BB. Tab. 145. n. 17, de quo egimus tom. V. pag. XXI n. 93. Incipit hoc opusculum fol. 106. v.: *Ecce descripsi eam* etc. desinit 109. r. per verba cap. 2. n. 12: *interponit misericordiam, que est utriusque principium. Deo gracias.* Titulus operis et nomen auctoris desiderantur.

102. *Lambacii* in Austria superiore, bibliotheca Monasterii Ord. S. Benedicti, cod. 463. chart. in 8. saec. XV. ineuntis. — Fol. 40. v. occurrit opusculum hoc sub rubrica: *Incipit Itinerarium sive speculacio magistri Bonaventure.* Desinit fol. 52. r. per verba cap. 2. n. 11: *inducat perfectionem omnium bonorum. Quam nobis prebeat Iesus xtus Dominus noster, Filius Dei, qui cum Patre* etc. *Amen.* Iterum additur titulus, ut in initio.

103. *Ibidem*, cod. 18. chart. in fol. saec. XV. — Huic opusculo, quod incipit fol. 330. v., praemittitur tantum: *Prologus ad vias. Ecce descripsi eam* etc. Desinit mutilus fol. 333. r. verbis cap. 3. n. 3: *Tertio, quantus est qui patitur...*

104. *Ibidem*, cod. 335. chart. in 4. saec. XIV. — Incipit prope finem voluminis, fol. v. non numerato, et desinit fol. ultimo per verba cap. 2. n. 12: *ponit misericordiam, que est utriusque principium. Amen.* Titulus et nomen auctoris omittitur.

105. *Lauduni* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 146. chart. in fol. saec. XV. — Fol. r.: *Incipit liber fratris Bonaventure Ordinis Minorum de triplici via, per quam venitur ad veram sapientiam.* Desinit: *Et hec Seraphim. Ad quam nos perducere dignetur Deus gloriosus, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Explicit liber de triplici via ad perfectam sapientiam.*

106. *Leodii* in Belgio, bibliotheca maioris Seminarii, cod. 6. N. 2. iam descriptus tom. V. pag. XXX n. 55. — Opusculum hoc incipit fol. 65. r. post alia, nullo medio: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 78. r.: *In illis est fons vite. Amen.* Eadem manus addit: *Explicit parvum bonum fratris Bonaventure. Deo gracias.*

107. *Leopoli* (Lemberg) in Austria, bibliotheca Publica, cod. 380. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 36. r. praefert hunc titulum: *Incipit liber de regimine consciencie secundum Ambrosium* (!), *valde pulcherrimus* etc. *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 40. r. cap. 3. n. 7. verbis: *et osculum et amplexum. Quo nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

108. *Lignitii* Silesiae in Borussia, bibliotheca Ecclesiae sanctorum Petri et Pauli, cod. 16. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 365. v.: *Incipit ternarius Bonaventure de regimine consciencie.* Eadem repetuntur in fine, qui occurrit fol. 371. r. per verba capituli 3. n. 7: *et osculum et amplexum. Quo nos perducere dignetur qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

109. *Lipsiae*, bibliotheca Paulina, cod. 426. in fol. chart. saec. XV. — Folio non numerato, post alia opera habetur: *Sequitur ternarius Bona Venture. Ecce, descripsi eam* etc.; desinit: *Et hoc Seraphim;* additur: *Deus est esse absque entitate* etc. De hoc additamento vide quae diximus pag. 18 nota 2. huius voluminis et supra n. 92.

110. *Ibidem*, cod. 348. membr. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 54. r.: *Incipit liber, qui dicitur trivium vel speculum anime, sive Itinerarium mentis in Deum, editus a fratre Bonaventura.* Desinit fol. 65. r. verbis ipsius Itinerarii mentis in Deum: *Et dicet omnis populus: Amen, amen.*

111. *Ibidem*, cod. 486. chart. in fol. saec. XV. — Incipit hoc opusculum fol. 213. et desinit fol. 218. Convenit cum praecedenti cod. 348. in titulo, quem praemittit, et in fine sic: *dicat omnis populus fiat, fiat. Amen.*

112. *Ibidem*, cod. 133. membr. in fol. saec. XIV. — Fol. 96. r. est titulus: *Incipit ternarius Bone Venture. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 100. r.: *sapere absque appetitu. Amen, amen.* Haec verba sunt ex additamento, de quo locuti sumus supra n. 92. Post *Amen* additur *Explicit ternale anime.*

113. *Ibidem*, cod. 594. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum hoc incipit circa medietatem voluminis fol. r. sine ulla rubrica. Desinit cap. 2. n. 11. per verba: *inducat perfectionem omnium bonorum; quod nobis prestare dignetur qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.*

114. *Ibidem*, cod. 564. membr. saec. XIV. exeuntis. — Opusculum incipit fol. 57. r. sine titulo: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 66. v. verbis cap. 3. n. 7: *osculum et amplexum, quo nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen, amen. Explicit.*

115. *Ibidem*, cod. 725. chart. in fol. saec. XV. — Incipit fol. 384. r. sine titulo et desinit 388. v. verbis: *et in sequentibus dominatur affectio*, quae occurrunt in cap. 3. n. 7.

116. *Londini* in Anglia, collect. Harleana, cod. 3216. membr. in 4. saec. XV. — Titulus huius opusculi ponitur fol.

180. r. hoc modo: *Incipit tractatus Bonaventure de triplici via.* Desinit fol. 199. v.: *Et hoc per Seraphim. Ad quod osculum nos perducat qui sine fine vivit et regnat. Amen. Explicit trinario* (sic!) *Bonaventure de vita contemplativa, de trinitate creata similitudine Trinitatis increate.*

117. *Ibidem*, cod. 3811. descriptus tom. V. pag. XXII n. 104. — Fol. 155. r.: *Incipit tractatulus domini Bonaventure subtilis et pulcer de triplici via, que ducit ad veram sapientiam, et primo de meditatione.* Desinit fol. 162. v. ut in editis. Deinde additur fragmentum: *Deus est esse absque non entitate* etc., ut supra n. 92.

118. *Ibidem*, cod. 106. membr. saec. XIV. exeuntis. — Incipit hoc opusculum fol. 91. praemissa sequenti rubrica: *Nota parvum bonum ad informationem vite secundum Bonaventuram in tractatu, qui incipit: Ecce, descripsi eam.* Desinit fol. 93. r. verbis cap. 2. n. 11: *In pace factus est locus eius.*

119. *Ibidem*, cod. 3227. membr. in 4. saec. XV. exeuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit Itinerarium fratris Bonaventure hominis in seipsum.* Desinit fol. 14. r. per verba: *Et hoc Seraphim.* Sequitur opus, quod incipit: *Notandum quod sex sunt potentie* etc., de quo vide Additamentum III. (pag. 19).

120. *Ibidem*, collectio Arundeliana, cod. 507. chart. in 4. saec. XV. ineuntis. — Incipit fol. 12. r. hoc titulo: *Meditatio fratris Bone aventure.* Desinit fol. 13. v. verbis: *Secundum hunc modum et in aliis est intelligendum* (cap. 1. n. 19.).

121. *Ibidem*, cod. 205. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 6. r. notatur tantum: *Bonaventura cardinalis. Capitulum 1. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 11. r. verbis cap. 3. n. 7: *Et osculum et amplexum. Quo nos perducat qui vivit et regnat* etc.

122. *Ibidem*, collectio Cottoniana, cod. Vespasianus E. I. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 69. r. est rubrica huius opusculi sic exarata: *Hic incipiunt meditationes Bone venture Fratris Minoris.* Desinit fol. 78. r.: *Tertia hierarchia Thronorum, Cherubim, Seraphim.*

123. *Ibidem*, cod. Faustina, A. VI. membr. in 4. saec. XIV. — Secunda manus fol. 160. v. parte superiore advertit: *Tractatus valde eruditus, sed non satis emendate scriptus, et est Bonaventure libellus, dictus Parvum bonum.* Desinit fol. 166. r.: *Tertia Seraphim.*

124. *Ibidem*, collectio Regia, cod. 8. B. VIII. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 84. v. post alia Bonaventurae tributa: *Incipit tractatus eiusdem de contemplatione.* Desinit fol. 93. v. per verba: *Tertia Seraphim.*

125. *Luneburgi* in Germania, bibliotheca Civitatis, cod. theol. 13. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 207. r.: *Incipit speculatio fratris Bonaventure secundum triplicem viam.* Desinit folio 213. r.: *et hoc est Seraphim. Ad que nos perducat qui super thronos Angelorum in eternum vivit et regnat. Amen.*

126. *Madriti*, bibliotheca Escurialis, cod. I. P. 4. membr. saec. XIV. ante medium. — Fol. 263. r. ad calcem opusculi Stimuli amoris sub nomine Bonaventurae exarati est sequens rubrica: *Ratio, quare sub triplici divisione scripsi istum libellum. Ecce, descripsi tibi eam tripliciter, Proverbiorum vigesimo secundo capitulo. Cum omnis scientia gerat insignia* (sic) *et precipue illa que docetur in Scriptura sacra, debet in se representare vestigium Trinitatis, propter quod dicit sapientia de hac sacra Scriptura, se eam tripliciter descripsisse. Deo gratias.* Hic scriba defecit; reliqua pars huius folii et sequentis adhuc remanent albae.

127. *Ibidem*, cod. J. II. 25, quem notavimus tom. V. pag. XXX n. 62. — Opusculum incipit fol. 98. v. sub antiquo titulo: *Itinerarium mentis in seipsam.* Desinit fol. 109. v.: *Et hec Seraphim. Qui dedit alpha et omega, sit laus et gloria xto. Explicit Itinerarium mentis in seipsam compositum a fratre Bonaventura generali Ministro Ordinis Fratrum Minorum.*

128. *Magdeburgi*, bibliotheca Civitatis, cod. XII. fol. 148. chart. saec. XV. — Fol. 1. r.: *Incipit libellus, qui appellatur regimen conscientie vel parvum bonum, editum a fratre Bonaventura Cardinali. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 9. r. per verba: *Et hoc est Seraphim.* Hinc post *Explicit* adduntur eadem, quae praemittuntur initio.

129. *Medelcii* (Melck) in Austria, bibliotheca Monasterii Ord. S. Benedicti, cod. C. 1. chart. in fol. saec. XIV. — Fol. 61. r. *Incipit Viaticum anime ad Deum Bonaventure.* Desinit fol. 65. r. verbis cap. 3. n. 8.: *adhereo, a te nunquam separabor. Amen.*

130. *Ibidem*, cod. B. 23. chart. in 12. exaratus, ut notavimus tom. V. pag. XXX n. 62, anno 1452. — Pag. 49. est titulus: *Incipit tractatus Bonaventure de triplici actu ierarchico, sive de triplici modo se exercendi.* Desinit pag. 70. ad verba cap. 3. n. 7: *Osculum et amplexum. Ad quod nos perducat* etc. *Explicit Bonaventura de triplici actu yerarchico.*

131. *Ibidem*, cod. B. 29. chart. in 12. saec. XV. — Opusculum hoc incipit fol. 145. r.: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 158. v., ut in editis. Dein: *Explicit tractatus bonus et pulcher trium graduum, quibus pervenitur ad veram sapientiam.*

132. *Ibidem*, cod. O. 18. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 21. v. habet exaratum in parte superiore: *Quoddam opus parvum, sed bonum Bonaventure incipit.* Desinit fol. 40. v. verbis cap. 3. n. 7: *In sequentibus dominatur affectio.*

133. *Ibidem*, cod. P. 14. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r. notatur: *Incipit tractatus Bonaventure, qui intitulatur stimulus consciencie de regendo racionem; et lege attente et pondera de verbo ad verbum. Tunc ascendes in contemplacionem et in providenciam tui ipsius et erit tibi super mel et favum in anima tua.* Hinc prosequitur opusculum usque ad fol. 11. v. ubi desinit verbis: *In illis est fons vite. Amen. Explicit tractatus Bonaventure.*

134. *Ibidem*, cod. B. 36. chart. in 12. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 2. r. sub titulo: *Tractatus Bonaventure multum utilis et bonus. Ecce ego descripsi tibi eam* etc., desinit fol. 7. v. verbis cap. 2. n. 11: *Inducat perfectionem omnium bonorum. Quam nobis prebeat Iesus xtus Dominus noster, qui etc.*

135. *Ibidem*, cod. E. 38. chart. saec. XV. — Pag. 367: *Incipit Itinerarium, sive speculacio magistri Bonaventure.* Desinit pag. 380. per verba cap. 2. n. 11, ut praecedens.

136. *Ibidem*, cod. N. 7., de quo vide tom. V. pag. XXX n. 66. — Huic opusculo fol. 16. r. praemittitur tantum: *Sermo eiusdem*, sed rubricista addidit a latere: *Tractatulus eiusdem de triplici actu yerarchico.* Desinit fol. 22. v. in cap. 3. n. 7. verbis: *Osculum et amplexum, ad quod nos perducat. Amen.*

137. *Ibidem*, cod. H. 99. chart. saec. XV. — Incipit hoc opusculum pag. 1. sine titulo: *Ecce, descripsi eam* etc. et desinit pag. 32. verbis cap. 3. n. 7: *osculum et amplexum. Ad quod perducat nos Iesus. Explicit tractatus Bonaventure.*

138. *Ibidem*, cod. L. 35. chart. saec. XV. — Pag. 385. praemittitur opusculo: *Tractatus Bonaventure multum utilis.* Desinit pag. 415. ipsis verbis, quibus praecedens.

139. *Ibidem*, cod. L. 37. chart. saec. XV. — Fol. 317. r. incipit absolute: *Ecce, descripsi eam* etc. et desinit fol. 329. v. in cap. 3. n. 7. ut praecedentes, cui alia, sed coaeva manus addidit: *Explicit tractatus Bonaventure de triplici modo se exercendi.*

140. *Merseburgi* in Borussia, bibliotheca Ecclesiae cathedralis, cod. 11. chart. in fol. saec. XV. — Folio 146. r.: *Incipit ternarius Bonaventure cardinalis.* Desinit fol. 158. v.: *et hoc seraphim.* Inde sequitur: *Quid est Deus? Deus est esse absque entitate* etc. usque: *sapere absque appetitu. Explicit ternarius Boneventure cardinalis.*

141. *Metis* cod. 235. chart. in 4. saec. XV. — Post alia folio 2. r.: *Sequitur parvum bonum, in quo est fons vite, editum a fratre Bonaventura doctore eximio Ordinis Minorum.* Desinit verbis: *Et hoc Seraphim.*

142. *Ibidem*, cod. 241. miscell. in 4. saec. XV. — Fol. 45. v.: *Incipit parvum bonum fratris Bonaventure.* Desinit fol. 54. v. per verba: *In illis est fons vite.* Hinc: *Explicit parvum bonum a fratre Iohanne Perrini scriptum.*

143. *Ibidem*, cod. 601. chart. saec. XV. ineuntis. — Fol. r. sine numero praemittitur tantum: *Bonaventura*, cui imperiti manus adiunxit: *Centiloquium.* Incipit: *Ecce, descripsi eam* etc.; et desinit verbis cap. 3. n. 7: *Et osculum et amplexum. Ad quod nos perducat Iesus xtus dominus noster. Amen.*

144. *Ibidem*, cod. 607. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 5. r. legitur: *Incipit liber fratris Bonaventure Ordinis Fratrum Minorum et cardinalis de triplici via, per quam pervenitur ad sapientiam. Ecce, descripsi eam* etc. Sequitur usque ad verba: *Et hoc Seraphim.* Additur admonitio: *Exerce te* etc. ut supra n. 95.

145. *Moguntiae*, bibliotheca Publica, cod. chart. 178. progress. CVII. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Incipit fol. 119. r. sine titulo et nomine auctoris. Desinit fol. 125. r. verbis: *sapere absque appetitu. Explicit Itinerarium in seipsum.*

146. *Ibidem*, cod. chart. 283. progress. CLXXIV. in 4. saec. XIV. — Fol. 108. r. est eadem rubrica, quam in codice n. 8. notavimus, et eadem repetuntur in fine, qui occurrit folio 118. v. Postea legitur: *Explicit parvum bonum Bonaventure. Amen.*

147. *Ibidem*, cod. chart. 438. progress. CCXL. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Incipit opusculum circa finem voluminis et desinit cap. 2. n. 12. per verba: *exhibendo complacentiam. Explicit hoc corpusculum* (sic) *Bonaventure fratris Minoris, quondam Cardinalis et Patriarche.*

148. *Ibidem*, cod. chart. 586. progress. CCCXXXI. saec. XV. — Fol. 1. r. est titulus efformatus: *Parvum bonum Bonaventure.* Desinit fol. 8. v.: *in illis est fons vite. Deo laus et gloria. Amen. Explicit parvum bonum Bonaventure perutile.*

149. *Ibidem*, cod. chart. 605. progress. CCCXLI. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis. — Fol. non numerato circa medietatem codicis est titulus huius opusculi a prima manu exaratus: *Incipit parvum bonum Bonaventure.* Desinit: *in his est fons vite. Ad quam nos perducat Pater et Filius et Spiritus sanctus. Amen.*

150. *Monachii*, bibliotheca Regia, cod. 3034. chart. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 228. v. sine ullo titulo: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 232. v. in cap. 2. n. 11. verbis: *Sciendum autem, quod ad proficiendum in caritate erit profectus in omni bono opere. Ad quam caritatem nos perducat qui sine fine vivit et regnat. Amen. Explicit tractatus Bonaventure de tribus Punctis.*

151. *Ibidem*, cod. 3603. chart. saec. XV. — Fol. 250. v. habetur haec rubrica: *Subscripta sunt sumta de ternario Bonaventure, eo quod de triplici via ad sapientiam tractat. Ecce, descripsi eam* etc. Protrahitur usque ad n. 14. cap. 1: *debemus in ipsum tendere*, fol. codicis 252. v. Cetera ablata fuerunt.

152. *Ibidem*, cod. 2991. chart. — Fol. 153. v. incipit sub hoc titulo: *Incipit tractatus de conscientia regenda, qui dicitur Stimulus conscientie, parvum bonum fratris Bonaventure.* Alia manus saec. posterioris adiunxit: *Registrum huius libri quere in fine.* Desinit fol. 181. ut in editis, cui adiungitur: *Explicit tractatus Boneventure de conscientia regenda. Anno Domini 1399. in die Othomari.*

153. *Ibidem*, cod. 5914. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 129. r. legitur: *Incipit parvum bonum Bonaventure. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 140. r. verbis: *in illis est fons vite. Amen.*

154. *Ibidem*, cod. 5014. in chart. saec. XV, ut iam innuimus tom. V. pag. XXX n. 72. — Incendium amoris incipit post alia opera fol. 70. v. hoc titulo: *Tractatus eiusdem de triplici actu ierarchico;* desinit fol. 95. r. his verbis cap. 3. n. 7: *ad copulam et amplexum. Ad quod nos perducat* etc.

155. *Ibidem*, cod. 14835. membr. saec. XIV. — Fol. 102. r. manus posterior exaravit ante opusculum hunc titulum: *Parvum bonum vel regimen conscientie sancti Bonaventure, quod vocatur fons vite.* Desinit fol. 108. r.: *in ceteris vero dominatur affectio* (cap. 3. n. 7.).

156. *Ibidem*, cod. 7959. membr. saec. XIV. — Incipit fol. 118. r. sub hac rubrica: *Sermo generalis peroptimus Bone venture.* Desinit fol. 120. v. in cap. 2, n. 12. ad verba: *ponit misericordiam, que est utriusque principium.*

157. *Ibidem*, cod. 8981. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 62. r. praemittitur: *Parvulum bonum domini Bonaventure. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 61. r. c. 3. n. 7: *et amplexum, ad quod nos perducat xtus Iesus Marie gloriosissime filius. Amen.*

158. *Ibidem*, cod. 7505. chart. in fol. saec. XV. iam descriptus tom. V. pag. XXX n. 73. — Hoc opusculum incipit fol. 238. r. sine titulo, desinit in cap. 3. n. 7. ut praecedens: *Ad quod nos perducat Iesus xtus Filius Dei benedictus in secula seculorum. Amen. Explicit tractatus bonus et pulcher trium graduum, quibus pervenitur ad veram sapientiam.*

159. *Ibidem*, cod. 18651. chart. saec. XV, de quo vide quae diximus tom. V. pag. XXXV n. 22. — Fol. 161. praemittitur: *Tractatus de triplici actu ierarchico*, et alia manus addidit: *Bonaventure.* Desinit fol. 168. r. in cap. 3. n. 7.

verbis: *ad quod nos perducal lesus xtus in secula seculorum benedictus. Amen.*

160. *Ibidem*, cod. 23449. membr. saec. XIV. exeuntis ex pluribus compactus. — Fol. 33. v. incipit opusculum hoc sine titulo et decurrit usque ad fol. 43. r., ubi desinit verbis cap. 3. n. 7: *et osculum et amplexum, ad quod nos perducat qui sine fine vivit et regnat.*

161. *Ibidem*, in eodem codice occurrit idem opusculum, a folio 154. r. usque ad folium 159. r., ubi desinit, vel potius deficit verbis cap. 2. n. 12. (cfr. pag. 11, nota 7.): *nec tamen liberamur omnino. Explicit Itinerarius mentis in Deum.* — Hunc cod. notavimus tom. V. pag. XXXIV n. 7.

162. *Ibidem*, cod. 18186. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 196. v. incipit Incendium amoris sub titulo: *Opus gloriosum, quod appellatur trinarium, per dominum Bonam venturam Fratrem Minorem et cardinalem, et potest appellari opus aureum. Cum omnis scientia* etc. Desinit fol. 202. r. per verba: *et hoc est Seraphim. Explicit liber trinarius B. Boneventure Ordinis Fratrum Minorum et cardinalis.*

163. *Ibidem*, cod. 5983. chart. saec. XV. — Fol. 157. r. legitur: *Incipit parvum bonum Bonaventure.* Desinit fol. 170. r.: *in illis est fons vite. Explicit parvum bonum Bonaventure.*

164. *Ibidem*, cod. 2729. membr. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 134. r. legitur: *Incipit libellus fratris Bone Venture, qui dicitur Stimulus consciencie. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 144. v. verbis: *tertium Seraphim.*

165. *Ibidem*, cod. 2633. membr. in 8. saec. XIV. ineunt. iam notatus tom. V. pag. XXVII n. 8. — Opusculum incipit fol. 94. r. a cap. 1. n. 7. verbis: *crastina? Secundo acuitur cum homo considerat sanguinem xti effusum* etc. Desinit vel potius deficit fol. 97. v.: *et de eo malo, quod adimus, timemus.* Cetera fuerunt avulsa.

166. *Ibidem*, cod. 18402. chart. in fol. saec. XV. — Incipit fol. 294. r. et desinit 302. r. cap. 3. n. 7: *in sequentibus dominatur affectio. Explicit speculum seu Itinerarius mentis in Deum Bonaventure.*

167. *Ibidem*, cod. 9068. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 421. r. incipit absolute a prologo: *Evigilans vero.* Desinit fol. 437 r.: *in illis est fons vite. Explicit parvum bonum sancti Bonaventure.*

168. *Ibidem*, cod. 18573. chart. in 4. saec XV. — Opusculum est post alia opera Bonaventurae sub rubrica: *Ex tractatu eiusdem de triplici actu ierarchico.* Est exaratum per modum schematis, et desinit cap. 3. n. 7. per verba: *ut perveniatur ad amplexum.*

169. *Ibidem*, cod. 12591. chart. in fol. saec. XV. — Incipit absque ullo titulo fol. 19. r.: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit vel potius deficit fol. 27. v. cap. 3. n. 5. verbis: *sed habebit lumen vite eterne, ad quam nos perducat lesus xtus. Amen.*

170. *Ibidem*, cod. 11929. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. 250. r.: *Incipit parvum bonum S. Bonaventure, quod vocatur Fons vite.* Desinit fol. 253. r. verbis: *voluntarie penitentie lamenta*, quae leguntur cap. 1. n. 19.

171. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. 344. in 8. chart. saec. XV. ante medium. — Fol. 237. r. est sequens rubrica: *Incendium vel parvum bonum Bonaventure, prologus in fine. Ecce, descripsi eam* etc. Prosequitur, ut in editis, usque ad fol. 216. r., cui additur: *Explicit liber, qui vocatur Incendium amoris sive parvum bonum fratris Bonaventure.* Inde subiicitur: *Sequitur prologus in praecedentem tractatum. Evigilans vero... conabor.* Desinit verbis: *Istius libri titulus Incendium amoris sortiatur.*

172. *Ibidem*, cod. 97. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 150. v.: *Incipit Itinerarius mentis in Deum Bonaventure Ordinis Fratrum Minorum.* Desinit fol. 157. r. verbis: *et hoc est Seraphim. Ad que nos perducere dignetur qui est benedictus in secula seculorum. Amen. Explicit Itinerarius Bonaventure mentis in Deum.*

173. *Ibidem*, cod. 30. chart. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. 49. r. habetur rubrica: *Nota: Bonaventura de divina sapientia. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 53. r. verbis cap. 3. n. 7: *ad osculum et amplexum, ad quem nos perducat lesus xtus dulcissimus.* Hinc eadem prima manus: *Explicit bonus tractatus Bone Venture de divina sapientia.*

174. *Ibidem*, cod. 3. chart. in 8. saec. XV. sub fine, ut innuimus tom. V. pag. XXXI n. 81. In fine enim codicis eadem manus, quae eum exaravit, addidit hanc memoriam: *Anno Domini 1482. in octava Pasche canonizatus seraphicus doctor dominus Bonaventura episcopus Albanensis et cardinalis S. R. Ecclesiae.* — Fol. 39. r. incipit opusculum hoc sub titulo: *Prologus domini Bonaventure in Incendium amoris. Evigilans vero* etc. Post hunc prologum iterum rubrica: *Parvum bonum Bonaventure. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit ut in editis fol. 47. verso.

175. *Neuburgi* in Austria, bibliotheca Canoniae, cod. 349. chart. iam notatus tom. V. pag. XXXIII n. 132. — Opusculum incipit fol. 154. r. sine titulo, et desinit fol. 159. v. per verba: *Et hec Seraphim. Bernhardus super Cantica. Explicit Itinerarium mentis in seipsam editum per dominum Bonaventuram cardinalem.*

176. *Ibidem*, cod. 800. membr. in 4. saec. XIV. — Post aliud opus sancti Bonaventurae sequitur, fol. non numerato: *Tractatus graduum, quibus ad veram sapientiam pervenitur.* Desinit cap. 3. n. 7: *Osculum et amplexum. Ad quod nos perducat qui sine fine vivit et regnat. Amen.*

177. *Ibidem*, cod. 825. iam descriptus tom. V. pag. XXXIII n. 133. — Hoc opus incipit fol. 27. r. et desinit vel potius deficit fol. 32. r., uti praecedens, sine alio additamento.

178. *Oeniponte* in Tyrolo, bibliotheca Patrum Ord. Praemonstratensium in Wilten, cod. chart. in fol. parvo, sine numero. — Opusculum praesens incipit fol. 179, cui praemittitur tantum: *Bonaventura.* Desinit fol. 182. cap. 2. n. 11. his verbis: *Studendum est igitur ad perfectionem in caritate, ad quam nos perducat qui vivit et regnat. Explicit primus tractatus Bonaventure de stimulo conscientie.*

179. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. 219/9. chart. in fol. saec. XV. prope medium. — Fol. 55. r. indicatur annus, quo fuit exaratus, hoc modo *142.* Fol. 109. r. praemittitur: *Stimulus amoris Bonaventure.* Desinit fol. 111. v. per verba cap. 2. n. 12: *per Christum crucifixum cum assistentia patrocinii etc. Explicit de stimulo Bonaventure.*

180. *Ibidem*, cod. 264. membr. in fol. saec. XIV. — Fol. 103. r. praemisso tantum: *Bonaventura*, incipit: *Ecce, descripsi eam* etc., usque ad verba: *et hoc Seraphim*, quae occurrunt fol. 114. v.

181. *Olomutii* in Moravia, bibliotheca Regia, cod. II. g. 27. chart. saec. XVI. ineuntis. — Vol. 33. r. incipit: *Parvum bonum sancti Bonaventure, alias regimen conscientie. Evigilans vero animam meam* etc. Desinit fol. 43. r.: *Quoniam in illis est fons vite.*

182. *Ibidem,* bibliotheca Capituli Ecclesiae cathedralis, cod. 33. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 82. v. est rubrica: *Incipit stimulus conscientie, quem aliqui nominant speculum anime.* Desinit fol. 87. r.: *ad osculum, ad amplexum. Amen* (cap. 3. n. 7.). *Explicit speculum animae editum a fratre Bonaventura de Ordine Minorum.*

183. *Oxonii* in Anglia, cod. Canonic. 284. membr. in 4. saec. XIV. iam relatus tom. V. pag. XXIII n. 149. — Hoc opusculum est post alia opera fol. 81. v. sub hac indicatione: *Incipit tractatus predicti fratris B. de conscientia regenda.* Desinit fol. 83. v. verbis cap. 2. n. 12: *interponit misericordiam, que est utriusque principium.*

184. *Ibidem,* bibliotheca Bodleiana, cod. 181. membr. saec. XIV. — Fol. 117. r. est rubrica: *De triplici via Bone venture.* Opusculum deficit fol. 122. in cap. 3. n. 9. verbis: *per contemptum concupiscentiarum terrenorum, modestia...*

185. *Ibidem,* cod. Collegii Mertonensis, 2. miscell. saec. XV. — Rubrica huius operis reperitur fol. 2. r. verbis: *Incipit parvum bonum fratris Bonaventure, quod a quibusdam vocatur meditatio eiusdem.* Eadem repetuntur in fine fol. 6. r. post verba: *Tertia Seraphim. Amen.*

186. *Papiae* in Italia, bibliotheca Universitatis, cod. CXXX. A. 21. miscell. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 17. r. sub hac rubrica: *Opus gloriosum, quod appellatur ternarium, per sanctum Bonaventuram Fratrem Minorem et cardinalem. Et potest appellari opus aureum. Cum omnis scientia gerat Trinitatis insigne.* Desinit fol. 30. v.: *Et hoc est Seraphim.*

187. *Parisiis,* bibliotheca Nationalis, collect. Regia, cod. 3574. membr. in 8. saec. XIII. — Fol. 71. r. incipit absolute: *Ecce, descripsi eam* etc., desinit fol. 79. r.: *In illis est fons vite. Amen.*

188. *Ibidem,* bibliotheca Nationalis, collect. supplem. cod. 10630. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 120. r. incipit sub titulo: *Parvum bonum Bonaventure,* desinit fol. 125. r.: *In illis est fons vite. Amen. Finit parvum bonum.*

189. *Ibidem,* cod. 9615, de quo egimus tom. V. pag. XXXI n. 90. — Fol. 2. r.: *Incipit Itinerarium mentis in se quoad Deum,* desinit fol. 13. v.: *Et hec Seraphin. Ad quod nos perducat ipse, qui trinus est et unus. Amen. Explicit Itinerarium mentis in seipsam quoad Deum.*

190. *Ibidem,* cod. 2042. iam descriptus tom. V. pag. XXIV n. 163. — Fol. 84. est titulus huius opusculi: *Incipit liber de triplici via perveniendi ad sapientiam a fratre Bonaventura compositus.* Desinit folio 86. v.: *Et hoc est Seraphim. Ad quod nos perducere dignetur qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

191. *Ibidem,* cod. 2049. membr. saec. XV, ut notavimus tom. V. pag. XXIV n. 164. — Titulus huius operis est fol. 16. r.: *Incipit contemplatio fratris Bonaventure Ministri generalis Fratrum Minorum. Cum omnis scientia gerat* etc. Finis est fol. 20. r.: *Tertia Seraphim. Explicit.*

192. *Ibidem,* cod. 3756. membr. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Opusculum incipit fol. 57. r. post alia, nullo interiecto titulo: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 79: *Tertia Seraphim. Amen. Explicit liber Bonaventure in meditationibus suis.*

193. *Ibidem,* cod. 2980. membr. in 8. saec. XV. — Fol. r. legitur: *In nomine Domini nostri Iesu Xti. Amen. Incipit liber fratris Bone venture Ordinis Fratrum Minorum de triplici via, per quam pervenitur ad veram sapientiam.* Finis est fol. 15. r. verbis: *Et hoc est Seraphim. Ad quam nos perducere dignetur Deus gloriosus, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Explicit. Deo gratias.*

194. *Ibidem,* cod. 590. membr. saec. XIV. exeuntis. — Opusculum est fol. 153. r. sub titulo: *Incipit liber de triplici via,* et protenditur usque ad fol. 162. v. Verbis desinit: *Tertia Seraphim. Explicit liber de triplici via;* nomen auctoris omittitur.

195. *Ibidem,* bibliotheca Mazzarinea, cod. 1255. membr. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Fol. v. non numerato notatur: *Incipit de triplici liber iste. Ecce, descripsi eam* etc., desinit verbis: *Tertia Seraphim.*

196. *Ibidem,* cod. 902. chart. in 8. saec. XVI. — Fol. 68. r.: *Incipit prologus in parvum bonum sancti Bonaventure, quod alias Incendium amoris dicitur, vel regimen conscientie, vel fons vite. Evigilans vero* etc. Sequitur opusculum usque ad verba: *In illis est fons vite.* Quibus subiicitur hoc elogium: *Finit parvum bonum, vel regimen conscientie sancti Bonaventure, quod vocatur Fons vite vel Itinerarius mentis in proximum; qui quanti pretii sit, brevi stilo sufficienter explicari non potest; nam si quis seipsum cognoscere voluerit et proximo laudabiliter et meritorie convivere, hunc libellum studeat memoriter retinere et opere exercere.*

197. *Ibidem,* cod. 663. membr. plurium aetatum; opusculum hoc est pessime exaratum sub fine saec. XV. — Incipit fol. 4. titulo: *Liber fratris Bonaventure Ordinis Fratrum Minorum de triplici via.* Desinit fol. 8. r. verbis: *Et hoc est Seraphim. Ad quam nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

198. *Pelplini* in Borussia, bibliotheca Seminarii, cod. V. K. b. 7. chart. in 4. saec. XV. ineuntis. — Hoc opusculum incipit fol. 116. v. sine titulo: *Ecce, descripsi eam* etc., decurrit usque ad fol. 120. v. et desinit verbis cap. 2. n. 11: *inducat perfectionem omnium bonorum. Quam nobis concedere dignetur qui est benedictus in secula seculorum. Amen. Expliciunt excerpta Boneventure de contemplatione. Deo gratias.*

199. *Ibidem,* cod. B. 254. antiquitus, nunc sine numero, chart. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Incipit fol. 57. r., omisso titulo, desinit fol. 62. r. verbis cap. 3. n. 7: *viget consideratio et in sequentibus affectio. Hec compilatio magistri Bonaventure dicitur parvum bonum.*

200. *Placentiae* in Insubria, bibliotheca Civitatis, cod. 77. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 20. r. habetur: *Incipit Itinerarium hominis in seipsum, compilatum q fratre Bonaventura Ordinis Fratrum Minorum. Ecce, descripsi eam* etc. Explicit fol. 31. r.: *Et hoc seraphim.* Additur fragmentum ut supra n. 92: *Deus habet esse* etc. usque ad verba: *Sapere absque appetitu.* Sequitur: *Tabula super itinerario hominis in seipsum.*

201. *Pragae,* bibliotheca Universitatis in Clementino, cod. X. B. 24. chart. in fol. saec. XV. ante medietatem. — Fol. 12. r. legitur: *Hic est compendens (!) de Stimulo Bone Venture. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 15. r.: *in illis fons vite. Amen. Explicit Bone Venture optimum.*

202. *Ibidem*, cod. III. D. 17. chart. saec. XIV. exeuntis. — Opusculum incipit sine titulo fol. 29. v. et desinit fol. 31. v. verbis cap. 2. n. 9: *omnis boni et complementum.* Sequitur de gradibus pietatis, de quibus locuti sumus supra n. 119.

203. *Ibidem*, XIII. G. 5. chart. in 4. saec. XV. — Est rubrica fol. 144. v. in parte superiore: *Incipit Tractatus magistri Bona Venture de triplici actu yerarchico.* Desinit, ut editi, fol. 166. v.

204. *Ibidem*, bibliotheca Capituli Metropolitani, cod. N. LVI. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 133. v. est titulus: *Tractatus pulcher domini Bonaventure de modo contemplandi.* Desinit fol. 138. r. verbis: *in te exsulto, tibi adhereo,* quae sunt cap. 3. n. 8. Sequitur Breviloquium, de quo egimus tom. V. pag. XXXI n. 93.

205. *Ibidem*, cod. O. LXIII. chart. in 4. saec. XV. — Fol. non numerato incipit: *Ecce, descripsi eam* etc., desinit: *et dilectionem, hoc Seraphim.*

206. *Ibidem*, cod. E. XLIII. chart. in fol. saec. XV. — Incipit hoc opusculum circa medietatem voluminis: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit: *et hoc Seraphim.* Omittitur, ut in praecedenti, titulus et nomen auctoris.

207. *Ibidem*, cod. O. LXX. chart. in 8. saec. XIV. — Fol. 54. v. praemisso superiori margine: *A Bonaventura*, incipit absolute: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 64. v.: *in sequentibus dominatur affectio* (cap. 3. n. 7.). Hinc additur: *Et sic est finis speculi anime, sive Itinerarii mentis in Deum a fratre Bonaventura.*

208. *Ratisbonae*, bibliotheca Civitatis, cod. 55. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 15. v.: *Incipit libellus fratris Bonaventure, qui dicitur Stimulus conscientie.* Desinit fol. 24. r. verbis: *tertium Seraphim. Amen.*

209. *Raygern* in Moravia, bibliotheca Monasterii Ord. S. Benedicti, cod. 406. chart. in fol. exaratus anno *MCCCC. VI.* — Hoc opusculum incipit fol. 135. v. et desinit 141. r. verbis cap. 3. n. 7: *in sequentibus dominatur affectio etc. Explicit Trivium, sive speculum anime, sive itinerarium mentis in Deum, editum a fratre Bonaventura Ordinis Fratrum Minorum.*

210. *Ibidem*, cod. 497. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Fol. 64. v. est titulus: *Incipit tractatus domini Bonaventure subtilis et pulcher de triplici via, que ducit ad veram sapientiam.* Desinit fol. 70. v.: *et hoc Seraphim.* Deinde additur: *Explicit tractatulus utilissimus dictus Ternarius Bonaventure, alias processus ad summum gradum. Item de profectu vite religiose, et sub pluribus aliis titulis invenitur allegatus.*

211. *Regimontii* in Borussia, bibliotheca Regia, cod. theol. in fol. 1070, de quo egimus tom. V. pag. XXIV n. 179. — Post opus Breviloquii fol. 213. r. sequitur ex Incendio amoris cap. 2. n. 11. desinit ad finem eiusdem numeri verbis: *cum profectus eius inducat perfectionem omnium bonorum. Quem nobis prestet qui vivit et regnat.*

212. *Ibidem*, cod. 1301. chart. in fol. saec. XV. — Folio non numerato incipit opusculum a cap. 1. n. 1. sub titulo: *Viarium Boneventure ad veram sapientiam. Triplex est via, per quam* etc. Desinit c. 3. n. 8. per verba: *a te nunquam separabor. Amen.*

213. *Ibidem*, cod. 1350. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 89. v. est titulus sic expressus: *Incipit liber parvus bonus Bonaventure.* Desinit fol. 107. v.: *quoniam in illis fons vite.*

214. *Ibidem*, cod. 1349. membr. in fol. saec. XV. — Fol. 141. legitur: *Trivium Boneventure. Cum omnis scientia gerat Trinitatis insigne* etc. Desinit fol. 151. verbis: *et osculum et amplexum, quo nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen* (cap. 3. n. 7.).

215. *Ibidem*, cod. 1359. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. r. non numerato alia manus eiusdem aevi exaravit: *Ex Ternario Boneventure. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit in cap. 2. n. 11. verbis: *inducat perfectionem omnium bonorum, quod nobis concedere dignetur qui est benedictus in secula seculorum. Amen. Explicit hoc Opusculum, quod summe vere doctrine constat habere.*

216. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 1041. miscell. in fol. saec. XV, ut notavimus tom. V. pag. XXXI n. 97. — Hoc opusculum incipit parte prima voluminis et prosequitur, ut in editis, usque ad verba: *In ea est fons vite. Explicit.*

217. *Ibidem*, cod. 7690. chart. saec. XV. — Opusculum incipit post alia multa fol. 264. r. sine ullo titulo: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit sine alia indicatione fol. 272. r. verbis cap. 3. n. 7: *et osculum et amplexum. Ad quos nos perducat qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.* Opusculo praemittitur haec memoria: *Ego A. scripsi, dum essem medicus in Urbe veteri 1475, die 10 Iunii in vesperis.*

218. *Ibidem*, cod. 7708. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 99. r. est rubrica: *Incipit Ternarius Bonaventure. Cum omnis scientia* etc. Fol. 113. r. est finis: *Tertium ad oscula geminanda. Deo gratias.* Haec ultima verba sunt addita opusculo (vide pag. 16, notam 9.).

219. *Ibidem*, bibliotheca Casanatensis, cod. A. V. 43, de quo egimus tom. V. pag. XXX n. 192. — Post alia opera est rubrica: *Incipit libellus quantum ad triplicem viam, per quam pervenitur ad veram sapientiam, a fratre Bonaventura Ordinis Minorum editus.* Desinit verbis: *Et hoc Seraphim. Explicit.*

220. *Ibidem*, bibliotheca Principum Barberinorum, cod. XLIV. 2. membr. saec. XIV. — Hoc opusculum incipit post aliud et prosequitur ut in editis. Pro titulo praemittitur: *Speculatio fratris Bonaventure.*

221. *Ibidem*, cod. XI. 53. iam descriptus tom. V. pag. XXXII n. 99. — Incipit fol. 1. r. sub titulo: *De triplici via Bonaventure*, et prosequitur cum editis usque ad verba: *Et hoc Seraphim.*

222. *Ibidem*, bibliotheca Collegii sancti Isidori, cod. num. 133. chart. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 25. r. et desinit fol. 33. r. per verba: *Et hoc est Seraphim. Ad quod nos perducat qui vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen.*

223. *Salisburgi*, bibliotheca Monasterii S. Petri Ord. S. Benedicti, cod. A. V. 25. membr. saec. XIV. — Post medium voluminis fol. non numerato r. habetur: *Tractatus Bonaventure de tribus punctis.* Desinit verbis: *nec tamen liberamur omnino* (cfr. pag. 19, nota 2.).

224. *Ibidem*, in archivo eiusdem Monasterii, cod. B. I. 31. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 13. r. opusculo praemittitur tantum: *Bonaventura*, hinc sequitur: *Cum omnis scientia gerat* etc. usque ad fol. 22. v. verbis cap. 2. n. 11: *perfectionem omnium bonorum. Quam nobis prestare dignetur qui vivit et regnat etc. Hec Bonaventura.*

225. *Sancti Floriani* in Austria, bibliotheca Canonicorum Regularium, cod. XI. 163. miscell. in 8. saec. XIV exeuntis et XV. ineuntis. — Incipit opusculum fol. 356. r. sine titulo: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 367: *et hoc Seraphim.* Inde sequitur: *Explicit Itinerarium in seipsum per dominum Bonaventuram cardinalem.*

226. *Ibidem,* cod. XI. 96. chart. in fol. saec. XV. ineuntis, de quo iam sermo est tom. V. pag. XXXII n. 103. — Opusculum incipit fol. 167. sine rubrica et desinit fol. 179. r. cum additione, ut in praecedente.

227. *Ibidem,* cod. XI. 160. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 1. r. superponitur: *Incipit tractatus de exercitio beate vite*, manus saeculi posterioris addidit: *Beati Thome de Aquino.* Desinit fol. 10. r. in cap. 3. n. 7. verbis: *osculum et amplexum. Ad quod nos perducat qui sine fine vivit et regnat. Amen.* Vide quae de hoc codice praefati sumus tom. V. pag. XXXV n. 29.

228. *Sancti Galli* in Helvetia, bibliotheca Monasterii, cod. 946. chart. in 4. saec. XIV. — Pag. 10. prima manus exaravit: *Tractatus Boneventure de contemplatione.* Sequitur opusculum, quod desinit pag. 25. in cap. 3. n. 7. ad verba: *Osculum et amplexum. Ad quod nos perducat Iesus xtus qui vivit et regnat cum Deo Patre et Spiritu sancto in secula seculorum. Amen. Explicit.*

229. *Ibidem,* cod. 988. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum incipit pag. 138: *Ecce, descripsi eam* etc., desinit pag. 142. verbis cap. 3. n. 7: *et osculum et amplexum etc. Explicit libellus, qui intitulatur parvum bonum fratris Bonaventure, vel speculatio anime in deserto, scriptum per me Mathiam Bürer de Lindow, tunc temporis adiutorem in Rauenspurg, anno 1467.*

230. *Ibidem,* cod. 972. chart. in 4. saec. XV. — In indiculo codicis est titulus huius opusculi his verbis expressus: *Item Bonaventura de triplici via profectus spiritualis.* Opusculum incipit pag. 139. et desinit 160: *Et hoc seraphim.*

231. *Sancti Trudonis* in Belgio, bibliotheca patrum Ord. Minorum Recollect., cod. iam descriptus tom. V. pag. XXXII n. 106. — Opusculum incipit pag. 36. sub titulo: *Parvum Bonum,* et decurrit usque ad pag. 73: *In his est fons vite. Ad quam nos perducat qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen. Explicit libellus de triplici via Bonaventure, qui intitulatur parvum bonum, sed merito vocaretur vel intitularetur maximum bonum. G. Scots scripsi.*

232. *Seitenstetten* in Austria, bibliotheca Monasterii patrum Ord. S. Benedicti, cod. CXCI, quem iam descripsimus tom. I. pag. LXV n. 5. — Opusculum hoc recurrit fol. non numerato: *Incipit Bonaventura Stimulus consciencie, vel secundum alium tytulum: Tractatus graduum, quibus pervenitur ad veram sapientiam. Ecce, descripsi tibi eam* etc. Desinit verbis: *Sapere absque appetitu.* (Cfr. supra n. 92.). *Explicit.*

233. *Senis* in Tuscia, bibliotheca Civitatis, cod. U. V. 5. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r. opusculo praemittitur haec rubrica: *Incipit Itinerarium mentis in seipsam compositum per venerandum Bonaventuram de Bagnoregio Ordinis Minorum professorem.* Additur tractatus de Pietate, de quo supra n. 119. locuti sumus.

234. *Stronconii* in Umbria, bibliotheca Conventus Fratrum Minorum, cod. membr. in 4. saec. XV. ineuntis. — Opusculum incipit sine nomine auctoris et desinit in cap. 2. n. 11. verbis: *inducat ad perfectionem omnium bonorum. Quam nobis prestet qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Explicit Itinerarium fratris Bonaventure.* Hinc prosequitur capitulum tertium usque ad verba: *Voluit de nihilo plena virtutibus facere cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.*

235. *Ibidem,* cod. chart. saec. XV. — Incipit ut praecedens et desinit cum ipso verbis cap. 2. n. 11: *inducat perfectionem omnium bonorum* etc. Post *Amen* additur: *Explicit Itinerarium mentis secundum Bonaventuram.*

236. *Stutgardiae,* bibliotheca Publica, cod. theol. 240. in 8. saec. XV. — Legitur fol. 1. r.: *Bonaventura, nota bene.* Opusculum incipit a cap. 1. n. 2: *Si vis purgari converte te* etc. et desinit verbis: *Ad internam letitiam. Explicit de triplici via purgationis Bonaventure.*

237. *Ibidem,* cod. philos. et theol. in 4. chart. saec. XV. — Occurrit hoc opusculum fol. 288. r. sub titulo: *Tractatus domini Bone venture de stimulo conscientie.* Desinit fol. 297. r.: *In illis est fons vite,* sine ullo additamento.

238. *Ibidem,* bibliotheca Regis privata, cod. 5. chart. saec. XV. — Fol. 84. r. est rubrica: *De triplici via. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 93. v., ut in editis, sed alia alterius auctoris adnectuntur opusculo.

239. *Suessionibus* in Gallia, bibliotheca Publica, cod. 121. miscell. saec. XV. ineuntis. — Fol. 1. r. praemittitur opusculo: *Incipit liber de triplici via perveniendi ad sapientiam fratris Bonaventure Ordinis Fratrum Minorum, qui alio nomine vocatur trinarium.* Desinit fol. 12. v.: *Et hec Seraphim. Explicit* etc., ut in initio.

240. *Ibidem,* cod. 113. chart. in 8. saec. XV. — Rubrica huius opusculi est expressa folio r. sine numero: *Incipit liber de triplici via a domino Bonaventura eleganti stilo compositus. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit ut praecedens.

241. *Ibidem,* cod. 118. iam descriptus tom. V. pag. XXXII n. 109. — Fol. 18. r. sub titulo: *Incipit tractatus de conscientia regenda.* Desinit fol. 26. v.: *Dilectionem, hoc Seraphim.* Nihil aliud additur.

242. *Traiecti* ad Rhenum, bibliotheca Academiae, cod. 47. int. S. E. miscell. in fol. saec. XV. — Huius opusculi initium habetur fol. 162. r. sub rubrica: *Incipit tractatus parvus;* alia manus addidit: *Sive parvum bonum dictus de stimulo conscientie, compilatus a fratre Bonaventura Minorum Ordinis.* Finis est fol. 167. r. verbis: *In ipsis est fons vite ad creaturam. Explicit parvum bonum Bonaventure de stimulo conscientie.*

243. *Ibidem,* cod. 108. int. S. E., de quo locuti sumus tom. VII. pag. XV n. 10. — Fol. 1. r.: *Incipit parvum bonum, vel regimen conscientie sancti Bonaventure, quod vocatur: fons vite.* Eadem repetuntur in fine fol. 23. r. per verba: *In illis est fons vite.*

244. *Ibidem,* cod. 246. chart. saec. XV. post medietatem. — Opus incipit sub nomine Bonaventurae et titulo: *Parvum bonum.* Desinit: *In illis est fons vite. Ad quem nos perducat qui sine fine vivit et regnat. Amen. Explicit parvum bonum, quod etiam dicitur speculum, sive Itinerarium, valde devotum et multum utile ad purgandam conscientiam, compositum a venerabili patre Iohanne, cognomento Bonaventura, cardinali Ecclesie Romane de Ordine Fratrum Minorum.*

245. *Ibidem,* cod. 290. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 119. v. legitur: *Incipit meditatio, seu liber Bonaventure fratris*

Ordinis sancti Francisci, de triplici via, que dicitur parvum bonum. Ecce, descripsi eam etc. Desinit fol. 132. r.: *In his est fons vite. Ad quam perducat nos Dominus noster dulcissimus Iesus xtus, cui laus honor et gratiarum actio usque in eternum. Amen. Explicit quidam tractatus, qui dicitur parvum bonum magistri Bonaventure perbrevis et multum utilis circa meditationem, orationem et contemplationem.*

246. *Trecis* (Troyes) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 1267. miscell. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. non numerato r. sine titulo et prosequitur, ut in editis; fini subiicitur: *Explicit parvum bonum fratris Bonaventure de Ordine Minorum.*

247. *Ibidem*, cod. 1891. membr. in 8. miscell. saec. XIII. — Opusculum incipit fol. 149. praemissa rubrica: *Libellus Bonaventure de triplici via. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 166. v.: *In illis est fons vite.*

248. *Tubingae*, bibliotheca Universitatis, cod. (olim bibliothecae Erlangensis signatus 55.) nunc numero vacat, chart. in folio. — Opusculum hoc est fol. 37. r. cum titulo: *Stimulus conscientie fratris Bonaventure.* Finis est fol. 41. r. ad verba: *Hoc Seraphim. Amen.* Cui adnectuntur haec alia: *In hoc finitur stimulus conscientie ipsius Bonaventure in profesto Lucie anno 1466. per me Petrum May in Oberesslingen presbiterum.*

249. *Turonibus* (Tours) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 519. de quo locuti sumus tom. V. pag. XXXII n. 121. — Hoc opusculum incipit sine titulo fol. 38. r. et desinit fol. 46. v.: *In his est fons vite. Ad quam nos perducat* etc. *Amen. Deo gratias. Explicit.* Titulus et nomen auctoris omittuntur.

250. *Ibidem*, cod. 405. chart. in 4. saec. XV. — Folio 172. in superiore parte legitur: *Incipit de regimine conscientie a fratre Bonaventura.* Desinit fol. 184. r.: *In illis est fons vite.* Hinc immediate: *Scriptus est iste liber per Nicolaum Gomaud die IIII. Ianuarii 1404. incipiendo annum a Ianuario.*

251. *Venetiis*, bibliotheca sancti Marci, class. VII. cod. 5. membr. saec. XVI. — Est rubrica opusculi fol. 5. r.: *Itinerarium in seipsum Bonaventure incipit.* Continuatur usque ad verba cap. 3. n. 7. fol. 23. v.: *Quousque perveniatur ad osculum et copulam et amplexum. Ad quam nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Finis.*

252. *Ibidem*, class. VII. cod. 19. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 49. v.: *Incipit Trinarius beati Bonaventure cardinalis. Ecce, eam descripsi* etc. Desinit fol. 56. v. cap. 2. n. 11: *inducat perfectionem omnium bonorum. Quam nobis prestare dignetur qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Deo gratias. Amen.*

253. *Ibidem*, class. IV. cod. 182. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Opusculum est fol. 64. v. titulatum: *Itinerarium in seipsam Bonaventure incipit.* Desinit fol. 79. v. in cap. 3. n. 7: *Ad osculum, copulam et amplexum. Ad quam nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

254. *Ibidem*, bibliotheca Musaei Correr, cod. Cicogna 2279. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 82. v. sub rubrica: *Trinarium Bonaventure de vita contemplativa incipit.* Explicit fol. 92. v. verbis: *Et hec est Seraphim. Ad quam nos perducere dignetur qui est benedictus in secula seculorum. Amen. Finit liber de triplici via spirituali qui vocatur Trinarium, compilatus per beatum Bonaventuram cardinalem Ordinis Fratrum Minorum.*

255. *Vici* (Vich) in Hispania, bibliotheca Capituli, cod. XCIV, de quo locuti sumus tom. V. pag. XXV n. 211. — Fol. 3. r.: *Incipit libellus quantum ad triplicem viam, per quam venitur ad summam sapientiam, a fratre Bonaventura Ordinis Minorum generali Ministro compositus.* Desinit fol. 10. v.: *Et hoc Seraphim.*

256. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 1650. membr. in fol. saec. XIV. — Hoc opusculum incipit fol. 16. sub rubrica: *Incipit Ternarius.* Additur fragmentum: *Deus est esse* etc. usque ad verba: *sapere absque appetitu;* quibus subiicitur: *Finitus est Ternarius.*

257. *Ibidem*, cod. 3711. chart. saec. XV. — Fol. 214. r.: *Incipit Speculum sive Itinerarium mentis in Deum Boneventure. Ecce, descripsi eam tibi tripliciter, ut ostenderem tibi firmitatem et eloquia veritatis.* Desinit fol. 219. v. verbis: *in sequentibus dominatur affectio. Amen. Iesu xte nostri nunc miserere.* Post *Explicit* repetit titulum ut in principio.

258. *Ibidem*, cod. 4031. chart. in 4. — Opusculum incipit fol. 88. v. et desinit fol. 95. v. verbis: *et osculum et amplexum, ad quod perducat nos Iesus xtus Filius Dei benedictus in secula seculorum. Amen. Explicit tractatus bonus et pulcher trium graduum, quibus pervenitur ad veram sapientiam, editus a domino Bonaventura, in vigilia Annunciationis beate virginis Marie. 1452.*

259. *Ibidem*, cod. 4670, chart. in 4. saec. XV. — Fol. 134. r. legitur: *Incipit Compendium compendiorum totius beatitudinis. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit folio 145. r.: *et hoc Seraphim.*

260. *Ibidem*, cod. 1723. membr. in 8. saec. XIV. — Incipit opusculum sine ullo titulo fol. 106. r.: *Ecce, descripsi eam* etc. et deficit fol. 109. v. verbis cap. 2. n. 3: *Imploratio misericordie.*

261. *Ibidem*, cod. 1602. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 140. v. praemittitur rubrica: *Incipit Bonaventura stimulus conscientie, vel secundum alium titulum: Tractatus graduum, quibus pervenitur ad veram sapientiam.* Desinit fol. 146. r. verbis fragmenti additi: *Sapere absque appetitu.* Deinde repetitur titulus ut in initio.

262. *Ibidem*, cod. 2511. iam descriptus tom. V. pag. XXXIII n. 128. — Fol. 128. r. opusculo praemittitur: *Tractatus graduum, quibus ad veram sapientiam pervenitur. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 133. v. ad verba cap. 3. n. 7: *Et osculum et amplexum. Ad quod nos perducat qui sine fine vivit et regnat.*

263. *Ibidem*, cod. 3859. chart. in 8. saec. XV. post medium. — Praemittitur fol. 144. r. tantum: *Tractatus bonus.* Hinc: *Cum omnis scientia gerat* etc. Desinit fol. 150. r. verbis cap. 2. n. 12: *Que est utriusque principium. Explicit.*

264. *Ibidem*, cod. 3986. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 309. r. est opusculi titulus sub hac forma: *Incipit liber de Bonaventura. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 317. v. verbis additi fragmenti: *Sapere absque appetitu.*

265. *Ibidem*, cod. 4240. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Est rubrica fol. 80. r.: *Sermo Bone venture de anime discussione secundum formam meditationis, orationis et contemplationis, ut perveniat ad veram sapientiam sacre Scripture, ad meritum vite felicitatis eterne secundum triplicem actum ierarchicum, scilicet purgativum, illuminativum et perfectivum. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit ut in editis fol. 83. r.

266. *Ibidem*, cod. 4502. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 207. v.: *Incipit tractatus Bonaventure de triplici via. Cum omnis scientia gerat* etc. Desinit fol. 226. v.: *in his est fons vite. Ad quem nos perducat qui vivit et regnat etc. Explicit.*

267. *Ibidem*, bibliotheca Monasterii sanctae Crucis Ordinis Cisterciensium, cod. 290. iam notatus tom. V. pag. XXXIII n. 130. — Fol. 138. v. praemittitur opusculo: *Libellus domini Bonaventure de lectione, oracione et meditacione.* Desinit fol. 148. v.: *Sapere absque appetitu.* Hinc: *Explicit tractatus domini Bonaventure de meditacione, oracione et contemplacione.*

268. *Ibidem*, cod. 1714. membr. in 4. saec. XIV. ineuntis. — Opusculum incipit fol. 141. r. praemisso tantum: *Bonaventura;* sequitur: *Ecce, descripsi tibi eam* etc. ut in editis.

269. *Ibidem*, cod. 5086, iam descriptus tom. V. pag. XXXV n. 32. — Opusculum incipit. fol. 71. r. sine titulo et desinit fol. 76. r. in cap. 2. n. 12. verbis: *interponit misericordiam, que est utriusque principium.* In fine codicis notatur: *Anno Domini 1441.*

270. *Ibidem*, bibliotheca privata Imperatoris, cod. 7906. miscell. saec. XV. — Fol. 114. r.: *Incipit parvum bonum fratris Bonaventure.* Desinit fol. 134. v.: *In his est fons vite. Ad quam etc. Amen. Explicit parvum bonum Bonaventure.*

271. *Voravii* (Vorau) in Styria, bibliotheca Canonicae, cod. CLXXXIII, quem notavimus tom. V. pag. XXXV n. 33. — Opusculum incipit sub titulo: *Itinerarium Bonaventure;* desinit verbis cap. 2. n. 12: *que est utriusque principium.*

272. *Wolfenbutae*, bibliotheca Ducalis, cod. 613. Helm. chart. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 23. r. est rubrica: *Incipit de triplici statu bonorum incipientium, proficientium et perfectorum. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit folio 30. v.: *et hoc Seraphim. Amen.*

273. *Ibidem*, cod. 550. iam descriptus tom. V. pag. XV n. 12. — Fol. 371. r.: *Incipit ternarius seu maleus Bonaventure.* Desinit folio 378. r. fragmento: *Deus est esse* etc., *sapere absque appetitu;* cui additur ab ipso librario: *Hoc per manus fr. Iohannis Rümeland pro tunc Custodis Custodie Magdeburgi. Anno Domini 1457.*

274. *Ibidem*, cod. 900. chart. in 4. saec. XV. — Fol. XV. r. praemittitur operi: *Incipit libellus editus a fratre Bonaventura appellatus Regimen conscientie.* Desinit fol. XXVI. v. in cap. 3. n. 7. verbis: *in sequentibus dominatur affectio. Benedictus sit Iesus et pia Mater eius.*

275. *Ibidem*, cod. 81. 2. August. membr. saec. XV. — Fol. 39. v. est sequens rubrica: *Opusculum fratris Bonaventure de conscientia regenda.* Desinit fol. 55. v. verbis cap. 3. n. 7: *et osculum et amplexum. Quo nos perducat qui vi...* et nihil aliud.

276. *Ibidem*, cod. 1310. Helm. chart. in 12. saec. XV. — Incipit et desinit ut in editis, sine ullo titulo et nomine auctoris.

277. *Ibidem*, cod. 1167. membr. in 4. saec. XIV. ante medietatem. — Incipit. fol. 8. ante ultimum non numerato a cap. 1. n. 1: *Sciendum, quod triplex est intellectus.* Desinit cap. 3. n. 7. ad verba: *et osculum et amplexum. Quo nos perducat Iesus xtus Filius Dei crucifixus, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

278. *Ibidem*, cod. 17. 18. August. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 251. r. et desinit 265. r. verbis: *et hoc Seraphim. Explicit Itinerarium mentis in seipsam editum per dominum Bonaventuram cardinalem.*

279. *Ibidem*, cod. 783. Helm. chart. saec. XV. — Opusculo praemittitur rubrica: *Incipit libellus.* Desinit verbis cap. 3. n. 7: *in sequentibus dominatur affectio.* Additur: *Explicit Trivium a Bonaventura editum.*

280. *Ibidem*, cod. 122. Helm. cod. chart. in fol. saec. XV. — Incipit fol. 329. r. et desinit 337. v.: *in his est fons vite. Ad quam nos perducere dignetur misericors Deus. Amen.* Omittitur titulus operis et nomen auctoris.

281. *Ibidem*, cod. 272. Helm. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 125. v. post alia opera legitur: *Sequitur parvum bonum Bonaventure. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 132. r. iisdem verbis, quibus praecedens.

282. *Wratislaviae*, bibliotheca Universitatis, cod. class. I. in fol. 226. chart. — Fol. 117. r. operi praemittitur: *Incipit Stimulus conscientie sive tractatus graduum, quibus pervenitur ad veram sapientiam, Bonaventure.* Desinit fol. 120. verbis: *et hoc Seraphim etc. Pro quo sit benedictus Deus in seculorum secula. Amen. Explicit Stimulus conscientie, qui et tractatus graduum, quibus pervenitur ad veram sapientiam, Bonaventure, anno Domini MCCCCLXVIII.*

283. *Ibidem*, cod. I. class. in fol. 245. chart. exaratus anno *MCCCLXXXVII.* — Fol. 175. v. legitur: *Hic incipit Viaticum sive speculum anime ad Deum Bonaventure. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 183. v. in 3. cap. n. 8: *a te nunquam separabor. Amen. Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria.*

284. *Ibidem*, cod. I. class. 272[a]. chart. in fol. exaratus anno 1471. — Opusculum incipit fol. 1. r. sine ullo titulo, desinit fol. 12. r. verbis: *Et hoc est Seraphim. Ad que nos perducere dignetur Deus gloriosus, qui in Trinitate perfecta, vivit et regnat in secula seculorum benedictus. Amen. Explicit Ternarius reverendi patris et doctoris Bonaventure cardinalis, quo interior homo per exercitium pervenit ad veram scientiam et sapientiam.*

285. *Ibidem*, cod. I. class. 275. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 243. r.: *Incipit tractatus Bonaventure de triplici statu, via bona.* Desinit fol. 240. r., ut praecedens, sed additur fini: *Explicit tractatus Bonaventure de triplici via multum utilis.*

286. *Ibidem*, cod. II. class. 12. chart. in 4. saec. XV. — Incipit fol. 90. r. sine titulo: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 94: *et hoc Seraphim.* Additur: *Deus est esse absque* etc. et in fine: *Explicit Stimulus conscientie per manus Nicolai Zoranie.*

287. *Ibidem*, cod. I. class. 217. chart. in fol. saec. XV, quem notavimus tom. V. pag. XLVI col. 1. n. 8. — Opusculum incipit fol. 303. r. et desinit fol. 310: *et hoc Seraphim.* Sequitur fragmentum: *Deus est esse* etc. usque ad verba: *Quod ipse prestare dignetur.* In fine subiicitur: *Explicit liber de conscientia regenda.*

288. *Ibidem*, cod. IV. class. 100. chart. saec. XIV. exeuntis. — Opus Bonaventurae incipit fol. 127. v.: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 131. v. in cap. 3. n. 7. verbis: *quousque perveniatur ad copulam, ad osculum, ad amplexionem. Amen. Explicit Speculum anime Bonaventure.*

289. *Ibidem*, cod. I. class. 107. chart. in 4. saec. XV. — Incipit fol. 2. r. omisso titulo: *Ecce, descripsi eam* etc., prosequitur per modum schematis usque ad folium 12. v. et verba: *Hoc Seraphim.* Hinc sine ullo medio additur: *Deus habet esse absque entitate* etc., ut iam notavimus in cod. n. 92. et aliis.

.290. *Ibidem*, cod. I. class. 102. membr. in 4. saec. XIV. ante medietatem. — Hoc opus est fol. 120. r. sub sequenti titulo: *Incipit trivium anime, vel speculum anime, sive itinerarium mentis in Deum editum a Bona ventura Fratre Minore. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit in cap. 3. n. 7. verbis: *In sequentibus dominatur affectio. Explicit.*

291. *Ibidem*, cod. I. class. 106. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 2. praemittitur opusculo eadem rubrica ut in praecedenti, cum quo cod. etiam desinit fol. 10. r.: *In sequentibus dominatur affectio.* Hinc: *Explicit trivium anime editum a Bonaventura Fratre Minore. Deus sit nobiscum.*

292. *Ibidem*, cod. I. class. 43. in 8. — Fol. 41. r. praemittitur opusculo haec memoria: *Notandum, quod Bernardus Richardus Heclsberg, Canonicus Ecclesie Warmiensis fecit hunc librum scribere sub anno incarnationis Domini nostri Iesu xli MCCCCXXXVII, et completus est in Frauhenburgh per manus Cristiani Blumenroth.* Deinde eodem fol. v.: *Incipit speculum conscientie sive trivium Bonaventure cardinalis de exercitio interioris hominis, quo pervenitur ad veram scientiam et sapientiam. Cum omnis scientia* etc., omisso textu Scripturae. Desinit folio 46. v. verbis cap. 2. n. 11: *inducat perfectionem omnis meriti et primi* (premii?) *complementum.*

293. *Ibidem*, cod. IV. class. 103. chart. in 4. saec. XV. — Incipit fol. 275. r. sine titulo, desinit 289. v. verbis: *Et hoc Seraphim. Ad que nos perducere dignetur Deus gloriosus, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Explicit ternarius reverendi patris et doctoris Bonaventure cardinalis, quo interior homo per exercitium venit ad veram scientiam et sapientiam.*

294. *Ibidem*, cod. IV. class. 81. chart. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 113. v. sub hac rubrica: *Incipit tractatus Baneventure doctoris sagacis et devoti.* Desinit fol. 120. v.: *In illis est fons vite.* Sequitur: *Deus est esse* etc. usque ad verba: *Sapere absque appetitu etc., et sic est finis.*

295. *Ibidem*, cod. I. class. 279. chart. in fol. saec. XV. — Post alia fol. 263. habetur sequens rubrica: *Sequitur eiusdem doctoris* (Bonaventurae) *ternarius de exercitio interioris hominis, quo pervenitur ad veram sapientiam et scientiam, vel secundum alios, stimulus conscientie et amoris appellatur.* Sequitur opusculum usque ad cap. 3. n. 7: *In sequentibus dominatur affectio.* Hinc additur: *Finit feliciter ternarius de exercitio interioris hominis, qua pervenitur ad veram sapientiam et scientiam, domini Bonaventure cardinalis, alias stimulus conscientie et amoris.*

296. *Ibidem*, cod. I. class. 129. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 231. v. praefertur rubrica: *Speculum, seu trivium anime, vel itinerarium mentis in Deum, editum a Bonaventura. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 240. r. per verba: *In sequentibus dominatur affectio;* quae occurrunt cap. 3. n. 7. Additur: *Explicit expliciat, ludere scriptor eat.*

297. *Ibidem*, bibliotheca Ecclesiae cathedralis, cod. D. III. I. chart. in 4. — Incipit opusculum eodem titulo, quo praecedens, folio 125. r. et cum eodem desinit cap. 3. n. 7. fol. 134. v. Hinc additur: *Explicit Bonaventura. Finitus feria quinta in festo sancte Agnetis anno Domini millesimo quadragentesimo vicesimo tertio. Phalabagu Stassahz.*

298. *Ibidem*, cod. A. VI. XX. membr. in fol. saec. XIV. circa medietatem. — Post alia opera fol. non numerato r. habetur: *Incipit speculum anime, editum a fratre Bonaventura de Ordine Minorum.* Desinit cap. 3. n. 11. verbis: *Ad copulam, ad osculum, ad amplexum. Amen. Explicit speculum anime.*

299. *Zwettel* in Austria, bibliotheca Monasterii Ord. Cisterciensium, cod. 115. membr. in 4. saec. XIV. — Post medietatem voluminis fol. r. non numerato incipit absque ullo titulo: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit verbis cap. 3. n. 7: *Et in sequentibus dominatur affectio. Finito libro, sit laus et gloria Xto. Amen.*

§ 2. **Opusculum II**, sive **Soliloquium.**

a. Hoc eodem quo Breviloquium textu incipit: *Flecto genua mea* etc., et est compilatum « per modum cuiusdam *dialogi*, in quo *anima* devota, veritatis aeternae discipula, meditando *interrogat*, et *homo* interior mentaliter loquendo *respondet* » (ita infra in prologo, n. 4.). Auctor imitatur in hoc libello Hugonem a S. Victore, qui etiam per modum dialogi scripsit simile *Soliloquium*, ex quo Bonav. plura desumsit (vide infra pag. 29, notam 6.). Genuinum et S. Bonaventura dignum foetum esse hoc opusculum, cum Oudino omnes confitentur, et accedente tot codicum auctoritate, inutile est plura de hoc inquirere.

b. Varie hoc opusculum inscribitur in codicibus infra notatis: modo *Imago vitae*, modo *Libellus de quatuor exercitiis*, modo *Meditationes*, sed communius *Soliloquium*. Praeterea notandum est, codicem bibliothecae Ducalis Wolfenbutae (cod. Helmst. 1128.) infra n. 245 notatum continere alium non genuinum prologum valde prolixum, qui materiam libelli per modum schematis exhibet, cum quo quidam cod. bibliothecae Berolinensis infra sub n. 20. a nobis notatus ex parte convenit. Initium primi prologi et finem transcribimus aliquatenus correctum. « Incipit prologus Bonaventurae de quatuor exercitiis hominis et animae. Haec est materia totius huius libri. Primo ponit auctor auctoritates Sanctorum [sic], ut Pauli et huiusmodi, postmodum originalia Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Gregorii et aliorum, ita quod quandoque Sancti, ut Augustinus et ceteri, *praeponuntur et postponuntur quandoque originalibus suis; unde de hoc sis cautus.* Et nota, quod liber iste est *dialogus*, id est sermo duorum ad invicem, videlicet animae interrogantis et hominis respondentis cum auctoritatibus Sanctorum pulcherrimis. Materia autem huius sunt... mentalis exercitationis *ortus*, *obiectum quo* [quod?], *fructus.* Mentalis exercitationis *ortus* est a Patris *potentia confortante*, a Filii *sapientia regulante*, a Spiritus sancti *clementia consolante*, a quibus omne bonum originaliter progreditur, per quos omne bonum exemplariter producitur, ad quos omne bonum finaliter reducitur. Eloquia Dei dilecta, consilia Dei suavia, mandata Dei levia.

Mentalis exercitationis obiecta sunt:

interiora, per quae Deus diligitur,
exteriora, per quae mundus despicitur,
inferiora, ad quae anima demergitur,
superiora, quibus anima remuneratur.

Interiora autem sunt, ut anima videat,

quam { generose sit facta per naturam,
vitiose sit deformata per culpam,
gratiose sit reformata per gratiam ».

Simili modo tota libelli materia proponitur. — In fine legitur: « Haec est igitur *crux beata*, quatuor finibus obiectorum terminata, in qua, anima devota, cum dilectissimo sponso tuo meditando iugiter debes pendere. Hic est *currus* ille *igneus*, quatuor rotis consummatus, in quo debes post amicum tuum fidelissimum assidue contemplando ad caeli palatium conscendere. Haec est illa *quadruplex regio:* orientalis, occidentalis, aquilonis, meridionalis, quam quotidie peragrando debes intrare et tuum dilectum specialissimum in ea speculando quaerere, ut dicere possis cum sponsa: *In lectulo meo per noctem quaesivi, quem diligit anima mea* [Cant. 3, 1.]. Haec quatuor tangit Apostolus, cum dicit: *Ut possitis comprehendere, quae sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum,* quod nobis concedat Trinitas beata. Amen. Explicit prologus. Incipiunt quatuor exercitia per Bonaventuram compilata per modum dialogi animae et hominis ». In aliis etiam codicibus invenitur in principio quoddam summarium distinctionum huius opusculi, ut ex elencho codicum infra posito patet.

c. Recte monetur in isto prologo, ut lector cautus sit, quia nomen auctoris allegatis locis modo *praeponatur*, modo *postponatur*. Qua observatione neglecta, accidit, ut tum in codicibus tum in editionibus confusio magna in citandis locis introducta sit. — Recte etiam aliam animadversionem facit cod. bibliothecae *S. Floriani,* cod. 917. (vide infra n. 203. nostrae codicum recensionis), quod scilicet in non paucis codicibus factae sunt insertiones aliarum auctoritatum. Dicit enim: « Tamen in praedictis alicubi aliqua devota interseruntur et interponuntur ad maiorem devotionis excitationem et ob gratiae maioris infusionem ». Cum attente textum editionis Vaticanae scrutati sumus, iam vidimus, hinc inde vestigia apparere insertionum posteriorum sive, ut dicunt, *interpolationum.* Confirmatum hoc fuit codicum auctoritate, cum antiquiores et probatiores eorum has insertiones omittant. Hinc codices principaliter distinguuntur in duas familias, secundum quod vel cum Vaticana, licet non semper, conveniunt in dictis insertionibus, vel eisdem carent. Etiam antiquior qua usi sumus editio 1 saepe confirmat meliorum codicum auctoritatem. In tanta editionum et praecipue codicum differentia non exigua difficultas nobis solvenda erat, ut textum primitivum, quantum fieri potuit, purgaremus ab istis insertionibus, quas semper ad calcem reiecimus.

Aliud vitium magnum irrepsit in textum editum et etiam in multos codices, in quibus, cum in dialogo *animae* et *hominis* anima *interroget,* homo *respondeat;* saepe partes *interrogantis* et *respondentis* perperam distributae sunt, ita ut sub titulo *Anima* legatur quod ponendum erat sub *Homo.*

Denique laborem vere improbum exegit conquisitio tot locorum raro alibi citatorum, qui in praecedentibus editionibus vel omnino non indicati erant, vel perperam.

d. Editiones plurimae Soliloquii iam saeculo XV. prodierunt. Praeter ed. 1 an. 1484, qua usi sumus, et alias, quas tom. V, Prolegomena, pag. LIII recensuimus, P. Fidelis a Fanna quoddam *incunabulum*, ut dicitur, invenit inter codices bibliothecae civitatis Camberiaci, codici 479. unitam, cuius titulus est: « In Soliloquium sive anime et hominis interioris dyalogum Boneventure incipit feliciter prologus: *Flecto genua* » etc. Porro: « Explicit prologus Bonaventure in dyalogo anime et hominis interioris. Sciendum insuper, quod tractatus iste devotus ac cuilibet Cristiano utilis et necessarius, antequam divideretur per partes, erat nonnullis aliqualiter insipidus tanquam panis integer ac solidus. Ad maiorem ergo ipsius declarationem et dulciorem eius saporem postea divisus fuerat in quatuor partes, deinde secundum singulas materias factus est in varias pecias tanquam in dulces micas pro incipientibus et parvulis Cristi devotis. Nam, secundum Gregorium, ,unguenta cremata lacius redolent, et aromata, cum incenduntur, fragrantiam suam expandunt ' ». Desinit: « Tractatus S. Bonaventure Doctoris seraphici... de quatuor exercitiis per modum dyalogi » etc.

Denique in bibliotheca civitatis Friburgi (Helvetiae) in quadam antiqua plurium operum S. Bonaventurae, Hugonis et Innocentii III. editione habetur *Vita Christi* Bonaventurae tributa, deinde opuscula *Soliloquium* et *Praeparatio* ad Missam. Post *Vitam Christi,* ut videtur, in Germania inferiori impressam sequitur ab alia officina editum *Soliloquium* cum verbis: « Incipit dyalogus St. Bonaventure C., in quo anima devota meditando interrogat, et homo mentaliter respondet. *Flecto genua* etc. Desinit ita: « Dyalogus S. Bonaventure Cardinalis finit feliciter impressumque (sic) Parisius an. Dni M°CCCC° (sic) vicesimo tertio mensis Octobris ». Postea sequitur: « *Tractatus* brevis Dni Bonaventure de modo se praeparandi ad celebrandam Missam: Ad honorem » etc., ut in editis, sed sine prologo. Sequitur ultimo loco *Oratio devota de eucharistia: Ave, vivens hostia* etc., quae tribuitur Fr. Ioanni Pecchamo.

De utilitate libelli vide pag. XXXII cod. n. 120.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Communalis, cod. I. V. 10. chartaceus in folio saeculi XIV. — Folio 2. r. Soliloquii opusculo praemittitur haec rubrica: *Incipit liber, qui imago vite intitulatur, editus a beatissimo Bonaventura de Balneoregio Ordinis Minorum, doctore illuminato, qui longo tempore fuit eiusdem Ordinis generalis Minister et servus, postea episcopus cardinalis. Flecto genua mea ad Patrem* etc. *Apostolus Paulus vas* etc. Desinit fol. 46. r.: *Benedictus in secula Deus. Amen. Explicit liber dialogi anime et hominis, seu liber qui merito appellatur imago vite. Anno M. CCC. LXIII. die XVIII. Novembris scriptus fuit. Amen.* — In nostra editione signatur littera M.

2. *Augustae* Trevirorum, bibliotheca Publica, cod. 772. progress. 572. membranaceus in 8. saec. XIV. — Alia manus saeculi posterioris opusculo praemisit hunc titulum: *Imago vite, vel dialogus anime et corporis, sive tractatus de mentali exercitatione fratris Willelmi de Ordine Minorum;* alia adhuc manus adiecit; *vel sancti Bonaventure.* Deinde fol. 5. r. incipit: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 35. r.: *donec intrem in gaudium Domini mei, qui est trinus et unus. Benedictus in secula. Amen.* Sign. I.

3. *Florentiae,* bibliotheca Riccardiana, cod. CCCCLXX. chart. in 16. saec. XV. exeuntis. — Fol. 11. r.: *Incipit prologus sancti Bonaventure Ordinis Minorum et sancte Romane Ecclesie cardinalis, in quo anima devota meditando interrogat et homo interior mentaliter loquendo respondet.* Desinit fol. 67. v., ut in editis. Sign. L.

4. *Gratianopoli* (Grenoble) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 842. alias 89. 161. miscellaneus in 12. saec. XIV. — Fol.

12. r. est sequens rubrica: *Incipit imago vite edita a domino Bonaventura cardinali Ordinis Fratrum Minorum generalique Ministro.* Desinit fol. non numerato r. verbis: *cognoscent et amabunt. Qui in secula seculorum regnas. Amen. Explicit imago vite edita a domino Bonaventura.* Sequitur: *Oratio. O Deus meus cognoscam te* etc., quae clauditur verbis: *Qui est trinus et unus Deus benedictus in secula. Amen. Explicit imago vite, alias dialogus anime et hominis, in quo anima devota, veritatis eterne discipula, meditando interrogat, et homo interior mentaliter loquendo respondet. Dicatur amore Dei Ave Maria pro scriptore.* Sign. K.

5. *Magdeburgi*, bibliotheca Civitatis, cod. XII. oct. 25. iam descriptus tom. V. pag. XXVII n. 2. — Soliloquium incipit fol. 2. r. sine titulo: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 39. v.: *qui est trinus et unus et benedictus in secula seculorum. Amen. Explicit liber, qui intitulatur imago vite sive dialogus seraphici doctoris patris Bonaventure sub anno Domini MCCCCLXXVI. in Conventu nostro Gottingensi.* Sign. G.

6. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 9625. membr. in 8. saec. XIV. — Initium Soliloquii est fol. 1. r. sub titulo: *Incipit libellus, qui intitulatur imago vite*, omisso nomine auctoris. *Flecto genua mea* etc. Finis habetur fol. 77. v.: *Qui est unus et trinus benedictus in secula. Amen.* Sign. A.

7. *Ibidem*, cod. 14767. chart. in 8. saec. XV. post medietatem. — Soliloquium incipit fol. 1. r. et desinit fol. 70. r. per verba: *Qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen. Finit Soliloquium sancti Bonaventure de quatuor mentalibus exercitiis.* Sign. B.

8. *Ibidem*, cod. 14821. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 1. r.: *Incipit dialogus Boneventure inter animam et rationem, qui imogo vite eterne nuncupatur. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 67. v., ut in editis. Sign. C.

9. *Ibidem*, cod. 16440. chart. in fol. saec. XV. — Soliloquium incipit sine titulo fol. 244. r.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 263. r., additis verbis: *Explicit liber meditacionum venerabilis doctoris cardinalis Boneventure et intitulatur: imago vite eterne.* Sign. D.

10. *Ibidem*, cod. 16512. chart. in 4. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 103. r. praemisso in superiore margine: *Bonaventura.* Desinit fol. 143. r., ut in editione, additur in fine: *1421.* Sign. E.

11. *Ibidem*, cod. 21412. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. — Incipit hoc opusculum fol. 117. r. sine ulla rubrica et sic pariter desinit fol. 139. r. Sign. F.

12. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. VI. D. 33. membr. in 4. saec. XV. — Post alia sequitur Soliloquium sub hac rubrica: *Incipit dialogus imaginis vite editus a seraphico doctore magistro Bonaventura, Ministro generali Fratrum Minorum, in quo anime proponenti questionem homo respondet subtiliter, ut oportet.* Desinit ut in editis, hinc additur: *Explicit pretiosissimus liber, dictus imaginis vite, scribendus litteris aureis.* Sign. H.

Duplex familia codicum distingui potest. Primam constituunt codd. A C D E F L, quos fere semper, quando conveniunt, secuti sumus. Eidem non habent additamenta, de quibus paulo ante locuti sumus. Observandum autem, codd. D E non raro adiungere quaedam verba, plerumque adiectiva addita substantivis. Cod. L interdum solus, vel cum G M quosdam S. Patrum locos interserit. — Altera familia est codicum B G H I M, qui valde conveniunt cum ed. Vaticana, habentes multas insertiones auctoritatum, praesertim cod. B, dum codd. H I M pluries addimenta Vaticanae omittunt. Codd. G M cum L specialia adiuncta interdum habent. — Denique cod. K non integre collatus est, sed tantum initia interrogationis et responsionis exscripta sunt.

II. Codices a nobis non collati.

13. *Admontis* in Austria, bibliotheca Monasterii Ord. S. Benedicti, cod. 566. chart. in 4. saec. XV. — Fol. r. non numerato circa finem codicis incipit hoc opusculum, praemisso tantum: *Bonaventura.* Desinit fol. ultimo r.: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen. Et sic est finis huius operis. Explicit Bonaventura de ymagine vite. Amen.*

14. *Assisii*, in Umbria, bibliotheca Communalis, cod. 221. chart. in 4. — Opusculum Soliloquii incipit fol. 1. r. hoc titulo: *Bonaventura de mentali exercitatione. Flecto genua mea* etc. *Apostolus Paulus vas eterne electionis* etc. Desinit fol. 37. v. per haec verba: *donec intrem in gaudium Domini mei, qui trinus et unus est, benedictus in secula. Amen. MCCCCXCVI. die IX. Iunii in Portunaonis.*

15. *Augustae* Vindelicorum, bibliotheca Civitatis, cod. LXVIII, de quo egimus supra, pag. XII n. 32. — Fol. 13. r.: *Incipit liber meditationum sive orationum domini cardinalis Boneventure, qui intitulatur imago vite eterne, doctoris egregii.* Eadem occurrunt in fine, qui est fol. 32. r. cum additione: *Deo laus et gloria.*

16. *Avenione*, bibliotheca Civitatis, cod. 215. membr. saec. XV. exeuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit dialogus sancti Bonaventure, in quo anima devota meditando interrogat, et homo mentaliter respondet.* Desinit fol. 47. r. sub hac clausula: *Explicit dyalogus Bonaventure, devotissimi cardinalis.*

17. *Bambergae*, bibliotheca Civitatis, cod. B. V. 38. (1459.). chart. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r. incipit opusculum sub titulo: *Soliloquium Bonaventure de quatuor mentalibus exercitiis.* Finis est fol. 78. r. cum additione: *Explicit liber, qui intitulatur ymago vite.*

18. *Ibidem*, Q. V. 50. (2264). chart. in 4. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 188. r. sine ullo titulo: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 210. v., cui ipse scriptor subiecit: *Explicit ymago vite, tractatus per reverendum magistrum dominum Bonam venturam compilatus; finitum per me Albertum Reynaldum fratrem Ordinis Predicatorum studentem theologie. Anno Domini 1427.*

19. *Basileae*, bibliotheca Publica, cod. B. VII. 14. chart. saec. XV. — Circa finem codicis, fol. v. non numerato est rubrica huius opusculi his verbis: *Incipit prologus venerabilis Bonaventure cardinalis in Soliloquium de quatuor mentalibus exercitiis. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. v. ad verba cap. 4. n. 7: *Sanctus Deus Spiritus, qui nos tam clementer ab eternis tormentis preservavit. Plena est omnis terra gloria eius.* Cetera fuerunt avulsa.

20. *Berolini*, bibliotheca Regia, ms. lat. theol. in fol. cod. 225. chart. saec. XV. ineuntis. — Opusculum incipit fol. 147. r., cui recens manus praemisit simpliciter: *Bonaventure est.* Desinit fol. 163. r. cum sequenti additione: *Explicit imago vite,*

qui libellus habet pretiosum thesaurum in se. Hec est materia totius libri: primo ponit auctor auctoritates Sanctorum, ut Pauli et huiusmodi, postea originalia sanctorum Augustini, Ambrosii, Ieronimi, Gregorii et aliorum, ita quod quandoque Augustinus simul et ceteri preponuntur et postponuntur quandoque originalibus suis. Unde de hoc sis cautus. Et nota, quod liber iste est dialogus, id est sermo duorum ad invicem, videlicet anime interrogatio et hominis responsio cum auctoritatibus Sanctorum pulcherrimis. Alia manus eiusdem saec. XV. subiunxit indicem sub hoc titulo: *Materia totius tractatus Bonaventure generaliter.*

21. *Ibidem*, ms. lat. theol. in fol. cod. 178. chart. saec. XV. — Fol. 117. v. praemittitur opusculo: *Ymago vite.* Desinit fol. 133. v. verbis: *Et sic finitur liber iste dialogorum, dictus ymago vite.* Alia manus eiusdem aevi adiunxit: *Editus et compositus est presens dialogus per fratrem Bonam venturam.*

22. *Ibidem*, in quart. cod. 61. chart. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 1. r. sine ulla indicatione, sed alia manus praemiserat indicem operum, quorum primum sic indicat: *Dialogus Boneventure cardinalis Ordinis nostri, videlicet Minorum.* Desinit fol. 34. v., ut in editis.

23. *Bonnae*, bibliotheca Universitatis, cod. 325. chart. saec. XV. ante medietatem. — Opusculo huic praemittitur fol. 1. r.: *Ymago vite.* Desinit fol. 26. v. cum additione: *Explicit liber, qui intitulatur ymago vite.*

24. *Brixiae* (Brescia) in Italia, bibliotheca Quiriniana, cod. H. VI. 6. membr. in 8. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 284. sub titulo: *Seraphicus doctor Bonaventura cardinalis de quatuor mentalibus exercitiis. Flecto genua mea* etc. Desinit: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

25. *Brugis*, bibliotheca Civitatis, cod. 50. chart. in 4. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 18. v., sed non numerato. Desinit fol. 50. r. cum hac additione: *Explicit Soliloquium Bone venture, quod dicitur ymago vite. Deo laus.*

26. *Brunopoli*, bibliotheca Civitatis, cod. 105. chart. in quart. saec. XIV. exeuntis, sed hoc opusculum est exaratum saec. XV. ineunte. — Incipit fol. non numerato sine ullo titulo: *Flecto genua mea* etc., et desinit fol. penultimo v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

27. *Ibidem*, cod. 26. miscell. in fol. saec. XV. — Fol. 1. r. opusculo praemittitur: *Dyalogi de contemplatione hominis et anime.* Etiam in fine additur: *Explicit dyalogus de contemplatione interioris hominis et anime;* nomen auctoris ubique tacetur.

28. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 1291-1311. chart. saec. XV. — In parte superiore fol. 3. r., sed non numerati, occurrit titulus opusculi sub hac rubrica: *Incipit prologus Bonaventure de quatuor exercitiis. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula.*

29. *Ibidem*, cod. 2020-34. chart. saec. XV. — Post alia tria opuscula eadem manus scripsit: *Sequitur: Flecto genua mea, et vocatur Soliloquium sive dialogus Bone venture.* Desinit ut in editis: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen. Explicit Soliloquium sive dialogus Bone venture de quatuor exercitiis.*

30. *Ibidem*, cod. 20931. miscell. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r. opusculo praemittitur: *Bona ventura de quatuor exercitiis.* Haec eadem repetuntur in fine post *Explicit*, quibus additur: *Deo laus et beate Marie.*

31. *Bulsani* in Tyroli, bibliotheca Fratrum Ord. S. Francisci, cod. X. 15. chart. in fol. saec. XV. — Ad tertiam partem voluminis fol. r. non numerato: *Incipit Dyalogus Bonaventure.* Desinit post 24. folium cum dimidio ut in editis.

32. *Camberiaci* (Chambéri) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 201. chart. in fol. saec. XV. exeuntis. — Opusculum est fol. r. non numerato sub rubrica: *Incipit Soliloquium Bonefortune, quod dicitur ymago vite.* Desinit fol. r. cum additione: *Explicit Soliloquium seu ymago vite.*

33. *Cantabrigae*, bibliotheca Collegii s. Emmanuelis MS. 1. 2. 14. chart. in 4. saec. XV. — Soliloquium habetur fol. r. non numerato sub rubrica: *Meditationes ymaginis vite.* Desinit verbis: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen. Expliciunt quatuor meditationes ymaginis vite secundum Bonaventuram.*

34. *Carpentoracti* (Carpentras) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 35. chart. in 4. saec. XV. — Post alia opera fol. non numerato est rubrica his verbis: *Incipit dialogus domini Bonaventure de anima et homine, aliter imago vite. Flecto genua mea* etc. Desinit: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen.*

35. *Castelli Cattorum* (Cassel) in Germania, bibliotheca Publica, cod. theol. 51. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 35. r. est sequens rubrica: *Incipiunt meditationes fratris Wilhelmi Bonaventure et magistri sacre theologie, Generalis Fratrum Minorum et cardinalis Curie Romane. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 53. v., addito in margine laterali tantum: *Explicit.*

36. *Colmariae* in Alsatia, bibliotheca Civitatis, cod. sign. vacat, chart. in fol. saec. XV. ineuntis. — Fol. 88. r.: *Incipit tractatus de ymagine vite Dei.* Desinit fol. 102. r. verbis: *qui est trinus et unus et benedictus in secula. Amen. Explicit tractatus de ymagine vite Dei.*

37. *Coloniae*, bibliotheca Seminarii, cod. XLI. chart. in 8. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 144. v., cui alia manus praemisit: *Soliloquium beati Bonavenlure.* Desinit ut in editis fol. 177. r. verbis: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen. Explicit Soliloquium Boneventure doctoris devoti.*

38. *Ibidem*, cod. XLII. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 1. r. est titulus huius opusculi his verbis expressus: *Incipit prologus Soliloquiorum Bonaventure de IIII exercitiis.* Desinit ut in editis fol. 111. v. Post alia, quae sequuntur, notatur, codicem fuisse scriptum *anno LXVIII.* scilicet 1468.

39. *Cracoviae*, bibliotheca Universitatis Iagellonicae, cod. 2129. BB. VII. 2. chart. in 4. saec. XV. ineuntis. — Soliloquium incipit fol. 105. r. sine titulo, et desinit fol. 138. r. cum hac additione: *Explicit liber meditationum sive orationum domini cardinalis et doctoris Bonaventure, qui imago vite eterne nominatur.*

40. *Ibidem*, cod. 1356. AA. III. 6. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Soliloquium incipit pag. 273. sine titulo: *Flecto genua mea* etc. Desinit ut in editis pag. 301; hinc adduntur eadem, quae in praecedenti.

41. *Ibidem*, cod. 1685. AA. IV. 5. chart. in fol. saec. XV. — Incipit hoc opusculum sine ulla rubrica pag. 432. et decurrit usque ad verba: *qui est trinus et unus et benedictus Deus in secula seculorum. Amen. Explicit contemplatio de beatitudine eterna, illuminans intellectum et inflammans affectum,*

ut vilescant temporalia et dulcescant eterna, ad que nos perducat Iesus xtus. Amen.

42. *Ibidem*, cod. (deest num.) DD. XIX. 3. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r. opusculo praemittitur: *Ymago eterne vite.* Desinit fol. 30. v. cum additione: *Explicit liber meditationum* etc., ut in praecedentibus codicibus.

43. *Ibidem*, cod. (deest num.) AA. XI. 40. chart. in 4. saec. XIV. — Alia manus, sed coaeva, pag. 286 Soliloquio praemisit hanc rubricam: *Incipit pulcra contemplacio fratris Boneventure. Flecto genua mea* etc. Desinit pag. 354. Hinc: *Explicit liber meditationum sive* etc. ut supra, n. 39.

44. *Cremisani* (Kremsmünster) in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. 179. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Soliloquium incipit fol. 135. r.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 146. v. ad verba: *Si enim ex dilatatione deficiunt, desideria non fuerunt. Deus enim...* quae habentur cap. 3. n. 14. Cetera fuerunt avulsa.

45. *Ibidem*, cod. 338. chart. in fol. saec. XV. — Incipit hoc opusculum fol. 14. r. sine ulla rubrica et desinit fol. 29. r. ut editum. A manu prima additur: *1471.*

46. *Darmstadii*, bibliotheca Ducalis, cod. 673. chart. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Ad calcem fol. 3. r. manus alia, sed coaeva, scripsit: *Incipit liber meditationum sive orationum domini cardinalis et doctoris, qui imago vite intitulatur, Boneventure.* Desinit fol. 35. r. Hinc librarius inter alia haec notat: *Et sic est finis libri istius primi, finiti et completi sub anno domini MCCCLXXXIV. in vigilia Palmarum hora VI post Completorium assignata.*

47. *Ibidem*, cod. 767. chart. in fol. saec. XV. — Fol. r. non numerato: *Incipit prologus in Soliloquium Bone venture de quatuor exercitiis.* Eadem leguntur in fine, quibus additur tantum: *Deo gratias.*

48. *Dolae* (Dol) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 79. a. 83. miscell. saec. XV. — Opusculo praemittitur rubrica: *Incipit dyalogus cardinalis Bonaventure, in quo anima devota meditando interrogat, et homo interior mentaliter respondet loquendo et cetera.* Desinit fol. 36. v. ut in editis. Post *Explicit* repetuntur eadem, quae praemissa sunt initio.

49. *Dublini*, bibliotheca Collegii SS. Trinitatis, cod. A. 5. 30. miscell. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Circa medium voluminis, fol. non numerato legitur a manu prima exaratum: *Incipit dialogus Bonaventure cardinalis. Flecto genua mea* etc. Desinit: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen. Deus propitietur anime Iohannis Hornton. Amen. Expliciunt quatuor meditationes imaginis vite.*

50. *Ducumburgi* (Herzogenburg) in Austria, bibliotheca Canoniae, cod. 51. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. — Soliloquium incipit post medietatem voluminis fol. r. non numerato: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. v. per verba: *Explicit liber de ymagine vite.*

51. *Düsseldorpii* (Düsseldorf) ad Rhenum, bibliotheca Civitatis, cod. B. 145. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Fol. r. non numerato: *Incipit soliloquium Bonaventure de quatuor exercitiis anime et hominis.* Desinit fol. r. verbis: *Et sic est finis huius libri de quatuor exercitiis anime et hominis. Deo gratias.*

52. *Einsiedeln* in Helvetia, bibliotheca Monasterii, cod. 43. chart. saec. XV. — Fol. 184. r. est rubrica a recenti manu exarata: *S. Bonaventura. Imago vite sancte.* Desinit fol. 197. r. cum additione: *Explicit liber, qui dicitur ymago vite sancte super quatuor punctis principalibus.*

53. *Erfordiae*, bibliotheca Regia, collectio Amploniana, cod. 155. membr. in 4. saec. XIV. — Incipit Soliloquium fol. 26. r. sine titulo, desinit fol. 43. v.; dein subiicitur: *Explicit dialogus bonus et brevis Bone venture.*

54. *Ibidem*, cod. 98. chart. in 4. saec. XIV. exeuntis, ut recensuimus supra, pag. XIV. n. 71. — Fol. 124. r.: *Incipit liber meditationum sive orationum Domini Bonaventure, qui imago vite appellatur.* Eadem leguntur in fine, qui occurrit fol. 152. v., quibus additur *Deo gratias. Amen.*

55. *Ibidem*, cod. 8. chart. in fol. saec. XV. — Post alia opera fol. r. non numerato incipit Soliloquium sine titulo, sed paulo ante aliae manus posterioris aevi inscripserunt: *Hugonis de S. Victore et Bonaventure*, una vero in inferiore parte folii exaravit haec verba: *Incipit imago vite, quem libellum composuit egregius doctor magister Iohannes de Bonaventura, doctor Ordinis Minorum.* Post finem etiam addidit: *Explicit liber Soliloquiorum scriptus Prage, Boneventure.*

56. *Ibidem*, cod. 1. chart. in 8. saec. XV. — Fol. non numerato r. notatur simpliciter: *Imago vite Bonaventure*, et ad calcem: *Finis. Imago vite Bonaventure per Conradum Ümbelm de Terbern.*

57. *Ibidem*, cod. 26. chart. in 4. saec. XV. — Fol. r. non numerato: *Incipit imago vite Boneventure. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. r. verbis editionis.

58. *Gedani*, bibliotheca sanctae Mariae, cod. progress. 95. chart. in fol. scrin. 298, de quo locuti sumus supra, pag. XV n. 81. — Fol. 13. r. est rubrica huius opusculi his verbis expressa: *Incipit liber meditacionum, sive orationum domini cardinalis et doctoris Bone venture, qui imago vite eterne nominatur.* Desinit fol. 33. r. per verba: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

59. *Ibidem*, cod. progress. 10. scrin. 55. membr. in folio. — Initium huius opusculi est fol. 81. v. sub hoc titulo: *Incipit prologus venerabilis doctoris Bonaventure super ymaginem vite.* Est finis fol. 97. v. cum hac additione: *Explicit ymago vite. Anno Domini millesimo quadringentesimo XLII.*

60. *Ibidem*, bibliotheca Civitatis, cod. H. 5. B. XX. B. 30. chart. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. 114. r. in superiore parte legitur: *Incipit liber meditationum, sive orationum domini cardinalis doctoris Bone venture, qui ymago vite eterne nominatur.* Desinit fol. 131. r. ut in editione.

61. *Ibidem*, cod. H. 5. B. XII. B. 5. chart. in fol. saec. XV. exeuntis. — Fol. 121. est eadem rubrica, quae in praecedenti, ex quo forsan exemplatum fuit totum opusculum. Desinit fol. 140. v. per verba: *Explicit liber meditationum sive orationum domini cardinalis et doctoris Bone venture, qui imago vite eterne nominatur.*

62. *Giessae* in Hassia, bibliotheca Universitatis, ms. 726. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 1. r.: *Incipit Soliloquium Bonaventure, qui intitulatur ymago vite.* Desinit fol. 113. v.: *qui est eternus, trinus et unus et benedictus in secula seculorum. Amen. Et sic est finis. Anno Domini MCCCCL. sancti Bonifacii* (sic).

63. *Ibidem*, ms. 788. chart. in 4. saec. XV., de quo egimus supra, XV. pag. n. 83. — Fol. 40. v. post alia: *Sequitur*

tractatus Bonaventure de quatuor exercitiis compendiosus et perutilis. Desinit fol. 78. r.: *qui est trinus et unus Deus benedictus in secula seculorum. Amen.*

64. *Ibidem*, ms. 812. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Soliloquium incipit fol. 156. v. a 1. cap., cui praemittitur haec rubrica: *Ex primo mentali exercitio Soliloquiorum sancti Bonaventure, quod compilavit per modum dialogi, ubi anima devota et veritatis discipula meditando interrogat, et homo interior mentaliter loquendo respondet.* Desinit fol. 184. v. per verba eiusdem primi capituli: *societate transformaris. Haec Hugo.* Cetera desiderantur. Vide edit. infra pag. 43. notam 7.

65. *Gottingae* in Borussiae Hannovera, bibliotheca Universitatis, ms. theol. 94. miscell. in 4. saec. XV. — Post alia opera fol. r. non numerato incipit Soliloquium verbis: *Flecto genua mea* etc., recurrit per 36 folia et desinit ut in editis cum hac additione: *Et sic est finis huius libelluli.*

66. *Gottwicii*, bibliotheca Monasterii, cod. 272. chart. in fol. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 64. v. sine ullo titulo et desinit fol. 83. v. ut in editionibus. Sequitur aliud opusculum ab eadem manu exaratum, cui additur: *Anno Domini millesimo quadringentesimo XIII.*

67. *Ibidem*, cod. 285. chart. in 4. saec. XV. iam descriptus tom. V. pag. XXIX n. 46. — Hoc opusculum incipit fol. 97. r. sub titulo: *De septem gradibus perfectionis.* Desinit fol. 143. v. verbis: *a quo processerunt haec omnia. Amen.* (cap. 4. n. 27. nostrae edit.). Additur: *Explicit tractatus de septem gradibus perfectionis.*

68. *Ibidem*, cod. 310. chart. in 4. saec. XV. ineuntis. — Initium huius opusculi est post alia fol. non numerato et sine titulo: *Flecto genua mea* etc. Desinit ut in editis, sine alia additione et nomine auctoris.

69. *Graecii* (Gratz) in Austria, bibliotheca Universitatis, cod. 600. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Rubrica opusculi est fol. 44. v. his verbis: *Incipit ymago vite beati....* nomen auctoris est abrasum. Desinit fol. 105. in fine: *Qui est trinus et unus et benedictus in secula seculorum. Amen.*

70. *Ibidem*, cod. 1078. chart. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Soliloquium sequitur alia opera et est sub rubrica: *Incipit liber, qui dicitur ymago vite.* Eadem repetuntur in fine, fol. v. non numerato.

71. *Gratianopoli* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 757. alias 89. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 2. r. est rubrica: *Incipit ymago vite* etc. Desinit fol. 112. r.: *Explicit ymago vite* etc. Perfecte convenit cum codice 842. descripto supra, n. 4. Etiam in hoc additur in fine: *dicatur Dei amore, ave Maria pro scriptore.*

72. *Gripswaldiae* (Greifswald) in Borussia, bibliotheca Rubenon in ecclesia sancti Nicolai, cod. E. 8. 24. chart. in 4. — Opusculum incipit fol. 1. r. — Folia codicis fuerunt transposita, et ideo post folium 9. recurrendum ad 28, ut ibi notatur. Desinit fol. 46. r. ut in editione. Additur: *In profesto sancte Lucie anno Domini 1485. Berlin.*

Mentes carnales hic det liber spirituales;
Quod bene notatur, si sepius inspiciatur.

Explicit tractatus sancti Bonaventure de ymagine vite. Amen.

73. *Ibidem*, cod. E. 6. 87. chart. saec. XV. ineuntis. — Soliloquium incipit fol. r. non numerato sine titulo: *Flecto genua mea.* etc. Desinit fol. r.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

74. *Ibidem*, cod. E. 38. 8. miscell. in fol. saec. XV. — Fol. 68. r.: *Incipit Bonaventura in librum de ymagine vite.* Eadem exarata sunt in fine fol. 87. r. post: *Explicit.* Inde sequitur: *Mentes carnales* etc., ut in cod. supra relato n. 72.

75. *Ibidem*, cod. N. 84. in fol. miscell. saec. XIV. exeuntis. — Fol. r. non numerato legitur: *Incipit prologus in libro de imagine vite.* Prosequitur ut in editis; fini additur: *Explicit imago vite. Amen.* Hinc: *Mentes carnales* etc. ut in praecedenti.

76. *Ibidem*, cod. N. 36. chart. saec. XV. ineuntis. — In margine superiore fol. 89. r.: *Incipit imago vite.* Desinit verbis: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

77. *Hafniae* (Kopenhagen) in Dania, bibliotheca Regia, cod. 79. chart. in fol. saec. XV. — Initium huius opusculi est fol. 4. r. sub titulo: *Ymago vite Bonaventure.* Desinit fol. 19. v. cum hac additione: *Explicit dictamen Boneventure in librum, qui intytulatur* (sic) *ymago vite, speculum salvationis humane et paradisus anime.*

78. *Ibidem*, cod. 1371. chart. in 4. saec. XV. — Post alia opera circa medietatem voluminis fol. r. non numerato habetur Soliloquium sub rubrica: *Ymago vite*, et prosequitur ut in editis. In fine subiicitur: *Explicit ymago vite*, tacito auctoris nomine.

79. *Ibidem*, cod. 3393. chart. in 8. parvo saec. XV. — Fol. 59. r. opusculo praemittitur: *Incipit Soliloquium sancti Bonaventure de quatuor exercitiis.* Eadem repetuntur fol. 122. v. post finem opusculi.

80. *Hamburgi*, bibliotheca Civitatis, cod. theolog. II. pag. 61, n. 5. in 8. chart. saec. XV. exeuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus in Soliloquium Bonaventure.* Desinit fol. 63. r. verbis: *Finit Soliloquium sancti Bonaventure seraphici et cardinalis.*

81. *Herbipoli* (Würzburg) in Bavaria, bibliotheca Universitatis, M. ch. f. 250. saec. XV. ineuntis. — Opusculum Soliloquii incipit fol. 132. r. ab hac rubrica: *Iste liber intitulatur ymago vite.* Desinit cum editione fol. 153. r.

82. *Ibidem*, M. ch. q. 121. saec. XV. — Titulus huius opusculi est fol. 126. r. verbis: *Incipit prologus libri, qui intitulatur ymago vite.* Opus est exaratum a duobus, quorum unus scripsit prologum cum parte primi capitis, alius reliqua. Desinit fol. 258. r. cum hac additione: *Explicit ymago eterne vite Bone venture. Laus Deo.*

83. *Ibidem*, bibliotheca sanctae Crucis Patrum Minorum Conventualium, cod. I. 111. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r. in margine superiore legitur: *Breviloquium Bonaventure.* Desinit fol. 22. v.: *qui est trinus et unus et benedictus. Amen. Explicit tractatus de quatuor radiis contemplationum.*

84. *Hispali* in Hispania, bibliotheca Columbina, cod. y. tab. 128. n. 26. chart. in fol. saec. XV. — Soliloquium est fol. non numerato r. sub rubrica: *Incipit ymago vite.* Desinit fol. r. ut in editis; additur: *Explicit ymago vite. Amen. anno XXXII* (idest 1432.).

85. *Ienae*, bibliotheca Universitatis, collect. Bossiona, cod. oct. 14. chart. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 159. r.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 196. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen. Explicit Soliloquium Bonaventure.*

86. *Lambaci* in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. 86. chart. in fol. saec. XV. — Titulus opusculi est fol. 107. r. in superiore margine: *Soliloquium Bonaventure de quatuor mentalibus exercitiis.* Finit fol. 141. r. cum additione: *Et sic est finis tractatus Bone Venture.*

87. *Ibidem*, cod. 111. chart. in fol. saec. XV. — Incipit Soliloquium pag. 312. sine titulo: *Flecto genua mea* etc. Desinit pag. 358 verbis: *Explicit tractatus meditationum venerabilis doctoris et cardinalis Bonaventure, et intitulatur ymago vite eterne. Alleluia. Anno Domini MCCCC. in L. in octava sancti Petri et Pauli.*

88. *Leodii* in Belgio, bibliotheca Seminarii maioris, cod. 6. M. 26. membr. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 1. r. recens manus notavit: *Bonaventura de quatuor exercitiis et alia varia.* Desinit fol. 47. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen.*

89. *Ibidem*, cod. 6. N. 19. miscell. in 8. saec. XV. ineuntis. — Est titulus huius opusculi fol. 69. r. his verbis exaratus: *Incipit prologus Bonaventure de quatuor exercitiis.* Desinit fol. 111. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen. Deo gratias. Et sic est finis huius.*

90. *Ibidem*, cod. 6. G. 13. — Fol. 38. r. est rubrica Soliloquii his verbis: *Incipit prologus Bonaventure de quatuor exercitiis.* Desinit fol. 71. v. ut in editis. *Explicit Bonaventura de quatuor exercitiis. Scriptum est istud per manus...* (nomen scriptoris est deletum) *anno Domini millesimo CCCC. octavo, in crastino sante Lucie, post meridiem ante decimam horam modernam decimaquarta die mensis decembris.*

91. *Ibidem*, cod. 6. F. 19. miscell. in 4. saec. XV. ineuntis. — Opusculo praemittitur rubrica: *Incipit tractatus Bonaventure de quatuor exercitiis. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 66. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen. Explicit Bonaventura de quatuor exercitiis.*

92. *Lipsiae*, bibliotheca Universitatis Paulinae, cod. 490. chart. in fol. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 1. v. sine titulo et desinit fol. 18. r. cum hac additione: *Expliciunt meditationes domini cardinalis et doctoris bone Venture.*

93. *Ibidem*, cod. 487. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Hoc opusculum incipit sine rubrica fol. r. non numerato: *Flecto genua mea* etc. Desinit ut in editis, deinde additur: *Explicit liber meditationum sive orationum cardinalis et doctoris Boneventure, qui ymago vite eterne nominatur.*

94. *Ibidem*, cod. 346. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. — Soliloquium incipit fol. 93. r. cum hoc titulo: *Bona ventura de speculo anime.* Desinit fol. 116. r.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.* Sequitur opus Hugonis de Claustro animae ab eodem scriptore exaratum, et notatur: *completum sub anno Domini MCCCCVII.*

95. *Londini*, bibliotheca Musaei, cod. 5. C. III. membran. in fol. saec. XV. — Fol. 281. incipit Soliloquium sub hac rubrica: *Meditationes fratris Bonaventure cardinalis Albanensis.* Desinit vel potius deficit cap. 4. n. 1. verbis: *requies non desidiosa, vita sine defectione, laus divina sine cessatione.*

96. *Ibidem*, cod. 18318. addition. iure emptionis, membr. in fol. saec. XIV. — Incipit Soliloquium fol. 2. r. sine ullo titulo: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 18. r. ut in editis. Fol. 143. r. notatur, quod hic codex datus fuit *cenobio et conventui in Altenburg anno Domini millesimo CCCLXXXX in die S. Michaelis.*

97. *Lovanii*, bibliotheca Universitatis, cod. 168. membr. saec. XV. — Fol. 91. v. alius librarius, sed primo coaevus, haec advertit de auctore opusculi: *Scias, o lector, de auctore sequentis dyalogi, diversos diversimode loqui, dicentibus aliis Iohannem Ianuensem Ordinis Predicatorum, aliis vero Bonam venturam Ordinis Minorum compilasse ipsum. Verumptamen, ut verbo Senecae* (Excerpta de quatuor virtutibus liber., c. de Prudentia) *te conveniam, non te moveat dicentis auctoritas, sed quod dicatur attendito, nec quis dicat.* Hinc fol. 92. r.: *Incipit prologus in librum M. Ioannis Ianuensis, qui dyalogus aureus inscribitur. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 180. v. cum additione: *Explicit dyalogus aureus de quadruplici contemplatione, interiorum videlicet et exteriorum, inferiorum et superiorum, qui etiam a non multis ymago vite inscribitur. Et certe uterque titulus ipsi libro pro merito sui dignissime appropriari potest. Deo gratias.*

98. *Ibidem*, cod. 130. chart. saec. XV. — Soliloquium est fol. 216. r. sub hoc titulo: *Incipit prologus Bonaventure in librum dyalogorum de quatuor exercitiis.* Desinit fol. 228. r. ut in editis. Additur: *Explicit liber dyalogorum Boneventure de quatuor exercitiis. Deo gratias. Laus Deo et honor beate Marie Virgini.*

99. *Ibidem*, cod. 4615. chart. in 16. saec. XVII. exeuntis. — Fol. 120. v.: *Incipit Soliloquium S. Bonaventure de quatuor mentalibus exercitiis, quod dicitur imago vite et dialogus s. Bonoventure.* Desinit fol. 261: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen.*

100. *Ibidem*, cod. recenter sign. 15. A. chart. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 105. et desinit fol. 136. v. ut in editis. Hinc additur: *Anno 1487. 19. Martii, per me F. P. Y.*

101. *Lubeci*, bibliotheca Civitatis, cod. theol. chart. in 4. parvo, saec. XIV. exeuntis. — Fol. 167. r.: *Incipit ymago vite eterne Bone venture cardinalis, vel secundum quosdam, liber de contemptu mundi.* Eadem repetuntur in fine, qui est fol. 202. v.

102. *Ibidem*, cod. theol. in 4. parvo saec. XV. — In margine superiore fol. 10. r. est rubrica huius opusculi sic expressa: *Ymago vite Bone venture;* et fol. 46. r.: *Explicit dictamen Bone venture in librum, qui intitulatur ymago vite.*

103. *Lucemburgi*, bibliotheca Civitatis, cod. 55. miscell. in 8. saec. XV. — Soliloquium est in principio mutilum, deficiente fere toto prologo usque ad n. 4. nostrae editionis, verbis... *mis et gemitibus incessanter clamemus* etc. Desinit fol. r. non numerato: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen. Explicit tractatus Bonaventure de quatuor exercitiis utilis et devotus, 1476.*

104. *Ibidem*, cod. 235. chart. in 4. saec. XV. — Fol. non numerato r. opusculo praemittitur: *Incipit liber, qui dicitur ymago hominis et dyalogus inter animam et hominem.* Desinit: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

105. *Ibidem*, cod. 361. chart. in 8. saec. XV. — Opusculum incipit fol. r. non numerato a capitulo primo, omisso prologo, sub hac rubrica: *Occupatio devotorum, sive de quatuor exercitiis spiritualibus Bonaventure. O anima mea, dirige radium considerationis et intelligentie ad quatuor, scilicet ad interiora* etc. Desinit ut in editis et additur: *Explicit opusculum, quod appellatur occupatio devotorum Bonaventure.*

106. *Ibidem*, cod. 241. miscell. in 4. saec. XV. — Folio 1. r. legitur: *Incipit liber intitulatus ymaginis vite a magistro*

Ioanne Bona Ventura. Flecto genua mea etc. Desinit fol. 29. r. cum additione: *Explicit liber ymaginis vite editus a domino fratre Bonaventura cardinali Albanensi Ordinis Fratrum Minorum.*

107. *Ibidem*, cod. 350. membr. saec. XIV. exeuntis. — Folio r. non numerato incipit hoc opusculum, omisso prologo, a verbis: *Converte radium contemplationis ad inferiora, ut intelligas* etc. (vide infra pag. 28). Desinit fol. r. ut in editis, addito tantum: *Explicit ymago vite.*

108. *Ibidem*, cod. 497. membr. saec. XVI. — Soliloquium incipit post alia fol. v. non numerato sub rubrica: *Ex tractatulo, qui intitulatur imago vite. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. r. in cap. 4. n. 23. (pag. 64 not. 8.) verbis: *neque irascibilis quietatur nisi per eterne maiestatis comprehensionem.*

109. *Lugduni* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 161. miscell. in 4. exaratus anno 1394. *per manus zilani armigeri*, qui huic opusculo fol. 1. praemittit sequentem rubricam: *Prologus Boneventure, in quo anima devota meditando interrogat, et homo interior mentaliter respondet.* Desinit fol. 27. his verbis: *Explicit tractatus devotissimus traditus per modum dialogi de corpore et anima.*

110. *Luneburgi*, bibliotheca Civitatis, ms. theol. lat. in 8. chart. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 154. r. sine ullo titulo: *Flecto genua mea* etc., decurrit usque ad fol. 174. v.; nonnulla desunt in fine.

111. *Madriti*, bibliotheca Nationalis, cod. A. 124. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum Soliloquii incipit fol. 133. r. sub titulo libri *de imagine vitae*, et desinit fol. 152. additis verbis: *Explicit ymago vite edita a domino Bona ventura. Deo gracias.*

112. *Ibidem*, cod. P. 186. chart. in 4. saec. XV. post medietatem. — Fol. 1. r. prima manus praemisit opusculo: *Incipit Soliloquium sancti Bonaventure de quatuor mentalibus exercitiis. Prologus. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 49. r. ut in editis, addita rubrica, quae in initio.

113. *Mantuae* in Italia, bibliotheca Civitatis, cod. 286. C. I. 24. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 94. r.: *Incipit liber fratris Bonavenlure, qui dicitur ymago vite. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 129. ut in editis.

114. *Ibidem*, cod. 163. B. I. 18. membr. in 8. saec. XIV. — Primum opus est Soliloquium sub nomine Bonaventure et incipit: *Flecto genua mea* etc. Desinit: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen.*

115. *Ibidem*, cod. 174. B. I. 29. chart. saec. XV. — Ultimum opus occurrit Soliloquium, omisso nomine auctoris. Incipit fol. 120: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 148: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

116. *Medelci* in Austria, bibliotheca Monasterii Ord. S. Benedicti, cod. C. 1. chart. in fol. saec. XIV. — Fol. 106. v.: *Incipit liber meditationum sive orationum domini cardinalis et doctoris Boneventure, qui ymago vite eterne nuncupatur.* Haec eadem verba recurrunt in fine fol. 125. v., quibus additur: *Ad laudem Domini nostri Iesu xti.*

117. *Ibidem*, cod. B. 64. membr. in 8. saec. XV. ante medium. — Soliloquium incipit fol. 163. v. cum sequenti indicatione: *Prologus libri, qui dicitur ymago vite Bonavenlure.* Desinit fol. 227. v. cum hac additione: *Explicit dyalogus de exercitatione mentali.*

118. *Ibidem*, cod. F. 39. membr. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Hoc opusculum incipit fol. 1. r. sub rubrica: *Prologus libri, qui dicitur ymago vite. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 16. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen.*

119. *Ibidem*, cod. H. 83. chart. in 12. saec. XV. — Incipit Soliloquium pag. 85, praemissa rubrica: *Tractatus de homine et anima.* Desinit ut in editis pag. 193; hinc: *frater Ewaldus Ortlep 1492.*

120. *Ibidem*, cod. H. 97. chart. in 12. saec. XV. — Fol. 99. r. est sequens rubrica: *Tractatus Domini Boneventure devotus de contemplatione per modum dyalogi. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 138. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen.* In hoc codice sequuntur quaedam ad instar commentarii in hoc opusculum, quae occurrunt fol. 139. r. sub hoc titulo: *Incipit tractatus brevis de contemplacione editus per reverendissimum in xto patrem dominum Petrum cardinalem Cameracensem vulgariter nuncupatum, olim cancellarium Ecclesie Parisiensis. Anima devota cupiens ad divinam contemplacionem spiritualiter exerceri* etc. Desinit fol. 145. r. his verbis: *Licet autem de his sancti doctores plura scripserant, ex quorum dictis egregius doctor Bonaventura quendam dyalogum utilem compilavit, hec tamen pauca ex pluribus compendiose sub epylogo collecta sunt ad erudicionem et exercitacionem fidelium et precipue simplicium. A quibus pro qualicumque labore meo oracionum suarum postulo suffragia, ut sic tandem per haec exercicia spiritualia ad illius perducantur gaudia sempiterna, qui est Deus benedictus in secula seculorum. Amen.* Hic cardinalis Cameracensis quanti fecerit Soliloquium nostri Doctoris, apparet etiam ex cod. Olomutiensi infra relato n. 164.

121. *Mediolani*, bibliotheca Universitatis, cod. A. I. 12. miscell. in 4. saec. XV. — Post alia fol. non numerato r. legitur: *Incipit excriptum abbreviatum de quatuor exercitiis, quod intitulatur ymago vite. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. v. cum editis: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

122. *Meiningen* in Germania, bibliotheca Principis, cod. II. lat. 1. progress. 47. chart. in fol. saec. XV. — Soliloquium occurrit fol. 241. v. sub rubrica: *Incipit liber, qui dicitur ymago vite, per modum dyalogi compilatus, in quo anima interrogat et homo respondet. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 267. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

123. *Moguntiae*,, bibliotheca Publica, cod. chart. in 4. n. 192. progress. CXV. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 133. r.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 173. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

124. *Ibidem*, cod. chart. in 4. n. 264. progress. CLXI. saec. XV. — Opusculum incipit fol. r. non numerato sine ullo titulo et desinit fol. r. ut in editis cum hac additione: *Anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, die undecima mensis Aprilis completus fuit presens tractatus, qui intitulatur ymago anime, per Iohannem Borner de Budingen, scriptus in civitate Moguntina.*

125. *Ibidem*, cod. chart. n. 194. progress. CXVII. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Soliloquium incipit fol. r. non numerato post medietatem voluminis sub titulo: *Occupationes devotorum.* Desinit fol. v. ut in editis, sed passim est abbreviatum.

126. *Ibidem*, cod. chart. in 4. n. 265. progress. CLXII. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 1. r.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. v. non numerato: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

127. *Ibidem*, cod. chart. in 4. n. 266. progress. CLXIII. saec. XV. — Fol. 1. r. opusculo praemittuntur haec verba: *Deus, qui immensa bonitate circumcisus, hoc anno 1451 tribue, queso, mihi libelli corde capere devotionis dulcorem. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. r. non numerato, addito: *Explicit Soliloquium venerabilis Bone venture finitum per me Sixtum de Werdea anno Domini* etc.

128. *Ibidem*, cod. chart. in 8. n. 511. progress. CCLXXXIV. membr. saec. XIV. — Post aliud opus est rubrica: *Incipit liber dictus imago vite.* Huic titulo alia, sed antiqua manus praemisit: *Wilhelmus, Custos Fratrum Minorum Coloniensis Provincie, libellum collegit hunc anno Domini MCCCX, scilicet tractatum sequentem.* Desinit fol. penultimo codicis ut in editis; hinc: *Explicit imago vite.*

129. *Ibidem*, cod. chart. in 8. n. 563. progress. CCCXVII. saec. XV. iam notatus tom. V. pag. XXX n. 69. — Incipit fol. 59. r. cum rubrica: *Liber iste intitulatur imago vite.* Desinit fol. 108. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula Amen.*

130. *Ibidem*, cod. chart. in 4. n. 586. progress. CCCXXXI. saec. XV, de quo vide supra pag. XVIII n. 148, complectitur magnam partem huius opusculi fol. 48. r. et seq. sub hac indicatione: *Ex exercitiis Bone venture. Flecto genua mea* etc.

131. *Ibidem*, cod. chart. in 8. n. 595. progress. CCCXXXIV. saec. XV. — Continet quaedam tantum, fere ut praecedens, sub rubrica: *Ex libro de quatuor exercitiis Boneventure.*

132. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 16213. chart. in fol. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 250. r. sine ullo titulo et desinit fol. 270. r.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

133. *Ibidem*, cod. 18613. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 57. r. alia manus praemisit huic opusculo: *Ymago vite Boneventure*, et fol. 98. r. post finem addidit: *Explicit dyalogus domini Bonaventure de exercitatione mentali.*

134. *Ibidem*, cod. 23454. membr. in 12. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 1. r. occurrit rubrica huius opusculi habens haec verba: *Incipit ymago vite. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. non numerato: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen.*

135. *Ibidem*, cod. 23863. chart. in fol. saec. XV. — In margine superiore fol. 182. r. praemittitur Soliloquio simpliciter: *Bonaventura.* Desinit ut in editis fol. 207. r. sine alia nota.

136. *Ibidem*, cod. 11923. chart. in 8. saec. XVI. ineuntis. — Fol. 32. r. incipit hoc modo: *Ex prologo super Soliloquio sancti Bonaventure de quatuor mentalibus exercitiis.* Est integrum opus ut editum, quod desinit fol. 71. r.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

137. *Ibidem*, cod. 18315. chart. in fol. saec. XV. post medium. — Fol. 131. v. est rubrica: *Soliloquium sancti Bonaventure*, e regione vero scriptor quidam exaravit: *Alius titulus. Dialogus sancti Bonaventure de exercitatione mentali.* Desinit fol. 161. r.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

138. *Ibidem*, cod. 18414. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 1. r. legitur: *Incipit liber, qui dicitur ymago vite per modum dialogi compilatus, in quo anima interrogat, et homo respondet.* Supra hunc titulum alia manus scripsit: *Domini Bonaventure.* Desinit fol. 15. r. cum editione.

139. *Ibidem*, cod. 19855. chart. in 8. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 184. r. sub titulo: *Ymago vite Bonaventure cardinalis.* Deinde, omisso textu Apostoli, prosequitur: *Mentalis exercitatio, si debet esse pura et salutifera, requirit potentiam supernaturalem confortantem* etc. Desinit fol. 190. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen.*

140. *Ibidem*, cod. german. 663. chart. in fol. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 186. sub titulo: *Tractatus bonus de ymagine vite.* Desinit ut in editis fol. 205. r.

141. *Ibidem*, cod. 5014. chart. in 8. saec. XV. — Soliloquium est fol. 170. r. sub hac indicatione: *Incipit liber, qui dicitur imago vite, per modum dialogi compilatus, in quo anima interrogat, homo respondet.* Desinit fol. 139. v. addito: *Explicit imago vite Bonaventure.*

142. *Ibidem*, cod. 18650. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 40. r.: *Incipit prologus libri, qui dicitur imago vite Bonaventure.* Desinit fol. 71. r. ut in editis.

143. *Ibidem*, cod. 11586. in fol. chart. saec. XV. — Titulus Soliloquii est fol. 1. r. sic expressus: *Incipit imago vite Iohannis Bonaventure sacre pagine professoris.* Eadem repetuntur fol. 19. r. in fine opusculi; inde additur: *Anno Domini 1405 finitus est in proximo Sabbato post festum sancti Viti Martyris.*

144. *Ibidem*, cod. 2955. miscell. saec. XV. — Fol. 90. r.: *Incipit libellus, qui non immerito imago vite nominatur.* Desinit fol. 117.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

145. *Ibidem*, cod. 7014. chart. in fol. saec. XIV. — Initium huius opusculi occurrit fol. 187. r. sub hoc titulo: *Incipit liber meditationum sive orationum domini cardinalis et doctoris Bonaventure, qui imago vite eterne vocatur.* Eadem verba redeunt in fine fol. 199. v. post *Explicit.*

146. *Ibidem*, cod. 7255. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Titulus opusculi est fol. 1. r. sic exaratus: *Incipit Soliloquium sancti Bonaventure de quatuor exercitiis.* Desinit fol. 43. v. ut in editis, deinde additur: *Anno 1494.*

147. *Ibidem*, cod. 8182. chart. in 4. — Fol. 129. r. opusculo praemittitur: *Incipit tractatus, qui intitulatur imago vite eterne Bonaventure;* et folio 164. v. subiicitur: *Explicit liber Bonaventure, qui intitulatur imago vite eterne, finitus anno Domini 1434 post octavas Domini per Egidium Kirchner de Leutershaur.*

148. *Ibidem*, cod. 9626. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 1. r. est sequens rubrica: *Incipit libellus, qui intitulatur imago vite.* Desinit fol. 61. r: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

149. *Ibidem*, cod. 12723. miscell. in 4. saec. XV. — Huic opusculo fol. 246. r. praemittitur tantum: *Incipit imago vite*, sed alia manus ad calcem huius folii subiicit: *Tractatus domini Bonaventure cardinalis.* Desinit fol. 264. r. ut in editis.

150. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. 72. fol. chart. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 157. r. sine titulo: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 172. v.; nomen auctoris et titulus habetur in principio operis his verbis: *Bonaventura, ymago vite, seu Soliloquium.*

151. *Ibidem*, cod. 29. in 4. chart. saec. XV. — Fol. 274. v. incipit hoc opusculum sine ulla rubrica: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 303. r., cui alia manus eiusdem aevi adiunxit: *Explicit liber meditationum reverendi domini Bonaventure cardinalis et doctoris, qui ymago vite eterne nuncupatur.*

152. *Ibidem*, cod. 30. in 4. chart. saec. XV. ineuntis. — Fol. 58. r. alia manus praemisit: *Breviloquium*, sed perperam, est enim Soliloquium; incipit: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 81. r.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.* De hoc codice locuti sumus supra pag. XIX n. 173.

153. *Ibidem*, cod. 813. in 4. chart. saec. XV. — Fol. 36. v. praemittitur opusculo: *Ymago vite eterne Bonaventure.* Hinc prima manus: *Incipit liber meditationum sive orationum domini cardinalis ac doctoris Bonaventure, qui intitulatur ymago vite eterne.* Fol. 67. r. fini additur: *Explicit ymago vite Bonaventure 1471. feria quinta post Alexii Confessoris.*

154. *Monasterii* (Münster) in Borussia, bibliotheca Paulina, cod. 271. chart. in fol. saec. XV. exeuntis. — Initium huius opusculi est fol. r. non numerato sub hoc titulo: *Incipit prologus Bonaventure in dyalogum, qui speculum anime nuncupatur. Tractatus de quatuor exercitiis anime.* Desinit ut in editis: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

155. *Namurci* (Namur) in Belgio, bibliotheca Civitatis, cod. 104. miscell. in 4. saec. XV. ante medium. — Fol. 2. r.: *Incipit prologus Soliloquii Bonefortune, quod dicitur ymago vite.* Desinit fol. 33. v. verbis: *Explicit Soliloquium Bonefortune, seu dyalogus anime et hominis interioris.*

156. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. VII. D. 36. miscell. in 8. plurium aetatum, opus postremum saec. XV. exaratum est sub hoc titulo: *Incipit prologus Soliloquiorum beati fratris Bonaventure Ordinis Minorum.* Desinit cap. 3. n. 1. ad verba: *convertenda.*

157. *Ibidem*, cod. VII. G. 21. chart. in 4. saec. XVI. — Incipit ut praecedens et desinit ut in editis; fini adduntur haec verba: *Explicit Soliloquium sive dialogus domini Bonaventure de quatuor exercitiis. Deo gratias. Amen.*

158. *Ibidem*, cod. VII. G. 57. exaratus anno 1459. — Soliloquium incipit fol. 99. r.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 148. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

159. *Neuburgi* (Kloster Neuburg) in Austria, bibliotheca Canoniae, cod. 251. chart. in fol. saec. XIV. (1378.). — Soliloquium incipit fol. 167. r.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 184. r., omissis titulo et nomine auctoris.

160. *Ibidem*, cod. 576. chart. in fol. saec. XV. ante medietatem. — Opusculum incipit fol. 45. r. sine ullo titulo, ut praecedens et desinit fol. 72. ut in editis.

161. *Ibidem*, cod. 944. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 9. v. praemittitur opusculo: *Incipit ymago vite.* Desinit fol. 66. sine alia additione.

162. *Norimbergae* (Nürnberg) in Bavaria, bibliotheca Civitatis, cod. centur. IV. n. 77. membr. in 4. saec. XIV. — Opusculum est mutilum in principio, incipit enim fol. 64. r. in cap. 1. n. 13. nostrae editionis a verbis: *eternam nos invitat. O Iesu fons universe dulcedinis et pietatis, ignosce mihi* etc. Desinit fol. 77. v: *qui est trinus et unus, benedictus in secula seculorum. Amen. Explicit ymago vite. Explicit dyalogus Boneventure.*

163. *Oeniponte*, bibliotheca Universitatis, cod. 569. chart. in fol. saec. XIV. ineuntis. — Soliloquium incipit sine titulo fol. 63. r.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 80. v. addito: *Explicit ymago vite Iohannis Boneventure sacre pagine professoris.*

164. *Olomutii* (Olmütz) in Moravia, bibliotheca Regia, cod. II. g. 3. chart. in 4. saec. XV. ineunt.; vid. tom. V. pag. XXXI n. 87. Soliloquium incipit fol. 121. r. sub hoc titulo: *Bonaventure de quatuor exercitiis; liber, qui dicitur imago vite, per venerabilem dominum Bonaventuram cardinalem etc. editus.* Alia manus eiusdem aetatis his verbis praemisit haec alia de auctore: *Hic frater Bonaventura viguit anno Domini 1257 tempore Alexandri Pape 4. et fuit discipulus Alexandri de Halis doctoris irrefragabilis.* Post finem, qui est fol. 148, loquitur de opere hoc modo: *De isto dialogo Bonaventure facit mentionem in suo tractatu de quadruplici exercitio spirituali, dominus Petrus episcopus Cameracensis, qui viguit in Concilio Constantiensi 1414.* Vide supra n. 120.

165. *Ibidem*, cod. II. f. 22. chart. in 4. saec. XV. ante medium. — Soliloquium incipit fol. 79. r. sub hoc titulo: *Bonaventura de anima. Flecto genua mea* etc. Desinit vel potius deficit fol. 91. v. ad verba cap. 4. n. 14: *Tunc tu respondebis ita dicens: Bibam et hilarior fiam.*

166. *Ibidem*, cod. IV. d. 6. chart. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Hoc opusculum incipit ante medietatem voluminis fol. r. non numerato, praemissa sequenti rubrica: *Bonaventura. In Soliloquium eiusdem.* Desinit fol. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen.*

167. *Ibidem*, bibliotheca Capituli metropolitani, cod. 63. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Fol. v. non numerato praemittitur opusculo: *Incipit tractatus de Bona ventura*, et fini subiicitur: *Explicit tractatus bonus magistri de Bona ventura.*

168. *Oxonii* in Anglia, Miscell. Canonic. cod. 529. chart. saec. XVI. ineuntis. — Soliloquium incipit fol. 1. sub rubrica: *Liber, qui dicitur imago vite, sive dialogus inter hominem et animam collocutores, praevia praefatione.* Desinit fol. 77. per verba: *Explicit liber dialogi anime et hominis, seu liber, qui merito appellatur ymago vite. Deo gratias. Amen.*

169. *Ibidem*, bibliotheca Bodleiana, cod. 162. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Post alia opera fol. 89. r. legitur: *Incipiunt quatuor meditationes ymaginis vite per devotum Bonaventuram etiam edite.* Desinit fol. 113. r.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

170. *Parisiis*, bibliotheca Arsenalis, cod. 630. chart. in 4. saec. XV. — Soliloquium est fol. non numerato sub titulo: *Incipit dialogus cardinalis Bonaventure, in quo anima devota meditando interrogat et homo interior mentaliter loquendo respondet. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. v. per verba: *Sed sempiterna pax et letitia in celesti patria. Amen.* (cap. 4. n. 20.). Inde sequitur: *Scriptum anno Domini M. CCCC. LIII. completum in mense Augusti. Oretur pro scriptore.* Posterior manus admonet de correctione opusculi hoc modo: *Scito, lector, quod iste dialogus est pene totus incorrectus et male scriptus. Igitur in alio libro quere eum.*

171. *Ibidem*, bibliotheca Nationalis, cod. 3756. membr. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 1. est titulus: *Meditationes imaginis vite. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 56.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen. Expliciunt quatuor meditationes Bonaventure.*

172. *Ibidem*, cod. 3609. chart. in 4. saec. XV.— Soliloquium incipit fol. 1. sine rubrica: *Flecto genua mea* etc. Deficit fol. 39. ad verba... *eterna et inseparabili unione. Corpus autem nostrum ex quatuor.* Vide infra pag. 62 notam 8. in fine.

173. *Pelplini*, bibliotheca Seminarii, cod. V. K. b. 7. chart. in 4. saec. XV. ineuntis, quem recensuimus supra, pag. XX n. 198. — Soliloquium incipit sine titulo fol. 172. r. et desinit ut in editis fol. 204. v., additis verbis: *Explicit liber meditationum, sive orationum domini cardinalis et doctoris Boneventure, qui ymago vite eterne dicitur.*

174. *Ibidem*, cod. B. 254. (hic est antiquior numerus, recens nullus adhuc), ut scripsimus supra pag. XX n. 199. — Opusculum hoc incipit fol. 15. r. et desinit fol. 49. r., cui praeponitur et subiicitur haec rubrica: *Liber meditationum sive orationum domini cardinalis et doctoris Bone venture, qui ymago vite eterne nominatur. Amen.*

175. *Ibidem*, cod. V. K. d. 16. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Soliloquium incipit fol. 138. r., omisso titulo: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 153. r. additis: *Explicit liber meditationum sive orationum Bone venture, qui ymago vite eterne vocatur.*

176. *Ibidem*, cod. V. II f. 7. chart. in 8. exaratus anno MDCIIII. — Primum opus, quod continet: *Soliloquia sancti Bonaventure de quatuor exercitiis mentalibus*, incipit et desinit ut in editis.

177. *Ibidem*, cod. V. I. a. 9. membr. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. 17. r. opusculo praemittitur haec rubrica: *Registrum libri sequentis, qui intitulatur ymago vite eterne.* Fini fol. 52. v. additur: *Explicit liber meditationum sive orationum domini cardinalis et doctoris Boneventure, qui ymago vite eterne nominatur. Anno Domini... feria secunda post Letare.*

178. *Ibidem*, cod. V. I. c. 6. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Soliloquium incipit fol. 183. r. sub rubrica, sub qua praecedens, et desinit iisdem verbis ut praecedens fol. 210. v.

179. *Posonii* (Presburg), bibliotheca Capituli, cod. 49. chart. in fol. saec. XIV. post medietatem. — Soliloquium incipit fol. 2. r.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 12. r. A prima manu tribuitur opusculum sancto Augustino, sed perperam, convenit enim cum edito sub nomine sancti Bonaventurae, ut patet intuenti.

180. *Pragae*, bibliotheca Ecclesiae metropolitanae, cod. N. LV. chart. in 4. saec. XV, de quo locuti sumus tom. V. pag. XXXI n. 93. — Hoc opusculum incipit fol. 1. r. sub titulo: *Soliloquium de arra animae Bonaventure. Incipit Soliloquium de arra anime, ut discamus, quomodo nos oporteat verum oratione* (sic) *querere et operando debeamus.* Desinit fol. 137. v.: *hoc totis precordiis concupisco, et sic est finis huius negotii. Amen. Explicit textus de arra anime. Amen.* In multis dissentit ab edito Soliloquio nostri Doctoris.

181. *Ibidem*, cod. E. LXVIII. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Circa finem voluminis fol. r. non numerato: *Incipit Bonaventure dyalogus de mentali exercitatione. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. r. ut in editis.

182. *Ibidem*, cod. E. XXXII. chart. in fol. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 46. v. et prosequitur, sed interpolate, ut recte notavit rubricator codicis, usque ad fol. 61. r.: *qui est eternus et unus benedictus in secula seculorum. Amen.*

183. *Ibidem*, cod. D. LXXV. chart. in 4. saec. XV. — Post opus Hugonis de arrha sponsae sequitur Soliloquium fol. r. non numerato; incipit cum editione: *Flecto genua mea* etc., sed in decursu dissentit in aliquibus; desinit etiam fol. v. his verbis: *pietas enim ad omnia utilis est, promissionem habens vite, que nunc est et future, ad quam nos perducere dignetur Iesus Dominus noster, beate et gloriose Marie Virginis fructus et filius. Qui vivit et regnat cum Deo Patre in veritate Spiritus sancti per omnia secula seculorum. Amen.*

184. *Ibidem*, cod. N. XIII. membr. in fol. saec. XIV. — Rubrica huius opusculi est fol. 20. r. expressa his verbis: *Incipit liber, qui dicitur imago vite humane, multum consolatorius. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 37. r. cum editis, addito: *Explicit.*

185. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis in Clementino, cod. VIII. C. 2. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 73. v. est rubrica: *Incipit ymago vite*, omisso nomine auctoris. Opusculum desinit fol. 78. v. cum hac additione: *Explicit ymago vite sub anno Domini M. CCC. LXXX. IIII. finita in Vigilia Philippi et Iacobi.*

186. *Ibidem*, cod. XIV. D. 6. chart. saec. XV. ineuntis. — Soliloquium incipit fol. 41. r. immediate post aliud opus: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 60. v., addito tantum: *Explicit dyalogus anime et rationis.*

187. *Ibidem*, cod. X. D. 1. chart. in fol. saec. XV. — Alia manus eiusdem saeculi fol. 95. r. opusculo praemisit: *Ymago humane vite Bonaventure*, Sed fol. 111. v. prima manus addidit: *Explicit ymago humane vite Boneventure cardinalis Romani, feria tertia in die beatorum Apostolorum Symonis et Iude, anno Domini M CCCC XXIIII. per Matthia* (sic) *Losii.*

188. *Ibidem*, cod. mixt. XI. E. 9. chart. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 1. r. manus posterior praemisit opusculo hanc observationem: *Bonaventura* (hinc lacuna) *titulum esse itinerarius mentis in Deum, et dicitur ymago vite, seu lignum vite* (!). Deinde: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. r. non numerato: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen. Finito libro sit laus et gloria Xto.*

189. *Regimontii*, bibliotheca Universitatis, cod. 1261. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum Soliloquii incipit fol. v. non numerato sine ullo titulo. Desinit cum verbis editionis fol. r.; deinde additur: *Explicit liber meditationum sive orationum domini cardinalis et doctoris Bone venture, qui ymago vite eterne nuncupatur.*

190. *Ibidem*, cod. 1345. chart. in 4. saec. XV. — Circa finem voluminis fol. r. non numerato: *Incipiuntur* (sic) *meditationes Bone venture doctoris et cardinalis. Dic, quaeso, o homo, post devotam invocationem.* Est initium cap. 1, omisso prologo. Desinit cum editione fol. r. Hinc: *Expliciunt contemplationes sive meditationes Bone venture doctoris et cardinalis venerabilis.*

191. *Ibidem*, cod. 1347. chart. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit ymago vite eterne, alias dyalogus anime et hominis, in quo anima meditando interrogat, et homo interior mentaliter loquendo respondet, editus a Bona ventura cardinali.* Eadem repetuntur in fine, qui occurrit fol. 63. r., sed ibi omittitur nomen auctoris.

192. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 456. chart. saec. XV. — Fol. 55. v. praemittitur Soliloquio haec rubrica: *Incipit*

dialogus Bonaventure. Desinit fol. 75. v.: *qui est unus et trinus benedictus in secula. Amen.*

193. *Salisburgi*, bibliotheca Monasterii sancti Petri, cod. a. II. 23. chart. in 8. saec. XV. post medium, de quo egimus et tom. V. pag. XXXII n. 102. — Soliloquium incipit fol. 131. v., praemisso: *Bonaventura de ymagine vite*, et desinit fol. 190. addito: *Explicit liber intitulatus de ymagine vite Bonaventure cardinalis, pro quo sit Deus benedictus in secula seculorum. Amen.*

194. *Ibidem*, cod. a. III. 18. chart. in 8. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 2. r. sine ulla nota et desinit fol. 42. r. ut in editis; inde subiicitur: *Explicit libellus, qui intitulatur ymago vite Bonaventure.*

195. *Ibidem*, cod. a. VII. 27. membr. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. v. non numerato est rubrica: *Incipit dyalogus Bonaventure, vel Soliloquium.* Desinit ut in editis: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

196. *Ibidem*, cod. b. V. 39. chart. in 4. saec. XV. — Fol. v. non numerato alia manus praemisit huic opusculo: *Soliloquium sive dyalogus Bonaventure.* Desinit ante finem editorum ad verba: *supereminet pulcritudo, a qua processerunt hec omnia. Amen* (cap. 4. n. 27.).

197. *Ibidem*, cod. b. I. 29. chart. saec. XV, anno, ut ibi notatur, 1474. — Opusculum Soliloquii est fol. r. non numerato sub hac rubrica: *Ymago vite incipit.* Desinit fol. ultimo verbis: *Oro, Deus meus, cognoscam te;* reliqua desunt.

198. *Ibidem*, cod. a. VI. 29. membr. 8. saec. XIV. — Soliloquium est post alia fol. r. non numerato sub titulo: *Incipit ymago vite.* Desinit fol. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen. Explicit ymago vite.* Auctoris nomen tacetur.

199. *Sancti Floriani*, bibliotheca Monasterii Canonic. regularium, cod. XI. 97. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 197. r.: *Incipit liber meditationum sive orationum domini cardinalis Bone Venture, qui imago vite nominatur.* Desinit fol. 206. r., ubi post *Explicit* repetuntur verba praemissa.

200. *Ibidem*, cod. XI. 166. chart. in 8. saec. XV. ineuntis. — Soliloquium incipit fol. 104. r. hac rubrica: *Septimus gradus est sapientie et contemplationis. Origo autem contemplationis est ineffabilis Trinitas, scilicet Pater et Filius et Spiritus sanctus, quam tangit Apostolus, cum dicit: Flecto genua mea* etc. Prosequitur integrum opus usque ad fol. 160. r., cui adduntur eadem quae praecedenti codici verba.

201. *Ibidem*, cod. XI. 285. membr. in 8. saec. XIV. — Opusculum incipit fol. 68. v. cum hac indicatione: *Tractatus de septem gradibus perfectionis. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 118. v. ad verba cap. 4. n. 27.: *Supereminet eius pulcritudo, a qua processerunt hec omnia. Explicit tractatus de septem gradibus perfectionis.*

202. *Ibidem*, cod. XI. 545. membr. in 4. saec. XIV. — Convenit cum duobus praecedentibus quoad titulum et reliqua. Incipit fol. 141. v. et desinit fol. 168.

203. *Sancti Galli*, bibliotheca Monasterii, cod. 780. chart. in fol. saec. XV. — Hoc opusculum incipit pag. 1. sub rubrica: *Dialogus Bone Venture inter rationem et animam. Flecto genua mea* etc. Desinit pag. 78. ut in editis, addito: *Explicit ymago vite.*

204. *Ibidem*, cod. 917. chart. in 8. saec. XV. — Soliloquium incipit pag. 185. sub titulo: *Tractatus Bone venture de contemplatione anime devote.* Inde sequitur censura libelli: *Iste libellus de diversis dictis Sanctorum extractus et collectus est, qui potest appellari occupatio devotorum; habet in se quatuor distinctiones. Prima distinctio docet devotam animam videre sua interiora; secunda respicere sua exteriora; tertia attendere ad inferiora; quarta contemplare sua superiora.* Sequuntur membra uniuscuiusque distinctionis et concluditur: *Ecce, quomodo iste libellus distinguitur per distinctiones, distinctiones per membra, membra per partes. Tamen in predictis alicubi aliqua devota interseruntur et interponuntur ad maiorem devotionis excitationem et ob gratie maioris infusionem. Insuper notandum est, quod quicumque in isto libro proficere desiderat, non cursorie vel curiose que sic traduntur transcurrat, sed ad sensum verborum diligenter attendat et sententiam fideliter ponderet et documenta devote, practice et speculative humiliter advertat. Et sic hic per Dei gratiam poterit invenire sui intellectus illuminationem, sui affectus inflammationem, sue vite emendationem et divine suavitatis consolationem. Et sic expedite pervenire ad beatificam visionem, ad deificam fruitionem et ad tranquillam et securam eterne beatitudinis firmam possessionem. Explicit prologus.* Opusculum, ut intuenti patet, est in compendium redactum. Desinit pag. 206: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen. Fr. Gallus.*

205. *Ibidem*, cod. 927. chart. in 4. saec. XV. — Soliloquium incipit pag. 314 his verbis: *Hic oritur liber, qui potest nuncupari occupatio devotorum.* Sequitur: *Iste libellus* etc., ut in cod. praecedenti. Desinit pag. 338. per verba: *Explicit libellus dictus occupatio devotorum.* Hic cod. omittit nomen auctoris.

206. *Ibidem*, cod. 938. chart. in 4. saec. XV. ante medium. — Opusculum incipit pag. 506. eadem rubrica, qua praecedens, et desinit pag. 601: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen.*

207. *Ibidem*, cod. 942. miscell. in 4. saec. XV. — Pagina 181 legitur: *Incipit dyalogus Bone Venture inter animam et rationem, qui ymago vite eterne nuncupatur. Flecto genua mea* etc. Desinit pag. 265 cum additione: *Explicit dyalogus Bone Venture inter animam et rationem.*

208. *Sancti Pauli* in Carinthia, bibliotheca Monasterii Ord. S. Benedicti, cod. Hospit. 32. chart. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 292. v. sine rubrica: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 309. v. cum hac additione: *Explicit ymago vite seu speculum, secundum quosdam vero meditatio Bonaventure cardinalis et doctoris.*

209. *Sebatii* (Schwaz) in Tyroli, bibliotheca Monasterii Montis S. Georgii Ord. S. Benedicti (nunc *Fiecht)*, cod. olim sign. num. 162. chart. in fol. saec. XV. ante medietatem. — Fol. 165. v.: *Incipit liber, qui ymago vite per modum dyalogi compilatus, in quo anima interrogat, homo respondet. Flecto genua mea* etc. Finitur fol. 182. v. ut in editis.

210. *Stutgardiae*, bibliotheca Regis, cod. 7. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 3. r. legitur: *Incipit liber meditationum sive orationum domini cardinalis et doctoris Bonaventure.* Desinit fol. v. non numerato, ut in editis. Post *Explicit* adduntur eadem verba, quae in principio sunt dicta.

211. *Traiecti* ad Rhenum, bibliotheca Academiae, cod. 54. chart. saec. XV. — Post medium voluminis fol. r. non numerato praemittitur Soliloquio haec rubrica: *Incipit tractatus de ymagine vite.* Desinit fol. r. ut in editis.

212. *Ibidem*, cod. 80. chart. saec. XV. ineuntis. — Fol. 2. r. notatur: *Incipit Bona ventura. Flecto genua mea* etc.; etiam in fine additur: *Explicit Bona ventura. Deo gratias. Amen. Amen super omnia.* Ex hac rubrica in catalogo notatur: *Bonaventura de Gratiis.*

213. *Ibidem*, cod. 192. S. E. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 1. r. praemittitur opusculo: *Incipit prologus in Soliloquio Bone venture de quatuor exercitiis.* Desinit fol. 30. ut in editis.

214. *Ibidem*, cod. 257. S. E. membr. in 4. saec. XV. post medium. — Soliloquium incipit sine titulo fol. 86. r.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 109. r. ut in editione; hinc: *Finito libro sit laus et gloria Xto. Explicit Bona ventura. Deo laus, per manus Zwederi ter Weteringhe in Aestelredam.*

215. *Trecis*, bibliotheca Civitatis, cod. 1514. miscell. in 4. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 1. r. non numerato et desinit fol. r. cum sequenti additione: *Explicit dialogus Bonaventure, in quo anima devota meditando interrogat, et homo mentaliter respondet. Finitus die festi sanctorum Philippi et Iacobi Apostolorum, anno Domini millesima IIII.* (sic) *septuagesimo quinto.*

216. *Tridenti*, bibliotheca Civitatis, cod. 33. collect. Gentilotti, chart. in fol. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 2. r.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 17. r.; additur: *Explicit liber, cuius titulus est ymago anime vel lumen anime.*

217. *Valencenis* (Valenciennes in Gallia), bibliotheca Civitatis, cod. 179. chart. in 4. saec. XV. post medium. — Post alia opera fol. 203. r. Soliloquio praemittitur tantum: *Bonaventura*; folio vero 247. fini additur: *Explicit liber meditationum sive orationum domini cardinalis et doctoris Bonaventure, qui imago vite eterne nominatur.*

218. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 4209. chart. in fol. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 246. r.: *Flecto genua mea* etc., protrahitur usque ad fol. 252. v., ubi deficit verbis cap. 1. n. 30: *per peccatum originale eras bonis spiritualibus et naturalibus exspoliata, potestati principis...* Cetera fuerunt avulsa.

219. *Ibidem*, cod. 1997. membr. in 8. saec. XV. — Fol. 1. r. alia manus exaravit: *Soliloquium Bona venture, vel imago vite eterne.* Desinit fol. 38. v. ut in editione, hinc scriptor addidit: *Finito libro sit laus et gloria Xto.*

220. *Ibidem*, cod. 3711. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 184. r.: *Incipit liber meditationum sive orationum domini cardinalis ac doctoris Bonaventure, qui intitulatur ymago vite.* Desinit fol. 204. r.; additur: *Explicit liber Bonaventure, qui intitulatur ymago vite eterne.*

221. *Ibidem*, cod. 4362. chart. in fol. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 246. r. sine ulla indicatione: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 265. r. cum additione: *Deo laus et gloria sit per infinita secula. Amen. Explicit ymago vite.*

222. *Ibidem*, cod. 1399. membr. in fol. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 191., omisso titulo: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 212. r. cum additione: *Explicit arra anime per manus Georii, anno Domini MCCCCXXIII. in die sancti Barnabe Apostoli.*

223. *Ibidem*, cod. 1773. membr. in fol. saec. XIV. — Opusculum incipit fol. 77. v.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 101. v. cum nota: *Explicit liber meditationum reverendissimi domini Bonaventure cardinalis et doctoris, qui imago vite eterne nuncupatur.*

224. *Ibidem*, cod. 1602. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 76. r. manus posterior praemisit opusculo hunc titulum: *Soliloquium beati Boneventure de quatuor mentalibus exercitiis.* Desinit fol. 88. v. ut in editis.

225. *Ibidem*, cod. 3412. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. — Fol. 237. r. occurrit titulus per verba: *Incipit liber meditationum sive orationum domini cardinalis et doctoris Bonaventure, qui imago vite nominatur. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 147. v. et post *Explicit* repetuntur eadem verba, quae in initio praemissa sunt.

226. *Ibidem*, cod. 846. membr. saec. XIV. — Soliloquium incipit fol. 22. r. a verbis cap. 2. n. 1.: *Converte igitur, o anima, radium contemplationis ad ea quae sunt iuxta te, hoc est ad mundum* etc. Desinit fol. 51. v. additis verbis: *Explicit liber dialogi anime vel hominis, seu liber ymaginis vite.*

227. *Ibidem*, cod. 4409. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 87. v.: *Incipit liber meditationum reverendissimi domini Bonaventure cardinalis et doctoris, qui imago vite eterne nuncupatur.* In fine, qui habetur fol. 107. r. eadem repetuntur.

228. *Ibidem*, cod. 4009. chart. in 4. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 121. r., omisso titulo: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 167. r. sine alia additione, et nullatenus operis auctor indicatur.

229. *Ibidem*, cod. 3986. chart. in fol. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 356. v., praemisso tantum: *Imago vite.* Desinit fol. 370. r. verbis: *Finis est huius libelli, qui imago vite dicitur et est compilatus per Iohannem Bonaventuram. Anno 59* (1459).

230. *Ibidem*, cod. 4164. chart. in fol. saec. XV. — Titulus huius opusculi est fol. 193. r. his verbis indicatus: *Incipit liber meditationum Bonaventure.* Finis occurrit fol. 207. v., additis verbis: *Explicit liber meditationum venerabilis doctoris et cardinalis Bonaventure et intitulatur imago vite eterne. Incipit registrum super eundem.*

231. *Ibidem*, cod. 4116. chart. in 8. parvo exaratus anno 1477. — Fol. 1. r. praemittitur Soliloquio haec rubrica: *Bonaventura de imagine vite.* Desinit fol. 76. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

232. *Ibidem*, cod. 4240. chart. in fol. saec. XV, de quo egimus supra pag. XXIII n. 265. Hoc opusculum incipit fol. 83. r. cum hac indicatione: *Imago vite. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

233. *Ibidem*, cod. 4348. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. 83. v. opusculo praemittitur. *Soliloquium sancti Bonaventure*, et fol. 125. r. additur: *Explicit Soliloquium sancti Bonaventure. Anno Domini 1496.*

234. *Ibidem*, bibliotheca Patrum Ordinis Praedicatorum, cod. I. a. 20. chart. et membr. in fol. saec. XV. ineuntis. — Hoc opusculum est mutilum in principio et intitulatur: *Soliloquium domini cardinalis et doctoris Bone Venture.* Desinit fol. non numerato ut in editis.

235. *Ibidem*, bibliotheca privata Imperatoris, cod. 7949. miscell. in 8. saec. XV. — Fol. 1. r. in superiore margine

praemittitur titulus his verbis: *Soliloquium Bone Venture*, et fol. 44. r. fini additur: *Explicit, flecto genua*.

236. *Voravii*, bibliotheca Canoniae, cod. LXVIII. chart. saec. XV. — Circa finem voluminis fol. r. non numerato praemittitur opusculo: *Prologus libri, qui dicitur ymago vite. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. v. ut in editis.

237. *Ibidem*, cod. CCCI. chart. in 4. saec. XV. (1447). — Opusculum est fol. r. non numerato sub hoc titulo: *Incipit liber meditationum sive orationum domini cardinalis et doctoris Bonaventure, qui ymago vite nominatur.* Desinit fol. v. cum editione.

238. *Ibidem*, cod. CCCXXVIII. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 116. r. coaeva manus in superiore margine inscripsit: *Liber meditationum domini cardinalis et doctoris Boneventure.* Prima manus praemiserat tantum haec verba: *Incipit liber de ymagine vite;* et in fine fol. 181. v. addidit: *Explicit liber de ymagine vite.*

239. *Wismariae* (Weimar) in Germania, bibliotheca Ducalis, cod. Q. 42. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 89. r. opusculo praemittitur: *Liber imago vite.* Sic et in fine fol. 121. v.: *Explicit imago vite*, omisso nomine auctoris.

240. *Wolfenbutae*, bibliotheca Ducalis, cod. 419. Helm. chart. in fol. saec. XV. — Fol. non numerato r.: *Incipit prologus in libellum, qui intitulatur de occupatione devotorum.* Hinc notantur haec alia: *Iste libellus de diversis dictis sanctorum extractus et collectus, qui potest appellari occupatio devotorum, habens in se quatuor distinctiones.* Sequitur prologus, sed diversus ab edito. Desinit fol. ultimo codicis: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

241. *Ibidem*, cod. 615. Helm. miscell. in 4. saec. XV. circa medietatem. Hoc opusculum habet initium fol. 31. r. sub rubrica: *Incipit libellus, qui intitulatur imago vite.* Desinit fol. 56. r., addito: *Explicit imago vite*, sine nomine auctoris.

242. *Ibidem*, cod. Helm. 900. chart. in 4. saec. XV, de quo verba fecimus supra pag. XXIV n. 274. — Fol. XXVI. v. est initium huius opusculi sub titulo: *Incipit occupatio devotorum. Iste libellus de diversis dictis sanctorum estractus, qui potest appellari occupatio devotorum.* Etiam in fine, qui occurrit fol. XLVII. r., additur: *Explicit liber appellatus occupatio devotorum.*

243. *Ibidem*, cod. Helm. 1277. chart. in 12. saec. XV. — Fol. r., non numerato: *Incipit dialogus interioris hominis et animae secundum Bonaventuram.* Desinit fol. r. ut in editis; hinc: *Explicit dialogus interioris hominis et anime domini Bonaventure.*

244. *Ibidem*, cod. Helm. 1284. membr. in 12. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. r. non numerato circa medium voluminis sine ullo titulo et desinit fol. 3. ante ultimum ut in editis; addito simpliciter: *Explicit ymago vite.*

245. *Ibidem*, cod. Helm. 1128. chart. in 8. parvo saec. XV. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus Bone venture de quatuor exercitiis hominis et anime. Hec est materia totius huius libri. Primo ponit auctor auctoritates Sanctorum* etc., ut supra in codice Berolinensi pag. XXVII n. 20. Desinit in cap. 4. n. 20. ad verba: *mors est potius dicenda quam vita. Ipse enim...* Vide pag. 63 notam 4.

246. *Wratislaviae*, bibliotheca Civitatis, cod. I. IX. fol. chart. saec. XV. — Fol. 1. r. praemittitur opusculo: *Ymago vite.* Fol. 21. Desinit cum hac additione: *Expliciunt dicta Guidonis, ut quidam volunt, de ratione et anima.* Alia vero manus eiusdem antiquitatis, praedictis verbis deletis, substituit: *Explicit liber meditationum, sive orationum domini cardinalis et doctoris Bonaventure, qui ymago vite eterne nominatur.*

247. *Ibidem*, cod. N. XIII. membr. in fol. saec. XIV. — Titulus huius opusculi est fol. 20. r.: *Incipit liber, qui dicitur imago vite humane, multum consolatorius.* Desinit fol. 37. r. verbis: *Explicit imago vite humane.*

248. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, class. I. cod. 162. miscell. in fol. saec. XV. — Fol. 57. r. Soliloquio praemittitur: *Incipit liber, qui dicitur ymago vite.* Desinit fol. 68. r.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

249. *Ibidem*, class. I. cod. 26. chart. in 8. saec. XV. — Soliloquium complectitur fol. 1. usque ad 60. v., sed in initio plurima desunt. Finis occurrit fol. 60. v. ut in editis auctoris nomen prorsus tacetur.

250. *Ibidem*, cod. I. class. in fol. 286. chart. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 141. v. hoc titulo: *Ymago vite Boneventure.* Desinit fol. 160. v. hac conclusione: *Et sic est finis libri meditationum domini cardinalis et doctoris Boneventure, qui ymago vite eterne dicitur. Anno Domini M CCCC XI.*

251. *Ibidem*, cod. I. class. in fol. 293. chart. saec. XV. ineuntis. — Fol. 193. v.: *Incipit liber Boneventure meditationum, domini cardinalis, qui ymago vite eterne nuncupatur.* Desinit fol. 215. r.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

252. *Ibidem*, cod. I. class. in fol. 197. chart. saec. XIV. — Soliloquium est fol. 79. v. sub titulo: *Liber meditationum Boneventure.* Desinit fol. 95. v. sub conclusione: *Explicit liber meditationum sive orationum domini cardinalis et doctoris Bone venture, qui ymago vite eterne nominatur.*

253. *Ibidem*, cod. I. class. in 4. 63. chart. saec. XV. ineuntis. — Alia manus eiusdem aetatis praemisit opusculo hanc rubricam: *Soliloquium domini Boneventure cardinalis Ordinis Minorum Ministri generalis.* Desinit fol. non numerato v. ut in editis.

254. *Ibidem*, cod. I. class. in 4. 111. chart. saec. XV. — Soliloquium incipit absolute fol. 74. r.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 102, additis verbis: *Explicit liber meditationum domini cardinalis et doctoris Bonaventure, qui dicitur ymago vite eterne.*

255. *Ibidem*, cod. I. class. in 4. 132. miscell. saec. XV. — Opusculum Soliloquii incipit sine titulo fol. 140. v.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 174. r. ut in editis; cui scriptori addere placuit: *Expliciunt dicta Guidonis, ut quidam volunt, de ratione et anima.*

256. *Ibidem*, cod. I. class. in 4. 134. chart. saec. XV. — Fol. 213. v. legitur: *Sequitur Hugo de arra anime et primo prologus. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 231. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen. Explicit secundum quosdam Guido: in exemplari certum auctorem non reperi; igitur secundum Senecam* (vide supra n. 97.) *non quis, sed quid dicitur attende.*

257. *Ibidem*, cod. I. class. in fol. 116. chart. saec. XIV. exeuntis. — Soliloquium incipit fol. 69. r. sine titulo, desinit folio 85. r. ut in editione, additur: *Explicit liber meditationum sive orationum domini cardinalis Bonaventure, qui ymago vite nominatur.*

§ 3. **Opusculum III. Lignum vitae.**

a. Hoc opusculum, quod incipit: Christo confixus sum cruci, ipse Oudinus (Comment. de scriptor. ecclesiast., tom. III. col. 407, ed. Lipsiae 1722), censet esse « non indignum Doctore seraphico ob gravitatem et dictionem Latinam »; Sbaralea vero (Supplement. ad scriptores Ord. Min.), editores Veneti (tom. I, Diatriba) et Bonelli (Prodrom. col. 560) recte asserunt, illud esse certo genuinum; quod evidentissime demonstrant et ipsa praeclari libri indoles et auctoritas tot infra relatorum codicum, qui quasi uno ore auctorem eiusdem esse Bonaventuram attestantur. In codicibus titulus *Lignum vitae* interdum omittitur, vel alia verba pro eo substituuntur, ut *Arbor crucis*, vel *Tractatus de arbore crucis*, sive *Arbor vitae*, vel *Fasciculus myrrhae*, vel *Contemplatio de passione Domini* et similia. Teste Sbaralea (loc. cit.), etiam editio sine loco et anno (quam ille putat esse Venetam an. 1487) est inscripta *De Iesu Christi vita contemplatio*. Haec, ut idem asserit, « haud parum differt ab Argentoratensi aliisque subsequentibus », de quo, quia eandem non vidimus, iudicare non possumus.

b. In prologo satis insinuatur, ab auctore fuisse libello praefixam quandam picturam arboris vitae delineatam, quam idem verbis accurate describit. Talis imago etiam in pluribus codicibus et in editionibus habetur magis minusve artificiose facta. Perpulcra est magna huius arboris imago, quae exornat parietem refectorii Conventus Florentini *Santa Croce*, quae praeter alias figuras etiam auctorem repraesentat S. Bonaventuram. De pictore huius artificii nobis non constat, cum nonnulli illud tribuant Francisco de Volaterra (circa an. 1350), alii vero Petro Gerino (circa an. 1380). Alia non dissimilis figura huius arboris habetur Darmstadii, biblioth. Ducalis, in cod. 1777. fol. 44, infra in elencho codicum n. 65. descripto. Obiter notamus, utramque hanc imaginem arte photographica expressam exhiberi in 2. editione egregiae versionis huius libelli germanicae, quam publicavit celeber bibliopola Herder, Friburgi an. 1888.

Nos simplicem huius arboris adumbrationem opusculo praefigi curavimus, quae fideliter interpretatur descriptionem eiusdem in prologo (n. 2. seqq.), pro qua recte intelligenda quaedam notare iuvat. Vocabulum *versiculorum* ibi significat integram *stropham* quatuor versuum; et in prima serie *(de origine et vita* Salvatoris) ex utraque *trunci* parte duo repraesentantur *rami*, quorum quilibet inscriptas habet duas strophas, id est octo versus cum floribus et duobus fructibus. Hinc prima series in summa habet 16 versus cum 4 fructibus, qui in ipso opusculo explicantur et proponuntur meditanda. Verba prologi: *secundum ordinem alphabeti*, non accipienda sunt, quasi litterae initiales versuum habeant ordinem alphabeticum, sed quia in primitiva figura isti quatuor fructus, scilicet *praeclaritas originis, humilitas conversationis* etc., litteris A B C D distincti et indicati erant. In pictura quam exhibemus arboris hae litterae desunt; satis tamen fructus ipsa sua figura indicantur. Eadem dicenda sunt de serie secunda *(passio)* et tertia *(glorificatio)*. Hinc arbor tota habet in 12 strophis 48 versus, qui 48 capitula meditationum distinguunt. His addendae sunt tres aliae strophae, quarum prima in ipso prologo ponitur, totam libelli materiam generatim insinuans verbis: *O crux, frutex salvificus* etc. Aliae duae strophae in prologo his verbis (n. 5.) satis indicantur: « Per quam (crucem) sancti Spiritus caritas in cordibus devotis nutritur et septiformis gratia diffunditur, *sicut in supremis et postremis versiculis postulatur* ». Unde patet, in primitiva adumbratione super capite arboris scriptas fuisse duas illas strophas, quas nos fide plurium codicum tantum posuimus in fine prologi (n. 6.): *His nos ciba fructibus* etc. In editionibus et non paucis codicibus hi octo versus exciderunt (cfr. pag. 69, nota 7.). Sed certissime sunt genuini, cum non tantum fide optimorum codicum probentur et verbis modo allegatis insinuentur, sed insuper perfecte respondeant illae orationi pro obtinendis septem donis Spiritus S., quae totum opusculum concludit (vide pag. 86 n. 49). Probabile est, sanctum auctorem omnes memoratos 60 versus seu 15 strophas plene scripsisse tantum in ipsa arboris figura, non seorsim. Hoc supposito, facile explicari potest, tum quod duae ultimae strophae scriptae supra arborem exciderint in illis codicibus, qui arborem vel omnino non delineatam habebant, ut in plurimis adhuc superstitibus codicibus accidit, vel imperfecte tantum, tum quod codd. A C W Z loco 48 versuum, qui recte materiam meditationum indicant, solummodo duodecim et quidem ab aliis differentes exhibeant. De vero numero versuum capitula indicantium minime potest dubitari, cum in omnibus codicibus et editionibus tantum 48 capitula meditanda proponantur, versusque ad haec capitula et capitula ad versus manifeste referantur et invicem se comprobent. — Ceterum secundum intentionem auctoris hi versus debuerunt non tam hymnum poeticum formare quam materiam meditandam memoriae facilius imprimere.

c. *Lignum vitae* illo et sequentibus saeculis tam placuit, ut non solum tot msc. et editionibus vulgatum, sed etiam ab aliis auctoribus acceptum et ampliatum sit. Infra in elencho codicum n. 39. relatus est cod. Aurelianensis, qui textum triplo maiorem habet quam editiones. — Porro liber ille Fr. Ubertini de Casali, famosi Spiritualium antesignani, qui inscribitur *Arbor vitae crucifixae Iesu*, non tantum principalem ideam operis mutuatus est a libello Bonaventurae, sed etiam complures versus aliaque multa ex hoc vel aliis operibus eiusdem. Exempli gratia, post duplicem prologum tractatus Ubertini sic incipit cap. 1: *Iesus, ex Deo genitus. Cum audis Iesum ex Patre genitum*, scil. omnipotente Deo aeterno... *cave, ne mentis tuae oculis aliquid carnalis contagionis* [in textu Bonav. *cogitationis*] *occurrat, quin potius columbino et aquilino intuitu simpliciter crede ac perspicaciter contemplare, quod in illa* etc. Verba litteris italicis impressa verbotenus sumta sunt ex *Ligno vitae*. Sequitur ibidem longior explanatio de Trinitate, quae praecipue fundatur verbis S. Bonaventurae sumtis ex Breviloquio (libr. I. c. 2. n. 3.), quod scilicet fides « dictat de Deo esse sentiendum altissime et piissime » etc., quae Ubertinus verbotenus recitat. Et idem reperitur aliis in locis. Ubertinus in suo libro pro 48 versibus habet 150, quorum 28 sumti sunt ex Bonaventura. Expositio Ubertini dogmatica et ascetica cum multis excursibus acerbis contra corruptelas cleri suae aetatis ac Religiosorum, praesertim Ordinis Minorum, implet tomum in folio et habet quinque libros; non pauca etiam affert non exigui momenti pro historia S. Francisci et Ordinis eius. Hoc opus in genere suo notabile auctor in prologo asserit, se composuisse in Monte Alvernae an. 1305, et addit: « Non plus quam trium mensium et septem dierum vel circa spatium in scribendo totum librum... occupare me permisit » Deus; quod sane est mirandum, licet illud tempus aliquorum mensium intervallo interruptum

fuerit. Auctor non indicat expressis verbis, se versus aliaque sumsisse ex Bonaventura; dicit tamen (ibidem) versiculos « *ex aliorum dictis et a Christo Iesu mihi immissis* compereram (sic!) ad Christi vitae faciliorem recolligendo memoriam et praesentis status miseriam cordialiter deplorandam ».

De aliis similibus expositionibus vitae Christi notatu digna est notitia aliqua, quae in quodam codice bibliothecae Universitatis Barcinonensis (Catal. 1°. n. 3. santos padres, cod. arm. 1°-2-15, chart. in fol. saec. XV.), cum quo convenit alius cod. bibliothecae Universitatis Taurinensis, membr. saec. XIV. in fol. (cod. Ct. IV. 35.), a quodam anonymo praefixa est codicis operi. In primo codice legitur fol. 1: « Sequitur prima rubrica libri sequentis. Et est sciendum, quod dominus Bonaventura fecit primum opus de vita Christi et durat circa duas manus (sic) papyri ». Observandum est hic, his verbis posse significari, etiam opus extensum, quod habetur inter spuria opuscula S. Bonaventurae cum titulo *Meditationes de vita Iesu Christi,* sed etiam *Lignum vitae,* quia magis respondet spatio papyri et operi Ubertini. — « Secundo, quidam Carthusiensis addit multa et sic fecit secundum opus de vita Christi, et durat circa octo manus papyri. — Tertio, venit Ubertinus et addidit quatuor manus, et sic sunt duodecim manus. — Quarto venit quidam Caelestinus Ordinis Caelestinorum Monasterii Parisiensis, qui meliora et flores totius operis et (ita in utroq. cod.) composuit quartum librum sive quartum opus, quod sequitur. Et est optimum pro personis devotis et maxime pro illis qui volunt facere sermones. Et istud durat circa duas manus papyri, et est opus noviter factum, prout patet in sequentibus ».

« In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Incipit prologus orationum in vita Domini nostri Iesu Christi. Saepe rogatus sum, ut, quomodo simplex Religiosus debeat potissime quantum ad interiorem hominem se habere et tempus, quod extra necessarias occupationes sibi restat, expendere, aperirem... Hoc modicum opusculum faciat me incipere, mediare et finire. Amen. Explicit prologus, incipit intentio. — Igitur attendens, quod lectio divina, meditatio et oratio faciunt mentem Deo iugiter inhaerere » etc. — In cod. Taurinensi post prologum sequitur tabula rubricarum, quae sunt 132. Ex utroque codice constat, auctorem huius opusculi, quod vocatur *Orationarium,* esse Ordinis Caelestinorum et saeculi XIV.

Scriptum secundo loco nominatum, quale opus fuerit, certo determinare non possumus. Non tamen improbabile est, illud esse, de quo agitur in cod. bibliothecae Capituli Toletani in Hispania, sign. Caion 21. N U M. 34. in 8. saec. XV. Ibi folio 1. r. legitur: « Incipit prologus libri, qui intitulatur *Rosarium Iesu et Mariae.* — Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Canticorum 1. Praedilecte in Christo pater, cuius nomen scribere necessitas non urget; cum secundum venerabilis Fr. Ubertini de Ordine Minorum, doctoris eximii, quem inter doctores moderni temporis iudicio meo divina irradiatio amplius irradiavit, et caelestis devotio abundantius inflammavit, sententiam et doctrinam, in secundo prologo libri sui, qui intitulatur *De arbore crucifixae vitae Iesu,* nihil gratius poteris facere » etc. Deinde dicit auctor: « Homo aridus et indevotus ac dissolutus frater sum solo nomine et habitu *Carthusiensis* ». In margine citantur saepe auctores, ut Bonaventura eiusque varia opera, praesertim *Vitis mystica.*

d. Porro, de versibus huic opusculo annexis nonnulla observanda sunt. Inveniuntur enim hi non raro in codicibus separatim, sine ipso opusculo, interdum in forma genuina, interdum vero in forma non parum aucta et mutata. Genuina forma habetur in bibliothecae Regiae Berolinensis codice (Mss. theol. Latin. 31. in fol.); eandem, sed incompletam, ex alio codice edidit Mone (Lateinische Hymnen des Mittelalt., tom. I pag. 152), quin ipsum Bonaventurae libellum noverit. Aliae formae auctae et diversimode mutatae inveniuntur in msc. codicibus et etiam in editis. Unam sic mutatam recensionem habes, benevole lector, in Additamento infra (pag. 86) ex quodam codice biblioth. Laurentianae (Florentiae) a nobis transcriptam; aliam et differentem edidit Bonelli (Supplem. etc., tom. III. col. 1161) habentem 19 strophas cum 76 versibus, quarum prima stropha pro *Cuius flos aromaticus* substituit *Quem flos exornat fulgidus;* secunda stropha est: Iesus, Rex Regis Filius — Iesus, de Deo natus — Iesus promissus Patribus — Iesus, praefiguratus. Similiter et sequentes strophae non parum a genuinis differunt. Eadem recensionis forma invenitur Darmstadii, biblioth. Ducali, in cod. n. 2777. fol. 43. seq. — Ab his diversa est illa recensio, quam idem Mone (loc. cit., pag. 150) ex quodam codice bibliothecae Karlsruhe edidit, habentem 20 strophas cum 80 versibus, cuius prima stropha convenit cum ea, quam Bonelli publicavit, secunda vero est: Iesus, de Patre genitus — Iesus, liber signatus — Iesus, Sanctorum Dominus — Iesus, desideratus. Sequentes etiam strophae in multis differunt ab aliis praedictis. Eadem recensio exhibetur in tribus codicibus biblioth. Monacensis Regiae, scil. in codd. Lat. 15312, 7488, 11430. — Omnes memoratae recensiones et fortasse etiam aliae habent mutato ordine plurimos versus communes cum genuinis, alii depromti sunt ex illis duodecim versibus, quos ex codd. C W Z, infra pag. 70, nota 1 referimus.

Manifestum est, diversas has versuum recensiones esse derivatas ex uno fonte primitivo, qui non potest esse nisi ea recensio, quae omnium aetate antiquior est atque respondet partibus et capitulis ipsius *Lignum vitae,* cuius authenticitas et integritas fere 200 codicum auctoritate et aliis invictis rationibus comprobatur. Insuper haec forma, accuratius examinata, omnes alias recensiones valore et congruitate interiore omnino vincit ac sola cum expositione libelli convenit. Hinc supersedendum nobis esse putamus ab ulteriore examine rationum, quibus vir quidam doctus motus, dubium esse vult, an versus in editionibus tanquam Bonaventuriani allati eidem sint tribuendi. Hic enim vir in recensione quadam memoratae huius libelli versionis germanicae (apud Herder, Friburgi 1886), quam inseruit foliis periodicis *Christliche Akademie,* Prag., 12. Iahrg. n. 1, potius verisimile esse putavit, dictos 60 versus excerptos esse ex anteriore et longiore cantico, quod praesentat cod. Darmstadiensis vel etiam ex illo quod est in libro *Arbor vitae crucifixae Iesu* a Fr. Ubertino an. 1305 composito. — Sed praeter iam dicta hanc hypothesim penitus evertunt illi codices, qui iam saeculo XIII. exarati sunt.

e. Postremo referendum esse duximus, devotos hos versus S. Bonaventurae iam saec. XIII. vel saltem XIV. notis musicalibus ad cantandum adaptatos esse. Hoc referunt chronica Fr. Bartholomaei Aquensis O. Praed., asservata Taurini, biblioth. Universitatis in cod. G II 34, membr. saec. XIII. vel XIV. Ibi fol. 57. legitur: « Illo etiam tempore floret Bonaventura,

magnus frater in Ordine Fratrum Minorum et bonus clericus et devotus Crucifixo. Qui posuit passionem Iesu in cantilena fletus sequentiae, quae sic currit: *O crux, fructex salvificus* etc., et in qualibet clausula replicatur: *O crux* etc. Require, alibi habes ». Supersunt in codicibus adhuc duae melodiae antiquae et inter se differentes. Unam invenimus in codice iam citato bibliothecae Berolinensis (MS. lat. Oct. 31. fol. 72.), et haec est magis simplex et adest versibus genuinis; altera artificiosior et memoratae recensionis longioris versibus accommodata habetur in dicto codice bibliothecae Darmstadiensis (n. 2777.); haec ad strophas cantici replicat primam stropham, ut dicit citatus Fr. Bartholomaeus Aquensis. Utraque melodia notis ipsorum codicum et etiam nostra aetate communibus expressa et etiam harmonice modulata habetur in secunda editione memoratae versionis germanicae, ad quem libellum antiquae musicae studiosum remittimus.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Civitatis (olim sacri Conventus), cod. membranaceus in folio parvo saeculi XIV. ineuntis, de quo locuti sumus tom. V. pag. XVII n. 1. — Hoc opusculum inscribitur: *Lignum vite seu Crucis Bonaventure.* Incipit: *Christo confixus sum Cruci. Verus Dei cultor* etc. Desinit ut in editis: *per crucem tuam petimus obtinere, cui cum Patre et Spiritu sancto omnis sit honor et gloria, gratiarum actio, decus et imperium, per infinita secula seculorum. Amen. Explicit liber et tractatus de Ligno vite fratris Bone venture. Deo gratias. Amen.* In hac nostra editione signatur littera A.

2. *Ibidem*, cod. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis sign. n. 28. — Post alia fol. 187. r. legitur: *Incipit prologus venerabilis fratris Bonaventure in tractatum de Ligno vite. Xto confixus sum Cruci* etc. Desinit fol. 192. v. ut in editis; additur: *Explicit tractatus venerabilis fratris Bonaventure de Ligno vite.*

3. Cum hoc cod. prorsus convenit alius eiusdem bibliothecae, chartaceus in fol. saec. XV. — Incipit et desinit ut editus. Fini subiicitur: *Explicit tractatus de Ligno vite sive de Cruce, fratris Bone venture cardinalis de Ordine Fratrum Minorum, per ipsum ordinatus et compositus, in XII ramis sive capitulis superscriptis bene et ordinate dispositus.* — Uterque comprehenditur sub litt. B.

4. *Ibidem*, cod. membr. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit tractatus fratris Boneventure super arborem de compassione Xti, Lignum vite in medio paradisi. Xto confixus sum Cruci* etc. Etiam in fine additur: *Explicit arbor Bone venture.* Sequuntur versus: *His nos ciba fructibus* etc., quos vide infra pag. 69 n. 6. Sign. C.

5. *Balneoregii*, bibliotheca Seminarii, cod. chart. saec. XV. exeuntis sine ulla nota. — Post alia sub nomine Bonaventurae habet fol. v. non numerato: *Tractatus Bonaventure de arbore Crucis. Xto crucifixus sum cruci* etc. Desinit fol. r.: *Deo gratias ac beate Virgini. Explicit tractatus fratris Bonaventure de Arbore a se facta.* Sign. F.

6. *Claris Aquis*, in archivo nostri Collegii, cod. membr. in fol. parvo saec. XIV, quem descripsimus supra pag. X n. 1. Hoc opusculum incipit fol. 26. r. sub rubrica: *Arbor Crucis edita a fratre Bonaventura de Ordine Fratrum Minorum.* Desinit fol. 35. v. verbis: *Decus et imperium per infinita secula seculorum. Amen.* Sign. bb.

7. *Cortonae* in Etruria, bibliotheca Communalis, cod. 209. chart. saec. XV. iam descriptus tom. V. pag. XXVII n. 1. — Fol. 100: *Incipit liber domini Bonaventure, qui dicitur liber ligni vite, in quo agitur de vita, passione et glorificatione Domini nostri Iesu Christi.* Desinit fol. 123. ut in editis. Sign. dd.

8. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, Plut. XIX. Dext. cod. 10. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis. — Fol. 191. v. alia manus praemisit opusculo: *Arbor* ✠ *Xti.* Desinit fol. 208. r.; additur a prima manu: *Explicit tractatus libri Ligni vite a venerabili ministro generali Fratrum Minorum, fratre Bonaventura compositus.* Sign. E.

9. *Lovanii* in Belgio, bibliotheca Universitatis, cod. modo $\frac{15}{a}$., olim: *Liber Canonicorum regularium in Bethlem iuxta Lovanium.* — Lignum vitae incipit fol 93. r. et desinit fol. 104. Post finem additur: *anno 1487.* Sign. L.

10. *Magdeburgi*, bibliotheca Civitatis, cod. XII. oct. 25. chart. saec. XV. — Hoc opusculum occurrit fol. 55. r. sub sequenti titulo: *Incipit liber, qui intitulatur Lignum vite, editus a venerabili ac devoto magistro Bonaventura cardinali ac quondam ministro generali Ordinis Minorum.* Desinit fol. 73. r., addito: *Explicit Lignum vite patris Boneventure.* Sign. ee.

11. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 7781. membr. in 8. saec. XV. — Fol. v.: *Incipit expositio super Lignum vite magistri fratris Iohannis Bonaventure. Xto confixus sum cruci* etc. Desinit ut in editis fol. 44. r. Sign. M.

12. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 9805. chart. in 4. iam descriptus tom. V. pag. XXIII n. 133. — Operi praemittitur fol. 106. v.: *Tractatus de arbore crucis*, et in fine fol. 134. v. additur: *Explicit tractatulus beati Bonaventure de arbore Crucis.* Sign. N.

13. *Ibidem*, cod. 11430, de quo diximus tom. V. pag. XXII n. 127. — Hoc opusculum incipit fol. 269. v. sine ullo titulo, desinit fol. 279. per verba: *Explicit opusculum fratris Bonaventure plenum omni devotione de XII fructibus Ligni vite.* Sign. O.

14. *Ibidem*, cod. 13102. membr. in 4. saec. XIV, ut iam innuimus tom. V. pag. XVII n. 15. — Incipit opusculum Ligni vitae fol. 178. v. et desinit fol. 188. r. per omnia ut praecedens, cui forsan fuit exemplar. Alia manus in fine addidit: *Anno MCCCLXXXIV.* Sign. P.

15. *Ibidem*, cod. 14831 chart. 8. saec. XV. — Incipit hoc opusculum fol. 53. sub hac rubrica: *Fasciculus mirre beati Bernardi.* Manus posterioris aevi correxit: *Bonaventure.* Desinit fol. 95. v.: *in secula seculorum. Amen. Et sic est finis.* Sign. Q.

16. *Ibidem*, cod. 15312. chart. in fol. saec. XV. — Post alia opera fol. 196. v. est titulus sic expressus: *Incipit contemplatio Bone venture de passione Domini.* Desinit ut in editis fol. 208. r. Sign. R.

17. *Ibidem*, cod. 9598. membr. in 8. XIV. circa medietatem, iam descriptus tom. V. pag. XLVI n. 2. — Initium opusculi est fol. 100. r. sub titulo: *Incipit Lignum vite Bonaventure*, finis vero est fol. 111. v. ut in editis. Sign. S.

18. *Ibidem*, cod. 21232. membr. in 4. saec. XV, ut iam scripsimus tom. V. pag. XXVII n. 6. — Opusculum incipit fol. 134. r. sub rubrica: *Lignum vite*, sine auctoris nomine; desinit fol. 141: *per infinita secula seculorum. Amen.* Sign. T.

19. *Ibidem*, cod. 23444. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis. — Titulus huius opusculi est fol. 177. v. sic exaratus: *Incipit Lignum vite fratris Bonaventure.* Desinit fol. 198. r. ut in editis. Sign. U.

20. *Ibidem*, cod. 5861. chart. in fol., de quo locuti sumus tom. I. pag. LXVII n. 17. — Opusculum Ligni vitae incipit fol. 218. r. praemisso tantum: *Bonaventura.* Desinit fol. 229. r. per verba: *Explicit opusculum fratris Bone venture plenum omni devotione de XII fructibus Ligni. Deo gratias. Anno 1447.* Sign. cc.

21. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. VI. D. 33. membr. in 4. saec. XV. ineuntis. — Post alia opera fol. 61. v. est sequens rubrica: *Sequitur fascicularius mirre magistri Bonaventure sacre pagine professoris generalis Ministri Ordinis Fratrum Minorum, postmodum sacrosancte Romane Ecclesie cardinalis, in quo de vita et passione et glorificatione Xti devote tractatur.* Desinit fol. 86. v. sine ullo additamento. Sign. V.

22. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. membr. saec. XIII. sign. n. 14976, de quo egimus supra pag. XI n. 18. — Fol. 2. r. legitur: *Incipit Lignum vite*, omisso auctoris nomine. Eadem repetuntur in fine post *Explicit*, fol. 18. r. post medium. Sign. G.

23. *Ibidem*, bibliotheca Mazarrinea, cod. 902, de quo vide quae diximus supra pag. XX n. 196. — Fol. 1. r. legitur post titulum: *Lignum vite: Incipit tractatus doctoris seraphici beati Bonaventure, qui Lignum vite vocatur.* Desinit fol. 13. r. per verba: *Explicit Lignum vite doctoris seraphici sancti Bonaventure, cuius sublimitas, commoditas et utilitas inter cuncta sua opera non infimum locum tenet, cuius et descriptio hic apparet et Ecclesiae auctoritas ipsum vite Lignum nobilissimum declarat. Cunctis quippe prerogativis huius Sancti posthabitis in speciale insigne arborem hanc eidem Sancto tribuit.* Sign. H.

24. *Ibidem*, bibliotheca Nationalis, cod. 2975. membr. in 8. saec. XIV. — Post alia opera fol. 145. est sequens rubrica nigris litteris et a prima manu exarata: *Incipit prologus in vitam et descriptionem Domini nostri Iesu Xti ab eterno et usque in eternum, edita a bone memorie fratre Bonaventura generali Ministro Ordinis Fratrum Minorum, sicut sibi fuit ab ipso Domino Iesu Xto interna inspectione crucifixi tam mirabiliter quam misericorditer inspirata. Xto confixus sum* etc. Desinit fol. 198. ut in editis. Eodem charactere additur: *Pro magistro Guidone de Versaillez.* Alia manus prosequitur immediate: *Ipse, presentem librum donavit Ecclesie Meldensi in Aprili anno MCCCCLXVII.* Sign. I.

25. *Romae*, bibliotheca Principum Barberinorum, cod. XI. 4. membr. in 8. parvo saec. XIII. exeuntis. — Initio opusculi nonnulla desunt, quia vetustate corrosa. Desinit ut in editis. Additur in fine: *Explicit tractatus de arbore salutifere Crucis a domino Boneventura compositus ad laudem et gloriam redemptoris nostri Iesu Xti. Deo gratias.* Sign. D.

26. *Ibidem*, bibliotheca Principum Corsinorum, cod. XL. E. 8. membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. — Opusculum est sub rubrica: *Incipit tractatus* etc. Desinit ut in editis. Sign. aa.

27. *Tuderti* in Umbria, bibliotheca Conventus S. Fortunati, cod. 174. membr. saec. XIV, de quo egimus tom. V. pag. XXXII n. 120. — Opus Ligni vitae incipit fol. 101. v.: *Christo confixus sum* etc. Desinit fol. 117. v. ut editio. Sign. W.

28. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 140. membr. in 8. parvo, saec. XIV. — Fol. 414. r. sub rubrica: *Incipit tractatus de Cruce fratris Bonaventure.* Desinit fol. 436. v. post medium. Sign. X.

29. Tandem recensemus codicem quendam a possessore nobis mutuatum et nunc in hoc nostro Collegio asservatum, membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 1. r. est sequens rubrica: *Incipit liber de Ligno vite a fratre Bonaventura Ordinis Minorum Generali Ministro editus. Xto confixus sum* etc. Opus decurrit usque ad fol. 20. v. et verba: *quo mentis nostre contuitus illustretur*, parum ante finem; cetera fuerunt avulsa Sign. Z.

Hi codices repraesentant duas distinctas familias, quarum differentia in eo principaliter consistit, ut iam supra diximus, quod codd. A C W Z et ed. 1. non referunt in decursu opusculi nisi duodecim versus, qui infra pag. 70, nota 1. impressi sunt, unde isti materiam quasi in 12 capitula distinguunt loco 48 distinctionum aliorum codicum et nostrae editionis. Sed ista divisio non convenit cum prologo, qui in omnibus codicibus est idem, ut iam observatum est in cod. L (vide pag. 70, in fine notae 1.). Praeterea illi 12 versus nec sententias partium, quibus inscripti sunt, exprimunt, nec 12 fructus designant. Licet igitur memorati codices antiquitate excellant et plerumque bonum textum exhibeant, hanc familiam non possumus censere ut repraesentantem S. Doctoris primitivum textum. Hinc etiam quaedam mutationes et additamenta, quae in codicibus eiusdem familiae occurrunt praesertim in principio suorum 12 capitulorum, in textum non erant recipienda, quia non sunt nisi consequentiae necessariae mutati numeri capitulorum.

Collatio 29 codicum protulit incredibilem variantium lectionum farraginem, quam in notis totam referre inutile et taediosum fuisset. De ratione seligendi eas et idoneas in textum recipiendi et in notis referendi, vide quae infra pag. 68, nota 1. dicta sunt.

II. Codices a nobis non collati.

30. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Communalis (olim Conventus sancti Francisci), cod. 131. membr. in 8. saec. XIV. — In indice contentorum hoc opusculum notatur sub n. 6. hoc modo: *Liber de Ligno Crucis Domini Bonaventure, non tamen completus.* Antiqua vero manus praemittit initio hanc rubricam: *Incipit tractatus de Ligno Crucis fratris Bonaventure. Xto confixus sum* etc. Desinit in cap. *Iesus Iudaeis proditus*, in hac nostra editione n. 19.

31. *Audomari* (Saint Omer) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 134. chart. in 4. saec. XVI. ineuntis. — Fol. 194. r.: *Incipit praefatio in tractatum de Ligno vite. Xto confixus sum Cruci* etc. Desinit fol. 206. v.: *gratiarum actio, decus et imperium per...*, ultima verba desunt.

32. *Ibidem*, cod. 356. chart. in 12. saec. XVI. — Fol. 6. r. est sequens rubrica: *In Lignum vite sancti Bonaventure praefatio. Verus Dei cultor* etc. Desinit fol. r., in fine: *per infinita secula seculorum. Amen.*

33. *Augustae* Taurinorum, bibliotheca Universitatis, cod. F. V. 18. chart. in folio saec. XV. — Post alia opera fol. 99. r. legitur: *Sequitur expositio ramorum arboris. Expergiscere proinde.* Desinit fol. 110. v. per verba: *Explicit tractatus de Ligno vite editus a fratre Bonaventura. Ad laudem omnipotentis et totius curie celestis. Amen.*

34. *Augustae Trevirorum*, cod. 774. progress. 573. membr. in 12. saec. XV. — Fol. 2. r.: *Incipit tractatus fratris Bonaventure cardinalis de Ligno vite et de fructibus eius. Prologus.* Desinit fol. r. ut in editis. Hinc fol. v. legitur: *Explicit tractatus de Ligno vite editus a fratre Bonaventura duce et generali Magistro Fratrum Minorum, cardinali, sacre theologie doctore eximio.*

35. *Ibidem*, cod. 276. progress. 685. chart. in 8. — Fol. 9. r.: *Incipit tractatus de Ligno vite editus a fratre Bonaventura duce et generali Ministro Fratrum Minorum, cardinali episcopo tituli Albanensis et sacre theologie doctore eximio.* Desinit fol. v. addita hac nota: *Finitus hic tractatus anno Domini 1456. 25. die mensis Martii, ante festum Pasche, in hebdomada Letare.*

36. *Ibidem*, cod. 666. progress. 775. chart. in 8. saec. XV, de quo locuti sumus tom. V. pag. XXXII n. 144. — Hoc opusculum est fol. 25. v. sub rubrica: *Incipit prologus in libro de vita et conversatione Domini nostri Iesu xti, quem fecit Bonaventura frater Ordinis Minorum.* Desinit fol. 37. v.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

37. *Ibidem*, cod. 853. progress. 580. membr. in 8. saec. XV. — Fol. 15. r.: *Incipit prologus in librum de vita et conversatione Iesu xti, compositum per fratrem Bonaventuram Ordinis Minorum. Xto confixus sum cruci* etc. Desinit fol. 35. r. ut in editis.

38. *Ibidem*, bibliotheca Seminarii, cod. R. VII. 3. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 8. r. praemittuntur opusculo eadem prorsus verba, quae habet cod. praecedens. Desinit fol. 29. r.: *per infinita secula seculorum. Amen. Explicit sermo doctrine Bon.*

39. *Aureliis* (Orleans) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 190. chart. in 8. saec. XV. — Continet opusculum de Ligno vitae secundum ideam sancti Bonaventurae, servatis iisdem titulis, sed reliqua valde sunt ampliata. Incipit sine titulo et sine nomine auctoris: *Iesus Xtus heri et hodie.*

40. *Ibidem*, cod. 166. membr. in 4. saec. XV, de quo cod. locuti sumus supra pag. XII n. 33. — Initium huius opusculi est fol. non numerato r. sub titulo: *Incipit tractatus de arbore Crucis a fratre Bonaventura cardinali compilatus.* Desinit fol. r.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

41. *Avenione* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 253. chart. saec. XV. — Initium opusculi est fol. 2. sic expressum: *Incipit prologus in libro de vita et conversatione Domini nostri Iesu xti a sancto Bonaventura.* Desinit fol. 26. r. ut in editis.

42. *Ibidem*, cod. 215. membr. saec. XV. exeuntis. — Fol. 43. r. in superiore margine opusculo praemittitur sequens rubrica: *Incipit liber vite spiritualis, videlicet de arbore crucis, compilatus a fratre devotissimo Bonaventura. Xto confixus sum cruci* etc. Explicit fol. 63. r. verbis: *per infinita secula seculorum. Amen.*

43. *Basileae*, bibliotheca Publica, cod. B. X. 26. membr. in 12. plurium aetatum. — Hoc opusculum est exaratum saec. XV. ante medium, incipit fol. 4. v. sine titulo: *Xto confixus sum cruci* etc., et implet folia 14 cum dimidio. Fini subiicitur: *Explicit tractatus Bonaventure, generalis quondam Ministri Ordinis Fratrum Minorum, de Ligno vite.*

44. *Brugis*, bibliotheca Civitatis, cod. 303. membr. saec. XIV. exeuntis. — Fol. non numerato r. scribitur: *Incipit prefatio in libro Ligni vite*, omisso nomine auctoris. Desinit fol. v.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

45. *Brunopoli* (Braunschweig), bibliotheca Civitatis, cod. 117. chart. in 4. — Fol. r. non numerato praemittitur huic opusculo: *Incipit Lignum vite, quod fecit frater Bonaventura.* Desinit fol. v. ut in editis. Hinc: *Explicit Lignum vite, quod fecit frater Bonaventura. Anno Domini MCCCLXIIII. est completus.*

46. *Ibidem*, cod. 141. chart. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. 30. v. posterior manus praemisit opusculo: *Incipit tractatus de Religione*, sed antiqua notaverat a latere: *Incipit tractatus de Ligno vite*, eademque notantur in fine fol. 56. r. post verbum *Explicit*, omisso nomine auctoris.

47. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 2057-62. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Lignum vitae incipit fol. non numerato r. sine ulla indicatione, et sic pariter desinit post 16 folia.

48. *Ibidem*, cod. 1181-3. membr. in 12. — Incipit fol. non numerato his verbis: *Bonaventura de arbore Crucifixi.* Desinit fol. ultimo cod. cum hac additione: *Explicit tractatus de Ligno vite compositus a fratre Bonaventura Generali Fratrum Minorum. Anno Domini 1454. mensis Septembris die 12.*

49. *Ibidem*, 19610. membr. in 12. saec. XIV, de quo verba fecimus supra pag. XIII n. 50. — Fol. 8. v.: *Incipiunt laudes sanctissime crucis.* Post quas fol. 10. r. praemittitur: *Assit principio sancta Maria. Incipit praefatio in opere sequenti. Xto confixus sum Cruci* etc. Desinit fol. 25. v., ubi adduntur haec verba: *Explicit Lignum vite, quod fecit Bonaventura Generalis Minister Fratrum Minorum. Detur scriptori non sine laude mori.*

50. *Burdigalae* (Bordeaux) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 111. membr. in 4. saec. XV. — Est titulus huius opusculi fol. 252. r. sub sequenti rubrica: *Incipit prologus in libro de Ligno vite, fratris Bonaventure, de Ordine Minorum.* Desinit fol. 202. r. ut in editis.

51. *Ibidem*, cod. 311. membr. in 8. saec. XIV. — Hoc opusculum incipit sine ullo titulo fol. 149. r.: *Xto confixus sum cruci* etc. Desinit fol. 160. v.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

52. *Campolitii* (Lilienfeld) in Austria, bibliotheca Monasterii Ordinis Cisterciensium, cod. 137. iam descriptus tom. V. pag. XXVIII n. 24. — Hoc opusculum est fol. 285. sub hac indicatione: *Incipit liber eiusdem de Ligno vite.* Desinit fol. 290. v. cap.: *Iesu, victor magnificus*, ad verba: *tradentur in manus gladii partesque vulpium erunt.* Vide infra pag. 84 n. 43.

53. *Cantabrigiae*, bibliotheca Universitatis, cod. F. f. VI. 24. membr. in 12. saec. XV. — Fol. 93. r. in superiore margine legitur: *Incipit tractatus de arbore salutifere crucis Domini nostri Iesu Xti a domino Bonaventura compositus. Et primo ponitur prologus.* Fol. 123. r. desinit his verbis: *Explicit tractatus de arbore sancte crucis. Sequitur laus salutifere*

crucis eiusdem, cum petitione septem donorum Spiritus sancti. O crux fructex salvificus etc.

54. *Ibidem*, bibliotheca domus sancti Petri, cod. 2. 0. 7. membr. in fol. saec. XV. — Fol. 268. v.: *Incipit prologus venerabilis Bonaventure de Ligno vite.* Eadem verba occurrunt in fine opusculi fol. 216. v. post *Explicit.*

55. *Carolopoli* (Charleville) in Gallia, cod. 16. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. non numerato post alia opera est hoc opusculum indicatum his verbis: *Incipit liber de vita et conversatione Domini nostri Iesu Xti.* Hinc, omisso textu Scripturae: *Verus Dei cultor Xtique discipulus* etc. Desinit ut in editis. In fine huius folii leguntur haec verba: *Iste liber fuit perscriptus anno Domini M. CCCXXXVII. in festo B. Gengulphi.*

56. *Colmariae*, bibliotheca Civitatis, cod. membr. in 8. saec. XV. olim Monasterii Parisiensis, de quo egimus supra, pag. XIII n. 58. — Opusculum hoc incipit fol. 2. r. sine titulo, verbis: *Xto confixus sum cruci* etc. Desinit fol. 20. r. ut in editis.

57. *Ibidem*, cod. 15. chart. in 16. saec. XV. — Initium huius opusculi est fol. 45. r. his verbis expressum: *Incipit arbor meditationis fratris Boneventure de vita Christi.* Desinit fol. 74. hoc modo: *Explicit arbor meditationis de vita Christi, celebratissimi fratris domini Bonaventure Ordinis Minorum, apostolicae Sedis cardinalis per me fratrem Ioannem Hecht, anno Domini 1501.* Et infra: *Frater Paulus Provincialis Fratrum Ordinis sancti Pauli primi heremite, de sancta Cruce.*

58. *Coloniae*, bibliotheca Seminarii, cod. LIII. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 87. r.: *Incipit liber, qui appellatur Lignum vite. Xto confixus sum cruci* etc. Desinit fol. 101. r. per verba: *Explicit liber de Iesu, qui appellatur Lignum vite Bonaventure.*

59. *Cracoviae*, bibliotheca Universitatis Iagellonicae, cod. 1298. AA. I. 15, de quo vide supra pag. XIV n. 61. — Opusculum incipit pag. 390 sine titulo: *Xto confixus sum cruci* etc. Desinit pag. 416 ut in editis, inde subiicitur: *Explicit Lignum vitae Bone venture in nomine Domini nostri Iesu Xti. anno Domini MCCCCV.*

60. *Cremisani* (Kremsmünster) in Austria, bibliotheca Patrum Ord. S. Benedicti, cod. 231. membr. in fol. saec. XIV. post medietatem. — Fol. 37. r. est rubrica: *Incipit Lignum vite Bonaventure cardinalis.* Desinit fol. 52. v. verbis: *per infinita secula seculorum. Amen.*

61. *Ibidem*, cod. 277. membr. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Hoc opusculum incipit fol. 79. r. sub eodem titulo, quo praecedens, et desinit fol. 89. v. ut in editis, addito: *Explicit Lignum vite.*

62. *Darmstadiae*, bibliotheca Ducalis, cod. 2481. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 213. est rubrica his verbis expressa: *Incipit prologus in tractatum de Ligno vite. Xto confixus sum cruci.* Desinit fol. 230. r.: *Explicit tractatus venerabilis fratris Bonaventure de Ligno vite.*

63. *Ibidem*, cod. 1021. membr. in 4, quem descripsimus iam supra pag. XIV n. 66. — Fol. 54. r.: *Incipit tractatus de Ligno vite editus a fratre Bonaventura duce et generali Magistro Fratrum Minorum, cardinali episcopo tituli Albanensis et sacre theologie doctore eximio.* Desinit fol. 62. his verbis: *Finitus est hic liber anno Domini 1430. in completo, feria 4. ante festum Pasche, scilicet 12. die Aprilis.*

64. *Ibidem*, cod. 2662. chart. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus in libro de vita et conversatione Domini nostri Iesu Xti, qui appellatur Lignum vite, compilatus a fratre Bonaventura.* Desinit fol. 27. v. ut in editis. Hunc codicem notavimus etiam tom. V. pag. XXIX n. 35.

65. *Ibidem*, cod. 2777. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 45. r. legitur haec rubrica: *Laudes sancte crucis.* Est sequentia: *O crux, fructex salvificus*, notis musicis ornata pro cantu, quae decurrit usque ad finem eiusdem folii; inde opusculo praemittuntur haec verba tantum: *Assit principio sancta Maria meo. Xto confixus sum cruci* etc. Desinit fol. 51. v. his verbis: *Explicit Lignum vite, quod fecit Bonaventura Generalis Minister Fratrum Minorum. Detur scriptori non sine laude mori.*

66. *Ducumburgi* (Herzogenburg) in Austria, bibliotheca Canoniae, cod. 16. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Lignum vitae locum habet post alia fol. 143, praemisso: *Incipit contemplacio fratris Bonaventure de sancta cruce*, et desinit fol. 183. r.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

67. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, cod. 152. Gadd. membr. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Opusculum incipit fol. 1. r. sine titulo et sine nomine auctoris: *Xto confixus sum*, et sic pariter desinit fol. 71. r. Sequitur immediate quaedam devota oratio, quae incipit: *Scio, dulcissime Domine Iesu Xte, quod non sit speciosa laus in ore peccatoris* etc., et clauditur his verbis: *Placeat itaque bonitati tue de multitudine miserationum tuorum, conferre mihi peccatrici indigne memoriam devotam passionis tue, consummationem perfectam penitentie incepte in letissima societate tua et reverende Genitricis tue et sancti Francisci patris nostri et omnium Electorum. Qui vivis et regnas in secula seculorum. Amen.*

68. *Gandavi* (Gant) in Belgio, bibliotheca Civitatis, cod. 291-291. membr. in 12. saec. XV, quem etiam recensuimus tom. V. pag. XXIX n. 42. — Fol. 23. r.: *Incipit prologus in libro de vita et conversatione Domini nostri Iesu Xti, quem fecit Bonaventura frater Ordinis Minorum.* Desinit fol. 34. r.: *per infinita secula seculorum. Amen. Explicit.*

69. *Gedani*, bibliotheca Ecclesiae sanctae Mariae, cod. 62. progress. scrin. 294. chart. et ex parte membr. in fol. saec. XV. circa medietatem. — Fol. 111. r.: *Incipit prologus in opusculo fratris Bonaventure, quod dicitur Lignum vite.* Desinit fol. 119. r. addito: *Explicit Lignum vite.*

70. *Ibidem*, cod. 10. progress. scrin. 55. membr. in fol. saec. XV. circa medietatem, ut iam notavimus supra pag. XV n. 82. — Opusculum incipit fol. 141. r. sub titulo: *Lignum vite.* Desinit fol. 147. r. additis verbis: *Explicit Lignum vite*, sine nomine auctoris.

71. *Ibidem*, bibliotheca Civitatis, cod. XX. B. 360. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 190. r.: *Incipit lignum vite*, ac finit fol. 204. v.: *Explicit Lignum vite*, omisso etiam in hoc codice nomine auctoris.

72. *Gottvici* (Göttweig), bibliotheca Monasterii, cod. 292. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 15. r. est rubrica: *Tractatus domini Boneventure de Ligno vite vel de arbore crucis. Xto confixus sum cruci.* Desinit fol. 166. r. ut in impressis.

73. *Graecii*, bibliotheca Universitatis, cod. 577. chart. in fol. saec. XV. — Fol. r. non numerato praemittitur huic opusculo: *Incipit Lignum vite.* Desinit fol. v. ut in editis: *per*

infinita secula seculorum. Amen. Hinc additur: *Explicit Lignum vite*, omisso, ut in principio, auctoris nomine.

74. *Gripswaldiae*, bibliotheca Rubenon in Ecclesia S. Nicolai, cod. E. 38. VIII. chart. in fol. saec. XV, de quo egimus etiam supra pag. XXX n. 74. — Titulus huius opusculi est fol. 87. v. sic expressus: *Incipit Boneventura in librum Lignum vite.* Desinit fol. 96. r. his verbis: *Explicit Bonaventura de Ligno vite.*

75. *Hafniae* in Dania, bibliotheca Regia, cod. 1367. in 4. chart. saec. XV. — Lignum vitae incipit fol. 1. r. sine titulo: *Xto confixus sum*, et desinit fol. 11. v. ut in editis; additur sequentia: *O crux, fructex salvificus.*

76. *Ibidem*, cod. 3393. in 8. chart. saec. XV. exeuntis, de quo locuti sumus supra pag. XXX n. 80. — Fol. 122. v.: *Incipit tractatus sancti Bonaventure, qui vocatur: Lignum vite.* Eadem repetuntur in fine post *Explicit*, fol. 149.

77. *Hallae*, bibliotheca Universitatis, cod. theol. y. c. 2. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 36. r. in superiore margine praemittuntur opusculo haec verba: *Incipiunt meditationes Bone venture de dulcissimo nomine Iesu xti.* Hinc: *Xto confixus sum cruci.* In fine fol. 73. r. additur: *Expliciunt meditationes Bone venture.*

78. *Hamburgi*, bibliotheca Civitatis, cod. theol. II. pag. 61 n. 5. in 8. chart. saec. XV. iam descriptus tom. V. pag. XLIV n. 19, de quo vide et supra pag. XXX n. 77. — Titulus huius opusculi est fol. 63. r. sic expressus: *Incipit tractatus eiusdem sancti Bonaventure de arbore crucifixi.* Desinit fol. 88. r.: *Finit tractatus de arbore Crucifixi.*

79. *Hannoverae*, bibliotheca Civitatis, cod. theol. 21. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 42. v.: *Incipit arbor vite venerabilis Bonaventure.* Desinit fol. 53. v.: *Explicit tractatus de Ligno vite editus a fratre Bona ventura generali Ministro Fratrum Minorum.*

80. *Heidelbergae*, bibliotheca Universitatis, cod. Schrank VIII. n. 43. chart. in 4. saec. XV. circa medietatem, ut iam notavimus supra pag. XV n. 96. — Fol. 144. r. in superiore parte legitur: *Incipit prologus in Lignum vite Bone venture.* Post prologum iterum: *Incipit liber.* Desinit fol. 163.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

81. *Leodii*, bibliotheca Seminarii maioris, cod. 6. L. 19. miscell. in 12. saec. XV. — Fol. 5. r. incipit sub hac rubrica: *Bonaventura de arbore Crucifixi. Xto confixus sum cruci* etc. Decurrit per folia 33 et desinit cum hac additione: *Explicit Bonaventure tractatulus de arbore Crucifixi, tractans compendiose de vita, passione et glorificatione Xti, paucis et ordinatis et correspondentibus sibi verbis compactus propter facilitatem memorie, ad fovendam devotionem et edificandam fidei pietatem. Deo gratias.*

82. *Lipsiae*, bibliotheca Paulina Universitatis, cod. 726. membr. in fol. saec. XIV. — Fol. 132. r.: *Incipit Lignum vite Bone venture.* Opusculum decurrit usque ad fol. 138. r., ubi desinit verbis: *Explicit Lignum vite Bone venture.*

83. *Ibidem*, cod. 864. membr. in 8. saec. XIV. — Lignum vitae incipit fol. r. non numerato a rubrica: *Iesus promissus Patribus. Expergiscere proinde, anima xto devota* etc. Prosequitur ut in editis, deinde sequitur prologus in principio omissus, sine ulla alia indicatione tituli vel auctoris.

84. *Londini*, collectio Harleana, cod. 3227. membr. in 4. saec. XV. exeuntis. — Titulus huius opusculi est fol. 27. v. exaratus: *Incipit tractatus fratris Bonaventure de Ligno vite.* Desinit fol. 47. v.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

85. *Ibidem*, cod. 3995. membr. in 4. saec. XV, de quo egimus et tom. V. pag. XXII n. 104. — Incipit hoc opusculum fol. 43. r. sine ulla indicatione: *Xto confixus sum cruci* etc.; sic pariter desinit fol. 50. v.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

86. *Ibidem*, cod. 1801. membr. in 8. saec. XIV, ut descripsimus tom. V. pag. XXII n. 106. — Fol. 63. v. manus posterioris saeculi scripsit: *Incipit meditatio sive contemplatio fratris Bonaventure.* Desinit fol. 73. r. ut in editis et infra repetuntur eadem, quae supra.

87. *Ibidem*, collectio Regia, cod. 11. B. III. membr. in 4. saec. XIV. ineuntis. — Opusculum incipit fol. 281. r. sub titulo a posteriore manu exarato: *Compilatio de actibus Xti secundum Bonaventuram.* Hinc: *Verus Dei cultor* etc. Desinit fol. 289. r. ut in editis.

88. *Ibidem*, collectio Arundeliana, cod. 507. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r. legitur a prima manu exaratum: *Incipit expositio XII ramorum Ligni vite. Xto confixus sum Dei* (sic) *cruci* etc. Desinit fol. 10. r.: *per infinita secula seculorum. Amen.* Alia folia huius opusculi sunt scripta saeculo XIV, alia vero saeculo XV.

89. *Ibidem*, collectio Cottoniana, cod. Vespasianus E. I. membr. saec. XV. — Fol. 204. r.: *Tractatus contemplativus de Cruce Xti, quem frater de Bona fortuna composuit.* Desinit fol. 219. r. ut in editione.

90. *Ibidem*, cod. additionalis 15404. Musaei Brittannici iure emptionis, miscell. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Fol. r. rubris litteris praemittitur: *Incipit tractatus Bone fortune, qui intitulatur Lignum vite. Xto confisus sum cruci.* Desinit ut in editis fol. 18. v.

91. *Lovanii*, bibliotheca Universitatis, cod. 8. chart. in 4. saec. XV. post medium, iam descriptus tom. V. pag. XXII n. 109. — Initium huius opusculi est fol. 96. r. per haec verba expressum: *Bonaventura de arbore Crucifixi. Incipit prefatio. Xto confixus sum* etc. Finis vero occurrit fol. 117. v. ut in editis.

92. *Mantuae* in Italia, bibliotheca Civitatis, cod. 163. B. I. 18. membr. in 8. saec. XV. — Inter alia opuscula complectitur et *Lignum vite Bonaventure.* Incipit et desinit ut in editis.

93. *Medelcii*, bibliotheca Monasterii, cod. E. 42. chart. in 12. saec. XV. — Fol. 1. r.: *Incipit tractatus magistri Bone venture de arbore crucis et Ligno vite.* Etiam in fine fol. 14. r. additur: *Explicit liber de arbore sancte crucis vel Ligno vite Iesu xti.*

94. *Ibidem*, cod. H. 86. chart. in 12. saec. XV. — Opusculum notatur fol. 67. v. sub hac rubrica: *Incipit tractatus magistri Boneventure de arbore crucis et Ligno vite*; clauditur fol. 100. v. his verbis: *Explicit liber de arbore sancte crucis.*

95. *Ibidem*, cod. G. 19. chart. in 4. saec. XV. circa medium. — Incipit fol. 208. sub sequenti rubrica: *Liber iste intitulatur Lignum vite.* Desinit fol. 231. v.: *per infinita secula seculorum. Amen. Finis illius tractatus, qui dicitur Lignum vite.*

96. *Ibidem*, cod. Q. in 4. chart. saec. XV. — A fol. 203. r. usque ad finem fere omnia leguntur, quae in Ligno vitae

scripsit Bonaventura circa passionem Iesu Christi. Desinit n. 32. nostrae editionis, verbis... *deflentes senserunt. Amen. Et sic est finis huius opusculi finitum per Iohannem etc. XI. die mensis Ianuarii... anno ab incarnatione Domini 1422.*

97. *Merseburgi*, bibliotheca Ecclesiae cathedralis, cod. 29. chart. in fol. saec. XV. — Titulus est fol. 274. r. sequentibus verbis expressus: *Incipit opusculum fratris Boneventure, quod dicitur Lignum vite.* Desinit fol. 285. ut in editione.

98. *Metis* in Lotharingia, bibliotheca Civitatis, cod. 492. chart. in 8. parvo saec. XV. — Fol. 2. r. legitur: *Incipit Prologus in libro de vita et conversatione Xti, quem fecit Bona ventura. Xto confixus sum cruci* etc. Desinit fol. v. non numerato: *per infinita secula seculorum. Amen.*

99. *Moguntiae*, bibliotheca Publica, cod. 142. progress. LXXXII. chart. saec. XV. — Lignum vitae incipit fol. 83. r. praemissis tantum titulis capitum, desinit ut in edito, fol. 95. v.

100. *Ibidem*, cod. 156. progress. LXXXX. chart. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 9. r. sine titulo: *Xto confixus sum cruci.* Convenit cum edito tantum prologus, cetera dissentiunt.

101. *Ibidem*, cod. 563. progress. CCCXVII. chart. in 8. saec. XV, de quo egimus tom. V. pag. XXX n. 69. et supra pag. XXXIII n. 129. — Fol. 100. r. huic opusculo praemittitur: *Lignum vite incipit hic. Xto confixus sum cruci* etc. Desinit ut in editis fol. 132. r.

102. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 5014. chart. in fol. saec. XV, de quo verba fecimus tom. V. pag. XXX n. 72. et supra pag. XVIII n. 154. — Fol. 134. r. est titulus huius opusculi expressus: *Incipit tractatus domini Bonaventure de Ligno vite, alias de arbore crucis.* Desinit ut in editis fol. 168. v.

103. *Ibidem*, cod. 18650. chart. in fol. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 136. v. sub titulo: *Tractatus domini Bonaventure de Ligno vite vel de arbore crucis.* Desinit fol. 152. r.: *in secula seculorum. Amen.*

104. *Ibidem*, cod. 8496, de quo vide quae scripsimus tom. V. pag. XXIII n. 129. — Lignum vitae incipit fol. 122. r. sine ullo titulo, desinit fol. 142. v. verbis: *Explicit opusculum fratris Bonaventure, plenum omni devotione de duodecim fructibus Ligni. Deo gratias. Anno 1446. in Vigilia sancti Leonardi confessoris.*

105. *Ibidem*, cod. 8826. iam descriptus tom. V. pag. XXIII n. 132. — Opusculum incipit fol. 291. sub rubrica: *Lignum vite Bonaventure.* Desinit fol. 428. r. hoc modo: *Explicit Lignum vite Iesu xti Bonaventure.*

106. *Ibidem*, cod. 1329. chart. in fol. saec. XV. — Incipit fol. 112. r. titulo: *Fasciculus mirre;* hinc: *Xto confixus sum cruci* etc. Desinit fol. 120. r. ad verba: *donum fortitudinis, quo impugnantium hostium...* infra pag. 86 n. 49.

107. *Ibidem*, cod. 3702. chart. saec. XV. — Opusculum incipit absolute fol. 25. r.: *Xto confixus sum cruci* etc. Desinit ut in editis fol. 50. r. sine alia indicatione.

108. *Ibidem*, cod. 7488. chart. in fol. saec. XV. — Incipit hoc opusculum fol. 350. r. sub hac rubrica: *Bonaventura de XII fructibus Ligni vite.* Desinit fol. 363. r. addito: *Explicit opusculum Boneventure plenum omni devotione, de duodecim fructibus Ligni vite.* Sequitur: *O crux, fructex salvificus.*

109. *Ibidem*, cod. 8439. iam descriptus tom. V. pag. XXVIII n. 4. et supra pag. XI n. 8. — Fol. 166. r. est titulus huius opusculi sic exscriptus: *Incipit tractatus eiusdem fratris Bonaventure de Ligno vite. Proemium in opus sequens.* Desinit fol. 173. r.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

110. *Ibidem*, cod. 17319. chart. in 8. saec. XVI. — Fol. 87. v.: *Incipit tractatus sancti Bonaventure, qui vocatur Lignum vite.* Est prologus tantum, qui decurrit usque ad folium 88. v. et verba: *in duobus supremis et postremis versiculis postulatus. Et sic est finis prologi. Prosecutionem seu residuum huius tractatus quere in fine libri.*

111. *Ibidem*, cod. 23449. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 16. r.: *Incipit tractatus fratris Boneventure de Ligno vite. Prohemium in opus sequens.* Desinit fol. 33. v. ut editi; additur: *Explicit arbor de Ligno vite fratris Bone venture.* De hoc cod. locuti sumus etiam tom. V. pag. XXXIV n. 7.

112. *Monasterii* in Borussia, bibliotheca Paulina, cod. 345. membr. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. 21. r. est rubrica: *Incipit tractatus sancti Bonaventure, qui vocatur Lignum vite.* Eadem repetuntur in fine fol. ultimo codicis post *Explicit*, quibus additur: *Deo gratias.*

113. *Namurci* (Namur) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 104. miscell. in 4. saec. XV, de quo egimus supra pag. XXXIV n. 155. — Opusculum hoc incipit fol. 28. r., praemissa hac rubrica: *Lignum vite, quod composuit frater Boneventura Ordinis Minorum minister generalis et postmodum cardinalis.* Desinit fol. ultimo ut in editis.

114. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. V. F. 18. miscell. saec. XV. exeuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit Lignum vite.* Librarius posterioris aevi addidit: *sancti Bonaventure.* Desinit ut in editis.

115. *Neoburgi (Claustro)*, bibliotheca Canoniae, cod. 251. chart. in fol. saec. XIV. iam descriptus tom. V. pag. XLVII n. 13. — Opusculum de Ligno vitae incipit fol. 98. r. sine titulo et nomine auctoris et desinit fol. 106. r. ut in editis sine alio additamento.

116. *Ibidem*, cod. 800. membr. in 4. saec. XIV. — Titulus opusculi est fol. 52. v. his verbis expressus: *Incipit tractatus eiusdem fratris Bone venture de Ligno vite. Prohemium in opus sequens. Xto confixus sum cruci.* Desinit fol. 66. r. ut in editis.

117. *Ibidem*, cod. 944. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis, de quo egimus etiam supra pag. XXXIV n. 161. — Fol. 136. opusculo praemittitur rhythmus: *O Crux, fructex salvificus*, cum hac inscriptione: *Incipit de bono* (alia manus correxit *nomine) Iesu, factus et compositus per magistrum Bonaventuram Ordinis Fratrum Minorum.* Desinit ut in editis fol. 168. r. sine alia additione.

118. *Oeniponte*, bibliotheca Universitatis, cod. 193. membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. — Fol. 136. incipit cum hoc titulo: *Sermo Boneventure de arbore Ligni vite.* Clauditur fol. 146. v. his verbis: *Libro finito, sit laus et gloria Xto.*

119. *Olomutii* in Moravia, bibliotheca Regia, ms. II. h. 17. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. r. non numerato: *Incipit tractatus Bonaventure, qui dicitur Lignum vite.* Desinit ut in editione, additur: *Eodem anno, ut supra* (supra ad calcem operis praecedentis notatur annus 1492), *Sabbato ante Callixti pape et Martyris.*

120. *Ibidem*, ms. II. h. 18. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Opusculo praemittitur eadem rubrica, quae in praecedenti, et in fine post *Amen* additur tantum: *Feria secunda in die Conversionis sancti Pauli.* In fine anterioris operis legitur: *Finit feliciter per fratrem Benedictum, anno Domini millesimo quatrincentesimo nonagesimo quarto, feria sexta in die sancti Marci Evangeliste.*

121. *Ibidem*, bibliotheca Capituli metropolitani, cod. 222. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Opusculum incipit fol. 1. r. sine ullo titulo: *Xto confixus sum cruci.* Desinit: *per infinita secula seculorum. Amen. Amen. Amen.*

122. *Ibidem*, cod. II. g. 17. chart. in 4. saec. XV. ineuntis. — Circa finem voluminis fol. non numerato incipit hoc opusculum sine titulo et prosequitur ut in editis; ad calcem subiungitur: *Explicit libellus dictus Lignum vite*, tacito nomine auctoris.

123. *Oxonii* in Anglia, bibliotheca Bodleiana, cod. Canonic. 328. chart. in 4. — Fol. 1. r. legitur tantum: *Arbor Ligni vite;* hinc sequitur: *Xto confixus sum cruci* etc. Opusculum protrahitur usque ad fol. 18. v. et desinit ad verba: *nos omnes accepimus. Cui sit laus et gloria in secula seculorum. Amen. Explicit liber, qui dicitur Lignum vite, quem inseruit nobis egregius contemplator evangelice veritatis transportans ex silva Bonaventura Minorum. Anno Domini m. cccc. xlv. die 12. Iunii.*

124. *Ibidem*, ex collectione Rawlinsoniana, class. c. cod. 116. membr. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 87. r.: *Incipit meditatio de operibus Salvatoris secundum fratrem Bone aventure Ministrum generalem Fratrum Minorum.* Haec eadem repetuntur in fine, qui occurrit fol. 90. r.

125. *Ibidem*, bibliotheca Laudiana, cod. miscell. 181. iam descriptus tom. V. pag. XLIII n. 2. — Fol. 122. r. ab alia manu praemittitur opusculo haec rubrica: *Incipit liber Ligni vite, quem fecit frater Bonaventura.* Desinit fol. 131. v.: *per infinita secula seculorum. Amen.* Deinde rubris litteris additur: *Qui scripta sua dextera sit benedicta. Explicit expliceat, ludere scriptor eat.*

126. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 3473. miscell. in 4. saec. XV. — Fol. 80. est depictum lignum vitae ad modum arboris, cum omnibus ramis et fructibus, sed absque Cruce et crucifixo, opus est prorsus anonymum, sed convenit cum impresso.

127. *Ibidem*, cod. 10630. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 151. r. praemittuntur: *Laudes sancte crucis.* Inde: *Assit principio sancta Maria meo. Xto confixus sum cruci* etc. Post prologum iterum legitur: *Hic incipit explanatio prime et infime expansionis arboris, in qua Salvatoris origo describitur. Primus fructus. Preclaritas originis. Expergiscere anima* etc. Prosequitur usque ad fol. 159. r., ubi subiicitur: *Explicit Lignum vite, quod fecit Bonaventura generalis Minister Fratrum Minorum. Detur scriptori non sine laude mori.*

128. *Ibidem*, cod. membr. in 8. saec. XV, de quo vide supra pag. XX n. 193. — Fol. 15. v. legitur: *Sequitur tractatus de arbore crucis a fratre Bonaventura bone memorie compositus.* Desinit fol. 32. v. cum hoc additamento: *Explicit libellus de arbore Crucis compositus a fratre Bonaventura, cuius memoria sit in eternum.*

129. *Ibidem*, cod. 14978. miscell. in 4. saec. XV. — Fol. 115. r. a prima manu praemittitur: *Incipit prologus de vita et conversatione Iesu xti. Verus Dei cultor xtique discipulus* etc. Desinit fol. 132. v.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

130. *Perusii*, bibliotheca Communalis, cod. sine sign. chart. saec. XV. — Fol. 2. r. alia manus posterior praemisit: *Vita xti secundum Bonaventuram. Xto confixus sum cruci* etc. Desinit verbis: *per infinita secula seculorum. Amen.*

131. *Placentiae* in Italia, bibliotheca Civitatis, cod. Land. 77. membr. in 8. parvo saec. XIV. — Fol. 32. r.: *Incipit tractatus fratris Bonaventure super meditatione de arbore a se facta.* Posterior manus verbis *a se facta* substituit: *vite Domini nostri Iesu xti.* Desinit fol. 48. v.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

132. *Portu* in Portugallia, bibliotheca Municipalis, cod. 825. membr. in fol. saec. XIII, de quo locuti sumus tom. V. pag. XXIV n. 170. — Lignum vitae incipit fol. 109. r. sine ulla indicatione: *Xto confixus sum cruci* etc. Desinit fol. 112. v. ad verba pag. 75 n. 17: *Verum licet inexplicabilis fuerit proditoris impietas...* Cetera fuerunt avulsa.

133. *Pragae*, bibliotheca Universitatis, cod. XIVC. 24. membr. in folio. — Incipit hoc opusculum fol. 31. r. sine titulo: *Xto confixus sum cruci* etc. Et desinit fol. 42. r.

134. *Ibidem*, cod. I. F. 13. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis; in opere sequenti ab eodem librario exarato notatur: *Anno Domini MCCCLXXXIX.* — Hoc opusculum incipit fol. 28. r. sub titulo a manu posterioris saeculi exarato et desinit fol. 38. r., addito: *Explicit tractatus, qui dicitur Lignum vite*, alia manus posterior subiungit: *Sancti Bonaventure.*

135. *Ibidem*, bibliotheca Capituli metropolitani cod. O. XXI. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 26. r.: *Incipit liber Bonaventure, qui dicitur Lignum vite, et est valde pulcher et utilis.* Desinit fol. 40. v., addito tantum: *Explicit Lignum vite Bonaventure.*

136. *Ratisbonae*, bibliotheca Civitatis, cod. N. 351. chart. in 8. saec. XV. — Incipit fol. r. sub rubrica a prima manu praemissa: *Tractatus Boneventure cardinalis de vita xti.* Desinit fol. v. cum hac additione: *Finis tractatus, xto confixus sum.*

137. *Regimontii*, bibliotheca Universitatis, cod. 1144. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Hoc opusculum est fol. v. non numerato hac sub rubrica: *Incipit contemplatio fratris Bone venture de cruce sancta.* Desinit ut in editis.

138. *Remis* in Gallia, bibliotheca Publica, cod. F. 474-475. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 237. r. incipit opusculum sine titulo: *Xto confixus sum cruci*, et desinit fol. 243. v.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

139. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. Urbin. 121. membr. in fol. saec. XV, ut notavimus tom. V. pag. XXIV n. 181. — Fol. 282. r. est titulus: *Arbor quaedam Bonaventure Ordinis Minorum feliciter incipit.* Hinc omisso textu Scripturae prosequitur: *Verus Dei cultor xtique discipulus* etc. Desinit fol. 288. v.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

140. *Ibidem*, bibliotheca Casanatensis, cod. D. VI. 12. — Recens manus praemisit opusculo: *D. Bonaventura in commendationem sanctissimi nominis Iesu.* Incipit et desinit ut in editione.

141. *Ibidem*, bibliotheca principum Corsinorum, cod. XLI. E. 28. membr. saec. XIV. — Fol. 140. v. est rubrica: *Incipit*

liber Bonaventure de Balneo regio Ordinis Minorum, qui dicitur liber Ligni vite, in quo agitur de vita, passione et glorificacione Domini nostri Iesu Xti. Incipit prologus. Desinit fol. 159. v. ut in editione.

142. *Ibidem,* bibliotheca Vaticana, cod. 1058. membr. in 8. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 26. v. legitur: *Incipit prologus in librum Ligni vite Bone Venture. Verus Dei cultor* etc. Post prologum habetur: *Oratio Bone venture. Oramus igitur,* quae in editis est ad calcem opusculi. Desinit fol. 41. r. per verba: *nos omnes accepimus. Explicit vita et conversatio Domini nostri Iesu Xti.*

143. *Ibidem,* bibliotheca Collegii S. Isidori, cod. chart. in 12. saec. XV. exeuntis. — Fol. 3: *Incipit liber editus a Domino Bonaventura de Ligno vite.* Desinit fol. 24: *ad laudem sanctissimi nominis tui, cui cum Patre* etc.

144. *Ibidem,* bibliotheca Vaticana, cod. Reginae Sueciae 62. membr. saec. XIV, de quo egimus et tom. V. pag. XXIV n. 188. — Opusculum incipit sine titulo fol. 163. v. per verba: *Verus Dei cultor* etc. Desinit fol. 181: *per infinita secula seculorum. Amen.*

145. *Sancti Floriani,* bibliotheca Canonicorum regularium, cod. XI. 285. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 169. v.: *Incipit tractatus fratris Bonaventure de Ligno vite. Prohemium in opus sequens;* et fol. 184. v.: *Explicit arbor de Ligno vite fratris Bonaventure.*

146. *Sancti Galli,* bibliotheca Monasterii, cod. 988. chart. in fol. saec. XV. — Pagina 142 incipit opusculum, omissa rubrica: *Xto confixus sum cruci.* Desinit pag. 151 per haec verba: *Explicit Lignum vite, in die sancti Antonii confessoris precipui. Anno Domini 1467 in Ravenspurg.*

147. *Ibidem,* cod. 680. chart. in 4. saec. XV. — Pagina 343 pro titulo opusculi legitur:

« En, Lignum vite vocor et fructus fero vite,
I prius ex esse reperitur copia Ihesu ».

Xto confixus sum Cruci etc. Desinit pag. 371 verbis editionis: *per infinita secula seculorum. Amen.*

148. *Ibidem,* cod. 925. in 4. chart. saec. XV. — Pagina 40 in superiore parte legitur: *Rubrica. Prologus Domini fratris Bonaventure in librum eius, qui intitulatur Lignum vite, cuius figura hic describitur.* Sequitur ut in editis prologus et rhythmus: *O crux, fructex salvificus.*

149. *Ibidem,* cod. 945. chart. in 4. saec. XV. — Pagina 17 praemittitur opusculo: *Sermo Boneventure de arbore Ligni vite. Xto confixus sum cruci* etc. Desinit pag. 47 verbis editionis, quibus additur: *Explicit sermo.*

150. *Sancti Pauli* in Carinthia, bibliotheca Monasterii, cod. Hospital. 15. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 229. r. in parte superiore praemittitur opusculo: *Incipit Lignum vite.* Hinc: *Xto confixus sum cruci* etc. Desinit fol. 138. v.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

151. *Stamsii* (Stams) in Tiroli, bibliotheca Patrum Ord. Cisterciensium, cod. membr. in folio, numero vacat. — Opusculum hoc incipit fol. 77. r. sine ullo titulo: *Xto confixus sum cruci* etc. Desinit fol. 93. r.; hinc additur: *Et sic habet finem sermo fratris Bonaventure de arbore Ligni vite etc. Anno 1459 completus est sermo iste per me Hermannum decanum in Zurzuch, sexta feria pasce* (sic) *post horam vespertinam.*

152. *Stutgardiae,* bibliotheca Regis privata, cod. ascet. 187. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 78. r.: *Incipit tractatus de arbore vite Bonaventure.* Finem habet fol. 85. v. ut in editis.

153. *Suessionibus* in Gallia, bibliotheca Publica, cod. 113. chart. in 8. parvo, saec. XV. miscellaneus. — Fol. r. non numerato: *Incipit tractatus de arbore salutifere crucis a fratre Bonaventura compositus. Xto confixus sum cruci* etc., ad calcem eadem repetuntur post *Explicit,* quibus additur: *Deo gratias.*

154. *Traiecti* ad Rhenum, bibliotheca Academiae, cod. 288. chart. in 4. saec. XV. — Fol. r. non numerato alia manus eiusdem aevi opusculo praemisit: *Bonaventura de Ligno vite.* Deinde: *Xto confixus sum cruci.* Desinit fol. v.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

155. *Ibidem,* cod. 398. chart. in 8. saec. XV. — Post alia opera fol. r. non numerato est titulus huius opusculi exaratus: *Incipit prologus in libro de vita et conversatione Domini nostri Iesu Xti, qui appellatur Lignum vite, compilatus a fratre Bonaventura.* Desinit fol. penultimo codicis ut in editis.

156. *Trecis,* bibliotheca Civitatis, cod. 1397. miscell. in 4. saec. XV. — Fol. 215. r. est titulus opusculi a prima manu exaratus: *Incipit tractatus de arbore crucis a fratre Bonaventura bone memorie compositus.* Eadem leguntur in fine, qui occurrit fol. 227. v., ubi additur: *Ad laudem et honorem Domini nostri Iesu Xti crucifixi.* Sequuntur tituli ad instar schematis ordinati.

157. *Ibidem,* cod. 1891. membr. in 8. plurium aetatum. — Hoc opusculum est saec. XIV. et habet initium fol. 267. r. sub hac rubrica: *Incipit tractatulus Bonaventure de arbore Ligni vite. Xto confixus sum cruci* etc. Desinit fol. 282. v.: *per infinita secula seculorum. Amen. Explicit arbor de vita Iesu Xti.*

158. *Tridenti,* bibliotheca Civitatis, collect. Gentilotti, cod. 240. membr. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. v. non numerato: *Incipit liber crucis editus a Bonaventura Generali Fratrum Minorum, egregio doctore sacre theologie. Xto confixus sum cruci* etc. Desinit fol. ultimo codicis v. verbis: *per infinita secula seculorum. Amen. Explicit. Deo gratias.*

159. *Turonibus* (Tours) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 519. in 8. saec. XV, quem etiam descripsimus tom. V. pag. XXXII n. 121. — Hoc opusculum incipit fol. 21. r., cui praemittuntur eadem, quae habentur supra n. 23. in codice Parisiensi. Desinit folio 37. v. ut in editis.

160. *Vindobonae* in Austria, bibliotheca Palatina, ms. 1650. membr. in 4. saec. XIV. — Incipit hoc opusculum fol. 1. r. sine ulla nota, et desinit fol. 16. v., ubi alius scriptor addidit: *Magister Bonaventura.* De hoc codice locuti sumus etiam supra pag. XXIII n. 256.

161. *Ibidem,* ms. 3711. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 204. r. post alia opera est sequens rubrica: *Incipit liber Bonaventure, qui intitulatur Lignum vite eterne.* Eadem repetuntur in fine fol. 214. r. Hic cod. iam notatus est supra pag. XXIII n. 257.

162. *Ibidem,* ms. 4362. chart. in fol. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 222., omisso titulo: *Xto confixus sum cruci.* Desinit absolute fol. 231. v. Quaedam de hoc cod. iam diximus supra pag. XXXVII n. 221.

163. *Ibidem*, ms. 4031. chart. in 4. saec. XV, ut notavimus supra pag. XXIII n. 258. — Fol. 76. r.: *Incipit tractatus magistri Bonaventure de arbore crucis et Ligno vite.* Desinit fol. 88. v.: *Explicit tractatus magistri Bonaventure de arbore crucis et Ligno vite in Vigilia beati Benedicti 1452.*

164. *Ibidem*, ms. 4487. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 255. r. legitur: *Sequitur tractatus de Passione domini Bonaventure et dicitur Lignum vite.* Eadem repetuntur in fine, qui occurrit fol. 273. r.

165. *Ibidem*, ms. 1062. membr. in 4. saec. XIV, de quo egimus tom. V. pag. XXXIII n. 126. — Lignum vitae incipit fol. 112. r. sine ullo titulo et desinit fol. 117. r. per verba: *decus et imperium per infinita secula. Amen.*

*166. *Ibidem*, ms. 2511. membr. in 8. saec. XIV, quem descripsimus tom. V. pag. XXXIII n. 128. et supra pag. XXIII n. 262. — Titulus huius opusculi est fol. 116. v. expressus: *Incipit tractatus eiusdem fratris Bonaventure de Ligno vite. Prohemium in opus sequens. Xto confixus sum cruci* etc. Desinit fol. 128. r.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

167. *Ibidem*, bibliotheca Conventus sanctissimae Trinitatis Minorum Conventualium, cod. III. chart. in fol. saec. XV. ante medium. — Fol. non numerato, praemissa sequentia: *O Crux, fructex salvificus*, ponitur rubrica: *Compilacio domini Boneventure de vita et passione Xti, ac de eius glorificatione per similitudinem arboris.* In fine opusculi additur: *Explicit Lignum vite fratris Bonaventure de Ordine Fratrum Minorum.*

168. *Ibidem*, bibliotheca Patrum Ord. S. Benedicti dict. Scotorum, cod. 53. b. 13. (304) chart. in 4. saec. XIV. — Circa medietatem voluminis fol. v. non numerato: *Incipit Lignum vite Bonaventure cardinalis Ordinis Fratrum Minorum.* Opusculum prosequitur ut editi, ad calcem subiicitur: *Explicit tractatus peroptimus seu opusculum de arbore crucis, Ligno vite scilicet domini Bonaventure cardinalis Ordinis Minorum, doctoris pereximii.* Notandum vero, quod verba, quae praecedunt et sequuntur opusculum, exarata fuerunt a manu saeculi XV.

169. *Ibidem*, bibliotheca Imperatoris privata, cod. 7949. chart. in 8. saec. XV. iam supra notatus pag. XXXVII n. 235. — Fol. 140. v.: *Incipit liber arboris etc. Boneventure de Balneo regio.* In fine fol. 186. v. additur: *Explicit tractatus de Ligno vite fratris Boneventure.*

170. *Ibidem*, cod. 7936. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 1. r. in superiore margine manus posterioris saeculi praemisit opusculo: *Incipit tractatus Boneventure de Ligno vite.* Desinit fol. 44. v.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

171. *Venetiis*, bibliotheca sancti Marci, cod. class. VI. 4. membr. in 12. saec. XV. circa finem. — Fol. 179. incipit opusculum, omisso prologo, a rubrica: *Iesus, ex Deo genitus. Patrem siquidem misericordiarum* etc. Desinit fol. 196. v. verbis: *qui super te in omni plenitudine requievit. Amen.*

172. *Wolfenbutae*, bibliotheca Ducalis, cod. 452. Helm. chart. in 4. saec. XV, de quo egimus tom. V. pag. XXXIII n. 134. — Fol. 102. v.: *Incipit liber, qui dicitur Lignum vite.* Desinit fol. 110. r.: *Explicit arbor Crucifixi*, omisso auctoris nomine.

173. *Ibidem*, cod. 243. Extrav. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 1. r. est titulus huius opusculi verbis: *In nomine domini nostri Iesu Xti incipit expositio arboris vite composita a fratre Bon* (ceterae litterae nominis fuerunt abrasae) *Ordinis Fratrum Minorum. Xto confixus sum cruci* etc. Singulis in titulis praefigitur imago depicta, ipsis respondens. Desinit fol. 19. r. verbis: *Finito libro, sit laus et gloria Xto.*

174. *Wratislaviae*, bibliotheca Universitatis, cod. I. class. in fol. 275. chart. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 250. r. sub titulo: *Tractatus de arbore Crucis Bonaventure.* Desinit fol. 259. r. per verba: *Explicit opusculum de arbore Crucis Bonaventure, vitam et conversationem domini nostri Iesu Xti in se pulcre continens.*

175. *Ibidem*, cod. I. class. in 8. 43. membr. saec. XIV. — Opusculum incipit fol. 155., praemisso indice rubricarum: *Xto confixus sum Cruci.* Desinit ut in editis.

§ 4. **Opusculum IV. De Quinque Festivitatibus pueri Iesu.**

a. P. Bonelli in suo *Prodromo* (col. 754) hoc opusculum, quod incipit: *Cum secundum virorum venerabilium* etc., defendit ut Bonaventurianum contra Oudinum, Sbaraleam et editores Venetos, qui illud censent esse tanto Doctore indignum. Sed licet ille vera nonnulla contra censuram Oudini afferat, rationes ab ipso allatae persuadere nos nobis potuissent, si consultatio codicum nobis non indicasset aliam et securam viam diluendi omnes difficultates ab aliis contra genuinitatem huius libelli oppositas. Meliores enim codices non habent fere mediam partem totius opusculi, et praecise eas partes, quae alienae a spiritu S. Bonaventurae aliis et nobis visae sunt. Resectis istis insertionibus, quae foede deturpant tractatum S. Doctoris vere seraphicum, etiam censurae contrariae praedictorum virorum corruunt. Oudinus (Commentarii de scriptor. ecclesiast., tom. III. pag. 407. ed. Lipsiae 1722) praecipue reprobat « affectationem superlativarum vocum, ut nauseam pareant », atque « affectationem divisionum similiter cadentium ». Porro in festivitate *de impositione nominis pueri Iesu* reprehendit « divisionem satis abiectam et barbaram, quae Bonaventuram auctorem mihi non repraesentat: Hoc est nomen sacratissimum a Prophetis prophetatum, hoc est nomen virtuosum, gratiosum, gaudiosum, deliciosum et gloriosum etc ». Sed hic ultimus locus depravatus erat in editionibus; alia autem, quae reprehenduntur, in parte genuina non occurrunt frequentius quam in aliis Bonaventurae operibus; de quo late loquitur Bonelli (loc. cit.).

Sbaralea (Supplement. ad Scriptores etc., pag. 258) dicit: « Opusculum devotum est, sed a stilo Bonaventurae eiusque prudentia alienum; nam serm. 1: *plenario mundialium contemptu... in mundo mundialiter viventium... anima divino semine gravida... malum est perdere propter perdidisse*; serm. 2: *o felix praesepe... refectorium Angelorum*, et similia leguntur seraphico Doctori nequaquam congruentia, etsi Trithemius huius meminerit ». — Sed ad hoc respondendum: Duae illae primae locutiones non sunt alienae a more dicendi Bonaventuriano; tertia et quarta non habentur in textu genuino (cfr. pag. 90, nota 10, et etiam pag. 89, nota 2.); nec sequentes locutiones inveniuntur ibi, sed in primo additamento, ubi tamen pro *refectorium Angelorum* (ita Vat. et F) G habet *refectionem animarum* (cfr. pag. 96, nota 6.). Hinc opinamur, quod si Sbaralea novisset genuinum textum, sine dubio falsam istam opinionem retractasset. Nam praeter codicum meliorum auctoritatem ipsa additamenta sua proprietate satis indicant, ea primitivo textui esse posterius inserta, quod et res et modus enuntiandi suadent. Insuper illis duobus longioribus additamentis

ipsa aliorum quinque capitulorum proportio turbatur nimia eorum quae de secunda et quarta festivitate agunt extensione. — Praeter haec additamenta in editione nostra post opusculum posita alia quinque, sed minora, in calce paginarum 90, 91, 92, 93, 94 posuimus.

b. Nec deest sufficiens externa auctoritas ad vindicandum seraphico Doctori hunc libellum. Inter 21 codices msc. infra in elencho relatos, sunt quidem, ut plerumque fit, etiam anonymi, sed nullus, qui alii ac Bonaventurae tractatum tribuat, immo longe maior pars (13 inter 21) ipsum nominat auctorem. His accedit alius codex, qui, teste P. Bonelli (loc. cit.), olim erat in bibliotheca conventus PP. Observantium Mantuae, atque disertis verbis tractatum hunc Bonaventurae inscripsit.

Prologus apprime conveniens invenitur et statui et spiritui Ministri generalis seraphici Ordinis Minorum, praesertim si conferatur cum prologo Itinerarii mentis in Deum et opusculo huius tomi XXI. de XXV Memorialibus, in quo vita ipsius interior ac propria proposita referuntur.

Hunc tractatum Bonaventurae tribuunt Trithemius, Marianus Florentinus aliique posteriores (cfr. Prolegom. ad V. tomum pag. LVIII seqq.).

Editio prima eiusdem, quam novimus, est Coloniensis an. 1486, quam deinde secuti sunt omnes opusculorum Bonaventurae collectiones, exceptis duabus, ut videre licet in eisdem Prolegomenis pag. LIII.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Augustae Trevirorum*, bibliotheca Seminarii, codex sign. R. VII. 1. miscellaneus in 8. saeculi XV. — Hoc opusculum occurrit fol. 73. r. sub titulo: *Incipit libellus devoti doctoris Bonaventure, de quinque spiritualibus festis infantie xti. Cum secundum virorum honorabilium* etc. Desinit fol. 79. v.: *quam nobis concedat Iesus xtus, Marie virginis filius, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.* — In nostra editione signatur littera A.

2. *Ibidem*, bibliotheca Publica, cod. 774. progress. 573. membranaceus in 12. saec. XV. — Fol. v. non numerato post alia Bonaventurae opera legitur: *Incipit tractatus eiusdem satis notabilis de conceptione, nativitate, nominatione, adoratione et in templo praesentatione mentali Domini nostri Iesu Xti. Incipit prohemium. Cum secundum virorum* etc. Desinit fol. v. ut praecedens. Sign. B.

3. *Ibidem*, cod. 853. progress. 580. miscell. in 8. saec. XV. — Rubrica opusculi est fol. 36. v. his verbis expressa: *Tractatus Bonaventure de quinque festis infantie Domini nostri Iesu xti.* Desinit fol. 44. v. ut praecedentes codices. Sign. C.

4. *Ibidem*, cod. 175. progress. 161. chart. in 4. saec. XV. — Opusculo praemittitur haec rubrica: *Incipit tractatus magistri Bonaventure de quinque festis infantie Salvatoris.* Desinit cum additione: *Explicit tractatus Bonaventure de quinque festis spiritualibus infantie Salvatoris.* Sign. D.

5. *Darmstadii*, bibliotheca Ducalis, cod. 1021. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 49. v. est titulus huius opusculi his verbis: *Incipit libellus devoti doctoris Bonaventure de quinque spiritualibus festis infantie Xti. Cum secundum virorum honorabilium* etc. Desinit fol. 53. v.: *pura mente et corde devoto continue tue pietati assistam, et sic est finis.* Sign. E.

6. *Leodii*, bibliotheca maioris Seminarii, cod. 6. M. 26. membr. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 47. v. post opus Soliloquii sequitur titulus huius his verbis: *Incipit tractatus de spirituali infancia Salvatoris.* Desinit fol. 59. v.: *quam nobis concedat Iesus Xtus Marie virginis filius, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Explicit tractatus de spirituali infancia Salvatoris.* Sign. F.

7. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 18650. chart. in fol. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 126. r. sub titulo: *Tractatus doctoris Seraphici domini Bonaventure de quinque festivitatibus infantie Salvatoris nostri Iesu xti. Cum secundum virorum* etc. Desinit fol. 136. ut in editis, addito: *Explicit in nomine Iesu. Amen.* Sign. G.

De his codicibus a nobis collatis notandum est, in eis non haberi insertiones, de quibus supra locuti sumus, nisi in F et G qui cum editionibus in hac differentia principali conveniunt et tantum in aliis minoris momenti lectionibus dissentiunt. — Aliam autem familiam repraesentant A B C D E, qui tum istas depravantes insertiones concorditer omittunt, tum etiam in aliis lectionibus satis bene conveniunt. Unde patet, textum secundum hos quinque codices reformandum fuisse.

II. Codices a nobis non collati.

8. *Berolini*, bibliotheca Regia, ms. theol. lat. fol. 141. chart. saec. XV. — Opusculum hoc incipit fol. 412. r. sub rubrica: *Bonaventura de quinque festis spiritualibus Xti. Cum secundum virorum honorabilium, quos in Ecclesia* etc. Desinit fol. 415. v. verbis editionis, addito tantum: *Explicit Bonaventura.*

9. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 21600. chart. in 8. saec. XVII. — Inter plura Bonaventurae pag. 199 incipit rubrica: *De nativitate pueri Iesu. Considera et attende* etc. Sic prosequitur per alias festivitates; sed haec potius sunt extracta ex hoc opusculo ab aliqua devota persona ad propriam pietatem fovendam, quam apographum eiusdem.

10. *Confluentiae* (Coblenz) in Borussia, bibliotheca Gymnasii Civitatis, cod. 60. chart. in 8. saec. XV. — Titulus opusculi est fol. 181. v. his verbis: *Incipit tractatus domini Bonaventure de quinque festivitatibus Ihesu Xti.* Desinit fol. 202. v.: *Quam dulcedinem dulcis Iesus nobis concedat. Qui cum Patre etc. Explicit tractatus domini Bonaventure de quinque festivitatibus Ihesu xti.*

11. *Gottwicii*, bibliotheca Monasterii, cod. 292. (272.) chart. in fol. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 175. r. sub sequenti rubrica: *Tractatus doctoris Seraphici domini Bonaventure de quinque festivitatibus infancie Salvatoris nostri Domini Iesu xti. Cum secundum virorum* etc. Desinit ut in editis fol. 181. v.

12. *Lambacii* in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. 446. chart. in 8. saec. XV. — Post medietatem voluminis fol. r. non numerato est rubrica opusculi sic exarata: *Meditationes devote de spirituali xti nativitate in mente hominis. Cum secundum sanctorum virorum* etc. Desinit fol. v.: *Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

13. *Leodii*, bibliotheca Universitatis, cod. B. 17. chart. in 8. saec. XV. ante medium. — Fol. 87. v.: *Incipit tractatus*

de spirituali infantia Salvatoris. Alia manus posterioris aevi exaravit e regione: *Sanctus Bonaventura composuit.* Desinit fol. 95. v., ubi additur: *Explicit tractatus de spirituali infantia Salvatoris.*

14. *Medelci,* bibliotheca Monasterii, cod. O. 19. chart. in 4. saec. XV. circa medietatem. — Fol. 118. r.: *Incipit tractatus Bonaventure de quinque festivitatibus Domini nostri Iesu Xti, secundum quod fuerat puer. Cum secundum virorum* etc. Desinit fol. 128. v.: *quam nobis concedat Iesus xtus Marie filius, qui cum Patre etc.*

15. *Ibidem,* cod. H. 46. chart. in 12. saec. XV. post medietatem. — Opusculum incipit fol. 151. r. sub rubrica: *Bonaventura de quinque festivitatibus infancie Iesu xti.* Desinit fol. 165. v.: *Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Explicit.*

16. *Ibidem,* cod. N. 7. in 4. chart. saec. XV. ante medium. — In parte superiore fol. 40. r. est rubrica: *Tractatus doctoris Seraphici domini Bonaventure de quinque festivitatibus infancie Salvatoris nostri Iesu Xti.* Desinit fol. 49. ut in editis.

17. *Meiningen* in Germania, bibliotheca Principis, cod. II. lat. 1. in fol. 130. suffix. 2. saec. XV. ineuntis. — Opusculum incipit fol. 385. r. sine titulo et anonymum; desinit ut in editis fol. 390. v. absque alio additamento.

18. *Salisburgi,* bibliotheca Monasterii sancti Petri, cod. a. IV. 23. chart. in 8. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. r. non numerato sine titulo et sine nomine auctoris. Desinit fol. v. ut editi, cui additur: *Finitum sub anno 1456. in Vigilia Epiphanie.*

19. *Ibidem,* cod. b. VI. 33. chart. in 4. saec. XV. — Post aliud opus Humberto tributum incipit hoc opusculum fol. r. non numerato sub titulo: *Bonaventura de quinque festivitatibus infantie Iesu Xti. Cum secundum virorum venerabilium* etc. Desinit fol. ultimo codicis cum additione: *Finitus per fratrem Sebastianum anno Domini LXV.* (1465) *septima die mensis Ianuarii, in qua fuit festum Valentini in Mellico.*

20. *Sancti Galli,* bibliotheca Monasterii, cod. 780. chart. in 4. saec. XV. a diversis exaratus. — Hoc opusculum incipit pag. 339 sine titulo: *Cum secundum* etc. Desinit pag. 362 cum additione: *Explicit tractatus bonus de spiritualibus meditationibus.* Nomen auctoris tacetur.

21. *Vindobonae,* bibliotheca privata Imperatoris, cod. 7933. membr. in 8. saec. XV. ineuntis. — Circa finem voluminis fol. r. non numerato: *Incipit tractatus de spirituali infancia Salvatoris Iesu Xti. Cum secundum venerabilium virorum* etc. Desinit fol. r. per verba: *Explicit tractatus de spirituali infancia Salvatoris Iesu Xti.* Nomen auctoris omittitur.

§ 5. Opusculum V. De praeparatione ad Missam.

a. Incipit hoc opusculum verbis: « Ad honorem gloriosae ac individuae Trinitatis » etc. (cfr. pag. 99, nota 1.). Oudinus (loco saepe cit. col. 419) illud ponit inter *incerta*, editores Veneti (Diatriba etc.) inter *dubia*, sed Sbaralea (Supplement. etc., pag. 151) et Bonelli (Prodrom., col. 584) inter certa, et hoc rectissime. Tractatus hic est enim seraphico Doctore vere dignissimus et non tantum auctoritate Trithemii, Mariani Florentini aliorumque, sed praecipue plurimorum codicum testimonio comprobatur. In elencho codicum infra relato recensentur 114 huius libelli codices adhuc superstites, inter quos habentur circa 23 anonymi, alii sex illum tribuunt Petro de Alliaco (Ailly), cardinali Cameracensi, qui vixit ab an. 1350-1420 et incepit docere in Universitate Parisiensi ab an. 1375; unde ratione temporis potuit esse opusculi auctor, quia probare non possumus, codices nostros saec. XIV. (vide n. 2, 55 et 80.) esse scriptos ante annum 1375. Sed alius cod. infra n. 38. relatus explicat, qua ratione facile evenire potuerit, ut hic tractatus tributus sit cardinali Cameracensi, scil. quia hic eum distribuerat aliis in Concilio Constantiensi. Legitur enim ibi: « Tractatus... compilatus per reverendissimum ac venerabilem doctorem *cantorem* (sic) Parisiensem et *in Concilio Constantiensi datus* ». Pro *cantorem* recte legitur in alio codice (n. 40.): « Dominum Petrum, cardinalem Cameracensem, quondam studii Parisiensis *cancellarium* » etc. Sed ex eo, quod ille *dederit* sive distribuerit hunc utilissimum tractatum, non sequitur, illum Petrum se venditasse libelli auctorem, cum bene dare illum potuerit tanquam anonymum. In codice n. 99. nominatur quidem Bonaventura ut auctor, sed additur: « vel secundum alios cardinalis Cameracensis ». Alii omnes codices, id est ultra 80, stant pro Bonaventura, sicut et ipsa criteria omnia interiora, ut nullatenus de hoc dubitari possit.

b. Non possunt offendere verba, quae in illo tractatu c. I. n. 6. leguntur, quod Deus sacrilegorum sacerdotum sacrificium non recipiat. Nam manifeste hoc intelligitur, « quantum est ex parte similium sacerdotum », ut iam notarunt editores Vaticanae, quia eucharistia ipsis malis mors est, vita tantum bonis. Distingui etiam oportet inter « substantiale Missae, et aliqua circumadiacentia », ut bene explicat Bonav. in IV. Sent. d. 13. a. 1. q. 4. — Obiter notamus, verba illa notissima c. I. n. 9: « Nam, cum sacerdos est absque mortali peccato et in proposito bono, non habens legitimum impedimentum » etc., quae in tot libris et pagellis tribuuntur Bedae, minime in scriptis Bedae inveniri, sed esse S. Bonaventurae (vide infra pag. 102, notam 2.).

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Florentiae,* bibliotheca Nationalis, codex C. VIII. 1165. chartaceus in 8. saeculi XV. post medietatem. — Opusculum hoc occurrit fol. 84. v. sub sequenti rubrica: *Incipit tractatus utilis Bonaventure cardinalis de corpore xti. Qualiter quilibet sacerdos et etiam quilibet alter xpicola debeat se preparare ad digne suscipiendum corpus dominicum vel potius ad celebrationem. Ad laudem et gloriam et honorem et reverentiam sancte et individue Trinitatis* etc. Desinit folio 94. r.: *Quam gratiam ipse Iesus tibi et mihi prestare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula benedictus. Amen.* — In nostra editione signatur littera Q.

2. *Gorlitii,* bibliotheca Publica, cod. A. B. 78. in 4. saec. XIV. — Hoc opusculum incipit fol. 357. r. sine titulo: *Ad honorem gloriose et individue Trinitatis* etc. Desinit fol. 363. v. sub additione: *Explicit tractatus Boneventure de Sacramento eucharistie.* Sign. O.

3. *Magdeburgi,* bibliotheca Civitatis, cod. XII. octav. 25. miscellan. saec. XV. — Titulus huius opusculi est fol. 73. v. his verbis exaratus: *Incipit tractatus Bonaventure pro sacerdotibus. Ad honorem gloriose* etc. Desinit: *Quod mihi et tibi prestare dignetur qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Anno Domini 1477 in Gottingh.* Sign. R.

4. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 3596. chart. in 4. saec. XV. — Initium huius opusculi occurrit fol. 159. v. sub invocatione: *In nomine domini. Amen. Ad honorem gloriose* etc. Desinit fol. 171. ut in editis, additur: *Explicit devotus tractatus de corpore Xti et de preparatione ad suscipiendum idem Sacramentum salutiferum.* Nomen auctoris tacetur. Sign. A.

5. *Ibidem,* cod. 11887. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 92. r. praemittitur opusculo: *Sermo domini Bonaventure. Ad honorem* etc. Fol. 97. additur: *Explicit sermo domini Bonaventure de Sacramento altaris.* Sign. B.

6. *Ibidem,* cod. 14808. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 130. v. legitur: *Tractatus Bonaventure de corpore xti et de preparatione ad eius devotam susceptionem ritamque Misse celebrationem. Ad honorem gloriose ac individue* etc. In fine, qui occurrit fol. 140. v., additur: *Hec Bonaventura cardinalis... 1453 in die Gregorii Pape in castello.* Sign. C.

7. *Ibidem,* cod. 11923. chart. in 8. saec. XVI. ineuntis. — Opusculum incipit fol. 148. r. verbis: *Tractatus de preparatione ad Missam doctoris Seraphici sancti Bonaventure. Ad honorem* etc. Desinit fol. 153. v. sub additione: *Explicit tractatus de preparatione ad Missam doctoris Seraphici sancti Bonaventure.* Sign. D.

8. *Ibidem,* cod. 15181. chart. in 4, exaratus anno 1456. — Hoc opusculum occurrit fol. 136. r. sub rubrica: *Incipit tractatus de modo accedendi ad Sacramentum et contemplationis eiusdem. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. 144. r. Hinc additur: *Explicit devotus tractatus de corpore xti domini nostri Iesu xti* (sic). Sign. E.

9. *Ibidem,* cod. 18391. chart. in fol. saec. XV. — In parte superiore fol. 108. r. est rubrica: *Incipit tractatus Bonaventure de Sacramento eucharistie. Ad honorem* etc. Desinit fol. 114. r. verbis: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.* Sign. F.

10. *Ibidem,* cod. 18577. chart. saec. XV. — Titulus opusculi occurrit fol. 204. r. verbis: *Incipit tractatus devotus Bonaventure de Sacramento eucharistie et de preparatione digna ad sanctam communionem.* Desinit fol. 223. per verba: *sed auxilio gratie eius ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.* Sign. G.

11. *Ibidem,* cod. 18647. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r. incipit opusculum sub rubrica: *Tractatus sancti Bonaventure de Sacramento eucharistie et preparatione ad Missam.* Desinit fol. 7. v. ut in editis. Sign. H.

12. *Ibidem,* cod. 24810. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 78. r. absolute: *Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. 83. r. sub additione: *Hec Bonaventura de preparando se ad communionem. Anno 4 LIIII* (1454). Sign. I.

13. *Ibidem,* cod. 9087. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit tractatus sacratissimi ac excellentissimi corporis et sanguinis Domini sancti Bonaventure.* Desinit fol. 17. r.: *Quod mihi et tibi prestare dignetur qui vivit et regnat.* Sign. K.

14. *Ibidem,* cod. 18648. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 153. incipit hoc opusculum per verba: *Tractatus Bonaventure divinissime eucharistie utilis.* Desinit fol. 60. ut in editis; additur: *Hucusque Bonaventura.* Sign. L.

15. *Ibidem,* cod. 6174. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 273. r.: *Incipit tractatus de corpore Xti Bonaventure.* Deinde fol. 268. r.: *Explicit tractatus de corpore Xti domini Bonaventure.* Sign. M.

16. *Monasterii,* bibliotheca Paulina, cod. 425. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 171. v. praemittitur opusculo haec rubrica: *Incipit tractatus domini Bonaventure de Sacramento altaris multum utilis et compendiosus.* Desinit ut in editis fol. 182. v. Sign. P.

17. *Romae,* bibliotheca Collegii sancti Isidori Hibernorum, cod. 88. chart. saec. XV. — Fol. 64. v. cum rubris litteris legitur: *Incipit tractatus domini Bonaventure de corpore et sanguine Xti et primo prohemium et divisio libri. Ad honorem* etc. Desinit folio 70. v. ut in editione. Sign. N.

Notanda de his codicibus vide pag. 99, nota 1.

II. Codices a nobis non collati.

18. *Augustae Trevirorum,* bibliotheca Civitatis, cod. 203. (670) miscell. in 8. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 1. r. sine ulla rubrica: *Ad honorem gloriose* etc. Sic pariter desinit fol. 8. v.

19. *Ibidem,* cod. 266. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum est sine ulla nota tituli vel auctoris.

20. *Augustae Vindelicorum,* bibliotheca Civitatis, cod. CLXXXV. chart. in 4. saec. XV. ante medietatem — Fol. 119. r. in superiore margine est titulus: *Tractotus de corpore Xti Bonaventure. Ad honorem gloriose* etc. Desinit fol. 124. r.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

21. *Bambergae,* bibliotheca Civitatis, cod. AB. V. 44. chart. in 4. saec. XV. post medium. — Fol. 52. r.: *Incipit tractatus de corpore Xti et de preparatione ad suscipiendum idem Sacramentum salutiferum. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. 58. v. ut in editis.

22. *Basileae,* bibliotheca Publica, cod. B. III. 24. membr. in fol. saec. XV. — Opusculum occurrit fol. r. non numerato, praemissa rubrica: *Incipit tractatus brevis domini Bonaventure de modo se preparandi ad celebrandam Missam. Sequitur primo prologus. Ad honorem* etc. Desinit fol. v.: *Quod ipse nobis prestare dignetur. Amen.*

23. *Ibidem,* cod. A. VIII. 16. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 5. r. praemittuntur opusculo eadem verba, quae in praecedenti codice habentur. Desinit fol. 11. v.: *Quod ipse tibi prestare dignetur. Amen.*

24. *Ibidem,* cod. F. L. IV. 13. miscell. in 4. saec. XV. — Fol. r. non numerato: *Incipit opusculum domini Bonaventure de modo preparandi se ad Missam celebrandam. Primo sequitur prolacio* (sic). *Ad honorem* etc. Desinit fol. v.: *Quod ipse tibi prestare dignetur. Amen. Explicit. 1469.*

25. *Berolini,* bibliotheca Regia, cod. lat. theol. 4. 72. chart. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 3. v. sine titulo: *Ad honorem et laudem gloriose et individue Trinitatis. Amen. Et ad honorem excellentissimi* etc. Desinit fol. 11. v. cum additione: *Expliciunt collecta de regimine sacerdotis circa officium Misse per cancellarium Parisiensem edita, script. anno Domini 1425.*

26. *Brugis,* bibliotheca Civitatis, cod. 500. miscell. saec. XV. — Fol. non numerato opusculo praemittitur: *Incipit tractatus de preparatione ad Missam domini Seraphici Iohannis*

Bonaventure. Prosequitur usque ad finem ut in editis, inde: *Explicit tractatus* etc., ut in principio.

27. *Bruxellis,* bibliotheca Regia, cod. 1927-44. miscell. in 4. saec. XV. — Fol. 127. v.: *Incipit tractatus Boneventure de corpore Christi et preparatione ad devotam susceptionem eiusdem ritamque celebrationem mysterii Misse.* Desinit fol. 134. v.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen. Explicit.*

28. *Ibidem,* cod. 2382-86. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Post alia incipit opusculum sine ulla rubrica fol. r. non numerato: *Ad honorem* etc. In fine vero additur: *Explicit tractatus de preparatione ad Missam domini Seraphici Iohannis Bonaventure.*

29. *Ibidem,* cod. 11902. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. 224. r. opusculo praemittitur: *Incipit tractatus sancti Bonaventure de corpore Xti et preparatione ad devotam susceptionem eiusdem ritamque celebrationem mysterii Misse. Ad honorem* etc. Desinit fol. 237. v.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

30. *Ibidem,* cod. 21600. chart. in 8. saec. XVII. — Pag. 3. est sequens rubrica huic opusculo praemissa: *Sancti Bonaventure, eximii Ecclesie doctoris opusculum vere aureum, quod intitulatur de preparatione ad Missam.* Desinit pag. 28: *Hoc autem non tua virtute, sed gratia divina.* Ultima verba desunt.

31. *Camberiaci,* bibliotheca Civitatis, cod. 393. chart. in 4. saec. XV. — Fol. v. non numerato legitur: *Tractatus brevis domini Bonaventure de modo se preparandi ad celebrandam Missam. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. v. per verba: *Quam nobis prestare dignetur ipse Iesus benedictus. Amen.*

32. *Divione* (Dijon) in Gallia, bibliotheca Publica, cod. 162. membr. in fol. saec. XV. — Fol. 288. r. incipit opusculum sine titulo: *Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. 296. v. in fine: *Quod ipse nobis prestare dignetur. Amen.*

33. *Eichstadii* (Eichstaedt) in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 410. chart. in fol. saec. XV. — Post alia fol. r. non numerato est rubrica: *Tractatus Bone Venture de Sacramento eucharistie. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. r. ut in editis.

34. *Einsiedeln* in Helvetia, bibliotheca Monasterii, cod. 214. miscell. in fol. saec. XV. — Fol. 76. v. opusculo praemittitur: *Tractatus Bone venture de corpore Xti.* Desinit fol. 79. r.: *Quod tibi et mihi prestare dignetur Iesus xtus, qui vivit et regnat tecum* etc. *Explicit tractatus Bone venture de corpore Xti et preparatione ad devotam sumptionem eiusdem ritamque celebrationem mysterii Misse. Anno LII.* (1452).

35. *Ibidem,* cod. 228. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 75. r. sine titulo: *Ad honorem gloriose* etc. Desinit fol. 78. r. cum additione: *Explicit devotus tractatus de corporis Xti perceptione.*

36. *Erfordiae,* bibliotheca Regia, cod. Amplon. 18. in 8. num. vacat, chart. saec. XV. — Post alia fol. v. non numerato: *Incipit devotus tractatus de corpore xti, editus per venerabilem in xto patrem dominum Petrum cardinalem Cameracensem, quondam studii Parisiensis cancellarium, sacer theologie doctorem eximium.* Desinit fol. v.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen. Explicit* etc. ut in principio.

37. *Erlangen* in Bavaria, bibliotheca Universitatis, cod. 716. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 61. v.: *Incipit tractatus Bonaventure de corpore xti et preparatione ad devotam sumptionem eiusdem ritamque celebrationem mysterii Misse.* Desinit fol. 65. v. sub additione: *Explicit hoc opus per fratrem C. meichsner in Fonte salutis professum et in studio viennensi finitum anno Domini MCCCC42°. post festum Annuntiationis Virginis gloriose.*

38. *Giessae* in Hassia, bibliotheca Universitatis, cod. 786. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 11. r. sub titulo: *Tractatus de preparatione ad Missam domini Iohannis Seraphici Bonaventure.* Desinit fol. 19. r. addito: *Explicit tractatus de preparatione ad Missam Iohannis Bonaventure venerabilis.*

39. *Gottwicii,* bibliotheca Monasterii, cod. 241. (238.) chart. in fol. saec. XV. — Post medietatem voluminis fol. r. non numerato est rubrica opusculi his verbis expressa: *Tractatus bonus de corpore Xti. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. r.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

40. *Graecii,* bibliotheca Regia, cod. 655. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 1. r. est titulus: *Incipit opusculum domini Bona Venture de modo preparandi ad celebranda divina. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. 6. v.: *Quod ipse nobis prestare dignetur. Amen. Et sic est finis expositionis Misse.*

41. *Hafniae* (Kopenhagen), bibliotheca Regia, cod. 79. in fol. chart. saec. XV. — Fol. 1. r. incipit absolute: *Ad honorem gloriose et individue* etc. Desinit fol. 3. v.: *Quod ipse tibi et mihi impetrare dignetur. Amen. Explicit devotus tractatus de corpore Xti.*

42. *Ibidem,* cod. 77. in fol. chart. saec. XV. ineuntis. — Incipit opusculum hoc fol. 117. v., omisso titulo: *Ad honorem gloriose* etc. Est finis fol. 120. v.: *Quod ipse tibi et mihi preparare* (sic) *dignetur. Amen. Explicit devotus tractatus de corpore xti, ipso profesto beate Elisabeth vidue.*

43. *Hagae Comitum* (Haag) in Hollandia, bibliotheca Meermanni, cod. 176. chart. in 4. saec. XV. post medium. — Titulus opusculi est post medietatem voluminis fol. v. non numerato sic: *Incipit tractatus Bone venture de corpore Xti et preparatione ad devotam susceptionem eiusdem ritamque celebrationem mysterii Misse.* Desinit verbis: *Quod ipse mihi et tibi prestare dignetur. Amen.*

44. *Herbipoli* (Würzburg) in Bavaria, bibliotheca Seminarii, cod. U. 7. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Titulus opusculi est fol. 152. r. exaratus his verbis: *Tractatus Bonaventure de corpore xti et de preparatione ad eius devotam susceptionem ritamque celebrationem Misse.* Desinit fol. 158: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

45. *Ibidem,* bibliotheca Universitatis, Mch. f. 220. in fol. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 363. r. sine titulo: *Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. 366. v.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

46. *Ibidem,* Mch. f. 228. miscell. in fol. saec. XV. — Fol. 175. r.: *Incipit tractatus devotus de corpore Xti et de preparatione ad suscipiendum idem Sacramentum salutiferum, compilatus per reverendissimum ac venerabilem doctorem Cantorem Parisiensem et in Concilio Constanciensi datus.* Desinit fol. 180. r.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur Iesus xtus Marie filius, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.* Hinc adduntur eadem verba, quae praemissa sunt in initio.

47. *Ibidem*, Mch. q. 106. miscell. in 4. saec. XV. exeuntis. — Rubrica huius opusculi est fol. 257. v. exarata verbis: *Incipit tractatus Bonaventure de corpore xti et preparatione ad devotam susceptionem eiusdem ritamque celebrationem mysterii Misse.* In fine fol. 270. v. additur: *Explicit tractatus Bonaventure de corpore xti ac condigna preparatione mysterii Misse.*

48. *Hilarini*, bibliotheca Monasterii, cod. 63. chart. in 4. saec. XV. ineuntis. — Initium opusculi occurrit circa finem codicis fol. r. non numerato sub rubrica: *Tractatus compendiosus et utilis de Sacramento corporis et sanguinis Christi.* Desinit fol. v.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

49. *Ibidem*, cod. 104. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum occurrit fol. 27. r. praemisso titulo: *Incipit tractatus Bonaventure de corpore Christi et preparacione ad devotam sumpcionem eiusdem ritamque celebrationem mysterii Misse.* Haec eadem repetuntur in fine fol. 33. r., quibus additur: *Anno 1425.*

50. *Lambaci*, bibliotheca Monasterii, cod. 462. chart. in 8. saec. XV. post medium. — Fol. 167. r.: *Incipit tractatus Bonaventure de preparando se ad Sacramentum eukaristie. Ad honorem gloriose ac individue* etc. In fine fol. 179. r. additur: *Explicit Bonaventura de Sacramento eukaristie.*

51. *Ibidem*, cod. 281. chart. in fol. saec. XV. — Titulus opusculi est fol. 1. r. expressus per verba: *Incipit tractatus Bonaventure de corpore xti.* Desinit fol. 7. r. cum additione: *Explicit tractatus Bonaventure de corpore xti.*

52. *Lovanii*, bibliotheca Civitatis, cod. 15. chart. saec. XV. — Rubrica opusculi est fol. 81. r.: *De preparatione ad Missam. Ad honorem gloriose* etc. Desinit fol. 86. r. in fine ut in editis.

53. *Lubeccae* (Lübeck), bibliotheca Civitatis, cod. theol. fol. chart. sine num. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 323. r., omisso titulo: *Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. 325. v. cum additione: *Explicit devotus tractatus de corpore Xti et de preparatione ad suscipiendum idem Sacramentum salutiferum.*

54. *Ibidem*, cod. theol. 4. chart. saec. XV. — Fol. 2. r. praemittitur opusculo titulus: *Tractatus de corpore xti.* Desinit ut in editis fol. 8. v.

55. *Ibidem*, cod. theol. 8. chart. saec. XIV. — Ante finem voluminis fol. r. non numerato est titulus: *Tractatus Bonaventure de celebratione Misse notabilis.* Sequitur opusculum ut in impressis; ad calcem additur: *Hec a quolibet sacerdote sunt ante Missam habenda atque curanda.*

56. *Luneburgi*, bibliotheca Civitatis, cod. theol. lat. in 8. n. 66. miscell. saec. XV. — Hoc opus incipit fol. 176. r. verbis: *Ad honorem gloriose* etc. Desinit fol. 180. v. ut in editis, sine ulla alia indicatione.

57. *Medelci*, bibliotheca Monasterii, cod. E. 88. chart. in 12. saec. XV. — Fol. 155: *Incipit tractatus Bonaventure de Sacramento eukaristie. Ad honorem gloriose et individue* etc. Desinit fol. 161. r. ut in editis.

58. *Ibidem*, cod. H. 80. chart. in 8. saec. XV. — Opusculum occurrit pag. 559 sub rubrica: *Incipit tractatus Bonaventure de Sacramento eukaristie. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit ut in editis pag. 578.

59. *Ibidem*, cod. L. 35. chart. in 12. saec. XV. — Pag. 314 legitur: *Incipit tractatus Bonaventure de Sacramento divinissime eukaristie utilis valde. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit ut praecedentes ac pag. 330.

60. *Ibidem*, cod. L. 93. chart. in 12. saec. XV. — Fol. 226. r.: *Incipit tractatus Bonaventure bonus et utilis de Sacramento divinissime eukaristie. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. 244. r.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

61. *Ibidem*, cod. G. 19. chart. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. 272. v. est rubrica: *Tractatus devotus de corpore xti et de preparatione ad suscipiendum idem Sacramentum salutiferum.* Desinit fol. 282. v. Rubricator tribuit hoc opusculum: *Reverendissimo patri domino cardinali Cameracensi sacre theologie solemnissimo doctori.*

62. *Ibidem*, cod. G.... chart. in 4. saec. XV. — Fol. 201. r. legitur: *Tractatus Bonaventure de Sacramento divinissime eucharistie. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. 206. r.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

63. *Meiningen*, bibliotheca Principis, cod. II. lat. in fol. progress. 208. chart. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 251. r. sub titulo: *De preparatione ad celebrandam Missam.* Desinit fol. 253. r.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

64. *Metis* in Lotharingia, bibliotheca Civitatis, cod. 355. chart. in 4. saec. XV. — Post alia opera incipit opusculum fol. non numerato et sine titulo: *Ad honorem gloriose* etc. Desinit: *Quod ipse mihi et tibi prestare dignetur. Amen.*

65. *Monachii*, bibliotheca Regia, cod. 4712. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum hoc incipit fol. 93. r. sub rubrica: *Tractatus Bonaventure, de Sacramento divinissime eucharistie, utilis.* Desinit ut in editis fol. 98. v.

66. *Ibidem*, cod. 7007. chart. in fol. saec. XV. — Rubrica huius opusculi habetur fol. 8. r. his verbis: *Forma accedendi ad Missam secundum Bonaventuram. Igitur xti sacerdos devote ad dominicum accessurus altare* etc. Desinit fol. 11. v.: *Quod tibi et mihi prestare dignetur qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Hucusque Bonaventura.*

67. *Ibidem*, cod. 8862. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 174. v.: *Incipit speculum conscientie Bonaventure. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit. fol. 178. v.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen. Hec Bonaventura de preparandis se ad communionem.*

68. *Ibidem*, cod. 9729. chart. in fol. saec. XV. — Titulus operis est fol. 267. r. in superiore margine: *Tractatus de corpore xti domini Bonaventure. Ad honorem gloriose* etc. Finis est fol. 270. v. cum hac simplici additione 149, id est 1491, ut alias in cod. habetur.

69. *Ibidem*, cod. 16511. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 151. v.: *Incipit tractatus sacratissimi ac excellentissimi corporis et sanguinis Domini.* Sequitur opusculum usque ad fol. 160. v., inde subiicitur: *Explicit tractatus de Sacramento corporis et sanguinis xti*, omisso auctoris nomine.

70. *Ibidem*, cod. 17851. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Opusculum occurrit fol. 185. r. sub rubrica: *Incipit tractatus de preparatione ad Missam domini seraphici fratris Bonaventure.* Eadem sunt in fine fol. 201. r. Deinde *Explicit* etc.

71. *Ibidem*, cod. 19855. chart. in 8. saec. XV. (1457). — Inter alia sancti Doctoris opera hic habetur fere integrum opusculum ad instar extracti; fol. enim 140. r. legitur: *Ex tractatu Bonaventure de digna preparatione ad Missam. Nota:*

Deus a nobis debet timeri, venerari et amari; est summe timendus etc. Vide edit. nostrae cap. 1. n. 17.

72. *Ibidem*, cod. 26138. chart. in 8. saec. XV. — Rubrica huius opusculi est fol. 28. r. et notat: *Tractatus devotus sancti Bonaventure de Sacramento eukaristie, de preparatione digna ad sanctam communionem. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. 40. r. ut in editis.

73. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. 67. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 126. r. est titulus opusculi sic exaratus: *Tractatus de corpore xti*. Desinit ut in editis fol. 129. v. cum additione: *Finis tractatus Bonaventure de eucharistie Sacramento, 59*, id est anno 1459.

74. *Ibidem*, cod. 84. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 1. r. cum titulo: *Tractatus de corpore xti domini Bonaventure. Ad honorem* etc. Desinit fol. 7. v.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

75. *Ibidem*, cod. 3. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 48. r.: *Incipit tractatus domini Bonaventure cardinalis de corpore xti. Prologus.* Desinit fol. 53. v. ut in edito.

76. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. V. H. 274. miscell. in 4. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 1. sub rubrica: *De Sacramento corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Ad honorem gloriose et individue* etc. Desinit verbis: *auxilio gratie eius qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

77. *Parisiis*, bibliotheca Mazarrinea, cod. 1090. chart. in 8. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 3. r. sub titulo: *Tractatus brevis domini Bonaventure de modo se preparandi ad celebrandam Missam*. Desinit fol. 10. r.: *Quod nobis prestare dignetur ipse Iesus benedictus. Amen. Scriptus... Februarii 1471.*

78. *Ibidem*, cod. 902. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. 52. v.: *Incipit tractatus de preparatione ad Missam devoti doctoris atque Seraphici sancti Bonaventure Ordinis Fratrum Minorum.* Desinit fol. 58. v., cui additur: *Explicit tractatus de preparatione ad Missam doctoris Seraphici sancti Bonaventure.*

79. *Ibidem*, bibliotheca Nationalis, cod. 10606. miscell. in 8. saec. XV. — Fol. 95. r.: *Incipit tractatus domini Bonaventure de preparatione sacerdotum.* Desinit fol. 101. r.: *Quod mihi et tibi ipse prestare dignetur qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

80. *Ibidem*, cod. 3349. membr. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Opusculum occurrit fol. 11. v. et inscribitur: *Incipit tractatus domini Bone venture de corpore et sanguine xti.* Desinit fol. 20. v.: *Quod ipse prestare dignetur. Explicit.*

81. *Ibidem*, cod 3758. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Hoc opusculum incipit fol. 1. cum rubrica: *Tractatus de Sacramento altaris. Ad honorem gloriose* etc. Est finis fol. 10. r.: *Quod ipse prestare dignetur qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Explicit.*

82. *Pragae*, bibliotheca Universitatis, cod. XI. A. 10. chart. in fol. saec. XV. — Rubrica huius operis est fol. 250. r. his verbis expressa: *Incipit devotus tractatus de corpore Xti et de preparatione ad suscipiendum salutiferum Sacramentum, quem compilavit reverendissimus pater dominus cardinalis Cameracensis, sacre theologie solemnissimus doctor Petrus de Aliaco, cancellarius Parisiensis.* Desinit fol. 254 r.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

83. *Ibidem*, bibliotheca Capituli metropolitani, cod. C. LVII. chart. in folio. — Opusculum incipit sine titulo fol. 236. r.: *Ad honorem gloriose et individue* etc. Desinit fol. 239. r. cum additione: *1437. die 9. Aprilis hora 22. explicit tractatus Bonaventure de preparatione sacerdotum ad Missam et laicorum dignam communionem eucharistie. Deo gratias.*

84. *Remis* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. E $\frac{231.}{319.}$ membr. in 8. saec. XV. — Fol. 107. r.: *Incipit tractatus et sermo Bonaventure de corpore xti.* Desinit fol. 115. r.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

85. *Runi* (Rein) in Austria, bibliotheca Monasterii Patrum Ord. Cisterciensium, cod. V. chart. in 12. saec. XV. — Fol. 210. r.: *Incipit tractatus Bonaventure de corpore Christi et preparatione ad devotam susceptionem eiusdem ritamque celebrationem mysterii Misse. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Est finis fol. 217. v. per verba: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

86. *Salisburgi*, bibliotheca Monasterii, cod. IV. 23. chart. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 28. r., praemissa rubrica: *Tractatulus Bonaventure ante Missam vel communionem legendus, vel meditandus. Ad honorem gloriose* etc. Desinit fol. 40. r. cum additione: *Explicit tractatulus domini Bonaventure cardinalis de preparatione sacerdotis Missam celebrare intendentis, 1456, Agnetis.*

87. *Ibidem*, cod. III. 33. chart. in 8. saec. XV. circa medietatem. — Rubrica huius opusculi est fol. 1. r. his verbis expressa: *Tractatulus domini Bonaventure de preparatione ad Missam.* Desinit fol. 10. v. ut in editis, inde: *Explicit tractatulus domini Bonaventure cardinalis de preparatione ad Missam.*

88. *Sancti Galli*, bibliotheca Monasterii, cod. 941. miscell. saec. XV. — Post alia opera est rubrica huius pag. 209 bis verbis: *Sequitur tractatus Bone venture de corpore Christi et de preparatione ad eius devotam susceptionem ritamque celebrationem Misse. Ad honorem* etc. Desinit pag. 225: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen. Explicit.* Hinc librarius profert nomen suum sequentibus verbis:

> Qui leget emendet scriptorem, non reprehendat;
> *Ar* si notatur, et *nol* sibi associatur
> Et *dus* iungatur, qui scripsit ita vocatur.
> Scriptor, qui scripsit, cum Deo vivere possit.

89. *Ibidem*, cod. 814. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum incipit pag. 250 cum verbis: *Ad honorem* etc. Desinit pag. 253 cum hac additione: *Explicit tractatus Bonaventure de preparatione devota ad corpus xti. Scriptus in Ravenspurg anno 1466, in crastino Animarum.*

90. *Ibidem*, cod. 772. chart. in 4. saec. XV. — Pag. 345: *Incipit tractatus Bonaventure de corpore xti valde bonus.* Desinit pag. 353: *Quod ipse omnibus nobis prestare dignetur qui vivit et regnat per infinita secula seculorum. Amen.*

91. *Sancti Pauli* in Carinthia, bibliotheca Monasterii, cod. Hospital. 32. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum de praeparatione ad Missam incipit fol. 278. r. sine titulo: *Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. 282. ut editi. Hinc additur: *Explicit devotus tractatus de corpore Xti et de*

preparatione ad suscipiendum illud Sacramentum salutiferum. Quibus alius subiungit: *Per reverendum in Xto patrem et dominum Petrum cardinalem Cameracensem episcopum, quondam Parisius cancellarium, sacre pagine professorem.*

92. *Stutgardiae,* bibliotheca privata Regis, cod. 48. chart. in fol. saec. XV. — Rubrica opusculi est fol. 110. v. his verbis expressa: *Incipit alius tractatus de officio Misse editus per reverendum in xto patrem Bonam Venturam cardinalem Ordinis Fratrum Minorum.* Desinit fol. 115. v. sub additione: *Explicit tractatus bonus de Sacramento eucharistie et officio Misse, finitus per me Iohannem Fürbass, presbyterum ecclesie sancti Thome Apostoli Argentine, VIII. die mensis Ianuarii anno Nativitatis Domini 1432. tempore Eugenii Pape quarti, anno eius primo.*

93. *Ibidem,* cod. 84. miscell. in fol. saec. XV. — Opusculum est fol. v. non numerato sub rubrica: *Incipit tractatus Bone venture ad sumptionem eucharistie.* Ad calcem fol. v. additur: *Explicit tractatus Bonaventure de preparatione ad sumptionem eucharistie. Deo gratias.*

94. *Traiecti* ad Rhenum, bibliotheca Academiae, cod. 181. chart. in 8. saec. XV. — Opusculum est fol. 1. r. cum indicatione: *Incipit tractatus Bonaventure de corpore Christi et preparatione ad devotam sumptionem eiusdem ritamque celebrationem Misse.* Desinit ut in editis; ad finem additur: *Scriptus per manus domini Iohannis de Kunk, presbyteri Colonie, anno Domini 1444.*

95. *Turonibus* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 404. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum occurrit fol. 171. sub hac rubrica: *Incipit tractatus de corpore xti compositus per dominum de Bonaventura de Ordine Fratrum Minorum.* Desinit fol. 180. r. verbis: *Quod tibi et mihi prestare dignetur. Amen. Explicit.*

96. *Vindobonae,* bibliotheca Palatina, cod. 3655. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Opusculum de praeparatione ad Missam est mutilum, incipit enim fol. 1. verbis cap. 1. n. 2: . . . *homo absque anima rationali* etc., et decurrit usque fol. 11, ubi explicit ut in editis.

97. *Ibidem,* cod. 3737. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 108. r. cum indicatione: *Bonaventura de preparatione ad Missam. Ad honorem gloriose et individue* etc. Desinit fol. 111. r.: *Quod ipse nobis omnibus prestare dignetur qui eternaliter vivit et regnat Deus in secula benedictus. Amen. Explicit tractatus domini Bonaventure de preparatione ad Missam.*

98. *Ibidem,* cod. 4362. chart. in fol. saec. XV. ante medium. — Fol. 265. v. est titulus: *Tractatus de corpore Xti domini Bonaventure. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. 270. r.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen. Deo laus et gloria sit per infinita secula. Amen.*

99. *Ibidem,* cod. 4031. chart. in 4. saec. XV. circa medium. — Opusculum occurrit fol. 141. v. cum rubrica: *Incipit tractatus Bonaventure de preparatione ad Missam.* Desinit fol. 147. v. sub additione: *Explicit tractatus de Sacramento eucharistie seu preparatorius ad Missam, domini Bonaventure, vel secundum alios cardinalis Cameracensis.*

100. *Ibidem,* cod. 4487. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 246. r.: *Incipit tractatus de corpore Xti, domini Bonaventure.* Desinit fol. 255. r. cum additione: *Explicit tractatus de corpore Xti Bonaventure.*

101. *Ibidem,* cod. 4922. chart. in 4. saec. XV. — Opus occurrit fol. 243. r. cum inscriptione: *Tractatus de corpore Xti, domini Bonaventure.* Desinit fol. 248. v.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

102. *Ibidem,* cod. 4901. chart. in 4. saec. XV. — Incipit fol. 179. v. sub titulo: *Tractatus de corpore Xti Bonaventure.* Desinit fol. 184. v. ad verba cap. 1. n. 15: *virtute huius excessive caritatis et dulcissime...* Cetera fuerunt avulsa.

103. *Ibidem,* cod. 3651. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 123. v.: *Incipit tractatus Bonaventure de preparatione ad Missam.* Desinit fol. 128. r. cum clausula: *Explicit tractatus preparationis ad Missam Bonaventure, vel cardinalis Cameracensis.*

104. *Ibidem,* cod. 4270. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Opusculum occurrit fol. 71. r. cum rubrica: *Incipit tractatus Bonaventure excellentissimus de contemplatione corporis Xti. Ad honorem et reverentiam gloriose* etc. Desinit fol. 76. r. ut in editis.

105. *Ibidem,* cod. 4236. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 249. r.: *Incipit tractatus de corpore Xti, domini Bonaventure. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. ultimo codicis cum additione: *Explicit tractatus de corpore Xti domini Bonaventure.*

106. *Ibidem,* cod. 4760. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum occurrit fol. 64. r. cum rubrica: *Incipit tractatus Bonaventure de corpore Xti et de preparatione ad eius devotam susceptionem ritamque celebrationem mysterii Misse.* Desinit fol. 72. r. verbis: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen. Explicit.*

107. *Ibidem,* cod. 4758. chart. in 4. saec. XV. — Incipit fol. 155. v. cum titulo: *Tractatus eximii doctoris Bonaventure Ordinis Minorum de corpore Xti et de preparatione ad eius devotam susceptionem ritamque celebrationem mysterii Misse.* Haec eadem verba repetuntur fol. 162. v. in fine opusculi, quibus additur: *Anno incarnationis Domini MCCCCXCIX.*

108. *Ibidem,* cod. 12880. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 130. v. legitur: *Tractatus fratris Bonaventure de corpore Xti, quatuor articulos in se continens. Primus articulus. Accessurus ad mensam celestis convivii* etc. Desinit fol. 138. v. ad verba... *profunda humilitas et annichilatio sui et vilitas et compassio mortis Xti. Explicit tractatus Bonaventure de celebratione Misse.* Opus, ut videtur, est mutilum in principio et in fine; a cap. 1. protenditur usque ad cap. 2. n. 4.

109. *Ibidem,* cod. 5099. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. — Opusculum incipit fol. 140. v. sine titulo: *Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. 144. v. cum additione: *Explicit devotus tractatus de corpore Xti et de preparatione ad suscipiendum idem Sacramentum salutiferum.*

110. *Voravii,* bibliotheca Canoniae, cod. CCCI. chart. in 4. saec. XV. — Post alia fol. r. non numerato incipit opusculum sine ulla rubrica: *Ad laudem et honorem excellentissimi Sacramenti* etc. Desinit pariter fol. r. sine alia indicatione: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

111. *Wratislaviae,* bibliotheca Universitatis, cod. 1. class. in fol. 276. chart. exaratus « *anno Domini MCCCCLXVII* ». — Fol. 66. r. incipit hoc opusculum sine ullo titulo: *Ad honorem gloriose et individue* etc. Desinit fol. 71. v. ut in editis.

112. *Ibidem*, cod. I. class. 4. 147. chart. saec. XV. — Opusculum occurrit fol. 159. r. sub hoc titulo, qui repetitur etiam in fine: *Incipit tractatus de preparatione ad Missam domini Seraphici Iohannis Bonaventure. Ad honorem* etc. Desinit fol. 164. v.: *Quod ipse mihi et tibi prestare dignetur. Explicit* etc.

113. *Ibidem*, cod. I. class. 4. 83. chart. saec. XV. — Incipit fol. 179. r. sub rubrica: *Sequitur tractatus domini Bonaventure de preparatione sacerdotum.* Desinit fol. 188. r.: *Sed auxilio gratie sue, quam mihi et tibi prestare dignetur qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

114. *Ibidem*, cod. I. class. 8. 26. chart. saec. XV. exeuntis. — Fol. 81. r.: *Incipit tractatus de preparatione ad Missam domini Seraphici Iohannis Bonaventure feliciter.* Desinit vel potius deficit fol. 92. v., quia aliqua folia abrepta sunt.

115. Praedictis codicibus adiungimus alium, nunc asservatum in archivo nostri Collegii, chart. in 4. parv. saec. XV. circa medietatem. — Opusculum hoc incipit fol. 21. r. sub rubrica: *Tractatus fratris Bonaventure pro sacerdotibus. Ad honorem gloriose et individue Trinitatis et ad reverentiam altissimi et excellentissimi Sacramenti, scilicet pretiosi corporis* etc. Desinit fol. 25. v. per verba: *Quam mihi et tibi prestare dignetur qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

§ 6. Opusculum VI. De perfectione vitae ad Sorores.

a. Auctor huius piissimi et satis eleganter scripti libelli, qui incipit: *Beatus homo, quem tu erudieris* etc., manifeste se prodit Fratrem Minorem, cum c. 2. n. 1. dicat: « Hac humilitate, qua apud se ipsum viluit Pater noster beatus Franciscus » etc., aliisque similiter verbis in c. 3. n. 7. Porro, hunc Fratrem Minorem esse S. Bonaventuram, tota suadet operis indoles et stilus; quod confitetur ipse Oudinus (Commentarii etc., col. 435.), dicens de eo: « In quo cum nihil invenerim, quod Bonaventura indignum sit, immerito de illo ambigerem ». Idem sentiunt editores Veneti, Sbaralea et Bonelli (cfr. Prodromus, col. 558.). Accedit auctoritas codicum, cum inter 24 infra recensitos nullus alium indicet auctorem, omnesque, exceptis 6 anonymis, nominent Bonaventuram.

b. Opusculum directum est ad quandam abbatissam Ordinis S. Clarae, ut passim in textu indicatur. Retinuimus tamen in titulo verba *ad Sorores*, quia revera interdum alloquitur has in plurali, et quia in editionibus hic modus inscribendi libellum iam invaluit. In textu tamen, ubi auctor abbatissam illam alloquitur, substituimus vocem *matris* pro *sororis*, rationibus moti, quas pag. 107, nota 7 retulimus.

c. Quae fuerit illa abbatissa, deficientibus certis documentis, non constat. Multum tamen probabile nobis esse videtur, eam fuisse B. Isabellam, sororem germanam S. Ludovici, regis Galliae, cuius festum in Ordine Minorum celebratur die 1. Septembris; multo saltem probabilior est haec nostra hypothesis, quam illa quam Bonelli (Prodrom. col. 567.), secutus Sbaraleam (Supplementum etc., pag. 154.), sustinere vult, opusculum sequens *De Regimine vitae* ad dictam Isabellam scriptum esse (vide infra pag. 128, notam 1.). Nam praeter rationes ibi tactas patet, illud VII. Opusculum non bene convenire conditionibus abbatissae S. Clarae, sed optime hoc VI. Opusculum. Piissima enim soror S. Ludovici, nata mense Martii an. 1225, mortua 23. Febr. an. 1270, fundavit Monasterium Longi campi, in quo et ipsa vixit sub Regula S. Clarae, quae mitigata erat imprimis opera S. Bonaventurae, tunc Ministri Generalis Ordinis Minorum. In vita eiusdem Beatae, scripta a sua iam in saeculo socia Agnete de Harcourt (*Acta Ss.*, Augusti, tomo VI. pag. 787 seqq.), inter multa de eiusdem sanctissima vita dicta narratur etiam, illam voluisse, ut moniales appellarentur *Sorores Minores*, illam semper surrexisse nocte ad recitandum Matutinum, illamque ita perfecte scivisse linguam Latinam, ut errores, quos capellani eius in scribendis ipsius epistolis interdum commiserint, corrigere soleret; denique, quod notatu dignum est, in praedicta vita Isabella passim titulo *matris* ornatur, quem etiam nostra editio, ut modo diximus, in textum recepit. Controversia inter eruditos est, utrum illa formalem professionem religiosam cum votis solemnibus emiserit, quod Wadding., Annales ad an. 1254, n. 33. affirmat, alii negant, et Bollandiani in dubio relinquunt. Qui illud negant volunt, Isabellam vitam quidem communem Monasterii de facto observasse, quin propter infirmam corporis sanitatem votis se obligaverit, eamque in habitatione Monasterio adiuncta esse demoratam cum aliis nobilibus feminis et ancillis. Certum tamen est, honorem et nomen *matris* ab istis monialibus ei fuisse tributum. Quidquid igitur sit de praedicta controversia, in utroque casu nihil obstat, quin libellus scriptus sit pro B. Isabella; immo bene statui eiusdem congruit illa increpatio (c. 4. n. 4.) ad *famulam* vel famulas directa: *Audi, verbosa famula* etc. Nam cum aliae abbatissae Clarissarum non soleant circa se habere famulas, in regia virgine, praesertim si secunda illa sententia vera esset, mirum sane esset, si tales circa se non habuisset. — Reverentia etiam prorsus singularis, quam auctor ubique in hoc libello manifestat erga personam, cui scribit, ipsaque diligentia magna, quae in toto opusculo et in ipsa forma Latina apparet, non obscure insinuant, non vulgaris conditionis et sanctitatis eam fuisse, quam nomine *matris* alloquitur. — His rationibus moti sumus, ut ad B. Isabellam libellum scriptum fuisse opinemur, licet hucusque nemo, quantum scimus, hoc asseruerit. Prima huius libelli editio cum multis aliis excusa est Argentinae an. 1495.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 11923. chart. in 8. saec. XVI. ineuntis. — Inter alia, fol. 97. r.: *Incipit opusculum de Perfectione vite sancti Bonaventure ad Sorores suas et primo prologus. Beatus homo, quem tu erudieris, domine* etc. Desinit fol. 101. v.: *donec introducat te in thalamum dilecti sponsi tui. Qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen. Explicit Bonaventura ad Sorores suas, moniales sancte Clare.* — In nostra editione signatur littera A.

2. *Parisiis*, bibliotheca Mazzarinea, cod. 902. chart. in 8. saec. XVI. ineuntis. — Rubrica huius opusculi est fol. 39. r. his verbis expressa: *De perfectione vite.* Deinde infra: *Sequitur prologus in opusculum sancti Bonaventure doctoris Seraphici de perfectione vite ad Sorores suas.* Desinit fol. 52. r.: *Qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen. Explicit opusculum Bonaventure de perfectione vite.* Sign. E.

3. *Pragae*, bibliotheca Universitatis, cod. XII. B. 16. miscell. in fol. saec. XV. ineuntis. — Fol. 107. r.: *Incipit prologus*

Bonaventure in tractatum de profectu vite religiose. Desinit fol. 114. r. verbis editionis. Sign. C.

4. *Ibidem*, in bibliotheca Capituli ecclesiae metropolitanae, cod. B. LXXIX. membr. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Opusculum occurrit fol. 44. r., praemisso tantum: *Incipit Bonaventura.* Desinit fol. 68. v. verbis: *Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat. Amen.* Sign. D.

5. *Ibidem*, cod. A. LXXIX. miscell. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Opusculum occurrit fol. 21. r. sub rubrica: *Incipit tractatus Bonaventure de profectu vite.* Hinc, omisso prologo, sequitur: *Ad perfectioris vite fastigium* etc. Desinit fol. 27. r.: *Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit unus Deus in secula seculorum. Amen. Explicit tractatus Bonaventure.* Sign. F.

6. *Salisburgi*, bibliotheca Monasterii sancti Petri, cod. b. VIII. 17. chart. in fol. saec. XV. circa medietatem. — Post alia opera fol. r. non numerato: *Incipit prologus in tractatum Bonaventure de profectu vite religiose.* Desinit fol. v. sub additione: *Explicit tractatus Bonaventure de profectu vite religiose, scriptus in monasterio Mellicensi et finitus feria 6. post festum sancte Dorotee virginis.* Sign. B.

Ex praenotatis codd. B C D F communiter eandem lectionem et meliorem praebent, unde hos in emendando textu plerumque secuti sumus. Iidem etiam antiquitate alios praecedunt.

II. Codices a nobis non collati.

7. *Gottwicii* in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. 286. (467.) chart. in 4. saec. XV. — Opusculum exhibetur fol. r. non numerato, omissis titulo et prologo, sic: *Ad perfectionis vite fastigium* etc. Ordo capitulorum mutatur et ipsum opus desinit detruncatum in fine.

8. *Liegnitz* in Silesia, bibliotheca Ecclesiae Ss. Petri et Pauli, cod. 16. chart. in fol. saec. XV. — Hoc opus occurrit fol. 350. v. sub hac rubrica: *Incipit tractatus Bonaventure cardinalis de profectu vite religiose. Et primo sequitur prologus.* Desinit fol. 361. r., cui additur: *Explicit tractatus Bonaventure de profectu vite religiose.*

9. *Medelci*, bibliotheca Monasterii, cod. B. 29. chart. in 12. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 136. r., omisso titulo: *Beatus homo, quem tu erudieris* etc. Desinit fol. 192. v. per verba editionis.

10. *Ibidem*, cod. B. 50. miscell. in fol. saec. XV. ineuntis. — Fol. 164. r. exhibetur rubrica huius opusculi ita: *Incipit prologus in tractatum Bonaventure de profectu vite religiose.* Desinit fol. 167. v.: *donec introducat te etc. Amen.*

11. *Olomucii* in Moravia, bibliotheca Regia, cod. II. g. 27. chart. in 4. saec. XVI. ineuntis. — Opusculum incipit fol. 43. v. sub hac simplici indicatione: *De cognitione sui ipsius*, et omisso prologo: *Ad perfectioris vite* etc. Desinit verbis cap. 1. n. 4: *Ad tui ipsius cognicionem perfectam nunquam poteris pervenire.* Cetera desiderantur.

12. *Ibidem*, cod. II. g. 29. chart. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Fol. r. non numerato: *Incipit tractatus reverendi magistri Bone Venture: primo de sui ipsius cognitione. Cap. 1. Ad perfectioris vite fastigium* etc. Desinit sub additione: *Explicit libellus magistri Bone Venture.*

13. *Pragae*, bibliotheca Capituli ecclesiae metropol., cod. D. CXXVIII. membr. in 8. saec. XV. ante medietatem. — Fol. r. non numerato: *Incipit tractatus Bonaventure de sui ipsius cognitione. Sequitur prologus.* Desinit fol. ultimo codicis verbis: *Explicit libellus Bonaventure. Amen;* alia manus eiusdem aevi addidit: *de sui ipsius cognitione.*

14. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 7563. chart. in fol. saec. XVI. — Fol. 1. r.: *Opusculum de perfectione vite sancti Bonaventure ad sorores suas. Prologus. Beatus homo* etc. Desinit fol. 36. r. cum additione: *Explicit Bonaventura ad sorores suas moniales sancte Clare.*

15. *Salisburgi*, bibliotheca Monasterii S. Petri, cod. b. XII. 38. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 79. v. sub titulo: *Tractatus Bonaventure de profectu vite religiose ad quandam Sanctimonialem.* Desinit ut in editis fol. 87. v. in fine.

16. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 3797. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum hoc incipit fol. 192. r. a rubrica: *Tractatus Bonaventure de profectu vite religiose ad quandam Sanctimoniolem.* Desinit fol. ultimo cod. v. sub clausula: *Explicit tractatus Bonaventure de profectu vite religiose in die beate Kunecunde virginis et regine. 1452.*

17. *Ibidem*, cod. 4308. chart. in 4. exaratus *anno Domini 1449*, ut praemittitur opusculo, quod incipit fol. 1. r. sub hac rubrica: *De cognitione sui ipsius plurium capitulorum, quorum quodlibetum* (sic) *est tituli specialis. Beatus homo* etc. Desinit fol. 9. v. per verba: *Explicit tractatus de cognitione sui ipsius.*

18. *Ibidem*, cod. 1399. membr. in fol. saec. XV. ineuntis. — Opusculum occurrit fol. 80. r. sub rubrica: *Incipit tractatus de forma perfectionis Religiosorum. Beatus homo* etc. Desinit fol. 91. r. verbis editionis.

19. *Ibidem*, cod. 3986. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 317. v. sine ulla indicatione: *Ad perfectioris vite fastigium* etc. Desinit cap. 3. n. 5. verbis: *fugientem in Egypto, sedentem in asino, pendentem nudum in patibulo.*

20. *Ibidem*, cod. 3645. chart. in 8. saec. XV. — Initium opusculi est fol. 44. r. sic expressum: *Sequitur tractatus Bonaventure de profectu vite religiose, quem scribit ad quandam Sanctimonialem.* Desinit fol. 64. v. verbis cap. 5. n. 2: *Cum Deo in oratione assistimus, gemere et flere debemus reminiscentes...*

21. *Ibidem*, cod. 3803. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 49. r. legitur: *Incipit tractatus de profectu vite religiose ad quandam Sanctimonialem.* Desinit fol. 60. v. addens: *Explicit tractatus Bonaventure de profectu vite religiose ad quandam Sanctimonialem, 1455.*

22. *Ibidem*, cod. 3631. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 234. cum hoc titulo: *Tractatus Bone venture de profectu vite religiose ad quandam Sanctimonialem.* Desinit folio 247. v. et addit: *Explicit tractatus Bone venture de profectu vite religiose, feria secunda post festum sancte Trinitatis, 54°.* (1454).

23. *Ibidem*, cod. 3939. miscell. in fol. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 280. r., praemissa sequenti inscriptione: *Tractatus Boneventure ad sorores de humilitate, de cognitione etc. Beatus, quem erudieris* etc. Desinit ut in editis fol. 293. v.

24. *Ibidem*, cod. 12878. chart. in 8. conscriptus anno 1454. — Fol. 78. r. opusculo praemittitur: *Bonaventura de profectu*

vite religiose. Desinit fol. 97. v. per verba: *Explicit tractatus de profectu vite religiose*.

§ 7. **Opusculum VII. De regimine animae.**

a. Hoc opusculum caret prologo et incipit: « Primum omnium necesse habes, anima mea » etc. A nemine nisi ab Oudino dubitatum est, utrum sit genuina Bonaventurae opella, nec ne. Dicit enim (loc. cit. col. 416.): « Incertum est, an opusculum spectet ad sanctum Bonaventuram. Habet enim, quamvis modicissimum sit, voces barbaras sufficientes, ut divo Bonaventura indignum censeatur ». Pro probatione ille affert vocabula *viscerosa, annihilatio, vilipensio* et *deordinari*. Concludit his verbis: « Non tanta tamen dictionis rusticitas, quanta in antecedentibus opusculis, unde *Bonaventurae concedi utcumque potest* ». Sed illa his ex vocabulis sumta ratio dubitandi, qua etiam alias plerumque utitur Oudinus, nollius roboris est, applicata ad auctorem saeculi XIII; quod nunc omnes viri eruditi confitentur. Insuper vocabula memorata in aliis libris Bonaventurae certe genuinis non raro inveniuntur, quod abundanter a Bonelli demonstratum est.

Cum igitur ex parte ipsius libelli nulla ratio suadeat, ut Bonaventurae abiudicetur, et omnes infra relati codices (si praescindimus a mutilo et ideo incerto cod. n. 7.) opellam eidem tribuant, accedente testimonio Trithemii, Foresti, Mariani atque editionum Coloniensis an. 1486, Argentinensis 1489 et 1495, Brixiensis 1497 et subsequentium; libellum legitimum iudicamus.

b. Editio Vaticana cum aliis edd. antiquis et subsequentibus titulo praefigit verba: « Opusculum ad Blancham, reginam Hispaniae ». Etiam sex ex nostris codicibus idem habent, sed alii illud omittunt. De hoc infra pag. 128, nota 1, necessaria dicta sunt. Oudinus (loc. cit.), consentientibus editoribus Venetis, acriter contra haec addita disputat et ad nullam feminam scriptum fuisse opusculum contendit, sed hoc esse potius « *soliloquium* vel Bonaventurae, vel alterius *ad suam animam*, quam scriptor alloquitur ». Revera initium opusculi supra relatum habet verba *anima mea*. Bonelli e contrario probare vult, auctorem saltem aliquam devotam feminam alloqui, et argumenta Oudini satis solvit. Attamen illud quod ex verbis n. 6. occurrentibus *abusa es* Bonelli arguit, scilicet auctorem diserte mulierem alloqui, non concludit, cum supponi possit, quod ad *animam propriam* auctor per modum soliloquii loquatur, quemadmodum toties in Opusculo II. *Soliloquium* facere solet. Alia verba ab eodem allata: *exerce te ipsam* (n. 8. 9. 10.) non habentur in nostro textu, qui omittit *ipsam*. Accedit, quod codd. A B talem lectionem habent, ut manifeste non ad mulierem, sed ad virum religiosum sermo dirigatur. Verba etiam illa, quae n. 8. (in fine) habentur: « Iuxta quod moralis honestas et *regularis observantia id exposcit* », minus convenire videntur reginae Blanchae. Cum autem codices inter se dissideant et nullus sit prologus vel inscriptio epistolae, rem hanc controversam relinquimus iniudicatam, licet ultima verba: « Quod tibi ipsi praestare dignetur » etc., aliaque praecedentia minime faveant Oudino, qui monologium ad propriam animam supponere vult.

Verisimile autem est, aut in principio aliquid prologi excidisse, si auctor ipse hoc opusculum publicavit, aut illud ex privata epistola sumtum ab aliis publici iuris factum esse.

In Prolegomenis ad praecedens Opusculum VI. De Perfectione ad Sorores, et pag. 128, nota 1. iam rationes attulimus, quare nobis improbabilis videatur hypothesis Sbaraleae et Bonelli, opellam hanc scriptam esse ad B. Isabellam.

Obiter notamus, in citata prima nota ad pag. 128 corrigendum esse errorem, cum pro verbis: *in nostris Prolegomenis c. I. § 7. et 8.* » legi debeat: *in nostris Prolegomenis c. I. § 6. et 7.*

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Augustae Trevirorum*, bibliotheca Publica, cod. 599. (761.) chart. in 4. saec. XV. — Fol. v. non numerato: *Incipit tractatus compendiosissimus sancti Bonaventure, in quo relucet perfectio admirabilis interioris exteriorisque hominis*. Hinc fol. seq. r.: *Primum omnium necesse habes* etc. Desinit fol. v.: *Quod tibi ipse prestare dignetur cui cum Patre et Spiritu sancto est omnis honor et gloria in secula seculorum. Amen. Explicit compendiosa doctrina vite spiritualis a Seraphico doctore sancto Bonaventura Ordinis Fratrum Minorum composita, sed scripta anno 1490.* — In hac nostra editione signatur littera A.

2. *Ibidem*, cod. 271. (683.) chart. in 4. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. r. non numerato eodem titulo, quo praecedens, et etiam in fine, qui occurrit fol. r., ut in editis, eadem ipsissima verba adduntur, omisso tantum anno, quo codex fuit conscriptus. Sign. B.

3. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 9068. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Hoc opusculum exhibetur fol. 437. v. cum rubrica: *Epistola sancti Bonaventure ad dominam Blancam, reginam Hispanie, de regimine anime incipit.* Desinit fol. 440. v. per verba: *Quod ipse prestare dignetur, qui est Deus benedictus in secula. Amen.* Sign. F.

4. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. 15.ª chart. in 8. saec. XV. — Rubrica opusculi habetur fol. 262. r. sic expressa: *Epistola ad Blankam reginam. Sanctus Bonaventura ad dominam Blankam, reginam Hispanie, de regimine anime.* Desinit fol. 266. r. ut in editis. Sign. E.

5. *Parisiis*, bibliotheca Mazzarinea, cod. 902. chart. in 8. saec. XVI. ineuntis. — Titulus opusculi est fol. 63. r. verbis: *De regimine anime. Sanctus Bonaventura ad dominam Blankam, reginam Hispanie, de regimine anime incipit feliciter. Primum omnium necesse habes* etc. Desinit fol. 68. r. sub additione: *Explicit regimen conscientie editum a Seraphico doctore sancto Bonaventura.* Sign. D.

6. Praedictis mss. codicibus adiungimus quendam, qui olim asservabatur in bibliotheca sacri Conventus Assisii, de quo iam egimus tom. V. pag. XL n. 2. — Huic opusculo praemittitur: *Meditatio, quam scripsit frater Bonaventura cuidam devote domine.* In fine vero legitur: *Explicit meditatio, quam scripsit frater Bonaventura ad postulationem cuiusdam sancte mulieris.* Variantes huius codicis collegimus ex editione facta a Patre Benedicto Bonelli, in Supplemento operum omnium S. Bonav. tom. III. Sign. C.

Codices hi a nobis collati plerumque satis inter se conveniunt; in hoc tamen, ut iam supra et in prima nota diximus, A B ab aliis discedunt, quod allocutionem dirigunt ad virum, et ut insinuatur, ad virum Ordinis religiosi. In aliis locis iidem

codices saepe exhibent bonas lectiones et non raro cum C convenientes et in textum a nobis receptas.

II. Codices a nobis non collati.

7. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 4596-98. miscell. saec. XVI. — Complectitur partem tantum huius opusculi sine ulla indicatione, ab initio scilicet usque ad verba n. 8: *ut ait Apostolus, sobrie, iuste et pie.*

8. *Colmariae* in Alsatia, bibliotheca Civitatis, cod. chart. in 16. saec. XVI. ineuntis. — Rubrica opusculi exhibetur fol. 20. r. his verbis: *Sanctus Bonaventura ad dominam Blankam, reginam Hispanie, de regimine anime.* Desinit fol. 25. r. cum additione: *Finis 1501 per me fratrem Iohannem Hecht de Vachingen.*

9. *Giessae*, bibliotheca Universitatis, cod. 731. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 287. v.: *Incipit libellus domini Bonaventure ad dominam Blancam, reginam Hispanie, de regimine anime.* Desinit fol. seq. v. cum clausula: *Explicit Bonaventura de regimine anime.*

10. *Metis* in Lotharingia, bibliotheca Civitatis, cod. 241. miscell. in 4. saec. XV. — Fol. 43. r. huic opusculo praemittitur pro titulo invocatio: *Iesus Nazarenus, rex Iudeorum, miserere mei. Primum omnium* etc. Desinit fol. 45. r. cum additione: *Bonaventura edidit hunc tractatulum compendiosissimum, in quo relucet perfectio admirabilis interioris exteriorisque hominis. Explicit quod totum continens delectat.*

11. *Ibidem*, cod. 376. chart. in 8. saec. XV. — Opusculo, quod incipit post alia fol. r. non numerato, praemittitur tantum: *Bonaventura.* Desinit fol. seq. r. per verba editionis.

12. *Moguntiae*, bibliotheca Publica, cod. chart. n. 142. progress. LXXXII. saec. XV. — Opusculum est fol. 80. r. sub titulo: *Sanctus Bonaventura ad dominam Blankam, reginam Hispanie, de regimine anime.* Desinit fol. 81. r.: *Quod ipse prestare dignetur, qui est benedictus in secula. Amen.*

13. *Turonibus* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 409. chart. in 8. saec. XV. post medietatem. — Rubrica huius opusculi prostat fol. 91. r. his verbis: *Sanctissimi devotissimique Bonaventure. Primum omium necesse habes* etc. Ad calcem additur: *Finit feliciter via devotionalis spiritualis vite sanctissimi devotissimique Bonaventure.*

§ 8. **Opusculum VIII. De Sex Alis Seraphim.**

a. Hoc pretiosum opusculum genuinum esse, confitentur Oudinus (loc. cit. col. 420.), editores Veneti (Diatriba, pag. 78 seq.), Sbaralea (loc. cit. pag. 151), Bonelli (Prodrom. col. 562. seqq.). Confirmant hoc iudicium testes omni exceptione maiores, quorum primus est Gulielmus de Rubione, Minister Provinciae Arragoniae, doctus theologus Ord. Min., qui dicitur fuisse discipulus Scoti. Hic verbis disertis nominat Bonaventuram huius libri auctorem in suo Comment. in Sententias, lib. I. dist. 48, q. 2. ad finem, qui Commentarius approbatus fuit a Ministro Generali Geraldo 1333 (vel 1334) et impressus Parisiis per Iodocum Badium Ascensium an. 1518 (cfr. Prodrom. col. 252.). Secundus testis est Bartholomaeus Pisanus, et tertius Gulielmus Vorilongus (circa 1450) in suo Commentario in quartum libr. Sententiarum (vide Prolegom. ad V. tomum pag. LVI). Alios plurimos testes posteriores vide in Prolegomenis ad V. tom. pag. LVI seqq.

b. Ceterum ipsum opus sua excellentia et indole se comprobat legitimum seraphici Doctoris opus; illud supponit non tantum doctrinam consummatam, sed etiam longioris regiminis experientiam valde maturam. Unde illud ad posteriores Sancti annos referendum esse censemus. — Bene de eodem dicit Bonelli (loc. cit. col. 563.): «A capite ad calcem summam praefert divinarum litterarum peritiam ac vehemens subditis praelatisque iuvandi desiderium. Ex ipso non obscure licet arguere, quam integre, pie, moderate, prudenter, sapienter sancteque seraphico Ordini praefuerit Bonaventura, cum ab eo tradita animas regendi saluberrima documenta ad unguem fuisse executum, dubitari nequeat. Utinam praefatum opusculum diurna nocturnaque manu versetur a subditis atque praelatis, ab illis quidem, ut obediendi, ab istis autem, ut regendi sacerrimam normam ediscant. Quisquis ad ipsam sese exegerit, cum Sancto sanctus erit. Certe sedula eiusdem lectione plurimum profecisse scimus venerabilem P. Euphemium de Milionico, Minoritam Reformatum, atque ex eo praecipue suum locupletasse tractatum de *Officiis praelatorum et subditorum*» (vide Legendarium Francisc. tom. II. pag. 32, edit. Venet. 1721). — Bonelli sic continuat: «Ipsum commendat Franciscus Lamata, doctor theologus et unus ex Vaticanis editoribus in Epistola nuncupatoria Clementi VIII. inquiens: 'Etsi alii eius (Bonaventurae) tractatus ad illud quo ardes studium plurimum conferant, praecipue tamen unus est et is quidem brevissimus, *De sex Alis Seraphim* inscriptus, in quo sex enumerat vere pontificias virtutes, zelum scilicet iustitiae, pietatem, patientiam, vitae exemplum, discretionem circumspectam et devotionem ad Deum; de quibus per comparationem ad sex alas Seraphim, quas vidit Isaias, ita ibi artificiose disserit, ut nec in summa claritate brevitas, nec in compendiosa brevitate copiosa dicendi ubertas desideretur'». Deinde: «Meritis laudibus extollitur (hic libellus) a duobus non obscuri nominis scriptoribus Societatis Iesu, videlicet a Iulio Nigronio Italo (Comment. Regularum communium Soc. Iesu p. 2. n. 66) et a Ioan. Paulo Fontio Hispano. Ille enim ait: 'S. Bonaventura reliquit posteris libellum aureum *De sex Alis Seraphim*, quo continetur religiosae gubernationis magisterium. Hunc, quia conformis est spiritui nostro congruitque cum modo procedendi Societatis, iussit P. N. Claudius [Aquaviva] typis excudi ac per omnes Provincias disseminari, ut nostri praesertim Superiores eum evolverent ac doctrinam tanti viri ad praxim referrent'. Fontius autem inquit (Comment. eiusd. tractatus De sex Alis, cui titulus *Mysticus Seraphim*, in prooemio): 'In nostra Religione Societatis Iesu (quae in materia de libris aliquod tenet votum) tanti pretii tractatum hunc *De sex Alis* existimamus, quod in nostra bibliotheca eundem fere locum, quem nostri Instituti libri, obtinet'». Hucusque Bonelli.

c. Post editionem Argentinensem an. 1495 fere omnes sequentes collectiones opusculorum Bonaventurae hunc libellum repetunt; aliae plurimae editiones seorsim factae sunt, inter quas a P. Bonelli recensentur editio Coloniae apud Birkmann 1598; Antwerpiae, apud Cornel. Verschueren an. 1625; Barcinonae 1622 cum Comment. supra nominati P. Ioh. Fontii S. I.; Romae, an. 1622, typis Franc. Caballi. In varias etiam linguas libellus translatus est. Versio Germanica antiqua cum titulo: Der Geistliche Seraphin, prodiit Monachii apud Adam Berg an. 1608; recentissime Friburgi apud Herder.

d. Mirum valde est, quod pauci admodum codices tam praeclari et usitati opusculi in bibliothecis inveniuntur. Bonelli tantum duos cognovit: unum Mantuae in bibliotheca Conventus Gratiarum, Min. Obs. (vide Prodr. col. 430. n. 22.), alterum Ravennae, in bibliotheca S. Apollinaris Min. Obs. (ibid. col. 451. n. 8.). P. Fidelis a Fanna b. m. non invenit nisi paucos, qui sequuntur.

Elenchus codicum.

I. Codex a nobis cum textu Vaticanae editionis collatus.

1. Unicus cod., quem conferre potuimus, est *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, scilicet cod. 18933. chart. in 4. saec. XV. post medietatem. — Initium opusculi est fol. 172. r. sub rubrica: *Incipit tractatus sancti Bonaventure de sex alis Seraphim.* Prologus: *Da occasionem sapienti, et addetur ei sapientia. Prov. 9. Cum igitur ex levi sepe occasione* etc. Fol. 174. r. post prologum sequitur tabula, deinde iterum: *Incipit tractatus. Hec tibi scribo* etc. Desinit fol. 206. r.: *tandem ad celestia evolare faciat. Quod nobis prestare dignetur Iesus Xtus. Amen. Expticit tractatus sancti Bonaventure de sex Alis Seraphim.* — Hic praestavit perpaucas lectiones variantes.

II. Codices a nobis non collati.

2. *Avenione*, bibliotheca Civitatis, cod. sine numero, olim Caelestinorum Avenionensium A. 87. miscell. in 8. saec. XVI. — Fol. 40. v.: *Incipit tractatus sancti Bonaventure de sex alis Seraphim. Prologus. Da occasionem sapienti* etc. In fine subiungitur: *Explicit prologus cum tabula. Incipit tractatus.* Deficit cap. 7. n. 15. nostrae editionis verbis: *Quibus quasi armis defendatur et quasi...* Cetera fuerunt avulsa.

3. *Romae*, bibliotheca Barberini, cod. XIX. 34. chart. in folio saec. XVI. exeuntis. — Hic exhibet tantum schema quoddam huius opusculi. Incipit: *Prelatus Xti vices gerens sex virtutibus in sex alis Seraphim expressis potissimum fulgere decet* [sic]. *Ex opusculo sancti Bonaventure.* Desinit: *Ad implorandam populi salutem — subditorum perfectionem — propriam in regendo discretionem.*

4. *Sancti Pauli* in Carinthia, bibliotheca Monasterii, cod. Hospit. 254. chart. in 4. — A fol. 135. complectitur hoc opusculum exscriptum ex impresso edito Romae apud Aloysium Zannettum, anno 1591.

5. *Scaffhusae*, bibliotheca Civitatis, cod. 5. membr. in 8. saec. XV. — Incipit fol. 3. r. sine titulo: *Da occasionem sapienti* etc. Prologo additur tabula capitulorum, inde sequitur tractatus, qui desinit fol. 21. r. post medium: *Quod nobis prestare dignetur Iesus Xtus. Amen.* Hic codex a nobis requisitus pro collatione facienda non ibi fuit inventus, furto, ut fertur, ablatus. Praeter hoc opusculum codex habebat etiam: *Determinationes quaestionum circa Regulam* Fratrum Minorum, nec non *Centiloquium domini Bonaventure Ordinis Minorum.*

§ 9. Opusculum IX. Officium de passione Domini.

a. Huius Officii Invitatorium incipit verbis: « Christum captum et derisum, flagellatum et crucifixum venite adoremus ». Inscribitur etiam *Officium de cruce*, et saepe *Cursus de passione Domini*, Oudinus (Comment. etc., tom. III. col. 408.) et editores Veneti (Diatriba etc.) spurium illud esse censent, certe non propter rationes ex defectibus opusculi desumtis, cum Oudinus confiteatur, praefatum Officium « ex propriis s. Scripturae verbis esse compositum ». Hinc ei etiam confitendum esset, nihil abiectum ac censura dignum in eo inveniri. P. Bonelli (Prodr. col. 586.) cum Sbaralea illud esse genuinum affirmat; pro quo insigne afferri potest testimonium ex Chronicis XXIV Generalium (cfr. Analecta Francisc. tom. III. pag. 331). Dicitur enim ibi: « Hic Generalis (Bonaventura) ad instantiam domini et sancti Ludovici, regis Franciae Officium devotissimum de cruce composuit ». Idem testatur antiquus cod. Parisiensis saec. XIV. infra sub n. 27. relatus his verbis: « Incipit Officium sanctae crucis completum a fratre Bonaventura ad preces domini Ludovici ». Mirum porro esse non potest, quod inter 38 codices tantum quinque nomen auctoris exhibent (reliqui sunt anonymi), cum agatur de libello *precum* in usum devotionis transcripto, quia orantibus parum curae de nomine auctoris erat. Accedunt testes pro hoc Officio Petrus Perusinus, Franciscus Samson, Marianus Florentinus (vide Prolegomena ad V. tom. pag. LVI seq.) aliique. Hinc satis certum videtur, illud esse opus S. Bonaventurae.

b. Dolendum tamen est, quod codices inter se valde dissentiunt, ponentes differentes antiphonas et orationes; unde certo determinare non potuimus, quae lectio fuerit primitiva. Hae differentiae lectionum inde explicari possunt, quod multi sibi licere putaverint librum devotionis pro libitu accommodare proprio gustui. In textu reformando secuti sumus codices, qui nobis visi sunt meliores, aliorum lectiones maioris momenti ad calcem ponentes.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Augustae Trevirorum*, bibliotheca Civitatis, cod. 649. (olim 141) chart. in 4. saec. XV. — Officio de Passione praemittitur haec rubrica: *Incipiunt hic iam hore de passione Domini. Iesu, Dei verbum, David inclita proles, qui passus es pro nobis, miserere nobis. Domine, labia mea aperies* etc. *Xtum captum et derisum* etc. Desinit per verba: *Benedicamus Domino. Deo gratias.* — In nostra editione signatur littera C.

2. *Darmstadii*, bibliotheca Ducalis, cod. n. 1021. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Officium de Passione Domini incipit post alia opuscula fol. 99. v. a verbis: *Domine, labia mea aperies* etc. Desinit fol. 106. v.: *in ardenti desiderio retinere. Qui vivis* etc. Sign. D.

3. *Florentiae*, bibliotheca Nationalis, ex fundo Baldovinetti stanz. 21. E. B. IX. cod. 201. membr. in 12. saec. XV. incuntis. — Fol. 2. r.: *Incipit officium sacratissime passionis Domini nostri Iesu Christi. Ad Matutinum vers.: Per signum Crucis* etc. Finit fol. 27. v. verbis: *Explicit officium sacratissime passionis Domini nostri Iesu Christi.* Sign. G.

4. *Giessae*, bibliotheca Universitatis, cod. 877. miscell. in 8. saec. XIV. — Incipit hoc opusculum fol. 43. r. cum titulo: *Cursus de passione Domini. Domine, labia mea... Invitatorium. Xtum captum et irrisum* etc. Desinit fol. 60. r: *In memoria retinere, per te Iesu Xte, rex glorie, qui es benedictus in secula seculorum. Amen.* Sign. A.

5. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 4649. membr. in 8. saec. XV. ante medietatem. — Hoc opusculum occurrit fol. 59. r. cum verbis: *Incipit cursus de passione Domini. Domine, labia mea... Invitatorium: Xtum captum et irrisum* etc. Desinit fol. 68. r.: *ad te piissimum episcopum et pastorem fidelium animarum. Qui cum Deo* etc. Sign. E.

6. *Ibidem*, cod. 8258. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 1. r.: *Incipit cursus de passione Domini. Invitatorium. Xtum captum et irrisum* etc. Desinit fol. 8. v. per verba: *ad te episcopum et pastorem fidelium animarum. Qui vivis* etc. Sign. F.

7. *Romae*, bibliotheca principum Burghesiorum, cod. 54. membr. in fol. saec. XIV. ante medium. — Post alia opera liturgica fol. 18. r.: *Incipit officium sancte Crucis* etc. Desinit fol. 40. r.: *cum ardenti desiderio retinere. Qui vivis* etc. Sign. B.

Iam diximus supra, tantam esse lectionum in his codicibus differentiam, ut nullum codicem nec distinctam certamque codicum familiam semper sequi potuerimus, ut patet ex notis ad calcem positis. Plerumque tamen praeferendi visi sunt A B D, praesertim quando eandem praebebant lectionem.

II. Codices a nobis non collati.

8. *Ambiani* (Amiens) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 205. miscell. in 12. saec. XVI. — Rubrica huius opusculi occurrit fol. 13. r. his verbis: *Incipiunt hore de passione Domini nostri Iesu Xti composite a devoto doctore sancto Bonaventura. Ad Matutinum. Domine, labia mea* etc. *Invitatorium. Xtum captum et derisum* etc. Desinit fol. 62. r. cum hac additione: *Finis horarum de passione Domini nostri Iesu Xti, quas composuit doctor devotus Bonaventura Ordinis Fratrum Minorum.*

9. *Barcinone* in Hispania, bibliotheca Universitatis, cod. 8. 9. 19. chart. in 8. saec. XVIII. — Hoc officium occurrit cum hac rubrica: *Tractatus sancti Bonaventurae eximii Ecclesiae doctoris, videlicet primo de passione Domini officium.* Convenit per omnia cum Vaticana editione, ex qua forsitan fuit exscriptum.

10. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 2921-25 scriptus anno 1467. — Hoc opusculum incipit fol. r. non numerato sub rubrica: *Cursus de passione Domini.* Desinit verbis: *piissimum episcopum et pastorem fidelium animarum, qui vivis* etc.

11. *Ibidem*, cod. 21600. chart. in 8. saec. XVII. — Rubrica huius opusculi est pag. 407 his verbis: *Sancti Bonaventure Seraphici doctoris de passione Domini officium. Invitatorium: Xtum captum et derisum* etc.

12. *Colmariae*, bibliotheca Civitatis, cod. membr. in 16. saec. XV. exeuntis. — Fol. 1. r. legitur: *Sequitur nunc cursus de passione Domini. Domine, labia mea* etc. *Regem Xtum crucifixum.* Desinit fol. 27. r. verbis: *in ardente desiderio retinere, qui vivis* etc.

13. *Florentiae*, bibliotheca Nationalis, cod. G. VIII. 806. membr. in 12. saec. XV. — Opusculum occurrit fol. r. non numerato cum rubrica: *Incipit officium sacratissime passionis Domini nostri Iesu Xti.* Lectiones et alia quaedam discrepant ab edito sub sancti Bonaventurae nomine, cetera conveniunt.

14. *Ibidem*, cod. 197. membr. saec. XV. — Convenit fere in omnibus cum cod. praecedenti, etiam in titulo. Nomen auctoris in utroque desideratur.

15. *Ibidem*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, cod. 220. Gadd. membr. in 8. saec. XV. — Post Psalmos poenitentiales: *Incipit officium sacratissime passionis Domini nostri Iesu Xti. Per signum Crucis* etc. Est anonymum et in aliquibus differt ab edito.

16. *Ibidem*, cod. 226. membr. in 12. saec. XV. — Fol. 160. r.: *Incipit officium sacratissime passionis D. N. I. Xti. Per signum Crucis.* Desinit fol. 200. v. Convenit per omnia cum praecedenti.

17. *Ibidem*, Plut. XXV. cod. 3. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 114. r.: *Incipit officium beatissime passionis et crucis D. N. I. Xti Nazareni. Domine, labia mea* etc. *Xtum captum et irrisum.* Desinit fol. 130. v. prorsus anonymum.

18. *Gothae*, bibliotheca Ducalis, membr. II. n. 35. in 8. saec. XV. exeuntis. — Incipit fol. 1. r. sub rubrica: *Cursus sancti Bonaventure de passione Domini.* Desinit fol. ultimo codicis per collectam Completorii: *Domine Iesu Xte, Fili Dei vivi, qui hora Completorii in sepulcro* etc.

19. *Graecii*, bibliotheca Universitatis, cod. 396. membr. in fol. saec. XIV. — Officium incipit pag. 124 sub titulo: *Cursus de passione Domini.* Desinit pag. 131 verbis: *visionis tue consolationem pervenire concedas. Amen.* Orationes et responsoria non conveniunt cum impresso.

20. *Ibidem*, cod. 1656. membr. in 12. saec. XV. post medietatem. — Opusculum hoc incipit fol. 64. r. verbis: *Domine, labia mea... Christum captum et derisum* etc. Desinit fol. v. non numerato in oratione ad Completorium: *ad te piissimum episcopum fidelium animarum. Amen.* Orationes et responsoria non conveniunt cum impresso, ut in codice praecedenti.

21. *Herbipoli*, bibliotheca Conventus sanctae Crucis Patrum Minorum Conventualium cod. C. I. 144. membr. in 8. saec. XV. — Rubrica huius officii est fol. r. non numerato his verbis expressa: *Cursus de passione Domini.* Desinit post horam nonam, inde transit ad alia.

22. *Lovanii*, bibliotheca Universitatis, cod. 5. saec. XV. — Fol. 63. r. legitur: *Cursus de passione Domini.* Desinit fol. 65. v. cum additione: *Finiunt hore breves sive cursus cotidianus de passione Domini edite per devotissimum doctorem Iohannem Bonaventuram anno gratie.* Deest annus, sed aliis opusculis in codic. contentis additur *1487*.

23. *Lucae*, bibliotheca Publica, cod. 1484, membr. in 16. saec. XV. ineuntis. — Opusculo praemittitur rubrica idiomate italico sic: *Icomincia l' offitio della sacratissima passione di Iesu Xpo.* Desinit ut in edito per orationem: *Domine Iesu Xte, qui in hora diei ultima* etc. Additur: *Deo gratias. Explicit officium sacratissime Crucis.*

24. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 6116. membr. in. 8. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 78. r.: *Incipit officium reverendissime Crucis. Antiphona. Per signum Crucis* etc. Desinit fol. 121: *a morte perpetua liberemur, qui* etc.

25. *Ibidem*, cod. 7835. miscell. in 8. saec. XV. — Officium incipit fol. 74. r. titulo: *Cursus de passione. Domine, labia mea* etc. *Invitatorium: Xtum captum et irrisum.* Desinit fol. 90. v.: *hic et in celesti curia, qui cum* etc.

26. *Montis Angelorum* in Helvetia, bibliotheca Monasterii Ord. S. Benedicti, cod. VI. 30. membr. saec. XVI. ineuntis. — Titulus huius opusculi est fol. r. non numerato: *Cursus de passione Domini.* Ordo servatur, sed nonnulla differunt ab editione Vaticana.

27. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 16309. membr. in 4. saec. XIV. post medium. — Fol. 322. r.: *Incipit officium sancte Crucis completum a fratre Bonaventura ad preces domini Ludovici. Domine, labia mea* etc. *Regem crucifixum Dominum venite adoremus.* Desinit incompletum fol. 123. v. verbis: *Fili Dei vivi, Iesu Xte, qui humiliter de Virgine natus...*

28. *Sancti Galli*, bibliotheca Monasterii, cod. chart. in 12. saec. XV. — Pagina 71 in superiore margine legitur: *Cursus de passione Domini.* Post quandam orationem sequitur: *Domine, labia mea... Xtum captum et derisum* etc. Desinit ad Completorium pag. 88 hac oratione: *Domine Iesu Xte, qui hora Completorii dixisti Apostolis tuis: Tristis est anima mea usque ad mortem, et tribus vicibus orasti ad Patrem, ut, si esset possibile, transferretur a te calix passionis tue; et pre angustia et pavore mentis sanguineum sudorem sudasti et confortationem ab Angelo suscepisti de celo: Ne, queso, permittas, me in manus crudelium inimicorum tuorum tradi, sed iubeas, me adduci per manus sanctorum Angelorum tuorum ad te pissimum episcopum fidelium animarum, qui vivis* etc. Quia pluribus in codicibus (vide n. 5. 6. 10. 31.) legitur haec oratio, ideo opportunum duximus hic eam inserere.

29. *Sancti Pauli* in Carinthia, bibliotheca Conventus, cod. Blas. 76. membr. in 12. saec. XVI. ineuntis. — Fol. 1. r. praemittitur haec notitia: *Frater Iodocus Schüssler, divi Francisci Ordinis conventualis Überlingensis, hunc librum possidet ab anno Domini 1574.* Sequitur Kalendarium, hinc: *Incipit cursus de passione D. N. I. Xti. Domine, labia mea* etc. *Christum captum et derisum* etc. Desinit fol. 33. r. ut in editis.

30. *Solothurnii* in Helvetia, bibliotheca Ecclesiae cathedralis, cod. membr. in 8, non sign. saec. XIV. ante medium. — Post alias preces fol. r. non numerato: *Incipit cursus de passione Domini.* Admodum differt ab edito.

31. *Tridenti*, bibliotheca Civitatis, ex collectione Tonelli, cod. sine num. membr. in 12. saec. XV. post medium. — Officium passionis incipit fol. non numerato: *Invitatorium. Christum captum et irrisum* etc. Desinit in oratione ad Completorium: *Domine Iesu Christe, qui hora diei ultima* etc.

32. *Venetiis*, bibliotheca sancti Marci, cod. class. II. 53. membr. in 16. saec. XV. — Folio 127. v.: *Incipit officium passionis D. N. I. Xti. Domine, labia mea* etc. *Regem Crucifixum* (sic) *venite adoremus.* Desinit ad Completorium ut in edito fol. 166.

33. *Ibidem*, cod. class. II. 55. membr. in 16. saec. XV. ineuntis. — Est rubrica in fol. 106. r.: *Incipit officium passionis D. N. I. Xti.* Desinit ad orationem Completorii ut praecedens.

34. *Ibidem*, cod. class. II. 18. membr. in 16. saec. XV. — Fol. r. non numerato aureis litteris: *Incipit officium passionis Domini nostri Iesu Christi.* Desinit ad Completorium per orationem: *Domine Iesu Christe, qui in hora diei ultima* etc.

35. *Ibidem*, cod. Musaei Correr Class. V. n. 7. membr. in 16. saec. XV. — Fol. r. non numerato: *Incipiunt de passione Domini. Ad matutinas.* Prosequitur usque ad Completorium, cuius orationi additur: *Laus sit Xto, qui patrum veterum... caro refloruit. Amen.*

36. *Vicetiae* (Vicenza) in Italia, bibliotheca Bertoliana, cod. G. 2. 7. 23. membr. in 12. saec. XV. post medietatem. — Fol. non numerato: *Incipit officium sanctissime passionis Domini nostri Iesu Xti. Ad Matutinum.* Prosequitur usque ad Completorium, sed plura discrepant ab edito.

37. *Ibidem*, cod. G. 2. 7. 29. membr. in 16. saec. XV. exeuntis. — Habet initium: *Incipit officium sancte crucis.* Desinit fol. ultimo exarato ad horam Completorii.

38. *Weimariae*, bibliotheca Ducalis, cod. O. 62. membr. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Rubrica huius occurrit fol. 112. v. verbis: *Incipiunt hore de passione Xti. Domine, labia mea etc... Xtum captum et derisum.* Desinit fol. 132. v. verbis: *tradatur corpus nostrum pulveri et anima nostra creatori, qui vivis et regnas* etc.

§ 10. Opusculum X. Vitis mystica.

a. Incipit hoc opusculum sic: *Ego sum vitis vera*, et pluries impressum est inter opera S. Bernardi cum titulo: « Tractatus de passione Domini ». Quod autem huic illud abiudicandum sit, praeter Bellarminum et Labbaeum etiam insignis operum Bernardi editor, Ioan. Mabillonius, asserit libroque praefigit hanc notam: « Non est S. Bernardi, sed cuiusdam alterius auctoris pii nec indocti nec inelegantis, qui parvos sermones conscripsit ex num. 53 ». Quis autem sit hic auctor nec indoctus nec inelegans, de hoc, quod scimus, nemo inquisivit usque ad P. Bonelli. Hic enim, cum ei communicati essent duo codices (scilicet Vindobonensis et Gottwicensis, etiam a nobis infra notati), qui nomen *Bonaventurae* huic opusculo apponunt, fide horum codicum et aliis indiciis motus, putavit totius tractatus editi auctorem esse S. Bonaventuram. Vidit quidem et confessus est, in codice Vindobonensi et multo magis in alio manifeste truncato tractatum hunc exhiberi multo edito breviorem. Nihilominus non suspicatus est, breviorem illam formam esse primitivam, editam vero insertionibus posterioribus triplo ampliatam. — Sed nos legentes tractatum a Bonelli editum incidimus in multos locos ita ab indole, consuetudine et stilo Bonaventurae alienos, ut totum opusculum illegitimum esse a principio censuerimus. Cum vero postea viderimus, undecim antiquiores et meliores codices in eo convenire, ut vix tertiam partem editorum contineant, et hanc bene ordinatam et titulo et prologo respondentem, et ex altera parte pateat, ea quae in his codicibus deerant, non obscura vestigia praebere, quod ab alio auctore et contra opusculi rationem et unitatem inserta sint; tunc nostrum de genuinitate examen ad eam partem restringendum esse vidimus, quae in his codicibus exhibetur. Haec autem nihil continet, quod non sit Bonaventura dignum; unde accedente in favorem S. Bonaventurae bonorum codicum sufficiente auctoritate, ipsi opus tribuendum esse satis constat, cum nullum alium scriptorem habeat competitorem.

b. Diximus supra, non obscura exstare vestigia, quae ostendunt, multa a posteriore scriptore primitivo operi esse inserta. Hoc apparet praecipue in illis longioribus additamentis, quae a nobis post hunc libellum posita sunt. Secundum prologum enim auctor vult agere de *ligno vitae*, secundum quod est *vitis mystica*, de qua locutus est Christus (Ioan. 15, 1.), huiusque vitis folia, flores fructusque adaptare ad Christum eiusque passionem. Sed in editis scriptor a c. 17. n. 53. (vide infra pag.

192) divertit sermonem ad alia themata, quae multis cum digressionibus describit. Nam multo diffusius agit de aliis floribus, scil. viola humilitatis, lilio castitatis, croco abstinentiae, relicto themate primo. Hoc confitetur ipse scriptor, infra n. 120. (pag. 216), dicens: « Haec autem per quendam excessum de flore lilii spiritualis, qua praecipue floret Vitis et vita nostra, bonus Iesus, in gratiam virginum, ad quarum notitiam hunc tractatum credimus futurum, diligentius pertractare studuimus... *Nec timemus linguas detractorum dicentium, nos uniformitatem materiae non servasse, qui a tractatu vitis in tractatum lilii deciderimus;* cum pro certo sciamus » etc. — Porro a n. 72. (pag. 198) et deinceps in textu alloquitur *moniales*, quasi pro eis tractatum fecerit, dum genuina pars istas virgines Deo consecratas non meminit. — Denique stilus huius scriptoris, certe ingenio et facilitate dicendi non carentis, penitus differt a S. Bonaventurae modo dicendi presso ac sententiarum gravitate singulari, cum ille potius verbose et non sine ambagibus et repetitionibus scribat. Hinc omnino constare videtur, dicta additamenta abiudicanda esse S. Bonaventurae. Quis autem haec scripserit, incertum est, cum verba: « in sermone, quem de Parvis (sive Pueris) conscripsimus » (vide infra pag. 193, notam 6.), non satis indicent auctorem.

c. Quod autem forma brevior iure sit tribuenda seraphico Doctori, id inter 16 codices infra relatos attestantur 11, qui hanc formam habent et libellum illi inscribunt. Eandem formam breviorem habet etiam n. 9, sed tacito nomine auctoris. Duo tantum codices Darmstadienses (n. 1. et 2.) et sunt anonymi et longius opus habent, cod. A integrum, sed B truncatum. Nomen Bernardi prae se fert hoc opusculum in codd. n. 12. (sed cum hac restrictione: « Et *asseritur* beato Bernardo ») et n. 13. Observat Bonelli (Supplementum etc., tom. III. in praevia admonitione col. 2.), siglam B. inventam in codicibus occasionem potuisse dare, ut accipiatur non pro Bonaventura, sed pro Bernardo. Hoc re vera pluries factum esse, alias constat. Inter illos 11 codices, quos secuti sumus, antiquitate et auctoritate eminet cod. C, qui titulum habet: *Sermo Bonaventurae super hoc verbo: Ego sum vitis vera* etc. Non est prorsus improbabile, substantiam libelli primitus compositam fuisse in forma sermonis, ut vult cod. C, et postea mutatam fuisse in affectuosam de passione Domini meditationem, quam seraphico Doctori ita familiarem fuisse traditum est, ut principalem librum suum esse Crucifixum dicere potuerit. Quoad ipsas sententias magna congruentia invenitur inter hanc *Vitem mysticam* et libellum *Lignum vitae*. Sed in eo duo opuscula differunt, quod in *Ligno vitae* manifeste *aliis* stilo presso brevissime proponuntur puncta meditanda, in *Vite mystica* vero auctor ipse se effudit in tenerissimos affectus, plenos tamen multis gravibusque sententiis. Hinc plures codices opellam hanc non inepte inscribunt: « *Planctus* Bonaventurae de passione Domini ». Propter eandem rationem nec mirum videri potest, quod forma orationis vivacior solito appareat et non nihil differat ab eo simpliciore dicendi genere, quod in aliis libris ad instructionem scriptis auctor adhibere solet. Non tamen in scriptis S. Doctoris desunt exempla affectuosi modi scribendi, ut in prologo Opusculi XXI. de XXV Memorialibus, et passim in libello per modum contemplationis scripto de V Festivitatibus (Opusculum V.).

d. Bonelli, ut diximus, denuo edidit integrum opus, quale inter opera S. Bernardi impressum fuit, et adhibitis duobus codicibus eam partem, quam hi habebant, aliquatenus correxit. Quoad reliqua non potuit uti nisi iam editis, et pro fundamento adhibuit editionem Venetam anni 1546. In nostra editione illa magna additamenta harum editionum, licet non genuina, haud putavimus penitus esse supprimenda, quia utilia continent; minora addita posuimus ad calcem, maiora vero post finem libelli. Cum autem textus horum addimentorum in multis locis manifeste esset corruptus, tum in editione Maurina tum apud Bonelli; ope duorum codicum A B saepissime eum emendavimus.

e. Denique notatu dignum est, quod in Breviario Romano ex hoc opusculo depromptae sunt lectiones secundi Nocturni duorum festorum, nempe de Ss. Corde Iesu (vide c. 3. n. 3.) et Ss. plagarum D. N. I. Christi, quod celebratur feria VI. post Dominicam III. Quadrag. (vide cap. 23. n. 1. et 2.). Inscribuntur quidem ibi hae lectiones cum titulo *Sermo S. Bernardi*, quia verus auctor adhuc erat ignotus. — Ex eodem tractatu plura allegantur in illo inedito opere *Rosarium Iesu et Mariae*, de quo locuti sumus supra Prolegom. pag. XL col. 1. circa finem.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Darmstadii*, bibliotheca Ducalis, cod. 1081. membran. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Rubrica opusculi occurrit his verbis fol. 1. r.: *Incipit prologus in librum, qui dicitur Vitis. O benigna vitis vera, lignum vite* etc. Desinit fol. 119. v.: *finemque sacremus optimo et dulcissimo Iesu. Explicit liber, qui dicitur Vitis.* Vide editionis additamentum ultimum in fine (pag. 189). — In nostra editione signatur littera A.

2. *Ibidem*, in eodem codice compactum invenitur aliud exemplar ab antiquiore manu exaratum, fol. 124. sub eodem titulo, scilicet: *Incipit prologus in librum, qui dicitur Vitis. O benigna vitis* etc. Desinit fol. 147. v.: *et verbis et factis eius preostensum fuit, qui auditis nuntiorum verbis...* Cetera desunt. Vide editionis cap. 10. n. 1. (pag. 175, notam 9.). Sign. B.

3. *Gottwicii*, bibliotheca Monasterii, cod. 294. (274.) chart. in fol. saec. XV. — Legitur fol. non numerato rubrica: *Incipit planctus fratris Bonaventure, cardinalis Ordinis Minorum de passione Domini. Ego sum vitis... O Iesu, benigna vitis veni, lignum vite* etc. Suspenditur scriptum cap. 23. n. 1. ad verba: *ardorem rose caritatis in arbore considera passionis.* Deinde notatur: *Reliqua, videlicet finem huius tractatus, quere vertendo folia quinque, ubi incipit: Quis unquam tam gravia.* Sed ista folia fuerunt praecisa. — Verba illa: « in arbore considera passionis », fortasse respiciunt *arborem* illam in opusculo *Lignum vitae* descriptam, cuius secunda pars agit *de passione Domini.* Sign. G.

4. *Lentiae* (Linz) in Austria, bibliotheca Publica, cod. P. N. 6. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis vel saltem saeculi XIV. incipientis. — Fol. r. non numerato incipit opusculum cum hoc titulo: *Sermo Bone Venture super hoc verbo: Ego sum vitis vera. Ego sum vitis* etc. *O Iesu, benigna vitis, veni.* Desinit cap. 24. n. 3. (pag. 188) verbis: *talis te ut complectatur exspectat. Caput floridum multis.* Desunt igitur genuini operis paucae tantum lineae. Sign. C.

5. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 18648. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r.: *Incipit tractatus vel sermo devotus et utilis de passione dominica, editus a cardinali Bonaventura super illo verbo Iohannis: Ego sum vitis vera.* Desinit fol. 17. r.: *Divinitatis tue imaginem reformemur. Prestante Domino nostro. Amen. Deo gratias.* Sign. D.

6. *Ibidem*, cod. 18649. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 216. r. cum hac rubrica: *Tractatus domini Bonaventure de passione Domini super illo verbo Iohannis: Ego sum vitis vera.* Desinit fol. 243. r. ut in codice praecedente. Deinde alia manus eiusdem aevi addidit: *Explicit tractatus domini Bonaventure.* Sign. E.

7. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 4178. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 121. v. legitur: *Incipit planctus Bone Venture de passione Domini. Ego sum vitis... O Iesu mitis, veni.* Desinit fol. 133. r. cum editione, addito: *Explicit planctus Bone venture de passione Domini.* Sign. H.

8. *Zwettel*, bibliotheca Monasterii, cod. 76. membr. saec. XIV. — Hoc opusculum incipit fol. non numerato sub titulo: *Planctus Boneventure de passione Domini. Prologus.* Desinit ut in edito cum additione: *Explicit planctus Bone venture.* Sign. F.

Iam supra de his codicibus plura diximus. Solummodo codd. A B totum opus a Bonelli iterum editum continent, et ideo aliam familiam repraesentant; hi tamen utiles fuerunt ad emendanda tot additamenta sumta ex editis. Etiam quoad eam partem, quae genuina est, non raro lectiones bonas aliorum codicum confirmarunt. Sed manifestum est, quoad hanc partem legitimos testes esse illos sex codices collatos, qui distinctam familiam repraesentantes, valde inter se conveniunt. Plerumque duos antiquiores codd. C et F secuti sumus.

II. Codices a nobis non collati.

9. *Giessae*, bibliotheca Universitatis, cod. 575. miscell. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 80. r. sine titulo: *Iesu benigne, vitis vera, lignum vite* etc. Desinit fol. 103. v.: *ut conformati imagini passionis tue, ad eam quoque, quam peccando amisimus, tue Divinitatis imaginem reformemur.* Vide editionis cap. 24. n. 4.

10. *Hamburgi*, bibliotheca Civitatis, Gefflen. biblioth. N. 7, modo theolog. XXI. cod. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 13. v.: *Incipit planctus fratris Bonaventure cardinalis de passione Dei et comparatio Xti passi ad vitem in exterioribus accidentiis et in interioribus proprietatibus pulcherrima, et quare in Evangelio dicit Dominus: Ego sum vitis vera. Prologus in eundem tractatum.* Desinit fol. 22. v.: *Divinitatis tue imaginem reformemur. Prestante D. N. I. Xto, qui cum Patre et Spiritu sancto in unitate vivit et regnat per infinita secula seculorum. Amen. Explicit dulcissima meditatio lacrimosa et amorosa, cordis compunctiva de passione Xti, per manus fratris Iohannis Sartoris de conventu Halberstadi, pro tunc lectoris secundarii in Hamborg. Anno Domini MCCCC41, dominica secunda post Epiphaniam Domini.*

11. *Medelci*, bibliotheca Monasterii, cod. D. 32. membr. in 4. saec. XV. — Rubrica opusculi est fol. 155. r. his verbis: *Incipit tractatus vel sermo devotus et utilis de passione dominica, editus a cardinali Bonaventura super illo verbo Iohannis: Ego sum vitis vera.* Desinit fol. 169. v.: *reformemur. Prestante Domino nostro. Amen.*

12. *Traiecti* ad Rhenum, bibliotheca Academiae, cod. 78. inter S. E. membr. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Folio r. non numerato: *Incipit liber, qui intitulatur: Ego sum vitis vera, et ascribitur beato Bernardo. Prologus.* Desinit fol. ultimo v.: *Cuius nomini principium opusculi huius sacravimus finemque sacremus optimo et dulcissimo Iesu. Quod* etc. *Explicit liber, qui vocatur: Ego sum vitis vera, de dulcissimo Iesu Xto.* Alia manus saec. XV. addidit: *Qui alio nomine intitulatur. Flores crucifixi Iesu.*

13. *Ibidem*, cod. 224. int. S. E. membr. in 4. saec. XV. — Incipit fol. 3. r. cum rubrica: *Prologus deprecatorius beati Bernardi abbatis super verbis evangelicis: Ego sum vitis vera. Ihesu benigne* etc. Desinit fol. 59. v.: *iugiter per humilitatis custodiam conservemus. Amen* (cfr. infra pag. 159, nota 6. et pag. 222, n. 155.). *Explicit tractatus de proprietatibus vitis sive flores Crucifixi.*

14. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 4444. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 245. r.: *Incipit planctus Bone Venture de passione Domini.* Desinit fol. 254. r.: *imaginem reformemur, qui vivis et regnas. Explicit planctus Bone Venture de passione Domini.*

15. *Ibidem*, cod. 4362. chart. in fol. saec. XV. ante medium. — Hoc opus incipit fol. 231. v. sine ullo titulo: *Ego sum vitis vera* etc. *O Iesu mitis, veni, lignum* etc. Desinit cum editione fol. 249. v. et additione: *Explicit planctus Boneventure de passione Domini Iesu Xti.*

16. *Ibidem*, cod. 4487. chart. in 4. saec. XV. — Post alia opuscula sancti nostri Doctoris fol. 273. r. est rubrica huius: *Incipit alter tractatus eiusdem Boneventure de passione Xti. Et solet intitulari planctus Boneventure. Ego sum vitis vera* etc. *Iesu mitis, veni.* Desinit fol. 289. v. sicut in editione; additur: *Explicit planctus Bonaventure de passione Domini.*

CAP. II.

De genuinis operibus, quae ad res Ordinis Fratrum Minorum spectant.

His operibus primo loco adnumeranda est illa praeclara *Quaestio* de *Paupertate*, quam in tomo V. nostrae editionis pag. 124 seqq. publicavimus, et de qua in Prolegomenis istius voluminis c. II. § 1. seqq. diffuse rationem reddidimus. Haec Quaestio erat disputata in scholis et deinde publicata contra Gulielmum a S. Amore, qui in magna illa lite, quam Universitas Parisiensis egit contra Mendicantes, fuit antesignanus. Obiectiones eiusdem contra hanc Bonaventurae Quaestionem disputatam antea non notas ex quodam codice bibliothecae Laurentianae (Florentiae) publicavimus (vide Prolegom. pag. VII. seqq.). Licet illa Quaestio de paupertate secundum materiam spectet ad hunc tomum, noluimus tamen eam separare ab aliis illis Quaestionibus disputatis ad quintum tomum pertinentibus, praesertim de Perfectione evangelica, cuius partem constituit.

Inter opuscula ad Ordinem spectantia huius VIII. tomi primo loco ponimus ea quae magis ad defensionem Ordinis illa aetate vehementissime impugnati spectant. Haec sunt quinque (Opusc. XI-XV.), inter quae eminet Opusc. XI. *Apologia pauperum.* Sequuntur deinde ea quae pro instructione Religiosorum scripta sunt (Opusc. XVI-XXII.), denique utraque Legenda S. Francisci.

§ 1. Opusculum XI. Apologia pauperum.

a. Inter certissima s. Doctoris opera et principalia ab omnibus eruditis viris hic liber, qui incipit: « Summi legislatoris » etc., semper recensebatur. Hoc asserit ipse Oudinus (Commentarii etc. tom. III, col. 392) eumque inter ea indubia Bonaventuriana ponit, ex quibus, ut dicit, « attente lectis methodum seraphici Doctoris agnoverit neque plane elegantem neque omnino neglectam, sed media quadam inter elegantiam et negligentiam incedentem via, cuius tamen aliquando phrases ad deiectionem tendant, more Scholasticorum huius temporis. Quoad ingenium cognovi illud grave et virile ac nullatenus infans aut monachale vel simplex, omnem in expressionibus barbariem ac nugacitatem vitans. Qua ex impressione accinxi me ad discussionem operum atque opusculorum sub illius nomine circumlatorum, quam nullus hucusque aggressus est ». Certe Oudinus more humanistarum nullam stili praestantiam agnovit nisi formatam secundum auctores classicos Latinos.

Hic liber saepissime ab antiquis testibus tribuitur S. Bonaventurae, imprimis ab Ubertino a Casali tum in libro *Arbor vitae crucifixae Iesu*, libro III. c. 9, tum in illis scriptis, quibus in magno illo in curia Romana agitato processu defendit Spirituales, quae a cl. P. Ehrle S. I. publicata sunt in Archiv für Litteratur-und Kirchengeschichte des Mittelalters, tom. III. 1-195. Ibi pluries citatur haec Apologia (vide pag. 59 et alibi) ab Ubertino et etiam ab adversario eius Raymundo (vide pag. 94). Citatur etiam a Michaele de Cesena in epistola appellationis an. 1328 Pisis scripta (Baluzii Miscellanea, editio Mansi tom. III. Appendix, pag. 251 col. I). Item, de eadem dicitur in Chronicis XXIV Generalium (Analect. Francisc. tom. III, p. 326): « Existens vero Generalis, libellum perniciosissimum, qui creditur fuisse magistri Geraldi de Abbatisvilla per *Apologiam* tam eleganter quam subtiliter confutavit ». Item citatur in libro *Conformitatum* Bartholomaei Pisani (libr. I. p. II. fruct. 8.). Superfluum est posteriores testes quam plurimos allegare, cum multi codices, etiam saeculi XIII, infra relati Bonaventurae suffragentur.

b. Occasionem scribendi hanc Apologiam Ordinis praebuerunt calumniae cuiusdam magistri Parisiensis in libello, qui incipit: « Tantum sibi praesumtionis assumserunt quidam homines » etc., de quo necessaria dicta sunt infra pag. 233, nota 2. Ibidem n. 4. etiam probatur, hoc opusculum non ante annum 1269 scriptum esse. — Magna illud diligentia, abundante doctrinae copia et ingenii subtilitate elaboratum est. Abundat textibus Scripturae et Ss. Patrum ac Canonum testimoniis non vulgaribus, quae non sine improbo labore omnia invenire potuimus. Sophismata adversarii et falsa principia auctor funditus evertit, sinceram evangelicam doctrinam solide probat atque verum Regulae Fratrum Minorum sensum patefacit. — Nec mirandum, quod auctor in Apologia multo acrius calumniatorem hunc, sed tacito nomine, insectetur, quam prius errores Gulielmi a S. Amore. Iam enim Sedes apostolica iudicium suum de re controversa tulerat, condemnans libellum Gulielmi; sed hic denuo eosdem et peiores errores protulit, ita ut Gulielmum « non parva temeritate velut innocentem excusaret ipsiusque doctrinam commendaret, non sine multa iniuria Sedis iam dictae » (Apolog. c. 8. n. 1.; cfr. etiam c. 1. n. 1.). In hunc igitur calumniatorem omni excusatione destitutum verus zelus animarum et gloriae divinae S. Doctori arma ministravit iustitiae, temperata tamen vera christiana caritate. Hoc ultimum testantur ipsa Sancti verba in prologo, praesertim n. 2, et in c. 6. n. 20, ubi dicit: « Super quo Patri misericordiarum sacrificium devotae precis offerimus, ut, sicut de ipsius subversione doluimus hactenus, ita de conversione in posterum gaudeamus ».

Edita est haec Apologia in *prima*, ut videtur, collectione parvorum Opusculorum S. Bonaventurae, quae est sine indicatione loci, temporis et typographi (vide Bonelli Prodrom. col. 280), et in fere omnibus subsequentibus.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Assisii*, bibliotheca Communalis (olim Conventus sancti Francisci), cod. 121. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. — Rubrica huius operis occurrit fol. 113. r. his verbis: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calumniatores. Summi legislatoris constat diffinitione sancitum* etc. Desinit fol. 176: *ut salvam faceret a persequentibus animam meam. Amen.* — Signatur a nobis littera G.

2. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, Plut. XXVII. Dextr. cod. 9. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. — Pagina 26 legitur: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calumniatorem.* Pag. 118 desinit cum additione: *Laus et honor Xto soli de fine sit isto.* Sign. A.

3. *Ibidem*, bibliotheca Nationalis, cod. B. III. 1283. membr. in 4. saec. XIV. ineuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calumpniatorem B. Summi Legislatoris* etc. Desinit fol. 56. r.: *ut salvam faceret a persequentibus animam meam. Explicit Apologia pauperum. Deo gratias.* Manus sequentis aevi addidit: *Finito libro sit laus et gloria Xto. Amen.* Sign. D.

4. *Perusiae*, bibliotheca Communalis, cod. E. 58. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 219. r.: *Incipit prologus in Apologiam pauperum editam a domino Bonaventura Ordinis Minorum adversus calumpniatores et precipue contra magistrum Geraldum de Villa abbatis. Summi legislatoris* etc. Desinit fol. 249: *salvam faceret a persequentibus animam meam. Amen.* Sign. F.

5. *Pragae*, bibliotheca Capituli metropolitani, cod. A. LXXIX. 4. miscell. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Hoc opus occurrit fol. 9. v. sub titulo: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calumniatorem.* Prosequitur usque ad fol. 20. (responsio 3, cap. 9. n. 13.) et verba: *ad inferna descendit. Glossa Luce XV.* Cetera fuerunt amandata, ex incuria forsan compactoris, ad calcem codicis. Desinit nunc fol. 288. r.: *salvam faceret a persequentibus animam meam. Amen. Explicit in apologiam pauperum adversus calumniatorem.* Saepe saepius infra textum interseruntur quaedam titulo *Glossa;* sed

attentius considerando invenimus, huiusmodi additiones nihil aliud esse nisi repetitiones eorum quae leguntur in textu aliquatenus a scriptore accommodata vel contracta. Collatio facta est usque ad cap. 9. n. 13. Sign. E.

6. *Tuderti* in Umbria, bibliotheca Conventus sancti Fortunati, cod. 64. membr. in 8. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 1. r. a prima manu praemittitur haec rubrica: *Apologia fratris Bone venture Ordinis Minorum de Balneo regio.* Hinc col. 1: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calupmniatorem.* Desinit fol. 46. v. cum additione: *Explicit Apologia adversus calumpniatorem edita a fratre Bonaventura, Ordinis Fratrum Minorum generali Ministro.* Sign. C.

7. *Ibidem*, cod. 174. membr. in 12. saec. XIV. ineuntis. — Ad calcem 1. fol. r. prima manus scripsit hanc rubricam: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calumniatorem.* Desinit fol. 83. r.: *ut salvam faceret a persequentibus animam meam. Amen.* Sign. B.

Excepto codice Pragensi, de quo vide supra n. 5, ceteri unam familiam constituunt, praesertim antiquiores A B C D G, qui inter se tantum in minutis rebus dissentiunt. In Florentino cod. A, licet sit bonus, desideratur manus correctoris, alter vero (D) hoc habet cum editione 1 commune, quod quodlibet capitulum dividat in duas partes, quarum prima exhibet principia, altera refutationem adversarii. Duo Tudertini sunt optimi, sed B interdum aliquod vocabulum omittit, C vero nonnunquam superfluum addit, quod etiam in Assisiensi G notandum est.

Collatae sunt etiam editiones duae: una, quae est anni 1484, cum in fine Breviloquii eisdem typis impressi et in unum volumen compacti hic annus legatur; altera est edita cum doctis notis a P. Soldati Ord. Praed. Romae an. 1773.

II. Codices a nobis non collati.

8. *Augustae Taurinorum*, bibliotheca Universitatis, cod. D. IV. 25. membr. in fol. parv. saec. XIII. exeuntis. — Rubrica occurrit fol. 18. r. verbis: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calumniatorem. Summi Legislatoris* etc. Desinit fol. 68. v.: *salvam faceret a persequentibus animam meam. Laus et honor Xto soli de fine sit isto.*

9. *Ibidem*, cod. D. VI. 50. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis. — Huius operis initium est fol. 1. r. sub hoc titulo: *In nomine Iesu Xti incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calumniatorem.* Ad verba: *Prime responsionis prima particula primumque capitulum,* ignara manus saec. XVII. scripsit: *Apologia Fratrum Minorum contra Decretales Ioannis 22.* Desinit fol. 72. v. verbis Hieronymi: *Non negamus cunctis pauperibus* (cap. 12. n. 38.). Cetera desiderantur.

10. *Boloniae* (Boulogne) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 69. miscell. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 105. r.: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calumpniatorem.* Desinit fol. 160. r. verbis: *ut salvam faceret a persequentibus animam meam. Amen.*

11. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 12167-71. membr. in 12. saec. XV. — Hoc opus est fol. non numerato cum sequenti titulo: *Incipit Apologia pauperum adversus calumniatorem paupertatis evangelice, edita a domino Iohanne Bonaventura, doctore Seraphico.* Desinit: *ut salvam faceret a persequentibus animam meam. Amen. Explicit Apologia domini Iohannis Bonaventure contra paupertatis evangelice adversarium compilata.*

12. *Erfordiae*, bibliotheca Regia, cod. 65. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 4. r.: *Incipit prologus in Apologiam pauperum contra calumniatorem. Summi Legislatoris* etc. Desinit fol. 66. r. cum additione: *Explicit Apologia pauperum adversus calumniatorem, edita a domino Bonaventura cardinali et Fratre Minore.*

13. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, Plut. XXVII. Dextr. cod. 6. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. — Opus occurrit fol. 13. r. cum titulo: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calumniatorem.* Desinit fol. 79. r.: *animam meam. Amen. Explicit hoc opusculum. Deo gratias.*

14. *Ibidem*, Plut. XV. Dextr. cod. 12. membr. in 4. saec. XIV. ineuntis. — Fol. 42. r.: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calumniatorem, quam fecit frater Bonaventura Ordinis Minorum Fratrum generalis Minister et sancte Romane ecclesie cardinalis et episcopus Albanensis. Summi Legislatoris* etc. Desinit fol. 77. v.: *animam meam. Explicit Apologia bone memorie fratris Boneventure et domini albanensis et episcopi cardinalis. Deo gratias. Amen.*

15. *Hispali* in Hispania, bibliotheca Columbina Capituli, cod. Est. y. 130. N. 40. membr. saec. XIII. exeuntis. — Rubrica opusculi est fol. 95. r. his verbis: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calumpniatorem. Summi Legislatoris* etc. Desinit fol. 150. v.: *ut salvam faceret a persequentibus animam meam. Amen.*

16. *Leodii*, bibliotheca Universitatis, cod. 78. chart. in fol. saec. XV. exeuntis. — Fol. 1: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calumniatorem. Summi Legislatoris* etc. Desinit fol. 41. v. cum editione: *ut salvam faceret a persequentibus animam meam.*

17. *Medelci*, bibliotheca Monasterii, cod. E. 5. chart. in fol. saec. XV. ante medium. — Titulus huius opusculi est fol. 1. r. his verbis: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calumpniatorem a doctore devoto domino Bonaventura compositam.* Desinit fol. 70. r. verbis, quae in originali non inveniuntur: *et assumendo, que naturaliter toti mundo sunt nota. Ista humiliter sint dicta et sine aliqua presumptione vel temeraria assercione sint scripta.*

18. *Parisiis*, bibliotheca Mazzarinea, cod. 1129. membr. in 4. saec. XV. ante medietatem. — Fol. 5. r.: *Sancti Bonaventure, doctoris devoti in Apologiam pauperum contra calumpniatorem prologus incipit.* Desinit fol. 88. v. cum sequenti additione: *Apologia pauperum devotissimi doctoris domini Bonaventure adversus calumpniatorem compendiosus tractatus feliciter explicit.*

19. *Romae*, bibliotheca olim Principum Burghesiorum, cod. 226. membr. saec. XIII. exeuntis. — Apologia est mutila, incipit enim fol. 1. r. a cap. 7. n. 15. verbis: *onere liberatus es. Nudum Xtum nudus sequere.* Desinit fol. 72. r.: *ut salvam faceret a persequentibus animam meam. Amen. Explicit Apologia pauperum.*

20. *Venetiis*, bibliotheca sancti Marci, cod. Class. VIII. 173. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum est exaratum a diversis manibus eiusdem aevi; habet initium fol. 1. r. cum rubrica: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus*

calumpniatorem. Summi Legislatoris etc. Desinit fol. 87. v.: *ut salvam faceret a persequentibus animam meam.*

§ 2. **Opusculum XII. Epistola de tribus quaestionibus ad magistrum innominatum.**

Superfluum est quaestionem instituere, num hoc opusculum, quod incipit: « Innominato magistro spiritum intelligentiae » etc., sit legitimum Bonaventurae scriptum. Nullus enim vir eruditus de hoc unquam dubitavit, nec ipse Oudinus (loc. in § praecedenti cit.). Iam sola codicum auctoritas ad hoc probandum sufficeret, coniuncta cum indole operis, cum inter 30 codices infra relatos in 4 tantum desideretur nomen auctoris, sed in 26, quorum multi sunt valde antiqui, explicite Bonaventura nominetur auctor. — De occasione scribendi hanc Epistolam ratio redditur in ipso opusculo et praesertim cfr. pag. 332, nota 1, in qua tamen corrigenda sunt verba lineae 8, quod cod. L sit « omnium aliorum antiquior », quia revera est saeculi XV. Praeterea notatu dignum est id quod pag. 336, nota 6. ex illo codice exscriptum est.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Communalis (olim sancti Francisci), cod. 111. membr. in 12. saec. XIV. — Epistola sancti Bonaventurae incipit post alia opera cum sequenti rubrica: *Responsiva super quibusdam articulis regule. Innominato magistro* etc. Desinit verbis: *et si te vocaverit, non recuses. Vale in Domino. Amen.* — A nobis signatur littera K.

2. *Augustae Trevirorum*, bibliotheca Publica, cod. 776. progress. 1268. miscell. in 8. saec. XV. — Fol. 81. r. est sequens rubrica: *Incipit dominus Bonaventura ad magistrum innominatum.* Desinit fol. 84. v.: *et si vocaverit te, non recuses. Vale in Domino Iesu. Explicit.* Sign. G.

3. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, Plut. XXVII. Dext. cod. 9, de quo locuti sumus supra pag. LXVI, n. 2. — Initium huius est pag. 59 cum rubrica: *Incipit quoddam opusculum fratris Bonaventure, generalis Minorum Fratrum de declaratione quorundam articulorum regule Minorum Fratrum. Innominato magistro* etc. Desinit pag. 122: *non recuses. Explicit eliminatio errorum magistri contra Regulam beati Francisci, Domino respondente per servum suum Bonaventuram, qui tunc rexit Parisius. Deo gratias.* Sign. B.

4. *Ibidem*, Plut. XXXI. Sin. cod. 3. membr. in fol. saec. XIV. post medietatem. — Hoc opusculum occurrit fol. 195. r., praemisso titulo: *Ad innominatum magistrum. Innominato magistro frater Bonaventura spiritum* etc. Desinit fol. 196. v.: *et si vocaverit, non recuses. Vale in Domino. Amen.* Sign. C.

5. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 8090. chart. in 4. saec. XV. ante medietatem. — Hoc opusculum incipit fol. 42. r., praemissa sequenti rubrica: *Frater Bonaventura contra quosdam regulae detractores. Innominato magistro* etc. Desinit fol. 49. v.: *et si te vocaverit, non recuses. Amen. Explicit eliminatio errorum magistri cuiusdam contra Regulam beati Francisci, Domino concedente, per servum suum fratrem Bonaventuram composita, qui tunc rexit Parisius et postea factus est Minister generalis septimus a principio Ordinis Minorum et decem et octo annis salubriter prefuit et ministravit Ordini et postea est factus cardinalis et episcopus.* Sign. D.

6. *Ibidem*, cod. 23446. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis. — Incipit opusculum fol. 133. v. sine ullo titulo: *Innominato magistro* etc. Desinit fol. 137. r. cum additione: *Explicit eliminatio errorum magistri innominati contra Regulam beati Francisci, Domino respondente per servum suum Bonaventuram. — Cessat pictura divino dogmate pura — quam Bonaventura depinxit non sine cura.* Sign. E.

7. *Ibidem*, cod. 23595, olim Conventus sancti Francisci Assisiensis, membr. in 8. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 54. r. manus aevi posterioris opusculo praemisit rubricam: *Incipit epistola fratris Bonaventure; quam misit cuidam magistro super dubiis motis ab ipso in Regula beati Francisci.* Desinit fol. 55. r.: *non recuses. Vale in Domino. Amen.* Sign. F.

8. *Parisiis*, bibliotheca Mazzarinea, cod. 1129. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 89. r. occurrit rubrica huius opusculi his verbis: *Devotissimi doctoris domini Bonaventure ad quendam magistrum Parisiensem epistola de quibusdam articulis Regule Fratrum Minorum.* Desinit fol. 93. v.: *Vale in Xto. Amen.* Ex hoc cod. sumta est specialis additio pag. 336, nota 6. huius voluminis. Sign. L.

9. *Romae*, bibliotheca sancti Isidori Hibernorum, cod. modo 5. saec. XVI. — Opusculum est fol. 51. v. sub titulo: *Incipit declaratio sancti Bonaventure super tribus punctis Regule. Innominato magistro* etc. Desinit fol. 58. ut in editis. Sign. I.

10. *Ibidem*, cod. 77. chart. saec. XV. — Fol. 221. r. in superiore margine legitur: *Declarationes beati Bonaventure super tres articulos Regule. Primus articulus. Innominato magistro* etc. Desinit fol. 224. v.: *non recuses. Vale in Domino et ora pro me. Explicit apologia etc.* Sign. M.

11. *Ibidem*, cod. 45. chart. saec. XV. — Fol. 55. r.: *Epistola fratris Bonaventure generalis Ministri, quam misit cuidam magistro super dubiis motis ab ipso in Regula beati Francisci.* Desinit fol. 58. r.: *non recuses. Vale in Domino. Amen.* Sign. N.

12. *Ibidem*, cod. 84. miscell. in 12. saec. XV. — Fol. 362. v. est rubrica huius opusculi his verbis: *Sanctus Bonaventura super tribus punctis Regule innominoto magistro.* Desinit fol. 369. v.: *non recuses. Vale in Domino. Amen.* Sign. O.

13. *Ibidem*, bibliotheca olim Principum Burghesiorum, cod. 271. membr. in 8. saec. XIV. — Haec epistola incipit fol. 55. v. sine ulla rubrica per verba: *Innominato magistro* etc. Desinit fol. 57. v.: *si te vocaverit, non recuses.* Sign. H.

14. *Wolfenbutae*, bibliotheca Ducalis, cod. Helm. 680. chart. in 4. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 116. r. cum hac rubrica: *Dominus Bonaventura cardinalis contra quosdam Regule detractores.* Desinit fol. 120. v.: *non recuses. Amen*, cum eadem additione: *Explicit eliminatio errorum* etc., quae habetur in cod. n. 5. Sign. A.

Quoad relationem, quam hi codices collati inter se habent, non potuimus distinguere constantem familiarum differentiam; attamen iam ex descriptione codicum apparet, in rebus accidentalibus plures magis inter se convenire, ut ex eodem fonte videantur esse derivati. Ceterum fere omnes in locis plurimis quos mutavimus, discedunt ab editis et in rebus minutis sensum non alterantibus insolitam praebent multitudinem lectionum variantium (cfr. pag. 331, nota 1. in fine).

II. Codices a nobis non collati.

15. *Brixiae*, bibliotheca Quinciniana, cod. II. VI. 6. membr. in 8. saec. XV. — Fol. 328: *Epistola sancti Bonaventure. Innominato magistro* etc. Desinit fol. 331. ut in editis.

16. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 12167-71, de quo locuti sumus in opusculo praecedenti sub n. 11. Hoc incipit cum rubrica: *Eliminatio erroris magistri contra Regulam beati Francisci, Domino respondente per servum suum beatum Bonaventuram. Innominato magistro* etc. Desinit: *et si vocaverit te, non recuses. Vale in Domino.*

17. *Friburgi* in Helvetia, bibliotheca Patrum Minorum Conventualium, cod. 23. miscell. saec. XV. ineuntis. — Fol. 52. r. est sequens titulus: *Bonaventura supra quibusdam articulis Regule. Innominato magistro* etc. Finis est fol. 55. v.: *non recuses. Explicit. — Cessat pictura divino dogmate pura — quam Bonaventura depinxit non sine cura.*

18. *Londini*, collectio Harleana, cod. 3995. membr. in 4. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 57. r. sine ullo titulo: *Innominato magistro* etc. Desinit fol. 59. v. ut in editis.

19. *Ienae* in Borussia, bibliotheca Universitatis, II. collect. Bossian. cod. oct. 14. miscell. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 298. v. verbis: *Proponis, charissime, ut tibi tres articuli de Regula Fratrum Minorum solvantur.* Desinit fol. 301. v.: *et si vocaverit te, non recuses. 1477. Explicit eliminatio errorum circa Regulam beati Francisci per dominum Bonaventuram.*

20. *Ibidem*, in eodem codice, sed ab alia manu eiusdem saeculi, est aliud apographum huius opusculi fol. 315. r. sub hoc titulo: *Incipit epistola domini fratris Bonaventure ad magistrum Guillerrimum* (sic) *de sancto Amore. Innominato magistro* etc. Desinit fol. 320. r.: *non recuses. Vale in Domino. Amen. Explicit epistola domini fratris Bonaventure ad magistrum Guillerrimum de sancto Amore.*

21. *Lucernae*, bibliotheca Cantonalis, cod. 11. chart. in 12. saec. XV. — Post alia opera fol. r. non numerato est titulus huius his verbis: *Epistola sancti Bonaventure ad magistrum innominatum eliminans errorem contra Regulam beati Francisci, Domino respondente per servum suum sanctum Bonaventuram. Innominato magistro* etc. Desinit: *et si vocaverit te, non recuses. Vale in Domino.*

22. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Universitatis, cod. 15.ª In 8. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 266. v. cum titulo: *Eliminatio erroris Magistri contra Regulam beati Francisci, Domino respondente per servum suum sanctum Bonaventuram.* Desinit fol. 273. v.: *non recuses. Vale in Domino.*

23. *Oxonii*, bibliotheca Canonic., cod. 91. chart. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. 46: *Incipit epistola domini sancti Bonaventure in responsione quorundam dubiorum circa Regulam Fratrum Minorum. Proponis, charissime* etc. Desinit fol. 59: *si vocaverit te, non recuses.*

24. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 18327. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Fol. 165. v.: *Incipiunt quedam epistole sancti Bonaventure et primo ad magistrum innominatum eliminans errorem contra Regulam beati Francisci, domino respondente per suum servum Sanctum Bonaventuram.* Desinit fol. 170. r.: *Si vocaverit te, non recuses. Vale in Domino.*

25. *Parmae*, bibliotheca Regia, cod. 112. chart. in 8. saec. XV. — Incipit opusculum fol. 20. r. cum titulo: *Dubitatio triplex in Regula: paupertatis, laboris et studio* (sic). *Innominato magistro* etc. Desinit fol. 22. r.: *et si te vocaverit, non recuses.* Alia manus eiusdem saeculi addidit: *Vale in Domino.*

26. *Romae*, bibliotheca Barberini, cod. XI. 149. membr. saec. XIV. — Post alia fol. non numerato: *Incipit epistola fratris Bonaventure generalis Ministri missa cuidam magistro super dubiis motis ab ipso super Regulam Fratrum Minorum.* Desinit verbis: *et si te vocaverit, non recuses. Vale.*

27. *Ibidem*, bibliotheca Societatis Iesu, cod. 2. membr. saec. XIV. exeuntis. — Huic opusculo praemittitur a posteriore manu fol. 1. v.: *Epistola innominato magistro.* Desinit fol. 3. v. ut in editis.

28. *Scaffhusae* (Schaffhausen) in Helvetia, bibliotheca Civitatis, cod. 5, de quo egimus supra in opusculo VIII. c. I. n. 5. Haec epistola incipit fol. 38. v. sine titulo: *Innominata magistro* etc. Desinit fol. 31. v. cum sequenti additione: *Explicit eliminatio errorum magistri contra Regulam beati Francisci, Domino respondente per servum suum Bonaventuram, qui tunc rexit Parisius et post factus est Minister generalis septimus a principio Ordinis fratrum Minorum.*

29. *Wratislaviae*, bibliotheca Universitatis, cod. I. class. in 4. 83. chart. saec. XV. — Post alia opera fol. 188. v. est haec rubrica: *Sequitur determinatio quorundam articulorum de Regula Fratrum Minorum per dominum Bonam venturam tunc Regentem parisiensem edita et transmissa cuidam in artibus liberalibus Magistro, averso ab Ordine per quosdam emulos alterius Ordinis religiosos. Magistro innominato spiritum* etc. Desinit fol. 94. r.: *et si te vocavit* (sic), *non recuses etc. Deo gratias.*

30. *Ibidem*, cod. IV. class. in 4. 193. chart. saec. XV. — Fol. 223. r. praemittuntur opusculo eadem verba, quae in praecedenti, cum quo perfecte convenit, etiam in fine, qui occurrit fol. 226. r. circa medium.

§ 3. Opusculum XIII. Determinationes quaestionum circa Regulam Fratrum Minorum.

a. Hae *Determinationes* incipiunt: « Cum inter alios Ordines Religiosorum » etc. Genuinas easdem esse tum quoad primam tum quoad secundam partem censent Oudinus, editores Veneti, Sbaralea et Bonelli (Prodrom., col. 611). Ipsae videntur primo esse editae in collectione opusculorum Argentinae facta an. 1495; deinde habentur in subsequentibus et in *Firmamento trium Ordinum S. Francisci*, Paris. 1512. Adscribuntur Bonaventurae etiam in indiculis Mariani Florentini et Anonymi Pistoriensis, omnesque 6 codices infra relati pro prima parte idem testantur.

b. Diximus *pro prima parte*, quia pro secunda parte non habemus testem nisi unum codicem Romanum in Collegio S. Isidori, qui nunc ibi amplius non invenitur. Haec enim pars in omnibus praecedentibus editionibus impressa est tanquam opusculum distinctum cum speciali titulo: *Liber apologeticus in eos qui Ordini Fratrum Minorum adversantur* (vide infra pag. 356, notam 6.). Sed hunc librum apologeticum non esse nisi quandam continuationem primae harum *Determinationum* partis, certum nobis esse videtur. Deficit in eo omnino prologus et absolute incipit his verbis: « Praeter hoc, quod surripitis

clericis eleemosynas, quae ipsis darentur, si vos non essetis » etc. Haec verba *Praeter hoc* iam insinuant aliquid praecedenter dictum, et reapse in fine primae partis (q. 27.) iam facta est mentio de praeiudicio, quod clerici quoad temporalia a Fratribus patiantur. Alias rationes vide pag. 356, in nota 6. modo citata. Genuinam etiam hanc secundam partem esse, duce Oudino (loco saepe citato), Sbaralea et Bonelli admittunt, et etiam editores Veneti, qui tamen addunt: « Antiquorum neminem vidimus, qui gemina haec opuscula (scil. I. et II. partem) recenseat ». Revera, ut iam diximus, ante Marianum Florentinum pars II. in nullo alio indiculo invenitur (vide Prolegomena ad tomum V. pag. LIX).

Dum prima pars opusculi habetur in sex codicibus, secundae partis nullum habuimus conferendum. Unicus enim, cuius notitiam habemus, fuit Romae, in Collegio S. Isidori. Hic collatus est a P. Soldati O. P., qui Romae an. 1772 hoc cum aliis opusculis edidit (cfr. Prolegomena ad tom. V. c. 2. § 1.). Bonelli (Prodrom. col. 608) de utraque parte dicit: « Quae tradit amborum auctor de conditionibus necessariis ad officium regiminis animarum (p. II. q. 5.) apprime conformia sunt illis quae leguntur in tractatu *de sex Alis Seraphim.* Sicut in Epistola de reformandis Fratribus Ordinis vult, officia praedicationis et confessionis cum multo examine imponenda; ita hic necessaria ad praedicationis officium praescribit (q. 4.). Quae etiam docet de cura Ordinis S. Clarae (q. 17.) omnino concordant cum his quae libr. I. c. 8. n. 11. et 12. retulimus » (ubi idem narratur fide aliorum auctorum). Idem probat deinde, nihil obstare quod ibi (q. 16.) de *Beguinis* dicitur, quia iam illa aetate in Belgio et Gallia hoc nomen quibusdam piis et orthodoxis feminis et plerumque tertii Ordinis S. Francisci dari consuevit. Ad hoc confirmandum ille affert ex sermone quodam Fr. Guiberti de Tornaco Ord. Min., auctoris saec. XIII., ad *Beginas* inscripto haec verba: « In diebus nostris, sicut aliquae mulieres malae, ita sunt aliquae per Dei gratiam bonae, quae a timore Domini conceperunt spiritum salutarem et in medio perversae nationis et pravae vitam ducunt sanctissimam, et hae dicuntur *Beginae* » (cfr. infra pag. 368, nota 5.).

Quoad primam partem, id est *Determinationes quaestionum*, Bonelli solvit obiectionem, quae fieri posset contra solutionem quaestionis 6, ubi magnos Conventus nequaquam dissonos esse paupertati Fratrum Minorum docere videtur, cum alibi, praesertim in Epistolis officialibus infra pag. 468-471 relatis improbet aedificiorum *constructionem sumtuosam et curiosam*. Ad hoc bene respondet Bonelli, ibi conari quidem Bonaventuram satisfacere quaerentibus: « Cur Fratres Minores habeant magnos Conventus », sed eos defendere comparate ad *casellas et vilia habitacula*, non vero approbare eos qui reapse sint *magni et sumtuosi et paupertati absimiles*, sed qui tales *appareant*, licet non sint; illos vero, qui revera sint, reprobare, dicens: « Non tamen intendo in his excusare, nisi quae valde necessaria sunt et rationabiliter » etc.

c. Licet praedicti quatuor viri docti etiam partem secundam, scilicet Librum apologeticum, certum esse Bonaventurae foetum censuerint, nos tamen hoc minus certum esse putamus, saltem quoad *integrum* opusculum. Praeter rationes, quas infra pag. 355, nota 6. breviter insinuavimus, est etiam defectus idoneorum testium pensandus atque repetitio aliquorum iam dictorum in prima parte eiusdem. Fieri igitur potuit, ut ab alio auctore saltem plura secundum doctrinam S. Bonaventurae addita sint, quod ut etiam deinceps fiat, expressis verbis in fine partis II. suadetur. Testes pro genuinitate sunt pauci et parum graves, ut supra diximus. Tamen haec suspicio nostra non tam certa nobis videtur, ut opusculum expungere potuerimus ex catalogo operum S. Bonaventurae.

Elenchus codicum, qui habent partem I. harum Determinationum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Universitatis, cod. 15. chart. in 8. saec. XV. — Determinationes incipiunt fol. 8. v. sine ullo titulo: *Cum inter alios Ordines* etc. Desinunt fol. 34. v. verbis: *Et de his dicta sufficiant. Expliciunt Determinationes questionum quarundam edite a fratre Bonaventura contra detractores Regule S. Francisci.* — In nostra editione signatur littera C.

2. *Wolfenbutae*, bibliotheca Ducalis, cod. Helm. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 120. v.: *Incipiunt Determinationes quarundam questionum edite a doctore devoto, scilicet Bonaventura, de statu Ordinis Fratrum Minorum, contra detractores Regule beati Francisci.* Desinit fol. 137. r.: *Et de his sufficiat. Expliciunt Determinationes quarundam questionum Bonaventure* etc. Sign. B.

3. *Wratislaviae*, bibliotheca Universitatis, cod. Class. IV. 4. 12. chart. saec. XV. exeuntis. — Fol. 433. r. legitur: *Incipiunt Determinationes questionum quarundam edite a doctore devoto, scilicet sancto Bonaventura, de statu Ordinis Fratrum Minorum contra detractores Regule sancti Francisci.* Desinit fol. 256. v.: *Et de his sufficit. 1490.* Deinde fol. seq. r.: *Expliciunt* etc. ut in initio. Sign. A.

II. Codices a nobis non collati.

4. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 8090. chart. in 4. saec. XV, de quo egimus in opusculo praecedenti n. 5. elenchi. — Huic opusculo, quod incipit fol. 106. v., praemittitur: *Frater Bonaventura cardinalis Ordinis Minorum. Cum inter alios* etc. Desinit fol. 139. r. verbis: *Et de his sufficiat. Expliciunt Determinationes questionum quarundam edite a doctore devoto sancto Bonaventura, de statu Ordinis Fratrum Minorum, contra detractores Regule beati Francisci.*

5. *Scaffhusae*, bibliotheca Civitatis, cod. 5. membr. in 8. saec. XV, de quo vide quae diximus c. I. in catalogo codd. opusculi VIII. n. 5. — Determinationes incipiunt fol. 21. v., praemissa praefatione quadam a correctore, quae incipit: *Multa sepe sunt a bonis licite* etc. Desinunt fol. 38. r. verbis: *oneris sibi impositi fideles sublevatores. Expliciunt questiones 27 seraphici doctoris sancti Bonaventure, episcopi Albanensis et Ecclesie Romane cardinalis et Ordinis Minorum octavi* (sic!) *generalis, quas ego frater Cunradus de Bondorff sincerius, quo potui, correxi 1486.*

6. *Ultraiecti* ad Rhenum, bibliotheca Academiae, cod. 36. chart. in 8. saec. XV. circa medium. — Hic cod. multa continet de vita et Regula Fratrum Minorum, inter quae: *S. Bonaventure determinationes multarum questionum super eandem*

Regulam; sed eae quaestiones nunc a codice sunt avulsae et forsan deperditae.

§ 4. **Opusculum XIV. Quare Fratres Minores praedicent et confessiones audiant.**

Incipit hoc opusculum sic: « Quia plerique dubitant » etc. Cum P. Bonelli (Prodrom. col. 607 seqq.) et tribus aliis saepe citatis viris eruditis etiam nos hunc libellum *certo* genuinum esse censemus, licet ante Marianum Florentinum in nullo priore indiculo referatur et duorum tantum codicum auctoritate Bonaventurae adscribatur. Tanta evidentia doctrinam et stilum seraphici Doctoris prae se fert, ut alium auctorem nequaquam supponere possimus. Hoc tamen non de *toto* opusculo, ut in editis exstat, intelligendum est, sed de ea parte, quam habet cod. A, qui finito n. 20. ponit « Amen. Et sic est finis illius quaestionis. Explicit ». Reliqua, quae in cod. B et editione Argentinensi an. 1495 et subsequentibus habentur et a nobis sub rubrica *Additamentum* subiuncta sunt, omnino arbitramur esse supposititia, moti quatuor rationibus pag. 381 ad calcem in nota 9. expositis.

Quod Bonelli (Prodrom. col. 609) circa tempus, quo auctor hoc scripserit, concludit ex loco, qui est in *Additamento* pag. 384 col. 2. (ad notam marginalem *Duodecimo*), per se non valet pro parte genuina, quae certe anterior est illo Additamento. Dicit enim ille: « In ipso (opusculo) ita citatur Decretalis Innocentii IV, ut iterata iudicum ecclesiasticorum contra eius formam transgressio in ferendis excommunicationis sententiis notetur, liceatque hinc arguere, post ipsam Decretalem multasque eiusdem inobservantias a Doctore seraphico scriptum ».

Elenchus codicum.

Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Wolfenbutae*, bibliotheca Ducalis, cod. Helm. 550. chart. in 4. — Hoc opusculum incipit fol. 352. r. sine ullo titulo: *Quoniam plerique dubitant et querunt* etc. Desinit fol. 356. v.: *Quod enim pro caritate institutum est non debet contra caritatem militare. Et sic est finis illius questionis. Anno Domini 1457 scripsi die Palmarum propria manu in Magdeburg ego frater Iohannes Rümeland, pro tunc Custos Custodie Magdeburgensis.* — In hac nostra editione signatur littera A.

2. Alius codex huius opusculi asservabatur olim *Romae* in bibliotheca Collegii S. Isidori Hibernorum; de eo loquitur cl. P. Benedictus Bonelli in opere: *Prodromus ad opera omnia S. Bonaventurae* etc., Venetiis 1767, col. 465. n. 92. eoque usus est pro editione, quam publicavit P. Soldati Ord. Praed. Romae 1773. Variantes lectiones ab eo diligenter collectas exhibemus sub littera B.

§ 5. **Opusculum XV. Epistola de Sandaliis Apostolorum.**

a. Haec Epistola inscriptionem habet: « Talis lector tali lectori spiritum intelligentiae sanioris », tacito nomine scribentis et eius cui scripta est. Cum Oudino, Sbaralea et editoribus Venetis P. Bonelli (Prodrom. col. 650) censet, genuinum opusculum esse hanc Epistolam, cui etiam Ioh. Trithemius, Marianus Florentinus, Iacobus Philippus Forestus aliique posteriores in suis indiculis suffragantur, consentientibus duobus codicibus, quos in praecedente § 4. allegavimus. De eadem materia Bonaventura agit in Opusc. XI. *Apologia pauperum*, c. 10. n. 6. seqq. et in Opusc. XVI. *Expositio in Regulam*, c. 2. n. 16. seqq., et quae ibi dicta sunt auctor Epistolae huius denuo profert, additis nonnullis aliis testimoniis. Unde etiam si quis alium auctorem huius Epistolae gratis supponere voluerit, verum tamen esset, substantiam libelli esse S. Bonaventurae.

b. Quoad codices tantum dicendum est, unicum, quem ipsi contulimus, esse illum Monacensem chart. in 8. saec. XV, qui supra pag. LXX, n. 1. notatus est. — Alio Romano Collegii S. Isidori usus est P. Soldati O. P. in editione illa, de qua locuti sumus in praecedenti columna n. 2.

§ 6. **Opusculum XVI. Expositio super Regulam Fratrum Minorum.**

a. Soli editores Veneti, refragantibus Oudino, Sbaralea et Bonelli (Prodrom. col. 609), huius *Expositionis* dubiam esse genuinitatem asserunt (Diatriba, pag. 92), « quia antiquorum ne unus quidem est, qui hanc *Expositionem* tribuat Bonaventurae »; adduntque: « Praeter testium altum silentium sunt alia bene multa, quae *Expositionem* hanc nobis suspectam faciant. Cum cap. IV. de pecuniae receptione ageret expositor, omnia, quae Ioannis XXII. tempestate in Minoritas iacta sunt, refellit omnino. Hoc, quaeso, caput confer, si vis, cum Alvari Pelagii opere: *de Planctu Ecclesiae* et in multis quam maxime concordare deprehendes ». — Ad hoc recte respondet Bonelli (loc. cit.): « Sed genuina haec dubitandi ratio adeo futilis et evanida est, ut ab ipsis editoribus infirmetur ». Ad primum refellendum Bonelli illis obiicit, eos alia opuscula, quae desunt in antiquioribus indiculis, nihilominus ut legitima proclamasse, imprimis illum *Librum apologeticum* et *Determinationes quaestionum* (ambo in Opusc. XIII.). Et quoad secundam rationem iterum ipsi editores haud diffitentur, *fieri posse, ut eadem obiecta Minoritis fuerint tempore Bonaventurae nostri.* Animadvertunt quoque circa memorata opuscula, id est *Libellum apologeticum* et *Quare Fratres Minores praedicent* etc., « quod in ipsis Doctor noster sane antevertit refellitque ea quae falso docuit deinceps Richardus Rodulphus, in Anglia cancellarius, archiepiscopus Armachanus, qui Innocentii VI. tempore floruit obiitque an. 1359 ». Certum reapse est, posterius vix aliquid obiectum esse contra Ordinem Minorum, quod Bonaventura in quinque praecedentibus libris apologeticis non tetigerit.

b. Ceterum non desunt testimonia idonea, quae Bonaventurae hanc *Expositionem* tribuunt. Primo loco nominandus est S. Ioannes de Capistrano in Constitutionibus Martinianis, quas pro unione Ordinis an. 1430 composuit et Martinus V. confirmavit (cap. 3.). Ut ostendit Bonelli (loc. cit.), hic libellus citatur etiam in manuscripta Regulae declaratione Fr. Christophori de Varisio, socii eiusdem Capistrani; porro in tractatu de *Recursu ad amicos spirituales* Fr. Ioannis Philippi, qui ab anno 1467 usque ad annum 1470 fuit Vicarius Generalis Ultramontanus; item habetur in indiculis Mariani Florentini, Alexandri Ariosti, Roberti Liciensis aliorumque posteriorum (vide indiculos in Prolegomenis tomi V.). Etiam *Firmamentum Ordinis* hanc Expositionem edidit cum nomine Bonaventurae.

Accedit auctoritas codicum infra recensitorum. Inter 17 codices, quorum duo sunt anonymi, unus solus alii tribuit ac Bonaventurae, scil. discipulo eiusdem Pechamo, Cantuariensi archiepiscopo. Hic tamen aliam Regulae Minorum declarationem scripsit, ut infra pag. 491, in nota monstratum est.

c. In ipsa hac Expositione nullibi fit mentio Declarationis Regulae factae a Nicolao III; quod satis demonstrat, eam scriptam esse, antequam celebris haec Declaratio emanavit, quae ipsa manifeste principaliter secundum eam normam facta est, quam S. Bonaventura in hoc et praecedentibus opusculis, praesertim in *Apologia pauperum* iam docuerat. Ex aliis etiam citationibus argui potest, eam tempore scriptam esse, quo Bonaventura Ordini Minorum praefuit. Huic praecessit alia et omnino prima declaratio Regulae, quae nominatur *quatuor Magistrorum* atque pluries in notis ad calcem positis allegata a nobis est, cum Bonaventura eadem usus sit. Haec in determinandis quibusdam obligationibus Regulae paulo maiorem rigorem ostendit, quem noster auctor aliquatenus temperavit. Ipsum opusculum abundanti sua doctrina, praegnante brevitate, altissimis principiis et ipso stilo satis ostendit seraphicum spiritum auctoris.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum editione Vaticana collati.

1. *Augustae Trevirorum,* bibliotheca Publica, codex 776. progress. 1268. miscell. in 8. saeculi XV. — Folio 73. v. in fine: *Incipit principalis declaratio domini fratris Bonaventure super regulam Minorum,* fol. 74. r.: *Quicumque hanc Regulam* etc. Desinit fol. 84. v.: *ut octava gratie et glorie commendetur. Amen. Explicit declaratio Bonaventure super Regulam fratrum Minorum.* — In hac nostra editione signatur littera D.

2. *Claris Aquis* in hoc nostro Collegio, cod. chart. in. 8. parvo saec. XV. — Expositio Regulae incipit fol. 53. r. cum hac rubrica: *Ihesus, Maria, Franciscus. Declaratio domini fratris Bonaventure super regulam fratrum Minorum. Quicumque hanc regulam* etc. Desinit fol. 85. v. cum additione: *Explicit expositio regule secundum Bonaventuram, Deo gratiarum actiones. In Amberga anno Domini 1458. in vigilia s. Luce evangeliste.* Sign. G.

3. *Florentiae,* bibliotheca Mediceo-Laurentiana, Plut. XV. Dextr. cod. 12. membr. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. 116. v. legitur: *Incipit expositio venerabilis patris et magistri fratris Iohannis de Pechiam super regulam fratrum Minorum. Quicumque hanc regulam* etc. Desinit fol. 141. r. ut in edit.; additur: *Explicit expositio fratris Iohannis super Regulam.* Sign. B.

4. *Neapoli,* bibliotheca Nationalis, cod. VII. G. 48. chart. in 8. saec. XV. ineuntis. — Fol. 1. r. legitur: *Incipit postilla fratris Bonaventure, ut dicitur, super Regulam. Quicumque hanc regulam* etc. Desinit fol. 24.: *ut octava gratie et glorie commendetur. Amen.* Sign. C.

5. *Perusiae,* bibliotheca Publica, cod. E. 58. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 249. est sequens rubrica: *Declaratio domini Bonaventure cardinalis ordinis Minorum super Regulam dicti ordinis.* Desinit fol. 263.: *ut octava gratie et glorie commendetur. Amen.* Sign. F.

6. *Romae,* bibliotheca Vaticana, cod. 522. membr. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. 87. v. praemissa rubrica: *Fratris Bonaventure,* prosequitur: *Et nullo modo licebit eis* etc. Complectitur tantum num. 13. 14. 15. capit. 2. nostrae editionis. In fine additur: *Hucusque frater Bonaventura.* Sign. E.

7. *Ibidem,* bibliotheca collegii S. Isidori Hibernorum, cod. 5. chart. saec. XVI. ineuntis. — Expositio Regulae incipit fol. 1. r. verbis: *Salutem et apostolicam benedictionem. Eccli. III. Benedictio patris* etc. Desinit verbis: *octava gratie et glorie commendatur. Amen.* Sign. A.

Quoad hos codices manifestum est, duas familias esse distinguendas. Codices enim A B C F G, sicut plerumque in aliis lectionibus magis conveniunt, ita in eo, quod habent non paucas additiones et quasdam quidem longiores, quae omissae sunt in Vaticana et omnibus editionibus, excepta ea quam signavimus *ed. 1.* Cum Vaticana editione in hoc convenit solus cod. D. Patet autem, has omissiones esse veras lacunas, iam ea ratione, quam notavimus pag. 404, nota 8.

In particulari omnes codd. praebent multas lectiones variantes, etiam D, qui, licet conveniat cum Vaticana in illis omissionibus, saepissime in aliis differt ac convenit non raro cum ceteris codicibus. Ed. 1 repraesentat bonum codicem, et in hoc singularis est, quod non raro etiam alias lectiones addit, v. g. *modum, alias nomen,* in quo etiam G interdum convenit. — Ed. 1, quae sine titulo continet multa documenta ad Ordinem Minorum spectantia, impressa est Brixiae per Iacobum Britannicum Brixianum an. 1502. Ed. 2, impressa Venetiis 1504, fere semper convenit cum Vaticana, unde raro erat notanda.

II. Codices a nobis non collati.

8. *Augustae Ausicorum* (Auch) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 82. chart. in 8. parv. saec. XVII. — Titulus est fol. 9. r. non numerato: *Regula et testamentum seraphici patris nostri sancti Francisci de assisio cum collectanea declarationum summorum Pontificum et expositionum sancti Bonaventure et Patrum ordinis. Opera est in usum R. P. Michaelis a Figeaco Provincialis.*

9. *Brugis* in Belgio, bibliotheca Episcopalis, cod. 2. membr. in 8. saec. XV. (1447.). — Folio 135. v.: *Incipit declaratio domini Bonaventure ordinis Minorum ac sancte Romane ecclesie cardinalis super regulam fratrum Minorum.* Desinit fol. 168. r. verbis: *ut octava gratie et glorie commendetur. Amen.*

10. *Darmstadii,* bibliotheca Ducalis, cod. 2456. chart. in fol. saec. XV. circa medium. — Declaratio Regulae incipit fol. 24. sine titulo: *Quicumque* etc. Desinit a posteriore manu exarata fol. 73. r. cum additione: *Explicit declaratio domini Bonaventure super regulam fratrum Minorum.*

11. *Monachii,* bibliotheca Regia, cod. 9068. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Incipit fol. 51. r. sub titulo: *Declaratio sancti Bonaventure. Quicumque hanc regulam* etc. Desinit fol 97. r.: *ut octava gratie et glorie commendetur. Amen. Explicit declaratio sancti Bonaventure super regulam fratrum Minorum.*

12. *Ibidem,* bibliotheca Universitatis, cod. 142. chart. in 8. saec. XV. — Quamvis in indiculo praemisso fol. 1. legatur, codicem continere Regulam fratrum Minorum glossatam secundum sanctum Bonaventuram, tamen non ipsius expositio, sed quaedam ex ipsa ab alio auctore facta glossa in Regulam, quae desinit fol. 7.

13. *Ibidem,* cod. 145. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Rubrica huius occurrit fol. 1. per verba: *Incipit declaratio sancti Bonaventure doctoris seraphici in regulam fratrum Minorum.* Desinit fol. 98. v. ut in edit.; deinde: *Explicit declaratio super Regulam fratrum Minorum sancti Bonaventure doctoris seraphici eiusdem ordinis, anno Domini 1498.*

14. *Oxonii,* bibliotheca Canoniciana, cod. miscell. 277. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Titulus huius opusculi occurrit fol. 27. r. verbis: *Incipit declaratio sancti Bonaventure ordinis Minorum ac sancte Romane ecclesie cardinalis super regulam fratrum Minorum.* Desinit fol. 46.: *ut octava gratie et glorie commendetur.*

15. *Parisiis,* bibliotheca Nationalis, cod. 18325. membr. in 16. saec. XV. — Titulus huius est fol. 93. r. verbis: *Sequitur expositio seu declaratio Regule Fratrum Minorum per dominum sanctum Bonaventuram cardinalem. Quicumque* etc. Desinit fol. 124. r.: *ut octava gratie et glorie commendetur. Amen. Explicit Regula secundum expositionem domini sancti Bonaventure. Deus sit benedictus super omnia. Amen.*

16. *Stronconii,* bibliotheca Conventus, cod. chart. in 8. saec. XV. — Expositio Regulae incipit sine titulo et nomine auctoris: *Quicumque hanc Regulam* etc. Desinit verbis: *ut octava gratie et glorie commendetur. Amen.*

17. *Ultraiecti ad Rhenum,* bibliotheca Academiae, cod. 36. chart. in 12. saec. XV. circa medietatem. — Fol. 6. r. legitur: *Incipit declaratio domini Bonaventure super Regula fratrum Minorum.* Desinit fol. 50. v. verbis: *ut octava gratie et glorie commendetur.*

§ 7. Opusculum XVII. Sermo super Regulam Fratrum Minorum.

Hic *Sermo* hucusque nunquam est publicatus nec ab aliquo allegatus. Tamen omnino eum genuinum habemus, licet duos tantum codices pro Bonaventura testimonium ferant extrinsecum. Tota enim praeclara doctrina in eo contenta et modus eam proponendi eidem aliud reddit testimonium luculentum, si cum ceteris Bonaventurae scriptis, praesertim cum praecedente Opusculo *Expositio super Regulam* et aliis tractatibus ad Ordinem spectantibus confertur.

Unico tantum codice uti potuimus, quem habet nostrum collegium quemque descripsimus supra in elencho codicum c. II. § 6. pag. LXXII n. 2. In eo post *Expositionem super Regulam* immediate a fol. 14. v. usque ad fol. 20. v. sequitur hic Sermo.

Praeter hunc alter cod. post *Determinationes circa Regulam* olim habebat istum Sermonem, sed nunc folia eum continentia avulsa sunt. Hic cod. invenitur Ultraiecti ad Rhenum, in bibliotheca Academiae, cod. 36. chart. in 12. saec. XV, quem iam notavimus supra n. 17.

§ 8. Opusculum XVIII. Constitutiones Generales Narbonenses.

Hae non inveniuntur in aliis Operum S. Bonaventurae collectionibus. De his ut in nova horum Operum editione imprimendis loquitur Bonelli (Prodrom. pag. 622). Quod S. Bonaventura primum *Constitutionum* Ordinis Minorum codicem fecerit et auctoritate Capituli Narbonensis promulgaverit, est factum historicum innumeris et antiquis testibus certissime probatum. Harum meminit Petrus Ioannis Olivi in discussione suorum articulorum an. 1285 facta § 12, item fere omnes posteriores Ordinis Constitutiones, quae nova antiquis statuta addere consueverunt, et ante omnes Fr. Salimbene infra pag. 449 nota 1. citatus. Plures codices inveniuntur, qui primitivas Constitutiones aliquatenus mutatas et posteriorum Capitulorum additamentis auctas exhibent, sed unus tantum Vaticanus est (vide infra n. 13.), qui sinceram Bonaventurae recensionem sine insertis habet, quam primus edidit cl. P. Ehrle S. I. De his omnibus plura dicta sunt in nota ad calcem modo citata. Manifestum est, quod solummodo textus primitivus, quem praesentat cod. Vaticanus, spectat ad Bonaventuram, unde alii infra recensiti codices pro textu formando servire non potuerunt, sed quoddam pretium historicum habeat.

Elenchus codicum.

1. *Augustae Ausicorum* in Gallia (Auch), bibliotheca Civitatis, cod. 54. membr. in 12. saec. XIV. ineuntis. — Post decretales Nicolai III. et Clementis V. super Regulam Fratrum Minorum sequitur folio r. non numerato rubrica Constitutionum sic expressa: *Prologus super constitutiones generales. Quoniam, ut ait sapiens, ubi non est sepes, diripietur possessio* etc. Manus posterior pluribus in locis abrasit textum antiquum et alium substituit. In fine adduntur: *Memorialia facta in capitulo generali Parisius celebrato anno Domini MCCXC. secundo.*

2. *Bruxellis,* bibliotheca Regia, cod. 12167-71. membr. in 16. saec. XV. — Folio non numerato manus recentior praemittit: *Incipiunt constitutiones generales Ordinis antique. Quoniam, ut ait sapiens* etc. Eadem forsan manus addidit in fine: *Expliciunt constitutiones generales ordinate Assisii in generali capitulo ibidem anno Domini millesimo CCC quinquagesimo quarto celebrato.*

3. *Cremonae* in Insubria, bibliotheca Publica, cod. 15. 3. 22. chart. in 4. saec. XVIII. — In admonitione ad lectorem, pag. 1 notatur, quod Constitutiones fuerunt exscriptae ex codice quodam saeculi XV; quibus praemittitur sequens rubrica: *Incipiunt constitutiones generales ordinis Fratrum Minorum edite et confirmate in capitulo generali apud Narbonam A. D. 1260. decima Iunii, tempore R. P. F. Bonaventure S. ministri generalis et postea fuit cardinalis sanctae Romane ecclesie et nunc canonizatus. Quoniam, ut ait sapiens* etc. Desinunt rubrica 12. pag. 32.

4. *Friburgi* in Helvetia, bibliotheca PP. Conventualium, cod. 33. — Duo prima folia asseribus inhaerentia et duo ultima continent Constitutiones generales scriptas saeculo XIII, sed sunt incompletae et transpositae; folio 1. v. incipiunt a verbis: *Et nunquam fiat sine consilio discretorum.* Cfr. rubrica 2. Fol. 2. r. incipit: *provideat, secundum quod unicuique viderit expedire.* Rubrica 2. Folio penultimo r.: *maxime venientes de extraneis provinciis et longinquis.* Rubrica 4. Fol. ultimo r. tabulae annexo: *Titulus tertius de observantia paupertatis.*

5. *Ibidem,* cod. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Constitutiones incipiunt fol. 1. r. sine titulo: *Item, quando Fratres testamentis intersunt* etc. Eodem fol. r. sequuntur aliae ordinationes posterioris saeculi.

6. *Ianuae,* bibliotheca Universitatis, cod. A. II. 15. miscell. saec. XVI. ineuntis. — Folio 31. r. praemittitur: *In nomine Domini incipiunt constitutiones generales. Quoniam, ut ait sapiens* etc. Desinunt folio 44. v.: *Simile officium fiat pro patribus et matribus fratrum ultima die feriali in hebdomada ante Adventum. Explicit.*

7. *Kremisani,* bibliotheca Monasterii, cod. 138. membr. saec. XIV. — Rubrica est folio 177. r. his verbis: *Prologus in constitutiones generales ordinis Fratrum Minorum. Quoniam, ut ait sapiens* etc. Desinunt fol. 183. r.: *Anniversarium*

domini bone memorie regis Francorum in vigilia beati Bartholomei fiat, quia hoc ei concessum est in capitulo Pisano de gratia speciali.

8. *Lucernae,* bibliotheca Cantonalis, cod. 203. membr. saec. XIV. — Constitutiones generales incipiunt pag. 25 sic: .... *m, ut ait sapiens* etc. Desinunt pag. 104 verbis: *Obitus illustrissime domine Iohanne, quondam regine Francie; pridie nonas aprilis per totum ordinem celebretur.*

9. *Oxonii,* bibliotheca Bodleiana, cod. Canonic. miscell. 75. membr. saec. XV. — Constitutiones incipiunt fol. 71. v. a sequenti rubrica: *Tituli constitutionum generalium antiquarum editarum per venerabilem patrem fratrem Bonaventuram bone memorie de Balneoregio. De religionis ingressu primum capitulum.* Desinunt cap. 12.: *De suffragiis defunctorum.*

10. *Ibidem,* cod. 359. membr. saec. XV. — Folio 30. r.: *Incipit prologus constitutionum generalium. Quoniam, ut ait sapiens* etc. Desinunt, omisso capitulo 12.

11. *Pragae,* bibliotheca Universitatis, cod. IV. G. 30. chart. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 217. r. legitur: *Incipit prologus in constitutiones generales. Quoniam, ut ait sapiens* etc. Desinunt fol. 225. v. cum hac nota: *Iste sunt constitutiones generales ordinate Lugduni etc. Quorum aliqua sunt extracta de capitulo Caturcensi, aliqua de capitulo Venetiarum et Veronensi capitulis generalibus et aliqua addita in eodem capitulo Lugdunensi Anno Domini MCCCLI. Expliciunt constitutiones generales.*

12. *Ravennae,* bibliotheca Classensis, cod. 138. 2. O. membr. saec. XV. — Constitutiones incipiunt folio 1. r.: *Quoniam, ut ait sapiens* etc. Desinunt rubrica 12.

13. *Romae,* bibliotheca Vaticana, cod. 7339. membr. saec. XIV. ineuntis. — Fol. 93. r.: *Incipiunt constitutiones generales ordinis Fratrum Minorum edite et confirmate in capitulo generali apud Narbonam anno Domini 1260. decima Iunii, tempore rev. patris fratris Bonaventure, S. ministri generalis et postea cardinalis sancte Romane ecclesie, et nunc canonizatus. Prologus.* Desinunt folio 117, additis pluribus definitionibus et responsionibus ad consultationes habitas.

14. *Senis* in Tuscia, bibliotheca Conventus sancti Bernardini, cod. sine numero, membr. in 12. saec. XV. — Folio 37. r. habetur: *In nomine Domini. Amen. Incipiunt constitutiones generales. Quoniam, ut ait sapiens* etc. Desinunt cap. 12: *De suffragiis defunctorum,* verbis: *Sufficit autem una missa in conventu in anniversariis supradictis cum vigiliis defunctorum.*

15. *Toleti,* bibliotheca Capituli, cod. Caion. 25. n. 10. membr. saec. XIV. exeuntis. — Complectitur Constitutiones papales Benedicti Papae XII. circa Ordinem Fratrum Minorum publicatas in generali Capitulo eorundem celebrato Caturci anno Domini 1337. Constitutionibus praemittitur Bulla *Pastor bonus* edita Avenione XV. Kal. Iulii pontificatus anno primo.

§ 9. **Opusculum XIX. Epistolae officiales.**

a. Sub hoc titulo adunavimus illas septem epistolas, quas S. Bonaventura ut caput Ordinis ex officio scripsit, quaeque adhuc superstites sunt. Harum duae primae maioris sunt momenti, unde etiam a Waddingo in Annales Ord. Min. receptae sunt, ut dictum est infra pag. 468, nota 1. Habentur ipsae iam in collectione parvorum Bonaventurae opusculorum impressa an. 1484, sine indicatione loci et editoris, et in multis subsequentibus. Eas genuinas esse, nemo in dubium vocavit (cfr. Bonelli, Prodrom. col. 657). Primam illam invenimus in 20 codicibus, secundam in 6 infra in elencho notatis. Codices a nobis collati non differunt ab editis quoad sententias, sed tantum quoad quaedam verba. Ope horum codicum et editionum textum ed. Vaticanae expurgavimus.

b. Quoad quinque alias parvas epistolas notavimus ad paginarum calcem fontem, unde unamquamque sumsimus, quod hic repetere supersedemus.

Elenchus codicum.

A *Epistola I.*

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Augustae Trevirorum,* bibliotheca Civitatis, cod. 776. progress. 1258. miscell. in 8. saec. XV. post medietatem. — Haec epistola reperitur folio 182. v., incipiens: *Litera domini fratris Bonaventure. In Xto sibi carissimis fratribus ministris et custodibus* etc. Desinit fol. 183. v.: *Datum Parisius anno domini MCCLVII. die sancti Georgii martyris. Hanc literam legi in singulis conventibus vestre provincie faciatis.* — In hac nostra editione signatur littera E.

2. *Magdeburgi,* bibliotheca Civitatis, cod. XII. oct. 2. miscell. saec. XV. — Fol. 360. r. legitur: *Epistola sancti patris Bonaventure generalis electi. In Xto sibi carissimis* etc. Desinit verbis: *Datum Parisiis anno Domini 1262. in die sancti Georgii.* Sign. D.

3. *Romae,* bibliotheca Vaticana, cod. Urbinat. 480. membr. in 4. saec. XIV. ineuntis. — Fol. 408. r. praemittitur: *Epistola ad totum ordinem. In Xto sibi karissimis* etc. *Licet insufficientiam nostram.* Desinit: *Datum Parisiis* etc. *Benedictum sit nomen Domini Iesu et tota curia celestis. Amen.* Sign. F.

4. *Ibidem,* bibliotheca Collegii sancti Isidori Hibernorum, cod. 5. iam descriptus supra pag. LXXII n. 7. — Fol. 58. v.: *Incipit epistola sancti Bonaventure directa ad Capitulum generale, cur splendor nostri ordinis obfuscatur, ordo exterior inficitur et nitor conscientiarum interius defoedatur. In Xto sibi carissimis* etc. Desinit fol. 60. verbis: *velint nolint. Dat. Parisius anno Domini MCCLXXVII* (sic). *Amen.* Sign. C.

5. *Ibidem,* cod. 68. miscell. in 12. saec. XVI. ineuntis. — Fol. 242. r. habetur: *Epistola beati Bonaventure ad Capitulum generale. In Xto* etc. Desinit ut in cod. praecedenti. Sign. B.

6. *Ibidem,* cod. 84. miscell. in 12. saec. XV. exeuntis. — Fol. 359. v.: *Incipit epistola sancti Bonaventure Ordinis Minorum ad generale Capitulum.* Desinit: *Dat. Parisius anno Domini 1277* (sic). *Finis.* Sign. A.

II. Codices a nobis non collati.

7. *Brixiae,* bibliotheca Quinciniana, cod. H. VI. 6. membr. in. 8. saec. XV. — Folio 331. r.: *Alia eiusdem epistola. In Xto sibi carissimis* etc. Desinit cum editione: *legi in singulis conventibus vestre provincie faciatis.*

8. *Darmstadii,* bibliotheca Ducalis, cod. 2456. miscell. in fol. saec. XV. exeuntis. — Epistola incipit fol. 52. v.: *Epistola*

sancte memorie cardinalis domini Bonaventure, quondam generalis ministri Ordinis Minorum, ad ministros provinciales et custodes. In Xto etc. Desinit fol. 53. v.: *Datum Parisius anno Domini MCCLVII. in die sancti Georgii martyris. Hanc literam* etc., ut in editione.

9. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, cod. 3. Plut. XXXI. sinist. membr. in fol. parv. saec. XIV. — Haec epistola incipit fol. 205. v. sic: *In Xto sibi charissimis ministris et custodibus universis Ordinis fratrum Minorum frater Bonaventura, Ordinis eorum generalis minister, salutem et pacem, que superat omnem sensum. Licet insufficientiam meam* etc. Desinit eodem folio ad verba: *Occurrit improvida officiorum commissio* (n. 2.). Cetera desiderantur.

10. *Ienae*, bibliotheca Universitatis, cod. oct. 14. collect. Bossianae, chart. saec. XV. — Fol. 320. r.: *Epistola Domini fratris Bonaventure, quam misit per totum Ordinem. In Xto sibi carissimis* etc. Desinit fol. 62. r.: *Datum Parisius anno Domini MCCLVI. in die sancti Georgii martyris. Hanc literam* etc., ut in editione.

11. *Ibidem*, in eodem codice exstat aliud exemplar huius epistolae praecedenti per omnia simile, a manu quidem diversa exaratum, sed eiusdem temporis.

12. *Monachii*, bibliotheca Regia, cod. 9058. saec. XV. exeuntis. — Fol. 33. v. legitur: *Alia epistola sancti Bonaventure. In Xto sibi carissimis* etc. Desinit folio 35. v. verbis: *Hanc autem literam legi in singulis conventibus vestre provincie faciatis.*

13. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. 15. chart. in 8. parv. saec. XV. — Epistola haec incipit fol. 283. v.: *In Xto sibi karissimis* etc. Desinit fol. 286. r.: *faciatis. Explicit.*

14. *Oxonii*, bibliotheca Bodleiana, cod. 277. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Fol. 26. r. legitur: *Incipit epistola sancti Bonaventure directa Capitulo generali. In Xto* etc. Desinit folio sequenti r. ut in editione.

15. *Papiae*, bibliotheca Universitatis, cod. CXXX. A. 21. miscellan. in 8. saec. XV. — Fol. 46. r. est sequens rubrica: *Nota, quod dominus Bonaventura asserit, decem esse, quae destruunt religionem nostram. Primum est negotiorum multiplicitas.* Non exhibetur ipse textus, sed excerptum, cui additur: *Hec sanctus Bonaventura in quadam epistola directa ad capitulum generale.*

16. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 18327. chart. in 8. parv. saec. XV. — Fol. 172. r.: *Epistola alia eiusdem* (Bonaventurae) *ad ministros provinciales et custodes de reformandis fratribus sui Ordinis. In Xto sibi carissimis* etc. Desinit fol. 174. r.: *legi in singulis conventibus vestre provincie faciatis.*

17. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 449. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 63. v. est sequens rubrica: *Littere fratris Bonaventure cardinalis et generalis Minorum. In Xto... Licet meam insufficientiam* etc. Desinit folio 65.: *ex omnibus supradictis.*

18. *Ibidem*, bibliotheca Vallicelliana, cod. B. 131. chart. saec. XV. — Haec epistola habetur folio 74. Incipit et desinit ut edita.

19. *Ibidem*, bibliotheca Collegii sancti Isidori Hibernorum, cod. 88. chart. saec. XV. — Fol. 3. r.: *Epistola fratris Bonaventure, quam direxit per totum ordinem tempore sui ministerii. In Xto* etc. Desinit: *Dat. Parisius anno Domini MCCLXXVII.*

20. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 4349. chart. in 8. saec. XV. — Epistola incipit fol. 69. r. verbis: *In Xto sibi carissimis* etc. Desinit fol. 71. r.: *Datum Parisius anno Domini MCCLXII. in die sancti Georgii martiris.*

B. *Epistola II.*

I. Codices a nobis cum editione Vaticana collati.

1. *Romae*, bibliotheca Collegii sancti Isidori Hibernorum, cod. 77. miscell. in 12. saec. XV. — Rubrica huius est folio 224. v. sic expressa: *Epistola beati Bonaventure ad omnes fratres Minores. In Xto sibi carissimo fratri P. ministro Tuscie frater Bonaventura, Ordinis fratrum Minorum generalis minister et servus, salutem et pacem in Domino sempiternam. Quoniam ad hoc potissimum* etc. Desinit verbis: *explicetur. Datum Parisius tempore Capituli generalis.* In hac nostra editione signatur littera A.

2. *Ibidem*, bibliotheca Vaticana, cod. Urbinat. 480. supra descriptus, n. 3. — Fol. 107. v. habetur: *Epistola de reformandis fratribus. In Xto sibi carissimo* etc. Desinit: *Datum Parisius tempore Capituli generalis.* Sign. B.

3. *Ibidem*, cod. 9403. membr. 8. saec. XIV. — Epistola incipit fol. 20. v. verbis: *In Xto sibi karissimo fratri* (nomen fuit abrasum) *ministro Tusciae frater Bonaventura Ordinis fratrum Minorum generalis minister et servus* etc. Desinit fol. 21. v.: *Datum Parisius tempore Capituli generalis.* Sign. C.

II. Codices a nobis non collati.

4. *Monachii*, bibliotheca Regia, cod. 9068. chart. 8. saec. XV. exeunt. — Fol. 31. v. praemittitur tantum: *Epistola sancti Bonaventure;* deinde: *In Xto sibi karissimo fratri B. laucelis provincie ministro frater Bonaventura* etc. Desinit fol. 34. v. cum editione: *opportunum fuerit explicetur.*

5. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. 15. chart. 8. saec. XV. — Epistola incipit fol. 280. v. sine ulla indicatione: *In Xto sibi karissimo fratri Biaucelis provincie ministro* etc. Desinit fol. 283 v.: *explicetur.*

6. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 18327. chart. in 12. saec. XV. — Fol. 170. v. post alia opera sancti Bonaventurae sequitur: *Epistola eiusdem sancti, in qua mandat, ut fratres nostri Ordinis caveant a frequentia discursuum, ab importunitate questuum, a sumptuositate edificiorum, librorum, vestium ac ciborum, a predicatione contra prelatos coram laicis et a litigiosa invasione sepulturarum et testamentorum. In Xto sibi carissimo fratri B. Foucelis provincie ministro frater Bonaventura* etc. Desinit fol. 172. r.: *quam citius opportunum fuerit explicetur.*

§ 10. **Opusculum XX. Regula novitiorum.**

a. *Regula novitiorum* incipit: *Reformamini in novitate sensus vestri* etc. et est certissime genuinum S. Bonaventurae opus. Sed antequam hoc ostendamus, expedit, ut nonnulla praemittamus de multis aliis libellis pro instructione novitiorum et aliorum Ordinis Minorum Religiosorum scriptis, qui in editione Vaticana et subsequentibus habentur.

Editio Vat. tom. VII. pag. 568 seqq. de hac materia habet plura opuscula hoc ordine: *primo* notissimum librum *Speculum disciplinae*, qui incipit cum prologo: « Ad honestatem tendentes », duasque partes habet, de quo plura infra dicentur. — Secundo, de *Profectu Religiosorum* cum duobus prologis, quorum primus incipit: « Collationes meas » etc., alter vero: « In priori formula » etc. Pars I. huius operis incipit: « De quatuor cautelis novitiorum » etc.; pars II: « De septem processibus Religiosorum » etc. — Tertio habet opusculum de *Institutione novitiorum*, cuius pars I. incipit: « Primo semper debes considerare, ad quid veneris », et pars II. sic: « Si vis in spiritu proficere » etc. — Quarto loco habetur *Regula novitiorum*, certo Bonaventurae vindicanda. Editio Vat. omnes praedictos libellos integros eidem tribuit, dum Oudinus (loc. cit. col. 431 seqq.) cum editoribus Venetis omnia haec opera proclamat esse supposititia. Sbaralea recte solam genuinam agnoscit *Regulam novitiorum*, Bonelli vero solam partem secundam libri de *Profectu Religiosorum* censet esse *certe* alterius auctoris, ac partem primam eiusdem esse *verisimilem*, sicut et libellum de *Institutione novitiorum;* alia omnia putat spectare certo ad Bonaventuram auctorem.

Accedit, quod in codicibus et antiquis editionibus summa confusio habetur tum circa *ordinem* horum opusculorum et eorum partium, tum circa *numerum* titulosque ipsorum libellorum, cum passim ex uno faciant duos, tum circa ipsum *textum* propter insertiones, vel lacunas, quae in diversis inveniuntur. Hoc iam observavit Waddingus (de Scriptor. Ord. Min. pag. 54 seq.) his verbis: « Mira varietas est in his opusculis de instituendis novitiis. Valde discrepant in ordine et dispositione, in titulis et exordiis, in partitione et numero capitulorum, propterea quia plerique, addentes et dementes aliqua secundum captum suum, vel tironum necessitatem sive adolescentum qualitatem, immutaverunt aliquando titulos et exordia, aliique ambientes pro auctoribus haberi, alias rerum formas induxerunt; unde ortum est ambiguum circa genuinos auctores iudicium ». — Exemplum huius confusionis apparet in ipso Bonelli Prodromo (col. 612-622). Ibi ille distinguit praeter *Speculum disciplinae* et *Regulam novitiorum* quinque diversos de hac materia libellos, scilicet 1. *Viginti passus de virtutibus bonorum Religiosorum*, incipientes: « Si vis in spiritu proficere », quod re vera est pars II. de *Institutione novitiorum*. — 2. *De compositione hominis exterioris*, incipiens: « Primo semper debes considerare », quod est eiusdem pars I. — 3. *De interioris hominis ac mentis reformatione*, incipiens: « In priori formula », quod est pars III. libelli Fr. David *De exteriori et interiori homine secundum triplicem statum* etc. — 4. *De Vitiis et eorum remediis*, incipiens: « Plurimorum instantia » etc., vel, ut habetur in aliis editionibus, « Voluntas nulli » etc., quod in editione Vat. continetur in libro I. de *Profectu Religiosorum*. — 5. Adhuc quintum opusculum edidit Bonelli tanquam Bonaventurianum in suo *Supplemento*, tom. III, col. 314. seqq., quod incipit: « Religio munda et immaculata » etc. Sed hoc opusculum est ipsa illa *Regula novitiorum* quoad substantiam et plurimas propositiones et locos ad probandum adductos, mutatis prologo, ordine et inscriptione capitulorum, detractis et additis nonnullis sententiis. Hoc satis confitetur ipse Bonelli, in praefixa *Admonitione* dicens: « Tanta autem affinitas stili et doctrinae est inter hoc opusculum et Regulam novitiorum, ut plerumque *ipsissima verba* contineant ac plane *idem utriusque auctor appareat* » (!). Verius concludendum est sic: ergo alius scriptor pro libitu in nonnullis *Regulam novitiorum* mutavit.

Incredibile prorsus est, omnes istos libellos, qui quoad materiam plerumque conveniunt, ab occupatissimo auctore Bonaventura scriptos esse pro usu novitiorum. Ad rem dicit Sbaralea (Supplementum etc., pag. 162 n. 79.): « An non satis hoc argumentum tractavit Bonaventura in *Regula novitiorum?* Ut quid igitur necesse fuit idem recoquere pulmentum » ?

b. Idem Sbaralea (loc. cit. pag. 163 col. 1) verum iam vidit et quoad *auctorem* et quoad *ordinem* horum opusculorum et earum partium. *Regulam novitiorum* recte vindicavit Bonaventurae, opus de *Profectibus Religiosorum* vero Fratri David de Augusta Vindelicorum (Augsburg) Ord. Min., coaetaneo S. Bonaventurae († 1272), qui scripsit librum cum titulo: « De exteriori et interiori homine secundum triplicem statum incipientium, proficientium et perfectorum ». Hoc attestantur Nicolaus Glasberger (Analecta Franc., tom. II. pag. 83), Ludovicus Prutenus (Trilogia animae, p. II. c. 20.), Trithemius, Sbaralea (Supplement. etc. pag. 211). Quoad *ordinem* in hoc opusculo ipse titulus insinuat quinque partes principales et tres libros, quorum duo primi agunt tum de *exteriore* tum de *interiore homine*. Unde dicit Sbaralea: « Sunt tres libri hoc ordine dispositi: primus continet... primo de informatione [id est institutione] novitiorum; pars prima incipit: ' Primo semper debes considerare '; altera pars incipit: ' Si vis in spiritu proficere ' [separatim in codicibus et editis cum titulo: *Viginti passus*]. Secundus liber tractat de reformatione mentis, cuius prima pars incipit: ' In priore formula novitiorum ', quam citat et libro III, Process. 6. c. 33; altera vero pars incipit: ' Nunc de singulorum novitiorum '. Tertius liber agit de profectibus Religiosorum et dividitur in septem processus » etc. — Hoc breviter notatum hic sufficiat. Plura, favente Deo, dicemus in praefatione separati tomi, totum opus Fratris David continentis, quem paramus. Ibi auctoritate codicum bonae notae atque antiquarum editionum ostendetur, opus hoc in Ordine Fratrum Minorum semper magni habitum et usitatum restituendum esse praedicto Fr. David.

c. Sed redeamus ad *Regulam novitiorum* certissime Bonaventurae tribuendam iam propter tot codicum infra in *elencho* relatorum auctoritatem, cum inter 40 codices pro Bonaventura testentur 37, nullus pro alio auctore, et 3 sint anonymi. — Praeterea, pro eodem testimonium ferunt Bartholomaeus Pisanus, Iacobus Perusinus, Robertus Liciensis aliique (vide indiculos in Prolegomenis ad V. tomum). Confirmant hoc multae editiones antiquae, quarum prima sine loco et anno, quam Sbaralea suspicatur esse Venetam an. 1487, alia item sine loco et anno, tertia facta Ulmae per Ioan. Zainer an. 1473, quarta Brixiensis an. 1495 etc. (vide Sbaraleam, loc. cit. et Bonelli, Prodrom. col. 619). Errant igitur tum Oudinus, qui primam editionem fuisse vult Romanam an. 1596, tum editores Veneti, qui inepte scribunt (Diatr. pag. 129): « Ne vel ipse Marianus Florentinus in suo Chronicorum fasciculo meminit. Hinc nimiam iam vides licentiam Romanorum editorum, qui, *tacentibus omnibus* (!), Regulam istam Bonaventurae nomine promulgarunt ». — Denique ipse libellus sua indole et stilo satis insinuat, auctorem ipsius esse Ordinis Fratrum Minorum (cfr.

c. 7.) et quidem seraphicum Doctorem. Apposite dicit Sbaralea (loc. cit.): « Opus redolet doctrinam et gravitatem Bonaventurae, etsi habeat tria vel quatuor verba minus Latina, *appodiare*, *guerra*, *campanella*, sed quae illis temporibus in usu erant etiam in epistolis Romanorum Pontificum ». Quod spectat ad ista tria verba, Bonelli (loc. cit. col. 618) pro *appodiare* citat Sermones coaetanei Fr. Guiberti de Tornaco, pro *guerra*, Bullam Innocentii IV: *Ad apostolicae dignitatis apicem*. *Guerra* invenitur etiam in ipsa celeberrima *Legenda S. Francisci*, secundum lectionem probatissimorum codicum.

d. Notandum est etiam, in editione Vat. in fine opusculi inveniri additamentum ab aliena manu conscriptum, quod incipit: « In conventu Fratrum Minorum Parisiis, conversante bonae memoriae Fratre Bonaventura » etc. (vide infra pag. 490, notam 6). Sed hoc manifeste non ab *auctore* libelli ibi positum est, nec invenitur in nostris codicibus. Teste Bonelli (loc. cit. col. 619) in ed. Ulmensi an. 1473 atque in alia sine loco et anno idem additamentum non postpositum, sed praemissum fuit Regulae novitiorum cum inscriptione: « Brevis et utilis doctrinae (sic) iuvenum domini Bonaventurae card. Ord. Min. ». — Porro titulus in pluribus codicibus inscribitur *Institutio* novitiorum pro *Regula*, quo verbo proprie pars operis Fratris David indicatur; in aliis titulus est *Instructio* novitiorum. — In editione Vat. c. 25. *de silentio* extra ordinem est et praefigendum capitulo 26. *de paupertate*, quod per solitam conclusionem *qui vivis et regnas* etc. totum opusculum terminat. — Denique cod. Lambacensis (infra in elencho n. 16.) praeter genuinum prologum (quem codex ille ponit post tabulam) habet alium ineditum, quem, quia exhibet multas sententias seraphico Doctori familiares, ne penitus excidat, infra posuimus post elenchum codicum.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Cortonae* in Tuscia, bibliotheca Communalis, cod. 45. membr. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Opusculum hoc est folio 57. sub titulo: *Incipit liber sancti Bonaventure episcopi Albanensis et sancte Romane ecclesie cardinalis dignissimi de institutione novitiorum. Incipit prologus. Renovamini* etc. Desinit fol. 65. verbis: *Ad quod nos perducat Iesus Xtus, qui est benedictus in secula. Amen.* — In hac nostra editione signatur littera L.

2. *Ibidem*, cod. 204. chart. in fol. saec. XV. — Opusculo praefixa est haec rubrica fol. 51: *Incipit liber domini Bonaventure de Balneo regio Ordinis Minorum de institutione novitiorum. Incipit prologus. Renovamini* etc. Desinit fol. 64. ut in editione. Sign. C.

3. *Florentiae*, bibliotheca Riccardiana, cod. CCCCXLV. membr. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 2. r. non numerato legitur: *Incipit liber, quem frater Bonaventura composuit et ordinavit de instructione novitiorum, in quo sunt capitula XVI.* Hinc tabula capitulorum, post quae: *Incipit prologus. Renovamini* etc. Desinit, ut notatur in editione pag. 483 n. 1. cap. VI. et verbis: *non esset abstinentia, sed simulata sanctitas.* Sign. E.

4. *Monachii*, bibliotheca Universitatis, cod. 15. chart. in 8. saec. XV. — Initium huius opusculi indicatur fol. 130. r. hac rubrica: *Incipit tractatus valde utilis de informatione iuvenum et novitiorum Bonaventure cardinalis. Reformamini* etc. Finis est fol. 152. r. verbis: *gratiam habebis in presenti et gloriam in futuro. Quod nobis concedat qui sine fine vivit et regnat in secula seculorum. Amen. De informatione novitiorum et iuvenum secundum Bonaventuram cardinalem Ordinis Minorum finit feliciter.* Sign. I.

5. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. VII. F. 35. chart. in fol. saec. XV. — Folio 1. r. opusculo praemittitur: *In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Incipit informatio novitiorum secundum Fratrem Bonaventuram cardinalem Ordinis Minorum. Dicit Apostolus: Renovamini* etc. Desinit in cap. 15. n. 2. verbis: *venenum aspidum sub labiis eorum. Deo gratias. Amen.* Sign. D.

6. *Parisiis*, bibliotheca Mazzarinea, cod. 902. chart. in 8. saec. XVI. ineuntis, quem etiam notavimus supra pag. XX n. 196. — Hoc opus est folio 143. r. cum rubrica: *Incipit directorium religiosorum editum a seraphico doctore sancto Bonaventura. Sequitur prologus. Reformamini* etc. Desinit verbis: *quanto a nobilibus possidetur. Ad quod nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.* Sign. F.

7. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 8596. membr. in 12. saec. XV. — Rubrica huius opusculi exhibetur folio 49. r. verbis: *Incipit tractatus de regulari disciplina, quem composuit magister bonaventura Ordinis Minorum. Prohemium. Reformamini* etc. Desinit folio 78. v. verbis, ut notatum est pag. 487, nota 4. cap. 12. n. 2: *asper sermo, brevis.* Cetera desiderantur. Sign. G.

8. *Ibidem*, cod. 7690. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Opusculum reperitur fol. 143. r. sub titulo: *Incipit regula novitiorum edita a beato Bonaventura. Renovamini* etc. Desinit ut in editis. Sign. H.

9. *Ibidem*, bibliotheca Vallicelliana Patrum Oratorii, cod. F. 52. membr. in 4. saec. XV. — Rubrica huius est fol. 84. v. expressa verbis: *Incipit forma, qualiter novitius informetur. Renovamini* etc. Desinit cap. 15. n. 2. verbis: *venenum aspidum sub labiis eorum. Deo gratias.* Sign. A.

10. *Ibidem*, bibliotheca principum Corsinianorum, cod. 41. E. 28. membr. in 4. saec. XIV. — Folio 22. r. legitur: *Domini Bonaventure de Balneo regio Ordinis Minorum de institutione novitiorum. Prologus incipit. Renovamini* etc. Desinit fol. 140. verbis: *quanto a nobilioribus possidetur. Ad quod nos perducat Iesus Xtus, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.* Sign. B.

Praeter hos codices collegimus etiam lectiones variantes ex opusculo impresso Brixiae 1495 (sign. ed. 1).

Extraordinariam lectionum variantium farraginem ex his fontibus collegimus, quarum maxima pars, contradicentibus fere omnibus aliis, erat improbabilis nec mentione digna. Plerumque tamen maior pars conveniebat in locis, ubi textus Vaticanae editionis castigandus erat. Codd. E H L hoc habebant peculiare, quod passim aliqua verba et interdum alia maiora addebant.

II. Codices a nobis non collati.

11. *Brixiae* in Italia, bibliotheca Quinciniana, cod. G. II. 12. chart. in 12. saec. XV. exeunt. — Legitur folio 1. r: *Incipit quedam regula edita a sancto Bonaventura propter novitios*

noviter religionem intrantes. Incipit prologus. Renovamini etc. Desinit fol. 11. v. ut in editis.

12. *Colmariae,* bibliotheca Civitatis, cod. membr. in 8. num. vacat, saec. XV. — Rubrica praesentis opusculi exhibetur folio 125. v. seqentibus verbis: *Incipit liber informationis novitiorum a fratre Bonaventura editus de doctrina novitiorum et quorumlibet religiosorum. Prologus. Reformamini* etc. Desinit fol. 128. v. ad verba cap. 5. n. 2: *Paulatim incidas panem et vinum.* Folia sequentia fuerunt abstracta.

13. *Cracoviae,* bibliotheca Universitatis, cod. A. A. XI. 26. chart. in 4. saec. XV. circa medium. — Hoc opusculum locum habet post alia folio r. non numerato, cum hac rubrica: *Incipit tractatulus valde utilis de informatione iuvenum et novitiorum Bonaventure. Reformamini* etc. Desinit ut cod. I (supra n. 4.): *et finaliter erit tibi bene, quia gratiam habebis in presenti et gloriam in futuro. Quam nobis concedat qui sine fine vivit et regnat in secula seculorum. Amen. De informatione novitiorum et iuvenum domini Bonaventure cardinalis Ordinis fratrum Minorum finit.*

14. *Gottwicii,* bibliotheca Monasterii, cod. 258. (457.) chart. in 4. saec. XV. — Rubrica huius opusculi occurrit folio 179. r. verbis: *Incipit fratris Bonaventure de institutione novitiorum.* Post tabulam sequitur: *Prologus. Renovamini* etc. Desinit fol. 184. v. incompletum (cap. 7. n. 2.): *semper sis in ecclesia, antequam officium inchoat.*

15. *Ienae,* bibliotheca Universitatis, collect. Bossiana, cod. oct. 4. chart. saec. XV. ineuntis. — In parte superiori fol. 2. r. habetur: *Incipit forma et regula, qualiter debeat quilibet novitius informari secundum Bonoventuram. Renovamini* etc. Finis est fol. 13. v. verbis: *venenum aspidum sub labiis eorum* (cap. 15. n. 2. editionis nostrae). Quibus additur: *Explicit forma novitiorum fratris Bonaventure. Sit laus Deo.*

16. *Lambacii,* bibliotheca Monasterii, cod. 463. chart. in 8. saec. XV. ineuntis, ut supra notavimus, pag. XVI n. 102. — Huic opusculo fol. 70. r. praemittitur sequens rubrica: *Incipit tractatus magistri Boneventure de institutione novitiorum. Prologus. Veritatem meditabitur guttur meum* etc. Hunc prologum hucusque ineditum vide infra pag. LXXIX. Ad calcem huius prologi est tabula capitulorum, deinde sequitur: *Renovamini in novitate sensus* etc. Desinit folio 96. r. verbis: *quanto a multis possidetur. Ad quod nos perducat qui sine fine vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

17. *Lipsiae,* bibliotheca Universitatis Paulina, cod. 1271. membr. saec. XV. (1454). — Opusculo praemittuntur haec verba: *Sequitur consequenter liber de instructione novitiorum domini Bonaventure devoti; et primo ponuntur metrica hec dicta:*

Suscipe vivendi doctrinam proficiendi,
Quam tibi descripsit qui servulus est Crucifixi;
Hec tibi doctrina moralis sit medicina;
Per quam proficias ut cauccior amodo fias;
Bene fervescas virtutibus undique crescas.

Sequitur prologus libri: *Renovamini* etc. Desinit folio ultimo codicis v.: *quanto amabilius possidetur. Ad quod nos perducat qui sine fine vivit et regnat in secula seculorum. Amen.* Hinc pius scriptor addit: *Et sic est finis. Explicit liber omnium tendentium et proficere volentium et notanter novitiorum in sacra religione domini Bonaventure, de instructione bonorum morum, quondam cardinalis et ministri generalis. Demum orate pro scriptore unum Ave Maria.*

18. *Londini,* bibliotheca Harleana, cod. 3995. membr. in 4. saec. XV. — Opusculum hoc est fol. 50. v. cum rubrica: *Tabula super tractatum fratris Bonaventure de instituendis novitiis;* et incipit sic: *Reformamini* etc. Desinit ut in editione.

19. *Medelci,* bibliotheca Monasterii, cod. O. 20. miscell. in 4. saec. XV. — Fol. 295. v.: *Tabula fratris Bonaventure de institucione novitiorum.* Post tabulam sequitur: *Renovamini* etc. Desinit fol. 310. r.: *quanto a multis possidetur. Ad quod nos perducat qui* etc.

20. *Ibidem,* cod. N. 10. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit fol. r. non numerato ipsis verbis, quibus praecedens cod., cum quo etiam desinit, addito: *Explicit libellus fratris Bonaventure de institutione novitiorum.*

21. *Ibidem,* cod. Q. 6. chart. in 4. saec. XIV. ante medietatem. — Opusculum incipit folio 109. r. et desinit fol. 128. r. Tam in initio quam in fine eadem leguntur quae in praecedenti codice.

22. *Ibidem,* cod. E. 69. chart. in 12. saec. XV. ante medium. — Opusculum incipit sine titulo folio 251. r.: *Renovamini* etc. Desinit folio 269. r.: *quanto a multis possidetur. Ad quod nos perducat* etc. *Explicit libellus Bone Venture fratris de institutione novitiorum.*

23. *Mediolani,* bibliotheca Universitatis (vulgo Brera), cod. A. D. IX. miscell. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit fol. r. non numerato hac rubrica: *Hec est regula novitiorum per Bonaventuram fratrem ex Ordine Minorum compilatum* (sic). Deinde, omisso prologo, sequitur: *De divino officio celebrando. Cum spiritualia* etc. Desinit verbis: *quanto nobilius possidetur. Ad quod nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

24. *Moguntiae,* bibliotheca Seminarii, cod. chart. in 8. saec. XV. (1462). — Rubrica huius est folio 1. r. his verbis: *Incipit formula vivendi edita a venerabili ac egregio cardinali Bonaventura Ordinis fratrum Minorum cuidam novitio. Renovamini* etc. Finis est fol. 16. v. verbis: *quanto a nobilioribus possidetur. Ad quod nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

25. *Monachii,* bibliotheca Regia, cod. 9068. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Hoc opusculum incipit fol. 288. sub rubrica: *Formula sancti Bonaventure. Renovamini* etc. Desinit fol. 304. v.: *tanto nobilius, quanto amabilius possidetur. Ad quod nos perducat. Explicit formula novitiorum, seraphici scilicet doctoris Bonaventure.*

26. *Ibidem,* cod. 5607. chart. in fol. saec. XV. — Titulus huius opusculi est folio 43. v. expressus: *Incipit bonus tractatus pro religiosis et specialiter incipientibus. Renovamini in novitate* etc. Finem habet fol. 48. r.: *tanto nobilius quanto a multis possidetur. Ad quod nos perducat Iesus Marie filius, qui vivit. Amen.*

27. *Ibidem,* cod. 4710. chart. in fol. saec. XV. — Folio 60. r. est rubrica opusculi his verbis: *Incipit tractatus Bonaventure de institutione monachorum novitiorum et incipientium. Incipiunt capitula.* Post: *Incipit prologus. Renovamini* etc.; prosequitur usque ad cap. 14. n. 2. nostrae editionis, ad verba: *quia talis non dicitur obedientia, sed propria*

voluntate abuti. Gregorius: Si quis aperte vel occulte. Cetera desiderantur.

28. *Ibidem*, cod. 9726. chart. in fol. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 70. r. verbis: *Prologus libri Bonaventure cardinalis et doctoris de instructione novitiorum. Renovamini* etc. Desinit fol. 74. r.: *tanto nobilius quanto a multis possidetur. Ad quod nos perducat, qui sine fine vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

29. *Ibidem*, cod. 9804. chart. in 4. saec. XV. — Folio 129. r. legitur: *Incipit prologus libri Bonaventure cardinalis. Renovamini* etc. Desinit fol. 140. v.: *possidetur. Ad quod nos perducat. Amen. Explicit libellus fratris Bonaventure de instructione novitiorum.*

30. *Ibidem*, cod. 18568. chart. in 4. saec. XV. — Folio 141. r.: *Incipit tabula libri Bonaventure de institutione novitiorum;* post tabulam: *Sequitur prologus. Renovamini* etc. Finis est fol. 152. cum additione: *Explicit tractatus Bonaventure cardinalis et doctoris eximii de institutione monachorum novitiorum et incipientium. Anno 1447. in die sancti Arsacii.*

31. *Ibidem*, cod. 18970. chart. in 8. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 3. sub titulo: *Tractatus incipientibus perutilis sancti Bonaventure.* Post tabulam capitulorum: *Sequitur prologus. Renovamini* etc. Desinit folio 23. r.: *quanto a multis possidetur. Ad quod nos perducat* etc. *Explicit libellus Bonaventure de institutione novitiorum. Anno ut supra 1483.*

32. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. 3. chart. in 8. saec. XV. — Folio 58. r.: *Incipit tractatus valde utilis de informatione iuvenum novitiorum domini Bonaventure cardinalis. Reformamini* etc. Desinit fol. 64. r. verbis: *quanto a nobilioribus possidetur. Ad quod nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

33. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. VII. G. 15. miscell. in 4. saec. XV. exeuntis. — Opusculum est fol. 24. r. sub rubrica: *Incipit liber, qui dicitur informatio novitiorum secundum seraphicum doctorem sanctum Bonaventuram de Ordine Minorum. Prologus: Dicit Apostolus: Renovamini* etc. Desinit verbis cap. 15. n. 2.: *venenum aspidum sub labiis eorum. Deo gratias. Amen.*

34. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 10717. membr. in 16. saec. XV. ineuntis. — Folio 32. v.: *Incipit tractatus fratris Bonaventure de informatione iuvenum et specialiter novitiorum. Incipit prologus. Reformamini* etc. In fine capituli 15. additur: *Finito libro sit laus et gloria Xto.* Hinc sequitur capitulum de humili obedientia, quod desinit verbis: *quanto a nobilioribus possidetur. Ad quod nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

35. *Ibidem*, cod. 3758. chart. saec. XV. — Regula novitiorum incipit folio 104. v.: *Renovamini in novitate* etc. Desinit cum editione fol. 118. v.: *quanto a nobilioribus possidetur. Ad quod nos perducat etc.*

36. *Sancti Galli* in Helvetia, bibliotheca Pastorum, cod. 780. miscell. in 4. saec. XV. — Pagina 270 incipit hoc opusculum sine titulo: *Reformamini* etc. Desinit pag. 311: *quanto a nobilibus possidetur. Ad quod nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

37. *Ibidem*, cod. 938. chart. in 4. saec. XV. — Rubrica opusculi exhibetur pag. 116 verbis: *Incipit liber Bonaventure de institutione novitiorum.* Hinc sequitur tabula capitulorum, deinde: *Incipit prologus. Renovamini* etc. Desinit pag. 141: *quanto a multis possidetur. Ad quod nos perducat qui vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen. Explicit liber Bonaventure de institutione novitiorum completus anno Domini 1448. in vigilia Bonifacii et sociorum eius.*

38. *Stronconii* prope Narniam, bibliotheca Conventus Ordinis Minorum, cod. chart. iam descriptus supra pag. XXII n. 235. — Hoc opusculum incipit folio non numerato, praemissa sequenti invocatione: *In nomine individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Incipit quedam formula vite religiosorum, maxime novitiorum secundum Bonaventuram de Balneo regio. Reformamini* etc. Desinit verbis editionis.

39. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 4059. chart. in 8. saec. XV. — Opusculo praemittitur tabula capitulorum, folio 64. r., deinde sequens titulus: *Tractatus Boneventure de institutione novitiorum. Prologus. Renovamini* etc. Desinit folio 80. v.: *quanto a multis possidetur. Ad quod nos perducat qui sine fine vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Et sic est finis illius tractatus Boneventure pro quolibet sacerdote valente.*

40. *Wratislaviae*, bibliotheca Universitatis, cod. Class. I. 2. in 12. membr. saec. XV. ineuntis. — Opusculo praemittitur: *Incipit tractatus de informatione novitiorum secundum fratrem Bonaventuram cardinalem Ordinis Minorum. Reformamini* etc. Desinit folio 22. v.: *tanto nobilius quanto a nobilioribus possidetur. Ad quod nos perducat Xtus Dei filius, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

Alius prologus hucusque ineditus.

Ex codice 463. chart. in 8. *bibliothecae monasterii Lambacensis.* — *Incipit* tractatus magistri Bonaventurae de institutione novitiorum. *Prologus. Veritatem meditabitur guttur meum, et labia mea detestabuntur impium* (Prov. 8, 7.). In verbis istis Salomon promittit, se facturum duplex opus sapientiae, de quo loquitur Aristoteles in Elenchis. Duplex est enim, sicut docet hic Philosophus, opus sapientiae: primum est *non mentiri eum, de quibus novit*, secundum est *mentientem manifestare posse.* Hoc est dicere, quod sapiens primo debet in doctrina sua praemeditatam veritatem lucide declarare; secundo falsitatem et falsiloquos detegere et libere reprobare.

Propter primum ergo dicit Salomon: *Veritatem meditabitur guttur meum*, propter secundum subdit: *Et labia mea detestabuntur impium.* Haec autem congrue fieri non possunt nisi per gratiam Spiritus sancti, inter cuius septem dona secundum numerationem Isaiae Prophetae donum *sapientiae* obtinet primum locum in descendendo, sed ultimum secundum conversionem numeri in ascendendo. Donum vero *scientiae* quintum locum obtinet numeraliter descendendo, sed tertium ascendendo. Christus enim, qui est consubstantialis Sapientia Dei Patris, per assumtionem carnis ad nos descendendo donum suae sapientiae nobis infudit, dum ad veram fidem humanum genus instruxit, dum, *lumen ad revelationem gentium* (Luc. 2, 32.) factus, refulsit *his qui in tenebris* ignorantiae *sedebant et in umbra mortis* (Luc. 1, 79.) vitiorum multiplicium mortiferae quiescebant. Sapientiam ergo fidei beatissimae Trinitatis, quam Paulus Apostolus *loquebatur inter perfectos* (I. Cor. 2, 6.), Christus promisit suis discipulis, dicens (Luc. 21, 15.): *Dabo vobis os et sapientiam; cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.* Postea ultimo

dedit eis sapientiam, id est sapidam scientiam caritatis, quando *ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* (Eph. 4, 8.), quando scilicet eis Spiritum sapientiae dedit, qui eos *docuit omnem veritatem* (Ioan. 16, 13.). Et ideo dixi supra: donum sapientiae primum in descendendo et ultimum in ascendendo obtinet locum, quia Christus in suo descensu primo nos docuit fidei veritatem, ultimo in suo ascensu discipulis suis infudit perfectam caritatem, quando scilicet eorum *dilectio ut mors fortis* (Cant. 8, 6.) facta est et plus quam mors, et eorum sancta « aemulatio » *durior quam infernus.* Et ideo primum et ultimum numerum sibi specialiter consecravit, dum *primitias et decimas* sibi ipsi praeceptis legalibus dedicavit (cfr. Exod. 22, 29. et alibi passim). Sicut enim unitas est principium omnium numerorum, ita denarius est primus limes et ultimus numerus in primo ordine numerorum, quia in unitate fidei et perfectione decalogi omnis vera sapientia declaratur. Proprie enim sapientia dicitur de divinis, quibus nulla falsitas admiscetur; et omnium divinorum charismatum, sicut fides est principium et fundamentum, ita vera caritas est finis et omnium complementum. Et propter hoc bene dicit Apostolus, quod *finis praecepti est caritas,* et quod *plenitudo legis est dilectio* (I. Tim. 1, 5. et Rom. 13, 10.), quia saporem caelestis gratiae et lumen verae scientiae complectitur et coniungit, ut vera sapientia, id est sapida scientia, dici possit. Scientia vero secundum Sanctos proprie dicitur de humanis, vel etiam de divinis secundum humanam rationem perceptis et acquisitis; et nihilominus scientia inter dona Spiritus sancti sicut sapientia adnumeratur et est in descendendo quintum donum, sed in ascendendo tertium computatur. Quia enim ante adventum Christi humanum genus per delectabilia obiecta quinque sensuum corporalium quasi totum carnale erat effectum; ideo Verbum Dei, id est Filius Dei, Verbum caro factum est, ut de carnalibus spirituales faceret, ut sic, quia Deus spiritus est, per quinque sensuum purificationem homines spirituales effecti possent in Dei filios adoptari, quia talibus Christus descendendo per carnis assumtionem *dedit potestatem filios Dei fieri* (Ioan. 1, 12.), a carne ad spiritum ascendendo. Et ideo bene dictum est, quod donum scientiae in ascendendo tertium computatur, quia per donum scientiae tres vires animae, scilicet *rationalis, concupiscibilis* et *irascibilis*, illuminantur et adiuvantur, ut *rationalis* per cognitionem veritatis declinet falsitatem, *concupiscibilis* per dilectionem bonitatis respuat iniquitatem, *irascibilis* per apprehensionem honestatis vitiorum fugiat vilitatem; et ita anima per verum bonum et arduum ascendat ad cognitionem et dilectionem et apprehensionem beatissimae Trinitatis, exclusa ignorantia, genitrice erroris et falsitatis, exstincta concupiscentia, matre omnis iniquitatis, expulsa impotentia, parente omnis infirmitatis.

Et quia de sacris Religionibus tractare intendimus, quarum aliquae per vitam contemplativam circa Deum et divina divinae caritatis ardore versantur, aliquae vero per vitam activam circa humanas necessitates amore Christi utiliter occupantur; ideo, ut de divinis digne loqui possimus, divina sapientia indigemus, et eiusdem scientia nobis necessaria est, ut de humanis ad veram religionem pertinentibus tractare congrue valeamus. Invocemus ergo devote gratiam Spiritus sancti, ut per sapientiam atque scientiam tam de divinis quam de humanis possimus veritatem salutiferam declarare et detegere falsitatem circa ea praecipue, quae pertinent ad perfectionem verae religionis, de cuius veritate et integritate ad praesens inquirere proponimus et tractare. Explicit prologus. — Tabula fratris Bonaventurae de institutione novitiorum. Versus: Sis iustus, prudens, fortis, discretus et verax (?) — et constans, moestus, humilis castusque, modestus — orans, mansuetus, miserans... laetus — quindenis gradibus his culmen caeli adi. De officio celebrando cap. 1. etc., de paupertate cap. 16. Prologus: *Renovamini in novitate sensus.*

§ 11. **Opusculum XXI. Epistola continens viginti quinque Memorialia.**

a. De hoc opusculo, quod incipit: « In Christo suo dilecto Fratri N. », Oudinus (loc. cit. col. 424) ingenue fatetur, « ex inscriptione et dictione operis certo spectare ad divum Bonaventuram ». *Soli* editores Veneti ausi sunt, nulla adducta ratione, illud reiicere ad *incerta* S. Bonaventurae scripta (Diatrib. pag. 80 seq.), de quo a Bonelli (Prodrom. col. 653 seq.) acriter, sed iuste arguuntur. In indiculis ad tom. V. saepe citatis Bonaventurae attribuunt hanc epistolam Trithemius, Marianus Florentinus aliique. Consentiunt antiquae editiones, quarum una relata in Bonelli Prodromo (col. 280) ita habet: « Utilissima quaedam Epistola eximii et devoti Doctoris Bonaventurae, quae est quaedam regula et institutio omnium pie et spiritualiter in Christo vivere volentium, et distinguitur in XXV Memorabilia (sic) ». Aliam prae manibus habemus, quae licet in fine sit sine loco et anno, videtur esse an. 1484, quia adiunctum est *Breviloquium* hoc anno impressum eisdem omnino typis et charta. Omnem autem dubitationem tollunt tum Epistolae sententiae earumque forma, tum auctoritas tot codicum, quorum multi sunt optimae notae. Inter 74 codices tantum quatuor sunt anonymi, et tres erronee Bernardum nominant auctorem. — Aliis verbis et variis inscribitur haec Epistola: vel « Epistola de spirituali profectu »; vel « de modo proficiendi compendioso »; vel « de ordine vitae spiritualis »; vel « Exhortatorius ad Fratres »; vel « Speculum Fratrum et Sororum » etc.

b. Revera haec Epistola praebet *Regulae novitiorum* pro incipientibus Religiosis scriptae quoddam pretiosum supplementum, quia documenta ibi proposita, si debito modo observantur, idonea sunt, ut viam parent perveniendi ad summam perfectionem. — Etiam hac ratione haec Epistola singulare habet pretium, quia vitam *interiorem* S. Doctoris authentice nobis magna ex parte manifestat, cum contineat ea *proposita*, quae ipse ad proprium usum sibi collegerat (cfr. pag. 491 nota 1. et clarius pag. 498 col. 1).

In editione Vat. inscriptio Epistolae habet *Fratri E,* Bonelli (loc. cit.) cum pluribus codicibus ponit *ad Fratrem Petrum;* nos, quia nomen visum est incertum, substituimus litteram N. De illo Fratre *Petro* Bonelli haec adiungit: « Binos innotuisse nobis illius aevi Fratres Petri nomine vocatos, quorum alter Minister Franciae Bonaventuram nostrum laudavit in epistola scripta an. 1268... alter vero Minister Turoniae memoratur ab eodem Bonaventura » (vide infra pag. 473 Epist. VI.).

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Augustae Trevirorum,* bibliotheca ecclesiae Cathedralis, cod. 49. chart. saeculi XVI. ineuntis. — Praesens opusculum

incipit folio 75. r. his verbis: *Prologus in epistolam sequentem. In Christo suo dilecto N. Bonaventura de Balneo regio confratri in Domino. Qualicumque homine iam veteri* etc. Desinit fol. 105. r.: *commendabis. Qui est trinus* etc., ut indicatur infra pag. 498, nota 5. — In hac nostra editione signatur littera A.

2. *Ibidem*, bibliotheca Publica, cod. 191. progress. 668. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit folio r. non numerato his verbis: *Incipit epistola domini Bonaventure perutilis ac devota. In Xto suo dilecto frater Bonaventura confratri eius in Domino. Qualicumque* etc. Desinit fol. r. ut in editione. Sign. B.

3. *Monasterii*, bibliotheca Universitatis Paulinae, cod. 345. (580.) membr. in 8. saec. XV. exeuntis. — Post medietatem voluminis folio non numerato occurrit rubrica huius opusculi his verbis: *Incipit utilissima quedam epistola eximii et devoti doctoris Bonaventure, que est quasi quedam regula et institutio omnium pie et spiritualiter in Xto vivere volentium et distinguitur in XXV memorialia, ut inferius patebit. In Xto suo dilecto E. Bonaventura de Balneo regio confrater eius in Domino* etc. Desinit fol. r. cum conclusione infra relata pag. 498, nota 5. Sign. D.

4. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. VII. G. 48. chart. in 8. saec. XV. ineuntis. — Rubrica huius opusculi est folio non numerato his verbis: *Incipit quedam formula vite spiritualis;* cui alia manus recentior addit: *fratris Bonaventure.* Deinde sequitur: *In Xto suo fratri dilecto P. frater eius in Domino.* Desinit: *Cui est honor et gloria per indefessa et interminabilia et infinita secula seculorum. Amen. Vale frater* etc., ut legitur infra pag. 498, nota 5. Sign. C.

5. *Romae*, bibliotheca principum Barberini, cod. XLIV. 2. membr. saec. XIV, quem descripsimus supra pag. XXI n. 220. — Folio 3. r. praemittitur opusculo sequens titulus: *Incipit epistola domini fratris Bonaventure cuidam suo discipulo de spirituali profectu notabilis valde. Dilecto in Xto Iesu N. frater eius* etc. Desinit fol. 27. v.: *repleatur in Xto Iesu domino nostro, cui est honor et gloria. Amen.* Sign. E.

6. *Ibidem*, bibliotheca Casanatensis, cod. B. VI. 13. membr. in 12. saec. XIII. exeuntis. — Opusculum incipit fol. 34. r. his verbis: *Epistola venerabilis patris fratris Bonaventure de Balneo regio. In Xto fratri dilecto T. Bonaventura confrater eius in Domino* etc. Desinit verbis: *Expliciunt memorialia pauperis servuli Crucifixi.* Sign. F.

7. *Ibidem*, bibliotheca principum Corsini, cod. 41. E. 28. membr. in 4. saec. XIV. — Folio 189. r. legitur: *Incipit epistola domini fratris Bonaventure de Balneo regio Ordinis Minorum de ordine spiritualis vite, quam misit cuidam suo discipulo. In Xto suo fratri dilecto T. Bonaventura confrater eius in Domino* etc. Desinit folio 198. v.: *per indefessa et immensa ac infinita secula seculorum. Amen.* Sign. G.

In castigando textu Vaticanae editionis plerumque secuti sumus codices antiquiores E F G, quibus non raro etiam C et interdum B consentiunt. Tamen illos minime caece sequi potuimus, cum non raro singuli manifeste falsas lectiones habuerint, et aliquando, sed raro, fere omnes in eundem errorem inciderint.

Praeter codices usi sumus antiqua editione (sign. ed. 1), impressa sine indicatione loci, probabiliter an. 1480, qui in fine primi huius opusculorum collectionis, scilicet Breviloquii, notatus est.

II. Codices a nobis non collati.

8. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Communalis, olim Conventus sancti Francisci, cod. 27. chart. in 16. saec. XV. — Folio non numerato legitur: *Incipit speculum fratrum Minorum, verum etiam omnium religiosorum. In Xto Iesu fratri dilecto Petro frater eius* etc. Desinit ut in editis cum additione: *Vale, frater, in Domino Iesu Xto, sine quo omnia nihil valent. Expliciunt memorialia pauperis servuli Crucifixi. Amen.*

9. *Augustae Trevirorum*, bibliotheca Publica, cod. 747. progress. 566. miscell. in 12. saec. XV. — Circa finem voluminis folio non numerato: *Incipit epistola fratris Bonaventure perutilis atque devota. In Xto suo dilecto E. frater Bonaventura* etc. Desinit verbis: *commendabis. Cui est honor et gloria, decus et imperium per infinita secula seculorum. Amen. Explicit epistola fratris Bonaventure devota et utilis. Deo gratias.*

10. *Bernae*, bibliotheca Civitatis, cod. mss. A. 82. chart. in 16. saec. XV. exeuntis. — Rubrica opusculi est folio 1. r. sic: *Incipit epistola domini Bonaventure cardinalis de modo proficiendi compendioso. In Xto suo fratri N. N. dilecto frater eius in Domino. Qualicumque* etc. Desinit fol. 24. v. verbis: *Cui est honor, gloria et imperium per indefessa et indefinita secula seculorum. Amen.*

11. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 3716-28. chart. in 4. exaratus anno 1490. — Folio 156. r. post alia opera nostri Doctoris, de quibus egimus tom. V. pag. XIX n. 46. et supra pag. XIII n. 48. habetur: *Sequitur utilissima quedam epistola eximii et devoti doctoris Bonaventure prenominati, que est quasi quedam regula et institutio omnium pie et spiritualiter in Xto vivere volentium; et distinguitur hec epistola in viginti quinque memoralia, ut inferius patebit. Prologus. In Xto suo dilecto E. frater Bonaventura* etc. Desinit fol. 159. r. verbis: *commendabis. Cui est honor et gloria, decus et imperium per infinita secula seculorum. Amen.*

12. *Ibidem*, cod. 11902-9. miscell. in 8. saec. XV. — Folio 128. r. legitur: *Beati Iohannis Bonaventure, viri seraphici ac doctoris devotissimi, Albanensis episcopi et cardinalis, epistola utilissima, que est quasi quedam regula et institutio omnium pie et spiritualiter in Xto vivere volentium, feliciter incipit. Prefatio seu prologus epistole sequentis. In Xto suo dilecto E. frater B.* etc. Desinit fol. 140. r.: *commendabis. Cui est honor etc. Finit epistola devotissimi et seraphici doctoris sancti Bonaventure.*

13. *Colmariae*, bibliotheca Civitatis, cod. 15, de quo egimus supra pag. XLIV n. 57. — Hoc opusculum est fol. 25. v. cum titulo: *Incipit utilissima quedam epistola eximii et devoti doctoris Bonaventure, que est quasi quedam regula et institutio omnium pie et spiritualiter in Xto vivere volentium et distinguitur in XXV memorialia, ut inferius patebit. Prologus. In Xto suo dilecto E. B. de Balneo regio* etc. Desinit fol. 40. r. ut in editis. Post *Finit* repetuntur eadem verba, quae supra, quibus additur: *Per me fr. Ioannem Hecht. Anno 1501.*

14. *Cortonae*, bibliotheca Communalis, cod. 45. iam descriptus supra pag. 77 n. 1. — Hoc opusculum est cum rubrica:

Incipit epistola sancti Bonaventure episcopi et cardinalis Albanensis de ordine spiritualis vite ad quendam discipulum suum. In Xto fratri suo dilecto... frater Bonaventura etc. Desinit: *Cui est honor et gloria et imperium per indefessa et immortalia et infinita secula seculorum. Amen.*

15. *Ibidem*, cod. 124. chart. saec. XV, de quo egimus supra pag. LXXVII n. 2. — Rubrica huius est fol. non numerato: *Incipit epistola domini fratris Bonaventure de Bolneo regio Ordinis Minorum de ordine spiritualis vite, quam misit cuidam suo discipulo. In Xto fratri suo dilecto E. B. confrater eius* etc. Desinit ut in codice praecedenti.

16. *Cremifani*, bibliotheca Monasterii, cod. XI. 164. chart. in 8. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 281. r. verbis: *In Xto suo fratri dilecto Iohanni frater eius Bernhardus in Domino* etc. Desinit fol. 288. v.: *Cui est honor, gloria et imperium in secula seculorum. Amen.*

17. *Darmstadii*, bibliotheca Ducalis, cod. 696. membr. in 8. saec. XV. ineuntis. — Folio 77. v.: *Sequitur quedam epistola eximii et devoti doctoris Bonaventure prenominati, que est quasi quedam regula et instructio omnium pie et spiritualiter in Xto vivere volentium. Et distinguitur hec epistola in XXV memoralia, ut inferius patebit. In Xto suo dilecto E. frater B.* Desinit folio 84. r. ut in editis.

18. *Florentiae*, bibliotheca Nationalis, cod. 747. D. III. miscell. saec. XV. — Opusculum incipit folio 321. r. cum rubrica: *Incipit epistota cardinalis Bonaventure. In Xto fratri dilecto suo N. frater eius in Domino* etc. Desinit fol. 323. r.: *commendabis. Cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen. Vale, frater, in Domino Iesu Xto, sine quo omnia nihil valent.*

19. *Gorlitii*, bibliotheca Civitatis, cod. A. B. 81. chart. in 4. saec. XV. — Incipit hoc opusculum fol. 356. r. sub titulo: *Epistola Bonaventure de regulis vivendi.* Deinde, omisso prologo: *Oportet ante omnia te cupientem sequi vestigia* etc., desinit folio 357. v. ut in editis.

20. *Graecii*, bibliotheca Universitatis, cod. 1649. chart. in 12. saec. XVI. ineuntis. — Opusculum incipit folio non numerato r. sub titulo: *Tractatus de humilitate sancti Bonaventure. In Xto suo dilectissimo T. Bonaventura* etc. Desinit n. 6. verbis: *magna et inscrutabilia, quorum non est numerus.*

21. *Ibidem*, cod. 910. chart. in 4. saec. XV. — Haec epistola incipit fol. 3. r. verbis: *In Xto suo fratri dilectissimo T. B. confrater eius* etc. Desinit fol. 7. v.: *qui est unus et trinus in secula benedictus. Amen. Explicit in die sanctorum Cosme et Damiani. anno 87* (1487.).

22. *Ienae*, bibliotheca Universitatis, Collect. Salana, cod. 60. chart. in fol. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 275. v., omisso titulo et prologo: *Oportet ante omnia, te cupientem sequi* etc. Desinit fol. 177. v. cum additione: *Explicit epistola Bonaventure pulcra et bona.*

23. *Lambaci*, bibliotheca Monasterii, cod. 458. chart. in 8. saec. XV. — Opus incipit post medietatem voluminis fol. non numerato r.: *In Xto suo fratri dilectissimo T. Bonaventura* etc. Desinit verbis: *qui est unus et trinus in secula benedictus. Amen.*

24. *Lipsiae*, bibliotheca Universitatis Paulinae, cod. 1556. chart. in folio saec. XV. — Opusculum incipit fol. 32. r., praemisso: *Epistola Bonaventure de sequendo Christo.* Deinde omittit prologum et initium sumit a verbis: *Oportet ante omnia* etc. Desinit fol. eodem v.: *quod ipse tibi concedat, qui est trinus et unus et eternus in secula benedictus. Amen.* Hinc minoribus litteris prosequitur: *Per me fratrem Tiburtium Troppe. Explicit epistola Bonaventure pulcra. Deo gratias.*

25. *Ibidem*, cod. 346. chart. in fol. saec. XV. — Initium opusculi est fol. 10. v. sub titulo: *Incipit memoriale pauperis servuli Crucifixi, sequitur opus Bone venture de speculo anime. In Xto suo fratri dilecto frater eius in Domino. Qualicumque* etc. Folia quaedam interponuntur a compactore, ut recte animadvertitur fol. 11. v. manu saeculi posterioris. Desinit fol. 23. v. ut in editis.

26. *Londini*, bibliotheca Musaei, collectio Arundeliana, cod. 289. membr. in 8. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 22. v. sub titulo: *Epistola fratris Bonaventure, que est quasi quedam regula* etc., ut supra n. 3. Deinde: *In Xto Iesu dilecto E. frater Bonaventura.* Desinit fol. 25. v. ut in editis.

27. *Lovanii*, bibliotheca Universitatis, cod. recenter sign. 15. A. chart. saec. XV. — Rubrica huius opusculi est fol. 11. r. sic expressa: *Beati Iohannis Bonaventure, viri seraphici ac doctoris devotissimi, Albanensis episcopi et cardinalis, epistola utilissima, que est quasi quedam regula et institutio omnium pie et spiritualiter in Xto vivere volentium, feliciter incipit. Distinguitur autem hec epistola in viginti quinque memoralia, ut inferius patet... In Xto suo dilecto E. frater B.* etc. Desinit fol. 15. v. cum hac additione: *Finit epistola devotissimi ac seraphici doctoris sancti Bonaventure. Anno MIIII. 86.* (1486.) *Septembris XXIII.*

28. *Marburgi*, bibliotheca Universitatis, cod. class. IV. D. 38. chart. saec. XV. — Rubrica huius opusculi est fol. 378. r. his verbis: *Epistola Bonaventure pulcra. Oportet ante omnia, te cupientem* etc. Desinit folio 381. r.: *quod ipse tibi concedat, qui est unus et trinus in secula benedictus. Amen. Deo gratias.*

29. *Mediolani*, bibliotheca Universitatis (vulgo Brera), cod. A. D. XIV. 26. chart. in fol. saec. XV. — Folio 1. r.: *Incipit epistola beati Bernardi abatis valde utilis, quam misit uni suo predilecto. In Xto suo fratri dilecto E. B. confrater eius in Domino. Qualicumque veteri* etc. Desinit fol. 7. v.: *devotis tuis digneris orationibus commendare. Cui est honor et gloria et imperium per indefessa et immortalia et infinita secula seculorum. Amen.*

30. *Ibidem*, cod. A. D. IX. 12. chart. in 4. saec. XV. — Folio r. non numerato: *Incipit epistola beati Bernardi abbatis valde utilis ad spirituales profectus, quam misit uni suo predilecto. In Xto suo fratri C. B. et confrater eius* etc. Desinit fol. r. ut in editis.

31. *Mellicii*, bibliotheca Monasterii, cod. H. 28. chart. in 12. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 167. v. cum hac rubrica: *Epistola fratris Bonaventure pro noviciorum informacione. In Xto suo fratri dilectissimo T. Bonaventura* etc. Desinit fol. 172. v. ut in editis.

32. *Ibidem*, cod. H. 85. chart. in 12. saec. XV. exeuntis. — Epistola haec incipit fol. 51. r., praemissa rubrica: *Admoniciones Bonaventure, scilicet ut homo proficiat in vita spirituali. Oportet ante omnia, te cupientem sequi* etc. Notandum, quod opus interrumpitur fol. 52. r. in fine et continuatur fol. 56. v. in principio. Desinit fol. 58. v. cum additione: *Expliciunt aurea verba. Hic est finis tractatus Bonaventure.*

33. *Ibidem*, cod. N. 7. iam notatus supra pag. XVII n. 136. — Hoc opusculum incipit fol. 23. r.: *In Xto suo dilectissimo E. Bonaventura frater eius* etc. Desinit incomplete n. 6. ad verba: *ubi sunt magna et inscrutabilia, quorum non est numerus.*

34. *Monachii*, bibliotheca Regia, cod. 3034. iam descriptus supra pag. XVIII n. 150. — Folio 232. v. incipit hoc opusculum sub titulo: *Epistola et instructio Bonaventure ad novitium quendam de Balneoregio. In Xto suo fratri dilectissimo E. Bonaventura confrater eius* etc. Desinit folio 237. r. verbis: *frui gloria in futuro, quod ipse tibi concedat qui est unus et trinus in secula benedictus. Amen.*

35. *Ibidem*, cod. 9068. chart. in 8. saec. XV. exeunt. — Folio 36. r.: *Sequitur utilissima quedam epistola eximii et devoti doctoris Bonaventure, que est quasi quedam regula et institutio pie et spiritualiter in Xto vivere volentium. Et distinguitur hec epistola in XXV memoralia, ut inferius patebit. Prologus. In Xto suo dilecto E. Bonaventura* etc. Desinit cum editione folio 44. r.

36. *Ibidem*, cod. 11923. chart. in 8. saec. XVI. — Continet cod. fere integrum hoc opusculum sub rubrica: *Nota valde utilia ex quadam epistola devoti doctoris Bonaventure illis pie et spiritualiter in Xto vivere volentibus. Memoralia generalia. Sunt ergo hec quedam virtutes* etc., fol. 3. r.

37. *Ibidem*, cod. 9810. chart. in 4. saec. XV. — Folio 26. r. est sequens rubrica: *Incipit epistola fratris Bonaventure ad novitium quendam, que intitulatur Balneum regium* (sic) *anime. In Xto suo fratri dilectissimo E. Bonaventura confrater* etc. Desinit fol. 33. r. verbis: *Explicit epistola* etc., ut legitur supra.

38. *Ibidem*, cod. 11924. chart. in 8. saec. XVI. — Folio 1. v. legitur: *Incipit utilissima quedam epistola eximii et devoti doctoris Bonaventure, que est quasi quedam regula et institutio omnium pie et spiritualiter in Xto vivere volentium, et distinguitur in XXV memoralia, ut inferius patebit. In Xto suo dilecto E. Bonaventura de Balneo regio* etc. Desinit fol. 12. v. ut in editione.

39. *Ibidem*, cod. 14777. chart. in 8. saec. XV. — Folio 154. r. opusculo praemittitur tantum: *Memoralia generalia sancti Bonaventure.* Deinde, omisso prologo, sequitur: *Sunt ergo quedam virtutes probate in iuvenibus* etc. Desinit fol. 160. v. ut in editis.

40. *Ibidem*, cod. 4781. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum occurrit fol. 22. v. sub titulo: *Incipit epistola fratris Bonaventure ad novitium quendam, que intitulatur Balneum regium* (sic) *anime. In Xto suo fratri dilecto E. Bonaventura confrater* etc. Desinit folio 29. r. verbis: *quod ipse tibi concedat* etc. *Explicit epistola fratris Bonaventure ad novitium.*

41. *Ibidem*, cod. 5014. chart. in 8. saec. XV. — Haec epistola incipit folio 95. v. sine ullo titulo: *In Xto fratri suo dilectissimo frater Bonaventura* etc. Desinit fol. 98. v. ut in editis.

42. *Ibidem*, cod. 7669. chart. in 4. saec. XV. — Folio 118. r.: *Incipit epistola fratris Bonaventure de Balneo regio multum utilis et bona.* Haec rubrica praemissa fuit ab alia quidem, sed coaeva manu; antiqua manus continuat: *In Xto suo fratri dilectissimo E. Bonaventura confrater eius* etc. Desinit fol. 128. r. Eadem manus adiungit: *Explicit epistola fratris Bonaventure utilis et valde bona.*

43. *Ibidem*, cod. 9726. chart. in fol. saec. XV. — Folio 1. r.: *Incipit epistola et instructio Bona venture ad novitium quendam de Balneo regio. In Xto Iesu dilectissimo E. Bonaventura* etc. Desinit ut in editis fol. 4. r.

44. *Ibidem*, cod. 18882. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Opusculum incipit fol. 84. r. sub hoc titulo: *Epistola sancti Bonaventure, que est regula omnium pie in Christo vivere volentium. In Xto suo dilecto E. Bonaventura de Balneo regio confrater eius* etc. Desinit fol. 105. v. ut in editione.

45. *Ibidem*, cod. 18558. chart. in 4. saec. XV. — Folio 21. r.: *Incipit epistola fratris Bonaventure ad novitium quendam, que intitulatur Balneum regium* (sic) *anime. In Xto suo fratri dilectissimo E. Bonaventura confrater* etc. Ultima pars epistolae exarata fuit ab alia manu in parva schedula, a verbis scilicet: *Hec autem non ideo tibi scripsi, quod te* etc. usque ad finem, cui additur: *Explicit epistola fratris B. ad novitium.*

46. *Ibidem*, cod. 18551. chart. in 4. saec. XV. — Folio 140. r. legitur: *Epistola et instructio* (alia manus prosequitur) *sancti Bonaventure de Balneo regio ad quendam de Balneo regio. In xto suo fratri dilectissimo N. B. confrater eius* etc. Desinit folio 147. r.: *tuis orationibus commendare, cui est honor, gloria et imperium per indefessa et infinita secula seculorum. Amen.*

47. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. 190. chart. in 8. saec. XV. — Hoc opusculum est fol. 309. r. sub titulo: *Epistola sancti Bonaventure ad quendam fratrem de spirituali vita. In xto* etc. Desinit folio 116. ut in editione.

48. *Oeniponte*, bibliotheca Universitatis, cod. 219. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 176. v. cum titulo: *Viginti quinque considerationes Bonaventure.* Postea, omisso prologo: *Oportet ante omnia, te cupientem* etc., desinit ut in editis fol. 179. r. Hinc: *Expliciunt viginti quinque considerationes Bonaventure.*

49. *Olomucii*, bibliotheca Regia, cod. II. *f.* 16. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum est circa finem voluminis folio non numerato indicatum hac rubrica: *Incipiunt monitiones Bonaventure ad quendam fratrem.* Hinc omittit prologum et prosequitur: *Oportet ante omnia te cupientem sequi* etc. Desinit: *quod ipse tibi concedat qui est unus et trinus in secula benedictus Amen. Expliciunt monitiones Bonaventure ad quendam fratrem.*

50. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 14857. miscell. in 4. saec. XV. — Folio 324. r. opusculo praemittitur sequens rubrica: *Epistola missa per venerabilem fratrem Bonaventuram de Balneo regis, olim generalem ministrum Ordinis Fratrum Minorum atque cardinalem Romane ecclesie, cuidam carissimo et spirituali amico. Dilecto in Xto fratri suo* A. *frater Bonaventura* etc. Desinit incompleta ad verba: *melius est enim non noscere viam iustitie, quam retrorsum converti, ut habetur prima Petri.*

51. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 7690. chart. saec. XV. (1475). — Folio 210. r.: *Incipit speculum fratrum Minorum, immo omnium religiosorum. In Xto Iesu fratri dilecto Petro frater eius Bonaventura* etc. Desinit fol. 216. v. cum editis et in fine additur: *Vale, frater, cum Domino Iesu, sine quo omnia nihil valent.*

52. *Ibidem*, in archivo Collegii sancti Isidori, cod. 88. chart. saec. XV. — Opusculum incipit folio 154. v. sic: *In nomine*

Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Sunt aliqua necessaria inter virtutes etc. In aliquibus differt ab edito, desinit etiam fol. 156. v. his verbis: *ut accipias gloriam, quam preparavit Deus diligentibus se. Amen.*

53. *Ibidem*, in eodem cod. colligatum est aliud exemplar, quod incipit fol. 240. a rubrica: *Incipit quedam epistola fratris Bonaventure Ordinis Minorum ad fratrem suum. In Xto* etc. Desinit fol. 242. v. ut in editis.

54. *Ibidem*, bibliotheca Principum Chisianorum, cod. A. IV. 102. membr. saec. XIV. — Folio 65. v.: *Incipiunt memorialia. In Xto suo fratri dilecto T. B. confrater eius* etc. Desinit fol. 79. r. ut in editis cum additione: *Vale, frater, in Domino Iesu Xto, sine quo omnia nihil valent. Expliciunt memorialia pauperis servuli Iesu Xli crucifixi Bonaventure. Laus Iesu Xto. Amen.*

55. *Ibidem*, cod. A. VI. 188. membr. in fol. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 204. r. sub hac rubrica: *Epistola Bonaventure. In Xto suo fratri dilecto T. Bonaventura confrater eius* etc. Desinit fol. 207. r. addito: *Vale, frater, in Domino Iesu, sine quo omnia nihil valent. Explicit epistola Bonaventure religiosis utilissima et clericis.*

56. *Salisburgi*, bibliotheca Monasterii S. B., cod. b. II. 39. chart. in 8. saec. XV. — Huic opusculo folio non numerato praemittitur tantum post alia: *Sequuntur 25 memoralia sancti Bonaventure, que quasi regula sunt omnium pie et spirituoliter in Xto vivere volentium. Primum memoriale. Ante omnia oportet, ut te* etc. Desinit: *finis et complementum omnium desideriorum nostrorum. Finis.*

57. *Ibidem*, cod. b. II. 26. chart. in fol. saec. XV. — Folio 69. v.: *Incipit epistola fratris Bonaventure de Balregio* (sic) *et multum bona. In Xto suo fratri dilectissimo E. B. confrater eius* etc. Desinit fol. 72. v. ut in editis cum additione: *Explicit epistola fratris Bonaventure utilis et valde bona. Anno Domini 1417.*

58. *Sancti Audomari* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 242. membr. in 4. saec. XV. — Folio non numerato post alia legitur: *Sequuntur XXV memorialia sancti Bonaventure, que quasi regula sunt omnium pie et spiritualiter in Xto vivere volentium. Primum memoriale. Ante omnia oportet* etc. Desinit verbis: *finis et complementum omnium desideriorum nostrorum. Amen.*

59. *Sancti Galli*, bibliotheca Monasterii, cod. 142. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit pag. 291 hoc titulo: *Epistola seraphici et illustrissimi doctoris ac cardinalis Bonaventure de compendioso modo proficiendi, missa cuidam religioso. In Xto suo dilecto N. B. frater eius* etc. Desinit pag. 298 verbis: *tuis orationibus commendo. Cui est honor et gloria et imperium per indefessa et immortalia et infinita secula seculorum. Amen.*

60. *Stronconii*, bibliotheca Conventus Fratrum Minorum, cod. chart. saec. XV. iam notatus supra pag. XXII n. 235. — Opusculo praemittitur haec rubrica: *Qualiter verus religiosus debeat ducere vitam suam coram Deo et hominibus. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Sunt aliqua necessaria inter virtutes* etc. Desinit ut in editis.

61. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 1359. membr. in 4. saec. XV. — Titulus habetur fol. 34. r. his verbis: *Incipit epistola fratris Bonaventure de Balneo regio et multum bona. In Xto suo fratri dilectissimo T. B. confrater eius* etc. Desinit fol. 43. v.: *quod ipse tibi concedat, qui est unus et trinus in secula benedictus. Amen. Explicit epistola Bonaventure utilis et valde bona. Anno Domini 1417.*

De pio scriptore huius codicis manus fere coaeva haec reliquit: *Hunc vero libellum scripsit manu propria venerabilis pater dominus Henricus tertius, prepositus huius Monasterii sancte Dorothee virginis et martiris, anno Domini MCCCCXVII. Iste bonus pater fuit magister artium et baccalarius in theologia ac collegiatus... Orate, carissimi, pro eo Dominum benedictum et gloriosum. Idem etiam venerabilis pater post epistolam fratris Bonaventure scripsit etiam propria manu aliqua notabilia pro temptatis.*

62. *Ibidem*, cod. 3655. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Opusculum hoc est folio 60. r. sub titulo: *Incipit utilissima quedam epistola* etc., ut supra n. 13. *In Xto suo dilecto E. B. de Balneoregio confrater eius in Domino.* Desinit cum editione fol. 75.

63. *Ibidem*, cod. 4742. chart. in 4. saec. XV. — Initium huius opusculi est folio 193. v. verbis: *Tractatus Bonaventure de consideratione editus* etc. *In Xto suo fratri dilectissimo T. B. confrater* etc. Desinit fol. 199. v. verbis n. 25. nostrae editionis: *continue ac fervide caritatis, decoratos omnium virtutum...* Reliqua desunt.

64. *Ibidem*, cod. 1713. miscell. in 8. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 123. r. sub titulo: *Tractatus doctoris seraphici sancti Bonaventure de humilitate. In Xto suo fratri dilectissimo Bonaventura confrater* etc. Desinit n. 6. verbis: *refectionis eterne, ubi sunt magna et inscrutabilia, quorum non est numerus.*

65. *Ibidem*, cod. 3859. chart. in 8. saec. XV. — Folio 37. r. incipit hoc opusculum sine titulo, et omisso prologo: *Oportet autem, te cupientem sequi vestigia* etc. Desinit folio 43. r. verbis: *Deus propitius esto mihi peccatori.*

66. *Ibidem*, in eodem cod. est aliud exemplar huius opusculi fol. 133. v. hac rubrica indicatum: *Incipit tractatus bonus et utilis fratris Bonaventure de Balneo regio* etc. Desinit fol. 143.: *qui est unus et trinus in secula benedictus. Amen. Explicit epistola fratris Bonaventure de Balneo* (sic) *multum utilis. 1470. in die sancti Mauritii.*

67. *Ibidem*, cod. 4348. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Folio 126. r. opusculo praemittitur: *Epistola sancti Bonaventure, que est regula in Xto vivere volentium.* Incipit, praetermissis quibusdam, n. 3. et verbis: *Venite ad me omnes, qui laboratis.* Desinit folio 132. r. cum editione.

68. *Ibidem*, cod. 1288. chart. in 8. saec. XV. — Opusculum incipit folio 145. r. cum indicatione: *Epistola utilissima quedam eximii doctoris Bonaventure, que est quasi quedam regula et institutio pie et spiritualiter in Xto viventium. In Xto suo dilecto Bonaventura del Balneo regio* etc. Desinit ut in editis fol. 154. v.

69. *Ibidem*, cod. 3808. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 53. r. sine ullo titulo: *In xto fratri suo dilectissimo C. Bonaventura confrater* etc. Desinit 59. r. verbis: *humiliter quoad Deum. Et sic est finis illius tractatus. Anno 36.* (1436.) *in die sancti Mathie apostoli. Orate pro me peccatore.*

70. *Ibidem*, bibliotheca Monasterii Scotorum, cod. 54. h. 1. chart. in 8. saec. XV. — Folio r. non numerato: *Incipit epistola*

fratris Bonaventure de Balneo regia (sic) *et multum bona. In Xto suo fratri dilectissimo C. Bonaventura confrater eius* etc. Desinit: *Qui est unus et trinus in secula benedictus. Amen. Explicit epistola fratris Bonaventure utilis et valde bona. Anno 1452.*

71. *Ibidem*, cod. 50. h. 2. chart. in 4. saec. XV. — Initium est folio non numerato r. ut in codice praecedenti; desinit fol. non numerato v.: *quod ipse tibi concedat, qui est unus et trinus benedictus in secula. Amen.*

72. *Voravii*, bibliotheca Canoniae, cod. LII. membr. in fol. saec. XV. — Circa finem voluminis fol. r. non numerato: *Incipit epistola fratris Bonaventure de Balneo regio et multum bona. In Xto suo fratri dilectissimo Thome Bonaventura* etc. Desinit fol. v.: *qui est unus et trinus in secula benedictus. Amen. Explicit epistola Bonaventure utilis et bona. Sequuntur aliqua notabilia pro temptatis.* Eadem manus inde notavit: *Finitus est hic liber 1448 Anno.*

73. *Ibidem*, cod. CLVI., qui nunc abest a bibliotheca, complectebatur hoc opusculum cum hac inscriptione: *Epistola domini Bonaventure, que dicitur therma aurea* (sic) *ad iuniores suos.*

74. *Wolfenbutae*, bibliotheca Ducalis, cod. Helm. 1394. miscell. in 8. saec. XV. — Opusculum incipit circa medietatem voluminis fol. r. non numerato hac rubrica: *Incipit epistola Bone venture. Oportet ante omnia, te cupientem* etc. Desinit verbis: *quod ipse tibi concedat, qui est unus et eternus in secula benedictus. Amen.*

§ 12. **Opusculum XXII. Epistola de imitatione Christi.**

Bonelli (Supplem. III. col. 1132) primus edidit hoc opusculum, quod incipit: « Frater, beatus Augustinus » etc. In praefixa *Admonitione* dicit: « Inter Bonaventuriana anecdota collecta a cl. P. Waddingo exstat Romae in tabulario Conventus S. Isidori cod. membr. in 8, armar. 5. num. 186... In hac autem Epistola, utpote familiari ac verosimiliter ad simplicem Fratrem directa, nusquam, quod ego sciam, edita plus lector rem ipsam appendat, non verba; fructum legat, non folia; florem carpat, non volantes desideret pappos ». — In Prodrom. (col. 743) ipse de eadem Epistola dicit: « Stilum quidem humilem praefert, sed magnam pietatem atque unctionem, ita ut nihil obesse videatur, quominus credi queat ad humilem Fratrem Ordinis Minorum sui spiritualis profectus cupidum a beato Bonaventura scripta ». — A Bernardino de Bustis (Rosar. p. II. sermo 27. fol. 244. col. IV.) dicitur: S. Bonaventura in libro de Imitatione Christi ait: « In omnibus virtutibus et bonis moribus tibi propone semper clarissimum speculum et totius sanctitatis perfectissimum exemplar, scilicet vitam et mores Filii Dei, Domini nostri Iesu Christi ». Haec verba non inveniuntur in celebri Imitatione Christi Thomae a Kempis attributa neque etiam in hac Epistola, sed verbotenus in libro de *Institutione novitiorum* (c. 32.), qui est pars prima scripti Fratris David *De interiori et exteriori Homine* etc. Non est impossibile, quod ille Bernardinus habuerit copiam huius Epistolae, cui illa verba inserta erant, cum etiam inter nostros huius opellae codices non desit notabilis discrepantia.

Cum ad auctoritatem Waddingi et Bonelli accedat etiam testimonium plurium codicum et substantia doctrinae propositae bene conveniat cum Bonaventuriana, ausi non sumus hanc Epistolam expungere ex catalogo Operum seraphici Doctoris. Hypothesis enim a Bonelli proposita, quod auctor stilum suum adaptaverit simplicitati cuiusdam Fratris, nullatenus apparet improbabilis. Nolumus tamen negare, fieri potuisse, quod forma huius Epistolae, cuius substantia fortasse ex aliquo sermone S. Bonaventurae ab alio auctore deprompta sit, ab aliena manu postea non parum fuerit mutata et transformata.

Elenchus codicum.

Codices a nobis cum textu editionis Vaticanae collati.

1. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. VII. F. 35. chart. saec. XV. ineuntis. — Folio non numerato: *Incipit tractatus pulcherrimus domini Bonaventure ordinis Minorum de Balneoregio. Frater, loquitur beatus Augustinus* etc. Prosequitur usque ad n. 5. et ad verba: *Et tenor questionis talis erat.* Cetera desunt. — Signatur a nobis littera B.

2. *Ibidem*, cod. XIV. C. 35. chart. saec. XV. exeuntis. — Huic Epistolae praemittitur sequens rubrica: *Incipit tractatus pulcherrimus sancti Bonaventure.* Desinit fol. non numerato: *secundum ista que scripsi tibi. Amen.* Sign. C.

3. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 18327. chart. saec. XV. — Incipit opusculum fol. 179. r. post alias epistolas S. Doctoris sic: *Epistola alia eiusdem ad quemdam iuvenem. Beatus Augustinus loquebatur sic ad Dominum* etc. Desinit fol. 182. r. verbis: *secundum ista que tibi scripsi. Vale in Domino et ora Deum pro me.* Sign. A.

4. *Romae*, bibliotheca Collegii sancti Isidori Hibernorum, cod. 68. miscell. saec. XV. — Incipit fol. 239. v. cum hac rubrica: *Epistola beati Bonaventure de imitatione Xti Iesu. Frater, loquitur beatus Augustinus* etc. Desinit: *Vale in Domino et ora pro me.* Sign. D.

§ 13. **Opusculum XXIII. Legenda sancti Francisci.**

Prologus huius *Legendae* incipit: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri*, et non obscure insinuat, quis fuerit auctor eiusdem. Verba enim ibi (n. 3.) posita: « Nisi me Fratrum fervens incitasset affectus, generalis quoque Capituli [Narbonensis an. 1260] concors induxisset instantia, et ea quam ad sanctum Patrem habere teneor devotio compulisset, utpote qui per ipsius invocationem et merita in puerili aetate, sicut recenti memoria teneo, a mortis faucibus erutus » etc.; haec, inquam, verba ad neminem nisi ad Bonaventuram spectare possunt. Hoc confirmatur eo quod in c. 3. n. 4. dicitur de B. Aegidio et ipso auctore, et c. 13. n. 8. de praedicatione Papae Alexandri IV. « coram multis Fratribus et me ipso ». Insuper tot sunt testimonia coaetaneorum et posteriorum, ut nemo unquam hanc Legendam seraphico Doctori abiudicaverit. Ipse Oudinus dicit (loc. cit. col. 392), Legendam hanc referendam inter opuscula, « quae divum Bonaventuram auctorem indubium habent ». Sufficiat igitur paucos tantum afferre testes, quorum primus est synchronus Fr. Salimbene, qui in suis Chronicis (ed. Parm. pag. 60), postquam laudavit *Memoriale beati Francisci* scriptum a Thoma a Celano, addit: « Sed processu temporis a Fratre Bonaventura, generali Ministro, ex his omnibus compilatus est unus optime ordinatus. Et adhuc multa reperiuntur, quae scripta non sunt ». — Secundus est Fr. Ubertinus a Casali, qui in suo libro *Arbor vitae crucifixae* (an. 1304) pluries hanc Legendam attribuit Bonaventurae et libr. V. c. 5.

etiam monet, plura ab auctore ibi fuisse « de industria omissa, qui nolebat Fratres ante tempus extraneis infamare » (cfr. etiam ibid. c. 4.). — Tertius est auctor Chronicorum XXIV Generalium (vide Analecta Francisc. tom. III. pag. 328), qui de hac et alia minore Legenda dicit: « Anno Domini 1261 idem Generalis vitam beati Francisci stilo mirabili compilavit ipsamque diffusam ad compendiosiorem formam reducens, taxatis pro die qualibet IX lectionibus per Octavas eiusdem, Legendam ordinavit, in qua nihil posuit nisi certum et probatum testibus fide dignis ». Hoc fere repetit S. Antoninus (vide Bonelli, Prodrom. col. 232). Denique saepe de hac Legenda, tum maiore tum minore, loquitur Bartholomaeus Pisanus (cfr. Prodrom. col. 224 seqq.). Subsequentes etiam indiculi in Prolegom. ad V. tom. plerumque utramque Legendam Bonaventurae attribuunt.

Mirum certe est, editores Venetos, Legendam quidem ipsam *legitimam* esse proclamantes, de *Prologo* hoc scripsisse (Diatribae pag. 7): « Erit fortasse, qui subdubitabit, num Prologi auctor unus habendus sit Bonaventura; quo quidem scrupulo diluendo supersedimus (sic) iam, cum de illo nobis futurus sit sermo ». Recte monet Bonelli (Prodrom. col. 592 seqq.), nullibi istos promissis stetisse scrupulumque hunc diluisse. Nihilominus Bonelli superfluum sibi assumsit laborem tum indagandi aliquas rationes, quibus isti fortasse moti, haec scripserint, tum deinde easdem refutandi. Ne tempus perdamus in futilibus et fide codicum reprobatis suspicionibus refutandis, lectorem curiosum remittimus ad illum Prodromum loc. cit.

Typis impressa est haec Legenda separatim in plurimis editionibus antiquis et recentioribus. Antiquior, quam vidimus, est: « Aurea Legenda maior beati Francisci composita per sanctum Bonaventuram miro inter omnes Sanctorum vitas dictata ». In fine: « Divi Francisci vita sollerti cura ab eius alumno F. scilicet Fr. Sti. Minorum minimo castigata, opera et impensis Philippi Iuntae, bibliopolae Florentini formis propagata Florentiae: Petro Soderino, inclito reipubl. perpetuo vexillifero, feliciter in vulgus prodit, anno scilicet a Christi ortu MDIX, quinto decimo Cal. Maias (haec editio deest in Repertor. Hain). Hac usi sumus in emendando textu, signata ed. 1. — Alia cum eodem titulo *Aurea Legenda* etc., prodiit Papiae per Magistrum Iacob. de Burgofranco 1556. — Aliae editiones factae sunt Parisiis 1507; Papiae 1554; una cum commentario Henrici Sedulii prodiit Antverpiae, Plant. in 4. 1597; multae aliae alibi. Sed prae aliis eminet recentior editio notis illustrata in Bollandianis *Actis Sanctorum*, Octob. tom. II. pag. 742 seqq., cui praefigitur haec nota: « Ex editione Sedulii collata cum editione Suriana, Romana, Waddingiana et codice nostro Ms. ». Etiam hanc editionem passim consulentes, observavimus, lectiones illius codicis ad marginem notatas frequenter confirmari a codicibus nostris, unde a nobis receptae sunt in textum.

In alia idiomata non raro translata est haec Legenda. De versionibus antiquis, quae habentur in codicibus msc. vide post elenchum codicum. Italicas versiones typis expressas et antiquas duas refert et describit Hain, Repertor. n. 3574; prima impressa est 1477, 6 Febr. « per Magistro Antonio Zaroto da Parma in Milano », altera (n. 3575.) an. 1480, 17 Ian. « in casa de Messere Philippo da Lavagnia, Cittadino de Milano ». — Simul cum libello *Fioretti di S. Francesco* versiones pluries prodierunt, ut refert Hain n. 7328. et 7329. — Tres alias versiones Italicas refert Bonelli col. 337 seq., quae prodierunt Venetiis apud « Gregorio de Gregoriis in 4. a di 13. Apr. 1522 »; alia in 4. « presso gli Heredi di Simon Galignani 1598 », item in 8. « presso Domenico Farri 1603 ». Alias multas simul cum libello Fioretti idem refert col. 328. — Versio Germanica antiqua impressa est Norimbergae in 4. per Hieron. Hoelzer 1512, cum 57 praeclaris imaginibus ligno incisis, quae attribuuntur celebri Dürer; alia, translata a P. Haniol Moguntino, Provinciae Coloniensis Definitore, prodiit Coloniae 1646 apud Ioan. Grythium. In linguam Flandricam Legendam transtulit Cornelius Thielmanus Lovaniae 1598.

De laudibus huius Legendae testimonia multa proferri possent. Ipse celeber inter Humanistas Leonardus Aretinus, ut refert Robertus de Licio (vide Bonelli, Prodrom. col. 242), asseruit, « quod in illo dicendi genere nullus esset, qui Bonaventuram superare posset ». — Ut autem rectum de hac S. Francisci vita iudicium feratur, illam non debemus metiri secundum regulam eam, quam recens scientia historica in iudicandis hominum vitis vulgo adhibere solet. Haec enim vim ponit praecipue in accurata rerum exteriorum gestarum, temporum aliarumque circumstantiarum indagatione et enarratione. Pro more illius aetatis S. Bonaventura alium sibi proposuit *principalem finem*, potius practicum quam scientificum, ac proinde etiam alium modum tractandi aliaque media ad hunc finem assequendum censuit eligenda. Salva rerum gestarum veritate, quam, ut ipse dicit, sollicite indagavit, eo fine elegit res et descripsit, ut profectus legentium spiritualis promoveatur, devotio erga Sanctum ac veneratio excitetur ac summi Regis caelestis gloria augeatur. Quapropter in hac vita scribenda magis intendit adumbrare sanctissimi viri vitam internam, *in Christo absconditam* (Col. 3, 3.) vereque supernaturalem, quam exterioris vitae decursum secundum tempora, loca aliaque singulatim referre. Hanc spiritualem seraphici viri Francisci vitam nemo certe melius seraphico Doctore et iudicare et enarrare unquam potuit. Profecto sola scientia profana ingeniumque naturale, secluso lumine fidei, minime sufficit huius vitae altitudinem intellectu percipere, competenter diiudicare et apte aliis proponere. Et quid dicam de illis qui totam hanc mysticam vitam et superhumanam reputant esse phantasticum somnium vel deliramentum ipsaque in sacra Scriptura tradita miracula Christi et Apostolorum repudiant tanquam fabulas? Ili secundum proprias ideas distortas non possunt depingere nisi distortas Sanctorum imagines.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Communalis, codex olim Conventus sanctae Mariae Angelorum, signatus B. IX. 6, membr. in fol. saeculi XIII. exeuntis. — Manus recentior praemittit fol. 1. r.: *Legenda de vita sancti Francisci composita a divo Bonaventura;* antiqua notaverat: *Incipit prologus in vitam beati Francisci*, omisso nomine auctoris. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri* etc. Capitulum XV. dividitur in novem lectiones, quibus praemittitur haec rubrica: *In festo translationis beati Francisci lectio prima de canonizatione et translatione*

ipsius. Deinde: *Incipiunt quedam de miraculis ipsius post mortem ostensis et primo de virtutibus sacrorum stigmatum.* Desinit: *Ad laudem unius Dei et trini, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa.* — Signatur a nobis littera B.

2. *Ibidem*, cod. 23. membr. in fol. parvo saec. XIV. ineunt. — Legenda incipit fol. 84. r., cui manus posterioris aevi praemisit verba: *Vita beati patris Francisci.* Desinit cum capitulo XV: *cui est honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen.* Narratio miraculorum desideratur. Sign. C.

3. *Ibidem*, cod. 24. chart. in fol. saec. XV. ineuntis, de quo locuti sumus supra pag. XLI n. 3. — Fol. 13. v.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa.* Immediate sequitur epistola Fratris Hieronymi, Ministri generalis, sub die III. Nonas Maii 1276 directa: *In Xto sibi carissimis ministro, custodi et guardiano sancti Francisci*, quam vide infra pag. 560, nota 4. Sign. D.

4. *Ibidem*, cod. 98. chart. in 8. saec. XIV. — Fol. 1. r. habetur: *Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Alia, sed antiqua manus huic titulo praemisit verba: *Hec est legenda maior beati Francisci.* Desinit ut in editis fol. 101. v. cum hac additione: *Expliciunt miracula sancti Francisci, Deo gratias. Finito libro, sit laus et gloria Xto. Anno Domini MCCCLXXV. finitus est liber iste per manus Henrici Helbelnick quinta feria post circumcisionem Domini, hora tertia.* Sign. E.

5. *Ibidem*, cod. 110. membr. in 4. saec. XIV. ineuntis. — Titulus huius operis est fol. 1. his verbis: *Incipit prologus in legenda beati Francisci. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit: *Ad laudem unius Dei et trini, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Qui scripsit scribat, semper cum Domino vivat.* Sign. F.

6. *Ibidem*, cod. 46. membr. in folio saec. XIII. ante finem. — Huic operi praemittitur: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit cum additione: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa. Deo gratias.* Sign. G.

7. *Florentiae*, bibliotheca Nationalis, cod. C. IX. 2878. chart. in 8. saec. XIV. — Legenda occurrit fol. 13. r. cum hoc titulo: *Incipit prologus in vita beati Francisci. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit fol. 53. v. ut in editis cum additione: *Expliciunt quedam miracula post mortem beati Francisci ostensa. Deo gratias.* Sign. I.

8. *Ibidem*, cod. C. IX. 1188. membr. in 16. saec. XIV. circa medietatem. — Legendae praemittitur tabula capitulorum, deinde fol. 13. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci*, quae desinit cap. XV. fol. 95. r., addito: *Explicit vita beati Francisci.* Hinc fol. 102. r. sequitur Legenda minor cum indice distinctionum et lectionum et tandem fol. 126. v.: *Incipiunt quedam de miraculis ipsius post mortem ostensis, et primo de virtutibus sacrorum stigmatum.* Desinit fol. 158. r. ut in editis. Additur: *Expliciunt quedam de miraculis beati Francisci post mortem ostensis.* Manus posterior haec notavit: *Iste presens liber concessus est ad usum mei, fratris Angeli Vagus Roghetus in ordine Minorum de Mathelica, provincie Marchie et custodie Exine. Et pertinet ad usum novitiorum conventus. Qui me furatur vel reddat, vel moriatur. Amen.* Sign. M.

9. *Montis Alvernae*, bibliotheca Conventus, cod. membr. in fol. saec. XIV. — Fol. 283. v. legitur: *Incipit legenda beati Francisci, fundatoris ordinis Minorum;* deinde fol. seq. r.: *Apparuit gratia Dei salvatoris* etc. Desinit fol. 296. v.: *Magnificentia virtutis Altissimi, cui est honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen.* Sign. K.

10. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 7570. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 1. v. legitur sequens praemonitio: *Hec maior vita sive legenda beati Francisci pro edificatione fratrum, in loco quolibet habeatur et potest legi ad mensam per totam octavam natalis beati Francisci. Minor autem legenda, que de hac excerpta est, poni debet in libris choralibus et legi secundum suas distinctiones in festivitatibus beati Francisci et per octavam natalis eius et in breviariis portatilibus potest poni. Scriptores ergo compellantur tenere punctiones et litteram exemplaris et eorum errores iuxta ipsum exemplar per fratrum diligentiam corrigantur. Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit* etc. Ultimum capitulum dividitur in novem lectiones, quod indicatur his verbis: *Marginalis rubrica, que huic capitulo apponitur semper, sicut hic vides, tenebit in margine, nec simul cum alia, que textus continuativa est, aliquatenus debet poni.* Haec rubrica est circulo inclusa et sic se habet: *In festo translationis bti Francisci lcio pma.* Desinit fol. 114. v.: *Explicit vita beati Francisci. Incipiunt quedam de miraculis ipsius post mortem ostensis et primo de virtutibus sacrorum stigmatum.* Haec series miraculorum desinit in codice fol. 131. v. § IV. n. 1, ut indicatur ibidem pag. 555, nota 10. Sign. A.

11. *Ibidem*, cod. 121. membr. in fol. saec. XV, de quo et supra egimus pag. XLVII n. 139. — Fol. 290. r. legitur: *Vita sancti Francisci maior ordinis Fratrum Minorum feliciter incipit. Apparuit* etc. Desinit fol. 318. v. ut in editis. Sign. L.

12. *Ibidem*, bibliotheca Collegii sancti Isidori Hibernorum, cod. 40. membr. in 4. saeculi XIV. — Fol. 1. r. Legendae praemittitur: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit fol. 68.: *Ad laudem et gloriam unius Dei et trini, qui vivit et regnat in secula. Amen. Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa. Deo gratias. Amen.* Sign. H.

Textus huius Legendae in Vaticana editione minus quam in aliis S. Doctoris opusculis corruptus est. Nihilominus fide bonorum codicum supra recensitorum in qualibet columna plura menda, interdum satis gravia emendare potuimus. Singulare inter codices pretium habet cod. Vaticanus A (n. 10.), ut iam ex monitione, quam Legendae praemittit, videri potest. Cum eo saepius conveniunt B G et non raro etiam I M. Attamen I et etiam B saepe ab aliis discedunt praebendo lectiones omnino improbabiles et quandoque manifeste vitiosas. Notandum autem, quod A, licet optimus, nihilominus interdum deficit, ut secundum alios corrigi debuerit. Raro textum Vaticanae editionis mutavimus, nisi fere omnes codices invenerimus consentientes et contra illam editionem testantes. Praeterea notandum, solos codd. I et K praebere quoddam miraculum ab aliis omissum.

Ed. 1 (Florentina, an. 1509) plerumque cum Vaticana convenit.

II. Codices a nobis non collati.

13. *Assisii* in Umbria, bibliotheca olim Conventus sancti Francisci, nunc Communalis, cod. . . . membr. in 4. saec. XIII.

exeunt. — Legenda incipit sine nomine auctoris: *Apparuit gratia Dei* etc. Desinit ut in editis. Pluribus in locis ob humiditatem verba pene deleta sunt.

14. *Augustae Taurinorum*, bibliotheca Universitatis, cod. I. VI. 33. membr. in 4. saec. XIV. — Legenda incipit fol. 1. r. verbis: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit fol. 88. r. cum additione: *Expliciunt miracula post mortem beati Francisci ostensa, numero LX. et III.*

15. *Ibidem*, cod. I. IV. 23. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. — Fol. 200. v.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Desinit fol. 237. ut in editis. Deinde fol. 291. alia manus, sed eiusdem saeculi, scripsit: *Miraculum de beato Francisco. Quidam pro furti calumpnia cecatus fuit rigore secularis iustitie* etc. Est miraculum de restitutione oculorum, quod inserimus infra pag. 560, nota 4.

16. *Augustae Trevirorum*, bibliotheca Publica, cod. 558. chart. in fol. saec. XV. exeunt. — Fol. 2. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci confessoris.* Desinit fol. non numerato cum additione: *Expliciunt miracula post mortem beati Francisci ostensa.*

17. *Bambergae*, bibliotheca Civitatis, cod. E. III. 8. membr. in fol. saec. XIV. — Fol. 2. r. legitur: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit fol. 94. r. ut in editis.

18. *Ibidem*, cod. E. VII. 75. membr. in 4. saec. XIV. post medietatem. — Pag. 2.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Desinit pag. 113: *Ad laudem et gloriam unius Dei et trini, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

19. *Basileae*, bibliotheca Publica, cod. B. VII. 32. membr. in 8. saec. XIII. — Fol. 2. r. legitur: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit fol. v. non numerato ut in editione.

20. *Bernae*, bibliotheca Civitatis, cod. 463. miscell. in 4. saec. XV. ineunt. — Fol. 1. r. est rubrica: *Incipit prologus in vita beati Francisci.* Desinit: *magnificentia virtutis altissimi, cui est honor et gloria in secula. Amen. Explicit vita beatissimi Francisci.* Omnia folia chartacea usque ad medietatem sunt lacera et illegibilia.

21. *Bituricis*, bibliotheca Civitatis, cod. 92. membr. in 8. saec. XV. — Post alia opera fol. non numerato: *Incipit prologus in vitam sancti Francisci. Apparuit* etc. Desinit cum additione: *Expliciunt quedam miracula post transitum beati Francisci.*

22. *Bonnae*, bibliotheca Universitatis, cod. 364. chart. in fol. saec. XV. — Folio. 1. r. legitur: *Incipit prologus in vitam beati Francisci confessoris.* Desinit fol. 63. r. verbis: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa.*

23. *Brunopoli*, bibliotheca Civitatis, cod. 144. miscell. in 8. saec. XIV. exeuntis et ineuntis XV., duabus manibus exaratus. — Folio 1. r. est rubrica: *Legenda sancti Francisci per sermones distincta. Venite ad me omnes... reficiam vos. Matt. 11. Unde Bernardus: Mundus dicit: Ego deficiam* etc. Sequuntur quindecim sermones respondentes quindecim capitulis Legendae sancti Francisci; sequitur: *De indulgentia sancte Marie in Portiuncula; Ego sicut oliva fructifera* etc., et alii quatuor. Desinit opus fol. 64. r. verbis: *elongatio Dei, amissio regni, appropinquatio diaboli. Hec ille. Rogemus Dominum. Explicit legenda sancti Francisci cum quibusdam thematibus de eiusdem festo sumptis. In principio de eius conversatione in habitu saeculari etc., pro quo Deus gloriosus sit benedictus in secula seculorum. Amen.*

24. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 1638-49. chart. in 4. saec. XV. — Fol. non numerato r. legitur: *Incipit prologus domini Bonaventure in vita beatissimi Francisci confessoris. Apparuit* etc. Desinit sub additione: *Finiunt miracula quedam post mortem beati Francisci acta et a sancto Bonaventura seraphico doctore ipsius vite connexa nec non scripta per fratrem Anthonium de Bergis suprazomam cantorem nostrum, anno Domini M CCCC XCIII. in profesto sancti Georgii martyris.*

25. *Ibidem*, cod. 2529-32. membr. in 4. saec. XV. — Fol. r. non numerato: *Incipit prologus Bonaventure in vita beati Francisci confessoris. Apparuit* etc. Desinit fol. ultimo codicis ut in editis.

26. *Ibidem*, cod. 1970-78. miscell. in 4. saec. XIV. — Fol. 1. r. legitur: *Incipit prologus in vitam beati patris Francisci.* Desinit fol. 64. r. cum conclusione: *Expliciunt miracula post beati Francisci transitum ostensa.*

27. *Ibidem*, cod. 20073-74. chart. saec. XVI. — Folio r. non numerato: *Incipit prologus vite beati patris nostri Francisci. Apparuit* etc. Desinit fol. r. in fine, addito tantum: *Expliciunt miracula.*

28. *Cantabrigae*, bibliotheca Universitatis, cod. Mm. IV. 6. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. — Folio 1. r. legitur: *Incipit vita sancti Francisci. Quo ordine fuit conversus. Fuit in vallis spoletanae finibus* etc. Saepe saepius est immutata, habet enim 13 capitula tantum ac destituitur serie miraculorum. Desinit fol. 15. v.: *operante hec omnia virtutis Altissimi magnificentia, cui soli est honor et gloria in secula seculorum. Amen.*

29. *Carlsruhae*, bibliotheca Archiducalis, cod. Durlecensis 37. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 2. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit fol. v. non numerato ut in editis.

30. *Casellis*, bibliotheca territorialis, cod. theol. 67. chart. fol. saec. XV. exeunt. — Legenda incipit fol. r. non numerato, sine ullo titulo: *Apparuit gratia Dei Salvatoris* etc. Desinit incompleta cap. 6: *De humilitate et obedientia* etc., circa finem capituli.

31. *Confluentiae*, bibliotheca Gymnasii, cod. 13. membr. in 4. saec. XV. — Legenda incipit fol. 1. r. verbis: *Prologus sancti Bonaventure in vitam beati patris Francisci primi fundatoris ordinis Minorum. Apparuit* etc. Desinit fol. 57. parum ante finem ad verba scilicet: *Gloriare igitur iam secure in crucis gloria, Xti signifer gloriose, quoniam a cruce incipiens secundum crucis gloriam...* Cetera sunt avulsa.

32. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, Plut. XIX. Dext. cod. 6. membr. in fol. saec. XIV. — Incipit fol. 93. r., cui manus posterior praemisit: *Legenda beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit incompleta ad verba: *et Deum pariter collaudaverunt, quod per sanctos suos talia dignatur ostendere miracula gratiosa.* Vide in editione pag. 553 n. 2.

33. *Ibidem*, Plut. XX. Dext. cod. 5. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis. — Fol. 403. r.: *Incipit prologus in legenda beati Francisci confessoris. Apparuit.* Desinit fol. 477. sub conclusione: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa.*

34. *Ibidem*, Plut. XXXI. Sin. cod. 5. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 2. r. legitur: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit fol. 52. v. ut in editis.

35. *Ibidem*, Plut. LXVI. cod. XXVI. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Desinit fol. ultimo codicis ad verba: *Mulier quedam de partibus Aretinis cum per septem dies partus discrimina sustineret et iam in nigredinem versa...* Inde folia deficiunt.

36. *Ibidem*, Plut. XIX. Dext. cod. 10. membr. in 8. saec. XV. ineuntis. — Legenda est fol. 477. v. his verbis indicata: *Incipit prologus in vita beati Francisci.* Desinit fol. 548. r. sub conclusione: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa.*

37. *Ibidem*, cod. 4. strozz. membr. in fol. saec. XV. — Legenda incipit fol. 106. v., omisso prologo, cum sequenti rubrica: *Quarto nonas Octobris de sancto Francisco confessore patre Minorum. Vir erat in civitate Assisii* etc. Desinit fol. 132. r. ut in editis.

38. *Ibidem*, cod. CLVII. Gadd. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit fol. 48. v. verbis: *promissionem habens vite, que nunc est, et future. Amen.*

39. *Francofurti ad Moenum*, bibliotheca Civitatis, cod. 71. miscell. saec. XIV. — A fol. 225. r. ad 227. r. complectitur narrationem sancti Bonaventurae: *De stigmatibus sancti Francisci;* quae incipit: *Biennio itaque antequam* etc.

40. *Gottingae*, bibliotheca Universitatis, cod. theol. 112. in 4. saec. XV. — In initio codicis deest saltem unum folium; habetur enim fol. 2: *Explicit prologus*, deinde parum infra: *Incipit vita beati Francisci confessoris. Vir erat* etc. Sequitur ut in editis. Hinc: *Explicit vita beati Francisci confessoris a beato Bonaventura conscripta.* Hic iterum deest aliquod folium, nam series miraculorum caret initio; ad Legendae finem additur sequens nota: *Multa quidem et alia signa fecit Iesus per sanctum suum Franciscum, que non sunt scripta in libro hoc. Cetera autem sermonum et universa, que fecit, et fortitudo eius, qua preliatus est contra tres reges fortissimos, scilicet diabolum, mundum et carnem, et quomodo extruxit tria fortilitia in ecclesia militante, id est tres Ordines contra tres reges predictos, scripta sunt hec in libris Conformitatum et in Legenda sociorum Francisci, ubi plura leguntur, que hic non habentur. Expliciunt miracula de sancto Francisco post mortem eius mirabiliter ostensa.*

41. *Gottwicii*, bibliotheca Monasterii, cod. 323. (292.) chart. in fol. saec. XV. post medium. — Fol. 40. v. legitur: *Incipit legenda in vitam sancti Francisci confessoris composita a domino Bonaventura cardinali. Sequitur prologus: Apparuit gracia Dei* etc. Desinit fol. 85. v. cum additione: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci mirabiliter ostensa.*

42. *Herbipoli*, bibliotheca Universitatis, M. ch. 210. in fol. saec. XV. — Fol. 100. r. legitur: *Legenda sancti Francisci confessoris.* In fine Legendae additur: *De miraculis post transitum felicem ostensis aliquibus.* Desinit fol. 169. v. ut in editis.

43. *Hildesiae*, bibliotheca Gymnasii episcopalis, cod. membr. in fol. saec. XV, signo vacat. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus sancti Bonaventure in vitam beatissimi patris nostri Francisci.* Desinit fol. 28. r. ut in editione.

44. *Hispali*, bibliotheca Columbina, cod. Y. Tab. 127. num. 25. membr. in 8. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 6. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit fol. 101. ut in editis.

45. *Interamnae* in Umbria, bibliotheca Communalis, cod. membr. in 4. saec. XIV. sign. CC. VIII. 301. — Legenda incipit fol. non numerato: *Apparuit gratia Dei Salvatoris* etc. Desinit ut in editis.

46. *Leodii*, bibliotheca Universitatis, cod. 129. membr. in fol. saec. XIV, ut ostendit sequens inscriptio fol. 1. r. inserta: *Hunc librum fecit fieri dominus Robertus de Cremvic pie memorie, Dei gratia Abbas huius monasterii sancti Trudonis, qui perfectus et ligatus fuit anno Domini millesimo tricentesimo sexagesimo sexto.* Legenda est fol. 265. v. cum titulo: *Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Desinit ut editi fol. 304. r.

47. *Leopoli*, bibliotheca Universitatis, cod. I. G. 17. progress. 131. membr. in 4. saec. XV. — Post Chronica XXIV Ministrorum generalium, fol. r. non numerato: *Incipit prologus in vitam beati Francisci confessoris. Apparuit* etc. Desinit: *Ad laudem unius Dei et trini, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

48. *Lignitii* (Liegnitz) in Silesia, bibliotheca Ecclesiae sanctorum Petri et Pauli, cod. 11. chart. in fol. saec. XV. exeuntis. — Fol. 104. r.: *Incipit prologus egregii doctoris Bonaventure in vitam beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit ut in editis: *Qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

49. *Lipsiae*, bibliotheca Universitatis Paulinae, cod. 833. chart. in fol. saec. XV. — Legenda incipit fol. 145. r. cum hac rubrica: *De sancto Francisco prologus.* Desinit fol. 187. v. cum conclusione: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa.*

50. *Ibidem*, cod. 845. membr. in fol. saec. XV. — Fol. 4. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit fol. 103. r. his verbis: *Explicit legenda sanctissimi patris nostri Francisci. Finita et diligenter conscripta fuit hec in opido Saliizensi* (sic) *in conventu fratrum Minorum per fratrem eiusdem Ordinis, anno gratie M CCCC LXXX. octava die nativitatis virginis Marie.*

51. *Londini*, bibliotheca Harleiana, cod. 3229. membr. in 4. saec. XVI. ineuntis. — Fol. 2. r.: *Incipit tabula alphabetica in legendam beati Francisci.* Tabula protrahitur usque ad folium 24. v., in sequenti r. est pulcherrima pictura, quae occupat totam partem folii, de qua fit mentio in catalogo bibliothecae his verbis: *Ornatur prologus illuminatione perquam eleganti.* Desinit legenda fol. 115. v. cum hac additione: *Expliciunt miracula quaedam post transitum beati Francisci ostensa. Expleta per me fratrem Alexandrum Bononiensem Ordinis sancti Augustini in Hospitali sancti Pauli de Florentia anno Domini MCCCCCIIII. III. nonas Augusti.*

52. *Mantuae*, bibliotheca Regia, cod. 78. A. III. 14. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Legendae deest nomen auctoris. Incipit: *Apparuit gratia Dei* etc. Desinit ut in editis.

53. *Mediolani*, bibliotheca Universitatis, cod. A. F. IX. 7. membr. in fol. saec. XIV. — Fol. 1. r. legitur: *Incipit prologus in vita beati Francisci.* Desinit fol. ultimo r. verbis: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa.*

54. *Monachii*, bibliotheca Regia, cod. 17478. chart. in fol. saec. XV. (1451). — Fol. 192. r.: *Incipit prologus domini fratris Bonaventurae cardinalis et sacrae theologiae doctoris in vitam beati Francisci.* Desinit fol. 228. v., addito tantum: *Explicit feliciter.*

55. *Ibidem*, cod. 18427. chart. in fol. saec. XV. (1465). — Fol. 3. r. a secunda manu exaratum legitur: *Auctor huius legende fuit dominus Bonaventura.* Prima manus praemisit Legendae: *Incipit prologus in vitam beati Francisci confessoris.* Desinit fol. 84. v.: *Ad laudem et gloriam unius Dei et trini, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

56. *Ibidem*, cod. 23412. membr. in 4. saec. XIV. ante medium. — Fol. 1. r. legitur: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit fol. 100. v. ut in editis.

57. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. VIII. B. 28. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Desinit fol. ultimo, ad cuius calcem alia manus notavit: *Hec legenda fuit empta pro loco sancti Bernardini. 1467.*

58. *Ibidem*, cod. VII. G. 52. membr. saec. XV. ineuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus in vita beatissimi patris nostri seraphici Francisci. Apparuit* etc. Desinit in cap. 12; cetera non fuerunt scripta, sed adhuc membranae albae relictae.

59. *Ibidem*, cod. VIII. B. 41. miscell. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r. legitur: *Iesu pie, nostri miserere. Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Desinit fol. 95. v. per verba: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa. Deo gratias. Amen.*

60. *Ibidem*, cod. VIII. B. 30. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Desinit ut in editis cum conclusione: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa.*

61. *Oxonii*, cod. miscell. Canonic. 148. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. 1. r. est sequens rubrica: *Incipit legenda et vita beati patris nostri Francisci et primo prologus. Apparuit* etc. Desinit cum editis fol. 66. r.

62. *Ibidem*, cod. 153. membr. in 4. saec. XV. (1451.) — Fol. 2. v. manus saeculi posterioris haec notavit: *Vita sancti Francisci a beato Bonaventura;* et infra: *Iste liber pertinet ad locum s. Blasii fratrum Minorum extra Vigurtiam* (Worcester), *eodem loco commorantium.* Fol. 3. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Desinit fol. 65. r.: *Miracula post transitum beati Francisci ostensa feliciter expliciunt.*

63. *Papiae*, bibliotheca Universitatis, cod. CXXX. F. 12. membr. in fol. saec. XIV. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci confessoris. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit fol. r. non numerato cum additione: *Expliciunt miracula.*

64. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 13780. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 136. r.: *Incipit prologus in vita beati Francisci. Apparuit* etc. Fol. 211.: *Incipiunt quedam de miraculis ipsius post mortem ostensis, et primo de virtutibus sacrorum stigmatum. Ad honorem Dei* etc., sequitur ut in editis, sed unum vel alterum folium in fine praecisum fuit.

65. *Ibidem*, cod. 18317. membr. in 8. saec. XV. — Fol. 2. r. legitur: *In nomine Domini. Amen. Incipit prologus seraphici Doctoris sancti Bonaventure in vitam sancti Francisci.* Desinit fol. 106. r. cum conclusione: *Explicit vita beati Francisci.* Deest in codice narratio miraculorum post transitum ostensorum.

66. *Ibidem*, cod. 14586. chart. in fol. saec. XV. — Legenda incipit fol. 188. his verbis: *Apparuit gratia Dei Salvatoris* etc. Desinit cap. 12. fol. 219. v. his verbis: *testimonium perhibebant. Explicit vita beati Francisci a domino Bonaventura composita.*

67. *Ravennae*, bibliotheca Classensis, cod. 138. 2. S. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 227. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Desinit fol. 268. v. ut in editis.

68. *Regimontii*, bibliotheca Universitatis, cod. 1159. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 1. v.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Alia manus posterioris saeculi addidit: *sive in legendam ab illuminatissimo seraphico Doctore Bonaventura compilatam. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit fol. 51. v. ut in editis.

69. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 7339. membr. in 8. saec. XVI. ineuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus in vita beati patris Francisci edita a seraphico doctore sancto Bonaventura ordinis Minorum episcopo et cardinali sancte Romane ecclesie.* Desinit fol. 53. v. per verba: *Explicit vita beati patris nostri Francisci. De miraculis post transitum eius felicem ostensis, causa brevitatis omitto, quia est valde magnum capitulum.*

70. *Ibidem*, cod. 553. membr. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 1. r. legitur: *Incipit prologus in legendam beati Francisci, confessoris egregii.* Desinit ut in editis cum additione: *Explicit legenda beati Francisci composita a fratre Bonaventura de Balneoregio.*

71. *Ibidem*, cod. 1219. membr. in 4. saec. XV. — Legendae praemittitur consueta rubrica: *Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Desinit ut in editione.

72. *Ibidem*, bibliotheca Casanatensis, cod. B. III. 20. membr. in 4. saec. XIV. ineuntis. — Legendae praeponitur rubrica: *In Iesu Xti nomine. Amen. Incipit prologus in vitam beati Francisci confessoris.* Convenit proinde cum editione et in fine habet: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa.*

73. *Ibidem*, bibliotheca principum Corsini, cod. 40. E. 24. membr. saec. XV. — Fol. 280. r. legitur a prima manu: *Conventus fratrum Minorum de Luca. Incipit prologus in vitam sancti Francisci.* Desinit fol. 385. v. verbis: *Explicit legenda beati Francisci. Deo gratias. Amen.*

74. *Sancti Pauli* in Carinthia, bibliotheca Monasterii, cod. Blas. 10. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus Doctoris seraphici domini Bonaventure, sancte Romane ecclesie presbyteri cardinalis in vitam beati Francisci fundatoris ordinis Minorum.* Desinit circa finem voluminis cum additione: *Finis huius legende sancti confessoris Francisci.*

75. *Stamtii* (Stams) in Tyroli, bibliotheca Monasterii Patrum Cisterciensium, cod. 6. membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. — Post alia opera fol. r. non numerato: *Incipit vita beati Francisci. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit ut in editis.

76. *Toleti*, bibliotheca Capituli, cai. 25. num. 38. cod. membr. in. 4. saec. XIV. — Fol. 4. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Desinit fol. ultimo r. cum additione: *Explicit legenda sancti Francisci. Deo gratias.*

77. *Tubingae*, bibliotheca Seminarii episcopalis, cod. sub clavi asservat. sine signatura, membr. saec. XV. ineuntis. — Inter alia fol. non numerato incipit Legenda sancti Francisci ut

in editis: *Apparuit gratia Dei* etc. Post Legendam sequuntur verba: *Dominus Bonaventura fecit legendam sancti Francisci.* Inde notatur, quis fecerit eiusdem Officium, hymnos, Legendam S. Antonii etc.

78. *Tuderti* in Umbria, bibliotheca Communalis, cod. 102. membr. in 8. saec. XIV. post medietatem. — Fol. v. non numerato: *Incipit Legenda beati Francisci.* Sequuntur rubricae Legendae et unaquaeque explicat tantum aliquos terminos in ea contentos: exempli causa sub rubrica: *De conversione beati Francisci: Petulantia, id est carnis lascivia; indita, id est innata.* Sub rubrica: *Incipiunt quedam de miraculis ipsius post mortem ostensis: Censui, id est iudicavi... Extaticum, id est excessivum ab extasi, quod est raptus, sive elevatio mentis in Deum.*

79. *Ibidem,* cod. 116. membr. saec. XIV. exeuntis. — Fol. r. non numerato cum titulo: *De legenda beati Francisci* exhibet idem, quod ex cod. praecedenti notavimus.

80. *Ultraiecti ad Rhenum,* bibliotheca Academiae, cod. 112. S. E. chart. in 4. saec. XV. — Fol. r. non numerato post aliud opus: *Incipit prologus legende beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit verbis cap. 15: *magnificentia virtutis Altissimi, cui est honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen.* Deest narratio miraculorum.

81. *Ibidem,* cod. 70. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus in vitam sancti Francisci, primi fundatoris et patris fratrum ordinis Minorum.* Desinit fol. r. non numerato: *Expliciunt miracula per beatum Franciscum post mortem eius facta.*

82. *Ibidem,* cod. 246. chart. saec. XV. — Post alia fol. r. non numerato: *Incipit prologus in vitam sancti Francisci patris fratrum Minorum.* Desinit ut in editis.

83. *Ibidem,* cod. 213. chart. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 1. r. legitur: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit fol. ultimo r. verbis: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa.*

84. *Ibidem,* cod. 292. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus in vitam humilis Francisci beatissimi. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit fol. r. non numerato ut editio.

85. *Ibidem,* cod. 181. S. E. membr. in fol. saec. XV. — Pag. 179: *Incipit prologus in vitam humilis sancti Francisci.* Desinit pag. 278: *Ad laudem unius Dei et trini, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

86. *Utini,* bibliotheca Archiepiscopalis, cod. F. 11. 26. membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci confessoris de ordine Fratrum Minorum. Apparuit* etc. Desinit ut in editis fol. r. non numerato.

87. *Venetiis,* bibliotheca s. Marci, class. XXI. cod. 116. membr. saec. XIV. ineuntis. — Fol. 348. v. legitur: *Incipit vita beati Francisci. Apparuit* etc. Praeter Legendam minorem complectitur hic codex nonnulla ex Legenda maiori, capitula scilicet 12, 13. et fere totum 14; desinit fol. 383. r. verbis: *tam praesentibus quam absentibus in crucifixi virtute benedixit.*

88. *Ibidem,* class. XXI. cod. 141. membr. in 4. saec. XIV. — Rubrica Legendae est fol. 1. r. his verbis: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit fol. 157. r. cum additione: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa.*

89. *Vindobonae,* bibliotheca Palatina, cod. 3417. chart. in fol. saec. XV. (1467.). — Fol. 206. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci confessoris ordinis Minorum. Apparuit* etc. Desinit fol. 242. r., addito: *Et sic est finis. Anno 67.*

90. *Ibidem,* cod. 2724. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 77. r. habetur rubrica: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit fol. 106. v. verbis capituli XV: *mirificans sanctum suum magnificentia virtutis Altissimi, cui est honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen.*

91. *Wratislaviae,* bibliotheca Universitatis, cod. I. class. 271. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 170. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Desinit fol. 208. v. his verbis: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci mirabiliter ostensa.*

92. *Ibidem,* cod. IV. class. 193. membr. saec. XIV. — Fol. 1. r. habetur: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit fol. 80. r. verbis: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci mirabiliter ostensa.*

93. *Ibidem,* cod. I. 40. miscell. in fol. saec XV. — Legenda sancti Francisci incipit fol. 77. r. sine ullo titulo: *Apparuit gratia Dei salvatoris nostri* etc. Desinit fol. 131. r. cum additione: *Anno Domini millesimo CCCCXLI. in die sanctorum septem Fratrum.*

III. Breviter enumerantur codices, qui antiquas huius Legendae versiones in alias linguas continent.

P. Fidelis a Fanna b. m. recensuit has translationes, quae sequuntur:

Idiomate Gallico: 1. *Parisiis,* bibliotheca Mazarrinea, cod. 1351. membr. saec. XIV. — 2. *Ibidem,* cod. 2972. chart. saec. XVII. — 3. *Pictavii,* bibliotheca Civitatis, cod. 113. chart. saec. XV. exeuntis.

Idiomate Germanico cum diversis dialectis: 1. *Bambergae,* bibliotheca Civitatis, cod. E. VII. 56. progress. 529. membr. saec. XV. — 2. *Bruxellis,* bibliotheca Regia, cod. 3662-64. chart. saec. XV. (1472). — 3. *Coloniae,* bibliotheca Civitatis, cod. VI. 7. saec. XV. (1477). — 4. *Daventriae,* bibliotheca Civitatis, cod. 1743. chart. saec. XV. — 5. *Donaueschingen* ad fontes Danubii, bibliotheca Principis, cod. 453. chart. saec. XV. — 6. *Hagae Comitum,* bibliotheca Regia, cod. 281. chart. saec. XV. — 7. *Ibidem,* cod. 279. chart. saec. XV. — 8. *Ibidem,* cod. 424. chart. saec. XV. (1479). — 9. *Ibidem,* cod. 397. chart. saec. XV. — 10. *Ibidem,* cod. non sign. chart. saec. XV. (1443). — 11. *Hamburgi,* bibliotheca Civitatis, cod. III. 64. n. 33. chart. saec. XV. — 12. *Hafniae,* bibliotheca Regia, cod. 798. chart. saec. XV. (1474). — 13. *Lignitii,* bibliotheca Ecclesiae sanctorum Petri et Pauli, cod. 11. chart. saec. XV. — 14. *Lugduni Batavorum,* bibliotheca Universitatis, cod. 264. membr. saec. XV. — 15. *Ibidem,* cod. 266. chart. saec. XV. — 16. *Ibidem,* cod. 83. membr. saec. XV. — 17. *Monachii,* bibliotheca Regia, cod. german. 218. chart. saec. XV. (1484). — 18. *Ibidem,* cod. 387. chart. saec. XV. — 19. *Ibidem,* cod. 5138. chart. saec. XV. — 20. *Sancti Galli* in Helvetia, bibliotheca Civitatis, cod. 360. chart. saec. XV. — 21. *Ultraiecti ad Rhenum,* bibliotheca Academiae, cod. 237. S. E. membr. saec. XV. — 22. *Vindobonae,* bibliotheca Palatina, cod. 3989. chart. saec. XV. — 23. *Ibidem,* cod.

13880. chart. saec. XV. — 24. *Ibidem,* bibliotheca Conventus sanctissimae Trinitatis, cod. XXVI. chart. saec. XV. — 25. *Weert Limburgi,* bibliotheca Fratrum Minorum, cod. membr. saec. XV. (1455). — 26. *Wolfenbutae,* bibliotheca Ducalis, cod. Helm. 761. chart. saec. XV.

Idiomate Italico: 1. *Florentiae,* bibliotheca Nationalis, cod. I. C. 1878. chart. saec. XV. (1421). — 2. *Ibidem,* cod. V. B. 9. 8. chart. saec. XV. ineuntis. — 3. *Ibidem,* class. XXXV. cod. 138. miscell. saec. XV. — 4. *Ibidem,* class. XXXVIII. cod. 52. chart. saec. XV. — 5. *Ibidem,* class. XXXVIII. cod. 114. chart. saec. XV. — 6. *Ibidem,* bibliotheca Laurentiana, cod. CXII. Gadd. membr. saec. XV. (1427). — 7. *Ibidem,* Plut. LXXXIX. sup. cod. 104. chart. saec. XV. — 8. *Ibidem,* Plut. LXXXIX. sup. cod. 103. chart. saec. XV. — 9. *Fulginii* in Umbria apud Moniales ven. Monasterii sanctae Luciae, cod. chart. saec. XV. — 10. *Ianuae,* bibliotheca Universitatis, cod. E. I. 20. membr. saec. XV. ineuntis. — 11. *Interamnae,* bibliotheca Communalis, cod. CC.VI. 243. chart. saec. XV. — 12. *Hagae Comitum,* bibliotheca Regia, cod. 280. membr. saec. XV. ineuntis. — 13. *Romae,* bibliotheca Vaticana, cod. 9297. chart. saec. XV. — 14. *Venetiis,* bibliotheca sancti Marci, class. V. cod. 19. chart. saec. XV.

§ 13. Opusculum XXIV. Legenda minor S. Francisci.

Ipse S. Bonaventura ex maiore Legenda excerpsit principaliores res, distributas in septem titulos, quorum singuli habent novem lectiones, quae durante Octava festi S. Francisci in Officio divino recitandae erant. Eandem certitudinem haec minor Legenda habet ac maior, ut probatum est in praecedente § 12. Multa in ea fere eisdem verbis repetuntur, quae leguntur in altera Legenda, alia breviore locutione et aptissima exprimuntur, pauca etiam adduntur, quae desunt in illa.

P. Bonelli hoc opusculum edidit in suo Supplemento ad Opera omnia S. Bonaventurae tom. III. col. 1065 seqq. Textum deprompsit ex Fratrum Minorum Breviario saec. XIII, quod habuit magnus Conventus S. Francisci PP. Conventualium Assisii, in quo haec nota praemittitur: « Haec Minor vita beati Francisci ad hoc de maiori excerpta est, ut in Breviariis portatilibus et etiam choralibus habeatur. Et legetur de ipsa in choro, secundum quod in ea sunt lectiones distinctae, ut in festivitatibus beati Francisci et per Octavam natalis eius. Convenientius de ea legi potest ad mensam ipsis diebus festivitatum beati Francisci. Maior vero vita haberi debet merito in locis singulis ad aedificationem Fratrum. Scriptores ergo compellantur tenere punctationes et litteram exemplaris, et iuxta exemplar hoc errores illorum per Fratrum diligentiam corrigantur ».

Praeter hoc Breviarium Bonelli adhibuit aliud antiquum Breviarium « in membranis nitidissimis excusum », mutuatum a Praeposito domus Grisensis (in Tyroli) Canonicorum Regularium S. Augustini.

In editione nostra adhibiti sunt alii duo codices, fide quorum nonnullas lectiones probabiliores in textum recipere potuimus.

Antiqua editio specialis huius minoris Legendae prodiit Cremonae 1499 per Carolum de Darleriis. Bonelli post Legendam hanc minorem reimprimi fecit etiam novem lectiones de canonizatione et translatione B. Francisci, quae verbotenus exhibent totum c. XV. maioris Legendae divisum in novem lectiones, quae in editione nostra satis indicantur numeris istius capituli.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu editionis P. Bonelli collati.

1. *Florentiae,* bibliotheca Nationalis, cod. C. IX. 1188. membr. in 16. saec. XIV, iam descriptus in praecedenti elencho n. 8. — Rubrica haec est fol. 102. r.: *Incipit vita beati Francisci.* Desinit fol. 126. v. verbis: *Explicit vita beati Francisci.* — In hac nostra editione signatur littera M.

2. *Romae,* bibliotheca Casanatensis, cod. D. VI. 12. miscell. saec. XV. — Post alia opera praemittitur ibi sequens rubrica: *Incipit legenda minor beati Francisci secundum eximium doctorem Bonaventuram de Campo* (sic) *regio. Prima die lectio 1.* Deinde omisso titulo: *Apparuit* etc. Desinit: *magnificentia virtutis Altissimi, cui est honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen. Deo gratias.* Sign. A.

II. Codices a nobis non collati.

3. *Argentinae,* bibliotheca Seminarii, cod. membr. in 8. saec. XIII. — Est Breviarium Franciscanum, in quo festo S. Francisci et Octavae eiusdem assignatur haec Legenda, cum rubrica: *Incipit vita beati Francisci, et primo de conversione. Apparuit gratia* etc. Desinit ut in edita: *omnis sit laus, honor et gloria in secula seculorum. Amen.*

4. *Assisii,* bibliotheca Conventus sancti Francisci, nunc Communalis, cod. 149. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Legendae praemittitur rubrica, quam supra col. I. iam exscripsimus: *Hec minor vita beati Francisci* etc. Adduntur etiam lectiones in festo Translationis ex cap. XV. Legendae maioris. Desinit: *magnificentia virtutis Altissimi, cui est honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen.*

5. *Ibidem,* cod. non numeratus, membr. in 4. saec. XIV. ineuntis. — In Natali sancti Francisci et per Octavam eiusdem aptatur haec minor Legenda. Incipit et desinit ut in editione.

6. *Ibidem,* cod. 216. membr. in 4. saec. XIV. — Hic etiam est Breviarium Ordinis Minorum. Legenda minor est disposita pro Natali sancti Francisci et per Octavam, cui additur cap. XV. Legendae maioris pro festo *de canonizatione et translatione beati Francisci.*

7. *Ibidem,* cod. 24, de quo egimus in praecedenti elencho n. 3. — Huic Legendae praemittitur: *Incipit minor vita beati Francisci, et primo de conversione ipsius, lect. 1.* In fine additur: *Explicit minor vita beati Francisci.* Sequitur ex cap. ultimo Legendae maioris: *In festo translationis beati Francisci. Franciscus igitur* etc. Desinit ut in editis.

8. *Ibidem,* cod. 46. membr., quem descripsimus in elencho praecedenti n. 6. — Minori Legendae praemittitur rubrica eadem, quae in superiore codice descripto n. 4. Desinit ut in editis.

9. *Berolini,* bibliotheca Regia, cod. theol. lat. fol. 78. membr. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 130. r. est rubrica: *In festo sancti Francisci lectio 1. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit fol. 159. v.: *omnis sit laus, honor et gloria in secula seculorum. Amen.*

10. *Bruxellis,* bibliotheca Regia, cod. 1328-37. membr. in fol. saec. XIV. (1334.). — Fol. 19. v.: *Incipit vita beati Francisci confessoris. Apparuit gratia* etc. Desinit fol. 36. r.

Hinc additur: *In festo translationis.* Est capitulum ultimum Legendae maioris in lectiones distinctum. Desinit fol. 38. r.: *magnificentia virtutis Altissimi, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.*

11. *Carlsruhae*, bibliotheca Archiducalis, cod. XV. membr. in 12. saec. XIII. exeuntis. — Legendae praemittitur: *In conversione sancti Francisci. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit ut in editione.

12. *Ibidem*, cod. XVI. membr. in 12. saec. XIV. — In festo S. Francisci, et in diebus Octavae est aptata Legenda minor ut in codice praecedenti; uterque enim cod. est Breviarium Franciscanum.

13. *Coloniae*, bibliotheca ecclesiae Metropolitanae, cod. 167. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Legenda incipit fol. 51. r. cum rubrica: *In natali sancti Francisci. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit fol. 53. r. in lectione septima: *Amore illius nudari non horruit, qui nudus pro nobis in cruce pependit.*

14. *Dresdae* in Saxonia, bibliotheca Regia, cod. theol. A. 206. membr. in 4. saec. XV. — Est Breviarium Franciscanum. Legenda assignata est diei festo sancti Francisci fol. 295. v. Desinit fol. 319. r. verbis: *magnificentia virtutis Altissimi, cui est honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen.* Cfr. supra n. 10.

15. *Dunelmii* in Anglia, bibliotheca Ecclesiae cathedralis, cod. A. IV. 9. membr. saec. XIII. — Legenda incipit verbis: *Franciscus de vallis Spoletanae partibus et civitate Assisii trahens originem, primum Iohannes vocatus* etc.; vid. in editione lect. 1. Est mutila.

16. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, cod. 12. Biscionian. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Legenda notatur fol. non numerato hac rubrica: *Incipit vita beati Francisci, et primo de conversione ipsius, lectio 1. Apparuit gratia* etc. Desinit ut in editione.

17. *Ibidem*, Plut. XXXVI. Sin. cod. 6. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 268. v.: *Incipit Legenda beati Francisci, lectio I. Apparuit gratia Dei* etc. Post titulum VIII. sequitur: *IX. De mortuis resuscitatis. X. De his quos a mortis periculo liberavit. XI. De a naufragiis liberatis.* Desinit fol. 282. r. verbis: *Frater Iacobus Reatinus, cum in navicula parva fluvium quendam cum aliis fratribus pertransiret.* Cetera desunt. Vide edit. pag. 556 n. 3.

18. *Ibidem*, Plut. XXXI. Sin. cod. 5. membr. in 4. saec. XIV. — Legenda incipit fol. 53. r., praemisso tantum: *Lectio I.* In fine additur capitulum XV. Legendae maioris divisum per 9 lectiones, ut habent etiam alii codices supra notati n. 4. 6. 10, cui praemittitur rubrica: *In translatione sancti Francisci.* Desinit fol. 66. v. ut in editis. De hoc codice locuti sumus etiam in praecedenti elencho n. 34.

19. *Foroiulii* in Italia, bibliotheca Capituli, cod. XCIV. membr. in 8. saec. XV. — Est Breviarium et pro die 4. Octobris legitur sequens rubrica: *In sancti Francisci confessoris et diaconi Ordinis Minorum primi... Lectio I. Apparuit gratia* etc. Sunt tantum novem lectiones pro die festi ex hac Legenda efformatae.

20. *Ibidem*, cod. CVI. membr. in 8. saec. XIV. — Est Breviarium ut praecedens. Pro die 4. Octobris et per Octavam Legenda disposita est; incipit a lectione secunda: *Inerat namque iuvenis Francisci* etc. Adduntur etiam lectiones in festo Translationis ex cap. XV. Legendae maioris. Desinit verbis: *magnificentia virtutis Altissimi, cui est honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen.*

21. *Gandavi* in Belgio, bibliotheca Civitatis, cod. 532. 226. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis, de quo supra egimus pag. XV n. 79. — Rubrica huius est fol. 292. r. his verbis expressa: *Incipit minor legenda beati Francisci.* Desinit fol. 302. v. cum lectione 8. in festo Translationis, ex cap. XV. Legendae maioris n. 8: *ut per odorem ipsius salvificum affectus traheretur fidelium ad currendum post Xtum. Explicit legenda beati Francisci.*

22. *Hannoverae*, bibliotheca Publica, cod. 188. chart. in fol. saec. XV. post medium. — Legenda est fol. 1. r. cum rubrica: *Incipit vita minor beati Francisci confessoris, et primo de conversione eius mirabili. Apparuit* etc. Desinit fol. 11. r.: *omnis sit laus, honor et gloria in secula seculorum. Amen.*

23. *Herbipoli*, bibliotheca sanctae Crucis Patrum Minorum Conventualium, cod. I. 137. membr. in 8. saec. XIII. exeuntis. — Fol. v. non numerato: *Incipit vita beati Francisci, primo de conversione lectio I. Apparuit gratia* etc. Desinit verbis: *Explicit vita Francisci.* Hinc sequitur: *In translatione beati Francisci lectio I. Franciscus igitur servus et amicus* etc. Est ultimum cap. Legendae maioris, ut supra etiam notavimus n. 10.

24. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. theol. in 8. 19. saec. XIV. exeuntis. — Est pars Breviarii Franciscani, in fol. 58. r. incipiunt lectiones ex Legenda minore pro die festo sancti Francisci, per totam Octavam, ac etiam pro officio eiusdem Translationis ut in editione. Desinit fol. 79. r.

25. *Leopoli*, bibliotheca Publica, cod. 102. membr. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 420. v. legitur: *Incipit minor vita beati Francisci. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit fol. 423. v.: *in tribus institutis ordinibus cernimus esse completum;* vide lect. 9. tituli primi.

26. *Lucernae* in Helvetia, bibliotheca Cantonalis, cod. 50. membr. in 4. saec. XIV. ineuntis. — Legendae praemittitur fol. r. non numerato: *Incipit vita beati Francisci.* Desinit: *magnificentia virtutis Altissimi, cui est honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen.* Cfr. n. 4. et 10.

27. *Madriti*, bibliotheca Nationalis, cod. C. 68. membr. in fol. saec. XV. — Est Breviarium Ordinis Fratrum Minorum. Fol. 303. r. habetur rubrica: *In translatione beati Francisci fit officium sicut in Natali eius, preter lectiones, que leguntur in translatione. Franciscus igitur* etc. A folio 380. v. ad fol. 393. r. occurrit tota minor Legenda.

28. *Ibidem*, cod. C. 74. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 461. v. incipit Legenda: *Apparuit gratia Dei* etc. Adduntur lectiones: *In festo translationis beati Francisci* ex cap. XV. Legendae maioris. Desinit fol. 469. r.

29. *Ibidem*, bibliotheca Escurialis, cod. Est. 95. III. a. 3. membr. in fol. saec. XV. ineuntis. — Incipit fol. non numerato cum rubrica: *In vigilia sancti Francisci.* Desinit in lectione quinta I. tituli verbis: *et ipse postmodum sibi familiaribus revelavit.* Codex est Breviarium Ordinis Fratrum Minorum.

30. *Ibidem*, cod. Est. 96. II. b. 15. membr. in 4. saec. XV. exeuntis. — Rubrica Legendae est fol. 499. v.: *In festo*

sancti Francisci, lectio 1. Apparuit etc. Desinit in lectione 7. ultimi tituli: *mortuos revocavit ad vitam.*

31. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. VIII. B. 30. membr. saec. XV. ineuntis, de quo vide in praecedenti elencho n. 60. — Haec Legenda est fol. non numerato cum rubrica: *Incipit minor vita beati Francisci, et primo de conversione ipsius, lectio 1.* In fine additur: *Explicit minor vita beati Francisci.* Sequitur: *In festo translationis beati Francisci, lect. 1. Franciscus igitur* etc., quod est cap. XV. Legendae maioris in 9 lectiones divisum.

32. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 3778. membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. — Inter multas Legendas Sanctorum est etiam haec sancti Francisci, sed aliquantulum immutata; incipit fol. 223. cum rubrica: *In festo sancti Francisci. Beatus Franciscus de civitate Assisii ortus* etc. Desinit fol. 225. r.: *Tumulatur in pace sanctissimi corpus, et cum ymnis et laudibus multis sancta exequia terminantur.*

33. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 121, iam descriptus supra pag. XLVII n. 139. — Haec Legenda incipit fol. 319. cum titulo: *Vita sancti Francisci minor Ordinis Fratrum Minorum primi institutoris salubriter incipit. De conversione ipsius, lect. 1.* Desinit praedictis verbis, quibus post *explicit* additur: *a Bonaventura descripta.*

34. *Scaffhusae*, bibliotheca Civitatis, cod. 4. membr. in 16. saec. XV. — Est pars Breviarii *secundum Ordinem Fratrum Minorum*, quae continet proprium de Sanctis; in qua lectiones pro festo sancti Francisci, sacrorum Stigmatum et Translationis eiusdem sumuntur ex hac Legenda. In fine huius partis Breviarii additur: *Explicit sabato ante Letare 1474.*

35. *Solothurni*, bibliotheca Ecclesiae cathedralis, cod. non numeratus, membr. in 8. saec. XV. ante medium. — Continet, ut praecedens, Breviarium Franciscanum. In die festi sancti Francisci et per Octavam eiusdem ponitur Legenda minor, in die vero Translationis assignantur lectiones ex cap. XV. Legendae maioris.

36. *Toleti*, bibliotheca Capituli, cod. cai. 37. Num. 4. membr. in 12. saec. XV. — Est *Breviarium Fratrum Minorum secundum consuetudinem ecclesie Romane.* Pag. 572: *Incipit vita beati patris nostri Francisci, et primo de conversione eius, lectio 1. Apparuit* etc. Desinit pag. 602. In officio etiam Translationis sancti Francisci lectiones assignantur ex cap. XV. Legendae maioris.

37. *Trecis*, bibliotheca Civitatis, cod. 401. miscell. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 120. r.: *Incipit vita sancti Francisci, et primo de conversione ipsius. Apparuit* etc. Desinit fol. 129. v.: *Explicit vita sancti Francisci;* fol. seq. r.: *Incipit de translatione eiusdem*, quod est cap. XV. Legendae maioris.

38. *Tridenti*, bibliotheca Civitatis, cod. 265. collectio. Gentilotti, chart. in 8. saec. XV. — Est Breviarium Ordinis Fratrum Minorum, in quo pro festo sancti Francisci et per Octavam eiusdem dispositae sunt lectiones huius Legendae.

39. *Venetiis*, bibliotheca sancti Marci, class. XXI. cod. 116. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 348. v.: *Incipit vita beati Francisci. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit fol. 351. r. Usque ad fol. 353. r. sequuntur aliqua ex Legenda maiori, de quibus locuti sumus in elencho praecedenti n. 87.

40. *Ibidem*, class. II. cod. 34. membr. in 16. saec. XV. post medium. — Continet Breviarium Ordinis Minorum, in quo tam pro festo Translationis sancti Francisci, quam in Natali et Octava eiusdem aptantur lectiones Legendae minoris et cap. ultimum Legendae maioris.

41. *Ibidem*, bibliotheca Musaei Correr, cod. Cicogna 235. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Legenda incipit fol. 236. r. sine rubrica: *Franciscus servus et amicus Altissimi* etc. Desinit fol. 240.

42. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 3417, de quo egimus in praecedenti elencho n. 89. — Fol. 242. r. post Legendam maiorem immediate sequitur rubrica: *In natali sancti Francisci, lectio 1. Apparuit* etc. Desinit fol. 250. v. Postea est iterum rubrica: *In octava die lectio prima in translatione sancti Francisci.* Sequitur ultimum cap. Legendae maioris in novem lectiones divisum. Desinit fol. ultimo cod. v. his verbis: *Finita est hec legenda quarta feria maioris hebdomade in meridie... Anno 67.* (1467).

43. *Wratislaviae*, bibliotheca Universitatis, class. IV. cod. 193, ut notatur in elencho praecedenti n. 92. — Fol. 81. r. huic Legendae praemittitur: *Hoc opus excerptum ad hoc factum est, ut ponatur in Breviariis tam choralibus quam portatilibus et legatur de ipso in festis beati Francisci et per octavam natalis eius et ad mensam diebus ipsorum festorum. Incipit minor vita beati Francisci, et primo de conversione eius.* Fol. 99. v.: *Explicit minor vita beati Francisci.* Deinde ibidem: *In translatione sancti Francisci.* Desinit fol. 102. ut in cap. ultimo Legendae maioris.

CAP. III.

De tractatibus asceticis incertis vel plane illegitimis, quae S. Bonaventurae attributi sunt.

Iam a saeculis inter eruditos compertum est, multos tractatus asceticos, quos primae collectiones horum opusculorum, praesertim Argentina an. 1495, tanquam Bonaventurianos undique conquisitos coadunaverunt, esse vel prorsus spurios vel saltem incerti auctoris. Eadem haec sors, quae accidit operibus aliorum Ecclesiae Doctorum, praesertim S. Augustini, Anselmi, Bernardi, deploranda est etiam quoad opera seraphici Doctoris, scilicet ut illis aliena opera exigui saepe valoris supposita sint. Credendum tamen est, non raro quoad haec de quibus agimus opera falsam operis inscriptionem haud caruisse aliqua ratione, quippe cum substantia talis libelli plus minusve ex genuinis eiusdem operibus accepta, deinde ab alio aucta sit et mutata. Iam vidimus in Prolegomenis ad V. tom. p. XLVIII seq. *Centiloquium* fere integrum quasi verbotenus excerptum esse ex multis locis Commentarii Bonaventuriani in Sententias.

Certum est etiam, libellum *Stimulus amoris* magna ex parte sumtum esse ex diversis operibus Bonaventurae; nec dubitamus, quominus de aliis parvis opellis asceticis idem dicendum sit. Magis hoc apparebit, ut putamus, quando tot inediti Sermones S. Doctoris lucem aspexerint. — Ut ordinate procedatur, hoc capitulum dividatur in quatuor articulos, quorum primus agit de dubiis vel illegitimis opusculis Appendicis huius tomi; secundus,

de his quae ab Oudino, editoribus Venetis, Sbaralea et ipso Bonelli unanimiter tanquam spuria recognita sunt; tertius, de quibusdam aliis in ed. *Vaticana* et *Bonelli* Supplemento iam editis, de quibus non consentiunt viri critici; quartus, de aliis in his editionibus non contentis.

Articulus I. De dubiis vel illegitimis opusculis, quae continentur in Appendice huius voluminis.

§ 1. De libello *Speculum disciplinae ad novitios.*

Prologus eiusdem incipit verbis: *Speculum disciplinae ad honesta tendentes*, et dividitur in duas partes. — De auctore huius operis controvertitur. Waddingus (Scriptores Ord. Min. pag. 41 et 52, ed. Romae 1816), Sedulius in Praefatione huius operis ab ipso editi et Bonelli (Prodrom., col 619 seqq.) librum attribuunt Bonaventurae, simul tamen fatentur, ultimam opusculi imperfecti revisionem factam esse ab alio, scilicet a Bernardo a Bessa. Oudinus (Comment. III. col. 431), quem sequuntur editores Veneti, auctorem nominat Fr. Davidem Augustanum Ord. Min.; Sbaralea (Supplement. ad Scriptores Ord. Min. p. 162 col. 2) certat pro discipulo S. Bonaventurae, Fr. Ioanne Pecchamo, archiep. Cantuariensi.

Priusquam incipiamus has opiniones discutere, operae pretium est transcribere quae editio Vaticana in praeambulo libelli refert *de* Sedulio et *ex* Sedulio: « Hoc Opusculum cum sequenti [de Profectu Religios.] Antverpiae an. 1591 prodiit opera R. P. Henrici Sedulii Cliviensis, Guardiani Antverpiensis. Cuius praestantissimi viri diligentia in his duobus opusculis pristino suo nitori restituendis eiusdem eruditionem et doctrinam satis probat; ac utinam opuscula alia auctoris nostri parem virum invenissent! Non enim in ipsis restituendis tantum laboris susceptum esset, nec tantis respersa mendis hactenus essent emissa. Quare iuxta Henrici praedicti castigationem haec duo opuscula Vaticanae huic editioni inseruntur, ac pro argumento eorundem eius epistola ad lectorem hic subiicitur: ‚Habes, amice lector, *Speculum disciplinae* S. Bonaventurae, et *De Profectu Religiosorum*, libellos prorsus mirabiles, licet contemptibiles mundo. *Sed quae stulta sunt mundi elegit Deus*, ait Apostolus (I. Cor. 1, 27.), *ut confundat sapientes.* Auctor quidem non admodum curiosus est latinitatis et elegantiae, ut qui noverit, *non in sermone esse regnum Dei*, *sed in virtute* (ib. 4, 20.). Si pius esse velis, lege et relege diligentius; placebunt; sin autem, ne legas, ne *sanctum canibus* et *mittantur margaritae ante porcos* (Matth. 7, 6.). Quos vir longe piissimus dominus Hesius, venerandae memoriae apud Leodienses canonicus, et P. Ramus, iurisconsultorum quondam Lovanii decus, et plerique alii pii viri iuxta ac docti diligentissime lectitare solebant, etiam ad mensam, pro excitando in Deum spiritu, nemo debet facile contemnere. — Huius admonitum te brevibus cupio, nonnullos opinari, S. Bonaventuram non esse auctorem *Speculi disciplinae.* Sed hoc dubium nobis eximit ipse Bonaventura, qui Prologo utroque in *De Profectu Religiosorum* plane testatur, se conscripsisse formulam priorem de exterioris hominis compositione. Quibus verbis *Speculum disciplinae* intelligit. Potuit autem fieri, ut Speculum hoc non tam accurate conscriptum reliquerit; quod ipsum quoque satis innuit antiquissimum exemplar editum Argentinae an. 1495. Quod ita habet in libri frontispicio: ‚ Speculum *disciplinae* in hanc formam redactum est a Fr. Bernardo a Bessa, qui fuit socius S. Bonaventurae. Nam ab ore S. Bonaventurae fuit scriptum et inordinate relictum, e quo homines discerent caelestes mores. — Miror autem valde, duos hosce libellos semper fuisse disiunctos, quandoquidem ipsa materia librorum postulat, ne disiungantur. Quid enim coniunctius esse potest quam homo exterior et interior, hoc est corpus et anima? In *Speculo disciplinae* de componendo homine exteriore, de formando interiore homine disserit in *De Profectu Religiosorum.* Hic liber variis nominibus insignitur. Exemplaria vetustissima constanter vocant *De Profectu Religiosorum*, sed Venetum, quod prodiit an. 1584 appellat *De Reformatione mentis* librum priorem, posteriorem vero *De Processu Religionis.* Mirum in modum variant exemplaria antiqua in inscriptionibus, lectione et distinctione capitum. Quare, facta diligenti collatione multarum editionum, elegantius hi libri prodeunt, summam doctrinam pietatis in se continentes et ad vitam bene beateque instituendam omni Religioso divinaeque sapientiae amantissimo maxime necessarii etc. ' ». Hucusque Sedulius.

In praemissis Sedulius dupliciter errat. Falso supponit, librum *De Profectu Religiosorum* esse genuinum Bonaventurae fetum, cum attribui debeat Fr. Davidi Augustano. Falsa est etiam argumentatio eiusdem, quod ista duo opuscula ita ad invicem ordinentur, ut ex genuinitate secundi concludi possit, etiam *Speculum disciplinae* scriptum esse ab eodem auctore. Eadem argumentatione falsa usus est etiam Oudinus, qui tamen recte affirmavit, auctorem libri *De Profectu Religiosorum* esse Davidem Augustanum. Ita enim scribit: « Ego utens argumento altero censeo, neque *Speculum disciplinae* esse divi Bonaventurae neque Bernardi de Bessa, sed Davidis de Augusta Franciscani, qui multos asceticos libros ad instructionem Fratrum Minoritarum scripsit. Probo contra Sedulium et Waddingum ex ipsis eorum argumentis, nulla habita ratione editionis Argentinensis an. 1495, quae imperfectissima est. Eiusdem certe auctoris *Speculum disciplinae*, cuius est opusculum *De Profectu Religiosorum*, quod concedunt et Sedulius atque Waddingus neque negari potest, cum auctor opusculi *De Profectu Religiosorum* in Prologo operis sui expresse dicat, se scripsisse opus de compositione hominis exterioris, quod in *Speculo disciplinae* legitur. Atqui opusculum *De Profectu Religiosorum* spectat ad Davidem de Augusta: ergo et *Speculum disciplinae ad novitios.* Itaque ex eodem principio, quo Sedulius et Waddingus utuntur, aliam omnino conclusionem infero ex assumto omnimodo alio ».

Sed revera uterque eadem falsa argumentatione hallucinatus est; quia ex pure accidentali unione duorum istorum opusculorum erronee intulerunt, illud *Speculum* esse librum de compositione hominis exterioris, quasi nullus *alius* liber de hac eadem materia scribi potuisset. Nam quod iam Sedulius supra dixit, se mirari, hos duos libellos semper disiunctos fuisse, verum est. Talem enim ordinem nequaquam habent in editione parvorum opusculorum Brixiensi an. 1495 neque in citata Argentina neque in plurimis codicibus. Hinc vanum est argumentum, quo Oudinus et Sedulius concludunt, eundem auctorem scripsisse dicta opera. Unde bene dicit Bonelli (Prodrom. col. 621 n. 18.): « Etenim maior huius argumenti laborat falso supposito, quod initium illud opusculi *De Profectu Religiosorum: In priori formula novitiorum, quam scripsi de*

exterioris hominis compositione appellet ad *Speculum disciplinae*, cum unice respiciat praecedens opusculum incipiens *Primo semper debes considerare* ». Ita enim incipit opusculum Fr. David, quod alias dicitur *De Institutione novitiorum*, et est prima pars totius operis eiusdem Fratris. Vide supra pag. LXXVI col. II.

Valde etiam errant editores Veneti (Diatrib. p. 127) asserentes: « Nullus antiquus exstat codex, qui Bonaventurae nomen contineat quique non praeferat nomen Davidis Augustani, et si forte aliquis sit, qui Bonaventuram inscriptum habeat, aut ille recentioris erit notae, aut ab aliena manu corruptus ». Contrarium in utraque parte verum est. Nullum novimus codicem nec antiquam editionem, qui praeferant nomen Davidis Augustani, sed Bonaventuram inscribunt praeter complures codices a Bonelli (loc. cit. n. 16.) enumeratos fere omnes illi, quos infra in elencho recensemus. — Certissimum igitur est, opinionem Oudini et Venetorum editorum faventium Fr. Davidi esse omnino reprobandam.

Sbaralea (loc. cit.) recte negat, Fr. Davidem scripsisse *Speculum disciplinae;* deinde sic continuat: « Equidem antiquus auctor *Memorialis Ord. Min.* in *Firmamento Trium Ord. S. Franc.*, loquens de successore S. Bonaventurae, Ministro generali Hieronymo Asculano, scribit: , De mandato istius Generalis quidam magister multum famosus, magnae sufficientiae et virtutis super Sententias opus edidit utile nec non librum *De Perfectione evangelica*, contra perfectionem Religiosorum Mendicantium detrahentes, et *Vitam B. Antonii Paduani* miro stilo composuit et *Speculum disciplinae* '. Attamen nequit intellexisse seu indicasse Bernardum de Bessa, qui non famosus, sed ne magister quidem fuit tantumque pauca ad historiam Minoriticam attinentia confecit; verum verbis illis significavit Ioannem Pekan (sic), S. Bonaventurae discipulum, doctorem famosum, qui plurima conscripsit, praesertim in *4 Sententiarum libros* et librum *De Perfectione evangelica*, teste etiam Waddingo, nec non *Vitam S. Antonii Patavini*, ut perhibet Rodulphius libro III. Igitur huius est et Speculum disciplinae, quippe qui etiam *Speculum Ecclesiae* et *Speculum animae* elucubraverit; praesertim cum S. Bonaventura hoc argumentum sit exsecutus in sua *Novitiorum Regula*, ideoque non opus erat, ut hanc retractaret materiam ».

Sed contra assertum istius *Memorialis* scribit Bonelli (loc. cit. n. 15.), maioris esse auctoritatis Chronica XXIV Generalium, in quibus (Analecta Franc. tom. III. pag. 377) legitur: « Usque ad istum Generalem (scilicet Bonagratiam) Fr. Bernardus de Bessa Provinciae Aquitaniae Chronicam generalium Ministrorum protraxit. Qui etiam edidit alios devotionis libellos, quorum unus fuit de proposito Regulae ad aemulos confutandos et Fratres ad vivendum secundum Regulam informandos, et hoc tempore Fr. Bonaventurae tunc generalis Ministri. — *Alius fuit ad informandum novitios, qui dicitur Speculum disciplinae* » etc. — Cum igitur aliud antiquius testimonium, quod Sbaraleae ignotum fuit, librum diserte adiudicet Bernardo, non Pecchamo; iam eliditur argumentum unicum Sbaraleae, quia recte dicit Bonelli, maioris esse auctoritatis praefata Chronica quam documentum illud, in quo Pecchamus nec nomine proprio refertur. Concedimus autem, verba praefata *Memorialis* vix de alio a Pecchamo intelligi posse, qui revera est auctor opusculi *De Perfectione evangelica.* Hoc testantur eadem Chronica XXIV Generalium (pag. 361) his verbis: « Fuit etiam illo tempore quidam frater Ioannes, vir magnae sufficientiae et virtutis, multum famosus sacrae theologiae magister. Qui supra Sententias opus edidit utile Quaestionum nec non librum: *De Perfectione evangelica* contra Religiosis Mendicantibus detrahentes. De mandato eiusdem Generalis Vitam beati Antonii miro stilo composuit, quamvis, quia alia scripta erat in Breviariis, nullum non fuerit divulgata » (sic).

Accedit, quod nullum aliud testimonium praeter praedictum pro Pecchamo afferri potest, et quod inter complura opera, quae in codicibus msc. illi attribuuntur, nusquam nominatur *Speculum disciplinae.* In Prolegomenis opusculi nostri *De humanae cognitionis ratione*, pag. XVI seqq. ex commentariis P. Fidelis a Fanna b. m. relata sunt 19 opuscula in ultra 50 codicibus contenta, quae Pecchamo attribuuntur; sed in nullo mentio fit libelli *Speculum disciplinae.* Accedit denique, quod nullus invenitur codex nullaque editio, in quibus hoc opusculum eiusdem nomine inscribatur. Si igitur stare volumus testimoniis historicis, opinio Sbaraleae sustineri non potest.

Remanent igitur pro auctore Speculi tantum *Bonaventura* et Fr. *Bernardus a Bessa*, et hoc intelligi potest vel de unoquoque solo, vel ita, ut Fr. Bernardus, qui fuit comes et socius Bonaventurae, elaboraverit ea quae verbo vel scripto didicerat a suo superiore et magistro. Bernardum ut *solum* auctorem nominant auctor dictorum Chronicorum et codex Parisiensis infra in elencho n. 25. relatus. Bonaventurae partem aliquam in hoc libro scribendo habuisse, dicunt editio Argentina et cod. Moguntinus infra n. 1. relatus. Quod autem S. Bonaventura ipse *solus* scripserit librum hunc, non potest sustineri. Tanta enim est differentia stili in hoc et in genuinis eiusdem operibus, ut quilibet, etiam parum versatus in lectione S. Doctoris, facile cognoscat, non ab eodem auctore scripta tam diversa orta esse. — Porro iam verba Prologi (n. 3.): « Hic ergo tractatulus per *superioris impositionem exactus* », satis insinuant, non a *Ministro generali*, sed a quodam *subdito* exaratum esse hoc Speculum. Minime porro probabile est, a iuvene Bonaventura, usque ad annum aetatis 35. in scholis occupato hunc libellum, qui magnam rerum Ordinis praxim et experientiam praesupponit, fuisse compositum.

Licet igitur codices et antiqua traditio plerumque S. Bonaventurae libellum adiudicent, et ex altera parte ille codex et Chronica XXIV Generalium nominent *solum* Fr. Bernardum; hae tamen assertiones media quadam via componi possunt, secundum illum modum iam memoratum, quem infra in elencho codicum codex Moguntinus (n. 1.) et ed. Argentina explicant. Probabilissimum igitur et moraliter certum est, scriptum esse *Speculum disciplinae* a Fr. Bernardo, sed saltem *iubente* et *dirigente* et fortasse *non pauca subministrante S. Bonaventura.* Unde non tam Bonaventura, ut vult Bonelli (Prodrom. col. 620 n. 15.), sed ille libri auctor dici debet. Hic diligenter librum ex aliis opusculis, praesertim ex Hugonis et S. Bernardi scriptis genuinis et supposititiis aliorumque testimoniis magna, immo maxima ex parte contexuit, ut notis ad calcem positis satis demonstratur. Quoad stilum auctor amat constructionem frequentibus participiis pressam, quod etiam in alio eiusdem auctoris opere *De laudibus S. Francisci* (Analecta Francisc. tom. III. pag. 666 seqq.) observare licet.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Moguntiae*, bibliotheca Publica, cod. oct. 8. progress. CCCCVI. miscell. plurium aetatum, hoc vero opusculum exaratum fuit saec. XV. — Incipit sine titulo fol. 10. r.: *Speculum discipline ad honesta tendentes* etc. Desinit fol. 34. r. ut in editis; sequitur index capitulorum utriusque partis cum hac rubrica: *Bonaventura. Primus liber speculi discipline continet seu recipit XXX capitula.* Deinde additur: « Explicit Speculum S. Bonaventure, quod in hanc formam redactum est a Fr. Bernardo de Bessa, Provincie Aquitanie. Nam ab ore S. Bonaventure fuit scriptum et inordinate relictum. In quo celestes homines mores discerent, quibus proficerent. Est enim in eo tanta morum elegantia, ut si quis melius data aliqua precepta quesierit, mortalibus cunctis perlustratis celum petere habebit ». — Eandem prorsus notam habet etiam editio Argentina an. 1495, pars II. in tabula opusculorum II. partis. — In nostra editione signatur littera E.

2. *Monachii*, bibliotheca Regia, cod. 8094. chart. in 8. saec. XV. — Incipit fol. 1. r. a rubrica: *Speculum discipline Novitiorum Bonaventure. Speculum discipline ad honesta* etc. Desinit fol. 66. v.: *Domino id prestante, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.* Sign. C.

3. *Ibidem*, cod. 9068. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. 229.: *Incipit prefatio in speculum discipline sancti Bonaventure. Speculum discipline* etc. Desinit ut in editis fol. 288. r. cum additione: *Explicit speculum sancti Bonaventure.* Sign. D.

4. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. VII. F. 35. — Hoc opus incipit a rubrica: *In nomine sancte et individue Trinitatis beatissimeque virginis Marie et omnium sanctorum incipit liber, qui dicitur speculum discipline, editum a beato Bonaventura ordinis Minorum. Speculum discipline ad honesta* etc. Desinit ut in editis: *Domino id prestante, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.* De hoc codice locuti sumus supra pag. LXXXV n. 1. Sign. A.

5. *Ibidem*, cod. VII. G. 51. chart. saec. XV. circa medium. — Incipit: *In nomine sancte et individue Trinitatis beatissimeque virginis Marie et omnium sanctorum incipit liber, qui dicitur speculum discipline, editus a beato Bonaventura ordinis Minorum. Speculum* etc. Desinit ut in editis. Sign. B.

His codicibus adiuti, textum Sedulii et ed. Vaticanae melius castigare potuimus et ad primitivam formam reducere. In plurimis correctionibus a nobis factis, praesertim minoris momenti, omnes codd. contra Vaticanam conspirant et etiam ed. 2, quae, licet vitiis typographicis abundet, optimas tamen praesentis editionis lectiones saepe subministrat. In lectionibus maioris momenti A B et ed. 2 (Brixiae 1504) plerumque conveniunt; C D E communiter unius familiae lectiones ostendunt; vitia particularia in unoquoque cod. et ed. passim occurrunt. Ed. 1 (Argentina 1495) saepius, sed non semper, convenit cum ed. Vaticana.

II. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis non collati.

6. *Augustae Trevirorum*, bibliotheca Publica, cod. 529. (548.) membr. in 8. saec. XV. — Fol. 31. v. post tabulam capitulorum legitur: *Prologus in speculum discipline seu libellum de minimis ad novitios. Speculum discipline ad honesta tendentes* etc. Desinit fol. v.: *Explicit speculum discipline* etc.

7. *Ibidem*, cod. 599. (761.), de quo egimus supra pag. LIX n. 1. — Hoc opus est fol. r. non numerato sub titulo: *Incipit prologus in speculum discipline ad novitios. Ad honesta tendentes* etc. Desinit fol. r. cum hac additione: *Explicit speculum discipline ad novitios, quod a plerisque Bonaventure inscribitur, quod, quanto eloquio fiat, principium et finis declarant. Est enim tractatus totus aureus et suum auctorem virum perspicuum omni sanctitate et religione proclamat. Anno Domini MCCCCXC.*

8. *Berolini*, bibliotheca Regia, cod. theol. lat. 172. chart. in 4. saec. XV. circa medietatem. — Incipit fol. 2. r. a rubrica: *Prologus in speculum discipline seu libellum de minimis.* Desinit fol. 51. v. ut in editis.

9. *Ibidem*, cod. theol. lat. 163. membr. in 4. saec. XV. post medium. — Fol. 2. r. operi praemittitur rubrica: *Prologus in speculum discipline seu libellum de minimis ad novitios.* Desinit fol. 66. v. cum additione: *Explicit de disciplina.*

10. *Budapestini*, bibliotheca Musaei nationalis Hungarici, cod. Mss. lat. 74. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Fol. 1. v.: *Incipiunt rubrice in opus sancti Bonaventure ordinis Minorum, quod appellatur speculum discipline, utilissimum quidem religiosis.* Desinit fol. 87. r. ut in editis.

11. *Colmariae*, bibliotheca Civitatis, cod. membr. in 8. saec. XV. iam notatus supra pag. LXXVII n. 11. — Opusculum incipit fol. 57. r. ab hac rubrica: *Speculum discipline noviliorum Bonaventure. Ad honesta tendentes* etc. Desinit fol. 121. v.: *Domino id prestante, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.*

12. *Coloniae*, bibliotheca Gymnasii, cod. 166. chart. in fol. saec. XV. — Ultimum opus incipit fol. non numerato a sequenti rubrica: *Prologus in speculum discipline sive libellum de minimis ad novitios. Speculum discipline ad honesta tendentes* etc. Desinit cum conclusione: *Explicit speculum discipline ad novitios scriptum per fr. Vallardum de Loenen anno Domini millesimo quatercentesimo septuagesimo septimo.*

13. *Confluentiae*, bibliotheca Gymnasii, cod. 160. chart. in 8. saec. XV. — Hoc opus incipit fol. 1. r. verbis: *Prologus in speculum discipline sive libellum de minimis ad novitios. Speculum discipline* etc. Desint ut in editis cum additione: *Explicit speculum discipline.*

14. *Groningae*, bibliotheca Universitatis, cod. c. f. s. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 2. r.: *Incipit prologus in speculum discipline sive libellum de minimis ad novitios.* Desinit fol. 55. r. verbis: *Explicit de disciplina.*

15. *Hafniae*, bibliotheca Regia, cod. 1590. chart. in 4. saec. XV. — Hoc opus incipit post alia fol. non numerato et sine titulo: *Speculum discipline ad honesta tendentes* etc. Desinit in fine codicis cum additione: *Explicit speculum discipline Bonaventure. Anno Domini M. CCCC. septuagesimo octavo.*

16. *Monachii*, bibliotheca Regia, cod. 11923, de quo egimus supra pag. LII n. 7. — Fol. 109. r.: *Incipit prologus in speculum discipline seu libellum de minimis ad novitios sancti Bonaventure episcopi et cardinalis ordinis Minorum. Ad honestatem tendentes* etc. Desinit fol. 146. v.: *Domino id prestante, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.*

17. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. 2. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. 1. r. legitur: *Incipit speculum sancti Bonaventure. Ad honestatem tendentes* etc. Desinit fol. 160. v. cap. 1. partis II. n. 6. verbis: *oculorum vagatio reprimatur, ut mens ab exteriori cura penitus libera...*

18. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. VII. G. 15. iam descriptus supra pag. LXXIX n. 33. — Fol. 31. r.: *Incipit speculum discipline editum a beato Bonaventura ordinis Minorum.* Desinit fol. 49. r.: *Domino prestante, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.*

19. *Oxonii*, bibliotheca Bodleiana, collectio Rawlinson, cod. C. 320. miscell. in 4. saec. XV. — Fol. 44. v. legitur: *Incipit prologus* (alia manus addit: *Sancti Bonaventure) in speculum discipline ad novitios. Ad honesta tendentes* etc. Desinit fol. 87. r. cum hac additione: *Raptim exaratum et in scriptis redactum per operam pauperculi fratris Donaldi Ycahatayn pro communitate fratrum Minorum de Athdatces* (Athdora in Hibernia) *1482*.

20. *Pragae*, bibliotheca Universitatis, cod. XI. A. 10, quem notavimus supra pag. LV n. 82. — Hoc opus incipit fol. 317. r., praemissa rubrica: *Speculum discipline religiosorum. Ad honesta tendentes* etc. Desinit fol. 345. v. verbis: *Et sic est finis.*

21. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 7827. membr. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 7. r. est sequens rubrica: *In nomine sancte et individue Trinitatis, beatissime virginis Marie et omnium sanctorum incipit liber, qui dicitur speculum discipline per fratrem Bonaventuram ordinis Minorum editum. Speculum discipline ad honesta* etc. Desinit fol. 38. v. ut in editis.

22. *Ibidem*, cod. 7690, de quo egimus supra pag. LXXXIII n. 51. — Hoc opus incipit fol. 159. r., ut in praecedenti codice: *In nomine* etc. *editum. Ad honesta tendentes.* Desinit fol. 208. r., ubi additur: *Explicit speculum discipline. Deo gratias. Amen.*

23. *Sancti Audomari*, bibliotheca Civitatis, cod. 242. membr. in 4. saec. XV. iam notatus supra pag. LXXXIV n. 58. — Titulus huius operis est fol. 1. r. verbis: *Incipit prologus in speculum discipline seu libellum de minimis ad novitios sancti Bonaventure. Speculum discipline* etc. Desinit cum additione: *Explicit speculum discipline ad novitios.*

24. *Toleti*, bibliotheca Capituli, cod. Cai. 9. num. 8. membr. in 8. saec. XV. — Fol. 48. r.: *In nomine sancte et individue Trinitatis, beatissime virginis et omnium sanctorum incipit liber, qui dicitur speculum discipline. Speculum discipline ad honesta* etc. Desinit fol. 119. v. verbis: *Explicit speculum discipline.*

25. His subiungimus alium codicem in commentariis P. Fidelis non notatum, relatum ab Hauréau (Notices et Extraits de quelques manuscrits Latins de la bibliothèque Nationale [Paris], tom. VI. pag. 153), qui signatur *cod. 246.* (Nouvelles acquisitions). Habet *Speculum disciplinae*, de quo disertis verbis dicitur: *Compositum a fratre Bernardo de Bessa Ordinis sancti Francisci.* Post hoc *Speculum* sequitur immediate illa *Epistola ad quendam novitium insolentem et instabilem* (infra Opusculum VI.) et additur: *Eiusdem cuius et Speculum disciplinae.*

§ 2. *Speculum conscientiae, alias Speculum animae.*

Hoc incipit: *Arbor mala.* Sbaralea (Supplementum etc. pag. 150) dicit: « *Speculum animae* per errorem collectorum ita nuncupatum est, cum dicendum sit *de Arbore mala*, alias *mortis*, vel *Arbor vitiorum*, ut ex prologo totoque tractatu constare potest; et auctor in fine ante *recapitulationem* ait: Ecce, *radicem* arboris malae, *truncum*, *ramos* cum *foliis* et *fructibus* plenis veneno mortifero secundum intellectus mei parvitatem descripsi » etc. — Etiam Oudinus (Commentarii etc., col. 418) censet: « Rectius inscriberetur *Arbor cupiditatis seu iniquitatis cum ramis peccatorum mortalium* »; tamen hic Oudini titulus minus toti libello respondet. — Bonelli (Prodrom., col. 542 seqq.) defendit titulum receptum verbis editorum Vaticanae in *Argumento:* « Sicut in speculo obiectarum rerum imagines apparent, et quisquis in eo effigiem suam intuetur; ita in hoc tractatu capitalia vitia eorumque propagines adeo perspicue cernuntur, ut, eo sibi ob oculos mentis proposito, non mediocriter iuvetur is qui conscientiam suam examinare... studet ». Nos vero fide codicum verum et convenientem titulum fuisse putamus *Speculum conscientiae*, non *animae*.

Sbaralea (loc. cit.) bene observat, penitus diversum ab hoc opusculo esse *Speculum animae* Ioannis Pecchami, archiep. Cantuariensis, S. Bonaventurae discipuli, quod ex lectione pateat. Idem addit, hoc nostrum *Speculum* primo prodiisse in antiqua editione, quam suspicatus est esse Venetam an. 1487, seque mirari, quare nec in Argentina an. 1495 nec in Veneta an. 1504 exstet [est tamen in Brixiensi an. 1495]. Deinde idem prosequitur: « Nihil est, quod a seraphici Doctoris sapientia eam abiudicare queat, utut repugnet Oudinus ».

Oudinus igitur (loc. cit.) falso asserit: « Est opus morale nihil aliud continens quam definitiones et divisiones peccatorum tam principalium quam aliorum ex illis nascentium. Non videtur spectare ad S. Bonaventuram, cuius saeculo haec opuscula, quae casuistas spectant, minus nota erant ». Pro hac sua sententia quatuor argumenta in medium fert, quae iam a Sbaralea breviter et a Bonelli diffusius et valide improbantur. Hic sufficiat breviter argumenta Oudini perstringere, et quoad plura lectorem ad Bonelli Prodromum (loc. cit. n. 5-18.) remittere. — Falsum iam est quod Oudinus supra dicit, illa aetate « opuscula, quae casuistas spectant, » minus fuisse nota; contra quod assertum Bonelli opponit *Summam de casibus* Raymundi de Pennafort, *Speculum morale* Vincentii Bellovacensis, *Summam de virtutibus et vitiis* Guillelmi Peraldi aliaque. — Quae deinde Oudinus profert, ut stilum operis nimis humilem et abiectum esse probet, futilia sunt. Exempli gratia allegat verba *de facili* (pro *facile*), *officiare*, *grossiorem*. Sed haec occurrunt etiam in aliis Bonaventurae libris, teste ipso Oudino, genuinis, vel saltem apud alios mediae aetatis scriptores, ut apud S. Bernardum. — Fortius obiectat Oudinus, quod in hoc opere excusetur *duellum;* quam obiectionem tanti faciunt editores Veneti, ut minime dubitent hoc opusculum ablegare ad *quisquilias* illudque nominare prorsus *stramineum* (Diatribae pag. 117). Quod autem auctor excuset *duellum*, haec insimulatio Oudini est manifeste falsa. Nam in loco incriminato (c. 1. n. 33.) post verba: « Dicunt quidam, quod consuetudo excusat in hoc facto », e vestigio additur: « *Cuius contrarium tenetur communiter a theologis et iurisperitis* ». Alia multa ibi Bonelli profert, ut probet, doctrinam libelli non recedere a communi theologorum doctrina, auctoremque summa iniuria traduci, quasi sit « benignus casuista ». Idem contra illam iniquam censuram editorum Venetorum opponit contrarium insignis theologi iudicium,

doctissimi, scilicet Ludovici Habert, qui in sua *Theologia dogmatica et morali* (pars III. de Contractibus, c. 19. § 2.) saepius laudat hoc Speculum, quod illi inter *quisquilias* reiiciunt.

Omnino consentimus Sbaraleae et Bonelli, defensoribus huius opusculi, in hoc, quod argumenta Oudini minime probant, illud esse prorsus indignum seraphico Doctore. Attamen alia quaestio, num illud revera scriptum sit a Bonaventura, non ita patet, cum aliae quam supra allatae rationes dubitandi non desint. Primo enim, quoad *externa* genuinitatis criteria desiderantur firma testimonia pro Bonaventura ut auctore. In nullo operum eiusdem indiculo sive catalogo invenimus huius libelli mentionem. Auctoritas duarum antiquarum editionum (Venetae et Brixiensis), quae supra memoratae sunt, non est irrefragabilis. Inventi sunt solummodo duo codices infra descripti, quorum antiquior Basileensis magistrum Muntzinger nominat auctorem, alter quidem S. Bonaventuram. Bonelli (loc. cit. n. 4.) secundum quosdam bibliothecarum catalogos refert, titulum *Speculum animae* in tribus codicibus scriptum, sed sine indicatione nec auctoris nec principii et finis scripti (cfr. Prodrom. col. 390, n. 11; col. 395, n. 61; col. 427, n. 8.). Sed cum aliis etiam auctoribus, v. g. Henrico de Hassia et Pecchamo, tribuatur quoddam *Speculum animae*, omnino incertum est, utrum illi catalogi indicent hoc *Speculum*, quod nostri codices vocant *Speculum conscientiae*.

Secundo, quoad criteria sumta ex *indole et stilo* libelli non invenimus certa indicia, quae sint quasi nota propria ingenii Bonaventuriani, sed potius contrarium. Unde, licet confessi simus, scriptum hoc dici non posse esse *indignum* tanto Doctore, probabilius tamen esse putamus, illud ab alio theologo esse compositum. Accedit, quod quidam loci, ut illi pag. 627, nota 1 et pag. 632, nota 8. indicati, ab accurato doctrinam explicandi modo Bonaventurae proprio deficere videntur. — Bonelli observat (loc. cit. n. 4.), quandam convenientiam intercedere inter descriptionem *arboris vitae* (supra Opuscul. III.) et huius *arboris mortis*, sed haec ad summum insinuare potest, genuinum illum libellum et quasdam sententias, quae in *Breviloquio*, parte III. c. 6. 9. et 11. habentur, alii auctori praebuisse quasi ideam generalem huius *Speculi* et fortasse etiam occasionem tribuendi illud auctori *Ligni vitae*.

Elenchus codicum.

1. *Basileae* in Helvetia, bibliotheca Publica, cod. A. V. 38. chart. in fol. miscell. saec. XV. circa medietatem. — Fol. 188. v.: *Incipit Speculum conscientiae de arbore mala. Arbor mala fructus malos facit.* Desinit fol. 206. v.: *Quod habet magis rationem peccati. Et sic est finis huius tractatus, qui dicitur Speculum conscientiae.* Desunt igitur tum epilogus tum plures propositiones (vide infra pag. 642, notam 9.). — Codex in foliolo exterius affixo et etiam fol. 1. r. habet hanc tabulam: *Liber de Cura curatorum. — Tractatus de Anima Magistri Iohannis Muntzinger 75. — Expositio super Ave Maria 85. — Super Pater noster eiusdem Magistri Iohannis Muntzinger.* Deinde scriptum est: *Reverendus Pater Dominus Iohannes de Venningen, Episcopus Basileensis* (fuit episcop. ab an. 1458 die 18 Maii usque ad 1478 diem 22 Decembris) *dedit.* — P. Fidelis a Fanna in suis commentariis scripsit, in isto codice etiam *Speculum conscientiae* tributum esse Ioanni Muntzinger.

Illustrissimus D. Theodorus de Liebenau, archivista Lucernensis archivi, pro sua humanitate et in nos benevolentia hunc codicem contulit cum ed. Vat.; pro quo singulari favore ei publice hic gratias agimus.

2. *Matriti*, bibliotheca Nationalis, cod. B. 72. chart. in fol. miscell. saec. XV. — Post *Compendium theologicae veritatis* S. Thomae tributum aliaque opera habetur fol. 139. r.: *Arbor mala fructus malos facit.* Desinit ut in editis fol. 154. r. col. 1: *Si quis autem plenius de singulis velit habere notitiam, ad tractatum superiorem recurrat.* Deinde ab eadem manu litteris paulo grandioribus scriptum est: *Explicit tractatus de vitiis, quem Speculum conscientie nuncupant.* Porro superius in quadam nota tractatus Bonaventurae attribuitur; fol. enim 7. v. in margine superiore scriptum est a manu saec. XV. incuntis: *Compendium totius sacre theologie B. Thome de Aquino Ord. Frm. Predicatorum.* Et immediate post in eadem linea, sed a manu saec. XV. exeuntis: *Et Speculum conscientie fratris boneventure.*

Solo primo codice usi sumus ad textum emendandum.

§ 3. *Summa de gradibus virtutum.*

Haec *Summa*, quae incipit verbis: *Accedite ad Dominum*, ab Oudino et editoribus Venetis ut *spuria* reprobatur, a Sbaralea et Bonelli defenditur ut tanto Doctore *non indigna* et saltem *verisimilis*. Prima editio huius Summae videtur esse Argentinensis an. 1495, nec mentio eius occurrit nisi in catalogis posterioribus, praesertim Mariani Florentini.

Primo observandum est, textum hucusque editum esse plurimis insertionibus et saepe ineptis corruptum, quod constat fide meliorum codicum. Hoc ignotum fuit illis quatuor supra memoratis viris. Cum igitur ea exempla doctrinae absurda, quae Oudinus (Commentarii etc. col. 416 n. 29.) affert, ut opusculum esse reprobandum demonstret, in istis codicibus desint, iam patet, incassum eum laborasse. Primo igitur idem pro sua sententia probanda obiicit locum ex libelli cap. 19, *De gradibus largitatis* (vide infra pag. 650, notam 10.), scil. haec verba: « Item, in altum gradum largitatis ascendit qui dat quidquid ab eo petitur, sicut Herodes fecit, qui filiae dixit: Quidquid petieris, dabo tibi ». Non sine gravi ratione Oudinus hanc censuram fert: « At nunquam divus Bonaventura, doctor gravis et orthodoxus, adduxisset hoc exemplum Herodis tanquam *actum largitatis*, quod potius fuit factum impudicitiae et promissum levitatis et ebrietatis et prodigalitatis et stultitiae » etc. — Secundo Oudinus affert locum ex cap. 23, *De gradibus confessionis*, dicens: « Hic scriptor absurdissimus est, cum ait, esse *altum* gradum confessionis confiteri tantum uni sacerdoti, altiorem pluribus sacerdotibus saecularibus, sed altissimus confiteri pluribus sacerdotibus regularibus » (vide ipsa verba pag. 652, notam 4.). Multis verbis hanc absurdam doctrinam Oudinus exagitat. Valde miramur, quod, duce Sbaralea (Supplementum etc. pag. 150, n. 24.), Bonelli (loc. cit.) utrumque locum contra censuram Oudini levibus rationibus conatur defendere. Sed cum, ut diximus, non tantum hi duo loci, sed etiam alii plurimi et saepe inepti in nostris codicibus non inveniantur; superfluum est plura de talibus insertionibus disputare. Nostra igitur editio multo brevior est quam hucusque publicatae nec legenti praebet offendicula ita gravia sicut illae.

Attamen adhuc remanent rationes dubitandi, num haec Summa sit legitimum opus S. Bonaventurae. Iuxta elenchum codicum infra positum haec *Summa* inventa est in 20 msc., quorum 16 libellum attribuunt S. Bonaventurae, aliqui tamen hoc a secunda manu habent scriptum. Hi omnes inveniuntur in bibliothecis Germaniae et Austriae, excepto uno Bruxellensi, et quoad tempus, quo scripti sunt, non excedunt finem saec. XIV. Hinc codices argumentum irrefragabile pro genuinitate libelli non praebent. Quoad *interna* criteria fatendum nobis est, deesse in eodem vestigia notasque, quae in genuinis operibus ingenium et indolem Bonaventurae manifestare solent. Displicet praecipue, quod, cum secundum doctrinam communem et a seraphico Doctore saepe propositam virtus quaelibet consistat formaliter in *habitibus animae interioribus,* hic earum gradus saepius distinguuntur secundum *actus externos* et interdum potius *accidentales,* ut cum dicitur, gradum esse *altum,* si virtus brevi tempore exercetur, *altior,* si longo tempore, aliaeque distinctiones similes pluries occurrunt. Quapropter libellum reiiciendum esse inter dubia Bonaventurae opera censuimus.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Monachii,* bibliotheca Regia, cod. 11923. chart. in 8. saec. XVI. ineuntis. — Hoc opusculum habetur fol. 160. r. cum rubrica: *Incipit formula aurea de gradibus virtutum doctoris seraphici sancti Bonaventure. Accedite ad Dominum* etc. Desinit ut in editione, fol. 171. — In hac nostra editione signatur littera A.

2. *Ibidem,* cod. 12296. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 232. v. a rubrica: *Bonaventura de gradibus virtutum, et primo de charitate. Infimus gradus charitatis* etc. Desinit fol. 237. r.: *de eiusdem eterna unione. Ad quam nos perducat qui per infinita secula seculorum vivit et regnat.* Sign. B.

3. *Pragae,* bibliotheca Universitatis, cod. X. B. 24. miscell. in fol. — Opusculum incipit fol. 133. v., cui alia manus posterior praemisit hunc titulum: *Summa aurea Bonaventure de gradibus virtutum. Infimus gradus charitatis* etc. Desinit fol. 137. r.: *de eterna visione. Ad quam nos perducat qui sine fine vivit et regnat per infinita secula seculorum. Amen. Explicit summula aurea de gradibus virtutum Bone Venture 1392. secunda feria ante Michaelis Archangeli, in quatuor temporibus.* Sign. C.

4. *Wratislaviae,* bibliotheca Universitatis, cod. I. class. in fol. 657. chart. saec. XV. circa medium. — Fol. 414. v. in superiore margine legitur: *Summula aurea Bonaventure de gradibus virtutum. Infimus gradus charitatis* etc. Desinit fol. 419. r. verbis: *de eiusdem eterna visione. Ad quam nos perducat qui sine fine regnat et vivit. Amen. Das geschee.* Sign. E.

5. *Ibidem,* cod. I. class. in fol. 642. chart. saec. XV. ineuntis. — Incipit fol. 210. r. sine ullo titulo: *Infimus gradus charitatis* etc. Recens manus ad marginem scripsit: *De gradibus virtutum sancti Bonaventurae.* Desinit fol. 212. v. ut in praecedenti codice. Sign. D.

Quoad hos quinque codices notandum est, solum A, qui est saec. XVI. et probabiliter ex quadam typis expressa editione transcriptus, fere totum convenire cum ed. Vaticana. Ceteri vero inter se valde conveniunt, praesertim constanter in eo, quod insertiones tum sententiarum tum etiam paucorum verborum, quibus ed. Vaticana fere in omni linea corrupta est, penitus omittunt, sicut et prologum. Paucas eorum in aliis differentias alicuius momenti ad calcem notavimus.

II. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis non collati.

6. *Bremae,* bibliotheca Civitatis, cod. b. 9. chart. in 4. saec. XV. — Circa finem voluminis fol. non numerato incipit hoc opusculum sine titulo et nomine auctoris verbis: *Altus gradus charitatis est diligere amicum* etc. Desinit: *tertius, sempiterna unione.*

7. *Bruxellis,* bibliotheca Regia, cod. 5076-81. chart. in 4. saec. XV. post medietatem. — Fol. non numerato v. legitur: *Incipiunt capitula tractatus sequentis de gradibus virtutum.* Manus recens huic titulo praemisit haec verba: *Sanctus Bonaventura est auctor formulae.* Post indicem capitulorum: *Incipit formula aurea de gradibus virtutum. Accedite ad Dominum* etc. Desinit: *de eiusdem eterna fruitione. Quod nobis prestare dignetur qui est benedictus in secula seculorum Amen. Explicit tractatus de gradibus virtutum.*

8. *Cracoviae,* bibliotheca Universitatis, cod. 554. D. D. II. 4. miscell. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit pag. 256 verbis: *Bonaventura de gradibus virtutum. Cum, sicut dicitur, Infimus gradus charitatis* etc. Desinit pag. 260 cum gradu de dolore ad verba: *cum baptizati in morte Xti mortalis vulnere sauciantur. Deo gratias.*

9. *Eistadii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 117. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum incipit fol. non numerato ab hac rubrica: *Bonaventura de gradibus virtutum, et primo de charitate. Infimus gradus charitatis* etc. Desinit fol. r. penultimo codicis: *Altissimus de eterna eiusdem unione. Ad quam nos perducat qui cuncta secula regit. Per me Ulricum Pfeffel in die divisionis Apostolorum 1465. in Obern Eystet.*

10. *Gedani,* bibliotheca Ecclesiae sanctae Mariae, cod. 19. Schrank 39. miscell. in 4. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 148. v. sine titulo: *Infimus gradus charitatis* etc. Desinit fol. 173. v.: *eterna unione. Ad quam nos perducat qui sine fine vivit et regnat Deus. Amen.*

11. *Ibidem,* cod. 78. Schrank 267. miscell. in fol. saec. XV. circa medium. — Fol. 21. r.: *Incipit tractatus Bone venture, qui dicitur summa aurea. Infimus gradus charitatis* etc. Desinit fol. 26. r.: *de eiusdem eterna unione. Ad quam nos perducat Ihesus Xtus. Amen. Explicit tractatus Bone venture, qui dicitur summa aurea.*

12. *Pragae,* bibliotheca Universitatis, cod. IX. C. 3. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. — Fol. 68. v. legitur: *Incipit summula aurea Bonaventure de gradibus virtutum et primo de charitate, secundo* etc.; sequitur index capitulorum, deinde: *Infimus gradus* etc. Desinit fol. 71. v.: *de eiusdem eterna unione. Ad quam nos perducat qui sine fine vivit et regnat Deus in secula seculorum. Amen. Explicit summula aurea Bonaventure de gradibus virtutum.*

13. *Ibidem,* bibliotheca Capituli Metropolitani, cod. CXLV. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. — Fol. 157. r.: *Incipit summa Bonaventure cardinalis de gradibus virtutum. Infimus gradus*

charitatis etc. Desinit fol. 161. r. verbis: *de eiusdem eterna unione. Ad quam nos perducat qui sine fine vivit et regnat. Amen. Finis summe Bone venture de gradibus virtutum.*

14. *Ibidem*, cod. O. XXI, de quo egimus supra pag. XLVII n. 135. — Fol. 62. r. huic opusculo praemittitur: *Incipit summula aurea Bonaventure de gradibus virtutum. Infimus gradus charitatis* etc. Desinit fol. 70. r. ut in praecedenti codice.

15. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 4171. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 138. v. legitur: *Incipit summa aurea Bonaventure de gradibus virtutum, et primo ponitur charitas: Infimus gradus* etc. Desinit fol. ultimo v.: *de eiusdem eterna unione. Ad quam nos perducat qui sine fine vivit et regnat. Amen. Amen. Amen. Explicit summa aurea Bonaventure de gradibus virtutum... Anno Domini MCCCCXXXI.*

16. *Ibidem*, cod. 4550. chart. in 8. saec. XV. — Rubrica huius opusculi occurrit fol. 255. r. verbis: *Incipit summula aurea Bone Venture de gradibus virtutum;* hinc post tabulam graduum: *Et primo sequitur de caritate et de gradibus eius. Infimus gradus* etc. Desinit fol. 263. r.: *de eiusdem eterna unione. Ad quam nos perducat qui sine fine vivit et regnat Deus in secula seculorum. Amen. Et in hoc terminatus est libellus, qui dicitur aurea summula de gradibus virtutum, finita feria sexta ante dominicam: Quasi modo geniti.*

17. *Ibidem*, cod. 4749. chart. in 4. saec. XV. — Huic opusculo praemittitur tantum: *De charitate* fol. 204. r.; hinc: *Infimus gradus charitatis* etc. Desinit fol. 210. r.: *de eiusdem eterna unione. Ad quam nos perducat qui sine fine vivit et regnat Deus. Amen. Explicit.*

18. *Wolfenbuttae*, bibliotheca Ducalis, cod. Helm. 552. chart. in 4. saec. XV. circa medium. — Post medietatem voluminis fol. v. non numerato incipit hoc opusculum sine ullo titulo et nomine auctoris: *Accedite ad Dominum et illuminamini* etc. Magna pars opusculi deest.

19. *Wratislaviae*, bibliotheca Universitatis, cod. I. class. in fol. 234. chart. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 220. r. cum rubrica: *Sequitur summula aurea de gradibus virtutum edita ab auctore devoto domino Vonavem cura* (sic) *ordinis Fratrum Minorum. Infimus gradus charitatis* etc. Desinit fol. 226. v.: *de eiusdem eterna unione. Ad quam nos perducere dignetur... Explicit summula aurea de gradibus virtutum edita a venerabili doctore sacre theologie Bona Ventura.*

20. *Ibidem*, cod. IV. class. in fol. 185. chart. saec. XV. ineuntis. — Fol. 179. v.: *Incipit summula aurea Bonaventure de gradibus virtutum tractans. Altus gradus charitatis est diligere amicum* etc. Desinit fol. 183. v.: *de eiusdem eterna unione. Ad quam nos perducat qui sine fine* etc.

§ 4. *Collatio de contemptu saeculi.*

Opella haec incipit verbis: « Nota, septem sunt in mundo ». Ab Oudino (Commentarii etc. col. 420) atque a Sbaralea (Supplement. etc. p. 151) censetur ea esse *digna*, quae Bonaventurae attribuatur, a Bonelli (Prodrom. col. 566) *certa*, ab editoribus vero Venetis (Diatribae pag. 90) *dubia*.

Quoad has sententias observanda sunt quaedam ab istis viris non ponderata. Primo, hoc opusculum contextum est fere integre ex locis aliorum auctorum, quod ex multis notis nostrae editionis iam satis apparet; in Vaticana autem editione tres tantum loci ad marginem citati sunt. Sed praeter locos iam inventos ex ipsa aliarum sententiarum forma et inductionis argumento certi sumus, alias non paucas propositiones esse aliorum auctorum. Cum enim in libello isto non indicentur auctores, unde istae sint sumtae, impossibile saepe est ex campo quasi infinito antiquorum de asceticis rebus scriptorum coniectura invenire auctorem, in quo quaerenda sint haec effata. — Porro, inde etiam patet, non posse iudicari de stilo collectoris, qui pauca tantum verba aliorum locis addidit.

Secundo, opella non est nisi merum fragmentum, praesertim si meretur nomen *collationis*, quo nomine illa aetate quaedam *species* sermonum appellabatur, quae hora vespertina atque in forma magis familiari haberi solebat. Forma autem consueta *collationum* penitus, ut patet, deest; hinc ad summum dici potest *fragmentum* collationis. Fieri quidem potuit, ut S. Bonaventura sive alius praedicator de contemptu mundi collationem habiturus, locos illos paraverit et scripto notaverit. Alia enim suppositio, quod aliquis auditorum ex ore praedicantis principales sententias exceperit sive *reportaverit* (ut dicebatur), quod praedicante Bonaventura plerumque fieri solebat, nobis minus verosimilis videtur.

Tertio, quatuor codices infra notati sunt scripti in principio saec. XVI, postquam iam an. 1495 editio Argentina illam collationem typis expresserat, ita ut ex eadem librarii codicum ipsam transcribere potuissent. Etiam indiculi, qui opellam Bonaventurae attribuunt, pertinent ad saec. XVI. Hinc patet, exteriora haec testimonia valde debilia esse. — Haec omnia considerantes, nihil certi de auctore opusculi iudicari posse censemus.

Praeter memoratam ed. Argentin. libellus in lucem prodiit in ed. Veneta an. 1504 et pluribus subsequentibus. Versus est etiam in linguas Italicam, Hispanicam et Lusitanam.

Codicem Parisiensem duasque editiones Venetas cum Vaticana contulimus.

Elenchus codicum.

1. *Parisiis*, bibliotheca Mazzarinea, cod. 902. chart. in 8. saec. XVI. ineuntis, ut iam descripsimus supra pag. XX n. 196. — Rubrica huius opusculi est fol. 101. v. sic expressa: *Incipit collatio sancti Bonaventure de contemptu mundi. Nota, septem sunt in mundo* etc. Desinit fol. 104, addito: *Explicit collatio sancti Bonaventure de contemptu mundi.* — Ex hoc solo codice varias lectiones referimus.

2. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 4615. chart. in 16. saec. XVII. ineuntis. — Opusculum est fol. 91. r. sub titulo: *Incipit collatio sancti Bonaventure de contemptu mundi. Septem sunt in mundo* etc. Desinit fol. 100. v. cum additione: *Finit collatio de contemptu seculi.*

3. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 11923. iam descriptus supra pag. LXXIII n. 36. — Hoc opusculum est fol. 196. r. sub rubrica: *Collatio de contemptu seculi.* Convenit cum editis et desinit fol. 199. v.

4. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 3634. miscell. in 8. saec. XVI. ineuntis. — Fol. 220. r. legitur: *Incipit collatio sancti Bonaventure de contemptu seculi. Nota, septem sunt in mundo.* Desinit fol. 225. r.: *fiducialiter futuram gloriam prestolari. Amen. Amen.*

§ 5. *Compendium de virtute humilitatis.*

Hic tractatus, qui est sine prologo atque incipit: *Ad altitudinem humilitatis videndam*, primo editus est a Bonelli (Supplementum etc., tom. III. col. 228 seqq.), qui illum (ibi et Prodrom. col. 741) conatur vindicare S. Bonaventurae, auctoritate cuiusdam codicis Bavarici tunc in Monasterio Pollingano existentis (loc. cit. col. 392 n. 29.). Auctor certe se ostendit esse ex Ordine Fratrum Minorum, quia laudat *Patrem* Franciscum. Quod autem S. Bonaventurae opusculum sit tribuendum, Bonelli etiam nonnullis rationibus evincere studet. Nos uni codici Bavarico alios plures testes adiunximus, sed tamen experientia multiplici edocti sumus, etiam magnum codicum numerum quoad auctorem alicuius scripti assignandum non raro fefellisse, praesertim si sunt sequioris aetatis. Aliae rationes a Bonelli allatae sunt levissimae. Primo vim facit in eo, quod in hoc scripto iidem auctores citentur, qui etiam Bonaventurae sunt familiares, ut Ambrosius, Augustinus, Gregorius, Anselmus et Glossae. Sed vix unquam de rebus moralibus scribens aliquis auctor medii aevi est, qui illos Ss. Patres non soleat citare. — Porro, insistit in eo, quod auctor utitur nonnullis verbis minus Latinis, ut Bonaventura, et etiam quibusdam loquendi formulis, e. g. *unio Sponsi et sponsae fit per caritatem* etc. Sed hi loquendi modi non sunt soli Bonaventurae proprii; praeterea hoc eo facilius explicari potest, quia auctor opusculi certe fuit eiusdem cum Bonaventura Ordinis; unde praesumendum est, ipsum saltem aliqua scripta eiusdem legisse et probabiliter etiam ea quae Bonaventura de humilitate copiose docuerit. Nam praeter vere excellentem doctamque de humilitate *Quaestionem disputatam* (vide tom. V. pag. 117) integrum capitulum de hac virtute scripsit in libello de *Perfectione* ad *Sorores* (Opusc. VI. huius tomi), in *Regula noviliorum* (Opusc. XX.) et alibi passim, praesertim in Commentariis in Scripturam. Praedictam *Quaestionem disputatam*, a nobis primo publicatam, si Bonelli legisset, facile cognovisset, quantum intersit inter illam genuinam Quaestionem et hunc tractatum, pium licet et non contemnendum. — Attentione praesertim dignae sunt rationes, quibus c. 3. n. 3. seqq. explicatur, quomodo homo veraciter se posset reputare omnibus hominibus inferiorem. Doctrina in eodem tractatu contenta bene respondet eis quae in multis locis genuinorum operum Bonaventurae occurrunt. Et cum sine prologo et epilogo hic tractatus inveniatur, nobis valde probabile videtur, illum secundum aliquem sermonem sancti Doctoris ab alio auctore redactum esse in hanc formam.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu editionis Bonelli collati.

1. *Monachii,* bibliotheca Regia, cod. 18651, quem iam supra descripsimus pag. XVIII n. 159. — Rubrica huius opusculi est fol. 168. v. his verbis expressa: *De virtute humilitatis Bonaventura. Ad altitudinem humilitatis videndam* etc. Desinit fol. 172. r.: *credit aliis mala propter se venire.* Alia manus eiusdem aevi addit: *Explicit compendium sancti Bonaventure de virtute humilitatis.* — In hac nostra editione signatur littera A.

2. *Ibidem,* cod. 19817. chart. in 8. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 57. r. sine titulo: *Ad altitudinem humilitatis videndam* etc. Desinit fol. 62. v.: *vitam nostram ferventioribus studiis prevenire. Explicit Bonaventura de humilitate.* Sign. B.

3. *Ibidem,* cod. 5014. chart. in 8. saec. XV, de quo et supra pag. XXXIII n. 141. — Fol. 99. r. incipit sine ulla rubrica: *Ad altitudinem humilitatis videndam* etc. Desinit fol. 111. ut in editione. Sign. C.

4. *Ibidem,* cod. 3037. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 178. r.: *Tractatus Bonaventure de perfectione humilitatis. Ad altitudinem humilitatis videndam* etc. Desinit fol. 181. r.: *ferventioribus studiis preiret.* Sign. D.

5. *Ibidem,* cod. 4775. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 40. v. legitur: *Bonaventura de humilitate perfecta. Ad altitudinem humilitatis videndam* etc. Desinit fol. 49. v.: *ferventioribus studiis preiret. Explicit de humilitate Bonaventure.* Sign. E.

6. *Ibidem,* cod. 11740. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 100. r. verbis: *Ad altitudinem humilitatis* etc. Desinit fol. 115. r. ut praecedens, addito: *Explicit Bonaventura de humilitate.* Sign. F.

Hi sex codices, exceptis paucis vitiis et rebus nullius momenti, ita perfecte conveniunt, ut eandem familiam constituant.

II. Codices a nobis non collati.

7. *Basileae,* bibliotheca Civitatis, cod. B. X. 6. membr. in 8. saec. XIV. — Hoc opusculum incipit post alia fol. non numerato r.: *Ad videndam altitudinem humilitatis attendamus* etc. Desinit c. 3. n. 4. verbis: *hoc ipsum ignorabit anima mea. Hec dicta sufficiant.*

8. *Erfordiae,* bibliotheca Regia, cod. 16. chart. in 8. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 4. r. sine titulo: *Ad altitudinem humilitatis* etc. Desinit fol. 6. v. cum additione: *Explicit de humilitate perfecta.*

9. *Graecii,* bibliotheca Universitatis, cod. 1649. chart. in 12. saec. XVI. ineuntis. — Post alia opera fol. non numerato sequitur: *Tractatus de humilitate. Ad altitudinem humilitatis videndam* etc. Desinit fol. r.: *ferventioribus studiis prevenire. Explicit Bonaventura de humilitate.*

10. *Herbipoli,* bibliotheca Universitatis, cod. q. 106. chart. saec. XV. — Fol. 268. r.: *Incipit tractatus Bonaventure de humilitate. Ad altitudinem humilitatis* etc. Desinit fol. 279. r.: *ferventioribus studiis preire. Explicit tractatus brevis et utilis de humilitate a devoto doctore Bonaventura compilatus.*

11. *Mellicii,* bibliotheca Monasterii, cod. N. 7, de quo egimus tom. V. pag. XXX n. 64. — Hoc opusculum incipit sine titulo fol. 24. r.: *Ad altitudinem humilitatis videndam* etc. Desinit fol. 24. v. verbis: *vitam nostram ferventioribus studiis prevenire. Explicit Bonaventura de humilitate.*

12. *Monachii,* bibliotheca Regia, cod. 4619. membr. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. 109. r.: *Incipit tractatus domini Bonaventure de humilitate. I. capitulum. Ad altitudinem humilitatis* etc. Desinit fol. 132. v. cum additione: *Explicit Bonaventura de humilitate. Deo gratias.*

13. *Ibidem,* cod. 7338. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 110. r.: *Incipit tractatus de humilitate Bonaventure. Ad altitudinem humilitatis* etc. Desinit fol. 119. r.: *ferventioribus studiis preiret.*

14. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 1713, iam descriptus supra pag. LXXXIV n. 64. — In superiori parte folii 124. legitur: *Incipit tractatus eiusdem sancti Bonaventure de humilitate. Ad altitudinem humilitatis* etc. Desinit fol. 127. v.: *ferventioribus studiis preire. Explicit tractatus sancti Bonaventure de virtute humilitatis, doctoris seraphici.*

§ 6. *Epistola ad quendam novitium insolentem et instabilem.*

Haec incipit verbis: « In Christo carissimo », quae nec inter opera S. Bonaventurae nec, quod scimus, alibi hucusque impressa est. Ipsa invenitur in 5 codicibus msc., quorum 4 eam habent immediate post *Speculum disciplinae*, cum quo et quoad principia doctrinae et quoad stilum optime convenit, ita ut utrumque scriptum eiusdem auctoris esse suspicari quis possit. Quae coniectura confirmatur testimonio boni codicis, quem infra in elencho codicum (n. 5.) ex Hauréau attulimus. Disertis enim verbis ibi utriusque auctor ille Fr. Bernardus de Bessa dicitur.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis collati.

1. *Berolini*, bibliotheca Regia, cod. theol. lat. 153. chart. in 4. saeculi XV. post medietatem. — Post opusculum *Speculum disciplinae* fol. 66. sequitur: *Incipit epistola ad quendam novitium insolentem et instabilem. In Xto Iesu sibi carissimo fratri salutem in Domino confortari. Vidi, carissime, faciem tuam* etc. Desinit fol. 73. r.: *Opto, ut in Xto valeas et in eius amore semper proficias. Amen.* — In hac nostra editione signatur littera A.

2. *Ibidem*, cod. theol. lat. 172, iam descriptus supra pag. XCVII n. 8. — Etiam in hoc codice epistola sequitur opusculum *Speculum disciplinae;* incipit fol. 51. v. sine titulo: *Vidi, carissime* etc. Desinit fol. 55. v. ut in praecedenti codice. Sign. B.

Hi duo inter se semper conveniunt, exceptis paucissimis locis ad calcem notatis.

3. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 18327, de quo egimus supra pag. LXIX n. 24. — Incipit fol. 174. r. his verbis: *Epistola alia eiusdem ad quendam novitium: Vidi, carissime* etc. Desinit fol. 179. r. ut superius. Sign. C.

Hic plures habet errores librarii quam A B, sed quoad sententias convenit.

II. Codices a nobis non collati.

4. *Groningae*, bibliotheca Universitatis, cod. C. f. 1 chart. in 4. saec. XV. ante medietatem. — Fol. 55. r. post verba: *Explicit de Disciplina*, sequitur: *Epistola ad quendam novitium insolentem et instabilem. In Ihesu Xto sibi carissimo fratri. Vidi, carissime, faciem tuam* etc. Desinit fol. 60. v.: *Opto, ut in Xto valeas et in eius amore semper proficias. Amen.*

5. Alium codicem invenimus relatum ab Hauréau; de quo vide supra pag. XCVIII n. 25. Post *Speculum disciplinae*, quod tribuitur *Fr. Bernardo de Bessa*, sequitur haec *Epistola ad quendam novitium insolentem et instabilem* et additur: *Eiusdem, cuius et Speculum disciplinae.*

§ 7. *Opuscula rhythmica.*

Difficile est de auctore horum carminum, quorum quinque sub hoc titulo publicamus, iudicium omnino *certum* ferre; unde opportunum visum est, illis inter dubia opuscula locum dare. Plura de hoc dicta sunt infra pag. 667, nota 1.

Num. I. *Laudismus de sancta cruce.*

De hoc hymno notandum est, illum exstare in 20 codicibus infra relatis, quorum solummodo duo (n. 4, qui hymnum tribuit *Bernardo*, et n. 12, sine nomine auctoris) pertinent ad saec. XIV, alii posterius scripti sunt. *Repertorium hymnologicum* Chevalier (tom. II. pag. 448 n. 17045.) alium cod. refert bibliothecae Civitatis Gratianopolis (Grenoble), cod. 406, 24b; et ibi de auctore annotatur: « S. Bonaventura (S. Bernardus!) ». Quod S. Bernardo hymnus hic tribuendus sit, non videtur probabile; remanet igitur Bonaventura, qui verisimilius est auctor, quia hoc testantur praeter cod. Gratianopolitanum alii 15 infra relati, consentientibus Sbaralea et Bonelli (Prodrom. col. 662).

Porro notandum est, post stropham 24. (vel 22.) cum voce *Amen* hymnum terminare in D et aliis codd., nempe sub n. 11, 12, 16. relatis. In cod. Oxoniensi (n. 14.) post integrum nostrum hymnum immediate sequitur alius, qui incipit a stropha 23: *Recordare, frater pie, Septem vicibus in die* etc. Hanc partem etiam Chevalier (Repertor. n. 17040.) ut hymnum specialem refert, qui in cod. saec. XV. tribuitur S. Bernardo et habetur pluries in aliis codicibus, ast sine nomine auctoris. Ex ipso etiam contextu verisimile esse videtur, vel duos hymnos fuisse in unum coniunctos, vel saltem unum insertionibus auctum.

Denique observamus, in strophis 36. et 37. verba: « Quidquid agas — Crucifixi fige plagas », et alia: « Crucifixe, fac me fortem — Ut libenter tuam mortem — Plangam, donec vixero. — Tecum volo vulnerari, — Te libenter amplexari — In cruce desidero », ita convenire cum notis versibus Sequentiae *Stabat Mater*, ut vix negari possit, auctorem unius hymni, quicumque sit, imitatum esse alterum.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Dusseldorpii*, bibliotheca Civitatis, cod. chart. in 8. saec. XV. — Hoc carmen incipit fol. 149. r. a rubrica: *Laudismus de sancta cruce, quem cecinit venerabilis Bonaventura episcopus et cardinalis cordis de visceribus. Recordare sancte crucis* etc. Desinit fol. 152. r.: *Mihi donet veniam. Amen.* — In hac nostra editione signatur littera C.

2. *Monachii*, bibliotheca Regia, cod. 9003. chart. in 4. saec. XV. ante medietatem. — Incipit fol. 210. r. Desinit ibidem v. ut in editione; additur: *Laudismus sancte crucis a fratre et domino Bonaventura ordinis Minorum, cardinali episcopo Albanensi, magistro sacre pagine et doctore eximio.* Sign. A.

3. *Ibidem*, cod. 19139. chart. in 16. saec. XV. circa finem. — Fol. 2. r.: *Incipit laudismus sancti Bonaventure de sancta cruce.* Desinit fol. 9. r. cum additione: *Explicit laudismus de sancta cruce.* Sign. B.

4. *Romae*, bibliotheca principum Corsini, cod. 41. E. 28. membr. saec. XIV. — Fol. 117. v.: *Incipiunt versus sancti*

Bernardi de laudibus sancte crucis. Desinit, ut notatur in editione pag. 668 nota 10. ad versum: *Nonam, completorium. Amen*. Sign. D.

Ex his codicibus et editione, quae est sine indicatione loci, sed, ut videtur, an. 1484 impressa, collegimus varias lectiones, quae paucae fuerunt.

II. Codices a nobis non collati.

5. *Darmstadii*, bibliotheca Ducalis, cod. 2775. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 28. r. rhythmo praemittitur haec rubrica: *Laudismus de sancta cruce, quem cecinit venerabilis Bonaventura episcopus cardinalis cordis de visceribus*. Desinit fol. 31. r.: *Mihi donet veniam. Amen*.

6. *Ibidem*, cod. 2662. chart. saec. XV. circa medietatem. — Laudismus incipit fol. 77. r. a rubrica ut in codice praecedenti. Desinit fol. 80. r.: *Mihi donet gloriam. Amen*.

7. *Ibidem*, cod. 2242. miscell. saec. XV. post medium. — Laudismus incipit fol. 49. v. ab eadem rubrica, quae legitur in praecedentibus. Desinit fol. 51. r. cum additione: *Explicit laudismus sancte crucis editus a fratre et domino Bonaventura ordinis Minorum, cardinali episcopo Albanensi, magistro sacre pagine et doctore eximio*.

8. *Erfordiae*, bibliotheca Regia, collectio Erfordiens. cod. 2. miscell. in 4. saec. XV. — Fol. non numerato r.: *Incipit laudismus de sancta cruce, quem cecinit venerabilis Bonaventura episcopus cardinalis cordis de visceribus*. Eadem repetuntur folio sequenti r. post *Explicit*.

9. *Ibidem*, collect. Amplon. cod. 147. chart. in 4. saec. XV. — Laudismus incipit fol. 38. v. sine titulo; desinit fol. 39. r. cum additione: *Explicit laudismus de sancta cruce, quem cecinit venerabilis Bonaventura episcopus cardinalis cordis de visceribus. Deo gratias*.

10. *Ibidem*, cod. 206. chart. saec. XV. — Rhythmo praemittitur: *Laudismus Bonaventure de sancta cruce*.

11. *Leodii*, bibliotheca Seminarii, cod. 6. M. 27. miscell. in 4. saec. XV. exeuntis. — Fol. non numerato circa finem voluminis legitur: *Laudismus de sancta cruce, quem cecinit venerabilis Bonaventura episcopus cardinalis cordis de visceribus*. Desinit stropha 24. ad versum: *Adhibendo studium*.

12. *Londini*, bibliotheca Cottoniana, cod. Faustina A. VI, de quo egimus supra pag. XVII n. 123. — Incipit fol. 157. cum rubrica a manu posteriore scripta: *Ritmus seu sequentia de sancta cruce*. Desinit fol. 157. r.: *corde, ore, opere* (stropha 22.).

13. *Mediolani*, bibliotheca Universitatis, cod. A. D. 25. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Laudismus incipit fol. v. non numerato sine titulo et nomine auctoris. Desinit stropha 24: *Nonam, completorium*.

14. *Oxonii*, bibliotheca Bodleiana, cod. Canonic. 303. chart. in 4. saec. XV. (1433.). — Laudismus incipit fol. 121. cum hoc titulo: *Bernardus in passione Domini. Recordare sancte crucis* etc. Desinit fol. sequenti r. hoc modo: *Duc nos ad eterne lucis — Gloriosa gaudia. Amen*. Deinde fol. eodem v. sequitur sub hac rubrica: *Istos versiculos composuit beatus Bernardus loquens de Xti passione: Recordare, frater pie, Septem vicibus in die* etc. Desinit fol. 123. r. verbis: *Donet nobis veniam. Amen*.

15. *Pelplini*, bibliotheca Seminarii, cod. V. K. a. 8. miscell. saec. XV. — Laudismus incipit fol. 1. r. sine titulo et desinit fol. seq. r. ut praecedens codex: *Duc nos ad eterne lucis — Gloriosa gaudia*.

16. *Romae*, bibliotheca principum Chisianorum, cod. G. IV. 85. miscell. saec. XV. exeuntis. — Fol. 90. v.: *Incipit liber, qui vocatur lignum vite sancti Bonaventure cardinalis. Recordare sancte crucis* etc. Desinit stropha 24. versu: *Nonam, completorium. Explicit*.

17. *Salisburgi*, bibliotheca Monasterii sancti Petri, cod. b. I. 20. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 242. r.: *Sequitur laudismus de sancta cruce, quem cecinit venerabilis Bonaventura episcopus cardinalis cordis de visceribus*. Desinit fol. 246. r.: *Mihi donet veniam. Amen*.

18. *Tiguri* in Helvetia, bibliotheca Cantonalis, cod. CLVI. membr. anni 1499. — Incipit pag. 197 sub hac indicatione: *Laudismus sancti Bonaventure de sancta cruce*. Desinit pag. 205: *Mihi donet veniam. Amen*.

19. *Ulmae*, bibliotheca Civitatis, cod. 1519. 3. XIV. E. 1. chart. saec. XV. exeuntis. — Fol. 256. v. habetur: *Laudismus de sancta cruce, quem cecinit venerabilis Bonaventura episcopus cardinalis cordis de visceribus*. Desinit fol. 257. v.: *Mihi donet veniam. Amen*.

20. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 3655. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. 43. v.: *Laudismus de sancta cruce, quem cecinit venerabilis Bonaventura episcopus cardinalis cordis de visceribus. Recordare sancte crucis* etc. Desinit fol. 46. r.: *Mihi donet veniam*.

Num. II. *Philomena*.

Hoc canticum incipit sic: *Philomena, praevia temporis amoeni*. In citato Repertorio hymnolog. tom. II. pag. 314 n. 14898, de eodem dicitur: « Vita et beneficia Christi (Ioannes Hovedenus, Ioannes Pekam) S. Bonaventura » etc. Diversis auctoribus opusculum tribuitur, de quo vide pag. 669, notam 3. Oudinus, editores Veneti, Fabricius, Sbaralea favent Ioanni Hovedeno, Anglo auctori saec. XIII. Huic recte contradicit Bonelli (Prodrom. col. 660); quod nos hac ratione confirmamus, quia iste aliam omnino composuit Philomenam. Hoc satis demonstrat cod. infra n. 15. relatus, qui in *Catalogo codicum msc. Laudianorum* (Oxonii 1858) ita describitur: « Cod. 368. membran. in 4. ff. 223 saec. XIII. XV. et XIV. quoad partem posteriorem, columnis binis, hic illic tribus exaratus » etc. Sub n. 7: « Iohannis Hoveden Londinensis poema de vita et passione Christi Philomela (sic!) dictum fol. 168 tit., Incipit Philomena vocata, scilicet meditatio Ioannis Hoveden clerici regine Anglie, de nativitate, passione et resurrectione edita, ut legentis affectio celitus accendatur. Incip.:

Ave, verbum, ens in principio,
Caro factum, pudoris gremio,
Fac quod fragret presens laudacio
Et placeris parvo praeconio ».

Desin.: « Letus amor, letus in lilio,
Qui es verbum, ens in principio ».

In calce: « Explicit meditacio Ioannis de Hovedene, clerici, que vocatur Philomena ». — In eodem codice invenitur sub n. 13. fol. 246: « Meditacio fratris Ioannis de Pekam », ut infra in elencho n. 15.

Quoad nostros codices nullus est, qui memoret illum Hovedenum; duo (infra n. 5. seq.) auctorem nominant Bernardum; unus (n. 23.), Alanum; duo (n. 15. et 26.), Pecchamum; quatuor (n. 7. 11. 19. 20.), Bonaventuram; septemdecim tacent de auctore et hi fere omnes sunt antiquiores.

Praeter Hovedenum nec Bernardus nec, ut videtur, Alanus probabilitatem habent. Remanent igitur Pecchamus et Bonaventura. In cod. n. 26. nomen Pecchami a manu posteriore additum est, in altero vero, qui videtur esse saec. XIV, est a prima manu. Quatuor illi qui favent Bonaventurae, sunt saec. XV. Hinc satis patet, auctoritate nostrorum codicum nihil de hac re certo constare posse. Quoad criteria de indole huius hymni sumta *sententiae* carminis non sunt indignae, quae Bonaventurae attribuantur, sed *stilus* secundum iudicium nostrum ei minus congruit, et hac ratione ipsum potius Pecchamo ascribendum esse videtur. — Philomena saepe versa est in linguas recentiores, in linguam Germanicam ab eminentissimo cardinali Diepenbrock, principe episcopo Vratislaviensi, et etiam ab egregio poeta Lebrecht Drewes.

Lectiones varias praecipue sumsimus ex ed. 1, quae repraesentat codicem non nominatum; contulimus etiam cod. mutilum, sub n. 12. relatum saec. XIV. ineuntis (sign. A), qui habet tantum 12 strophas, et alium Parisiensem (B), cuius paucas strophas contulit Hauréau (cfr. infra pag. 669, nota 3.).

Elenchus codicum.

1. *Asciburgii* (Aschaffenburg), bibliotheca . . . , cod. 153. chart. in 4. saec. XV. — Circa finem voluminis fol. r. non numerato est rubrica sequens: *Rigmus* (sic) *pulcher de Philomena mistica, id est anima sancta. Philomena previa temporis ameni* etc. Desinit fol. sequenti v. verbis: *Sic concede mori nos, Xte, quos lavisti. Explicit rigmus pulcher de Philomena mistica, id est de anima sancta. 1466.*

2. *Brugis*, bibliotheca maioris Seminarii, cod. 88. membr. in 8. saec. XIV. — Post opusculum de Brevitate vitae sub nomine Alcuini: *Incipiunt versus de Philomena.* Desinit fol. 32. v: *Sic concede mori, Xte, quos lavisti.* Sequitur: *Tabula de Philomena contra cultores idolorum inducta. Ante omnia accede ad eam* etc.

3. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 2196-2215. membr. saec. XIV. — Praemittitur: *Devota meditatio vel contemplatio spiritualis anime ad excitandum amorem Dei in se, facta ad comparationem nature Phylomene.* Desinit: *Nupta felicissime Regi seculorum. Explicit meditatio Philomena.* Nomen auctoris desideratur.

4. *Cantabrigae*, bibliotheca Universitatis, cod. Dd. IV. 35. in catal. 210. miscell. saec. XV. — Incipit sine titulo et nomine auctoris fol. 41. r. Desinit fol. 45.: *Ut nos cantus martiris doceat cantare. Amen.*

5. *Coloniae*, bibliotheca Civitatis, cod. I. 4. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Opusculum incipit circa medietatem voluminis fol. r. non numerato a rubrica: *Carmen de Philomena mistica b. Bernardi.* Desinit: *Sic concede mori, Xte, quos lavisti. Explicit moralisatio b. Bernardi de Philomena, quam destinat sorori suae.*

6. *Darmstadii*, bibliotheca Ducalis, cod. 80. miscell. in 8. saec. XV. exeuntis. — Carmen hoc incipit fol. 181. r.: *Philomena previa temporis ameni* etc. Desinit ut in codice praecedenti cum hac additione: *Explicit moralizatio beati Bernardi abbatis de Philomena, quam sue proprie destinavit sorori, ut patet intuenti.*

7. *Donaueschingen*, bibliotheca principis Fürstenberg, cod. 31. chart. in 4. exaratus anno 1495. — Fol. 27. r. legitur: *Philomena, aptata passioni Domini per septem horas canonicas, doctoris seraphici sancti Bonaventure.* Desinit fol. 29. r.: *Nupta felicissimo Regi seculorum. Deo gratias.*

8. *Duaci*, bibliotheca Civitatis, cod. 503. miscell. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. 168. v.: *Incipit Philomena theologie reducta ad passionem Domini.* Desinit fol. 170. v.: *Ut nos cantus martiris doceat cantare. Amen.*

9. *Gottwicii*, bibliotheca Monasterii, cod. 121. (192.) membr. in 4. saec. XIV. — Carmen incipit fol. 1. v. sine titulo et nomine auctoris: *Philomena previa temporis ameni.* Desinit fol. 5. r. verbis: *Nupta felicissimo regi seculorum. Amen.*

10. *Londini*, bibliotheca Musaei, collectio Regia, cod. 8. G. VI. miscell. in fol. saec. XV. — Post alia opera fol. 124. r. sequitur haec rubrica: *Ceterum ad excitandum mentem fidelis ad devotionem hic subiicitur tractatus de cantu Philomene mortis appropinquantis, per horas diei distincto, ubi comparatur Philomena mistice anime xtiane meditanti statum et opera Salvatoris ab incarnatione usque ad mortem. Sic igitur alloquitur tractator Philomenam: Philomena previa temporis ameni.* Desinit fol. 144. r. verbis: *Ut nos cantus martiris doceat cantare.*

11. *Lovanii*, bibliotheca Universitatis, cod. 15. A, iam descriptus supra pag. XXXI n. 100. — Hoc carmen incipit fol. 58. r. sine titulo: *Philomena previa temporis ameni.* Desinit fol. 62. v. cum additione: *Finit hoc dictamen devotissimi doctoris beati Iohannis Bonaventure de Philomena.*

12. *Moguntiae*, bibliotheca Publica, cod. 556. progress. CCCXI. membr. saec. XIV. ineuntis. — Rubrica huius carminis est fol. 37. v. his verbis: *Contemplatio sumpta a natura philomene ad conversationem Xti. Philomena previa temporis ameni* etc. Desinit incompleta fol. 38. v.: « sancte spei » (stropha 13.).

13. *Oxonii*, bibliotheca Bodleiana, cod. Rawlinson. A. 389. miscell. in fol. saec. XV. ineuntis. — Post alia opera fol. 21. r. sequitur: *De cantu Philomene. Ceterum ad excitandum mentem fidelium ad devotionem hic subiicitur tractatus devotissimus de cantu philomene mortem appropinquantis, per horas diei distincto, ubi comparatur philomena mistice anime christiane meditantis* (sic) *statum et opera Salvatoris ab incarnatione usque ad mortem. Sic igitur alloquitur tractator philomenam: Philomena previa temporis ameni* etc. Desinit fol. 25. v.: *Ut nos cantus martiris doceat cantare.*

14. *Ibidem*, cod. 348. membr. saec. XV. — Hoc carmen incipit fol. 51. a 2. versu strophae 36: *Sitim, famem, frigora, estus et sudores.* Desinit incompletum versu: *Dic, dic dulcis.* Cetera desiderantur.

15. *Ibidem*, cod. Laudian. 368. membr. in 4. plurium aetatum, saec. scilicet XIII, XIV. et XV. — Fol. 168. est *alia* Philomena Ioan. Hoveden, quae incipit: *Ave verbum;* de qua vide quae supra diximus; sequitur fol. 226. haec rubrica: *Meditatio fratris Ioannis de Peccham, quondam Cantuarie archiepiscopi,*

de ordine fratrum Minorum, que vocatur Philomena. Philomena previa temporis ameni. Desinit cum additione: *Explicit Philomena Peccham. Deo gracias.*

16. *Parisiis,* bibliotheca Nationalis, cod. 5663. membr. in 8. saec. XV. — Incipit hoc carmen fol. 37. r. sine ullo titulo et nomine auctoris: *Philomena previa temporis ameni* etc. Desinit fol. 48. v.: *Ut nos cantus martiris doceat cantare. Amen. Explicit tractatus Philomene.*

17. *Ibidem,* cod. 10710. in 12. saec. XV. — Carmen incipit fol. 111. v. absque ullo titulo et nota auctoris. Desinit fol. 120. r.: *Ut nos cantus martiris doceat cantare. Amen.*

18. *Ibidem,* bibliotheca Mazzarinea, cod. 602. miscell. in 4. saec. XV. — Philomena incipit fol. 31. v. sine ulla rubrica et desinit fol. 37. r. ut in codice praedecenti.

19. *Ibidem,* bibliotheca Arsenalis, cod. T. L. 531. miscell. saec. XV. exeuntis. — Post alia opera fol. r. non numerato: *Incipit ritmus sancti Bonaventure de mistica Philomena. Philomena previa temporis ameni* etc. Desinit fol. r.: *Ut me cantus martiris doceat amare. Explicit Bonaventura de mistica Philomena.*

20. *Salisburgi,* bibliotheca Monasterii s. Petri, cod. b. I. 20. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 223. r.: *Incipit Philomena aptata compassioni Domini per septem horas canonicas doctoris seraphici sancti Bonaventure.* Desinit fol. 233. v.: *Nupta felicissimo Regi seculorum. Amen.*

21. *Sancti Andomari,* bibliotheca Civitatis, cod. 361. chart. in 4. saec. XIV. (1373). — Fol. 150. r.: *Incipit de anima salvata, que per Philomenam intelligitur.* Desinit fol. 155. v.: *Nupta felicissimo Regi saeculorum.*

22. *Sancti Pauli* in Carinthia, bibliotheca Monasterii, cod. Hospital. 192. chart. in fol. saec. XV. — Hoc carmen incipit fol. 71. v. sine titulo et sine nomine auctoris: *Philomena previa temporis ameni* etc. Desinit fol. 173. v.: *Ut me cantus martiris doceat cantare.*

23. *Stamsii* in Tyroli, bibliotheca Monasterii, cod. 41. membr. in 8. saec. XV. — Fol. 16. r. habetur: *De Philomena Alani sub nota: Ave, vivens Hostia. Philomena brevia* (sic) *temporis ameni.* Desinit fol. 22. v.: *Ut me cantus martiris doceat cantare. Explicit Philomena Alani, poete eximii, sub nota: Ave, vivens Hostia. Epitaphium Alani poete:*

Alanum brevis hora, brevi tumulo sepelivit,
Qui duo, qui septem, qui totum scibile scivit.

24. *Veronae,* bibliotheca Civitatis, cod. 793. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 246. v. post alia opera: *Sequitur tractatus Philomene,* omisso nomine auctoris. Desinit fol. 252. v. ut in editione.

25. *Vindobonae,* bibliotheca Palatina, cod. 4547. chart. saec. XIV. exeuntis. — Hoc carmen incipit sine ullo titulo fol. 141. r.: *Philomena previa temporis ameni* etc. Desinit fol. 150. r.: *Nupta felicissimo Regi Angelorum. Amen.*

26. *Ibidem,* cod. 883. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 101. r. recens manus praemisit: *Ioh. de Pekham. Philomena previa temporis ameni* etc. Carmen multas exhibet lectiones diversas ab impressis. Desinit fol. 104. r. verbis: *Post hanc vitam suscipit Iesus et Maria.*

Alii codices notati sunt scripti post finem saec. XV, qui fere omnes Bonaventurae hymnum tribuunt.

Num. III. *De septem verbis Domini in cruce.*

Hoc canticum incipit: « Iesu, salutis hostia, salutis sacrificium »; de eo vide pag. 674, notam 3. Exstat in ed. Argentina an. 1495 et subsequentibus et etiam in *Supplemento* Bonelli, tom. III, qui usus est codice ab ipso non nominato. Ad emendandum textum adhibuimus lectiones varias collectas ex editione Bonelli, ex codice Florentino a Sbaralea transcripto et ex altero Parisiensi a nobis collato. Praeter hos codices tantum alios duos in elencho relatos cognoscimus. Nomen Bonaventurae invenitur solummodo in valde recenti cod. Parisiensi et in Salisburgensi, qui est saec. XV. exeuntis.

Deficientibus antiquioribus testimoniis, hymnus adnumerandus est dubiis opusculis. Indicatur in citato *Repertorio hymnolog.* tom. I. pag. 585 n. 9676.

Elenchus codicum.

I. Codex a nobis cum textu editionis Vaticanae collatus.

1. *Parisiis,* bibliotheca Mazzarinea, cod. 902. chart. in 8. saec. XVI. ineuntis. — Praesens opus est fol. 119. r. sub hac rubrica: *Incipit opus seraphici doctoris sancti Bonaventure valde devotum de septem verbis Domini nostri Iesu Xti in cruce. Primum verbum. Ave, salutis hostia* etc. Desinit fol. 121. v.: *Et vite donum tribuat. Amen. Explicit opus sancti Bonaventure valde devotum de septem verbis Domini nostri Iesu Xti in cruce.* Hunc solum nos ipsi contulimus.

II. Codices a nobis non collati.

2. *Monachii,* bibliotheca Regia, cod. 9084. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. 91. v.: *De septem verbis Domini in cruce. Primum verbum.* Desinit fol. 93. v.: *Et vite donum tribuat.*

3. *Salisburgi,* bibliotheca Monasterii S. Petri, cod. b. I. 20. chart. saec. XV. exeuntis. — Fol. 216. v.: *Incipit opus sancti Bonaventure valde devotum de septem verbis Domini nostri Iesu Xti in cruce. Primum verbum.* Desinit fol. 223. r.: *Et vite donum tribuat. Amen. Explicit opus de septem verbis Domini sancti Bonaventure.*

Num. IV. *Planctus de Passione Domini.*

Hic hymnus incipit: « Plange, fidelis anima », quem transcripsimus ex duobus codd. Romanis infra relatis, quorum antiquior eum attribuit Bonaventurae, alter vero S. Bernardo. Invenitur etiam annotatus in citato *Repertorio* (tom. II. pag. 318 n. 14954.) his verbis: « Passio Dom. Planctus. 32 × 4. (XIV. saec.) Mss. Grenoble 49, 76b; Marseille 67, 130; Roth, 18-20 ». Nomen auctoris ibi desideratur. Non est indignus, qui Bonaventurae tribuatur.

Elenchus codicum.

1. *Romae,* bibliotheca principum Corsiniorum, cod. 41. E. 28. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 114. v.: *Incipit meditatio beati Bonaventure de passione Domini nostri Iesu Xti. Plange, fidelis anima* etc. Desinit fol. 117. r.: *Iungaris in celestibus. Amen. Finis.* — In nostra editione signatur littera A.

2. *Ibidem,* bibliotheca Collegii sancti Isidori Hibernorum, cod. 1. 88. chart. saec. XV. — Fol. 104. r. incipit hic hymnus cum nomine D. Bernardi. Sign. B.

Num. V. *Corona B. Mariae Virginis.*

Hoc parvum Officium incipit verbis: « Cum iucunditate », de quo plura diximus pag. 677, nota 6. Separatim hymnus huius Officii: « Gaude, Virgo, Mater Christi », invenitur, ut ibi dictum est, multipliciter mutatus et auctus apud Mone (Hymni Latini, tom. II. pag. 162 seqq.) et apud Sbaraleam (Supplementum ad Scriptores etc. pag. 149). Opusculum hoc attribuitur a Sbaralea et Bonelli S. Bonaventurae, quod etiam duo codices nobis noti confirmant.

Elenchus codicum.

1. *Salisburgi,* bibliotheca Monasterii sancti Petri, cod. b. I. 20. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Hoc opus incipit fol. 53. r. cum indicatione: *Sequitur corona de beata virgine Maria ordinata a sancto Bonaventura. Cum iucunditate nominis Marie memoriam* etc. Desinit fol. 55. r. addito: *Finit corona beate virginis Marie.*

2. *Vindobonae,* bibliotheca Palatina, cod. 3655. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Incipit fol. 46. r. sub rubrica: *Corona de beata Maria virgine ordinata a sancto Bonaventura.* Desinit fol. 47. v.: *ne te nihil negans honoret. Qui cum Deo Patre* etc.

§ 8. Opportunum videtur post haec opuscula rhythmica in Appendice posita de aliis Rhythmicis editis et Bonaventurae attributis pauca dicere, quae inter *spuria* reiicienda esse censemus.

Num. I. *Officium de Compassione B. Mariae Virginis* (Vat. tom. VI. pag. 485).

Hoc opusculum incipit: « Cum Maria Virgine ». Oudinus (loc. saepe cit. tom. III. col. 407), quem sequuntur editores Veneti (Diatribae pag. 130), censet, hoc Officium esse « prorsus indignum, quod viro gravi et prudenti tribuatur ». Sbaralea (Supplementum etc. pag. 158) hoc confirmat dicens, illud esse ineptam imitationem Officii Bonaventuriani de Passione Domini et abundare phrasibus prudente et docto viro prorsus « indignis: *emplastris poenitentiae, Iudaeos in furore, moeroris moticus* etc. confertis ». Idem (pag. 50 col. II.) putat, illud esse « compositum circa annum 1422, quo Theodoricus, archiepisc. Coloniensis, in synodo contra Wiclifitas coacta inter alia decrevit, ut festum *Compassionis B. Virginis* solemniter deinceps celebretur singulis annis feria VI. post Dominicam III. Paschatis, ut etiam observavit Spondanus in continuatione Annalium ad eundem an. n. 10 ». Sed dicendum, iam antea hoc Officium fuisse compositum, cum illud occurrat in tribus codd. (n. 2. 4. 12.) infra relatis, qui tribuuntur saec. XIV. saltem exeunti. — Bonelli (Prodrom. col. 696 seqq.) nititur quidem rationes Oudini refellere, tamen ipse confitetur, hoc Officium multum differre ab alio Officio de Passione Domini et esse « incertum et dubium ». Nos vero opinamur, illud esse prorsus illegitimum, sicut nec ullo antiquo testimonio sive indiculorum sive codicum est probatum. Inter duodecim codd. infra relatos *unus* an. 1516 exaratus praefert Bonaventuram auctorem, *duo* saec. XV. Ioannem Papam XXII, *alii novem* tacent de auctore.

Elenchus codicum.

1. *Augustae Trevirorum,* bibliotheca Publica, 141. progress. 659. chart. saec. XV. *Anonym.* — 2. *Darmstadii,* bibliotheca Ducalis, 1481. chart. saec. XIV. exeuntis. *Anonym.* — 3. *Herbipoli,* bibliotheca Minorum Conventualium, I. 144. membr. saec. XV. *Anonym.* — 4. *Londini,* bibliotheca Musaei, collect. Cottoniana, Faustina A. VI. chart. saec. XIV. exeuntis. *Anonym.* — 5. *Matriti,* bibliotheca Nationalis, B. b. 158. membr. saec. XV. *Anonym.* — 6. *Sancti Galli,* bibliotheca Monasterii, 482. chart. saec. XV. *Anonym.* — 7. *Ibidem,* 485. chart. *Fecit papa Iohannes XXII.* — 8. *Sancti Pauli* in Carinthia, Blas. 76. membr. anni 1516. *A sancto Bonaventura dispositum.* — 9. *Solothurni,* bibliotheca Civitatis, (num. vacat) membr. saec. XV. *Anonym.* — 10. *Tiguri,* bibliotheca Cantonalis, CLVIII. membr. saec. XV. *Composuit Iohannes papa XXII.* — 11. *Vindobonae,* bibliotheca Palatina, 3576. chart. saec. XV. *Anonym.* — 12. *Wismariae,* bibliotheca Ducalis, O. 62. membr. saec. XIV. *Anonym.*

Num. II. *Opus contemplationis* (Vat. tom. VI. pag. 440).

Incipit: « Iesus ineffabilis ». Illud reprobat praeter Oudinum et editores Venetos etiam Sbaralea (*Supplementum* etc. pag. 158 col. II.), qui de eo dicit: « Indignum est S. Doctore, cum sit omnino leve et puerile: *Iesum laudis incurium, quae fit humana lege; Iesu miram humilitatem in eius asinatione; turbae obsequiositatem in processione; Ave Iesus, mors leaenae* etc. Quis tam misellus hodie, qui non meliora scriberet? Deinde, cum hic auctor ait: *Mariae mirabilem conceptionem absque inquinatione;* cum his quae Bonaventura III. Sententiarum libro tradit, pugnantia dicere videri posset ». — Bonelli libellum timide defendere nititur (Prodrom. col. 662), praesertim contra argumentum Sbaraleae ultimum. Cum autem etiam exteriora testimonia fine saeculi XV. anteriora desint, nos illud *Opus contemplationis* prorsus ex scriptis Bonaventurae expungendum esse putamus. Quatuor codices illud habentes inventi sunt sequioris aetatis, quorum tres auctorem nominant Bonaventuram.

Elenchus codicum.

1. *Coloniae,* bibliotheca Civitatis, I. 4. chart. saec. XV. *Anonym.* — 2. *Monachii,* bibliotheca Regia, 9084. chart. saec. XV. exeuntis. *Doctoris seraphici sancti Bonaventure.* — 3. *Ibidem,* 19132. miscell. saec. XV. exeuntis. *Sancti Bonaventure.* — 4. *Salisburgi,* bibliotheca Monasterii sancti Petri, b. I. 20. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. *Doctoris seraphici sancti Bonaventure.*

Num. III. *Carmina in Canticum* Salve Regina (Vat. tom. VI. pag. 489).

Incipit: « Salve, Virgo virginum, stella matutina, — Sordidorum criminum vera medicina, — Consolatrix hominum, qui sunt in ruina, — O vere peccaminum vera draconina »! Cum Oudino (loc. cit. col. 408) et editoribus Venetis (loc. cit. pag. 135) etiam Sbaralea (loc. cit. pag. 159) hoc carmen utpote prorsus ineptum reprobat his verbis: « Adeo insulsa sunt et infantilia, ut, nedum seraphico sanctaeque Ecclesiae Doctori, sed ne mediocri viro tribui mereantur ». Pro exemplo affert primam stropham aliasque phrases ut: *Regina regnantium, Virgo puellaris; Sacratum palatium Dei convocaris; Dulcedo dulcedinis, o clemens clementia; Damnatorum venia, stola caritatis; O pia, piissima, o dulcis, dulcissima* etc. ». — Bonelli (Prodrom. col. 663 seq.) nititur hoc carmen (quod primo impressum est Argentinae 1495) ab istis censuris defendere, sed frustra, ut nobis videtur. Quoad strophae primae vocem *draconina* idem (loc. cit. col. 176) observat, illam non esse

inauditam (ut editores Veneti dixerunt), sed significare quandam herbam medicam, quae, sicut apud Plinium (XXIV. c. 16.) *dracunculus* dicitur, apud Isidorum (XVII. Etymol. c. 9.) *dracontea*, et apud Papiam *draconera*, ita vocari potuit *draconina*, a poeta praesertim. Eam pharmacopolae post Apuleium (De virtute herbarum, c. 5.) *serpentariam* appellant etc. — Ex sequente elencho 15 codicum patet, duos tantum ad saec. XIV. pertinere, et hos non habere nomen auctoris, alios esse posteriores; inter hos tantum *quatuor* carmen tribuunt Bonaventurae.

Elenchus codicum.

1. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, 15003-48. chart. saec. XV. *Ordinata per sanctum Bonaventuram.* — 2. *Londini*, bibliotheca Musaei, collect. Arundel. 341. membr. saec. XV. *Anonym.* — 3. *Lugduni*, bibliotheca Communalis, 161. anni 1394. *Anonym.* — 4. *Mellicii*, bibliotheca Monasterii, E. 42. chart. saec. XV. *Anonym.* — 5. *Meiningen*, bibliotheca Principis, II. lat. 1. in 4. progress. 13. chart. saec. XV. ineuntis. *Anonym.* — 6. *Monachii*, bibliotheca Regia, 3661. chart. saec. XV. *Anonym.* — 7. *Ibidem*, 3702. chart. anni 1469. *Anonym.* — 8. *Ibidem*, 908. chart. saec. XV. exeuntis. *Anonym.* — 9. *Ibidem*, 10548. chart. saec. XIV. *Anonym.* — 10. *Ibidem*, 14343. membr. saec. XIV. *Anonym.* — 11. *Parisiis*, bibliotheca Mazzarinea, 902. chart. saec. XVI. ineuntis. *Ordinata per sanctum doctorem seraphicum Bonaventuram.* — 12. *Pelplini*, bibliotheca Seminarii, V. K. a. 8. miscell. saec. XV. *Anonym.* — 13. *Salisburgi*, bibliotheca Monasterii sancti Petri, b. I. 20. chart. saec. XV. exeuntis. *Ordinata per sanctum Bonaventuram.* — 14. *Sancti Galli*, bibliotheca Monasterii, 482. chart. anni 1475. *Anonym.* — 15. *Wratislaviae*, bibliotheca Universitatis, class. I. 35. chart. saec. XV. ineuntis. *Ordinata per sanctum Bonaventuram.*

Num. IV. *Laus B. Virginis Mariae* (Vat. tom. VI. pag. 491).

Incipit: « Ave caeleste lilium, — Ave rosa speciosa, — Ave mater humilium, — Superis imperiosa, — Deitatis triclinium, — Hac in valle lacrymarum — Da robur, fer auxilium, — O excusatrix culparum ». Canticum hoc ad singulas litteras Salutationis angelicae laudes octonis versibus adhibet et ex sacra Scriptura 19 figuras ad B. Mariam applicat. Cum Oudino et editoribus Venetis (locc. citt.) etiam Sbaralea (loc. cit. pag. 159 col. II.) illud gravissime censurat ut « eiusdem farinae et forsan eiusdem auctoris [cum praecedente] » et de quibusdam phrasibus dicit, « haec sunt puerilia et doctore indigna quocumque ». Bonelli vero (Prodrom. col. 661) mitius de eodem iudicat, « ut ipsam devote legentibus Doctorem seraphicum dedecere non videatur ». Revera inter phrases ineptas habentur etiam plures non spernendae sententiae. Attamen opusculum non sapit Bonaventuram nec ullo testimonio firmo roboratur.

Unicum codicem recentiorem afferre possumus, qui etiam canticum attribuit Bonaventurae.

Unicus codex opusculi.

1. *Salisburgi*, bibliotheca Monasterii sancti Petri, b. I. 20. chart. saec. XV. exeuntis. *Dictata a sancto Bonaventura secundum litteras salutationis Angelice* etc. Sic scriptor codicis.

Num. V. *Psalterium minus* (Vat. tom. VI. pag. 497).

Incipit: « Ave Virgo, vitae lignum ». Opusculum habet tres quinquagenas stropharum cum 4 versibus iuxta numerum 150 Psalmorum. Unaquaeque stropha incipit voce *Ave* ad Virginem et continet quandam allusionem ad aliquam sententiam, quae in Psalmo eiusdem numeri exprimitur. Sbaralea (loc. cit. pag. 159 col. II.) cum Oudino et editoribus Venetis opusculum hoc reprobat his verbis: « Quamquam non sit ita sordidum ut duo superiora opuscula, habet tamen sua vitia, quae Bonaventurae non convenire demonstrant: *Ave Virgo, quae laetaris — Et exsultans gloriaris, — De virtutum tot unguentis — In cubili tuae mentis. — Ave sidus principale, — Alma Dei Mater, vale — In aeternum aeternorum — Digno sono cymbalorum. — Ave Virgo et laetare, — Te in caelis imperare, — Gens et lingua omnis sciat, — In aeternum fiat, fiat. — Ave Virgo, dies festa, — Per te salver a molesta — Paupertate, qua laboro, — Mater absque viri toro.* Ista sane non dixit S. Doctor, qui adeo paupertatem amore prosequebatur et encomiis neque de illa unquam conquerebatur. Forsan hoc opusculum idem est cum *Psalterio Mariae*, quod condidit Otto Ochburgensis Suevus, episcopus Constantiensis an. 1411 electus et Frater Minorita et mortuus an. 1439, ex nova *Gallia Christiana* tom. V. ». Ultima haec Sbaraleae verba dubie dicta refelluntur codicibus infra relatis, quorum plures saec. XIV. et etiam ante eius medium exarati sunt. — Bonelli (Prodrom. col. 662) Psalterium *maius* quidem abiicit, hoc *minus* aliquo modo defendit, sed tamen dubie loquitur. Nos illud inter supposititia opera ponimus iam propter defectum idoneorum testium, licet sit compositum *saltem* in principio saec. XIV. (vide infra cod. n. 20.). Inter 28 codices omnes antiquiores sunt sine nomine auctoris (non obstat inscriptio codicis n. 3, cum sit a manu saec. XVI.). *Quatuor* tantum codd. saec. XV. (n. 5, n. 13, n. 17. [sed dubie] et n. 22.) habent nomen Bonaventurae, *duo* (n. 8. et 28.) nomen Augustini, ceteri tacent de auctore.

Elenchus codicum.

1. *Admontii*, bibliotheca Monasterii, 746. membr. saec. XV. exeuntis. *Anonym.* — 2. *Ibidem*, (numerus deest) membr. saec. XV. post medietatem. *Anonym.* — 3. *Augustae Taurinorum*, bibliotheca Universitatis, K. V. 31. membr. saec. XIV. *Anonym.*, sed manus saec. XVI. inseruit nomen *Bonaventurae.* — 4. *Augustae Taurinorum*, bibliotheca Publica, 286. progress. 688. miscell. saec. XV. *Anonym.* — 5. *Brunopoli*, bibliotheca Civitatis, 126. chart. saec. XV. ante medium. *Doctoris devoti domini Bonaventure.* — 6. *Carnuti*, bibliotheca Civitatis, 238. membr. saec. XIV. exeuntis. *Anonym.* — 7. *Cremifani*, bibliotheca Monasterii, 270. chart. saec. XV. *Anonym.* — 8. *Darmstadii*, bibliotheca Ducalis, 2242. miscell. saec. XIV. ineuntis. *Anonym.*, sed posterior manus opus tribuit *Augustino.* — 9. *Graecii*, bibliotheca Universitatis, 396. membr. saec. XIV. *Anonym.* — 10. *Ibidem*, 975. membr. saec. XIV. *Anonym.* — 11. *Lambaci*, bibliotheca Monasterii, 463. chart. saec. XV. ineuntis. *Anonym.* — 12. *Londini*, bibliotheca Musaei, collect. Arundel. 374. membr. saec. XIV. *Anonym.* — 13. *Monachii*, bibliotheca Regia, 14769. chart. saec. XV. exeuntis sub nomine *sancti Bonaventurae.* — 14. *Ibidem*, 3012. membr. saec. XV. exeuntis.

Anonym. — 15. *Ibidem,* 3702. chart. anni 1469. *Anonym.* — 16. *Ibidem,* 5362. chart. saec. XV. *Anonym.* — 17. *Ibidem,* 11922. chart. anni 1501. *Tribuitur sancto Bonaventurae* ita notavit scriptor codicis. — 18. *Ibidem,* 11335. membr. saec. XIV. *Anonym.* — 19. *Ibidem,* 14538. miscell. anni 1404. *Anonym.* — 20. *Oeniponte,* bibliotheca Universitatis, 158. membr. saec. XIV. ante medium. *Anonym.* — 21. *Pelplini,* bibliotheca Seminarii, V. K. a. 8. miscell. saec. XV. *Anonym.* — 22. *Salisburgi,* bibliotheca Monasterii sancti Petri, b. I. 20. chart. saec. XV. *Compositum a sancto Bonaventura.* — 23. *Ibidem,* a I. 20. membr. saec. XV. post medium. *Anonym.* — 24. *Ibidem,* b. X. 18. chart. saec. XV. *Anonym.* — 25. *Sancti Galli,* bibliotheca Monasterii, 485. chart. saec. XV. *Anonym.* — 26. *Sancti Pauli* in Carinthia, bibliotheca Monasterii, Blas. 45. membr. saec. XIV. *Anonym.* — 27. *Vindobonae,* bibliotheca Palatina, 4096. chart. anni 1478. *Anonym.* — 28. *Ibidem,* 4547. chart. saec. XV. ineuntis. *Editum per beatum Augustinum doctorem* etc.; sic in codice et quidem a prima manu. — Mone (Hymni Lat. tom. II. pag. 245 seqq.) usus est bibliothecae Moguntinae codice saec. XIV. Aug. n. 438, qui multas lectiones meliores et alias strophas integras huius Psalterii praebet. Non dicitur, an et quem auctorem cod. nominet.

Num. VI. *Alphabetum Religiosorum.*

In ed. Vaticana (tom. VII. pag. 564 seq.) invenitur duplex *Alphabetum:* unum, quod vocatur *boni Monachi*, scriptum oratione soluta et incipit: *Vias tuas, Domine, demonstra mihi;* alterum *Alphabetum Religiosorum* metrice scriptum, quod incipit: « Ama paupertatem ». Utrumque reprobavit Oudinus cum editoribus Venetis, approbavit vero Waddingus (Scriptores Ord. Min. pag. 51). Primum invenitur inter opera *Thomae a Kempis,* cui a Rosweido tribuitur et etiam, ut videtur, a Trithemio. Hinc Sbaralea (loc. cit. pag. 155 col. II.) primum illud censet esse dubium, quod etiam Bonelli (Prodrom. col. 680) concedit, alterum illud metricum uterque attribuit Bonaventurae. Ed. Argentina (an. 1495) et subsequentes et etiam complures codd. infra relati utrumque sub nomine S. Bonaventurae habent. Sed hi codices saec. XVI. vel saec. XV. exeunte exarati sunt, et fere omnes non legunt: *scriptum vel compositum* a Bonaventura, sed *ordinatum.* Cum autem primum illud *Alphabetum* Thomae a Kempis abiudicari non possit, utrumque Bonaventurae attribuere sustineri non potest; unde patet, illud testimonium codicum vix aliquid probare. Nos igitur neutrum *Alphabetum* esse scriptum a Bonaventurâ opinamur. Dici tamen posset cum illis codicibus, esse ab ipso *ordinatum,* eo sensu, quod doctrina Alphabeti sumta sit ex illis ordinationibus, quas diffusius proponit in *Regula novitiorum* et praecipue in libello *XXV Memorialium* et alibi. Similia opuscula, quae brevissimum summarium rerum asceticarum exhibent, plurima medio aevo facta sunt. Inter opera Bernardi (tom. III. pag. 970 seqq. ed. Veneta 1765) septem similium documentorum exstant plerumque Bernardo tributa, scilicet ex eo sive aliunde ab aliis deprompta. Ceterum haec opella est ita exigua, ut integram hoc loco referre opportunum videatur:

Alphabetum Religiosorum incipientium.

Ama paupertatem, sis vilibus contentus,
Bonis semper actibus iugiter intentus.
Cave multiloquium, studeas silere,
Deum omni tempore prae oculis habere.
Esuriem amplectere, gulam refrenando
Fratrumque convivia segniter sectando,
Gaudere cum gaudentibus, cum flentibus plorare,
Humilibus consentiens, maiores honorare,
In omnibus obediens, praelatoque parebis,
Karitatem insuper cum omnibus tenebis.
Lumbos stringe lubricos Domini timore,
Mundans cordis oculum casto cum pudore,
Nihil servans proprium, nudum sequens Christum,
Onus leve sufferens, mundum vincens istum.
Passum Christum recole corde gemebundo,
Quaerens Dei gloriam, nil aliud in mundo.
Resistendo vitiis, orando ferventer,
Sacramentum sumere debes reverenter.
Tu motum mentis comprime, iram mitigando,
Vanaque colloquia sollicite vitando.
Xto frui cupiens, cellam frequentabis,
Yesum super omnia sic dulciter amabis.
Zelo Dei fervens caritatis igne,
Et in te peccantibus ignoscas benigne.

Non nomen, sed factum, non verbum, sed adiectum facit beatum.

Elenchus codicum.

1. *Bernae* in Helvetia, bibliotheca Civitatis, cod. mss. A. 82. chart. in 16. saec. XV. exeuntis. — Habet locutionem: *ordinatum a S. Bonaventura.*

2. *Monachii,* bibliotheca Regia, cod. C. L. M. chart. in 8. saec. XVI. ineuntis. — Fol. 103. v. legitur:... *ordinatum a S. Bonaventura.*

3. *Parisiis,* bibliotheca Mazzarinea, cod. 902. chart. saec. XVI. ineuntis. — Fol. 116.: *ordinatum a S. Bonaventura.*

4. *Romae,* bibliotheca Vat., cod. II. 7563. chart. saec. XVI. — Fol. 44. r.: *ordinatum a S. Bonaventura.*

5. *Salisburgi,* bibliotheca Monasterii S. Petri, cod. b I. 20. chart. in 8. saec. XV. — Habet etiam: *ordinatum a S. Bonaventura.*

6. *Stronconii,* bibliotheca Conventus Ord. Fratr. Min. (vide Prodrom. Bonelli col. 472).

7. *Wratislaviae,* bibliotheca Universitatis, class. I. cod. 35. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. 46. r.: *ordinatum a S. Bonaventura.*

In tribus codicibus, qui ante finem saec. XV. exarati sunt et nomen habent *Bonaventurae* inscriptum, utrumque Alphabetum invenitur. Sed *Alphabetum boni monachi : Vias tuas, Domine* etiam *solum* in pluribus codicibus invenitur saec. XV. vel sine nomine auctoris (ut in sex codicibus vidimus) vel cum nomine *Thomae a Kempis,* ut in tribus sequentibus:

1. *Hagae Comitum,* bibliotheca Regia, cod. K. 99. membr. an. 1478.

2. *Leodii,* bibliotheca Seminarii, cod. E. 8. miscell. an. 1460.

3. *Monachii,* bibliotheca Regia, C. L. M. cod. 12522. membr. saec. XV. — Duo etiam iuniores codices, qui exstant Bruxellis et Massiliae, eidem opusculum tribuunt.

Num. VII. *Sententiae sententiarum* (Vat. tom. VI. pag. 114).

Hoc opusculum rhythmice scriptum, ut summa IV librorum Sententiarum facilius memoriae imprimatur, hoc loco

describimus; licet ad aliam disciplinam theologicam pertineat. Illud incipit cum prooemio:

« Fons splendoris, vas dulcoris, sed amoris
Nexus, spes floris, dos roris, dogma saporis
Verum, vita, via, mihi da quod philosophia
Tradit, Sanctorum votis praestare tuorum ».

Deinde opusculum summam omnium distinctionum quatuor Lombardi librorum strophis inaequalibus exhibet. Omnino consentimus Oudino (loc. cit. col. 403), editoribus Venetis (Diatribae pag. 102) et Sbaraleae (loc. cit. pag. 157 col. II.), qui illud esse indignum affirmant, ut Bonaventurae attribuatur. « Quis enim », ait inter alia Sbaralea, « unquam ferre possit: *Cum Simone simoniatur; qui se servifical; poena pulcretur; omnia nullantur* » etc. Auctor operis fuit quidam ex Ordine Fr. Minorum, quod duo versus ultimi insinuant: « Stigmatibus Christi signari qui meruisti — Hinc, rogo, me signa, Francisce, per haec tua signa ». Valde miramur, quod Bonelli (Prodrom. col. 558 et 174 seq.) censeat, nihil obesse, quominus illi versus Doctori seraphico adscribantur.

Impressum est hoc opusculum primo in ed. Argentina 1495 et separatim Parisiis 1508. In nonnullis saeculi XVI. indiculis attribuitur Bonaventurae, sed in nullo, quod scimus, codice.

Elenchus codicum.

1. *Monachii*, bibliotheca Regia, C. L. M. cod. 5959. membr. saec. XIV, in quo post Bonaventurae Comment. in Sententias primo est tabula contentorum et deinde fol. 95. r. hoc opusculum ut in editis, sed sine nomine auctoris, stropha tamen ultima differt a textu Vaticanae editionis. Quia in eodem volumine cum opere Bonaventuriano invenitur, occasio dari potuit suspicandi, illud eidem esse tribuendum.

2. *Hispali* in Hispania, bibliotheca Columbina, cod. Y. Tob. 130. N. 35, saec. XV. — Post tabulam IV librorum Sententiarum fol. 36. r.: *Incipit prologus in versus super IV libros Sententiarum continens eorum sententiam generalem, de quibus in sacra pagina pertractatur: O fons splendoris* etc.

3. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 946. chart. saec. XV, sine nomine auctoris.

Num. VIII. *Carmen Leoninum de doctrina proficiendi.*

Prologus: « Laus, honor, o Christe, tua gloria sit liber iste
Sitque timorosi documentum Religiosi,
Quo bene frutescat, virtutibus undique crescat,
Moribus ornetur, vivens in pace moretur,
Te duce laetetur, sit salvus, cum morietur.
Incipit libellus de doctrina viri religiosi.
Saepe recorderis, bone Frater, quod morieris » etc.

Hoc carmen satis amplum impressum est in Bonelli *Supplemento* (tom. III. col. 1168). Ipse libellum vult esse S. Bonaventurae, uno innixus codice Veronensi saec. XV, olim in bibliotheca Conventus S. Bernardini Min. Obs., qui fortasse est idem cum eo qui infra n. 3. notatur. Bonelli (Prodrom. col. 750) alios tres codd. affert: Anconitanum, Romanum Collegii S. Isidori (saec. XVII.), qui ambo auctorem nominant *Bernardum*, denique Casanatensem sine nomine auctoris. — Attamen neque Bernardo neque Bonaventurae opusculum tribuendum esse censemus, sed cuidam Fratri Minori, ut Bonelli ex quibusdam versibus satis probat. Auctor enim ex doctrina Bonaventurae, Fr. Bernardi a Bessa et, ut videtur, Fr. David ab Augusta, sententias sumsit et forma rhythmica valde inelegante induit. Nullo modo illud sapit indolem et ingenium S. Bonaventurae.

In suis commentariis P. Fidelis a Fanna praeter quoddam msc. saeculi XVI. alios tres recensuit:

1. *Darmstadii*, bibliotheca Ducalis, cod. Iesuit. Oct. (progress. CCCCVI.) miscell. diversis saeculis scriptus, in quo post *Formulam novitiorum* Fr. David ab Augusta sequitur illud carmen.

2. *Ravennae*, bibliotheca Classensis, cod. 137. S. L. in 16. saec. XV, cum nomine Bonaventurae.

3. *Veronae*, bibliotheca Civitatis, cod. 793. chart. in 4.

Articulus II. **De operibus Bonaventurae attributis, quae a viris eruditis iam saeculo praeterito communiter ut illegitima repudiata sunt.**

Post Waddingum *(Scriptores Ord. Min.)* saeculo praeterlapso quatuor viri eruditi a nobis saepissime allegati de libris in ed. Vaticana omnium operum S. Bonaventurae collectis consulto instituerunt examen, qui eorum sint genuini, qui dubii; qui certo spurii. Horum primus fuit Oudinus in suo *Commentario de Scriptoribus ecclesiasticis*, tom. III. col. 392 seqq., qui magnam horum operum partem, praesertim opusculorum asceticorum Bonaventurae abiudicavit, saepe quidem recte, sed non raro rationibus ductus prorsus insufficientibus. Oudini sententiam fere semper secuti sunt editores Veneti in sua *Diatriba* tom. I. praefixa. Deinde Sbaralea in *Supplemento ad Scriptores Ord. Min.* post eius mortem Romae an. 1806 publicato magis sobrie et docte hanc rem tractavit et pag. 144 de certis operibus, pag. 154 de dubiis et pag. 156 de spuriis ita egit, ut non pauca opuscula ab illis viris reiecta iterum Bonaventurae vindicaret. Tandem Benedictus Bonelli, cui communicata erant quae iam scripserat Sbaralea, data opera contra Oudinum et Venetos scripsit suum *Prodromum ad opera omnia S. Bonaventurae*, Bassani an. 1767, omnemque lapidem movit, ut Bonaventurae restitueret opera impugnata, immo alia adhuc inedita collegit et tribus voluminibus in suo *Supplemento ad opera omnia S. Bonaventurae*, Tridenti ab an. 1772-1774 publicavit.

Nihilominus etiam Bonelli, manifestae veritati cedens, quoad non pauca opera editionis Vaticanae tribus praedictis viris consensit et alia quidem certo supposititia, alia nonnulla saltem dubia esse censuit. Quando hoc modo illi quatuor viri eruditi conveniunt in reprobando aliquo opusculo, summa iam praesumtio stat pro eo, quod re vera illud sit illegitimum. Hanc sententiam nos plerumque roborare possumus argumentis, quae eruuntur ex testimonio plurimorum codicum, qui praedictis viris remanserunt ignoti. Agendum igitur in hoc art. est de operibus asceticis, quorum suppositio nobis simul cum praedictis quatuor viris *certa* videtur. Horum tamen sunt complura, quae non indigna sunt, ut speciali volumine publicentur. Nobis in animo est, ut, finita nostra editione operum S. Bonaventurae, etiam illa illegitima, saltem praestantiora opera iterum edamus. Tunc in praefatione illius voluminis aptior erit locus novis argumentis demonstrare, falso illos libros attributos esse Bonaventurae. Ne igitur nimis increscant Prolegomena huius tomi, hic sufficiat ea opera enumerare, addita aliqua ratione, in

quorum reprobatione illi quatuor viri inter se et etiam nobiscum vel plene vel fere consentiunt. Sufficiat etiam accurate citare solummodo *Prodromum* illum Bonelli, in quo aliorum loci iam accurate allegati sunt.

Elenchus operum asceticorum, quae certe spuria sunt.

1. *Confessionale,* quod incipit: *In Dei tabernaculo* (in ed. Vat. tom. VII. pag. 48). Reprobatur communiter ut spurium (vide Prodrom. col. 692). In ipso libro iam citantur auctores Bonaventura posteriores. Bonelli suspicatur, auctorem huius esse Fr. Marchesinum de Regio Lepide, quem etiam probabilissime esse compilatorem opusculi *Centiloquium* demonstravimus in Prolegom. ad tom. V. pag. XLVIII.

2. *De septem Itineribus aeternitatis.* Incipit: *Eum qui venit ad me* (Vat. tom. VII. pag. 145). Auctor eius est natione Germanus, nempe Rodulphus de Bibraco, qui floruit teste Waddingo (Scriptores Ord. Min. pag. 309) circa annum 1360. Cfr. Prodrom. col. 606. Eidem auctori tribuitur etiam liber *de Septem Donis Spiritus S.,* de quo iam egimus in Prolegomenis ad tom. V. pag. XL.

3. *Stimulus amoris.* Incipit: *Ad te, Domine, levavi* (Vat. tom. VII. pag. 203). Compilatum est hoc multum propagatum opusculum ex variis aliis libris, praesertim Bonaventurae et Fr. David ab Augusta. Auctor eiusdem videtur esse quidam Fr. Iacobus, Lector Mediolanensis Ord. Min. Opus mira cum varietate rei et ordine partium exhibetur in multis codd. et edd. Cfr. Prodrom. col. 703 seqq.

4. *Biblia pauperum.* Incipit: *Tanta pollet excellentia* (Vat. tom. VI. pag. 285). Est Fr. Nicolai de Hanapis Ord. Praed. et separatim editum cum eius nomine Antverpiae 1535 et Venetiis 1533. Cfr. Prodrom. col. 710.

5. *Collationes octo ad Fratres Tolosates.* Incipit: *Vide, anima mea* (Vat. tom. VII. pag. 565). Prima libelli pars sumta est ex Ubertino de Casali (Arbor vitae crucifixae); citatur in eo quoque liber de Imitatione Christi. Cfr. Prodrom. col. 702.

6. *Summa de essentia.* Incipit: *Omnipotens Deus* (Vat. tom. VII. in Append. pag. 681). Licet cum editoribus Vaticanae etiam Sbaralea et Bonelli tantum *dubitent,* an forte sit Bonaventurae, tamen certum est, opus illud existere in codicibus ante saec. X. scriptis; quod P. Fidelis a Fanna demonstravit in libro *Ratio novae collectionis* pag. 186 seq. Impressum illud est inter opera S. Augustini tom. VIII. col. 72 ed. Veneta 1733. Hauréau, Etudes et Notices (tom. VI.) opinatur, auctorem esse S. Eucherium.

7. *De sex alis Cherubim.* Incipit: *Prima ala est confessio* (Vat. tom. VII. Append. pag. 684). Cum editoribus Vaticanae etiam Bonelli adhuc dubie de hoc opusculo loquitur; sed certissime non est Bonaventurae, cum P. Fidelis illud in codicibus invenerit scriptis, antequam hic natus fuit (vide loc. cit. pag. 185 seq.). Apud Migne (Patrolog. Lat. tom. 210, col. 265 seqq.) invenitur inter opera Alani ab Insulis.

8. *Diaeta salutis.* Incipit: *Haec est via* (Vat. tom. VI. pag. 285). Communiter a memoratis viris proclamatur *spuria;* cfr. *Prodrom.* col. 700. Saepe impressa est sub Bonaventurae nomine, est tamen Fr. Gulielmi de Lanicia Ord. Min., Aquitani, ut multi codd. attestantur, quorum unus describitur a cl. P. Denifle Ord. Pr. in fasciculo *Inventarium Capituli Dertusensis.*

9. *Psalterium maius* (Vat. VI. pag. 501). Hoc defenditur iure a Bellarmino, nempe quatenus ab haereticis tanquam non *orthodoxum* et *blasphemum* traductum erat. Etiam Sbaralea (loc. cit. pag. 159) illud ut certo *spurium* reprobat, dum Bonelli (Prodrom. col. 681 seqq.) praecipue ob auctoritatem, certo non magnam, ed. Argentinae an. 1495 vult, illud *dubium* esse.

10. *Speculum B. M. Virginis.* Incipit: *Quoniam, ut ait Hieronymus* (Vat. tom. VI. pag. 450). Auctor est, teste Ioanne de Turrecremata in tractatu de Veritate Conceptionis B. M. V., « Fr. Conradus Saxon, cognomento Holzingario ». Vide Bonelli (Prodrom. col. 706), qui *rationes* Oudini recte confutat, sed quoad *conclusionem* aliis tribus criticis consentit.

11. *Theologia mystica.* Incipit: *Viae Sion lugent* (Vat. tom. VII. Append. pag. 699). Quidquid dicat Waddingus (Scriptores Ord. Min. pag. 80 ed. Romae 1806), certum est, falso illam tribui Bonaventurae. Bonelli (Prodrom. col. 677 seqq.) cum ipsis editoribus Vaticanae de genuinitate eiusdem valde dubitat tum propter manifestam differentiam stili tum propter testimonium codicum, Gersonis aliorumque, qui hanc *Theologiam mysticam* tribuunt Fr. Hugoni (alias Henrico) de Balma. Exstant adhuc ultra 50 codices, qui, exceptis nonnullis anonymis, opus tribuunt *Hugoni de Balma,* addito, quod sit Carthusianus. Paucissimi et recentes praeferunt nomen Bonaventurae. — Quia in codicibus pluribus eadem inscribitur *de Triplici Via ad sapientiam,* quem titulum etiam aliud *genuinum* opusculum Bonaventurae (infra Opusc. I.) habet, hinc error ortus esse videtur, ut illa *Theologia mystica* Bonaventurae tribueretur.

12. *De Modo confitendi et de puritate conscientiae.* Incipit: *Quoniam fundamentum* (Vat. tom. VII. Append. pag. 687). Opusculum impressum est inter opera S. Thomae (ed. Romana sub S. Pio V.), sed, teste Echardo (Script. Ord. Praed. tom. I. pag. 341), non est eius; quod nunc communiter tenetur. Iam Gerson (Tract. De Examinat. doctrinar. p. II. de pollutione diuturna fol. 215) dicit: « Notetur tractatulus, quem adscribunt aliqui S. Thomae, sed magis *apparet* ex *stilo et materia,* quod sit *Bonaventurae;* qui incipit: *Quoniam fundamentum et ianua.* Et est multum utilis ». Auctoritas Gersonis induxit Sbaraleam et Bonelli (Prodrom. col. 549), ut hunc tractatum Bonaventurae vindicaverint, atque etiam occasio fuit, ut in nonnullis libelli codicibus post Gersonem scriptis nomen *Bonaventurae* apparuerit. Sed re vera Gerson non affirmavit *absolute,* Bonaventuram esse huius tractatus auctorem, sed hoc *magis esse verisimile,* quam quod sit S. Thomae; quod quidem concedi potest. Hanc porro opinionem Gerson non tenet testimonio *traditionis,* sed « ex stilo et materia » hoc suspicatur. Reapse libellus ad neutrum pertinet, sed est magistri Matthaei a Cracovia, ut recte docet cl. Dr. Finke in articulo, quem de isto Matthaeo scripsit in opere *Kirchenlexikon* (Herder, ed. 2.) tom. VIII. col. 1029 seq. (sed ibi falso supponitur *De Modo confitendi* et *De Puritate conscientiae* esse distincta opuscula, cum sint unum et idem). Iste Matthaeus, sua aetate celeberrimus, natus circa an. 1335, promotus ad magisterium 1367, factus episcopus *Wormatiae* 1405, mortuus est an. 1410. — Hoc confirmatur testimonio multorum codicum, quorum P. Fidelis a Fanna 109 recensuit, et antiquior est an. 1398 exaratus. Magna horum pars non habet nomen auctoris, alii dubie loquuntur; codd. 31 libellum tribuunt *Matthaeo a Cracovia,* sed 38 *S. Thomae,* solummodo 10 et recentiores *S. Bonaventurae,* paucissimi vero

Henrico ab Hassia. Praeterea magni momenti est, quod in chronicis eiusdem oppidi Wormatiae tractatus attribuitur eidem Matthaeo. Nec stilus sapit Bonaventuram.

13. De alio opere non genuino, quod ab editoribus Vaticanae utpote dubium in Appendice pag. 748 positum est, obiter hic pauca adiicimus. Hoc egregium totius theologiae *Compendium* incipit: *Theologicae veritatis sublimitas*, et in tot codicibus msc. exstat, quot vix aliud opus theologicum medii aevi habet. Plurimi ab eruditis huius operis auctores habiti sunt, inter quos nominantur etiam S. Bonaventura, S. Thomas, B. Albertus, Petrus a Tarantasia, Aegidius Rom., Uldaricus, Hugo vel Thomas ab Argentina aliique. Exploratum est, quinque primo nominatis falso illud attribui. Certum tamen est, ut iam observarunt editores Vaticanae, Sbaralea et Fr. Ioannes de Combis O. Min., qui hoc *Compendium* Venetiis 1528 edidit, illud valde in doctrina conforme esse scriptis S. Bonaventurae et interdum usque ad verba manifeste inde descriptum. Cfr. Bonelli (Prodrom. col. 689), qui cum Sbaralea (Supplem. pag. 610) contendit, auctorem eiusdem esse Fr. Petrum Thomam Ord. Min.; alii tamen praeferunt Thomam ab Argentina Ord. Praed.

14. Denique *Meditationes vitae Christi* certo sunt spuriae, quod, consentientibus aliis tribus criticis, tenet et bene probat Bonelli (Prodrom. col. 697). Auctor fuit quidam Fr. Minor Etruscus, et, ut iam insinuavit Bartholomaeus Pisanus, probabilissime Fr. *Ioannes a Caulibus* (cfr. Sbaralea, Supplementum etc. pag. 404). Recte ipsae in ed. Argentina et pluribus codicibus dicuntur *Meditationes vitae Christi secundum Bonaventuram*, quatenus ex eius operibus multae sententiae sumtae sunt (cfr. Prodrom. loc. cit.).

Articulus III. De aliis opusculis asceticis non legitimis, de quorum auctore praedicti critici dissentiunt.

1. *Instructio sacerdotis ad se praeparandum ad celebrandam Missam* (Vat. tom. VII. pag. 75). Incipit: « Ad Missam celebrandam sex consideranda sunt ». Oudinus, Veneti et Sbaralea recte breve hoc opusculum inter *spuria* reiiciunt, solus Bonelli (Prodrom. col. 585) dubitat, utrum sit genuinum. Illa Instructio enim aliud non est nisi species quaedam excerpti, sumti ex egregio opusculo genuino *De praeparatione ad Missam* (infra Opusc. V.) atque minus idonee ordinati; finitur longa oratione, cuius sententiae fere acceptae sunt ex illo opere genuino. Teste Bonelli, invenitur illud insertum quibusdam codicibus et editionibus spurii libri *Stimulus amoris*, cuius auctor, qui probabilissime fuit Fr. Iacobus, Lector Mediolanensis, sententias a Bonaventura acceptas suo modo affectuoso transformavit. Ex hoc *Stimulo amoris* tale excerptum in quosdam codices et in ed. Argentinam an. 1495 transiisse videtur.

2. *Expositio Missae* (Vat. tom. VII. pag. 78). Incipit: « Christus assistens pontifex ». Inter *spuria* opera ponitur ab Oudino, editoribus Venetis et Sbaralea (loc. cit. pag. 160), qui dicit, in illa Expositione esse « quaedam, quae nullo modo Bonaventurae doctrinae convenire possunt ». Sed Bonelli (Prodrom. col. 576-583) diffuse contra Oudinum disputat, ut eam *certam* esse Bonaventurae scriptum ostendat. Testes non satis idoneos producit indiculos Mariani Florentini et Pistoriensis, auctorum saeculi XVI, et ed. Argentinam an. 1495. Etiam auctoritas codicum non favet Bonaventurae. Inter novem codices, quos novimus, antiquiores saeculi XIV. non habent nomen auctoris, *unus* (Vindobonensis Palatinus cod. mss. 3655.), qui eam tribuit Bonaventurae, est saec. XV. exeuntis. Aliqui codices textum habent diffusiorem.

3. 4. *Fascicularius* et *de Pugna spirituali contra septem vitia capitalia* (Vat. tom. VII. pag. 106 seqq. et pag. 27). Prologus primi operis incipit: « Scire debes »; opus habet duas partes, quarum prima incipit: « Ut tibi de memoria peccatorum », secunda: « Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi ». Secundum opusculum incipit: « Eia, nunc milites ». Bonelli solus (Prodrom. col. 564 seqq.) utrumque opusculum Bonaventurae vindicare nititur contra Oudinum illud reprobantem; editores Veneti illud *dubium* esse volunt. Sbaralea (loc. cit. pag. 155) recte observavit, utrumque opusculum pluries iam impressum fuisse in celebri opere *Tractatus de reformatione virium animae*, cuius auctorem esse *Gerardum de Zutphania* (Zerbolt), omnino constat, teste etiam Thoma a Kempis, qui scripsit vitam eiusdem. Ipse, natus 1367, mortuus est iam anno 1398; fuit socius Gerardi Magni Daventriensis et unus e Clericis regularibus et Fratribus vitae communis. Liber Gerardi incipit: « Homo quidam descendit », atque habet, teste Sbaralea, capp. 54 et diffusiora, quam ea quae sunt in ed. Vaticana. Tandem Sbaralea dicit: « Haereo, num Gerardus a Bonaventura acceperit et auxerit, an autem aliquis, quod *verius videri possit,* a Gerardo descripserit quam plura et Bonaventurae attribuerit; qua in re iudicium non agam, sed aliorum iudicium opperiar ». — Quanti sua aetate illud opus Gerardi et aliud simile *de Spiritualibus ascensionibus* aestimatum sit, patet ex hoc, quod haec ab aliis auctoribus magna ex parte descripta sunt, ut a Mauburno in opere *Rosetum exercitiorum spiritualium,* et inde transierint in alia opera Hispanica, ut probatum est in quodam articulo publicato in periodico *Etudes* a PP. Soc. Iesu edito (cfr. fascic. 20 Octob. 1887 pag. 200 seqq.).

Aliud opusculum *de Pugna spirituali* in ed. Argentina an. 1495 (quae primo utrumque edidit) coniunctum est cum *Fasciculario;* etiam hoc invenitur in opere Gerardi.

His praemissis, non dubitamus, quin utrumque opusculum restituendum sit Gerardo (qui tamen non paucas sententias ex variis Bonaventurae opusculis et Fr. David operibus sumsisse videtur). Defectus enim idoneorum testimoniorum, praesertim codicum, non permittit, ut illud opus Bonaventurae tribuamus. Pro Bonaventura praeter ed. Argentinam, quam etiam alias errasse iam saepe comperimus, nullum codicem afferre possumus nisi duos minimae auctoritatis, scilicet saec. XVI. ineuntis et ideo illa editione posteriores. Illum vero Gerardi Tractatum pluries habemus in antiquioribus codicibus, ut *Traiecti ad Rhenum,* bibliotheca Academiae, cod. 240. S. E. membr. in 4. saec. XV. ineuntis. Fol. non numerato: *Tractatus de reformatione virium animae, in quo continetur ut pars integralis Passio breviter collecta ad modum fasciculorum; 1. fasciculus myrrhae* etc. Desinit: *sanctis operibus dignus introire gloriam eterne beatitudinis inveniaris. Amen.* Deinde sequitur: *Bonaventure de anime dispositione ad impetrandum dulcedinem divine inspirationis: Flecto genua mea* (est Soliloquium). — *Ibidem* est aliud exemplar in cod. 288. chart. cum nomine Gerardi a manu recente.

Gottwicii, bibliotheca Monasterii, cod. 286. (progress. 467.) chart. saec. XV. Post medium voluminis fol. r. non numerato

incipit sine titulo: *Homo quidam descendebat* etc. In eo sunt duo opuscula: *Fasciculus myrrhae* et *Eia nunc milites* (De pugna spirituali).

Basileae, cod. A. II. 36. chart. saec. XV. (ante annum 1438). Fol. 133. r.: *Incipit tractatus de reformatione virium anime bonus et devotus et maxime contemplativus. Homo quidem* (sic) *descendit.* Desinit fol. 153. r. Habet fol. 147. r. verba: *De duobus veris bellatoribus necessariis. Eia nunc milites* etc. — *Ibidem* aliud exemplar in cod. A. VI. 30. chart. an. 1436.

Monachii, bibliotheca Regia, cod. 5606. chart. an. 1457. Fol. 83. v.: *Tractatus fratris Gebrandi de Colonia de spirituali exercitatione reparationis lapsus humani. Homo quidam descendebat* etc.... *Passio Christi Domini breviter ad modum fasciculorum collecta. Fasciculus myrrhe.* — *Ibidem* est cod. 3037. chart. saec. XV. praedicto similis.

Colmariae, bibliotheca Civitatis, cod. non signatus saec. XV: *Tractatus devotus de reformatione virium anime editus per dominum Gerardum de Satthama* (!), *virum magne litterature, habitus inter Clericos in communi viventes.*

Cum igitur certo constet, opus de *Reformatione virium animae* a Gerardo esse compositum saec. XIV; cum *excerptum* illud, quod cum nomine *Bonaventurae* impressum est, probari non possit esse iam antea scriptum, sed secundum codices potius post illud; cum etiam indoles et stilus excerpti nullum vestigium praebeat ingenii Bonaventuriani: satis manifestum est, praefata duo opuscula expungenda esse ex elencho librorum Bonaventurae.

5. *De tribus ternariis peccatorum infamibus* (Vat. tom. VI. pag. 279).

Incipit: «Tres sunt ternarii peccatorum infames». Opusculum hoc est fragmentum, ut praenotatum est in ed. Vaticana. Non enim in eo explicatur nisi primus ternarius de peccato *originali, mortali* et *veniali.* Desiderantur secundus, de peccato *cordis, oris* et *operis,* atque tertius, de peccatis *concupiscentiae carnis, concupiscentiae oculorum* et *superbiae vitae.* Hic defectus invenitur in omnibus codd. et edd., quarum prima est an. 1484, secunda Argentina an. 1495. In ed. Brixiensi an. 1504 et in cod. infra n. 4. relato desunt tria ultima capitula: «c. VI. De radice peccatorum, quae est amor sui; c. VII. Quare homo solus ex inferioribus creaturis possit peccare; c. VIII. Quare peccatum non vitatur, nisi prius cognoscatur». Reapse verisimile est, haec postea addita esse, sicut et verba ibi omissa: «Vide in Centiloquio de peccato veniali latius»; quae etiam ab aliis adiuncta esse videntur. Bonaventurae hoc fragmentum attribuitur in indiculis Mariani Florentini et Trithemii; Oudinus (loc. cit. col. 404) scribit, illud «esse Bonaventura non indignum»; Venetorum editorum *Diatriba* (pag. 102) negat, «lucubratiunculam hanc a Bonaventura elaboratam fuisse»; Bonelli vero (Prodrom. col. 541) vult, illud certum esse eiusdem opus. Principale argumentum ipsius est hoc: «Caput tertium (huius opusculi) ita concluditur: *Vide in Centiloquio de peccato veniali latius.* Ergo perinde certum ac ipsum Centiloquium». Attamen, cum in Prologomenis ad tom. V. (pag. XLVIII) satis demonstraverimus, *Centiloquium* esse quoddam excerptum, praecipue ex operibus Bonaventurae, sed non ab ipso, sed potius a Fr. Marchesino a Regio, saec. XIV. auctore, elaboratum; iam patet, Bonaventuram non *posse* esse huius opusculi auctorem, *si constaret,* auctorem ipsum citasse illud *Centiloquium.* — Satis bene de hoc fragmento loquitur Sbaralea (loc. cit. pag. 154 seq.) inter alia dicens: «Ambigitur porro de auctore: primum, quia interdum serpit humi nec semper stilum S. Doctoris habet; deinde verbosior est, quam solet esse Bonaventura, et quam decet esse gravem doctorem; postremo, cum egerit S. Doctor de tribus peccatorum generibus in Breviloquio et Centiloquio [ut falso putavit Sbaralea] et potissime in Comment. ad II. Sent. d. 35. et 36. [et alibi], non apparet, cur iterum scribere ea de re voluerit». Haec approbamus, concedentes, opusculum esse utile, convenire cum doctrina Bonaventurae, et quoad doctrinam non *indignum* esse Bonaventura; verumtamen nihil invenimus, quod ostendat proprietatem indolis et stili Bonaventuriani, sed potius cum Sbaralea contrarium. Editores Veneti praecipue offensi sunt voce pluries occurrente *discrasia.* Ad hoc respondet Bonelli: «Si Graeca vox *crasis* significat *temperamentum*... satis intelligitur infirmitas per *discrasiam,* quae illius est temperamenti sive proportionis destructio, eaque vox per metaphoram ad infirmitatem animae potest transferri». Nihilominus confitendum est, in scriptis genuinis Bonaventurae hanc vocem non inveniri. — Praeterea magni momenti est, quod testimonia tantum recentiora et pauca pro Bonaventura afferri possunt, scilicet duo nullius auctoritatis codices saec. XVI. ineuntis, ac duo saec. XV, quorum antiquior est qui habetur 1. *Darmstadii,* bibliotheca Ducalis, cod. 696. chart. saec. XV. ante medietatem. — 2. *Leodii,* bibliotheca Universitatis, cod. 83. miscell. an. 1503. — 3. *Monachii,* bibliotheca Regia, cod. 11929. chart. circa an. 1500 vel paulo post. — 4. *Traiecti ad Rhenum,* bibliotheca Academiae, cod. 18. chart. saec. XV. post medietatem.

His consideratis censemus, fragmentum hoc ab *alio* theologo excerptum esse ex operibus aliorum Scholasticorum, praecipue S. Bonaventurae.

6. *De resurrectione a peccato ad gratiam* (Vat. tom. VI. pag. 277).

Incipit: *Paulus Apostolus.* Oudinus (loc. cit. col. 404) de hoc et de praecedenti censet: «Utrumque abiectum ac simplex, licet Bonaventura non indignum». Mirum est, quod hac vice editores Veneti (Diatribae pag. 71 seq.), contra Oudinum insurgentes, libellum *genuinum* esse volunt, dum Sbaralea (loc. cit. pag. 158) et Bonelli (Prodrom. col. 695 seq.) illud dicunt esse *spurium,* scil. (ut primae editiones habent) «*ex dictis S. Bonaventurae excerptum,* aut *ex scriptis extractum*». Bonelli igitur refert, primas editiones factas esse Parisiis an. 1498 apud Petrum Le Dru (quam editionem invenit P. Fidelis a Fanna Cadorni in bibliotheca Civitatis) et an. 1502 typis Ioan. Gerlier, nec non Lugduni an. 1505 apud Ioan. de Platea, in qua legatur: «ex dictis S. Bonaventurae excerptus» Denique prodiit Venetiis an. 1497 cum hac additione: «ex scriptis D. Bonaventurae extractus». Etiam unicus quem novimus, cod. idem confirmat, qui est *Traiecti ad Rhenum* in bibliotheca Academiae, cod. 250. S. E. membr. in 4. saec. XV. Nam post alia opera, fol. non numerato legitur: *Tractatus de resurrectione a peccato ad gratiam, admodum utilis* EX DICTIS *S. Bonaventurae. Paulus Apostolus.* Igitur sententia Sbaraleae et Bonelli tenenda est. Opusculum non invenitur in collectionibus impressis Argentinae an. 1495 et Venetiis 1504.

7. *Exercitia quaedam spiritualia* (Vat. tom. VII. pag. 105).

Opella, non implens unam ed. Vaticanae paginam, incipit: « Ut in virtutibus conserveris », exhibet 13 exercitia brevissima et in fine quandam considerationem sumtam ex Bernardo. Haec Exercitia, pro praxi salutaria, a Sbaralea sic recensentur: « Modicum quidem et phrasi neglecta simplicique tractatum opusculum parum Bonaventura dignum videtur ». Oudinus iudicat, illud esse *spurium*, editores Veneti *dubium*, solus Bonelli (Prodrom. col. 566) *dignum Doctore nostro*. Revera, omnia illa exercitia a Bonaventura variis locis commendantur, sed etiam in opere Fr. David ab Augusta et in operibus Thomae a Kempis. Inventum est idem in 6 codicibus, qui omnes scripti sunt saec. XVI. et cum nomine *Bonaventurae*, excepto uno, *Dusseldorpii*, bibliotheca Civitatis, miscell., nondum signato saec. XV. exeuntis sine nomine auctoris, sed post opuscula Thomae a Kempis. Bonelli allegat quendam codicem bibliothecae Monasterii Pollingani (in Bavaria), in quo deest in fine locus sumtus ex Bernardo, atque etiam versionem Italicam in codice bibliothecae Riccardianae (Florentiae), in quibus opella tribuitur Bonaventurae, quod non concedi potest nisi eo sensu, quod excerpta sit ex eius operibus.

8. *De septem gradibus contemplationis* (Vat. tom. VII. p. 104).

Incipit: « Contemplativorum aquilinos obtutus acui ». Reprobatur exiguum hoc opusculum ut *spurium* ab Oudino, ab editoribus Venetis et a Sbaralea (loc. cit. pag. 161), qui cum Possevino (Apparatus sac. tom. II. voce *Humbertus*) et Echardo (Scriptores Ord. Praed. tom. I. pag. 147 col. II, sed hic non assertorie) opusculum tribuit *Humberto de Romanis*, Mag. Generali Ord. Praed., amico S. Bonaventurae; Bonelli vero (Prodrom. col. 571 seqq.) opellam vindicare vult Bonaventurae.

Sed sciendum est primo, distinctionem illorum graduum sumtam esse ex Commentario S. Bonaventurae in Lucam (tom. VII. pag. 231 n. 48.), ubi legitur: « Quidam autem, licet simplici sermone, sed non scientia, Frater Aegidius, quem frequentissime rapi probatum est, sic distinguit gradus, dicens: Septem sunt gradus contemplationis: primus est *ignis;* secundus est *unctio;* tertius est *ecstasis;* quartus, *contemplatio;* quintus, *gustus;* sextus, *requies;* septimus, *gloria;* post quos non restat nisi *felicitas sempiterna*. — His igitur septem diebus pervenitur usque ad diem octavum gloriae; quos voluit in assignatione temporis Spiritus sanctus designare » (cfr. etiam quod praecedit n. 47. 48.).

Secundo, opusculum certo est saeculi XIII, quod testantur aliqui codices illius aetatis; sed (quod hucusque ignotum fuit) habet tres *recensiones non parum differentes,* licet conveniant in distinctione graduum, in summa doctrinae, in principio libelli et hinc inde in integris propositionibus, saepe tamen quoad ordinem et locum transpositis. Unaquaeque recensio repraesentatur pluribus codicibus etiam antiquis (saec. XIV. ineuntis), qui iterum inter se quoad multas lectiones discrepant. — Textus editus videtur esse antiquior et primitivus, tum quia aliae duae recensiones manifeste laborant, ut locutionem obscuram et insolitam plerumque verbis magis consuetis et sententiis magis claris emendent, tum quia omnium antiquior cod. saec. XIII. (Vindobonensis) et maior pars codicum desinunt iisdem fere verbis ut ed. Vaticana. — Secunda recensio est prolixior et desinit aliis verbis: « manuducens et finis perficiens et consummans, cui est honor et gloria per infinita saecula saeculorum. Amen ». Sic desinunt plures alii mss. etiam saec. XIV. ineuntis, ut probat quidam cod. Matritensis. In codice Florentino bibliothecae Nationalis (sign. M. 1817. B. 8.), qui repraesentat hanc recensionem, in principio habetur haec rubrica: « Incipit quidam libellus Abbatis Vercellensis super septem gradus contemplationis, secundum quod ex inspiratione divina sanctus Frater Egidius invenit ». In hoc codice post verba: « sed etiam baiulare, lacte virgineo educare, manibus eburneis contrectare » (vide ultimam propositionem in editis) legitur additamentum non exiguum, quod incipit: « Quomodo per unum ascenditur ad alterum? Horum supradictorum graduum » etc., et desinit illis verbis iam citatis: « manuducens » etc. — Tertia recensio magis convenit cum secunda quam cum edita, est tamen brevior quam secunda, multas sententias transponit, de septimo gradu non habet nisi pauca verba, quae desinunt sic: « et aeternitatis speculum irrevelato contuitu contemplari ». Tum sequitur additamentum: « (Recapitulatio). De ordine graduum praedictorum. Ordinem graduum praedictorum resumentes dicimus, quod primo ignitur, ignita inungitur, inuncta rapitur » etc., quam propositionem et sequentem Vat. habet in principio libelli. Porro paucas lineas exhibet, quae summam praebent eorum quae recensio secunda satis diffuse explicat. Desinit autem verbis: « fit ascensus tam delectabilis quam admirabilis ». Iisdem verbis libellus desinit saltem in 25 codicibus, quorum plures sunt saec. XIV. Eorum unus (*Herbipoli*, bibliotheca Universitatis, sign. Mch. 102. chart. saec. XV.) libello praemittit epistolam incipientem: « Salutationis officio reverentiali humiliter premisso, noveritis, Domine suscipiende, quod devoti vestri domini Iohannis Herbordi instantia me sollicitavit, quatenus subscriptum contemplationis tractatulum vestre studiositati *communicarem*, quod et libens facere curavi » etc. Subscribitur epistola sic: « Iacobus, servus Iesu Christi humilisque vester ». Sequitur: « Prooemium: Contemplativorum aquilinos » etc. Desinit: « ascensus tam delectabiles quam admirabiles ». Si scriptor codicis hanc epistolam sumsisset ex antiquo codice (quod non constat), argui posset, in dicto Iacobo inveniri auctorem huius *recensionis*, licet non clare se auctorem esse dicat, sed hoc tantum insinuet verbis postea dictis: « Absit a me, ut vestre tam sapientie quam experientie quidquam doctrine superaddere pretendam ».

Inventi sunt 70 codices mss. huius opusculi (nonnulli sunt post an. 1500 exarati); antiquiores fere omnes sine nomine auctoris; 26 (duo saec. XIV.) nomen habent Bonaventurae, 5 inscribuntur Bernardo, 3 vero Abbati Vercellensi, unus saec. XIV. S. Thomae, sed a manu recentiore. Certum tamen est et ab omnibus, excepto Bonelli, concessum, stilum recensionis editae tam alienum a Bonaventuriano et exoticum esse, ut libellus ab ipso minime scriptus esse possit. Isti quidem septem gradus ab eo accepti sunt, sed explicatio est omnino aliena ab eiusdem indole. Nec probabile est, ab ipso ortam esse aliquam posteriorum recensionum, quae etiam minime eius ingenium et stilum manifestant.

9. *Amatorium* (Vat. tom. VII. pag. 250).

Incipit Prologus: « Praesens opusculum »; ipsum vero opus: « Ad te sermo meus dirigitur ». Oudinus censet, opusculum esse *spurium;* Sbaralea (loc. cit. pag. 55), esse *dubium;* Bonelli vero, *certum*, excepto *dubio* Prologo, qui a Mariano

Florentino omittitur quique re vera alienus ab indole Bonaventuriana esse apparet. Ipsum opus nihil aliud est nisi collectio locorum ex Augustino, Bernardo, Anselmo et praecipue ex Hugone a S. Victore sumtorum, ex quo in fine ultimae paginae transcriptae sunt. Opusculum primo publicatum est in ed. Argentina 1495 et deinde in aliis. Non inventus est nisi *unus* codex saec. XV. exeuntis *Giessae*, bibliotheca Universitatis, cod. M. S. IV. 725. chart. Loci collecti Ss. Patrum certe devoti et boni sunt, sed collectorem eorum fuisse Bonaventuram, non est verisimile.

10. *De remedio defectuum Religiosi* (Vat. tom. VII. pag. 669).

Incipit: « Simplicissimo animo », et est brevis epistola, continens 13 regulas devotionis. Opella reprobatur ab Oudino et editoribus Venetis; a Sbaralea (loc. cit. pag. 154) et Bonelli (Prodrom. col. 654) defenditur ut *S. Doctore dignam*, quod concedi potest, licet nec principium nec cap. XIII. sapiat Bonaventurae modum scribendi. Iam in ed. Vaticana notatum est, capitula illa, excepta praefatione, haberi etiam in spurio opere *Stimulus amoris* (in multis editionibus non *uno* loco), et a Sbaralea dicitur, ea exhiberi etiam in principio opusculi *Meditationum Fr. Iacobi, Lectoris Mediolanensis.* Hoc facile explicatur, quia fere certum est, istum Iacobum esse etiam primum compilatorem *Stimuli amoris,* qui ab aliis deinde multipliciter mutatus est. Attamen inde non sequitur, Bonaventuram esse huius opellae auctorem, cum constet, non omnes partes istius *Stimuli* esse sumtas ex genuinis libris Bonaventurae, sed etiam aliunde, omniaque a collectore fuisse varie mutata. Sententiae opellae conveniunt cum dictis in libello *Viginti quinque Memorialia* aliisque Bonaventurae libris. Probabile est, hanc epistolam postea ex *Stimulo amoris* sumtam esse, adiuncto prologo. Confirmatur haec nostra opinio, quia nullum antiquum testimonium suffragatur Bonaventurae. Unum tantum codicem saec. XV. exeuntis habemus, qui inter alia spuria opera etiam hoc habet, sed omisso prologo et etiam ultimo capitulo. Quaedam alia apographa nullius auctoritatis sunt saec. XVI. et XVII. Prima editio est Argentina 1495; invenitur etiam in catalogo Mariani Florentini, quem hic post dictam editionem scripsit. Proprium suum locum convenientius habebit in nova editione praedicti *Stimuli amoris.*

11. *Pharetra* (Vat. tom. VI. pag. 102-208).

Incipit prologus: « In conversionis meae primordio, cum ob mentis recreationem *auctoritates Sanctorum* legerem et legens varias corruptiones perciperem, placuit mihi, ut ad ipsum *fontem originalium* recurrerem et ob maiorem certitudinem ipsemet aliqua perciperem; quae postmodum, ut scivi, ordinavi » etc. Loci isti excerpti sunt secundum Bonelli computationem ex ultra 20 scriptoribus et distributi in IV libros, quorum quilibet habet multa capitula. Sbaralea (loc. cit. pag. 147) et Bonelli (Prodrom. col. 505-514) hoc opus censent esse *genuinum,* Oudinus et editores Veneti vero, *spurium.* Oudinus hanc affert rationem, quod, cum prologus (quam omnes fere codices et imprimis antiquiores habent) dicat, « in conversionis meae primordio » compilatam esse Pharetram, impossibile videatur, a *iuvene* Bonaventura tale laboriosum opus factum esse. Haec ratio maiorem vim habet, si cum Sbaralea et Bonelli recte tenemus, S. Bonaventuram aetatis suae anno 17. (non, ut ante illos communiter credebatur, anno 22.) habitum Ordinis Minorum sumsisse, et si insuper reflectimus ad supra relata verba, quae affirmant, auctorem in legendis vitiosis aliis *collectionibus auctoritatum* ad ipsa « originalia » recurrisse et meliorem collectionem fecisse. Quidquid dicat Bonelli, non est verisimile, iuvenem Bonaventuram ante inceptum studium theologiae tale opus perfecisse. Recurrendum tamen est ad auctoritatem codicum, qui hanc controversiam, ni fallimur, certo solvunt.

In commentariis P. Fidelis a Fanna descripti sunt 94 codices, quorum sufficiat hic generalem conspectum praebere. Codices fere omnes *antiqui* sunt, cum tantum 14 certo sint saec. XV, immo 26 ad saec. XIII. pertineant vel saltem illud attingant, quorum unus (*Salisburgi* in bibliotheca Monasterii, cod. IV. 34.) scriptus est 1264; eiusdem aetatis etiam alii aliqui esse videntur. Maior pars codicum est saec. XIV. ante vel post eius medietatem. In *nullo* horum 80 codicum antiquorum praefertur a prima manu nomen Bonaventurae, in valde paucis horum habetur a manu posteriore. In omnibus codicibus saec. XIII. et XIV. opus est penitus anonymum, exceptis duobus. Unus saec. XIII. cum suo apographo saec. XV. praefert nomen *Gilli* (sic) *de Gloucetre;* alter vero, qui est saec. XIV, nomen habet *Fratris Guillelmi de Furmenterie.* Porro exstat alius cod. saec. XIV, qui est *diversus ab editis,* cum inscriptione: « per quendam Dan(?) Ludovicum fratrem et monachum Carthusianum ». Alii etiam duo ab editis prorsus diversi, de quibus infra sermo erit, a Bonaventura compositi dicuntur. Denique inter illos 14 codices saec. XV. duo (unus an. 1422, alius eiusdem fere aetatis) a prima manu praeferunt nomen Bonaventurae, tertius idem habet in chartula foris affixa. — Hinc cum tres tantum *iuniores* codices pro Bonaventura testentur, praevalet silentium tot aliorum et antiquiorum, qui satis insinuant Pharetram *iam editam* ab alio auctore compositam esse.

Alia quaestio est de illa Pharetra ab edita differente, quam duo codices habent. Unus cod. est *Coloniae,* in bibliotheca Seminarii, cod. 138. chart. in 8. miscell. saec. XIV. et XV. post medium. In superiore marg. a prima manu scriptum est: « Hic liber nominatur *Pharetra,* compilatus a fratre Bonaventura Ord. Minorum, habens in se quinque distinctiones per capitula. Incipiunt capitula primi libri. De essentia eternitatis » etc. — Secundus est *Erfordiae,* bibliotheca Amploniana, cod. N. 12b. saec. XIV. ante medium, in quo deest nomen auctoris. Fol. 132. r. scriptum est a posteriore manu *Compendium theologiae.* Prologus incipit: « Desiderio meo volens satisfacere »; et desinit: « Sequentem contemplationem in quinque partes distinxi, in prima ponens ea que videntur ad Deum spectare principaliter... Liber primus. De essentia et trinitate ».

Utraque *Pharetra* habet eosdem quinque *libros* (distinctiones) et eadem *capitula.* Sed antiquior illa anonyma locos habet multo plures, quorum tamen maior pars et saepe eodem ordine habetur etiam in Coloniensi codice, praesertim in ultimis libris, non raro tamen loci referuntur brevius, et adduntur alii. Sine dubio auctor Coloniensis Pharetrae antiquius opus ante oculos habuit et in breviorem formam redegit. Minime autem credibile est, S. Bonaventuram hoc modo alienum opus sibi appropriasse, nec ullam habemus rationem attribuendi illi alteram anonymam. — Consideratis omnibus, concludendum, nec hanc nec editam Pharetram esse legitimum Bonaventurae opus.

12. Restat, ut de nonnullis illegitimis opusculis asceticis, quae tantum in *Supplemento* Bonelli habentur, pauca dicamus. Horum principale est *Ordinarium vitae religiosae,* sive *de*

Partibus domus religiosae, quod incipit: *Religio munda et immaculata*. De hoc iam supra (pag. LXXVI) diximus, illud non esse aliud quam *Regulam novitiorum* cum alio Prologo, alio ordine partium et nonnullis additis. Hic adiungimus, unicum quem novimus codicem esse *Bruxellis*, bibliotheca Regia (Ducs de Bourgogne), cod. 1612, chart. saec. XV. cum rubrica: « Incipit Ordinarium vite religiose, editum a Fratre Bonaventura cardinali de Ordine FF. Minorum ». In eo habentur multae lectiones diversae a textu edito et etiam longiora additamenta. Bonelli usus est codice Romano Collegii S. Isidori; sed erravit putans, libellum nondum esse editum. Invenitur enim in antiqua quadam collectione, cuius titulus est: « Liber eruditionis Religiosorum... et tunc compilavit magister Humbertus de Romanis, quondam Generalis Ord. Praedicatorum, quem noviter correxerunt et impressori tradiderunt Fratres Ordinis Minorum Conventus Parisiensis reformatores ».

13. *Tractatus de tribus virtutibus, humilitate, patientia et caritate* (Supplementum etc. tom. III. col. 246). Incipit: « Quae potavi de fontibus Salvatoris ». Editus est hic tractatulus ex codice Romano bibliothecae Chisianae saec. XIV. exeuntis vel XV. ineuntis, praeter quem nullus alius codex inventus est. Quidquid dicat Bonelli (ibi et Prodrom. col. 741), ut libellum *verisimiliter* esse Bonaventurae probet, profecto plura in eo non sapiunt indolem S. Bonaventurae, praesertim quod ita inepte ludit in litteris componentibus tria verba *putredo, tribulatio, caritas*.

14. 15. 16. *Cautelae ad castitatem servandam* (ibid. col. 338); de *Humano Iudicio* (col. 340); de *Silentio ad quandam monialem*. Primum est lacinea paucas tantum lineas explens, sine dubio excerpta ex aliquo de eadam materia tractatu vel sermone. Simile iudicium faciendum de secundo tractatulo. Tertium apud Bonelli est epistola ad quandam monialem, non indigna S. Doctore, qui iam alibi (de *Perfectione ad Sorores*, et *Regula ad novitios*) de eodem argumento paulo brevius scripsit. Invenitur haec epistula Bonaventurae inscripta in duobus codicibus saec. XV, sed in tertio sine forma epistolae, scilicet in bibliotheca Monasterii *Admont.* (cod. 209.), in quo habetur ut c. 2. praecedentis opusculi *de Humano Iudicio;* in quarto vero codice bibliothecae Ducalis Darmstadii opella differt ab edita in principio et fine. Hinc valde dubium est, hanc epistolam ab ipso Bonaventura esse scriptam. — Obiter notamus, duas illas *delineationes* cum titulo *Arbores de vitiis et virtutibus* (ibid. col. 225) sine sufficiente ratione Bonaventurae attribui.

17. *Legenda S. Clarae* (ibid. col. 985-1063). Nunc omnino constat, errasse Bonelli, qui hoc opus, cuius auctor certo est Fr. Thomas a Celano, attribuit S. Bonaventurae. — De aliis tertii tomi Supplementi operibus vel iam dictum est, vel alibi dicetur, scilicet de quibusdam *Orationibus*, de *Arte concionandi* variisque *Sermonibus*.

18. De tribus aliis opusculis non receptis in editionem Vaticanam nec in Supplementum Bonelli, tamen sub nomine Bonaventurae alibi impressis iam Sbaralea et Bonelli (Prodrom. col. 708 seq.) recte censuerunt, ea esse supposititia. Primum habet titulum *Pomum crucis*, editum Venetiis 1508; secundum, *Doctrina cordis*, Hispanice editum Toleti 1525 et alibi, cuius auctor est Gerardus Leodiensis Ord. Praed.; tertium, *De Castitate et munditia sacerdotum*, ter ab anno 1491 editum Lipsiae typis Conradi Kachelofen.

His adiicimus duo inedita opuscula, a nonnullis Bonaventurae falso tributa, nempe *De ortu scientiarum*, quod in multis codicibus tribuitur Fr. *Roberto Kilwardby* Ord. Praed., archiepisc. Cantuariensi, atque *Viridarium Consolationis*. De his vide Sbaraleam, loc. cit. pag. 166.

Articulus IV. **De aliis quibusdam opusculis in codicibus mss. Bonaventurae attributis, quae nunquam impressa sunt, saltem sub eiusdem nomine.**

Praescindimus a *Sermonibus*, quorum nondum editorum vix credibilis multitudo in plurimis codicibus Bonaventurae tribuitur. Horum criticum studium et examen ad ultimam horum Operum classem spectat magnamque difficultatem involvit. Sed et alia opuscula inedita plerumque ad res asceticas pertinentia examinanda erunt, quorum unum alterumque fortasse inter *dubia* opera recipi poterunt. Sed hoc examen bene fieri non potest, nisi postquam determinatum est, quinam sermones saltem probabiliter sint Bonaventurae, cum valde verisimile sit, plurium horum libellorum sententias deprómptas esse ex quodam sermone et ab alio auctore ampliatas. Hinc horum examen ultimo huius editionis tomo reservamus.

Plurima talium operum initia et specimina iam indicata sunt a P. Fideli a Fanna in parte tertia libri *Ratio novae collectionis* etc. (pag. 247), ubi habetur: « Catalogus manuscriptorum operum hucusque inventorum, quae nomen praeferunt S. Bonaventurae neque sub eius nomine hactenus edita fuerunt, sive *illa sint certa, dubia aut spuria, vel etiam aliorum sub nomine impressa* ». De his adhuc pauca dicamus.

Complures horum libellorum ipse P. Fidelis agnovit esse spurios atque alii auctori tribuendos; nonnullos in hoc iam tomo recepimus ut Additamenta; de aliis *certo spuriis* hoc loco brevissime sententiam dicamus. Spurii sunt:

1. Omnes *Tractatus* et *Commentarii philosophici* sub n. 1-14. relati (ibid. pag. 248 seqq.).

2. Opusculum: *Incipiunt Ordinationes divini Officii. De pulsatione ad horas. Ad omnes Horas canonicas* (ibi n. 19.). Hae rubricae iam ante Bonaventuram a Generali Ordinis Haymone factae sunt et promulgatae in Capitulo Bononiensi an. 1242. (cfr. P. Ehrle S. I. Archiv für Literatur-und Kirchengeschichte, tom. VI. pag. 29).

3. *Explanatio quorundam articulorum ex Constitutionibus generalibus* (n. 21.). Hanc a nobis receptam ut dubiam vide infra pag. 450, notam 4. 5. et continuationem in notis pag. 451. 452.

4. *Regulae seu Maximae theologiae* (n. 27.). Non sunt Bonaventurae, sed Alani ab Insulis.

5. *De Antichristo* (n. 31.). Non est Bonaventurae, sed, ut vult Sbaralea (loc. cit. pag. 167), « Fr. Radulphi Ord. Min., testimonio Gulielmi Vorilongi in IV. Sent. d. 48. ». Cfr. etiam ibid. pag. 624.

6. *Scala fidei (Symbolum)*. Incipit: « Funiculus *triplex* difficile rumpitur ». Recte tribuitur Fr. Ildobrandino de Tuscanellis Ord. Praed., licet Echard. (Scriptores etc. tom. I. pag. 527) huius operis non faciat mentionem.

7. *Symbolica theologia* (n. 40.). Non est Bonaventurae et inventa est in uno tantum codice.

8. *De Pietate* (n. 47.). Excerptus est hic liber ex scriptis S. Bonaventurae et infra impressus pag. 19, Additamentum III, et pag. 23, Additamentum IV.

TABULAE

COLLATORUM CODICUM ET EDITIONUM OMNIUM OPUSCULORUM

HUIUS OCTAVI TOMI.

Pro opusculo I. De triplici via.

A. Cod. Romanus (apud Spithoever) num. vacat (num. 19.[1]).
B. » Florentinus (bibliotheca Nationalis) II. II. 67. (n. 3.).
C. » Magdeburgensis (bibl. Civitatis) XII. oct. 25. (n. 4.).
D. » Monacensis I. (bibl. Regia) 2657. (n. 5.).
E. » Monacensis II. (bibl. Regia) 5950. (n. 6.).
F. » Monacensis III. (bibl. Regia) 7971. (n. 7.).
G. » Monacensis IV. (bibl. Regia) 8439. (n. 8.).
H. » Monacensis V. (bibl. Regia) 9612. (n. 9.).
I. » Monacensis VI. (bibl. Regia) 15311. (n. 10.).
K. » Monacensis VII. (bibl. Regia) 16064. (n. 11.).
L. » Monacensis VIII. (bibl. Regia) 16456. (n. 12.).
M. » Monacensis IX. (bibl. Regia) 17837. (n. 13.).
N. » Monacensis X. (bibl. Regia) 18779. (n. 14.).
O. » Monacensis XI. (bibl. Regia) 19855. (n. 15.).
P. » Monacensis XII. (bibl. Regia) 23861. (n. 16.).
Q. » Neapolitanus (bibl. Nationalis) VII. D. 43. (n. 17.).
R. » Parisiensis (bibl. Nationalis) 14976. (n. 18.).
S. » Tudertinus I. (bibl. sancti Fortunati) 174. (n. 20.).
T. » Tudertinus II. (bibl. sancti Fortunati) 182. (n. 21.).
U. » Venetus (bibl. Seminarii) F. III. 16. (n. 22.).
V. » Nostri Collegii, num. vacat. (n. 1.).
Z. » Cortonensis (bibl. Civitatis) 209. (n. 2.).
aa. » Castelli Tabernarum (bibl. Hospitalis) 20. C. progress. 43. (cfr. pag. 19, nota 13.).
bb. » Pragensis I. (bibl. Universitatis) III. D. 17. (n. 202.).
cc. » Pragensis II. (bibl. Universitatis) XIII. G. 5. (n. 203.).

Pro opusculo II. Soliloquium.

A. Cod. Monacensis I. (bibliotheca Regia) 9625. (num. 6.).
B. » Monacensis II. (bibl. Regia) 14767. (n. 7.).
C. » Monacensis III. (bibl. Regia) 14821. (n. 8.).
D. » Monacensis IV. (bibl. Regia) 16440. (n. 9.).
E. » Monacensis V. (bibl. Regia) 16512. (n. 10.).
F. » Monacensis VI. (bibl. Regia) 21412. (n. 11.).
G. » Magdeburgensis (bibl. Civitatis) XII. oct. 25. (n. 5.).
H. » Neapolitanus (bibl. Nationalis) VI. D. 33. (n. 12.).
I. » Trevirensis (bibl. Publica) 772. progress. 572. (n. 2.).
K. » Gratianopolitanus (bibl. Civitatis) 842. (n. 4.).
L. » Florentinus (bibl. Riccardiana) CCCCLXX. (n. 3.).
M. » Assisiensis (bibl. Communalis) I. V. 10. (n. 1.).

---

[1] Numeri infra parentheses inclusi indicant locos, ubi codd. in respectivis §§ describuntur.

Pro opusculo III. Lignum vitae.

A. Cod. Assisiensis I. (bibliotheca Civitatis) 23. (num. 1.).
B. » Assisiensis II. (bibl. Civitatis) 28 et alius, qui num. vacat (n. 2. et 3.).
C. » Assisiensis III. (bibl. Civitatis) num. vacat (n. 4.).
D. » Romanus I. (bibl. principum Barberini) XI. 4. (25.).
E. » Florentinus (bibl. Mediceo-Laurentiana) Plut. XIX. Dext. 10. (n. 8.).
F. » Balneoregiensis (bibl. Seminarii) num. vacat (n. 5.).
G. » Parisiensis I. (bibl. Nationalis) 14976. (n. 22.).
H. » Parisiensis II. (bibl. Mazzarinea) 902. (n. 23.).
I. » Parisiensis III. (bibl. Nationalis) 2975. (n. 24.).
L. » Lovaniensis (bibl. Universitatis) 15a. (n. 9.).
M. » Monacensis I. (bibl. Regia) 7781. (n. 11.).
N. » Monacensis II. (bibl. Regia) 9805. (n. 12.).
O. » Monacensis III. (bibl. Regia) 11430. (n. 13.).
P. » Monacensis IV. (bibl. Regia) 13102. (n. 14.).
Q. » Monacensis V. (bibl. Regia) 14831. (n. 15.).
R. » Monacensis VI. (bibl. Regia) 15312. (n. 16.).
S. » Monacensis VII. (bibl. Regia) 9598. (n. 17.).
T. » Monacensis VIII. (bibl. Regia) 21232. (n. 18.).
U. » Monacensis IX. (bibl. Regia) 23444. (n. 19.).
V. » Neapolitanus (bibl. Nationalis) VI. D. 33. (n. 21.).
W. » Tudertinus I. (bibl. Conventus sancti Fortunati) 174. (n. 27.).
X. » Tudertinus II. (bibl. Conventus sancti Fortunati) 140. (n. 28.).
Z. » Nostri Collegii I. num. vacat (n. 29.).
aa. » Romanus II. (bibl. principum Corsini) XL. E. 8. (n. 26.).
bb. » Nostri Collegii II. num. vacat (n. 6.).
cc. » Monacensis X. (bibl. Regia) 5861. (n. 20.).
dd. » Cortonensis (bibl. Communalis) 209. (n. 7.).
ee. » Magdeburgensis (bibl. Civitatis) XII. oct. 25. (n. 10.).

Pro opusculo IV. De quinque festivitatibus pueri Iesu.

A. Cod. Trevirensis I. (bibliotheca Seminarii) R. VII. 1. (num. 1.).
B. » Trevirensis II. (bibl. Publica) 774. progress. 573. (n. 2.).
C. » Trevirensis III. (bibl. Publica) 853. progress. 580. (n. 3.).
D. » Trevirensis IV. (bibl. Publica) 175. progress. 161. (n. 4.).
E. » Darmstadiensis (bibl. Ducalis) 1021. (n. 5.).
F. » Leodiensis (bibl. maioris Seminarii) 6. M. 26. (n. 6.).
G. » Monacensis (bibl. Regia) 18650. (n. 7.).

Editiones.

1. Coloniensis an. 1486.
2. Argentinensis an. 1489.

Pro opusculo V. De praeparatione ad Missam.

A. Cod. Monacensis I. (bibliotheca Regia) 3596. (num. 4.).
B. » Monacensis II. (bibl. Regia) 11887. (n. 5.).
C. » Monacensis III. (bibl. Regia) 14808. (n. 6.).
D. » Monacensis IV. (bibl. Regia) 11923. (n. 7.).
E. » Monacensis V. (bibl. Regia) 15181. (n. 8.).
F. » Monacensis VI. (bibl. Regia) 18391. (n. 9.).
G. » Monacensis VII. (bibl. Regia) 18577. (n. 10.).
H. » Monacensis VIII. (bibl. Regia) 18647. (n. 11.).

I. Cod. Monacensis IX. (bibl. Regia) 24810. (n. 12.).
K. » Monacensis X. (bibl. Regia) 9087. (n. 13.).
L. » Monacensis XI. (bibl. Regia) 18648. (n. 14.).
M. » Monacensis XII. (bibl. Regia) 6174. (n. 15.).
N. » Romanus (bibl. sancti Isidori) 88. (n. 17.).
O. » Gorlitiensis (bibl. Publica) A. B. 78. (n. 2.).
P. » Monasteriensis (bibl. Paulina) 425. (n. 16.).
Q. » Florentinus (bibl. Nationalis) C. VIII. 1165. (n. 1.).
R. » Magdeburgensis (bibl. Civitatis) XII. oct. 25. (n. 3.).

Pro opusculo VI. De perfectione vitae ad Sorores.

A. Cod. Monacensis (bibliotheca Regia) 11923. (num. 1.).
B. » Salisburgensis (bibl. Monasterii sancti Petri) b. VIII. 17. (n. 6.).
C. » Pragensis I. (bibl. Universitatis) XII. b. 16. (n. 3.).
D. » Pragensis II. (bibl. Ecclesiae metropolitanae) B. LXXIX. (n. 4.).
E. » Parisiensis (bibl. Mazzarinea) 902. (n. 2.).
F. » Pragensis III. (bibl. Ecclesiae metropolitanae) A. LXXIX. (n. 5.).

Pro opusculo VII. De regimine animae.

A. Cod. Trevirensis I. (bibliotheca Publica) 598. (761.) (num. 1.).
B. » Trevirensis II. (bibl. Publica) 271. (683.) (n. 2.).
C. » Assisiensis (bibl. Communalis) (n. 6.).
D. » Parisiensis (bibl. Mazzarinea) 902. (n. 5.).
E. » Monacensis I. (bibl. Universitatis) 15a. (n. 4.).
F. » Monacensis II. (bibl. Regia) 9068. (n. 3.).

Pro opusculo VIII. De sex alis Seraphim.

Cod. Monacensis (bibliotheca Regia) 18933. (num. 1.).

EDITIONES.

1. Argentinensis an. 1495.
2. Veneta an. 1504.

Pro opusculo IX. Officium de passione Domini.

A. Cod. Giessensis (bibliotheca Universitatis) 877. (num. 4.).
B. » Romanus (bibl. principum Burghesiorum) 54. (n. 7.).
C. » Trevirensis (bibl. Civitatis) 649. (n. 1.).
D. » Darmstadiensis (bibl. Ducalis) 1021. (n. 2.).
E. » Monacensis I. (bibl. Regia) 4649. (n. 5.).
F. » Monacensis II. (bibl. Regia) 8258. (n. 6.).
G. » Florentinus (bibl. Nationalis) stanz. 21. E. B. IX. 201. (n. 3.).

Pro opusculo X. Vitis mystica.

A. Cod. Darmstadiensis I. (bibliotheca Ducalis) 1081. (num. 1.).
B. » Darmstadiensis II. (bibl. Ducalis) eiusdem num. (n. 2.).
C. » Lentiensis (bibl. Pnblica) P. N. 6. (n. 4.).
D. » Monacensis I. (bibl. Regia) 18648. (n. 5.).
E. » Monacensis II. (bibl. Regia) 18649. (n. 6.).
F. » Zwettellensis (bibl. Monasterii) 76. (n. 8.).
G. » Gottwicensis (bibl. Monasterii) 294. (274.) (n. 3.).
H. » Vindobonensis (bibl. Palatina) 4178. (n. 7.).

EDITIONES.

1. Editio Maurina Operum S. Bernardi.
2. Bonelli, Supplement. tom. III. col. 6 seqq.

Pro opusculo XI. Apologia pauperum.

A. Cod. Florentinus I. (bibliotheca Mediceo-Laurentiana) Plut. XXVII. Dext. 9. (num. 2.).
B. » Tudertinus I. (bibl. Conventus sancti Fortunati) 174. (n. 7.).
C. » Tudertinus II. (bibl. Conventus sancti Fortunati) 64. (n. 6.).
D. » Florentinus II. (bibl. Nationalis) B. III. 1283. (n. 3.).
E. » Pragensis (bibl. Ecclesiae metropolitanae) A. LXXIX. (n. 5.).
F. » Perusinus (bibl. Communalis) E. 58. (n. 4.).
G. » Assisiensis (bibl. Communalis) 121. (n. 1.).

EDITIONES.

1. Editio sine loco, probabiliter an. 1484.
2. Romana an. 1773.

Pro opusculo XII. De tribus quaestionibus ad magistrum innominatum.

A. Cod. Wolfenbuttensis (bibliotheca Ducalis) 680. (num. 14.).
B. » Florentinus I. (bibl. Mediceo-Laurentiana) Plut. XXVII. Dext. 9. (n. 3.).
C. » Florentinus II. (bibl. Mediceo-Laurentiana) Plut. XXXI. Sin. 3. (n. 4.).
D. » Monacensis I. (bibl. Regia) 8090. (n. 5.).
E. » Monacensis II. (bibl. Regia) 23446. (n. 6.).
F. » Monacensis III. (bibl. Regia) 23595. (n. 7.).
G. » Trevirensis (bibl. Publica) 776. progress. 1268. (n. 2.).
H. » Romanus I. (bibl. principum Burghesiorum) 271. (n. 13.).
I. » Romanus II. (bibl. Collegii sancti Isidori) 5. (n. 9.).
K. » Assisiensis (bibl. Communalis) 111. (n. 1.).
L. » Parisiensis (bibl. Mazzarinea) 1129. (n. 8.).
M. » Romanus III. (bibl. Collegii sancti Isidori) 77. (n. 10.).
N. » Romanus IV. (bibl. Collegii sancti Isidori) 45. (n. 11.).
O. » Romanus V. (bibl. Collegii sancti Isidori) 84. (n. 12.).
P. » Wratislaviensis (bibl. Universitatis) Class. I. in 4. 83. (n. 29.).

EDITIONES.

1. Editio sine loco, probabiliter an. 1484.
2. Brixiensis an. 1502.

Pro opusculo XIII. Determinationes quaestionum circa Regulam Fratrum Minorum.

A. Cod. Wratislaviensis (bibliotheca Universitatis) Class. IV. 4. 12. (num. 3.).
B. » Wolfenbuttensis (bibl. Ducalis) 680. (n. 2.).
C. » Monacensis (bibl. Universitatis) 15a. (n. 1.).

EDITIO PRO PRIMA PARTE.

Veneta an. 1504.

EDITIONES PRO SECUNDA PARTE.

1. Argentinensis an. 1495.
2. Veneta an. 1504.
3. Romana an. 1773.

Pro opusculo XIV. Quare Fratres Minores praedicent et confessiones audiant.

A. Cod. Wolfenbuttensis (bibliotheca Ducalis) 550. (num. 1.).
B. » Romanus (olim bibl. Collegii sancti Isidori) (n. 2.).

EDITIONES.

1. Veneta an. 1504.
2. Romana an. 1773.

Pro opusculo XV. Epistola de sandaliis Apostolorum.

Cod. Monacensis (bibliotheca Universitatis) 15.

EDITIONES.

1. Editio sine loco, probabiliter an. 1484.
2. Veneta an. 1504.

Pro opusculo XVI. Expositio super Regulam Fratrum Minorum.

A. Cod. Romanus I. (bibliotheca Collegii sancti Isidori) 5. (num. 7.).
B. » Florentinus (bibl. Mediceo-Laurentiana) Plut. XV. Dext. 12. (n. 3.).
C. » Neapolitanus (bibl. Nationalis) VII. G. 48. (n. 4.).
D. » Trevirensis (bibl. Publica) 776. progress. 1268. (n. 1.).
E. » Romanus II. (bibl. Vaticana) 522. (n. 6.).
F. » Perusinus (bibl. Communalis) E. 58. (n. 5.).
G. » Nostri Collegii, num. vacat (n. 2.).

EDITIONES.

1. Brixiensis an. 1502.
2. Veneta an. 1504.

Pro opusculo XVII. Sermo super Regulam Fratrum Minorum.

Cod. Nostri Collegii, num. vacat.

Pro opusculo XVIII. Constitutiones Generales Narbonenses.

Cod. Romanus (bibl. Vaticana) 7339. (num. 13.).

Pro opusculo XIX. Epistolae Officiales.

Pro Epistola I.

A. Cod. Romanus I. (bibliotheca Collegii S. Isidori) 84. (num. 6.).
B. » Romanus II. (bibl. Collegii S. Isidori) 68. (n. 5.).
C. » Romanus III. (bibl. Collegii S. Isidori) 5. (n. 4.).
D. » Magdeburgensis (bibl. Civitatis) XII. oct. 2. (n. 2.).
E. » Trevirensis (bibl. Publica) 776. progress. 1258. (n. 1.).
F. » Romanus IV. (bibl. Vaticana) 480. (n. 3.).

EDITIONES PRO I. ET II. EPISTOLA.

1. Editio sine loco, probabiliter an. 1484.
2. Waddingi Annales.

Pro Epistola II.

A. Cod. Romanus I. (bibliotheca Collegii S. Isidori) 77. (num. 1.).
B. » Romanus II. (bibl. Vaticana) 480. (n. 2.).
C. » Romanus III. (bibl. Vaticana) 9403. (n. 3.).

Pro aliis Epistolis vide notam ad titulum earum, quae ad calcem posita est.

Pro opusculo XX. Regula novitiorum.

A. Cod. Romanus I. (bibliotheca Vallicelliana) F. 52. (num. 9.).
B. » Romanus II. (bibl. principum Corsini) 41. E. 28. (n. 10.).
C. » Cortonensis I. (bibl. Communalis) 204. (n. 2.).
D. » Neapolitanus (bibl. Nationalis) VII. F. 35. (n. 5.).
E. » Florentinus (bibl. Riccardiana) CCCCXLV. (n. 3.).
F. » Parisiensis (bibl. Mazzarinea) 902. (n. 6.).

G. Cod. Romanus III. (bibl. Vaticana) 8596. (n. 7.).
H. » Romanus IV. (bibl. Vaticana) 7690. (n. 8.).
I. » Monacensis (bibl. Universitatis) 15. (n. 4.).
L. » Cortonensis II. (bibl. Communalis) 45. (n. 1.).

Editio Brixiensis an. 1495.

Pro opusculo XXI. Epistola continens viginti quinque Memorialia.

A. Cod. Trevirensis I. (bibliotheca Ecclesiae cathedralis) 49. (num. 1.).
B. » Trevirensis II. (bibl. Publica) 191. progress. 668. (n. 2.).
C. » Neapolitanus (bibl. Nationalis) VII. G. 48. (n. 4.).
D. » Monasteriensis (bibl. Universitatis) 345. [580.] (n. 3.).
E. » Romanus I. (bibl. principum Barberini) XLIV. 2. (n. 5.).
F. » Romanus II. (bibl. Casanatensis) B. VI. 13. (n. 6.).
G. » Romanus III. (bibl. principum Corsini) 41. E. 28. (n. 7.).

Editio sine loco, probabiliter an. 1484.

Pro opusculo XXII. Epistola de imitatione Christi.

A. Cod. Parisiensis (bibliotheca Nationalis) 18327. (num. 3.).
B. » Neapolitanus I. (bibl. Nationalis) VII. F. 35. (n. 1.).
C. » Neapolitanus II. (bibl. Nationalis) XIV. C. 35. (n. 2.).
D. » Romanus (bibl. Collegii S. Isidori) 68. (n. 4.).

Editio Bonelli, Supplement. tom. III. col. 1132.

Pro opusculo XXIII. Legenda S. Francisci.

A. Cod. Romanus I. (bibliotheca Vaticana) 7570. (num. 10.).
B. » Assisiensis I. (bibl. Communalis) B. IX. 6. (n. 1.).
C. » Assisiensis II. (bibl. Communalis) 23. (n. 2.).
D. » Assisiensis III. (bibl. Communalis) 24. (n. 3.).
E. » Assisiensis IV. (bibl. Communalis) 98. (n. 4.).
F. » Assisiensis V. (bibl. Communalis) 110. (n. 5.).
G. » Assisiensis VI. (bibl. Communalis) 46. (n. 6.).
H. » Romanus II. (bibl. Collegii S. Isidori) 40. (n. 12.).
I. » Florentinus I. (bibl. Nationalis) C. IX. 2878. (n. 7.).
K. » Montis Alvernae (bibl. Conventus) num. vacat. (n. 9.).
L. » Romanus III. (bibl. Vaticana) 121. (n. 11.).
M. » Florentinus II. (bibl. Nationalis) C. IX. 1188. (n. 8.).

Editio Florentina an. 1509.

Pro opusculo XXIV. Legenda minor S. Francisci.

A. Cod. Romanus (bibliotheca Casanatensis) D. VI. 12. (num. 2.).
M. » Florentinus (bibl. Nationalis) C. IX. 1188. (n. 1.).

Editio Bonelli, Supplement. tom. III. col. 1064.

PRO OPUSCULIS IN APPENDICE.

Pro opusculo I. Speculum disciplinae ad novitios.

A. Cod. Neapolitanus I. (bibliotheca Nationalis) VII. F. 35. (num. 4.).
B. » Neapolitanus II. (bibl. Nationalis) VII. G. 51. (n. 5.).
C. » Monacensis I. (bibl. Regia) 8094. (n. 2.).

D. Cod. Monacensis II. (bibl. Regia) 9068. (n. 3.).
E. » Moguntinus (bibl. Publica) oct. 8. progress. CCCCVI. (n. 1.).

EDITIONES.

1. Argentinensis an. 1495.
2. Brixiensis an. 1495.

Pro opusculo II. Speculum conscientiae.

Cod. Basileensis (bibl. Publica) A. V. 38. (num. 1.).

EDITIONES.

1. Brixiensis an. 1495.
2. Argentinensis an. 1495.

Pro opusculo III. Summa de gradibus virtutum.

A. Cod. Monacensis I. (bibliotheca Regia) 11923. (num. 1.).
B. » Monacensis II. (bibl. Regia) 12296. (n. 2.).
C. » Pragensis (bibl. Universitatis) X. B. 24. (n. 3.).
D. » Wratislaviensis I. (bibl. Universitatis) I. class. in fol. 642. (n. 5.).
E. » Wratislaviensis II. (bibl. Universitatis) I. class. in fol. 657. (n. 4.).

EDITIONES.

1. Veneta 1504.
2. Veneta 1564.

Pro opusculo IV. Collatio de contemptu saeculi.

Cod. Parisiensis (bibliotheca Mazzarinea) 902. (num. 1.).

EDITIONES.

1. Veneta 1504.
2. Veneta 1564.

Pro opusculo V. Compendium de virtute humilitatis.

A. Cod. Monacensis I. (bibliotheca Regia) 18651. (num. 1.).
B. » Monacensis II. (bibl. Regia) 19817. (n. 2.).
C. » Monacensis III. (bibl. Regia) 5014. (n. 3.).
D. » Monacensis IV. (bibl. Regia) 3037. (n. 4.).
E. » Monacensis V. (bibl. Regia) 4775. (n. 5.).
F. » Monacensis VI. (bibl. Regia) 11740. (n. 6.).

EDITIO Bonelli, Supplement. tom. III. col. 228.

Pro opusculo VI. Epistola ad quendam novitium insolentem.

A. Cod. Berolinensis I. (bibliotheca Regia) theol. lat. 153. (num. 1.).
B. » Berolinensis II. (bibl. Regia) theol. lat. 172. (n. 2.).
C. » Parisiensis (bibl. Nationalis) 18327. (n. 3.).

Pro opusculis rhythmicis (VII).

Num. I. Laudismus de sancta cruce.

A. Cod. Monacensis I. (bibliotheca Regia) 9003. (num. 2.).
B. » Monacensis II. (bibl. Regia) 19139. (n. 3.).

C. Cod. Dusseldorpiensis (bibl. Civitatis) vacat signo (n. 1.).
D. » Romanus (bibl. principum Corsini) 41. E. 28. (n. 4.).

Editio sine loco, probabiliter an. 1484.

Num. II. Philomena.

A. Cod. Moguntinus (bibliotheca Publica) 556. progress. CCCXI. (num. 12.).
B. » Parisiensis (bibl. Nationalis) 1544. (vide infra pag. 669, notam 3.).

Editio Hamburgensis.

Num. III. De septem verbis Domini in cruce.

Cod. Parisiensis (bibliotheca Mazzarinea) 902. (num. 1.).

Editiones.

1. Bonelli, Supplement. col. 1163.
2. Sbaralea in Supplemento ad Scriptores Ord. Min. pag. 149.

Num. IV. Planctus de passione Domini.

A. Cod. Romanus I. (bibliotheca principum Corsini) 41. E. 28. (num. 1.).
B. » Romanus II. (bibl. Collegii sancti Isidori) 1. 88. (n. 2.).

Num. V. Corona B. Mariae Virginis.

De hoc Officio vide pag. 677, notam 6.



SERAPHICI DOCTORIS

SANCTI BONAVENTURAE

OPUSCULA MYSTICA

OPUSCULUM I.

DE TRIPLICI VIA

ALIAS INCENDIUM AMORIS

PROLOGUS [1].

riplex in- ectus spi- ialis et a- s hierar- cus.

1. *Ecce, descripsi eam tibi tripliciter* etc., Proverbiorum vigesimo secundo [2]. Cum omnis scientia gerat Trinitatis insigne, praecipue illa quae docetur in sacra Scriptura, debet in se repraesentare vestigium Trinitatis; propter quod dicit Sapiens de hac sacra doctrina, se eam tripliciter descripsisse propter triplicem ipsius intellectum spiritualem, scilicet *moralem, allegoricum* et *anagogicum* [3]. Hic autem triplex intellectus respondet triplici actui hierarchico, scilicet *purgationi, illuminationi* et *perfectioni* [4]. *Purgatio* autem ad pacem ducit, *illuminatio* ad veritatem, *perfectio* ad caritatem; quibus perfecte adeptis, anima beatificatur, et secundum quod circa haec versatur, suscipit meriti incrementum. In horum igitur trium cognitione pendet *scientia* [5] totius sacrae Scripturae, pendet etiam *meritum* vitae aeternae.

Notandum.

Sciendum est igitur, quod triplex est modus exercendi se circa hanc triplicem viam, scilicet legendo et meditando [6], orando, et contemplando.

Capitulum I.

De meditatione, qua anima purgatur, illuminatur et perficitur.

iae triplici exercen- : tria.

2. Nunc primo *meditationis* formam libet inspicere. Sciendum est igitur, quod tria sunt intra nos, secundum quorum usum in hac triplici via exercemur, scilicet *stimulus conscientiae, radius intelligentiae* et *igniculus sapientiae*. Si igitur vis *purgari*, verte te ad conscientiae stimulum; si *illuminari*, ad intelligentiae radium; si *perfici*, ad sapientiae igniculum, secundum consilium beati Dionysii

---

[1] De *titulo* huius opusculi et de prologo illo *Evigilans vero animam meam*, qui certissime spurius est, cum nec in primis editionibus nec in codicibus, exceptis tribus valde recentibus, inveniatur, vide quae diximus in Prolegomenis ad hunc tomum c. 1. a. 1. Ipsum illegitimum prologum post hoc opusculum exhibemus in additamento I. — Inscriptiones capitulorum et paragraphorum in plerisque codd. desunt, in aliis inter se non conveniunt; unde a nobis aliae aptiores textui additae sunt.

[2] Vers. 20. — Inferius pro *gerat* Vat. *debeat gerere;* subinde post *insigne* multi codd. parum bene addunt *et*, et R ponit *debeat* pro *debet.*

[3] Cfr. Breviloq. Prolog. § 4.

[4] Quem triplicem actum insinuat Dionys., de Caelesti Hierarch. c. 3. § 2; c. 7. § 3; c. 9. § 2. et c. 10. Cfr. tom. II. pag. 127, nota 2. et pag. 267, nota 4.

[5] Codd. A D E G L N O P T Z *summa*, et subinde pro *totius sacrae Scripturae* Vat. cum paucis codd. *totius theologiae*, A L O *totius theologiae vel* [L O *et*] *sacrae Scripturae.*

[6] Hugo a S. Vict., III. Erudit. didascalicae, c. 11: Meditatio principium sumit a lectione; nullis tamen regulis stringitur aut praeceptis lectionis. Delectatur enim quodam apto decurrere spatio, ubi liberam contemplandae veritati aciem affigat etc. (Cfr. eius libellum de Modo dicendi et meditandi, n. 5.). Ibid. libr. V. c. 9, describens exercitium vitae iustorum hos quinque affert gradus, scil. lectionem, meditationem, orationem, operationem et contemplationem. « Prima *lectio* intelligentiam dat, secunda *meditatio* consilium [qualiter quod faciendum intelleximus sit exsequendum] praestat, tertia *oratio* [auxilium Dei ad exsecutionem] petit, quarta *operatio* [viam ad vitam] quaerit, quinta *contemplatio* invenit [gratia illustrante, gustans *quoniam suavis est Dominus*, Ps. 33, 9.] ». — Hoc loco invenitur duplex lectio, quae ipsam opusculi divisionem triplicem respicit, quarum verior iam in antiquis edd. Argentinis ad marginem notatur. Sed maior pars codicum cum Vat. (omittens *contemplando*) habet *legendo, meditando, orando;* econtra B C G I Q V, omittentes *legendo et,* habent *meditando, orando, contemplando* (E M N S *vel contemplando*). Sed cum tertium capitulum, quod agit de *contemplatione*, inveniatur etiam in plerisque codd., qui omittunt *contemplando*, nullumque capitulum agat de lectione, lectio Vaticanae, ut iam observavit Bonelli, non potest esse genuina. Etiam pauca verba de *lectione*, quae sequuntur, sunt suspecta, cum desint in pluribus codd., qui

ad Timotheum [1], ubi eum hortatur dicens: « Verte te ad radium » etc.

§ 1.

De via purgativa et triplici eius exercitio.

Triplex exercitium ad stimulum conscientiae.

3. Ad *stimulum* autem *conscientiae* hoc modo debet homo exercere se ipsum, scilicet ut primo ipsum [2] *exasperet*, secundo *exacuat*, tertio *dirigat*. Nam exasperandus est *recordatione peccati*, exacuendus *circumspectione sui*, rectificandus *consideratione boni*.

Primo exasperetur recordatione triplicis vitii.

4. *Peccati* autem *recordatio* debet esse per hunc modum, ut se ipsum arguat animus [3] de multiplici *negligentia*, *concupiscentia* et *nequitia*. Fere omnia peccata et mala nostra, sive contracta sive acta, reduci possunt ad haec tria.

Attendenda triplex negligentia. De prima tria.

Circa *negligentiam* autem attendendum est, quod primo debet recogitare homo [4], si in se fuerit negligentia *cordis custodiendi*, *temporis expendendi* et *finis intendendi*. Haec enim tria cum summa diligentia sunt observanda, scilicet ut *cor* bene custodiatur, ut *tempus* utiliter expendatur, et ut *finis* debitus in omni opere praefigatur.

De secunda tria.

Secundo debet homo recogitare, si negligens fuerit in *oratione*, in *lectione*, in *boni operis exsecutione;* quoniam in his tribus diligentissime debet se exercere et excolere qui vult fructum bonum dare in tempore suo [5], ita quod unum horum sine alio nequaquam sufficit.

De terti[o] tria.

Tertio debet recogitare [6], si negligens fuerit ad *poenitendum*, ad *resistendum*, ad *proficiendum*. Debet enim unusquisque cum summa diligentia *deflere* mala commissa, *repellere* diabolica tentamenta, *proficere* de una virtute in aliam [7], ut sic possit pervenire ad terram promissam.

Item, trip[lex] concupisc[en]tia.

5. Circa *concupiscentiam* autem debet homo recogitare, si in se vivat concupiscentia *voluptatis*, concupiscentia *curiositatis*, concupiscentia *vanitatis*, quae sunt radices omnis mali. — Primo recogitanda est *concupiscentia voluptatis*, quae tunc vivit in homine, si est in eo appetitus *dulcium*, appetitus *mollium*, appetitus *carnalium*, hoc est, si homo quaerat *cibaria* saporosa, *vestimenta* deliciosa, *oblectamenta* luxuriosa. Quae omnia non solum reprehensibile est appetere cum consensu, sed etiam debet homo respuere [8] primo motu.

De prim[a] tria.

De secun[da] tria.

Secundo recogitanda est *concupiscentia curiositatis*, si vivat vel vixerit in homine. Hoc [9] autem deprehenditur, cum quis appetit *scire occulta*, *videre pulcra* et *habere cara*. In omnibus enim his est vitium avaritiae et curiositatis multum reprehensibile.

De terti[a] tria.

Tertio recogitanda est *concupiscentia vanitatis*, quae tunc vivit vel vixit [10] in homine, si in eo fuerit appetitus *favoris*, appetitus *laudis*, appetitus *honoris;* quae omnia vana sunt et hominem reddunt

---

legunt *contemplando*. Error ille probabiliter ortus est inde, quod primum ternarii membrum, ut in nostra lectione, fuit: *legendo et meditando;* quod confirmatur, quia infra c. 2. n. 1. omnes codd., U V Z exceptis, cum Vat. ponunt *legendo et meditando*, et c. 3. n. 1. codd. habent *contemplando*. Porro fide codd. B C G I Q V omisimus quae Vat. cum aliis codd. hic addit, scil. *Lectio est diffusior, meditatio est brevior, oratio est compendiosior* [non pauci codd. *compendiosissima;* fortasse legendum: *oratio est compendiosior, contemplatio compendiosissima*]. *Lectio enim huius triplicis viae totam continet sacram Scripturam, immo fere omnem sanam doctrinam, sicut ostensum* [L O *dictum*] *est supra in tractatu de Reductione omnium artium ad theologiam* [codd. et antiquae edd. omittunt *in tractatu* etc.].

[1] Mystica Theolog. c. 1. § 1, ubi secundum translationem Abbatis Vercellensis sic legitur: Tu autem, amice Timothee, ad hoc, quod capax fias mysticarum contemplationum... derelinque sensus et sensibilia exercitia et etiam intellectuales operationes... et sicut est tibi possibile, consurge ignote et supersubstantialiter ad unitionem Dei, qui est super omnem substantiam et cognitionem. Cum enim te ipsum et omnia per mentis excessum, nullo inferiori retinaculo praepeditus, transcenderis, ab omni concupiscentia et cura absolutus et purgatus, tunc... sursum ageris ad supersubstantialem *radium* divinae incomprehensibilitatis. Cfr. tom. V. pag. 313, nota 1. et pag. 341, nota 2. — Pro *ad Timotheum* Vat. *ad Titum*, non pauci codd. *in epistola ad Titum*, in qua tamen haec sententia non occurrit; D F H S U V *in epistola ad Timotheum;* in edd. operum Dionysii inter *epistolas* nulla ad *Timotheum* directa invenitur (Thom. de Hibernia in opere *Manipulus florum* sub verbo *Apostoli* allegat epistolam Dionysii ad Timotheum, in qua agitur de morte Petri et Pauli). Sed *liber mysticae theologiae* directus est ab ipso auctore ad *Timotheum*. Subinde E M N P legunt *Verte te ad stimulum, ad radium, ad igniculum*.

[2] Vat. cum pluribus codd. *se ipsum*, A L O S *se*, R omittit *ipsum*, legendo *primo exasperet*, quae lectio non discordat a nostra, in qua claritatis gratia retinuimus *ipsum (stimulum)*. Nostra lectio confirmatur verbis infra n. 6. in fine, n. 7. et 8. in principio positis. In seq. propositione post *Nam* L O addunt *stimulus conscientiae*, H post *exasperandus est* subiungit *stimulus*, F *peccator sive conscientiae stimulus*, D V *animus*, E G M P *homo*, et pro *rectificandus* multi codd. exhibent *dirigendus*, qui tamen inferius n. 8. ponunt *rectificandus*. Superius Vat. legit *Ad stimulum conscientiae debet homo exercere se ipsum hoc modo meditando in via purgativa, scilicet* etc.

[3] Cod. I *homo*.

[4] Codd. D F H S *quis recognoscere*.

[5] Respicitur Ps. 1, 3: Et erit tanquam lignum... quod fructum suum dabit in tempore suo. Cfr. Matth. 3, 10. et 12, 33.

[6] Codd. B R addunt *homo*, Vat. *sollicite*. Subinde pro *fuerit* plures codd. substituunt *sit*, Z *sit vel fuerit*.

[7] Psalm. 83, 8: Ibunt de virtute in virtutem. — Inferius pro *promissam* D F H *promissionis*.

[8] Plures codd. *fugere*, E *fugere et primo motu cogitationis reprehendere*.

[9] Plures codd. *Haec*. Subinde ante verba *videre* et *habere* plures codd. repetunt *appetit*, et vocibus *multum reprehensibile* R praefigit *quod*, Vat. legit *multum reprehensibile est hoc in homine*.

[10] Codd. Q U addunt *aliquando*, Vat. omittit *vel vixit*.

vanum et ita fugienda sicut concupiscentia mulierum; et de omni tali debet conscientia arguere cor humanum.

6. Circa *nequitiam* autem debet recogitare quis, si in se vigeat vel aliquando viguerit *iracundia*, aut *invidia*, aut *accidia*, quae[1] faciunt animam nequam. — Primo recogitanda est *nequitia irae*, quae consistit in *animo*, in *signo*, in *verbo*, vel in *corde*, in *facie*, in *clamore*, sive in *affectu*, in *affatu*, in *effectu*.

triplex
uitia.

prima
ia.

Secundo recogitanda est *nequitia invidiae*, quae in aliena prosperitate *tabescit*, in aliena adversitate *hilarescit*, in aliena mendicitate *refrigescit*.

ecunda
ria.

Tertio recogitanda est *nequitia accidiae*, ex qua oriuntur *suspiciones malae*, *cogitationes blasphemae*[2], *detractiones malignae*. Omnis autem talis nequitia admodum est detestanda. — Ex hac trifaria recordatione triplicata debet *exasperari stimulus conscientiae* et *anima amaricari*.

tertia
ria.

7. Viso, qualiter exasperari debeat stimulus conscientiae in recordatione peccati, videndum est, qualiter *exacuendus* sit in *circumspectione sui*. Tria autem debet homo circa se circumspicere, scilicet *diem mortis* imminentem, *sanguinem crucis*[3] recentem, *faciem iudicis* praesentem. In his enim tribus acuitur stimulus conscientiae contra omne malum.

cundo
cuatur
ici cir-
mspe-
ne sui.

— Primo namque acuitur, dum considerat *diem mortis*, quoniam est *indeterminabilis*, *inevitabilis*, *irrevocabilis*; quod si diligenter conspiciat, diligentissime laborabit, ut, *dum tempus habet*[4], purgetur ab omni negligentia, concupiscentia, nequitia. Quis enim remaneat in culpa, qui certus non est de die crastina?

idereu-
circa
em tria.

Secundo acuitur, dum considerat homo *sanguinem crucis* effusum[5] pro humano corde *excitando*, pro eodem *abluendo*, postremo pro ipso *mollificando*; vel effusum pro humana immunditia *abluenda*, morte *vivificanda*, ariditate *fecundanda*. Quis igitur tam hebes, ut permittat in se regnare culpam negligentiae vel concupiscentiae vel nequitiae, qui cogitat se perfusum illo pretiosissimo sanguine[6]?

o, circa
guinem
s tria.

Tertio acuitur[7], dum considerat *faciem iudicis*, quoniam est *infallibilis*, *inflexibilis*, *infugibilis*. Nullus enim potest *fallere* eius *sapientiam*, *inflectere* iustitiam, *effugere* vindictam. Dum ergo « nullum *bonum irremuneratum*, nullum *malum impunitum*[8] »; quis est, qui non sit acutus, si hoc considerat, contra omne malum?

Item, circa faciem iudicis tria.

8. Post haec videndum est, quomodo vel qualiter stimulus conscientiae sit *rectificandus in consideratione boni*. Tria autem sunt bona praemeditanda, in quorum acquisitione[9] rectificatur stimulus conscientiae, scilicet *strenuitas* contra negligentiam, *severitas* contra concupiscentiam, *benignitas* contra nequitiam. His enim tribus habitis, habetur conscientia bona et recta. Et hoc est quod dicit Propheta[10]: *Indicabo tibi, homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te; utique facere iudicium et diligere misericordiam et sollicitum ambulare cum Deo tuo*; ubi tanguntur ista tria praedicta. Similiter Dominus in Luca: *Sint lumbi vestri praecincti* etc.

Tertio rectificetur triplici consideratione boni.

9. Primo igitur inchoandum est a *strenuitate*, quae viam praebet aliis. Liceat autem eam sic describere: Strenuitas est quidam vigor animi, excutiens omnem *negligentiam* et disponens animas[11] ad faciendum omnia opera divina *vigilanter*, *confidenter*, *eleganter*. Haec est quae viam praebet ad omnia bona sequentia.

De strenuitate tria.

Deinde sequitur *severitas*, quae est quidam rigor[12] mentis, restringens omnem *concupiscentiam* et habilitans ad amorem *asperitatis*, *paupertatis* et *vilitatis*.

Item, de severitate.

Tertio sequitur *benignitas*, quae est quidam dulcor animae, excludens omnem *nequitiam* et habilitans ipsam animam ad *benevolentiam*, *tolerantiam* et *internam laetitiam*. Et hic est terminus *purgationis* secundum viam meditationis. Nam omnis conscientia munda laeta est et iucunda. — Qui vult ergo *purgari*, vertat se modo praedicto ad stimulum conscientiae.

Item, de benignitate.

Epilogus.

---

[1] Codd. B U V *quae omnia*, T *quae tria*. Inferius pro *irae* B R V et Vat. *iracundiae*, et pro *in clamore* U *in voce*.

[2] Codd. L O *pravae*, plures alii codd. *blasphemiae*, et deinde *delectationes* pro *detractiones*. Inferius pro *admodum* C *ad modum veneni*, qui etiam subinde post *anima* addit *poenitentis*; post *amaricari* Vat. cum nonnullis codd. *ut possit homo consequi salutem*, K R ibidem legunt *debes exasperare stimulatione* (R *stimulis*) *conscientiam et amaricare animam, ut possis consequi salutem*.

[3] Col. 1, 20: Pacificans per sanguinem crucis eius. — Vat. hic et paulo inferius *sanguinem Christi* (D *Crucifixi*).

[4] Gal. 6, 10: Ergo dum tempus habemus, operemur bonum etc. — Superius pro *conspiciat* M P R *aspiciat* (R addit *homo*), Vat. cum paucis codd. *inspiciat*.

[5] Codd. L O *crucis Christi effusum*, D *Crucifixi effusum*; U V addunt *pro genere humano erigendo* (V *redimendo et erigendo*). Inferius plures codd. omittunt *vel effusum... fecundanda*.

[6] In codd. T Z additur: *Sanguis enim Christi purificat immunditiam ad sanctificationem* [cfr. Hebr. 9, 13. seq.], *piificat duritiam ad compassionem, excitat pigritiam ad exercitationem*.

[7] Cod. N supplet *stimulus conscientiae*.

[8] Secundum August., Gregor., Boethium et Hug. a S. Vict.; cfr. tom. I. pag. 713, nota 2. et tom. IV. pag. 356, nota 6. Vocibus *bonum irremuneratum* K O interserunt *erit*, M N P *remanebit*, U *sit*. Subinde pro *si hoc* plures codd. *si haec*, B *dum haec praedicta*. Vat. cum uno alteroque cod. legit *quis non acuetur ex* [R *de*] *hac consideratione contra omne malum?*

[9] Cod. Z *consideratione*. Inferius vocibus *et recta* Vat. praefigit *munda*.

[10] Mich. 6, 8. — Subinde allegatur Luc. 12, 35.

[11] Plures codd. *animos*, Vat. cum nonnullis codd. *animam*, et subinde *bona opera* pro *opera divina*.

[12] Ita D F K M U V, alii *vigor*. Inferius post *habilitans* B addit *hominem*, Vat. *animam ac ferventem reddens eam*.

In praedicta tamen exercitatione a quolibet praemissorum inchoari potest nostra meditatio. Transeundum autem est ab uno ad aliud et tamdiu immorandum [1], quousque tranquillitas et serenitas percipiatur, ex qua oritur spiritualis iucunditas, qua adepta, promptus est animus, ut sursum tendat. Incipit ergo via ista a stimulo conscientiae et terminatur ad affectum spiritualis laetitiae, et exercetur in dolore, sed consummatur in amore.

§ 2.

De via illuminativa et triplici eius exercitio.

Triplex exercitium circa radium intelligentiae.

10. Secundo loco post viam purgativam sequitur *illuminativa*, in qua exercere se debet homo ad *radium intelligentiae* hoc ordine [2]. Nam radius ille primo est *protendendus ad mala dimissa*, secundo, *dilatandus ad beneficia commissa*, tertio, *reflectendus ad praemia promissa*. — *Protenditur* autem radius intelligentiae [3], dum sollicite pensantur *mala*, quae Dominus indulsit, quae tot sunt, quot sunt peccata, quae commisimus, et tam magna, quantis malis eramus astricti et quantis bonis digni privari. Et haec meditatio satis patet ex praecedentibus. Nec hoc solum attendendum est, sed etiam considerandum, in quanta mala *incidissemus*, si Dominus permisisset [4]. Et cum haec diligenter pensantur, per radium intelligentiae tenebrae nostrae illuminantur. Et talis illuminatio coniuncta debet esse *gratitudini affectionis*, alioquin non est illuminatio caelestis, ad cuius splendorem videmus sequi calorem. Unde hic gratiae agendae sunt pro dimissione malorum *commissorum* vel *possibilium committi* necessitate, infirmitate [5] et voluntatis perversitate.

Primo protendendus est ad mala dimissa.

Secundo, dilatandus ad triplicia beneficia commissa.

11. Secundo videndum est, qualiter iste radius *dilatetur* in consideratione *beneficiorum commissorum*, quae quidem sunt in triplici genere. Quaedam enim spectant ad *complementum naturae*, quaedam ad *adiutorium gratiae*, quaedam ad *donum superabundantiae* [6]. — Ad *complementum naturae* spectat, quod dedit Deus ex parte *corporis*: *membrorum integritatem, complexionis sanitatem, sexus nobilitatem*; ex parte *sensus* dedit *visum* perspicuum, *auditum* acutum et *sermonem* discretum; ex parte *animae* dedit *ingenium* clarum, *iudicium* rectum, *animum* bonum.

12. Ad *adiutorium gratiae* spectat, quod dedit primo gratiam *baptismalem*, qua *delevit culpam, restituit innocentiam, contulit iustitiam*, quae dignum facit vita aeterna. Secundo, quod dedit gratiam *poenitentialem* quantum ad *temporis opportunitatem, animi voluntatem, religionis sublimitatem*. Tertio, quod dedit gratiam *sacerdotalem*, per quam te fecit dispensatorem *doctrinae*, dispensatorem *indulgentiae* et dispensatorem *eucharistiae*; in quibus omnibus secundum plus et minus dispensantur verba vitae.

13. Ad *donum* autem *superabundantiae* [7] spectat, primo quod dedit *totum universum*, scilicet inferiora ad *obsequium*, paria ad *meritum*, superiora ad *patrocinium*. Secundo, quod dedit *Filium suum*, et hoc in *fratrem* et amicum, dedit in *pretium*, dat quotidie in *cibum*: primum in *incarnatione*, secundum in *passione*, tertium in *consecratione*. Tertio, quod dedit *Spiritum sanctum* in *signaculum acceptationis*, in *privilegium adoptionis*, in *anulum desponsationis*. Fecit enim animam christianam suam *amicam*, suam *filiam*, suam *sponsam*. Haec omnia mira sunt et inaestimabilia, et in talium meditatione admodum [8] anima debet esse Deo grata.

14. Ultimo circa viam illuminativam [9] videndum, qualiter iste radius intelligentiae per meditationem est *reflectendus*, ut ad fontem omnis boni revertatur, recogitando *praemia promissa*. Considerandum est ergo sollicite et frequenter pensandum, quod Deus, *qui non mentitur* [10], credentibus et diligentibus se promisit *amotionem omnium malorum, associationem*

---

[1] Codd. U V *ibi morandum*, qui etiam cum pluribus aliis codd. pro *quousque* substituunt *quod*. Subinde pro *serenitas* [N addit *mentis*] A B D E H S *securitas*, et pro *qua adepta* K R *qua accepta*.

[2] Codd. F H Z *modo*.

[3] Vat. addit *ad mala dimissa* et inferius pro *digni privari* substituit *privati*.

[4] Bernard., Serm. 2. pro Dominica 6. post Pent., n. 3: Quis enim non videat, quod, sicut in multa cecidi, sic et in alia cecidissem peccata, nisi Omnipotentis pietas me conservasset? Fateor et fatebor, nisi quia Dominus adiuvit me, paulo minus cecidisset in omne peccatum anima mea. Et haec quanta dignatio pietatis, quod ingratum et parvipendentem sic gratia conservabat, quod in multis contrarium et contemnentem nihilominus ab aliis benignissime protegebat? — Superius post *attendendum est* Vat. addit *quanta mala commisimus*. Inferius pro *talis illuminatio* K R *talis meditatio*, et pro *alioquin non est* R U V *alias non esset*.

[5] Codd. L M O P *cognita nostra infirmitate, necessitate*.

[6] Cod. F *superexcellentiae*, quam lectionem inferius etiam plures alii codd. exhibent. Subinde vocibus *ex parte*, quae ter occurrunt, nonnulli codd. praefigunt *quaedam*, et pro *sermonem discretum* D E G T V Z *sermonem disertum* (P *discretum sive disertum*).

[7] Plures codd. *superexcellentiae* (cfr. nota praecedens), L *superabundantiae et excellentiae* (M *sive excellentiae*). Inferius pro *ad patrocinium* B *ad praemium*, P *ad patrocinium sive ad praemium*. Vide tamen n. 14.

[8] Vat. *ad modum sponsae*, B legit *anima omni modo fit Deo grata*.

[9] Plures codd. *illuminantem*, U *illuminativam seu illuminantem*, T *illuminationis*, I *circa illuminationem*.

[10] Tit. 1, 2. — Inferius post *amotionem omnium malorum* M P addunt *assecutionem omnium bonorum*, quod B C E G I V Z substituunt pro *associationem omnium Sanctorum* (S *promotionem omnium bonorum*). De gaudio ex associatione vide infra Soliloquium c. 4. Subinde vocibus *in se ipso* B Q V praefigunt *et hoc* (U *et haec*), et pro *omne desiderium* Vat. cum nonnullis codd., inter quos K R, substituit *omnem desiderii dilatationem*, V *omne desiderium vel affectum*.

omnium Sanctorum, *impletionem omnium desideriorum* in se ipso, qui est fons et finis omnium bonorum, qui est tantum bonum, quod excedit omnem *petitionem*, omne *desiderium*, omnem *aestimationem*, et nos tanto bono dignos reputat, si diligimus et appetimus ipsum super omnia et propter se; et ideo cum omni desiderio et affectu et benevolentia debemus in ipsum tendere.

§ 3.

De via perfectiva et triplici eius exercitio.

15. Postremo sequitur, qualiter nos exercere debemus ad *igniculum sapientiae*. Hoc autem faciendum est hoc ordine: quia iste igniculus[1] est primo *congregandus*, secundo *inflammandus*, tertio *sublevandus*. — Congregatur autem per reductionem affectionis ab omni amore creaturae, a cuius quidem amore debet affectio revocari, quoniam amor creaturae non *proficit;* et si proficit, non *reficit;* et si reficit, non *sufficit;* et ideo omnis amor talis ab affectu debet omnino elongari.

16. Secundo, *inflammandus* est, et hoc ex *conversione affectionis super amorem Sponsi.* Et hoc quidem fit vel comparando ipsum amorem ad *se ipsum*, vel ad *affectum supernorum civium*, vel ad *ipsum Sponsum.* Tunc autem hoc facit[2], quando attendit, quod per amorem suppleri potest *omnis indigentia*, quod per amorem est in Beatis *omnis boni abundantia*, quod per amorem habetur ipsius *summe desiderabilis praesentia.* Haec sunt, quae affectum inflammant.

17. Tertio, *sublevandus* est, et hoc supra omne *sensibile*, *imaginabile* et *intelligibile*, hoc ordine, ut homo immediate de ipso, quem optat perfecte diligere, primo meditando dicat sibi, quod ille quem diligit, non est *sensibilis*, quia non est visibilis, audibilis, odorabilis, gustabilis, tangibilis, et ideo non est sensibilis, sed *totus desiderabilis*[3]. Secundo, ut cogitet, quod non est *imaginabilis*, quia non est terminabilis, figurabilis, numerabilis, circumscriptibilis, commutabilis, et ideo non est imaginabilis, sed *totus desiderabilis.* Tertio, ut cogitet, quod non est *intelligibilis,* quia non est demonstrabilis, definibilis, opinabilis, aestimabilis, investigabilis, et ideo non est intelligibilis, sed *totus desiderabilis*[4].

§ 4.

Corollarium.

18. Ex his igitur liquide patet, qualiter ad sapientiam sacrae Scripturae pervenitur meditando circa viam purgativam, illuminativam et perfectivam. Et non solum sacrae Scripturae continentia, immo etiam omnis meditatio nostra versari debet circa ista. Nam omnis meditatio sapientis aut est circa *opera humana*, cogitando[5] scilicet, quid homo fecerit et quid debeat facere, et quae sit ratio movens; aut circa *opera divina*, cogitando scilicet, quanta Deus homini *commiserit*, quia omnia propter ipsum fecit, quanta *dimiserit* et quanta *promiserit;* et in hoc clauduntur opera conditionis, reparationis et glorificationis; aut circa *utrorumque principia*, quae sunt Deus et anima, qualiter sint invicem copulanda. Et hic stare debet omnis meditatio nostra, quia hic est finis omnis cognitionis et operationis, et est sapientia vera, in qua est cognitio per veram experientiam[6]. (Triplex obiectum meditationis.)

19. In huiusmodi autem meditatione tota anima debet esse intenta, et hoc secundum omnes vires suas, scilicet secundum *rationem*, *synderesim*, *conscientiam* et *voluntatem.* Nam in huiusmodi meditatione *ratio* percunctando offert propositionem, *synderesis* sententiando profert definitionem, *conscientia* testificando infert conclusionem, *voluntas* praeeligendo defert solutionem. Verbi gratia, si quis velit[7] meditari circa viam purgativam, debet *ratio* quaerere, quid debeat fieri de homine, qui templum Dei violaverit; *synderesis* respondet, quod aut debet disperdi, aut lamentis poenitentiae purgari; *conscientia* assumit: Tu es ille: ergo vel oportet te damnari, vel poenitentiae stimulis affligi; deinde *voluntas* praeeligit, scilicet, quia[8] recusat damnationem aeternam, assumit voluntarie poenitentiae lamenta. Iuxta hunc modum in aliis viis est intelligendum. (Modus huius meditationis.)

---

[1] Vat. cum paucis codd. addit *sapientiae sollicite et diligenter.*

[2] Plures codd. et Vat. *fit*, B *homo hoc facit*, A *facit, qui attendit*, L O *fit*, *quando attendit homo quod* etc. Inferius pro *abundantia* A L O S *superabundantia*, ubi E M P prosequuntur *scilicet ipsius summe desiderabilis praesentia.*

[3] Cant. 5, 16. — Praecedens propositio integre exhibetur ab E S T, Vat., omisso *sensibilis, quia non est*, pro *et ideo non est sensibilis* (ita etiam L N P Z) substituit *aut sensibilis.* Simile recurrit in duabus seqq. propositionibus, quas ipsa praebet sic: *Secundo cogitet, quod ille quem diligendo quaerit, non est terminabilis... commutabilis, aut imaginabilis, sed totus desiderabilis. Tertio cogitet, quod ille quem diligit, non est demonstrabilis... investigabilis, aut intelligibilis, sed totus desiderabilis.*

[4] De hoc numero cfr. I. Sent. d. 22. q. 1; Itiner. mentis in Deum, c. 7; Breviloq. p. V. c. 6.

[5] Plurimi codd. hic et paulo inferius pro *cogitando* legunt *cogitanda*, E *meditando.* Subinde pro *quae sit ratio* A D F H S U *quid sit ratio.*

[6] Cfr. III. Sent. d. 35. q. 1. — Superius vocibus *et est* D H interserunt *hoc*, E K N O U *haec.*

[7] Plures codd. *vult*, et inferius pro *respondet, quod* non pauci codd. *respondet, quia.*

[8] Codd. I M P *quae.* Subinde pro *recusat* E M N P U V *refugit*, et pro *intelligendum* Vat. cum nonnullis codd. *incedendum.*

Capitulum II.

De oratione, qua deploratur miseria, imploratur misericordia, exhibetur latria.

1. Postquam diximus, qualiter ad sapientiam veram pervenitur legendo et[1] meditando, dicendum, qualiter ad ipsam pervenitur *orando*. Sciendum autem est, quod in oratione sunt tres gradus sive partes. Primus est *deploratio miseriae;* secundus, *imploratio misericordiae;* tertius, *exhibitio latriae.* Latriae enim cultum Deo exhibere non possumus, nisi ab ipso gratiam assequamur; misericordiam autem Dei ad dandam gratiam non possumus inflectere nisi per deplorationem et expositionem nostrae miseriae et indigentiae. Nam omnis perfecta oratio debet habere istas tres partes; non enim sufficit una sine aliis[2] nec perducit ad metam perfectam, et ideo haec tria semper sunt coniungenda.

Tres partes orationis.

§ 1.

De triplici deploratione miseriae.

2. *Deploratio* autem *miseriae,* circa quamcumque miseriam[3] fit, sive pro *perpetratione culpae,* sive pro *amissione gratiae,* sive pro *dilatione gloriae,* haec tria debet habere, scilicet *dolorem, pudorem* et *timorem: dolorem,* propter damnum sive incommodum; *pudorem,* propter opprobrium sive inhonestum; *timorem,* propter periculum sive reatum. Ex *memoria* enim *praeteritorum* oritur *dolor,* dum[4] recordatur, quid *omisit,* quia praecepta iustitiae; quid *commisit,* quia prohibita culpae; quid *amisit,* quia gratuita vitae. — Ex *intelligentia praesentium* oritur *pudor,* dum attendit, *ubi sit,* quia longe in imo quae fuerat prope in summo; *qualis sit,* quia foeda in luto quae fuerat pulcra imago; *quae sit,* quia ancilla quae fuerat libera[5]. — Ex *providentia futurorum* oritur *timor,* dum praecogitat, quo *tendit,* quia *ad inferos properat gressus eius*[6]; quid *occurret,* quia iudicium inevitabile, iustum tamen; quid *assequetur,* quia stipendium mortis aeternae.

Dolor ex memoria praeteritorum.

Pudor ex intelligentia praesentium.

Timor ex providentia futurorum.

§ 2.

De triplici imploratione misericordiae.

3. *Imploratio misericordiae,* circa quamcumque gratiam invocetur, debet esse cum *affluentia desiderii,* quod habemus a *Spiritu sancto, qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*[7]*;* cum *fiducia spei,* quam habemus a *Christo,* qui *mortuus est pro nobis omnibus;* cum *diligentia implorandi subsidii,* quod quaerimus a *Sanctis et bonis omnibus*[8]. Primum ergo habemus a *Spiritu sancto,* quia per ipsum a Patre in Filio[9] *praedestinati* aeternaliter, *renati* in baptismo spiritualiter, *congregati* in Ecclesia unanimiter. — Secundum habemus a *Christo,* qui pro nobis obtulit se in cruce in terra, apparet vultui Dei Patris in caelo in gloria[10], offertur in Sacramento a matre Ecclesia. — Tertium a *Sanctorum consortio,* scilicet ab Angelorum ministrantium patrociniis, a Beatorum triumphantium suffragiis et a iustorum militantium meritis. Et quando haec tria praedicta concurrunt, tunc imploratur efficaciter divina misericordia.

Affluen[tia] deside[rii].

Fiducia

Implor[andi] subsid[ii].

§ 3.

De triplici exhibitione latriae.

4. *Exhibitio latriae,* ex quacumque gratia[11] Deus colatur, debet habere tria. Primo enim ob

---

[1] Codd. U V Z omittunt *legendo et;* cfr. supra pag. 3, nota 6. Inferius post *partes* Vat. cum nonnullis codd. addit *ipsam perficientes, quorum.*

[2] Ita D H S, alii *sine alia.*

[3] Codd. E K N P R S *materiam.*

[4] Codd. B M P S U Z *cum.* Plures codd., ut A D F H K L O Q R T, omittunt *Ex memoria enim praeteritorum... mortis aeternae.*

[5] Codd. B C E G I M N P S U Z *quid agat, quia servit inferiori quae erat prius libera.*

[6] Prov. 5, 5: Pedes eius descendunt in mortem et ad inferos gressus illius penetrant. Cfr. Eccle. 9, 10: Quodcumque facere potest manus tua instanter operare, quia nec opus... nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. Plures codd. legunt: *quia ad inferos* [B addit *quo*] *pene sunt omnes gressus eius.* Superius pro *dum praecogitat* G U Z *cum praecogitat* (G *cogitat*).

[7] Rom. 8, 26. — I. Petr. 2, 21: Christus passus est pro nobis. — Superius pro *circa quamcumque gratiam* D F H *pro quacumque gratia,* E N P *circa quamcumque materiam* (cfr. supra nota 3.), O *circa quaecumque genera.* Subinde post *cum affluentia desiderii* D F H alia duo membra adiungentes prosequuntur: *fiducia spei, diligentia implorandi* (D addit *subsidii*)*; affluentia desiderii, quod* (D F et etiam E G I S *quam*) *habemus* etc. Inferius Vat. omittit *et bonis,* pro quo nonnulli codd. *et Beatis,* D F S V legunt *et bonis hominibus.*

[8] Vat. cum pluribus codd., ut A D F K L O Q R T, subiungit hic propositionem, quam in fine n. 3. exhibemus: *Et quando haec tria... misericordia.* Codd. H V non solum hanc propositionem omittunt, sed etiam totam explicationem triplicis rationis: *Primum ergo... meritis;* haec explicatio desideratur etiam in codd. A D F etc. paulo superius allegatis. Nostra lectio praebetur a codd. B E G I M N P S U Z.

[9] Codd. B E I M P Z *et Filio.*

[10] Hebr. 9, 24: In ipsum caelum [Iesus introivit], ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. — Superius vocibus *in terra* B praefigit *dum esset,* M N P *cum.*

[11] Codd. B E I M P S *causa.* Inferius pro *impetrandam* T *collatam,* et pro *mutuam allocutionem* D F H *divinam allocutionem,* C *intimam dilectionem.*

gratiam impetrandam cor nostrum debet *incurvari* ad Dei reverentiam et adorationem; secundo debet *dilatari* ad benevolentiam et gratiarum actionem; tertio debet *elevari* ad complacentiam et mutuam allocutionem, quae est Sponsi et sponsae, quam docet Spiritus sanctus in Canticis; in qua, si recto ordine fiat, mira est exsultatio et iubilatio, adeo ut ducat animam in excessum et faciat eam dicere: *Bonum est nos hic esse*[1]. Et hic debet oratio nostra terminari, nec ante debet desistere, donec *ingrediatur locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei,* ubi *in voce exsultationis sonus* est *epulantis.*

Modos ...us tripli... latriae.

5. Ut *incurveris ad reverentiam*, admirare immensitatem divinam et intuere modicitatem[2] tuam. Ut *dilateris ad benevolentiam*, attende benignitatem divinam et vide indignitatem tuam. Ut *eleveris ad complacentiam*, recogita caritatem divinam et considera tepiditatem tuam, ut ex huiusmodi collatione pervenias in excessum mentis.

...ncurvatio ...ordis ad ...erentiam ...liciter ex...bendam.

6. Sciendum autem est, quod *reverentiam* debemus exhibere Deo tripliciter: primo sicut *Patri*, a quo *formati, reformati, educati*[3]. Secundo sicut *Domino*, a quo *eruti* de ore inimici, *redempti* de carcere inferni, *conducti* in vineam Domini. Tertio sicut *Iudici*, coram quo *accusati, convicti, confessi: accusat* clamor conscientiae, *convincit* evidentia vitae, *confitetur* aspectus[4] divinae sapientiae; unde contra nos de iure debet sententia proferri. Prima quidem reverentia debet esse *magna*, secunda *maior*, tertia *maxima*. Unde prima est ad modum *inclinationis;* secunda, ad modum *genuflexionis;* tertia, ad modum *prostrationis*. In prima nos *subiicimus*, in secunda nos *deiicimus*, in tertia nos *abiicimus*. In prima *parvos*, in secunda *minimos*[5], in tertia *nullos* nos reputamus.

Dilatatio cordis ad benevolentiam tripliciter exhibendam.

7. *Benevolentiam* autem simili modo debemus Deo tripliciter exhibere[6], scilicet *magnam, maiorem, maximam: magnam*, consideratione *indignitatis nostrae; maiorem*, consideratione *magnitudinis gratiae; maximam*, consideratione *immensitatis suae misericordiae*[7]. Vel magnam pro *commissis*, maiorem pro *dimissis*, maximam pro *promissis*. Vel magnam pro *complementis naturae*, maiorem pro *indumentis gratiae*, maximam pro *donis superabundantiae*. In prima cor *dilatatur* sive extenditur, in secunda *aperitur*, in tertia *effunditur*, secundum illud Threnorum secundo[8]: *Effunde sicut aquam cor tuum.*

Elevatio cordis ad complacentiam tripliciter exhibendam.

8. *Complacentiam* vero debemus Deo triplici modo exsolvere: primo, ut sic coaptetur complacentia nostra ad Deum, ut unicuique placeat, quod solus Deus placeat sibi; secundo, ut hoc placeat, quod ipse placeat soli Deo; tertio, ut placeat ei, quod in hac complacentia communicent ceteri[9]. Prima est *magna*, secunda *maior*, tertia *maxima*. In prima est *amor gratuitus*, in secunda *amor debitus*, in tertia *amor ex utroque permixtus*[10]. In prima crucifigitur *mundus* homini, in secunda *homo* mundo[11], in tertia crucifigitur *homo pro mundo,* ut pro omnibus velit mori, ut et ipsi placeant Deo. — Et hic est status et gradus perfectae caritatis, ante cuius assecutionem nemo debet se aestimare perfectum. Tunc autem hanc perfectionem assequitur, quando cor semper invenit non solum voluntarium, sed etiam avidissimum ad moriendum pro salute proximorum, secundum quod Paulus[12] dicebat: *Ego libentissime*

Notandum.

[1] Matth. 17, 4. — Subinde allegatur Ps. 41, 5. — Superius post *in excessum* L O addunt *mentis.*

[2] Plures codd. *mendicitatem*. Inferius pro *caritatem divinam* S *caritatem Dei summam.*

[3] Codd. T Z: *Primo sicut Patri, a quo formati per operationem naturae* (ita etiam N), *a quo reformati per collationem gratiae, a quo educati per participationem eucharistiae.* Propositionem seq. Z exhibet sic: *Sicut Domino, a quo eruti, redempti et conducti. Eruti de ore inimici, quia bellum vicit; redempti de carcere inferni, quia pretium solvit; conducti in vinea Dei vel in itinere paradisi, quia praemium promisit.* T brevius: *a quo eruti, quia bellum vicit; a quo redempti, quia pretium solvit; a quo allecti, quia praemium promisit.* Pro *eruti* R *empti*, pro *de ore inimici* I de *manu inimici,* et post *in vineam Domini* E L M N P S U addunt *vel* [L omittit *vel*] *in itinere paradisi*, Vat. cum nonnullis codd. *pro munere paradisi.*

[4] Codd. E G I L M P U Z *conspectus.*

[5] Codd. B I V *minores*. Subinde pro *nullos* V *minimos*, B *minimos seu nullos*, D H T *malos*. Cfr. Bernard., de Diligendo Deo, c. 10. n. 27: Te enim quodam modo perdere, tanquam qui non sis, et omnino non sentire te ipsum et a te ipso exinaniri et pene annullari, caelestis est conversationis, non humanae affectionis.

[6] Plures codd. *exsolvere*. Pro *indignitatis* Vat. *infirmitatis.*

[7] Cod. Z addit: *quia dedit talia, scilicet Filium proprium et Spiritum sanctum; quia dedit talibus, scilicet filiis irae et inimicis; quia dedit taliter, scilicet in pretium et in pignus et gratis.*

[8] Vers. 19. Pro secunda allegatur a Vat. cum paucis codd. Cant. 5, 2: *Aperi mihi, soror mea.* — Superius pro *superabundantiae* Vat. *supererogantiae*, F *superexcellentiae.*

[9] Gillebert. abbat., Serm. 19. in Cant. (inter opera Bernardi) n. 2: Denique id solum habetis in votis, ut vobis semper amplius placeat [Iesus]. Quantum placet, qui satis placere non potest? Nulla magis vos ratione placere potestis, quam si vobis placeat ipse etc. Ibid. n. 4. ostenditur, quod caritas privatum non cogitat, sed communi bono, id est, si etiam alii divina beneficia recipiunt, laetatur. — Superius pro *coaptetur* non pauci codd. *acceptetur.*

[10] Richard. de S. Vict., V. de Trin. c. 16: Constat autem, quia verus amor potest esse aut solum *gratuitus*, aut solum *debitus*, aut ex *utroque permixtus*, id est ex uno debitus et ex alio gratuitus. Amor *gratuitus* est, quando quis ei, a quo nihil muneris accipit, gratanter impendit. Amor *debitus* est, quando quis ei, a quo gratis accipit, nihil nisi amorem rependit. Amor ex *utroque permixtus* est, qui alternatim amando et gratis accipit et gratis impendit. Cfr. tom. I. pag. 57, nota 7. et pag. 199, nota 4. Vide etiam Bernard., de Diligendo Deo, c. 6. n. 16; c. 9. n. 26. et c. 12. n. 34. seqq.

[11] Gal. 6, 14: Per quem [Iesum Christum] mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

[12] Epist. II. Cor. 12, 15. — Superius pro *Tunc autem hanc perfectionem* [Vat. addit *homo*] K R *Tunc enim homo perfectionem*, et subinde pro *cor semper invenit* cum Vat. *cor suum invenit.* Pro *secundum quod Paulus* L O *Ad hanc pervenit* (O *pervenerat*) *beatus Paulus, quando.*

impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris. Ad hanc perfectam dilectionem proximi non pervenitur, nisi prius perveniatur ad perfectam dilectionem Dei, propter quem diligitur proximus, qui non est amabilis nisi propter Deum [1].

§ 4.

De sex gradibus dilectionis Dei.

9. Et propterea ad intelligendum profectum [2] in dilectione Dei sciendum est, quod sex sunt gradus, quibus paulatim et ordinate proceditur, ut ad perfectum perveniatur.

Gradus primus.

Primus est *suavitas*, ut scilicet homo discat *gustare, quam suavis est Dominus* [3]. Et hoc quidem fit vacando et sabbatizando ei per sanctas meditationes, quoniam, secundum quod dicitur in Psalmo, *reliquiae cogitationis diem festum agent tibi;* quod quidem fit, quando meditationes circa amorem Dei suavitatem pariunt in corde.

Secundus.

Secundus gradus est *aviditas*, quando scilicet anima assuefieri coeperit [4] circa illam suavitatem, nascitur in ea tanta esuries, ut nihil possit eam reficere, nisi eum quem amat, possideat perfecte; quod quia non potest in praesenti attingere, quia longe est, continue excedit et egreditur extra per amorem ecstaticum, clamans et dicens illud beati Iob [5]: *Suspendium elegit anima mea et mortem ossa mea,* quoniam, *sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.*

Tertius.

10. Tertius gradus est *saturitas,* quae oritur [6] ex ipsa aviditate. Quia enim vehementissime Deum desiderat et sursum fertur, iam omne, quod deorsum tenet, vertitur ei in fastidium. Unde quasi saturata non potest refectionem invenire in aliquo citra ipsum dilectum; et sicut saturatus, si cibum sumat, potius sumendi incurrit abominationem quam refectionem; sic in hoc gradu caritatis facit anima circa omne terrenum [7].

Quartus.

Quartus gradus est *ebrietas,* quae oritur ex saturitate. Ebrietas autem in hoc consistit, quod quis tanto amore diligat Deum, ut iam non solum fastidiat solatium [8], sed etiam delectetur et quaerat tormentum pro solatio, et amore eius quem diligit, delectetur in poenis, opprobriis et flagellis, sicut Apostolus [9]. Unde sicut ebrius se ipsum denudat sine pudore et sustinet plagas sine dolore, sic in isto [10] intelligendum est.

Quintus.

11. Quintus gradus est *securitas,* quae oritur ex ebrietate. Ex hoc enim, quod anima sentit, se tantum amare Deum, quod libenter sustineret propter ipsum omne damnum et omne opprobrium; iam foras mittitur timor [11], et tantam concipit anima spem de adiutorio divino, ut nullo modo existimet se posse separari a Deo. Et in hoc gradu erat Apostolus, cum dicebat [12]: *Quis nos separabit a caritate Christi* etc. *Certus sum enim, quia neque mors neque vita* etc. *poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro.*

Sextus.

Sextus gradus est vera et plena *tranquillitas,* in qua est tanta pax et requies, ut anima quodam modo [13] sit in silentio et in somno et quasi in arca Noe collocata, ubi nullo modo perturbatur. Quis enim potest perturbare mentem, quam nullus cupiditatis stimulus inquietat, nullus timoris aculeus exagitat? In tali mente pax est et status ultimus et quies, et ibi requiescit verus Salomon, quoniam *in pace factus est locus eius* [14]. — Et ideo valde convenienter isti gradus significantur per illos sex gradus, quibus ascendebatur ad thronum Salomonis [15]. Et propterea

Notandum

---

[1] Bernard., de Diligendo Deo, c. 8. n. 25: Ut tamen perfecta iustitia sit diligere proximum, Deum in causa haberi necesse est. Alioquin proximum pure diligere quomodo potest qui in Deo non diligit? Porro in Deo diligere non potest qui Deum non diligit. Oportet ergo, Deum diligi prius, ut in Deo diligi possit et proximus etc. Cfr. III. Sent. d. 27. a. 2. q. 3. et 4.

[2] Ita B L U; plures codd. *perfectum*, G *ad intelligendam perfectam dilectionem Dei* etc., Vat. cum nonnullis codd. *ad intelligendam perfectionem*, et inferius *ad perfectionem* pro *ad perfectum*, quod vocabulum, teste Forcellini, usurpatur interdum pro *perfectio.*

[3] Psalm. 33, 9: Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus. Codd. L Z hunc locum praefigunt sequenti Ps. 75, 11: Reliquiae etc.

[4] Codd. A I O U *coepit;* K R *assuetius coeperit versari.* Inferius pro *quod quia* L O *quem quia,* et post *extra* U V addunt *se.*

[5] Cap. 7, 15, cui L O U V subiungunt v. 16: *Desperavi, nequaquam iam ultra vivam.* Subinde allegatur Ps. 41, 2.

[6] Codd. A U V *egreditur sive oritur.* Inferius pro *tenet* E M N P *tendit*, B L *est*, Vat. *videt*, et pro *quasi saturata* Vat. cum pluribus codd. *quasi saturatus*, M *quasi satur.* Simile occurrit subinde, ubi pro *et sicut saturatus* G N P S T V substituunt *unde* [quod etiam plures alii codd. exhibent] *sicut satur,* et pro *sumendi,* quod Vat. omittit, plures codd. ponunt *sumendo.*

[7] Codd. L M N O P *sic in hoc gradu caritas contrarium facit omne terrenum*, Vat. *sic in hoc gradu caritas facit circa omne creatum. Unde dicit Sapiens* [Prov. 27, 7.]: *Anima saturata calcabit favum.*

[8] Vat. addit *terrenum*, K R legunt *ut iam non solum non quaerat alibi solatium.* Subinde E K N P omittunt *delectetur et.*

[9] Codd. L O addunt *qui dicit* [II. Cor. 12, 9.]: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis* etc.; K R legunt *cum Apostolo II. Cor. 12.*

[10] Codd. L N O V supplent *gradu.* Pro *sustinet plagas* I *suscipit* [G M N P *portat*] *plagas.* Inferius post *intelligendum est* fide A D F H K L O R T V omisimus: *Unde* [Act. 5, 41.]: *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.*

[11] Epist. I. Ioan. 4, 18: Perfecta caritas foras mittit timorem. — Superius vocibus *omne damnum* V Z praefigunt *omne malum.*

[12] Rom. 8, 35-39.

[13] Vat. *per quam est tanta pax et requies in anima, ut quodam modo.*

[14] Psalm. 75, 3. — Superius R V omittunt *et quies.*

[15] Cfr. III. Reg. 10, 18. seq. et II. Paralip. 9, 17. seq.; vide etiam Itiner. mentis in Deum, c. 1. n. 5. — Subinde allegatur Cant. 3, 10. — Superius pro *Et ideo* K R *Et nota, quod.* Inferius pro *pertingere* D F H O *pervenire*, E P *venire.*

dicitur in Canticis: *Ascensum purpureum media caritate constravit,* quia impossibile est ad istam tranquillitatem pertingere nisi per caritatem. Hac autem acquisita, facillimum est homini facere omne, quod est perfectionis, sive agere sive pati sive vivere sive mori. Studendum est igitur ad proficiendum in caritate, cum profectus eius inducat perfectionem omnium bonorum, quam nobis praestare dignetur, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen [1].

§ 5.

Recapitulatio.

12. Ut igitur sint ad manum praedictae differentiae, nota, quod qui ad hanc perfectionem vult proficere [2], debet per meditationem se vertere ad *stimulum conscientiae* exasperando, acuendo, rectificando; ad *radium intelligentiae* ipsum protendendo, dilatando, reflectendo; ad *igniculum sapientiae,* ipsum congregando, inflammando, sublevando.

[De meditatione triplici.]

Et sic [3] per orationem primo *deploret miseriam* cum *dolore* propter damnum, cum *pudore* propter opprobrium et cum *timore* propter periculum. — Secundo *imploret misericordiam* cum *vehementia desiderii* per Spiritum sanctum, cum *fiducia spei* per Christum crucifixum et cum *assistentia patrocinii,* per Sanctorum suffragium. — Tertio *exhibeat latriam,* exhibendo Deo *reverentiam,* exhibendo *benevolentiam,* exhibendo *complacentiam;* ut ex parte Dei praecedat admiratio divina, quasi maior propositio [4], ex parte nostra sequatur consideratio, quasi assumtio; et sic fiat latriae plena exhibitio, quasi conclusio. Qui autem sic excitaverit se continue et intente, proficiet in caritate secundum sex gradus praedictos, quibus pervenitur ad perfectionem tranquillitatis, ubi est multitudo pacis et quasi quidam finis quietis, quam Dominus reliquit Apostolis [5]. Unde nota, quod Apostolus in qualibet salutatione [6] optabat *gratiam et pacem: gratiam* tanquam primordialem et *pacem* tanquam complementum; ad Timotheum autem interponit *misericordiam,* quae est utriusque principium [7].

[De oratione triplici.] [Notandum.]

Capitulum III.

De contemplatione, qua pervenitur ad veram sapientiam.

§ 1.

Praeambulum.

1. Postquam diximus, qualiter ad sapientiam nos exercere debeamus per meditationem et orationem, nunc breviter tangamus, qualiter *contemplando* ad veram sapientiam pervenitur. Per contemplationem namque transit mens nostra in supernam Ierusalem, ad cuius instar est formata Ecclesia, secundum illud Exodi [8]: *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte.* Necesse est enim, Ecclesiam militantem conformari triumphanti, et merita praemiis, et viatores Beatis, secundum quod possibile est. In gloria autem triplex est dos, in qua consistit perfectio praemii, scilicet summae *pacis aeternalis tentio,* summae *veritatis manifesta visio,* summae *bonitatis* vel caritatis *plena*

[Notandum.] [Triplex dos.]

[1] Vat. cum pluribus codd. brevius *perfectionem omnis boni et* [K R addunt *etiam*] *complementum.* — Secundum H O hoc loco opusculum istud iam finitur; ipsis consentiunt saltem 18 alii codd., qui non sunt a nobis collati (scil. 273), quorum unus est saec. XIII., 5 saec. XIV. et ceteri saec. XV. — Porro codd. B E G I M N P Q S T V Z omittunt tum *recapitulationem* praedictorum, quae sequitur, tum ea quae Vat. cum nonnullis codd. *de Missa* etc. subiunxit, pro quibus S T Z cum nonnullis ex codd. a nobis non integre collatis *aliud* exhibent additamentum. Utrumque additamentum vide post hoc opusculum n. II. et n. III.

[2] Codd. A D F: *Ut autem* [F *igitur*] *sit ad unum dicere, qui vult* [F addit *recte*] *proficere,* L *Ut sic ad unum ducerem, qui vult recte proficere,* U: *Recapitulatio praedictorum. Ut igitur breviter recolligentes, qui vult recte proficere.* Vat. hic prosequitur *debet per meditationem stimulum conscientiae primo exasperare, exacuere et rectificare, et sic ad radium intelligentiae transire ipsum protendendo, dilatando et reflectendo, et sic ad igniculum sapientiae transire, ipsum congregando* etc.

[3] Plures codd. omittunt *sic,* nonnulli *Et sic.*

[4] Codd. K R *ut procedat* [ita etiam Vat. cum pluribus aliis codd., K *provideat*] *adiutorium ex parte Dei, quasi maior* [R addit *scilicet gratia*]. Cfr. supra c. 2. n. 5.

[5] Ioan. 14, 27: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis etc. — Superius pro *gradus praedictos* A U *gradus praedeterminatos* (supra n. 9-11.), et pro *ad perfectionem tranquillitatis* D R *ad perfectum tranquillitatis,* L *ad perfectam tranquillitatem.*

[6] Cod. U *qualibet epistolae suae salutatione;* cfr. Rom. 1, 7: *Gratia vobis et pax;* I. Cor. 1, 3; II. Cor. 1, 2. etc.; sed I. Tim. 1, 2: *Gratia, misericordia et pax* etc.; II. Tim. 1, 2: *Gratia, misericordia, pax.*

[7] Secundum A L U hic est finis opusculi, quibus consentiunt alii 40 codd. a nobis non collati. — Vat. cum K R non pauca, sed minus congrua huic capitulo addit, scil. quasdam meditationes infra Missam faciendas (easdem exhibent etiam D F), deinde illud de quatuor debitoribus, quibus sumus obnoxii (cfr. infra additamentum II.). Ista ultima pars sumta est ex Bernard., Serm. 22. de Diversis, n. 5-9.

[8] Cap. 25, 40. Cfr. Dionys., Ecclesiast. Hierarch. c. 4. § 2; S. Bonav., in Hexaëm. collat. 20-23. — Superius post *nunc breviter tangamus* B E G I M N P S V prosequuntur *qualiter per contemplationem, per quam* [B I omittunt *per quam*] *transit mens* etc. Propositiones praecedentes omittuntur a K R T, qui incipiunt hoc capitulum propositione seq. *Necesse est Ecclesiam militantem* etc., in qua pro *et merita praemiis* E M N P *id est merita praemiis* substituunt.

fruitio [1]. Et secundum hoc distinguitur triplex ordo in suprema hierarchia caelesti, scilicet *Thronorum, Cherubim* et *Seraphim*. (Notandum.) Necesse est ergo, ut qui vult ad illam beatitudinem per merita pervenire, istorum trium similitudinem, secundum quod possibile est, in via sibi comparet, ut scilicet [2] habeat *soporem pacis, splendorem veritatis, dulcorem caritatis*. In his enim tribus requiescit ipse Deus et inhabitat tanquam in proprio solio. Necesse est igitur, ad unumquodque trium praedictorum per tres gradus ascendere [3] secundum triplicem viam, scilicet *purgativam*, quae consistit in expulsione peccati; *illuminativam*, quae consistit in imitatione Christi; *unitivam*, quae consistit in susceptione Sponsi, ita quod quaelibet habet gradus suos, per quos incipitur ab imo et tenditur usque ad summum.

§ 2.

De septem gradibus, quibus pervenitur ad soporem pacis.

2. Gradus autem perveniendi ad *soporem pacis* [4] sunt isti septem.

(Gradus primus.) Nam primo occurrit *pudor* in recordatione flagitii, et hoc quantum ad quatuor, scilicet quantum ad *magnitudinem, multitudinem, turpitudinem, ingratitudinem*.

(Secundus.) Secundo, *timor* in circumspectione iudicii, et hoc quadruplicis, scilicet *dissipationis operis, excaecationis rationis, obdurationis voluntatis, condemnationis finalis* [5].

(Tertius.) Tertio, *dolor* in aestimatione damni, et hoc secundum quatuor, scilicet quantum ad *amissionem divinae amicitiae* [6], *perditionem innocentiae, vulnerationem naturae, dissipationem vitae praeteritae*.

(Quartus.) Quarto, *clamor* in imploratione subsidii quadruplicis, scilicet *Dei Patris, Christi Redemptoris, Virginis Matris, Ecclesiae triumphantis*.

(Quintus.) Quinto, *rigor* in exstinctione fomitis sive incentivi [7] quadruplicis, scilicet *ariditatis*, quae est desidia, *perversitatis*, quae est malitia, *voluptatis*, quae est concupiscentia, *vanitatis*, quae est superbia.

(Sextus.) Sexto, *ardor* in appetitione martyrii, et hoc propter quatuor, scilicet propter perfectionem *remissionis offensae*, propter perfectionem *purgationis maculae*, propter perfectionem *satisfactionis poenae*, propter perfectionem *sanctificationis in gratia* [8].

(Septimus.) Septimo loco sequitur *sopor* in obumbratione Christi, ubi status est et requies, dum homo sentit, se protegi sub umbra alarum divinarum [9], ut non uratur ardore concupiscentiae nec timore poenae; (Notandum.) ad quod non potest pervenire nisi per *appetitionem* martyrii; nec ad appetitionem martyrii nisi exstinxerit incentivum; nec ad hoc, nisi imploraverit subsidium [10]; nec ad hoc, nisi deploret damnum suum; nec ad hoc, nisi timeat divinum iudicium; nec ad hoc, nisi recordetur et erubescat flagitium. Qui vult ergo habere pacis soporem, procedat secundum [11] praeassignatum ordinem.

§ 3.

De septem gradibus, quibus pervenitur ad splendorem veritatis.

3. Gradus perveniendi ad *splendorem veritatis*, ad quem pervenitur per imitationem Christi, sunt hi septem, scilicet *assensus rationis, affectus compassionis, aspectus admirationis, excessus devotionis, amictus* [12] *assimilationis, amplexus crucis, intuitus veritatis;* in quibus hoc ordine progrediendum est.

(De gradu primo.) Primo considera, *quis* est qui patitur [13], et eidem subdere per *rationis assensum*, ut credas firmissime, Christum veraciter esse Dei Filium, omnium rerum Principium, Salvatorem hominum, Retributorem meritorum omnium.

(De secundo.) Secundo, *qualis* est qui patitur, et ei coniungere [14] per *compassionis affectum*, ut compatiaris innocentissimo, mitissimo, nobilissimo et amantissimo.

---

[1] Cfr. IV. Sent. d. 49. p. 1. q. 5. in corp.; Breviloq. p. VII. c. 7. et in Hexaëm. collat. 20. n. 10. — Pro *summae veritatis* et *summae bonitatis* Q V *purissimae veritatis* et *immensae bonitatis*. Inferius pro *in suprema hierarchia* (cfr. tom. II. pag. 240, nota 1. et 6.) plures codd. *in superna hierarchia*.

[2] Codd. N T Z addunt *in praesenti*. Inferius pro *dulcorem caritatis* Q *dulcorem bonitatis*, V *dulcorem bonitatis vel caritatis*.

[3] Codd. E G I M O P *ascendi*, Vat. legit *Necesse est igitur, unumquodque trium praedictorum per tres gradus ascendendi distinguere*, quae etiam inferius pro *Sponsi* substituit *Spiritus sancti*, C *Sponsi sive Spiritus sancti*, cfr. infra § 4.

[4] Cod. N addit *per viam purgativam*, T vero pro *septem* substituit *gradus purgativae*.

[5] Codd. N T Z *dissipationis operis in effectu, excaecationis rationis in intellectu, obdurationis voluntatis in affectu, condemnationis finalis in finali interitu*. Cfr. tom. V. de Donis Spiritus S. col. 2. n. 10. 11.

[6] Codd. B Q V *gratiae*.

[7] Codd. E M P S *vitii*.

[8] Ita T Q Z; E M N P *sanctificationis conscientiae* (Vat. *concupiscentiae*). Superius pro *offensae* T Z *a poena*, qui etiam subinde pro *maculae* et *poenae* substituunt *a culpa* et *ab offensa*.

[9] Psalm. 16, 8: Sub umbra alarum tuarum protege me. Ps. 60, 5: Inhabitabo in tabernaculo tuo in saecula, protegar in velamento alarum tuarum.

[10] Cod. M addit *divinum*. Inferius voci *flagitium* V praefigit *proprium*.

[11] Codd. E M N P *gradiatur per*, S *transeat per*.

[12] Hoc explicatur Rom. 13, 14: Induimini Dominum Iesum Christum; cfr. Gal. 3, 27. Superius post *veritatis* N addit *in via illuminativa*, T inferius post *progrediendum est* addit *unde tu qui vis progredi ad gradus illuminativae*.

[13] Codd. K R addunt *scilicet Christus*.

[14] Vat. *configurare*, quae etiam inferius post *compatiaris* addit *ei tanquam*.

Tertio, *quantus* est qui patitur, et ad ipsum egredere per *admirationis aspectum* et attende, quod immensus est potestate [1], speciositate, felicitate, aeternitate. Admirare igitur immensam potestatem annihilari, speciositatem decolorari, felicitatem tormentari, aeternitatem mori.

Quarto, *qua de causa* patitur, et te ipsum obliviscere [2] per *devotionis excessum*, quia scilicet patitur pro tua redemptione, illuminatione, sanctificatione, glorificatione.

Quinto, *quali forma* patitur, et Christum induere per *assimilationis studium*. Passus est enim [3] libentissime respectu proximi, severissime respectu sui, obedientissime respectu Dei, prudentissime respectu adversarii. Stude igitur ad habendum habitum benignitatis ad proximum, severitatis ad te ipsum, humilitatis ad Deum, perspicacitatis contra diabolum, secundum effigiem imitationis Christi.

Sexto attende, *quanta sunt* quae patitur, et crucem amplectere per *passionis desiderium*, ut, sicut [4] passus est vincula ut impotens *omnipotentia*, convitia ut vilis *bonitas*, ludibria ut stultus *sapientia*, supplicia ut iniquus *iustitia*; sic et tu desideres passionem crucis, hoc est passionem plenam *iniuriis* in rebus, *convitiis* in verbis, *ludibriis* in signis, *suppliciis* in tormentis.

Septimo considera, *quid ad hoc consequitur*, quod patitur, et veritatis radium intuere per contemplationis oculum: quoniam ex hoc, quod Agnus passus est, *septem signacula libri aperta sunt*, Apocalypsis quinto [5]. Liber iste est universalis rerum notitia, in qua septem erant clausa homini, quae quidem sunt per passionis Christi efficaciam reserata, scilicet *Deus* admirabilis, *spiritus* intelligibilis [6], *mundus* sensibilis, *paradisus* desiderabilis, *infernus* horribilis, *virtus* laudabilis, *reatus* culpabilis.

4. Primo igitur *Deus admirabilis* per crucem manifestatus est esse summae et imperscrutabilis *sapientiae*, summae et irreprehensibilis *iustitiae*, summae et inenarrabilis *misericordiae*. Summa enim sua *sapientia* [7] decepit diabolum, summa *iustitia* quaesivit redemptionis pretium, summa *misericordia* pro nobis tradidit Filium; quae si diligenter considerentur, Deum nobis clarissime manifestant.

Secundo, *spiritus intelligibilis* [8] manifestatus est per crucem secundum differentiam triplicem, scilicet quantae sit *benignitatis* quantum ad Angelos, quantae sit *dignitatis* quantum ad homines, quantae sit *crudelitatis* quantum ad daemones. Nam Angeli permiserunt crucifigi Dominum suum; Dei Filius crucifixus est propter genus humanum, et hoc ad suggestionem [9] daemonum. Item, secundi.

Tertio, *mundus sensibilis* manifestatus est per crucem, quoniam est locus, in quo regnat *caecitas*, quia lucem veram et summam non agnovit [10]; regnat *sterilitas*, quia Iesum Christum tanquam infructuosum despexit; regnat *iniquitas*, quia Deum et Dominum suum et amicum et innocentem damnavit et interfecit. Item, tertii.

Quarto, *paradisus desiderabilis* manifestatus est per crucem, in quo est *fastigium* totius gloriae, *spectaculum* omnis laetitiae, *promptuarium* omnis opulentiae, cum Deus propter illam habitationem nobis restituendam factus fuerit homo *vilis, miser* et *pauper* [11]; in quo *celsitudo* admisit abiectionem, *iustitia* subiit reatum, *opulentia* suscepit egestatem. Nam altissimus Imperator accepit servitutem abiectam, ut sublimaremur in gloriam; iustissimus Iudex subiit reatum poenalissimum, ut iustificaremur a culpa; opulentissimus Dominus suscepit egestatem extremam, ut locupletaremur in copia [12]. Item, quarti.

Quinto, manifestatus est per crucem, quod *infernus* est *horribilis* locus, plenus egestate, vilitate, ignominia, calamitate et miseria [13]. Si enim necesse fuit, haec Christum pati propter peccati deletionem et satisfactionem, multo fortius oportebit, haec pati damnatos propter iustam meritorum suorum retributionem et recompensationem. Item, quinti.

---

[1] Cod. V addit *vel maiestate*. Subinde post *aeternitate* in K R subiungitur *Hi sunt gradus illuminativi* [R *illuminativae*], qui etiam cum I S T V pro *potestatem annihilari* substituunt *maiestatem annihilari*. Vocibus *speciositatem decolorari* M P interserunt *deformari vel*, B *foedari et turpari seu*.

[2] Codd. Q V *eleva*. Inferius post *pro tua redemptione* N prosequitur *quia venumdatus et captivatus pro tua illuminatione, quia excaecatus pro tua sanctificatione, quia sordidatus pro tua glorificatione, quia exsulatus;* simile exhibet T, qui tamen rationem non singulis membris, sed ultimo subiungit, post *pro tua glorificatione* addens: *et hoc, quia tu captivatus, quia tu excaecatus, quia tu sordidatus, quia tu exsulatus.*

[3] Vat. cum paucis codd. addit *sicut verus agnus, scilicet.* Superius pro *assimilationis studium* Vat. cum paucis codd. *assimilationis amictum* (cfr. supra pag. 12, nota 12.), et inferius pro *respectu Dei* posito *respectu Patris* ipsa cum iisdem codd. post *ad habendum habitum* prosequitur *secundum effigiem imitationis Christi, scilicet benignitatis, severitatis, humilitatis et perspicacitatis.*

[4] Vat. cum pluribus codd. supplet *Christus*. Inferius vocibus *omnipotentia, bonitas, sapientia, iustitia* G praefigit *cum sit;* pro *bonitas* I substituit *clementia*, B Q V *benevolentia*.

[5] Vers. 5. seqq. — Inferius pro *rerum notitia* K R *notitia veritatis*.

[6] Pauci codd. *rationalis*, N *intelligibilis seu rationalis*.

[7] Codd. E M N P S *Et hoc, quia sua prudentia*.

[8] Plures codd. *rationalis*, I *rationalis sive intelligibilis*.

[9] Vat. cum nonnullis codd. *crudelem suggestionem*.

[10] Cfr. Ioan. 1, 9. seq. — Vat. cum K R *non cognovit*, N T Z *ignoravit*. Superius post *locus* Vat. cum paucis codd. addit *tenebrarum plenus*.

[11] Codd. B G I Q S omittunt *vilis, miser et pauper*, in K N R T desiderantur quae sequuntur: *in quo... in copia*.

[12] August., XIII. Confess. c. 8. n. 9: Hoc tantum scio, quia male mihi est praeter te, non solum extra me, sed et in me ipso, et omnis mihi copia, quae Deus meus non est, egestas est. — Codd. B Q *in copia in patria*, V Z *in gloria*. Superius vocibus *in gloriam* [P V *in gloria*] B praefigit *in gratiam et*, qui etiam cum V subinde post *a culpa* addit *et a miseria*, Z *et liberaremur a miseria*.

[13] Cfr. Iob 10, 22.

Sexto, manifestata est per crucem *virtus laudabilis*, quantum scilicet sit *pretiosa, speciosa, fructuosa: pretiosa*, quia ante dedit vitam Christus[1], quam virtuti contrairet; *speciosa*, quia in ipsis contumeliis relucebat; *fructuosa*, quia unus usus perfectus virtutis infernum spoliavit, caelum aperuit, terram restauravit.

Item, sexti.

Septimo, manifestatus est per crucem *reatus culpabilis*, quantum detestabilis sit, cum ad sui remissionem indigeat tam magno *pretio*, tam grandi *piaculo*, tam difficili *medicamento*, in tantum, ut Deum et hominem nobilissimum in unitate personae oportuerit satisfacere pro *arrogantia*, qua nulla fuit elatior, per abiectissimam vilitatem; pro *cupiditate*, qua nulla fuit avidior, per exquisitissimam paupertatem; pro *lascivia*, qua nulla fuit dissolutior, per amarissimam acerbitatem[2].

Item, septimi.

5. Ecce igitur, quomodo omnia in cruce manifestantur. Omnia enim ad haec septem reducuntur. Unde ipsa crux est clavis, porta, via et splendor veritatis, quam qui tollit et sequitur iuxta modum praeassignatum *non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae*[3].

Laus crucis.

§ 4.

De septem gradibus, quibus pervenitur ad dulcorem caritatis.

6. Gradus veniendi ad *dulcorem caritatis* per susceptionem Spiritus sancti[4] sunt isti septem, scilicet *vigilantia* sollicitans, *confidentia* confortans, *concupiscentia* inflammans, *excedentia* elevans, *complacentia* quietans, *laetitia* delectans, *adhaerentia* conglutinans; in quibus hoc ordine progredi debes, qui vis ad perfectionem caritatis pertingere et ad amorem Spiritus sancti[5].

Necesse est enim, ut *vigilantia te sollicitet* propter Sponsi *promptitudinem* adeo, ut possis dicere[6]: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo;* et illud Canticorum: *Ego dormio, et cor meum vigilat;* et illud propheticum: *Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in praecordiis meis de mane vigilabo ad te.*

Secundo, ut *confidentia te confortet* propter Sponsi *certitudinem* adeo, ut possis dicere[7]: *In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum;* et illud Iob: *Etiam si occiderit me, in ipso sperabo.*

Tertio, ut *concupiscentia te inflammet* propter Sponsi *dulcedinem* adeo, ut possis dicere[8]: *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus;* et illud Canticorum: *Fortis est ut mors dilectio;* et illud: *Quia amore langueo.*

Quarto, ut *excedentia te elevet* propter Sponsi *celsitudinem* adeo, ut possis dicere[9]: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum;* et illud sponsae: *Trahe me post te* etc.; et illud Iob: *Suspendium elegit anima mea.*

Quinto, ut *complacentia te quietet* propter Sponsi *pulcritudinem* adeo, ut possis dicere illud sponsae[10]: *Dilectus meus mihi, et ego illi;* et illud: *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.*

Sexto, ut *laetitia te delectet* propter Sponsi *plenitudinem* adeo, ut possis dicere[11]: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificaverunt animam meam;* et illud: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine!* et illud Apostoli: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio* etc.

Septimo, ut *adhaerentia te conglutinet* propter amoris Sponsi *fortitudinem* adeo, ut possis dicere[12]: *Mihi autem adhaerere Deo bonum est;* et illud: *Quis nos separabit a caritate Christi?*

---

[1] Vat. *quia potius voluit Christus vitam corporalem perdere.* Inferius pro *unus usus perfectus virtutis* Vat. substituit *unus actus perfectae virtutis*, M Q *unus actus perfectus virtutis in cruce,* et pro *terram restauravit* K R cum Vat. *perdita* [N *perditum*, S T *cetera*] *restauravit.*

[2] Vat. cum paucis codd. omittit *in tantum... acerbitatem.*

[3] Ioan. 8, 12. — Matth. 16, 24: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me. — Superius post *est clavis* M N P prosequuntur *caeli, porta paradisi, via regni, veritatis* [N *veritas*] *splendor et lux* [V *via, veritas et splendor*, B *via, splendor et veritas et vita*]. Subinde Vat. cum paucis codd. voci *tollit* praefigit *devote sibi* et verbo *sequitur* addit *Christum;* pro *iuxta modum* E M N P substituunt *iuxta ordinem.*

[4] Fide M N P supplevimus *per susceptionem Spiritus sancti,* pro quo Q T V *pro susceptione Sponsi;* cfr. supra pag. 12, nota 3. In seqq. K R T omittunt adiectiva *sollicitans, confortans* etc.

[5] Vat. cum pluribus codd. *et amoris Spiritus sancti,* B *et sanctum amorem Sponsi.*

[6] Psalm. 62, 2. — Duo seqq. loci sunt Cant. 5, 2. et Isai. 26, 9. — Superius pro *Necesse est enim* Vat. cum nonnullis codd. *Primo ergo necesse est.*

[7] Psalm. 30, 2, cui Vat. cum paucis codd. praemittit Ps. 10, 2: *In Domino confido.* K R hic addunt *Nota de passere* [in Ps. 10, 2. habetur *In Domino confido; quomodo dicitis animae meae: Transmigra in montem sicut passer?* — Sequitur Iob 13, 15.]. — Superius pro *Secundo* Z *Necesse est etiam* (idem recurrit in seqq. pro *Tertio, Quarto* etc., ubi etiam T pluries substituit *Necesse est*).

[8] Psalm. 41, 2, post quem Cant. 8, 6. et 2, 5. Pro his duobus locis K R substituunt: *et illud beati Ioannis Evangelistae: Odor tuus, Christe, aeternas in me exhibuit concupiscentias.*

[9] Psalm. 83, 2. — Duo seqq. loci sunt Cant. 1, 3. et Iob 7, 15.

[10] Cant. 2, 16. et deinde 5, 10. Plures codd. omittunt vel primum vel secundum locum.

[11] Psalm. 93, 19, cui subnectuntur Ps. 30, 20. (pro quo nonnulli codd. Cant. 5, 1: *Comedi favum cum melle meo*) et II. Cor. 7, 4.

[12] Psalm. 72, 28, post quem Rom. 8, 35, cui B M P V subiungunt Cant. 3, 4: *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam,* et M P cum E N addunt: *ut dicat semper anima Domino: Te quaero, in te spero, te desidero, in te consurgo, te accepto, in te exsulto, tibi in sempiternum adhaereo* (cfr. inferius n. 8. in fine). — Superius pro *amoris Sponsi fortitudinem* B Q V *Sponsi caritatem.*

idem. 7. In his enim gradibus ordo est, nec status est ante ultimum, nec ad illum pervenitur nisi per gradus intermedios et mutuo intra se positos[1]. Et in primo viget consideratio, in ceteris vero sequentibus dominatur affectio. *Vigilantia* enim considerat, quam honestum, quam conferens, quam delectabile sit diligere Deum[2]; et ex hoc quasi nata *fiducia* parit *concupiscentiam*, et illa *excedentiam*, quousque perveniatur ad copulam et osculum et amplexum[3], ad quod nos perducat etc. Amen.

§ 5.

Recapitulatio.

8. Possunt autem dicti gradus reduci ad compendium per hunc modum. Primo distinguuntur gradus *purgationis* sic: propter *flagitium* erubesce, propter *iudicium* contremisce, propter *damnum* ingemisce, propter *remedium* implora subsidium[4], propter *adversarium* expugna incentivum, propter *bravium* anhela ad martyrium, propter *umbraculum* approxima ad Christum.

s purgationis.

Gradus pertinentes ad *illuminationem* distinguantur sic[5]. Considera, *quis* est, qui patitur, et credens captivare; *qualis* est, qui patitur, et condolens amaricare; *quantus* est, qui patitur, et obstupescens admirare; *qua de causa* patitur, et confidens regratiare; *quali forma* patitur, et subsequens assimilare; *quanta* sunt, quae patitur, et exardescens amplexare; *quid ad hoc consequitur*, et intelligens contemplare.

s illuminationis.

Gradus *viae unitivae* sic distinguuntur[6]: te *vigilantia* sollicitet propter Sponsi promptitudinem; te *confidentia* corroboret propter eius certitudinem; *concupiscentia* te inflammet propter eius dulcedinem; *excedentia* te sublevet propter eius celsitudinem; *complacentia* te quietet propter eius pulcritudinem; *laetitia* te inebriet propter amoris eius plenitudinem; *adhaerentia* te conglutinet propter amoris eius fortitudinem, ut dicat semper devota anima in corde suo[7] ad Dominum: Te quaero, in te spero, te desidero, in te consurgo, te accepto, in te exsulto et tibi finaliter adhaereo.

s viae unitivae.

§ 6.

Alia distinctio novem graduum proficiendi.

9. Nota, quod gradus proficiendi possunt etiam aliter distingui, secundum triplicem differentiam triplicatam, triplici hierarchiae consonam. Necessaria enim sunt cuilibet[8] tria, scilicet *amaritudo, gratitudo, similitudo*, et hoc post lapsum. Si enim homo non peccasset, duo sufficerent, scilicet *gratitudo* et *similitudo*: *gratitudo* propter gratiam, *similitudo* propter iustitiam. Sed nunc necessaria est etiam *amaritudo*, propter medicinam. Peccata enim per delectationem perpetrata deleri non possunt, nisi interveniat contritio afflictiva[9].

Triplex differentia triplicata.

In *amaritudine* debet esse *ponderatio malorum*[10] propter proprias nequitias, *memoratio dolorum* propter Christi angustias, *postulatio remediorum* propter proximi miserias.

De prima.

In *gratitudine* debet esse *admiratio beneficiorum* propter creationem de nihilo, *annihilatio meritorum*[11] propter reparationem de peccato, *actio gratiarum* propter ereptionem de inferno. Fuit enim *creatio* ad imaginem, *redemptio* per proprium sanguinem, *ereptio* usque ad caeli altitudinem.

De secunda.

In *similitudine* debet esse *aspectus veritatis* elevatus ad superiora, *affectus caritatis* dilatatus ad

De tertia.

---

[1] Ita Q; V *et mutuo infra se positos;* Vat. cum pluribus codd. *et mutuo* [S T addunt *ita*] *se pariunt*, M N P legunt *et mutuo ita pariunt, ut in primo vigeat consideratio... dominetur affectio;* K R: *In his enim gradibus ordo est, nec enim* [R *ante*] *venitur ad statum ultimum nisi per istos gradus intermedios mutuo ita se complectentes. In primo enim viget* etc.

[2] Secundum Aristot., II. Ethic. c. 3, triplex distinguitur bonum, quod in electionem cadere potest, scil. honestum, utile et iucundum. — Inferius pro *ad quod* [B *ad quae*, E I T *ad quem*, C *quo*] *nos perducat etc. Amen* Vat. *dilecti et amantissimi*, R *dilecti Amen*. Hic C G N P finem imponunt opusculo.

[3] Cod. V (etiam alius Romae in bibliotheca Barberina asservatus, n. XLIV.) adiungit: Natura corporalis non potest uniri nisi mediante *humore*, *spiritu* et *calore*, quia haec tria disponunt carnem, ut vitam recipiat ab anima. Secundum hoc etiam est, quod Deus non praestat vitam animae nec ei unitur, nisi sit *humida* per gemitum compunctionis, *spiritualis* per contemptum omnis terrenitatis, *calida* per desiderium caelestis patriae et ipsius dilecti. — Seq. recapitulatio exhibet §§ 2, 3, 4.

[4] Codd. B E M S T V *propter subsidium clama ad* [R omittit *ad*] *remedium*. Inferius pro *expugna incentivum* Vat. *exstingue incendium*, et pro *approxima* B E *approquinqua*, M V *festina*.

[5] Cod. Z: *Gradus pertinentes ad illuminationem sunt septem, videlicet primo considera* etc. Servavimus ordinem Vat., cum codd. membrum quartum *qua de causa patitur* secundo exhibeant loco; cfr. supra n. 3. Inferius pro *regratiare* K R et Vat. *precare;* eadem Vat. subinde post *quid ad hoc* [B T V *ad haec*] *consequitur* addit *quod patitur*.

[6] Cod. Z: *Gradus viae unitivae similiter sunt septem, quorum primus est vigilantia, secundus confidentia etc. Vigilantia te sollicitet* etc.

[7] Codd. K R *dicat semper anima* [Z *spiritualis anima*] *in corde et ore suo*. Inferius pro *finaliter adhaereo* B M T Z *in sempiternum adhaerebo et a te nunquam separabor*. Hic in B opusculum explicit.

[8] Vat. cum nonnullis codd. addit *proficere volenti*.

[9] Vat. *nisi e contrario per afflictionem et amaritudinem*.

[10] In Vat. additur *commissorum;* E M T V hic et bis inferius post *dolorum* et *remediorum* addunt *et hoc*. Subinde pro *memoratio dolorum* (ita I S) E *memoria praeteritorum dolorum*, et pro *miserias* I *molestias*.

[11] Ita M R T V Z (cfr. infra additamentum II. n. 2.), Vat. *accumulatio* [E *anhelatio*, S *adminiculatio*] *meritorum*. Plures codd. post *de nihilo* addunt *ad imaginem Dei*, subinde post *de peccato* subiungunt *per proprium sanguinem*, et demum post *de inferno* de seq. propositione (*Fuit enim creatio* etc.) solum retinent *ad caeli altitudinem* [V *celsitudinem*].

exteriora, *actus virilitatis* ordinatus ad interiora; ut sic fiat *erectio supra te* per *aspectum veritatis,* et hoc per contemplationem divinorum, *intelligentia,* per circumspectionem universorum, *scientia*, per captivationem iudiciorum, *fide formata* [1]. — Item, *extensio circa te* [2] debet diligenter fieri per *affectum caritatis*, et hoc per *appetitum* delitiarum caelestium, *sapientia;* per *amplexum* rationabilium, *amicitia;* per *contemptum* voluptatum carnalium, *modestia.* — Item *exercitatio intra te* [3] debet esse per *actum virilitatis*, et hoc per aggressum difficilium, *strenuitate;* per actum laudabilium, *magnanimitate;* per amplexum humilium, *humilitate.*

Maior explicatio. De prima. 10. *Purgatio* autem *in amaritudine*, in qua est *contritio respectu sui*, debet esse *dolorosa* [4] per tristitiam propter mala prementia te ipsum, Christum et proximum. — *Compassio respectu Christi* debet esse *timorosa* per reverentiam propter iudicia latentia, et tamen vera, licet incerta, sicut tempus, dies et hora [5]. — *Commiseratio respectu proximi* debet esse *clamorosa* per confidentiam propter patrocinia semper parata [6] per Deum, per Christum, per Sanctorum suffragium.

De tertia. *Illuminatio in similitudine*, in qua est *aspectus veritatis primae* [7] erectus ad incomprehensibilia, expansus ad intelligibilia, exinanitus ad credibilia; in qua etiam est *affectus caritatis* erectus ad Deum, extensus ad proximum et exinanitus ad mundum; *actus virilitatis*, erectus ad commendabilia, extensus ad communicabilia, exinanitus ad contemptibilia.

De se[...] *Perfectio in gratitudine*, in qua est *vigilantia* [8] exsurgens ad canticum propter beneficiorum utilitatem; *laetitia* exsultans ad iubilum propter donorum pretiositatem; *benevolentia* accedens ad amplexum propter dantis liberalitatem [9].

§ 7.

De duplici contemplatione rerum divinarum.

11. Nota, quod *aspectus veritatis* debet esse erectus ad incomprehensibilia, et haec sunt mysteria summae Trinitatis, ad quae erigimur contemplando, et hoc dupliciter: vel per *positionem*, vel per *ablationem.* Primum ponit Augustinus [10], secundum Dionysius.

Via [...] Per *positionem* primo intelligimus, in divinis esse quaedam ut *communia*, quaedam ut *propria*, quaedam ut *appropriata*, quae quidem sunt [11] media inter haec et illa. Intellige igitur et contemplare, si potes, *communia* circa Deum et vide, quoniam Deus est *essentia prima*, *natura perfecta*, *vita beata;* quae necessariam habent consequentiam [12]. — Rursus attende et vide, si potes, quoniam Deus est *aeternitas praesens*, *simplicitas replens*, *stabilitas movens;* quae similiter consequentiam [13] et connexionem

---

[1] Epist. II. Cor. 10, 5: In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Pro *fide formata* E *fidentia*, I Q *fiducia*, M T *fide*, V *fide et perspicacia.* Superius pro *ordinatus* S T V *coadunatus*, et pro *ut sic fiat erectio supra te* (ita M Q V; cfr. Bernard., II. de Considerat. c. 3. n. 6.) Vat. cum nonnullis codd. *Elevatio ad superiora* [K R *supra*] *debet diligenter fieri.*

[2] Vat. *Item dilatatio seu extensio circa exteriora.* Inferius pro *affectum caritatis* M Q V *affectum amoris*, pro *amplexum rationabilium* E S T *amplexum animarum rationalium*, I *amplexum caritatis animarum rationabilium*, et pro *contemptum voluptatum* E I M S T *contemptum concupiscentiarum.*

[3] Vat. *Item ordinatio sive exercitatio circa interiora*, Q *Examinatio intra te*, E M S T *Exinanitio intra te*, I *Exstinctio intra se.* Inferius pro *per actum* E M V *per actionem*, et pro *per amplexum* E M S T V *per complexum.*

[4] Cod. I: *In amaritudine, in qua est purgatio, debet esse contritio respectu sui dolorosa.* S T omittunt *debet esse.* Subinde post *prementia* K prosequitur *propter te ipsum, propter Christum, propter proximum*, R *propter te ipsum, Christum, proximum.*

[5] Ita cum Vat. K R; E M Q S T V *latentia quantum ad te, quantum ad Christum, quantum ad proximum.* Utraque lectio et tota propositio corrupta esse videtur.

[6] Pro *semper parata* E I S T *assistentia*, M V *assistentium.* Inferius pro *suffragium* Vat. cum nonnullis codd. *suffragia*, E S T *consortium.* Quae de *purgatione in amaritudine* dicta sunt S transponit inferius post *contemptibilia.*

[7] Codd. E I M S T V omittunt *primae.* Vat. hic et bis inferius post *affectus caritatis* et *actus virilitatis* addit *qui debet esse.* Subinde post *incomprehensibilia* E I S Z addunt *scilicet mysteria creatricis essentiae*, post *intelligibilia* E I *scilicet documenta philosophiae*, et post *credibilia* I addit *scilicet sacramenta fidei christianae.* Inferius pro *exinanitus ad mundum* M Q S T V *exinanitus ad Christum.*

[8] Cod. V *in qua debent esse haec, scilicet vigilantia.* Subinde pro *exsurgens* K *exaltans te*, R *exaltans*, qui etiam pro *accedens* substituit *excitans*, E K M S V *excedens*, T *excedens, extendens.*

[9] Codd. E S hic addunt: Cant. ultimo [v. 5.]: *Quae est ista, quae ascendit de deserto deliciis affluens* etc. Amaritudo, in qua moeror poenitentiae pro offensa [S propter offensam] Dei, moeror clementiae pro miseria Christi [S proximi], moeror indigentiae pro absentia boni; primus dolorosus propter malum praesens, secundus timorosus propter periculum manens, tertius clamorosus propter patrocinium assistens. Similitudo, in qua aspectus veritatis exinanitus [S expansus] per rationem, fidem, admirationem respectu universi; affectus caritatis expansus per communionem, imitationem et unionem respectu Christi [S affectus caritatis exinanitus per oblivionem sui, per unionem respectu proximi]; actus virilitatis elevatus per largitatem, humilitatem, magnanimitatem respectu Dei. Gratitudo, in qua memoria evigilans, laetitia exsultans, benevolentia exaestuans; primum ad beneficia numeranda, secundum ad cantica solvenda, tertium ad oscula geminanda.

[10] Libr. V. seqq. de Trin.; Dionys., de Mystica Theolog. c. 1. § 2. usque ad finem opusculi. — Plures codd., ut E M S V, brevius *vel per positionem secundum Augustinum, vel per ablationem secundum Dionysium.*

[11] Ita R; E *quae sunt quasi*, Vat. cum nonnullis codd. perperam *quaedam sunt;* cfr. I. Sent. d. 34. q. 3. et d. 36. a. 1. q. 2. in corp.; Breviloq. p. I. c. 6.

[12] De qua vide Itinerar. mentis in Deum, c. 5. n. 5. seqq., ubi etiam de seq. propositione; Breviloq. p. I. c. 2. — Codd. E S hic et inferius *convenientiam.* Superius pro *et vide* E M S V *et cognosce*, T *et agnosce.*

[13] Cod. M *quae sunt communia.*

riorum -rentia rtia. nitatem lit tri- er.

naturalem habent. — Postremo attende, quoniam Deus est *lux inaccessibilis*[1], *mens invariabilis*, *pax incomprehensibilis*; quae non tantum essentiae unitatem, sed etiam includunt perfectissimam Trinitatem.

Primo.

Lux quidem tanquam parens generat splendorem, splendor autem et lux producunt *calorem*, ita quod *calor* procedit ab utroque, licet non per modum prolis. Si ergo Deus vere lux est inaccessibilis, ubi splendor et calor est substantia et hypostasis, vere in Deo est Pater et Filius et Spiritus sanctus, quae sunt *propria* divinarum personarum[2]. —

econdo.

Mens etiam tanquam principium concipit et producit ex se *verbum*, a quibus emanat *amoris donum*; et hoc est in omni mente perfecta reperire. Si ergo Deus est *mens invariabilis*, planum est, quod in divino *esse* est Principium primum, Verbum aeternum, Donum perfectum, quae sunt propria divinarum personarum[3]. —

Tertio.

Pax etiam includit nexum plurium; perfecte autem necti non possunt nisi similes; similes autem non sunt, nisi ambo a tertio, vel unus ab altero. Sed in divinis non possunt ambo esse a tertio eodem modo: necesse est ergo, quod si in divinis est vera pax, quod ibi sit prima origo, eius imago, utriusque connexio[4].

opriato- diffe- prima.

12. Deinde in divinis sunt *appropriata* secundum triplicem differentiam. — *Prima* appropriata sunt *unitas, veritas, bonitas*. Attribuitur *unitas* Patri, quia origo; *veritas* Filio, quia imago; *bonitas* Spiritui sancto, quia connexio[5].

econda.

Secunda appropriata sunt *potestas, sapientia*, et *voluntas*: *potestas* Patri, quia Principium; *sapientia* Filio, quia Verbum; *voluntas* Spiritui sancto, quia Donum.

Tertia.

Tertia appropriata sunt *altitudo, pulcritudo* et *dulcedo*: *altitudo* Patri, propter unitatem et potestatem. Nihil enim aliud est altitudo quam singularis et unica potestas[6]. *Pulcritudo* Filio, propter veritatem et sapientiam. Nam sapientia *multitudinem* idearum, veritas autem *aequalitatem* includit; « pulcritudo autem nihil aliud est quam aequalitas numerosa[7] ». *Dulcedo* Spiritui sancto, propter voluntatem et bonitatem. Ubi est summa bonitas iuncta cum voluntate, ibi est summa caritas et summa dulcedo. — Est igitur in Deo *altitudo* terribilis, *pulcritudo* mirabilis, *dulcedo* desiderabilis, et hic est status[8]. — Haec est igitur erectio per viam *affirmationis*.

Via negationis.

13. Sed alia est eminentior, scilicet secundum *viam negationis*, quoniam, ut dicit Dionysius[9], « affirmationes incompactae sunt, negationes verae », licet enim minus videantur dicere, plus dicunt. Et hic modus erectionis est per abnegationem omnium, ita quod in negationibus illis sit *ordo*, incipiendo ab inferioribus usque ad superiora, sit etiam *supereminentis positionis inclusio*, ut cum dicitur: Deus non est quid *sensibile*, sed supersensibile, nec *imaginabile* nec *intelligibile* nec *existens*, sed super omnia haec.

Notandum.

Et tunc veritatis aspectus fertur in mentis caliginem et altius elevatur et profundius ingreditur, pro eo quod excedit se et omne creatum[10]. Et hic est nobilissimus elevationis modus; sed tamen ad hoc, quod sit perfectus, praeexigit alium, sicut perfectio illuminationem, et sicut negatio affirmationem[11]. Hic autem modus ascendendi tanto est vigorosior, quanto vis ascendens est intimior; tanto fructuosior, quanto affectio proximior. Et ideo valde utile est in illa exerceri[12].

---

[1] Epist. I. Tim. 6, 16: Lucem inhabitat inaccessibilem.

[2] Cfr. Isidor., II. Differentiar. c. 2. n. 3; Lib. de Cognitione verae vitae (inter opera August.), c. 10. et Honor. Augustodunens., I. Elucidar. c. 1. (Migne, Patrolog. Lat. tom. 172 col. 1110); S. Bonav., in Hexaëm. collat. 13. n. 22. et collat. 21. n. 2. — Superius post *ubi splendor et calor est substantia* Vat. prosequitur *ibi hypostasis vere in Deo* etc.

[3] Cfr. August., XI. de Trin. c. 2. n. 2. seqq. et XV. c. 10. n. 17; S. Bonav., Qq. disput. de Mysterio Trin. q. 1. a. 2. in corp. et Itinerar. mentis in Deum, c. 3. n. 5. — Superius post *tanquam principium* S addit *productivum*.

[4] Cfr. I. Sent. d. 2. q. 4. et d. 10. a. 2. q. 2. — Superius pro *nexum plurium* Vat. *nexum plurimorum*.

[5] August., I. de Doctrina christiana, c. 5. n. 5: In Patre unitas, in Filio aequalitas, in Spiritu sancto unitatis aequalitatisque concordia. Cfr. I. Sent. d. 3. p. I. dub. 3. et 4; d. 31. p. II. a. 2. q. 3; d. 34. q. 3. et dub. 7; Breviloq. p. I. c. 6. et in Hexaëm. collat. 21. n. 4. seqq., ubi etiam de seqq. appropriatis. — Cod. R *quia donum*.

[6] Cfr. August., Enarrat. in Ps. 131, 17. n. 27. — Codd. E K R omittunt *et unica*.

[7] Secundum August., VI. de Musica, c. 13. n. 38. Cfr. tom. V. pag. 301, nota 1. — De veritate, quatenus *aequalitatem* sive adaequationem rei et intellectus includit, cfr. August., de Vera Relig. c. 36. n. 66. et S. Bonav., tom. I. pag. 707, nota 5.

[8] Cfr. in Hexaëm. collat. 21. n. 4. seqq. — Vat. *status glorificationis*, quae etiam superius post *terribilis* perperam addit *et hic est status erectionis* et post *mirabilis* subiungit *et hic est status contemplationis*.

[9] De Caelesti Hierarch. c. 2. § 3: Negationes de Deo sunt verae, affirmationes vero incompactae (incongruae; cfr. tom. I. pag. 589, nota 2.). Vide etiam de Mystica Theolog. c. 1-5, in quibus ea quae sequuntur insinuantur. — Pro *negationes verae* (ita S) Vat. cum aliis *negationes vero* [V addit *de Deo*]; deinde *licet* [M S, quos secuti sumus, addunt *enim*] *minus videantur* etc. Inferius pro *per abnegationem omnium* Vat. *per abnegationem trium*.

[10] Cfr. Itinerar. mentis in Deum, c. 7. n. 5. et in Hexaëm. collat. 2. n. 29. — Superius post *nec existens* Vat. prosequitur *hoc vel hoc* [ita etiam M], *sed super omne ens*. Subinde E K R S T V omittunt *veritatis aspectus*.

[11] Aristot., I. Poster. c. 21. in fine (c. 25.): Affirmativa autem negativa prior et notior; per affirmativam enim negativa nota; et prior affirmativa est, sicut *esse* prius est *non-esse*. — Superius pro *elevationis modus* E M S T V *elevandi modus*. Inferius pro *Hic autem modus* E M *Hic modus*, S T V *Hic etiam modus*, et pro *intimior* M Q T V Z *unitior* (Auctor libri de Causis, propos. 17: Omnis virtus *unita* plus est infinita quam virtus multiplicata).

[12] Codd. E S addunt *per caritatis excessus* [S *excessum*]. Secundum V hic est finis opusculi: *et ideo in hoc* [modo ascendendi, ita etiam M Q T] *utile est exerceri. Deo gratias*.

Adaptatio ad hierarchiam caelestem.

14. Nota [1], quod in prima hierarchia Veritas est *advocanda* per gemitum et orationem, et hoc est Angelorum; *audienda* per studium et lectionem, et hoc Archangelorum; *annuntianda* per exemplum et praedicationem, et hoc Principatuum. — In secunda hierarchia Veritas est *adeunda* per refugium et commissionem, et hoc Potestatum; *apprehendenda* per zelum et aemulationem, et hoc Virtutum; *associanda* per sui contemptum et mortificationem, et hoc Dominationum. — In tertia hierarchia Veritas est *adoranda* per sacrificium et laudationem, et hoc Thronorum; *admiranda* per excessum et contemplationem, et hoc Cherubim; *amplectenda* per osculum et dilectionem, et hoc Seraphim. Nota diligenter praedicta, quoniam in illis est fons vitae [2].

ADDITAMENTUM I.

PROLOGUS [1].

Evigilans vero animam meam tanquam frigiditate tenebratam calescere conor, quam in devotione desertam scio incendi et ingenti nimirum desiderio super terrigenas elevari. Non enim in otio advenit mihi affluentia amoris aeterni, neque dum corporaliter fueram nimis aggravatus et fatigatus prae itinere, ardorem ipsum spiritualem potui sentire, aut etiam immoderate occupatus solatiis velut cuidam ultimae dispositioni deditus; immo me in talibus refrigescere deprehendi, donec iterum, postpositis omnibus, quibus exterius possem detineri, solummodo Salvatoris aspectibus assistere contenderem in internisque odoribus immorari. — Istum ergo librum offero intuendum non philosophis, non mundi sapientibus, non magnis theologis infinitis quaestionibus implicatis, sed rudibus et indoctis, magis Deum diligere quam multa scire conantibus. Non enim disputando, sed agendo scietur ars amandi. Arbitror autem, ea quae hic continentur, ab istis quaestionariis et in omni scientia summis, sed in amore Christi inferioribus, non posse intelligi; unde nec eis scribere decrevi, nisi, postpositis et oblitis cunctis, quae ad mundum pertinent, solis Conditoris inardescant desideriis mancipati: primo quidem, ut omnem terrenam dignitatem fugiant, omnem ostentationem scientiae et vanam gloriam odiant, ac demum, paupertati altissimae se conformantes, orando et meditando divinae dilectioni iugiter assistant. Sic nimirum apparebit eis interius igniculus quidam virtutis increatae et componens cor eorum ad capiendum calorem, quo cuncta caligo consumetur, elevabit eos in ardorem amabilem et amoenissimum, ut temporalia transcendant et thronum teneant in termino tranquillitatis. Quo enim scientiores sunt, eo aptiores sunt vel essent ad amandum, si vere spernerent se ipsos et ab aliis sperni gauderent. Proinde, quia hic universos excito ad amorem amorisque superfervidum ac supernaturalem affectum utcumque ostendere conabor, istius libri titulus *Incendium amoris* dicatur.

Scopus auctoris.

ADDITAMENTUM II.

Meditanda inter Missam.

1. Nota [2], quod in Missa cogitandum est de negligentia circa corpus Christi. Nota de Sacramento, quod Dominus propter nos semper totus ibi est, et nos raro ibi toti sumus propter eum, vel nunquam. Item, quod ibi est pretium redemptionis nostrae sufficiens, nec tamen ibi liberamur, et hoc stat [3] per nos; quod ibi vere est Deus, et non videmus eum, ad quem videndum creati sumus; quod ibi est paratior ad liberandum nos, quam nos a miseria liberari; quod ipse ad salutem nostram hoc Sacramentum tam studiose instituit, nos vero tepidi, immo frigidi hoc consecramus [4]; quod ipse ibi est cum Angelorum frequentia, nos cum maxima cordis irreverentia; ipse est ibi ardens pro nostra dilectione, nos ibi remissi in gratiarum actione; quod ibi cibus Angelorum est ad nostram

---

[1] Ita R; K *Sed notandum;* M Q T omittunt *Nota, quod;* E S legunt: *Exerce* [S addit *igitur*] *te ad veritatem secundum conformitatem ad Ierusalem supernam. Veritas in hierarchia prima est advocanda* etc.; Vat.: *Ut ergo in hac elevatione veritatis aspectus se valeat exercere, nota* etc., quae etiam inferius pro *lectionem* substituit *devotionem*.

[2] Codd. M Q omittunt *Nota diligenter... fons vitae.* M prosequitur: *Finit liber Bonaventurae ministri generalis ordinis fratrum minorum, quod trinarium dicitur, eo quod de triplici via ad sapientiam tractetur.* E et S addunt: *Nota, quod Deus habet esse absque non-entitate, per se esse absque accidentalitate, esse actuale absque materialitate, vivere absque mutabilitate, cognoscere absque possibilitate, movere absque variabilitate, conferre absque successione, intelligere absque abstractione, contemplari absque ascensu, sapere absque appetitu.* S hic addit *Amen* et finitur, E vero adiicit totius operis recapitulationem nullius valoris. In cod. T post *Seraphim* sequitur amplum illud additamentum IV, quod habetur infra.

Notae ad additamenta.

[1] De hoc spurio prologo, quem ed. Vaticana cum aliis huic opusculo praefigit, vide supra pag. 3, notam 1.

[2] Hoc additamentum certo spurium habetur in cdd. Vat. aliisque. Cfr. supra pag. 11, nota 1. — Quae sequuntur sic exhibet F *Quid sit cogitandum in Missa. Cogitandum est in Missa,* D *Cogitandum est in Missa,* R *Nota, quod in Missa cogitandum est.*

[3] Vat. *restat.* Inferius pro *non videmus* K *videmus,* qui etiam omittit *ad quem videndum creati sumus;* D F legunt *quod non videmus illud, ad quod creati sumus.* Subinde pro *ibi est paratior ad liberandum nos* D F *in altari paratior est ad miserandum.*

[4] Codd. D F *nos huic tepide consentimus,* qui etiam inferius pro *nos cum maxima cordis irreverentia* substituunt *et nos ibi cum minima cordis reverentia.*

refectionem, et nos non gustamus eum[1] propter nostram corruptionem; quod ibi, quidquid dispergimus per culpam, ipse congregat per gratiam, nec grati sumus; quod ibi se offert pretium redemptionis nostrae sine taedio, nec tamen liberamur omnino[2].

[...]adrupli- [...] sumus [...]tores. [...] primo [...]modo.

2. Vis ergo scire, quae et quibus debeas[3]? Primo *Christo* omnem vitam tuam, quia ipse suam posuit pro tua et cruciatus diros sustinuit, ne tu perpetuos sustineres. Sed confer praemia omnis vitae filiorum Adam et omnes dies saeculi et labores omnium hominum, qui fuerunt, sunt et erunt, nihil erunt ad comparationem corporis illius, quod spectabile et stupendum est etiam virtutibus supernis, in conceptu de Spiritu sancto, in ortu de Virgine, in vitae innocentia, in doctrinae affluentia, in coruscationibus miraculorum, in revelationibus sacramentorum. *Sicut* igitur *exaltantur caeli a terra*[4], sic exaltata est vita illius a vita hominum, quae tamen posita est pro vita nostra. Sicut enim *nihil* ad *aliquid* nullam habet comparationem, ita vita nostra ad vitae illius proportionem, cum illa nulla dignior sit, nostra nulla miserior esse possit. Cum ergo me ei devovero, quid, quaeso, sum? Nonne sicut stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem?

[...]secundo.

Sed non huic soli debitor sum, cui nihil retribuere possum. Exigunt a me praeterita *peccata mea* futuram vitam meam, ut *faciam dignos fructus poenitentiae*[5], et *recogitem omnes annos meos in amaritudine animae meae.* Sed ad hoc quis idoneus? *Peccavi super numerum arenae maris, et multa sunt peccata mea, et non sum dignus aspicere caelum,* dixit Manasses in sua oratione etc. Quod igitur sine numero est, quomodo numerabo? Quomodo sufficiam, cum cogar reddere debitum *usque ad novissimum quadrantem*[6]? *Sed et delicta quis intelligit?* Quantum poeniteam, quantumlibet me affligam et macerem, *propter nomen tuum,* non propter poenitentiae meritum, *propitiaberis, Domine, peccato meo,* ait iustus; *multum est enim.* — Cum igitur quidquid vivis, quidquid sapis, quidquid habes, quidquid potes, huic uni rei dedicaveris, nunquid aliquid est vel in aliquid computandum?

De tertio.

Sed et *tertium debitorem* ostendam tibi, qui non minus acriter quam veraciter sibi vindicat vitam tuam. Puto enim, quod possidere desideras gloriam illam, quam *nec oculus vidit, nec auris audivit*[7] etc., *regnum omnium saeculorum,* vivere in aeternum, *in perpetuas aeternitates.* Credo, quod velis esse aequalis Angelis Dei[8] et in plateis supernae Ierusalem melos Angelorum audire et videre, quidquid est illud vel erit, quando *Deus erit omnia in omnibus.* Nonne ad hoc totum te, et quantumcumque, undecumque trahere poteris, dare oportebit? Et cum omnia impleveris, non tamen credas, *esse condignas passiones huius temporis* vel corporis *ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.*

De quarto.

Quid dices, si et *quartum debitorem* adduxero in medium, qui sibi iure primatus tres superiores excedere velit? Ecce, in *ianuis est*[9], *qui fecit caelum et terram:* Creator tuus, tu creatura; tu servus, ille Dominus; ille figulus, tu figmentum. Totum ergo, quod es, illi debes, a quo totum habes, illi praecipue Domino, qui et fecit te et benefecit tibi, qui tibi ministrat siderum cursus, aëris temperiem, iucunditatem[10] terrae, fructuum ubertatem. Huic revera totis medullis, totis visceribus serviendum, ne forte indignationis oculo te respiciat et despiciat et conterat te in aeternum.

Conclusio.

Expone igitur mihi, cui horum quatuor proponis reddere quod debes, cum unusquisque tam interius quam exterius exactor sit, ut te singulariter possideat? Eia *Domine, vim patior, responde pro me*[11], quia horum quatuor quilibet de iure me tenere potest et *suffocare. In manus tuas commendo spiritum meum*[12]; tu persolve omnibus, tu ab omnibus me libera, quia *tu es Deus et non homo,* et quod *apud hominem impossibile est* possibile est tibi, Domine Deus noster.

ADDITAMENTUM III.

De speculatione Dei per vestigia eius in universo[13].

[...] poten- [...]animae.

1. Notandum, quod sex sunt potentiae animae, quas plantavit in nobis natura ad cognoscendum Deum, sed culpa depravat, gratia reformat, iustitia purgat, intelligentia exercet, sapientia informat. Sunt autem istae potentiae: *sensus,* qui est perceptivus sensibilium formarum; *imaginatio,* quae est perceptiva extensionum imaginabilium; *ratio,* quae est perceptiva rationum invisibilium; *intellectus,* qui est perceptivus spiritualium creaturarum; *intelligentia,*

---

[1] Codd. D F addunt *sicut est;* iidem codd. omittunt inferius *nec grati sumus.*

[2] Hic D F capitulo finem imponunt (cfr. supra pag. 11, nota 7.), pro seqq. cum Vat. habemus solummodo K R.

[3] Omnia, quae sequuntur, ut iam supra pag. 11, nota 7, monuimus, sumta sunt ex Bernard., Serm. 22. de Diversis, n. 5-9, ubi tamen textus originalis plura hinc et inde interserit. — Vat. cum K *quae et quanta et quibus debeas.* Inferius pro *diros* R *duros,* textus originalis *amaros.*

[4] Isai. 55, 9. — Subinde pro *miserior* K *inferior.*

[5] Luc. 3, 8: Facite ergo fructus dignos poenitentiae; cfr. Matth. 3, 8. — Sequitur Isai. 38, 15.

[6] Matth. 5, 26: Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem; cfr. ibid. 18, 34. — Subinde allegantur Ps. 18, 13. et 24, 11.

[7] Epist. 1. Cor. 2, 9. — Sequuntur Ps. 144, 13: Regnum tuum regnum omnium saeculorum; Dan. 12, 3: In perpetuas aeternitates [fulgebunt].

[8] Luc. 20, 36: Neque enim ultra mori poterunt; aequales enim Angelis sunt et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis. — Duo seqq. loci sunt 1. Cor. 15, 28: Ut sit Deus omnia in omnibus; Rom. 8, 18: Non sunt condignae passiones etc.

[9] Matth. 24, 33: Ita et vos, cum videritis haec omnia, scitote, quia prope est in ianuis. Ps. 120, 2: Auxilium meum a Domino, qui fecit etc. — *Debitorem* sume pro *creditorem.*

[10] Textus originalis *fecunditatem.*

[11] Isai. 38, 14. — Superius post *cum unusquisque* textus originalis prosequitur *tantus exactor sit* [in nota adiecta: *tam internus quam externus exactor sit*], *ut te possit singulariter suffocare.*

[12] Psalm. 30, 6. — Sequuntur Osee 11, 9: Deus ego et non homo (cfr. Isai. 28, 2. et 9.); Luc. 18, 27: Quae impossibilia sunt apud homines possibilia sunt apud Deum; cfr. Matth. 19, 26. et Marc. 10, 27.

[13] Cfr. supra pag. 11, nota 1. Pro omissa illa parte capituli secundi, quae habetur in edd., S T Z aliud et extensius additamentum substituunt; quod ex variis locis operum S. Bonaventurae sumtum est, modo contractum, modo adauctum. Similiter ab eisdem codd. etiam ad cap. III. adiunctum est additamentum, quod non est nisi continuatio praecedentis. Duo

quae est perceptiva veritatum necessariarum; *concupiscentia determinata in bonum,* sive synderesis, quae est perceptiva summi boni in omnibus praedictis.

Conditiones requisitae ad cognoscendum Deum.

2. Cum ergo volumus cognoscere Deum et per has potentias, quas natura plantavit in nobis, ad eius cognitionem ascendere, quia in Deo non est passio qualitativa nec extensio quantitativa nec successio, quae collatione percipiatur, nec definitio loci vel temporis nec determinatio sive discretio; necesse est, ut abstrahatur *sensus* a passione qualitativa, *imaginatio* ab extensione quantitativa, *ratio* a decursione collativa, *intellectus* a definitione formarum spiritualium, *intelligentia* a determinatione veritatum necessariarum, *concupiscentia sapientiae* a proprio amore. Ab istis autem impedimentis sola caritas liberat animam, quae, sicut dicit Apostolus[1], *est de corde puro et conscientia bona et fide non ficta. Fides* enim *non ficta* in cognoscendo Deum respuit quidquid sensus, imaginatio et ratio percipit. In his etiam, quae intellectus percipit, non stat nisi referendo ea in Deum tanquam habentia imaginem Creatoris per memoriam, intellectum et voluntatem. Ipsas necessarias veritates excedit nec utitur eis, ut ad inferiora relata sunt, sed ut una ratione in Deo illustrantur. *Conscientia* vero *bona*, quae concernit *scientiam* et *iustitiam*, per *scientiam* omnes istas potentias ordinat in Deum retrahendo a creaturis, per *iustitiam* exercet eas convertendo ad Creatorem.

Triplex theologia.

3. Sciendum autem, quod triplex est theologia ad cognoscendum Deum data, *manifesta* scilicet, quae loquitur de Deo secundum propria, quia bonus, iustus, sapiens et huiusmodi; *symbolica*, quae loquitur de Deo et de divinis secundum similitudinem rerum corporalium; *mystica*, quae loquitur de Deo et de divinis per excessum, unde nominat Deum *optimum*, *superoptimum*, *superessentiale* et huiusmodi, ut intelligatur *optimum*, non sicut id quod est optimum optimitate in genere, sed extra genus, et ens supra omne ens, et sic de ceteris. Theologia *propria* est in doctoribus sacrae Scripturae et in Epistolis Apostolorum et datur secundum acceptionem intellectus et intelligentiae regulatae fide, ne homo *plus sapiat, quam oportet*[2], sed unusquisque, sicut accepit *mensuram fidei.* — *Theologia symbolica* est in Lege et Prophetis et Evangeliis et datur secundum similitudinem eorum quae accipit sensus et imaginatio, transferendo huiusmodi ad divina et spiritualia, ut cum Deus dicitur propter aeternitatem *antiquus dierum*[3], *lux* propter veritatem, *leo* propter potestatem et huiusmodi. — *Mystica theologia* in paucis locis in Scriptura tradita est. Illa est, de qua dicit Apostolus prima ad Corinthios[4]: *Sapientiam loquimur inter perfectos in mysterio absconditam.* Hanc tradidit Paulus Timotheo et Dionysio, et ipse Dionysius nobis, et haec datur secundum acceptionem concupiscentiae, quae de Deo sentit summa per amorem excessivum.

Reduc[ti] hi sex [...] dus ad [...]

4. Ex praedictis patet, quod sex gradus ascendendi plantati sunt in nobis a natura, sed possunt reduci ad tres, quorum primus est in rebus *exterioribus*, quas percipit sensus et imaginatio; secundus in *interioribus*, quas percipit ratio et intellectus; tertius in *superioribus*, quas percipit intelligentia et concupiscentia sapientiae; et est primus gradus quasi per *vestigium*, secundus per *imaginem*, tertius per *similitudinem* in Deum. Per primum gradum, qui est respectu sensibilium rerum, duobus modis ascenditur in cognitionem Dei ut *per speculum* et *in speculo.* Venit enim in cognitionem Dei per res sensibiles quasi per speculum, speculando per ipsas immensitatem divinae *potentiae*, immensitatem divinae *sapientiae*, immensitatem divinae *bonitatis.* Hoc autem facit in rebus ipsis considerando *originem* quantum ad productionem, distinctionem et ornatum; *magnitudinem* quantum ad latitudinem, longitudinem et altitudinem; *multitudinem* quantum ad genera, species et individua; *pulcritudinem* luminum, colorum et effigierum; *plenitudinem*, quae est localis, materialis et formalis; *operationem*, quae est naturalis, artis sive rationalis et moralis; *ordinem* prioris ad posteriora, superioris ad inferiora, et singulorum ad finem ultimum. Per ista omnia et singula quasi per speculum est venire in cognitionem divinae *potentiae*, quae potuit de nihilo omnia producere, magna et virtuosa facere; divinae *sapientiae*, quae scivit de nihilo producere multa pulcra et ordinata; divinae *bonitatis*, quae voluit de nihilo plena virtutibus facere, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Spec[...] fundet[...] pietat[e]

5. Sciendum[5], quod speculatio rerum sensibilium, ut veraciter ducat in Deum, fieri debet et fundari *in pietate*, sine qua speculatio huiusmodi *intellectum* potest elevare in Deum, sed non movere *affectum.* Haec autem pietas est *sensus* originis, *cultus* originis, *honor* originis, *amor* originis. — *Sensus originis*, inquam, *principiantis, enutrientis, condescendentis.* Pietas, dico, est sensus *originis principiantis* rem in *esse*, et secundum hoc pietas est in qualibet re creata. Quaelibet enim res creata habet inclinationem et movetur ad suum principium et ad ea quae sunt a suo principio, ut patet. Nam lapis tendit deorsum, et ignis sursum, quia originale principium lapidis est in centro terrae, et ignis in circumferentia. Similiter ferrum et adamas habent unum principium effectivum, scilicet polum arcticum, et quia illius principii nobilior efficacia in

Pieta[s] sensus nis, p[...] princi[...] ti[...]

---

haec additamenta postea in codice Cusano aa (n. 43, alias 20) et nonnullis aliis unita et in specialem tractatum conflata sunt cum titulo *de Pietate*, divisum in sex capitula. — Minime probabile est, quod ipse S. Doctor haec excerpta fecerit et huic suo opusculo inseruerit, et multo minus, quod illum tractatum de Pietate publicaverit. Tamen operae pretium visum est, haec additamenta post opusculum genuinum minoribus typis excusa adiicere. Plura de III. et IV. additamento vide supra in Prolegomenis c. 1. § 1.

Pro fundamento posuimus textum codicis Tudertini T, sed valde emendatum melioribus lectionibus, quas praebent alter cod. Tudertinus S, duo codd. Pragenses satis correcti bb, cc et ille Cusanus liber de Pietate. Brevitatis causa a referendis tot lectionibus variantibus et correctionibus a nobis factis abstinuimus, exceptis paucis locis.

Cod. Cusanus aa habet: Incipit liber Domini bone venture de pietate. Capitulum primum. Ad cognoscendum Deum sex gradus plantati sunt in nobis a natura, qui reduci possunt ad tres gradus. — Quae sequuntur sub n. 1-4. excerpta sunt ex *Itiner. mentis in Deum*, c. 1. n. 6, 7, 2, 3, 4 et 5, et hinc inde parum et non feliciter mutata, nonnullaque addita.

[1] Epist. I. Tim. 1, 5.

[2] Respicitur Rom. 12, 3.

[3] Ex cod. cc supplevimus *antiquus dierum* (Dan. 7, 9.), pro quo solus S habet *mons.* De *luce* I. Ioan. 1, 5; de *leone* Apoc. 5, 5.

[4] Cap. 2, 6.

[5] Cod. aa praemittit: *Capitulum secundum. Qualiter speculatio rerum sensibilium fundatur in pietate, et quid est pietas.* — Haec additamenti pars, quae per modum *sermonis* agit de pietate, secundum sententias principales sumta est de opusculo Bonaventurae *Collationes de Donis Spiritus S.*, coll. 3. de pietate n. 5. et seqq.; sed valde aucta est sententiis ex aliis eiusdem operibus sermonibusque depromptis, vel propriis auctoris.

adamante est quam in ferro, hinc est, quod ferrum ad adamantem inclinatur et illi adhaeret tanquam ad id, in quo proximius est sua effectiva origo per operationem; ab eodem enim causatur ferrum et adamas in visceribus terrae. Ex eadem causa est, quod quidam lapides sibi mutuo cedunt et ad se propter se conveniunt, propter communionem principii, vel contrarietatem [1].

...condo, ...trientis. 6. *Originis enutrientis* rem quantum ad vitam; et hoc in rebus habentibus vitam; unde naturaliter animalia sensibilia et etiam plantae vegetabiles haerent et feruntur ad suam originem nutrientem. Unde foetus emissus statim quaerit matrem et ubera, et agnus matrem agnoscit, et omnes venae arboris radici connectuntur, et naturaliter animalia cognoscunt herbas conferentes sibi et fugiunt et horrent nocentes.

...io, con...scendeo... *Originis condescendentis et miserentis;* et haec pietas sive sensus in sola creatura rationali est, quae sentit per rationem et intellectum suum principium et originem condescendere sibi ad eruditionem per veritatem, et miserentem sibi per caritatem; et huiusmodi condescensionem intelligit non necessariam aut debitam, sed dignativam et voluntariam; unde non necessario nec coacte, sed voluntarie inclinatur ad suum principium, ubicumque illud sentit, sive sit principium corporale, sive spirituale, id est secundum carnem, ut pater carnalis, sive secundum spiritum, ut pater spiritualis [2]; et haec pietas proprie *virtus* est. Inde est, quod magis inclinamur subvenire vel compati hominibus quam bestiis, quia in eis sentimus unum principium commune nobiscum, non solum commune, sed etiam *propinquum*, scilicet Adam. Quia tamen et Deum principium sentimus in bestiis, ideo non possumus non compati eis, quando patiuntur praeter ordinem institutum de eis a summo principio Deo, ut si videam agnum interfici, ut detur canibus vel comedatur a lupo. Cum autem patiuntur secundum ordinem institutum a Deo, non compatimur, ut si agnus interficiatur, ut ab homine comedatur. — Secundum hanc pietatem inclinamur magis illis hominibus, qui sunt nobiscum ab uno principio proximo, ut fratribus nostris, qui sunt ab uno patre carnali proximo, vel spirituali, ut fratres unius Ordinis sive Religionis. Secundum hanc pietatem Sancti quidam leguntur compassi etiam irrationalibus creaturis, ut beatus Franciscus agnis et volucribus, immo etiam insensibilibus, et vocasse huiusmodi fratres suos, quia speculabatur huiusmodi creaturas ab eodem principio secum factas, et in hac consideratione compatiebatur et honorabat eas, vel potius in eis Deum principium commune omnium [3].

..., est cultus originis. 7. Non solum autem pietas est sensus originis, sed etiam cum sensu est *cultus originis;* unde Augustinus [4] dicit, quod « pietas est cultus Dei, et in pietate dicimur colere parentes ». Sicut autem *cultor terrae* dicitur qui satagit manifestare et in lucem educere pullulationes, quas terra apta nata est producere; sic *cultor Dei* dicitur qui studet manifestare pullulationes, quae sunt ab ipso Deo, qui est origo omnium naturarum, omnium gratiarum, omnium divinarum personarum. Unde Sancti recte dicuntur Deum coluisse, quia per doctrinam suam et Scripturam manifestaverunt, a Deo pullulasse omnes *naturas*, *gratias* et *divinas personas: naturas*, sicut Moyses, Genesis primo [5]: *In principio creavit Deus* etc. Sic colit Deum qui omnes naturas a Deo esse credit et confitetur, et ideo bonas, quia a bono principio. *Gratias*, sicut doctores, maxime novi testamenti, qui docent et confitentur, quia *omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est* [6] etc. Sic colit Deum qui omnia bona sua spiritualia a Deo se habere cognoscit, et propter hoc ipsum diligit et laudat, et omnia bona, quae facit, Deo attribuit; et in quibus dona Dei esse cognoscit, illos diligit et veneratur. *Divinas personas*, quod maxime fecit Filius Dei, homo Christus Iesus, qui a Patre dicit Filium esse et Spiritum sanctum. Unde ipse fuit maximus cultor Dei Patris; et cum ipso colunt pie Deum qui Filium a Patre confitentur et credunt et Spiritum sanctum ab utroque. Secundum hunc modum colere dicuntur parentes qui per reverentiam et obsequium ostendunt se ab ipsis pullulasse vel in *esse* naturae vel in esse moris; quae pietas praecipitur in Exodo [7]: *Honora patrem tuum* etc.

8. Ex praedictis etiam sequitur, pietatem esse *honorem originis* sive principii, unde veri cultores Dei honoraverunt Deum obsequio adorationis, verbo laudis, et sacrificio oblationis; et hoc, quia intelligebant et sentiebant, Deum esse principium suae *conditionis* sive creationis, sive *illuminationis* sive eruditionis, sive etiam *reparationis*. Intelligebant enim Deum principium suae *creationis* per Verbum increatum, quia *omnia per ipsum facta sunt* [8]; ideo Prophetae eum honorabant adorando, genuflectendo et alia huiusmodi obsequia faciendo. Item, principium suae *illuminationis* per Verbum inspiratum, quia omnis sapientia a Domino Deo est, et *fons sapientiae verbum Dei in excelsis;* ideo honorabant eum verbo laudis, scilicet in *hymnis et psalmis et canticis spiritualibus*. Item, principium *reparationis futurae* per Verbum incarnatum et passum; et ideo honorabant eum in sacrificio, per quod praefigurabant Filium Dei pro nobis in sacrificium offerendum in altari crucis, et se per ardorem dilectionis in holocaustum Deo debere offerri. Ex hoc autem ultimo nascitur dilectio. Nihil enim ad diligendum Deum tantum nos accendere potuit sicut beneficium incarnationis et passionis. Item, est honor originis.

9. Unde ex praedictis sequitur, pietatem esse *amorem originis* sive principii, ut diligamus Deum ex toto *corde*, ex tota *anima*, ex tota *mente* [9], id est ex totis cogitationibus, ex totis affectionibus, ex totis intentionibus. Diligamus ex toto *corde*, ut cogitationes sint mundae, collectae apud Deum; ex tota *anima*, ut affectiones sint sanctae, nihil praeter Deum amantes; ex tota *mente*, ut intentiones sint rectae, omnia ad Deum referentes. Qui ergo cum hac pietate creaturas sensibiles speculatur, ipse de creaturis facit sibi scalam veniendi in Dei cognitionem et dilectionem. Item, est amor originis.

10. In hac pietate tanquam in fundamento fundata est fides nostra; ad Titum [10]: *Amplectentes eum qui secundum* In pietate fundatur fides.

---

[1] Cfr. Comment. in Lucam. c. 19. n. 2.
[2] Vide ibid. c. 2. n. 91.
[3] Cfr. Bonav., Legenda S. Francisci c. 8.
[4] Libr. X. de Civ. Dei, c. 1. n. 3. secundum sensum. Cfr. III. Sent. d. 35. q. 6. in principio corp.
[5] Vers. 1.
[6] Iac. 1, 17.
[7] Cap. 20, 12.
[8] Ioan. 1, 3. — Sequitur Eccli. 1, 5. et respicitur Eph. 5, 19.
[9] Matth. 22, 37; Luc. 10, 27; cfr. Comment. Bonaventurae ad ultimum locum.
[10] Cap. 1, 9. — Quoad testimonium septiforme fidei, quod sequitur, cfr. Quaest. disputatae S. Bonav., q. 1. de Mysterio Trin. a. 2. et Collationes in Hexaëm. coll. 9. p. II. — Quod de Deo sit sentiendum altissime et piissime, explicatur Breviloq. p. 1. c. 2; item in cit. q. 1. de Mysterio Trin. a. 2. in corp., et Hexaëm. coll. 9. n. 23-26.

Testimonium fidei septiforme. *pietatem est fidelem sermonem.* Habet namque fides testimonium septiforme, scilicet a Prophetarum oraculis, a divinis miraculis, a perpessis martyriis, a sacratissimis meritis, a documentis claris, firmis et catholicis, a dictaminibus iudicii piae mentis, a spiritualibus experimentis. Sed haec omnia ab impiis et haereticis frivola reputantur, a piis autem mentibus solidissima et firma. Ex quo apparet, quod fides nostra in pietate fundatur, et ipsa est primaria eius proles, per quam colimus Deum et piissime et altissime et rectissime de illo originali principio cunctarum naturarum, Scripturarum, gratiarum, iustitiarum, hierarchiarum et aeternarum rationum et emanationum recte sentire et profiteri docemur et inclinamur. Non enim in *Scripturis,* non *in creaturis,* non in *miraculis* fundata est fides, sed in pietate [1]. Nam si in *Scripturis* fundata esset, tunc ante eductionem Scripturarum fides non fuisset, et multiplicatis Scripturis, excrevisset et fides, et perversis Scripturis ab haereticis, perversa esset fides credentium. Potius enim Scripturae a fide fundatae sunt quam e converso. In *creaturis* etiam fides fundata non est, quia licet *invisibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta conspiciantur* [2], tamen multa sunt in fide, quae in nobis fundari non possunt per rationem creaturae, quia sunt supra rationem et intellectum cuiusque creaturae. In *miraculis* quoque fidei fundamentum non est ponendum, cum miracula etiam ab infidelibus fiant et futura sint, ut ab antichristo et antichristianis. In pietate ergo fides fundatur, quia, deficientibus miraculis et rationibus a creatura sumtis, et perversis omnibus Scripturis pietas rectitudinem fidei inviolatam tenet; unde in prima ad Timotheum [3]: *Pietas ad omnia valet.*

11. Sciendum [4] autem, quod est pietas *exemplaris* et pietas *exemplata: exemplaris* duplex est, scilicet *creata* et *increata; increata* est in Patre et Filio et Spiritu sancto. Haec consistit in tribus: in *suscipiendo ad gratiam,* in *relaxando offensam* et in *perducendo ad gloriam.* De primo secundo Paralipomenon [5]: *Pius et clemens est Dominus Deus noster et non avertit faciem suam.* De secundo in Ecclesiastico: *Pius et misericors est Deus et in tempore tribulationis peccata dimittit.* De tertio Apocalypsis: *Pius es, Domine Deus noster, et iudicia tua vera sunt.* — Sed quia primus homo abusus est ista pietate, faciendo contra praeceptum Dei, ne contristaret delicias uxoris suae, et factus est impius; propter hoc piissimus Deus, nolens creaturam suam perire, renovavit istam pietatem exemplarem in Mediatore Dei et hominum Domino nostro Iesu Christo; et haec est pietas exemplaris *creata.* Haec autem fuit in tribus: in *mente,* quia fuit plenus ab ipsa conceptione charismatibus gratiarum; in *sermone,* quia docuit per illuminationes veritatum; in *morte* per exempla virtutum. De primo Isaias [6]: *Replevit eum spiritu scientiae, sapientiae et pietatis* etc. Quamvis Christus plenus fuerit spiritu septiformi, tamen dicitur maxime plenus *spiritu pietatis* et *timoris,* quia maxime manifestati sunt in *reverentia,* quam habuit ad Deum, et hic est spiritus timoris; et in *compassione,* quam habuit ad homines, et hic est spiritus pietatis. De secundo primae ad Timotheum: *Qui non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi et ei quae secundum pietatem est doctrinae, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quaestiones et pugnas verborum.* Quomodo doctrina et tota conversatio sua plena fuerit veritate, patet per totum Evangelium, quomodo *pertransivit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo.* De tertio primae ad Timotheum [7]: *Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne,* scilicet Domini nostri Iesu Christi, *iustificatum est in spiritu,* quia per fidem passionis animae iustificantur, *apparuit Angelis,* quando dixerunt illud Isaiae: *Quis est iste, qui venit de Edom* etc., *praedicatum est in gentibus,* scilicet per Apostolos, *creditum est in mundo,* scilicet per praedicationem Apostolorum, *assumtum est in gloria.*

Pietas exemplaris et exemplata. Prima est duplex. Increata consistit in tribus. Creata fuit in tribus.

12. Post pietatem exemplarem est reperire pietatem *exemplatam,* et haec est triplex, scilicet *politica, purgatoria,* et *purgati animi;* ut *politica* sit in praelatis, *purgatoria* in activis, *purgati animi* in contemplativis [8]. — *Politica* autem, quae est in praelatis, consistit in tribus: in *subsidio virtutis,* in *documento veritatis,* in *exemplo sanctitatis* [9]. De primo exemplum habemus in Iosia [10]: *In diebus peccatorum corroboravit pietatem.* De secundo habemus exemplum in Paulo: *Paulus, servus Iesu Christi,* et sequitur: *et agnitionem veritatis, quae secundum pietatem est.* De tertio exemplum habemus in Onia: *Leges optime custodiebantur propter Oniae pontificis pietatem.* Ad litteram ita est, quod cum praelatus praebet subsidium virtutis in defensando bonos et puniendo malos, et dat documentum veritatis et se praebet in exemplum sanctitatis; tunc optime leges et ordinationes Sanctorum custodiuntur a subditis, sicut manifeste apparet de regibus Israelitarum; quando erant boni, similiter et subditi. Propter hoc petebat Apostolus [11], fieri orationes, maxime pro principibus, *ut tranquillam ducerent vitam cum omni pietate.* — Huic autem pietati contraria est triplex impietas, scilicet *crudelitas cordis, perversitas erroris* et *duplicitas hypocrisis.* De primo in Proverbiis [12]: *Novit iustus animas iumentorum suorum, viscera autem impiorum crudelia.* De secundo secunda ad Timotheum: *Profana autem et vaniloquia devita; multum enim proficiunt ad impietatem.* De tertia secunda ad Timotheum: *Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* De omnibus istis in Proverbiis: *Cum impii sumserint principatum, gemet populus.*

Pietas [exem]plata e[st tri]plex. De po[litica] tripl[ici]. Triple[x im]piet[as].

13. Alia est pietas *purgatoria,* et haec est duplex, videlicet in his qui servant iustitiam *communem,* sive sufficientem, sicut saeculares, qui manent in observantia

De pu[rgato]ria du[plici].

---

[1] Hoc proprie intelligitur non de *obiecto materiali* fidei, sed de ipsa *virtute theologica,* licet aliquatenus verum sit etiam de *doctrina* fidei. Cfr. III. Sent. d. 23. a. 1. q. 1. et 2. cum scholiis.
[2] Rom. 1, 20.
[3] Cap. 4, 8. Vulgata: ad omnia utilis est.
[4] Cod. aa praemittit: *Caput tertium. De divisione pietatis in exemplarem et exemplatam, et quot sint partes.* — Haec quoad praecipuas sententias sumta sunt ex cit. collatione de dono pietatis (Collationes de septem Donis Spiritus S.) n. 10. seqq. De *virtutibus exemplaribus et exemplatis* agitur Collat. in Hexaëm., collat. 6. n. 7-20.
[5] Cap. 30, 9; sequuntur Eccli. 2, 13; Apoc. 15, 4.
[6] Cap. 11, 2; sequuntur I. Tim. 6, 3. 4. et Act. 10, 38.
[7] Cap. 3, 16; deinde Isai. 63, 1. Cfr. cit. collat. de pietate, n. 12.
[8] De his vide Collat. in Hexaëm., collat. 6. n. 27-31, et collat. de pietate, n. 15, ubi idem locus Scripturae allegatur.
[9] Cfr. Comment. in Lucam, c. 6. n. 35. seqq.
[10] Eccli. 49, 4; sequuntur Tit. 1, 1; II. Mach. 3, 1.
[11] Epist. I. Tim. 2, 2.
[12] Cap. 12, 10; sequuntur II. Tim. 2, 16; ibid. 3, 5. et Prov. 29, 2.

praeceptorum, et in his qui servant iustitiam *specialem*, sive superabundantem, sicut Religiosi, qui manent in observantia consiliorum. — Et prima quidem pietas est in tribus, scilicet in *deflendo propriam culpam*, in *sustinendo alienam iniuriam*, in *relevando alienam miseriam*. De primo secunda Petri [1]: *Cum haec omnia consummanda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus* etc. Et hoc dicit, quod ista pietas, qua homo deflet culpam propriam, maxime oritur ex consideratione divini iudicii. De secundo secunda ad Timotheum: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* Ratio huius est, quia nullus potest intrare nisi per viam, per quam ivit caput nostrum; sed ipse intravit per passiones et tribulationes: ergo et nos. De tertio in Ecclesiastico: *Hi viri misericordiae sunt, quorum pietates oblivionem non acceperunt.*

...est in ...bus.

Secunda autem est pietas purgatoria, quae est in iis qui servant iustitiam superabundantem; et haec consistit in tribus, scilicet in *paupertatis observantia*, in *castitatis custodia*, et in *humilitatis obedientia*. De primo prima ad Timotheum [2]: *Existimantes, quaestum esse pietatem. Est autem quaestus magnus pietas cum sufficientia.* Huius ratio est, quia *cupiditas est radix omnium malorum;* ergo pietas paupertatis, quae evacuat cupiditatem, erit radix omnium bonorum, quae omnia facit dari pauperibus. De secundo prima ad Timotheum: *Quod decet mulieres promittentes pietatem* etc. Ratio est, quia magna impietas est violare templum Dei; cum igitur aliquis per incontinentiam violat corpus suum, maxime impius est. De tertio ad Titum secundo: *Apparuit gratia Salvatoris nostri;* et sequitur: *Sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo.* Sola pietas humilitatis est quae hominem facit vivere *iuste* quoad Deum, quia ipse solus honorat Deum; in Ecclesiastico: *Magna potentia Dei solius et ab humilibus honoratur;* et *sobrie* quoad se ipsum, quia facit hominem stare in sobrietate, id est in mensura; et *pie* quoad proximum.

...secunda.

14. Tertia pietas est *purgati animi;* et haec est in contemplativis, et ista perducit animam ad *excellentiam virtutis*, ad *intelligentiam veritatis*, ad *perfectionem caritatis*. De primo prima ad Timotheum [3]: *Sectare autem pietatem, fortitudinem, caritatem, patientiam* etc. Primo ponit *pietatem*, quia ipsa est radix, per quam pervenitur ad omnes alias virtutes. De secundo Ecclesiasticus: *Pie agentibus dedit Deus sapientiam;* et ideo philosophi, qui non habuerunt pietatem, defecerunt in scientia, sive intelligentia veritatis, et *dicentes, se esse sapientes, stulti facti sunt et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei* etc. De tertio secunda Petri: *Ministrate in scientia pietatem, in pietate amorem fraternitatis; in amore autem fraternitatis caritatem.* — Ecce, per pietatem homo pervenit ad caritatem.

Pietas purgati animi habet 3 effectus.

15. Item, pietas tria facit: *liberat a malo, amplificat in bono, perpetuat in optimo.* De primo secunda Petri [4]: *Novit Deus pios eripere de tentatione.* Eripit enim a *malo culpae*, a *malo poenae*, a *malo sequelae*. De secundo Baruch: *Vocabitur tibi nomen novum, pax iustitiae et honor pietatis.* Per pietatem enim ampliantur bona conscientiae, et crescit fama honestatis et iustitiae. De tertio secundo Machabaeorum: *Hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam.* Ista gratia nihil aliud est nisi perpetua gloria, quae reposita est in manu Dei; in Sapientia [5]: *Iustorum animae in manu Dei sunt* etc.

Tres alii effectus pietatis.

Et sic patet, quomodo *pietas valet ad omnia:* viget plenissime in Deo, viget in Christo, viget in praelatis, viget in activis, viget in contemplativis.

ADDITAMENTUM IV.

16. *Septem* [6] *sunt gradus proficiendi* in amorem Dei, quorum tres primi respiciunt Deum ut *bonum*. — Primus est *fidelis gratiositas;* hic respicit summum bonum ut *beneficum*, et bene dicitur *fidelis gratiositas*, quia anima per fidem *cognoscit* Dei beneficia, sed *recognoscens* grata efficitur. Non enim omnis, qui cognoscit, recognoscit. Omnis vero anima cognoscens, quanta nobis facit, fecit et faciet Deus beneficia, debet modis omnibus esse grata. Ipse est enim origo nos praedestinans, nos principians, nos gubernans, nos remedians, nos defendens, nos gratificans, nos beatificans.

Septem ... proficiendi. ...us gratiositas.

17. Secundus gradus est *fidens familiaritas*, et hic respicit bonum ut *benevolum*, et addit ad primum, quia aliquis posset esse beneficus in opere, qui tamen non esset *benevolus* in corde. Sed Deus est nobis et beneficus et benevolus, et ex benevolentia, quam habet ad nos, assumit anima quandam familiaritatis confidentiam [7].

...undus.

Benevolentia autem Dei ad nos ostendit septem, quae attendentes in amorem ipsius debemus inardescere. Primum est *originalis propinquitas*. Si enim filius diligit parentes, qui ipsum secundum carnem originarunt, cum tamen in generatione ipsius nihil de ipso cogitarent, quantum amandus est Pater caelestis! Dicit enim Augustinus in libro Exhortationis ad communitatem [8]: « Quidquid parentum nostrorum circa nos fuit obsequium, eius est beneficium, qui, et antequam nasceremur in hoc saeculo, sua providentia nobis parentes praeparavit, quorum obsequio nutriremur, immo nos et parentes nostros propriis manibus ipse finxit ». — Secundum est *naturalis conformitas*, sicut fratres gemelli diligunt se invicem, quia conformes sunt naturali

Circa benevolentiam Dei septem consideranda. Primum.

Secundum.

---

[1] Cap. 3, 11; sequuntur II. Tim. 3, 12; Eccli. 44, 10.

[2] Cap. 6, 5. et respicitur ibid. 6, 10. Sequuntur ibid. 2, 10; Tit. 2, 12; Eccli. 3, 21.

[3] Cap. 6, 11; sequuntur Eccli. 43, 37; Rom. 1, 22; II. Petr. 1, 6. — Quae in n. 14. habentur extracta sunt ex collat. de pietate, n. 17-19.

[4] Cap. 2, 9; sequuntur Baruch 5, 4; II. Mach. 12, 45.

[5] Cap. 3, 1. et respicitur I. Tim. 4, 8.

[6] Quartum additamentum in codd. S T sequitur in fine capituli III. n. 14, post *et hoc Seraphim*. In principio eius (a n. 16. usque n. 22.) S sententias alio ordine ponit et brevius exprimit et sic incipit: « Notandum, per quae et quibus gradibus inflammatur in nobis Dei dilectio. Nam contingit diligere Deum ut *beneficum* » etc. Opusculum de Pietate haec de septem gradibus proficiendi penitus omittit, sed deinde reliqua exhibet et convenit cum codd. S T. Unde numeros progressivos pro additamentis III. et IV. retinuimus.

[7] Pro *quandam... confidentiam* unicus cod. perperam *quanta... confidentia.*

[8] Vel de Salutaribus Documentis, c. 21. (inter opera).

similitudine; quomodo debemus Deum diligere, qui non solum est similis, immo ipsa similitudo! Quantumcumque vero frater sit, vel similis fratri, nunquam tamen est eius similitudo vera; sed ipse similitudo nostra nata de similitudine speculi et sole subintrante [1]. — Tertium est *coniugalis societas*. Si enim uxor diligit virum suum, quia carnaliter eam desponsavit, quantum debemus diligere Dominum nostrum Iesum Christum, qui nostram naturam, sanctam matrem Ecclesiam et nostram animam desponsavit, qui et animam, uxorem suam, licet fornicaria fuerit et ipsum dimiserit, clementer suscepit revertentem? —

Tertium.

Quartum. Quartum est *iugis praesentialitas;* et addit ad praedicta, quia posset esse, quod aliquis esset pater vel mater, frater vel maritus, sed non esset semper praesens, et ideo minus diligendus; sed Deus nobis sive dormientibus, sive vigilantibus, sive in quocumque statu exsistentibus, semper est praesens. *Ego*, inquit [2], *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi;* et ideo diligendus. —

Quintum. Quintum est *mitis amicabilitas*. Si praesens esset, sed durus et asper, hic non esset multum amandus, sed cum huiusmodi, qui praesens est, mitis est et amicabilis ad consortium. Unde dicit Bernardus: « Amicus dulcis » etc. —

Sextum. Sextum est *amicabilis fidelitas*. Si dulcis in contubernio et non fidelis in opportuno auxilio, minueretur de ratione diligendi; sed ipse est fidelis nobis, in omni necessitate assistens. *Fidelis*, inquit [3], *Deus, qui non patietur,* etc.

Septimum. — Septimum, quod est complementum ostensionis benevolentiae Dei in nobis, est *concors consortialitas,* quod est, quando amicus non solum bona sua communicat amico, immo mala amici sibi ipsi communicat, quod fecit Dominus noster Iesus Christus mala nostra assumens et sibi communicans et omnia bona sua nobis donans.

Tertius gradus. 18. Tertius gradus est *fervens delitiositas*, et hic alios praedictos transcendit, quia respicit et considerat bonum ut *bonum*. Non enim diligit Deum solum ut beneficum aut benevolum, sed ipsum bonum diligit ut *bonum*.

In bono consideranda sunt septem. Sed ut magis in amorem illius boni ut *boni* inardescamus, cuiusmodi sit illud bonum, videamus, et quomodo peccatores falso appetunt et diligunt bonum creatum in specie

Sublime. aliqua boni increati. *Sublime* [4]*;* appetant ergo *superbi* falsam in praesenti sublimitatem, quia nullus potest sublimari nisi in summo bono; et haec est ratio: omnia enim creata inferiora sunt spiritu rationali, solus Creator eo superior. Si ergo superius vel dignius non sublimatur ex adeptione rei inferioris vel vilioris, sed tantummodo superioris et dignioris: ergo per adeptionem solius summi boni et non alterius potest rationalis spiritus sublimari.

Singulare. — *Singulare;* appetant ergo *invidi* falsam singularitatem, qua volunt in bonis singulariter felicitari; quod est impossibile. Sed illud summum bonum ita erit singulare omnibus, quod non minus erit commune, immo quanto magis a pluribus, tanto magis a quolibet singulariter possidebitur. Unde dicit beatus Gregorius libro Moralium [5] in fine super illud Iob: *Parvulum invidia:* « Unde nascitur hic invidia et quomodo satiatur? Difficile, inquit, est, ut hoc alteri non invideat quod adipisci alter exoptat; quia quidquid temporaliter percipitur, tanto fit minus singulis, quanto dividitur in multis, et idcirco desiderantem mentem livor excruciat, quia hoc quod appetit, aut funditus alter accipiens adimit, aut a quantitate restringit. Qui ergo livoris peste plene carere desiderat, illam hereditatem diligat, quam coheredum numerus non angustat, quae et omnibus una est et singulis tota, quae tanto largior ostenditur, quanto ad hanc percipientium multitudo dilatatur. Imminutio ergo livoris est affectus surgens internae dulcedinis, et plena mors eius est perfectus amor aeternitatis. Nam cum mens ab eius rei appetitu retrahitur, quae accipientium numero partitur, tanto magis proximum diligit, quanto minus ex aspectu illius sua damna pertimescit. Quodsi perfecte in amorem caelestis patriae rapitur, plene etiam in dilectione solidatur, quia qui nulla terrena desiderat, nihil est, quod eius erga proximum caritati contradicat ». — *Securum;* appetant *iracundi* falsam securitatem in praesenti, propter quam bellant et rixantur; sed beati, qui illud summum bonum obtinebunt, quia non erit amplius quod exterreat vel infestet. — *Tranquillum;* appetant ergo *accidiosi* falsam et momentaneam requiem; sed beati, qui illo summo bono gaudebunt, quoniam iam ab omnibus laboribus requiescent. — *Opulentum;* appetant ergo *avari* falsam opulentiam, quae animas reddit inanes; sed illi vere opulenti erunt, qui, obtento summo bono, nullo egebunt bono. — *Satians;* appetant ergo *gulosi* falsam satietatem, quae in famem postmodum vertitur, sed illi vere satiabuntur, qui ultra non esurient. — *Delectans;* appetant ergo falsam carnis delectationem, quae postmodum doloribus respergitur; sed illa vera et sola est delectatio, quae nullo contrario permiscetur nec finitur.

Securum. Tranquillum. Opulentum. Satians. Delectans.

Quartus gradus. 19. Quartus gradus est *delicata satietas* [6], et sequitur ex tertio. Ex hoc enim, quod anima diligit bonum ut bonum et propter illud omne aliud bonum spernit, in delectatione illius meretur quodammodo satiari.

Quintus. 20. Quintus *saturans ebrietas*, et oritur ex praecedenti. Anima enim illius boni summi affecta dulcedine, et quodammodo a se ipsa aliena efficitur tanquam ebria. Sic ebrius fuit Petrus [7]; sicut etiam saturans ebriositas amore despectionum, iniuriarum, fatigationum etc.

Sextus. 21. Sextus gradus est *inebrians securitas.* Anima enim, illa inebriata dulcedine, ita secura efficitur, quod nec temporalia timet amittere nec adversa aliqua sustinere. Istam securitatem habuerunt Martyres et specialiter Paulus, qui dicebat ad Romanos [8]*: Quis me separabit a caritate Christi* etc. *Certus sum enim* etc.; et ponuntur ibi septem genera tribulationis.

Septimus. 22. Septimus gradus, in quo est consummatio, est *assecurans tranquillitas.* Ex hoc enim, quod anima nec prospera timet perdere nec dura sustinere propter amorem illius summi boni, venit in quandam tranquillitatem

---

[1] Locus est corruptus. In S legitur sic: *similitudo! Sicut enim est minor distantia et difformitas hominis ad similitudinem eius in speculo resultantem quam ad hominem, sic in proposito.* Ex eodem S mox substituimus *coniugalis societas* pro *coniugalis affinitas.*

[2] Matth. 28, 20. — Locus Bernardi tam imperfecte indicatus, accuratius determinari non potuit.

[3] Epist. I. Cor. 10, 13.

[4] Cod. S *Ut bonum sublime,* et similiter in seqq. pro *Singulare* S *Ut integraliter possessum* etc. Certe intelligendum: illud bonum est bonum sublime.

[5] Libr. V. Moral. c. 46. n. 86; in Iob 5, 2.

[6] Cod. S *deliciosa satietas.*

[7] Respicitur Matth. 17, 4.

[8] Cap. 8, 35. seqq.

et securitatem mentis, quae non potest ab aliquo extrinseco perturbari, et non restat, nisi ut ab isto statu transferatur ad statum aeternae quietis.

[R]epetitio contem[plat]ione per [spec]ulum.

23. Sicut tactum est supra [1], consideratio *per speculum* est, quando ex consideratione rerum sensibilium, per earum originem, magnitudinem, multitudinem, pulcritudinem, plenitudinem, operationem et ordinem consurgit homo in cognitionem divinae potentiae, sapientiae et bonitatis admirando ea in praedictis, et hoc est *per speculum* creaturarum contemplari Creatorem. Contemplatio enim nihil aliud est quam liber animi contuitus in divina spectacula per admirationem suspensus.

[De] contem[pla]tione in [spe]culo.

24. Nunc videndum est, quomodo possumus in contemplatione Dei proficere, ut ipsum cognoscamus *in speculo*, id est in qualibet creatura. Cognitio enim *per speculum* est, quando homo quasi de longinquo ascendit ad contemplationem Creatoris, aspiciendo in creaturis ea quae praedicta sunt, scilicet originem, magnitudinem etc. Cognitio vero *in speculo* est, quando homo quasi de proximo in qualibet creatura cognoscit et contemplatur ipsum Deum. — Praenotandum ergo, quod iste mundus, qui a sapientibus dicitur *macrocosmus*, dividitur, quia quaedam sunt in eo *generantia*, quaedam *generata*, quaedam *regentia* utraque. *Generantia* sunt corpora simplicia et caelestia, et dicuntur corpora *simplicia* ipsa elementa. *Generata* sunt corpora composita ex his; quae compositio non fit sine virtute corporum caelestium, quae conciliant in compositione contrarietatem elementarium qualitatum per suam influentiam. *Regentia* vero sunt *intelligentiae*, quae dicuntur regere corpora caelestia et praeesse elementis; item, *animae sensibiles* in animalibus, *vegetabiles* in plantis, *rationales* in hominibus. Homo vero, qui dicitur *microcosmus*, id est minor mundus, habet quinque sensus, quasi quinque portas, per quas cognitio omnium, quae sunt in mundo, intrat ad animam eius. Nam terram et terrena percipit per tactum, aquam et humida percipit per gustum, aërem et aërea cum quadam siccitate percipit per odoratum et auditum, ignem et ignea et corpora caelestia et omnia lucida et colorata percipit per visum. *Regentia* vero percipiuntur per accidens sive ex consequenti, maxime per motum, quia, cum video, moveri plantam in sursum et deorsum, percipio in ipsa animam vegetabilem; cum video, moveri animal etc.

[Tr]iplex mo[du]s in per[cep]tione re[rum]: [pri]mo, ap[pr]ehensio.

25. Sciendum autem est, quod perceptio istarum rerum in anima fit tribus modis, videlicet per *apprehensionem*, per *delectationem*, per *diiudicationem*. *Apprehensio* autem fit, quando obiectum generat speciem suam in medio, et species generata coniungitur sive unitur organo, et tunc fit apprehensio obiecti in sensu; unde anima per speciem unitam organo et generatam in medio venit in cognitionem rei, et species generatur in qualibet parte medii, cum determinate unitur organo. — *Delectatio* vero fit ex proportione ipsius rei ad suscipientem. Ista autem proportio sive convenientia potest considerari in tribus secundum tria, quae sunt in ipsa re, videlicet in *forma* sua, in *virtute* ipsius et *operatione* eius. Ex ista triplici convenientia causantur in rebus tria, secundum quae et per quae est omnis delectatio. Nam convenientia speciei sive *formae* in se ipsa generat et efficit in re illa, cuius est forma, *speciositatem*. Dicitur enim res pulcra, quando est in ea convenientia partium et aequalitas; pulcritudo enim est aequalitas numerosa. Convenientia vero *virtutis* rei cum suscipiente illam facit *suavitatem;* suavitas enim est, quando virtus agentis non excedit potentiam patientis, sicut econtra, quando est inaequalitas, fit dolor sive tristitia, quia excellentiae sensibilium corrumpunt sensus. Convenientia autem sive proportio *operationis* efficit in suscipiente *salubritatem*. Salubre enim est illud cuius operatio replere potest vacuitatem indigentis et supplere indigentiam rei non sufficientis sibi. Et secundum ista tria est omnis delectatio in perceptione rerum sensibilium.

[Mar]: [Secun]do, de[lectatio sec]undum tria in re[bus]. — Speciositas. — Suavitas. — Salubritas.

26. Sed quia omnia ista sunt cum defectibilitate, ideo in eis non potest esse plena delectatio. Nam *speciositas* est in omni re sensibili cum defectu inaequalitatis ipsius rei *in se ipsa*. Nulla enim res est, cuius partes non possent esse in maiori aequalitate, quam sunt. — *Suavitas* etiam in coniunctione *virtutis agentis* cum potentia suscipientis est cum defectu, quia, cum res non possit percipi per suam essentiam, sed per suam similitudinem, *virtus* illius rei, quae transit cum similitudine illa, non perfecte transit nec perfecte percipitur ab ea re, cui communicatur, quia non percipitur in veritate illius rei, cuius est illa virtus, sed in suo phantasmate; et ideo suavitas illa, quae generatur ex virtutis illius participatione, non est vera suavitas nec plena, sed phantastica, et ideo nec vera delectatio. — *Salubritas* etiam omnis cuiuslibet rei sensibilis defectiva est, quia *operatio* rei non potest pervenire ad intimitatem rei, in qua operatur, nec potest totam indigentiam supplere, cum utrumque sit ex nihilo; unde non potest alteri esse plena salus, et ubi non est plena salus, non est plena delectatio.

Non praebet plenam delectationem speciositas creata. — Nec suavitas. — Nec salubritas.

27. *Diiudicatio* vero fit ab intellectu contrahendo res perceptas per apprehensionem sensuum vel delectationem, extrahendo scilicet a materialitate, a corporeitate, a mutabilitate, a circumscriptibilitate. Unde diiudicatio trahit res sensibiles in *esse* spirituale; diiudicat enim de rebus per suas rationes. Si enim quaeratur: quare *pulcra* est illa res, dicet, quia habet aequalitatem partium in suo situ, quia pulcritudo est aequalitas numerosa. Si quaeratur: quare est ibi *aequalitas,* dicet, quia partes ipsae constituentes hanc rem non excedunt se comparatae ad invicem nec exceduntur; aequale enim est quod ad alterum comparatum non excedit nec exceditur. — Si quaeratur ulterius, utrum ista ratio *aequalis* sit mutabilis, respondebit, quod non, quia semper fuit hoc verum et est et erit. Unde immutabilis ratio est et interminabilis. Item, si removeatur etiam omne corpus et omnis materia, adhuc verum est, quod aequalitas est, ubi non est excessum nec excedens, et sic est de omni ratione rerum dicere. Ratio enim rei non est nisi quaedam intentio universalis, quae potest percipi in re non existente actu. Intellectus autem hominis iudicat de rebus per ipsas rationes rerum. — Si vero quaeratur: per quod percipit ipsas rationes? non erit intelligere, nisi quod percipit per ipsam lucem aeternam, quae non est aliud nisi Verbum Dei, quod est ars plena omnium rationum viventium, et in hac arte sunt rationes

Tertio, diiudicatio. — De ratione pulcritudinis. — De immutabilitate rationum. — Notandum. — Quomodo percipiantur rationes.

[1] Additament. III. n. 4. — Quae sequuntur etiam in S aa bb cc habentur, sed aa praemittit: *Capitulum quartum. Quid est contemplatio et quomodo ascenditur.* — Haec usque ad n. 30. inclusive iterum sumta sunt ex *Itinerar. mentis in Deum*, c. 2. n. 2-10, alia ex Hexaëm. collat. 10. et 11. praesertim p. II; tamen plura non spernenda addita sunt, omissis aliis.

omnium rerum efficienter et quodam modo formaliter, et illa ratio non aliud est nisi Deus, licet homo eam percipiendo non advertat.

De ipsa cognitione in speculo, primo quoad apprehensionem.

28. His praeintellectis [1], est venire in cognitionem Dei *in speculo* cuiuslibet creaturae. Nam ipsa perceptio rerum per *apprehensionem* factam in sensibus ipsis ducit nos in cognitionem Generantis et geniti Verbi, et etiam Verbi incarnati, et reductionis in Deum, primum principium, per Verbum incarnatum. Quod enim omnis res generat suam speciem, quid aliud ostendit, nisi quod Pater generat Filium, qui est species et *figura substantiae eius* [2]? Isaias: *Numquid ego, qui ceteris generationem tribuo, sterilis ero?* Quod vero species genita est in omni parte medii tota et indeterminata, ostendit, quod Verbum genitum ubique perfectum et totum implet universum; Ieremias: *Caelum et terram ego impleo.* Quod vero species genita ubique in medio indeterminata, cum unitur organo, ita determinata tota suscipitur, quod tamen ubique esse in medio non desistit; ostendit, quod Verbum Dei unitum est carni, et tamen ubique esse non desinit. Quod vero per speciem unitam organo et genitam in toto medio ducitur in cognitionem obiecti generantis ipsam speciem, quid aliud ostendit, nisi quod homo per Verbum unitum carni in tempore, genitum in aeternitate, reducitur in cognitionem sui universalis principii, et hoc est quod dicitur in Ioanne [3]: *Deum nemo vidit unquam nisi unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

Notandum.

Secundo, quoad delectationem sec. speciositatem.

29. Similiter ipsa perceptio rerum per *delectationem* secundum illa tria, videlicet *speciositatem, suavitatem* et *salubritatem,* ducit nos in cognitionem verae delectationis et plenae, quae non potest esse nisi in ipso Deo, in quo est summa speciositas, summa suavitas et summa salubritas: summa enim *speciositas* est in Deo, quia omnimoda aequalitas et nulla inaequalitas, nec maior potest intelligi, quam sit, nec minor, quam intelligi potest; in Sapientia [4]: *Speciosior est sole, et super omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur prior.* —

Item, sec. suavitatem.

Item, summa in eo invenitur *suavitas,* quia ipse non infundit se menti humanae per similitudinem vanam et abstractam, sed secundum veritatem et praesentiam. Propter hoc suavissimus est; in Psalmo [5]: *Suavis Dominus universis;* in Sapientia: *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus!* In Psalmo: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.* In gustu potest esse suavitas, sed plena erit, quando anima erit soluta ab omni retardatione, et tunc erit plena suavitas vel satietas; in Psalmo [6]: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua;* item: *De torrente voluptatis tuae potabis eos.* —

Item, sec. salubritatem.

Summa in ipso Deo invenitur *salubritas,* quia ipse solus est, qui potest illabi menti humanae et intimitatem ipsius penetrare et omnem vacuitatem implere et sua sufficientia omnem indigentiam supplere, cum ipse nullo indigeat. Ideo beata Virgo inquit [7]: *Exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* — Ex quibus omnibus patet, quod in solo Deo plena delectatio haberi potest et in ipso solo quaerenda est; in Psalmo: *Delectare in Domino;* item: *Delectationes in dextera tua usque in finem;* item: *Memor fui Dei et delectatus sum.*

Corollari[um].

Tertio, quoad diiudicationem.

30. Similiter *diiudicatio* rerum ducit nos in cognitionem Dei, quia, sicut dictum est, diiudicatio de re non fit nisi per rationem infallibilem, immutabilem et interminabilem; nihil aliud est infallibile, immutabile et interminabile nisi Deus: patet, quod ipse est ratio omnium rerum et regula infallibilis et lux veritatis, in quo omnia cognoscuntur secundum rationes aeternas, quae non sunt aliud quam ipse [8].

Etiam h[aec] consider[atio] fundatur [in] pietate.

31. Notandum autem, quod, sicut prima consideratio, quae est *per speculum,* non afficit vere, nisi homo fundetur in pietate; ita ista consideratio, quae est *in speculo,* non afficit, nisi homo innitatur verae Virtuti, quae nihil aliud est, quam ipse Deus de Deo, Verbum et Sapientia Patris. Cuius intelligentia potest hoc modo haberi.

Definitio [vir]tutis pri[ma].

Virtus enim uno modo notificatur sic: « Virtus est instrumentum agendi [9] »; unde virtus ignis est ipsa sua species, sive similitudo, per quam agit; non enim agit in aliud nisi immittendo et generando suam similitudinem; et sic de virtutibus aliarum rerum patet, quod ipsae instrumenta sunt, per quae res agit quaecumque agit.

Notandu[m].

Virtus autem rei non est penitus idem, quod est ipsa res, sed habet diversitatem ratione materiae, nec cum per illam agit, tenet se cum illa, sed emittit eam a se, licet influendo continue super illam per illam agat. Deus autem ex se generat Virtutem suam, quae quidem penitus est idem, quod ipse in essentia, quia in illo nulla est materia, quae causet diversitatem; et per illam virtutem omnia operatur, et ipsa est Verbum, per quod *omnia facta sunt* [10].

Secunda.

32. Item, virtus alio modo definitur: « Virtus est ultimum de potentia »; et hoc convenit illi virtuti divinae, quia potentia Dei ultimata est in productione sive generatione Filii. Nam quidquid potuit Deus, Filium suum generando ipsi Filio contulit; unde ipse est proprie *virtus,* in quo est consummatio potentiae Dei. —

Tertia.

Tertio modo definitur sic: « Virtus est dispositio perfecti ad optimum »; et ista convenit isti virtuti increatae, quia a Patre et ab ipsa producitur Spiritus sanctus, qui est summus amor Patris et Filii, per quod intelligitur inter divinas personas summa beatificatio, summa fruitio.

Quatuor [effe]ctus Vi[r]tis.

33. Est autem virtus ista Patris gloriosissima omnium *productiva, conservativa, reparativa, consummativa.*

Primus [effe]ctus.

Est omnium *productiva;* in Sapientia [11]: *Tu virtutem tuam ostendis, qui non crederis in virtute esse consummatus,* scilicet ab impiis idololatris, et tamen in productione cuiuslibet rei de nihilo ostenditur mirabilis virtus sua, quia mirabilis potentia, mirabilis sapientia, mirabilis bonitas. —

Secundus [ef]fectus.

Est omnium *conservativa.* Sicut enim Deus per virtutem suam, quam genuit, omnia condidit, ita per eandem

---

[1] Cod. aa praemittit: *Capitulum quintum. Qualiter iuxta praedicta venitur in cognitionem Dei et praenotatorum.*
[2] Respicitur Hebr. 1, 3. Sequitur Isai. 66, 9; deinde Ier. 23, 24.
[3] Cap. 1, 18.
[4] Cap. 7, 29.
[5] Psalm. 144, 9; Sap. 12, 1; Ps. 33, 9.
[6] Psalm. 16, 15; 35, 9.
[7] Luc. 1, 47. Sequuntur Ps. 76, 4; 15, 11; 76, 3.
[8] Hucusque sententiae sumtae sunt praecipue ex *Itinerario.* Quae sequuntur desunt in S. Cod. aa continuat sic: *Capitulum sextum. Qualiter per virtutem venitur in cognitionem.*
[9] Haec definitio secundum sensum habetur in verbis August., de Bono coniugali, c. 21. n. 25: Virtus est habitus, quo aliquid agitur, cum opus est.
[10] Ioan. 1, 3. — De secunda et tertia virtutis definitione cfr. II. Sent. d. 27. dub. 3., ubi hae aliaeque definitiones declarantur, et III. Sent. d. 34. a. 1. q. 3. argg. 2. et 3. ad oppos.
[11] Cap. 12, 17.

virtutem omnia in *esse* conservat. Nam omnia ad nihilum tenderent, nisi virtus illa omnipotentissima conservaret; ad Hebraeos [1]: *Portans omnia verbo virtutis suae.* — Est omnium *reparativa.* Quia enim, creatura rationali peccante, omnis creatura diminuta est, et ipsa rationalis maxime corruit, nec decuit, quod ipse qui condidit, proprium plasma desereret; ideo per eandem virtutem reparavit. In reparando autem, primo intravit virtus removendo effectum corruptionis seu lapsus, id est primam concupiscentiam. Unde dictum [2] est Virgini in ipso ingressu virtutis reparantis: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Sicut enim summa illuminatio in divinis est caligo, ut qui summe illuminatus est per participationem veritatis vere sciat, se nihil scivisse — et haec est magna illuminatio, cum cognoscit, illuminationem suam esse tenebras comparatione illius verae lucis — ita, cum virtus Dei intravit in Virginem, accendit in ea ignem amoris; quo superveniente, ignis concupiscentiae friguit, et ita facta est ibi *obumbratio.* — Deinde, quia virtus non expellit contrarium nisi uniatur ei, nec medicina morbum, nisi perveniat ad infirmitatem; ita haec virtus, ut perfecte repararet, unita est naturae infirmae; et hoc maxime apparuit in morte, quando ipsa virtus, quae est vera vita, coniuncta est morti et visa est infirmari. Augustinus [3]: « Non moritur frigus nisi in calore, non moritur amaritudo nisi in dulcedine, non est mortua mors nisi in vita ». Apostolus prima ad Corinthios: *Nos autem praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudaeis atque gentibus, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam;* et ibidem: *Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est, iis autem, qui salvi fient, virtus Dei est.* — Et quia plena reparatio non esset, nisi prius per expulsionem destructivi et corruptivi restauratio fieret deperditi; ideo oportuit, quod ipsa virtus naturam, quam assumserat, restauraret in vitam non mortalem, sed perpetuam; et hoc fecit haec virtus in resurrectione et ascensione; in Psalmo: *Exaltare, Domine, in virtute tua.* — Est etiam omnium *consummativa.* Ad hoc autem, quod homo sit consummatus et conformis illi divinae virtuti, oportet, quod *memoria* fortificetur, *ratio* rectificetur, *voluntas* sanctificetur, et *uterque homo* beatificetur. — Est ergo divina virtus *memoriae roborativa;* in Psalmo [4]: *In Deo faciemus virtutem.* Tunc enim facimus in Deo virtutem, quando, non confidentes de viribus propriis, totaliter nos committimus divinae virtuti; tunc *virtus in infirmitate perficitur*, secunda ad Corinthios; aliter non *egreditur Deus in virtutibus nostris.* — Item, *rationis rectificativa;* ad Romanos [5]: *Non erubesco Evangelium; virtus enim Dei est in salutem omni credenti;* et recte, quia in eo continetur virtus rectificativa et directiva in omnem veritatem necessariam ad salutem et quantum ad credenda et quantum ad operanda. — Item, *voluntatis sanctificativa;* Lucas [6]: *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.* Non enim venit ex terra, id est ex aliqua virtute creata, sed *ex alto,* id est, a solo Deo venit sanctificatio voluntatis; in Psalmo: *Verbo Domini caeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum.* — Item, *utriusque hominis beatificativa,* quando convertit nos totaliter ad se secundum utrumque hominem; in Psalmo [7]: *Domine Deus virtutum, converte nos;* item: *Ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam;* item: *Domine, in virtute tua laetabitur rex.* — Huic ergo virtuti efficaci oportet hominem inniti et de ipsa sola confidere et in consideratione ipsius se ipsum annihilare et nihil reputare, immo se in sua infirmitate cognoscere qui vult in speculo creaturarum Deum videre et ipsum cognitum perfecte amare sicut virtutem, sine qua nihil potest esse, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

[Marginalia: ...ios effectus. — ...os reparandi primus. — ...ecundos. — Tertius. — Quartus effectos. — Roboratio memoriae. — Rectificatio rationis. — Sanctificatio voluntatis. — Beatificatio utriusque hominis. — Corollarium.]

[1] Cap. 1, 3.
[2] Luc. 1, 35.
[3] August., Serm. 315. in Append. (alias 35. ex Hom. 70.) n. 2. Sequuntur I. Cor. 1, 23-24; ibid. v. 18. et deinde Ps. 20, 14.
[4] Psalm. 59, 14. Sequitur II. Cor. 12, 9. Deinde alluditur ad Ps. 59, 12.
[5] Cap. 1, 16.
[6] Cap. 24, 49. Sequitur Ps. 32, 6.
[7] Psalm. 79, 8; 62, 3; 20, 2.

OPUSCULUM II.

SOLILOQUIUM

DE QUATUOR MENTALIBUS EXERCITIIS

PROLOGUS.

1. *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, a quo omnis paternitas in caelo et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriae suae virtute corroborari per spiritum eius in interiori homine, Christum per fidem habitare in cordibus vestris; in caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum, scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei*, ad Ephesios tertio [1].

Explicatio textus. Paulus apostolus, vas aeternae electionis, sacrarium divinae sanctificationis, speculum et exemplar supernae contemplationis, in verbis praemissis ostendit nobis mentalis exercitationis *ortum, obiectum* et *fructum*. — De ortu mentalis exercitationis. Mentalis enim exercitatio, si debet esse pia et salutifera, oportet, quod habeat potentiam supernaturaliter [2] confortantem, sapientiam regulantem et clementiam consolantem. Flectat igitur anima devota, divinae contemplationis amore accensa [3], genua mentis ante thronum beatissimae et incomprehensibilis Trinitatis, pulset humiliter et postulet sapienter Dei Patris confortatricem potentiam, ne labore depressa succumbat; Dei Filii regulatricem sapientiam, ne errore seducta a veritate deviet; Dei Spiritus sancti consolatricem pietatem et clementiam, ne taedio devicta deficiat. *Omne* enim *datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum*, Iacobi primo [4]; et secundum Augustinum, « omne bonum nostrum aut Deus est, aut a Deo est ». Unde non immerito in omni boni operis initio ille est invocandus, a quo omne bonum originaliter progreditur, per quem omne bonum exemplariter producitur, et ad quem omne bonum finaliter reducitur. Haec est illa ineffabilis Trinitas, Pater, Filius et Spiritus sanctus, quam tangit Apostolus, cum dicit [5]: *Flecto genua mea* etc., usque ibi: *ut possitis*.

2. Secundo ostendit istius salutiferae mentalis exercitationis *obiectum*. De obiecto eiusdemque quadruplici. Obiectum vero exercitationis devotae mentis debent [6] esse *interiora* et *exteriora, inferiora* et *superiora*. — De primo. Debet enim anima devota per mentale exercitium contemplationis radium reflectere primo ad *interiora sua*, ut videat, qualiter sit formata per naturam, deformata per culpam, reformata per gratiam. — De secundo. Secundo debet convertere radium contemplationis ad *exteriora*, ut cognoscat, quam instabilis sit mundana [7] opulentia, quam mutabilis mundana excellentia, et quam miserabilis mundana magnificentia. — De tertio. Debet etiam tertio radium contemplationis convertere ad *inferiora*, ut intelligat humanae mortis inevitabilem necessitatem, iudicii finalis formidabilem austeritatem, poenae infernalis intolerabilem poenalitatem. — De quarto. Debet quarto convertere radium contemplationis ad *superiora*, ut cognoscat et sapiat caelestis gaudii inaestimabilem pretiositatem, ineffabilem delitiositatem et interminabilem

---

[1] Vers. 14-19. Pro *in interiori homine* Vulgata *in interiorem hominem;* cfr. tom. VII. pag. 430, nota 3. — Subinde respicitur Act. 9, 15: Quoniam *vas electionis* est mihi iste.

[2] Codd. A D F *supernaturatem*.

[3] Codd. F G L *succensa*. Subinde post *genua mentis* G addit *ante Deum et;* pro *confortatricem* D substituit *confortantem*, pro *regulatricem* et *consolatricem* E exhibet *regulantem* et *consolantem*.

[4] Vers. 17. — Sententia Augustini habetur I. de Doctr. christiana, c. 31. n. 34; de Vera Relig. c. 18. n. 35; cfr. de Natura boni, c. 1. — Inferius pro *in omni boni operis initio* C F *in omnis boni operis initio*.

[5] Ephes. 3, 14-18. — Codd. D E post *Spiritus sanctus* prosequuntur: *unus Deus, quam* [E *quem*] *tangit Apostolus in principio, cum dicit*.

[6] Ita I L; alii codd. et Vat. *dicuntur*. Inferius pro *reflectere* A D E F *deflectere*, et pro *formata* A C E L *creata*.

[7] Pro *mundana* hic et inferius F ter substituit *humana*, quod A C bis tantum exhibent; D E legunt *humana conditio et opulentia, quam brevis et inermis humana excellentia*.

Haec est crux beata. aeternitatem. — Haec est illa *crux beata*, quatuor finibus terminata, in qua, o anima devota, cum tuo dulcissimo sponso Iesu Christo debes iugiter meditando pendere. Currus igneus. Hic est ille *currus igneus*, quatuor rotis consummatus, in quo debes post tuum fidelissimum amicum assidue contemplando caeli palatium conscendere [1]. Quadruplex regio. Haec est illa *quadruplex regio*, videlicet orientalis, occidentalis, aquilonaris et meridionalis, quam tu, o anima, quotidie debes peregrinando intrare et tuum dilectum specialissimum in ea speculando quaerere et investigare, ut possis dicere cum sponsa [2]: *In lectulo meo quaesivi per noctem quem diligit anima mea.* Haec quatuor tangit Apostolus, cum subiungit: *Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum.*

3. Tertio ostendit *fructum* salutiferae exercitationis. Fructus eiusdem. Fructus autem istius salutiferae exercitationis, si digne et laudabiliter exsequatur, est felicitas aeterna, quae est quid optimum et pulcherrimum et per se sufficientissimum, nullo extra se indigens; in qua [3] « videbimus et amabimus, vacabimus et laudabimus » in aeternum et ultra eum qui est benedictus in saecula. Hunc fructum promittit Apostolus, quando sermonem concludit dicens: *Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Hanc plenitudinem tunc inveniemus, quando [4] « Deus erit voluntati multitudo pacis, rationi plenitudo lucis, memoriae continuatio aeternitatis ». Tunc enim *Deus* erit *omnia in omnibus* [5], « cum a ratione omnis error, a voluntate omnis dolor et a memoria omnis timor recesserit, et successerit illa quam speramus mira serenitas, divina iucunditas, aeterna securitas ».

4. Hunc tractatum, instigante conscientia, propter simpliciores quosque simplicibus verbis de Sanctorum dictis compilavi per modum cuiusdam dialogi, in quo *anima* devota, veritatis aeternae discipula, meditando *interrogat*, et *homo* interior mentaliter loquendo *respondet* [6]. — Intentio auctoris et modus operis. Ut autem ad istius mentalis exercitationis inaestimabilem contemplationem perveniamus, ab exordio incipiamus et Patrem luminum humiliter invocando accedamus, genua cordis devote flectamus ante thronum aeternae Maiestatis, et ante solium individuae Trinitatis lacrymis et gemitibus incessanter clamemus, ut Deus Pater per suum benedictum Filium in Spiritu sancto donet nobis gratiam exercitandi mentaliter, ut possimus cognoscere, *quae sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum*, ut per hanc pertingamus [7] ad eum qui est omnis desiderii finis et complementum. Amen. Hortatio ad orandum.

Capitulum I.

Quomodo anima per mentale exercitium debeat radium contemplationis reflectere ad interiora sua, ut videat, qualiter sit formata per naturam, deformata per culpam et reformata per gratiam.

§ 1.

Praeambulum.

1. Interrogatio animae. Dic, quaeso, o homo, si post devotam invocationem divinae magnificentiae et post humilem implorationem aeternae sapientiae et demum post flebilem supplicationem supernae pietatis et clementiae, gratiam exercitandi mentaliter circa hanc *quadruplicem* materiam, videlicet longitudinis, latitudinis, sublimitatis et profunditatis, obtinerem; quo ordine inchoem, ne meritum huius exercitationis amittam, si indebito ordine ignoranter procedam? « Ordinis enim ignorantia, secundum beatum Ambrosium [8], perturbat formam meritorum »: « nec reputatur, secundum eundem, perfecta rei cognitio in nobis existere, cum scimus, quid faciendum, et ignoramus, quo ordine sit procedendum ».

2. Homo. O anima, secundum beatum Bernardum ad Eugenium Papam [9], « a te tua consideratio Resp. Necessitas se ipsum cognoscendi.

[1] Libr. IV. Reg. 2, 11: Ecce currus igneus... et ascendit Elias per turbinem in caelum.

[2] Cant. 3, 1. — Superius pro *peregrinando intrare* A C D E F *quasi peregrinando incedere* (A *intendere*), et pro *dilectum specialissimum in ea* B *dilectum speciosissimum*.

[3] Ut dicit August., XXII. de Civ. Dei, c. 30. n. 5. — Exod. 15, 18: Dominus regnabit *in aeternum et ultra.* — Codd. B C D E F, omisso *et ultra*, prosequuntur *Deum* (B D E addunt *verum, vivum et aeternum*), *qui est super omnia benedictus* etc.

[4] Secundum Bernard., Serm. 11. in Cant. n. 5. Pro *Deus erit* G I *Deus factus est* (textus originalis: *ipse futurus est*).

[5] Epist. I. Cor. 15, 28, post quem sequitur sententia Bernardi, Serm. 11. in Cant. n. 6, ubi pro *omnis timor* A *omnis oblivio*, pro *divina iucunditas* textus originalis *plena suavitas*, et pro *securitas* (D E addunt *et felicitas*) C *satietas*.

[6] Eundem procedendi modum exhibet Hugo a S. Vict. in suo Soliloquio de arrha animae; cfr. Isidor., lib. de Synonymis, in quo inducitur *homo* miserias deflens et *ratio* consolans; et liber de Cognitione verae vitae (inter opera August.), in quo *magister* et *discipulus*.

[7] Cod. F *perveniamus;* pro *ad eum* C D *ad Deum*, et pro *complementum* B *plenitudo*.

[8] Serm. 4. in Ps. 118, 27. n. 12: « Ordinis ignorantia conturbat negotiorum naturam formamque meritorum »; ibid. paulo superius: Nam scire, quid facias, et ordinem nescire faciendi non est perfectae cognitionis; offendunt plerumque praepostera. — Pro *Ambrosium* A C E F *Bernardum*.

[9] Sive II. de Considerat. c. 3. n. 6, ubi A C D I L cum textu originali *te neglecto* (alloquitur Eugenium).

inchoet, ne frustra extendaris ad alia, te neglecta». Idem in Meditationibus[1]: « Multi multa sciunt et se ipsos nesciunt, alios inspiciunt et se ipsos deserunt, Deum quaerentes per exteriora, deserentes sua interiora, quibus interior est Deus. Idcirco ab exterioribus ad interiora redeam et ab inferioribus ad superiora conscendam: ut possim cognoscere, unde venio aut quo vado, unde sim et quid sim; et ita per cognitionem mei ascendam ad cognitionem Dei ». Item, Chrysostomus super Matthaeum[2] dicit: « Non minima pars philosophiae est cognitio sui ». Item, Ambrosius in Hexaëmeron[3]: « Cognosce, quantus sis; attende tibi, ut consideres, quid in te intret in cogitatione, quid exeat in sermone ». — « Vitam igitur Corollarium. tuam, o anima, quotidiana discussione examina. Attende diligenter, quantum proficias et quantum deficias; qualis sis in moribus, qualis in affectionibus; quam similis sis Deo et quam dissimilis, quam prope et quam longe. Illud semper agnosce, quod multo laudabilior et melior es, si te cognoscis, quam si, te neglecto, cursum siderum, vires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium cognosceres et scientiam omnium caelestium et terrestrium haberes. Redde ergo te tibi, et si non semper, saltem interdum. Rege tuos affectus, dirige actus, corrige gressus[4] ». Igitur, anima, tene consilia Sanctorum et primo radium contemplationis converte ad regionem *orientalem*, hoc est ad considerationem tuae conditionis. Diligenter igitur considera, quam generose a summo Artifice *sis facta per naturam*, quam vitiose a tua voluntate *deformata sis per culpam*, quam gratiose a divina bonitate saepius *reformata sis per gratiam*.

§ 2.

Quam generose a summo Artifice formata sit anima per naturam.

3. Primo ergo considera, quam *generose formata sis per naturam*. Generositas tua naturalis consistit in hoc, ut existimo, quia tibi naturaliter ad Beneficium primum. tui decorem impressa est imago beatissimae Trinitatis. Unde Anselmus in Proslogio[5]: « Fateor, Domine, et gratias ago, quia me creasti ad tuam imaginem, ut tui memor sim, te cogitem, te diligam ». Bernardus in Meditationibus[6]: « Secundum interiorem hominem tria in me invenio, per quae Deum recolo, conspicio et concupisco. Haec tria sunt memoria, intelligentia et voluntas. Cum enim Dei reminiscor, in ipso delector; *memoria enim eius super vinum.* Intelligentia ipsum intueor, quantum in se sit incomprehensibilis, quia principium est et finis; quantum in Angelis desiderabilis, quia *desiderant in eum prospicere;* quantum in Sanctis omnibus delectabilis, quia in eo assidue laetantur; quantum in creaturis omnibus admirabilis, quia omnia potenter creat, sapienter gubernat, benigne dispensat ». Cum haec intueor, ipsum concupisco. « Cum Deum per voluntatem diligo, me ipsum in eum transformo ». Haec Bernardus[7]. Recognosce ergo, o anima mea, quam mira et inaestimabilis dignitas est, esse non solum vestigium Creatoris, quod est commune omnibus creaturis, sed etiam esse imaginem eius, quod est proprium creaturae rationalis. *Lauda* igitur, anima mea, *Dominum, lauda Deum tuum, Sion*[8]. « Expergiscere et lauda, exsulta et gaude, quia insignita es Dei imagine, decorata similitudine, particeps rationis, capax aeternae beatitudinis ».

4. Sed quia haec modica non immerito forte Beneficium secundum. iudicarentur, si morte finirentur; exsulta et lauda, quia cum praedictis dedit tibi *naturam immortalem*, substantiam incorruptibilem, durationem interminabilem, vitam perpetuam. « Imago enim aeternae Trinitatis non esses, si termino mortis claudi posses », Augustinus de Trinitate[9]. « O anima, adverte, quod Creator tuus post illud *esse* dedit tibi pulcrum *esse*, dedit tibi perpetuum *esse*, deditque tibi vivere, sentire, discernere, sensibus te decoravit, sapientia illustravit». « Tuam igitur pulcritudinem attende, ut

---

[1] Scilicet in Meditationibus piissimis de cognitione humanae conditionis (inter opera Bernardi), c. 1. n. 1, ubi pro *Deum quaerentes per exteriora* textus originalis *Deum quaerunt* [ita etiam F] *per ista exteriora*, qui insuper in fine legit *quo vado, quid sum, vel unde sum; et ita per cognitionem mei valeam pervenire ad cognitionem Dei.*

[2] Homil. 25. (alias 26.) n. 4: Nec sane minima pars est philosophiae, cum meritum nostrum dignoscere possumus. Hic enim se ipsum maxime novit, qui se nihil esse existimat. Cfr. Glossa *ordinaria* (ex Origene, Homil. 3. in Exod.) in Exod. 4, 10.

[3] Libr. VI. c. 8. n. 50: Cognosce ergo te, o homo, quantus sis... attende tibi, ut consideres, quid in te intret, quid ex te exeat. Non de cibo dico, qui absorbetur et egeritur, sed de cogitatione dico, de sermone assero. Pro *in cogitatione* A E F I *in cognitione.*

[4] Ita auctor Meditat. piissim. de cognit. human. conditionis (cfr. supra nota 1.). Post *quam longe* textus originalis prosequitur *non locorum intervallis, sed morum affectibus. Stude cognoscere te; quam multo* etc. Post *haberes* C addit *Unde Algazel* [cfr. I. Philosophiae, tr. 3. c. 1. de scientia Dei sententia 3. et 4; Logic. c. 2. circa finem, ed. Venet. 1506]: *Homo cognosce te ipsum, et cognoscis omnia.* — Inferius pro *conditionis* Vat. *condonationis,* et pro *sis facta* F *sis formata.*

[5] Cap. 1, ubi pro *quia me creasti ad tuam imaginem* textus originalis *quia creasti in me hanc imaginem tuam.*

[6] Cap. 1. n. 1; cfr. supra nota 1. Pro *in me invenio* textus originalis *in mente mea invenio,* qui etiam hinc inde plura interiicit. Allegantur Cant. 1, 3, quem textus originalis omittit, et I. Petr. 1, 12.

[7] Cfr. Tract. de caritate (inter opera Bernardi), c. 18. n. 61: Qui Deum diligit... quodammodo, ut ita dixerim, consubstantiat se dilecto. Hugo a S. Vict., de Arrha animae: Ea vis amoris est, ut talem esse necesse sit, quale illud est quod amas [Quae hic Vat. adiungit], et qui per affectum coniungeris in ipsius similitudinem ipsa quodammodo dilectionis societate transformaris.

[8] Psalm. 147, 12. Sequitur Bernard., Meditat. c. 3. n. 7. — August., XIV. de Trin. c. 8. n. 11: Eo quippe ipso imago eius est, quo eius capax est eiusque particeps esse potest.

[9] Libr. XIV. c. 2-4. n. 4-6, sententialiter; clarius in libro de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 18. et in M. Aurelii Cassiodori libro de Anima, c. 2; cfr. tom. I. pag. 159, nota 13. et tom. II. pag. 460, nota 3.

intelligas, qualem debeas pulcritudinem diligere. Quodsi temetipsam, ut expedit, contemplari non sufficis, cur saltem, quid de te aestimare debeas, ex iudicio alieno non perpendis? Sponsum habes, de cuius pulcritudine, si dubitares, scire posses, quod tam pulcher, tam formosus, tam unicus Dei Filius tuo aspectu captus non esset, si eum singularis decor tuus et ultra ceteros admirandus, non traxisset ». Haec Augustinus [1].

eficium rtium.

5. Sed haec fortasse, o anima nimis ingrata, tibi videntur modica; propterea audi tertio dignitatem admirabilem: quod *tantae es simplicitatis*, quod nihil potest domum mentis tuae inhabitare, nihil potest ibi mansionem facere nisi simplicitas et puritas Trinitatis aeternae. Ecce, quid dicit sponsus [2]: *Ego et Pater meus ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus;* et alibi: *Festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Illabi enim menti nulli possibile est nisi soli Deo qui eam creavit. Ipse enim est qui intimior intimo tuo esse perhibetur, sicut Augustinus [3] testatur. Gaude igitur, o felix anima, quod potes esse tanti hospitis hospita. Bernardus [4]: « O felix anima, quae quotidie cor suum mundat, ut inhabitantem Deum suscipiat, cuius hospes nullo bono indiget, quia auctorem omnium bonorum in se habet ». « O quam beata anima, apud quam Deus requiem invenit, quia dicere potest: *Qui creavit me requievit in tabernaculo meo!* Negare siquidem ei caeli requiem non poterit », qui sibi in hac vita requiem praeparavit. Haec Bernardus [5]. O anima, nimis es avara, si non sufficit tibi tanti hospitis praesentia, quia scito, quod tam liberalis est, quod communicabit tibi de bonis suis; quod tam pius est, quod ditabit te donis suis. Nullo enim modo deceret tantum principem, si dimitteret hospitam suam indigentem. « Adorna igitur thalamum tuum et suscipe regem Christum [6] », de cuius praesentia exsultabit et laetabitur tota familia tua. O vere mira et multum admirabilis sententia! « Rex, cuius pulcritudinem sol et luna mirantur [7] », cuius magnitudinem caelum et terra reverentur, de cuius sapientia caelestium spirituum agmina illuminantur, de cuius clementia omnium Beatorum collegia satiantur, talis tuum, o anima, desiderat hospitium, tuum coenaculum plus quam caeleste palatium appetit et exoptat. *Deliciae* enim suae sunt *esse cum filiis hominum* [8].

Beneficium quartum.

6. Sed si haec adhuc te non movent ad laudandum Creatorem tuum, converte contemplationis radium ad quartum beneficium et recognosce, quod *tantae capacitatis* es, quod nulla creatura infra Deum sufficit satiare tuum desiderium. Hugo de S. Victore [9]: « Omnis iucunditas, omnis suavitas, omnis pulcritudo creaturarum afficere cor humanum potest, satiare non potest ». Anselmus [10]: « Omnis copia, quae Deus non est, mihi inopia est ». « Et quia revera, secundum Gregorium in Moralibus [11], anima humana ad Deum appetendum facta est, quidquid infra Deum appetit, minus est, ideoque iure ei non sufficit quod Deus non est ».

Beneficium quintum.

7. Iam, ut aestimo, anima, sufficienter [12] vidisti tuam nobilitatem, quae est valde laudabilis; converte nunc radium contemplationis ad tuam super ceteras creaturas *potestatem*, quae revera est admirabilis. Hugo de Arrha animae [13]: « O anima mea, quid dedit tibi sponsus tuus? Respice mundum istum: omnis natura ad hunc finem cursum suum dirigit, ut tuis utilitatibus deserviat tuisque oblectamentis secundum distributionem temporum indesinenter occurrat ». Vide iam, anima mea, et diligenter considera,

Quoad mundum.

[1] De Diligendo Deo (inter opera August.), c. 6. et 4, quae, ut editores operum August. praenotant, inveniuntur apud Hug. a S. Vict., de Arrha animae (ed. Migne Patrolog. Lat. tom. 176, col. 960 seq. et 954). Cod. L in principio horum duorum textuum ponit *Hugo de Arrha et de donis animae,* in fine *Haec Hugo.* Pro *non traxisset* A *non attraxisset.*

[2] Ioan. 14, 23, post quem Luc. 19, 5. — Superius pro *potest ibi nihil* I *nihil per substantiam potest.*

[3] Libr. III. Confess. c. 6. n. 11: Tu autem eras interior intimo meo et superior summo meo. Libr. VIII. de Gen. ad litt. c. 26. n. 48: Cum sit ipse... et interior omni re, quia in ipso sunt omnia, et exterior omni re, quia ipse est super omnia. Cfr. tom. II. pag. 226, nota 5. et 7; tom. III. pag. 643, nota 4.

[4] Serm. 2. de Dedicatione ecclesiae, n. 2: Propter quod iam festina [anima], adorna thalamum tuum, Sion, quoniam complacuit Domino in te... Quanta enim Dei benignitas, quanta dignatio, quanta dignitas, quanta gloria animarum, quod Dominus universorum, et qui nullam habet indigentiam templum sibi fieri iubet in illis etc. — Cod. L omittit *Bernardus.*

[5] Sive auctor Meditat. piissim. etc. (cfr. supra pag. 30, nota 1.) c. 1. n. 2. Allegatur Eccli. 24, 12. — Post *requiem* A C D E addunt *in mente.* Inferius vocibus *bonis suis* D praefigit *optimis.*

[6] Missale Roman. pro processione in festo Purificationis B. M. Virg.

[7] Ut dicitur in Epist. 1. ex Ambrosianarum numero segregatarum, n. 3, in qua describitur martyrium S. Agnetis (cfr. Breviar. Roman. 21. Ianuar. antiph. 1. tertii Noctur.).

[8] Prov. 8, 32. — Superius pro *tuum coenaculum* G *tuum habitaculum.*

[9] In Eccle. homil. 2. Cfr. tom. VI. pag. 17, nota 1. — Superius pro *tantae capacitatis es* Vat. *tantae capacitatis est palatium tuum* (I *es palatium*).

[10] Cfr. Meditat. 14. c. 2: « Si cuncta, quae fecisti, dederis mihi, non sufficit servo tuo, nisi te ipsum dederis ». Pro *Anselmus* fortasse substituendum *Augustinus;* vide infra n. 41. et supra pag. 13, notam 12. Cfr. etiam Gregor., XX. Moral. c. 38. n. 73. et XXII. c. 3. n. 5.

[11] Libr. XXVI. c. 44. n. 79.

[12] Codd. A C F *sufficit tibi,* D E L *sufficit tibi, quod,* et pro *vidisti* D E *audisti.*

[13] Textus originalis (ed. Migne, col. 955) plura hinc inde interserit et finem sic exhibet: *dirigit, ut obsequiis tuis famuletur et utilitati deserviat tuisque oblectamentis pariter et necessitatibus secundum affluentiam indeficientem occurrat. Hoc caelum, hoc terra... explere non cessant; in hoc circuitus temporum annuis innovationibus* etc. Pro *omnis natura* A C D E F *omnis naturalis creatura,* et in fine F legit *tuisque oblectationibus* [ita etiam C D E] *secundet et secundum distinctionem* [ita etiam A, E *distinctiones*] *temporum indesinenter occurrat.*

quod Creator tuus, rex tuus, sponsus et amicus, totam machinam mundialem ad tuum ordinavit ministerium [1]. — Ecce, *Angeli* purgant et inflammant tuum affectum, illuminant et informant tuum intellectum, perficiunt et custodiunt tuum subiectum. Magna enim est dignitas habere tales doctores, tales consolatores, tales conservatores. Et Bernardus [2]: « O anima, si videre posses, quanto gaudio quantoque tripudio assistunt orantibus, intersunt meditantibus, quanto studio nos in bono conservant, quanto desiderio nos et salutem nostram aeternam exspectant »! — *Caelum* tibi deservit per suum motum, luminaria caeli per suum influxum, sol causat tibi diem, luna illuminat tibi noctem, ignis temperat aëris frigiditatem, aër tibi mitigat ignis internam caliditatem, aqua tibi mundat foetorem, mitigat tibi sitis ardorem et fecundat terrae vigorem. *Terra* vero te sustentat sua soliditate, recreat sua fertilitate, delectat sua amoenitate. — Ecce, anima, breviter discurristi per singula ab inferioribus ad superiora et invenisti, quod « omnis creatura ad hunc finem ex divina ordinatione cursum suum dirigit, quatenus tuis utilitatibus deserviat tuisque oblectamentis indesinenter occurrat [3] ». « Sed cave, anima mea, ne non sponsa, sed adultera dicaris, si munera dantis plus quam affectum amantis diligis ». Augustinus in libro Confessionum [4]: « Vae tibi! si oberras in vestigiis suis, si nutus suos pro eo amas, ut temporalia lucra recipias, et non advertis, quid innuat illa lux beatissima, quae est purgatae mentis intelligentia, cuius vestigia et nutus sunt omnium creaturarum decus ». Adhuc, *si* forte *ignoras te, o pulcherrima mulierum, egredere et abi post vestigia gregum* [5], id est irrationabilium creaturarum, quae sunt vestigium Creatoris tui, tu vero speculum beatissimae Trinitatis. Ergo omnibus his dignior et excellentior comprobaris. *Et pasce hoedos tuos iuxta tabernacula pastorum,* id est, converte cogitationes tuas ad choros Angelorum, quibus quodam modo similis es in natura et concivis eris in gloria.

Quoad Angelos. Quoad caelum et terram. Corollarium.

8. Anima. Iam satis silui diuque tacui; iam nunc cum verecundia et rubore compellor dicere et confiteri, quod ad hanc dignitatem modicum converti amorem meum; heu ego infelix et misera! nimis indigne et irreverenter me prostitui, vane et negligenter vixi. Et ut verum fatear, secundum Bernardum [6], « quanto perfectius dignitatem meam aspicio, tanto magis vitam degenerem me duxisse confundor et erubesco ». Timeo etenim, quod tanto gravior sit culpa, quanto dignior et nobilior est natura [7]. Formido, quod tanto gravior sit offensa, quanto maior est illius qui offenditur excellentia. Pertimesco, quod tanto peior est iniuria, quanto maiora fuerunt illius cui iniuria irrogatur, beneficia. Heu, heu Domine Deus meus! ex dignitate substantiae iam perpendo vilitatem malitiae, ex speciositate naturae cognosco deformitatem culpae, ex recordatione beneficiorum acceptorum intelligo ingratitudinem factorum meorum [8]. Vae mihi miserae! iam video, iam cognosco, quod « quidquid a summo datore accepi ad usum vitae transitoriae, miserabiliter inflexi ad abusum pravitatis et culpae. Tranquillitatem humanae pacis ad usum converti vanae securitatis; peregrinationem terrae pro inhabitatione dilexi patriae; salutem et sanitatem corporis redegi in servitutem perversae voluptatis; ubertatis abundantiam non ad necessitatem corporis, sed ad superfluitatem expendi miserae cupiditatis; ipsa serena blandimenta aëris ad amorem mihi servire coegi terrenae delectationis. Timeo heu et valde pertimesco, ut simul me omnia ferire puniendo debeant quae vitiis meis male subiecta serviebant ». Haec Gregorius in Homilia [9].

Confessio animae.

9. Homo. O anima, aliqualiter iam perpendo, quod bona est tua cognitio. Ex verbis enim tuis sentio, quod non fuit frustra mea admonitio. Videtur mihi, quod lumine divino aliqualiter sis illustrata,

Confirmatio praecedentis.

---

[1] Cod. F addit: *Nota hic triplex officium secundum Dionysium* [cfr. supra pag. 3, nota 4.], *scilicet illuminare, purgare et perficere.*

[2] Sive auctor Meditat. piissim. etc. (cfr. supra pag. 30, nota 1.) c. 6. n. 16, ubi tamen sententia haec multo diffusior exhibetur.

[3] Ut insinuat Hugo a S. Vict. paulo superius allegatus. Pro *oblectamentis* A C D E F *oblectationibus.* — Seq. sententia est eiusdem Hugonis, loc. cit.

[4] Potius II. de Lib. Arb. c. 16. n. 43, ubi haec sententia, aliter tamen formata, occurrit: Vae, qui derelinquunt te ducem et oberrant in vestigiis tuis, qui nutus tuos pro te amant, et obliviscuntur, quid innuas, o suavissima lux, purgatae mentis sapientia... et nutus tui sunt omne creaturarum decus.

[5] Cant. 1, 7, ubi etiam seq. locus habetur. — De differentia *vestigii* et *speculi* (imaginis) cfr. I. Sent. d. 3. p. I. q. 2. ad 4.

[6] Serm. 81. in Cant. n. 1: Age, iam intendamus declarationi huic, ut quo anima plenius suam agnoscet originem, eo amplius erubescat vitam habere degenerem. — Superius post *nimis indigne* Vat. cum uno alteroque cod. prosequitur *prostitui; factorem meum non pro his omnibus glorificavi, Deum meum propter dona sua non benedixi, et non adoravi eum toto tempore vitae meae, nimis indigne et irreverenter, vane et negligenter vixi* etc.

[7] August., in Ioan. Evang. tr. 110. n. 7: Cur non potius intelligimus, quod tanto damnabilior eorum [angelorum] iudicata sit culpa, quanta erat natura sublimior? Cfr. tom. II. pag. 750, nota 5.

[8] Codd. A C D E F G L addunt *Heu Domine, Deus meus.* Superius pro *ex recordatione beneficiorum* D E *ex erogatione beneficiorum.* Quae sequuntur usque ad n. 9. desunt in cod. H.

[9] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 35. n. 1. Pro *sanitatem corporis* Vat. *pulcritudinem corporis,* quae etiam inferius pro *ipsa serena blandimenta* cum nonnullis codd. substituit *tempora serena et blandimenta.* Cod. G hic duas sententias August. subiungit, quarum prima habetur II. Confess. c. 1. n. 1, cum quibusdam verbis ex c. 3. n. 7. in fine et c. 4. n. 9; secunda invenitur ibid. VIII. c. 5. n. 10: Suspirabam ligatus... dura servitus.

tactu veri luminis mota; quia, secundum beatum Gregorium in Moralibus[1], « unusquisque, dum tactu veri luminis illustratur, sibi ipsi ostenditur, ut, unde cognoscit, quid sit iustitia, inde erudiatur, quid sit culpa, qua excaecatur. Unde sancti viri, quo altius apud Deum virtutum dignitate proficiunt, eo subtilius indignos se esse deprehendunt, quia, dum proximi luci fiunt, quidquid eos in se ipsis latebat, inveniunt ». Haec Gregorius.

§ 3.

Quam vitiose a voluntate deformata sit anima per culpam.

10. Igitur, o anima, si luce veritatis tacta dignitatem tuam, quam hactenus non attendisti, cognoscis, si culpam, qua Creatorem tuum offendisti, intelligis et vidisti, quam generose formata sis per naturam; vide nunc, quam *vitiose deformata sis per culpam.* — « Redue igitur, anima aerumnosa et misera, ad memoriam enorme delictum tuum, perduc usque in caelum rugitum et lamentum. Cogita, anima perfida Dei, adultera Christi, quid feceris. Dereliquisti in caelo castum amatorem tuum, contempsisti factorem tuum, repudiasti sponsum tuum, turbasti Deum tuum, irreverenter tractasti sanctum Angelum custodem tuum. Eras templum Dei, sponsa Christi, sacrarium Spiritus sancti. Quae est ista subita conversio et repentina mutatio? De Dei virgine facta es corruptio satanae, de sponsa Christi scortum exsecrabile, de habitaculo Spiritus sancti facta es tugurium diaboli ». Haec Anselmus de Planctu virginitatis amissae[2]. Recordare, o anima, propter quid vendideris decorem tuum, propter quid abieceris honorem tuum, pro quo tam turpiter foedaveris vultum tuum, quae tanta bona pro tam vili pretio vendidisti.

[…]edargutio […]ae in ge[…]e.

Anima. Recognosco, o homo, quod verum loqueris, et non immerito me de tanta transgressione reprehendis.

[…]aeritur […]tio tanti […]celeris.

11. Homo. O anima, quare te tot bonis spoliasti? Quare frustra tantis te honoribus privasti? Quare tot bona opera neglexisti? Quare tot annos, tot dies, tot horas sine fructu vixisti? Nam dicit Bernardus[3]: « O Domine, Deus meus, quot tempora effluxerunt, in quibus sine fructu, ut aspicio, vixi. Quomodo coram te subsistam? Quomodo ad te levare potero faciem meam in illo magno et terribili examine, quando numerari iusseris omnes dies meos, quaerens fructum in eis? O Domine Deus, cur intermisi te ullo tempore versare in corde meo, te tota mente amplecti, in tua dulcedine delectari? Omnia interiora mea ubi tunc erant, quando tecum non erant, cum a te habeat omnis creatura quidquid habet desiderabile, laudabile et delectabile »? Haec Bernardus[4].

Ratio est deceptio per falsum amorem creaturarum. Deceptio per visum.

12. Anima. Heu Domine, nunc intelligo, sed confiteri erubesco, *species et decor* creaturarum decepit *oculum meum,* et non adverti, quia speciosior omnibus creaturis tu es, quibus tantummodo unam guttam tuae inaestimabilis pulcritudinis communicasti. Quis enim ornavit caelum sideribus, aërem volucribus, aquam piscibus, terram plantis et floribus[5]? Nonne tu, clementissime Pater? Per te illa caelestium spirituum agmina variis donis sunt ornata. Nonne per te Seraphim ardent dilectione, Cherubim lucent cognitione, tuis donis iudicant Throni[6], de tuis muneribus dominantur Dominationes inclytae, ex tua virtute praesunt Principatus, ex tua potestate Potestates daemonum malitias arcent, et ex tua profunda potentia miracula faciunt Virtutes, ex tuo praecepto Archangeli magnis nuntiant maiora, Angeli vero minoribus significant minora? Sed quid sunt haec omnia nisi tuae pulcritudinis modica scintilla? O bone Iesu, fons universae pulcritudinis! ignosce mihi miserae, quod tuam pulcritudinem tam sero cognovi, tam tarde amavi[7]; propterea miserabiliter oberravi.

Item, per gustum.

13. *Dulcedo* etiam creaturarum decepit *gustum meum*, et non adverti, quod melle dulcior es. Tu enim melli et omni creaturae dulcedinem suam, immo tuam commodasti, et non est aliud in creatura dulcedo vel delectatio qualiscumque, nisi *tuae dulcedinis, quam abscondisti timentibus te*[8], modica demonstratio. Unde dulcedo omnium creaturarum, si quis iuste

---

[1] Libr. XXXII. c. 1. n. 1, ubi tamen posterior propositio (*Unde sancti viri*) a textu originali primo loco exhibetur. — Superius pro *tua cognitio* L *tua conversio*.

[2] Sive Meditat. 3, ex qua non semper verba, sed pluries sententiae exhibentur. — Inferius pro *foedaveris* A C D L *defoedaveris*.

[3] Non in Bernardi operibus, sed in Anselmi Meditat. 13. hunc locum invenimus, ita quidem, ut ultimae propositiones *O Domine Deus, cur intermisi* etc. primo loco positae sint. In eadem meditatione tanguntur etiam ea quae inferius n. 12-15. proponuntur, quae S. Laurentius Iustinianus libro suo de Incendio divini amoris, c. 6, inseruit. — Superius Vat. ordinem invertit, transponendo *O anima, quare te tot... vixisti* ante *Anima. Recognosco, o homo.*

[4] Cod. C omittit *Haec Bernardus;* G superius vocibus *O Domine Deus, cur intermisi* praefigit *Anima* et hic substituit: *Bernardus: Defluxi a te, Domine Deus, et erravi nimis a via et a tua stabilitate, devius fui in adolescentia mea et factus sum mihi regio egestatis.*

[5] Anselm., loc. cit.: Ornasti caelum sideribus, empyreum Angelis, aëra volucribus, aquas piscibus, terras herbis, floribus virgulta. Sed non est species ultra neque decor omnibus iis in tui comparatione, o fons universae pulcritudinis, Domine Iesu. — Vat. hic addit *homines in corpore diversis coloribus, in mente variis virtutibus.*

[6] Anselm., loc. cit.: « Per te Seraphim ardet, per te Cherubim lucet, per te Throni iudicant ». Quae sequuntur de aliis ordinibus paulo diffusius exhibentur ab Anselmo.

[7] August., X. Confess. c. 27. n. 38: Sero te amavi, pulcritudo tam antiqua et tam nova, sero te amavi.

[8] Psalm. 30, 20. — Anselm., loc. cit.: Melli dulcedinem suam praestitisti, et dulcior melle tu es. — Pro *modica demonstratio* D E *degustatio*, qui etiam inferius post *invitat* addunt: *Ergo, Domine, suppliciter et humiliter peto, ut dulcedo universae creaturae haec mihi amarescat, ut tu solus dulcis appareas animae meae* (Soliloq. inter opera August., c. 22.).

advertat, nihil aliud facit, nisi quod ad tuam dulcedinem aeternam invitat. O Iesu, fons universae dulcedinis et pietatis! ignosce mihi, quod tuam inaestimabilem dulcedinem et mellifluam pietatem in creatura tua non cognovi nec interno mentis amore degustavi; propterea miserabiliter oberravi et animam meam usque modo siliquis porcorum saturavi [1]. Sed heu, nunquam, ut timeo, de pane filiorum tuorum manducavi; ideo semper in deliciis mundi ieiuna et famelica permansi. Gregorius [2]: « Quia intus gustare nolumus paratam dulcedinem, propterea ieiuni et famelici amamus miseri famem nostram ». O dulcissime Iesu! modo agnosco, quod omnis dulcedo tibi contraria fuit mihi afflictio et magna miseria. Augustinus in libro Confessionum [3]: « Tu enim, misericordissime Deus, etiam in peccatis meis semper mihi aderas piissime saeviens, omnes iniquas delectationes meas et malas amarissimis respergens amaritudinibus, docensque per flagella, si vellem sine amaritudine delectari, non posse nisi in te, Domine ». Haec Augustinus. Sed heu, hanc doctrinam non intellexi, propterea oberravi, semper tamen in omnibus deliciis iniquis timui proditorem, timui accusatorem, timui reprehensorem, formidavi aliquoties conscientiam, expavi multoties infamiam, nonnunquam abhorrui gehennam, et tamen, heu ego misera, inter tot tormenta non mutavi voluntatem propriam.

Deceptio per odoratum.

14. Decepit etiam *odor* creaturae *olfactum meum*, et ignoravi, quod *odor tuus*, o bone Iesu, *super omnia aromata* [4]. O bone Iesu! fons odoris, cuius suavitas faciat me indesinenter *post te in odorem unguentorum tuorum currere.*

Item, per auditum.

15. Decepit etiam *sonus* fallax creaturarum *auditum meum*, et nescivi, quam *dulcia faucibus* electorum tuorum *eloquia tua* [5], quam suavia auribus amicorum tuorum consilia tua, quam levia manibus Sanctorum tuorum mandata tua. O Iesu! fons sapientiae, auctor scientiae, seminator casti consilii, fac me saltem modo audire vocem tuam, *sonet vox tua in auribus meis* [6]. Cum quanta amaritudine recogitandum mihi est, quod fefellit me miseram illa vox cantantium et dicentium [7]: *Venite, fruamur bonis, quae sunt; coronemus nos rosis, antequam marcescant, et non praetereat nos flos temporis. Vino pretioso et unguentis optimis nos impleamus, ubique relinquamus signa laetitiae.* Hanc vocem audivi et non intellexi nec adverti, quoniam omnia *vana sunt et risu digna.* Omnia enim haec et his similia cito pertranseunt et velut umbra evanescunt. Quid enim vana haec omnia amatoribus suis profuerunt? Quid haec stulta dilectoribus suis contulerunt? *Quem enim fructum habuerunt in illis, in quibus nunc erubescunt et confunduntur* [8]?

Confessi divinae mi sericordia ad melior vocantis e propriae sc mnolentia

16. Sed inter haec omnia tu, amantissime Deus, mihi semper aderas, vocem tuam frequenter audivi, sed non exaudivi, inspirationem tuam salutiferam sensi, sed non consensi. O quoties mihi illud salutiferum consilium inspirasti: Peccasti, quiesce, desine et erubesce! Ad quae ego misera, morem secuta beati Augustini in libris Confessionum [9], verba somnolenta aliquando respondi: « Domine, ecce modo, sine paululum, modo a vanitate quiescam, cito de malignitate erubescam, omnia vana et mundana derelinquam. Sed heu, illud *modicum* et *modo* non habebat modicum et modum, et *paululum* in longum ibat ». Augustinus [10]: « Multi aeternaliter damnantur et finaliter in peccatis detinentur, qui se ad vocem Domini non corrigunt. Vocem quidem occultae inspirationis audiunt, sed vitam non corrigunt, dicentes: Cras, cras, et subito ostium clauditur, remanetque peccator foras extra arcam caelestis patriae cum voce corvina, quia pro peccatis gemere noluit cum columba ». Gregorius [11]: « Heu, quam multos in peccatis eorum peius sua felicitas prostravit, multos diuturna pax inertes reddidit, eoque illos mox malignus hostis gravius perculit, quo longius

---

[1] Respicitur Luc. 15, 16, ubi de filio prodigo.

[2] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 36. n. 1. Pro *paratam* A C E F L *perfectam.*

[3] Libr. II. c. 2. n. 4. Pro *saeviens* (ita B cum textu originali) I *leniens*, alii codd. et Vat. *sustinens.*

[4] Cant. 4, 10. et subinde 1, 3. Anselm., loc. cit.: Aromatibus cunctis odores suos tribuisti, et est, o Iesu, odor tuus super omnia aromata suavis et gratus. — Inferius post *currere* Vat. cum uno alteroque cod. prosequitur *et infatigabiliter laborare. Ignosce mihi, quod tam sero te cognovi, tam tarde in odore unguentorum tuorum post te cucurri. Puto tamen et per hoc me non excuso, quod odor illius caelestis apothecae huic terreno foetori, quo infecta eram,* [L addit *de cetero*] *non miscetur.*

[5] Psalm. 118, 103. — Inferius post *consilia tua* D E addunt *quam lucidum praeceptum* [cfr. Ps. 18, 9.] *lucidis oculis.*

[6] Cant. 2, 14. — Superius pro *consiliator casti consilii* substituimus ex L *seminator casti consilii* (ita etiam Breviar. Roman. in festo S. Caeciliae, 22. Nov., secundi Nocturn. antiph. 1.

[7] Sap. 2, 6-9. — Subinde allegatur Ier. 10, 15, ubi pro *risu digna* Vulgata *opus risu dignum*, A C D E F L *planctu digna.* Codd. D E subiungunt I. Ioan. 2, 17: *Transit mundus et concupiscentia eius*, et quod, secundum Gregorium, plures non in iuventute, sed tantum in senectute continentiae servire eligunt, quando eos libido contempsit.

[8] Rom. 6, 21. — Secuti codd. A C D E F H I L, omisimus quae Vat. hic ex August., I. Confess. c. 13. n. 21. addit: O Domine, Deus meus, lumen cordis mei, panis animae meae, virtus amaricans mentem meam, non te amabam et fornicabar abs te et fornicanti mihi sonabant: Euge, euge. Amicitia huius mundi fornicatio est abs te. O quid miserius misero non miserante super se ipsum?

[9] Libr. VIII. c. 5. n. 11: Non erat omnino quod responderem veritate convictus, nisi tantum verba lenta et somnolenta: Modo, ecce modo. Sine paululum. Sed *modo* et *modo* non habebant modum, et *Sine paululum* in longum ibat.

[10] Serm. 82. (alias 16. de Verbis Domini) c. 11. n. 14. Cfr. Serm. 224. (alias 164. de Tempore) c. 4. n. 4. et Enarrat. in Ps. 102. n. 16.

[11] Libr. XXXI. Moral. c. 43. n. 84.

quietis usu negligentes invenit »! Item, Gregorius[1]: « Quos enim Deus, ut convertantur, diutius tolerat, non conversos durius damnat ».

17. Sed, o homo, ut tibi meae infelicitatis historiam perfectius manifestem, profiteor, quod haec omnia meae infelicitati non sufficiebant, sed ad cumulum damnationis, heu, *carnis mollities*[2] *tactum meum* nimis miserabiliter decipiebat; et ignoravi, quod tam suavis, o bone Iesu, esset amplexus tuus, tam honestus attactus tuus, tam deliciosus convictus tuus. « Cum enim te amavero, munda sum; cum tetigero, casta sum; cum accepero, virgo sum[3] ». Tuus, o dulcissime Iesu! amplexus non maculat, sed mundat; tuus attactus non inquinat, sed sanctificat. O Iesu, fons universae dulcedinis et suavitatis! quantum habes deliciositatis et honestatis et iucunditatis, quando *laeva* tuae aeternae sapientiae et cognitionis est *sub capite*, id est sub ratione, *et dextera* tuae divinae clementiae et dilectionis *amplexabitur me*[4], in voluntate. Heu me miseram! quis unquam tam dulce, tam suave tamque deliciosum experiri poterit quam inter brachia tanti sponsi requiescere, inter oscula tanti regis et amici feliciter obdormire? Hanc dulcedinem senserat anima devota, quando optabat dicens[5]: *Osculetur me osculo oris sui* etc. *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meae, ut inveniam te solum foris et deosculer te, et iam me nemo despiciat? Apprehendam te et ducam te in domum patris mei et in cubiculum genitricis meae. Ibi me docebis* praecepta Domini.

Deceptio sensuum ...ius.

18. Sed, o Domine Deus, si haec tam dulcia sunt cogitanti, quam dulcia esse possunt degustanti? Si tam suavia sunt legenti, quam dulcia erunt per affectum sentienti? Augustinus[6]: « Fac me, dulcissime Iesu! intus gustare per amorem quod extra gusto per cognitionem; fac me sentire per affectum quod sentio per intellectum ». Eia, dulcissime Iesu! transfige saluberrimo vulnere amoris tui medullas animae meae, ut vere ardeat, langueat et liquefiat et solo tuo desiderio deficiat, cupiat *dissolvi et esse tecum*[7]. Te solum semper esuriat, panem vitae caelestis, qui *de caelo descendisti*. Te sitiat, fontem vitae, fontem aeterni luminis, torrentem verae voluptatis. Te semper ambiat, te quaerat teque inveniat, in te dulciter requiescat[8]. Sed quae vesania, quae infernalis furia tanto tempore a me prohibuit talia et tanta mentis meae solatia, tam divina gaudia et melliflua convivia? — Dic, quaeso, o homo, quae est tanti mali causa[9], quae tanti periculi ratio, quae tanti damni occasio?

...nfirmatur.

Oratio notanda.

19. Homo. Video, o anima, quod iam[10] fatigata laboribus, iam vexata doloribus, invenire non valeas, cui tantum damnum illatum ascribas. Peto igitur, ut cum diligentia audias, si tibi tanti mali causam demonstravero, si tibi tanti damni occasionem ostendero. Habes, o anima mea, *inimicum domesticum*, hostem amicum, adversarium propinquum, qui tibi mala pro bonis reddidit[11], et sub specie amicitiae crudelior existens inimicus, his omnibus et aliis infinitis bonis te privavit. Hic hostis, salva tua reverentia, est caro tua infelix et misera, multum tamen tibi dulcis et dilecta[12]. Hanc cum pavisti, inimicum pessimum contra te erexisti. Hanc cum honorasti, hostem contra te crudelissimum armasti. Hanc cum foris variis et pretiosis indumentis decorasti, omnibus interioribus ornamentis te spoliasti, nesciens quod dicit beatus Gregorius in Homiliis[13]: « Unde caro ad tempus suaviter vivit, inde spiritus in aeternum torquebitur et ingemiscet »; econtra, « quo plus caro premitur, eo plus de spe caelesti animus laetatur ».

Causa tanti mali monstratur.

Inimicus domesticus, qui est caro.

---

[1] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 13. n. 5. Cfr. XVII. Moral. c. 6. n. 8.

[2] Vat. cum pluribus codd. *mundana mollities*. Quae praecedunt *Sed, o homo... cumulum damnationis* omittuntur ab A C E F L.

[3] Ut habetur in Epist. I. ex Ambrosianarum epistolarum numero segregatarum (cfr. supra pag. 31, nota 7.) n. 2.

[4] Cant. 2, 6. — Superius post *suavitatis* Vat. cum nonnullis codd. addit *ignosce mihi, quod tam sero credidi.*

[5] Cant. 1, 1. et 8, 1. seq.: *Quis mihi* etc., cui nonnulli codd. et Vat. praemittunt: *Nunquid has delicias anima devota erat experta, quando orabat ardens et iam pene deficiens prae dilecti sui concupiscentia, dicens in Canticis.*

[6] De Contritione cordis (inter opera August.) c. 2. Cfr. Anselm., Meditat. 11. circa finem. Textus originalis omittit *intus* et cum A D E I L *extra*. — Superius post *Si tam suavia sunt* D E addunt *per intellectum*, et pro *quam dulcia erunt per affectum* [A C D E L *effectum*] Vat. *quam consolatoria erunt per affectum.*

[7] Respicitur Phil. 1, 23: Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo. Ioan. 6, 51: Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi. Ps. 35, 9. seq.: Torrente voluptatis tuae potabis eos. Quoniam apud te est fons vitae etc. — Post *qui de caelo descendisti* G addit: *panem habentem omnem dulcedinem et omnem suavitatem et delectamenti saporem* (cfr. Sap. 16, 20.).

[8] Codd. B H hanc orationem *Eia, dulcissime Iesu* etc. omittunt, cui A praefigit *Anima*, C F *Anima ad Dominum*, G vero *Et Bernardus*, qui etiam post *requiescat* plura adiungit: *Te meditetur, de te loquatur* etc., quae sumta sunt ex illa huius orationis forma, quae habetur inter orationes post Missam recitandas, quamque fecit auctor opusculi *Stimulus amoris* (prologus secundus), quod falso Bonaventurae attributum est.

[9] Codd. A D E F *quae* [D addit *est*] *tanta malitia*, C legit *o homo, in tanta malitia.*

[10] Nonnulli codd., ut C L, hic et paulo inferius *tam;* pro *fatigata* D *sanciata*, E legit *tam acriter sauciata laboribus, taliter evacuata* [etiam C L *evacuata*, A *cruciata*] *doloribus*. Inferius pro *diligentia* (ita A C D E F) Vat. *patientia*, et pro *damni occasionem* (ita H) alii codd. et Vat. *damni inimicum*. Post *ostendero* Vat. addit contra A C D E F L: *Iam pro parte hostem tetigisti aliqualiter, tamen forte prae dolore mentis non advertisti.*

[11] Cfr. I. Mach. 16, 17. et Prov. 17, 13.

[12] Codd. A C D L *accepta*. Inferius pro *honorasti* non pauci codd. *ornasti.*

[13] Libr. X. Moral. c. 24. n. 42: *Spes* itaque carnalium *abominatio* dicitur, quia inde in perpetuum spiritus interit, unde ad tempus caro suaviter vivit. Ibid. XXXI. c. 38. n. 77: Quo autem plus caro premitur, eo de caelesti spe animus securius laetatur. — Inferius pro *per te illata* A *per eam illata.*

Unde pro tanta iniuria nobis per te illata continere amplius me non valeo, quin tantum malum hucusque sub silentio periculose pertransitum durius reprehendam. « Scio, inquit Bernardus[1], o anima, quendam, qui per plures annos tecum vixit, ad mensam tuam sedit, cibum de manu tua sumsit et in sinu tuo dormivit; cum voluit, tecum colloquium habuit, hic iure hereditario servus tuus est. Sed quia delicate nimis enutristi eum et virgae pepercisti, *levavit calcaneum suum super caput* tuum et te in servitutem redegit ». Et subdit[2]: « O anima miserabilis et misera! quis te liberabit de vinculo improperii huius? Exsurgat Deus, et cadat armatus et conteratur inimicus, contemptor Dei, amicus mundi, cultor diaboli. — Quid tibi videtur de illo? Si recte sentis, puto, quod mecum dices: *Reus est mortis*, *crucifigatur!* Noli ergo dissimulare, noli differre, noli parcere; *crucifige, crucifige eum!* Sed in qua cruce? In cruce Domini nostri Iesu Christi, in *qua est salus, vita et resurrectio nostra* ». Haec Bernardus. Recole igitur secundum Bernardum in Meditationibus[3], o anima, primordia tua; attende, quod es « insignita Dei imagine, decorata similitudine, desponsata fide, dotata spe, praeelecta caritate, redempta sanguine, particeps rationis, capax aeternae beatitudinis. Quid tibi cum carne, unde ista pateris? Si diligenter omnes conditiones eius advertis, quid per nares, quid per alios corporis meatus egreditur; nunquam vilius sterquilinium vidisti. Si eius miserias enumerare velis, quam onusta sit peccatis, pruriens concupiscentiis, occupata passionibus, polluta illusionibus, confusione plena, ignominia repleta; quid de ea habes aliud quam cogitationes foedas et immundas »? Haec Bernardus. Idem[4]: « O anima, imago divinae similitudinis, erubesce in similitudinem porci commutari, erubesce volutari in coeno, quae es de caelo ». Idem super Cantica Canticorum[5]: « O anima, donec in carne es, inter spinas versaris, et necesse est, ut tentationum tribulos et impugnationum aculeos graviter patiaris. Unde dicitur tibi in Canticis: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* O candens lilium, o tener et delicate flos! increduli et subversores sunt tecum et cum scorpionibus habitas; vide ergo, quomodo caute ambules inter spinas. Caro et mundus pleni sunt spinis; conversari in his et non laedi divinae potentiae est et non virtutis humanae ». Haec Bernardus.

Hic inimicus crucifigendus.

20. Est et *alius inimicus*, fortis et crudelis, qui mira calliditate « omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus et ibi semper quaerit causam nocendi, ubi quemquam viderit studiosius occupari. Novit enim hic hostis antiquus, ab initio humani generis inimicus, cui illecebras gulae ingerat, cui virus invidiae infundat, cui blandimenta luxuriae obiiciat, cui vana superbiae incitamenta promittat; novit, quem metu opprimat, quem gaudio fallat, quem admiratione seducat. Habet etiam aliquos sibi obligatos, quorum ad alios decipiendos ingeniis utitur et linguis ». Haec Leo[6] Papa. O anima fragilis ad resistendum, facilis ad cadendum, difficilis ad surgendum, qualiter istius crudelis adversarii laqueos evadere poteris, quem tantis subtilitatibus praeditum agnoscis?

Alius inimicus, qui diabolus.

Pericula animae.

21. Anima. Nunc video, quod « non facile peccatum ab illo cognoscitur, qui ab eo premitur; sed mox cum inceperit se quis ab illo alienare, tunc demum cognoscit, in quanta foeditate iacuerat[7] ». Igitur, quia iam aliqualiter me ipsam a peccato alienare incipio, et per hoc me et peccatum meum agnosco, me amplius a planctu continere non valeo. Anselmus[8]: « O Pater, Deus meus! tu impressisti mihi amabilem imaginem tuam, et ego superinduxi odibilem imaginem diabolicam. Heu, heu miser homuncio, quod daemonis imaginem superimpressi super imaginem Dei! Cur non odi eius imitationem, cuius abhorreo nomen? Ille sponte cecidit, ego volens corrui. Ille, nulla praecedente vindicta, peccavit superbiens, ego visa eius poena peccavi contemnens. Ille semel in innocentia est constitutus, ego multoties restitutus. Ille se erexit contra eum qui

Confessio animae.

---

[1] Codd. C D E F addunt *in Meditationibus* (cfr. supra pag. 30, nota 1.) c. 15. n. 38. In fine respicitur Ioan. 13, 18, ubi de Iuda dicitur: Sed ut adimpleatur Scriptura [Ps. 40, 10.]: Qui manducat mecum panem levabit contra me calcaneum suum. Cfr. Bernard., Serm. 3. in Dominica 6. post Pentec. n. 5. et Serm. 85. in Cant. n. 4.

[2] Num. 40. Respicitur Tob. 3, 11: Deprecabatur [Sara] Deum, ut ab isto improperio liberaret eam; v. 15: Peto, Domine, ut de vinculo improperii huius absolvas me. Matth. 26, 66: Quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis; 27, 23: Dicunt omnes: Crucifigatur; Marc. 15, 13: Crucifige, crucifige eum; Luc. 23, 23. In fine allegatur ex Breviar. Roman. Responsor. lect. 4. Noct. 2. festi inventionis S. Crucis (3. Maii): In cruce Domini etc.

[3] Cap. 3. n. 7. Post *pateris* textus originalis plura addit et ultimam propositionem *quid de ea* etc. omittit. Voci *beatitudinis* fide A C D L praefiximus *aeternae*. Cfr. Serm. de Conversione ad clericos, c. 8. n. 15.

[4] Serm. 24. in Cant. n. 6: Erubesce, anima mea, divinam pecorina commutasse similitudinem; erubesce etc. Pro *O anima, imago divinae similitudinis* (ita A C), F *O anima, divinam*, Vat. cum aliis codd. *O anima divina*.

[5] Serm. 48. n. 1. et 2. Allegatur Cant. 2, 2. Pro *tentationum tribulos* (ita F) Vat. cum pluribus codd. *tentationum tribulationes* (D *tribulationum*), textus originalis legit *inquietudines tentationum tribulationumque aculeos*. Pro *graviter*, quod textus originalis omittit, A C E F L *prudenter*, D *prudenter et patienter*.

[6] Serm. 26. (7. in Nativ. Domini) c. 3. Textus originalis primam propositionem *omnium discutit... occupari* transponit post *seducat*. Vat. cum fere omnibus codd. etiam sequentem propositionem *O anima fragilis* etc. tribuit *Leoni Papae;* concordante textu originali, secuti sumus L, qui hic ponit *Haec Leo Papa*. Idem cod. L sequenti propositioni praefigit *Bernardus*, et in fine ipsius ponit *Haec Bernardus* (cfr. infra c. 3. n. 3. in fine); G ipsi praemittit *Homo*.

[7] Eadmer., de S. Anselmi similitudinibus (inter opera Anselmi), c. 99.

[8] Orat. 63.

se fecit, ego me erexi contra eum qui me refecit. Ille Deum dereliquit promittentem, ego fugi Deum prosequentem. Ille persistit in malitia, Deo reprobante; ego curro ad eum, Deo misericorditer revocante. Etsi ambo contra Deum, ille tamen contra non requirentem se, ego vero contra morientem pro me. Ecce, cuius imaginem abhorreo, cum in multis me inveniam horribiliorem [1] ».

Iortatio.

Homo. « Fuge, fuge a me, o horribilis substantia, fuge te ipsam, exterrita a te ipsa; non igitur sine rugitu cordis tui toleres horrorem tuum. Si toleras, non te agnoscis; non enim est haec fortitudo, sed mentis hebetudo; non est sanitas, sed obdurata iniquitas [2] ».

Confessio ...riae mi...ie.

22. Anima. « Si me videro, est horror intolerabilis; si non videro, est mors inevitabilis. O quam infelix, qui sibi est horribilis; sed tamen multo infelicior, cui mors aeterna est sensibilis »! Haec Anselmus [3]. Idem in Orationibus: « O Pater patientissime, o Rex clementissime! tegere non valeo, excusare nequeo, et tamen confiteri non modicum erubesco. Iam causam tantorum malorum invenio, iam quod prius male latuit agnosco ». Bernardus in Meditationibus [4]: « Cor enim meum miserum, dum futurum non curavit gaudium nec divinum quaesivit consilium, a se ipso fuit elongatum et in amore terrestrium occupatum, dumque elapsum fuit ab illis et involutum in istis, vanitas ipsum decepit, luxuria polluit, curiositas abduxit, cruciabatur invidia, torquebatur iracundia, dividebatur avaritia, anxiabatur accidia, sicque immergebatur omnibus vitiis, quia unum bonum, quod sibi sufficere potuit, dereliquit ». Haec Bernardus [5]. Abeant ergo, mitissime Deus, in oblivionem coram te omnia male consumta mea tempora, et concede, ut hoc temporis mei residuum, forte nimis breve et momentaneum, sit tibi honorificum, mihi fructuosum et proximo aedificatorium [6]. Iam, piissime Deus, propter magnitudinem damni, quod ego infelix et misera miserabiliter incurri, video et recognosco, quod me ipsam et peccatum meum sufficienter, ut merui, deplangere non valeo, si tanta debet esse non immerito peccati detestatio, quanta fuerit in misera voluntate delectatio [7].

...positum ...ae vitae.

Recursus ad B. V. Mariam.

23. Homo. O anima, si per te, ut asseris, delictum tuum non sufficis deplangere; necesse habes te ad aliquem Sanctorum convertere. An ignoras, quod secundum Bernardum [8] « securum habes accessum ad Deum, ubi Matrem habes ante Filium, Filium ante Patrem? Mater pro te ostendit Filio pectus et ubera, Filius Patri latus et vulnera. Puto, quod nulla potest ibi esse repulsa, ubi tot sunt caritatis indicia ». « In periculis ergo et in angustiis ac in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat a corde tuo, non discedat ab ore tuo. Ipsam sequens, non devias; ipsam rogans, non desperas; ipsa tenente, non corruis; ipsa protegente, non metuis; ipsa duce, non fatigaris; ipsa propitia, ad veniam pervenis ». Haec Bernardus [9]. Dic igitur, o anima, magnam in ipsam habens fiduciam: « O Domina, si tuus Filius per te factus est frater meus, nonne tu per ipsum facta es mater mea? *Exsultabo* igitur *et laetabor in te*, quia quidquid iudicabitur de me, pendet ex sententia Matris et Fratris mei ». Haec Anselmus [10].

Dubium proponitur.

24. Anima. Cum peccavi in Filium, irritavi Matrem; ipsam offendere non potui sine iniuria Filii. Quid ergo, o homo, faciam? Quis reconciliabit me Filio, inimica Matre? Quis mihi placabit Matrem, irato Filio?

Solvitur.

25. Homo. « O anima, non dubites, etsi ambo sint offensi, ambo tamen sunt clementes, ambo piissimi. Fugiat ergo reus iram iusti Dei ad piam Matrem, refugiat reus, offensa Matre, ad benignum Filium et dicat: Deus, qui factus es filius feminae propter nostram miseriam; femina, quae facta es mater Dei propter misericordiam, aut miseremini mihi impiae

---

[1] Cod. L ex eadem Anselmi oratione hic addit: *Reforma, Domine, faciem, quam defoedavi; reforma innocentiam, quam violavi. Qui abstulisti peccata, quae nascendo attuli, tolle peccata, quae in mundo* [textus originalis *vivendo*] *contraxi; tolle, qui tollis mundi peccata, peccata, quae in mundo contraxi.*

[2] Anselm., loc. cit. — Superius E F K omittunt *Homo*.

[3] Loc. cit. — Orationem, quae sequitur, non invenimus in operibus S. Anselmi.

[4] Cap. 9. n. 23, ubi pro *a se ipso* textus originalis *ab amore caelestium*, et pro *ipsum decepit* idem substituit *illud recipit.*

[5] Codd. G L hic addunt: Obliviscere, piissime Deus, superbum et invidum, et fac humilem et benignum. Obliviscere iracundum et cupidum, et fac mansuetum et pium. Obliviscere gulosum et lubricum, et fac temperatum et castum. Obliviscere, mitissime Deus quod perversa voluntas excogitavit, et aspice quod tua altissima benignitas in natura mea plantavit.

[6] Anselm., Meditat. 13: Sint in oblivione coram te quae perdidi tempora heu multa nimis. Et si quae, te iuvante, utiliter servavi, quorum, o Domine, numerus brevis est, in memoria aeterna fac permanere; fiat, amande Pater, saltem hoc residuum temporis mei fructuosum et sanctificatum in gratia tua, ut in diebus aeternitatis inveniat locum et computabile sit ante te. — Superius pro *et momentaneum* F *et modicum.* A C G hic addunt *Anima.*

[7] Codd. D E *quanta fuit misera voluntas et delectatio.*

[8] Cfr. infra n. 28. et Serm. in Nativ. B. M. Virg. n. 7. Videtur tamen potius esse secundum *Arnaldum* sive *Ernaldum*, Bonaevallis abbatem, amicum S. Bernardi, in libello de Laudibus B. M. Virg. (Migne Patrolog. Lat. tom. 189. col. 1726): Securum accessum iam habet homo ad Deum, ubi mediatorem causae suae Filium habet ante Patrem et ante Filium Matrem. Christus, nudato latere, Patri ostendit latus et vulnera, Maria Christo pectus et ubera; nec potest ullo modo esse repulsa, ubi concurrunt et orant omni lingua disertius haec clementiae monumenta et caritatis insignia.

[9] Homil. 2. super *Missus est*, n. 17. Pro *corruis* F *corrues*, pro *metuis* C E *metues*, pro *fatigaris* et *pervenis* A C E F *fatigaberis* et *pervenies.* Pro *ad veniam*, quod textus originalis omittit, D E *ad portam salutis*, G *ad patriam.*

[10] Orat. 52. Allegatur Ps. 9, 3.

peccatrici, aut ostendite mihi magis misericordem, ad quem ego misera fugere valeam ». Haec Anselmus [1].

Trepidatio animae.

26. ANIMA. O homo, quam sanum est consilium tuum, quam consolatorium est mihi miserae verbum tuum! quia, quando peccatum meum recte aspicio, tunc invenio, tunc agnosco, quod elementa peccatis meis pollui, caelos inquinavi, astra caeli obfuscavi, damnatos in inferno cruciavi, Sanctos in caelo perturbavi, Angelos mihi ad custodiam deputatos irreverenter tractavi; unde ab omnibus his auxilium petere pertimesco. Et quia iusti iuste mihi indignati sunt, ad ipsos confugere non praesumo.

Anima ad spem erigitur exemplis Scripturae.

27. HOMO. O anima, nimia est trepidatio tua, quamvis placita sit humiliatio tua. An ignoras, quod multi de Sanctis peccaverunt, qui, qualiter nobis peccantibus misereri debeant, in suis magnis peccatis didicerunt? Cogita Moysen, Prophetam eximium, de divina potentia desperantem [2]. Cogita David, regem sanctissimum, contra divinam legem adulterio et homicidio peccantem. Agnosce Salomonem sapientissimum, idola vana et pessima adorantem. Agnosce Manassen, regem iniquissimum, qui plus quam omnes reges Israel peccaverat, qui dicebat [3]: *Peccavi super numerum arenae maris, et non sum dignus videre altitudinem caeli prae multitudine iniquitatum mearum.* Hos semper cogita veniam impetrasse. Sed quid plura de Sanctis veteris testamenti? Vide Matthaeum sedentem ad telonium, peccatorem et publicanum et assumtum in discipulum [4]. Vide Paulum lapidantem Stephanum et electum in Apostolum. Vide Petrum Christum abnegantem et mox veniam impetrantem. Vide militem Christum crucifigentem, et tamen de divina misericordia praesumentem [5]. Vide latronem in cruce pendentem et veniam impetrantem. Postremo cogita, o anima, quod illa famosa et immunda peccatrix, Maria Magdalena facta est tam specialis Christi amatrix. Omnes enim, quotquot modo cum Deo regnant, vel olim sicut nos peccaverunt, vel saltem peccare potuissent, si eos divina clementia a peccato non praeservasset; quia, cuicumque donatum est, ut peccare penitus non potuerit, non est hoc naturae, sed caelestis gratiae [6].

Confirmatur anima suffragiis Sanctorum et B. M. Virg.

28. ANIMA. Iam nunc secure Prophetas et reges implorabo; iam nunc audacter Apostolos et Martyres invocabo, Confessores, Virgines et Viduas et omnes Sanctos constanter interpello; sed tamen prae omnibus his sacratissimam Dei genitricem Virginem Mariam ardentius adorans invocabo. Scio enim, quod « tam pia, tam dulcis et tam suavis est Maria, quod nec nominari potest, quin accendat, nec cogitari, quin recreet affectum diligentium se ». « Haec est enim illa quae salutem omnibus impetravit et totius mundi reparationem obtinuit ». Haec Bernardus [7]. Anselmus: « O femina mirabiliter singularis et singulariter admirabilis! per quam elementa renovantur, infirma remediantur, homines salvantur et Angeli redintegrantur! O femina gratia plena, de cuius plenitudinis abundantia respersa reviviscit omnis creatura »! Bernardus [8]: « O benedicta inventrix gratiae, genitrix vitae, mater salutis! per te accessum habemus ad Filium tuum, ut per te nos suscipiat qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam corruptionis nostrae, humilitas tua Deo grata, o beatissima, veniam impetret vanitati nostrae. O benedicta! per gratiam, quam invenisti, per praerogativam, quam meruisti, per misericordiam, quam genuisti, fac, ut qui mediante te dignatus est fieri particeps infirmitatis et miseriae nostrae, te intercedente nos participes faciat gloriae et beatitudinis suae ». Haec Bernardus.

§ 4.

Quam gratiose a divina bonitate reformata sit anima per gratiam.

29. HOMO. Iam nunc, ut aestimo, o anima, aliqualiter convertisti radium contemplationis ad videndum, qualiter formata sis per naturam et quomodo deformata sis per culpam; converte nunc radium contemplationis [9] ad intuendum, qualiter sis *reformata per gratiam.* Scire tamen debes, quod quanto perfectius per contritionis lavacrum caligo mentis detergitur, tanto lucidius divinae reparationis beneficium

Praenotanda.

---

[1] Orat. 51. Pro *offensa Matre* Vat. *iram offensae Matris,* originale (plura addens) *offensae Matris.*

[2] Vat. allegat Exod. 4, 1. seqq., ubi Moyses se excusat ab Aegyptiaca missione. Vide Num. 20, 10-13. et Ps. 105, 32. seq. (cfr. August., in hunc loc. n. 28.), ubi de dubitatione Moysis in percussione petrae. — De *David* cfr. II. Reg. 11, 2. seqq. et III. Reg. 11, 4. seqq. de *Salomone.*

[3] In sua oratione.

[4] Matth. 9, 9. De *Paulo* cfr. Act. 7, 57. et 9, 1. seqq.; de *Petro* Luc. 22, 56. et 62.

[5] Luc. 23, 47, ubi de *centurione;* ibid. v. 40. seqq. de *latrone* et 7, 37. seqq. de *Maria Magdalena.* Cfr. Bernard., Serm. 3. pro Dominica 6. post Pentec. n. 4. et de Diligendo Deo (inter opera August.), c. 12. in fine.

[6] Codd. G L hic addunt: Et si ista non sufficiant, vide et considera, quod Christus in cruce expansis manibus te exspectans habet caput inclinatum ad te revertentem deosculandum; habet manus apertas ad condonandum, pedes affixos ad commanendum, latus apertum ad te intromittendum. Quis ergo tam excaecatus, qui non conciperet spem veniae, qui attendet ad corporis sui dispositionem! Cfr. infra n. 38.

[7] Prima sententia habetur in Serm. panegyrico ad B. Virg. Deiparam (inter opera Bernardi), n. 6; secunda in Serm. 4. in Assumt. B. M. Virg. n. 8. In prima verbo *accendat* L praefigit *intellectum.* — Sententia Anselmi invenitur in Orat. 52; in fine legit textus originalis: *de cuius plenitudinis exundantia respersa sic revirescit omnis creatura.*

[8] Serm. 2. de Adventu Domini, n. 5. Post *vanitati nostrae* L addit: *Copiosa caritas tua meorum cooperiat multitudinem peccatorum, et fecunditas tua gloriosa fecunditatem nobis conferat meritorum.* Ita etiam textus originalis, qui tamen adhuc plura subdit.

[9] Vat. cum paucis codd. *radium tuum, iam, ut spero, per contritionem depurata* (G I *depuratum*).

speculatur. Peccatum enim, secundum Augustinum [1], est « tenebra, qua intellectus obtunditur, et interior homo totus obtenebratur ». Unde necesse est, ut tanto sollicitius mentales oculi a peccati tenebra per compunctionis lacrymas continue expurgentur, quanto amplius per hanc contemplationis radius obtenebratur [2]. Iam igitur, o anima, in affectionibus serenata, dirige radium contemplationis ad intuendum, quam *profunda Dei clementia,* quam *alta Dei sapientia,* quam *mira Dei potentia* sis per gratiam reformata.

eratio a :ato ori- ali per lempto- rem.

30. Considera primo, qualiter per beneficium redemptionis te a *peccato originali liberavit.* An ignoras, quod per peccatum originale eras bonis naturalibus et spiritualibus exspoliata, potestati principis tenebrarum subiugata, a patria tua repulsa et alienata? Sed secundum Bernardum [3], « singularis illa Maiestas mori voluit, ut viveremus, servire, ut regnaremus, exsulare, ut repatriaremus, et ad servilissima opera inclinatus est, ut nos constitueret super omnia opera sua ». *Venit enim Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat* [4]. *Venit,* inquam, ut te *superbum humiliaret.* Gregorius [5]: « Ad hoc unigenitus Dei Filius formam infirmitatis nostrae suscepit, ad hoc invisibilis non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit, ad hoc contumeliarum ludibria, illusionum opprobria, passionum tormenta toleravit, ut superbum non debere esse hominem doceret humilis Deus ». Augustinus [6]: « Omnia bona terrena contempsit Christus, ut contemnenda monstraret; et omnia terrena mala sustinuit, ut sustinenda doceret, ut nec in illis quaereretur felicitas, neque in istis timeretur infelicitas ».

stos ve- ul te su- bum ho- aret.

, ut Pa- e recon- iret.

31. Venit secundo, ut te *Patri aeterno reconciliaret.* Augustinus [7]: « Cum inimicus esses Patri, ego reconciliavi te; cum longe esses, ego veni, ut reducerem te; cum inter montes et silvas errares, quaesivi te, inter lapides et ligna inveni te; in humeris meis portavi te, Patri meo reddidi te, laboravi, sudavi, caput meum spinis exposui, manus meas clavis obieci, lancea latus meum aperire permisi, sanguinem meum pro te fudi, totque non dicam iniuriis, sed asperitatibus laceratus sum propter te; et tu heu per peccatum tuum te dividis a me »!

Item, ut te venditum repararet.

32. Venit tertio, ut te *venditum repararet.* Augustinus [8]: « Admiremur, gratulemur, amemus, laudemus, adoremus, quoniam per Redemptoris nostri mortem de morte ad vitam, de tenebris ad lucem, de exilio ad patriam, dé corruptione ad incorruptionem, de miseria ad gloriam, de luctu ad gaudium vocati sumus ». Gregorius Nazianzenus [9]: « O mira et inaudita permixtio! Qui Creator est fit creatura, qui immensus est capitur, qui *dives est in omnes* pauper efficitur. Suscepit imaginem carnis nostrae, ut imaginem, quam fecerat, repararet, ut carnem mortalem immortalitate dotaret ».

Exhortatio ad contemplandum Crucifixum.

33. Expergiscere nunc, o anima mea, respice in faciem Christi tui. Vide, inquam, faciem illam quondam splendore nimio luminosam propter te velatam contra claritatem; decore speciosam, inflatam contra speciositatem; dulcore gratiosam, consputam contra gratiositatem; amore desiderabilem, abominabilem contra desiderabilitatem. Vide et considera, *quae fecit Dominus super terram* [10]. Deus illuditur, ut honoreris; flagellatur, ut consoleris; crucifigitur, ut libereris; Agnus immaculatus occiditur, ut epuleris; sanguis et aqua de latere eius lancea emittitur, ut poteris. Respice igitur ad pretium redemptionis [11], inspice exemplum informationis. Inspice, o anima, et considera, quod Christus Dominus et amicus tuus affligitur omni genere poenarum, in omni parte sensuum, ab omni statu hominum. Rex illusit, praeses iudicavit, discipulus tradidit, Apostoli reliquerunt, pontifices, scribae et Pharisaei tradiderunt, gentiles flagellaverunt, turbae condemnaverunt ac milites crucifixerunt. Bernardus [12]: « Caput illud angelicis

[1] Haec descriptio peccati elici potest ex II. de Lib. Arb. c. 16. n. 43. Peccatum *tenebra* nominatur in Ioan. Evang. tr. 35. n. 4; in Epist. I. Ioan. tr. 1. n. 10; Enarrat. in Ps. 7. n. 19. et in Ps. 93. n. 6.

[2] Codd. A C G I L *obnubilatur*, F *obumbratur*. Vat. hic addit *Haec Augustinus* (?).

[3] Serm. 3. in Ascensione Domini, n. 2. — Superius pro *alienata* C D E F L *exterminata.*

[4] Luc. 19, 10. — Subinde post *inquam* A C F L addunt *humilis*, I *primo.*

[5] Libr. XXXIV. Moral. c. 23. n. 54. Pro *infirmitatis nostrae* A C D E *humanitatis*, F *humilitatis et humanitatis*, L *generis humani et nostrae infirmitatis*, et pro *despectus* D E F I *despectabilis.*

[6] De Catechizandis Rudibus, c. 22. n. 40. In fine pro *infelicitas* Vat. cum pluribus codd. *adversitas.*

[7] Contra quinque Haereses (inter opera August.), c. 6. In fine textus originalis legit *et tu dividis me*, scilicet a Patre (loquitur contra Arianos). — Codd. A C D E omittunt *Venit secundo* usque *Gregorius Nazianzenus* (n. 32.).

[8] Serm. 208. in Appendice (alias 35. de Sanctis et post in Appendice 83.), n. 7.

[9] Orat. 38. n. 20. (in ed. Migne, n. 13.). Pro *dives est in omnes* [Rom. 10, 12.] Vat. *dives est in homines*, L *dives est in omnibus* (ὁ πλουτίζων πτωχεύει).

[10] Psalm. 45, 9. — Propositionem praecedentem *Vide faciem illam... desiderabilitatem* omittunt A C D F. Inferius voci *flagellatur* Vat. cum nonnullis codd. praefigit *innocens* et verbo *crucifigitur* praemittit *iustus.*

[11] Vat. cum nonnullis codd. prosequitur: placans offensam praevaricationis; inspice exemplum informationis, praestans adminiculum sanctificationis; aspice auxilium protectionis, reserans ianuam incarcerationis; suscipe praemium retributionis, conferens gratiam iustificationis. Aspice, o anima delicata, contemplando assidue, et *fac* imitando perfecte *secundum exemplar* consummatae iustitiae, *quod tibi in monte monstratum est* [Exod. 25, 40.], hoc est in Christi victoriosissima passione. Annon consideras, quod deliciis corporalibus aestuas, et Christus Dominus tuus, rex tuus, sponsus tuus, magister et amicus tuus affligitur etc.

[12] Thomas de Hibernia, in suo *Manipulo florum* hunc locum sub voce *Passio* attribuit Bernardo *in quodam sermone*, quem tamen in ed. operum S. Bernardi a Maurinis procurata non invenimus. Cfr. Serm. in feria 4. hebdomadae sanctae, n. 3. et 8. Allegantur Ps. 44, 3; Eccli. 23, 28. et Ps. 98, 5. Thomas de Hibernia cum A D E F I *tremebundum* pro *tremendum*, et cum L *caligantur* pro *caligant.*

tremendum spiritibus, densitate spinarum pungitur, facies pulcra *prae filiis hominum* sputo Iudaeorum deturpatur; *oculi lucidiores sole* caligant in morte; aures, quae audierunt angelicos cantus, audiunt peccatorum insultus; os, quod docet Angelos, felle et aceto potatur; pedes, quorum *scabellum adoratur, quoniam sanctum est*, cruci clavo affiguntur; manus, quae formaverunt caelos, sunt in cruce extensae et clavis affixae; corpus verberatur, latus lancea perforatur. Et quid plura? Non remansit in eo nisi sola lingua, ut pro peccatoribus exoraret et Matrem discipulo commendaret ». Haec Bernardus [1]. O fidelis anima, Salvator noster nullis adversantium hostium tentamentis potuit a nostrae salutis cura revocari. Sed quo magis eius nobis ostenditur dilectionis aemulatio, eo gravior nos sequitur, si hanc spernimus, damnatio.

Affectus animae.

34. Anima. O homo, iam diu tacui, quia quae proposuisti cum gaudio pariter et luctu devota mente audivi. *Gaudens gaudebo in Domino* [2], quia me tantum dilexit, quod unigenito Filio suo propter me non pepercit. Gregorius: « O inaestimabilis dilectio caritatis! ut ancillam, immo nec nomine ancillae dignam, redimeres, Filium tradidisti ». O Domine Iesu Christe! qui propter me tibi non pepercisti, cor meum tuis vulneribus saucia et mentem meam tuo sanguine inebria; ut, quocumque me vertam, semper te videam pro me crucifixum, et quidquid inspexero, mihi appareat tuo sanguine rubricatum; ut sic [3] totus in te tendens, nil valeam praeter te invenire, nil nisi tua vulnera intueri. Haec mihi consolatio sit, tecum, mi Domine, crucifigi; haec mihi sit intima afflictio aliquid praeter te meditari [4]. Sed heu, quoties hanc miram circa nos divinae pietatis dignationem adverto, de nimia ingratitudine mea non modicum confundor et erubesco [5]. Unde quanto beneficia magna redemptionis agnosco digniora, tanto peccata ingratitudinis sunt deteriora.

De peccato ingratitudinis.

35. Homo. Vide ergo, o anima, ne sis ingrata, cui tanta et tam mira beneficia sunt collata. Magnum enim est peccatum ingratitudinis, quia, secundum Bernardum [6], « ingratitudo est quasi ventus urens, siccans rivulos divinae misericordiae, fontem clementiae et fluenta gratiae ». Attende ergo, o anima, frequenter volve et revolve in mente diligenter illud horribile verbum, quod contra ingratos profertur in persona Salvatoris [7]: « O anima, vide, quanta pro te patior; ad te clamo qui pro te morior. Vide poenas, quibus afficior; vide clavos, quibus confodior; audi improperia, quibus confundor. Sed cum sit tantus dolor exterior, cruciatus tamen interior est gravior, cum tam ingratum te experior ». Alibi [8] contra ingratos: *Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? Responde mihi:* quid causae est, quod inimico meo magis libet servire quam mihi? Attende ergo, o anima, et semper gratias age, nunquam cessa unigenitum Dei Filium pro tantis donis benedicere et magnificare [9].

Totum D[eo] redonand[um].

36. « Totam vitam tuam debes huic, qui vitam suam pro te posuit et cruciatus duros sustinuit, ne tu aeternos cruciatus sustineres ». « Cum ergo donaveris ei quidquid es et quidquid potes, nonne erit sicut stella ad solem, sicut stilla ad fluvium et sicut pulvis ad montem »? Haec Bernardus [10].

37. Et quia iam, o anima, depurato contemplationis oculo gratiam divinae redemptionis, qua te a

---

[1] Codd. C D F omittunt *Haec Bernardus;* A E legunt *Bernardus* insinuantes ea quae sequuntur, esse verba S. Bernardi.

[2] Isai. 61, 10. — Subinde respicitur Rom. 8, 32: Qui etiam proprio Filio suo non pepercit. Sententia Gregorii habetur in praeconio paschali *Exsultet* (in Missali Romano, die Sabbati sancti): O inaestimabilis dilectio caritatis, ut servum redimeres, Filium tradidisti!

[3] Codd. A C D F *ut sim*, et deinde pro *tendens* C *intentus*. H I omittunt *O Domine... praeter te meditari.*

[4] Vat. cum nonnullis codd. contra A C D E F addit: Hugo de sancto Victore [de Arrha animae, ed. Migne col. 963]: Nulla dilectio maior, nulla caritas sincerior, nullus amor fortior; mortuus [L quam quod mortuus] est pro me innocens, nihil in me inveniens, quod amaret.

[5] Vat. cum nonnullis codd. subdit: *Homo.* Hugo de Arrha animae [ed. Migne col. 961 seq.]: O anima, dereliquisti sponsum tuum, prostituisti amorem tuum et pro tantis beneficiis gratias non egisti, quia, ut relevaret te illuc, unde cecideras, ipse descendere dignatus est et pie pati quod tolerabas. Cogita ergo, quantum diligat te qui non nisi moriendo a morte voluit liberare te. Unde etc.

[6] Serm. 51. in Cant. n. 6: Ingratitudo ventus urens, siccans sibi fontem clementiae, rorem misericordiae, fluenta gratiae. Codd. A C D E F *fontisque fluenta clementissimae gratiae.* — Superius ante *Vide ergo* Vat. cum pluribus codd. omittit *Homo*, quem loquentem iam aliquanto superius introduxit (cfr. nota praecedens).

[7] Libr. III. Sent. d. 16. a. 2. q. 3. in fine hoc verbum dicitur esse *cancellarii Philippi;* in nota adiecta observavimus, ipsum attribui etiam S. Bernardo.

[8] Mich. 6, 3. Vulgata et L *aut quid molestus fui tibi* pro *aut in quo contristavi te* (sic etiam Missale Roman. in *Improperiis* pro Parasceve; Septuaginta: *aut quid contristavi te, aut in quo molestus fui tibi*). — Vat., cui ex parte consentiunt nonnulli codd.: *Et alibi Bernardus contra ingratos in persona Christi invehitur dicens: Popule* etc. Inferius pro *Quid causae est* C *Quae causa est.* Subinde post *Attende* Vat. et nonnulli codd. legunt: *quod ego sum, qui creavi te, ego omnibus bonis* [L *ego prae omnibus*] *ditavi te; si haec modica videntur ingratis, ego pretiosissimo sanguine meo redemi te. Eia, anima mea, non recedant haec a corde tuo, non discedant ab ore, semper gratias age* etc.

[9] Vat. cum paucis codd. prosequitur: Sit tibi dilectus pro his omnibus aliquando fasciculus myrrhae in corde tuo, aliquando iubilus in mente, laus in ore, melos in aure [cfr. Bernard., Serm. 43. in Cant. n. 1. seqq. et Serm. 15. n. 6.]. *Anima.* Iam diutius me continere non valeo. Dic quaeso: Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi [Ps. 115, 12.]? *Homo.* O anima, sicut dicit Bernardus in Meditationibus [potius Serm. 22. de Diversis, n. 5.]: Totam vitam tuam debes huic etc.

[10] Serm. 22. de Diversis, n. 5. et 6. Pro *cruciatus duros* E *cruciatus diros* (textus originalis *amaros*). Post *sustineres* Vat. cum paucis codd. continuat: Quid tibi vel durum esse poterit, cum recordatus fueris, quod ille speciosus in forma Dei

peccato originali sponsus tuus liberavit, agnoscis, nunc tibi, qualiter per divinam miserationem a *peccato actuali* liberata sis, ostendam. — Converte igitur radium contemplationis ad beneficium *iustificationis* et considera Domini Dei tui *gratiam*, quam paterne per occultam inspirationem te a peccato actuali *revocavit*, quam dulciter et quam amicabiliter aliquando per interiorem allocutionem te revocavit, dicens[1]: *Revertere, revertere, Sunamitis*, id est, anima per peccatum misera effecta.

(…eratio a peccato …tuali per …ltiplicem …sericordiam.)

(…itia revocantis.)

38. Revertere ad me, quia ego sum *creator* tuus; revertere, quia ego sum *redemptor* tuus; revertere, quia ego sum *consolator* tuus; et si haec modica videntur, revertere ultimo, quia ego sum tam liberalis *remunerator* tuus. — Revertere igitur ad me, ego sum, qui te tam nobiliter *creavi*. Revertere, ego sum, qui te tam misericorditer per mortem meam amarissimam de *morte aeterna liberavi*[2]. Revertere ad me, ego sum, qui te bonis spiritualibus et corporalibus tam multipliciter *ditavi*. Revertere ultimo ad me, o anima, ego sum, qui te iam per praeparatam felicitatem tam liberaliter *remuneravi*. — Revertere, inquam, a peccato cogitationis, revertere a peccato locutionis, revertere a peccato actionis, revertere a peccato assuefactionis. Revertere ad me, o anima, te cum magno desiderio exspectant Sancti; revertere, ad tuum adventum exsultant Angeli; revertere, te exspectat tota curia caelestis paradisi. O anima, revertere, vocat te expansis in cruce manibus Iesus Christus; revertere, tuum reditum praestolatur totius Trinitatis abyssus. O anima, haec vox dilecti te *invitantis*,

(…adruplex …io motiva.)

(…otinnator …ostantia.)

39. Adverte nunc, quae fuerit *longanimitas exspectantis*. O quanto tempore tuum adventum exspectavit! heu, quanto tempore te in peccatis tuis toleravit! O quot et quantos ante tuam conversionem in peccatis damnavit, et te semper peccantem misericorditer exspectavit! Revertere adhuc, o anima, Christus in cruce te exspectans habet caput inclinatum ad te deosculandam, habet brachia extensa ad te amplexandam, manus apertas ad remunerandum, corpus extensum ad se totum impendendum, pedes affixos ad commanendum, latus apertum ad te in illud intromittendam[3]. « Esto ergo, o anima, iam *columba* nidificans *in foraminibus petrae, in caverna maceriae*, pervola ad manus, pervola ad pedes, involа lateri, ibi tuta requies, ibi secura quies ». Haec Bernardus[4]. « O anima, si digne cogitare posses, quot et quales in tui comparatione abiecti sunt, qui tibi datam gratiam consequi non meruerunt. Elegit enim et praeelegit te Sponsus tuus, elegit te in omnibus, assumsit ex omnibus, amavit prae omnibus ». Haec Hugo[5].

(Longanimitas exspectantis.)

40. Anima. Iam confiteor, iam etiam recognosco, experior et intelligo, multa plura a Deo accepisse, sed pro his omnibus nihil dignum tantis beneficiis Deo retribuisse[6].

41. Homo. O anima, vidisti longanimitatem exspectantis, iam nunc converte radium contemplationis ad *benignitatem iustificantis*. Cogita ergo diligenter et considera tam inaestimabilem gratiam a tuo Sponso tibi factam. « Tribuit enim tibi per gratiam, ut sis socia mensae, socia regni, socia thalami[7] ». Bernardus:

(Benignitas iustificantis.)

---

pro te voluit crucifigi [cfr. Bernard., loc. cit. n. 5.]? O quam indebita miseratio, o quam gratuita dignatio, quam inopinata dilectio, quam stupenda dulcedo, regem gloriae pro despectissimo vermiculo mori et crucifigi! O quam dulcis amicus, o quam fortis auxiliator, o quam prudens consiliator! *Anima*. O homo, fateor et vere recognosco [quae sequuntur sunt ex Bernardo, loc. cit. n. 6.] « si essent in me omnes vitae filiorum Adam, omnes dies saeculi et labores omnium hominum, qui sunt, fuerunt et erunt, nihil esset ad comparationem illius, quod Sponsus meus pro me sustinuit, quod pro peccatis meis Filius Dei toleravit. Cum ergo donavero ei quidquid sum et quidquid possum, nonne erit sicut stella ad solem, sicut stilla ad fluvium et sicut pulvis ad montem »? Haec Bernardus. *Homo*. O anima, quia iam considero, quod depurato contemplationis oculo etc.

[1] Cant. 6, 12. — Superius A C D E omittunt *Converte igitur... ad beneficium iustificationis et*, addendo *igitur* post *considera*.

[2] Codd. A C D E F duas praecedentes propositiones omittunt.

[3] Thomas de Hibernia, Manipulus florum sub voce *Passio*, et Cornel. a Lapide, in Matth. 27, 50. Augustino (de Virginit. c. 54. n. 55.) tribuunt hanc sententiam: Inspice vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentis. *Caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum* (haec desiderantur in ed. operum August. a Maurinis curata; cfr. *Manuale*, inter opera August., c. 23. in fine).

[4] Serm. 61. in Cant. n. 3: « *Columba mea in foraminibus petrae* [Cant. 2, 14.]... Quid non boni in petra? In petra exaltatus, in petra securus, in petra firmiter sto... Et revera, ubi tuta firmaque infirmis securitas et requies, nisi in vulneribus Salvatoris? Tanto illic securior habito, quanto ille potentior est ad salvandum ». Superius post *in caverna maceriae* D E addunt *id est in vulneribus Christi*.

[5] De Arrha animae (ed. Migne, col. 963). Pro *non meruerunt* textus originalis *non potuerunt*, qui etiam ibi plura addit. Vat. cum nonnullis codd. hic prosequitur: An ignoras, quam foeda prius fuisti, quam polluta et dissoluta prius exstitisti? Ipse te lavit lavacro regenerationis, pavit cibo dulcissimi corporis. Ipse tibi dedit vestimenta virtutum, quibus nuditatem tuam tegeres et te adornares. Ipse contulit aromata bonorum operum, quibus foetorem peccati effugares; dedit speculum Scripturae, in quo faciem tuam agnosceres. Haec Hugo (loc. cit. ed. Migne, col. 963 et 966).

[6] Fide L responsionem *Animae* hoc loco exhibemus, quam G *Homini* tribuit et paulo inferius post *exspectantis* ponit, voci *multa* praefigens *te*; ipsam Vat. cum B I M post *thalami* subnectit; A C D E F G ipsam omittunt.

[7] Bernard., Serm. 2. in Dominica 1. post Octav. Epiph. n. 3. — Vat. cum nonnullis codd. legit: Cogita diligenter, « unde tibi post haec omnia tam inaestimabilis gratia, ut eius merearis esse sponsa, *in quem desiderant Angeli prospicere* [1. Petr. 1, 12.] ». Bernardus [loc. cit., ubi etiam habetur sententia praecedens]: « Quid ergo retribues *Domino pro omnibus, quae retribuit* tibi [Ps. 115, 12.]. Tribuit enim tibi per gratiam, ut sis socia mensae, socia regni, socia thalami. Vide, quibus brachiis a te sit amplexandus, quibus labiis deosculandus qui te tanti aestimavit, ut te suo sanguine mundaret et propter et

Septem misericordiae Dei. « *Misericordias Domini in aeternum cantabo,* quia septem misericordias in me factas invenio, per quas suam inaestimabilem pietatem evidentissime recognosco. Primo, quod a multis peccatis me conservavit. Secundo, quod me peccantem non statim damnavit, sed me prolongante iniquitatem, ipse prolongavit pietatem. Tertio, quod cor meum immutavit, ut fierent ei dulcia quae prius erant amara. Quarto, quod me poenitentem misericorditer recepit. Quinto, quod continendi et emendandi mihi virtutem praestitit. Sexto, quod dedit mihi gratiam promerendi. Septimo, quod mihi tribuit spem obtinendi [1] ».

42. Anima. Eia, mi Domine Deus, « quantum ego infelix et misera diligere debeo Deum meum, qui me creavit, cum non eram; redemit, cum perieram, et de multis periculis liberavit me; quando errabam, reduxit me; quando ignorabam, docuit me; quando peccabam, corripuit me; quando contristabar, consolatus est me; quando iam pene desperabam, confortavit me; quando steti, tenuit me; quando cecidi, erexit me; quando ivi, duxit me; quando veni, suscepit me ». « Cum enim cunctis praesidens, singulos implens, ubique praesens, cunctorum curam agens et tam singulis quam omnibus providens, ita tamen totum ad custodiam meam occupatum video, quasi omnium oblitus sit et mihi soli intendere velit [2] ». (Confessio.)

43. Nunc ergo, o homo, quia pro his omnibus Deum, ut dixisti, diligere debeo, dic, quaeso, quantum, aut quomodo ipsum diligam, quatenus sibi vicissitudinem tantae dilectionis rependam? (Quaer quantum ligendus Deus.)

Homo. O anima, quamvis, secundum Bernardum [3], « causa diligendi Deum Deus sit, modus vero sine modo diligere »; possumus tamen modum aliquem ex ipsis sacrae Scripturae locis investigare. Ipse etenim, qui tibi dilectionem tribuit, modum diligendi ostendit, quando dixit [4]: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua et ex tota fortitudine tua.* Dilige igitur, anima, amore singulari Deum Patrem, qui te tam nobiliter [5] ex nihilo creavit, Deum Filium, qui te tam inaestimabiliter pro te moriendo reformavit, Deum Spiritum sanctum, qui te tam misericorditer saepius consolando a peccato (Respons)

---

somnum mortis acciperet [I M secundum textum originalem *exciperet*] ». Deinde Vat. cum B I M addit responsionem *Animae*, de qua in nota praecedente. — Septem misericordias, quae sequuntur, affert Bernard., Serm. 2. pro Dominica 6. post Pentec. n. 3-5; in principio allegatur Ps. 88, 2.

[1] Contradicentibus A C D E F L, Vat. hic plura subiungit, quorum etiam H I M quaedam, scil. verba Augustini omittunt. G praefigit *Anima.* Dic mihi iam, o homo, propter divinam clementiam, quid pro his omnibus Domino meo tribuam, ne fiam indigna percipiendis, si ingrata fuero inventa de perceptis? Augustinus [II. Confess. c. 7. n. 15.]: « Quid ergo retribuam Domino, nisi quod diligam et gratias agam, confitear et laudem dicam nomini suo aeterno et benedicto? Quoniam tam paratus est mihi dimittere mala et tam inaestimabilia conferre bona. Gratiae eius deputo, quod peccata mea quasi glaciem solvit, gratiae eius deputo, quaecumque mala non feci, et ideo omnia mihi reputo dimissa, quaecumque a me, ipso duce, non sunt commissa ». *Homo.* O anima, scito, quod quidquid tibi dilectus tuus contulit, quidquid propter te sustinuit, totum in *caritate perpetua, qua te dilexit* [Ier. 31, 3.], consummavit. Unde, sicut aestimo, nec melius nec decentius quam per dilectionem retribuitur, quod ex sola dilectione condonatur.

[2] Ita auctor libri de Spiritu et anima (inter opera August.) c. 17; cfr. de Diligendo Deo (inter opera August.) c. 9. seq. et Soliloq. animae ad Deum (inter opera August.) c. 13. seq. Vide etiam Anselm., Meditat. 7. c. 2, ubi prima pars usque *suscepit me* occurrit. Pro *et de multis periculis liberavit me* A C D E F L *et peccata mea* [D E addunt *indurata et congelata*] *quasi glaciem afflatu divinae gratiae resolvit.* — Vat., refragantibus A C D E F L (et ex parte H I M, qui ab *Adiuro vos* usque ad finem omittunt), prosequitur: « Sic enim praesentem se mihi exhibet, semper se paratum offert, si me paratum invenerit, ut, quocumque me verto, non me deserat, nisi ego prius deseram eum. Nec pro his omnibus quod illi retribuam habeo, nisi tantum, ut diligam ». Haec auctor libri de Spiritu et anima [loc. cit.]. Bernardus [Serm. 32. in Cant. n. 3.]: « O bone Iesu, quoties post immensas et innumerabiles lacrymas, quoties post varios singultus et gemitus, me sauciatam et iam pene desperantem unxisti unctione misericordiae tuae, et omnino pene deficientem excepisti gaudentem, nec dereliquisti de venia praesumentem ». « Sed super haec omnia mihi te, bone Iesu, amabilem non immerito reddit calix passionis, quem bibisti, opus nostrae redemptionis, quod suscepisti. Hoc enim est quod totum amorem meum vindicat sibi, hoc est quod meam devotionem blandius allicit et iustius stringit et vehementius afficit [Serm. 20. in Cant. n. 2.] ». « Etenim, ubi te humiliasti, ubi te naturalibus radiis exuisti, ibi caritas plus effulsit et gratia amplius radiavit [Serm. 45. in Cant. n. 9.] ». Haec Bernardus. *Adiuro vos,* inquit anima in Canticis [5, 8.], *filiae Hierusalem, si inveneritis dilectum, ut nuntietis ei, quia amore langueo.* Bernardus [Serm. 7. in Cant. n. 8.]: « Non aperit anima quem diligit, quia praesentem omnibus credit, qui de corde suo non recedit ». Augustinus [II. Soliloq. c. 1. n. 1.]: Amo te, Domine, et « impatiens est amor nec lacrymis sedatur, donec amori detur quod amatur ». Nihil eius moestitiam consolatur, quousque non aspicitur quod desideratur. *Anima.* Sed nunquid, o homo, ille tenetur Deum diligere, qui se gaudet talia, qualia ego commisi, minime commisisse? *Homo.* « O anima, non te quisquam irrideat, ab eo aegram sanari oportet, a quo sibi praestitum est, ut non aegrotaret, vel forsan, ut maiores labores cautius evitaret. Et ideo Deum tantundem, immo revera amplius diligat, quia, per quem me videt tantis peccatorum meorum languoribus exui, per eum se videt tantis doloribus non implicari ». Haec Augustinus in libro Confessionum [II. c. 7. n. 15.]. Hieronymus [cfr. infra n. 45.]: « Sine amore caritatis quamvis quisque recte credat, ad beatitudinem tamen venire non potest; quia tanta est caritas, ut etiam prophetia et martyrium sine illa nihil esse credantur, nullum praemium caritati compensatur. Caritas enim omnium virtutum obtinet principatum ». Augustinus [XIII. Confess. c. 8. n. 9.]: « Da mihi te, Deus meus, redde te mihi; amo te, et si parum est, amem validius. Non possum metiri, ut sciam, quantum desit mihi amoris tui, ad id quod satis est, ut currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur, donec abscondatur in abscondito vultus tui. Hoc tantum scio, quod male mihi est praeter te, et omnis copia, quae Deus meus non est, mihi egestas est ». Haec Augustinus. *Anima.*

[3] De Diligendo Deo, c. 1. n. 1.

[4] Deut. 6, 5; Matth. 22, 37; Marc. 12, 30; Luc. 10, 27. Pro *fortitudine* F *virtute* (cfr. Marc. loc. cit.).

[5] Codd. D E *potenter*, qui etiam subinde pro *inaestimabiliter* et *misericorditer* substituunt *sapienter* et *benigne.* Pro *a peccato redemit* (ita A C D E F L) Vat. *a peccato conservavit.* Aliquanto inferius pro *ut nullo alieno amore venenose inficiaris* A C D E F L *ut nullo amore venenoso interficiaris.*

[...lex mo... diligen...] redemit et in bono confortavit. Dilige igitur Deum Patrem *fortiter,* ut nullo alieno amore periculose vincaris; dilige Deum Filium *sapienter,* ut nullo alieno amore dolose seducaris; dilige Deum Spiritum sanctum *dulciter,* ut nullo alieno amore venenose inficiaris. Vel aliter, secundum Bernardum [1]: « Disce a Christo, o anima christiana, quemadmodum debeas diligere Christum. Dilige *dulciter, prudenter* et *fortiter: dulciter,* ut amore illius omnis amor alius tibi vilescat, et ipse solus sit tibi mel in ore, melos in aure, iubilus in corde. Dilige *prudenter,* ut amor tuus in eo solo et in nullo alio continue inardescat. Dilige *fortiter,* ut tua fragilitas omnia dura et aspera gaudenter pro ipso sustineat, ut dicas: Labor meus vix est unius horae, et si amplius est, non sentio prae amore. Et ita Christianus per amorem in Christum iugiter intendat, ut omnia libenter propter ipsum sustineat, donec ad ipsum perveniat ». Haec Bernardus [2].

44. Anima. Dic quaeso, o homo, salva reverentia tua, non ex curiositate, sed ex humilitate, non ex praesumtione, sed potius ex devotione interrogo: et quid est quod amo, cum Deum meum amo? [...aestio de ...ore Dei.]

Homo. O anima, si tua quaestio esset praesumtuosa, tunc nimis esset vitiosa; sed quia ex devotione originatur, devotam responsionem meretur. Audi, quid dicit ille magnus amator Dei Augustinus in libro Confessionum [3]: « Cum Deum, inquit, amo, non amo speciem corporis nec decus temporis nec candorem lucis istius amicum oculis, non dulces melodias, non unguenta suaviter olentia, non manna aut mella, non membra carnis amplexibus acceptabilia; non haec amo, cum Deum meum amo. Sed quid amo? Amo lucem quandam, quandam vocem, quendam odorem, quendam cibum, quendam amplexum interioris hominis mei; ubi fulget animae meae, quod non capit locus; ubi sonat, quod non rapit tempus; ubi olet, quod non spargit flatus; ubi sapit, quod non minuit edacitas; ubi haeret, quod non divellit satietas ». [...esponsio.]

45. Anima. Dic quaeso, o homo, vel paululum de caritatis virtute, qua cognita ad diligendum Deum fortius inardescam [4]. Quaestio de virtute caritatis.

Homo. Revera, o anima, caritatis fructus magnus est, sed occultus. « Ipsa enim caritas, secundum Augustinum [5], in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus est fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima, in hospitalitate liberalissima, inter veros fratres laetissima, inter falsos patientissima, inter opprobria secura, inter odia benefica, inter iras placida, inter insidias innocens, in iniquitate gemens, in veritate respirans ». « O felix amor, ex quo oritur strenuitas morum, puritas affectuum, subtilitas intellectuum, sanctitas desideriorum, claritas operum, fecunditas virtutum, dignitas meritorum, sublimitas praemiorum et honorum [6] ». « O dulcedo amoris et amor dulcedinis, comedat te cor meum et nectare tuo repleantur viscera animae meae ». Haec Augustinus [7]. Hieronymus: « Sine amore caritatis quamvis quisque recte credat, ad beatitudinem tamen pervenire non potest; quia tanta est caritas, ut etiam prophetia et martyrium sine illa nihil esse credantur, nullum praemium caritati compensatur. Caritas enim omnium Laus caritatis.

---

[1] Serm. 20. in Cant. n. 4. Huic loco, de quo A C D E F ultimum solum membrum *Dilige fortiter* etc. exhibent, immixta sunt verba Bernardi, quae occurrunt in aliis Sermonibus in Cant.; sic Serm. 15. n. 6: Iesus mel in ore, in aure melos, in corde iubilus; Serm. 14. n. 4: Opus meum vix unius est horae, et si plus, prae amore non sentio.

[2] Vat. cum nonnullis codd. ultimam propositionem *Et ita Christianus* etc. tribuit *Hieronymo,* et deinde prosequitur: Haec Hieronymus [Epist. 22. n. 40.]: « Amemus Christum et eius semper quaeramus inhaerere amplexibus, et facile videbitur omne, quod est difficile ». Ambrosius: « O anima, semper in mente tua pertracta, quam dulciter Christus te dilexit in incarnatione, quam prudenter in conversatione et quam fortiter in passione ». Hugo [cfr. supra pag. 40, nota 4.]: « Nulla dilectio maior, nulla caritas sincerior, nullus amor fortior, mortuus est pro te innocens, nihil in te inveniens, quod amaret ». Haec Hugo de sancto Victore.

[3] Libr. X. c. 6. n. 8; in fine pro *divellit* A C D E F L *evellit.*

[4] Vat. cum nonnullis codd. *animus inardescat.*

[5] Serm. 350. (alias 39. de Tempore, sive Tract. de laude caritatis) n. 3. Pro *liberalissima* textus originalis *latissima,* qui etiam post *patientissima* plura addit.

[6] Vat. cum nonnullis codd. descriptionem praecedentem effectuum amoris (sicut et sequentem propositionem) attribuit *Bernardo;* concordat Thomas de Hibernia (Manipul. florum, sub voce *Amor),* qui allegat *Bernard. in lib. de Diligendo Deo,* ubi non occurrit (cfr. tamen c. 10. n. 28.) et cum codd. B I in fine omittit *et honorum* (C legit *sublimitas morum,* D E *sublimitas honorum).* Pro *ex quo oritur* A C F *ex quo nascitur.*

[7] In Manuali (inter opera August., cfr. Hugo a S. Vict. IV. de Anima, c. 6.), c. 12: O dulcedo... comedat te venter meus, et nectare tui amoris repleantur viscera mea, ut eructet mens mea verbum bonum (cfr. Ezech. 3, 3. et Ps. 44, 2.). — De seq. Hieronymi sententia cfr. III. Comment. in Epist. ad Gal. 5, 14. et 22; II. Apolog. adversus libros Rufini, n. 2. Fide codd. A C D E F L hunc Hieronymi locum hic inseruimus, quem Vat. cum aliis codd. iam superius (pag. 42, nota 2.) allegavit. — Pro *Haec Augustinus* (ita A C D E F L) Vat. cum aliis codd. *Haec Bernardus* (cfr. nota praecedens). Deinde prosequitur G: *Anima.* Validius non possum inquirere, « ut sciam, quantum desit... egestas est ». Haec Augustinus in libro Confessionum [XIII. c. 8. n. 9; cfr. supra pag. 42, nota 2. in fine). Idem cod. G cum B I M et Vat. subiungit: Bernardus [Tractat. de Gradibus humilit. c. 2. n. 3.]: « O anima, quam dulcis est cibus caritatis, qui fessos allevat, debiles roborat, moestos laetificat! Iugum namque Veritatis facit suave et onus eius leve ». Idem [Serm. 14. in Cant. n. 4.]: « Fateor, Domine, non sustinui *pondus diei et aestus,* sed *iugum suave et onus leve* [Matth. 20, 12. et 13, 30.] porto. Opus enim meum... non sentio prae amore [cfr. supra nota 1. in fine]. Sed quid plura? Hugo de sancto Victore [cfr. supra pag. 30, nota 7.]: « O anima, tanta est vis amoris, ut talem... transformaris ». Haec Hugo. — Vat. cum uno alteroque cod. hic finem imponit capitulo primo et secundum ita incipit: *Anima.* Iam video, quoniam [ut dicit August., IV. Confess. c. 6. n. 11.] « miser est omnis animus iunctus amicitia rebus temporalibus », quae « cum labore acquiruntur... cum dolore amittuntur ».

Non amantis miseria.

virtutum obtinet principatum ». — O quam miser est, cuius animus res temporales per amorem complectitur, quae « cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore amittuntur [1] »!

Perfecte amantis beatitudo.

46. Sed « beatus est qui amat te, Domine, et inimicum propter te et amicum in te; solus enim nullum carum amittit cui omnes in te cari sunt. Te vero nemo amittit, nisi qui te dimittit, qui autem te dimittit quo ibit, nisi a te placido ad te iratum [2] »? Augustinus: « Minus te amat qui aliquid tecum amat, quod propter te non amat. O caritas, quae semper ardes et nunquam exstingueris; caritas, Deus meus, accende me, ut contineam a concupiscentia carnis, a concupiscentia oculorum et ambitione saeculi ». Unde Gregorius in Moralibus [3]: « Quam felix et quam beatus est, qui in solo aeternitatis desiderio per amorem figitur, qui nec prosperitate extollitur nec adversitate quassatur, et dum nihil habet in mundo quod diligat, nihil est in mundo, quod pertimescat ».

Verba Pauli cum explicatione Gregorii.

— Paulus in Epistola [4]: *Caritas patiens est, benigna est, non aemulatur, non inflatur, non agit perperam, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Quod Gregorius in Moralibus [5] exponit dicens: « *Patiens* quippe *est caritas,* quia illata mala aequanimiter tolerat. *Benigna* est, quia pro malis bona largiter ministrat. *Non aemulatur,* quia per hoc, quod in praesenti mundo nihil appetit, invidere terrenis successibus nescit. *Non inflatur,* quia, cum praemium aeternae retributionis anxia desiderat, de bonis se exterioribus non exaltat. *Non agit perperam,* quia, quo se in solum Dei ac proximi amorem dilatat, quidquid a rectitudine discrepat ignorat. *Non est ambitiosa,* quia, quo ardenter intus ad sua satagit, foris nullatenus aliena concupiscit. *Non quaerit quae sua sunt,* quia cuncta, quae hic transitorie possidet, velut aliena negligit, cum nihil esse suum proprium, nisi quod secum permaneat, agnoscit. *Non irritatur,* quia et iniuriis lacessita, ad nullos se ultionis motus excitat, dum pro magnis laboribus maiora post praemia exspectat. *Non cogitat malum,* quia, in amore munditiae mentem solidans, dum omne odium radicitus eruit, versari in animo quod inquinat nescit. *Non gaudet super iniquitate,* quia, quo sola dilectione erga omnes inhiat, nec de perditione adversantium exsultat. *Congaudet autem veritati,* quia ceteros diligens, per hoc quod rectum est, in aliis conspicit, quasi de augmento proprii profectus hilarescit ». Haec Gregorius in Moralibus.

Capitulum II.

Quomodo anima per mentale exercitium debet radium contemplationis convertere ad exteriora, ut cognoscat, quam instabilis sit mundana opulentia, quam mutabilis mundana excellentia, et quam miserabilis mundana magnificentia.

Despiciendus est mundus.

1. Homo. Converte igitur, o anima, nunc radium contemplationis ad ea quae sunt *iuxta te*, hoc est ad mundum istum sensibilem, ut ipsum et ea quae sunt in ipso, despicias, et eo despecto, amplius in amore Sponsi inardescas. Minus enim eum amas, si aliquid cum eo appetis, quod propter ipsum et in ipso non diligas [6]. « Tanto enim, secundum Gregorium, quisque ab illo superno amore disiungitur, quanto inferius delectatur »; et citius ad Deum convertitur qui non habet in hoc saeculo, unde delectetur. « Cunctae igitur creaturae tibi vilescant, ut Creator tuus solus in corde dulcescat ». Haec Augustinus [7].

§ 1.

De triplici rerum mundanarum vanitate.

2. Volve igitur semper et revolve, non tantum ex auditis, sed etiam ex expertis, non tantum

---

[1] Bernard., Serm. 42. de Diversis, n. 3. Cfr. Serm. de Conversione ad clericos, c. 8. n. 14. et de Diligendo Deo (inter opera August.) c. 16. in fine.

[2] August., IV. Confess. c. 9. n. 14. Ibid. X. c. 29. seq. n. 40. seq. habetur seq. locus, in quo post *accende me* Vat. cum textu originali prosequitur: Iubes, ut amem te [textus originalis: *Continentiam iubes*]. *Da quod iubes, et iube quod vis. Iubes certe quod contineam* etc. Respicitur I. Ioan. 2, 16: Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est etc. — Vat. cum nonnullis codd., ut B I M, hic iterum allegat Hieronymi sententiam iam supra pag. 43, nota 2. positam: « O homo amemus Christum... difficile », et dein prosequitur: *Homo.* O anima, iam, ut video, recognoscis, quam felix et quam beatus est, qui in solo etc. (Edd. antiquiores cum praenotata propositione incipiunt cap. 2.).

[3] Libr. X. c. 21. n. 39.

[4] Epist. I. Cor. 13, 4-6.

[5] Libr. X. c. 6. n. 10. Circa finem pro *versari in animo* textus originalis *versare in animo,* et pro *quo sola dilectione* codd. *cum sola dilectione.* Auctoritate A C D E F L tam Pauli, quam Gregorii sententiam in Vat. omissam in textum recepimus et sic finem cap. 1. imposuimus.

[6] Respiciuntur verba August. supra c. 1. n. 46. posita, ut annotant etiam D E, qui post *Minus enim* addunt *secundum Augustinum.* — Sententia Gregorii habetur II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 2. — Inferius post *unde delectetur* Vat., refragantibus A C D E F L, addit: Et secundum Glossam in Exodum [scil. *ordinariam* in Exod. 35, 21, ex Gregor., XXX. Moral. c. 6. n. 24.], « tanto quis ab inferiorum amore disiungitur, quanto ad sola aeterna amanda sublevatur ».

[7] Enarrat. IV. in Ps. 30. serm. 3. n. 8: Vilescat totum, quidquid praeter Deum est (cfr. tom. II. pag. 884, nota 13.).

ana est ii opu- s, excel- i, glo-

ex dictis, sed etiam ex factis, quam *instabilis est mundana opulentia,* quam *mutabilis est mundana excellentia,* quam *falsa et miserabilis est mundana gloria.* « Omne enim, quod hic eminet, multo plus moerore afficitur, quam honore gaudeat ». Haec Gregorius [1]. Bernardus: « Ecce, huius mundi amatores nundinas huius saeculi perambulant, alii divitias, alii honores, alii gloriam quaerentes. Sed quid de *divitiis* dicam? Cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore amittuntur. Quid de *honore* referam? In loco sublimi positus es, nunquid non eris iudicandus ab omnibus, lacerandus ab omnibus? Nunquid in honore sine dolore, in praelatione sine tribulatione, in sublimitate sine vanitate esse quis poterit? Quid de *gloria?* Nihil aliud est nisi quaedam vana aurium inflatio. Nunquid et ipsa est sine iudicio? Respice, quos antecedis, et cogita, quia omnibus invidiae semina praebuisti [2] ». Haec Bernardus.

caecita- ominum estio.

3. Anima. O homo, si haec ita se habent, quid est quod miseri homines quaerunt, dum mundi vanitatem appetunt? O quantum excaecati sunt qui mundi gloriam quaerunt!

sponsio.

Homo. « Nonnulli, dum quorundam gloriam cernunt, magnum aliquid existimant seque ut talia mereantur, exoptant. Cum vero eos morientes aspiciunt, eorum quam vana sit gloria, cum gemitu fatentur et dicunt: Ecce, quam nihil est homo ». Haec Gregorius [3]. O anima carissima, quid sunt mundana omnia nisi quaedam vana somnia? *Quid profuit superbia aut divitiarum iactantia* amatoribus suis? *Transierunt enim omnia tanquam umbra et tanquam navis, quae pertransit fluctuantem aquam, cuius non est invenire vestigium. In malignitate enim sua consumti sunt* [4]. Et virtutum, heu, quam plurimi nullum signum reliquerunt! *Ubi sunt principes gentium, et qui dominati sunt super bestias, quae sunt super terram, qui argentum thesaurizaverunt et aurum congregaverunt,* qui civitates et castra exstruxerunt, reges et regna bellando devicerunt? *Ubi sapiens, ubi scriba, ubi conquisitor huius saeculi* [5]*?* Ubi Salomon sapientissimus? ubi Alexander potentissimus? Ubi Samson fortissimus? ubi Absalom speciosissimus? Ubi Assuerus gloriosissimus? Ubi caesares potentissimi? Ubi reges et principes inclyti? « Quid profuit illis inanis gloria, brevis laetitia, mundana potentia, magna familia, carnis voluptas, divitiarum falsitas, concupiscentiae suavitas? Ubi risus, ubi laetitia, ubi iactantia, ubi arrogantia [6] », ubi generositas sanguinis, ubi pulcritudo corporis, forma elegans, iuvenilis decor, praedia magna, palatia immensa, mundi sapientia? De mundo sunt haec omnia, *et mundus quod suum est diligit* [7], et tamen haec omnia cum mundo non diu subsistunt. *Transibit* enim *mundus et concupiscentia eius.* — « Tu ergo, si recte sapis, si tecum lumen oculorum est, desine sequi quae consequi miserum est, quae possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant ». « Tu ergo relinque haec omnia propter eum qui est super omnia ». Haec Bernardus [8]. « Fuge ergo, et confuge, o anima, ad urbem refugii, hoc est ad vitam religiosam, ubi possis de praeteritis agere poenitentiam et in praesenti obtinere gratiam et feliciter praestolari futuram gloriam. Non te retardet peccatorum conscientia, quia, ubi superabundavit iniquitas, superabundare consuevit et gratia. Non poenitentiae austeritas ipsa te deterreat. *Non* enim *condignae sunt passiones huius temporis* ad praeteritam culpam, quae remittitur, ad praesentem gratiam,

Confirmatur exemplis.

Exhortatio.

Soliloq. animae ad Deum (inter opera August.) c. 22: « Omnia mihi peto ut amarescant, ut tu solus dulcis appareas animae meae ». Cfr. Meditat. (inter opera August.) c. 7. ex Anselm., Orat. 2. Pro *Haec Augustinus* (ita A) Vat. cum aliis codd. *Augustinus* (forsitan referens ad seq. propositionem).

[1] Libr. XXXII. Moral. c. 20. n. 38. — Sententia Bernardi habetur Serm. 42. de Diversis, n. 3. Textus originalis hinc inde plura interserit.

[2] Ultima propositio *Respice* etc. in A C D E F desideratur; econtra Vat. adiungit: Toties angelo apostatae similis esse volo, quoties praeesse desidero (cfr. Bernard., Homil. 1. super *Missus est*, n. 8; Gregor., Regul. pastoral. p. II. c. 6. et XXIV. Moral. c. 25. n. 52.). Post *Haec Bernardus* Vat. cum paucis codd., ut B I M, prosequitur: Hieronymus [III. Comment. in Amos 6, 2. seqq.]: « Nihil namque [I M *itaque*] saeculo rebusque saeculi fugacius est, quas, cum tenere cupimus, amittimus ». « Vidisti imperatores, vidisti praefectos, vidisti exercitus, victorias et triumphos; heri fuerunt, hodie non sunt; heri quasi flos apparuerunt, hodie quasi foenum aruerunt. Nihil itaque bonum est, nisi quod perpetuum est [Breviar. in Ps. 91, 8. inter opera Hieron.] ».

[3] Libr. VI. Moral. c. 6. n. 8. Finem plures codd., ut A C D E F L, textu originali repugnante, sic exhibent: *Ecce, quam vana* [D E addunt *et transitoria*] *sunt omnia, et quam nihil est homo* [C F adiungunt *et hominis gloria*]. — Superius pro *Homo* (ita A K, quibus suffragatur C, qui hic sicut semper *Ratio* pro *Homo* adhibet) substituto *Gregorius*, Vat. cum nonnullis codd., ut B I L, hic prosequitur: *Homo. O anima carissima* etc.; alii codd., ut C D E F pro *Haec Gregorius* substituunt *Gregorius*, et dein omittunt *Homo*, quod Vat. posuit; M legit *Haec Gregorius. Homo. O anima mea, dicit Bernardus, et quid sunt mundana* etc. Cfr. August., Enarrat. in Ps. 131. n. 8: Et omnes istae felicitates quae videntur saeculi somnia sunt dormientium.

[4] Sap. 5, 8-10. et 13: *In malignitate* etc. — Subinde allegantur Baruch 3, 16. et 18.

[5] Epist. I. Cor. 1, 20. Cfr. Prosper., Lib. sententiarum ex August. (inter opera August.), sententia ultima; Serm. 68. ad Fratres in eremo (inter opera August.); Isidor., II. Synonimor. n. 91. (alias c. 17.), et Anselm., Liber exhortationum ad contemptum temporalium et desiderium aeternorum (circa finem).

[6] Bernard., Meditation. etc. c. 3. n. 9. Pro *falsitas* C D E *felicitas*, G *facultas vel falsitas,* textus originalis legit *falsae divitiae.*

[7] Ioan. 15, 19. et subinde I. Ioan. 2, 17.

[8] Epist. 103. n. 2, ubi prima sententia; secunda insinuatur in Declamationibus ex S. Bernardi sermonibus [inter opera Bernard.; sed sunt Gaufridi) II. n. 2: Sed nec inutilis commutatio, pro eo qui super omnia est, omnia reliquisse. Nam et simul cum eo donantur omnia, et ubi apprehenderis eum, erit unus ipse *omnia in omnibus* [I. Cor. 15, 28.], qui pro ipso omnia reliquerunt.

quae immittitur, et *ad futuram gloriam,* quae promittitur ». Haec Bernardus [1].

Quaestio de vinculo mentem impediente.

4. Anima. Iam falsitatem et instabilitatem mundi agnosco, sed tamen nescio, quo vinculo detenta, adhuc avertere mentem nequeo.

Responsio.

Homo. Certe, si diligenter, o anima, et prudenter periculum tuum, quod de mundo incurris, adverteres; procul dubio animum tuum a saeculi vanitatibus cohiberes. Gravis enim et nimis periculosa est mundana conversatio, quia, secundum Bernardum [2], « periclitatur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, caritas in *hoc nequam saeculo* ». O anima debilis et infirma, quae tam facilis es ad decipiendum, tam prona ad cadendum, tam difficilis ad surgendum [3]; an ignoras, quod « sicut difficile est arborem iuxta viam positam fructus pulcherrimos usque ad maturitatem servare, sic difficile est hominem iuxta saeculum viventem iustitiam immaculatam usque in finem conservare » ? Haec Chrysostomus [4]. Item Augustinus in epistola quadam: « Vincula huius mundi habent asperitatem veram, iucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, plenam miseriae rem, beatitudinis inanem spem ». O anima, si haec in mente portares, mundum et ea quae in mundo sunt, contemneres. — Et quid est, carissima, quod diligis? Quid est, quod appetis? Quid est, quod in mundo quaeris? Si *praelationem* diligis, quid aliud facis, nisi quod vitam tuam confundis? An ignoras, quod « monstruosa res est gradus summus et animus infimus, sedes prima et vita ima, lingua magniloqua et manus otiosa, sermo multus et fructus nullus, vultus gravis et actus levis, ingens auctoritas et nutans stabilitas »? Haec Bernardus [5]. Gregorius in Cura pastorali: « Sciant haec praelati, quod si perverse aliquid perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot exempla perditionis ad subditos transmittunt ». — Sed forte dicis, praelationem quidem appeto, sed in ipsa bene et sancte vivere intendo. — Laudo, sed raro quod laudare valeam invenio. Unde semper timeo, quod, secundum Gregorium in Registro [6], « ita sibi regentium et subditorum merita connectuntur, ut saepe ex culpa praesidentium fiat deterior vita subditorum, et saepe ex merito plebium delinquat vita pastorum ».

Contra amorem praelationis. Obiectio vitae.

Contra amorem sapientiae mundanae.

5. Si *sapientiam mundi* quaeris, o quanto periculo te committis! Bernardus [7]: « Heu, quot et quantos mundi maledicta sapientia supplantavit et conceptum in eis divinum exstinxit spiritum, quem *vehementer* Dominus *accendi voluit!* An ignoras, quod sapientia mundi *terrena est, animalis et diabolica,* inimica salutis, suffocatrix vitae et mater cupiditatis »? Haec Bernardus. Augustinus [8]: « Qui sine Salvatore salutem vult quaerere, et sine vera sapientia aestimat se prudentem fieri posse, non sanus, sed aeger est, non prudens, sed stultus est et in aegritudine laborat assidue ». « Qui enim crescit in scientia et non crescit in bona vita elongatur a Deo », sicut dicit Algazel [9]. Tu ergo, si sapiens esse desideras, « discas in terris sapientiam, quae tecum perseveret in caelis ». Haec Hieronymus [10]. Hic studeas, qualiter ad ipsum pervenias, quem semel vidisse est omnia didicisse. Haec est illa aeterna veritas, « sine qua omne sapere desipere est, quam solam cognoscere perfectum scire est [11] ».

Contra amorem divitiarum, pomparum, deliciarum.

6. Sed si forte *divitias mundiales, pompas saeculares et delicias carnales,* o anima mea, diligis et propter haec mundum invite derelinquis; haec attende; « quam caduca quamque fragilia sunt haec! Dic, ubi reges, ubi principes, ubi omnium praedictorum dilectores [12] »? Timeo, quod multi ex ipsis, heu, *exterminati sunt et ad inferos descenderunt. Quid eis*

---

[1] Serm. de Conversione ad clericos, c. 21. n. 37. Respicitur Rom. 5, 20: Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia. Allegatur Rom. 8, 18. Pro *feliciter praestolari* textus originalis *fiducialiter praestolari.*

[2] Loc. cit. In fine respicitur Gal. 1, 4.

[3] Cfr. supra c. 1. n. 20. in fine, et infra c. 3. n. 3. in fine.

[4] Homil. 39. in Matth. 21, 19. (Op. imperfect.). — Sententia August. habetur Epist. 26. (alias 39.) n. 2.

[5] Libr. II. de Considerat. c. 7. n. 14. Pro *nutans stabilitas* (ita etiam textus originalis) Vat. cum nonnullis codd. *nutans instabilitas.* — Fide A C D E F L supplevimus seq. sententiam Gregorii, Regul. pastoral. p. III. c. 4.

[6] Libr. VII. Epist. epist. 7. Cfr. XXV. Moral. c. 16. n. 35.

[7] Declamation. (cfr. supra pag. 45, nota 8.) XXVII. n. 32. seq. Respicitur Luc. 12, 49, allegatur Iac. 3, 15, et in fine pro *mater cupiditatis* textus originalis *mater tepiditatis.* — Superius post *quaeris* C F addunt *plus quam oportet* (cfr. Rom. 12, 3.).

[8] Gratian., c. *Qui sine Salvatore* (c. 7.)., C. 26. q. 2, hanc sententiam tribuit *August., de Civ. Dei;* ipsa tamen est *Rabani,* de Magorum praestigiis, et omittitur ab A C D E F.

[9] Libr. II. Philosoph. (ed. Venet. 1506.) tr. 5. (De eo, quod fluit anima ab Intelligentia agente) c. 5. (De infelicitate animae damnatae) in fine: Propterea lex dicit, quod maior poena in die iudicii illorum hominum est, qui, cum sapientes essent, male vixerunt. Dicit etiam, quod qui crescit in scientia et non crescit in bona vita elongabitur a Deo.

[10] Epist. 53. (alias 103.) n. 9: Discamus in terris, quorum nobis scientia perseveret in caelo. Codd. C D E F L omittunt *Haec Hieronymus,* pro quo A solum *Hieronymus,* fortasse referens ad seq. propositionem. — De seq. propositione (in qua pro *ad ipsum pervenias, quem* F *ad illam* [Sapientiam] *pervenias, quam)* cfr. Gregor., IV. Dialog. c. 33: Quid est, quod ibi [in visione beatifica] nesciant, ubi scientem omnia sciunt? Simile dicit II. Moral. c. 3. n. 3. et II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 14.

[11] Praecedenti propositioni, quam A C D E F omittunt, L praefigit *Augustinus,* M bene *Anselmus* [Orat. 2.], Vat. vero cum uno alteroque cod. hic addit: Augustinus [V. Confess. c. 4. n. 7.]: Infelix homo, qui scit omnia alia, te autem nescit. Beatus autem, qui te scit, etiam si aliena nesciat. Si autem te et alia novit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus.

[12] Anselm., Lib. exhortation. ad contemptum temporalium etc. (circa finem). Cfr. supra pag. 45, nota 5. — Subinde allegantur Baruch 3, 19. et Sap. 5, 8. Vat. cum nonnullis codd.: *Quid nunc eis prodest superbia, quid divitiarum iactantia?*

profuit superbia, quid contulit divitiarum iactantia? Qui enim plus diligit mundum quam Deum, saeculum quam claustrum, gulam quam abstinentiam, luxuriam quam continentiam, sequitur diabolum et ibit cum eo in aeternum supplicium. Augustinus[1]: « Qui florent felicitate saeculi pereunt virtute Dei; florent ad tempus, pereunt in aeternum; florent falsis bonis, pereunt veris tormentis ». Idem[2]: « Si in hoc saeculo aliquid possidere nos delectat, Deum, qui possidet omnia, expedita mente possideamus, et in ipso habebimus quidquid feliciter et sancte desideramus ».

7. Sed ad haec omnia, o anima, invenis quod forte obiicis dicens: Mundum despicio, sed amicos, parentes et cognatos derelinquere non valeo. — Frivola, o anima, est haec obiectio. Bernardus[3]: « *Fidelis sermo et omni acceptione dignus.* Si impium est contemnere patrem vel matrem, propter Christum piissimum est ». « O durum patrem, o saevam matrem, immo non parentes, sed peremptores, qui te malunt perire cum eis, quam regnare sine eis ». Hieronymus[4]: « Licet sparso crine et scissis vestibus ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat, licet in limine pater iaceat; per contemptam matrem, per calcatum patrem perge siccis oculis et ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est in hac re esse crudelem ». Chrysostomus[5]: An ignoras, o anima, quod « qui habet Iesum habet patrem, habet matrem, habet omnem amicum? Quid sequeris mortuos? sequere vivum *et dimitte mortuos sepelire mortuos suos* ».

[Obiectio.] [Responsio.]

§ 2.

De ratione, quare multi mundani excaecantur.

8. Anima. Iam ex verbis tuis, o homo, perpendo et ex multis experimentis cognosco, quod etiam « mundus in se ipso aruit; sed adhuc, heu, in multorum cordibus floret, qui amaritudines mundi diligunt, fugientem sequuntur, labentem amplectuntur[6] »; dic, quae est tantae caecitatis ratio?

[Quaestio.]

Homo. O anima, an ignoras, quod tam delicata et tam nobilis es a Sponso tuo, auctore omnium, condita, quod sine dilectione esse non potes? Hieronymus[7]: « Difficile est, humanam animam non amare; necesse est enim, ut mens nostra ad quoscumque trahatur affectus ». Unde « necesse est, secundum Bernardum[8], quod aut in summis, aut in infimis delectemur ». Igitur, secundum Gregorium in Moralibus[9], « sunt nonnulli, qui vitam suam negligunt, dum transitoria appetunt, et aeterna non intelligunt, vel intellecta contemnunt, dolorem non sentiunt, dum vulnerati sunt. Unde, heu, se miseri in bonis esse putant, exsilium quasi patriam diligunt et in sua caecitate quasi in luminis claritate exsultant! Econtra electorum mentes, dum cuncta transitoria quasi nulla conspiciunt, ad quid sint conditae, requirunt. Cumque eorum affectui nihil extra Deum sufficiat, in sola Conditoris sui contemplatione requiescunt, supernis interesse civibus appetunt, et adhuc in mundo positi, extra mundum surgunt ». Haec Gregorius. Idem super Ezechielem[10]: « Dulce videtur esse in rebus humanis eis qui de caelestibus nullam dulcedinem experti sunt; quia, quanto mens humana minus aeterna intelligit, tanto dulcius in temporalibus requiescit. Sed si quis iam cordis lingua gustaverit, quae sit illa dulcedo caelestium praemiorum; huic, quanto dulcius fit quod intus videt, tanto magis in amaritudinem vertitur omne, quod foris sustinet ».

[Responsio contra falsum amorem.]

9. Anima. Ne quaeso, o homo, procrastines, mihi aliquid de mundano et caelesti gaudio edisserere, quatenus utriusque natura verius cognita, unum perfectius despiciam et ad alterum assequendum studiosius me extendam; quia puto, quod sicut bonum non amatur, nisi cognoscatur[11], ita malum non devitatur, nisi intelligatur.

[Quaestio de differentia gaudii mundani et caelestis.]

Homo. O anima, aestimo, quod mundanum gaudium — si tamen potest dici gaudium et non potius flagellum incognitum[12] — nunquam perfecte cognoscitur, nisi cum perfecte despicitur. Unde, sicut a perfectis mundi contemptoribus traditur, mundanum gaudium potissime propter quinque contemptibile est habendum: primo, quia habet *vilitatem in obiecto.*

[Respondetur primo de gaudio mundano.] [Habet vilitatem in obiecto.]

---

[1] Enarrat. in Ps. 53. n. 9.

[2] De Salutaribus Documentis (inter opera August.) c. 40. — Codd. H I L M duos locos August. omittunt; Vat. vero addit: *Gregorius* [? Hieron., Epist. 79. alias 9. n. 1.]: Nec diviti obsunt opes, si eis bene utatur, nec pauperem egestas commendabilem facit, si inter inopias sordes peccati non caveat.

[3] Epist. 104. n. 3. in fine (Allegatur II. Tim. 1, 15.) et Epist. 111. n. 2. — Codd. A C D E F n. 7. et primam partem n. 8. usque ad locum Hieron. *Difficile* etc., omittunt.

[4] Epist. 14. (alias 1.) n. 2.

[5] Homil. 18. ex variis in Matthaeum locis (ed. Venet. 1583, tom. II. fol. 403 col. 4). In fine allegatur Matth. 8, 22.

[6] Secundum Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 28. n. 3.

[7] Epist. 22. n. 17. Codd. A C D E F, omisso *necesse est enim, ut,* legunt *mens enim nostra ad quoscumque trahitur affectus.*

[8] Cfr. Serm. 5. in Ascensione Domini, n. 8: Praeoccupatum nempe saecularibus desideriis animum delectatio sancta declinat; nec misceri possunt... summa imis, ut pariter sapias *quae sursum sunt* et *quae super terram* [Col. 3, 2.]. Gregor., XVIII. Moral. c. 9. n. 16: Esse quidem sine delectatione anima nunquam potest; nam aut infimis delectatur, aut summis.

[9] Libr. I. c. 25. n. 34. Codd. A C D E: Sunt nonnulli, qui vitam animae negligunt, internum dolorem non sentiunt, exsilium diligunt etc.

[10] Libr. I. homil. 10. n. 43. Pro *aeterna intelligit* D E L *aeterna diligit,* et pro *foris sustinet* D E *foris videt.*

[11] Cfr. August., X. de Trin. c. 1. n. 1. seqq. Hieron., Comment. in Eccle. 1, 17: Stultitia autem carere non potest, nisi qui intellexerit eam.

[12] Codd. A C D E L omittunt *si tamen... incognitum.*

Quid enim est saeculi laetitia? Respondet Augustinus [1]: « Impunita nequitia », id est luxuriari, inebriari, comessationibus vacare, vanitatibus intendere et pro his in hac vita nihil mali sustinere. Putant enim mali, securos se esse in deliciis, cum non corriguntur pro suis nequitiis; et ignorant, quod, sicut dicit Augustinus [2], « nihil infelicius est felicitate peccantium, qua poenalis infirmitas nutritur, et mala voluntas roboratur ». — Secundo, habet *impuritatem in subiecto*. Anima enim peccatis deformata est subiectum mundani gaudii, quae *laetatur, cum male fecerit, et exsultat in rebus pessimis* [3]. Unde bene dicit beatus Hieronymus, quod « ridere et gaudere cum hoc saeculo non est hominis sensati, sed phrenetici »; quia mundum cor non cum hoc saeculo immundo, sed cum Deo et in Deo laetum est et iucundum. — Tertio habet *brevitatem in se ipso*, quia [4] *gaudium hypocritae ad instar puncti*. Augustinus super Ioannem: « Laetitia saeculi vanitas est, cum magno desiderio speratur, ut veniat, et non potest teneri, cum venerit ». O anima, « quam brevis, quam fragilis et quam caduca est mundana laetitia [5] ». *Breves* enim *dies hominis sunt*, ut dicit Iob. — Quarto habet *tristitiam in termino*, quia *ducunt*, heu miseri, *in bonis dies suos et in puncto ad infernum descendunt* [6]. *Extrema* enim *gaudii luctus occupat*. Immo, o anima, si vales discernere, tale gaudium habet frequenter tristitiam admixtam in actu suo, quia *semper* necesse est, quod *praesumat saeva perturbata conscientia* [7]. — Quinto habet *miseriam magnam in effectu proprio*, quia est spiritualis gaudii impedimentum. Agnosce igitur, o anima, quam miser est hic mundus, et miserrimi qui sequuntur ipsum. Semper enim mundana gaudia excluserunt homines a beata vita. Bernardus [8]: « O quam vilis est, quam inutilis est mundana consolatio, et quod plus est metuendum, quia verae ac sanctae consolationis est impedimentum ». « Renuas igitur, o anima mea, in mundo delectari, si vis de Dei memoria consolari ». Haec Bernardus. Augustinus [9]: « Cunctae creaturae tibi vilescant, ut Creator tuus solus in corde dulcescat ».

Impuritatem in subiecto. Brevitatem in se ipso. Tristitiam in termino. Miseria in effect[u].

10. Anima. Iam mundum despicio, iam falsam laetitiam veramque tristitiam, falsam dulcedinem veramque mundi amaritudinem agnosco; et ob hoc non immerito haec omnia secundum tuum consilium contemno. Sed quia, o homo, sicut asseris [10], sine dilectione esse non valeo; dic quaeso, quid agam? Quo me convertam? Ubi dilectionem convenientem inveniam?

Secu[ndo] quaerit[ur] [de] gaudio [cae]lesti.

Homo. O anima, si te ipsam perfecte cognosceres, mundum et omnia, quae in mundo sunt, sperneres; si te naturam caelestem intelligeres, procul dubio terrenam consolationem abhorreres. « Erubesce igitur volutari in coeno, quae es de caelo [11] »; erubesce in imis delectari, quae non potes nisi in summis satiari. Natura es, ut puto, caelestis et caelestem consolationem, sicut aestimo, naturaliter, si carnalis insania permitteret, appeteres et requireres. Bernardus [12]: « O quam dulce et delectabile esset,

Respon[sio].

---

[1] Serm. 171. (alias 37. de Verbis Domini) c. 4. n. 4: Saeculi laetitia est impunita nequitia. Luxurientur homines, fornicentur, in spectaculis nugentur, ebriositate ingurgitentur, turpitudine foedentur, nihil mali patiantur; et videte saeculi gaudium. Ista mala, quae commemoravi, non castiget fames... sed sint omnia in rerum abundantia, in pace carnis, in securitate malae mentis; ecce videte saeculi gaudium. — Inferius vocibus *Putant enim* C D F L praefigunt *Incerta securitas est* (saeculi laetitia).

[2] Epist. 138. (alias 5.) c. 2. n. 14, ubi pro *poenalis infirmitas* textus originalis *poenalis impunitas*, qui etiam post *mala voluntas* addit *velut hostis interior*. Pro *nutritur* C D F L *incurritur*.

[3] Prov. 2, 14, cui Bernard., de Gratia et lib. arb. c. 5. n. 14, adiungit: Tale est quod faciunt, quale, cum rident phrenetici. — De sententia Hieron. cfr. Comment. in Eccle. 2, 2. et 4, 13-16, ubi gaudium ipsorum vocatur amentia et insipiens. Card. Hugo a S. Charo, in Eccle. 2, 2: *Augustinus:* Risus eorum risus est phreneticorum (cfr. in Ioan. Evang. tr. 7. n. 2: Gaudium enim ipsorum quasi phreneticorum est). — Inferius A C D E F L omittunt *immundo* et *et in Deo*.

[4] Ut dicitur Iob 20, 5, cui Vat. cum paucis codd. subiungit: *Hypocrita* est hic mundus, cuius gaudium est *ad instar puncti*, quod nec latum nec longum nec altum est nec profundum. — Sententia Augustini habetur in Ioan. Evang. tr. 7. n. 1. Pro *magno desiderio* textus originalis *magna exspectatione*, et pro *speratur* A C D F L *optatur*. L M addunt: Gloria mundana quantumvis fulmine fulta mox peritura venit, non reditura perit. Item Bernardus [cfr. Epist. 104. n. 1.]: Forma, genus, mores, sapientia, res et honores morte ruunt subita, sola manent merita.

[5] Secundum Anselm., lib. exhortationum etc. (circa finem). — Sequitur Iob 14, 5.

[6] Iob 21, 13, post quem Prov. 14, 13.

[7] Sap. 17, 10: Cum sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis; semper enim praesumit saeva etc. (cfr. S. Bonav., Comment. in hunc loc.). Pro *praesumat* A C D E F L *timeat*. — Vat. cum pluribus codd. (A C D E F L repugnantibus) addit: An ignoras, o anima, quod non diutius perdurat laetitia, quae est in comedendo et bibendo, quam durat tristitia, quae est in esuriendo et sitiendo? Sic est de omnibus aliis (cfr. August., VIII. Confess. c. 3. n. 7. seq.; Bernard., de Gratia et lib. arb. c. 5. n. 14. et Serm. 12. de Diversis, n. 3.).

[8] Serm. 4. in Vigilia Nativ. Domini, n. 1, ubi primus locus; secundus habetur Serm. 4. super Ps. *Qui habitat*, n. 2. Cfr. Serm. 5. in Ascensione Domini, n. 8. et 14; de Diligendo Deo, c. 4. n. 11. et Declamationes etc. (inter opera Bernardi) LV. n. 66. seq.

[9] Cfr. supra pag. 44, nota 7. Codd. A C D E F duos praenotatos locos Bernardi omittunt et sequentem assignant *Bernardo*, L omittit *Haec Bernardus. Augustinus*, I omittit *Augustinus*. Cfr. Serm. 9. de verbis Domini in coena (inter opera Bernardi) n. 3. et Serm. 11. n. 7; Serm. in Sap. 7, 30. et 8, 1. (inter opera Bernardi) n. 2.

[10] Supra n. 8. — Inferius pro *Ubi dilectionem* I L *ut dilectionem* (L *dilectationem*).

[11] Ut dicit Bernard. supra c. 1. n. 19. Pro *volutari* Vat. cum pluribus codd. *consolari*. De seq. propositione cfr. Bernard., de Diligendo Deo, c. 7. n. 18. et 21. — Superius post *sperneres* Vat., refragantibus A C D E F L, addit: et discere posses, quam consolationem in tua dilectione affectare non immerito deberes.

[12] Epist. ad Fratres de Monte Dei (inter opera Bernardi), lib. I. c. 8. n. 23. Post *si* A D E F L addunt *ut dictum est*.

adiuncto divini amoris condimento, secundum naturam vivere, si carnalis insania nos permitteret, qua sanata, statim naturalibus natura arrideret ».

11. ANIMA. Et quid est proprie *secundum naturam vivere?*

estio io- eos sol- or.

HOMO. Propriissime secundum naturam vivere est in terris caelestem vitam ducere, « ab exterioribus ad interiora redire, ab inferioribus ad superiora ascendere[1] » et « facere omnia secundum nobilissimum, quod est in homine excellens, hoc est secundum intellectum », ut dicit Philosophus libro decimo Ethicorum[2].

12. ANIMA. Potestne homo in terris et *in hac lacrymarum valle*[3] caelestem vitam ducere?

em, alia aaestio.

HOMO. O anima, si de meis verbis tanquam hominis peccatoris dubitas et miraris, audi Augustinum, audi Apostolum Paulum. Ecce, quid dicit Augustinus[4]: « Cum aeternum aliquid per cognitionem et amorem capimus, mente iam non in hoc mundo sumus ». Unde dicit Apostolus[5]: *Nostra conversatio in caelis est.* Puto, anima mea, quod verius es, « ubi amas, quam ubi animas »; quia « quidquid diligis, ipsa dilectionis vi in eius similitudinem transformaris[6] ». Si ergo caelestia contemplaris, si caelestia diligis, quomodo iam non in caelis commoraris, quae caelestibus spiritibus in vita assimilaris?

§ 3.

De consolatione divina et de dispositione ad eam obtinendam.

13. ANIMA. Heu, heu, iam me infelicem et miseram, miserabiliter multo tempore excaecatam sentio, quae tanto tempore[7] in temporalibus et terrenis rebus oberravi, mundanis vilitatibus me per amorem alligavi, de quibus paucam consolationem, multam vero amaritudinem et desolationem, modicam et valde exilem laetitiam, sed saepe variam et magnam cordis tristitiam sumsi. Dic ergo, quaeso, o homo, quae est caelestis consolatio, et quomodo ad ipsam *in hac valle lacrymarum* et miseriae possim pertingere[8]? Quaestio.

HOMO. O anima, secundum Bernardum[9], « haec consolatio nihil aliud est quam gratia quaedam devotionis procedens de spe veniae et quidam gustus boni, licet exiguus, et suavissima quaedam delectatio, qua benignus Deus afflictam recreat animam, qua anima ad Deum quaerendum invitatur et ad divinum amorem accenditur vehementer ». « O anima, quid, putas, est tam dulce tamque suave, quod in recordatione dilecti devotas animas solet tangere et tam suaviter afficere, ut iam totaliter a se ipsis alienari incipiant? Exhilaratur conscientia, et in oblivionem venit omnium dolorum memoria, exsultat animus, clarescit intellectus, cor illuminatur, affectus iucundatur. Iam nesciunt, ubi se esse conspiciunt, et quasi amplexibus amoris aliquid intus tenent et nesciunt, quid sit, et tamen totis viribus tenere concupiscunt. Luctatur quodam modo delectabiliter animus, ne recedat ab eo, quasi in eo finem omnium desideriorum invenerit ». Haec Hugo[10]. O anima, certe haec est consolatio divina. Quid sit consolatio divina.

14. ANIMA. O homo, quis mihi tribuat, ut haec tam dulcis et inexperta consolatio in cor meum perveniat, ut malorum meorum obliviscar, mundanam consolationem despiciam et a me ipsa feliciter alienari incipiam? Quaestio, quomodo ipsa acquiratur.

---

[1] Auctor libri de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 14.

[2] Cap. 7: Si igitur intellectus divinum quid est, si ad hominem respiciamus, sic vita, quae ex intellectu traducitur, si bumanae comparetur, divina etiam ipsa est. Neque vero oportet, quemadmodum nonnulli monent, unumquemque, cum sit homo, humana, et cum sit mortalis, cogitare mortalia; sed, quatenus licet, immortalem se reddere omniaque efficere, ut ex praestantissimo omnium, quae in ipso sunt, vitam traducat; nam licet id mole sit parvum, vi tamen et pretio omnia longo intervallo excellit.

[3] Psalm. 83, 7.

[4] Libr. IV. de Trin. c. 20. n. 28. Cfr. S. Bonav., I. Sent. d. 15. p. II. dub. 5.

[5] Phil. 3, 20. Quem locum Bernardus, de Praecepto et dispens. c. 20. n. 60, exponens dicit: Neque enim praesentior spiritus noster est ubi animat, quam ubi amat.

[6] Ut insinuat Hug. a S. Vict. supra pag. 30, nota 7. allegatus.

[7] Vat. contra A C D E F L addit *per cognitionem.* Subinde pro *mundanis vilitatibus* (ita C F) D E *mundanis vinculis*, Vat. cum aliis codd. *mundanis et vilibus.*

[8] Vat., refragantibus A C D E F L M, addit: Quid est quod in Deo meo invenio, cum tam libenter et tam faciliter omnia propter ipsum contemno, cum dico intra me ipsum cum gaudio: *Deus cordis mei, Deus pars mea in aeternum* [Ps. 72, 26.]? Quid est, quod in illa brevissima hora in dilecto meo degusto, cum omnia dura et amara et aspera gaudenter et hilariter propter ipsum sustinere totis viribus concupisco et dico: *Mihi adhaerere Deo bonum est* [Ps. 72, 28.]; et: *Quis me separabit a caritate Christi* [Rom. 8, 35.]?

[9] Serm. 1. in festo omnium Sanct. n. 10.

[10] De Arrha animae, in fine (ed. Migne, col. 970). — Auctoritate A C D E F L omisimus quae Vat. hic addit (H I M exhibent tantum primum locum Bernardi): Bernardus [De Contemplando Deo, inter opera Bernardi, c. 9. n. 20.]: « Nonnunquam quasi clausis oculis, bone Iesu, ad te inhianti mittis mihi in os cordis quod non licet mihi scire, quid sit. Saporem quidem sentio, dulcedinem adeo confortantem, quae si perficeretur in me, nihil ultra quaererem ». Nonne hic est iubilus cordis? Gregorius [XXIV. Moral. c. 6. n. 10.]: « Iubilus dicitur ineffabile mentis gaudium, quod non abscondi, non sermonibus aperiri potest. Sed tamen quibusdam motibus aperitur, licet nullis proprietatibus exprimatur. Unde Psalmus [88, 16.]: *Beatus populus, qui scit iubilationem.* Non dicit, qui *loquitur*, sed qui *scit;* quia iubilus quidem sciri potest intellectu, sed dictu seu verbo exprimi non potest ». Bernardus [De Contemplando Deo, inter opera Bernardi, c. 9. n. 20. seq.]: « Istum autem gustum eum accipio, nullo corporis visu, nullo animae sensu, nullo spiritus intellectu advertere me sinis, quid sit; cum accepero et ruminare volo et diiudicare eius saporem, statim transit dulcor eius; deglutio quidem illud, quidquid est, in spe vitae aeternae, sed operationis eius virtutem diu ruminando, omnibus animae venis et medullis quasi vitalem quendam succum optabam infundere, ut ab omnibus aliis

Homo. O anima, magnum est quod desideras, inaestimabile donum est quod exoptas. Unde, ut aestimo, humano studio non potest obtineri, humano merito non potest promereri, sed a Deo humilibus precibus a digne dispositis ex sola divinae pietatis condescendentia vix poterit impetrari. *Omne enim aurum in comparatione illius arena est exigua, et argentum illi comparatum tanquam nihilum reputatur* [1].

Responsio.

15. Anima. O homo, dic, qualis debet esse *dispositio*, qua ordinari debet ad impetrandum orantis affectio?

Quaestio de dispositione.

Homo. De hac materia multum posset dici ab expertis, sed quia inexpertum me recognosco, etiam pauca me dicere erubesco. Unde timeo, ne dicatur contra me: Quare tu enarras quod non degustas? Quare tanquam indignus laudas quod ignoras?

Continuatur responsio.

Anima. O homo, noli timere cum reverentia et humilitate quae audisti et legisti proponere. Multi enim de rebus magnis et arduis aliis utiliter proposuerunt quae non de propria experientia, sed aliorum scientia didicerunt.

Homo. Iam cum aliqua audacia loquar. Nam vires, quas imperitia denegat, caritas subministrat. Unde sicut sentio, sic refero. Puto, salvo meliori iudicio, si vis te ad hanc caelestem dulcedinem degustandam praeparare, debes esse *depurata, exercitata* et *elevata*. In primo haec caelestis dulcedo odoratur, in secundo degustatur, in tertio aliquando usque ad ebrietatem sumitur et potatur.

Triplex praeparatio animae.

Notandum.

16. Primo dico, quod debet esse mens *depurata a peccatis*, ab *affectionibus inordinatis*, a *temporali consolatione* et a *creaturarum inordinata dilectione*, quia, secundum Bernardum [2], « errat omnis, qui illam caelestem dulcedinem huic cineri, divinum illud balsamum huic venenoso gaudio, charismata illa Spiritus sancti huius saeculi illecebris misceri posse arbitratur ». Sed postquam a talibus anima fuerit purgata et depurata, lacrymis purgata, gemitibus dolorosis depurata [3]; tunc odore caelestis dulcedinis anima consolatur et reficitur.

Primo, mens sit quadrupliciter depurata.

Secundo debet mens esse *exercitata in bonorum operatione* et *malorum perpessione*, quia quos amor veritatis afficit bonorum operum exercitatio et malorum perpessio nunquam frangit. « Unde, revera, ut ait beatus Benedictus [4], quamvis in initio *arcta sit via, quae ducit ad vitam*, processu tamen temporis inaestimabilis delectationis dulcedine dilatatur ». O igitur quam beata consolatio, quae divinitus infunditur laborantibus pro Christo!

Item, du[pl]iciter exe[r]citata.

Tertium, in quo anima inebriatur hac dulcedine, est *mentis elevatio*, quando feliciter animus a terrenis abstrahitur et miro quodam modo supra se ipsum, supra mundum, immo super omnem creaturam elevatur, ut iam dicere possit anima: *Introduxit me rex in cellaria sua* [5]. Haec est illa cella vinaria, in quam introducitur anima, ubi bibit de *vino* condito, inaestimabilis Divinitatis dulcedine, et de *lacte* albissimo incontaminabilis humanitatis. O anima, hinc *bibunt amici*, sed *inebriantur carissimi*. O felix ebrietas, quam sequitur mentis et corporis tam casta et sancta sobrietas! Hinc efficitur anima more ebrii gaudens et laetabunda in adversis, fortis et secura in periculis, prudens et discreta in prosperis, liberalis et pia in condonandis iniuriis, et tandem quieta et somnolenta, recumbens in amplexibus divinis,

Item, ele[vata] super om[nia] creata.

---

affectibus desiperet et illud solum saperet; sed festinat transire, et cum de inquisitione vel acceptione eius vel visu formata quaedam lineamenta memoriae gestio arctius impressa committere, vel etiam memoriam labilem scripto iuvare, experimento cogor dicere id evangelicum [Ioan. 3, 8.]: *Nescis, unde veniat aut quo vadat* ». Haec Bernardus.

[1] Sap. 7, 9. Pro *illius* A C D E F L *eius*. — Superius pro *a digne dispositis* A C F *et ad ignem divinum* [D E *ab igne divino*] *dispositis*.

[2] Serm. 5. in Ascensione Domini, n. 13, ubi textus originalis post *balsamum* prosequitur *huic veneno, charismata illa spiritus misceri posse huiusmodi illecebris arbitratur*.

[3] Codd. A I addunt *et candidata fletibus*. Vat. legit: *Sed postquam a talibus anima fuerit purgata lacrymosis gemitibus, depurata et candidata dolorosis fletibus*. Deinde, contradicentibus A C D E F L, prosequitur: quia « dignum est, sicut dicit Augustinus [? potius Gregor., XII. Moral. c. 22. n. 27.], quod mens illa semper in se dolores inveniat, quae, derelicto Creatore, semper in se et in creatura gaudia quaerebat ». Pulcre igitur Gregorius in Moralibus [V. c. 8. n. 14.] super illo verbo Iob [c. 3, 24.]: *Antequam comedam, suspiro*, dicit: « Comedere animae est supernae lucis contemplationibus pasci. Suspirat ergo, antequam comedat, quia qui se in hoc exilio per desideriorum caelestium lamenta non humiliat, aeternae patriae gaudia non degustat. A veritatis enim pabulo ieiuni sunt qui in hac peregrinationis inopia laetantur ».

[4] In Prologo regulae: Sed et si quid paulolum restrictius... processerit [regula], non illico pavore perterritus refugias viam salutis, quae non est nisi angusto initio [Matth. 7, 14.] incipienda; processu vero conversationis et fidei, dilatato corde, inenarrabili dilectionis [ita etiam Vat. cum nonnullis codd.] dulcedine curritur via mandatorum Dei etc. Cfr. Gregor., II. Homil. in Ezech. homil. 5. n. 13, qui etiam XX. Moral. c. 33. n. 65. ait: Nulla adversitas deiicit quem prosperitas nulla corrumpit. Qui enim veritati inhaeret vanitati nullo modo succumbit. — Propositio, quam cum L tribuimus Benedicto, D E tribuunt Gregorio. — Superius post *malorum perpessione* Vat., refragantibus A C D E L, prosequitur: *Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* [Matth. 5, 5.]. Quia quos amor veritatis afficit refectio consolationis pascit. Bernardus [Serm. 2. in Cant. n. 3.]: « O bone Iesu, quoties post innumerabiles lacrymas et gemitus sauciatam animam meam unxisti unctione misericordiae tuae, et nonnunquam paene desperantem excepisti, consolatam et de venia praesumentem dereliquisti [cfr. supra pag. 42, nota 2.] »? Ecce, quomodo pretium rerum honestarum in ipsis est. Unde revera etc.

[5] Cant. 2, 4; ibid. 5, 1: Bibi vinum meum cum lacte meo, comedite amici, et bibite et inebriamini carissimi. Ibid. 8, 2: Dabo tibi poculum ex vino condito. Cfr. August., Enarrat. in Ps. 30. enarrat. 2. n. 9. et in Ps. 130. n. 9, ubi humanitas Christi *lac* dicitur; Bernard., de Diligendo Deo, c. 11. n. 31-33, ubi haec applicat ad Sanctos, quibus « hinc sobria illa ebrietas » evenit. — Superius pro *elevatur* A C D F *sublevatur*.

cum *laeva* Sponsi sponsam sub capite amicabiliter sustentat, et *dextera* Dilecti dilectam familiariter amplexatur [1].

17. Anima. O homo, confiteor cum humilitate et reverentia, quod accidit mihi aliquando, licet heu, perraro, quod cum magna violentia circa conversionis meae primordia animum a terrenis abstraxi et ad caelestia contemplanda cum conatu nimio elevavi. Intravi cum tremore, circumspexi cum rubore, vidi choros Angelorum, palatia et gaudia Patriarcharum et Prophetarum, Apostolorum aspexi tabernacula, convivia Martyrum, solatia Confessorum et Virginum, et eleemosynam alicuius consolationis a singulis petii, micas decidentes de mensa dominorum desideravi nec obtinui [2]. Sed quod auditu lamentabile est, mox ab omnibus ut peregrina et incognita repulsa fui. Quid ergo profuit mihi laboriosa mentis elevatio, quam nulla secuta fuit consolatio?

Confessio animae.

Homo. O anima, non fuit sine causa repulsio tam desolatoria. Puto, quod haec fuit causa, quia voluisti esse socia consolationis, antequam fuisses socia passionis [3]; voluisti esse particeps remunerationis, antequam fieres imitatrix virtutum. Satage igitur primo esse socia Angelorum per puritatem et innocentiam, Patriarcharum et Prophetarum per humilitatem et fidei confidentiam; stude esse filia Apostolorum et Martyrum per caritatem et patientiam, Confessorum et Virginum per pietatem et continentiam; et tunc audacter in hoc exsilio saltem cum filio prodigo pii Patris eleemosynam obtinebis [4].

Causa derelictionis.

18. Anima. O homo, iam quam vana et insipida sint omnia transitoria, agnosco et perpendo et ob hoc mundum despicio, consolationem saeculi vilipendo, gaudia humana sicut venena mortifera fugio et contemno; vitam praeteritam quasi mortuam plango, mentem meam miseram gemitibus et fletibus abluo et repurgo, et si aliquando inter lacrymas et gemitus *odorem* divinae suavitatis vel modicum sentio, adhuc tamen filiorum panem vinumque amicorum infelix, ieiuna et sitibunda non *degusto*. Bernardus [5]: « Non accessit adhuc, Domine Deus meus, cor meum ad *multitudinem dulcedinis tuae, quam abscondisti timentibus te*. Foris enim eius odore utcumque sustentor, quod est mihi super odorem balsami cunctique generis suavia odoramenta ». O Domine Deus, si tam nobilis est *odor*, quam dulcis est tuae dulcedinis *sapor!* Si tantae virtutis est modica degustatio, quantum iucunditatis habet felix inebriatio! « O quis mihi det, ut venias in cor meum et inebries illud, et unum bonum amplectar, te Deus meus »? Haec Augustinus [6].

Confessio animae.

Desiderium praeter odorem Divinitatis habendi gustum eius.

Homo. O anima devota, loquar salva reverentia; nimis es avara et utinam non praesumtuosa. Vires tuas perpende, merita considera, virtutes discute; et tunc, si placet, sufficiat tibi magis in *odore* divinorum *unguentorum cum adolescentulis* humiliter *currere* [7], quam praesumtuose super merita postulare.

Redarguitur anima.

19. Anima. O homo, quam durus et onerosus es aliquando mihi miserae consolator, quam parcus, si fas est dicere, divinae bonitatis dispensator! Audacter dico, tacere non valeo, mihi *odor* non sufficit, modicus *gustus* plene non reficit, sed afficit, *ebrietatem* affectus meus appetit et requirit. Scio namque, qui dicit [8]: *Bibite amici, et inebriamini carissimi;* si deprimit indignitas petentis, spem tamen erigit pietas promittentis. O homo, quomodo dubitare valeo, quin paratus sit dare bona sua qui pro me non dedignatus est pati mala mea? An ignoras, qui multos de Dei pietate docuisti, quod de beato Augustino [9] didicisti: « Erubescat humana pigritia; plus enim vult Deus dare, quam audeat homo postulare »? Idem de Vera Religione [10]: « *Deus dedit nobis pignus spiritus*, in quo sentiamus eius dulcedinem et degustemus fontem vitae, in quo sobria ebrietate irrigemur *tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum* ». Chrysostomus [11]: « Nil omnipotentiam Dei clariorem reddit, quam quod omnipotentes facit eos qui in se sperant. Nam Deo per spem innixum animum nulla fraus, nulla illecebra poterit vel stantem deiicere vel dominantem superare ». Erubescat iam nunc humana desperatio, et maledicta sit pusillanimitatis trepidatio, quae *divitem* et nimis liberalem *in omnes, qui invocant illum* [12],

Anima ulterius anhelat ad ebrietatem spiritualem.

Exaltatur liberalitas Dei.

---

[1] Cant. 2, 6: Laeva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Cfr. Bernard., de Diligendo Deo, c. 3. n. 10. et c. 4. n. 12. seq.; Serm. 51. in Cant. n. 5. seqq.

[2] Respicitur Matth. 15, 27: Nam et catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum.

[3] Epist. II. Cor. 1, 7: Scientes, quod sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis.

[4] Cfr. Luc. 15, 22. seqq.

[5] Potius *Anselmus*, Meditat. 13. Allegatur Ps. 30, 20.

[6] Libr. I. Confess. c. 5. n. 5. A C D L post *inebries* habent *per illud vinum bonum, et amplectar;* Vat. *illud vino tuo, et amplectar;* eadem cum pluribus codd. omittit *Haec Augustinus*, et paulo inferius post *Homo* ponit *Secundum Augustinum, o anima devota* etc.

[7] Respicitur Cant. 1, 2. seq. Cfr. Bernard., Serm. 31. in Cant. n. 7, ubi etiam *in odore*, Vulgata *in odorem.*

[8] Cant. 5, 1; cfr. supra pag. 50, nota 5. Post *amici* A E addunt *mei.* — Superius pro *tacere* C *latere.*

[9] Serm. 105. (alias 29. de Verbis Domini) c. 1. n. 1. Cfr. de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 6. in fine. — A C D E F I L *quod a beato Augustino legisti* [F L *audisti*]. Superius pro *bona sua* C E I L *dona sua*, D *bona dona sua.*

[10] Cfr. c. 12. n. 24. seq. Verbotenus habetur in libro de Agone christiano, c. 9. n. 10. Allegantur II. Cor. 5, 5. (Pro *pignus spiritus* ed. Augustini *pignus Spiritum*) et Ps. 1, 3. Pro *degustemus fontem vitae* textus originalis *desideremus ipsum vitae fontem* (cfr. Ps. 35, 10.).

[11] Cod. G *Isidorus.* Sententiam hanc exhibet *Bernardus*, Serm. 85. in Cant. n. 5. Textus originalis post *qui in se sperant* plura addit, et pro *superare* substituit *subiicere.*

[12] Rom. 10, 12. — Subinde allegatur Iac. 1, 17.

aestimat illis qui spem perfectam ponunt in illum, sua posse beneficia denegare. Nunquid non Pater aeternus, *apud quem nulla est transmutatio*, ex sola liberalitatis immensitate Filium suum misit, in quo dedit totum, quod habuit, totum, quod potuit, totum, quod ipse fuit? Si enim sua liberalitas suam infinitam bonitatem diminueret, forsan non immerito nostra infirmitas trepidaret. Sed quia « ex se ipso, non ex accidenti dono bonus est [1] », ex suae bonitatis communicatione non diminuitur, ex alienae bonitatis additione non augetur.

Sanum consilium.

20. Homo. Anima, magna est fides tua, valde fortis es in spe et confidentia. Et quamvis spes, quae procedit ex meritis propriis et divinae clementiae confidentia, meritoria sit, laudabilis [2] et sancta; consulo tamen sane, antequam ad quaerendam *ebrietatem* supra te ascendas, prius per considerationem salubriter infra te descendas, ut discas tuum Sponsum reverenter timere, antequam incipias suum secretum cubiculum introire; quem non solum timere debes, cum irascitur, verum etiam, cum suavissime blanditur.

Capitulum III.

Quomodo anima per mentale exercitium debeat radium contemplationis convertere ad inferiora, ut intelligat humanae mortis inevitabilem necessitatem, iudicii finalis formidabilem aequitatem, poenae infernalis intolerabilem asperitatem.

Anima quaerit responsum breve.

1. Anima. Dic quaeso, o homo, breviter, quae sint illa *inferiora*, ad quae mea consideratio est convertenda? Ascendere festino, ebrietatem divinae consolationis quaero, in inferioribus diu morari non valeo. Iam introire *dilecta tabernacula Domini* [3] desidero, habitare in atriis Domini totis visceribus concupisco.

Responsio generalis.

Homo. O anima, haec inferiora sunt, ut te convertas [4] et *videas mortis inevitabilem necessitatem* et *ingemiscas, divini iudicii ineffabilem aequitatem* et *contremiscas, poenarum infernalium intolerabilem asperitatem* et *expavescas*.

§ 1.

Primo, de mortis inevitabili necessitate.

De morte tria consideranda.

2. Considera igitur frequenter, volve et revolve diligenter, quod *mors non potest declinari*, quod *hora mortis non potest investigari*, quod *tempus a Deo praeordinatum non potest immutari*.

Isidorus [5]: « Quid in rebus humanis certius morte, quid hora mortis incertius? Non miseretur inopiae, non reveretur potentiam, non respicit morum aut generis excellentiam, non parcit iuventuti vel aetati, senibus est in ianuis, iuvenibus in insidiis ».

Quaestio, vita temporalis tam diligatur.

Anima. Audio, quod nostrum vivere nihil aliud est, quam ad mortem transire [6]. Cur temporalia diliguntur, quae tam incerto tempore possidentur? « Cur tanto tempore vitam istam desideramus, in qua quanto amplius vivimus, tanto plus peccamus, quanto vita longior, tanto culpa numerosior? Quotidie namque crescunt mala, et subtrahuntur bona ». « Quis enim considerare valeat, quanta mala per momenta temporum perpetramus et quanta bona negligimus? Gravis siquidem culpa est, cum nec bona facimus nec bona cogitamus, sed mentem per inania et inutilia vagari permittimus [7] ».

Responsio.

3. Homo. Gregorius in Moralibus [8]: « Carnales mentes, o anima, idcirco temporalia diligunt, quia vita carnis quam fugitiva sit, minime perpendunt. Nam si velocitatem transitus eius aspicerent, hanc etiam prosperitatem modicum duraturam minime amarent ». Idem [9]: « Vita mea naviganti similis est, sive dormiam sive vigilem, semper vado festinus ad mortem ». « O vita praesens, quam multos decipis! quae, dum fugis, nihil es; dum videris, umbra es; dum exaltaris, fumus es; dulcis es stultis, amara

Vita est b[revis] et fall[ax].

---

[1] Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 14. n. 1: Ecce enim is qui non ex accidenti dono, sed essentialiter bonus est, dicit [Ioan. 10, 11.]: *Ego sum pastor bonus*.

[2] Codd. A C F *merito laudabilis sit*.

[3] Psalm. 83, 2; ibid. v. 3: Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

[4] Cod. C *ad quae te convertere debes, ut scilicet videas* etc.; E *quae te in melius convertant, videas* etc.

[5] Cod. L addit *in Synonymis* [cfr. I. n. 48. seq.]. Verbotenus occurrit apud Bernard., de Conversione ad clericos, c. 8. n. 16, ubi textus originalis post *incertius* addit *invenitur*, et prosequitur: « Non miseratur inopiam, non divitias reveretur, non generi cuiuslibet, non moribus, non ipsi denique parcit aetati, nisi quod senibus quidem in ianuis, adolescentibus autem in insidiis est ». Pro *in ianuis* A C D E F L *in foribus*.

[6] Cfr. August., XIII. de Civ. Dei, c. 10., et Bernard. Serm. 17. in Ps. *Qui habitat*, n. 1.

[7] Bernard., Meditat. etc. c. 2. n. 5. et n. 6. Codd. B H I M hos duos locos omittunt.

[8] Libr. VIII. c. 10. n. 25.

[9] Libr. VII. Epist. epist. 29. ad Andream: Vita enim nostra naviganti est similis; is namque, qui navigat, stet, sedeat, iaceat, vadit, quia impulsu navis ducitur. Ita ergo et nos sumus, qui sive vigilantes, sive dormientes, sive tacentes, sive loquentes... per momenta temporum quotidie ad finem tendimus.

sapientibus; qui te amant non te cognoscunt, qui te fugiunt, ipsi te intelligunt. Aliis te promittis longam, ut decipias, aliis brevem, ut in desperationem inducas [1] ». Auctor de Spiritu et anima: « Iugi meditatione animum nostrum exerceamus et miserias nostras consideremus. Cum dolore vitam istam intravimus, cum labore vivimus, cum timore exituri sumus ». Bernardus [2]: « Quotquot degimus in hac regione umbrae mortis, in infirmitate corporis, in conflictu et in loco tentationis, si diligenter advertimus, triplici incommodo miserabiliter laboramus. Faciles enim sumus ad seducendum, debiles ad resistendum et fragiles ad operandum ».

...firmatur ...anima.

4. Anima. Iam video, quod inutiliter in hoc tempore vivitur, nisi festinetur [3] ad comparandum meritum, quo in aeternitate vivatur; quia, etsi alicui, ut bene vivat, condonetur, tamen, ut diu vivat, certum est, quod nulli conceditur. Bernardus [4]: « O vita secura, ubi conscientia pura; ubi mors sine formidine exspectatur, cum dulcedine adesse optatur et cum devotione acceptatur »!

...um consilium.

Homo. O anima, si haec ita se habere intelligis, audi consilium meum, et « in hac vita, quamdiu durat, compara tibi vitam illam, quae semper durat. Dum vivis in carne, morere mundo, ut post mortem carnis Deo vivere incipias ». Haec Bernardus [5]. Intellige, quod « venientem mortem nullus laetus et hilaris suscipit, nisi qui se ad ipsam, dum viveret, bonis operibus praeparavit ». Attende, quod, secundum Senecam [6], insipiens, id est peccator et criminosus, moriendo mortem incipit, sed sapiens et virtuosus moriendo mortem vincit.

Anima. O homo, video, quod bonorum mors est beata, mors vero peccatorum infelix et misera [7].

...rs bona et mala.

Homo. O anima, secundum Bernardum [8], « bona est iusti mors propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem. Econtra *mors peccatorum pessima,* et bene pessima: mala in mundi amissione, peior in carnis separatione, pessima in duplici vermis et ignis contritione », et quod omnium pessimum est, in divinae contemplationis privatione [9].

§ 2.

Secundo, de iudicii finalis ineffabili aequitate.

5. Anima. Iam satis de morte dixisti; dic modo, de *statu* tamen *finalis iudicii.*

Iudicium describitur.

Homo. O anima, facio quod hortaris, sed rogo, audi cum patientia. Scire debes, quod quamvis de morte meditari sit horribile, de statu *finalis iudicii* cogitare, ut aestimo, non minus est formidabile, quia nullus tunc poterit *fallere* sapientiam, *flectere* iustitiam, *inclinare* clementiam, *declinare* ultionis et iustae retributionis sententiam. Considera igitur, anima mea, cum tremore, quid erit de te in die novissimo, quando contra te de cogitationibus loquetur conscientia [10], quando te de tuis actionibus omnibus accusabunt elementa, quando contra te crux portabitur in testimonium, quando verbera contra te clamabunt, vulnera allegabunt, clavi loquentur, cicatrices conquerentur [11]. « O quanta angustia! hinc erunt peccata accusantia, inde terrens iustitia, intus urens conscientia, subtus horrendum chaos inferni, supra Iudex iratus iusti iudicii, foris mundus ardens, intus iustitia iudicantis terrens. *Et si iustus vix tunc salvabitur, impius et peccator ubi parebunt?* In quam partem se prement? Latere erit impossibile, apparere intolerabile ». Haec Bernardus [12].

Peccatoris errores manifestantur.

— Anselmus in Meditationibus: « O anima peccatrix, lignum inutile et aridum, aeternis ignibus deputatum, quid respondebis in illa die, quando exigetur a te usque ad ictum oculi omne tempus tibi impensum, qualiter sit a te expensum »? Eia tunc, anima mea, quid tunc erit de cogitationibus vanis et otiosis, de verbis levibus, iocosis et ridiculosis, de operibus inutilibus et infructuosis? Ambrosius super Lucam [13]: « Vae mihi, si peccata mea non deflevero; vae mihi,

---

[1] Ita Auctor Sermonum ad Fratres in eremo (inter opera August.), serm. 49. Pro *exaltaris* textus originalis *exaltas.* — Sequitur Auctor de Spiritu et anima (inter opera August)., c. 49.

[2] Serm. 7. de Adventu Domini, n. 4. In fine textus originalis legit: *Nam et faciles sumus ad seducendum et debiles ad operandum et fragiles ad resistendum.* Codd. A C E F L hunc locum Bernardi omittunt.

[3] Codd. A B C F L omittunt *festinetur.* Inferius post *vivatur* Vat. contra codd. A C D E F L addit: *ideo non esset curandum, quamdiu esset vivendum, sed potius, quam bene in hac vita operandum.* Subinde pro *diu vivat* L *semper vivat.*

[4] De Laude novae militiae, c. 1. n. 2.

[5] Epist. 105. Vat. cum codd. ponit tantum *Bernardus,* referens ad propositionem sequentem, quae tamen non est Bernardi, sed *Senecae,* Epist. 30. § 14: « Venit aliquis ad mortem iratus morti; venientem nemo hilaris excipit, nisi qui se ad illam diu composuerat ». — Non abs re erit, annotare quae tum cod. bibliothecae regiae Berolinensis, lat. theol. in fol. 225. tum cod. 1128. Helm. bibliothecae Wolfenbüttel, fol. 1. recto, referunt, scilicet, quod auctor huius opusculi ponit nomina « Sanctorum Augustini, Ambrosii... et aliorum, ita quod quandoque Augustinus simul et ceteri praeponuntur et postponuntur quandoque originalibus suis; unde de hoc sis cautus ».

[6] Apud Senecam hunc locum non invenimus; cfr. Epist. 13. § 15. seq.; Epist. 23. § 8; Epist. 30. § 6. seqq. et Epist. 70. § 3. seq., ubi eos insipientes vocat, qui in morte vivere incipere volunt.

[7] Cfr. Ps. 115, 15. et 33, 22.

[8] Epist. 105. Allegatur Ps. 33, 22. et in fine respicitur Ier. 17, 18: Duplici contritione contere eos. Cfr. Isai. 66, 24.

[9] Vide infra n. 9.

[10] Cfr. Rom. 2, 15. seq.

[11] Vide August., Serm. 249. in Appendice (alias 67. de Tempore) n. 4. — Propositioni *Considera igitur* etc. Vat. praefigit *Bernardus,* quae tamen quoad posteriorem partem (de testimonio crucis etc.) ab aliis *Chrysostomo* tribuitur; cfr. A. Spanner, Polyanthea sacra, § 8. de *Iudicio extremo.*

[12] Tract. de interiori domo (inter opera Bernardi), c. 22. n. 46. Idem dicit Anselm., Meditat. 2. Allegatur I. Petr. 4, 18. — Seq. sententia est Anselmi, Meditat. 2.

[13] Libr. II. in Luc. 3, 9. n. 76. Allegantur Ps. 118, 62. (pro *ad confitendum tibi* C D E F I L *ad confitendum nomini*

si non *media nocte ad confitendum tibi* surrexero! *Iam ad radicem securis posita est*, faciat fructum qui potest gratiae, qui debet poenitentiae ». — O anima, « sive vigiles, sive dormias, semper in auribus tuis illa horribilis tuba resonet: *Surgite mortui, venite ad iudicium*[1] ». O anima, nunquam excidat a tua memoria: *Ite, maledicti, in ignem aeternum; venite, benedicti, percipite regnum*[2]. O quid potest lamentabilius et terribilius cogitari quam: *Ite?* Quid delectabilius exprimi quam: *Venite?* Duae voces, quarum una nihil horribilius, et altera nihil iucundius poterit audiri. O anima, separa te modo a mundo, ut tunc possis manere cum Christo. Fuge modo mundum, ut tunc sequaris Deum. Declina modo pravorum societates et consortia, ut tunc valeas sequi Beatorum agmina.

Exhortatio.

§ 3.

Tertio, de poenarum infernalium intolerabili asperitate.

6. Post haec omnia converte radium contemplationis ad reproborum tormenta; vide, quam sint varia, quam aspera, quam horribilia, quam intolerabilia. Bernardus ad Eugenium[3]: « Ego horreo vermem mordacem et mortem vivacem ». « O gehennalis regio! quam fugienda es, ubi est ignis ardens, frigus rigens, vermis immortalis, foetor intolerabilis, mallei percutientes, tenebrae palpabiles, confusio peccatorum, innodatio vinculorum, horribiles facies daemonum ». Augustinus[4]: « Vae illis! quibus praeparabitur dolor vermium, ardor flammarum, sitis sine potu, fletus et stridor dentium, lacrymae oculorum, ubi mors optatur, sed non dabitur », *ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* « Quis, putas, tunc erit moeror, quae tristitia, quis luctus? quando separabuntur iniqui a consortio iustorum et tradentur potestati daemonum *et ibunt* cum eis *in supplicium aeternum;* ibique semper erunt sine fine in luctu et gemitu, procul a gaudiis paradisi, nunquam refrigerium suscepturi, sed per multa millia annorum cruciandi, nunquam tamen, heu miseri, liberandi. Ibi torquens et puniens non fatigabitur, ibi qui torquetur nunquam morietur. Sic enim ignis ille consumit, ut vitam tamen semper servet; sic vetera tormenta patientur, ut semper innoventur; sic sine spe veniae et misericordiae semper vivent, ut tamen semper moriantur; sic morientur, ut tamen nunquam consumantur[5] ».

Tormenta ignis et vermis.

7. Anima. O homo, quare in inferno, ut dicis, mors quaeritur et non invenitur? Et quare punitur aeternaliter quod committitur temporaliter?

Quaestiones duae incidentes.

Homo. « Quia quibus in hoc saeculo vita offertur et nolunt accipere, in inferno quaerent mortem et non poterunt invenire[6] ». Unde Gregorius: « Iniqui libenter voluissent sine fine vivere, ut potuissent sine fine in iniquitatibus permanere. Ad districti ergo iudicis iustitiam pertinet, ut nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato ».

Responsiones.

8. Anima. « O mors, quam dulcis esses quibus tam amara fuisti! Te solum desiderant qui te tam vehementer abhorrebant[7] ». « O pie Iesu! propter nomen tuum fac mecum misericordiam; obliviscere superbum provocantem, respice miserum humiliter invocantem; recognosce benignissime quod est tuum, absterge quod est alienum. Miserere, Domine, dum tempus miserendi est, ne damnes in tempore iudicandi ». « Verum quidem est, quod conscientia mea meruit damnationem, poenitentia mea non sufficit ad satisfactionem; sed tamen certum est, quod tua misericordia superat omnem offensionem ». Haec Anselmus in Meditationibus[8]. « O si Deus sic egit cum angelo superbiente, quid de me fiet terra et cinere? Ille superbivit in caelesti palatio, ego in sterquilinio. Quis non tolerabiliorem in divite superbiam quam in paupere asserit? Vae mihi! si tam dure in divite et potente punita est superbia, quamvis semper superbia divitibus et potentibus sit cognata, qualiter in me misera et paupercula erit iudicanda[9] »?

Supplicatio ad Iesum.

---

tuo) et Luc. 3, 9. — Superius post *infructuosis* L addit: unde quidam sapiens [cfr. tom. VII. pag. 404, nota 12. verba Bernardi] ait: Omne tempus tibi impensum requiret Deus, qualiter sit impensum, nec peribit momentum sicut nec capillus de capite [Luc. 21, 18.].

[1] Hieron., Epist. 66. (alias 26.) n. 10: Sive legas, sive scribas, sive vigiles, sive dormias, Amos tibi semper buccina in auribus sonet. Cfr. Regul. Monachor. (inter opera Hieron.) c. 23. Regula Monachar. (inter opera Hieron.) c. 30: Semper tuba illa terribilis vestris perstrepat auribus: Surgite mortui, venite ad iudicium.

[2] Matth. 25, 41. et 34. Cfr. Caesar., episc. Arelatensis, Homil. 14.

[3] Libr. V. de Considerat. c. 12. n. 25. Subinde allegatur Serm. 42. de Diversis, n. 6.

[4] Libr. de Salutaribus Documentis (inter opera August.) c. 49. — Sequitur Iob 10, 22.

[5] Bernard., Meditat. etc. c. 3. n. 10. Allegatur Matth. 25, 46. Codd. H I M hunc locum omittunt; L vero addit: Quia, sicut dicit Gregorius [IX. Moral. c. 66. n. 100.], ibi mors semper vivit, finis semper incipit, et defectus deficere nescit.

[6] August., Serm. 229. in Appendice (alias 252. de Tempore) n. 4. Haec sententia a Vat. et pluribus codd. tribuitur *Gregorio;* M secuti, posuimus *Unde Gregorius*, IV. Dialog. c. 44, pro seq. sententia.

[7] Lib. IV. Sent. d. 50. p. I. a. 1. q. 2. fundam. 2. haec sententia tribuitur *Augustino in libro de Miseria huius mundi* (cfr. ibi nota adiecta, in qua observavimus, quod Innocent. III. in libro III. de Contemptu mundi etc., c. 9. hanc propositionem exhibet); Vat. allegat *Hieronymum.*

[8] Meditat. 2. in fine et 3. in fine. Vat. addit: Augustinus in Meditationibus [c. 39.]: Noli, Domine, sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum. O bone Domine! si ego admisi, unde me damnare potes, tu non amisisti, unde salvare soles. — Notamus, quod Vat. cum B auctoritates Patrum in n. 8. et 9. exhibet alio ordine; secuti sumus codd. A C D E F L; H I M plura omittunt.

[9] Bernard., Serm. 54. in Cant. n. 8.

'oena amni.

9. Homo. O anima, si haec praedicta videntur tibi terribilia, audi, quae sunt his omnibus graviora. Chrysostomus super Matthaeum [1]: « Si mille gehennas mihi proponas, non tantum reputo, sicut ab illius gloriosae societatis iucunditate expelli et exosum fieri Creatori ». O anima, terribilis est gehenna, sed terribilior facies Iudicis irata; sed quod omnium vincit terrorem est a beatissimae et iucundissimae Trinitatis contemplatione elongatio aeterna. Chrysostomus [2]: « Excludi a bonis aeternis et alienum effici ab his *quae praeparavit Deus diligentibus se,* tantum generat cruciatum, ut, si exterius nulla poena torqueret, haec sola sufficeret, et melius esset mille millia flammarum sustinere, quam Christi faciem mansuetissimam iratam videre et ab ipsa aeternaliter discedere ». Gregorius in Homilia [3]: « O si homo intelligere posset, quid admirationis habet: *Ecce sponsus venit!* quid dulcedinis: *Quae paratae erant intraverunt cum eo ad nuptias!* quid amaritudinis: *Et clausa est ianua* »! O anima, quid plura? « Cogita, quantum malum sit a facie Christi separari, ab illo gaudio divinae contemplationis excludi, beatissima Sanctorum omnium societate privari, mori vitae aeternae et vivere morti sempiternae, profundo fluctuantis gehennae immergi, edacissimis vermibus in aeternum dilaniari, nec finiri tribulationes, incendii fluctuantis strepitus pati, barathri fumantis amara caligine oculos obcaecari, non sentire quod illuminat, sed sentire quod cruciat »! Haec Prosper in Vita contemplativa [4].

estio de tu huius itationis.

10. Anima. Iam timore contremisco, iam horrore deficio; dic quaeso, o homo, ad quid valet tam lamentabilis meditatio?

sponsio.

Homo. O anima, puto, quod praedictorum continua et devota meditatio est peccatorum medela et ad quaeque bona agenda et mala sustinenda salutifera excitatio. Bernardus in epistola quadam [5]: « Vigilias times manuumque laborem; sed levia sunt haec meditanti flammas perpetuas. Recordatio tenebrarum facit non horrere solitudinem; si futuram de verbis otiosis cogitas discussionem, non displicebit silentium; fletus ille et stridor dentium ante oculos mentis saepe reducti pares tibi reddunt mattam et culcitram ». Augustinus in quodam sermone [6]: « Mens humana mundi huius illecebris et concupiscentiis devicta, fugit laborem, expetit voluptatem et vix ad hoc ducitur, ut a se consuetudinem vitae prioris excludat. Sed cum coeperit cogitare futuri iudicii necessitatem et poenarum aeternalium crudelitatem, voluntarium bellum indicit passionibus; mota vel spe praemii vel timore supplicii, vim facit pristinis desideriis et violenter se ipsam vincere contendit ». Haec Augustinus [7].

Rogator, ut ad consolationem proponatur felicitas aeterna.

11. Anima. Iam nunc, o homo, me miseram *in hac lacrymarum valle* [8] commorantem satis terruisti, licet non infructuose docuisti. Miserere etiam nunc mihi miserae et fac mecum, sicut iam dudum promisisti. Propone paululum de felicitate perpetua, si forte valeam ex hoc capere aliqua mentis solatia, quia alternis uti delectabile est, « quia, secundum Augustinum [9], sive plectendo sive ignoscendo sive deterrendo sive consolando semper bene agitur, ut vita hominum corrigatur ». Seneca [10]: « Generosus est animus hominis et in potestatem recalcitrans facilius ducitur quam trahatur ». Attende ergo, homo, quam generosus est animus hominis; saepe enim facilius ducitur lenibus et blandis quam terribilibus et adversis; saepe magis allicitur promissis consolatoriis quam cogatur minis et terroribus. Unde *soror nostra sponsa* trahi cupiebat odore caelestium unguentorum [11], sapore divinorum charismatum, et sic cum Sponso currere et viam mandatorum iam non ex timore, sed amore delectabiliter adimplere.

Ratio notanda.

Necessitas timoris.

12. Homo. O anima, vera esse profiteor, quae loqueris; sed heu, multi sunt, qui Deum nolunt imitari in prosperis; unde necesse est, eos deterreri [12]

---

[1] Homil. 23. (alias 24.) n. 8.

[2] Homil. 23. (alias 24.) n. 7: « Videturque una tantum poena esse, nempe combustio; si vero quis haec accurate exploret, duplex hic supplicium est. Nam qui comburitur a regno excidit omnino; haec vero poena maior est. Novi certe, multos ex gehennae tantum nomine horrere, ego tamen multo graviorem esse poenam duco a gloria illa excidere, quam gehennam subire ». Ibid. n. 8: Melius est mille fulminibus obrui, quam vultum illum mansuetum videre nos aversantem, et placidum oculum nos aspicere non sustinentem. Cfr. ibid. Homil. 78. (alias 79.) in 25, 12. n. 2; Homil. 3. in Epist. ad Eph. n. 3. et Homil. 13. in Epist. ad Phil. n. 4. Respicitur I. Cor. 2, 9: Quod oculus non vidit... quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum. Cfr. Iac. 1, 12. et 2, 5.

[3] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 12. n. 4: *O si sapere in cordis palato possit* [ita etiam L, qui tamen ponit *posses*], quid etc. Allegantur Matth. 25, 6. et 10.

[4] Libr. III. c. 12. n. 3. (inter opera Prosperi; est Iuliani Pomerii). — Vat. cum paucis codd. addit: Augustinus [Innocent. III., de Contemptu mundi etc. lib. III. c. 7; cfr. supra pag. 54, nota 7.]: Tanta erit in inferno vis doloris, ut se non ferat alias intentio cogitationis.

[5] Epist. 1. n. 12. Respicitur Matth. 12, 36: Reddent rationem de eo [verbo otioso] in die iudicii. Ultima propositio *fletus ille* etc., omittitur a pluribus codd.

[6] Serm. 196. in Appendice (alias 20. de Sanctis et post in Appendice 76.) n. 6.

[7] Vat. cum paucis codd. addit: Unde versus:

O felix mortale genus, si semper haberet
Aeternum prae mente bonum finemque timeret.

His versibus Vat. et antiquiores edd. finem imponunt cap. tertio, cui tamen auctoritate plurium codd., et materia sermonis suffragante, n. 11-14. subneximus.

[8] Psalm. 83, 7.

[9] Epist. 153. (alias 54.) c. 6. n. 19: Quia et plectendo et ignoscendo hoc solum bene agitur, ut vita hominum corrigatur.

[10] Libr. I. de Clementia, c. 24; cfr. tom. VII. pag. 114, nota 5. Vat. cum nonnullis codd. hunc loc. omittit.

[11] Cant. 1, 3: Trahe me, post te curremus in odorem unguentorum tuorum (cfr. Bernard., Serm. 21. in Cant. n. 4. seqq.). Ps. 118, 32: Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.

[12] Nonnulli codd. *necesse habet* [I *habeo*], *eos deterrere*.

adversis. Multi etiam sunt, qui divina charismata vel propter caecitatem non intelligunt, vel propter negligentiam vanis occupationibus perdunt. Unde, ut aestimo, Deus ex suae infinitae bonitatis immensitate semper paratus esset magis consolationibus fovere, quam asperitatibus deterrere, si homines aeque dispositi essent, ut suam divinam consolationem reciperent; quae adeo pretiosa et delicata est, quod nullo modo decet vel expedit, ut indifferenter omnibus tribuatur. — Tu ergo, si post haec tibi proposita ad hanc aspiras, vide, quod habeas purgatum intellectum et bene dispositum affectum; quia, secundum Augustinum [1], « summum bonum non nisi purgatissimis mentibus cernitur »; et puto, quod multo minus non nisi valde bene dispositis affectibus degustetur. A multis enim in hac vita valde limpide speculatur, a quibus tamen minime degustatur. Augustinus [2]: « Fac me, Domine, precor, gustare per affectum quod sentio per intellectum; fac me sentire per amorem quod sentio per agnitionem ».

Hortatio.

13. Anima. Dic, quaeso, o homo, quae dispositio debet in affectu et intellectu praecedere, ut vel saltem ad modicam mentis ebrietatem valeam caelestem dulcedinem contemplando degustare? Iam enim dudum in speculatione mentem exercitavi, et heu, adhuc nunquam, ut timeo, vel modicam stillam illius caelestis dulcedinis sensi. Multa de Sanctorum vita et conversatione legi, multa de natura, de operationibus [3] et ordinibus Angelorum, nonnulla etiam legi de ineffabilis Divinitatis unitate, de incomprehensibili Divinitatis Trinitate, quam plura de Beatorum omnium inaestimabili felicitate; et quando praedictis totam mentem occupavi, heu, adhuc ieiuna et famelica permansi et cum beato Augustino [4] semper clamavi: « Fac me, clementissime Pater, gustare per affectum quod sentio per intellectum », et tamen non profeci. Saepius etiam longo studio fatigata et mihimetipsi irata clamavi cum Propheta: *Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem; usquequo avertis faciem tuam a me?* quia, etsi me indignam ad manducandum filiorum panem iudicavi, micas saltem minutissimas decidentes cum magno desiderio exspectavi; sed heu, ut frequentius aperto ore inhians *in vacuum laboravi* [5]!

Quaestio, quare protrahatur exauditio orationum.

14. Homo. O anima, praedicta, quae lamentabiliter es conquesta, accidunt ex duplici causa: aliquando ex valde pia et salutifera divinae bonitatis dispensatione; unde Gregorius in Moralibus [6]: « Differre solet Pater piissimus voces petentium ad tempus, ut desideria crescant et eo magis exaudiantur ad meritum, quo citius non exaudiuntur ad votum ». Idem in Homilia [7]: « Sancta desideria dilatione crescunt; si autem dilatione deficiunt, desideria non fuerunt ». Deus enim, quamvis per pietatem sit clementissimus, tamen aliquando contingit, quod hoc quod libentissime tribuit, protrahit, ut tu discas magna multum et ardenter desiderare et adepta sollicitius cum gratiarum actione conservare. — Aliquando autem beneficium protrahit ex postulantis inordinata dispositione. Bernardus [8]: « Errat omnino, si quis illam caelestem dulcedinem huic cineri, divinum illud balsamum huic venenoso gaudio, charismata illa Spiritus sancti huius saeculi illecebris misceri arbitratur ».

Duplex [...] afferti[...] Prima.

Secunda

Capitulum IV.

Quomodo anima per mentale exercitium debeat radium contemplationis reflectere ad superiora, ut videat duodecim gaudia caeli orta ex contemplatione vel inferiorum, vel exteriorum, vel interiorum, vel superiorum.

§ I.

De gaudio caelesti in genere.

1. Homo. Sed iam, o anima, ne diutius te protraham nec amplius te per exspectationem affligam; purga *intellectum* a vanis et inutilibus phantasmatibus, a naturalibus et curiosis rationibus, ab extraneis et scientificis occupationibus. Purga etiam *affectum* a culpa, a culpae sequela, a culpae occasione vel causa. Erige rationem, dilata et expande affectionem et *intra in gaudium Domini* [9], *quod nec oculus*

Repetitio.

---

[1] Libr. I. de Trin. c. 2. n. 4. Cfr. I. Sent. lit. Magistri, d. II. c. 1, et ibid. Comment. dub. 1.

[2] De Contritione cordis (inter opera August.), c. 2. Idem dicit Anselm., Meditat. 11. in fine; cfr. supra pag. 35, nota 6.

[3] Codd. A C E *operibus*.

[4] Vide supra notam 2. — Sequitur Ps. 12, 1, cui Vat., refragantibus A C D F L, praemittit *exspectando micas, quae cadunt de mensa dominorum in aula caelica*.

[5] Isai. 49, 4. Pro *vacuum* A E L *vanum*.

[6] Libr. XX. c. 31. n. 61.

[7] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 25. n. 2.

[8] Serm. 5. in Ascensione Domini, n. 13. Pro *venenoso gaudio* A C D E F L *venenoso coeno*, I cum textu originali *veneno*; cfr. supra pag. 50, nota 2. Post hunc locum capitulum tertium finiunt A C I L, quos sumus secuti; cfr. supra pag. 55, nota 7. in fine. Cod. M adiungit: Unde Gregorius [cfr. XVIII. Moral. c. 41. n. 66. et supra c. 2. n. 1. et n. 8. in fine]: « Quanto plus homo in istis terrenis delectatur, tanto magis a caelesti amicitia et societate disiungitur et elongatur ». Non enim hic ventrem et ibi mentem quis poterit implere.

[9] Matth. 25, 21, post quem I. Cor. 2, 9. Cfr. I. Sent. d. 2. dub. 1.

in hac vita perfecte *vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* « Exardesce igitur, o anima mea, amore et desiderio supernae vitae Sanctorum, ubi est actio non operosa, requies non desidiosa, ubi vita sine defectione, laus divina sine cessatione ». Haec Augustinus [1]. Gaude igitur et exsulta ac mercedem laboris tui considera, quae re vera est tam multa, quod non potest numerari, tam magna, quod non potest mensurari, tam pretiosa, quod non potest aestimari, tam copiosa, quod non potest terminari.

estio de : gaudio specie.

2. Anima. O homo, iam multa dixisti in genere; dic modo quaeso, singula in specie, quia magis intelligimus quae in specie dicuntur, quam quae generaliter exprimuntur.

udiom a uor pars.

aefigura- in Apo- psi.

Homo. O anima, quid dicere valeo? Cum futurum gaudium aspicio, iam pene prae admiratione deficio, quia [2] « gaudium erit *intus* et *extra, subtus* et *supra,* circumcirca ». Gaudebis enim in omnibus, gaudebis de omnibus. Gaudium tuum, ut puto, praefiguratum fuit in Apocalypsi [3] per illam mulierem beatam, quae *amicta fuit sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim.* Mulier ista, ut aestimo, est anima beata, aeterni Regis *filia, sponsa* et *regina: filia* per naturae creationem, *sponsa* per gratiae adoptionem, *regina* per gloriae collationem [4]. Haec bene dicitur *amicta sole,* quia decorata splendore claritatis deificae, *coronata* dignitate felicitatis aeternae; in qua felicitate ob specialem decorem sunt duodecim gaudia, per *duodecim stellas praefigurata,* per quae decoratur et ornatur felicitas superna.

na stel- am duo- im.

hortatio aec gau- contem- da.

3. Haec gaudia debes tu, o anima, quotidie devota mente transcurrere et nullam praesentis miseriae et incolatus consolationem quaerere et spe illius gaudii omnem tribulationem vitae praesentis aequanimiter et gaudenter sustinere. « O anima, non turberis, si mali in hoc mundo florent, et tu pateris, ipsi gaudent, et tu perturbaris. Mali heu, nullum locum habent in caelesti gaudio; nec cures tu, si nihil habueris in praesenti saeculo, sed spe illius gaudii, quo tendis, quidquid in via adversitatis occurrit, affectus tuus gaudenter et patienter sustineat ». Haec Beda [5]. O anima, « si te aliquando delectant mundana gaudia, falsa huius saeculi gloria, brevis et caduca potentia; illic mentem evoca et omnia refutabis ut stercora ». Haec Hieronymus in epistola [6]. « Curre igitur, o anima, non passibus corporis, sed affectibus et desideriis; quoniam non solum Angeli et Beati, sed et Angelorum et Beatorum Dominus et magister te exspectat. Exspectat te Deus Pater tanquam filiam dilectissimam, Deus Filius tanquam sponsam dulcissimam, Deus Spiritus sanctus tanquam amicam sibi gratissimam. Exspectat te Deus Pater, ut heredem universorum bonorum te constituat; Deus Filius, ut te fructum suae nativitatis et pretium sui pretiosissimi sanguinis Deo Patri offerat; Deus Spiritus sanctus, ut suae aeternae bonitatis et dulcedinis participem te faciat. Exspectat te illa beatissima omnium caelestium spirituum aeterni Regis familia, ut te in suum collegium suscipiat [7] ».

Item, ad haec desideranda.

4. Tu igitur ipsorum societatem super omnia desidera. Cum magna enim verecundia illuc venires, si eam *in hac lacrymarum valle* [8] non amasses. « Quoties ergo te vana huius saeculi delectat ambitio, quoties vides in hoc mundo aliquid gloriosum, statim ad caelum mente transgredere, et esse incipe quod futura es [9] ». Revera aestimo, o anima, si haec caelestia gaudia iugiter in mente teneres, de hoc exsilio quoddam suburbium caelestis regni construeres, in quo illam aeternam dulcedinem quotidie spiritualiter praelibando degustares. Quia, « cum aliquid

Notandum.

---

[1] De Catechizandis Rudibus, c. 25. n. 47: « Exardesce amore atque desiderio sempiternae vitae Sanctorum, ubi nec operosa erit actio nec requies desidiosa, laus erit Dei sine fastidio, sine defectu, nullum in animo taedium, nullus labor in corpore » etc. Codd. C D E F omittunt *Haec Augustinus* et seq. propositionem cum praecedente coniungunt legentes: *laus divina sine cessatione, merces laboris tui tam magna, quod non potest mensurari, tam multa, quod non potest numerari, tam pretiosa... terminari.* Deinde E F addunt *Haec Augustinus*, quod etiam L hic subiungit; A omittit *Gaude igitur... terminari,* quam sententiam Vat. cum nonnullis codd. tribuit *Bernardo.*

[2] Ut dicit Eadmerus, de S. Anselmi similitudinibus (inter opera Anselmi), c. 71.

[3] Cap. 12, 1.

[4] Cod. A addit *Hieronymus.* Cfr. S. Hieron., Epist. 54: « Quid pulcrius anima, quae Dei *filia* nuncupatur et nullos extrinsecus quaerit ornatus? Credit in Christum, et hac ambitione ditata, pergit ad *sponsum,* eundem habens Dominum, quem et virum ». Codd. C F subiungunt *Haec Bernardus.* Vide infra n. 3. et supra cap. 1. n. 19.

[5] Cfr. Comment. in Ps. 36. (inter opera Bedae), clarius in glossa *ordinaria* in Iac. 1, 2: Ne indignemini, si mali in mundo florent, si vos patimini; quia non est christianae veritatis in temporalibus exaltari, sed potius deprimi. Mali nihil habent in caelo, vos nihil in mundo. Spe illius boni, ad quod tenditis, quidquid in via contingat, gaudere debetis.

[6] Epist. 52. (alias 2.) n. 10: « Cogitemus crucem eius [Christi], et divitias lutum putabimus ». Codd. I M omittentes quae sequuntur *Curre igitur, o anima... non amasses* (n. 4.) legunt *Hieronymus in epistola: Quoties te vana... futura es.* Haec sententia revera habetur in epist. 22. n. 41. in fine. Vat., quae pro *refutabis ut stercora* substituit *reputabis ut stercora*, illam sententiam tribuit *Bernardo.* Cfr. Chrysost., Homil. 15. ad popul. Antioch. n. 3: Parva videbuntur omnia, et divitiae et gloria et potentia et honor et si quid aliud huiusmodi, cum caelestia respicias, sicut scilicet et Paulo parva omnia videbantur etc. Homil. 30. in Epist. ad Rom. n. 4. in fine: Nam si te hic amor [caelorum] capiat, coenum et lutum deprehendes et ea quae nunc miraris, deridebis.

[7] Bernard., Meditat. etc. c. 6. n. 17, ubi tamen textus originalis sententiam hinc inde paulo aliter exhibet. Pro *aeternae bonitatis* (ita A C D E F L) Vat. *aeternae beatitudinis.*

[8] Psalm. 83, 7.

[9] Hieron., Epist. 22. n. 41. in fine; cfr. supra nota 6.

aeternum mente capimus, iam non in hoc mundo», sed in caelis habitamus. Haec Augustinus [1]. Tanta est, o anima, vis tuae dilectionis, quod « ibi verius habitas, ubi amas, quam ubi animas ». Bernardus. Hoc est, carissima anima, regnum Dei, quod intra nos est [2], quod heu, miserabiliter negligimus, cum foris ad inania et vana fusi sumus. « Fusi sumus foras et de regno Dei, quod intra nos est, nihil curantes, foris quaerimus consolationem de rebus vanis et *insaniis falsis,* ita quod iam religionis antiquae devotionem amisimus, adeo quod nec speciem ipsius retinemus [3] ».

Tu ergo, o anima, aeterni Regis *filia, audi* mente devota *et inclina aurem tuam* [4] ad sancta et salutifera consilia. *Vide* per contemplationem caelestis regni consolationem, *obliviscere* per contemptum et detestationem *populum tuum et domum patris tui,* hoc est mundum, diabolum et te ipsam.

§ 2.

De gaudio caelesti in specie, et primo de triplici gaudio orto ex conversione contemplationis ad ea quae infra sunt.

5. Vide igitur et devota mente pertracta, qualiter illi divini et caelestes spiritus, qui praesentis vitae et miseriae periculum evaserunt, quamvis ab illius aeterni solis splendore se nunquam possint avertere, aliquando tamen radium suae contemplationis convertunt ad *inferiora,* aliquando ad *superiora,* aliquando ad *interiora,* aliquando ad *exteriora.*

6. Convertunt, inquam, ad *inferiora,* et gaudent ex triplici causa: primo, quod tam impios, horribiles et crudeles *hostes per divinam potentiam superaverunt;* secundo, quod omnes *defectus et peccata* vel *per divinam sapientiam* [5] *vitaverunt,* vel iam dudum commissa *correxerunt;* tertio, quod tam lamentabiles et interminabiles cruciatus aeternos *per divinam clementiam evaserunt.* O anima, quanto, putas, gaudent quotidie gaudio, quando tot vident a carne et mundo et diabolo superari, tot tam diversis peccatis, de quibus nunquam merentur veniam, inquinari, tot aeternaliter sine fine damnari? Re vera tunc puto, quod de morte transisse ad vitam [6] vitae duplicat gaudium.

In conversione ad inferiora triplex ratio gaudendi.

7. O Domine Deus, si nunc tam grave periculum est in bello, quantum, putas, tunc erit gaudium de *triumpho,* « cum post devictum triumphatumque mundum, submerso impio Pharaone cum exercitu suo in mari rubro, tenent omnes electi tympanum, cum Maria psallentes et cantantes, laudantes et benedicentes Dominum, una voce dicentes [7]: *Cantemus Domino, gloriose enim* » etc.

Gaudium hostibus victis.

Tunc constituentur duo Seraphim, hoc est duo chori electorum, scilicet innocentes et poenitentes, clamantes *alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth* [8]. *Sanctus* Deus Pater, qui nos a mundo, a carne et diabolo tam potenter liberavit. *Sanctus* Deus Filius, qui nos a poena et a culpa tam sapienter iustificavit. *Sanctus* Deus Spiritus sanctus, qui nos tam clementer ab aeternis tormentis praeservavit. *Plena est omnis terra gloria eius,* qui nos de mundi miseria ad caelestis regni gaudia evocavit.

Duo chori electorum gratias agentes.

O anima, qualis tibi erit dies illa, cum ad hanc felicem choream fueris assumta, et cum tibi omne, quod in terra et in mundo pie sustinuisti, convertetur in aeternum iubilum. Tunc de omnibus his *laudabis* Dominum Deum tuum labiis exsultationis, dicens [9]: *Misericordias Domini in aeternum cantabo.* « Quo cantico, secundum Augustinum de Civitate Dei, quod cantatur in laudem gloriae Christi, cuius sanguine liberati sumus, nihil erit iucundius illi civitati », nihil dulcius.

Angustiae vitae terrenae convers[ae] in gaudium.

8. Tu igitur, cum tentationibus probaris, cum persecutionibus impugnaris, cumque in hoc saeculo variis tribulationibus infestaris; tunc mente in caelum evola et cogita, quod haec non sunt aliud nisi aeterni gaudii materia. Et tunc, secundum Gregorium, consideratio praemii minuit vim flagelli: « Si enim consideramus, quae et quanta sunt, quae nobis promittuntur in caelis, vilescunt animo omnia, quae habentur in terris ». Haec Gregorius [10]. Revera non tantum bona, quae delectabiliter possidemus, verum etiam mala, quae aliquando lamentabiliter sustinemus vilescunt; « non enim *sunt condignae passiones huius temporis* ad praeteritam culpam, quae dimittitur, ad

Exhortat[io]. Notandu[m].

---

[1] Libr. IV. de Trin. c. 20. n. 28; vide supra pag. 49, notam 4. — Sententia Bernardi habetur de Praecepto et dispensat. c. 20. n. 60.

[2] Luc. 17, 21: Ecce enim regnum Dei intra vos est. Cfr. Bernard., de Praecepto et dispensatione, c. 20. n. 61.

[3] Bernard., Apologia ad Guillelmum, c. 10. n. 25. (respicitur Ps. 39, 4.).

[4] Psalm. 44, 11, ubi etiam locus, qui paulo inferius allegatur.

[5] Codd. D E *misericordiam.* Inferius post *tertio, quod* A C F L addunt *tam horrendum chaos et.*

[6] Respicitur Ioan. 5, 24: Transit a morte in vitam.

[7] Exod. 15, 1. — Superius post *Maria* G addit *sorore Moysi* (cfr. Gen. 15, 20.). Hieron., Epist. 22. n. 41: Qualis erit illa dies... cum post rubrum mare, submerso cum suo exercitu Pharaone, tympanum tenens Maria soror Aaron in sua manu, praecinet responsuris: *Cantemus* etc.

[8] Isai. 6, 3, ubi etiam habetur locus paulo inferius allegatus.

[9] Psalm. 88, 1. — Sequitur August., XXII. de Civ. Dei, c. 30. n. 4. — Superius pro *ad hanc* [C *ad tam*] *felicem choream* D E *ad felicem, aeternam coronam;* M legit: Heu, carissima anima, qualis erit dies illa, cum Dominus ad iudicandum venerit, sicut dictum est in praecedentibus [c. 3. n. 5.]. Sed qualis erit tibi dies illa, cum ad hanc felicitationem et choream etc.

[10] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 37. n. 1.

praesentem gratiam, quae immittitur, et ad futuram gloriam, quae promittitur ». Haec Bernardus[1]. Quam tu tunc, o anima, cum gaudio possidebis, quando perfecte intelliges, quod in mundo cum tanto periculo, quo plerique opprimuntur, vixisti; quod daemonis fallaces astutias, quibus multi decipiuntur, devicisti; quod cruciatus aeternos, quibus innumerabiles affliguntur, evasisti.

Anima. O homo, quam sana et salubris est haec tua consolatio, quia, cum haec quae proposuisti, adverto, consolationem ex spe non modicam recipio. Sed, o Domine Deus, quid, putas, tunc erit, cum hoc quod modo spero, veraciter possidebo?

§ 3.

Secundo, Beati convertunt radium contemplationis ad ea quae iuxta se sunt, et triplici obiecto gaudent.

9. Homo. O anima, modica sunt haec quae audisti, immo in comparatione quasi nulla sunt quae mente percepisti; sed parumper oculos mentales erige, et quanta sint gaudia, quae de his percipies, quae *iuxta te* sunt, devota mente frequentius volve et revolve.

x ratio dendi.

Attende igitur et considera *locum speciosum,* quem tibi divina *sapientia aedificavit;* attende *victum deliciosum,* ornatum curiosum[2], thesaurum pretiosum, quem tibi aeterna *potentia congregavit;* attende etiam *collegium famosum,* cum quo de divina *clementia* mens tua aeternaliter exsultabit.

co spe- ioso.

10. O anima, attende, quam gloriosa est « *civitas caelestis,* mansio secura, patria continens totum, quod delectat ». Bernardus[3]. Attende, quam luminosa, quam splendida est *civitas* illa caelestis, *quae non indiget sole neque luna, ut luceant in ea*[4], sed ipse Dominus, *sol iustitiae, candor lucis aeternae* lux eius est, *et lucerna eius Agnus.* O quam *gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*[5]*! O Israel, quam magna est domus Dei et ingens locus possessionis eius!* O anima, licet hic sis corpore, illic esto mente; quia ibi « est requies sine labore, vita sine morte, iuventus sine senectute, lux sine tenebris[6] », pax imperturbabilis. *Sedebit* enim *populus meus, dicit Dominus, in pulcritudine pacis, in tabernaculis fiduciae et in requie opulenta.*

De victu delicioso.

11. Et quis erit ibi noster *cibus* nisi ille Agnus beatissimus, ille mundus et immaculatus Iesus, Dei Patris et Mariae Virginis Filius, de quo sanctis spiritibus ministrabuntur ad omnem sufficientiam fercula nobilissima de ipsius candidissima humanitate et excellentissima Divinitate? O quam *beati sunt, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt*[7]*!* « Ibi semper erit sitis et satietas, sed miro quodam modo longe erit a siti necessitas, longe a satietate fastidium[8] ». *Inebriabuntur* enim *ab ubertate domus Domini et torrente voluptatis* eius potabuntur.

12. Anima. Dic quaeso, quando hoc?

Initium caelestis convivii.

Homo. Aestimo, quod non prius, nisi quando ille deliciosus pincerna summi Regis, *splendor paternae gloriae*[9], *candor lucis aeternae, figura divinae substantiae, speculum sine macula* claritatis deificae, *in quem desiderant Angeli prospicere,* quando talis ac tantus *praecinget se et faciet illos discumbere et* personaliter *transiens ministrabit illis.* O anima, haec devota mente pertracta. Quantum gaudium tunc illi beati spiritus concipient ex tam

---

[1] De Conversione ad clericos, c. 21. n. 37. Allegatur Rom. 8, 18. — In seq. propositione (cfr. Bernard., Serm. 5. in festo omnium Sanct. n. 5. et 7.) pro *daemonis fallaces astutias* A C *daemones fallaces et eorum astutias,* D E F L *daemones et* [F addit *eorum*] *fallaces astutias,* et voci *evasisti* M praefigit *gratia Dei* (cfr. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 40. n. 8.).

[2] Du Cange, Glossarium etc.: *Curiosus,* elegans, exquisitus.

[3] Meditat. etc. c. 4. n. 11: O civitas caelestis! mansio secura, patria fertilis et ampla, totum continens, quod delectat.

[4] Apoc. 21, 23, post quem Malach. 4, 2. (sol iustitiae), Sap. 7, 26. et Apoc. 21, 23. (cfr. libr. Meditat. c. 25. et Manuale, c. 17. inter opera August.), cui Vat., refragantibus A C D E F L, subiungit: O anima, attende, quam alta et quam spatiosa, quam pulcra et speciosa, quam decora et famosa est civitas illa, quam ornat per se ipsam Trinitas beatissima.

[5] Psalm. 86, 3. et deinde Baruch 3, 24, in quo post *O Israel* D E addunt *id est omnis fidelis videns Deum* (cfr. Gen. 32, 28. et 30.). Vat., contradicentibus A C D E F L, post *possessionis eius* subiungit: O anima, illic contemplare tabernacula Patriarcharum et Prophetarum, habitacula Apostolorum et Martyrum, coenacula Confessorum et Virginum, palatium caelestium spirituum, thronum illum beatissimae Trinitatis speciosissimum.

[6] August., Soliloq. (inter opera August.) c. 35; Serm. 65. et 67. ad Fratres in eremo (inter opera August.). — Sequitur Isai. 32, 18. — Quae praecedunt Vat., refragantibus A C D E F L, sic exhibet: O anima, hic licet sis corpore, illic esto mente. O anima, transvola omnia, scrutare omnia, visita omnia, ingredere cuncta per ordinem ostia, quousque pervenias ad summi Regis palatia, ibi sit mens et hic erit requies. Augustinus: O anima, in illa sancta civitate libenter studeas morari, libenter conversari, quia ibi est vita sine morte, iuventus sine senectute, lux sine tenebris.

[7] Apoc. 19, 9. — Secuti sumus A C D E F L, Vat. cum aliis codd. legit sic: Secundo attende victum deliciosum, ornatum curiosum et thesaurum pretiosum. Et quis erit ibi noster cibus... fercula nobilissima? Nobilia quidem de ipsius candidissima humanitate, sed nobilissima de ipsius superbeatissima Divinitate. Tunc enim anima *ingredietur* ad degustandum Divinitatem, *egredietur* ad praelibandum humanitatem *et pascua inveniet* ad omnem sufficientiam et satietatem [cfr. de Spiritu et anima, inter opera August., c. 9.]. O quam *beati sunt, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt!* « Ibi etiam beata vita in suo fonte bibitur. Unde huic humanae vitae aliquando aliquid aspergitur, unde in tentationibus fortiter, iuste, temperanter et prudenter vivitur [August., XII. de Gen. ad lit. c. 26. n. 54.] ». Ibi semper adhaeret sitis etc.

[8] Gregor., XVIII. Moral. c. 54. n. 91: Erit nobis delectabiliter impressa sitis simul atque satietas. Sed longe abest ab ista siti necessitas etc. Cfr. Speculum (inter opera August.), c. 29. — Sequitur Ps. 35, 9.

[9] Hebr. 1, 3. — Subinde allegantur Hebr. 1, 3; Sap. 7, 26, ubi pro *speculum sine macula claritatis* A C D E F L *speculum summae claritatis;* I. Petr. 1, 12. et Luc. 12, 37. (cfr. Bernard., de Diligendo Deo, c. 11. n. 33.).

stupenda dignitate ministrantis, ex tam miranda caritate cuiuslibet sodalis convivantis, ex ferculorum deliciosa opulentia, ex ministrorum numerosa frequentia, ex musicorum instrumentorum et aliorum psallentium, cantantium et laudantium Regem gloriae, Deum Dei Filium dulcisona resonantia! In hoc caelesti, magno stupendoque convivio audies Angelos iubilantes, Apostolos psallentes, Martyres triumphantes, Confessores et Virgines laudantes, Patriarchas et Prophetas iucundantes, omnes Sanctos et electos Dei unanimiter Patrem et Filium et Spiritum sanctum collaudantes et una voce dicentes[1]: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius.* « O quam gloriosum est regnum, in quo cum Christo regnant omnes Sancti, *amicti stolis albis, sequuntur Agnum, quocumque ierit* »! O anima, quomodo poterit ibi esse alicuius boni carentia, cum ibi tam varia sit exsultandi materia[2]?

De collegio famoso. 13. Vide iuxta te *omnium Sanctorum collegium*, quod ad beatitudinis tuae cumulum divina clementia congregavit; quia « nullius boni sine socio iucunda est possessio », sicut dicit Seneca[3]. Unde Gregorius: « Quae lingua dicere, aut quis intellectus capere sufficit, illius supernae civitatis quanta sint gaudia, Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriae Conditoris assistere » et ab illorum beatissima societate nunquam discedere, sed continue cum ipsis et de ipsorum gaudio in perpetuum exsultare! Anselmus[4]: « Ibi enim a singulis omnes, ibi ab omnibus singuli cognoscentur. Nec quemquam latebit, qua patria, qua gente, qua stirpe quis conditus sit ». De perfecta caritate Beatorum et gaudio communi. Ibi enim tam beata et tam perfecta erit caritas iustorum, quod « unusquisque in tantum diliget proximum suum quantum se ipsum[5] ». Notandum. Ex quo illud inaestimabile sequetur bonum, quod « ita unusquisque tantum gaudebit de alterius gaudio quantum de proprio ». Proinde, cum inenarrabilis sit numerus electorum, quis, putas, narrare sufficiat gaudium Beatorum?

Amplior expositio. 14. « Qualis tibi erit dies illa, cum Maria, mater Domini, tibi occurret choris comitata virgineis, cum et ipse Sponsus tibi cum omnibus Sanctis occurret, dicens: *Surge, propera, amica mea, veni, formosa mea, columba mea; iam enim hiems transiit, imber abiit et recessit!* Tunc Angeli admirabuntur de tua gloria dicentes: *Quae est ista quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Videbunt te filiae Sion et laudabunt te. Tunc illa centum quadraginta quatuor millia in conspectu throni et seniorum tenebunt citharas et cantabunt canticum novum. Tunc secura in amplexus Sponsi evolabis, cum iubilo dicens: *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam* ». Haec Hieronymus[6]. De septem filiis Iob. Tunc *septem filii* illius magni Iob, qui est *magnus inter omnes*, qui morantur in illa beata orientalium regione, *facient convivia, singuli in die suo, et invitabunt sororem suam*[7], te consortem suam. Et dicent tibi singuli: *Bibe nunc et accumbe cum iucunditate, quia invenisti gratiam coram summo principe.* Et tu respondebis cum gaudio dicens: *Bibam* et hilarior fiam, *quia magnificata est hodie anima mea prae omnibus diebus vitae meae.* O vere inaudita magnificentia! o laeta et iucunda excellentia, qualis nunquam in hoc saeculo est audita! Puto, quod omnis huius mundi pompa in comparatione illius esset vix modica gutta[8].

Quaestio de hoc convivio. 15. Anima. O homo, iamdiu tacui, iam satis silui, quia quae proposuisti cum delectatione et admiratione nimia audivi. Ne quaeso, pertranseas, quin perfectius mihi aliqua de hoc caelestium spirituum convivio exponas, quia iam prius[9] aliquid de hoc tetigisti, sed nimis breviter pertransiisti.

Responsio. Homo. O anima, mallem iterum quod petis sub silentio pertransire, quam vel modicum de hoc caelesti mysterio ore polluto proferre, vel etiam mente concipere, quia qui adhuc mundialibus et supervacuis rebus, heu, saepius implicor, qui adhuc heu, heu, *siliquis porcorum* cum ceteris mundanis pascor[10], de tam familiaribus divinorum spirituum operationibus loqui erubesco nimium et confundor. Quia tamen piis votis tuis contraire non valeo, proponam breviter, quod aliquando, Spiritu instigante, licet

---

[1] Isai. 6, 3. — Sequitur ex Breviario Romano antiphona ad Magnificat 2. Vesp. pro festo Omnium Sanct., in qua allegantur Apoc. 7, 9. (amicti stolis albis) et 14, 4.

[2] Codd. A C D E F L secuti omisimus quae Vat. hic addit: Tunc enim aperientur omnes illi thesauri aeterni Dei, ubi sunt omnes divitiae, omnes deliciae absconditae, et dabuntur a Patre aeterno unicuique varia et pretiosa munera secundum sua merita.

[3] Epist. 6. n. 4. — Sequitur Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 37. n. 1.

[4] De Similitudinibus (inter opera Anselmi), c. 59. Pro *conditus* L *genitus*, textus originalis *editus*.

[5] De Spiritu et anima (inter opera August.), c. 57, ubi etiam seq. locus. Idem docet Anselm., Proslog. c. 25: In illa perfecta caritate innumerabilium Angelorum beatorum et hominum, ubi nullus minus diliget alium quam se ipsum, non aliter gaudebit quisque pro singulis aliis quam pro se ipso. Si ergo cor hominis de tanto suo bono vix capiet gaudium suum, quomodo capax erit tot et tantorum gaudiorum? Cfr. infra finis huius cap.

[6] Epist. 22. n. 41. Allegantur Cant. 2, 10. seq. et 8, 5; respicitur Apoc. 14, 1. seqq. (de centum quadraginta quatuor millibus etc.), et in ultima propositione, quam textus originalis non exhibet, allegatur Cant. 3, 4. Textus originalis hinc inde plura interserit. Vat., contradicentibus A C D E F L, in principio sententiae ponit: Haec gaudia Hieronymus in fine epistolae ad Eustochium describens ait: « Egredere, quaeso, o anima, paulisper de papilione corporis, ut, in ostio stans, videas Dei gloriam pertransire et praesentis laboris ante oculos pinge mercedem » [Epist. 22. n. 41: Egredere paulisper de carcere et praesentis laboris etc.].

[7] Iob 1, 2-4. — Subinde allegantur Iudith 12, 17. et 18.

[8] Cod. M addit *immo quasi nihil.*

[9] Num. 11. seq. — Subinde pro *breviter* Vat. *nimis cito.*

[10] Cfr. Luc. 15, 16, de filio prodigo. — Inferius pro *operationibus* D *operibus.*

indignus, mente pertracto. Quamvis enim in illa caelesti aula, ubi plenitudo omnis boni in omnibus illis perfecta est, quamvis ibi pro differentia meritorum quaedam data sint excellenter; nihil tamen ibi ex inaestimabilis divinae pietatis immensitate, secundum Gregorium [1], possidetur singulariter. Omnia enim sunt omnibus communia propter eum qui *in omnibus* est *omnia*. Ibi enim Virgo gaudebit de sanctae viduitatis merito, ibi Vidua exsultabit de castae virginitatis privilegio, ibi Confessor de Martyrum iucundabitur triumpho, ibi Martyr tripudiabit de Confessorum bravio, ibi Propheta laudabit de Patriarcharum pia conversatione, ibi Patriarcha exsultabit de Prophetarum fide et speculatione, ibi Apostoli et Angeli gaudebunt de merito omnium inferiorum, ibi omnes inferiores laetabuntur de gloria et corona superiorum. Ex illius enim sanctae et perfectae caritatis vinculo [2] fiet, ut unusquisque habiturus sit in alio quod non habet in merito proprio.

(…ia sunt …nibus omnia.)

16. Anima. O homo, adhuc nec ista sufficiunt mentem meam quietare; unde quaeso, ne pertranseas, mihi aliqua de dicto convivio singillatim et distincte explicare.

(…iteratur …estio ea-…)

Homo. O anima, bene nosti, quod « balbutiendo, ut possumus, excelsa Dei resonamus [3] ». Nec mirum, quia, cum simus minus idonei ad intelligendum, quomodo possumus esse sufficientes ad loquendum, cum illa supercaelestia, quae lippientibus oculis contemplamur, verius sint, quam intelligantur, et verius intelligantur, quam exprimantur vocibus? Ne te tamen diutius protraham, audi, quid imaginatur intellectus, licet adhuc modicum degustet affectus. Puto, quod illi *septem filii*, de quibus supra [4] memoravimus, sunt omnes sancti et electi spiritus, altissimi Patris heredes et filii. Hi *convivia unusquisque in die suo faciunt*, quando se invicem suis caelestibus gaudiis pascunt; in quo de meritis suis singuli iuxta datam sibi gloriam fercula deliciosissima propinant. Primo igitur die primogenitus, hoc est ille caelestium Angelorum numerus, qui non immerito nomine *primogeniti* censentur [5], quia priores sunt creatione et conversione ad Deum, a quo nunquam recesserunt per peccatum, sed semper immobili caritate Deo Patri adhaeserunt et illam hereditatem beatam caelestis regni omnibus priores possederunt. Isti tibi, o anima, in suo convivio diversa fercula deliciosa et pretiosa propinant, cum unusquisque ordo de eo quod excellentius recepit in munere [6], gaudia specialia administrat.

(…sponsio.) (…illo con… …o septem …rum.)

17. Iam cogita, o anima, quale tibi ferculum propinant illi summi spiritus *seraphici* ordinis, qui « adeo vicini illi aeterno Patri sunt, quod inter ipsos et hunc nulli alii spiritus intersint [7] », qui ipsum immediatius contemplentur et suis bonis aeternis perfectius perfruantur. Quale, putas, hi propinant gaudium de naturae suae nobilitate, quale de contemplationis claritate, quale de dilectionis sinceritate? Hi ergo, hoc est, illi qui *Seraphim* nominantur, istud convivium ornant ardore divinae caritatis, *Cherubim* splendore aeternae claritatis, *Throni* aequitate divinae maiestatis, *Dominationes* de dominandi super alios excellentia, *Principatus* de principandi inferioribus magnificentia, *Potestates* de auctoritate malignos spiritus coercendi, *Virtutes* de potestate miracula faciendi, *Archangeli* de dignitate superiora nuntiandi, *Angeli* de agilitate minora divinae scientiae secreta revelandi. Ecce, vides, qualiter singuli mentes Beatorum caelestibus gaudiis pascunt de his quae ab illa supercaelesti aula specialius in munere receperunt. — Nec est mirandum, quod haec praedicta et multa alia nobis adhuc occultiora illi spiritus in nostrum gaudium nobis propinant, qui tam fideliter *in hac lacrymarum valle* [8] nos custodiunt et nos ad illam aeternae beatitudinis patriam perducere totis viribus concupiscunt. Bernardus [9]: « O, si quis cognosceret, qua cura et sollicitudine illi beati spiritus intersunt cantantibus, adsunt orantibus, insunt meditantibus, supersunt quiescentibus, praesunt procurantibus »! O anima ieiuna et famelica, si vel

(Fercula novem chororum Angelorum.)

(Ratio.)

---

[1] Libr. IV. Moral. c. 36. n. 70; V. c. 46. n. 86 [cfr. supra pag. 24, nota 5.]; II. Homil. in Ezech. homil. 4. n. 6. et IV. Dialog. c. 35. August., in Ioan. Evang. tr. 67. n. 2: Tanquam stellae [cfr. I. Cor. 15, 28.] Sancti diversas mansiones [cfr. Ioan. 14, 2.] diversae claritatis, tanquam in caelo, sortiuntur in regno; sed propter unum denarium [cfr. Matth. 20, 9.] nullus separatur a regno; atque ita *Deus erit omnia in omnibus* [I. Cor. 15, 28.], ut, quoniam Deus caritas est [I. Ioan. 4, 8.], per caritatem fiat, ut quod habent singuli commune sit omnibus. Sic enim quisque etiam ipse habet, cum amat in altero quod ipse non habet. Non erit itaque aliqua invidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus unitas caritatis.

[2] Codd. A C D E *merito*, I *virtute*.

[3] Gregor., V. Moral. c. 36, n. 66, ubi etiam occurrit dictio *lippientibus oculis* inferius posita; cfr. tom. III. pag. 175, nota 2. — August., VII. de Trin. c. 4. n. 7: Excedit supereminentia Divinitatis usitati eloquii facultatem. Verius enim cogitatur Deus, quam dicitur, et verius est, quam cogitatur.

[4] Num. 14. Cfr. Iob 1, 2. et 4.

[5] Codd. A C F L *nuncupantur*.

[6] Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 14: Sed idcirco uno eodemque vocabulo communiter non censentur [ordines Angelorum], ut ille ordo vocari privato uniuscuiusque rei nomine debeat, qui hanc in munere plenius accepit. Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. IX. c. 3, et ibid. Comment. S. Bonav. q. 4.

[7] Gregor., loc. cit. n. 10: « *Seraphim* namque ardentes vel incendentes vocantur. Quae, quia ita Deo coniuncta sunt, ut inter haec et Deum nulli alii spiritus intersint, tanto magis ardent, quanto hunc vicinius vident ». Ibidem etiam etymologia nominum aliorum ordinum proponitur, de qua vide Bernard., V. de Considerat. c. 4. n. 8. seqq., et Petr. Lombard., II. Sent. d. IX. c. 2. — Superius pro *spiritus seraphici ordinis* D E *spiritus Seraphim*.

[8] Psalm. 83, 7. — Inferius A C D E L omittunt *aeternae*.

[9] Meditat. etc. c. 6. n. 16. Pro *adsunt orantibus, insunt meditantibus* textus originalis *assistunt orantibus, adsunt meditantibus*. Vat., refragantibus A C D E F L, legit: O si quis cognosceret, quemadmodum *praeveniunt principes coniuncti psallentibus in medio iuvencularum tympanistriarum* [Ps. 67, 26.], videret itaque [I *utique*, textus originalis *procul dubio*], qua cura, quove tripudio intersunt cantantibus etc.

unam micam, *quae cadit de mensa dominorum* [1], in hoc convivio aperto mentis ore sumsisses, puto, quod hanc peregrinationem et omnem tribulationem ex tunc patienter tolerares. Puto, quod si unam guttam de vino potus eius degustasses, omnem huius saeculi dulcedinem fastidires. Gregorius in Moralibus [2]: « Si cor semel in caelestibus », per degustationem subaudi, « figitur, quam abiecta sint mox cernitur quae prius alta videbantur ».

De ferculis aliorum sex filiorum. 18. O anima mea dilecta, de convivio Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum et Virginum, qui per alios sex filios non immerito praefigurantur, quid dicam? Unusquisque enim horum tot in convivio suo proponet fercula, quot habuit in hac vita virtutum opera. Et quis enarrare sufficiat, quantum gaudium quaelibet anima suscipiat de sanctorum Patriarcharum humilitate et simplicitate perfectissima, de Prophetarum credulitate et fidelitate certissima, de Apostolorum caritate et magna diligentia, de Martyrum stabilitate et patientia, de Confessorum pietate et clementia, de Virginum castitate et continentia? « Revera lingua et vox deficit, quia intellectus capere non sufficit, quantum sit gaudium Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriae Conditoris assistere, praesentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo metu mortis affici, incorruptionis perpetuae munere laetari ». Haec Gregorius [3].

Epilogus. 19. O quam felix tibi erit haec dies, cum fueris ad hereditatem patrum tuorum reversa et cum omnibus his inaestimabili gaudio fueris assumta et ad thalamum summi Regis feliciter introducta! Iam nunc expergiscere, o anima mea, et cum illa famosa regina [4], cum aromatibus virtutum, cum thesauris bonorum operum, cum magno apparatu caelestium desideriorum ascende in illam Ierusalem supernam et contemplare diligenter singula et vide, quod veritas vincit famam, gloria exsuperat omnem loquelam; et tunc incipies dicere cum beato Petro in magno cordis iubilo: *Domine, bonum est nos hic esse* [5]*;* hic pater, hic mater, hic soror, hic frater, hic patria! O Domine, permitte nos hic esse et abhinc nunquam discedere! Ambrosius [6]: « Fugiamus, o anima, in patriam verissimam, quia illic est patria, ad quam conditi sumus, Pater, a quo creati sumus, mansio secura, *Ierusalem superna, quae est mater nostra* ». Anselmus [7]: « O anima, tantus debet esse in hac vita mortali amor et desiderium perveniendi ad illud, ad quod facta es, et dolor, quia nondum ibi es, et timor, ne forte non pervenias, ut nullam laetitiam sentire valeas, nisi de his quae tibi auxilium et spem conferunt perveniendi ». Exhortat[io]

§ 4.

Tertio, Beati convertunt radium contemplationis ad ea quae intra se sunt, et tripliciter gaudent.

20. *Corpus* etiam nostrum, quod ex quatuor elementis est compositum, quatuor dotibus erit remunerandum [8]. Terra enim tunc habebit aeternam Gaudiu[m] quatuor [do]tibus co[rpo]ris.

---

[1] Matth. 15, 27. Pro *dominorum*, quod A C F L omittunt, D E *Domini*. — Superius A E F L omittunt *ieiuna et famelica.* Inferius pro *patienter tolerares* (ita A C D E F I L) Vat. *impatienter tolerares*, et pro *de vino potus* D E *divini potus.*

[2] Cfr. V. c. 1. n. 1: Pensant autem [viri sancti], quae sint aeterna bona, quae cupiunt, et cognoscunt, quam nihil sit omne, quod blandum temporaliter arridet etc.; VIII. c. 27. n. 46: Sancti viri, quo verius summa cognoscunt, eo sublimius terrena despiciunt. Vide ibid. c. 13. n. 28. Libr. XXVII. c. 16. n. 32: Postquam quae essent aeterna cognovit [animus]... admiratione summorum sese ab infimis suscitatus elevavit, ut nulla iam ei, nisi quae aeterna sunt, libeant et despectis transeuntibus, sola quae permanent requirat. Vide etiam I. Homil. in Ezech. homil. 10. n. 43; I. Homil. in Evang. homil. 11. n. 2: Qui caelestis vitae dulcedinem, in quantum possibilitas admittit, perfecte cognoverit, ea quae in terris amaverat, libenter cuncta derelinquit; in comparatione eius vilescunt omnia, deserit habita, congregata dispergit, inardescit in caelestibus animus, nil in terrenis libet, deforme conspicitur quidquid de terrenae rei placebat specie. Simile dicitur ibid. II. homil. 25. n. 2. in fine. Pro *subaudi* L *summae felicitatis.*

[3] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 37. n. 1.

[4] De qua III. Reg. 10, 1. seqq. et II. Paralip. 9, 1. seqq. — Superius pro *cum omnibus his inaestimabili gaudio* (ita A C D E L) Vat. *quando ab his omnibus cum inaestimabili gaudio.*

[5] Matth. 17, 4. — Superius post *loquelam* Vat., refragantibus A C D E F L, prosequitur: si forte posses ex admirationis magnitudine extra humanum spiritum rapi et miro quodam modo in divinum spiritum transformari, ut dicere inciperes cum Petro etc.

[6] De Isaac et anima, c. 8. n. 78: « Fugiamus ergo in patriam verissimam. Illic patria nobis et illic Pater, a quo creati sumus, ubi est Ierusalem civitas, quae est mater omnium ». In fine allegatur Gal. 4, 25. seq.

[7] Libr. I. Cur Deus homo, c. 20.

[8] Secuti sumus codd. A C D E F L, omittentes ea quae Vat. praemisit huic propositioni: *Anima.* O homo, dum haec aliquando cogito, dum haec tacita mente mecum pertracto, quid est, quod tunc interlucet mihi et percutit cor meum sine laesione, et inhorresco et ardesco? Augustinus [X. Confess. c. 40. n. 65.]: « Intromittor aliquando mentaliter in affectum multum inusitatum, nescio quam dulcedinem, quae si perficeretur in me, nescio, quid erit, quod vita ista non erit. Sed recidivo oneris ponderibus et resorbeor solitis curis. Hic esse valeo, nec volo; illic esse volo, nec valeo, miser utrobique ». Haec Augustinus. *Homo.* O anima, puto, quod haec caelestia sine praelibatione dulcedinis non possunt cogitari. Sed nescio, quid tunc erit, cum perfecte in re sine aenigmate poterunt degustari. Unde non est mirandum, si praelibatio talium tibi incutit huius exsilii taedium, quia nihil est magis amarum, quam, postquam anima consuevit talium praegustatione consolari, si rursum inceperit mundialibus et transitoriis implicari. Hinc est, quod anima laborat, luctatur et anxiatur. Illic semper esse cupit, nec sufficit; hic esse compellitur, sed illic post hoc quod praegustatum est, ascendere conatur. Iam enim, « gustato spiritu, desipit omnis caro [Bernard., Epist. 111. n. 3.] ». Vidisti gaudium Beatorum de his quae sunt infra te, et de his quae sunt iuxta te; vide modo, si potes, quale gaudium futurum sit de his quae sunt *intra te.* Homo enim remunerabitur in *corpore* et in *mente* et istorum aeterna et inseparabili *unione.* Corpus enim nostrum etc.

immortalitatem, aqua omnimodam impassibilitatem, aër velocem agilitatem, ignis splendidissimam claritatem [1]. — « In sempiterna patria corda Beatorum sibi invicem et claritate lucent et puritate translucent; ibi uniuscuiusque vultus aspicitur, et conscientia penetratur; ibi cuiuslibet mentem ab alterius oculis corpulentia non abscondit [2] »; « ibi etiam mox, ubicumque voluerit animus, statim aderit corpus ». Augustinus. Sicut enim tunc animus perfectissime obedit Creatori, ita corpus promptissime obtemperabit suo motori [3]. — Ibi erunt omnes sensus in actibus suis. Ibi enim oculus videbit decorem speciosissimum, gustus sapiet saporem dulcissimum, olfactus odorabit odorem suavissimum, tactus amplexabitur obiectum deliciosissimum, auditus innovabitur per sonum iucundissimum [4]. « Recedat ergo, o anima, amor vitae praesentis, et accedat amor vitae advenientis, ubi nulla adversitas turbat, nulla necessitas angustat, nulla molestia inquietat, sed perennis laetitia regnat [5] ». Ibi « *esse* nostrum non habebit mutationem, *nosse* nostrum non habebit errorem, *amare* nostrum non habebit offensionem [6] ». « Ibi aberit omnis deformitas, omnis infirmitas, omnis tarditas, omnis corruptio. Ibi *caelum novum*, ibi *terra nova*. Ibi similes erimus Angelis Dei, etsi non aetate, certe tamen felicitate ». « Ibi vita sine morte, iuventus sine senectute, gaudium sine tristitia, pax sine discordia, voluntas sine iniuria, lux sine tenebris, regnum aeternum expers commutationis [7] ». Ibi « quidquid volueris erit, quidquid nolueris non erit ».

...dium de ...a anima-

...es sen- habent ...s actos.

21. Considera etiam, quantum gaudeat animus, cum resumserit tale corpus, quale iam audisti, non tale, quale cum ingenti dolore sustinuisti et cum magno certamine devicisti, de quo saepius timens et impatiens patienter et irascens clementer dixisti [8]: *Quis liberabit me de corpore mortis huius?* Non certe tale, sed iam perfecte obediens et spirituale; tale, inquam, tale, quod erit tibi in contemplationis solatium et in aeternae felicitatis augmentum [9]. Certum est enim, quod ipsa anima nunquam resumtionem corporis appeteret,

Gaudium animae de unione cum glorioso corpore.

---

[1] Bernard., Serm. 4. in festo Omnium Sanct. n. 6: Ipsi [homini exteriori] ergo, *ut inhabitet gloria* etiam *in terra nostra* [Ps. 84, 10.]... quatuor sunt quaerenda, quem nimirum constat ex elementis quatuor esse compactum... Habeat ergo terra nostra immortalitatem, ne iam timeat denuo se in pulverem redigendam... Habeat certe etiam aliquando omnimodam impassibilitatem... Sed iam desiderat corpus nostrum etiam levitatem secundum eam nimirum quam habet ex aëre portionem, ne vel ipso onere sit molestum. Tanta itaque futura credenda est corporum levitas et agilitas Beatorum, ut possint, si velint, absque omni mora seu difficultate ipsam quoque cogitationum nostrarum sequi ad omnia velocitatem. Quid ultra deest ad perfectam corporis beatitudinem? Sola utique pulcritudo. Hanc perfectissimam habituri, non immerito possumus attribuere ei parti, quam habemus ab igne. — Vat. cum nonnullis codd. hic addit: Tunc *fulgebunt iusti sicut sol et tanquam scintillae in arundineto discurrent* [Sap. 3, 7; cfr. Matth. 13, 43, quem Bernard. affert]. *Absterget* enim *Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum, et iam non erit amplius neque luctus neque clamor neque dolor* [Apoc. 21, 4.], sed sempiterna pax et laetitia.

[2] Gregor., XVIII. Moral. c. 48. n. 77. seq. Textus originalis hinc inde plura interserit. — Sententia Augustini habetur XXII. de Civ. Dei, c. 30. n. 1: Certe ubi volet spiritus, ibi protinus erit corpus. Cfr. Serm. 242. (alias 149. de Tempore) c. 3. n. 5. et c. 8. n. 11. Hanc (cfr. nota praeced.) vel sententiam Gregorii A D F I L attribuere videntur Bernardo.

[3] Cfr. August., Epist. 143. (alias 7.) n. 6. et Epist. 205. (alias 146.) n. 11. in fine; XII. de Gen. ad lit. c. 35. n. 68; Serm. 242. (alias 149. de Tempore) c. 8. n. 11. et Serm. 277. (alias 102. de Diversis) c. 7. n. 7; XIII. de Civ. Dei, c. 20; Enarrat. in Ps. 145. n. 5: Accepit homo corpus tanquam in famulatum, Deum autem Dominum habens, servum corpus, habens supra se Conditorem... Regere non potest inferiorem, nisi regatur a meliore... non potest regere quod regebat, quia regi noluit, a quo regebatur. — Vat. contra codd. A C D E F L addit: Tam potentem tunc faciet Deus animam, ut ex eius beatitudine plenissima redundabit (sic!) in corpus [August., Epist. 118. alias 56. c. 3. n. 14.]; ex qua redundantia habebit vigorem impassibilitatis, splendorem claritatis, aptitudinem subtilitatis, promptitudinem agilitatis. Cfr. IV. Sent. d. 49. p. II. per totam, ubi etiam de seq. propositione.

[4] Auctoritate A C D E F L omisimus quae Vat. hic addit: Ibi enim, cum mens in exsultationem rapitur, lingua in canticum laudis elevatur. *Anima*. O homo, audivi iam dudum mirabilia, et cum vera sint haec omnia, quid aliud est haec praesens vita, nisi quaedam mortis umbra? *Homo*. O anima, bene dixisti, quia « temporalis vita aeternae vitae comparata, mors est potius dicenda quam vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid est aliud quam quaedam prolixitas mortis »? « Ergo sancti viri, quia huius vitae brevitatem indesinenter aspiciunt, quasi quotidie morientes vivunt, et ideo se non mansuros sollicitius praeparant, quia haec omnia nihil esse ex fine semper pensant ». « Sed carnales mentes ideo praesentia diligunt, quia vita carnis quam fugitiva sit, minime perpendunt. Nam si velocitatem transitus eius aspicerent, hanc etiam prosperam minime amarent ». Haec Gregorius [II. Homil. in Evang. homil. 37. n. 1; VII. Moral. c. 30. n. 45; VIII. Moral. c. 10. n. 25.].

[5] De Conflictu vitiorum et virtutum (inter opera August.), c. 26. — Vat., refragantibus A C D E F L, addit: Et considera, « quanta sit felicitas futura, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit *omnia in omnibus* [I. Cor. 15, 28.]. Ibi enim nulla desidia cessabitur, nulla indigentia laborabitur » [August., XXII. de Civ. Dei, c. 30. n. 1.].

[6] August., XI. de Civ. Dei, c. 28 [originale *mortem* pro *mutationem*]; ibid. XXII. c. 20. n. 3. habetur seq. locus, in quo allegatur Apoc. 21, 1. (quem textus originalis omittit) et Luc. 20, 36: Aequales enim Angelis sunt; cfr. Matth. 22, 30: Erunt sicut Angeli Dei in caelo.

[7] Serm. 49. (cfr. Serm. 65. et 67.) ad Fratres in eremo (inter opera August.). Vide supra pag. 59, notam 6. — Sequitur sententia Anselmi, Proslog. c. 25: Quidquid volet erit, et quod nolet non erit. Cfr. infra n. 23.

[8] Rom. 7, 24. — Superius pro *devicisti* C D E F *deiecisti*.

[9] Vat., contradicentibus A C D E F L, hic addit: *Anima*. Mirari super omnibus his non sufficio et prae magnitudine admirationis in inquisitione deficio. Unum tamen scire desidero, qualiter mens, quae in praesenti vita adeo in contemplando [ita I, Vat. *a Dei contemplatione*] per corpus deprimitur, illic per ipsum in contemplatione adiuvetur? *Homo*. O anima, scrupulosa est haec quaestio; sed quia magis est curiosa quam devota, brevis erit responsio. Anima enim tunc virtute divina alium habebit modum intelligendi quam in via. Nec est mirandum, si pro loco et tempore mutat ordinem et modum agendi creaturae qui est fabricator et auctor universalis naturae. « In rebus enim mutabilibus [potius mirabilibus] tota ratio facti est potentia facientis » [August., Epist. 137. alias 3. c. 2. n. 8.].

si resumtum, etiam quantumcumque gloriosum, divinam contemplationem impediret. Nunc autem, secundum Augustini[1] sententiam et doctrinam, ipsae animae sanctae desiderant eius resumtionem et exspectant iteratam unionem ipsius, quia ipsarum sine eo non potest consummari felicitas nec satiari iucunditas; et adeo vehementer desiderant quod etiam aliqualiter earum contemplationem impedit et retardat. Bernardus[2]: « O misera caro, foetida et foeda! unde tibi haec gloria, quod animae sanctae, quas Deus sua insignivit imagine, proprio redemit sanguine, te desiderant et exspectant, et ipsarum sine te non potest consummari felicitas nec satiari iucunditas »? Augustinus[3]: « Cum anima hoc corpus non animale iam, sed spirituale receperit, perfectum habebit suae naturae modum, obediens et imperans, vivificata et vivificans. Tunc ineffabili felicitate fiet, ut sit ei gloriae quod fuit sarcinae ».

Desiderium animae reassumendi corpus.

22. O anima, cogita, qualis tibi tunc erit gloria, cum induta fueris illa stola nova et splendida, *ornata omni lapide pretioso*[4], id est corpore glorificato, in quo tot fulgebunt gemmae pretiosissimae, quot modo sunt virtutes in mente. Quis enim enarrare sufficeret, quantum gaudium, quam stupendam gloriam, quam incomprehensibilem laudem habitura sis, pro eo quod corpus proprium tam viriliter per clypeum castitatis et continentiae superasti; pro eo quod mundum tam potenter fugendo et despiciendo debellasti; pro eo quod diabolum prudenter per bellum resistentiae effugasti; pro eo quod omnibus cogitationibus, omnibus affectionibus, singulis inordinatis motibus tam viriliter restitisti. Adverte, si potes, quantam laudem habitura sis ab his quos verbo et exemplo ad meliora provocasti[5]. Et quid plura? De singulis cogitationibus, locutionibus, actionibus virtuosis specialem et aeternam laudem recipies.

Epilogus.

§ 5.

Quarto, Beati convertunt radium contemplationis ad ea quae supra se sunt, et in summo Bono perfecte et secundum tres animae vires gaudent.

23. Igitur consulo tibi, o anima, ut iam per praemissa tanquam excitata, disposita et invitata, ad *auctorem tuum* te convertas, et quantum gaudium ab eo illi beati spiritus recipiant, diligenter consideres et advertas[6], « illud bonum quam sit delectabile, quod continet iucunditatem omnium bonorum in se, non qualem in rebus creatis experti sumus, sed tantum differentem, quantum differt Creator a creatura. Qui hoc bono fruetur, quidquid volet erit, et quidquid nolet non erit ». Anselmus[7]. « Beatam vitam facilius est consequi quam enarrare; cuius cursus sine termino, usus sine fastidio, refectio sine cibo, sub antiquis perpetuisque gaudiis semper nova iucunditas et sine timore amittendi continuata felicitas[8] », ubi « abest omnis *error a ratione*, omnis

Perfect. gaudium Deo.

[1] Libr. XII. de Gen. ad lit. c. 35. n. 68. Cfr. IV. Sent. lit. Magistri, d. XLIX. c. 4.

[2] Serm. 3. in festo Omnium Sanct. n. 2.

[3] Libr. XII. de Gen. ad lit. c. 35. n. 68. Respicitur I. Cor. 15, 44: Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.

[4] Eccli. 50, 10. — Inferius post *in mente* Vat., refragantibus A C D E F L, addit: Tunc, ut puto, cantabis cum iubilo canticum novum Domino dicens: *Gaudens gaudebo in Domino, quia induit me vestimento salutis et indumento laetitiae circumdedit me et tanquam sponsam decoravit me corona* [Isai. 61, 10.]. Adhuc vide tertio et diligenter considera, si tantum gaudium habitura sis quasi de alieno, quid hauries de proprio?

[5] Haec propositio omittitur ab A E F L. Inferius post *recipies* Vat., contradicentibus A C D E F L, addit: et id quod tibi in te defuerit, illa caelestis et divina Beatorum societas caritate mutua adimplebit; quia unusquisque habebit ibi in proximo, quod sibi deficit in merito proprio. O anima, haec cogita, haec mente pertracta, cum tibi pie viventi inferuntur adversa, ad haec mente evola, cum premit corpus, cum fremit mundus, cum insidiatur diabolus, ad haec recurre, his mentem delinire; quia *id quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum et in sublimitate aeternum gloriae pondus in nobis operatur* [II. Cor. 4, 17.]. Sed quia « revera id solum et verum gaudium est, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur, cui omnis comparata aliunde iucunditas moeror est, omnis suavitas dolor est, et postremo omne, quod delectari potest, molestum est », secundum Bernardum [Epist. 114. n. 1.].

[6] Fide A C D E F L omisimus quae Vat. hic subiungit: quia omne gaudium propositum vel est accidentale, et ob hoc non satiat, sed excitat, ut est illud quod beati spiritus de his quae infra vel iuxta ipsos sunt accipiunt; vel est consubstantiale, et ob hoc non sufficit, sed afficit, ut est illud quod de his quae intra ipsos sunt concipiunt. Hoc vero gaudium, quod de superioribus hauriunt, solum substantiale vocatur, quia per hoc solum affectus rationalis creaturae satiatur. Hugo de sancto Victore [Homil. 2. in Eccle.]: « Omnis iucunditas, omnis suavitas, omnis dulcedo rerum creatarum afficere cor humanum potest, satiare non potest ». *Anima*. Dic quaeso, o homo, quale et quantum sit istud gaudium? quia hoc solum desidero, hoc est quod prae omnibus concupisco, quia scio, quod haec omnia, etiam si habentur sine illo, non solum non sufficiunt, sed etiam animam ieiunam, famelicam et miseram derelinquunt. *Homo*. Anima, tu quaeris, quale et quantum sit istud gaudium? Interrogavi omnia intima mea, et mihi narrare non sufficiunt. Anselmus: « Si enim singula, quae praedicta sunt, bona sunt et iucunda, cogita mente illud bonum » etc.

[7] Proslog. c. 24. et 25. (ex quo est ultima propositio).

[8] Caesarius episc. Arelatensis, Homil. 9. (Migne, Patrolog. Lat. tom. 67. col. 1067). — Auctoritate A C D E F L omisimus quae Vat. hic addit: Augustinus [XXII. de Civ. Dei, c. 30. n. 1.]: « Praemium virtutis est qui virtutem dedit, et qui se ipsum, quo nihil maius aut melius esse possit, repromisit. Quid enim aliud est quod per Prophetam dicitur: *Ego ero illorum Deus* [Ezech. 37, 27; cfr. Lev. 26, 12. et II. Cor. 6, 16.], nisi ego ero, unde satientur, ego ero quaecumque ab omnibus honeste desiderantur »? Augustinus de Civitate Dei [XXII. c. 30. n. 1.]: « Ipse est finis desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur, hoc munus, hic affectus, hic actus, profecto erit *omnia in omnibus* ». Haec Augustinus. Puto tamen, ne diutius te protraham, quamvis revera inaestimabile sit illud gaudium et ineffabile; aestimo tamen, quod de tribus proveniat, et triplex

dolor a voluntate, et a memoria omnis timor, ubi mira serenitas, plena suavitas, omnium bonorum sine fastidio aeterna securitas». Haec Bernardus [1].

24. O anima, quantum, putas, gaudent et laetantur qui illud aeternitatis speculum iugiter contemplantur, in quo omnia praeterita, praesentia et futura, quae summae beatitudini competunt, apertissime speculantur? Augustinus [2]: «Dum ad illam supernam lucem Patris luminum venerimus, totum, quod in creaturis esse potest, intelligemus». Anselmus [3]: «Tunc iusti scient omnia, quae Deus fecit scienda». Et «quid est quod nescire possent qui scientem omnia vident»?

Primum ... erit perfecta ... ntia.

Fulgentius [4]: «Sicut per speculum trina nobis visio demonstratur, quia videlicet nos ipsos, ipsum speculum et quidquid praesens est, videmus; sic per speculum divinae claritatis ipsum Deum, nosmetipsos et creaturas alias cognoscemus».

...plex obie... ...m vide... ...r.

O anima, quae naturaliter scire desideras [5], hoc speculum videre affecta, in illo studere et legere desidera, quia hoc semel vidisse est omnia didicisse. Ibi revera stultitia videbitur et reputabitur Platonis theoria, Aristotelis philosophia, Ptolomaei astronomia, quia quidquid hic de veritate intelligimus, minima pars eorum est, quae ignoramus. *Tunc videbis et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum* [6].

...hortatio.

25. Anima. Et quid videbo?

Homo. *Regem* caeli *in decore suo* [7]. Beda: «Splendor aeternae gloriae est tantae pulcritudinis tantaeque dulcedinis, ut etiam ipsi Angeli, qui sole sunt incomparabiliter clariores, eo satiari non possint». Tunc ergo *afflues* deliciis in stupenda divinae claritatis visione, *miraberis* in tui ipsius deliciosa consideratione, *dilataberis* in omnium creaturarum perfecta speculatione. O contemplatio stupenda et admirabilis! O consideratio deliciosa et delectabilis! O speculatio gaudiosa et ineffabilis! O quam digne dictum est de te, Domine Deus meus: *Melior est dies una in atriis tuis super millia* [8]; *quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quae praeteriit*; et secundum Augustinum, «tanta est pulcritudo supernae gloriae, tanta est iucunditas lucis aeternae, ut etiam, si non liceret amplius in ea delectari quam unius diei hora, propter hoc solum innumerabiles huius vitae dies pleni deliciis et circumfluentia bonorum temporalium recte meritoque desipicerentur». Tam pulcra enim est et suavis, ut, ea visa, non amplius valeat aliud delectari, omnem vincit dulcedinem, omnem exsuperat concupiscentiam.

...mo, visio ...ius Dei.

26. Anima. Estne aliquid aliud, cuius visio delectet, cuius contemplatio laetificet?

Homo. O anima, quamvis haec sola sufficerent, si nulla alia adessent, est tamen adhuc una, ut de aliarum omnium pene innumerabilium iucunda visione taceam, quae mirabiliter omnium spirituum mentes laetificat et miro quodam, nescio quo inaestimabili gaudio omnem beatam creaturam inebriat, videre scilicet illius caelestis Reginae deificam claritatem et suae beatissimae Prolis glorificatam humanitatem. Quis, o anima, vel cogitare sufficiat, quantum gaudium generat, illam Matrem misericordiae, Reginam pietatis et clementiae videre, iam non recumbentem cum Parvulo vagiente in praesepio, cui omnes chori Angelorum modo famulantur ut dominae; iam non circumeuntem et quaerentem cum lacrymis Filium, cum perdiderat dilectissimum infantulum in triduo [9], sed eum nunc inspicientem in sempiterno gaudio; iam non turbatam cum eo fugientem in Aegyptum a facie Herodis, quia ipse ascendit in caelum, et Herodes descendit in infernum; iam non turbatam erga plurima, quae fecerunt Filio suo Iudaei, quia *omnia subiecta sunt ei* [10];

Secundo, visio Reginae caeli.

---

gaudium illos beatos spiritus laetificat et delectat. Gaudent enim delectabiliter in perfecta et clarissima divinae claritatis contemplatione, gaudent dulciter in melliflua et suavissima divinae bonitatis degustatione, gaudent sempiternaliter in tranquilla et securissima divinae maiestatis tentione. Scis enim, o anima, quod tribus viribus naturalibus praeemines in tua substantia: habes enim vim rationalem, quae non perfecte illuminatur nisi per primae veritatis apertam cognitionem; et vim concupiscibilem, quae non satiatur nisi per summae bonitatis perfectam dilectionem; vim quoque irascibilem, quae non quietatur nisi per aeternae maiestatis securam comprehensionem. De his tribus dicit beatus Bernardus super Cantica [Serm. 11. n. 5. seq.]: «*Qui replet in bonis desiderium tuum* [Ps. 102, 5.], ipse futurus est rationi plenitudo lucis, voluntati multitudo pacis, memoriae continuatio aeternitatis. *Quare tristis es, o anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi*» [Ps. 41, 6.].

[1] Serm. 11. in Cant. n. 6.

[2] Libr. I. de Mirabilibus sacrae Scripturae (inter opera August.), c. 7: Sed si ad illam lucem Patris luminum [cfr. Iac. 1, 17.] venerimus, nihil in creaturis erit, quod nesciamus.

[3] De Similitudinibus (inter opera Anselmi), c. 49. — Sequitur sententia Gregor., IV. Dialog. c. 33: Quid est quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt? II. Moral. c. 3. n. 3: Quid enim de his quae scienda sunt nesciunt, qui scientem omnia sciunt? Cfr. II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 14. Vide supra pag. 46, notam 10.

[4] Non occurrit in opp. Fulgentii, sed in opusculo *de Triplici Habitaculo* (inter opera August.), c. 6. — Huic loco Vat. praemittit: *Anima. Et quomodo simplicitas hoc permittit? Homo*, et deinde addit: *Anima. O beata veritas, iam video, quod «sine te sapere desipere est, te vero nosse perfectum scire est»* [Anselm., Orat. 2; cfr. supra pag. 46, nota 11.]. Tam primum quam secundum additamentum omittunt A C D E F L.

[5] Aristot., I. Metaph. c. 1: Omnes homines natura scire desiderant. — Inferius pro *semel vidisse* D E *solum vidisse*.

[6] Isai. 60, 5. — Superius post *Aristotelis philosophia* Vat. addit *Empedoclis theoremata, Hippocratis scrutinia*.

[7] Isai. 33, 17. — De seq. sententia Bedae cfr. III. Homil. subdit. sect. I. homil. 70. (2. in festo Omnium Sanct.); clarius tamen insinuatur in libro de Cognitione verae vitae (inter opera August.), c. 8.

[8] Psalm. 83, 11, post quem 89, 4. (quem Vat. omittit), et August., III. de Lib. Arb. c. 25. n. 77.

[9] Cfr. Luc. 2, 7. et 43. seqq.; de fuga in Aegyptum vide Matth. 2, 13. seqq.

[10] Epist. I. Cor. 15, 27. — Sequitur II. Reg. 18, 33. et respicitur Ioan. 19, 25: Stabant autem iuxta crucem Iesu Mater eius etc.

certe iam non eiulantem, vociferantem et clamantem: *Quis mihi det, ut moriar pro te, fili mi?* cum staret prope unigenitum Filium suum morientem et pendentem in crucis patibulo; iam non lamentantem lacrymabiliter, cum sibi daretur « discipulus pro magistro, servus pro Domino[1] », quasi alienus pro unigenito et dulcissimo Filio: sed hanc quondam propter nos tam miseram, tot moeroribus plenam, iam nunc inaestimabiliter super choros Angelorum et omnem creaturam exaltatam, regnantem cum Christo Filio suo[2] in Trinitatis palatio.

Tertio, visio humanitatis Christi.

27. O anima, mente devota pertracta, quam sit plenum omni suavitate gaudium videre hominem hominis Conditorem, feminam Conditoris genitricem, Iesum fratrem nostrum quondam perditum, abiectum et despectum, nunc inventum, nunc reversum, nunc regnantem, nunc omnibus imperantem. *O quis mihi det, ut videam te fratrem meum sugentem ubera matris meae, ut inveniam te foris et deosculer*[3] labiis devotionis, amplectar te brachiis dilectionis, *et iam me nemo despiciat,* cum introduxero te in cubiculum cum dulcedine suavissimae fruitionis? Hanc visionem desiderabat ille devotus Anselmus in Meditationibus[4], quando dicebat: « O dulcissime puer, quando te videbo, quando ante faciem tuam apparebo, quando satiabor pulcritudine tua, quando videbo vultum tuum desiderabilem, *in quem desiderant Angeli prospicere?* Vae animae te non amanti, te non quaerenti! quae, si mundum diligit, peccatis servit, nunquam est quieta, nunquam est secura. Nihil, quaeso, sine te mihi placeat, nihil dulcescat, nihil speciosum, nihil praeter te arrideat pretiosum. Vilescant omnia praeter te. Quod tibi est adversum mihi sit molestum, et tuum beneplacitum sit meum indeficiens desiderium. Taedeat gaudere sine te, delectet gaudere tecum et flere tecum. O bone Iesu, si tam dulce est flere de te, quam dulce erit gaudere de te »? Haec Anselmus.

Desiderium animae.

Anima. O homo, iam amore videndi Dominum Deum creatorem meum langueo, ardore cernendi Iesum fratrem et redemptorem meum deficio. Iam desiderio intuendi Matrem Virginem vulnerata ingemisco. « O quando videbo gaudium meum, quod desidero; quando apparebit gloria, quam esurio? O quando veniet consolator meus, quem exspecto? O quando inebriabor ab ubertate domus eius, ad quam suspiro[5] »? Iam gravis est mihi omnis creatura ad videndum, quia nimis incomparabiliter supereminet eius pulcritudo, a quo processerunt haec omnia.

Homo. O anima, exspecta cum patientia, ut crescant tua desideria, quia scriptum est[6]: *Modicum, et non videbitis me, et iterum modicum, et videbitis me.*

Anima. O modicum longum, modicum nimis prolixum, quia etsi modica sint merita, longa tamen sunt desideria[7].

Secun[...] gaudium [...] de dilect[...] divinae [...] nitatis [...] possessi[...] aeternae [...] iestat[...]

Homo. O anima, si longa et magna videntur tibi tua desideria, quibus aestuas ad aeternam *claritatem* contemplandam; quanto, putas, desiderio aestuare debes ad aeternam *bonitatem perfecte diligendam* et summam *maiestatem aeternaliter possidendam?* Si enim summe non diligeres, quomodo de visione gauderes? Et si bene videres et diligeres, et tamen secura mente non possideres; quomodo beata permaneres? « Ibi igitur vacabimus et videbimus, videbimus et amabimus, amabimus et habebimus[8] ». « Ipse enim est finis desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione in summa felicitate in aeternum laudabitur ». — Audi, quid de praedictis omnibus caelestibus gaudiis dicat ille devotus Anselmus in fine Proslogii[9], et attende, « quam delectabile sit illud bonum, quod continet iucunditatem omnium bonorum. Si iucunda est vita creata, quam iucunda est creatrix essentia! Si iucunda est salus facta, quam iucunda salus, quae fecit omnia! Si amabilis est sapientia de creaturis, quam delectabilis est illa quae est de rebus increatis[10] »! « Cur ergo per multa vagaris, quaerendo bona creata? Ama unum bonum, in quo sunt omnia.

Epilogu[...] Anselm[...]

Gaudiu[...] beatitu[...] propri[...]

---

[1] Bernard., Serm. in Dominica infra Oct. Assumt. B. M. Virg. n. 15: O commutationem! Ioannes tibi pro Iesu traditur, servus pro Domino, discipulus pro magistro. Cfr. Anselm., Orat. 20.

[2] Pro *Filio suo* (ita D E) A C F L *felici gloria.* Vat. contra A C D E L prosequitur: in Trinitatis superbenedictae palatio cantantem, iubilantem et dicentem: *Tenui illum nec dimittam* [Cant. 3, 4.]. *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* [Matth. 11, 28.]. Et illud [Eccli. 24, 26.]: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplemini.*

[3] Cant. 8, 1.

[4] Quae Anselmo attribuuntur inveniuntur tum in Orat. 19, ubi occurrit *O dulcissime... pulcritudine tua;* tum in Meditat. 14. c. 3, ubi habetur *Vae animae... est secura;* tum in Orat. 2, ubi invenitur *Nihil quaeso... flere tecum.* Omnia in unum collecta habentur in Lamentatione in passionem Christi (inter opera Bernardi), n. 3. Allegatur I. Petr. 1, 12.

[5] Anselm., Orat. 20. In secunda et quarta propositione respicitur Ps. 16, 15. et 35, 9.

[6] Ioan. 16, 16.

[7] Secundum Bernard., Serm. 74. in Cant. n. 4.

[8] August., XXII. de Civ. Dei, c. 30. n. 5, ubi pro *habebimus* textus originalis et I *laudabimus,* A C D E brevius: *Ibi igitur amabimus et videbimus, videbimus et habebimus.* Ibid. n. 1. habetur seq. locus, in quo textus originalis omittit *in summa felicitate in aeternum.* Fide A C D E F L omisimus quae Vat. hic addit: « Una enim ibi et tota virtus est amare quod videas, et summa felicitas aeternaliter habere quod amas. Ibi beata vita in suo fonte plene perfecte bibitur, unde miro quodam modo et delectabiliter impressa sitis simul atque satietas alternatur. Sed longe a siti necessitas repellitur, longe a satietate fastidium amovetur ». Haec Augustinus [XII. de Gen. ad lit. c. 26. n. 54; Speculum (inter opera August.) c. 29.]. Sed ne te iam, o anima, diutius protraham.

[9] Cap. 24. Etiam Breviloquium Bonaventurae (tom. V.) explicit afferendo eundem Anselmi locum.

[10] Textus originalis et F *salus, quae fecit omnem salutem? Si... illa quae omnia condidit ex nihilo.* Cod. L cum textu originali addit: Denique, si multae et magnae delectationes

Si delectat pulcritudo, *fulgebunt iusti sicut sol*[1]; si libertas aut fortitudo, *similes erunt Angelis Dei in caelo;* si longa et salubris vita, est ibi sanitas aeterna; si satietas aut ebrietas, satiabuntur de gloria Domini et *inebriabuntur ab ubertate domus Dei;* si melodia, ibi canunt Angeli; si societas et amicitia, ibi est Beatorum societas et omnium una voluntas; si honores et divitiae, *gloria et divitiae in domo eius;* si securitas et certitudo, ibi omnium temporum aeterna longitudo. O cor humanum, cor indigens, cor expertum aerumnas, immo obrutum aerumnis, quantum gauderes, si his omnibus abundares! Interroga intima tua, si capere possint tantum gaudium suum de tanta beatitudine sua. — Sed si homo de tanta beatitudine vix capiet gaudium proprium, quomodo capax erit tot et tantorum gaudiorum, quantus est numerus electorum, ubi unusquisque tantum diligit proximum suum, quantum se ipsum, et tantum de suo gaudio gaudet, quantum diligit! Ita etiam quisque plus absque aestimatione de Dei quam de sua et omnium electorum gaudet felicitate; quia, sicut Deum *toto corde, tota anima, tota mente diligit*[2], ita ad plenitudinem gaudii illius totum cor, tota anima, tota mens non sufficit, quia tantum gaudebunt, quantum amabunt; tantum amabunt, quantum cognoscent. Certe, *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit,* quantum te amabunt et cognoscent Sancti Dei. — Oro, Deus meus, cognoscam te, amem te, ut aeternaliter gaudeam de te. Et si non possum ad plenum in hac vita, crescat saltem hic notitia tui et amor, ut ibi sit plenum gaudium, hic sit in spe et ibi sit in re. Domine Pater, per Filium tuum consulis, immo iubes petere et promittis accipere, ut *gaudium* nostrum *plenum sit*[3]. Peto, Domine, quod per admirabilem consiliarium tuum consulis petere et promittis accipere, ut *gaudium* nostrum *sit plenum;* meditetur interim de hoc mens mea, loquatur inde lingua mea, amet illud cor meum, sermocinetur os meum, esuriat anima mea, sitiat caro mea, desideret tota substantia mea, donec *intrem in gaudium* Dei mei, qui est trinus et unus *benedictus in saecula. Amen*[4] ».

[Gaudium de beatitudine omnium electorum.] **[Oratio ad Deum.]**

---

sunt in rebus delectabilibus, qualis et quanta delectatio est in illo qui fecit ipsa delectabilia! — Quae sequuntur habentur ibid. c. 25. et 26, in quibus tamen textus originalis hinc inde plura interserit.

[1] Matth. 13, 43. Subinde allegantur Luc. 20, 36. (cfr. Matth. 22, 30; vide supra pag. 63, notam 6.); Ps. 35, 9. et 111, 3.

[2] Matth. 22, 37. — Sequitur 1. Cor. 2, 9.

[3] Ioan. 16, 24.

[4] Rom. 1, 25, praecedens locus est Matth. 25, 21. — De gaudio Beatorum in caelis diffuse disputat, allegatis multis auctoritatibus, auctor opusculi de Septem Donis Spiritus S. (de dono Sapientiae c. 8-11), qui videtur esse Rodulphus de Bibraco (cfr. Prolegomena in V. tom. cap. 7. § 1.). Impressum est hoc opusculum inter opera Bonaventurae, ed. Vaticana tom. VI, pag. 236-276.

Quoad nostram huius opusculi editionem haec in fine observamus.

Primo, plus temporis et laboris, quam facile creditur, consumsimus, ut *fontes* auctoritatum, quibus totum opusculum contextum est, quorumque citationes in praecedentibus editionibus saepe vel neglectae vel falso notatae erant, sincere indicaremus. Re vera invenimus fere omnes locos, quorum auctores saltem quoad nomina in textu notati erant, sed insuper non paucos indicatione auctoris penitus destitutos, ita ut hi potius ipsi Bonaventurae attribuendi viderentur. Attamen, spectata stili indole, suspicamur, non paucos residuos esse locos aliunde sumtos, quorum veri auctores inveniri non poterant, quia, ubi quaerendi in tanta asceticorum scriptorum copia essent, nec minimo signo constabat.

Secundo, multa *inserta supposititia,* quae in textu hucusque vulgato occurrunt, ad calcem posuimus, non tantum meliorum codd. auctoritate confisi, sed etiam rationibus inducti ex contextu vel qualitate sententiarum sumtis, quas semper explicare nimis longum et taediosum fuisset.

OPUSCULUM III.

LIGNUM VITAE

PROLOGUS.

Crux Christi mente et carne circumferenda.

1. *Christo confixus sum cruci,* ad Galatas secundo [1].

Verus Dei cultor Christique discipulus, qui Salvatori omnium pro se crucifixo perfecte configurari desiderat, ad hoc potissimum attento mentis conatu debet intendere, ut Christi Iesu crucem circumferat iugiter tam mente quam carne, quatenus praefatum Apostoli verbum veraciter valeat in semetipso sentire. Porro huiusmodi affectum et sensum is duntaxat apud se vivaciter experiri meretur, qui, dominicae passionis non immemor nec ingratus, laborem et dolorem amoremque crucifixi Iesu tanta *memoriae* vivacitate, tanto *intellectus* acumine, tanta *voluntatis* caritate considerat, quod veraciter illud sponsae proferre potest eloquium [2]: *Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.*

Passio Christi meditanda.

Intentio auctoris.

2. Ut igitur praefatus in nobis accendatur [3] affectus, formetur cogitatus, imprimatur memoria, ex sacri Evangelii silva, in qua de *vita, passione* et *glorificatione* Iesu Christi diffuse tractatur, colligere studui hunc *myrrhae fasciculum*, quem et *paucis* et *ordinatis* et *correspondentibus* sibi verbis compegi propter facilitatem memoriae, nec non *simplicibus, consuetis* et *rudibus* propter declinandum curiositatis vitium, fovendam quoque devotionem et aedificandam fidei pietatem. — Et quoniam imaginatio iuvat intelligentiam, ideo quae [4] ex multis pauca collegi in imaginaria quadam arbore sic ordinavi atque disposui, ut in prima et infima ramorum ipsius expansione Salvatoris *origo* describatur et *vita,* in media *passio,* et *glorificatio* in suprema. Et in prima quidem ramorum serie quatuor altrinsecus secundum alphabeti ordinem ponentur versiculi, similiter in secunda et tertia, ex quorum quolibet instar fructus unica pullulatio pendet, ut sic sint quasi duodecim rami afferentes duodecim fructus iuxta mysterium *ligni vitae* [5].

Arbor imaginaria delineata.

Ipsa mente describenda.

3. Describe igitur in spiritu mentis tuae arborem quandam, cuius radix irrigetur fonte scaturitionis perpetuae, qui etiam *excrescat in fluvium*

---

[1] Vers. 19. — Codices 27 a nobis collati tantam variantium lectionum farraginem praebuerunt, ut numerum linearum editionis Vaticanae saltem duplo excederent. Sed harum pleraeque, unius vel paucorum codicum auctoritate suffultae, refragante communi meliorum utriusque familiae lectione, nullius momenti aestimandae sunt, praesertim cum non exhibeant nisi res minutas et tales, quae minus respondeant stilo et indoli nostri Doctoris. Hinc harum tantum paucas, quae alicuius momenti esse videbantur, ad calcem notavimus. Nihilominus textum hucusque vulgatum in multis locis correximus, cum saepe fere omnes codices utriusque familiae, de qua in Prolegomenis nostris c. I. § 3. locuti sumus, emendationi faciendae suffragarentur. In hoc casu solummodo corrigendam Vaticanae lectionem ad calcem posuimus, quin codd. nobis testimonium reddentes allegaremus. Quando autem pauciores codices cum ratione intrinseca vulgati textus correctionem suaserunt, singulos codices ut testes allegavimus, exceptis rebus minimis.

[2] Cant. 1, 12.

[3] Vat. perperam *attendatur,* refragantibus codd. Deinde pro *in qua* non pauci codd., sed non meliores, *in quo,* et pro *propter facilitatem memoriae* altera familia, in specie A C H W Z et ed. 1, *ad habendam facilitatem memoriae.* Denique pro *devotionem et aedificandam fidei pietatem* iidem habent *devotionem ex vera procedentem christianae fidei puritate.*

[4] Vat. cum pluribus codd. omittit *quae* contra meliores codd., quorum tamen plures scribunt *ideoque.* Eadem omittit *in* ante *imaginaria.*

[5] Respicitur hic et in sequentibus Apoc. 22, 1. 2: Et ostendit mihi fluvium aquae vivae, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni. In medio plateae eius et *ex utraque parte fluminis lignum vitae,* afferens *fructus duodecim,* per menses singulos reddens fructum suum, et *folia ligni ad sanitatem gentium.*

SIMILIS FACTU SUM PELLICANO

GLORIFICATIO

PASSIO.

LIGNUM VITAE

ORIGO.

Praeclaritas originis
I. emissus caelitus
I. Maria natus
Iesus ex Deo genitus
Iesus praefiguratus
I. regno fugatus
Iesus Magis monstratus
Humilitas conversationis
I. submissus legibus
I. conformis Patribus
Celsitudo virtutis
I. signis mirificus
Iesus transfiguratus
I. hoste tentatus
I. baptista caelicus
Iesus fletu rigatus
Iesus panis sacratus
Plenitudo pietatis
I. rex orbis agnitus
Iesus pastor sollicitus

Confidentia in periculis
Iesus turba circumdatus
I. vinculis ligatus
Iesus orans prostratus
I. dolo venundatus
Patientia in iniuriis
I. Pilato traditus
I. morte damnatus
I. notis incognitus
Iesus vultu velatus
Constantia in suppliciis
I. iunctus latronibus
I. felle potatus
I. cruci clavatus
I. spretus ab omnibus
Victoria in conflictu mortis
I. cruore madidus
Iesus intumulatus
I. sol morte pallidus
Iesus translanceatus

Novitas resurrectionis
I. decor praecipuus
I. triumphans mortuus
Iesus orbi praelatus
I. resurgens beatus
Sublimitas ascensionis
Iesus ductor exercitus
Iesus caelo levatus
I. largitor Spiritus
I. laxans reatus
Aeternitas regni
Iesus rex regis filius
I. fontalis radius
Iesus liber signatus
I. finis optatus
Aequitas iudicii
Iesus testis veridicus
Iesus victor magnificus
Iesus iudex iratus
I. sponsus ornatus

O crux, frutex salvificus,
Vivo fonte rigatus,
Cuius flos aromaticus,
Fructus desideratus.

Lignum vitae afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem gentium (Apoc. 22).

vivum et magnum, quatuor videlicet capitum, ad irrigandum totius Ecclesiae paradisum[1]. Porro ex huius arboris stipite duodecim rami *frondibus, floribus* et *fructibus* adornati consurgant, sitque *folium* eius contra omne genus morbi medicamentum efficacissimum, tam praeservans quam reparans, pro eo quod *verbum crucis virtus Dei est in salutem omni credenti. Flos* autem sit omnis coloris formositate decorus omnisque odoris suavitate respersus, qui desiderantium anxia corda et refocillet et attrahat. *Fructus* tandem sit duodenus, *habens in se omne delectamentum et omnis saporis suavitatem*[2], qui sic domesticis Dei ad gustandum proponitur, ut semper eo satientur edentes, et tamen nunquam fastidiant. — Et hic quidem fructus est, qui de virginali utero traxit originem et in ligno crucis ad maturitatem saporosam per aeterni solis calorem meridianum, Christi videlicet caritatem, pervenit et in horto paradisi caelestis, mensa scilicet Dei[3], desiderantibus ipsum proponitur degustandus. Et hoc insinuat primus versiculus, quo dicitur:

ni, frondes, flores.

ictus duodenus.

ictos in se onos.

O crux, frutex salvificus,
Vivo fonte rigatus,
Cuius flos aromaticus,
Fructus desideratus.

4. Verum licet hic fructus unus sit et indivisus, quia tamen secundum eius multiplices status, dignitates, virtutes et opera multiformibus consolationibus devotas animas cibat, quae quidem ad duodenarium numerum reducuntur; ideo fructus hic ligni vitae quasi sub duodecim saporibus in duodecim ramis gustandus proponitur atque describitur: ut in primo ramusculo mens Christo devota saporem suavitatis percipiat, praeclaram Salvatoris sui recogitando *originem dulcemque nativitatem;* in secundo ramusculo, *dignativae condescensionis conversationem perhumilem;* in tertio, *celsitudinem perfectae virtutis;* in quarto, *plenitudinem abundantissimae*[4] *pietatis;* in quinto, *confidentiam,* quam habuit in periculo passionis; in sexto, *patientiam,* quam exhibuit in illatis iniuriis et contumeliis magnis; in septimo, *constantiam,* quam servavit in ipso cruciatu et dolore asperrimae crucis; in octavo, *victoriam,* quam assecutus est in conflictu et transitu mortis; in nono, *resurrectionis novitatem* miris dotibus adornatam; in decimo, *ascensionis sublimitatem,* spiritualium charismatum diffusivam; in undecimo, *aequitatem futuri iudicii;* in duodecimo, *aeternitatem divini regni.*

et 12 sapores.

enumerantur.

5. Hos autem ideo voco *fructus,* quia sua multa[5] suavitate delectant et virtuositate confortant animam meditantem in his et diligentius singula pertractantem, si tamen exemplum abhorreat praevaricantis Adae, qui *lignum scientiae boni et mali* praetulit *ligno vitae.* — Quod quidem vitare non potest, nisi rationi fidem, investigationi devotionem, curiositati simplicitatem, tandemque carnali sensui omni seu prudentiae carnis sacram praeferat Christi crucem[6], per quam sancti Spiritus caritas in cordibus devotis nutritur, et septiformis gratia diffunditur, sicut in duobus supremis et postremis versiculis postulatur.

Quare dicantur fructus.

Conditio ad hos gustandos necessaria.

6. Dicatur igitur non sine devotione et lacrymis[7]:

Oratio pro obtinendis 7 donis Spiritus S.

His nos ciba fructibus,
Illustra cogitatus,
Rectis duc itineribus,
Hostis frange conatus,

Sacris reple fulgoribus,
Spira pios afflatus,
Sisque Christum timentibus
Tranquillus vitae status. Amen.

---

[1] Cfr. Esther 10, 6; Gen. 2, 10. 6. et Apoc. loc. cit. Deinde allegatur Rom. 1, 16.

[2] Respicitur Sap. 16, 20. — Supra post *flos* Vat. addit *eius,* et infra pro *omnis saporis suavitatem* eadem habet *omnem saporis suavitatem,* et *ad degustandum* pro *ad gustandum.*

[3] Ita codd. B E N O P Q S T U aa bb cc cum nonnullis differentiis; Vat. *caelestis, in Ecclesia videlicet Dei,* A C H I W et ed. 1 *pervenit et desiderantibus ipsum in amoenitate spiritualis paradisi. Verum.* Hi enim omittunt sequentes versiculos (quos plerique ponunt post prologum), et deinde etiam *quidem* ante *ad duodenarium.*

[4] Vat. addit *et perfectissimae.*

[5] Vat. *maxima.* Infra respicitur Gen. 2, 9.

[6] Similia dicuntur in Itinerar. mentis in Deum, Prolog. n. 4.

[7] Haec verba et 8 qui sequuntur versiculi desunt in edd. (praeter ed. 1.) et etiam in non paucis codd., quorum tamen nonnulli in fine opusculi habent illos versiculos vel etiam omnes 48. Huius omissionis ratio fuisse videtur, quia, cum 48 versiculi iam positi essent in arbore delineata et in decursu expositionis singulis partibus superscripti, a repetendis hic versiculis atque prima illa stropha *O crux, frutex* etc., iam in prologo n. 3. occurrente, librarii supersederunt. Sic autem accidit, ut duae ultimae strophae, quae incipiunt: *His nos ciba* etc., in praedictis edd. et codd. penitus exciderint. Hi continent orationem pro obtinendis septem donis Spiritus S. et perfecte respondent orationi in prosa idem petenti, qua totum opusculum concluditur (cfr. infra n. 49.). Cum etiam meliores utriusque familiae codd. illa verba: *Dicatur igitur* cum istis versiculis habeant, praesertim A C D H L U W Z aa, et plures alii a nobis non collati, sed tantum inspecti; certum est, haec esse genuina. Tamen codd. in hoc differunt, quod nonnulli ponunt in initio illam stropham: *O crux, frutex* etc., et in fine duas illas strophas: *His nos ciba* etc., alii, ut D L U, convenientius hic ponunt solummodo praedictas duas strophas; deinde per modum tabulae ponunt 48 versiculos, tanquam capitula, omissa prima stropha *O crux, frutex* etc.

SEQUUNTUR CAPITULA OPUSCULI.

DE MYSTERIO ORIGINIS.

FRUCTUS I. PRAECLARITAS ORIGINIS.

Iesus, ex Deo genitus,
» praefiguratus,
» emissus caelitus,
» Maria natus.

FRUCTUS II. HUMILITAS CONVERSATIONIS.

Iesus, conformis Patribus,
» Magis monstratus,
» submissus legibus,
» regno fugatus.

FRUCTUS III. CELSITUDO VIRTUTIS.

Iesus, baptista caelicus,
» hoste tentatus,
» signis mirificus,
» transfiguratus.

FRUCTUS IV. PLENITUDO PIETATIS.

Iesus, pastor sollicitus,
» fletu rigatus,
» rex orbis agnitus,
» panis sacratus.

DE MYSTERIO PASSIONIS.

FRUCTUS V. CONFIDENTIA IN PERICULIS.

Iesus, dolo venundatus,
» orans prostratus,
» turba circumdatus,
» vinculis ligatus.

FRUCTUS VI. PATIENTIA IN INIURIIS.

Iesus, notis incognitus,
» vultu velatus,
» Pilato traditus,
» morte damnatus.

FRUCTUS VII. CONSTANTIA IN SUPPLICIIS.

Iesus, spretus ab omnibus,
» cruci clavatus,
» iunctus latronibus,
» felle potatus.

FRUCTUS VIII. VICTORIA IN CONFLICTU MORTIS.

Iesus, sol morte pallidus,
» translanceatus,
» cruore madidus,
» intumulatus.

DE MYSTERIO GLORIFICATIONIS.

FRUCTUS IX. NOVITAS RESURRECTIONIS.

Iesus, triumphans mortuus,
» resurgens beatus,
» decor praecipuus,
» orbi praelatus.

FRUCTUS X. SUBLIMITAS ASCENSIONIS.

Iesus, ductor exercitus,
» caelo levatus,
» largitor Spiritus,
» laxans reatus.

FRUCTUS XI. AEQUITAS IUDICII.

Iesus, testis veridicus,
» iudex iratus,
» victor magnificus,
» sponsus ornatus.

FRUCTUS XII. AETERNITAS REGNI.

Iesus, rex regis filius,
» liber signatus,
» fontalis radius,
» finis optatus [1].

Expergiscere proinde, anima Christo devota, et singula, quae de Iesu dicuntur, diligentius discute, attente considera et morose pertracta. **Hortatio.**

EXPLICIT PROLOGUS, INCIPIT TRACTATUS.

---

[1] Codd. alterius familiae cum ed. 1 quoad versiculos non parum a communi lectione differunt. Post verba: *Dicatur igitur non sine devotione* etc., et primam stropham: *O crux, frutex* etc., ponunt sequentes duodecim versiculos: Iesus, promissus Patribus — Iesus, pro nobis natus — Iesus, plenus virtutibus — Iesus, pati paratus — Iesus, Iudaeis proditus — Iesus, morte damnatus — Iesus, in cruce positus — Iesus, translanceatus — Iesus, victor fortissimus — Iesus, sponsus ornatus — Iesus, iudex rectissimus — Iesus, finis optatus.

Deinde exhibent duas strophas: *His, crux, nos ciba fructibus* etc. — Etiam in decursu ipsius opusculi codd. A C W Z non inscribunt alios titulos nisi hos 12 loco illorum 48 versiculorum, qui in textu explicantur. In Z posterior manus ad marginem scripsit omnes 48 versiculos. Sed cum sequens explicatio plerumque non conveniat cum praedictis 12 versiculis, ut huic incommodo subveniatur, in his codd. quaedam additamenta adiecta sunt; alia etiam ab ipsis adiuncta exhibent locos s. Scripturae; singula haec ad calcem annotavimus. Etiam in delineatione arboris huius mysticae, quae est in illo cod. Assisiensi, qui est fidele apographum codicis A, solummodo isti duodecim versiculi scripti et etiam duodecim fructus omissi sunt. — Post istos versiculos codd. et ed. 1 eiusdem familiae haec addunt: « Pauca haec dicta sunt ad facilitatem memoriae, quibus figura subscribenda est arboris ad imaginationis firmitatem; post quae subnectitur expositio ad intelligentiae illustrationem, quae omnia comitari debet affectionis devotio et sapientiae gustus, per quem vivificatur anima vita beata, ut sic in nobis illud Sapientis verbum veraciter compleatur: *Lignum vitae est his qui apprehenderint eam, et qui tenuerit eam beatus* » [Prov. 3, 18.].

De praedicta horum codd. lectione cod. L, licet plerumque eosdem sequatur, in fine tamen confitetur, quod « praetitulationes capitulorum praecedentis tractatuli ab aliquibus aliter ponuntur et *verius secundum mentem eiusdem Doctoris beati Bonaventurae*, videlicet » etc. (Cfr. Prolegom. c. I. § 3.).

DE MYSTERIO ORIGINIS.

Fructus I. Praeclaritas originis [1].

Iesus, ex Deo genitus.

1. Cum *Iesum* audis ex Deo genitum, cave, ne mentis tuae oculis infirmum aliquid carnalis cogitationis occurrat, quin potius columbino et aquilino intuitu [2] simpliciter crede ac perspicaciter contemplare, quod ab illa aeterna luce, simul immensa et simplicissima, fulgentissima et summe arcana, coaeternus, coaequalis et consubstantialis splendor oritur, qui est virtus et sapientia Generantis, in quo Pater omnia *disposuit ab aeterno*, per *quem fecit et saecula* factaque gubernat et ordinat ad gloriam suam, partim per naturam, partim per gratiam, partim per iustitiam, partim per misericordiam, ut [3] nihil in hoc mundo inordinatum relinquat.

[...da est ...i Divi... Patri ...nalis.] [...adnm.]

Iesus, praefiguratus.

2. A principio quidem [4] conditionis naturae, collocatis in paradiso parentibus primis, dehinc propter esum ligni vetiti per divini decreti severitatem expulsis, superna misericordia non distulit hominem errabundum revocare ad poenitentiae viam, spem veniae dando per repromissum Salvatoris adventum. Et ne forte per ignorantiam et ingratitudinem tanta Dei dignatio nostrae saluti foret inefficax [5], in quinque saeculi huius aetatibus per Patriarchas, iudices, sacerdotes, reges et Prophetas ab Abel iusto usque ad Ioannem Baptistam Filii sui adventum praenuntiare, promittere ac praefigurare non destitit, ut per multa millia temporum et annorum magnis et miris multiplicatis oraculis et intelligentias nostras ad fidem erigeret et affectus per viva desideria inflammaret.

[...are ...os per ...ie ae... ...romit... ...prae... ...ietur, ...igare... ...r.]

Iesus, emissus caelitus.

3. Denique, postquam *venit plenitudo temporis* [6], sicut homo sexta die conditus est de terra per divinae manus virtutem et sapientiam; sic in principio sextae aetatis, misso archangelo Gabriele ad Virginem, et Virgine praebente illi assensum, supervenit in eam Spiritus sanctus, sicut ignis divinus mentem eius inflammans carnemque ipsius perfectissima puritate sanctificans. Sed et *virtus eam obumbravit Altissimi,* ut tantum ferre posset ardorem; qua operante in instanti corpus fuit formatum, anima creata et simul utrumque Divinitati in persona Filii counitum, ut idem esset Deus et homo, salva utriusque proprietate naturae.

Incarnatio Verbi in sexta aetate.

O si valeres utcumque sentire, quale quantumque fuerit illud e caelo immissum incendium, collatum refrigerium, infusum solatium, quanta sublimatio Virginis Matris, quanta nobilitatio humani [7] generis quantaque condescensio Maiestatis; si Virginem canentem cum iubilo posses audire, si cum Domina tua in montana conscendere, si sterilis et Virginis suavem intueri complexum et salutationis officium, in quo servulus Dominum, praeco Iudicem, vox Verbum agnovit: puto, quod canticum illud sacrum: *Magnificat anima mea Dominum* etc., cum beatissima Virgine suavi tunc modulatione concineres mirumque conceptum virgineum una cum Propheta Parvulo exsultans et iubilans adorares!

Unde magnificandus Deus.

Iesus, Maria [8] natus.

4. Sane, cum *quietum silentium* [9] universalis pacis sub Caesaris Augusti imperio perturbata prius saecula serenasset in tantum, ut per ipsius edictum describeretur universus orbis; divinae factum est providentiae cura, ut Ioseph, Virginis sponsus, praegnantem puellam, de regali ortam prosapia ad Bethlehemiticam duceret urbem. Et iam a conceptu excursis mensibus novem, *Rex ille pacificus* [10] tanquam *sponsus de thalamo* processit de utero virginali, sic absque omni corruptione in lucem editus, sicut fuerat absque omnis libidinis contagione conceptus; qui, cum magnus esset et dives, pro nobis effectus parvus et pauper, extra domum in diversorio nasci

Nativitas Christi.

Partus Virginis.

[1] Cod. L habet hanc rubricam: *Primus ramus et eius fructus est praeclara Salvatoris origo dulcisque nativitas.* Simili modo etiam alios 11 fructus denotat. — Codd. A C W (Z deficit, quia duae paginae exciderunt) et ed. 1 post *pertracta* prosequuntur: « Et primo hoc quod primo proponitur: *Iesus, promissus Patribus.* Pater siquidem misericordiarum et totius consolationis sua dignantissimae miserationis abundantia et caritate infinita fidelibus Patribus sub iuramento promisit, quod Verbum suum unicum, quod erat in principio Deus apud Deum, et per quod facta sunt omnia, carni uniret humanae, ut mirabiliter ex Matre nasceretur in tempore, quod ineffabiliter ex ipso Deo Patre genitum est in aeternitate. Cum igitur audis ex Deo genitum, cave, ne » etc.

[2] Codd. A C W *contuitu,* deinde pro *splendor oritur* C E F W et 1 *splendor exoritur.* Ante *Generantis* Vat. addit *Patris.* Infra respicitur Hebr. 1, 2.

[3] Codd. O P cc addunt *sic.* — Post *relinquat* A C W adiungunt *cum tamen circa generis humani salutem, ad cuius obsequium pene facta sunt omnia, specialiter sua providentia videatur intenta.* Iidem porro hic et passim infra omittunt titulum.

[4] Codd. A C W et 1 *namque,* qui etiam post *collocatis* addunt *primum.*

[5] Codd. O P R U cc adiiciunt *per multa millia annorum.* Inferius Vat. omittit *et* tum ante *miris* tum ante *intelligentias,* et perperam scribit *finem* pro *fidem.*

[6] Respicitur Gal. 4, 4. De seqq. cfr. Matth. 1, 18-23. et Luc. 1, 26-38. — Codd. A C W et 1 omisso *Denique* ponunt *autem* post *postquam.* Infra pro *counitum* plures codd. *coniunctum.*

[7] Vat. omittit *humani,* et infra pro *agnovit* habet *cognovit;* pro *suavi tunc* L U *suavi cum.* — Canticum *Magnificat* est Luc. 1, 46-55.

[8] Codd. F Q aa *Mariae;* A C W omittunt titulum, sed infra n. 5. habent *Iesus, pro nobis natus.* In libro Ubertini a Casali, *Arbor vitae crucifixae* habetur etiam *Maria natus.* Pro *Sane cum* A C W et 1 *Denique cum.*

[9] Respicitur Sap. 18, 14; et de seqq. cfr. Luc. 2, 1-18.

[10] Respicitur I. Paralip. 22, 9; et Ps. 18, 6.

elegit, panniculis involvi, lacte virgineo pasci et inter bovem et asinum in praesepio reclinari. Tunc « illuxit nobis dies redemptionis novae, reparationis antiquae, felicitatis aeternae; tunc per totum mundum melliflui facti sunt caeli [1] ».

Hortatio. Complectere [2] itaque nunc, anima mea, divinum illud praesepe, ut pueri pedibus labia tua figas et oscula gemines. Deinde pastorum excubias mente pertracta, Angelorum mirare concurrentem exercitum, caelesti melodiae tuas interpone partes, corde et ore decantans: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis* [3].

Fructus II. Humilitas conversationis.

Iesus, conformis Patribus [4].

Humiliatio in circumcisione. 5. Octavo nempe die circumciditur puer et vocatur *Iesus*, ut, sanguinis sui pretium pro te non tardans effundere, tuum se verissimum Salvatorem ostendat, Patribus repromissum tam verbo quam signo eisque assimilatum per omnia praeter ignorantiam et peccatum. Propter quod et circumcisionis accepit signaculum, sicut et veniens apparuit *in similitudine carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum* [5] nobisque fieret salus et sempiterna iustitia, ab humilitate sumens initium, quae omnium est radix custosque virtutum.

Contra superbiam. *Quid igitur superbis, terra et cinis* [6]? Agnus innocens, *qui tollit peccata mundi*, non abhorret circumcisionis cauterium; et tu, peccator cum sis, cum praetendis te iustum, remedium refugis salutis aeternae, ad quam pervenire nullatenus potes, nisi velis subsequi humilem Salvatorem.

Iesus, Magis monstratus.

6. Nato Domino in Bethlehem Iudae, stella Magis in oriente apparuit [7] et usque ad domum humilis Regis praevia claritate perduxit.

Sequere stellam et exemplum Magorum. Noli iam et tu ab illius orientis et praeeuntis stellae declinare fulgore, quin potius, sacrorum regum comes effectus, Iudaeorum Scripturam Christo testimonium perhibentem accepta et fraudulenti regis declina malitiam. Cum auro, thure et myrrha Christum regem ut [8] verum Deum et hominem venerare et cum primitiis gentium vocandarum ad fidem humilem Deum in cuno iacentem adora, confitere et lauda, ut sic in *somnis commonitus*, ne Herodianam secteris superbiam, post vestigia humilis Christi *revertaris in regionem tuam.*

Iesus, submissus legibus.

Purificatio Virginis et praesentatio Christi. 7. Non suffecit [9] magistro humilitatis perfectae, cum Patri per omnia esset aequalis, quod se subderet humillimae Virgini, nisi et se submitteret Legi, quatenus *eos qui sub Lege erant, redimeret liberaretque a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei.* Propter quod et Matrem, quamquam mundissimam, legem purificationis voluit observare, et se ipsum, omnium Redemptorem, ut primogenitum redimi, in templo Dei offerri, et hostiam pro se dari, praesentibus et exsultantibus iustis.

Hortatio. Exsulta igitur et tu cum illo beato sene et Anna longaeva; procede in occursum Matris et Parvuli; vincat verecundiam amor, depellat timorem affectus. Accipias et tu Infantem in ulnas tuas dicasque cum sponsa [10]: *Tenui eum nec dimittam.* Tripudia cum illo sanctissimo sene ac concine: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.*

Iesus, regno fugatus.

Fuga in Aegyptum et exercitium trium virtutum. 8. Quoniam autem humilitatem perfectam trium specialiter adornari decet comitatu virtutum, scilicet *paupertatis* in fugiendo divitias ut fomenta superbiae, *patientiae* vero in aequanimi perpessione contemptus, *obedientiae* quoque in alienis parendo mandatis: ideo divina dispositione [11], altiori permittente consilio, dum Herodes impius parvulum regem quaerit, ut perdat, supernae revelationis oraculo in Aegyptum transfertur ut peregrinus et pauper, simulque in coaetaneis parvulis ipsius causa occisis occiditur et quasi in quolibet trucidatur. Tandem Herode defuncto, iuxta divinum imperium reducitur in terram Iuda [12], ibique conversatus et crescens aetate et

---

[1] Breviar. Roman. Officium Nativit. Domini Noct. 1. Resp. 2., ubi, refragante originali, pro *redemptionis novae* fere omnes codd. *redemptionis nostrae*. Cfr. Leo, Serm. 21 (2. in Nativ.).

[2] Ita fere omnes codd.; Vat. *Contemplare*.

[3] Luc. 2, 14. Pro *in altissimis* pauci codd. cum Missali *in excelsis*.

[4] Codd. A C W Z et 1 hic habent titulum *Iesus, pro nobis natus*. Dein *Propter nos utique redimendos pretio sacratissimi sanguinis et informandos exemplo perfectae humilitatis parvulus natus est et datus nobis* [Isai. 9, 6.]. *Octavo nempe* (Vat. *Octavo namque*). — De circumcisione cfr. Luc. 2, 21.

[5] Rom. 8, 3; Vat. cum Vulgata et pluribus codd. *in similitudinem* (scil. *mittens*, dum hic legitur *veniens apparuit*).

[6] Eccli. 10, 9; deinde respicitur Ioan. 1, 29.

[7] Cfr. Matth. 2. seqq. — Codd. A C W Z et 1 prosequuntur *quae praeclaros illos et magnificos viros usque*, Q tantum *et eos usque*. Vat. voci *humilis* praefigit *illius*, et deinde perperam habet *fulgores* pro *fulgore*. Pro *sacrorum regum* E L *sanctorum regum*; denique Vat. post *regis* addit *Herodis*.

[8] Vat. cum nonnullis codd. *et*, ac inferius perperam *ad finem* pro *ad fidem*. Post *ut sic* O P cc adiiciunt *tandem*; et Vat. *sequaris superbiam* pro *secteris superbiam*.

[9] Codd. A C W Z et 1 *Nec sufficit*. — Cfr. de praesentatione in templo Luc. 2, 21-32. Inferius respiciuntur Gal. 4, 5. et Rom. 8, 21.

[10] Cant. 3, 4. et infra Luc. 2, 29. — Vat. supra post *Infantem* addit *Iesum* et infra post *sene* addit *Simeone*.

[11] Cod. P *divinae dispositionis altiori*. — De fuga in Aegyptum etc. cfr. Matth. 2, 13-23.

[12] Codd. 1 N O P S cc ee *in Iudaeam, terram Iuda*.

gratia, cohabitabat parentibus et adeo erat subditus illis, ut nunquam vel ad momentum secederet, nisi cum, duodecim iam factus annorum, remansit in Ierusalem, non sine multo Matris dolore quaesitus nec sine immenso gaudio reinventus.

Hortatio. Noli ergo et tu fugientes in Aegyptum Matrem et Parvulum sine comitatu relinquere; noli cum dilecta quaerente dilectum, donec invenias, ab inquisitione cessare. O cum quanta copia fluerent lacrymae, si oculis piis aspiceres tam venerabilem Dominam gratiosissimamque puellam cum tam tenero et formoso Puerulo [1] peregrinam; si etiam dulcem illam increpationem amantissimae Dei Genitricis audires: *Fili, quid fecisti nobis sic?* tanquam si diceret: Desideratissime Fili, quomodo tam dilectae et diligenti Matri tantam potuisti materiam praestare doloris!

Fructus III. Celsitudo virtutis.

Iesus, baptista caelicus [2].

aptismus ianua Sacramentorum. 9. Cum autem ad trigesimum aetatis suae annum Salvator pervenisset, volens operari salutem nostram, *coepit* prius *facere quam docere;* et primum inchoans a ianua Sacramentorum et fundamento virtutum, baptizari voluit a Ioanne, ut exemplum monstraret perfectae iustitiae et « vim regenerativam aquis conferret contactu mundissimae carnis suae [3] ».

Hortatio. Quem et tu fideliter comitare, ac iam regeneratus in ipso, eius scrutare secreta, ut « secus Iordanem in *voce* Patrem, in *carne* Filium, in *columba* videas Spiritum sanctum, et aperto tibi Trinitatis caelo [4] », sursum feraris in Deum.

Iesus, hoste tentatus.

10. *Ductus* namque fuit Iesus *in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo* [5], quatenus et hostilis pugnae humili perpessione nos humiles et victoriae faceret assecutione viriles. Duram quoque ac solitariam vitam constanter assumsit, ut fidelium mentes ad perfectionis aggressionem erigeret et ad gravia perferenda firmaret. Ratio tentationis Christi et vitae solitariae.

Hortatio. Eia nunc, Christi discipule [6], cum pio magistro solitudinis secreta perquire, ut socius ferarum effectus, arcani silentii, orationis devotae, diuturni ieiunii, trinae conflictationis cum callido hoste imitator fias et particeps et in omni tentationum discrimine ad illum discas habere recursum, pro eo quod *non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato* [7].

Iesus, signis mirificus.

Miracula Christi. 11. Ipse nempe est, qui *facit mirabilia* magna *solus* [8], dum elementa commutat, panes multiplicat, mare calcat fluctusque tranquillat, daemones compescit et fugat, languidos sanat, leprosos emundat et mortuos suscitat, qui et caecis visum, surdis auditum, mutis eloquium, claudis gressum, paralyticis et aridis et sensum restaurat et motum.

Modi Dominum precandi. Ad quem [9] peccatrix conscientia clamat nunc more fidelis leprosi: *Domine, si vis, potes me mundare;* nunc more centurionis: *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus et male torquetur;* nunc more Chananaeae: *Miserere mei, fili David;* nunc more sanguifluae mulieris: *Si tetigero*, inquit, *fimbriam vestimenti eius, salva ero;* nunc instar Mariae et Marthae: *Domine*, ecce, *quem diligis infirmatur* [10].

Iesus, transfiguratus.

12. Ad confirmandam siquidem mentem humanam per spem retributionis aeternae *in montem excelsum seorsum* [11] *assumsit Iesus Petrum, Iacobum et Ioannem,* quibus et Trinitatis sacramentum

---

[1] Codd. A C F W Z et 1 *Infantulo.* — Sequitur Luc. 2, 48.

[2] Multi codd. legunt *caelitus*, nonnulli clare *caelicus*, quae forma adiectivi non est inusitata et hic convenientior. Alterius familiae codd. et ed. 1 post titulum *Iesus, plenus virtutibus* prosequuntur: Dei quoque virtus et sapientia, Christus Iesus, licet ratione carnis assumtae cerneretur infirmus, cunctis tamen plenus virtuosis habitibus, ut illos patenter ostenderet apud se ac liberaliter tanquam caput in membra diffunderet; cum iam aetatis annum trigesimum attigisset, nostram cupiens operari salutem, coepit etc. — Seq. locus est Act. 1, 1.

[3] Beda, l. in Lucam, 3, 21. — Infra pro *ac iam regeneratus* Vat. *ut fias regeneratus.* — De baptismo Christi cfr. Matth. 3, 13-17; Marc. 1, 9-11; Luc. 3, 21-22.

[4] Anselm., Meditat. 15. — Verba *et aperto... Deum* desunt in Vat. contra fere omnes codd. et 1.

[5] Matth. 4, 1. seqq. — In titulo pro *hoste tentatus* V *ab hoste tentatus.*

[6] Pro *Christi discipule* A W Z *anima Christo* [1 *Christi*] *devota;* deinde iidem *socia ferarum effecta* pro *socius ferarum effectus.* Deinde Vat. *in omnium tentationum* pro *in omni tentationum.*

[7] Hebr. 4, 15. — Codd. A C F W Z et 1 post hunc locum addunt *Etenim, in quo tentatus est et passus est, potens est et his qui tentantur, auxiliari.*

[8] Psalm. 71, 18, ubi Vat. *fecit* pro *facit;* eadem infra omittit *languidos sanat*, et post *emundat* addit *et sanat.*

[9] Codd. A B F G L N W Z *Apud quem;* pro *clamat* O P U Z *clama.* — Allegantur Luc. 5, 12 (vel Matth. 8, 2.); Matth. 8, 6; de Chananaea ibid. 15, 22; de muliere sanguiflua 9, 21; ultimo Ioan. 11, 3.

[10] Codd. A C F W Z et 1 addunt *Nunc cum Propheta fidenter exclama: Sana me, Domine, et sanabor; salvum me fac, et salvus ero* [Ier. 17, 14.]. Iidem sequentem titulum sic incipiunt: *Porro, quia salus nostra in virtutibus inchoatur gratuitis et consummatur in dotibus gloriosis, ideo ad confirmandam* [Vat. *confirmandum*] etc.

[11] Matth. 17, 1 seqq. — Vat. cum pluribus codd. omittit *in montem excelsum seorsum.*

Gloria resurrectionis in transfiguratione monstratur.

aperuit et passionis abiectionem praedixit et resurrectionis futurae gloriam in transfiguratione monstravit, contestantibus sibi Lege et Prophetis in apparitione Moysi et Eliae, contestantibus etiam Patre et Spiritu sancto in *voce* et in *nube*, ut sic anima Christo devota et iam in veritate firmata et ad apicem virtutis evecta[1] fideliter dicat cum Petro: *Domine, bonum est nos hic esse*, hoc est in tuae contemplationis perfruitione serena, immissoque in eam caelesti sopore et ecstasi; *audiat arcana verba, quae non licet homini loqui*[2].

Fructus IV. Plenitudo pietatis.

Iesus, pastor sollicitus[3].

13. Quanta fuerit piissimi pastoris ad perditas oves sollicitudinis cura quantaque clementia, ipse bonus pastor in parabola pastoris et ovis centesimae perditae multaque cura quaesitae ac tandem inventae et in humeris reportatae cum gaudio pia metaphora indicat et sermone expresso aperte[4] declarat, cum dicit: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis;* et in eo vere illud propheticum perfecte impletur: *Sicut pastor gregem suum pascet.* Nam propter hoc labores, sollicitudines et inedias passus, inter Pharisaeorum insidias et pericula multa evangelizando regnum Dei civitates circuibat et castra, noctes ducebat in oratione pervigiles, nec Pharisaeorum veritus murmur aut scandalum, publicanis se reddebat affabilem, asserens, se *propter male habentes venisse in mundum*[5]. Ad poenitentes quoque paternum praetendebat affectum, apertum ostendens eis divinae misericordiae sinum. Testes horum invoco et adduco in medium Matthaeum[6], Zachaeum et peccatricem illam ad pedes eius prostratam et mulierem in adulterio deprehensam.

Christus se declarat bonum pastorem.

Hortatio.

Hunc igitur pastorem piissimum more Matthaei perfecte sectare, more Zachaei hospitio suscipe, more peccatricis unguento perunge pedesque ipsius ablue lacrymis, terge capillis et osculis mulce, ut tandem cum illa muliere iudicio ipsius exposita sententiam absolutionis merearis audire: *Nemo te condemnavit? Nec ego te condemnabo. Vade et amplius noli peccare*[7].

Iesus, fletu rigatus.

Ter Christus flevit.

14. Pro summae siquidem pietatis reseranda dulcedine fons totius misericordiae, bonus Iesus, non modo pro nobis miseris semel, sed pluries flevit. Nam super Lazarum primo[8], dehinc super civitatem et tandem in cruce ex illis piissimis oculis ad omnium expiationem peccatorum lacrymarum manavere fluenta; flevitque Salvator ubertim, nunc humanae infirmitatis deplorando miseriam, nunc caeci cordis caliginem, nunc obduratae malitiae pravitatem.

Cor durum increpatur.

O cor durum[9], vesanum et impium et tanquam vera privatum vita plangendum, cur more phrenetici, flente super te Sapientia Patris, in tantis miseriis laetaris et rides? Considera lacrymantem medicum tuum et *luctum Unigeniti fac tibi, planctum amarum; deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem; non des requiem tibi, nec taceat pupilla oculi tui.*

Iesus, rex orbis agnitus.

Christus triumphat in Ierusalem.

15. Sane post Lazarum suscitatum et effusum alabastrum unguenti super caput Iesu, odore famae eius iam resperso in populo, praesciens ipse, turbam obviam sibi venturam, conscendit asellum, ut inter applausus occurrentium populorum, caedentium ramos et sternentium vestimenta in via mirae praeberet humilitatis exemplum[10]. Nec suae miserationis oblitus, cum turbae depromerent canticum laudis, ipse lamentum assumsit super excidium civitatis.

Comitandus Christus exhibeatur.

Surge nunc, Salvatoris ancilla, ut tanquam una de filiabus Ierusalem intuearis *regem Salomonem*[11] in honore, quem sibi mater Synagoga in Ecclesiae nascentis mysterium reverenter exhibuit, ut insidentem aselli tergo caeli terraeque Dominum, velut cum *ramis olivarum atque palmarum*, pietatis operibus virtutumque triumphis iugiter comiteris.

---

[1] Codd. E F P Q cc et 1 *erecta*, post quam vocem A C F W Z et 1 interserunt *in illius suavitate vocis exsultet:* Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui [Matth. 17, 5.]; *dicatque cum Petro.* — Sequens locus est ibid. v. 4.

[2] Epist. II. ad Cor. 12, 4.

[3] Codd. A C W Z *Iesus, pati paratus.* Deinde iidem continuant: Verum quidem, quod *magnus Dominus et magna virtus eius* [Ps. 146, 5.], *sed miserationes eius super omnia opera eius* [Ps. 144, 9.]. Quanta namque fuerit. — Infra respiciuntur Luc. 15, 4-10.

[4] Vat. omittit *aperte.* — Seq. locus est Ioan. 10, 11; secundus Isai. 40, 11; qui tamen in A C W Z et 1 omittitur; hi deinde cum E F pro *sollicitudines* ponunt *lassitudines.*

[5] Matth. 9, 12. — Dein post *affectum* A C W Z et 1 prosequuntur: *se ipsum eis exhibendo propitium, ut aperte illis ostenderet divinae* etc.

[6] De Matthaeo vide Matth. 9, 9. seqq. et 10, 3; de Zachaeo Luc. 19, 2. seqq.; de muliere peccatrice Luc. 7. 37; de adultera Ioan. 8, 3. seqq.

[7] Ioan. 8, 10. 11, ubi Vat. ante *amplius* praefigit *iam.*

[8] Vide Ioan. 11, 35; deinde Luc. 19, 41; denique Hebr. 5, 7. — Supra pro *siquidem* Vat. *quidem*, C W Z et 1 *quoque.* Infra pro *omnium expiationem* (ita A C E F W Z et 1) Vat. *omnem expiationem;* pro *peccatorum* A C W Z et 1 *peccaminum.*

[9] Cod. D interserit *et aridum.* — Infra allegantur Ier. 6, 26. et Thren. 2, 18.

[10] Vide Matth. 21, 1. seqq.; Marc. 11, 1. seqq.; Luc. 19, 28. seqq.; Ioan. 12, 12-15. — Supra pro *occurrentium* Vat. cum pluribus codd. *currentium*, 1 *concurrentium.*

[11] Respicitur Cant. 3, 11.

Iesus, panis sacratus.

16. Inter omnia memorialia Christi praecipua recordatione constat esse dignissimum finale illud convivium sacratissimae coenae [1], in quo non solum agnus paschalis ad edendum proponitur, verum etiam Agnus immaculatus, *qui tollit peccata mundi,* sub specie panis *omne habentis delectamentum et omnis saporis suavitatem* praebetur in cibum. In quo quidem convivio mira Christi refulsit *bonitatis dulcedo,* quando cum pauperculis illis discipulis et Iuda proditore eadem mensa et scutella coenavit. Mirum claruit *humilitatis exemplum,* dum pedes piscatorum et etiam proditoris sui Rex gloriae, praecinctus linteo, studiosissime lavit. Mira patuit *munificentiae largitas,* dum sacerdotibus illis primis, et per consequens toti Ecclesiae et orbi terrarum corpus suum sacratissimum et sanguinem verum in [2] cibum dedit et potum, ut quod erat futurum in proximo sacrificium Deo placens et redemptionis nostrae inpretiabile pretium esset viaticum et sustentamentum. Mirus tandem emicuit *dilectionis excessus,* quando *in finem diligens suos* [3], tam dulci eos exhortatione confortavit in bono, Petrum specialiter praemonens ad fidei robur et Ioanni offerens pectus ad recubitum iucundum et sacrum.

…atissima …oena.

…olsernot …itas, hu- …tas, lar- …s et di- …io.

O quam mira sunt haec omnia, repleta dulcedine illi dumtaxat animae, quae, ad tam celebre vocata convivium, toto mentis currit ardore, ut possit illud eructare propheticum: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus* [4]*!*

Reflexio.

DE MYSTERIO PASSIONIS.

Fructus V. Confidentia in periculis.

Iesus, dolo venundatus.

17. Passionem Christi Iesu [5] pie considerare volenti primum occurrit perfidia proditoris, qui tantae fuit *fraudis veneno* repletus, ut Magistrum et Dominum proderet; tanta *cupiditatis flamma* [6] succensus, ut optimum Deum argento venundaret et pretiosissimum Christi sanguinem vilis mercedis pretio compensaret; tantae denique *ingratitudinis,* ut eum qui omnia sibi commiserat et ad culmen apostolici honoris provexerat, insectaretur ad mortem [7]; tantae *duritiae,* ut nec familiaritate convivii nec humilitate obsequii nec suavitate colloquii a concepta malitia potuerit revocari. O mira benignitas Magistri in discipulum durum, pii Domini in servum nequissimum! Certe *bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille* [8]. — Verum, licet inexplicabilis fuerit proditoris impietas, in immensum tamen eam exsuperat Agni Dei dulcissima mansuetudo, in exemplum data mortalibus [9], ut iam non dicat ab amico exasperata humana infirmitas: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique,* quia *ecce homo unanimis, qui dux videbatur et notus,* qui Christi *panes edebat* et in sacra illa coena cum *ipso dulces capiebat cibos, magnificavit super eum supplantationem!* Et tamen Agnus ille mitissimus os, *in quo non est inventus dolus,* ori, quod abundavit malitia, in ipsa proditionis hora suavi osculo applicare non renuit, ut omnia illi exhiberet, quae pravi cordis pertinaciam emollire potuissent.

…oditoris …vitia.

Salvatoris mansuetudo.

Exemplum Christi imitandum.

Iesus, orans prostratus.

18. *Sciens* namque *Iesus omnia, quae super eum erant ventura,* secundum altissimae dispositionis arcanum, *hymno dicto, exiit in Montem olivarum* [10], more solito oraturus ad Patrem. Et tunc praecipue, iam mortis instante agone, cum dispersione ac desolatione ovium, quas pius pastor tenero complexabatur affectu, fuit tam horribilis in natura Christi sensibili imaginatio mortis, ut diceret: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* [11]. Quanta vero fuerit in spiritu Redemptoris pro diversis causis anxietas, testes sunt guttae sudoris sanguinei ex toto corpore decurrentis in terram.

Agonia in Monte olivarum.

« Dominator Domine Iesu, unde animae tuae tam vehemens anxietas et anxia supplicatio? Nonne voluntarium omnino Patri sacrificium obtulisti [12] »? Verum ut, veram in te credentes nostrae mortalitatis naturam, formaremur [13] ad *fidem* et in tribulationum

Oratio ad Dominum Iesum.

---

[1] Cfr. Matth. 26, 17. seqq.; Marc. 14, 1. seqq.; Luc. 22, 14. seqq.; Ioan. 13, 1. seqq. Simul respiciuntur Ioan. 1, 29. et Sap. 16, 20. — Vat. ante *delectamentum* adiungit *in se;* pro *praebetur in cibum* G *ad edendum proponitur.*

[2] Vat. omittit *in;* E F *vere in cibum.*

[3] Respicitur Ioan. 13, 1; deinde ibid. v. 38. et 23.

[4] Psalm. 41, 2. — Supra pro *toto mentis* Vat. *tanto mentis.*

[5] Vat. *dulcissimi Iesu Christi.* — De proditore cfr. Matth. 26, 14; Marc. 14, 10; Luc. 22, 4.

[6] Vat. *tanta fuit flamma malae cupiditatis;* et infra *ad honorem et dignitatem et culmen apostolicae potestatis provexerat, insequeretur* pro *ad culmen apostolici honoris provexerat, insectaretur.*

[7] Codd. A C F W Z et 1 prosequuntur: *ex quo tam diram et duram perversi propositi obstinationem incurrit, ut nec familiaritate contubernii nec humilitate obsequii nec suavitate colloquii nec mulcebritate osculi a concepta* etc. — Pro *humilitate obsequii* Vat. cum multis codd. *humanitate obsequii.*

[8] Matth. 26, 24. — Supra post *durum* Vat. addit *et,* ac infra pro *Verum, licet* habet *Sed quamvis.*

[9] Codd. A C F W Z addunt: *ad illatam etiam ab his,* qui retribuunt mala pro bonis [Ps. 34, 12.], *iniuriam perferendam, ut iam.* Deinde pro *humana infirmitas* Vat. *humanitas.* — Sequentes loci sunt Ps. 54, 13. et 40, 10; I. Petr. 2, 22. De ultima propositione cfr. Anselm. Meditat. 9.

[10] Ioan. 18, 4; Matth. 26, 30. — Supra A C F W Z et 1 incipiunt: *Igitur hora proditionis instante, sciens Iesus;* et infra post *dispersione* Vat. addit *quoque,* et ante *horribilis* omittit *tam.*

[11] Matth. 26, 39. De sudore sanguineo vide Luc. 22, 44.

[12] Anselm., Meditat. 9., ubi etiam sequentia insinuantur.

[13] Vat. *formemur.* — Infra respicitur Isai. 53, 4.

perpessione consimili erigeremur ad *spem* et maiores erga te *amoris stimulos* haberemus, naturalem carnis infirmitatem huiusmodi expressisti evidentibus signis, quibus doceremur, quod *vere dolores nostros pertuleris* et non absque doloris sensu degustaveris amaritudines passionum.

Iesus, turba circumdatus.

19. Sane quam promptus ad passionem fuerit spiritus in Iesu, ex hoc evidenter innotuit, quod venientibus una cum proditore *viris sanguinum* et *quaerentibus animam suam*[1] cum facibus, laternis et armis per noctem ultro occurrit et se ipsum manifestavit et obtulit. Et ut cognosceret humana praesumtio, nihil se posse adversus ipsum, nisi quantum ipse permitteret; omnipotentis virtutis suae verbo improbos satellites terrae allisit. — Sed nec tunc *misericordiam suam in ira continuit*[2], nec pietatis dulcedinem *favus ille distillare cessavit.* Nam et mutilatam a discipulo aurem servi protervi manus suae contactu sanavit et defensoris sui zelum ab invadentium laesione compescuit. *Maledictus furor eorum, quia pertinax*[3], dum nec maiestatis miraculo nec pietatis beneficio potuit refrenari.

Christus ultro occurrit lictoribus.

Sanat aurem servi.

Iesus, vinculis ligatus.

20. Denique[4] sine gemitu audire quis possit, qualiter in illa hora homicidas manus in Regem gloriae iniecerunt truculenti lictores, et innocentes mitis Iesu manus vinculis constringentes, ipsum Agnum mansuetissimum nihil obloquentem ad instar latronis contumeliose traxerunt ad victimam? Quis tunc doloris aculeus discipulorum corda penetravit, cum viderent, dilectissimum Magistrum et Dominum suum a suo condiscipulo[5] proditum, ligatis post tergum manibus, quasi malefactorem duci ad mortem; cum et ille impiissimus Iudas, poenitentia ductus, tanta postmodum fuerit ex hoc amaritudine repletus, ut maluerit mori quam vivere? Vae tamen homini illi, qui nec sic ad fontem misericordiae per spem veniae rediit, sed proprii sceleris immanitate perterritus desperavit!

Dolor discipulorum.

Suicidium Iudae.

FRUCTUS VI. PATIENTIA IN INIURIIS.

Iesus, notis incognitus.

21. Comprehenso dehinc *pastore, dispersae sunt oves*[6]; captoque Magistro, discipuli fugerunt. Petrus tamen, tanquam fidelior, *secutus est a longe usque in atrium principis sacerdotum*, ubi ad vocem ancillae, se Christum nosse cum iuramento negavit[7] tertioque repetiit, donec, gallo cantante, respexit benignus Magister praedilectum discipulum respectu miserationis et gratiae; quo commonitus Petrus et *foras egressus flevit amare.*

Fuga di... poloru...

Petri ne... et conve...

O quisquis es, qui ad vocem impetentis[8] ancillae, carnis videlicet tuae, Christum pro te passum negasti procaciter vel voluntate vel actu; rememorans passionem dilectissimi Magistri, foras cum Petro egredere, ut te ipsum amarissime defleas, si quando te respiciat qui Petrum lacrymantem respexit, geminae quoque amaricationis, *compunctionis* scilicet pro te et *compassionis* ad Christum, *inebrieris absinthio*, ut, expiatus cum Petro a reatu sceleris, repleari cum Petro spiritu sanctitatis.

Hortatio

Iesus, vultu velatus.

22. Concilio siquidem malignantium pontificum praesentatus pontifex noster Christus Iesus et veritatem confessus, se videlicet esse Filium Dei, quasi pro blasphemia[9] adiudicatus est morti et innumera perpessus opprobria. Nam vultus ille venerabilis senibus, desiderabilis Angelis, qui et omnes caelos adimplet laetitia, polluti labii sputis inquinatur, ab impiis sacrilegis manibus caeditur, velo in derisionem obtegitur, et Dominus universae creaturae tanquam servus contemptibilis colaphizatur, cum ille vultu placidissimo et submisso sermone unum ex servis pontificis dantem alapam sibi vere blandeque[10] corripuit: *Si male*, inquit, *locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me caedis?*

Chris... eodem ... et der...

[1] De viris sanguinum cfr. Ps. 54, 24. et passim; Ps. 37, 13: *Et vim faciebant qui quaerebant animam meam.* De comprehensione Christi vide Matth. 26, 47. seqq.; Marc. 14, 43. seqq.; Luc. 22, 47. seqq.; Ioan. 18, 3. seqq. Num. 19. magna ex parte occurrit in Anselmo, Meditat. 9. — Pro *se ipsum manifestavit* A G Z aa dd *se primum manifestavit.*

[2] Psalm. 76, 10; deinde alluditur ad Cant. 4, 11.

[3] Gen. 49, 7. — Supra pro *laesione* Vat. perperam *lusione;* infra pro *maiestatis miraculo nec pietatis beneficio* A C F W Z *maiestate miraculi nec pietate beneficii.*

[4] Codd. A C W Z et 1 *Porro.* Post *qualiter* Vat. omittit *in.*

[5] Ita multi codd., Vat. *discipulo.* — De traditoris Iudae morte vide Matth. 27, 3-5. — Post *desperavit* A C F W Z et 1 prosequuntur *Non* (ed. 1 *Noli*) *huius proditoris perfidiam, quin potius Apostolorum principis sectare poenitentiam, anima, quae peccasti.*

[6] Respicitur Matth. 26, 31: Scriptum est enim [Zach. 13, 7.]: Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. De Petro ibid. v. 58. seqq. et Luc. 22, 54. seqq. — Codd. A C W Z sic incipiunt: *Petrus namque, Magistrum secutus a longe usque in atrium principis sacerdotum, ad vocem ancillae* etc.

[7] Vat. *non nosse cum iuramento firmavit.*

[8] Ita plurimi et meliores codd.; Vat. *impotentis*, ed. 1 *petentis*, X *impudentis.* Infra pro *dilectissimi* Vat. *dulcissimi*, et *inebriaberis* pro *inebrieris* [O *merearis absinthio inebriari*]; ubi respicitur Thren. 3, 15. — In A C W Z sequitur titulus incongruus *Iesus, morte damnatus.*

[9] Vat. *blasphemans* loco *pro blasphemia.* — Infra pro *venerabilis senibus*, quod habent fere omnes codd., Vat. *venerabilis hominibus.* — Vide Matth. 26, 59-68.

[10] Vat. *dulciter et benigne.* — Seq. locus est Ioan. 18, 23. — De hoc et seq. num. cfr. Anselm. Meditat. 9.

[…]otio ad [...]som.

O verax et pie Iesu, quaenam anima tibi devota, haec cernens et audiens, valeat [1] se continere a lacrymis et internae compassionis occultare dolorem?

Iesus, Pilato traditus.

[...]sos ante [...]nal Pi-

23. Horrenda prorsus Iudaeorum impietas, quae tantis iniuriis satiari non potuit, quin potius, ferali rabie fremens, impio iudici tanquam rabido cani animam iusti degluticndam exposuit! Vinctum enim Iesum ante faciem Pilati perduxere [2] pontifices, postulantes, interimi supplicio crucis eum qui *non noverat* omnino *peccatum*. Ipse vero *quasi agnus coram tondente se* ante iudicem mansuetus stabat et tacitus, cum fallaces et impii, falsorum criminum mole obiecta, tumultuosis acclamationibus [3] auctorem vitae petunt ad mortem et virum homicidam seditiosumque latronem servant ad vitam, lupum agno, mortem vitae, luci tenebras tam stulte praeferentes quam impie.

Allocutio.

Dulcis Iesu, quis tam durus erit, ut clamores illos horribiles: *Tolle, tolle, crucifige eum* [4], sine gemitu et clamore spiritus aure corporis valeat audire seu mente tractare?

Iesus, morte damnatus.

[...]sta con-[...]mnatio.

24. Verum, quamvis non ignoraret Pilatus, Iudaicam gentem adversus Iesum non iustitiae, sed invidiae zelo commotam, cum patenter assereret, nullam se in eo mortis invenire vel modicam causam; humano tamen timore devictus, *replevit amaritudinibus* [5] animam suam et piissimum Regem crudelis tyranni, Herodis videlicet, iudicio subdidit; quem et ludibrio habitum et ad se remissum crudeliori mandato nudum in conspectu derisorum astare praecepit, ut atrocissimis verberibus virgineam illam et candidissimam carnem flagellatores truculenti divellerent, plagas plagis, livores livoribus crudeliter infligentes. Defluit ille sanguis pretiosissimus per illa sacra latera innocentis et amantissimi iuvenis, nullo prorsus in eo reperto reatu.

[...]agellatio.

[...]crepatur [...]eccator.

Et tu, perdite homo, totius confusionis et contritionis huius causa existens, quomodo non in fletum foras erumpis [6]? Ecce, innocentissimus Agnus, ut te a sententia iustae damnationis eriperet, iniusto propter te praeelegit iudicio condemnari. Ecce, *quae non rapuit pro te solvit;* et tu, anima mea nequam et impia, nec devotionis exsolvis gratitudinem nec compassionis rependis affectum!

FRUCTUS VII. CONSTANTIA IN SUPPLICIIS.

Iesus, spretus ab omnibus.

25. Postquam autem Pilatus adiudicaverat [7], impiorum vota compleri; non suffecit militibus illis sacrilegis crucifigere Salvatorem, nisi prius et ipsi illusionibus implessent animam suam. Nam congregata in praetorium universa cohorte, exuentes eum vestibus suis et tunica induentes coccinea, chlamydem illi circumdederunt purpuream, et corona spinea imposita capiti eius et arundine in dextera manu, irrisorie genuflectebant et alapas dabant, et exspuentes in eum, sacrum illud caput percutiebant arundine.

Christus illuditur.

Attende nunc, humani cordis superbia, quae opprobria refugis et ad honores aspiras: quis est iste qui ingreditur, habens imaginem quasi Regis, et nihilominus servi despectissimi confusione repletus? Ipse est Rex tuus et Deus tuus, qui quasi *vir leprosus* et *novissimus virorum* [8] aestimatus est, ut te ab aeterna confusione eriperet et a superbiae peste sanaret. Vae igitur his semel et vae iterum! qui post tam praeclarum humilitatis speculum superbia tolluntur in altum, *rursus ostentui habentes Filium Dei* [9], quem tanto amplius ab hominibus omni constat honorificentia dignum, quanto magis pro hominibus indigna sustinuit.

Hortatio contra superbiam.

Iesus, cruci clavatus.

26. Satiatis iam impiis de opprobriis mansuetissimi Regis, rursum Rex noster vestibus suis induitur, denuo exuendus, et *baiulans sibi crucem* perducitur *ad Calvariae locum* [10], ibique totus exutus, vili dumtaxat circumtectus renes sudario et super

Christus baiulat crucem.

---

[1] Vat. *videns et audiens possit,* et supra post *verax* interserit *dulcis,* infra vero pro *internae compassionis* habet *intimae passionis.* Post *dolorem* A C F W Z et I addunt *dum simul advertit et comparat agninam tuae tractabilitatis mansuetudinem et leoninam atrocitatis Iudaicae ferocitatem.*

[2] Vat. *ante Pilatum pontifices perduxerunt,* et paulo post perperam *interim* pro *interimi.* — Deinde respicitur II. Cor. 5, 21: Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, et Isai. 53, 7: Quasi agnus coram tondente se obmutescet. Cfr. Matth. 27, 26. seqq.

[3] Vat. *clamationibus.* Supra pro *falsorum criminum* D *falsorum testimoniorum.*

[4] Ioan. 19, 15. — Supra post *durus* D E addunt *et impius.*

[5] Thren. 3, 15: Replevit me amaritudinibus, et Rom. 3, 14: Quorum os... amaritudine plenum est. Vide Matth. 27, 11. seqq.; Luc. 23, 3. seqq.; Ioan. 18, 28. seqq. Cfr. etiam Anselm., loc. cit. — Infra pro *crudeliori mandato* Vat. *crudeli mandato,* et deinde *Decurrit* pro *Defluit.*

[6] Cod. U *prorumpis;* Vat. *elegit* pro *praeelegit.* Sequens locus est Ps. 68, 5: Quae non rapui tunc exsolvebam.

[7] Cod. D *adiudicavit.* De sequentibus vide Matth. 27, 27-31; Marc. 15, 16. — Pro *implessent* D E *implerent,* A C Z *replessent.*

[8] Isai. 53, 4. et 3. — Vat. omittit *et* ante *a superbiae.*

[9] Hebr. 6, 6. — Supra pro *Vae igitur his semel et vae iterum* D *Vae semel, vae bis et vae iterum;* pro *praeclarum* Vat. *clarum;* post *ab hominibus* A V Z addunt *exhibenda;* denique pro *quanto magis pro hominibus indigna* D E F N *quanto pro hominibus indigniora.* — De hoc num. cfr. Anselm., loc. cit.

[10] Ioan. 19, 17. De divisione vestimentorum cfr. ibid. v. 23; Matth. 27, 35; Luc. 23, 34. — Infra voci *renes* Vat. praefigit *ad,* et pro *durissime sauciatus* habet *crudelissime sauciatus,* denique post *praedam* omittit *et.*

Crucifigitur. lignum crucis dire proiectus, expansus, protensus et tractus et in pellis modum hinc inde extensus, clavorum perforatur aculeis, manibus sacris et pedibus cruci affixus et durissime sauciatus. Vestes quoque ipsius dantur in praedam et dividuntur in partes, tunica inconsutili indivisa per sortem transeunte ad unum.

Hortatio. Vide nunc, anima mea, quomodo is qui est *super omnia benedictus Deus* [1], ab imo *pedis usque ad verticem* totus in aquas passionis demergitur, et ut te totam de illis passionibus extraheret, *intraverunt aquae usque ad animam suam.* Coronatus etenim spinis, sub crucis onere dorsum curvare iubetur et *suam ipsius portare ignominiam* [2], et ad locum deductus supplicii, veste nudatur, ut, ex flagellorum ictibus per dorsum et latera carnis patefactis livoribus atque scissuris, videretur quasi leprosus; et dehinc clavis transfossus, appareret tibi dilectus tuus propter te sanandam concisus vulnere super vulnus. *Quis mihi det, ut veniat petitio mea, et quod exspecto tribuat mihi Deus* [3], ut totus tam mente quam carne transfodiar crucisque affigar patibulo cum dilecto?

Iesus, iunctus latronibus.

27. Ad confusionis quoque [4], ignominiae, dedecoris ac doloris augmentum innocens Agnus extra portam in loco punitionis sceleratorum, in die solemni, hora meridiana, in medio latronum super crucem quasi ad spectaculum elevatur, flentibus amicis et insultantibus hostibus. Nam et *qui praeteribant movebant capita sua*, et qui astabant irrogabant convitia, dicentes, quod *alios salvos fecisset, nunc se ipsum salvare non posset* [5]. Sed et ab irrisione huiusmodi latronum alter nequaquam abstinuit, cum tamen mitissimus Agnus et pro crucifigentibus et irridentibus pietatis dulcedine interpellaret ad Patrem et confitenti ac supplicanti latroni liberalissima caritate repromitteret paradisum. O verbum totius dulcoris [6] et veniae: *Pater, ignosce illis!* O verbum totius amoris et gratiae: *Hodie mecum eris in paradiso!*

(Describitur modus crucifixionis.) (Christos orat pro inimicis.)

Hortatio ad spem. Respira nunc in spem veniae, anima, quantumcumque peccatrix, si tamen patientis pro te Domini Dei tui vestigia sequi non abhorres, « qui in omnibus pressuris suis nec semel os suum aperuit, ut aut querelae aut excusationis aut comminationis aut maledictionis sermonem adversus maledictos illos canes vel leviter diceret; quin potius novae benedictionis verbum, quale *a saeculis non est auditum*, super inimicos suos effudit [7] ». Dic ergo cum multa fiducia: *Miserere mei, Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea* [8]; si forte more confitentis latronis audire merearis in mortis articulo: *Hodie mecum eris in paradiso.*

(Patientia Christi.)

Iesus, felle potatus.

28. *Postea sciens Iesus, quia consummata sunt omnia, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio* [9]. Et acetoso ac felleo poculo sibi propinato cum spongia, Ioanne qui praesens fuit attestante, subintulit: *Consummatum est*, tanquam si in gustu aceti et fellis totius amarissimae passionis consummata plenitudo consisteret. Nam cum per gustum ligni suavis et vetiti [10] totius nostrae perditionis causa extiterit praevaricator Adam, opportunum fuit et congruum, per viam contrariam salutis nostrae inveniri remedium. Cum etiam in singulis membris ipsius acutissimarum passionum militantes *sagittae* crebrescerent, *quarum indignatio ebibebat spiritum* [11] eius, decebat, ut os et lingua, cibi verbique vehicula, nequaquam remanerent immunia, ut verificaretur in medico nostro propheticum illud [12]: *Replevit me amaritudine, inebriavit me absinthio;* sed ut et illud impleretur in dulcissima et amantissima Matre [13]: *Posuit me quasi desolatam, tota die moerore confectam.*

(Satisfactio pro peccato gustus.)

Allocutio ad Matrem desolatam. Quae lingua dicere vel quis intellectus capere sufficit desolationum tuarum pondus, Virgo beata?

---

[1] Rom. 9, 5; dein respicitur Isai. 1, 6: A planta [ita etiam Vat.] pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Tertius locus est Ps. 68, 2.

[2] Fortasse respicitur Ezech. 32, 24. et etiam v. 25: Portaverunt ignominiam suam. Cfr. Anselm., loc. cit. De Christo haec passo vide Matth. 27, 31. seqq.; Luc 23, 26. seqq.; Ioan. 19, 17. seqq. Pro *veste nudatur* G *veste denudatur.*

[3] Iob 6, 8.

[4] Vat. omittit *quoque*, et ponit *augmentum* ante *confusionis.* — De crucifixione Christi vide locos in nota 2 citatos.

[5] Matth. 27, 42.; Luc. 23, 35; sequitur v. 33. de latronibus, et Luc. ibid. v. 39. seqq.

[6] Vat. *dulcedinis.*

[7] Anselm., loc. cit.; allegatur Ioan. 9, 32. Pro *maledictos illos canes* Z *maledicos* (E F *moleficos) illos canes;* pro *vel leviter diceret* Vat. *vel leniter diceret;* post *inimicos suos* F W Z et 1 addunt *ex abundantia pietatis.*

[8] Psalm. 56, 2; sequitur Luc. 23, 43.

[9] Ioan. 19, 28; cfr. v. 29. 30. — Supra W Z et 1 praefigunt *iam* ante *consummata;* infra pro *acetoso ac felleo poculo* I O P Q S T U cc *aceto ac felle.*

[10] Gen. 3, 6. — Pro *cum per gustum... exstiterit* Vat. *quia per gustum... exstitit*, et eadem infra *invenire* pro *inveniri.*

[11] Iob 6, 4: Quia sagittae Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum. — Mox pro *decebat, ut os et lingua, cibi verbique vehicula* Vat. *ut cibi verbique vehiculum.*

[12] Thren. 3, 15. — Post *absinthio* A C N W Z et 1 prosequuntur: « Memor igitur sis et tu, Dei imago, per esum ligni vetiti in Adam deformata et perdita, *paupertatis et transgressionis, absinthii et fellis* [Thren. 3, 19.] quae pro te Deus tuus in cruce gustavit, ut amarae compunctionis et compassionis poculo compleantur viscera tua, vereque dicere valeas cum Propheta: *Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea* » [Thren. 3, 20.]. — Quae sequuntur in ed. ab eisdem hic omittuntur, sed infra in fine tituli 31, nonnullis mutatis, adduntur.

[13] Vat. addit *sua, Virgine gloriosa.* Locus seq. est Thren. 1, 13. — Verba *Quae lingua* etc. in A C W Z et 1 transponuntur ad finem n. 31.

Quae praemissis omnibus praesens assistens et particeps per omnem modum effecta, benedictam illam et sanctissimam *carnem,* quam tam caste concepisti, tam dulciter aluisti et lacte potasti, tam crebro in tuo reclinasti sinu et labia labiis impressisti, carneo contemplata es visu [1], nunc ictibus flagellorum divelli, nunc spinarum perforari aculeis, nunc arundine percuti, nunc palmis pugnisque contundi [2], nunc clavis perfodi et stipiti crucis affixam atque pendentem graviter laniari, nunc omni ludibrio habitam, felle tandem et aceto potari. — Sed et divinissimam illam *animam* oculis conspexisti mentalibus omnis amaritudinis felle repletam, nunc spiritu frementem, nunc paventem, nunc taedentem, nunc agonizantem, nunc anxiatam, nunc turbatam, nunc omni tristitia et dolore moestissimam partim propter passionis corporeae vivacissimum sensum, partim propter divini honoris per peccatum subtracti ferventissimum zelum, partim propter effusum in miseros miserationis affectum et partim propter compassionis ad te, Matrem dulcissimam, infixum in cordis intima telum, cum te coram se positam et piis conspiceret oculis et blandis alloqueretur sermonibus [3]: *Mulier*, inquiens, *ecce, filius tuus,* ut tuam consolaretur inter angustias animam, quam compassionis suae gladio amplius, quam si proprio patereris in corpore, vere sciebat esse transfixam.

a vidit
menta
rporis
hristi.

t etiam
nimae.

Fructus VIII. Victoria in conflictu mortis.

Iesus, sol morte pallidus.

29. Denique, cum Agnus innocens, qui est verus sol iustitiae, trium horarum spatio pependisset in cruce, et eodem tempore sol iste visibilis, Factori suo compatiens, lucis suae radios occultasset; iam omnibus consummatis, Fons ipse vitae hora nona siccatur, dum Deus et homo Iesus *cum clamore valido et lacrymis* [4] ad miserationis manifestandum affectum et Divinitatis declarandam potentiam spiritum in manus Patris commendans exspirat. Tunc *velum templi scissum est a summo usque deorsum, et terra mota est, et petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt.* Tunc ipse centurio Deum verum ipsum esse cognovit. Tunc qui ad spectaculum insultaturi convenerant *revertebantur, percutientes pectora sua.* Tunc formosus *prae filiis hominum* [5], caligantibus oculis et pallentibus genis, pro filiis hominum deformis apparuit, factus holocaustum suavissimi odoris in conspectu paternae gloriae, *ut averteret iram suam a nobis.*

igna ad
nortem
Christi.

Respice igitur, Domine sancte Pater, *de sanctuario tuo et de excelso caelorum habitaculo;* respice, inquam, in faciem Christi tui, respice hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert Pontifex noster pro peccatis nostris, et *esto placabilis super nequitia populi tui* [6]. — Considera et tu, homo redempte, quis, quantus et qualis est hic qui pro te pendet in cruce, cuius mors vivificat mortuos, cuiusque transitum et caelum luget et terra, et lapides duri quasi naturali compassione scinduntur. O cor humanum omni lapidum duritia durius, si ad tanti rememorationem piaculi nec terrore concuteris nec compassione afficeris nec compunctione scinderis nec pietate molliris!

Oratio ad Patrem.

Hortatio.

Iesus, translanceatus.

30. Porro, ut de latere Christi dormientis in cruce formaretur Ecclesia, et Scriptura impleretur, quae dicit: *Videbunt in quem transfixerunt* [7], divina est ordinatione indultum, ut unus militum lancea latus illud sacrum aperiendo perfoderet, quatenus, sanguine cum aqua manante, pretium effunderetur nostrae salutis, quod a fonte, scilicet cordis arcano, profusum vim daret Sacramentis Ecclesiae ad vitam gratiae conferendam, essetque iam in Christo viventibus poculum *fontis vivi salientis in vitam aeternam* [8]. Ecce, iam nunc lancea a Saulis perfidia, populi scilicet Iudaici reprobati, *casso vulnere in parietem* divina miseratione *perlata, foramen fecit in petra et cavernam in maceria,* tanquam habitaculum columbinum.

Sanctissimi cordis arcanum.

Surge igitur, amica Christi, esto sicut *columba nidificans in summo ore foraminis* [9], ibi ut *passer inveniens domum,* vigilare non cesses, ibi tanquam *turtur* casti amoris pullos absconde, ibi os

Hortatio.

[1] Codd. A C W Z et 1 meditationem sic continuant: nunc alaparum ictibus contundi, nunc flagellorum percussuris convelli, nunc spinarum puncturis affligi, nunc clavorum perforationibus laniari et stipiti crucis affixari atque pendentem atrociter cruciari, nunc haberi ludibrio, nunc felle et aceto potari, nunc morte pallescere, nunc cruore perfundi, nunc lancea vulnerari. — Sed et divinissimam etc. Cfr. pag. 80, nota 4.

[2] Ita D F O P Q cc; Vat. *concidi.*

[3] Ioan. 19, 26. 27. — Infra pro *compassionis suae* Vat. *passionis suae.* Post *transfixam* altera familia adiungit: Addidit quoque non modicum ad vehementem tuae desolationis excessum dilecti Filii tui non solum per mortem, verum etiam per sepulturam corporalis subtrahenda praesentia, ut veraciter lamentando dicere valeas: Idcirco *ego plorans, et oculus meus deducens aquam, quia recessit a me consolator meus, convertens animam meam* [Thren. 1, 16.].

[4] Hebr. 5, 7. Seq. locus est Matth. 27, 51-54. et Luc. 23, 43-48. — Supra Vat. *exspiravit* pro *exspirat.*

[5] Respicitur Ps. 44, 3, ubi Vat. cum Vulgata *speciosus* pro *formosus;* sequitur Ps. 84, 4.

[6] Anselm., loc. cit. Allegantur Deut. 26, 15. et Exod. 32, 12. — Infra post *et terra* A C F W Z et 1 addunt *tremuit.* Denique pro *tanti rememorationem* Vat. cum non paucis codd. *tanti commemorationem.*

[7] Zach. 12, 10. et Ioan. 19, 37. — Supra contra meliores codd. Vat. post *dormientis* omittit *in cruce.* Infra O P R S T U *aperiens perfoderet* pro *aperiendo perfoderet.*

[8] Ioan. 4, 14: Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam. De perfidia Saulis cfr. I. Reg. 19, 10; simul respicitur etiam Cant. 2, 14.

[9] Respicitur Ier. 48, 28; deinde Ps. 83, 4; infra Isai. 12, 3. et Gen. 2, 10.

appone, *ut haurias aquas de fontibus Salvatoris.* Hic enim est *fons egrediens de medio paradisi,* qui, *in quatuor divisus capita* et in corda devota diffusus, fecundat et irrigat universam terram.

Iesus, cruore madidus.

31. Cruentatus enim Christus Dominus sanguine proprio, primum sudore, dehinc flagellis et aculeis [1], post clavis et tandem lancea copiose effuso, ut apud Deum *esset copiosa redemptio,* vestem pontificalem habuit rubricatam, quatenus vere *rubrum* appareret *indumentum ipsius, et vestimenta eius quasi calcantium in torculari.* Et sic, vero Ioseph in veterem dimisso cisternam, tunica ipsius *intincta sanguine hoedi,* propter *similitudinem* scilicet *carnis peccati,* approbationis notitia discernenda mitteretur ad Patrem.

Vestis pontificalis rubricata.

Verus Ioseph.

« Cognosce igitur, clementissime Pater, tunicam praedilecti Filii tui Ioseph, quem invidia fratrum secundum carnem tanquam *fera pessima devoravit* et conculcavit in furore vestimentum ipsius et omnem decorem illius reliquiis cruoris inquinavit; nam et quinque scissuras lamentabiles in ea reliquit. Hoc enim est, Domine, vestimentum, quod in manu meretricis Aegyptiae, synagogae videlicet, innocens Puer tuus sponte dimisit, magis eligens, spoliatus a carnis pallio, in carcerem mortis descendere, quam adulterinae plebis acquiescendo voci temporaliter gloriari [2] ». Nam et *proposito sibi gaudio, crucem sustinuit, confusione contempta.* — Sed et tu, misericordissima Domina mea, aspice illam dilecti Filii tui sacratissimam vestem de castissimis membris [3] tuis Spiritus sancti artificiositate contextam et una cum ipso confugientibus nobis ad te veniam postula, ut digni habeamur *effugere ab ira ventura* [4].

Oratio ad Patrem.

Ad Matrem dolorosam.

Iesus, intumulatus.

32. Veniens tandem nobilis decurio [5], Ioseph scilicet ab Arimathaea, et accepta a Pilato licentia, corpus Christi cum Nicodemo deponens de cruce, condivit aromatibus et involvit sindone [6] et in monumento novo, quod in horto propinquo in petra sibi exciderat, cum omni reverentia sepelivit. Porro sepulto Domino, et ad custodiam sepulcri deputatis militibus [7], devotae illae mulieres et sanctae, quae fuerant obsecutae viventi, ut iam mortuo pietate officiosa famulatum impenderent, *emerunt aromata* ad corpus Iesu sacratissimum [8] perungendum. Inter quas Maria Magdalena tanto cordis ferebatur incendio, tantae pietatis afficiebatur dulcedine, tam validis trahebatur vinculis caritatis, ut, femineae infirmitatis oblita, nec tenebrarum caligine nec persecutorum immanitate retraheretur a visitatione sepulcri, quin potius, foris stans et rigans lacrymis monumentum, recedentibus discipulis, non recedebat, pro eo quod divinae dilectionis igne succensa [9], et tam invalescente urebatur desiderio et tam impatiente vulnerabatur amore, ut nihil ei saperet nisi flere posset que propheticum illud [10] eructare veraciter: *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?*

Sepultu Christi

Sanctae lieres

Magdale

Deus meus, bone Iesu, concede mihi, quamquam per omnem modum immerito et indigno, ut qui corpore his interesse non merui, fideli tamen haec eadem mente pertractans, illum ad te Deum meum pro me crucifixum et mortuum compassionis affectum experiar, quem innocens Mater tua et poenitens Magdalena in ipsa passionis tuae hora senserunt.

Oratio a Iesum.

DE MYSTERIO GLORIFICATIONIS.

Fructus IX. Novitas resurrectionis.

Iesus, triumphans mortuus.

33. Consummato iam passionis agone, cum draco ille cruentus et rabidus leo aestimaret, se de occiso Agno assecutum esse victoriam, refulgere coepit in

---

[1] Pro *primum sudore, dehinc flagellis et aculeis* Vat. *primum sanguineo sudore, secundo flagellis, dehinc spinarum aculeis.* — Infra respicitur Ps. 129, 7; Isai. 63, 2. De Ioseph vestimento cfr. Gen. 37, 31. 32; de verbis patris *fera pessima* v. 33. Verba *similitudinem carnis peccati* occurrunt Rom. 8, 3. — Post *Ioseph* D addit *a fera pessima, id est fratrum invidia, secundum carnem devorato et in* etc.

[2] Ex Anselmo, loc. cit. De Aegyptia cfr. Gen. 39, 7. seqq. — Post *adulterinae* B E F W Z et 1 omittunt *plebis.* Sequitur Hebr. 12, 2: Qui proposito sibi gaudio etc.

[3] Vat., refragantibus plurimis codd. et 1, addit *et visceribus,* et deinde voci *confugientibus* A B C F praefigunt *pro,* Z *profugientibus.* — Ultima verba *effugere ab ira* etc. sumta sunt ex Matth. 3, 7.

[4] Ab altera illa familia hic additur: *Illorumque mentem tuam amaricantium fluctuum et dolorum, quibus instar maris repleta fuisti, vel modica mereamur stilla perfundi. Quae enim lingua* etc. Tunc sequitur illa meditatio de Matre dolorosa (cfr. pag. 78, n. 13.) cum mutationibus supra pag. 79, nota 1. et 3. indicatis et etiam additamentum in fine ibi notatum, quod deest in edd.

[5] Vat. perperam *centurio.* Altera familia sic incipit: *Veniens siquidem devotus Iesu discipulus, sed occultus, nobilis decurio.* — De sepultura Christi cfr. Matth. 27, 57 seqq.; Marc. 15, 42; Luc. 23, 50. seqq.; Ioan. 19, 38 seqq.

[6] Vat. cum paucis codd. praefigit *in,* quod secundum textum Lucae [apud Matth. est *in*] suppressimus. Mox post *horto* A B C E F W Z addunt *situm.*

[7] Codd. A F N W Z et 1 subiungunt *et cum Iesu Matre ipsius* (W *ipsa*) *Maria per affectum excessivi moeroris pariter consepulta, devotae.*

[8] Codd. A T W Z et 1 *sanctissimum,* et infra post *immanitate* ponunt *retardaretur* pro *retraheretur.*

[9] Vat. subiungit *est;* Z et 1 omittunt etiam sequens *et.*

[10] Psalm. 41, 4. — Infra pro *fideli tamen* Vat. *fide tamen,* O P R S T cc *fideliter tamen.* Post *experiar* A C N W Z et 1 prosequuntur: *quem tibi devotae illae mulieres deflentes in ipsa* etc. Dein iidem habent rubricam *Iesus, victor fortissimus.*

escensus inferos.

anima descendente ad inferos Divinitatis potentia, qua *Leo* noster fortissimus *de tribu Iuda* [1], consurgens in *fortem armatum*, praedam ab ipso diripuit, portisque inferorum confractis, et alligato serpente, *exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Tunc *extractus est leviathan hamo*, ipsius per Christum *perforata maxilla*, ut qui nihil iuris habebat in capite, quod invasit, etiam illud perderet, quod habere videbatur in corpore. Tunc verus Samson moriens hostilem prostravit exercitum [2]. Tunc Agnus sine macula *in sanguine testamenti sui de lacu, in quo non erat aqua, vinctos eduxit.* Tunc *habitantibus in regione umbrae mortis* diu novae lucis exspectata claritas radiavit.

Figurae riomphi ilvatoris.

Iesus, resurgens beatus.

34. Sacrae siquidem quietis Domini in sepulcro illucescente tertio die, qui in revolutione dierum est octavus et primus, *Dei virtus et sapientia* [3], Christus, mortis prostrato auctore, etiam ipsam mortem devicit aeternitatisque aditum nobis aperuit, dum sese a mortuis divina potentia suscitavit, ut *notas nobis faceret vias vitae.* Tunc *terraemotus factus est magnus*, et *Angelus Domini in vestimento albo* et candido et aspectu fulgureo *descendit de caelo*, piis apparens blandus impiisque severus. Propter quod et protervos perterruit milites et confortavit pavidas mulieres, quibus et ipse Dominus resurgens primum apparuit, quia hoc devotionis intensae merebatur affectus. Deinde visus est Petro, dehinc discipulis euntibus in Emmaus [4], dehinc Apostolis omnibus absque Thoma, dehinc Thomae palpandum se praebuit, cum ille fideliter exclamavit: *Dominus meus et Deus meus;* sicque, *per dies quadraginta* multiformiter *apparens* discipulis et edens cum eis et bibens, et argumentis nos illuminavit ad *fidem* et promissis erexit ad *spem*, ut sic tandem donis caelitus datis accenderet ad *amorem* [5].

surrectio s mirabi- t.

pparitiones.

Iesus, decor praecipuus.

35. Sane *flos* ille pulcherrimus *de radice Iesse* [6], qui in incarnatione floruit, in passione defloruit, sic in resurrectione refloruit, ut omnium esset decor. Nam corpus illud gloriosissimum, subtile, agile et immortale tantae claritatis supervestitum est gloria, ut vere sit sole fulgentius, exemplarem praeferens pulcritudinem suscitandorum corporum humanorum; de quibus ipse Salvator ait: *Tunc fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris* [7], scilicet beatitudinis sempiternae. Quodsi quilibet iustus fulgebit sicut sol, quanti putas esse fulgoris ipsum Solem iustitiae? Tanti, inquam, est, ut sit *speciosior sole et super omnem stellarum dispositionem, luci comparatus*, decor praecipuus non immerito iudicetur.

Gloria corporis Christi.

Felices illi oculi, qui viderunt; sed et tu vere *beatus eris, si fuerint reliquiae seminis tui ad videndam* [8] tam interius quam exterius illam desideratissimam *claritatem.*

Felices oculi hanc gloriam videntes.

Iesus, orbi praelatus.

36. Apparens quoque Dominus in Galilaea discipulis, omnem sibi potestatem tam caeli quam terrae asseruit a Patre collatam [9]. Propter quod et discipulos misit *in mundum universum, praedicare Evangelium omni creaturae*, salutem promittendo credentibus, damnationem comminando incredulis, *cooperante Domino et sequentibus signis confirmante sermonem*, ut in virtute nominis Iesu Christi imperarent omnibus creaturis et morbis, vereque constaret saeculo toti, quod magni Patris Filius Iesus Christus tanquam alter *Ioseph* [10] *verusque Salvator vivit et dominatur*, non solum in *terra Aegypti*, verum

Praedicatio Evangelii.

Iesus, Salvator mundi et glorificatus.

---

[1] Respicitur Apoc. 5, 5; de *forti armato* vide Luc. 11, 21. Sequens locus est Col. 2, 15; deinde respicitur Iob 40, 20. 21. — Superius pro *Agno assecutum* A C W Z et 1 *Agno consecutum.*

[2] Iudic. 16, 25. seqq. Sequitur Zach. 9, 11: Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu etc.; et deinde Isai. 9, 2, ubi Vat. post *mortis* cum Vulgata addit *lux orta est eis et.*

[3] Respicitur I. Cor. 1, 24, et deinde Ps. 15, 10: Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti etc. (cfr. Act. 2, 31.). De resurrectione Christi vide Matth. 28, 1. seqq.; Marc. 16, 1. seqq.; Luc. 24, 1. seqq.; Ioan. 20, 1. seqq. — Infra post *vestimento albo* Vat. omittit *et candido.*

[4] Vide Luc. 24, 13. seqq.; de S. Thoma Ioan. 20, 24. seqq. et Act. 1, 3. 4. — Infra pro *edens cum eis* Vat. *comedens cum eis;* quae deinde post *promissis* et etiam post *datis* superflue ad dit *nos.*

[5] Codd. A C N W Z et 1 prosequuntur: *armaret ad fortitudinem per geminae stolae decorem praecipuum, in ipso monstratum tanquam in principe regum et primogenito mortuorum.* Deinde, omisso sequenti titulo *Iesus, decor praecipuus* et etiam prima propositione *Sane flos... decor,* continuant: *Nam corpus illud* etc. — Pro *nos illuminavit* O P Q cc *eos illuminavit.*

[6] Respicitur Isai. 11, 1. — Infra post *resurrectione* Vat. *floruit* pro *refloruit*, et dein pro *decor* perperam *doctor.*

[7] Matth. 13, 43; deinde Sap. 7, 29. — Post *comparatus* Vat. addit *et;* sed A C F N W Z et 1 *et fulgeat et vigeat in aeternum cunctosque sui participes fulgentes et vigentes efficiat ac pro victoriae merito glorioso potiri merito sine fine concedat.* Inferius, omisso titulo, iidem continuant: *Apparens quoque* etc.

[8] Tob. 13, 20, ubi Vat. *videndum* pro *videndam*, refragante etiam Vulgata.

[9] Matth. 28, 16-20; seq. locus est Marc. 16, 15. et 20: Illi autem profecti praedicarunt ubique, Domino cooperante etc. Cfr. Act. 3, 1-8; v. 6: In nomine Iesu Christi Nazareni surge et ambula.

[10] Respicitur Gen. 41, praecipue v. 45: Vertitque nomen eius et vocavit eum lingua Aegypti *salvatorem mundi;* sequitur Gen. 45, 26; infra respicitur Ps. 102, 22: In omni loco dominationis eius benedic etc. — Textus seq. est Anselm., Meditat. 9.

etiam « *in omni loco dominationis* Regis aeterni, eductus quidem ad imperium Dei caeli de carcere mortis et inferorum, et attonsus mortalitatis comam, commutavit vestem carnis in immortalitatis decorem, et tanquam verus Moyses, de aquis mortalitatis assumtus [1], Pharaonis subnervavit imperium », tanto sublimatus honore, ut *in nomine ipsius omne genu flectatur caelestium, terrestrium et inferorum.*

Fructus X. Sublimitas ascensionis.

Iesus, ductor exercitus [2].

Ascensio.

37. Quadraginta post resurrectionem Domini peractis diebus, non sine magni designatione mysterii in ipso quadragesimo die *convescens* [3] *una cum discipulis suis*, benignus Magister in Montem oliveti conscendit, et inde, *videntibus illis, elevatis manibus ferebatur in caelum*, nubeque interposita, quae ascendentem recepit, humanis se occultavit aspectibus; sicque *ascendens in altum, captivam duxit captivitatem*, et caeli aperta iam porta, *pandens iter* sequentibus, exsules introduxit in regnum, concives illos faciens Angelorum et *domesticos Dei*, quatenus et ruinas restauraret angelicas et aeterni Patris cumularet honorem et se triumphatorem ostenderet et Dominum exercituum se esse probaret.

Iesus, caelo levatus.

Sedet ad dexteram Patris.

38. Psallentibus Angelis et exsultantibus Sanctis, Deus et Dominus Angelorum et hominum *super caelos caelorum ascendit* [4] et *super pennas ventorum* mira potestatis agilitate volavit seditque ad dexteram Patris, *tanto melior Angelis effectus, quanto differentius prae illis sortitus est nomen*, ibique iugiter *vultui* benignissimi Patris *apparet ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior caelis factus*, qui in dextera Maiestatis assistens, vultui paternae gloriae vulnerum, quae pro nobis pertulit, cicatrices ostenderet.

Oratio.

« Gratias tibi referat, Domine Pater, omnis lingua super inenarrabili dono affluentissimae caritatis tuae, qui unico *Filio cordis tui non pepercisti, sed eum pro nobis omnibus tradidisti* [5] in mortem, ut tantum tamque fidelem *advocatum* coram te *haberemus* in caelis [6] ».

Iesus, largitor Spiritus.

39. Septem quoque septimanis dierum a resurrectione excursis, quinquagesimo scilicet die, *congregatis in unum discipulis cum mulieribus et Maria Matre Iesu, factus est repente de caelo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis*, qui *super centum viginti hominum* turbam descendit et *apparuit in linguis igneis*, pro eo quod ori *verbum*, intellectui *lucem* et affectui ministraret *ardorem* [7]. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto et coeperunt loqui variis linguis*, secundum quod eiusdem Spiritus sancti dictabat instinctus [8], qui omnem eos veritatem edocuit et ad omnem dilectionem accendit et in omni eos virtute firmavit. Nam ipsius adiuti gratia, illustrati doctrina et confortati potentia, cum pauci essent et simplices, partim verbis ignitis, partim perfectis exemplis, partim mirandis prodigiis per totum mundum « plantaverunt Ecclesiam sanguine suo [9] »; quae, eiusdem sancti Spiritus virtute purgata, illuminata atque perfecta, amabilis facta est Sponso suo eiusque paranymphis, ut speciosa nimis miraque *varietate circumdata*, satanae vero et angelis eius *terribilis ut castrorum acies ordinata.*

Apostoli quuntur [...]riis lingu[...]

Plantaver[...] Ecclesian[...]

---

[1] Respiciuntur Exod. 2, 5. seqq., deinde Phil. 2, 10. — Supra post *inferorum* O P prosequuntur: *et accepta immortalitatis corona* [U *et assumta carnis mortalitatis corona*] *commutavit.* Dein post *comam* A C E F N W Z *mutata veste carnis* pro *commutavit vestem carnis;* deinde *de aquis mortis assumtus* pro *de aquis mortalitatis assumtus.*

[2] Codd. A C F W Z et 1 *Iesus, sponsus ornatus* (qui titulus infra n. 44. habetur), et prosequuntur: *Vestitus siquidem spoliis, quae triumphando de Aegypto eduxerat, ergastulo videlicet infernalium tenebrarum, quadraginta post resurrectionem suam peractis diebus* etc. — De ascensione Domini vide Luc. 24, 50. 51. et Act. 1, 9-11.

[3] Codd. A C F N W Z et 1 subiungunt: *Sponsus cum filiis, eosque consolans per repromissionem Paracliti, in Montem* etc. — Sequitur Act. 1, 9; deinde respicitur Ps. 67, 19; Mich. 2, 13; et inferius Eph. 2, 19: Cives Sanctorum et domestici Dei. — Infra pro *et ruinas restauraret* Vat. *ruinas instauraret.* Post *probaret* [ipsi *approbaret*] A C F N W Z et 1 addunt: Sicque illud decantaret propheticum canticum [Isai. 61, 10.]: *Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis et indumento iustitiae circumdedit me quasi sponsum decoratum corona et quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Deinde omisso titulo *Iesus, caelo levatus,* prosequuntur *Psallentibus enim* [A W *quoque*] *Angelis.*

[4] Psalm. 67, 34: Qui ascendit super caelum caeli; deinde Ps. 17, 11: Volavit super pennas ventorum. Porro sequitur Hebr. 1, 4: Tanto melior Angelis effectus etc., et deinde ibid. 9, 24: Ut appareat nunc vultui Dei pro nobis, et 7, 25. 26, ubi Vat. omittit *segregatus a peccatoribus.*

[5] Rom. 8, 32. De Christo advocato nostro cfr. I. Ioan. 2, 1. — Superius pro *affluentissimae* Vat. cum paucis codd. *supereffluentissimae* [L *superfluentissimae*].

[6] Anselm. loc. cit. — A C F N W Z et 1 addunt: *tam desiderabilem Sponsum tamque liberalem tuorum charismatum largitorem.* Dein horum plerique omittunt titulum *Iesus, largitor Spiritus;* et continuant: *Septem igitur* pro *Septem quoque.*

[7] De missione Spiritus S. vide Act. 1, 1-4.

[8] Codd. A C D F W *secundum eiusdem Spiritus sancti impetum* [N Z *imperium*] pro *secundum quod eiusdem Spiritus sancti dictabat instinctus.*

[9] Breviar. Rom. Commune Apost. 3. Nocturn. 1. Resp. — Vat. *sanctam Ecclesiam plantaverunt*, omisso *sanguine suo.* — Infra respicitur Ps. 44, 15. et Cant. 6, 3. De paranymphis (amicis sponsi) cfr. Ioan. 3, 29.

Iesus, laxans reatus [1].

40. In hac siquidem sancta Ecclesia per orbem universum, Spiritu sancto mirabiliter operante, multiformiter distincta et uniformiter coniuncta unus praesidet Pontifex Christus, tanquam summus hierarcha, qui miro ordine instar civitatis supernae in ea dispensat dignitatum officia, distribuendo *charismatum dona. Nam quosdam in ea dedit Apostolos, quosdam prophetas, alios vero evangelistas, alios pastores et doctores ad consummationem Sanctorum et aedificationem corporis Christi* [2]. Qui etiam secundum gratiam Spiritus sancti septiformem septem dedit Sacramenta quasi septem medicamenta morborum, per quorum administrationem et gratiam sanctificantem tribuit et peccata dimittit, quae nunquam nisi in fide et unitate eiusdem sanctae matris Ecclesiae relaxantur. Et quoniam in igne [3] tribulationis peccata purgantur, ideo, sicut caput Ecclesiae Christum exposuit Deus fluctibus passionum, sic et corpus eius, scilicet Ecclesiam suam, usque in finem saeculi ad probationem et purgationem tribulari permittit. Sic Patriarchae, sic Prophetae, sic Apostoli, sic Martyres, Confessores et Virgines et quotquot placuerunt Deo, per multas tribulationes transiere fideles; sic etiam omnia membra Christi electa usque ad [4] diem iudicii pertransibunt.

(Marginalia: Christus praesidet Ecclesiae. — Dedit 7 Sacramenta. — Purgat Ecclesiam tribulationibus.)

Fructus XI. Aequitas iudicii.

Iesus, testis veridicus.

41. Porro futuri iudicii tempore, quo Deus cordium iudicabit occulta, *praecedet ignis ante faciem iudicis* [5], *Angeli cum tuba mittentur, congregabuntur electi a quatuor ventis caeli*, omnes quoque, qui in monumentis sunt, divinae iussionis virtute resurgent omnesque *astabunt ante illud iudiciale tribunal.* Tunc *illuminabuntur abscondita tenebrarum*, tunc *revelabuntur consilia cordium*, tunc *libri* pandentur conscientiarum, et ipse liber aperietur, qui dicitur *liber vitae.* Quo fiet, ut simul et in instanti omnium omnia secreta omnibus tanta certitudinis claritate patescant, ut contra testimonium veritatis loquentis in Christo et conscientiae cuiuslibet [6] pariter contestantis nulla prorsus infitiandi, defendendi vel excusandi seu subterfugiendi pateat semita, quin recipiat unusquisque *secundum opera sua.*

(Marginalia: Iudicium universale.)

« Magna igitur indicta est nobis necessitas probitatis, cum omnia agamus in conspectu Iudicis cuncta cernentis [7] ». Corollarium.

Iesus, iudex iratus.

42. Apparente siquidem [8] omnipotentis Filii Dei signo in nubibus, virtutibusque caelorum commotis, sed et ad orbis conflagrationem mundialibus concurrentibus ignibus, collocatisque omnibus iustis ad dexteram, impiis ad sinistram; adeo Iudex universorum reprobis iratus videbitur, ut *dicant montibus et petris: Cadite super nos et abscondite nos a facie sedentis super thronum et ab ira Agni* [9]. *Induet* enim *pro thorace iustitiam et accipiet pro galea iudicium certum. Sumet scutum inexpugnabile aequitatem, acuet autem diram iram in lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos;* ut qui contra Auctorem omnium procaciter pugnaverunt, iusto tunc Dei iudicio ab omnibus expugnentur. « Tunc superius Iudex apparebit iratus, inferius horrendum chaos, patens infernus. A dextris peccata accusantia, a sinistris infinita daemonia. Peccator sic comprehensus, quo effugiet? Certe *latere* erit impossibile et *apparere* intolerabile. *Si enim vix iustus salvabitur, impius et peccator ubi parebunt* [10] »? *Non ergo intres in iudicium cum servo tuo, Domine.*

(Marginalia: Ira Iudicis contra reprobos.)

---

[1] Omisso titulo, A C W Z sequentem paragraphum coniungunt cum antecedente. In Z tamen recentior manus infra ad verba *aedificationem corporis Christi* in margine scribit *Iesus, relaxans reatus.*

[2] Eph. 4, 11. 12. — Supra pro *mirabiliter operante* Vat. *mirabiliter cooperante.*

[3] Vat. *per ignem* pro *in igne;* I O P R *etiam igne*, L *etiam in igne.* Superius pro *gratiam sanctificantem* D *gratiam et sanctificationem*, Q legit *gratiam tribuit sanctitatis et.*

[4] Codd. N Q W Z et 1 *in.* Post *pertransibunt* A C F N W et 1 prosequuntur: *ut exhibeat gloriosam Ecclesiam* tanquam sponsam speciosam *non habentem maculam neque rugam* [Eph. 5, 27.]. Felix anima, quae istius sponsae praevaleat contemplari decorem et cum illo amico Sponsi veraciter dicere: *Vidi civitatem sanctam, Ierusalem novam, descendentem de caelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo* [Apoc. 21, 2.]. Beatum profecto me reputabo, si *fuerint reliquiae seminis mei ad videndam* sponsae huiusmodi praenobilis admirabilem *claritatem.* [Tob. 13, 20.].

[5] Psalm. 96, 3; dein II. Thess. 1, 8; de seq. loco vide Matth. 24, 29. seqq. Sequitur Rom. 14, 10: Omnes enim stabimus ante tribunal Christi; deinde I. Cor. 4, 5: Qui et illuminabit abscondita tenebrarum etc.; de duobus *libris* vide Apoc. 20, 12.

[6] Ita A B C E F N W Z et 1; Vat. *cuiuscumque.* — Respicitur Apoc. 2, 23: Dabo unicuique vestrum secundum opera sua.

[7] Boeth. V. de Consolat. prosa 6. Pro *cum omnia agamus* Vat. cum non paucis codd. *dum omnia agimus.*

[8] Omisso titulo, A C W Z et 1 *quoque.* — De *signo Dei* vide Matth. 24, 30; cfr. Luc. 21, 25. seqq.

[9] Apoc. 6, 16; seq. locus est Sap. 5, 19. seqq. — Infra pro *patens infernus* (ita fere omnes codd.) Vat. *patentis inferni* (de auctore huius sententiae vide supra pag. 53, notam 12.). Post *daemonia* Vat. addit *ad infernum trahentia et interius mordens conscientia*, pro quo R *ad supplicia trahentia, foris mundus ardens, intus conscientia urens.*

[10] Epist. I. Petr. 4, 18. (Vat. *apparebunt* pro *parebunt*); sequitur Ps. 142, 2, ubi in fine Q versum continuat: *quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

Iesus, victor magnificus.

43. Lata[1] sententia damnationis in reprobos, quod flammis exurantur aeternis, colligatisque ad modum fascis omnibus inimicis Iesu Christi, omnipotens Dei virtus perpetuae illos exponet tam carne quam spiritu voracitati flammarum, ut et nunquam deficiant et tamen urantur et sentiant in aeternum, et *fumus tormentorum eorum ascendat in saecula saeculorum*[2]. Tunc *bestia et pseudopropheta et qui acceperunt imaginem eius in stagnum mittentur ignis et sulphuris, qui paratus est diabolo et angelis eius.* Tunc *egredientur* electi ad *consideranda cadavera*[3], mortua morte quidem non naturae, sed poenae; tunc *lavabunt iusti manus suas in sanguine peccatorum*[4]*;* tunc denique victoriosissimus Agnus *ponet inimicos suos scabellum pedum suorum,* quando ingredientes *impii in inferiora terrae tradentur in manus gladii partesque vulpium erunt,* scilicet daemonum, qui eos suis fraudulentiis seduxerunt.

Poenae damnatorum.

Iesus, sponsus ornatus.

44. Denique mundi facie innovata in melius, cum *lux lunae erit sicut lux solis, et lux solis septempliciter sicut lux septem dierum*[5], *civitas illa sancta Ierusalem,* quae *de caelo tanquam sponsa ornata descenderat,* iam nunc *praeparata ad nuptias Agni,* gemina quoque stola vestita, in caelestis curiae traducetur palatium, et in sacrum illum[6] arcanumque thalamum introducta, tanto illi Agno caelesti copulabitur foedere, ut *unus fiat spiritus* sponsa et Sponsus, vestieturque Christus omni pulcritudine electorum tanquam *tunica polymita*[7], in qua omni decore ornatus refulgeat, tanquam opertus omni lapide pretioso. Tunc illud dulce resonabit epithalamium, et per omnes vicos Ierusalem *Alleluia* cantabitur. Tunc *virgines prudentes atque paratae intrabunt cum sponso ad nuptias,* ut, *ianua clausa, in pacis pulcritudine sedeant in tabernaculis fiduciae et requie opulenta.*

Nuptiae Agni.

Vestitus Christi.

FRUCTUS XII. AETERNITAS REGNI.

Iesus, rex regis filius[8].

45. Sane regnum Dei aeternum aestimari habet iuxta regnantis celsitudinem gloriosum et nobile, pro eo quod non *rex* a *regno,* sed a *rege* regnum trahit originem. Hic autem est rex, qui habet in *vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium*[9], cuius *potestas aeterna, quae non auferetur,* et regnum ipsius non corrumpetur, cui omnes *tribus et populi et linguae servient* in aeternum. Et hic est vere *rex pacificus*[10], *cuius vultum et caelum desiderat et universa terra.* — O quam gloriosum est huius excellentissimi Regis regnum, in quo cum ipso regnant omnes iusti, cuius lex est veritas, pax, caritas, vita, aeternitas; quod nec regnantium pluralitate dividitur nec participatione[11] minuitur nec numerositate confunditur nec inaequalitate deordinatur nec circumscribitur loco nec variatur motibus nec tempore mensuratur!

Christus, R… Regum … pacificus.

Gloria hu… regni.

Iesus, liber signatus.

46. Ad gloriam regni perfectam non solum requiritur potestas excellens, verum etiam sapientia fulgens, ut non secundum indeterminatae voluntatis arbitrium disponantur gubernacula regni, sed secundum fulgores aeternarum legum a luce sapientiae indecepte manantium. Et haec quidem sapientia scripta est in Christo Iesu tanquam in libro vitae, in quo *omnes thesauros sapientiae et scientiae*[12] recondidit Deus Pater; ac per hoc Unigenitus Dei ut Verbum

Christus, ber vita…

[1] Codd. A C N W Z praefigunt *Dehinc,* D O habent *Data sententia;* pro *flammis exurantur* A C N W Z et 1 *flammis puniontur* [B E *urantur*]. — De *modo fascis* [O P *fasciculi*] vide Matth. 13, 30: Alligate ea in fasciculos.

[2] Apoc. 14, 11. et 20, 9; ultima verba *qui paratus est* etc., sumta sunt ex Matth. 25, 41. — Vat. *pseudoprophetae et qui acceperit* pro *pseudopropheta et qui acceperunt.*

[3] Isai. 66, 24: Et egredientur et videbunt cadavera virorum, qui praevaricati sunt in me. Codd. A B C E F N W Z et 1 *ad occisorum consideranda cadavera, mortua.*

[4] Psalm. 57, 11; deinde respicitur Ps. 109, 1, denique Ps. 62, 10. 11. — Pro *victoriosissimus Agnus* D *Agnus et victor et magnificus.* Verba *scilicet daemonum... seduxerunt* omittuntur in A C N W Z et etiam seq. titulus.

[5] Isai. 30, 26; sequuntur Apoc. 21, 2. et 10 [pro *descenderat* E Q bb *descendit*]; verba *praeparata ad nuptias Agni* respiciunt Apoc. 19, 7: Venerunt nuptiae Agni, et uxor eius praeparavit se. De *gemina stola* cfr. Breviloq. p. VII. c. 7: Praemium consubstantiale consistit in gloria corporis, quae *secunda stola* dicitur... consistit in quadruplici dote corporis etc.

[6] Vat. *gloriosum illum sacrum* pro *sacrum illum.* — Infra respicitur I. Cor. 6, 17: Qui autem adhaeret Deo unus spiritus est. — Pro *vestieturque Christus* A B C E Z non bene *vestiaturque Christus.*

[7] Vide Gen. 37, 3, et cfr. Ezech. 16, 13. Infra respicitur Matth. 25, 1. seqq., et citatur Isai. 32, 18. — Vat. addit *et* post *sedeant,* et *in* ante *requie.*

[8] Pro hoc titulo A C N W Z habent *Iesus, finis optatus* (qui tamen revera est ultimus in ordine), simulque ponunt hic tres primas propositiones, quae infra n. 48. in nostra editione habentur, ubi post *obtinere salutem* continuant: *Sane regnum illud* [nostra ed. *Dei*] *aeternum* etc.

[9] Apoc. 19, 16; sequitur Dan. 7, 14. — Supra pro *trahit originem* O P aa dd *traxit* [R S *trahat*] *originem.* Infra ante *regnum ipsius* Vat. ponit *ideo.*

[10] Cfr. I. Paralip. 22, 9; sequitur III. Reg. 10, 24. — Infra pro *huius excellentissimi* Vat. *huiusmodi excellentissimi;* eadem deinde *Sancti* pro *iusti.*

[11] Codd. A C W Z *partitione.*

[12] Col. 2, 3: In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi. Porro *multiformis sapientia Dei* memoratur Eph. 3, 10. — Infra pro *a speculo decoris omnium* Vat. *in speculo decoris sive pulcritudinis omnium;* non pauci codd. *decoro* pro *decoris.*

increatum est sapientiae liber et lux in mente summi Artificis viventibus plena rationibus et aeternis, ut Verbum *inspiratum* in intellectibus angelicis atque beatis, ut Verbum *incarnatum* in mentibus rationalibus carni unitis; ut sic *multiformis sapientia Dei* ex ipso et in ipso per totum regnum refulgeat tanquam a speculo decoris omnium specierum et luminum contentivo et tanquam in libro, in quo secundum profunda Dei mysteria omnia conscribuntur [1].

cellentia ri vitae.

O si talem librum invenire possem, cuius origo aeterna, cuius incorruptibilis essentia, cuius cognitio vita, cuius scriptura indelebilis, cuius inspectus desiderabilis, cuius doctrina facilis, cuius scientia dulcis, cuius profunditas imperscrutabilis, cuius verba inenarrabilia, et unum tamen verbum omnia! Vere, qui hunc invenit librum *inveniet vitam et hauriet salutem a Domino* [2].

Iesus, fontalis radius.

stus om- innovat.

47. In hoc siquidem regno aeterno *data omnia optima et dona perfecta a Patre luminum* in affluentia *descendunt* [3] et copia per illum qui est superessentialis radius, Christus Iesus, qui, cum sit unus, omnia potest, et in se permanens omnia innovat. Est enim *emanatio quaedam claritatis virtutis omnipotentis Dei sincera,* et ideo *nihil inquinatum* in hunc fontalem radium valet incurrere.

rtatio et loratio.

Ad hunc fontem vitae et luminis curre cum desiderio vivo, quaecumque es, anima Deo devota, et cordis intima vi ad eum exclama [4]: « O inaccessibilis decor Dei excelsi et purissima claritas lucis aeternae, vita omnem vitam vivificans, lux omne lumen illuminans et conservans in splendore perpetuo mille millena lumina fulgurantia [5] ante thronum Divinitatis tuae a primaevo diluculo! O aeternum et inaccessibile, clarum et dulce profluvium fontis absconditi ab oculis omnium mortalium, cuius profundum sine fundo, cuius altum sine termino, cuius amplitudo incircumscriptibilis, cuius puritas imperturbabilis [6] »; ex quo fluvius [7] procedit *olei laetitiae; qui laetificat civitatem Dei,* et torrens ignei vigoris, *torrens,* inquam, *voluptatis divinae,* quo laetabunda ebrietate potati, caelestes illi convivae hymno incessabili iubilant.

Oratio.

Hoc nos oleo sacro perunge huiusque torrentis desiderabilibus guttis sitibundas refocilla fauces arentium cordium, ut in *voce exsultationis et confessionis* [8] decantemus tibi cantica laudis, experientia teste probantes, *quoniam apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen.*

Iesus, finis optatus.

De beatitudine.

48. Finem namque desideriorum omnium constat esse beatitudinem, quae est « status omnium bonorum congregatione perfectus [9] ». Ad quem quidem statum nullus pervenit nisi per ultimam resolutionem in eum qui est fons et origo bonorum tam naturalium quam gratuitorum, tam corporalium quam spiritualium, tam temporalium quam aeternorum. Et hic est, qui de se ipso dicit: *Ego sum alpha et omega, principium et finis* [10]; quia, sicut per Verbum aeternaliter dictum omnia producuntur, sic per Verbum carni unitum reparantur, promoventur et finiuntur; ac per hoc vere et proprie dictus est *Iesus, quia non est aliud nomen sub caelo datum hominibus,* in quo quis possit obtinere salutem.

Christus alpha et omega.

Oratio.

In te igitur ut finem omnium credens, sperans et amans *ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex omni virtute* [11] ferar, desiderate Iesu, quia tu solus sufficis, tu solus salvas, tu solus bonus et suavis es te requirentibus et *diligentibus nomen tuum.* « Tu enim, mi bone Iesu, redemptor es perditorum, salvator redemptorum, spes exsulum, laborantium fortitudo [12], anxiatorum spirituum dulce solatium, triumphantium corona et imperiale fastigium, unica merces et laetitia omnium civium supernorum, inclyta proles summi Dei et fructus sublimis uteri virginalis, uberrimus quoque fons gratiarum omnium, *de cuius plenitudine nos omnes accepimus* [13] ».

---

[1] Cfr. Breviloq. p. 1. c. 8. cum notis nostris.

[2] Prov. 8, 35. — Supra A C N W Z *cuius inspectio* pro *cuius inspectus,* et *cuius verba invariabilia* [O W *innumerabilia*] pro *cuius verba inenarrabilia.*

[3] Iac. 1, 17. Sequitur Sap. 7, 25. — Pro *fontalem* [multi codd. *fontanum*] *radium valet* Vat. *fontalem radium potest.*

[4] Vat. *clama,* deinde *ineffabilis* pro *inaccessibilis,* et post *lucis aeternae* addit *indeficiens.*

[5] Pro *perpetuo mille millena lumina fulgurantia* Vat. *perpetuo multiformia lumina fulgentia;* deinde pro *clarum et dulce* habet *dulceque, clarum et sapidum.*

[6] Anselm. loc. cit. circa finem.

[7] Codd. A B C E W Z *flumen;* deinde respiciuntur Ps. 44, 8: Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis; dein Ps. 45, 5; 35, 9. — Supra post *mortalium* O cc habent *cuius unda sine ortu, cuius latum sine termino, cuius altitudo incircumscriptibilis.*

[8] Psalm. 41, 5; dein 35, 10. — Supra pro *desiderabilibus guttis* Vat. *desiderabilis guttis.* Altera illa familia et sequentem *titulum* et tres primas propositiones ab ipsa supra positas hic omittit. Vide pag. 84, notam 8.

[9] Definitio ex Boethio, III. de Consolat. prosa 2. sumta et communiter recepta. — Infra post *origo bonorum* Vat. cum pluribus codd. addit *omnium.*

[10] Apoc. 1, 8. — Infra pro *Verbum carni unitum reparantur* S *Verbum incarnatum omnia reparantur.* Post *Iesus* D addit *qui interpretatur Salvator.* — Dein respicitur Act. 4, 12.

[11] Respicitur Marc. 12, 30. — Pro *et suavis es te* Vat. *et suavis es,* omittens *te.* — Deinde respicitur Ps. 5, 12: Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum.

[12] Vat. addit *auxiliator oppressorum.*

[13] Anselm., loc. cit., ubi allegatur Ioan. 1, 16. Supra post *unica* A C N W Z ponunt *spes et* pro *merces et,* ac post *summi Dei* D addit *et aeterni Regis.*

Oratio pro obtinendis septem donis Spiritus sancti.

49. Oramus igitur clementissimum Patrem per te, Unigenitum eius pro nobis hominem factum, crucifixum et glorificatum, ut de thesauris suis emittat[1] in nos Spiritum gratiae septiformis, qui super te in omni plenitudine *requievit:* spiritum, inquam, *sapientiae,* quo fructum *ligni vitae,* quod vere tu es[2], videlicet sapores vivificos degustemus; donum etiam *intellectus,* quo mentis nostrae contuitus illustrentur; donum *consilii,* quo post tuorum vestigia gressuum rectarum semitarum itineribus incedamus; donum *fortitudinis,* quo impugnantium hostium violentias enervare possimus; donum *scientiae,* quo sacrae doctrinae tuae repleamur fulgoribus ad discretionem boni et mali; donum *pietatis,* quo induamus[3] misericordiae viscera; donum *timoris,* quo, recedentes ab omni malo, aeternae Maiestatis tuae reverentiali pondere tranquillemur. — Haec enim nos in illa sacra tua quam nos docuisti oratione petere voluisti; haec et nunc per crucem tuam petimus obtinere ad laudem sanctissimi nominis tui, cui cum Patre et Spiritu sancto omnis sit honor et gloria, gratiarum actio, decus et imperium per infinita saecula saeculorum. Amen[4].

Explicit Lignum vitae.

ADDITAMENTUM[1].

Haec est meditatio quaedam rhythmice facta a fratre Bonaventura, Generali ordinis fratrum Minorum, de operationibus D. N. Iesu Christi, in qua quidem incipit ipsum describere secundum generationem aeternam quantum ad quatuor conditiones nobilissimas, scilicet essentiae, sapientiae, potentiae et benevolentiae. Et haec habentur per ordinem in ipso versu[2]. Deinde describit eum ut promissum Patriarchis, praefiguratum a Prophetis, ut conceptum et ut natum, et ex hoc per ordinem totum processum vitae quantum ad facta notabilia usque ad distributionem donorum Spiritus S. — Praemittit autem unum versiculum dignificans[3] crucem ex *irrigatione fontis, adornatione floris, fecundatione fructus excellentissimi.* Qui quidem *fons, flos* et *fructus* est Dominus Iesus Christus, cuius nobilitates in sequentibus declarantur et sunt in universo septuaginta duae. Voluit autem, quod ibi fieret quidam cantus, quo possit cantari ad modum cantionis. Unde per primum versiculum omnes cantantur in duobus cantibus alternatim, et ad quemlibet respondetur altera medietas primi versus, secundum quod consonat finis cantus. — In ultimo autem versu se convertit ad vocem orationis, ut per Christum supra descriptum sit ipsa crux veris christianis initium vitae, progressus vitae et consummatio gloriae. — Describitur autem hic Iesus Christus crucifixus sub typo cuiusdam arboris, primo quantum ad *radicem* seu initium, secundo quantum ad *stipitem* seu profectum, tertio quantum ad *ramificationem* seu consummationem, ibi: *Iesus, futura praevidens,* quartum quantum ad fructificationem, ibi: *Iesus, captivos eruens.*

O crux, frutex salvificus,
Vivo fonte rigatus,
Quem flos exornat fulgidus,
Fructus fecundat gratius.
Iesus, ex Patre genitus,
Iesus, liber signatus,
Iesus, cunctorum dominus,
Iesus, desideratus. ℟. O crux etc.
Iesus, promissus Patribus,
Iesus, praefiguratus,
Iesus, emissus caelitus,
Iesus, Mariae natus. ℟. Quem etc.
Iesus, sub Lege positus,
Iesus, Magis monstratus,
Iesus, redemptus parvulus,
Iesus, infans fugatus. ℟. O crux etc.

---

[1] Vat. *mittat.* — Porro respiciuntur Isai. 11, 2. et 3.

[2] Pro *ligni vitae, quod vere tu es, videlicet* A B E N W Z *lignum vitae, septem videlicet.*

[3] Vat. *induamur.* — De oratione dominica vide Matth. 6, 9. seqq. et Luc. 11, 2. seqq.

[4] In B et pluribus aliis codd. etiam non specialiter a nobis collatis hic sequuntur illae duae strophae supra pag. 69. n. 6. positae: *His nos ciba fructibus,* quae etiam in cod. C simul cum hac oratione pro obtinendis septem donis Spiritus S. ponuntur in fine prologi. Cfr. pag. 69. nota 7. Cod. L post *Amen* sic istos versiculos explicando exhibet: *Petitio septem donorum.* His nos, crux, *dono sapientiae* ciba fructibus — *dono intellectus* illustra cogitatus — *dono consilii* rectis duc itineribus — *dono fortitudinis* hostis frange conatus — *dono scientiae* sacris reple fulgoribus — *dono pietatis* spira pios affectus (pro *afflatus*) — *dono timoris* sis te Christum timentibus — tranquillus vitae status. Amen.

Notae ad additamentum.

[1] Genuinus rhythmus S. Bonaventurae, qui cum prima et duabus ultimis strophis habet 60 versiculos, a subsequentibus auctoribus multipliciter mutatus et adauctus est. Plurimos versiculos addidit Fr. Ubertinus a Casali (cfr. Prolegom. c. I. § 3.); Bonelli in suo Supplemento III. coll. 1159-1162 praeter genuinos versiculos praebet ex quodam codice Mantuano alios plerumque differentes, qui numero sunt 76. Ipse etiam hos Bonaventurae tribuit; sed hoc minime est verisimile, praesertim cum etiam aliae et differentes huius rhythmi formae in diversis codicibus inveniantur. Exemplum tale publicamus in hoc additamento sumtum ex cod. bibliothecae Laurentianae Florentiae (Plut. XIX. cod. 10. chart. fol. 206 r. col. 1.) et altero cod. Urbinate n. 121. Ex eodem etiam patet, hunc rhythmum adaptatum esse ad cantandum, de quo plura vide in nostris Prolegomenis loc. cit.

Ex quodam cod. bibliothecae regiae Monachii (codd. Lat. n. 9084. fol. 52) adiungimus speciminis causa primas strophas genuinas cum brevibus expositionibus.

[2] Auctor voces *versus* et *versiculos* sumit pro *stropha.*

[3] Ita uterque codex.

Iesus, puer proficiens,
Iesus, vir baptizatus,
Iesus, panis esuriens,
Iesus, victor tentatus. ℟. Quem etc.
Iesus, nobis circumiens,
Iesus, nobis lassatus,
Iesus, pro nobis indigens,
Iesus, inhonoratus. ℟. O crux etc.
Iesus, miranda faciens,
Iesus, verbis sensatus
Iesus, peccata diluens,
Iesus, transfiguratus. ℟. Quem etc.
Iesus, unguentis redolens,
Iesus, asello latus,
Iesus, subiectis serviens,
Iesus, agnus oblatus. ℟. O crux etc.
Iesus, futura praevidens,
Iesus, angustiatus,
Iesus, cruore effluens,
Iesus, orans prostratus. ℟. Quem etc.
Iesus, emptus argenteis,
Iesus, turba vallatus,
Iesus, captus ab impiis,
Iesus, ter denegatus. ℟. O crux etc.
Iesus, satur opprobriis,
Iesus, vultu velatus,
Iesus, concisus alapis,
Iesus, colaphizatus. ℟. Quem etc.
Iesus, astrictus vinculis,
Iesus, perflagellatus,
Iesus, punctus aculeis,
Iesus, dire plagatus. ℟. O crux etc.
Iesus, risus a perfidis,
Iesus, falso accusatus,
Iesus, spretus a populis,
Iesus, morte damnatus. ℟. Quem etc.
Iesus, crucem circumferens,
Iesus, veste nudatus,
Iesus, morti se offerens,
Iesus, ligno clavatus. ℟. O crux etc.
Iesus, orbem concutiens,
Iesus, planctu rigatus
Iesus, Matri compatiens,
Iesus, felle potatus. ℟. Quem etc.
Iesus, clamando moriens,
Iesus, transverberatus,
Iesus, infernum adiens,
Iesus, intumulatus. ℟. O crux etc.
Iesus, captivos eruens,
Iesus, resuscitatus,
Iesus, ad Patrem rediens,
Iesus, glorificatus. ℟. Quem etc.
Iesus, dona distribuens,
Iesus, clarificatus,
Iesus, monarcha praesidens,
Iesus, summe beatus. ℟. O crux etc.
Iesus, purgans a sordibus,
Iesus, splendor optatus,
Iesus, spirans afflatibus,
Iesus, cruce immolatus. Respondit:
Per hunc, crux, christiformibus
Esto vitalis status,
Profectus in virtutibus
Ac sempiternus status.

Expliciunt LXXII operationes Iesu Christi.

Alius codex bibliothecae Monachii genuinas exhibet strophas, sed singulis versiculis et fructibus adiungit tres breves explicationes. Sufficiat hic referre tantum primas strophas.

Tituli Ligni vitae cum expositione articulata.

O frutex salvificus,	obumbrans ab aestu vitiorum, alliciens ramis factorum, recreans foliis verborum.
Vivo fonte rigatus,	ut cresceret in fidelium cordibus, ut dilataretur in omnibus terrae finibus, ut exaltaretur in Ecclesiis omnibus.
Cuius flos aromaticus,	visu pulcherrimus, odoratu suavissimus, tactu acceptissimus.
Et fructus desideratus.	a Patriarchis in offerendo, a Prophetis in praenuntiando, ab Angelis in promittendo.
A. Origo. Iesus, origine praeclarus. (Ramus I.)	Parente nobili, generatione inenarrabili, ordine ineffabili.
Iesus, ex Deo genitus,	ex Patris fecunditate, in temporis (!) aeternitate, cum Prolis Divinitate.
Iesus, praefiguratus,	ad Patrum consolationem, ad fidei confirmationem, ad hominum praeparationem.
Iesus, emissus caelitus,	ut medicus expertus ad sanandum, ut exemplar clarum ad imitandum, ut amicus verus ad adiuvandum.
Iesus, Maria natus.	cum honore propriae Matris, cum iubilo militiae caelestis, cum gaudio machinae mundialis etc.

OPUSCULUM IV.

DE QUINQUE FESTIVITATIBUS

PUERI IESU

PROLOGUS.

Ratio harum meditationum.

Cum secundum virorum venerabilium quos in Ecclesia Dei divina irradiatio amplius illustravit, et caelestis devotio abundantius inflammavit sententiam et doctrinam dulcis Iesu meditatio, Verbi incarnati contemplatio devota devotam mentem super mel et omnia unguentorum fragrantium odoramenta suavius delectat, dulcius inebriat, perfectius consolatur et confortat [1]; hinc est, quod cum me a cogitationum incidentium tumultu paululum subtraxissem et intra memetipsum tacitus cogitarem, quid de divina incarnatione in hoc tempore pertractarem in mente, unde aliquam consolationem spiritualem reciperem, in qua divinam dulcedinem *in hac lacrymarum valle* [2] per speculum degustarem, ut, illa aliquantulum degustata, temporalem ac phantasticam consolationem perfectius fastidirem: incidit menti meae secretius, quod anima Deo devota benedictum Dei Patris Verbum et Filium unigenitum mediante gratia Spiritus sancti spiritualiter posset virtute Altissimi concipere, parere, nominare, cum beatis Magis quaerere et adorare et demum Deo Patri secundum Legem Moysi in templo feliciter praesentare, et sic tanquam vera christianae religionis discipula [3] quinque festa, quae de puero Iesu agit Ecclesia, mente devota cum omni reverentia valeat celebrare. Notandum

Igitur sicut humiliter concepi, verbis humilibus conscripsi, concordantias auctoritatum brevitatis causa praetermisi. In quo tractatu brevi et humili, si vel modicum devotionis ad dulcissimum Iesum quis legendo concipiat vel meditando; ipsum tanquam omnium bonorum auctorem, fontem et principium laudet, glorificet et benedicat; si vero nihil, vel mihi minus sufficienter et digne scribenti, vel forte sibi minus devote et humiliter legenti imputet et ascribat.

Festivitas I.

Quomodo Filius Dei, Christus Iesus a mente devota spiritualiter concipiatur.

Obiectum huius meditationis.

1. Primo igitur, purgato intellectu contritionis lavacro, et inflammato et elevato affectu dilectionis igniculo [4], castis meditationibus et devotis cogitationibus pertractandum est, qualiter iste benedictus Dei Filius, Christus Iesus sit a devota mente spiritualiter *concipiendus*.

Cum anima devota vel spe caelestis praemii, vel timore aeterni supplicii, vel taedio *in hac lacrymarum valle* [5] diutius commorandi mota ac stimulata, novis inspirationibus visitatur, sanctis affectionibus inflammatur, meditationibus caelestibus anxiatur, tandem abiectis et despectis veteribus defectibus

---

[1] Cfr. Anselm., Meditat. 12; Bernard., Serm. 1. in Epiph. Domini, n. 1. seqq.; Serm. 29. de Diversis, n. 2. seqq.; Tractat. ascet. (inter opera Bernardi suntque Gilleberti abbatis) tr. 6. n. 6. seqq. — Vat. *suavius delectet, dulcius inebriet, perfectius consoletur et confortet.* In initio pro *virorum venerabilium* A B C D E *virorum honorabilium.*

[2] Psalm. 83, 7. — Superius pro *pertractarem in mente* B *pertractarem mente.* Subinde pro *ut illa* G *et illa.*

[3] Cod. G *vera religionis Christi discipula.* Inferius F omittit *concordantias... praetermisi.*

[4] Cfr. supra Opusculum I. de Triplici Via, c. 1. n. 2-17.

[5] Psalm. 83, 7. Cfr. supra Opusculum II. Soliloq. c. 3. n. 10. verba August., secundum quae etiam anima ad Deum revertens *mota vel spe praemii, vel timore supplicii* vim facit pristinis desideriis etc.

et pristinis desideriis, novo vivendi proposito a *Patre luminum, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum*[1], spiritualiter spiritu gratiae fecundatur; quid aliud agitur, nisi quod, *superveniente virtute Altissimi et obumbratione* caelestis refrigerii, quae carnales concupiscentias mitigat, mentales oculos ad videndum confortat et adiuvat, Pater caelestis divino quodam semine animam gravidam facit et fecundat[2]? — Post hunc conceptum sacratissimum anima pallet in facie per veram humilitatem in conversatione, fastidium cibi et potus concipit in mente in plenario mundialium contemptu et abiectione, desideria variantur in affectione ex diversorum bonorum proposito et intentione, aliquando etiam infirmari et aegrotare anima incipit in propriae voluntatis abiectione. Iam enim incedit tristis et turbulenta pro veterum delictorum perpetratione, pro temporis amissione, pro hominum adhuc in mundo mundialiter viventium societate et conversatione. Iam paulatim grave et taediosum incipit esse omne, quod foris est et foris cernitur, quia illi displicere cernitur, qui intus percipitur et sentitur[3].

[Effectus spiritualis conceptus.]

2. O felix conceptus, quem talis consequitur mundi contemptus et caelestium operationum ac divinarum occupationum appetitus! Iam, quamvis adhuc modicum « gustato spiritu, desipit caro[4] » cum gemitu, iam anima cum Maria *montana* ascendere incipit, quia post talem conceptum fastidiuntur terrena et desiderantur caelestia et aeterna. Iam fugere incipit societatem illorum *qui terrena sapiunt*[5], et appetit familiaritatem eorum qui caelestia concupiscunt. Iam incipit *ministrare Elisabeth,* hoc est illis quos divina sapientia illuminat et divina gratia amplius per dilectionem inflammat. Et hoc valde notabile, quia multis necessarium est: quanto magis a mundo se abstrahunt, tanto familiarius se bonis hominibus amicabiles et familiares reddunt, ut tanto amplius malorum consortium ipsis desipiat, quanto dulcius bonorum et spiritualium honesta conversatio eorum affectum afficit et inflammat, « quia, secundum beatum Gregorium[6], qui sancto viro adhaeret accipit, ut ex eius assiduitate visionis, usu locutionis, exemplo conversationis accendatur in amore veritatis, peccatorum tenebras fugiat, amore divinae lucis inardescat ». Unde Isidorus[7]: « Accede bonorum societatem. Accidit enim, si fueris socius conversationis, eris socius et virtutis ». — Hic cogitet fidelis anima, quam casta, quam sancta et quam devota fuerint illorum Sanctorum[8] colloquia, quam divina et quam salutifera consilia, quam mirandae sanctitatis, quam mutuae societatis opera, dum unusquisque alium verbo et exemplo provocabat ad meliora.

[...eatitudo ...us status.] [Quaeritur societas spiritualium.] [Reflexio.]

3. Sic tu, o anima devota, facias, si te de Spiritu sancto concepisse nova caelestis vitae desideria sentias. Fuge malorum consortia, ascende cum Maria, quaere virorum spiritualium consilia[9], imitari stude perfectorum vestigia, contemplare bonorum verba, opera pariter et exempla. — Fuge perversorum venenosa consilia, quae semper pervertere quaerunt, impedire appetunt, lacerare non desistunt nova sancti Spiritus desideria et saepius sub specie pietatis infundunt virus impiae tepiditatis, dicentes: nimis magnum est quod incipis, nimis arduum est quod

[Hortatio.] [Perversorum prava consilia.]

[1] Iac. I, 17. — Subinde respicitur Luc. I, 35: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

[2] Cfr. Comment. in Luc. c. 8. n. 22, ubi ostenditur, quod *semen* sit Verbum Dei aeternum et quidem ut *inspiratum*, ut *incarnatum*, ut *praedicatum*, ut *exemplatum*. Adiungimus, quod in Nativitate Domini tres missae, ut communiter tenetur, celebrantur ad insinuandam triplicem nativitatem, scilicet aeternam, temporalem spiritualem, qua Christus oritur *tanquam lucifer in cordibus nostris* (II. Petr. 1, 19.), et temporalem carnalem ex B. M. Virgine (*Puer natus est nobis* Isai. 9, 6.). Cfr. Innocent. III, Serm. 3. in Nativitate Domini, ubi etiam dicit: « Christus enim per affectum concipitur, per effectum nascitur, per profectum nutritur ». Guerricus abbas, Serm. 2. de Annuntiatione Domini (inter opera Bernardi), n. 4., Verbi conceptionem in anima fideli describens ait: Quam beati, qui dicere possunt: *A timore tuo, Domine, concepimus et parturivimus spiritum salutis* [Isai. 26, 18. secundum Septuaginta]! qui nimirum non est alius quam spiritus Salvatoris, quam veritas Iesu Christi. Vide ineffabilem dignationem Dei simulque virtutem incomprehensibilis mysterii; qui creavit te creatur in te, et quasi parum esset, te ipsum habere patrem, vult etiam, te sibi fieri matrem. *Quicumque*, inquit [Matth. 12, 50.], *fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus et frater et soror et mater est* etc. Cfr. Tract. de Interiori Domo (inter opera Bernardi), c. 10. n. 17. et c. 39. n. 80. 81.

[3] Cfr. supra Opusculum II. Soliloq. c. 2. n. 8. in fine. — Cod. G *quod cernitur foris, quia nimirum placere cernitur, quod intus* etc., Vat. cum F *foris cernitur, quod intus percipitur et auditur* (F *sentitur*).

[4] Bernard., Epist. 111. n. 3: « Gustato spiritu, necesse est desipere carnem ». Pro *desipit* A B C D E *desipiat*. — Subinde respicitur Luc. 1, 39: « Exsurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana ». In quem locum Beda ait: Typicum pariter exemplum tribuens [Maria], quod omnis anima, quae Verbum Dei mente conceperit, virtutum statim celsa cacumina gressu conscendat amoris etc. — Superius Vat. omittit *ac divinarum occupationum,* et inferius pro *quia post talem* ipsa substituit *post talemque*.

[5] Phil. 3, 19. — Beda, I. Homil. genuin. homil. 2. (in festo Visitationis B. M. Virg.): Intrat ergo [Maria] domum Zachariae atque Elisabeth... ut mulieri provectae aetatis virgo iuvencula *ministerium sedula impenderet*. — Inferius Vat. omittit *divina sapientia illuminat et*, quae etiam subinde pro *quia multis* cum F substituit *multisque*.

[6] Libr. I. Homil. in Ezech. homil. 5. n. 6, ubi pro *in amore veritatis* et *amore divinae lucis* textus originalis *in amorem veritatis* (ita etiam Vat.) et *in desiderio lucis*.

[7] Libr. II. Synonymor. n. 44. (alias c. 8.): Bonis te adiunge, bonorum consortium appete, bonorum societatem quaere; Sanctis individue adhaere. Si fueris socius conversationis, eris et virtutis. Vat. cum F *Bonorum societatem require* [G *inquire*]. *Accidit* etc.

[8] Vat., refragantibus A B C D E, *illarum Sanctarum*, et inferius *dum unaquaeque aliam* pro *dum unusquisque alium*. Pro *provocabat* A B C D E *provocat*.

[9] Plures codd., ut A B C D, hic et paulo inferius *concilia*. Subinde pro *non desistunt* A B C D E *non desinunt*, et pro *impiae tepiditatis* F *impiae cupiditatis*.

proponis, intolerabile quod facis, vires tibi non suppetunt, virtutes naturales deficiunt[1], caput confunditur, oculi destruuntur, infirmitates diversimode nutriuntur, phthysis, paralysis, calculus et vertigo capitis et oculorum caligo, sensuum hebetudo, rationis obnubilatio et virium destitutio, his omnibus subiacebis, nisi ab inceptis abstineas et commodo corporali amplius intendas. Statum tuum non decent talia, per haec diminuitur honor tuus et reverentia. — Vides, quod iam factus est magister disciplinae et medicus corporis qui nec mores proprios componere novit nec curare propriam mentis infirmitatem. Heu, heu, quot et quantos maledicta mundialium consilia supplantaverunt et conceptum in eis per Spiritum sanctum Dei Filium exstinxerunt[2]! Haec est illa potio misera et mortifera persuasio diabolica, quae in multis spiritualem conceptum impedit, in plerisque conceptum iam per propositum formatum, vel per votum iam factum interficit et exstinguit[3].

Horum reprobatio.

4. Sed sunt et alii, qui videntur et forte sunt boni et religiosi; sed, salva eorum reverentia, nimis timidi, non attendentes nondum *abbreviatam manum Domini, ut salvare nequeat*[4], nec considerantes nondum diminutam pietatem Altissimi, quin adiuvare velit et valeat, habentes *zelum Dei, sed non secundum scientiam*, dum ex compassione corporalis afflictionis, vel forte ex timore naturalis defectionis — dum alios vident viriliter agere quod ipsi iam dudum bonum et sanctum iudicabant, et tamen non audebant inchoare — retrahunt homines ab operibus perfectionis. Dissuadent ea quae excedunt statum[5] vitae communis, destruunt sancta consilia divinae inspirationis, quorum consilia ratione vitae quanto magis sunt authentica, tanto magis inveniuntur periculosa.

Aliorum consilia mala.

5. Hi aliquando dicunt[6], multum callide ex antiqui hostis adinventione obiicientes: si talia vel talia feceris, sanctus et bonus religiosus et devotus iudicaberis. Et cum in te nondum sit quod esse ab aliis putaberis, in conspectu summi Iudicis tua magna, gravia et horrenda peccata cognoscentis reus eris et amittes meritum operis et simulator aut hypocrita iudicaberis. Talia exercitia dicunt esse illorum qui nihil mali fecerunt, qui sancte et innocenter vixerunt, qui omnia propter Deum dimiserunt, qui toto tempore vitae Deo perfecte adhaeserunt[7].

Item, aliae callidae suasiones.

6. Sed et hos, dilecta, Deo devota anima, devita; *montem ascende* cum Maria. Paulus non sine peccatis vixerat, non diu Deo servierat, quando in tertium caelum rapiebatur et Deum facie ad faciem videns contemplabatur[8]. Maria Magdalena, tota superba, tota ambitiosa, tota mundanis vanitatibus intenta, carnis cupiditatibus dedita, non longe post ad pedes Iesu inter Apostolos sanctos sedit et cum intentione devotam doctrinam perfectionis audivit, prima omnium in modico tempore Deum videre meruit aliisque verba veritatis constanter proposuit. *Non est* enim *personarum acceptor Deus*[9], non pensat nobilitatem generis, non diuturnitatem temporis, non multitudinem operum, sed fervorem ampliorem et caritatem maiorem devotae mentis. Non enim pensat, qualis aliquando fuisti, sed qualis esse amodo incepisti. Unde taliter consulentium consilia essent multum reprehensibilia, si non excusarentur simplicitate, licet non approbanda.

Reprobantur.

7. Si ergo non potes salvari per innocentiam, studeas salvari per poenitentiam; si non potes esse Catharina vel Caecilia, non contemnas esse Maria Magdalena, vel Aegyptiaca[10]. Igitur, si te sentis, sancto

Hortatio.

---

[1] Cod. F *non sufficiunt.*

[2] Vide verba Bernardi supra pag. 46, nota 7. allegata; cfr. etiam ipsius Serm. 30. in Cant. n. 10. seqq., ubi consilia tum medici Christi eiusque discipulorum tum medici Hippocratis ipsiusque sequacium describuntur.

[3] Cfr. Hugo a S. Vict., l. de Claustro animae (inter opera Hug.) c. 2, ubi diabolus introducitur suggerens, « non esse bonum naturae complexiones turbare, cum ex subtractione ciborum mutentur complexiones, ex mutatione complexionum conturbatio naturae contingat, ex conturbatione naturae infirmitas, ex infirmitate mors. Ecce, fratres, diabolus physicam docet, ecce, medicus factus est, de complexionibus loquitur, infirmitates diversas, si teneatur religio, generari praedicat. Sed quare hoc? Non ut mederi velit, sed ut occidere possit; non ut aegritudines curet, sed ut securius inferat mortem » etc.

[4] Isai. 59, 1: Ecce, non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat; cfr. ibid. 50, 2. — Sequitur Rom. 10, 2: Aemulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. — Pro *nondum diminutam pietatem Altissimi* (cfr. supra Opusculum II. Soliloq. c. 2. n. 19. in fine) A B C D E *nondum dominicam pietatem Altissimi exstinctam*, qui etiam inferius ante *iudicabant* (F *meditabantur*) omittunt *et sanctum.* Bernard., Serm. 27. de Diversis, n. 4: Quid enim putamus, carissimi? Abbreviata est manus Domini, an forte thesauri gratiae defecerunt? Quid, inquam, putamus, utrum voluntas mutata sit, an imminuta facultas? Neutrum sane de eo aestimare licet etc.

[5] Cod. F *normam.*

[6] Vat. *Alii dicunt.*

[7] Matth. 19, 27: Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te. — Superius pro *dicunt* B C D E G *debent*, edd. 1, 2 *dicunt debent.*

[8] Cfr. II. ad Cor. 12, 2-4. — De Maria Magdalena vide Luc. 7, 37. seqq. et 8, 2; 10. 39. (sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius) et Ioan. 20, 1. seqq. (de resurrectione Christi, quam nuntiavit Magdalena Apostolis, et de visione, qua Christum apparentem agnovit). — Superius post *Sed et hos* F supplet *consiliarios*, qui etiam inferius pro *non longe post* substituit *non diu post.* Pro *devotam* edd. 1 et 2 *devota*, et post *prima omnium* F prosequitur *resurgentem Dominum videre meruit* etc.

[9] Act. 10, 34. — Inferius pro *Unde taliter consulentium* (ita G cum edd. 1 et 2) A B C D E F *Unde talium consulentium* (A B C omittunt *consulentium*), Vat. *Unde aliter consutentium.*

[10] Vat., refragantibus A B C D E, legit: Tu ergo, o anima divino semine gravida, fuge indocta consilia. Si non habes oculos lynceos, noli abiicere humanos. Melius est parum habere quam toto carere. Malum est perdere propter perdidisse, et stultum est nolle proficere propter defecisse. Si non potes salvari per innocentiam... Aegyptiaca. Si perdidisti iuventutem, noli amittere [G *perdere*] senectutem. Si vixisti in maris fluctibus, moriaris in littoris sinibus. Igitur, si te sentis etc.

proposito Dei dulcissimum Filium concepisse, praedicta mortifera venena fuge et festina, desidera et affecta more parturientis ad partum feliciter pervenire [1].

Festivitas II.

Quomodo Filius Dei in mente devota spiritualiter nascatur.

1. Secundo attende et considera, qualiter iste benedictus Dei Filius spiritualiter iam conceptus spiritualiter *nascitur in mente.* Nascitur enim, cum post sanum [2] consilium, post discussum sufficienter negotium, post invocatum divinum patrocinium sanctum propositum ducitur ad effectum; cum iam anima incipit opere perficere quod diu pertractavit in mente, sed tamen semper formidabat inchoare, quia timebat deficere. In ista beatissima nativitate Angeli iubilant, Deum glorificant, pacem praedicant [3], quia, dum quod diu mente conceptum est ad effectum boni operis perducitur, pax interioris hominis reformatur. Non enim in regno animae divina pax bene geritur, quando caro spiritui, et spiritus carni reluctatur [4]; quando spiritus solitudinem, et caro multitudinem affectat; quando spiritum delectat Christus, et carnem mundus; quando spiritus quaerit requiem contemplationis cum Deo, et caro appetit honorem praelationis in saeculo. Econtra, quando caro spiritui subiugatur, postquam bonum opus, quod diu per carnem est impeditum, perducitur ad effectum, pax et exsultatio interior reformatur [5]. O quam beata nativitas, quam tanta sequitur Angelorum et hominum iucunditas! « O igitur quam dulce et delectabile esset secundum naturam operari, si insania nos permitteret, qua sanata, statim natura naturalibus arrideret [6] »! Iam experiretur, quod verum est illud evangelicum dictum: *Tollite iugum meum super vos* etc., et sequitur: *Et invenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave est, et onus meum leve.*

2. Sed notandum est hic, o anima devota, si te haec iucunda delectat nativitas, debes esse primo Maria. Maria enim interpretatur *amarum mare, illuminatrix* et *domina* [7]. — Esto ergo *amarum mare* per lacrymosam contritionem, ut de *peccatis commissis* amarissime doleas, ut de *bonis omissis* profundissime ingemiscas, de *diebus neglectis et perditis* incessanter te affligas. — Esto secundo *illuminatrix* per honestam conversationem, per virtuosam operationem et studiosam aliorum in bono informationem. — Esto tertio demum *domina* sensuum, carnalium concupiscentiarum, omnium operationum tuarum, ut omnes [8] actiones secundum rectum rationis iudicium facias et in omnibus tuam salutem, proximi aedificationem, divinam laudem et gloriam appetas et requiras.

3. Haec est illa felix Maria, quae pro peccatis perpetratis dolet et ingemiscit, quae in virtutibus fulget et clarescit, quae carnalibus voluptatibus dominatur. Ab ista Maria Iesus Christus cum gaudio sine dolore, sine labore spiritualiter nasci non dedignatur. Post hanc felicem nativitatem cognoscit et gustat, quam *suavis est Dominus* Iesus [9]. Revera suavis est, quando nutritur sanctis meditationibus,

[1] Fide A B C D E omisimus quae Vat. hic addit: Sed notandum est, quod beata Virgo non statim post conceptionem peperit Filium, sed decursis novem mensibus genuit Christum; quod non vacat mysterio, quia non est omni spiritui credendum [cfr. I. Ioan. 4, 1.]. Sed, o anima devota, si quando novis illustrationibus vel revelationibus illustraris seu illuminaris insolitis inspirationibus, magnae perfectionis propositis intrinsecus inflammaris; non statim de tuo consilio ad opus propera, sed bene tecum et cum bonis et potissime cum illis qui in talibus sunt experti, delibera, utrum quae inspirata sunt liceant, deceant et expediant; utrum dictis Prophetarum sint consona, utrum doctrinis Apostolorum et sanctorum Doctorum aliqualiter sint contraria, et etiam, utrum exemplis Sanctorum sint similia vel dissimilia. Et sic ad opus festina, vel statim absolvas te ab his in tua conscientia, quia periculosum est, tales inspirationes diu et frequenter in mente concipere, et tamen ad effectum boni operis modicum vel nihil properare.

[2] Codd. A B C D E *sanctum,* qui etiam omittunt *post discussum sufficienter negotium.*

[3] Cfr. Luc. 2, 13. seq. — Superius post *in mente* Vat. addit *cum iam incipit viriliter agere quod iam dudum proponebat perficere.*

[4] Gal. 5, 17: Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem; haec enim sibi invicem adversantur, ut non quaecumque vultis, illa faciatis. Cfr. Rom. 7, 22. seq. — Inferius pro *in saeculo* F *cum saeculo.*

[5] Contradicentibus A B C D E, Vat. addit: In ista nativitate non auditur clamor lamentabilis, non sentitur dolor lacrymabilis, non percipitur cruciatus miserabilis, sed admiratio de integritate, exsultatio de novitate Dei, glorificatio de strenuitate.

[6] Vide supra pag. 48, notam 12. Vocibus *secundum naturam* A C E interserunt *sanam.* — Subinde allegatur Matth. 11, 29. seq. — De hac mystica nativitate Christi in nobis cfr. Bernard., Serm. 6. in Vigilia Nativitatis Domini, n. 6. seqq., et Guerrici abbatis, Serm. 2. de Annuntiatione Domini (inter opera Bernardi), n. 5.

[7] Hieron., de Nominibus Hebraicis, Novi testam. de Matthaeo: Mariam plerique aestimant interpretari: illuminant me isti, vel *illuminatrix,* vel smyrna [myrrha] maris; sed mihi nequaquam videtur. Melius autem est, ut dicamus, sonare eam stellam maris, sive *amarum mare;* sciendumque, quod Maria sermone Syro *domina* nuncupetur. Cfr. tom. VII. pag. 21, nota 10. — Inferius pro *de bonis omissis* A C D E *de bonis amissis;* cfr. supra Opusculum I. de Triplici Via, c. 2. n. 2.

[8] Vat., refragantibus A B C D E G, *et omnes.*

[9] Psalm. 33, 9: Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus. Cfr. Sap. 12, 1. — Superius vocibus *Iesus Christus* A C D E praefigunt *iste.*

quando balneatur devotis et calidis lacrymarum fontibus, quando involvitur castis desideriorum velaminibus, portatur in sanctae dilectionis amplexibus, osculatur crebris devotionis affectibus et confovetur in interioribus mentis sinibus. Sic igitur puer nascitur spiritualiter [1].

Festivitas III.

Quomodo infans Iesus a devota anima spiritualiter sit nominandus.

1. Tertio considerandum, qualiter iste benedictissimus infantulus spiritualiter natus sit *nominandus*. Et puto, quod non potest nominari congruentius quam *Iesus*, quia scriptum est [2]: *Vocatum est nomen eius Iesus*. Hoc est nomen sacratissimum, a Prophetis prophetatum, ab Angelo nuntiatum, ab Apostolis praedicatum, a Sanctis omnibus desideratum. O nomen *virtuosum, gratiosum, gaudiosum, deliciosum, gloriosum! Virtuosum*, quia superat hostes [3], reparat vires, renovat mentes. *Gratiosum*, quia in ipso habemus fidei fundamentum, spei firmamentum, caritatis augmentum, iustitiae complementum. *Gaudiosum*, quia « iubilus in corde, melos in aure, mel in ore [4] », splendor in mente. *Deliciosum*, quia « pascit cogitatum, lenit prolatum, ungit invocatum », reficit scriptum, instruit lectum. Nomen revera *gloriosum*, quia dedit caecis visum, claudis gressum [5], surdis auditum, sermonem mutis, vitam mortuis. O ergo nomen benedictum, quod ostendit tantum virtutis effectum! O anima, sive scribas, sive legas, sive doceas, sive quodcumque aliud facias; nihil tibi sapiat, nihil tibi placeat nisi Iesus [6]. Nomina igitur tuum infantulum in te spiritualiter genitum *Iesus*, id est salvator [7] in huius vitae incolatu et miseria; salvet a *mundi vanitate*, quae te impugnat; a *daemonis falsitate*, quae te infestat; a *carnali fragilitate*, quae te cruciat.

Gloria nominis Iesu.

2. Clama, anima devota, inter tot huius vitae flagella: O Iesu, Salvator mundi, salva nos, qui per crucem et sanguinem redemisti nos; auxiliare nobis, Domine Deus noster [8]. Salva, inquam, dulcissime Iesu Salvator, confortando debilem, consolando flebilem, adiuvando fragilem, solidando instabilem [9].

Oratio.

3. O quantam saepius sensit dulcedinem post illam benedicti [10] nominis impositionem illa felix mater naturalis et vera mater spiritualis, virgo Maria, quando percepit, in hoc nomine daemonia eiici, miracula cumulari, caecos illuminari, infirmos curari, mortuos suscitari! Sic certe tu, anima, spiritualis mater, merito debes gaudere et exsultare, quando tu percipis in te et in aliis, quod tuus benedictus Filius Iesus *daemones fugat* in peccati dimissione, *caecos illuminat* verae

Gaudium B. Mariae.

---

[1] Fide A B C D E addidimus *Sic igitur puer nascitur spiritualiter* et omisimus quae Vat. hic addit (cfr. infra Additamentum I.). Superius pro *portatur in* G *portatur brachiis et*.

[2] Luc. 2, 21. — Vocibus *quam Iesus* F interserit *hoc nomine*. Subinde ex A B C D E F supplevimus *ab Angelo... desideratum*.

[3] Vat. addit *congregat cives* (quod A B C D E omittunt), et subinde pro *renovat* substituit cum pluribus codd. *revocat*.

[4] Bernard., Serm. 15. in Cant. n. 6. (cfr. supra pag. 43, nota 1.); ibid. n. 5. est seq. locus: Lucet praedicatum, pascit recogitatum, invocatum lenit et ungit. Ibid. n. 6: « Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Iesum. Si disputes aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Iesus ». Pro *instruit lectum* Vat. *instruit factum*.

[5] Cfr. Act. 3, 6. et Bernard. loc. cit.

[6] Vide supra notam 4. verba Bernardi. — Cod. F *nisi hoc nomen Iesus*.

[7] Hieron., I. Comment. in Matth. 1, 21: *Iesus* Hebraico sermone *salvator* dicitur. Etymologiam ergo nominis eius Evangelista [Matth. 1, 21.] signavit dicens: *Vocabis nomen eius Iesum*, quia *ipse salvum faciet populum suum*. — Refragantibus A B C D E, Vat. legit cum F G plura addendo: *Nomen* [F *Nomina*] igitur tuum infantulum in te spiritualiter genitum Iesus. Habeat sibi quod nominatur *Dei Filius* [cfr. Luc. 1, 32.], *splendor gloriae, imago substantiae* [Hebr. 1, 3.], *Verbum Patris* [Ioan. 1, 1.], *virtus Omnipotentis* [cfr. I. Cor. 1, 24.], *heres universorum* [Hebr. 1, 2.], *Rex regum, Dominus dominantium* [I. Tim. 6, 15.]. Habeat sibi, quod dicitur *Christus*, id est unctus et bene, quia in *prophetam*, sicut claruit in doctrinae eruditione; in *pugilem*, sicut patuit in diaboli debellatione; in *sacerdotem*, sicut ostendit in Patris reconciliatione; in *regem*, sicut monstrabit in praemiorum retributione. Habeat haec omnia sibi cum suis Beatis communia. Sit tamen tibi *Iesus*, id est salvator in huius vitae incolatu et miseria etc.

[8] Ex A B C D E supplevimus *auxiliare... Deus noster*.

[9] Contradicentibus A B C D E, Vat. cum F G et aliis edd. addit: Sed heu, unum est, quod cum fletu referam, quod non vacat mysterio, quod non statim, ut nascitur, circumciditur et nominatur, sed secundum Legem dies octava exspectatur [cfr. Luc. 2, 21.]. Puto, quod per septenarium, qui in octonario includitur, universitas divinarum et moralium virtutum cum unitate et vinculo pacis figuratur; quia, postquam anima omnia per *fortitudinem* adversa toleravit, per *iustitiam* miseros et egenos sustentavit, per *temperantiam* concupiscentias superavit, per *prudentiam* mundi et antiqui hostis insidias declinavit, adhuc postquam per *fidem* Deum omnium Creatorem intellexit, per *spem* Deum tanquam omnium remuneratorem in omnibus operibus suis aspexit, per *caritatem* eum tanquam omnium bonorum largitorem toto corde dilexit, et demum die octavo circumcisis ab anima omnibus phantasticis imaginationibus, omnibus vanis et inutilibus cogitationibus, pacatis omnibus animae motibus et inordinatis affectionibus, per *exercitium contemplationis* in Domino dulciter requiescit: tunc *puer nominatur*, tunc dulce nomen Iesus imponitur, tunc eius dulcedo sentitur et gustatur, tunc experitur virtutem, tunc percipit iucunditatem.

[10] Ita A, sed B C D E *beati*, Vat. *beatam*. Subinde pro *et vera* A B C E *et vere*.

cognitionis infusione, *mortuos suscitat* in gratiae collatione, *infirmos curat, claudos sanat, paralyticos et contractos rectificat* in spirituali confortatione, ut iam efficiantur fortes et viriles [1] per gratiam qui prius erant debiles et infirmi per culpam. O quam felix et beatum nomen, quod tantam meruit habere virtutem et efficaciam [2]!

Festivitas IV.

Quomodo Filius Dei a devota anima cum Magis sit spiritualiter quaerendus et adorandus.

1. Sequitur quarta solemnitas, quae consistit in *Magorum adoratione.* Postquam enim anima istum dulcissimum puerum per gratiam spiritualiter concepit, peperit et nominavit; tres reges, hoc est tres animae vires — quae bene *reges* dicuntur, quia iam carni principantur, sensibus dominantur, in solis divinis studiis, sicut decet [3], occupantur — puerum iam per effectus multiplices eis revelatum in civitate regia, hoc est in totius mundi machina, aestimant esse *quaerendum.* Quaerunt igitur meditationibus, requirunt affectionibus, interrogant devotis cogitationibus: *Ubi est qui natus est? Vidimus stellam eius in oriente* [4]; vidimus claritatem eius fulgentem in devota mente, vidimus splendorem eius radiantem in intimis animae, audivimus eius vocem, quae est dulcissima, gustavimus eius dulcedinem, quae est suavissima, percepimus eius odorem suavissimum, experti sumus eius amplexum deliciosissimum. Iam, Herodes, redde responsum, ostende dilectum, monstra infantulum desideratum [5]. Hunc desideramus et quaerimus.

[..]uid sint [..]itualiter reges.

[..]uaerendus [..]us puer.

2. « O dulcissime, o amantissime puer aeterne, infans antique, quando te videbimus, quando te inveniemus, quando ante faciem tuam apparebimus? Taedet gaudere sine te, delectat gaudere tecum et flere tecum. Omne, quod tibi est adversum, nobis est molestum; tuum beneplacitum est nostrum indeficiens desiderium. O si tam dulce est flere de te, quam dulce esset gaudere de te [6] ». — Ubi ergo es, quem quaerimus? Ubi es, quem in omnibus et prae omnibus desideramus? *Ubi es qui natus es rex Iudaeorum* [7], lex devotorum, lux caecorum, dux miserorum, vita morientium, salus aeterna omnium aeternaliter viventium?

Allocutio ad puerum Iesum.

Interrogatio.

3. Sequitur responsio conveniens: *In Bethlehem Iudae* [8]; *Bethlehem* domus panis, *Iuda* confitens interpretatur. Ibi enim Christus invenitur, ubi post confessionem criminum panis caelestis vitae, id est doctrina evangelica, auditur, ruminatur et devota mente retinetur, ut opere impleatur et aliis adimplenda proponatur. Ibi puer Iesus cum Maria matre invenitur [9], ubi post lacrymosam contritionem, post

Responsio.

---

[1] Cod. F *fortes viribus.*

[2] Vat. contra A B C D E adiicit: Aliquando laetificat, aliquando usque mentis ebrietatem infundit et suam dulcedinem communicat.

[3] Vat. cum F G addunt *vere reges.* Subinde pro *puerum... revelatum... aestimant esse quaerendum* A B C D E incongrue *puer... revelatur... aestimatur esse quaerendum* [B *quaerendus*].

[4] Matth. 2, 2. — Inferius A B C D E omittunt *percepimus eius odorem suavissimum.*

[5] Auctoritate A B C D E omisimus quae Vat. cum F G hic addit: Propter tuam gloriam videndam non venimus, propter tuam gratiam obtinendam non properavimus, propter tuam maiestatem adorandam non festinavimus. Tua enim gloria [Vat. *gratia*] est ipsius factura, tua maiestas ipsius creatura, tua iucunditas ipsius est potentia, tua opulentia est ipsius umbra, tua nobilitas, tua magnificentia est suae infinitae [Vat. addit *bonitatis et*] nobilitatis modica scintilla. In te invenimus quo ipsum cognoscimus, amamus et desideramus, non in quo requiescere debeamus. Tuus honor et decus est sui decoris nutus. Dic igitur, ne protrahas: *Ubi est qui natus est?* Ubi est ergo longitudo brevis, magnitudo levis, altitudo subdita, latitudo angusta? Ubi lux lucens, aqua sitiens, panis esuriens? Dic nobis, ubi potentia regitur, sapientia instruitur, virtus sustentatur, Verbum Patris lactatur? Dic nobis, ubi aeternus Dei Filius infans invenitur? Ubi splendor paternae gloriae pannis involutus cernitur? Ubi audiemus in cunabulis vagientem qui est miserorum consolatio? Ubi videbimus inter brachia infantulum baiulatum, qui est Angelorum et hominum, caelorum et creaturarum omnium conservator et solidator [Vat. cum F *solidatio*]?

[6] Vide supra pag. 66, notam 4. — Inferius post *desideramus* Vat. cum nonnullis codd. addit *et affectamus.*

[7] Matth. 2, 2.

[8] Matth. 2, 5. — Bernard., Serm. I. in Vigilia Nativitatis Domini, n. 6: Considera denique, quod *in Bethlehem Iudae* nascitur, et sollicitus esto, quomodo Bethlehem Iudae inveniaris, et iam ne in te quidem suscipi dedignatur. Bethlehem quippe *domum panis*, Iuda sonat *confessionem.* Tu ergo, si divini verbi pabulo repleas animam tuam... si denique ex fide vivas et nequaquam gemere oporteat, quia oblitus sis comedere panem tuum [cfr. Ps. 101, 5.], Bethlehem factus es, dignus plane susceptione dominica, si tamen confessio non defuerit. Sit proinde *Iudaea sanctificatio* tua [Ps. 113, 2.]; confessionem et decorem induere [cfr. Ps. 103, 1.], quam maxime stolam in ministris suis Christus acceptat. Denique breviter tibi utrumque commendat Apostolus [Rom. 10, 10.]: *Corde*, inquiens, *creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Iustitia siquidem in corde, panis in domo. Est enim iustitia panis. Et *beati, qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur* [Matth. 5, 6.]. Sit ergo in corde iustitia, et iustitia, *quae ex fide est* [Rom. 10, 6.]; haec enim sola habet gloriam apud Deum [cfr. Rom. 4, 2. seqq.]. Sit etiam in ore confessio ad salutem, et securus iam suscipe eum, qui in Bethlehem Iudae nascitur, Iesum Christum Filium Dei.

[9] Matth. 2, 11: Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre eius. — Inferius ex A B C D E supplevimus *contemplationis.*

fructuosam confessionem, dulcedo caelestis contemplationis, consolationis aliquando inter abundantissimas lacrymas degustatur, cum oratio, quem pene desperantem invenit, gaudentem et de venia praesumentem derelinquit[1]. O felix Maria, a qua Iesus concipitur, de qua nascitur, et cum qua tam dulciter et gaudenter Iesus invenitur!

Adorandus divinus puer.

4. Sed et vos reges, id est devotae animae vires naturales, quaerite cum regibus terrenis, ut *adoretis* et *offeratis munera*[2]. *Adorate* cum reverentia, quia *creator* et *redemptor* et *remunerator* est: *creator* in naturalis vitae formatione, *redemptor* in spiritualis vitae reformatione, *remunerator* in aeternae vitae collatione. O vos reges, adorate cum reverentia, quia rex potentissimus; adorate cum decentia, quia magister sapientissimus; adorate cum laetitia, quia princeps liberalissimus[3]. — Nec sufficiat vobis adoratio, nisi concomitetur *oblatio*. Offerte, inquam, *aurum* dilectionis ardentissimae, offerte *thus* contemplationis devotissimae, *myrrham* contritionis amarissimae: aurum dilectionis propter *bona collata*, thus devotionis propter *gaudia praeparata*, myrrham contritionis propter *peccata perpetrata;* aurum offerte aeternae *Divinitati*, thus *animae sanctitati*, myrrham *corporis passibilitati*. — Sic ergo quaerite, adorate, vos animae, et offerte[4].

Eidem offerenda munera.

Festivitas V.

Quomodo Filius Dei a devota anima spiritualiter praesentetur in templo.

1. Quinto et ultimo consideret devota anima et fidelis, qualiter *natus* parvulus per divinorum operum consummationem et *nominatus* per caelestium dulcedinum degustationem et *quaesitus* et *inventus*, *adoratus* et *honoratus* per spiritualium munerum praesentationem in templum sit *praesentandus*, Domino offerendus[5], et hoc per *debitarum gratiarum devotam et humilem actionem*.

Praesentatur per gratiarum actionem.

Igitur postquam felix Maria[6], mater Iesu spiritualis, est per istius benedicti filii *conceptionem* purgata per poenitentiam, postquam aliqualiter iam per *nativitatem* confortata per gratiam, postquam etiam est iam per *impositionem benedicti nominis* consolata medullitus, et tandem in *adoratione* cum regibus est informata divinitus; quid aliud restat, nisi ut in *caelestem Ierusalem portetur*, in templum Divinitatis et praesentetur Deus, Dei et Virginis Filius?

Portetur divinus puer in templum Divinitatis.

2. Ascende igitur, spiritualis Maria, non iam in montana[7], sed in caelestis Ierusalem habitacula, in supernae civitatis palatia. Ibi ante thronum aeternae Trinitatis et individuae Unitatis flecte humiliter mentis genua; ibi Deo Patri filium tuum repraesenta laudando, glorificando et benedicendo Patrem et Filium cum sancto Spiritu. Lauda cum iubilo Deum Patrem, per cuius inspirationem bonum propositum concepisti. Glorifica in laude[8] Deum Filium, per cuius informationem conceptum propositum opere perfecisti. Benedic et sanctifica Deum Spiritum sanctum, per cuius consolationem in bono exercitio hactenus perstitisti.

Ascendendum in caelestem Ierusalem.

3. O anima, Deum *Patrem* in omnibus donis suis et bonis tuis glorifica, quia ipse est, qui te de saeculo per occultam inspirationem evocavit dicens[9]: *Revertere, revertere, Sunamitis* — cuius expositionem quaere supra in alio tractatu meditatione

Glorificandus Pater.

Notandum.

---

[1] Bernard., Serm. 32. in Cant. n. 3: Quoties me oratio, quem pene desperantem suscepit, reddidit exsultantem et praesumentem de venia! Cfr. supra pag. 50, nota 4. in fine.

[2] Matth. 2, 11: Procidentes adoraverunt eum et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham. — Vat. cum F G (contra A B C D E) legit: « Sed notandum, quod Iesus quaesitus legitur a *regibus*, et hoc ut ipsum cum omni reverentia adorarent; a *doctoribus*, ut ab ipso veritatis documenta cum summa diligentia audirent [Ioan. 3, 1. seqq.]; a *sponsa*, ut suae suavitatis dulcedinem per secreta colloquia degustaret [Cant. 3, 1. seqq.]; a *Maria* matre, ut ipsum perditum reperiret et ab ea se amplius non alienaret [Luc. 2, 43. seqq.]. Sic vos, o reges, hoc est devotae animae... munera offeratis ». Subinde pro *cum reverentia* A B C D E *in reverentia*.

[3] Refragantibus A B C D E, Vat. cum F G addit: « Adorate, inquam, gaudenter, quia est dux aequitatis; adorate decenter, quia est lux veritatis; adorate ferventer, quia est fax caritatis ». Subinde pro *adoratio* Vat. *ratio*, et pro *contemplationis* substituit *consolationis*.

[4] Vat. cum F G, contradicentibus A B C D E, omittit *Sic ergo quaerite, adorate, vos animae, et offerte* et addit multa, quae inferius in Additamento II. habentur.

[5] Cfr. Luc. 2, 22. seqq. — Superius pro *divinorum operum* Vat. *diversorum operum*.

[6] Ita A B C D E F, Vat. *felix anima*. Inferius pro *per nativitatem* Vat. contra A B C D E *post nativitatem*, et pro *in caelestem Ierusalem* ipsa substituit *in caeli sancti Ierusalem*.

[7] Respicitur Luc. 1, 39: Exsurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana. — Inferius post *habitacula* Vat., refragantibus A B C D E F, prosequitur *beatae Trinitatis et individuae Unitatis. Flecte humiliter menti* [sic] *genua in supernae civitatis palatia, ibi ante thronum aeternitatis Deo Patri filium tuum* [B omittit *tuum*] *repraesenta* etc.

[8] Ita A B C D E, Vat. *cum gaudio*.

[9] Cant. 6, 12. — Ex A B C D E supplevimus *cuius expositionem quaere supra in alio tractatu meditatione prima*, scilicet Opusculo II. Soliloq. c. 1. n. 37. seq. His verbis confirmatur, utrumque opusculum esse eiusdem auctoris, cum nulla ratione probetur, ista verba esse supposititia.

rifican-, Filius. prima. — Deum *Filium* in omnibus Sanctis suis magnifica. Ipse enim est, qui te de daemonis servitio per secretam suam informationem liberavit dicens[1]: *Tolle iugum meum super te;* iugum daemonis abiice. Iugum suum amarissimum, iugum meum suavissimum; iugum suum sequetur cruciatus aeternus et tormenta, iugum meum sequetur fructus suavissimus et *requies opulenta.* Iugum suum si quando dulcedinem exhibet, falsa est et momentanea, iugum meum quando laetitiam confert, vera est et salutifera. Ipse suos servitores modicum aliquando extollit, ut in aeternum confundat; qui autem honorificat me, sic ad momentum humiliatur, ut aeternaliter regnet et glorietur. — Ista fuit doctrina, qua te Dei Filius aliquando per se, aliquando per suos doctores et amicos informavit et de daemonis[2] falsa persuasione, a carnis et mundi blanda deceptione liberavit. — orifican-ns Spiritus S. Deum, o anima, *Spiritum sanctum* semper benedic et sanctifica, qui te per suam consolationem mellifluam in bono confortavit dicens[3]: *Venite ad me, omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Qualiter enim, o anima tenera et delicata, fragilis et infirma, deliciis mundi assueta, gaudiis saeculi huius tanquam faecibus vinariis more porcorum inebriata, qualiter potuisses inter tot et tanta antiqui hostis retia, inter tot falsa consilia, inter tam varia impedimenta, inter tam innumerabilia amicorum, consanguineorum et aliorum propinquorum te retrahentium a via amoris[4] et vulnerantium iacula in bono perstitisse, tot funibus peccatorum circumplexa, in bono profecisse, si non Spiritus sancti gratia fuisses misericorditer adiuta et saepius dulciter consolata et refecta? In ipsum igitur refunde omnia opera tua, tibi nihil retine.

4. Dic cum pura et devota mentis intentione[5]: *Omnia opera mea operatus es, Domine;* Oratio notanda ad Trinitatem. in conspectu tuo nihil sum, nihil possum; de munere tuo est, quod subsisto, sine te nihil agere valeo. Tibi, clementissime *Pater misericordiarum*[6], quod tuum est offero, tibi commendo, tibi committo me indignam, et ingratam omnibus donis tuis per te mihi collatis humiliter recognosco. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, o beatissime Pater, maiestas aeterna, qui me per tuam infinitam potentiam de nihilo creasti! — Te laudo, te glorifico, tibi gratias ago, o beatissime Fili, claritas[7] paterna, qui me per tuam aeternam sapientiam de morte liberasti! — Te benedico, te sanctifico, te adoro, o beatissime Spiritus alme, qui me per tuam benedictam pietatem et clementiam de peccato ad gratiam, de saeculo ad vitam religiosam, de exsilio ad patriam, de labore ad requiem, de moerore ad iucundissimae et deliciosissimae beatae fruitionis dulcedinem evocasti! quam nobis concedat Iesus Christus, Mariae Virginis Filius, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Explicit.

ADDITAMENTUM I.

Non enim ad hoc nascitur, ut abiiciatur, sed ut cum summa diligentia, more regalium infantium custodiatur. Hic nota, fidelis anima, quod in te[1] contingunt illa signa spiritualiter, quae in Christi nativitate contigerunt visibi- De signis nativitate isti. liter. Multis enim signis et prodigiis secundum doctorum sententiam et doctrinam est illa benedicta nativitas comprobata. Nam in civitate Romana muri templi pacis funditus corruerunt[2]; sodomitae in toto orbe morte subitanea interierunt; vineae Engaddi illa nocte floruerunt et fructum balsami protulerunt; fons aquae mutatus est in fontem olei et fluxit usque in Tiberim et manavit tota nocte illa[3]; stella Magis apparuit in oriente; tres etiam

---

[1] Matth. 11, 29. Infra respicitur Isai. 32, 18. — Superius pro *in omnibus Sanctis suis* (ita A B C D E) Vat. *in omnibus factis suis,* et pro *per secretam suam* E *per secretam sui.*

[2] Vat. *amicos reformavit a daemonis.*

[3] Matth. 11, 28. — Inferius pro *tenera et delicata* Vat. *tenera et dilecta.*

[4] Ita B; A C *a via morum* [D E *moris*], cui lectioni consentit Vat. cum F G, qui tamen omittunt *te retrahentium.* Supplevimus *et* ante *vulnerantium.*

[5] Isai. 26, 12: Omnia enim opera nostra operatus es nobis.

[6] Epist. II. Cor. 1, 3.

[7] Cfr. Hebr. 1, 3, ubi Filius nominatur *splendor gloriae.* Codd. A B C D E *caritas.* Inferius post *morte* Vat. cum F G addit *aeterna,* et subinde A B C D E omittunt *te adoro.*

Notae ad additamentum.

[1] Cod. G *si in te.* — Cfr. de I. additam. supra pag. 92, nota 1.

[2] Ut narratur in Serm. de Nativitate Salvatoris et praeclaris miraculis in ea factis (inter opera Petr. Damiani, ed. Migne, Patrol. Lat. tom. 144, col. 848; estque Nicolai Claraevallensis), in Petr. Comestor., Histor. scholast. in Evang. c. 5. Additio 1. et Innocent. III, Serm. 2. in Nativitate Domini. Cfr. Baron., Annal. Eccles. in princip. n. 11. seq. Codd. F G addunt *imagines et statuae idolorum comminutae sunt et ceciderunt.* Cfr. Hieron., V. Comment. in Isai. 19, 1. — De morte sodomitarum vide Card. Hug., in I. Tim. 1, 10, ubi notat, quod hoc « Cantor parisiensis dicebat se legisse in scripturis Hieronymi ».

[3] Vide Paul. Orosii, VI. Histor. c. 20, ubi etiam refert, quod « hora circiter tertia repente, liquido ac puro sereno [caelo] circulus ad speciem caelestis arcus orbem solis ambiit ». Cfr. Baron., Apparatus ad annales ecclesiastic. n. 25. seqq. Ibidem narrat, quomodo Christus Augusto imperatori innotuit, « ipsumque Romam reversum aram erexisse in Capitolio hac inscriptione notatam: *Ara Primogeniti Dei...* Putatur hic ille esse locus in Capitolio... ubi nobilissimum templum antiquitus erat Iovis Capitolini, sed eo prostrato, eodem in loco erecta est basilica in memoriam Dei Genitricis Mariae atque dicta ex causa *Ara Caeli* titulo nuncupata, vel quod aiunt, Dei Genitricem

soles apparuerunt et paulatim in unum corpus solare sunt redacti. In die media circulus aureus apparuit circa solem, et in medio circuli virgo pulcherrima, puerum gestans in gremio. Et quid plura? Istam beatissimam nativitatem Angeli mirabiliter praedicabant, pastores annuntiabant, animalia bruta cognoscebant [1]. Ecce, iam vidisti, qualibus signis et prodigiis est visibiliter monstrata nativitas Salvatoris.

Haec signa spiritualiter innovanda. Sed iam adverte diligenter, fidelis anima, quae cupis esse Iesu mater ex gratia, utrum in te spiritualiter innovata sint haec signa et immutata mirabilia [2], ut sic possis aliqualiter certificari de hac nativitate salutifera. Adverte diligenter, considera frequenter, an aliquod in te corruerit *templum*, hoc est appetitus vanae ambitionis et superbiae; utrum ceciderit *idolum*, id est affectus foedae possessionis et avaritiae; utrumne adhuc aliqui interierint sodomitae, scilicet carnales delectationes et concupiscentiae. Haec sunt quasi prima signa istius nativitatis salutiferae, quando iam anima se sentit evacuatam *ambitione* per virtutem humilitatis, *cupiditate* per virtutem pietatis, *voluptate* per virtutem castitatis [3]. — Post haec considera cum magna diligentia, utrum in te floreat *vinea* Engaddi et balsami [4], hoc est multitudo sanctarum affectiouum; utrum fluat *fons* olei, id est, de tuo corde exeant opera misericordiae; utrum *tres soles*, id est tres theologicae virtutes, oriantur in oriente, id est in devota mente et uniantur inter se mutuae pacis foederatione. Vide etiam, si *stella novae claritatis*, id est divinae cognitionis, adhuc aliquid fulgeat; si *circulus aureus iuxta solem*, id est, sancta affectio iuxta limpidam [5] cognitionem appareat; si *virgo cum puero* illic sedeat, id est, si oratio pura cum devotione sincera in affectione permaneat; post haec omnia, si *adorent animalia*, id est, perfecte rationi obediat pars sensitiva; si *quaerant reges*, id est, desideriis et affectionibus novis ad Iesum moveantur virtutes intellectuales; si *Angeli*, id est omnes habitus virtuosi, per mentis hilaritatem *iubilent*, propter mentis tranquillitatem *pacem nuntient*, propter cordis serenitatem *Iesum praedicent*. Et postremo subtiliter considera, si *pastores*, id est sanctae meditationes, parvulum natum Iesum tibi datum in praesepio inveniant. *Praesepe* est conscientia inferius clausa per contemptum mundanorum, superius aperta per desiderium aeternorum. Hic est locus requietionis pauperis Regis, illic post nativitatem a Matre reponitur, ibi a pastoribus invenitur. O felix praesepe, quae contines Regem gloriae! In te invenio cibum iumentorum et refectionem Angelorum [6]. De te pascuntur bruta animalia, et reficitur anima devota, te, licet improprie, tamen felicem praedico; sed multo feliciorem dico devotam conscientiam, quae non est id quod tu per essentiam, sed tamen continet spiritualiter quod tu continebas corporaliter.

ADDITAMENTUM II.

Christus cum doctoribus quaerendus, ut det veram sapientiam. Quaerite etiam, o reges, cum *doctoribus* [7], ut vobis pandat secreta suae inscrutabilis sapientiae, ut ostendat magnalia suae admirabilis potentiae, ut vos doceat beneplacita suae desiderabilis voluntatis et complacentiae. Quaerite, inquam, *cum reverentia*, quomodo omnia tam potenter de nihilo creaverit, quomodo cuncta tam sapienter in universo ordinaverit, quomodo singula tam clementer ineffabili dono [8] decoraverit. Quaerite *humiliter*, si tamen homini fas est in hac vita investigare, qualiter illae tres personae coaequales et coaeternae subsistant in una et individua substantia, et hoc in Trinitate beatissima; qualiter illae tres substantiae, videlicet carnis et animae et Deitatis, conveniant in una persona, et hoc in Christi incarnatione sacratissima; qualiter ab aeterno Pater a nullo, Filius a Patre solo, Spiritus sanctus ab utroque. Ipse quem quaeritis doctor est et cognitor omnis veritatis, a quo omnis veritas primordialiter progreditur, per quem omnis veritas principaliter quaeritur [9], per quem omnis veritas exemplariter producitur, ad quem omnis veritas finaliter reducitur et ordinatur. Ipse enim est doctor, qui docet omnem veritatem: veritatem *vitae*, quam in multis destruxit lutosa gulositas; veritatem *doctrinae*, quam heu, in plerisque caecavit voluptuosa vanitas; veritatem *iustitiae*, quam in multis effugavit periculosa improbitas aviditatis [10]. — Quaerite ergo, o vos reges devoti, Iesum, ut vos doceat omnem veritatem: veritatem *vitae*, ut sciatis, qualiter vos ipsos utiliter regere debeatis; veritatem *doctrinae*, ut cognoscatis, qualiter subiectos laudabiliter dirigatis; veritatem *iustitiae*, ut intelligatis, qualiter Deo viriliter [11] serviatis. — Quaerite etiam Iesum aliquando cum *sponsa* dilectissima in *horto deliciarum*, ubi deambulat cum adolescentulis, ubi lilia colligit cum virginibus, ubi

Item, c[...] sponsa horto d[...] ciarum.

Mariam infantem in ulnis habentem, monente Sibilla, sublimem in aëre ab eodem Augusto illic esse conspectam ». Vide Innocent. III, Serm. cit. — Pro *usque in Tiberim* G *usque ad Tiberim*. Subinde Vat. cum G legit (secuti sumus F): *stella mogna apparuit, quae formam pulcri pueri habuit et in capite crux splendida; tres soles apparuerunt in oriente et paulatim* etc. Demum pro *circa solem* G substituit *iuxta solem*.

[1] Cfr. Luc. 2, 7. seqq. — Pro *annuntiabant* (ita G) F et Vat. *nuntiabant*.

[2] Eccli. 36, 6: Innova signa et immuta mirabilia. — Superius pro *ex gratia* G *gratiae*. Inferius pro *foedae possessionis* (ita F) Vat. et G *falsae possessionis*, et pro *adhuc aliqui interierunt* (ita G) Vat. et F *adhuc incurrunt*.

[3] Ita F; Vat. cum G *per virtutem humilitatis, alienatam ab avaritia per desiderium paupertatis, purgatam a macula luxuriae per amorem castitatis*.

[4] Ita F; G et Vat. *utrum adhuc floreat aliqua* [Vat. *aliquid*] *vinea balsami*. Inferius pro *mutuae pacis foederatione* Vat. *mutua foederatione*.

[5] Ex G supplevimus *limpidam*.

[6] Bernard., Serm. 35. in Cant. n. 4: Panis Angelorum factus est foenum positum in praesepio, appositum nobis tanquam iumentis. Cfr. tom. VII. pag. 47, nota 2. verba Bedae et Gregorii. — Pro *cibum iumentorum* (ita F) Vat. et G *ut iumentum*, et pro *refectionem Angelorum* (ita G) Vat. cum F *refectorium Angelorum*.

[7] Respicitur secundum membrum supra pag. 94, nota 2. et 4. a Vat. allatum. — Inferius pro *potentiae* F *pietatis*.

[8] Ita F; Vat. cum G *suo inaestimabili bono*.

[9] Vat. cum G *a quo omnis veritas principaliter quaeritur*. Vat. prosequitur *post quem veritas exemplariter perducitur*.

[10] De hac triplici veritate vide quae diximus tom. VI. pag. 460, notas 10. et 11. — Vat. cum G *quam effugavit periculosa aviditas*.

[11] Ita G; F *utiliter*, Vat. *serviliter*.

comedit fructus pomorum suorum cum iuvenculis [1]. Quaerite in *cella vinaria*, ubi coenam suam praeparavit, ad quam suas specialissimas amicas, quae *sequuntur eum, quocumque ierit*, tantum invitavit; ubi *praecingit se et facit eas discumbere* et transiens personaliter ministrat eis; ubi administrat fercula varia de pinguedine suae aeternae, nobilissimae et secretissimae Divinitatis; ubi propinat pocula suae dulcissimae et castissimae humanitatis. Certe illic bibunt amicae, sed inebriantur carissimae [2]. Quaerite tandem in *cubiculo*, ubi requiescit cum sponsa inter amplexus et oscula, ubi *cubat in meridie* [3], quando splendor aeternae veritatis tam luculenter lucet, ardor supernae caritatis tam dulciter ardet. Ibi instillat auribus sponsae secretissima suae profundae et inscrutabilis sapientiae, ibi donat altissima munera suae summae et incomparabilis magnificentiae, ibi iocatur, ibi blanditur, ibi consolatur, ibi dilectam alloquitur dicens: *Pete quod vis, et dabitur tibi* [4]. O quam felices, qui Iesum in hoc cubiculo secretissimo inveniunt, qui hoc cubiculum intrare praesumunt! O quam pauci eum in *horto deliciarum* inveniunt, sed pauciores in *cella vinaria* reperiunt, paucissimi et non nisi sacratissimi amici *cubiculum* intrare praesumunt; quia scriptum est [5]: *Adiuro vos, filiae Ierusalem, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.*

Cella vinaria.

Cubiculo.

Unde sufficiat vobis, o reges, qui adhuc *terrena sapitis* [6], qui adhuc temporalia disponitis, quod Iesum aliquando post diligentem inquisitionem in praesepio inveniatis. Vestra enim conscientia forte adhuc nondum est facta *hortus deliciarum*, ubi florent sanctae meditationes, ubi redolent virtuosae operationes, ubi vigent deliciosae affectiones. Nec forte minus perfecte dici potest *cella vinaria*, ubi illa caelestia fercula odorantur, illa vina angelica gustantur, quibus amici aliquando hic in terris consolantur. Sed heu minime, ut timeo, dici potest *cubiculum* omnibus creaturis absconditum, soli Sponso praeparatum, stratum et ornatum, ubi Sponsus cum sponsa, dilectus cum dilecta requiescit inter secreta et indicibilia suae familiaritatis [7] oscula, ubi saepe audiuntur talia et tam arcana, quae quidem intelliguntur, sed non dicuntur, quia forte vel exprimi nequeunt vel ab hominibus secundum hominem viventibus percipi nunquam possunt. — Si tamen ex abundantia divinae pietatis accidisset aliquando, quod [8] ipsum post fletum et planctum, post luctum et gemitum, post postpositum saeculare negotium ad modicum momentum vidistis in *horto deliciarum*, vel forte, quod magis verum est, ante fores adhuc vobis clausas per foramen inspexistis in *cellam vinariam* et vidistis Sponsum ornatum et succinctum, transeuntem, ministrantem, propinantem suis amicis varia fercula et vina deliciarum et vobis [9] ignota et incognita, nec adhuc ad talia videnda admittendi per ianitores expulsi fuistis, et iterato heu, ad solita et mundana rediistis; sed tamen post hoc ad cor reversi, non immemores illius iucundae societatis, quam gaudio cordis in horto deliciarum aspexistis, nec non et illius beatissimae iucunditatis et solemnitatis, quam quasi desolati per rimulam aspexistis, de qua nescio quale solatium, sed tamen tale, quod *exsuperat omnem sensum* [10] et omne huius mundi convivium, per spiramentum modicum concepistis: tunc cum Maria matre Iesum perditum cum dolore et moerore quaerite, cum planctu et gemitu post Iesum quaerendum currite, tunc et flentes dicite: O quando te inveniemus consolatorem, quem exspectamus! Quando te inveniemus gaudium nostrum, quod desideramus! O si anima nostra adhuc redire semel valeat, et si non ad amplexus et oscula, saltem ubi redolet *hortus deliciarum* et suavissime fragrat *cella vinaria*. Iam anima per te ipsam quaere dilectum tuum, quem concepisti; tuus est filius, quem genuisti, et quare dimisisti a quo tot et tam insolita gaudia suscepisti? — O vos reges inclyti, vos principes et defensores et cooperatores mei, vos hactenus dilectissimum quaesivistis ut *regem*, qui vos sua gratia coronaret, ut *doctorem*, qui vos sua sapientia illustraret, ut *consolatorem*, qui vos sua clementia reficeret! — Nunc superest, ut ego quaeram filium, quem perdidi; dilectum, quem amisi; amantissimum Iesum meum, quem, heu infelix et misera, in templo dimisi, postquam denuo ad vana et falsa et inania me converti. Heu, me derelictam et desolatam et omni ignominia plenam [11]! Quare suis consiliis non acquievi? Quare in suis monitis non permansi? Quamdiu suam praesentiam per veram consolationem sensi, affuit mihi omnis abundantia; quamdiu ipsum habui, omnibus bonis abundavi. Sed heu, quam infelix commutatio et quam miserabilis variatio! Propter paupertatem [12] amisi divitias, propter asperitatem postposui delicias, propter curam et sollicitudinem dereliqui quietem magnam et spiritus dulcedinem, propter alienum neglexi me ipsum, propter hominem regendum perdidi Deum meum, dilectum meum, consolatorem meum, dulcissimum Iesum filium meum. Quid ergo faciam? Quo vadam? Ubi quaeram, ut iterato ipsum inveniam? Aliquoties ipsum propter praedicta [13] amisi, sed denuo adiuvante et revelante clementissimo Patre misericordiarum Deo, in cuius vinea laboro, cuius voluntati de consilio maiorum deservio, ad cuius gloriam ampliandam me dulcis Iesus solatiis per occupationem cordis saepius privo, propter cuius honorem conservandum variis tribulationibus me expono, ipso ex solita pietate auxiliante, filium perditum cum ingenti cordis gaudio post varios singultus et gemitus et inter abundantissimas lacrymas reperi et inveni [14]. O utinam ipsum adhuc semel taliter invenirem! Puto, quod amplius non dimitterem, sed totis viribus retinerem.

Vocatio ad reges.

Planctus propriae animae.

---

[1] Cfr. Cant. 5, 1. et 6, 1. In seq. propositione respicitur Cant. 2, 4. (de cella vinaria) et allegantur Apoc. 14, 4. et Luc. 12, 37. Cfr. supra Opusculum II. Soliloq. c. 4. n. 11. et 12.

[2] Respicitur Cant. 5, 1. supra pag. 50, nota 5. allegatus.

[3] Cant. 1, 6.

[4] Esther 5, 3. et Marc. 66, 22.

[5] Cant. 2, 7. et 8, 4. — Superius pro *paucissimi et non nisi* (ita G) Vat. cum F *paucissimi vero non nisi.*

[6] Phil. 3, 19. — Inferius voci *virtuosae* G praefigit *sanctae et.*

[7] Vat. *sui familiaris.*

[8] Pro *accidisset aliquando, quod* Vat. *aliquando*, quae etiam inferius pro *post postpositum* (ita G) substituit *post positum.*

[9] Ita G; Vat. cum F *et statim*. Subinde pro *nec adhuc ad talia videnda admittendi* (ita F G et edd. 1, 2) Vat. *nec adhuc talia admittenda.*

[10] Phil. 4, 7. — Superius pro *quasi desolati* (ita F) Vat. cum G *desolatam*. Inferius pro *concepistis* Vat. *sensistis.*

[11] Vat. cum G addit *reliquit*. Inferius post *sensi* G et edd. 1, 2 addunt *in vita, in* [edd. omittunt *in*] *ipsius praesentia*, et subinde vocibus *omnis abundantia* Vat. et F interserunt *boni.*

[12] Vat. *quam infelix et quam miserabilis propter paupertatem.*

[13] Cod. F *propter peccata.*

[14] Respiciuntur verba Bernardi supra pag. 50, nota 4. in fine allegata.

Varia proposita.

Quid igitur faciam? *Surgam et quaeram quem diligit anima mea*[1]; postquam occupationes et sollicitudines dimittam, ad orandum me conferam. Et si haec non sufficiunt, *inter cognatos et notos*, id est inter spirituales et devotos ipsum quaeram. Ipsi sunt, in quibus habitat; ipsi sunt, cum quibus moratur, quando ab aliis amittitur. Hi sunt, cum quibus tanquam in solitudine latitat[2], quando ipsum a me misera strepitus cogitationum fluctuantium fugat. Heu, quando illis similis fui, tunc habui, tunc tenui, tunc amplexata et osculata fui Iesum, quem nunc, curis distracta, sollicitudinibus occupata et afflicta, lamentabiliter amisi. Dicite igitur, o vos religiosi, vos abstracti, vos solis divinis meditationibus dediti, *num quem diligit anima mea vidistis*[3]? Certe scio, quod habetis; scio, quod bene scitis, quia sentitis et gaudetis. Reddite ergo in caritate quod non amittitis, communicate quod non dimittitis. Et si in me propter distractionem ad horam fervor dilectionis tepuit, habitus tamen dilectionis, ut spero, non cessavit. Et si propter occupationem familiarem dilecto allocutionem intermisi, a caritate tamen ipsius non recessi. Et si propter proximorum vel modicam aedificationem, ipsi tota mentis intentione non adhaesi, desiderium tamen revertendi semper[4] in mente habui. Et re vera, ut verum fatear, non ad gloriam meam dico, sed tantum ad revocandum dilectum perditum humiliter allego; non propter meum lucrum, sed propter suum consilium; non propter meam ambitionem, sed propter suam aeternam gloriam et honorem; non propter praelationis laudem, sed proximorum salutem curis et sollicitudinibus[5] dedita fui. —

Spes consolationis.

Quare ergo propter hoc, quod pia intentione et quasi nolens et gemens facerem, dilecti praesentia saltem aliquando, etsi raro, consolari non deberem? Non esset aequum, sed, si fas esset dicere, iniustum et impium et iniquum, quod piissimus Iesus non statuit, quod divina lex nusquam approbavit. Saepe enim propter amici voluntatem[6] dulcis amici societas intermittitur, ut postea cum ampliori amborum iucunditate reperiatur, sic et ego propter ipsum me ipsum aliquando deserui, si propter suam gloriam ampliandam labores, persecutiones, detractiones, impugnationes sustinui. Sed his[7] omnibus et his similibus etiam usque ad defectum repleta fui, et ad ipsum gemens et quaerens redeo; nunquid ipsius solatio, ut vel modicum in tribulatione respirem, carebo? Quid ergo est, quod dilectus meus loquitur, quid est, quod per ipsum in Evangelio[8] clamatur: *Venite ad me, omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos?* Nunquid ego qui propter honorem eius *pondus diei et aestus sustineo,* saltem post laborem *de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum,* refici non debeo? Absit ergo, ne solummodo vobiscum, o vos contemplativi, moretur dilectus, et laborans agricola sit contemptus et abiectus! *Oportet* tamen, sicut Scriptura[9] testatur, *laborantem agricolam* aliquando *de fructibus* caelestis patriae *praelibare*, et hoc, *ne deficiat in via;* sicut Apostoli inter varia opprobria, Martyres inter flagella, Virgines inter cruciatus et verbera senserunt dilecti solatia. *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii*, collaudantes et benedicentes Dominum, *quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*[10]. Sic confessores et eremitae, monachi et anachoretae, post vigilias et ieiunia inter lacrymas et gemitus senserunt divina gaudia. Sic rectores, doctores et ecclesiarum fideles praelati, postquam laboribus et curis sunt extenuati, de benignitate dulcis Iesu saepissime dulciter sunt refecti. Non enim Maria frequenter Iesum sola habuit, sed etiam a Martha post praedicationem hilariter et gaudenter receptus fuit[11]. Ego igitur, in Domino confidens et de divina clementia tam multipliciter probata et exemplariter ostensa praesumens, dulcissimum Iesum aliquando cum Matre eius quaeram in templo, aliquando cum sponsa in cubiculo, aliquando cum discipulis in consistorio, aliquando cum regibus in diversorio.

---

[1] Cant. 3, 2. — Subinde respiciuntur Luc. 2, 44: Requirebant eum inter cognatos et notos.
[2] Cod. F *habitat.* Vat. cum G (contra F) prosequitur *quando ipsum a me miser strepitus* etc.
[3] Cant. 3, 3.
[4] Ex G supplevimus *semper* et paulo inferius *meam.*
[5] Cod. F addit *vanis*, ex quo infra adiecimus *nolens et.*
[6] Cod. F *animae utilitatem.* Subinde pro *societas* Vat. *praesentia,* et pro *amborum* F *consolatione.*
[7] Vat. *Si his* et inferius pro *et quaerens* (ita F) cum G *et amens.*
[8] Matth. 11, 28. — Subinde allegantur Matth. 20, 12. et 15, 27. (cfr. supra pag. 51, nota 2.).
[9] Epist. II. Tim. 2, 6. Pro *praelibare* Vulgata *percipere.* Vat. legit *aliquando fructibus caelestibus patriae praelibare.* — Sequitur Matth. 15, 32, ubi pro *in via* (ita G cum Vulgata) Vat. *in labore,* quae etiam immediate post pro *sicut Apostoli* substituit *Sic Apostoli.*
[10] Act. 5, 41. — Inferius pro *saepissime dulciter sunt refecti* (ita F) Vat. cum G *ipsorum piissime* [Vat. addit *dulciter*] *sunt corda refecta* [Vat. *refecti*].
[11] Cfr. Luc. 10, 38. seqq. — *Consistorium* secundum Du Cange significat locum, in quo princeps de rebus publicis consultat ac deliberat cum suis consistorianis. Cfr. Act. 5, 26. seqq., ubi de Apostolis adductis *in concilium* propter praedicationem nominis Iesu.

OPUSCULUM V.

TRACTATUS

DE PRAEPARATIONE AD MISSAM

PROLOGUS[1].

Ad honorem gloriosae ac individuae Trinitatis et ad honorem[2] excellentissimi Sacramenti, scilicet pretiosi corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi, describam tibi formam, per quam potes leviter manuduci ad contemplationem tanti mysterii ac congrue disponi ad eius perceptionem; quam non raptim strepitu verborum legere, sed eius sensum efficaciter cordi imprimere debes et ex intimo affectu singula quaeque in toto vel in parte, prout sonant, sollicite ruminare.

Capitulum I.

De praemittenda quadruplici sui ipsius probatione.

Primo, accessurus ad mensam caelestis convivii, iuxta Apostolum[3], *proba te ipsum* et diligenter examina, *qua fide*, ex *quanta caritate*, in *quali proposito* et *propter quid* accedis.

§ 1. *Primo, quisque se ipsum probare debet, qua fide accedat ad altare.*

1. Attende igitur ista quatuor singula per se et primo vide, quam *fidem* habere debes circa veritatem vel essentiam[4] huius Sacramenti. Credere enim firmiter debes et nullatenus dubitare, secundum quod docet et praedicat catholica fides, quod in hora expressionis verborum Christi panis materialis atque visibilis advenienti vivifico et caelesti pani, velut vero Creatori honorem deferens, locum suum, scilicet visibilem speciem accidentium, pro ministerio et sacramentali servitio relinquit; quo desinente esse, miro et ineffabili modo in eodem instanti ista sub illis accidentibus veraciter existunt: primo, illa

---

[1] Titulo, quem hoc opusculum in ed. Vat. et eam subsequentibus habet, scil. *De praeparatione ad Missam*, ex fere omnibus codd. et primis edd. adiunximus tantum vocem *Tractatus*, licet plurimi codd. et non sine ratione titulum *generalioris* significationis opusculo inscribant, ut *Tractatus... de Sacramento eucharistiae et praeparatione ad Missam* (codd. G H); *Tractatus de corpore Christi* (M Q); *Tractatus de corpore Christi ad eius devotam susceptionem* (C); *Sermo domini Bonaventurae* (B); alii vero aliis verbis similibus.

Vat. opusculo praemittit tabulam 14 capitulorum, quae in decursu operis repetit; aliis capitulis Q et B E opusculum distinguunt; alii vero codd. partibus huius tractatus titulos non praefigunt. Et cum capitula in ed. Vat. textum male distribuant, et ipse auctor tractatulum in duas partes principales dispertiatur, nos duo tantum distinximus capitula.

Collatio codicum nostrorum etiam huius opusculi exhibuit numerum excessivum variantium lectionum, quas plerumque ad calcem non notavimus. Praesertim cod. E, sed etiam B Q continuo aliqua addunt vel immutant sine probabili ratione. Nihilominus in locis Vaticanae corruptis fere omnes satis conveniunt, ut textum emendare tuto potuerimus. Quando fere omnes codd. conveniunt, visum est sufficere, ut ad calcem tantummodo ponamus reprobatam lectionem editionis Vat.

[2] Cod. R subiungit *et ad reverentiam altissimi;* deinde pro *potes leviter* B M O *poteris leviter*.

[3] Epist. I. Cor. 11, 28: Probet autem se ipsum homo etc. — Post *examina* Vat. prosequitur *cum qua fide, quo proposito, quanta caritate, propter quid aut propter quam causam accedis*. Porro contra codd. addit *ut sic accedendo ad mensam caelestis convivii, iuxta Apostolum, probes te ipsum diligenter examinando*. Textum a nobis receptum approbant fere omnes codd. cum exiguis variantibus. Nec obstat, quod infra in expositione de *caritate* tertio loco, de *proposito* vero secundo loco agitur. Nam apud auctorem nostrum non est inusitata similis membrorum divisionis inversio, accedente aliqua ratione.

[4] Cod. R *existentiam*. Infra pro *catholica fides* Vat. fere sola *ecclesia catholica*, et deinde pro *ista sub illis* habet *ista sequentia sub illis*.

purissima Christi caro et sacrum corpus, quod, fabricante Spiritu sancto, tractum fuit de utero gloriosae virginis Mariae, appensum in cruce, positum in sepulcro, glorificatum in caelo. — Secundo, quia caro non vivit sine sanguine, ideo necessario est ibi sanguis ille pretiosus, qui feliciter manavit pro mundi salute in cruce. — Tertio, cum non sit verus homo absque anima rationali, propterea est ibi illa anima gloriosa Christi, excedens in gratia et gloria [1] omnem virtutem et gloriam et potestatem, in qua repositi sunt *omnes thesauri divinae sapientiae.* — Quarto, quia Christus est verus homo et verus Deus, ideo consequenter ibi est Deus in sua maiestate gloriosus.

Haec ibi tota simul.

Haec omnia quatuor simul et singula, tota simul sub speciebus panis et vini perfecte continentur, non minus in calice quam in hostia nec minus in hostia quam in calice; nec in uno suppletur defectus alterius [2], sed in ambobus invenitur integrum propter mysterium, de quo *est grandis sermo.* Sufficit credere, Deum verum et hominem sub utraque contineri specie, cui assistunt Angelorum frequentia et Sanctorum praesentia.

Quatuor rationes pro congruitate specierum.

2. Et vide, quam pulcre Christus sub his duabus speciebus tantum continetur: primo, quia panis et vinum optimum sunt nutrimentum totius hominis. Nam panis nutrit carnem sive corpus [3], et vinum transit in sanguinem, qui est sedes animae. — Secundo, quia eorum usus principalior [4] et communior est ac mundior et minus fastidiosus habetur, ideo *puritas spiritualis refectionis* optime per ista significatur. — Tertio, quia optime significant corpus Christi et sanguinem. Nam *panis* significat corpus illud trituratum, molatum et pistatum in passione, decoctum et assum igne divini amoris in camino et ara crucis. *Vinum* vero significat sanguinem, qui de uva, scilicet Christi corpore, est in *torculari* [5] crucis a calcantibus Iudaeis expressus. — Quarto, pulcre significat corpus Christi mysticum, scilicet Ecclesiam collectam ex multis fidelibus praedestinatis ad vitam, tanquam ex multis granis et racemis.

Meus cavenda sub iugo fidei.

3. Cum ergo accedis, cave, ne dubitando vacilles et tanquam caecus manu tentans innitaris baculo arundineo, scilicet argumentis naturalibus et rationibus humanis, quaerendo, quomodo ista fieri possunt, sicut quondam Iudaei litigabant, et quidam discipuli *scandalizati abierunt retrorsum* [6]; sed subiice te ipsum Deo et captiva mentem tuam sub iugo fidei, quam tantis testibus roboratam vides. Quid enim dubitationis de hoc Sacramento remanet, quod a Christo tam expresse traditum, ab Apostolis praedicatum, a sanctis Patribus orthodoxis tot centenariis annorum frequentatum tantisque caerimoniis, tot miraculis et prodigiis et observantiis quasi testimoniis palpabilibus confirmatum vides? — Tolle hoc Sacramentum de Ecclesia, et quid erit in mundo nisi error et infidelitas, et populus christianus quasi grex porcorum dispersus et idololatriae deditus, sicut expresse patet in ceteris infidelibus. Sed per hoc stat Ecclesia, roboratur fides, viget christiana religio et divinus cultus; unde inquit Christus: *Ecce, ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi* [7].

Notanda sententia.

Quare Christus detur nobis velatus.

4. Post etiam [8] notare debes, quod sic decuit, Christum *velatum* nobis dari. Quid enim valeret fides tua, si Christus in propria forma visibilis tibi appareret? Certe et coacte eum adorares; aut quomodo carnales oculi tantam gloriam ferre possent? Quis vero insipiens dicat, ut carnem crudam et hominis cruorem in propria forma sua comedere et bibere posset? — Recedat ergo omnis dubitatio, quia, sicut olim Divinitas in utero virginali latuit, et Filius Dei sub humanae carnis velamine visibilis mundo apparuit; sic et glorificata humanitas, Divinitati coniuncta sub forma panis et vini latet, ut nobis mortalibus se contemperare possit [9].

Epilogus.

§ 2. *Secundo, quisque se ipsum probare debet, cum quali proposito et dispositione accedat.*

5. Secundo proba te ipsum, cum quali *proposito* et *dispositione* accedis [10]. Ideo discute et revolve

---

[1] Vat. omittit *et gloria,* et supra *illa* post *est ibi,* item infra *divinae* ante *sapientiae,* sed post hanc vocem addit *et scientiae Dei,* ubi respicitur Col. 2, 3.

[2] Vat. addit *cum nullus sit,* subinde pro *invenitur* substituit *continetur,* quod ponit post *integrum.* — Mox respicitur Hebr. 5, 11: *De quo nobis grandis sermo.* — Voci *Sufficit* F G H I L M N praefigunt *Et,* B *Sed;* pro *assistunt* B C E K Q *assistit.*

[3] Fide A E F G H I L M adiecimus *sive corpus.* — Quod « anima carnis in sanguine est », dicitur Levit. 17, 11.

[4] Vat. praefigit *est homini,* et infra pro *refectionis optime* habet *refectionis opportune;* pro *significant* [non pauci codd. *signant,* alii *figurant*] *corpus Christi et sanguinem* eadem *figurant passionem Christi, quae quotidie per hoc Sacramentum memoratur;* denique *molitum, pistum* pro *molatum et pistatum.* De verbo *molare* pro *molere* vide Du Cange, *Glossarium* etc.

[5] Respicitur Isai. 63, 2. et 3: Torcular calcavi solus etc. — Inferius ante *ex multis granis* Vat. cum D adiungit *panis et vinum.*

[6] Ioan. 6, 67; de Iudaeis litigantibus vide ibid. v. 53. — Infra post *centenariis annorum* Vat. perperam *praefiguratum* pro *frequentatum.*

[7] Matth. 28, 20. — Supra ante *viget* Vat. cum paucis codd. praefigit *viret vel,* F G H I habent *viget et renitet.* Porro post *saeculi* A F G H I L M N O P addunt *Augustinus* [A E N P etiam praefigunt *et*], *VIII.* [O *II.*] *de Trinitate* [E *Civitate*] *dicit. Post* etc. Cum autem in citt. locis nihil invenerimus, quod sit ad rem, haec verba non recepimus in textum.

[8] Codd. B K R *Hoc etiam;* subinde post *Christum* Vat. prosequitur *corpus suum velatum nobis dare,* B K Q habent *Christi corpus velatum nobis dari;* infra pro *coacte* A B C E N O *coactus;* denique ante *insipiens dicat* Vat. praefigit *nisi,* et pro *bibere posset* ponit *bibere debeas.*

[9] Vat. *mortalibus competere posset.* — De doctrina in num. 1-4. exhibita cfr. Breviloq. p. VI. c. 9.

[10] Cod. A *accedas.*

conscientiae domum et vide, ne sit intus forte aliqua turpitudo in *mente*, vel macula extra in *carne*, qua offendi possunt oculi illius qui est Sanctus Sanctorum.

...imo, de ...positione ...tis.

Primo ergo, rediens introrsus ad iniquitatem tuae *mentis*, considera quanta *mala* ab ineunte aetate [1] commisisti, quanta *bona* neglexisti, quam *brevis vita*, quam *incerta mors*, quam *lubrica et periculosa via* huius temporis. Maxime autem [2] rumina, ne forte, quod absit, post praecedentem confessionem et poenitentiam aliquod sit in te mortale peccatum vel peccandi propositum, unde mortua sit misera anima tua per hoc a radice Christi et Ecclesiae abscissa, quia ille vivificus panis et divinus cibus non praestat influxum vitae nec nutrimentum membris abscissis et mortuis, teste Scriptura [3], quae dicit: *In malevolam animam non introibit sapientia nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Unde a talibus sumitur *Sacramentum*, sed non *res Sacramenti*, id est Christi gratia et divinitas [4] caritatis eius; comeditur gustu, sed non reficit spiritum; vadit ad ventrem, sed non intrat mentem; deglutitur tanquam a bruto sine sui laesione et non vivificat animam neque sibi unit et incorporat, sed potius, nausea compellente, talem ipse Christus evomit velut cadaver putridum bestiis et avibus devorandum, cum scilicet infelicem animam tradat satanae cruciandam, sicut de Iuda scriptum est [5]: *Quoniam post buccellam introivit in eum satanas.* Quapropter, si talibus laqueatus es, cave, ne pro aliqua causa vel necessitate absque debita contritione et proposito poenitendi ac confessione praemissa accedere ad altare praesumas, quia *horrendum est incidere in manus Dei viventis.*

...aesertim ... peccato ...rtali.

Monitio.

...tra malos ...cerdotes.

6. Sed heu, quot sunt hodie sacerdotes miseri et suae salutis improvidi, qui Christi corpus in altari velut carnes pecudum manducant, et involuti et contaminati abominationibus, de quibus dicere fas non est, sceleratis manibus et pollutis labiis contingere non verentur et osculari Filium Dei et Mariae virginis! Verum si horum sacrificium suscipit Deus, audeo dicere, mendax est et socius peccatorum. Insuper, quod deterius est, ad tantam pervenerunt temporibus [6] istis perversitatem et stultitiam quidam, ut putent infelicissimi, sua scelera et immunditias peccatorum, quae quotidie iterant et iterare proponunt, absque poenitentia et confessione per sacram communionem quotidie celebrantes expiare. Tales non sunt sacerdotes, sed sacrilegi; non Christiani, sed haeretici. Profecto, si rectam fidem haberent, aut peccare timerent, aut celebrare cessarent.

Secundo, de corporis munditia.

7. Secundo, non tantum mentis [7], sed et *corporis* est attendenda munditia. Ideo cave, ne immundus accedas; nec tantum dico de immunditia voluntaria, quae mortalis est, sed etiam de nocturnali sive casuali macula, quae impedit celebrationem, ubi non est magna necessitas vel iussio praeceptorum. Ubi ergo praedicta interveniunt, et dictae maculae non dederis occasionem vel causam per praecedentem concupiscentiam vel inordinatam crapulam, nec secuta est notabilis mentis inquinatio per reminiscentiam et illusionem carnalium phantasmatum [8]; credo, quod accedere posses, salvo meliori iudicio, maxime si singularis devotio ratione solemnitatis vel alterius similis causae te traheret ad celebrandum. — Custodire etiam debes pudicitiam manuum, quantum potes, et omnium membrorum tuorum puritatem. Unde tibi consulo, ut prae ceteris hominibus omni tempore, maxime dum Missam celebraturus es, caveas ab omni tactu non solum turpi et immundo, qui fit cum peccato, sed etiam a quolibet indecenti et inquinato. Totum te [9] recolligas, ut nec actus nec cogitatio ad aliquod aliud dispergatur. — Et insuper curam habeas diligentem de munditia et nitore paramentorum altaris et sacrorum vasorum, ut cum omni honore et diligentia tractetur ille qui est Angelis et Archangelis tremendus et honorandus.

Etiam manuum.

Et rerum ad sacrificium spectantium.

§ 3. *Tertio, quisque se ipsum probare debet, ex quanta caritate et quali fervore accedat.*

Etiam venialia minuunt dispositionem.

8. Tertio proba te ipsum, ex quanta *caritate* et quali *fervore* accedas. Non solum enim mortalia [10], sed etiam venialia peccata per negligentiam et otium multiplicata et etiam per inconsiderationem ac per distractionem [11] dissolutae vitae et malae consuetudinis — licet non occidant animam — tamen quandoque

---

[1] Codd. B F G H L M N *a iuventutis aetate*, I Q *a iuventute*.

[2] Vat. fere sola omittit *Maxime autem*.

[3] Sap. 1, 4. — Superius pro *a radice Christi* R *a radice caritatis Christi;* post *divinus* Vat. omittit *cibus*.

[4] Vat. non male *unitas*, sed contra codd.; eadem infra pro *intrat mentem* habet *reficit mentem*, porro *sicut abrotanum (!)* pro *tanquam a bruto;* denique post *compellente, talem* omittit *ipse*.

[5] Ioan. 13, 27; sequens locus est Hebr. 10, 31.

[6] Vat. *diebus*, quae supra post *Mariae virginis* addit *unigenitum*. Hoc loco B addit plura satis insulsa. Infra pro *iterant et iterare* Vat. tantum *reiterare*, porro pro *celebrantes expiare* B Q *celebrantes expiari*.

[7] Vat. *cordis*. Infra pro *praeceptorum. Ubi ergo* B Q *praeceptoris* [ita etiam K L]. *Ubi vero*. Porro pro *praedicta* Vat. *dicta*.

[8] Vat. *phantasticam;* nonnulli codd. omittunt *et illusionem* ante *carnalium phantasmatum*.

[9] Vat. *coinquinato, et totum te;* B K L R *inquinativo, et te totum;* subinde pro *aliquod aliud* A B E H K Q *aliquid aliud;* denique pro *habeas diligentem* Vat. *habeas diligenter*, et in fine *tremebundus* pro *tremendus et honorandus*.

[10] Vat. fere sola adiungit *vitanda sunt*.

[11] Pro *ac per distractionem* R *et distractiones et vagationes;* post *animam* B R *habent tamen plerumque reddere;* subinde post *tamen* Vat. omittit *quandoque*.

reddunt hominem tepidum, gravem, obnubilatum et indispositum et ineptum ad celebrandum, nisi dicti pulveres et stipulae venialium per afflatum Spiritus et flammam caritatis ventilentur et consumantur ex ardescente igne cordis et ex consideratione propriae vilitatis. Ideo cave, ne nimis tepidus et inordinatus accedas et inconsideratus, quia indigne sumis, si non accedis reverenter, circumspecte et considerate. Unde Apostolus primae ad Corinthios undecimo[1]: *Iudicium sibi manducat et bibit;* quod apertius insinuat, cum subdit dicens: *Ideo inter vos multi imbecilles,* scilicet per fidei inconstantiam, *et infirmi,* id est gravi peccato sauciati, *et dormiunt multi,* per torporem et desidiam.

Notandum.

9. « O quam graves angustiae, o quantae angustiae me undique affligentes! *Accedere indigne* horrendum est iudicium, *non accedere* ex notabili negligentia vel contemptu damnabilis culpa ». Beda[2]. — Nam cum sacerdos est absque mortali peccato et in proposito bono, non habens legitimum impedimentum, et non ex reverentia, sed ex negligentia celebrare omittit; tunc, quantum in ipso est, privat sanctam Trinitatem laude et gloria, Angelos laetitia, peccatores venia, iustos subsidio et gratia, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio — et *se ipsum medicina et remedio* contra infirmitates et quotidiana peccata; quia, sicut ait Ambrosius[3], si, « quotiescumque effunditur sanguis Christi, toties in remissionem peccatorum effunditur; debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur; qui semper pecco, semper debeo habere medicinam ». — Item, *privat se omnibus talibus provenientibus ex sacra communione,* quae sunt peccatorum remissio, fomitis mitigatio, mentis illuminatio, interior refectio, Christi et corporis eius mystici incorporatio, virtutum roboratio, contra diabolum armatio, fidei certitudo, elevatio spei, excitatio caritatis, augmentatio devotionis et conversatio Angelorum[4]. — Item, *non complet sibi iniunctum magnae dignitatis obsequium* nec officium exercet debitae servitutis Dei, et tamen scriptum est[5]: *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.* — Item, *contemnit Christi praeceptum* de observantia huius Sacramenti; ideo Christus comminatur: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis* etc. — Item, *abiicit viaticum suae peregrinationis,* exponens se periculo mortis, quia, nisi recipiat alimentum corporis Christi et vitae vegetationem, efficitur[6] sicut aridum membrum, ad quod non transmittitur corporalis cibi nutrimentum. — Ultimo, quantum in se est, *evacuat divinum cultum et latriam Creatori debitam* sicut ingratus de beneficiis Dei. Unde Numerorum nono capitulo[7]: *Si quis mundus est,* scilicet a mortali peccato, *et in itinere non fuerit,* scilicet aliter impeditus, et tamen *non fecerit phase; exterminabitur anima illa de populo suo, quia sacrificium non obtulit Domino tempore suo.* — Ergo, quantum potes, toto conatu per exercitium boni operis, lacrymarum contritionem et devotionis flammam expelle a te omnem torporem et negligentiam, ne inveniaris respuere tantorum charismatum dona.

Duo timenda.

Notabilis sententia de omissione indebita Missae.

Talis facit contra se ipsum quinque mala.

Ultimo, e- cuat di- num cult.

Hortatio

10. Si autem vis *accendi ad amorem,* considera tota mente ista duo: primo illius *summae caritatis incendium,* quo summa bonitas[8] pro te vermiculo foetido tam poenose sustinuit crucis opprobrium; secundo *illius nobilissimi corporis cibationem dulcissimam sanguinisque potionem.*

Duo considerand. accendendum ad amorem.

Primo attendas illam beatissimam mortem, discutiens[9] *causam.* Causa autem alia non fuit nisi necessitas nostrae redemptionis. Omnis autem lex pro laesae maiestatis offensione offendentem iudicat reum mortis. Huius rei causa, cum, peccatis exigentibus, essemus rei mortis, pro recompensatione tanti debiti miserans Deus humanae miseriae et parcens nostrae morti, providit et concessit prioribus[10], pro hominum morte caedem fieri animalium, et offerri sibi hostias et sacrificia placationis; et quoties quis peccaret, toties erat pro eo necesse hostiam immolari. Quae omnia *figurae erant et umbrae,* donec Christus, caput humani generis, mitteretur, viva et rationabilis hostia, absque peccato, qui pro omnibus hominibus se ipsum ex amore offerret ad mortem pro nostrae mortis redemptione. Sed quia non debuit pluries mori[11], eo quod illa una mors satisfecit pro peccatis omnibus factis et fiendis; ideo sufficit, quod illam unam hostiam sui corporis, quondam pro

Primo, causa nostrae redemptionis.

Sacrifici V. T

Sacrifici Christi com.

---

[1] Epist. I. Cor. 11, 29. 30.

[2] Comment. in I. Cor. 11, 27. 28. (inter Opera Bedae), sed magis secundum sensum quam verbotenus. Codd. CMOPQ omittunt *Beda,* cui praecedentia verba, Bonaventurae vero sequentia tribuenda sunt, licet in edd. et tabulis pro praeparatione ad Missam adscribantur Bedae. — Supra post *angustiae* A omittit *o quantae angustiae,* Q habet *et quantae angustiae me premunt undique.*

[3] Libr. IV. de Sacrament. c. 6. n. 28. — Post Ambrosius plures codd. omittunt *si.*

[4] Vat. perperam *Angelorum convivatio.*

[5] Ier. 48, 10. Sequitur Ioan. 6, 54.

[6] Codd. ABCEKOP *efficietur.*

[7] Vers. 13, ubi Vulgata *fuit... fecit* pro *fuerit... fecerit.* — Supra post *Creatori debitam* Vat. omittit *sicut* et *Dei* post *beneficiis.* Infra pro *exercitium boni operis* FGHIL *exercitium bonorum operum,* pro *torporem* Vat. *teporem.*

[8] Vat. addit *et benignitas,* et supra post *si* omittit *autem.* Infra pro *poenose* [scribi posset etiam *poenosae,* scilicet ut adiectivum ad substantivum *crucis*] O *poenosum,* N *poenalem.* De voce *poenosus* cfr. Du Cange, *Glossarium* etc.

[9] Codd. BFGHI *Primo attendens illam beatissimam mortem discutias.*

[10] Cod. R addit *Patribus,* omittens *pro hominum morte;* infra Vat. *esset pro eo necessarium hostias* pro *erat pro eo necesse hostiam.* — In sequentibus respiciuntur I. Cor. 10, 11: Haec autem omnia in figura contingebant illis; et Col. 2, 17: Sunt umbra futurorum etc. — Post *immolari* FGHM, omittentes *Quae omnia,* prosequuntur *Figurae haec erant.*

[11] Cfr. Hebr. 7, 27. et 9, 25. 26.

nobis semel immolatam, moriens relinqueret quotidie a nobis pro residuis delictorum mystice offerendam Deo Patri pro commutatione nostrae mortis, *cui quotidie sumus obnoxii per peccatum.* Unde Augustinus[1]: « Iteratur quotidie haec oblatio, licet Christus semel passus sit, quia quotidie peccamus peccatis, sine quibus mortalis infirmitas vivere non potest; et quia quotidie labimur, quotidie Christus pro nobis immolatur mystice ». — Propter hoc quidquid agitur in Missa et omnis ornatus et caerimoniae nihil aliud repraesentant nisi Christi passionem. Ob hoc super omnia est necessaria Christi mortis memoria in Missa; unde ipse Christus Lucae vigesimo secundo[2]: *Hoc facite in meam commemorationem;* et Apostolus primae ad Corinthios undecimo: *Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem Domini bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat,* scilicet ad iudicium. Dum ergo accedis, dic ex toto corde:

tandum.

Oratio.

11. Ecce, caelestis Pater, recolens mortem illam unigeniti Filii tui, Domini nostri Iesu Christi, offero tibi hostiam hanc, quam ipse tibi[3] olim obtulit pro mea et totius mundi salute. Ecce, ad altare tuae Maiestatis transmitto oblationem vivam, quam tu in miseratione multa misisti ad altare crucis pro nobis immolandam. Recordare ergo illius sacrosancti sudoris quasi guttae sanguinis decurrentis in terram. Respice illam virgineam carnem, verberibus crudeliter flagellatam, colaphis caesam, livoribus tumidam, sputis maculatam, sanguine cruentatam, spinis perforatam, clavis confixam, lancea vulneratam. Illa ergo pietas, quae Filium tuum traxit et vicit, ut in statera crucis totius mundi peccata libraret, ipsa te cogat, Pater, misereri nobis miseris. Respice, obsecro, non nostra peccata, sed in faciem Christi tui. *Non enim in iustificationibus nostris preces nostras prosternimus, sed in multitudine miserationum tuarum*[4].

itio devota.

12. Secundo, si vis ad amorem accendi et inflammari, considera illius *sacri corporis cibationem dulcissimam,* et vide, *quam bonus et suavis est spiritus eius in nobis*[5], quam congrua et utilia providit nobis Pater noster caelestis vivificantia alimenta. — Quia enim rationalis creatura ad hoc facta est, ut sit capax et particeps bonitatis Dei, ex qua participatione vivere et ad beatum *esse* pervenire debet, sine qua ex se ad nihilum tendit et ad mortem sempiternam, nisi per cibum vivificantem iugiter vegetetur ex participatione divinae virtutis et gratiae[6] — quam participationem ideo *comestionem* voco, quia, sicut corpus animale per cibum vigoratur et impinguatur, calefit et vivificatur; sic anima rationalis per spiritum Christi, quo frui debet, pleno affectu et intellectu nutritur, vigoratur, inflammatur et vivificatur — et sicut Angeli in patria pleno haustu bibunt de perenni[7] et vivo fonte luminis ac *satiantur ab ubertate domus Dei;* sic sapientia aeterna providit, ut rationales animas hominum, quas tam care redemit et per gratiam magnificavit ac effecit similes Angelis Dei, cibaret illo pane, quo Angeli nutriuntur, sine quo nec illi nec isti vivere possunt, et hoc per aliquem modum convenientem nobis parvulis; quia impossibile est nobis[8] cum isto mortali corpore illum panem vitae in soliditate propriae formae, scilicet Divinitatis, degustare: ideo, ut nobis comestibilem cibum praeberet, sub forma convenientiori, scilicet panis et vini corporalis, dedit[9] propter convenientem similitudinem panis ad panem et refectionis ad refectionem, ut, sicut Angelos, viventes spiritus, cibat Verbo increato, sic mortales homines cibaret Verbo incarnato in Sacramento suscepto. Unde dictum est[10]: *Panem Angelorum manducavit homo;* et: *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.*

Secundo, dulcissi- ibatione amenti.

Est maxime congrua et utilis.

Modus eius nobis conveniens.

13. Item nota, quod sicut cura est Deo de corpore animalis cuiuscumque providendo sibi[11] cibum convenientem; sic cura est eidem de nutrimento nobilissimi sui *corporis mystici,* quod est Ecclesia, cuius Christus Filius Dei est caput; nec aliunde vegetari debet et vivere quam a capite suo, ut omnia membra, scilicet viri iusti, unita et sibi invicem cohaerentia in Christo capite, ipsius spiritu et amore nutriantur per hoc Sacramentum unitatis et pacis; ac per hoc, sicut non est vita corpori[12] absque incorporatione cibi convenientis ei, sic animae rationali non est vita spiritualis sine incorporatione et

Item, congruum nutrimentum est totius Ecclesiae.

---

[1] Hic locus Augustino tribuitur in C. *Utrum sub figura* (72.), de Consecr. d. 2; est tamen in Paschasio, de Corpore et sanguine Domini, c. 9, n. 1; qui locus a B E Q et a prima manu etiam in K omittitur. Supra verba *obnoxii per peccatum* respiciunt Hebr. 2, 15: Per totam vitam obnoxii erant servituti. Infra pro *nihil aliud repraesentant* Vat. *nihil aliud repraesentat.*

[2] Vers. 19; seq. locus est I. Cor. 11, 26.

[3] Vat. omittit *tibi,* infra vero post *colaphis* adiungit *et alapis.*

[4] Dan. 9, 18. Cfr. supra pag. 79, n. 29. in fine et ibi nota 6. — E post *tuarum* pro more suo habet additamentum sumtum ex quadam oratione Missalis Romani ad Offertorium: In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur a te, Domine, et sic fiat sacrificium nostrum, ut a te suscipiatur et placeat tibi, Domine Deus omnipotens.

[5] Sap. 12, 1.

[6] Vat. *gloriae;* eadem pro *vigoratur et impinguatur* substituit *vivificatur,* et post *calefit* ponit *et impinguatur;* deinde post *nutritur* omittit *vigoratur,* ac *et vivificatur* post *inflammatur.* — Quod homo sit capax Dei, ait August., XIV. de Trin. c. 8, n. 11; cfr. I. Sent. p. 82. nota 8.

[7] Vat. praefigit *spiritu.* — Sequitur Ps. 35, 9: « Inebriabuntur ab ubertate domus tuae », ubi pro *Dei* Vat. *eius,* quae etiam pro *sapientia aeterna providit* habet *sapientia ante praevidit.*

[8] Vat. hic adiungit *comedere,* et infra post *Divinitatis* omittit *degustare.*

[9] Vat. cum paucis codd. *dandum,* dein *cibat* pro *cibaret.*

[10] Psalm. 77, 25; sequitur Ioan. 6, 51.

[11] Vat. *providere illi.*

[12] Vat. *corporis.*

invisceratione huius cibi spiritualis sibi convenientis; unde inquit Christus [1]: *Qui manducat me vivet propter me.* — Haec est autem differentia inter comestionem corporalem et spiritualem, quia ibi cibus comestus transit in substantiam et nutrimentum comedentis, hic vero comedens incorporatur Christo et transit in unitatem et amorem spiritus Christi. Ideo dictum fuit beato Augustino [2]: « Non ego mutabor in te, sed tu mutaberis in me », id est in mei similitudinem, scilicet bonitatem, sanctitatem etc., sicut ignis ferrum in sui similitudinem convertit.

Notandum.

§ 4. *Quarto, quisque se ipsum probare debet, propter quid accedat.*

14. Quarto et ultimo proba te ipsum, *propter quid* et *propter quam causam* accedis. Et hic dirige aciem mentis ad duo praecipue, scilicet ad *purum affectum* et *desiderium sanctum;* secundo ad *debitam intentionem* et *propositum necessarium.*

Duo attendenda.

Primo vide, *quid desideres*, ne forte propter *avaritiam,* aut *timorem* [3], aut *vanam gloriam,* aut *consuetudinem,* aut alicuius *mundanae complacentiae,* aut *temporalis favoris* causa accedas; sicut multi diebus istis abutuntur ad suam [4] perditionem quod est datum ad salutem. Vae, vae, Domine Deus! quanti hodie infelices ad sacros ordines et divina mysteria accedunt, non caelestem panem, sed terrenum quaerentes; non spiritum, sed lucrum; non Dei honorem, sed suam ambitionem; non salutem animarum, sed quaestum pecuniarum; non Christo servire mundo corde et corpore in sacris mysteriis, sed deliciari, ditari, superbire et luxuriari de patrimonio Christi et de eleemosynis populi [5], ac ecclesiasticas dignitates ambiendo multis litigiis et simoniis potius rapiunt, quam assequantur, non vocati a Deo, sed impulsi a diabolo.

De vitando affectu et desiderio vano.

15. Tu autem, homo Dei, dirige vota tua et desideria ad Deum et vide, quibus affectionibus et desideriis trahi debeas ad sacra mysteria celebranda.

De decem affectibus et desideriis bonis.

Primo trahat te [6] *conscientia et remorsus delictorum,* sperans per eum quasi per hostiam placationis ab omni peccato purgari.

Secundo, *tuae infirmitatis intuitus* et consideratio, ut eum quasi medicum ad te voces, per quem ab omni infirmitate cureris.

Tertio, *pressura alicuius tribulationis,* ut per eum qui omnia potest, ob omni adversitate citius libereris et protegaris.

Quarto, *desiderium alicuius gratiae* vel spiritualis beneficii impetrandi, ut per eum cui Pater nihil negare potest, obtineas.

Quinto, *gratiarum actio* pro omnibus beneficiis temporalibus et spiritualibus tibi et aliis impensis, cum nihil habeamus *Deo retribuere pro omnibus, quae retribuit nobis,* aliud quam *calicem salutaris accipere et sacrificare hostiam laudis* [7], id est Iesum Christum.

Sexto, *caritas et compassio proximorum,* cum pro salute vivorum et requie defunctorum nihil efficacius interpellet quam Christi sanguis *effusus in remissionem peccatorum* [8].

Septimo, *laus Dei et Sanctorum,* cum non habeamus, quo possimus Deum et Sanctos pro sua dignitate laudare quam Christum sacramentaliter Deo Patri offerre et immolare.

Octavo, *Dei amor et dilectio,* ut eum invites ad te ac per invisceratione spiritualis refectionis in te ipso eum delectabiliter amplexeris.

Nono, *sitis et desiderium augendae gratiae* [9], quia hoc Sacramentum fontem continet gratiarum et sanctificationum et auctorem continet salutis, Dominum Iesum Christum; ideo dicitur *eucharistia,* id est bona gratia. Cetera vero Sacramenta fluenta sunt et rivuli gratiarum, quibus sanctificamur.

Decimo, *ardor et suspirium,* quo totis visceribus virtute huius excessivae caritatis et dulcissimae refectionis cupias sanctificari *ab omni inquinamento carnis et spiritus* [10] et eripi ab omnibus periculis et tentationibus ac inseparabiliter uniri Christo Salvatori et conservari in suo amore. Unde inquit Christus Ioannis decimo septimo: *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut, ubi ego sum, illic sint mecum, ut sint unum, sicut nos unum sumus; ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum.*

---

[1] Ioan. 6, 58: Qui manducat me, et ipse vivet propter me. Vat. *vivit propter me.*

[2] Libr. VII. Confess. c. 10. n. 16. — Infra pro *ferrum in sui similitudinem* Vat. *ferrum sibi in similitudinem.*

[3] Vat. *tumorem,* refragantibus fere omnibus codd.; superius eadem omittit *forte.* Post *desideres* B E K supplent *et cave.*

[4] Vat. *sui,* et inferius post *sacros ordines* ponit *accedunt,* unde post *mysteria* supplet *accipiunt.*

[5] Vat. *pauperum;* deinde infra post *impulsi a diabolo* sola addit *tanquam Datan* (sic) *et Abiron* [Num. 16, 1. seqq.].

[6] Vat. *te trahet;* pro *remorsus* A C D E F G H I L *remorsio;* dein Vat. pro *hostiam placationis* habet *hostiam oblationis.* Infra pro *quasi medicum* habet *quasi medicinam,* porro *per quam* pro *per quem,* et *tuearis* pro *cureris.*

[7] Psalm. 115, 3. 4. (12. 13). — E hic addit plura exigui momenti, incipiens verbis: *Nota, quod.*

[8] Respicitur Matth. 26, 28. — Infra pro *non habeamus* Vat. *nihil habeamus,* E K *non habeamus melius* [N *aliud maius*].

[9] Post *gratiae* K R [et omisso *gratiae* etiam B] adiiciunt *et caritatis Christi per augmentum gratiarum et charismatum.*

[10] Respicitur II. Cor. 7, 1; sequitur Ioan. 17, 24: Pater, quos dedisti etc.; v. 22. 23: Ut sint unum etc. — Superius post *sanctificari* in B terminatur opusculum his verbis: *Amen. Explicit sermo domini Bonaventurae de sancto Sacramento.*

16. Secundo dirige mentem tuam ad *debitam intentionem et propositum* circa ea quae agere debes. Tria autem sunt, quae celebraturus intendere debes, scilicet *Deum per latriam colere, Christi mortem memorari* et *totam Ecclesiam iuvare.*

[Margin: ...irigenda ...ente ad ...itam in- ...tionem et ...positum.]

Primo intendas *Deum per latriam colere.* Cultus autem latriae soli Deo debitus[1] est honor impensus summo Creatori ex debito servitutis, quo obligamur non solum nostra, sed nos ipsos impendere pro suo honore et pro eo mori, si expedierit, ad recognitionem beneficiorum suorum et suae immensae bonitatis nobis ostensae, et hoc contrito corde et corpore[2] humiliato; et toto affectu, actu et habitu, gestibus et signis prosternentes nos ante oculos suae Maiestatis et sacrificiis et muneribus eum venerantes, referamus ad ipsum omnem spem nostram et desiderium nostrum tanquam in finem ultimum[3], propter quem omnia, exspectantes ab eo omne meritum et retributionem bonorum nostrorum et malorum secundum retributionem iustitiae suae suique beneplaciti. — Aliis[4] Sanctis exhibetur honor et devotio, quae dicitur *dulia,* quae non est cultus nec adoratio, sed subrogatio et invocatio, ut sint apud Deum advocati pro nobis; et omnis reverentia, quae eis impenditur, propter Deum, cui sunt coniuncti, exhibetur.

[Margin: ...rimo, ad ...m per la- ...m colen- ...a. — ...cti colen- ...i dulia. — ...s timen- ...s, hono- ...dos, a- ...ndus tri- ...ci consi- ...ratione. Primo.]

17. Deus autem debet a nobis in immensum *timeri, honorari* et *amari.* — Primo ex consideratione *suae omnipotentiae et iustitiae,* qui nos plenissimo iure damnare potest et salvare, est *summe timendus.* Ex hoc enim timore oritur dolor de peccatis, pudor, suspiria, lacrymae, tunsiones pectoris[5], supplicationes, ieiunia, disciplinae, peregrinationes et huiusmodi. — Secundo ex consideratione *suae sapientiae et maiestatis summe est honorandus.* Ex hoc namque honore oritur veneratio et reverentia, genuflexiones et incurvationes, prostrationes, orationes, purificationes, consecrationes, munditia sacrorum vasorum et paramentorum ornatus et decor, festivitates, celebrationes[6] et solemnitates luminarium, cantus psalmorum, hymnorum vel lectionum et huiusmodi. — Tertio ex consideratione *bonitatis et elementiae est infinite amandus.* Ex hoc autem amore oriuntur gratiarum actiones, laudes, hymni, benedictiones, vota sancta, incensationes et huiusmodi.

[Margin: Secundo. — Tertio.]

18. Intendere debes, ut ex frequentatione divini cultus *nomen Dei et*[7] *in nobis sanctificetur,* ut a nobis per sanctitatem vitae glorificetur in mundo, ut crescat in orbe cultus et honor Dei, ut cognoscat totus mundus, nos esse veros cultores unius veri Dei et Salvatoris Iesu Christi.

[Margin: Etiam in nobis nomen Dei sanctificandum.]

19. Intendere debes et memorari *Christi mortem.* Et de hoc dictum est supra[8]. — Item, intendere debes *totam Ecclesiam iuvare,* ut scilicet proponas Deum orare pro Papa, cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, doctoribus, rectoribus, sacerdotibus, clericis, monachis, religiosis, monasteriis et omnibus Christo famulantibus; pro regibus, ducibus, principibus ceterisque nobilibus; pro virginibus, viduis, orphanis, peregrinis, captivis, afflictis, debilibus, infirmis et pro omni populo Dei; etiam pro paganis, schismaticis et haereticis, ut convertantur ad Deum verum et sanctae Ecclesiae unitatem. — Item, in speciali orare debes pro aliquibus causis, caris scilicet parentibus, consanguineis, amicis, devotis et recommendatis tibi ac in tua oratione sperantibus; item, singularissime pro te ipso. Et[9] si aliquem praedictorum fidelium, praecipue propter odium aliquod vel rancorem, excludis, ut non sit particeps tanti beneficii; mortaliter peccas, agens cum odio divina mysteria.

[Margin: Secundo, Christi mors memoranda. Tertio, tota Ecclesia iuvanda.]

CAPITULUM II.

De contritione et confessione, de praeparatione immediata et de ipsa celebratione.

1. His praemissis, postquam ex ruminatione praedictorum in *meditatione tua exardescit ignis*[10] in corde tuo, evome et purga faeces peccatorum tuorum, *spiritu contrito et humiliato* memorans, quanta commisisti cogitatione, verbo et opere, quanta bona omisisti, quae debuisti facere et potuisti, et

[Margin: De contritione et confessione.]

---

[1] Vat., omittens *debitus,* legit *latriae est honor soli Deo impensus;* ante *nos ipsos* Q addit *et;* subinde ante *mori* A F G H I L M N addunt *morte.*

[2] Sola Vat. *spiritu;* ante *et habitu* C O omittunt *actu.*

[3] Vat. addit *et in eum, a quo omnia sperantes, propter* etc., et sic textum facit non intelligibilem (de fine, *propter quem omnia,* cfr. Rom. 11, 36.). Pro *propter quem* (ita M) plurimi codd. et Vat. *propter quae,* Q *propter quod;* porro Vat. omittit *omne* ante *meritum.*

[4] Vat. adiicit *quoque,* C O *vero;* post *Sanctis* F G *debetur et exhibetur,* H I L *exhibetur et debetur.* Infra post *salvare* Vat. perperam ponit punctum et prosequitur *Est etiam summe timendus.*

[5] Vat. *pectorum;* inferius post *Ex hoc namque* eadem supprimit *honore.*

[6] Vat. cum paucis codd. *celebritates,* subinde *cantus, psalmodiae* pro *cantus psalmorum.*

[7] Omittitur *et* a Vat. et F; infra pro *veros cultores* Vat. cum pluribus codd. *clericos.*

[8] Num. 10. Subinde codd. A C F H I N O P non bene habent *Quinto* pro *Item;* neutrum est in Vat.

[9] Codd. E N O P *Unde si* pro *Et;* subinde non pauci codd. *praemissorum* pro *praedictorum.* Inferius post *odium* fide A G H I K L Q adiecimus *aliquod.*

[10] Psalm. 38, 4; dein respicitur Ps. 50, 19.

vadens[1] ad spiritualem medicum et patrem, dic peccata tua, non communi et generali confessione, ut quidam duri corde faciunt, palliantes foliis communium verborum in generali confessione sua enormia peccata, et absque verecundia et dolore taliter proferentes, ut etiam in plateis possent taliter absque rubore publice confiteri. Haec non est confessio, sed deceptio et derisio. Sed si vis sanari, aperi vulnera tua et de profundo corde enarra clare et aperte quae post praecedentem confessionem egisti, non solum opera, sed et cogitationes perversas, quarum delectatio mentem maculat, non solum mortalia, sed etiam venialia graviora, quae conscientiam mordent et laedunt. Cetera per modum generalem breviter et clare exprime.

De praeparatione immediata.

2. Deinde, peracta poenitentia tibi iniuncta, decanta cum devotione[2] illos quinque psalmos: *Quam dilecta, Benedixisti, Inclina, Credidi* et *De profundis,* cum suis versiculis et orationibus. Dicas etiam, si tempus suppetit, orationem illam *Summe Sacerdos,* quae valde efficax est et devota. Postea procedens ad altare recole[3] Christum euntem ad crucem et fige cor ad ea quae in passione gesta sunt; legas clare et distincte ea quae legenda sunt, non multiplicando collectas nimias nec alia legendo ex devotione vel proprio arbitrio, quam quod a sanctis Patribus institutum est.

De celebratione.

3. Cum autem perveneris ad sanctum canonem, recollige mentem, ne per diversa vagetur, et[4] appone diligentiam magnam in signis et actibus, maiorem in verbis, maximam in intentione, primo propter continentiam tam pretiosi corporis, secundo, propter continentiam tam gloriosae animae, tertio, propter continentiam Deitatis immensae. — In *Memento* vero tam pro vivis quam pro mortuis non fiat cum voce et verbis recommendatio, sed tantum mente discurre per quasdam personas magis intimas ceterasque recollige sub compendio, referens intentionem ad omnes, pro quibus antea orasti sive orare proposuisti[5]. Dum autem perveneris ad *Qui pridie,* dirige mentem et intentionem tuam ad faciendum illud quod intellexit Christus in sua coena, et quod intendit sancta Mater Ecclesia. In *Communione* autem paulisper subsiste et dic non lingua vel labiis, sed corde:

Oratio.

4. Domine mi, quis es tu, et quis sum ego, ut praesumam te mittere in latrinam foetidam corporis mei et animae meae? Ut quid me fecisti, ut tibi hanc iniuriam exsecrandam facerem? Mille enim lacrymarum anni et ponitentiae[6] non sufficerent ad tam nobile Sacramentum digne semel percipiendum; quanto magis ego miser indignus sum, qui quotidie pecco, incorrigibilis persevero et impraeparate accedo; sed in infinitum maior est misericordia tua quam mea miseria; unde de tua pietate confisus te sumere praesumo.

Notandum.

Haec enim duo maxime requiruntur ad congruam perceptionem Sacramenti, scilicet profunda humilitas cum annihilatione sui et compassio mortis Christi.

De gratiarum actione.

5. Post communionem si non sentis aliquam spiritualem refectionem, signum est infirmitatis spiritualis vel mortis. Ignem posuisti in sinum, et non sentis calorem, mel in ore, et non sentis dulcedinem. Si vero consolationem sentis aliquam, non tibi tribuas, sed suae bonitati immensae, quae etiam ad malos extenditur[7] et indignos consolatur, et dicas in corde tuo: ad meam miseriam detestandam me convicit beneficiis suis. Si mihi peccatori talia fecit, quid faceret, si vitam meam correxero? Ideo totis viribus volo me mutare et semper sibi adhaerere.

Hoc autem non repútes posse tua virtute[8], sed auxilio gratiae eius; quod ipse tibi et mihi praestare dignetur. Amen.

Explicit.

---

[1] Vat. *veniens,* contra codd., qui habent vel *vadens,* vel *vades,* vel *vadas;* post *dic peccata* Vat. omittit *tua,* et post *foliis* etiam *communium,* denique *publice* post *absque rubore.*

[2] Vat. omittit *cum devotione.* Psalmi subinde citati, qui dicuntur *psalmi accessus,* sunt Ps. 83, 84, 85, 115 et 129. Hi et oratio *Summe Sacerdos,* quae tribuitur S. Ambrosio (sed est potius Anselmi, Oratio 29.), habentur in Breviariis et Diurnalibus sub titulo Praeparatio ad Missam.

[3] Vat. *recordare.*

[4] Deest in Vat., quae post *intentione,* plura omittens, quae habentur in plerisque codd., posito puncto, prosequitur: *Primo propter continentiam Divinitatis immensae, in Memento tam.* Manifesta est lacuna. Eadem omittit supra *et* ante *appone.*

[5] Vat. cum paucis codd. pro *orare proposuisti* habet *orare promisisti,* et infra *pausa paulisper* pro *paulisper subsiste.*

[6] Vat. omittit *poenitentiae,* pro *digne semel percipiendum* habet *semel digne accipiendum,* porro *in peccatis accedo* pro *impraeparate accedo.*

[7] Ita C O [E Q *se extendit*], Vat. *et malos et indignos consolatur* pro *ad malos extenditur et indignos consolatur.*

[8] Vat. cum C F N post *repules* addit *te,* et sola ponit *tuis viribus* pro *tua virtute;* deinde *omnibus nobis* pro *tibi et mihi.*

OPUSCULUM VI.

DE PERFECTIONE VITAE

AD SORORES



PROLOGUS [1].

1. *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum* [2]. Neminem censeri sapientem fateor, nisi eum solum, quem Spiritus sancti docuerit unctio. Ille enim, teste David propheta, solus vere beatus est, solus vere sapiens, cuius mentem Dominus erudierit, cuius animum de lege sua docuerit. *Lex* enim *Domini* [3] sola est *immaculata*, sola irreprehensibilis, sola *convertens animas* ad salutem. Huius autem legis doctrina sive eruditio non tantum foris quaerenda est in littera, sed potius per devotae mentis affectum. Est autem desideranda in *spiritu et virtute* [4], ut ille videlicet intus doceat, qui solus novit exteriorem legis asperitatem in interiorem dulcedinem commutare. Docet autem lex Domini, quid *agendum*, quid *fugiendum*, quid *credendum*, quid *orandum*, quid *desiderandum*, quid *timendum;* docet esse immaculatum et irreprehensibilem; docet servare promissa, deflere commissa; docet mundana contemnere, carnalia respuere; docet denique totum cor, totam animam, totam mentem in solum convertere Iesum Christum [5]. Ad huius doctrinae comparationem omnis mundana sapientia stulta est et fatua. Bernardus [6]: « Dicat quicumque vult, ego non dicam sapientem, dum non timebit neque diliget Deum ». Qui huius doctrinae auditor non obliviosus, sed factor fuerit studiosus, hic vere sapiens erit, hic vere beatus. *Beatus ergo homo est, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum.*

[margin: vero sapiente.] [margin: d doceat Domini.]

2. Tu itaque, Deo devota, dilecta mihi, reverenda mater [7], rogasti me, ut de cordis mei penuria aliquid dictando scriberem, in quo tuum animum devotionis gratia valeas pro tempore erudire. Sed certe fateor, pro insufficientia mea huiusmodi eruditione

[margin: Occasio scribendi hoc opusculum.]

---

[1] Codd. B C *Incipit prologus in tractatum Bonaventurae de profectu vitae religiosae; E Sequitur prologus in opusculum sancti Bonaventurae, Doctoris seraphici de profectu vitae ad sorores suas.*

[2] Psalm. 93, 12. — Subinde respicitur I. Ioan. 2, 20: Sed vos unctionem habetis a Sancto et nostis omnia; cfr. ibid. v. 27. — Inferius fide B C D supplevimus *cuius animum de lege sua docuerit.*

[3] Ut dicitur Ps. 18, 8.

[4] Respicitur I. Thess. 1, 5: Quia Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute et in Spiritu sancto. — August., in I. Ioan. tr. 3. n. 13: Nolite putare, quemquam aliquid discere ab homine. Admonere possumus per strepitum vocis nostrae; si non sit *intus qui doceat,* inanis fit strepitus noster... Quantum ad me pertinet, omnibus locutus sum, sed quibus unctio illa intus non loquitur, quos Spiritus sanctus intus non docet, indocti redeunt. Magisteria forinsecus adiutoria quaedam sunt et admonitiones; cathedram in caelo habet qui corda docet etc. Cfr. tom. V. pag. 324, nota 2. — Codd. B C hanc propositionem cum praecedente coniungunt legentes *sed potius per devotae mentis affectum est desideranda* etc.

[5] Matth. 22, 37: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et in tota anima tua et in tota mente tua. — De *mundana* sapientia cfr. Iac. 3, 13. seq. et supra pag. 46, nota 7.

[6] Serm. 73. de Diversis (alias 36. ex Parvis): « Discat quantum vult, ego sapientem non dixerim, dum nec timebit nec diliget Deum ». Pro *Dicat* C cum textu originali *Discas;* B voci *Bernardus* praefigit *Quoniam dicit beatus.* — In seq. propositione respicitur Iac. 1, 22. seqq.: Estote autem factores verbi et non auditores tantum... Qui autem perspexerit in legem perfectam et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.

[7] Du Cange: *Mater,* abbatissa, monasteriorum sanctimonialium praefecta, apud Hieron. in Epist. ad Sabinianum [ed. Maurin. Epist. 147. alias 48. n. 5.], Gregorium Registr. lib. 7. Ind. 2. Epist. 28. [ed. Maurin. Epist. lib. 9. Ind. 2. Epist. 29.] etc. Cfr. Adelger., Admonitio ad Nonsuindam reclusam (Migne, Patrol. Lat. tom. 134. col. 915 seqq.), ubi recurrunt *carissima mater* (in Prologo), *sanctissima mater* (c. 2. et c. 7. c. 11. etc.); Anselm., Epist. lib. III. epist. 125. — Codd. B C hic et per totum opusculum utuntur voce *mater;* saepe cum ipsis conveniunt F D, immo etiam ipsa Vat. c. 6. n. 11. idem habet, dum aliis in locis substituit *soror.* Praedictos codd. sequemur substituendo *mater* pro *soror.*

me potius indigere, praesertim cum apud me nec vita foris resplendeat, nec devotio intus ardeat, nec scientia suffragetur; tuae tamen devotionis provocatus desiderio, sic obedivi humiliter [1], sicut suppliciter postulasti. Rogo autem beatitudinem tuam, mater sanctissima, quatenus magis penses intentionis affectum quam operis effectum, magis dictorum veritatem quam sermonis venustatem; et ubi tuo minus satisfeci desiderio propter brevitatem et occupationem temporis, mihi benigne indulgeas et ignoscas.

Capitula opusculi.

Ut autem facilius possis invenire quod quaeris, ideo singulorum capitulorum praemisi titulos.

Et primo agitur de vera sui ipsius cognitione.
Secundo, de vera humilitate.
Tertio, de perfecta paupertate.
Quarto, de silentio et taciturnitate.
Quinto, de studio orationis.
Sexto, de passionis Christi memoria.
Septimo, de perfecta Dei caritate.
Octavo, de finali perseverantia.

Capitulum I.

De vera sui ipsius cognitione.

A se ipso incipiendum.

1. Ad perfectionis [2] vitae fastigium sponsae Christi cupienti conscendere primum necesse est, ut a se ipsa incipiat, ita ut, omnium exteriorum oblita, ingrediatur in secretum conscientiae suae, ibique omnes defectus suos, omnes consuetudines, omnes affectiones, omnes operationes, omnia peccata tam praeterita quam praesentia diligenti consideratione discutiat, examinet et inspiciat; et si quid minus rectum [3] apud se invenerit, statim defleat in amaritudine cordis sui. Et ut ad hanc cognitionem, dilecta mater, melius possis venire, scire debes, quod omnia peccata nostra et mala aut committimus per *negligentiam*, aut per *concupiscentiam*, aut per *nequitiam* [4]. Et circa ista tria debet omnium malorum tuorum versari recordatio; alioquin ad tui ipsius cognitionem perfectam nunquam poteris pervenire.

Peccata tripliciter committuntur.

De negligentia prima triplici.

2. Si igitur te ipsam cupis cognoscere, cognoscendo mala commissa deplangere [5]; primo debes recogitare, si aliqua in te sit vel fuerit *negligentia*: debes, inquam, recogitare, quam negligenter *cor tuum custodis,* quam negligenter *tempus tuum expendis*, quam *malum finem* operi tuo *imponis.* Haec enim tria cum summa diligentia sunt observanda, ut scilicet cor bene custodiatur, tempus utiliter expendatur, et finis bonus et debitus in omni opere praefigatur. — Item debes recogitare, quam negligens fueris in *oratione,* quam negligens in *lectione* et quam negligens in *operis exsecutione.* In his enim tribus debes diligentissime te ipsam exercere et excolere, si vis fructum bonum facere et dare in tempore suo [6], ita quod nequaquam unum sufficit sine alio istorum. — Item debes recogitare, quam negligens sis vel fueris *ad poenitendum,* quam negligens *ad resistendum* et quam negligens *ad proficiendum.* Debes enim cum summa diligentia *deflere* mala commissa, *repellere* diabolica tentamenta et *proficere* de una virtute in aliam [7], ut possis pervenire ad terram promissam. Sic debet circa negligentiam tuam versari cognitio.

De secunda triplici.

De tertia triplici.

De concupiscentia triplici.

3. Si autem melius te ipsam cupis cognoscere, debes secundo recogitare, si in te vigeat vel viguerit *concupiscentia voluptatis, curiositatis* aut *vanitatis* [8]. — Certe tunc viget concupiscentia *voluptatis* in religioso homine, quando appetit *dulcia,* videlicet cibaria saporosa, quando appetit *mollia,* scilicet vestimenta deliciosa, quando appetit *carnalia,* videlicet oblectamenta luxuriosa. — Certe tunc viget concupiscentia *curiositatis* in Dei famula, quando appetit *scire occulta,* quando appetit *videre pulcra,* quando appetit *habere rara.* — Certe tunc viget concupiscentia *vanitatis* in sponsa Christi, quando appetit hominum *favorem,* quando quaerit [9] humanam *laudem,* quando desiderat humanum *honorem.* Ista omnia debet ancilla Christi tanquam venenum fugere, quia istae sunt radices omnis mali.

De prima concupiscentia triplici.

De secunda triplici.

De tertia triplici.

De nequitia triplici.

4. Item, si certam tui ipsius vis [10] habere notitiam, debes tertio recogitare diligenter, si in te vigeat vel viguerit *nequitia iracundiae,* nequitia

---

[1] Fide B C supplevimus *sic obedivi humiliter,* contra quos Vat. prosequitur *et sicut cum humilitate suppliciter* etc. Inferius pro *minus satisfeci* (ita B C) Vat. *non satisfeci,* et *occupationem, ipsum mihi* pro *occupationem temporis, mihi.*

[2] Codd. D F *perfectioris.* Dein pro *conscendere* C *ascendere.*

[3] Ita B C F, Vat. *si quod minimum peccatum.*

[4] Vide supra Opusculum I. de Triplici Via, c. 1. n. 4-6, ubi iisdem fere verbis ea occurrunt, quae hic n. 2-4 exhibentur. — Subinde ex C D E F supplevimus *malorum.*

[5] Ita B C D F, Vat. *cupis cognoscere, considera mala commissa et ea deplange,* quae etiam inferius pro *quam negligenter cor* (ita B C D F) substituit *qualiter cor.*

[6] Respicitur Ps. 1, 3. supra pag. 4, nota 5. allegatus. — Superius pro *exercere* Vat. cum nonnullis codd. *exercitare.*

[7] Vide supra pag. 4, nota 7. verba Ps. 83, 8. allata. — Inferius pro *promissam* (ita B C F) Vat. *promissionis.*

[8] Codd. B C D F omittunt *voluptatis, curiositatis aut vanitatis.*

[9] Codd. B C F *appetit.*

[10] Ita D F, Vat. *si certam et perfectam vis.*

invidiae, nequitia *accidiae*. — Audi quod dico sollicite. Certe tunc in religioso homine viget *iracundia*, quando vel animo, vel corde, vel affectu, vel signo, vel facie, vel verbo, vel clamore quantumcumque modicam indignationem ex corde, vel rancorem [1] proximo suo ostendit. — Tunc autem in homine regnat *invidia*, quando gaudet de proximi adversitate et tristatur de proximi prosperitate, quando laetatur de malis proximi et tabescit de bonis ipsius. — Tunc autem *accidia* viget in religioso, quando fuerit tepidus, somnolentus, otiosus, tardus, negligens, remissus, dissolutus, indevotus, tristis et taediosus [2]. Haec omnia sponsa Christi debet detestari et fugere tanquam venenum mortiferum, quia in his consistit perditio corporis et animae.

Nequitia ordinae triplici. Invidia triplici. Accidia.

5. Si igitur, Deo amabilis famula, ad tui ipsius perfectam vis venire cognitionem, « redeas ad temetipsam, intres in cor tuum, discas aestimare spiritum tuum. Discute, quid *sis*, quid *fueris*, quid *esse debueris*, quid *esse poteris*: quid *fueris* per naturam, quid modo *sis* per culpam, quid *esse debueris* per industriam, quid adhuc *esse poteris* per gratiam [3] ». « Audi adhuc, mater, audi prophetam David, quomodo se tibi in exemplum proponat [4]: *Meditatus sum*, inquit, *nocte cum corde meo, exercitabar et scopebam spiritum meum. Meditabatur* ille *cum corde suo*; meditare et tu cum corde tuo. *Scopebat* ille *spiritum suum*; scope et tu spiritum tuum; exerce agrum istum, attende ad temetipsam. Absque dubio, insistens huic exercitio, invenies thesaurum pretiosum absconditum [5]. Ex hoc enim exercitio crescit auri copia, multiplicatur scientia, augmentatur sapientia; ex hoc exercitio cordis oculus mundatur, ingenium acuitur, intelligentia dilatatur. Nihil recte aestimat qui se ipsum ignorat, qui conditionem suae dignitatis non pensat. Nescit omnino, nescit, quid de spiritu angelico, quid de divino sentire debeat qui spiritum suum prius non cogitat. Si nondum idonea es redire ad te ipsam, quomodo ad illa rimanda idonea eris, quae sunt supra temetipsam; si nondum digna es intrare tabernaculum primum, qua fronte praesumes ingredi tabernaculum secundum [6] »?

Hortatio.

6. Si cupis elevari ad secundum et tertium caelum [7], sit tibi transitus per primum, id est cor tuum; et qualiter hoc possis vel debeas facere, ecce, iam satis docui te superius; tamen et beatus Bernardus [8] optime te informat dicens: « Integritatis tuae curiosus explorator, vitam tuam assidua discussione examina et cogita diligenter, quantum proficias et quantum deficias, qualis sis in moribus, qualis in affectibus, quam similis Deo vel quam dissimilis, quam prope vel quam longe ». — O quam magni periculi res est in homine religioso multa velle scire, et se ipsum nescire! O quam prope ille religiosus est perditioni et interitui, qui in cognoscendis rebus est curiosus, in iudicando aliorum conscientias sollicitus, se ipsum autem ignorat et nescit [9]! O Deus meus, unde in religioso tanta caecitas? Ecce, in promptu ratio est, audi: quia mens hominis *sollicitudinibus* distracta, non intrat ad se per *memoriam*; quia *phantasmatibus* obnubilata, non redit ad se per *intelligentiam*; quia *concupiscentiis illicitis* illecta, ad se nequaquam revertitur per *desiderium* suavitatis internae et laetitiae spiritualis; ideo totaliter in his sensibilibus iacens, non potest ad se tanquam ad Dei imaginem intrare, et sic totus miser se ipsum ignorat et nescit [10]. Omnibus ergo postpositis, tui ipsius habe memoriam et notitiam. Hoc etiam beatus Bernardus [11] orabat, dicens: « Deus det mihi non aliud scire, quam ut me ipsum cognoscam ».

De triplici caelo. Periculum in religioso se ignorante.

---

[1] Ita D, F a secunda manu *et rancorem*, Vat. legit *indignationem, et* [B C D F hic omittunt *et*] *ex corde rancorem.*

[2] Ita B C D F, Vat.: tardus ad chorum, negligens in cantando, remissus in excutiendo torporem, dissolutus in colloquio, indevotus in Missa, tristis in facie et taediosus in cella.

[3] Ita in Tract. de interiori domo (inter opera Bernardi), c. 36. n. 76. Post *per culpam* cum textu originali addidimus *quid esse debueris per industriam.* In principio Vat., contradicentibus textu originali et B C D F, legit *redeas ad te ipsam introrsus ad cor tuum et discas scopare spiritum tuum.*

[4] Psalm. 76, 7. — Codd. B C pro *quomodo se* substituunt *quid.*

[5] Respicitur Matth. 13, 44. de invento thesauro abscondito in agro. — Superius pro *scope* (ita etiam textus originalis) Vat. cum nonnullis codd. *scopa;* secundum Forcellini (in Appendice) utraque forma occurrit, et prima magis convenit cum Vulgata.

[6] Ita Richard. a S. Vict., III. Beniamin maior c. 5. seq. Cfr. Tract. de interiori domo (cfr. supra nota 3.) c. 36. n. 76. Textus originalis superius post *ignorat* prosequitur *nescit, quam sub pedibus suis omnis mundana gloria iaceat, qui conditionis suae dignitatem non pensat* etc., et hic addit *hoc est in sancta sanctorum.* Cfr. tom. V. Itinerar. mentis in Deum, c. 5. n. 1, ubi distinguitur triplex modus contemplandi Deum, scilicet *extra nos* per vestigium, *intra nos* per imaginem et *supra nos* per lumen, quod est signatum supra mentem nostram (cfr. Ps. 4, 7.), et subiungitur « qui exercitati sunt in primo modo intraverunt iam in *atrium* ante tabernaculum; qui vero in secundo, intraverunt in *sancta;* qui autem in tertio, intrant cum summo Pontifice in *sancta sanctorum* » (cfr. Exod. c. 25-28, ubi describitur tabernaculum). — Superius ex B C D F cum textu originali supplevimus *quomodo ad illa rimanda* [C *ruminanda*] *idonea eris, quae sunt supra temetipsam.*

[7] Respicitur II. Cor. 12, 2. de raptu Pauli ad *tertium caelum.*

[8] Meditat. etc. c. 5. n. 14; cfr. supra pag. 30, nota 4. Pro *explorator* B C D E F contra textum originalem *operator.*

[9] Cfr. supra Opusculum II. Soliloq. c. 1. n. 2. — Codd. B C F legunt *se ipsum autem nescit et ignorat et nescit penitus.*

[10] August., I. de Ordine, c. 1. n. 3: Cuius erroris maxima causa est, quod homo sibi ipse est incognitus. Qui tamen, ut se noscat, magna opus habet consuetudine recedendi a sensibus et animum in se ipsum colligendi atque in se ipso retinendi.

[11] Cfr. Serm. 2. de Diversis, n. 1, ubi illa Augustini verba afferuntur: « Deus, noverim me, noverim te ». Ibid. Serm. 40. n. 3. cognitio sui a Bernardo commendatur, de quo vide etiam Serm. 36. in Cant. n. 5. seqq. et 37. n. 1. seqq. Vat. contra B C D F voci *scire* praefigit *facere et.*

Capitulum II.

De vera humilitate.

De essentia et necessitate humilitatis.

1. Verum quia defectus proprios cordis oculo contemplanti necesse est vere *humiliari sub potenti manu Dei*[1]; ideo te, famulam Christi, admoneo, ut tuorum defectuum certa cognitione adepta, *valde humilies spiritum tuum* et tibi ipsi vilescas. « Humilitas enim est virtus, ut dicit beatus Bernardus[2], qua homo verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit ». Hac humilitate apud se ipsum viluit pater noster beatus Franciscus; *hanc amavit et exquisivit* ab initio religionis suae usque in finem; pro hac mundum reliquit, nudum se trahi per civitatem praecepit, leprosis servivit, peccata sua in praedicatione manifestavit, exprobrari sibi mandavit[3]. Hanc virtutem maxime a Filio Dei, mater Deo devota, discere debes, quia ipse dicit[4]: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* « Qui enim virtutes sine humilitate congregat in ventum pulverem portat », ut dicit beatus Gregorius. Sicut enim *principium omnis peccati est superbia,* sic fundamentum omnium virtutum est humilitas. Disce autem *veraciter* esse humilis, non fallaciter, sicut illi qui nequiter se humiliant, ut hypocritae, de quibus dicit Ecclesiasticus[5]: *Est qui nequiter se humiliat, et interiora eius plena sunt dolo.* « Verus enim humilis, ut dicit beatus Bernardus, semper vult vilis reputari, non humilis praedicari ».

Triplex via perveniendi ad humilitatem. De prima via.

2. Si igitur, mater dilectissima, ad perfectam humilitatem vis pervenire, oportet te per triplicem semitam incedere. — Prima semita est *consideratio Dei.* Debes enim considerare Deum ut auctorem omnium bonorum; quia omnium bonorum est auctor, ideo sibi debemus dicere[6]: *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine.* Et quia talis est, ideo sibi omne bonum debes tribuere et nihil tibi, considerans, quod non *fortitudo tua aut robur manuum tuarum*[7] fecit bona, quae habes, quia *Dominus fecit nos, et non ipsi nos.* Et talis consideratio destruit totam superbiam eorum qui dicunt: *Manus nostra excelsa et non Dominus fecit haec omnia.* Haec superbia exclusit luciferum a caeli gloria. Non considerabat lucifer se de nihilo factum, sed potius aspiciebat suum decorem, suam pulcritudinem, qualiter *omnis lapis pretiosus operimentum eius*[8], et extulit eum superbia cordis sui; et quia *superbum sequitur humilitas*, ideo statim deiectus est de sede nobilitatis suae in locum extremae vilitatis, et qui prius fuerat inter Angelos excellentissimus factus est inter daemones miserrimus.

Poena l. feri.

Einsde imitato

3. O quot sunt hodie luciferiani, imitatores et imitatrices luciferi, filii et filiae superbiae, quos patienter tolerat Dominus, cum tamen « tolerabilior sit superbia in divite quam in paupere », ut dicit Bernardus super Cantica[9]! Oportet ergo, ancillam Christi semper valde inveniri humilem, quae debet intrare in locum angeli repudiati. Humilitas enim sola placet Deo sive in Angelo sive in homine. Non credas, quod virginitas Deo placeat sine humilitate; certe nec Maria Dei mater fuisset effecta, si superbiam habuisset in se. Propterea dicit beatus Bernardus[10]: « Sine humilitate, audeo dicere, nec virginitas Mariae

---

[1] Epist. I. Petr. 5, 6; subinde respicitur Eccli. 7, 19. — Refragantibus B C, Vat. legit: *Verum qui vult defectus proprios cordis oculo contemplari, necesse* etc., et inferius pro *ut tuorum defectuum certa cognitione adepta* (ita B C F) ipsa substituit *ut cognitionem tuorum defectuum adepta.*

[2] De Gradibus humilitatis, c. 1. n. 2. Pro *cognitione* textus originalis *agnitione.*

[3] Cfr. S. Bonav. Legenda S. Francisci, c. 2. (ubi de servitio leprosorum) et c. 6, ubi alia facta humilitatis narrantur. Vide etiam Thom. a Celano, Vita II. p. III. c. 79. [Respicitur Sap. 8, 2.]. — Ex B C D F supplevimus *nudum... mandavit.* Superius pro *Hac humilitate apud se ipsum viluit* (ita B C D F) Vat. *Hac vilitate viluit.* Subinde post *religionis* B C F omittunt *suae*, et loco *pro hac* (ita B C) Vat. substituit *per hanc.*

[4] Matth. 11, 29. — Sententia Gregorii habetur I. Homil. in Evang. homil. 7. n. 4, ubi pro *pulverem portat* (ita B C F cum textu originali) Vat. *paleas mittit.* — Eccli. 10, 15: Initium omnis peccati est superbia.

[5] Cap. 19, 23, post quem Bernard., Serm. 16. in Cant. n. 10.

[6] Isai. 26, 12, ubi pro *in nobis* Vulgata *nobis.* — Superius fide B C F supplevimus *quia omnium bonorum est auctor.*

[7] Deut. 8, 17. seq.: Ne diceres in corde tuo: Fortitudo mea et robur manus meae haec mihi omnia praestiterunt, sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi praebuerit etc. — Sequuntur Ps. 99, 3. et Deut. 32, 27, ubi Vat. contra Vulgatam et codd. A B C D E F *Manus nostrae excelsae.* Cfr. August., Enarrat. in Ps. 106. n. 15. — Inferius pro *talis cogitatio* ex C D F substituimus *talis consideratio.*

[8] Ezech. 28, 13. Cfr. Bernard., de Gradibus superbiae, c. 10. n. 31. seqq. — Subinde allegatur Prov. 29, 23, in quo Vat., refragantibus B C D F cum Vulgata, substituit *superbiam* pro *superbum.*

[9] Serm. 54. n. 8; cfr. supra pag. 54, nota 9. — Inferius C F omittunt *semper.*

[10] Homil. 4. super *Missus est,* n. 5. Cfr. Tract. de Moribus et officio episc. (alias Epist. 42.) c. 5. n. 17: Humilitas ergo virtutes alias accipit (cfr. Iac. 4, 6.). Servat acceptas... Servatas consummat... Inimicam omnis gratiae omnisque initium peccati debellat superbiam et tam a se quam a ceteris virtutibus superbam illius propulsat tyrannidem... Sola denique est, de qua omnium plena virtutum Maria gloriandum esse putavit... *Respexit,* inquiens, *Deus humilitatem ancillae suae* [Luc. 1, 48.]. Cfr. tom. VII. pag. 432, nota 4. Pro *nec virginitas Mariae* (ita B C F cum textu originali) Vat. *nec Maria.*

Deo placuisset »; et ideo magna virtus est, sine cuius obtentu non solum virtus non est, sed etiam in superbiam erumpit.

Secunda via.

4. Secunda semita est *rememoratio Christi.* Rememorari debes, quod Christus humiliatus fuit usque ad vituperabilissimum genus mortis[1] et in tantum factus est humilis, ut quasi leprosus reputaretur — unde dixit Isaias propheta: *Reputavimus eum quasi leprosum et a Deo humiliatum* — immo in tantum fuit humiliatus, ut tempore ipsius nihil eo vilius reputaretur. Unde idem Isaias dicit: *In humilitate iudicium eius sublatum est;* ac si diceret: tanta fuit eius humilitas, tantum se deiecerat, ut nullus de eo daret rectum iudicium, ut a nullo crederetur esse Deus. *Si ergo* ipse *Dominus noster et magister*[2] inquit: *Non est servus maior domino suo, et discipulus non est super magistrum;* si ancilla Christi es, si discipula Christi es, vilis et contemptibilis esse debes et humilis. — O quam abominabilis est ille religiosus Deo, qui vestem fert humilem et cor superbum! O quam inutilis est ille Christianus, qui Dominum suum videt humilem et despectum, et ipse *exaltat cor suum et ambulat in magnis et in mirabilibus super se*[3]*!* Quid amplius detestandum in sponsa Christi, quid gravius puniendum in ancilla Christi, quam quod, postquam summus factus est imus, immensus parvus et homo, putredo et vermis *apponat se magnificare?* De talibus dicit beatus Augustinus[4]: « O pellis morticina, quid extenderis? o sanies foetida, quid inflaris? Caput humile, et membrum superbum »? quasi dicat: non decet.

[Con]tra religiosos superbos.

Tertia via.

5. Tertia semita, per quam debes incedere, si vis ad perfectam humilitatem pervenire, est *circumspectio tui.* Tunc te ipsam, carissima mater, circumspicis, quando recogitas, *unde veneris*, aut *quo vadis*[5]. — Considera ergo, *unde veneris*, et scias, quia de *massa perditionis* et de *pulvere et limo terrae* facta es et *in peccatis conversata* et *exsul* es de beatitudine paradisi. Et haec consideratio spiritum tumoris abiicit et excludit in tantum, ut clamare incipias cum tribus pueris in Daniele[6]: *Sumus hodie humiles in universa terra propter peccata nostra.* — Considera etiam illud, *quo tendis;* tendis enim ad corruptionem et incinerationem, quia *pulvis es et in pulverem reverteris*[7]. *Quid* igitur *superbis, terra et cinis?* Si hodie es, cras non eris; si hodie sana, cras infirmaberis forte; si hodie sapiens, cras forte stulta eris; si hodie dives in virtutibus, cras forte mendica eris et misera. Quis ergo miser ille Christianus, qui audeat superbire, cum tantis miseriis et calamitatibus undique se videat circumdatum?

Consideratio prima.

Secunda.

Hortatio ad sacras virgines.

6. Discite igitur, o virgines sacratae, humilem habere spiritum, humilem incessum, humiles sensus, humilem habitum; sola enim humilitas est, quae divinam mitigat iram, quae divinam invenit gratiam. *Quanto enim magnus es, humilia te in omnibus,* dicitur in Ecclesiastico[8], *et coram Deo invenies gratiam.* Hoc modo Maria invenit gratiam apud Dominum, sicut ipsa testatur dicens: *Respexit humilitatem ancillae suae.* Nec mirum, quia humilitas caritati locum praeparat, mentem a vanitate evacuat. Propter quod dicit Augustinus[9]: « Quanto sumus a tumore superbiae inaniores, tanto sumus dilectione pleniores ». Et sicut aqua confluit ad valles, sic gratia Spiritus sancti confluit ad humiles; et sicut aqua tanto fortius fluit, quanto magis descendit, sic qui toto corde humiliatus procedit magis propinquat ad Dominum, ut impetret gratiam. Propterea dicit Ecclesiasticus[10]: *Oratio humiliantis se nubes penetrat,*

---

[1] Phil. 2, 8: Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. — Duo seqq. loci sunt Isai. 53, 4. et 8, qui exhibetur secundum Septuaginta (cfr. Act. 8, 33.), dum Vulgata legit: De angustia et de iudicio sublatus est. Cfr. Bernard., Serm. in feria 4. hebdomad. sanctae, n. 3. — Inferius vocibus *tempore ipsius* secunda manus in F interseruit *passionis.*

[2] Ioan. 13, 14; ibid. v. 16: Non est servus maior domino suo; Matth. 10, 24: Non est discipulus super magistrum. — Vat. contra B C D F legit: *Si ergo ipse Dominus et magister noster ita vilis et contemptibilis reputatus est, et non est servus* etc., et inferius *qui vestem sumit* pro *qui vestem fert.*

[3] Psalm. 130, 1: Domine, non est exaltatum cor meum... neque ambulavi in magnis neque in mirabilibus super me. — Inferius respicitur Ps. 10, (secundum Hebraeos, in Vulgata Ps. 9.) 18: Iudicare pupillo et humili, ut non apponat ultra magnificare se homo super terram. Bernard., Serm. 1. in Nativ. Domini, n. 1: Quid enim magis indignum, quid detestandum amplius, quid gravius puniendum, quam *ut* videns Deum caeli parvulum factum *ultra apponat homo magnificare se super terram?* Intolerabilis impudentiae est, ut, ubi sese exinanivit Maiestas, vermiculus infletur et intumescat.

[4] Serm. 304. (alias 37. de Diversis vel Serm. 3. in solemnitate Laurentii martyris) c. 4. n. 3. Textus originalis substituit *tenderis* pro *extenderis* et omittit *caput humile, et membrum superbum,* quod tamen exhibetur a Petro Lombardo et a Glossa *ordinaria* apud Lyranum in Phil. 2, 8. — Inferius pro *quasi dicat* B C F *quasi diceret.*

[5] Cfr. supra pag. 30, nota 1.

[6] Cap. 3, 37. — Superius post *Et haec consideratio* B prosequitur *circumspectionis vires tumoris abiicit* etc.

[7] Gen. 3, 19. Pro *reverteris* B C F *ibis* (Septuaginta: Quia terra es et in terram ibis). — Sequitur Eccli. 10, 9, ubi pro *superbis* Vulgata *superbit.* Ibid. v. 12: Rex hodie est et cras morietur. — Inferius pro *sana... mendica... et misera* (ita B C D F) Vat. *sanus... mendicus... et miser.*

[8] Cap. 3, 20. — Subinde allegatur Luc. 1, 48.

[9] Libr. VIII. de Trin. c. 8. n. 12, ubi pro *inaniores* textus originalis substituit *saniores.* Cfr. tom. VII. pag. 244, nota 7.

[10] Cap. 35, 21, post quem Ps. 144, 19. — De *vallibus* humiles significantibus cfr. tom. VI. pag. 290, nota 13. — Superius pro *tanto fortius fluit, quanto magis descendit* (ita C D F) Vat. *quanto fortius fluit, tanto magis descendit,* pro *toto corde humiliatus* B C D F *toto* [D F *de toto*] *corde humiliato,* et pro *ut impetret* (ita B C D F) Vat. *et impetrat.*

et donec appropinquet ad Altissimum, non consolabitur, quia Dominus timentium se faciet voluntatem et deprecationem eorum exaudiet.

De exemplis humilitatis.

7. Sitis ergo, o famulae Dei, o ancillae Christi, humiles, ita ut *nunquam superbiam in cordibus vestris dominari permittatis* [1], quia magistrum habuistis humilem, scilicet Dominum nostrum Iesum Christum, et quia magistram habuistis humilem, scilicet Virginem Mariam, reginam omnium. Sitis humiles, quia patrem habuistis humilem, scilicet beatum Franciscum; sitis humiles, quia matrem habuistis humilem, scilicet beatam Claram, humilitatis exemplar. — Sic tamen sitis humiles, ut testis humilitatis vestrae sit *patientia*. Virtus enim humilitatis per patientiam perficitur, neque est vera humilitas, cui non est adiuncta patientia. Et hoc bene testatur beatus Augustinus [2] dicens: « Facile est velum ante oculos ponere, vestes viles et despectas habere, demisso capite incedere; sed verum humilem probat patientia », iuxta illud Ecclesiastici: *In humilitate tua patientiam habe.* — Sed heu, cum dolore loquor, multi sumus, qui volumus superbire in claustro, qui certe non nisi humiles fuimus in mundo. Unde beatus Bernardus [3] dicit: « Video, quod multum doleo, post spretam saeculi pompam nonnullos in schola humilitatis superbiam magis addiscere ac sub alis mitis humilisque magistri gravius insolescere et impatientes amplius fieri in claustro, quam fuissent in saeculo; quodque magis perversum est, plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in sua non nisi contemptibiles esse potuerunt ».

Humilitas comprobetur patientia.

Contra superbos in claustro.

Uniatur virginit. humilit.

8. Consulo ergo tibi, dilecta mater, consule filiabus tuis, consule virginibus [4] Deo sacratis, ut virginitatem in humilitate et humilitatem in virginitate conservent. Est enim virginitas mixta humilitati sicut gemma auro superaddita. Propterea beatus Bernardus dicit [5]: « Pulcra permixtio virginitatis cum humilitate. Non mediocriter placet Deo ista anima, in qua humilitas commendat virginitatem, et virginitas humilitatem exornat ». — Audi denique consilium fratris tui [6], audi mater, et placebit tibi. Fuge superbas famulas velut viperas, sperne superbas virgines tanquam daemones, contemne societatem superborum velut virus mortiferum. Et quare hoc? Audi quare. Quidam sapiens [7] ita describit superbum dicens: « Omnis superbus intolerabilis, habitu superfluus, in incessu pomposus, cervix erecta, facies torva, truces oculi, de loco superiori decertat, praeferri se melioribus affectat, sententias et verba et facta iactat, reverentiam in obsequio non servat ». Propterea debes, famula Dei, sponsa Christi, virgo Domini, fugere superborum consortia, ne et tu eis similis efficiaris. Dicit enim Ecclesiasticus [8]: *Qui communicat superbo induet superbiam.*

Fugiendae sunt superbae.

Capitulum III.

De perfecta paupertate.

Necessitas paupertatis.

1. Est etiam paupertas virtus ad perfectionis integritatem necessaria in tantum, ut nullus omnino sine ea possit esse perfectus, teste Domino, qui dicit in Evangelio [9]: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus.* Cum enim summa evangelicae perfectionis consistat in excellentia paupertatis, non credat, se apprehendisse perfectionis apicem, qui nondum imitator perfectus factus est evangelicae paupertatis. Ait namque Hugo de sancto Victore [10]: « Quidquid perfectionis in religiosis

---

[1] Tob. 4, 14: Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas. — Inferius pro *et quia magistram* (ita B C F) Vat. *et quia dominam.*

[2] Epist. 17. in Appendice (alias 142; est Pelagii ad Demetriadem et invenitur etiam in Append. operum Hieron. Epist. 1.), c. 20: Perfacile est enim, aliquem vestem habere contemptam, salutare submissius, manus et genua deosculari, inclinato in terram capite oculisque deiectis humilitatem ac mansuetudinem polliceri... Verum humilem patientia ostendit iniuriae. — Sequitur Eccli. 2, 4.

[3] Homil. 4. super *Missus est*, n. 10. Textu etiam originali repugnante, post *doleo* A E addunt *quia*, et pro *impatientes* B C F substituunt *insolentes.* — Superius vocibus *volumus superbire* B C F interserunt *nisi.*

[4] Vat., refragantibus B C F: *Consulo ergo tibi, o praedilecta soror* [cfr. supra pag. 107, nota 7.], *consulo et virginibus.*

[5] Homil. 1. super *Missus est*, n. 5.

[6] Codd. B C F *filii tui.*

[7] Libr. III. de Vita contemplativa (inter opera Prosperi, est tamen Iuliani Pomerii, qui claruit circa an. 498), c. 8. n. 1. seq., ubi indicia superbiae describuntur: Omitto illos quos etiam ipse habitus et incessus superbos ostendunt, quorum erecta cervix, facies torva, truces oculi et sermo terribilis nudam superbiam clamant... Illos tantum dolendos ostendo... quos iam conversos et aliquantulum proficientes superbia occulte captivat... Ipsa in cordibus talium locum diabolo facit... Inde est, quod hi... de loco superiori disceptant, praeferri se etiam melioribus impudenter affectant... suas sententias procaciter iactant... non servant in obsequio reverentiam, in sermone modestiam, in moribus disciplinam etc. Codd. C F legunt: *Quidam sapiens ita describens superbum dicit.*

[8] Cap. 13, 1.

[9] Matth. 19, 21. — Superius pro *paupertas virtus* C F *paupertatis virtus.*

[10] Sententiam ipsam non invenimus; cfr. tamen Exposit. in regul. S. August. c. 1. et 2, ubi paupertas religiosis proponitur tenenda in ipsaque eis gloriandum. Eucherius Lugdun. episc. (†450), Homil. 4. ad Monachos ait: « *Peculiarius* autem istud ad professionem nostram pertinet, nihil in hac vita consolationis requirere... paupertatem studio quaerere et non solum

reperiri poterit, nec tamen aestimetur perfectionis integritas, nisi diligatur paupertas ».

...ae ratio- ad amo- pauper- ...s moven-

2. Sunt autem duo, quae quemlibet religiosum, immo quemlibet [1] hominem movere debent ad amorem paupertatis. Primum est *divinum exemplum*, quod est irreprehensibile; secundum est *divinum promissum*, quod est inaestimabile.

...e prima ...ouuntur tria.

Primum, dico, quod te, famulam Christi, movere debet ad amorem paupertatis, amor est et exemplum [2] Domini nostri Iesu Christi. Ipse enim fuit pauper *nascendo*, pauper *conversando*, pauper *moriendo*.

...pertas in ...scendo.

3. Vide, quale *exemplum paupertatis* tibi reliquit, ut suo exemplo paupertatis amica efficiaris. Pauper fuit Dominus noster Iesus Christus *nascendo* in tantum, ut nec haberet hospitium nec vestimentum nec alimentum, sed pro hospitio habuit stabulum, pro vestimento vilem panniculum, pro alimento lac virgineum. Unde Apostolus Paulus hanc considerans paupertatem suspirans exclamavit, dicens ad Corinthios [3]: *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, qui, cum esset dives, pro nobis egenus factus est, ut eius inopia divites essemus.* Et beatus Bernardus [4] dicit: « Bonorum omnium aeterna affluentia in caelis suppetebat, sed paupertas non inveniebatur in eis. Porro in terris abundabat et superabundabat haec species, et nesciebat homo pretium eius. Hanc itaque Filius Dei concupiscens descendit, ut eam sibi eligat nobisque sua aestimatione faciat pretiosam ».

...o, in con- ...rsando.

4. Praebuit etiam se nobis in exemplum paupertatis Dominus noster Iesus Christus *conversando in mundo*. Audi, virgo beata, audite omnes, qui professi estis paupertatem, quam pauper Filius Dei, Rex Angelorum, fuerit, dum vixit in mundo. In tantum fuit pauper, quod aliquoties hospitium habere non potuit, sed cum suis Apostolis multoties extra civitatem et villas dormire oportuit. Propterea dicit Marcus evangelista [5]: *Circumspectis omnibus, cum iam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim.* Super hoc verbo dicit Glossa: « *Circumspectis*, si quis eum hospitio susciperet, quia tantae erat paupertatis et ita nulli adulatus, ut in tanta urbe nullum hospitium inveniret ». Et Matthaeus [6] dicit: *Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.*

5. Non solum Dominus Angelorum fuit pauper nascendo, non solum fuit pauper conversando, verum etiam, ut ad amorem paupertatis nos accenderet, fuit pauperrimus *moriendo*. *O vos omnes*, qui vovistis paupertatem, *attendite et videte* [7], quam pauper ille dives Rex caelorum propter nos factus fuerit tempore mortis suae! Fuit enim spoliatus et privatus omnibus, quae habuit; fuit, inquam, spoliatus *vestibus*, quando *diviserunt vestimenta sua et super vestem suam miserunt sortem* [8]. Fuit etiam spoliatus *corpore et anima*, quando per acerbissimae mortis passionem anima ipsius de corpore eiecta fuit. Fuit etiam spoliatus *divina gloria*, quando ipsum *non sicut Deum glorificaverunt* [9], sed tanquam maleficum tractaverunt, sicut ipse Iob undevigesimo conqueritur: *Spoliaverunt me gloria mea.* De tantae paupertatis exemplis loquitur beatus Bernardus [10], dicens: « Videte pauperem Christum natum sine hospitio, iacentem inter bovem et asinum in praesepio, involutum vili panniculo, fugientem in Aegyptum, sedentem in asino, pendentem nudum in patibulo ».

Item, in moriendo.

6. Quis igitur ille miser Christianus, quis ille desperatus et obturatus religiosus, qui adhuc divitias amet, qui paupertatem abhorreat, cum videat et audiat Deum deorum, Dominum mundi, Regem caeli, Unigenitum Dei tantae paupertatis sustinuisse defectum? « Magna utique, ut dicit beatus Bernardus [11],

Redarguuntur amatores divitiarum.

---

facultates, sed etiam ipsas cupiditates e cordibus eradicare; nihil enim habere interdum res necessitatis est, nihil vero cupere, res virtutis; et ideo hunc sibi specialiter modum religiosus debet imponere, ut tantum habeat, quantum necessitas poscit, non quantum cupiditas concupiscit... et nisi ex corde atque affectu pauper sis, paupertas ipsa non virtus, sed miseria iudicanda est ». Hieron., Epist. 14. (alias 1.) n. 6, Heliodoro monacho scribit: « Perfectus autem servus Christi nihil praeter Christum habet; aut si quid praeter Christum habet, perfectus non est ». Cfr. Bernard., Serm. 27. de Diversis n. 3. Voci *Hugo* C F praefigunt *magister*. In ipsa sententia pro *reperiri poterit* B C D F substituunt *reperiri potest*, et pro *aestimetur* ponunt *insumitur*.

[1] Ex B C D F supplevimus *immo quemlibet*.

[2] Aliqui codd. omittunt *amor*, alii *est et exemplum*.

[3] Epist. II. c. 8, 9, ubi Vulgata *propter vos* et *essetis* loco *pro nobis* et *essemus*.

[4] Serm. 1. in Vigilia Nativit. Domini, n. 5. Codd. B C D F omittunt *Porro in terris... pretium eius*; pro *eligat* et *faciat* (ita etiam textus originalis) Vat. *eligeret* et *faceret*.

[5] Cap. 11, 11. — Glossa est *interlinearis* apud Lyranum ex Beda in hunc loc. Cfr. tom. V. pag. 137, nota 5.

[6] Cap. 8, 20. Expositionem vide tom. V. pag. 125, nota 7. et 9.

[7] Thren. 1, 12. — Inferius pro *propter nos* B C *propter vos*.

[8] Matth. 27, 35; cfr. Ps. 21, 19. — Superius ex B C D F supplevimus *et privatus... spoliatus*; pro *quando diviserunt* B D F substituunt *quoniam diviserunt*.

[9] Rom. 1, 21. — Sequitur Iob 19, 9: *Spoliavit* me gloria mea. — Pro *tanquam maleficum* (ita B C D F) Vat. *tanquam maledictum*.

[10] Serm. 3. in Tempore Resurrectionis, n. 1: Descendit ab inenarrabilibus caeli divitiis, et veniens in mundum, nec istas qualescumque divitias habere voluit, sed in tanta paupertate venit, ut natus continuo poneretur *in praesepio, quia ei non erat locus in diversorio* [Luc. 2, 7.]. Denique quis nesciat, quoniam *Filius hominis non habebat, ubi caput suum reclinaret* [Luc. 9, 58.]? Ibid. n. 2: Invenies Christum Dominum vilibus pannis involutum, factum opprobrium hominum et abiectionem plebis [cfr. Ps. 21, 7.]. Cfr. August., Serm. 14. (alias 110. de Tempore) c. 7. n. 9: In angusto diversorio nascitur, involutus infantilibus tegumentis in praesepio ponitur, fit cibaria iumentis pauperibus; deinde caeli et terrae Dominus... vagit, nutritur, crescit... postea tenetur, contemnitur... ligno suspenditur, lancea perforatur. O paupertas! Ecce caput pauperum etc.

[11] Loc. cit. n. 1. Pro *vermiculus vilis, propter quem* (ita B C F cum textu originali) Vat. *pauper, cum*. — Superius pro *desperatus et obturatus religiosus* (ita C D F) Vat. *despectus religiosus*, et pro *sustinuisse defectum* C *sustinuisse defectus*.

abusio est et nimis magna, ut dives esse velit vermiculus vilis, propter quem Deus maiestatis et Dominus Sabaoth voluit pauper fieri ». « Quaerat divitias paganus, qui sine Deo vivit; quaerat divitias Iudaeus, qui terrenas promissiones accepit »[1]; sed tu virgo Christi, tu ancilla Domini, qua mente quaeris divitias, cum paupertatem voveris, cum inter pauperes Iesu Christi vivas, cum pauperis patris Francisci velis esse filia, cum pauperis matris Clarae promiseris esse imitatrix? Supra modum, mater carissima, tua ac mea confunditur avaritia, quia, cum simus professores paupertatis, paupertatem avaritia commutamus, appetentes quae non licent, appetentes quae regula prohibet, cum tamen Filius Dei *pro nobis egenus factus sit*[2].

Commendatio paupertatis.

7. Scio, quod ita sit, quod quanto ferventiores professae paupertatis fueritis amatrices, quanto perfectiores evangelicae paupertatis fueritis imitatrices, tanto magis bonis omnibus tam temporalibus quam spiritualibus abundabitis. Si autem ad contrarium vos converteritis, si paupertatem, quam professae estis, contempseritis; omnium bonorum tam temporalium quam spiritualium egentes eritis. Illa quondam pauper genitrix pauperis Iesu Maria dicit[3]: *Esurientes implevit bonis et divites dimisit inanes.* Hoc etiam testatur Propheta ille sanctissimus, dicens: *Divites eguerunt et esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Nunquid non legistis, nunquid non audistis Dominum Iesum loquentem Apostolis suis in Evangelio Matthaei[4] et dicentem: *Nolite solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus? Scit enim Pater vester, quid vobis necesse sit.* Audi iterum, quid dicit eis in Evangelio Lucae: *Quando misi vos sine sacculo et pera et calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil.* Si igitur inter Iudaeos duros et incredulos pascebat Dominus discipulos suos sine omni sollicitudine; quid mirum, si pascat Fratres Minores eiusdem perfectionis professores, quid mirum, si pascat pauperes Sorores, paupertatis evangelicae imitatrices, inter populos christianos et fideles? *Omnem itaque sollicitudinem vestram proiicite in eum, quoniam ipsi cura est de vobis*[5].

Contra ... ritiam ... giosoru...

8. Cum igitur tanta sit Dei Patris circa nos sollicitudo, tanta sit sibi cura de nobis; mirum videtur, cur istis temporalibus, cur istis rebus curiosis et defectibilibus tanta occupatione sollicitamur. Certe aliam causam non invenio nisi matrem confusionis et damnationis avaritiam; aliam causam non reperio, nisi quia affectiones nostrae longe recesserunt a Deo salutari nostro[6]; alia causa non est, nisi quia fervor divinae caritatis refriguit et congelatus est in nobis. Certe, si essemus bene ferventes, nudi nudum Christum sequeremur[7]. Nam homines, cum magnum aestum habent, consueverunt se denudare et spoliare. Signum magnae frigiditatis est in nobis, quia ita attrahimus nobis ista temporalia. O Deus meus! quomodo possumus esse ita duri contra Christum, qui *exivit de terra sua*, id est de caelis, *et de cognatione sua*, id est de Angelis, *et de domo Patris sui*[8], id est de sinu Patris, et factus est pro nobis pauper, abiectus et despectus? Et nos nolumus pro eo relinquere unum miserum et foetidum mundum? Corpore quidem relinquimus mundum, sed heu, totum cor, tota mens, totum desiderium nostrum occupatur et absorbetur a mundo.

Exhor... ad paup... tem.

9. O beata Dei famula, recordare paupertatis pauperis Domini nostri Iesu Christi, imprime cordi tuo paupertatem pauperis patris tui Francisci, memorare paupertatis matris tuae Clarae et toto studio, toto conamine inhaere paupertati, amplectere dominam paupertatem nec aliud sub caelo pro nomine Domini diligere[9] velis quam paupertatem, non honorem, non aliquas res temporales, non divitias; sed paupertatem sanctam, quam vovisti, cura firmiter observare. Divitias enim habere et amare infructuosum est, amare et non habere periculosum est, habere autem et non amare laboriosum est. Igitur nec habere divitias nec amare utile est, securum est, delectabile est et actus virtutis perfectae; et ideo tam consilium Domini de paupertate[10] quam exemplum omnem Christianum movere debet et accendere ad amorem paupertatis. O beata paupertas,

---

[1] Bernard., Serm. 1. in festo Omnium Sanctorum, n. 7, et additur: sed qua fronte, magis autem qua mente Christianus divitias quaerit, postquam Christus beatos esse pauperes praedicavit? — Inferius vocibus *qua mente* F praefigit *qua fronte.*

[2] Epist. II. Cor. 8, 9; cfr. supra pag. 113, nota 3. — Superius pro *paupertatem avaritia commutamus* (ita B C F) Vat. *paupertatem in avaritiam commutamus*, et dein prosequitur *quae non licet appetentes* [D addit *et*], *quae regula* etc.

[3] Luc. 1, 53. — Sequitur Ps. 33, 11. — Superius pro *Illa quondam* (ita B C D F) Vat. *Illa enim.*

[4] Cap. 6, 31. seq. — Subinde allegatur Luc. 22, 35. seq.

[5] Epist. I. Petr. 5, 7. — Superius pro *incredulos* (ita B C D F) Vat. *crudeles*, quae etiam, refragantibus B C F, omittit *eiusdem perfectionis professores, quid mirum, si pascat.*

[6] Respicitur Deut. 32, 15, ubi de populo Iudaico dicitur: Incrassatus est dilectus et recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum et recessit a Deo salutari suo. — In seq. propositione respicitur Matth. 24, 12: Refrigescet caritas multorum. — Superius ex B C D F supplevimus *nisi matrem... non reperio.*

[7] Hieron., Epist. 125. (alias 4.) n. 20: Nudum Christum nudus sequere. Cfr. tom. V. pag. 126, nota 4, ubi similis sententia Hieronymi allata est.

[8] Gen. 12, 1. Abram dicitur: Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui.

[9] Ex B C F supplevimus *diligere*, et inferius fide B C D F addidimus *non aliquas res temporales.*

[10] Cfr. supra n. 1. — Inferius B C omittunt *et accendere;* deinde post *securum* cum D F omisimus *Deo*, et iidem cum B pro *amatorem tuum* substituunt *amatorem tui.*

quam amabilem Deo, quam securum in mundo reddis amatorem tuum! « Qui enim, ut dicit Gregorius [1], nihil habet in mundo, quod diligat, nihil est in mundo, quod pertimescat ». Unde legitur in Vitis Patrum [2], quod quidam pauper frater habebat unam mattam, de medietate se cooperiebat in nocte et alteram medietatem sibi submittebat. Quodam autem tempore, cum esset validum frigus, Pater monasterii de nocte exiens audivit eum dicentem: Gratias ago tibi, Domine, quia quot, quot sunt divites in custodia, et qui in ferro sedent, aut ferro vinculati sunt, aut pedes habent in ligno constrictos! Ego autem velut imperator sum, extendens pedes meos, et quo volo, ambulo. — Sic ergo habes primum, scilicet *exemplum* paupertatis.

mplum.

10. Secundum, quod te ad amorem paupertatis accendere debet, est *divinum promissum*, quod est inaestimabile. O *dives in omnes* [3], o bone Domine Iesu, quis potest digne verbo exprimere, corde percipere, manu scribere illam caelestem gloriam, quam tuis pauperibus te daturum promisisti? Ipsi enim paupertate voluntaria merentur « gloriae Conditoris assistere [4] », ipsi merentur *intrare in potentias Domini*, in illa aeterna tabernacula, in illas lucidissimas mansiones. Ipsi merentur fieri cives illius civitatis, cuius artifex et conditor est Deus. Tu enim ore tuo benedicto promisisti eis, dicens [5]: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Non aliud est, Domine Iesu Christe, *regnum caelorum* quam tu ipse, qui es *Rex regum et Dominus dominantium.* Te ipsum dabis eis in praemium, in mercedem et in gaudium. Ipsi te fruentur, de te gaudebunt, de te satiabuntur. *Edent enim pauperes et saturabuntur et laudabunt Dominum qui requirunt eum, vivent corda eorum in saeculum saeculi.* Amen.

ecunda ne mo-

Capitulum IV.

De silentio et taciturnitate.

itas silentii.

1. Non mediocriter cooperatur ad perfectionem religioso homini virtus silentii, quia, sicut *in multiloquio non deerit peccatum* [6], sic breviter et raro loqui ad hoc valet, ut homo caveat sibi a peccato. Et sicut ex nimia loquela frequenter sequitur iniuria tam Dei quam proximi, sic ex silentio nutritur iustitia, ex qua velut ex quadam arbore colligitur fructus pacis. Unde cum claustralibus pax sit summe necessaria, valde necessarium est eis silentium, per quod pax eis tam cordis quam corporis conservatur. Propterea Isaias propheta, virtutem silentii considerans, ait [7]: *Erit opus iustitiae pax et cultus iustitiae silentium;* quasi dicat: tantae virtutis est silentium, quod in homine conservat Dei iustitiam et inter proximos pacem nutrit et custodit. Nisi enim homo valde diligenter *ori suo adhibeat custodiam* [8], et bona gratuita, quae habet, cito dissipat et etiam in multa mala corruit. *Lingua quidem,* ut dicit beatus Iacobus in Canonica sua [9], *modicum membrum est et magna exaltat;* et sequitur: *Lingua nostra ignis est, universitas iniquitatis,* ubi dicit Glossa, quod « per eam pene cuncta facinora concinnantur, aut patrantur ». Vis audire, o famula Dei, vis scire, quanta mala ex lingua prodeunt, si diligenter non custodiatur? Audi, et dicam. Ex lingua prodeunt blasphemia, murmuratio, peccati defensio [10], periurium, mendacium, detractio, adulatio, maledictio, convitium, contentio, bonorum derisio, pravum consilium, rumor, iactantia, secreti revelatio, indiscreta comminatio, indiscreta promissio, multiloquium, scurrilitas. In veritate magna confusio est sexui femineo et magnum dedecus est sacris virginibus non

De malis linguae male custoditae.

---

[1] Libr. X. Moral. c. 21. n. 39; cfr. supra pag. 44, nota 3.

[2] Cfr. Vita Ioan. Eleemosynarii, c. 20, ubi coopertorium ei donatum recusat, dicens: « Quanti sunt modo, qui, psiathum [mattam] habentes subtus dimidium et supra dimidium, et non possunt extendere pedes suos » etc. Idem exemplum affertur a Guil. Peraldo, Sum. virtutum ac vitiorum, tom. I. p. V. de Beatitudinibus, p. V. de Paupertate, qui tamen pro *quia quot, quot sunt divites in custodia, et qui in ferro sedent, aut ferro vinculati sunt* substituit *quot sunt modo divites in custodia et qui in inferno sedent.* Vat., refragantibus B C F, omittit *Quodam autem tempore... exemplum paupertatis.*

[3] Rom. 10, 12. — Inferius pro *verbo* C F *verbis*, et pro *percipere* B C F *concipere.*

[4] Secundum Gregor. supra pag. 62, nota 3. allatum. — Sequitur Ps. 70, 16: Introibo in potentias Domini.

[5] Matth. 5, 3. — Duo seqq. loci sunt I. Tim. 6, 15. et Ps. 21, 27.

[6] Prov. 10, 19. — Superius pro *religioso* C D F *in religioso.* Inferius pro *Et sicut ex nimia* (ita B C F) Vat. *Pro nimia.*

[7] Cap. 32, 17. Cfr. Gregor., VII. Moral. c. 17. n. 58; Bernard., Epist. 89. n. 2. et Epist. 385. (alias 341.) n. 3. seq.

[8] Respicitur Ps. 38, 2: Posui ori meo custodiam. Cfr. Ps. 140, 3: Pone, Domine, custodiam ori meo. Eccli. 22, 33: Quis dabit ori meo custodiam et super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, et lingua mea perdat me? — Vat., contradicentibus B C D F, legit: *Nisi homo diligentem ori suo adhibeat custodiam.*

[9] Cap. 3, 5. et 6. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in hunc locum: *Universitatem* dicit, quia per eam cuncta fere facinora aut concinnantur, ut latrocinia, stupra, aut patrantur, ut periuria, falsa testimonia, aut defenduntur, ut cum quilibet impurus excusando scelus, quod admisit, simulat bonum, quod non fecit.

[10] Ita B C F, D *dissensio*, Vat. *dissensiones.*

habere *oris custodiam,* non servare linguae disciplinam, cum tanta mala per linguae inquietudinem committantur. Certe audeo dicere: frustra ille religiosus gloriatur de possessione virtutis in corde, qui dissipat disciplinam silentii per inquietudinem multiloquii. *Si quis enim,* teste Scriptura [1], *putat, se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum; huius vana est religio.*

Exemplum taciturnitatis in B. V. M.

2. O Iesu Christi sponsae amabiles, intuemini dominam vestram atque meam, intuemini virtutum speculum Mariam et discite ab ea silentii disciplinam! Quantae taciturnitatis fuerit beata Virgo, satis patet. Si enim percurramus Evangelium [2], perpauca et cum paucis eam locutam invenimus. Cum quatuor tantum personis legimus eam habuisse sermonem et non nisi septem verba eam locutam fuisse: cum Angelo duo, cum Filio suo duo, cum Elisabeth duo, cum ministris in nuptiis unum tantum verbum. In hoc confunditur nostra loquacitas, qua proni sumus ad multiplicationem verborum, cum tamen magna sit utilitas silentii.

Duplex utilitas silentii.

3. Una utilitas est, quia *inducit compunctionem.* Homo, cum tacet, cogitat vias suas [3] et locum habet cogitandi, quam multiplex sit suus defectus, quam modicus profectus, et ex hoc surgit compunctio. Unde dicit propheta David [4]: *Obmutui et humiliatus sum et silui a bonis, et dolor meus renovatus est.* — Alia utilitas silentii est, quod *hominem demonstrat caelestem esse.* Argumentum quasi infallibile est: si sit homo in Theutonia et non loquatur Theutonice; videtur, quod non sit Theutonicus; sic qui est in mundo et mundana non loquitur evidenter demonstrat, se non esse de mundo. *Qui enim de terra est de terra loquitur,* dicitur in Evangelio Ioannis [5]. — Nihil autem tantum religioso homini valet ad conservandum silentium, nisi ut fugiat consortia hominum et ducat vitam solitariam. Ille enim homo, qui iam *levavit se supra* statum hominum, non debet habere consolatorem et collocutorem nisi solum Deum; et ideo debet esse *solitarius et tacere;* ex quo enim Deum habet pro socio, non debet curare de humano consortio. Propterea dicitur Threnorum tertio [6]: *Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit se supra se. Sedebit,* inquam, *solitarius,* consortia hominum fugiendo, *et tacebit,* de caelestibus meditando, et *levavit se supra se,* caelestem dulcedinem degustando.

Unde q. renda es. ta solita

Praecipu. lentiom c. mendatu. cris virg. bus.

4. Etsi omnibus religiosis necessarium sit silentium ad perfectionem virtutum, maxime tamen virginibus Deo dicatis et famulabus Iesu Christi [7] est necessarium, ut disciplinam servent silentii. Ita enim *sermo* earum deberet *esse pretiosus,* ita deberent esse verecundae in labiis, ut nunquam nisi in magna necessitate loquerentur. Ideo beatus Hieronymus [8] dicit: « Sit sermo virginis modestus et rarus nec tam eloquentia pretiosus quam pudore ». Hoc etiam consulit philosophus [9] dicens: « Ad summam perfectionem volo te esse breviloquum, rariloquum et submissa voce loquentem ». — Audi, verbosa famula, audi, virgo clamorosa et garrula: certe, ut possis consuescere tenere silentium, deberes facere, sicut fecit Agathon abbas, de quo legitur in Vitis Patrum [10], « quod lapidem in ore suo per triennium mittebat, donec taciturnitatem disceret ». Alliga et tu lapidem ad linguam, affige linguam tuam ad palatum, *pone digitum super os tuum* [11], ut possis taciturnitatem addiscere; quia magnum dedecus sponsae Christi est, ut cum alio quam cum sponso suo Iesu Christo velit sermonem habere.

Notandc

Exemplc

Exhorta

5. Loquere ergo raro et pauca et breviter, loquere cum timore et pudore, immo *in tua causa*

---

[1] Iac. 1, 26. — Superius Vat., refragantibus B C D F, pro *tanta mala* substituit *cuncta mala,* et pro *Certe audeo dicere: Frustra ille* ponit *Certe frustra audeo dicere, quod ille.*

[2] Luc. 1, 34: Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud etc.; ibid. v. 38: Dixit autem Maria: Ecce, ancilla Domini etc.; ibid. v. 40: Et salutavit Elisabeth etc.; ibid. v. 46: Et ait Maria: Magnificat etc. Ibid. c. 2, 48: Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ioan. 2, 3: Dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent; ibid. v. 5: Dicit mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite. Cfr. Bernard., Serm. in Dominica infra octavam Assumtionis B. M. Virg. n. 10. — Superius post *O Iesu Christi sponsae* fide B C D F addidimus *amabiles, intuemini dominam vestram atque meam.* Subinde pro *Quantae taciturnitatis* (ita B C D F) Vat. *Quantae moturitatis.*

[3] Psalm. 118, 59: Cogitavi vias meas. — Inferius ex B C D F supplevimus *quam modicus profectus.*

[4] Psalm. 38, 3.

[5] Cap. 3, 31. Bernard., Epist. 78. n. 4: Iuge quippe silentium et ab omni strepitu saecularium perpetua quies cogit caelestia meditari. — Superius post *et non loquatur* B C prosequuntur *Theutonicum; non videtur, quod sit Theutonicus.*

[6] Vers. 28. Cfr. infra pag. 119, nota 2. — Superius pro *in religioso homine valet* fide C D F substituimus *religioso homini valet,* et pro *consolatorem et collocutorem* (ita C D F) Vat. *consolationem et consolatorem.*

[7] Ita B C D F, Vat. *virginibus dedicatis Iesu Christo.* Inferius pro *verecundae in labiis* C *verecundae in verbis.* — Subinde respicitur I. Reg. 3, 1: Sermo Domini erat pretiosus.

[8] Epist. 1. in Appendice (cfr. supra pag. 112, nota 2.), c. 19: Sit autem sermo virginis prudens, modestus etc. Pro *modestus* (ita B C) Vat. *modicus.*

[9] Senec., Epist. 40. in fine: Haec [verba] autem, etiam si aderunt et poterunt sine ullo tuo labore decurrere, tamen temperanda sunt; nam quemadmodum sapienti viro incessus modestior convenit, ita oratio pressa, non audax. Summa ergo summarum haec erit, tardiloquum te esse iubeo. Cfr. tom. VI. pag. 43, nota 2. Codd. A E legunt *Philosophus VIII. Ethicorum;* in hoc libro Aristoteles, agens de amicitia, hanc sententiam non habet. Pro *Ad summam perfectionem* C D F *Ad perfectionis summam.* Vat., refragantibus B C D F, omittit *rariloquum* et *loquentem.*

[10] Libr. V. libello 4. n. 7. (ed. Migne, Patrol. Lat. tom. 73, col. 865). Pro *disceret* (ita B C F cum textu originali) Vat. *addisceret.* — Superius pro *ut possis consuescere tenere silentium, deberes facere* (ita C F) B *ut possis consuescere, certe silentium deberes habere et facere,* Vat. *ut possis assuescere silentio, debes facere.*

[11] Iudic. 18, 19.

vix loquere[1]. Tege faciem tuam velo verecundiae, consue labia filo disciplinae, et sermo tuus sit brevis, pretiosus et utilis, sit modestus et humilis. Loquere, famula Dei, raro et parum, quia *in multiloquio non deerit peccatum*[2]. Non loquaris verbum otiosum, quia *de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicii.* « *Verbum otiosum* est, ut dicit Glossa, quod sine necessitate dicitur proferentis, aut utilitate audientis ». Semper igitur melius est et utilius tacere quam loqui, « quia, dicit sapiens[3], locutum me esse, aliquando poenituit, tacuisse vero, nunquam ».

Capitulum V.

De studio orationis.

1. Supra modum sponsae Christi cupienti proficere necesse est, ut assiduis orationum studiis et devotionibus animum suum exerceat, quia revera religiosus indevotus et tepidus[4], orationem non frequentans assidue, non solum est miser et inutilis, quinimmo coram Deo mortuam fert animam in vivo corpore. Cum enim tantae efficaciae sit devotionis virtus, ut ipsa sola maligni hostis devincat tentamenta et versutias, qui solus famulam Dei impedit, ne sursum ad caelum ascendat; non est mirum, quod tentationibus frequenter miserabiliter succumbat qui studium orationis assidue non frequentat. Unde beatus Isidorus[5] dicit: « Hoc est remedium eius qui vitiorum tentamentis aestuat: quoties quolibet vitio tangitur, toties se ad orationem subdat, quia frequens oratio vitiorum impugnationem exstinguit ». Et hoc est quod Dominus in Evangelio[6] dicit: *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem.* — Est autem tantae virtutis devota oratio, ut ad omnia valeat et in omni tempore homo possit per eam lucrari: in hieme et aestate, in sereno et pluviali tempore, de nocte et de die, festivis diebus et ferialibus, in infirmitate et sanitate, in iuventute et senectute, stando, sedendo et eundo, in choro et extra chorum; immo quandoque una hora lucratur plus orando, quam valeat totus mundus, quia modica oratione devota acquirit homo regnum caelorum. Ut autem cognoscas, quomodo et qualiter orare debeas, quantum mihi Dominus donaverit, te informabo, licet ego in hoc negotio[7] magis indigeam informari quam tu.

[margin: ericulum giosi in-oti.] [margin: tio remeim contra itationes.] [margin: er eam mper et nia lucra- possunt.]

2. Scias itaque, Deo digna famula, quod ad perfectam orationem tria tibi sunt necessaria. Primum est, quando in oratione constituta fueris, tunc, erecto corpore et erecto corde, omnibus clausis sensibus, debes sine strepitu ex *amaro*[8] *et contrito corde de omnibus miseriis tuis cogitare*, scilicet *praesentibus*, *praeteritis* et *futuris*. — Primo siquidem debes sollicite cogitare, quam magna et quam multa peccata omnibus diebus vitae tuae *commisisti*, quam multa et quam magna bona in saeculo et in Ordine *omisisti*, quam multam et quam magnam Creatoris tui gratiam frequenter *amisisti*[9]. — Debes etiam cogitare, quam *longe* facta es a Deo per peccatum, quae aliquando fueras *prope*; quam *dissimilis* facta es Deo, quae aliquando fueras valde *similis*[10]; quam *pulcra* aliquando eras in anima, quae modo valde *turpis* es et foeda. — Debes cogitare, quo *tendas* per peccatum, quia *ad portas inferni*; quid tibi *occurret*, quia tremendus *dies iudicii*; quid pro his omnibus tibi *dabitur*, quia *aeternae mortis incendium*. — Et statim pro his omnibus debes cum publicano pectus tuum percutere[11], cum propheta David debes *rugire a gemitu cordis tui*, et cum Maria Magdalena debes *lacrymis rigare pedes* Domini

[margin: Tria requiruntur ad perfectam orationem. Quoad primum ponitur triplex deploratio.] [margin: Quoad praeterita tria deploranda.] [margin: Item, quoad praesentia.] [margin: Item, quoad futura.] [margin: Hortatio.]

---

[1] Eccli. 32, 10.

[2] Prov. 10, 19. — Sequitur Matth. 12, 36, ubi Glossa *interlinearis* (ex Hieron.) apud Lyranum: *Verbum otiosum*, quod sine utilitate loquentis dicitur et audientis. Cfr. etiam Glossa *ordinaria* (ex Gregor., VII. Moral. c. 17. n. 58. et I. Homil. in Evang. homil. 6. n. 6.) apud Strabum: Otiosum verbum est, quod aut utilitate rectitudinis aut ratione iustae necessitatis caret.

[3] Xenocrates, ut refert Valerius Maximus, VII. Dictorum factorumque memorabilium, c. 2. ab externis n. 6. S. Arsenius, ut ex Simeone Metaphraste Surius in ipsius vita (29 Iulii) § 34. refert, canere solebat: Me saepe poenituit dixisse, nunquam autem tacuisse. Cfr. Ambros., I. de Officiis, c. 2. n. 5: Quamplures vidi loquendo peccatum incidisse, vix quemquam tacendo.

[4] Ex B C D F supplevimus *religiosus indevotus et tepidus*. Inferius B C F omittunt *efficaciae*, ubi in F pro *tantae* secunda manus substituit *tanta*.

[5] Libr. III. Sentent. c. 7. n. 1. Textus originalis voci *quoties* praefigit *ut*.

[6] Matth. 26, 41; Marc. 14, 38; Luc. 22, 40. et 46. — Inferius post *pluviali tempore*, refragantibus B C D F, Vat. prosequitur *immo in quacumque hora lucratur homo oratione devota plus, quam valeat totus mundus, quia tali oratione acquirit homo regnum caelorum.*

[7] Vat., contradicentibus B C D F, *in hac parte et in hoc negotio.*

[8] Vat. cum nonnullis codd. *ex amore.*

[9] Cfr. supra Opusculum I. de Triplici Via, c. 2. n. 2, ubi etiam seqq. tanguntur. — Superius post *magna bona* B C D F addunt *tua.*

[10] Respiciuntur verba ex Bernardi operibus supra pag. 30, nota 4. allegata. — Inferius pro *foetida* fide C et textus citati opusculi substituimus *foeda.*

[11] Luc. 18, 13: Percutiebat pectus suum dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. — Duo seqq. loci sunt Ps. 37, 9: Rugiebam a gemitu cordis mei, et Luc. 7, 38: Lacrymis coepit rigare pedes eius. — Inferius post *quia sine modo* B C F prosequuntur *tuum Sponsum, sine modo tuum Dominum, sine modo tuum dilectum Iesum offendisti.*

Iesu; nec debes aliquem modum habere in lacrymis, quia sine modo tuum dilectum Iesum offendisti. Et hoc est quod ait beatus Isidorus[1]: « Cum Deo in oratione assistimus, gemere et flere debemus, reminiscentes, quam gravia sunt quae commisimus, quam dura inferni supplicia, quae timemus ». Et huiusmodi lacrymosae meditationes debent tuae orationis esse principium.

Quoad secundum requiritur gratiarum actio.

3. Secundum, quod sponsae Dei in oratione est necessarium, est *gratiarum actio*, ut videlicet suo Creatori cum omni humilitate grates referat pro beneficiis ab eo iam receptis et adhuc recipiendis. Et hoc consuluit Paulus Apostolus ad Colossenses quarto[2], dicens: *Orationi instantes, vigilantes in ea in gratiarum actione.* Nihil enim est, quod hominem ita dignum reddit divinis muneribus, sicut semper Deo gratias reddere et agere pro receptis donis. Unde beatus Augustinus scribens ad Aurelium[3] dicit: « Quid melius animo geramus et ore promamus et calamo exprimamus quam *Deo gratias?* Hoc nec dici brevius nec audiri laetius nec intelligi grandius nec agi fructuosius potest ». — Debes ergo in oratione posita cum gratiarum actione meditari, quia Deus hominem te fecit, quia Christianam te fecit, quia innumerabilia peccata tibi indulsit; quia in multa peccata incidisses, si Dominus te non custodivisset[4]; quia in saeculo te mori non permisit, quia ad altissimam et perfectissimam religionem te elegit et quia sine labore tuo te pavit et pascit; quia pro te homo factus est, circumcisus et baptizatus est; quia pro te pauper et nudus, humilis et despectus factus est, quia propter te ieiunavit, esurivit, sitivit, laboravit et fatigatus est; quia propter te ploravit, sudorem sanguineum sudavit, te sanctissimo corpore suo cibavit, pretiosissimo sanguine suo potavit; quia propter te colaphizatus est, consputus et derisus est, flagellatus est; quia propter te crucifixus est, vulneratus est, morte turpissima et amarissima occisus est et sic te redemit[5]; quia sepultus, resurrexit, ad caelos ascendit, Spiritum sanctum dedit et quia tibi et omnibus suis electis regnum caelorum dare promisit. — Talis gratiarum actio supra modum utilis est in oratione, nec sine ea aliqua potest valere oratio. Nam « ingratitudo, ut dicit beatus Bernardus[6], est ventus urens, exsiccans fontem pietatis, rorem misericordiae et fluenta gratiae ».

Memoratio beneficiorum Dei plurimorum.

Notandum.

Quoad perfectionem requiritur praecipue recta intentio.

4. Tertium, quod ad perfectionem orationis necessario requiritur, est, ut animus tuus *nihil aliud in oratione cogitet* praeter id solum, quod precaris[7]. Valde enim indecens est, ut quis cum Deo loquatur ore et aliud meditetur corde, ut dimidium cor dirigatur in caelum, et dimidium retineatur in terra; et talis oratio nunquam exauditur a Domino. Unde super illo verbo Psalmi[8]: *Clamavi in toto corde meo; exaudi me, Domine;* dicit Glossa: « Divisum cor non impetrat ». Debet enim famula Dei tempore orationis cor suum ab omnibus exterioribus curis, ab omnibus mundanis desideriis, ab omnibus carnalibus amoribus revocare ad interiora et illi soli in toto corde et tota mente intendere, ad quem suam orationem dirigit. Et hoc consuluit tibi Sponsus tuus Iesus in Evangelio[9], dicens: *Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum.* Tunc *cubiculum es ingressa,* quando omnes cogitationes, omnia desideria, omnes affectiones tuas in secretum cordis tui revocasti; tunc *clausisti ostium tuum,* quando sic diligenter cor tuum custodis, ut per nullas cogitationes tuas phantasticas possis in devotione impediri. « Oratio enim, ut dicit Augustinus[10], est conversio mentis in Deum, per pium et humilem affectum ».

Exhortatio.

5. *Audi,* o beatissima mater, audi, o famula Iesu Christi, *et inclina aurem tuam ad verba oris mei*[11]. Noli falli, noli decipi, non amittas magnum tuae orationis fructum, non perdas suavitatem, non frustreris dulcedine, quam in oratione haurire debes:

---

[1] Libr. III. Sentent. c. 7. n. 5, ubi textus originalis *sint* pro *sunt* et *dira* pro *dura.* — Inferius post *Et huiusmodi* Vat. cum nonnullis codd. legit *lacrymosae cogitationes meditationis debent esse principium.*

[2] Vers. 2: Orationi *instate* etc. — Superius ex B C supplevimus *et adhuc recipiendis;* pro *consuluit* D E F *consulit.*

[3] Epist. 41. (alias 77.) n. 1.

[4] Cfr. supra pag. 6, nota 4. et pag. 41, nota 7. in fine. — Inferius loco *pro te pauper* B C F *propter te pauper.*

[5] Vat. cum nonnullis codd. *derisus et flagellatus est, vulneratus et crucifixus est, mortem turpissimam et amarissimam sustinuit.*

[6] Serm. 51. in Cant. n. 6; cfr. supra pag. 40, nota 6. — Superius pro *Talis gratiarum actio* (ita B C) Vat. *Est enim gratiarum actio,* omisso subinde post *utilis* verbo *est.*

[7] Ita B C D, Vat. *precatur,* quae etiam subinde pro *dirigatur* et *retineatur* (ita B C F) substituit *dirigat* et *maneat.*

[8] Psalm. 118, 145. — Glossa in hunc locum est *interlinearis* apud Lyranum: Mens divisa non impetrat. Cfr. August., Enarrat. in Ps. 118. Serm. 29. n. 1: Est autem *clamor cordis* magna cogitationis intentio, quae cum est in oratione, magnum exprimit desiderantis et petentis affectum, ut non desperet effectum. Tunc porro *in toto corde clamatur,* quando aliunde non cogitatur. Tales orationes rarae sunt multis, crebrae autem paucis, omnes vero utrum cuiquam nescio etc. In Glossa post *impetrat* Vat. contra B C D F et textum originalem addit *quod petit.*

[9] Matth. 6, 6, quem locum August., II. de Serm. Domini in monte, c. 3. n. 11, ita exponit: Quae sunt ista *cubicula* nisi ipsa corda, quae in Psalmo [4, 5.] etiam significantur, cum dicitur: *Quae dicitis in cordibus vestris et in cubilibus vestris compungimini?...* Parum est intrare in cubicula, si *ostium* pateat importunis, per quod ostium ea quae foris sunt, improbe se immergunt et interiora nostra appetunt... *Claudendum est* ergo *ostium,* id est carnali sensui resistendum est, ut oratio spiritualis dirigatur ad Patrem, quae fit in intimis cordis, ubi oratur Pater *in abscondito.* — Superius pro *consuluit* D E F *consulit.* Inferius pro *in secretum* (ita B C) Vat. *in secreto.*

[10] Libr. de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 50.

[11] Psalm. 44, 11, ubi tamen omittitur *ad verba oris mei,* de quo cfr. Ps. 77, 1: Inclinate aurem vestram in verba oris mei.

Oratio est fe- hausorium. Oratio enim hausorium est, quo Spiritus sancti gratia hauritur de fonte supereffluentis dulcedinis illius beatissimae Trinitatis. Et hoc expertus erat ille devotissimus propheta David, qui dicebat[1]: *Os meum aperui et attraxi spiritum. Os meum aperui*, dicit Glossa: « Orando, quaerendo, pulsando », *et attraxi spiritum,* dicit Glossa: « Id est hausi ». — Nunquid iam non dixi tibi, quid sit oratio? Audi iterum: « Oratio est conversio mentis in Deum ». Vis scire, quomodo mentem tuam in Deum debeas convertere? Intende. Cum stas in oratione, totam debes temetipsam colligere et cum dilecto tuo in cubiculum cordis tui ingredi et sola cum solo morari, omnium exteriorum oblivisci et toto corde, tota mente, toto affectu, toto desiderio, tota devotione debes te levare supra te[2]. Nec debes ab oratione spiritum relaxare, sed tamdiu per devotionis ardorem sursum ascendere, donec ingrediaris *in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei*[3], et ibi utcumque cordis oculo dilecto tuo viso et utcumque *degustato, quam suavis est Dominus,* et *quam magna multitudo dulcedinis eius,* in amplexus eius ruas, impressis labiis intimae devotionis oscula figas, ut sic tota a te alienata, tota in caelum rapta, tota in Christum transformata, non valeas cohibere spiritum tuum, sed exclames cum propheta David[4] et dicas: *Renuit consolari anima mea; memor fui Dei et delectatus sum.*

(Margin: conversio mentis in Deum. — otandum.)

6. Ut autem cor tuum, mater carissima, per devotionem orationis sublimius elevetur et ferventius ad Deum[5] inflammetur, nota diligenter, quod tribus de causis in mentis alienationem deducimur: aliquando prae magnitudine *devotionis,* aliquando prae magnitudine *admirationis,* aliquando prae magnitudine *exsultationis.*

(Margin: es causae enationis mentis.)

7. Dico, quod aliquando fit prae magnitudine *devotionis,* « ut mens semetipsam non capiat et supra semetipsam elevata in alienationem transeat[6] », « quando tanto caelestis desiderii igne succendimur, ut omne, quod foris est, vertatur in amaritudinem et fastidium, et amoris intimi flamma ultra humanum modum excrescat, quae animam ad cerae similitudinem liquefactam in se ipsa deficere faciat, ad instar fumi aromatum in superna elevet et ad summa emittat ». Et tunc cogimur exclamare cum Propheta[7] et dicere: *Defecit caro mea et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum.* De causa prima.

8. Item, aliquando fit prae magnitudine *admirationis,* « quando divino lumine mens irradiata et summae pulcritudinis admiratione suspensa, tam vehementi stupore concutitur, ut a suo statu funditus excutiatur et in modum *fulguris coruscantis,* quanto profundius per despectum sui invisae pulcritudinis respectu in ima deiicitur, tanto sublimius tantoque celerius per summorum desideriorum ardorem relevata et super semetipsam rapta, in sublimia elevatur[8] ». Et tunc cogitur exclamare cum illa sanctissima Esther: *Vidi te, domine, quasi Angelum Dei, et conturbatum est cor meum prae timore gloriae tuae. Valde enim mirabilis es, domine, et facies tua plena est gratiarum.* De secunda.

9. Item, aliquando fit prae multitudine *exsultationis,* « quando intima illa internae suavitatis abundantia potata, immo plene inebriata, quid sit, quid fuerit, penitus obliviscitur et in supermundanum quendam affectum sub quodam mirae felicitatis De tertia.

---

[1] Psalm. 118, 131. — Glossa in hunc locum est *ordinaria* ex August., Enarrat. in Ps. 118. serm. 27. n. 4: *Aperuit os* petendo, quaerendo, pulsando, et sitiens hausit spiritum bonum, unde faceret quod per se ipsum non poterat etc. Cfr. Petr. Lombard. in hunc locum. Mutilam lectionem Vat. *Os meum aperui dicit, et hausi* correximus ex B C F.

[2] Respicitur Thren. 3, 28: Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit super se; cfr. supra c. 4. n. 3. in fine. — Superius pro *totam debes temetipsam colligere* (ita B, cui consentiunt C F, qui tamen voci *debes* praefigunt *tu*) Vat. *tu totam debes in te ipsam convertere et colligere,* quae etiam pro *toto corde* (ita D F) substituit *toto corpore.*

[3] Psalm. 41, 5. — Duo seqq. loci sunt Ps. 33, 9. et 30, 20. — Pro *utcumque cordis oculo* (ita B C D) Vat. *utroque cordis oculo,* et pro *utcumque degustato* B C F *utcumque degustando.*

[4] Psalm. 76, 3. et 4. Pro *delectatus sum* B F *delectata sum.* — Superius voci *transformata* Vat. contra B C D F praefigit *reformata et.*

[5] Ita B C F, Vat. *per devotionis orationem in sublimius elevetur et ferventius in Deum.* Subinde pro *deducimur* B F *adducimur,* C *abducimur,* et pro *prae magnitudine,* quod fide B C D F ter posuimus, Vat. *per magnitudinem* (idem occurrit in n. 7. et 8.). Pro nostra lectione est etiam Richard. a S. Vict., V. Beniamin maior, c. 5, cuius doctrina in seqq. proponitur: Tribus autem de causis, ut mihi videtur, in mentis alienationem abducimur. Nam modo prae magnitudine devotionis, modo prae magnitudine admirationis, modo vero prae magnitudine exsultationis fit, ut semetipsam mens omnino non capiat et supra semetipsam elevata in abalienationem transeat.

[6] Richard. a S. Vict. in fine notae praecedentis allegatus. Loc. cit. affert Richard. etiam ea quae sequuntur. Textus originalis substituit *succenditur* pro *succendimur* (ita B C, F *succendamur*), omittit *omne quod... et fastidium, et* ac pro *in se ipsa deficere faciat, ad instar fumi aromatum* (cfr. Apoc. 8, 4, iuxta versionem in Expos. in Apoc., quae est inter opera Ambros.) ponit *a pristino statu penitus resolvat, et ad instar fumi attenuatam* (F *odthymiatam?*). Pro *quando tanto caelestis desiderii igne succendimur* Vat. *quando tota igne caelestis desiderii succenditur,* quae etiam in fine (contra B C F et textum originalem) legit *ad summam patriam emittat.*

[7] Psalm. 72, 26. — Vat. cum nonnullis codd. *Et tunc cum Propheta exclama et dic.*

[8] Richard. a S. Vict., loc. cit. Respicitur Ezech. 1, 14: In similitudinem *fulguris coruscantis.* Pro *per summorum desideriorum ardorem relevata* (B C *reversata*) textus originalis *per summorum desiderium reverberata.* Pro *per despectum sui invisae pulcritudinis* Vat. cum nonnullis codd. *pro despectu sui visae pulcritudinis* et *in sublime elevatur* pro *in sublimia elevatur.* — Sequitur Esther 15, 16. seq.

statu rapta transformatur [1] ». Et tunc cogitur exclamare et dicere illud Prophetae: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.*

10. Sic ergo debet famula Dei exercere animum suum in studium orationis devotae et discere per frequentem orationis usum [2], per mundati et purificati cordis oculum, per infatigabilem devotionis spiritum, qualiter efficiatur idonea ad contemplanda divina et degustandam divinae dulcedinis suavitatem. Non enim decet animam insignitam Dei imagine, decoratam Dei similitudine, redemptam Dei sanguine, capacem beatitudinis [3] volitare circa ista temporalia, sed *ascendere* debet *super Cherubim et volare super pennas ventorum*, id est ordines Angelorum, ad contemplandam ipsam Trinitatem et Christi humanitatem, et meditari gloriam et laetitiam supernorum civium, scilicet Angelorum et Sanctorum omnium. — Sed qui sunt hodie, qui huiusmodi meditationibus vacent, qui sint exploratores gaudii caelestis, qui corde et animo conversentur in caelis [4]? Rari sunt. Unde bene potest dici de quibusdam religiosis illud verbum, quod beatus Bernardus [5] dicit: « Quorum studium deberet esse devotione caelos penetrare, mente circuire supernas mansiones, salutare Apostolos et choros Prophetarum Martyrumque admirari triumphos, omnibus his postpositis, turpi se mancipant corporis servituti ad obediendum carni, ad satisfaciendum gulae et ventri ».

Exhortatio. — Notandum. — Deplora[tur] negligen[tia] religioso[rum] in orati[one] facien[da].

Capitulum VI.

De passionis Christi memoria.

1. Quoniam devotionis fervor per frequentem Christi passionis memoriam nutritur et conservatur in homine, ideo necesse est, ut frequenter, ut semper [6] oculis cordis sui Christum in cruce tanquam morientem videat qui devotionem in se vult inexstinguibilem conservare. Propter hoc Dominus dicit in Levitico [7]: *Ignis in altari meo semper ardebit, quem nutriet sacerdos subiiciens ligna per singulos dies.* Audi, mater devotissima: *Altare Dei* est cor tuum; in hoc altari debet semper ardere *ignis* fervidae devotionis, quem singulis diebus debes *nutrire* per *ligna* crucis Christi et memoriam passionis ipsius. Et hoc est quod dicit Isaias propheta [8]: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris;* ac si diceret: quicumque desiderat a Deo aquas gratiarum, aquas devotionis, aquas lacrymarum, ille hauriat de fontibus Salvatoris, id est de quinque vulneribus Iesu Christi.

Commendatur haec memoria.

2. Accede ergo tu, o famula, pedibus affectionum tuarum ad Iesum vulneratum, ad Iesum spinis coronatum, ad Iesum patibulo crucis affixum, et cum beato Thoma Apostolo non solum intuere in *manibus eius fixuram clavorum*, non solum mitte *digitum tuum in locum clavorum*, non solum mitte *manum tuam in latus eius* [9], sed totaliter per ostium lateris ingredere usque ad cor ipsius Iesu, ibique ardentissimo Crucifixi amore in Christum transformata, clavis divini timoris confixa, lancea praecordialis dilectionis transfixa, gladio intimae compassionis transverberata, nihil aliud quaeras, nihil aliud desideres, in nullo alio velis consolari, quam ut cum Christo tu possis in cruce mori. Et tunc cum Paulo Apostolo [10] exclames et dicas: *Christo confixus sum cruci. Vivo iam non ego, vivit vero in me Christus.*

Exhortatio. — Notand[um].

3. Debes autem per hunc modum passionem Christi in memoria habere, ut cogites, quoniam [11] passio eius fuit *ignominiosissima, acerbissima, generalissima* et *diuturnissima.* — Primo considera, Deo digna famula, quam mors Iesu Christi sponsi tui fuit *ignominiosissima.* Fuit enim *crucifixus* tanquam fur et latro. Nulli enim in lege veteri [12] tali

Medita[ntur] quatuor [con]ditiones [pas]sionis [Chri]sti. — De prim[a].

---

[1] Richard. a S. Vict., loc. cit. Textus originalis post *obliviscitur* addit *et in abalienationis excessum tripudii sui nimietate traducitur* et pro *rapta* [F *raptu*, B C D *raptum*] *transformatur* substituit *raptim transformatur.* — Subinde allegatur Ps. 83, 2. seq.

[2] Ita B C F, Vat. *animum suum ex devota in Deum oratione et ducere per frequentem ordinis versum,* quae etiam inferius pro *qualiter efficiatur* (ita B C D F) substituit *quatenus efficiatur.*

[3] Respiciuntur verba Bernardi supra pag. 30, nota 8. et pag. 36, nota 3. allata. — Sequitur Ps. 17, 11. — Pro *volitare* (ita D F) Vat. *volutari.*

[4] Phil. 3, 20: Nostra autem conversatio in caelis est.

[5] Serm. 35. in Cant. n. 3. Textus originalis hinc inde plura interserit.

[6] Ita B C F, Vat. *ideo est dicendum consequenter, ut semper.*

[7] Cap. 6, 12. Vulgata omittit *meo.* Gregor., XXV. Moral. c. 7. n. 15, hunc locum explicans dicit: *Altare* quippe Dei est cor nostrum, in quo iubetur *ignis semper ardere*, quia necesse est, ex illo ad Dominum caritatis flammam indesinenter ascendere. Cui *per singulos dies sacerdos ligna subiiciat*, ne exstinguatur etc.

[8] Cap. 12, 3. — Inferius ex B C D E F supplevimus *aquas devotionis.*

[9] Ioan. 20, 25. et 27. Vat., refragantibus B C D F, omittit *non solum mitte digitum tuum in locum clavorum.* — Inferius pro *clavis divini amoris confixa* [D *infixa*, Vat. *affixa*] ex B C F substituimus *clavis divini timoris confixa;* Vat. subinde contra B C D F omittit *gladio.*

[10] Gal. 2, 19. et 20. Pro *confixus sum* B C *confixa sum.*

[11] Cod. B *quomodo.*

[12] Cfr. Num. 25, 4; Deut. 21, 22. seq. (Gal. 3, 13.); II. Reg. 21, 1-9; Esther 7, 10. et 9, 13. seq. — Superius pro *Fuit enim crucifixus* B C *Fuit enim cruci affixus.*

morte puniebantur nisi pessimi et sceleratissimi et fures et latrones. — Ratio 2. Adhuc attende Christi maiorem ignominiam. Fuit enim in *loco turpissimo et vilissimo* crucifixus, scilicet in monte Calvariae[1], ubi multa ossa et cadavera mortuorum iacebant. Ille siquidem locus erat morti damnatorum deputatus, et ibi decollabantur et suspendebantur non alii nisi pessimi homines. — Ratio 3. Adhuc vide Christi maiorem ignominiam, quia inter latrones *tanquam latro* suspenditur et in medio tanquam *princeps latronum.* Unde Isaias[2] dicit: *Cum sceleratis reputatus est.* — Ratio 4. Adhuc intuere Sponsi tui maiorem ignominiam, quia *aëri deputatus est* et inter caelum et terram suspensus, ac si non esset dignus vivere aut mori in terra. O digna indignatio et iniuria! Domino orbis terrarum totus negatus est orbis, vilius in mundo nihil aestimatum est Domino mundi. Sic ergo fuit mors Filii Dei ignominiosissima propter *genus* mortis, quia in patibulo suspensus; propter *socios* mortis, quia *cum iniquis deputatus*[3] et condemnatus; propter *locum* mortis, quia in monte Calvariae foetidissimo crucifixus.

4. O bone Iesu, o benigne Salvator, quia non semel, sed multoties[4] confunderis! [...ectus ad ...ristum.] Quanto quis pluribus locis confunditur, tanto ignominiosior efficitur mundo; et ecce, tu Domine Iesu, in horto ligaris, in domo Annae alapa caederis, in atrio Caiphae conspueris, in hospitio Herodis illuderis, in via crucem baiulas, in Golgotha crucifigeris. Heu me, heu me, ecce, libertas captivorum capitur, gloria Angelorum illuditur, vita hominum occiditur! O Iudaei miseri, bene implevistis quod promisistis! Dixistis enim[5]: *Morte turpissima condemnemus eum.* Propterea beatus Bernardus[6] dicit: « *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens;* Filius erat et factus est servus, nec formam servi solum accepit, ut subesset, sed etiam mali servi, ut vapularet, ut poenam solveret, cum culpam non haberet »; et erat non solum *servus servorum Dei,* ut Papa[7], sed etiam *servus servorum diaboli* factus, serviens infima peccata peccatorum expurgando. Nec hoc sibi suffecit, sed mortem omni morte confusibiliorem elegit, ne et tu pati similia formidares. *Humiliavit enim semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*[8], « quae est ignominiosior », ut dicit Glossa.

5. Secundo considera et attende, virgo Deo devota, quoniam passio Christi[9] fuit *acerbissima.* De secunda. Ratio 1. Crux enim illa beata membra in se extensa contrahi in dolore mortis non permisit, quod tamen solet esse quoddam levamen et solatium cordibus anxiatis, nec habuit illud reverendum divinum caput, ubi ad dimissionem animae se inclinaret. — Ratio 2. Attende adhuc melius, quam acerba mors Christi fuerit. Quanto quid tenerius[10], tanto patitur gravius; nunquam autem fuit corpus ita tenerum ad sustinendum passiones, sicut corpus Salvatoris. Corpus enim mulieris tenerius est quam corpus viri; caro autem Christi tota virginea fuit, quia de Spiritu sancto concepta et de Virgine nata: igitur passio Christi fuit omnium passionum acerbior, quia omnium virginum tenerior[11]. Si enim ad solam mortis recordationem sic *tristis facta est anima* sua prae teneritudine carnis, ut *sudor* corporis sui fieret *sicut sudor sanguinis decurrentis in terram*[12]; quantus superadditus

---

[1] Matth. 27, 33; Marc. 15, 22; Luc. 23, 33; Ioan. 19, 17. Cfr. Bonav., Comment. in Sap. 2, 19. seq.; Comment. in Ioan. 19, 17. n. 29; Comment. in Luc. 23, 33. n. 39.

[2] Cap. 53, 12. Cfr. Matth. 27, 38; Marc. 15, 27. seq.; Luc. 22, 37. et 23, 33; Ioan. 19, 18. Pro *reputatus* D *deputatus* (vide paulo inferius).

[3] Luc. 22, 37. — Codd. D F *cum iniquis damnatus*, omisso deinde *et condemnatus*, quod etiam B C omittunt. Pro *in monte* B C F *in loco*.

[4] Codd. B C addunt *pro me*.

[5] Sap. 2, 20. — Superius auctoritate B C F supplevimus *capitur* et *illuditur*.

[6] Serm. in Feria 4. Hebdomadae sanctae, n. 10. In principio allegatur Phil. 2, 7. Textus originalis voci *servus* praefigit *tanquam*, et post *ut vapularet* addit *et servi peccati*.

[7] Gregor. Magnus, ut notat Ioan. Diaconus, II. S. Gregorii Magni vita, n. 1, « primus omnium se in principio epistolarum suarum *servum servorum Dei* scribi satis humiliter definivit cunctisque suis successoribus documentum suae humilitatis... quod videlicet hactenus in sancta Romana Ecclesia conservatur, hereditarium reliquit ». — Ex B C F supplevimus *ut Papa*. Subinde pro *sed etiam* (ita F) B C *sed*, D *sed propterea* [*praeterea?*], Vat. *sed propter tria*.

[8] Phil. 2, 8. Glossa allegata est apud Lyranum *interlinearis:* Quia ignominiosior. Cfr. Petr. Lombard., in hunc loc.: « Humiliavit se Christus usque ad incarnationem... usque ad mortem. Et si parum est hoc, aliquid de genere mortis addendum est; mortem autem non quamlibet, sed crucis, quae ignominiosior est ». Ita August., Serm. 304. (serm. 3. in solemnitate Laurentii mart., alias 37. de Diversis) c. 3. n. 3, excepta propositione *quae ignominiosior est*, quam textus originalis omittit, de qua vide ipsius Libr. contra Adimantum Manichaei discipulum, c. 21: Suscipiendo autem *ignominiosissimum* apud homines mortis genus Dominus noster Iesus Christus, hoc est mortem crucis, commendavit nobis... Ut non solum nullam mortem, sed etiam nullum mortis genus christiana libertas, sicut Iudaica servitus, formidaret. — Superius ex B C D F supplevimus *ne et tu pati similia* [C *talia*] *formidares*.

[9] Pro *quoniam passio Christi* (ita B C) Vat. *passio Christi quam*, quae etiam subinde pro *beata* (ita B C F) substituit *benedicta*, et pro *solatium cordibus anxiatis* (ita B C F) ponit *solatium cordis anxiati*.

[10] Ita B C F, Vat. *Quanto quis tenerior*.

[11] Cfr. III. Sent. d. 16. a. 1. q. 2. in corp., ubi S. Doctor ait: Si autem consideretur qualitas sive *conditio patientis*, maxima erat afflictio propter maximam complexionis aequalitatem et propter sensus vivacitatem. Unde quia nullus potuit ei aequari nec in aequalitate complexionis nec in vivacitate sensus, dolor illius omnium dolorum fuit acutissimus. — Superius pro *quia de Spiritu sancto* (ita B C D F) Vat. *et de Spiritu sancto*.

[12] Matth. 26, 38: Tristis est anima mea usque ad mortem. Luc. 22, 44: Et factus est sudor eius sicut guttae etc. — Superius post *mortis recordationem* Vat. contra B C F prosequitur *Christus in sancta anima sua prae teneritudine carnis tantum afflictus est, ut sudor corporis fieret sicut sudor sanguinis decurrentis in terram, quanto superadditus est ei dolor, quanta eum afflixit poena in degustatione acerbissimae mortis et passionis*.

est ei dolor, quanta inflicta poena in degustatione acerbissimae passionis. Ideo beatus Bernardus[1] dicit: « Angustias cordis tui, Domine Iesu Christe, certissime indicabat sudor ille sanguineus, qui orationis tempore de tua sanctissima carne decurrebat in terram ». « Quid fecisti, dulcissime puer, ut ita tractareris? Quid commisisti, o amantissime iuvenis, ut ita iudicareris? Ecce, ego sum causa tui doloris, ego plaga tuae occisionis[2] ». — Adhuc vide diligentius, quam amara mors Christi fuerit. Quanto quis innocentior, tanto poena ad tolerandum gravior. Si enim Christus propter sua peccata illum dolorem sustinuisset, aliquantulum esset tolerabilior; sed ipse *peccatum non fecit*, sed *nec inventus est dolus in ore eius*[3]. Et hoc ipsum testatur Pilatus, dicens: *Nullam causam mortis invenio in eo.* Ipse enim est *candor lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis et imago bonitatis illius*, sicut dicitur Sapientiae septimo.

Ratio 3.

6. Considera adhuc plenius, quam poenalis fuerit mors dilecti Sponsi tui, Iesu Christi. Quanto *generalior*, tanto poena acerbior; Christus autem, Sponsus tuus, passus est in omni parte corporis sui, sic quod nullum ita parvum membrum fuerit in eo, quin specialem poenam haberet; nullus ita modicus locus, quin repletus esset amaritudine. *A planta* enim *pedis usque ad verticem* capitis *non fuit in eo sanitas*[4]. Unde prae nimia doloris vehementia clamavit, dicens: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus.* Re vera, Domine Iesu Christe, nunquam fuit dolor similis dolori tuo. Tanta enim fuit sanguinis tui effusio, ut totum corpus tuum aspergeretur[5]. — O bone Iesu, o dulcissime Domine! cum non *gutta*, sed sanguinis *unda* ita largiter per quinque partes corporis tui emanaverit de manibus et pedibus in crucifixione, de capite in coronatione, de toto corpore in flagellatione, de ipso corde in lateris apertione; mirum videtur, si quid sanguinis remansit in te. Dic, quaeso, dilecte mi Domine, dic, cum unica tui sacratissimi sanguinis gutta potuisset sufficere ad totius mundi redemptionem, cur tantum sanguinem de corpore tuo effundi permisisti? Scio, Domine, et vere scio, quia propter aliud hoc non fecisti, nisi ut ostenderes, quanto affectu me diligeres.

De tertia.

Affectus ad Christum.

7. Quid igitur *retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi*[6]? « Certe, Domine, quamdiu vixero, memor ero laborum tuorum, quos sustinuisti in praedicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo, dolorum, convitiorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, clavorum et vulnerum; alioquin *requiretur a me sanguis iusti, qui effusus est super terram* ». *Quis igitur dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum*[7], ut possim flere die ac nocte mortem Domini mei Iesu, quam non pro suis, sed pro meis peccatis sustinuit? *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*, sicut dicit Isaias propheta.

Retribuendo memoria passionis.

8. Ultimo considera et attende diligenter, quia mors et passio Christi fuit *diuturnissima*. A prima enim die nativitatis suae usque ad ultimum diem mortis semper fuit in passionibus et doloribus, sicut ipse testatur per Prophetam dicens[8]: *Pauper sum ego et in laboribus a iuventute mea;* et alibi dicit: *Fui flagellatus tota die*, id est toto tempore vitae meae. — Adhuc aliter considera, quam morosa passio Christi fuerit. Ad hoc enim suspensus fuit, ut poena magis duraret, ut dolor non cito finiretur, ut mors protraheretur et sic diutius cruciaretur et fortius vexaretur.

De quarta. Ratio 1.

Ratio 2.

9. Ex his[9] omnibus, quae iam dixi, colligere potes, o virgo Christi, o famula Dei, quam *probrosa*, quam *dolorosa*, quam *universalis*, quam *morosa* fuerit mors et passio dilectissimi Sponsi tui, Iesu Christi. Et haec omnia sustinuit, ut ad suum amorem te accenderet, ut pro omnibus his toto corde, tota anima, tota mente ipsum diligeres[10]. Quid

Corollari[um]

---

[1] Serm. de vita et passione Domini (inter opera Bernardi), n. 6. Sermo ille incipit: *Iesum Nazarenum a Iudaeis innocenter condemnatum*, et habetur etiam in operibus Anselmi, nempe Meditat. 9, ex qua supra in Opusculo III. Lignum vitae plura allata sunt, v. g. n. 18. 27. 29. 31. 36. 38. 47. et 48. Textus originalis verbo *decurrebat* [B C F *currebat*] praefigit *guttatim.* Textu originali et B C F repugnantibus, Vat. pro *cordis tui* substituit *corporis tui;* pro *sanguineus* (ita etiam textus originalis) B *sanctissimus*, C F *sanctissimus, sanguineus.*

[2] Anselm., Orat. 2. Post *tractareris* textus originalis prosequitur: Quod scelus tuum, quae noxa tua, quae causa mortis, quae occasio tuae damnationis? Ego enim sum tui plaga doloris, tuae culpa occisionis.

[3] Epist. I. Petr. 2, 22. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 18, 38. et Sap. 7, 26. — Superius pro *esset tolerabilior*, quibus vocibus Vat. contra B C D F praefigit *ei*, B C F *esset tolerandus*, D *esset tolerandum.*

[4] Isai. 1, 6. — Sequitur Thren. 1, 12.

[5] Ita B C F, Vat. *sanguine aspergeretur*, superius ab ipsa substituto *doloris* pro *sanguinis.*

[6] Psalm. 115, 12. (3.). — Sequitur sententia Bernardi, Serm in Feria 4. Hebdomadae sanctae, n. 11; cfr. Serm. 22. de Diversis, n. 5. et Serm. 43. in Cant. n. 3. In fine respicitur Ezech. 3, 18. 20. et 33, 8; Matth. 23, 35: « Ut veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram ». Pro *sanguis iusti* (ita B C D F, Vat. omittit *iusti*) textus originalis *sanguis iustus*, qui etiam pro *et vulnerum* plura alia substituit. Pro *requiretur* F *requireretur.*

[7] Ier. 9, 1. — Sequitur Isai. 53, 5.

[8] Psalm. 87, 16. et deinde Ps. 72, 14. — Superius pro *diuturnissima* (cfr. supra n. 3.) Vat. contra B C F *diutina*, quae etiam inferius omittit *Ad hoc enim suspensus fuit* (ita B C F).

[9] Codd. B C F *Et ex his.* Inferius pro *universalis* (ita B F) Vat. *vilis*, et *dulcissimi* pro *dilectissimi* (ita B C).

[10] Respicitur Matth. 22, 37: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et in tota anima tua et in tota mente tua ». Et inferius Phil. 2, 7: Semetipsum exinanivit formam servi accipiens. — Subinde pro *tolerandi mortem* Vat. *tollendi mortem.*

enim benevolentius, quam quod Dominus propter servi salutem accipiat servi formam? Quid magis informat hominem ad salutem, quam exemplum tolerandi mortem propter iustitiam et obedientiam divinam? Quid vero magis incitat hominem ad diligendum Deum, quam tanta benignitas, qua pro nobis Filius Dei altissimi absque meritis, immo cum multis nostris demeritis, *posuit animam suam* [1]? Hoc tantae benignitatis est, ut nihil clementius, nihil benignius, nihil amicabilius cogitari possit. Haec benignitas tanto ostenditur maior, quanto pro nobis graviora et abiectiora sustinuit vel pati voluit. *Deus enim, qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non cum illo omnia nobis donavit* [2]? Ex quo invitamur ad ipsum amandum et amatum imitandum.

10. Vae ergo illis qui tantae benignitatis beneficiis sunt ingrati, in quorum animabus nullum mors Christi habet effectum! « Vide, inquit Bernardus [3], caput Christi inclinatum ad osculandum, brachia extensa ad amplexandum, manus perfossas ad largiendum, latus apertum ad diligendum, totius corporis extensionem ad se totum impendendum ». Vae iterum illis qui suis peccatis *rursum Christum in semetipsis crucifigentes, super dolorem vulnerum ipsius dolorem adiiciunt* [4]! Sed vae tertio illis quorum corda ad planctum emolliri non possunt, ad benevolentiam provocari nequeunt, ad boni operis virtutem inflammare non valet tanti sanguinis tanta effusio, tanti pretii tam ingens magnitudo! Certe isti tales *inimici crucis Christi* [5] plus Christum, Dei Filium hodie ad dexteram Dei Patris sedentem in caelis blasphemant, quam olim Iudaei fecerunt in crucis patibulo pendentem. Ad tales, et de talibus Dominus conquerendo, per beatum Bernardum [6] loquitur dicens: « Homo, vide, quid pro te patior; si est dolor, sicut quo crucior; ad te clamo qui pro te morior; vide poenas, quibus afficior; vide clavos, quibus confodior. Cum sit tantus dolor exterior, sed interior planctus est gravior, dum te sic ingratum experior ».

11. Cave igitur, mater, cave, ne tanto ingrata sis beneficio, ne tanto pro te dato indevota sis pretio; sed pone Iesum Christum crucifixum *sicut signaculum super cor tuum* [7], ut, sicut sigillum in cera molli, sic Iesum Sponsum tuum imprimas cordi tuo et dicas cum Propheta: *Factum est cor meum tanquam cera liquescens.* Pone eum etiam *ut signaculum super brachium tuum* [8], ut videlicet nunquam desinas bonum operari, nunquam fatigeris laborare pro nomine Domini Iesu; sed cum omnia operata fueris, tunc primum incipe, quasi nihil feceris. Si autem aliquando aliquid triste, aliquid grave, aliquid taedii, aliquid amaritudinis acciderit, vel certe si aliquando aliquod bonum desipuerit [9], statim recurras ad crucifixum Iesum pendentem in cruce; ibique intuere coronam spineam, clavos ferreos, lanceam lateris; ibique contemplare vulnera pedum et vulnera manuum, vulnera capitis, vulnus lateris, vulnera totius corporis, recolens, quia qui sic pro te passus fuit, qui pro te tanta sustinuit, quantum te amaverit. Crede mihi, quia statim tali intuitu omne triste laetum, omne grave leve, omne taediosum amabile, asperum dulce et suave reperies, sic ut et tu exclamare cum beato Iob [10] incipias et dicas: *Quae prius noluit tangere anima mea, nunc prae angustia,* passionis Christi, *cibi mei sunt,* ac si diceres: bona, quae prius animae meae desipiebant, nunc propter angustiam passionis Christi, quam video, dulcia et delectabilia facta sunt mihi. — Unde legitur [11], quod quidam, cum conversus fuisset ad religionem, multum factus est impatiens propter asperitatem ciborum et ceterarum disciplinarum religionis; et cum sic ex nimia impatientia angustiatus fuisset, procidit ante imaginem Crucifixi

[Margin: ...triplex ...ra ingra-] [Margin: Admonitio.] [Margin: Notandum.] [Margin: Exemplum.]

---

[1] Ioan. 10, 15. — Superius pro *Filius Dei altissimi* (ita BE) Vat. *Dei Filius altissimus.*

[2] Rom. 8, 32. — Superius post *tanto* Vat. cum pluribus codd. addit *magis.*

[3] Hanc sententiam in operibus Bernardi non invenimus. Cfr. supra pag. 41, nota 3. Ex B supplevimus *brachia extensa ad amplexandum.*

[4] Hebr. 6, 6: Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei. Ps. 68, 27: Super dolorem vulnerum meorum addiderunt. — Inferius vocibus *quorum corda* DF interserunt *dura,* et pro *ad benevolentiam provocari nequeunt* (ita B) CF *ad benevolentiam provocare nequit* (supple ex seqq. *tanti sanguinis tanta effusio*), Vat. *neque ad benevolentiam provocari,* quae etiam subinde post *non valet* prosequitur *tanta effusio sanguinis, effusio tanti pretii, tam ingens magnitudo.*

[5] Respicitur Phil. 3, 18. — Inferius pro *blasphemant* (ita BCF) Vat. *crucifigunt.*

[6] Cfr. supra pag. 40, nota 7. Fr. Mone, Hymni latini medii aevi, p. I. pag. 172, inter hymnos *Bernardo* tributos affert etiam fragmentum cuiusdam carminis *(Bernardus, in persona Christi, prologus primus),* cuius quatuor versiculi (ceteri desunt), uno excepto, conveniunt cum istis qui hic exhibentur; secundus (qui etiam omittitur a S. Bonav., III. Sent. d. 16. a. 2. q. 3. in fine) et quartus tamen omittuntur. Vat. ultimos versiculos sic proponit: Et cum sit tantus dolor interior et exterior, planctus est gravior, cum te sic experior.

[7] Cant. 8, 6. — Sequitur Ps. 21, 15.

[8] Cant. 8, 6. — Subinde respicitur Gal. 6, 9. seq.: Bonum autem facientes, non deficiamus... ergo, dum tempus habemus, operemur bonum etc. — Inferius ante *operari* ex BCF supplevimus *bonum.*

[9] Codd. BCF *desiperet.*

[10] Cap. 6, 7, ubi pro *noluit* Vulgata *nolebat,* et pro *prae angustia* Vat. *propter angustias,* quae etiam post *cibi mei sunt,* omissa explicatione a BCF exhibita, prosequitur *quam dulcia et delectabilia facta sunt.* Cfr. Gregor., VII. Moral. c. 15. n. 18.

[11] Idem legitur in Chronice XXIV Generalium (Analecta Franciscana, tom. III. Quaracchi), sub generali ministro Ioanne de Parma (praedecessore S. Bonaventurae), tit. *Qualiter pavit fratres cibo gloriae.* Cfr. Marc. de Ulyssipone, Chronic. p. II. libr. IV. c. 10. — Inferius pro *multum factus est impatiens* (ita BC) Vat. *in tantum factus est impatiens,* et pro *ex nimia impatientia* CDF *ex humana impatientia.*

et ibi replicare coepit cum multis lacrymis intolerabiles angustias et labores Ordinis, insipiditatem ciborum panis et potus; et statim ex latere imaginis coepit sanguis emanare, et cum ille, fortiter flens, suas angustias replicaret, respondens imago Christi dixit, quandocumque sentiret aliquam asperitatem in cibo vel potu, quod intingeret in salsamento sanguinis Christi.

Capitulum VII.

De perfecta Dei caritate.

1. Superius te, famulam Dei, prout inspiravit Dominus, docui, qualiter animum tuum exercere debeas, ut quasi gradatim ascendere possis et *de virtute in virtutem* proficere[1]. Nunc septimo loco restat dicendum de forma virtutum, scilicet caritate, quae sola ducit hominem ad perfectionem. Ad mortificandum enim vitia, ad proficiendum in gratia, ad consequendum omnium virtutum perfectionem summam nihil dici melius, nihil excogitari potest utilius caritate. Propterea dicit Prosper in libro de Vita contemplativa[2]: « Caritas est vita virtutum, mors vitiorum », et *sicut fluit cera a facie ignis, sic pereunt* vitia *a facie* caritatis. Tantae siquidem virtutis est caritas, quod ipsa sola claudit infernum, sola aperit caelum, sola spem salutis tribuit, sola Deo amabilem reddit. Tantae virtutis caritas est, quod ipsa sola inter virtutes *virtus* nominata est, quam qui habet dives et locuples et beatus est, quam qui non habet pauper et mendicus et miser est[3]. Unde super illo verbo ad Corinthios[4]: *Si caritatem non habuero*, dicit Glossa: « Attende, quanta sit caritas, quae si desit, frustra habentur cetera; si autem adsit, habentur omnia; quam qui habere coeperit Spiritum sanctum habebit ». Et beatus Augustinus[5] dicit: « Si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil esse virtutem omnino affirmaverim nisi summum amorem Dei ». Cum igitur caritas virtus tanta sit, prae cunctis virtutibus caritati est insistendum, et non cuilibet caritati, sed ei solum, qua Deus diligitur super omnia et proximus propter Deum.

Effectus mirabiles caritatis.

2. Qualiter autem Creatorem tuum debeas diligere, ipse Sponsus tuus docet te in Evangelio[6], dicens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota mente tua.* Intende diligenter, famula Iesu Christi dilectissima, quam dilectionem dilectus tuus Iesus requirat a te. Vult certe amantissimus tuus, ut amori suo des totum cor, totam animam tuam, totam mentem tuam, sic ut in toto corde tuo, in tota anima tua, in tota mente tua nullus omnino cum eo partem aliquam possideat. Quid ergo facias, ut certe Dominum Deum tuum *ex toto corde diligas?* Quomodo *ex toto corde?* Audi beatum Ioannem Chrysostomum[7] docentem te: « *Ex toto corde Deum diligere* est, ut ad nullius rei dilectionem magis sit inclinatum cor tuum quam Dei, ut non delecteris in specie mundi amplius quam in Deo, non in honoribus, non in parentibus. Si autem aliquo istorum sit occupatus amor cordis tui, iam non ex toto corde diligis ». Rogo te, ancilla Christi, noli in amore decipi. Certe, si quid amas, quod non in Deo, aut propter Deum amas, iam non ex toto corde diligis. Unde Augustinus[8] dicit: « Domine, minus te amat qui tecum aliquid amat ». Si autem aliquid amas, ex cuius dilectione in amore Dei non proficis, iam non ex toto corde diligis; et si quid diligis, pro cuius amore ea quae Christo teneris, negligis, iam non ex toto corde diligis. Dilige itaque Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

De modo diligendi Deum.

Diligendus est ex toto corde.

3. Non solum ex toto corde, verum etiam *ex tota anima* diligendus est Dominus Deus Iesus

Item, ex tota anima.

---

[1] Psalm. 83, 8: Ibunt de virtute in virtutem. — Superius pro *famulam Dei* C *famula Dei*. Inferius pro *perfectionem summam* F *perfectionis summam*.

[2] Libr. III. c. 13: Caritas est... mors criminum, vita virtutum. — Subinde respicitur Ps. 67, 3: Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei. — Quod caritas sit forma virtutum, ostendit S. Bonav., III. Sent. d. 36. q. 6.

[3] Respicitur Apoc. 3, 17. seq.: Quia dicis: Quod dives sum et locupletatus et nullius egeo, et nescis, quia tu es miser et miserabilis et pauper etc. August., Serm. 350. (alias 39. de Tempore, vel de Laude caritatis) n. 3: Sine qua [caritate] dives pauper est, et cum qua pauper dives est. Idem Serm. 304. (alias 37. de Diversis, vel Serm. 3. in solemnitate Laurentii martyris) c. 5. n. 4: Sed tunc potest in istis esse virtus invicta, si non sit caritas ficta. Ille ergo dat nobis *veram virtutem*, qui diffundit in nostris cordibus *caritatem* [cfr. Rom. 5, 5.]. Richard. a S. Vict., Adnotatio in Ps. 44: Merito regina virtutum caritas esse dicitur, quia virtutis nomen amittit quae caritati non famulatur. — Superius ex BCDF supplevimus *sola spem salutis tribuit*.

[4] Epist. I. 13, 2. — Glossa integra habetur apud Petr. Lombard. in I. Cor. 13, 1; in Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum exhibetur tantum prima pars; ipsa sumta est ex August., in Ioan. Evang. tr. 9. n. 8.

[5] Libr. I. de Moribus Ecclesiae cathol. c. 15. n. 25. — Inferius pro *propter Deum* (ita BCF) Vat. *post Deum*.

[6] Matth. 22, 37; Marc. 12, 30. et Luc. 10, 27. — Inferius pro *Iesu Christi dilectissima* [Vat. *dulcissima*] DF *Iesu Christo dilectissima*, et pro *des totum cor* (ita BC) Vat. *des cor tuum*, quae etiam subinde omittit *in tota anima tua*.

[7] Homil. 42. in Matth. 22, 37. (Op. imperfect.). Textus originalis hinc inde plura interserit. — Pro *docentem te* (ita BCF) Vat. *dicentem*.

[8] Libr. X. Confess. c. 29. n. 40. Cfr. supra pag. 44, nota 2. — Superius ex BCF supplevimus *Rogo te... iam non ex toto corde diligis*. Inferius ante *teneris* excidisse videtur *praestare*.

Christus. Quomodo *ex tota anima?* Audi beatum Augustinum[1] docentem te: « *Ex tota*, inquit, *anima Deum diligere* est ipsum diligere ex tota voluntate sine contrarietate ». Certe tunc ex tota anima diligis, quando non quod tu vis, non quod mundus consulit, non quod caro suggerit, sed quod Dominum Deum tuum scis velle sine contradictione libenter facis. Certe tunc Deum ex tota anima diligis, quando pro amore Iesu Christi animam tuam, si necesse fuerit, morti libenter exponis. Si autem in aliquo istorum negligens fueris, iam non ex tota anima diligis. Dilige ergo Dominum Deum tuum ex tota anima tua, id est, conforma[2] voluntatem tuam voluntati divinae in omnibus.

Item, ex tota mente.

4. Non autem solum ex toto corde, non solum ex tota anima, sed etiam *ex tota mente* dilige Sponsum tuum Dominum Iesum. Quomodo *ex tota mente?* Audi iterum beatum Augustinum[3] te docentem: « *Ex tota*, inquit, *mente Deum diligere* est diligere eum ex omni memoria sine oblivione ».

Capitulum VIII.

De finali perseverantia.

Necessitas perseverantiae.

1. Postquam omnium virtutum quis adeptus est principium, nondum tamen in conspectu Dei apparet gloriosus, nisi virtutum consummatrix adsit perseverantia, quia nullus omnino mortalis, quantumcumque perfectus, laudandus est in vita sua, nisi prius hoc bonum, quod inchoavit, bono et felice fine concludat. Est enim perseverantia finis et « consummatrix virtutum, nutrix ad meritum, mediatrix ad praemium[4] ». Unde beatus Bernardus dicit: « Tolle perseverantiam, nec obsequium nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo praestabit ». Parum enim valeret, hominem fuisse religiosum, fuisse patientem et humilem, fuisse devotum et continentem, Deum dilexisse et ceteras virtutes habuisse, nisi adesset perseverantia. Cum enim omnes virtutes currant, sola perseverantia *accipit bravium*[5]; quia non ille qui incepit, sed *qui perseveraverit salvus erit.* Unde Ioannes Chrysostomus dicit: « Quae utilitas seminum florentium et postea tabescentium »? quasi dicat: penitus nulla.

Admonitio.

2. Si igitur, Christi virgo dilectissima, aliquas bonorum operum habes virtutes, immo quia multas habes virtutes; in his persevera, in his profice, in his usque ad mortem viriliter age Christi militiam, ut cum extrema dies finisque vitae tuae advenerit, pro stipendio et mercede laboris detur tibi corona gloriae et honoris. Unde Iesus Christus, unice tibi dilectus, alloquitur te in Apocalypsi[6], dicens: *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae.* Haec corona nihil aliud est quam merces vitae aeternae, ad quam adipiscendam inflammari debet desiderium omnium Christianorum. Est enim tam *magna*, ut nullus omnino eam aestimare possit, sicut dicit beatus Gregorius[7], tam *multa*, ut nullus eam dinumerare queat, est denique tam *longa* et durabilis, ut nunquam terminari valeat et finiri. — Ad hanc mercedem, ad hanc coronam invitat te dilectus Sponsus tuus, Iesus Christus in Canticis[8] dicens: *Veni de Libano, sponsa mea, amica mea, veni de Libano, veni coronaberis. Surge* ergo, *amica*

Invitat ad coronam Christus.

---

[1] Serm. 108. in Appendice (alias 53. de Tempore), lib. de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 35, lib. de Diligendo Deo (inter opera August.), c. 2, verba Domini *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente* simpliciter ita exponuntur: id est ex toto intellectu tuo, ex tota voluntate tua, ex tota memoria tua; ea vero, quae huic expositioni adiunguntur, scil. *sine errore, sine contrarietate, sine oblivione*, exhibet Innocent. III., Serm. 5. in Communi de uno martyre. Vide quae diximus tom. I. pag. 81, nota 8. et tom. III. pag. 613, nota 7.

[2] Ita B C F, Vat. *et conforma.*

[3] Cfr. supra nota 1. — Superius ex B C F supplevimus *Non solum autem ex toto corde*, et subinde *dilige Sponsum tuum Dominum Iesum. Quomodo ex tota mente?*

[4] Bernard., Epist. 129. n. 2. Ex B C F hunc locum supplevimus. Loc. cit. habetur etiam seq. sententia Bernardi, in qua textus originalis post *obsequium* addit *mercedem habet*, omisso subinde *praestabit;* Vat. contra D F et textum originalem voci *gratiam* praefigit *nec*, quae etiam inferius pro *et ceteras virtutes* (ita B C) habet *et caelicas virtutes.*

[5] Respicitur I. Cor. 9, 24. — Sequitur Matth. 10, 22, quem locum exponens Chrysost., Homil. 33. (alias 34.) n. 5, profert sententiam mox allatam.

[6] Cap. 2, 10. — Inferius pro *merces* (ita B C F) Vat. *praemium*, et *inflammare te* pro *inflammari.*

[7] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 37. n. 1: Si consideremus, fratres carissimi, quae et quanta sunt quae nobis promittuntur in caelis, vilescunt animo omnia, quae habentur in terris... Quae autem lingua dicere vel quis intellectus capere sufficit illae supernae civitatis quanta sint gaudia etc. Cfr. supra pag. 58, nota 10; pag. 60, nota 3. et pag. 62, nota 3. Libr. I. Homil. in Evang. homil. 9. n. 2: Pauca quippe bona sunt omnia praesentis vitae, quamlibet multa esse videantur, comparatione retributionis aeternae. Sed tunc fidelis servus super multa constituitur, quando, devicta omnis corruptionis molestia, de aeternis gaudiis in illa caelesti sede gloriatur etc. Vide supra Opusculum II. Soliloq. c. 4. n. 1. in fine.

[8] Cap. 4, 8, ubi Vulgata et Vat. omittunt *amica mea*, quod habent B C D F. Ibid. 2, 10: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. — Inferius respicitur Apoc. 19, 9: Beati, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt. Matth. 22, 4: Dicite invitatis: Ecce, prandium meum paravi... et omnia parata. Cfr. Luc. 14, 17. — De propositione *tota caelestis curia te exspectat*, vide supra Opusculum II. Soliloq. c. 4. n. 3. in fine.

Dei, sponsa Iesu Christi, *columba* Regis aeterni, *veni, propera* ad nuptias Filii Dei, quia tota caelestis curia te exspectat, quia *omnia sunt parata.*

Tria in caelo iam parata.

3. Est enim paratus *speciosus servus* et nobilis, ut tibi serviat; *cibus pretiosus* et delectabilis, ut te reficiat; *societas dulcis* et praeamicabilis[1], ut tibi congaudeat. — *Surge* ergo *et propera* festinanter ad nuptias, quia ibi est paratus *servus speciosus,* qui tibi serviat. Iste servus non est alter nisi coetus angelicus, immo ipse aeterni Dei Filius, sicut ipse de se ipso testatur in Evangelio[2] dicens: *Amen dico vobis, quia praecinget se et faciet illos discumbere et transiens ministrabit eis.* O quam magna gloria tunc erit pauperibus et abiectis, quando ministrum habebunt Filium Dei, summi Regis, et totum conventum exercitus regni caelestis!

De primo.

4. Est etiam ibi paratus *cibus pretiosus* et delectabilis, ut te reficiat. Ipse enim Dei Filius mensam propriis manibus ponet, sicut ipse de se in Evangelio[3] testatur dicens: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* O quam suavis et deliciosus est ille cibus, quem *paravit in dulcedine sua pauperi Deus*[4]! O quam beatus est ille qui in regno caelorum manducabit panem illum, qui in clibano virginalis uteri coctus est igne sancti Spiritus! *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Tali cibo, tali pane cibat et reficit suos electos ille Rex caelestis in mensa sua, sicut in libro Sapientiae[5] dicitur: *Angelorum esca nutrivisti populum tuum et paratum panem de caelo praestitisti ei sine labore, omne delectamentum in se habentem et omnis saporis suavitatem — et deserviens uniuscuiusque voluntati.* Ecce, talis est refectio divinae mensae.

De secundo.

5. Est nihilominus parata ibi *societas dulcis* et praeamicabilis[6], ut tibi congaudeat. Illic enim erit Iesus cum Patre et Spiritu sancto; illic Maria cum florigero exercitu Virginum; illic Apostoli, Martyres, Confessores et omnium electorum caelestis exercitus. Miserabilis prorsus, qui tam nobilissimae societati non fuerit sociatus; valde mortuum habet desiderium qui huic societati iungi non desiderat.

De tertio.

Admonitio

6. Sed tu, o praeclarissima Christi famula, scio quidem, te desiderare Christum, scio, totis te ad hoc niti viribus, quomodo Regis aeterni possis iungi consortio et amplexibus. Et « nunc excita cor tuum et animam tuam et erige totum intellectum tuum et cogita, quantum potes. Si enim singula bona delectabilia sunt, cogita intente, quam delectabile sit illud bonum, quod continet iucunditatem omnium bonorum; si bona est vita creata, quam bona est vita creatrix; si iucunda est salus facta, quam iucunda est salus, quae fecit omnem salutem[7] »? « Qui hoc bono fruetur, quid illi erit, et quid illi non erit? Certe quidquid volet erit, quidquid nolet non erit. Ibi quippe erunt bona corporis et animae, qualia *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis intellexit*[8]. Cur ergo, famula Dei, per multa vagaris, quaerendo bona animae tuae et corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, et sufficit; desidera simplex bonum, quod est omne bonum, et est satis ».

Ibi est complementum omnium desideriorum.

7. « Ibi est quod amas, mater mea, quod desideras, virgo beata. Quid amas, mater mea, quid desideras, virgo beata? Ibi est quidquid amas, quidquid desideras. Si te delectat *pulcritudo, fulgebunt iusti sicut sol*[9]. Si delectat *longa et salubris vita,* ibi est sana aeternitas, quia *iusti in perpetuum vivent,* et *salus iustorum* aeterna. Si te delectat *satietas, satiabuntur, cum apparuerit gloria Dei*[10]; si *ebrietas, inebriabuntur ab ubertate domus Dei.* Si te delectat *dulcis melodia,* ibi Angelorum chori concinunt, sine fine laudantes Deum. Si te delectat *amicitia,* ibi Sancti diligent Deum plus quam se ipsos et invicem tanquam se ipsos, et Deus diliget illos plus quam illi se ipsos. Si *concordia* delectat, omnibus illis erit una voluntas, quia nulla illis erit nisi Dei voluntas. Si te delectat *honor et divitiae,* Deus servos suos et ancillas suas bonos et fideles *supra multa constituet*[11], immo *filii* et filiae *Dei vocabuntur* et erunt; ubi Deus erit, ibi erunt et illi, *heredes quidem Dei, coheredes autem Christi* ».

8. « Quale autem, vel quantum gaudium est, ubi tale ac tantum est bonum? Certe, Domine Iesu, *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor*

---

[1] Cod. F *praeamabilis,* quod etiam inferius n. 5. Vat. contra B C habet.

[2] Luc. 12, 37. Cfr. supra Opusculum II. Soliloq. c. 4. n. 12. — Superius pro *non est alter nisi* B F *non est alter quam,* et pro *aeterni Dei* [C addit *Patris*] *Filius,* quod habent B C D F, Vat. *aeternus Dei Filius,* quae etiam inferius pro *pauperibus et abiectis* (ita C) substituit *pauperibus abiectis.*

[3] Luc. 22, 29. et 30.

[4] Psalm. 67, 11. — Subinde allegatur Ioan. 6, 52.

[5] Cap. 16, 20. seq. Post *suavitatem* Vulgata prosequitur: Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat, et deserviens etc. Pro *in se habentem* B C D F *in se habens.* — Cfr. supra Opusculum II. Soliloq. c. 4. n. 11; ibid. n. 12. seqq. fusius exponitur quod infra n. 5. tangitur.

[6] Ita B C, Vat. *praeamabilis;* cfr. supra nota 1. Inferius B C D F omittunt *Apostoli,* et subinde omittit C *caelestis.*

[7] Anselm., Proslog. c. 24. Textus originalis hinc inde plura interserit. Ibid. c. 25. habentur quae sequuntur.

[8] Epist. I. Cor. 2, 9.

[9] Matth. 13, 43. — Duo seqq. loci sunt Sap. 5, 16. et Ps. 36, 39: Salus autem iustorum *a Domino* (ita etiam textus originalis). Ibi C D E F omittunt *aeterna,* pro quo B *in aeternum erit.*

[10] Psalm. 16, 15. — Sequitur Ps. 35, 9. — Inferius pro *concinunt, sine fine laudantes Deum* (ita B C D F) Vat. *concinunt alleluia laudantes,* textus originalis *concinunt sine fine Deo.* Subinde ex B C F supplevimus *et invicem tanquam se ipsos* (ita etiam textus originalis) et ex B C substituimus *Si concordia delectat* pro *Si concordia delectaris;* pro *omnibus illis erit* C *omnibus illic erit,* et pro *nulla illis erit* (ita B F cum textu originali) Vat. *nulla erit ibi.*

[11] Matth. 25, 21. et 23. — Seq. locus est ibid. 5, 9; deinde respicitur Ioan. 12, 26: Ubi sum ego, illic et minister meus

hominis ascendit in hac vita, quantum tui Beati te amabunt et de te gaudebunt in illa beata vita [1] ». Quantum quisque hic Deum amat, tantum ibi de Deo gaudebit. Ergo hic Deum multum ama, ut ibi multum gaudeas; crescat hic in te amor Dei, ut ibi plene possideas gaudium Dei. « Meditetur inde mens tua, loquatur inde lingua tua, amet illud cor tuum, sermocinetur os tuum, esuriat illud anima tua, sitiat illud caro tua, desideret tota substantia tua, donec intres *in gaudium Dei tui* [2] », donec venias ad amplexus dilecti tui, donec introducat te in thalamum dilecti Sponsi tui, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat unus Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

odium est secundum dum amoris.

---

erit (Vat. contra B C F omittit *ubi Deus erit, ibi erunt et illi;* textus originalis *et ubi erit Filius eius, ibi erunt et illi*) et allegatur Rom. 8, 17.

[1] Ultimam propositionem, in qua allegatur I. Cor. 2, 9, exhibet Anselm., loc. cit. c. 26.

[2] Anselm., loc. cit. Allegatur Matth. 25, 21. Sicut Breviloquium et Soliloquium, ita et hoc Opusculum S. Doctor iisdem concludit verbis Anselmi. Cfr. supra pag. 66, nota 9. — In fine addit A: *Explicit Bonaventura ad sorores suas, moniales sanctae Clarae;* B autem: *Explicit tractatus Bonaventurae de profectu vitae religiosae.*



OPUSCULUM VII.

DE REGIMINE ANIMAE[1]



1. Primum omnium necesse habes, anima mea, *altissime*, *piissime* et *sanctissime* de optimo *Deo* sentire[2], certa videlicet fide credendo, attenta mente considerando et perspicaci rationis intuitu cum admiratione perspiciendo.

Triplici modo de Deo sentiendum.

2. *Altissime* quidem de optimo[3] Deo sentis, si cuncta de nihilo creantis et supportantis immensam *potentiam,* cuncta gubernantis et ordinantis infinitam *sapientiam,* cuncta iudicantis et retribuentis interminatam[4] *iustitiam* fideli, pio et perspicaci contuitu credis, miraris et laudas[5], et extra te exiens et intra te regrediens et supra te transcendens, ut illud propheticum veraciter decantes: *Exsultaverunt filiae Iudae propter iudicia tua, Domine, quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos.* — *Piissime* de optimo[6] Deo sentis, si eiusdem immensam *misericordiam* admiraris, amplexaris et benedicis ut summe *benignam* in humanitatis et mortalitatis nostrae assumtione, ut summe *viscerosam* in crucis et mortis perpessione, et ut summe *liberalem* in Spiritus sancti datione[7] et Sacramentorum institutione, cum se ipsum liberalissime communicet in Sacramento altaris, quatenus illud Psalmi[8] ex animo cantes: *Suavis Dominus universis, et miserationes eius super omnia opera eius.* — *Sanctissime* de optimo Deo sentis, si eiusdem inexplicabilem *sanctitatem* advertis, miraris et laudas atque illi cum beatis Seraphim[9] *Sanctus, Sanctus,*

Altissime.

Piissime.

Sanctissime.

---

[1] Editio Vat. sic inscribit: « Opusculum ad Blancham Hispaniae Reginam », et in praenotatis asserit, Blancham hanc « fuisse filiam S. Ludovici, Francorum regis, Ferdinando Alphonsi X, cognomento Sapientis, Hispaniae regis primogenito in uxorem datam. Sed Ferdinandus princeps, procreatis ex ea Alphonso et Ferdinando, qui de la Cerda vocati sunt, superstite adhuc Alphonso patre, antequam ad regni gubernacula manum admovisset, cessit e vita » etc. Constat, hanc Blancham postea Parisios reversam esse ibique decessisse. — Editio impressa, quae videtur esse prima, scil. Coloniensis an. 1486, praefigit hunc titulum: Epistola ad Dominam Blankam, reginam Hispanie de regimine anime. Eundem titulum repetunt altera Coloniensis an. 1489, Argentina 1495 in parte II. et pleraeque subsequentes. Etiam sex codd. habent verba *ad Blankam* etc., quae tamen desunt in codd. A B aliisque quatuor nobis notis et in Assisiensi (C), quo usus est Bonelli. Hic in fine habet: « Explicit meditatio, quam scripsit Frater Bonaventura ad postulationem cuiusdam sanctae mulieris ». Plura de his vide in nostris Prolegomenis c. I. § 7 et 8, ubi etiam improbatur coniectura Sbaraleae et Benedicti Bonelli, opinantium, non istam Blancham, filiam S. Ludovici, sed B. Isabellam, sororem eiusdem Sancti, fuisse mulierem, cui S. Bonav. haec scripserit documenta. Attamen A B non ad mulierem, sed ad quendam virum religiosum hunc tractatulum scriptum esse volunt [hoc iam asseruit Oudin, Comment. in Scriptor. Ecclesiast. III. col. 416], ut ex textu eorum variis in locis apparet. Iam in linea 1 isti habent *Christi religiose servitor* pro *anima mea;* cod. Assisiensis C sive ed. Bonelli *Christi ancilla.* Notandum enim, quod Bonelli ex hoc codice non alias refert variantes lectiones nisi eas quas in textum recepit.

[2] Eadem sententia habetur in Breviloq. p. I. c. 2; in Quaestion. Disput. de Mysterio Trinit. q. 1. a. 2. in corp.; in Collation. de septem Donis Spir. S. collat. 3. n. 5.

[3] Codd. A B omittunt *optimo;* Vat. infra repetit vocem *si* tum post *potentiam* tum post *sapientiam.* Inutilis repetitio similis, quae pluries infra occurrit, refragantibus A B C, inde orta esse videtur, quod antiquae edd. Brixiensis an. 1497 et Veneta 1504, quae subsequentibus edd. Italicis quasi fundamentum sunt, membra divisionum per modum cuiusdam tabulae seu schematis constanter scribunt, ut hoc loco

si cuncta { de nihilo creantis et supportantis immensam potentiam, / gubernantis et ordinantis infinitam sapientiam, / iudicantis et retribuentis interminatam iustitiam.

[4] Vat. perperam *indeterminatam* contra codd.

[5] Ita A B; Vat. *perspicis,* et infra pro *intra te regrediens* (ita A B) eadem *intra te ingrediens.* Deinde Vat. omittit *propheticum,* et A B habent *decantare possis* pro *decantes.* — Locus Scripturae est Ps. 96, 8. seq.

[6] Codd. A B omittunt *optimo.* Inferius Vat. omittit *immensam* contra A B C; pro *amplexaris* habet C *complecteris,* A B *complexaris,* et pro *benedicis* A B *laudas.*

[7] Vat. *donatione* contra A B C; cfr. Eccli. 11, 17: Datio Dei permanet iustis etc.

[8] Psalm. 144, 9. — Pro *quatenus illud Psalmi ex animo cantes* A B *ut illud Psalmistae dicas.*

[9] Isai, 6, 4. — Supra A B D omittunt *optimo;* pro *advertis* Vat. habet *advertens,* et pro *atque illi* A B *terque illi,* et infra pro *ita* [Vat. omittit *ita*] *summe ac* iidem *in summo et.*

Sanctus proclamas. *Sanctus* primo, hoc est *in se ipso* sanctitatem ita summe ac purissime habens, ut impossibile sit, ipsum aliquid nisi sanctum velle vel approbare; *Sanctus* secundo, hoc est sanctitatem ita perfecte *in aliis* diligens, ut impossibile sit, ipsum vere sanctitatem servantibus aut gratiae dona subtrahere aut gloriae praemia denegare; *Sanctus* tertio, hoc est ita severe oppositum sanctitatis abhorrens, ut impossibile sit, ipsum peccata non reprobare aut impunita relinquere. Quodsi sic senseris, cum legislatore cantabis[1]: *Deus fidelis et absque ulla iniquitate, iustus et rectus.*

[...]tem, respiciendum ad legem Dei.

3. Post hoc oculos mentis tuae ad *legem Dei* converte, quae iubet, te exhibere Altissimo cor *humile*, Piissimo cor *devotum*, Sanctissimo cor *illibatum*. — Cor, inquam, *humile* debes exhibere *Altissimo* per *reverentiam* in animo, per *obedientiam* in facto, per *honorificentiam* in verbo et signo, quatenus secundum apostolicam regulam et doctrinam *omnia in gloriam Dei facias*[2]. — Cor autem *devotum* debes exhibere *Piissimo* per *interpellationem* precum ferventium, per *degustationem* spiritualium suavitatum, per *actionem* multiplicium gratiarum, ut anima tua iugiter *per desertum ascendat* in Deum *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris*[3]. — Cor vero *illibatum* exhibere debes *sanctissimo* Sponso, ut nullus in te regnet nec sensu nec consensu nec affectu corporeae voluptatis applausus, nullus terrenae cupiditatis appetitus, nullus internae malignitatis affectus, quatenus, omni exclusa macula peccati, possis cum Psalmista[4] cantare: *Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, ut non confundar.*

[...]aec iubet [...]ibere primo cor humile. [...]cundo, cor devotum. [...]ertio, cor illibatum.

4. Attende[5] igitur diligenter et vide, si haec omnia a iuventute servasti. Quodsi hoc in conscientia tua repereris, non tibi hoc tribuas, sed dono Dei illique gratias agas. Quodsi te inveneris semel vel pluries in uno horum, vel pluribus, vel forte in omnibus aut graviter aut leviter deliquisse sive per infirmitatem, sive per ignorantiam, sive ex certa scientia; *inenarrabilibus gemitibus*[6] studeas reconciliari Deo et ad exhibendam ei emendam spiritum virtutis assume, ut possis cum poenitente veraciter cantare ac psallere[7]: *Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper.*

[...]e his tota [...]a est examinanda. Praestanda est emenda.

5. Debet autem *dolor animi* duos habere comites, ut sit purgativus animae et placativus Dei, scilicet *timorem divini iudicii* et *ardorem interni desiderii*, ut recuperes timendo *cor humile*, desiderando *cor devotum*, dolendo *cor illibatum*. — *Time* igitur *divina iudicia*, quae sunt *abyssus multa*[8]. Time, inquam, *vehementer*, ne forte, quamquam sis aliqualiter poenitens, adhuc tamen Deo displiceas; time *vehementius*, ne post hoc Deum iterum offendas; time etiam *vehementissime*, ne finaliter a Deo discedas, semper carens *lumine*, semper ardens *igne*, nunquam carens *verme*, nisi per veram poenitentiam in gratia finali decedas, ut sic cum Propheta[9] decantes: *Confige timore tuo carnes meas; a iudiciis enim tuis timui.*

Dolor habeat duos comites. Primo, de triplici timore iudiciorum divinorum.

6. *Dole* quoque et satage propter *commissa peccata*. Dole, inquam, *vehementer* propter annihilationem omnis boni divinitus tibi dati; dole *vehementius* propter impugnationem Christi pro te nati et crucifixi[10]; dole *vehementissime* propter vilipensionem Dei, cuius transgrediendo leges inhonorasti *maiestatem*, denegasti *veritatem*, offendisti *bonitatem* totumque universum dehonestasti, deformasti, deordinasti, dum, divinis adversando statutis, imperiis et iudiciis, omnibus tibi servientibus propter Deum abusa es naturis, Scripturis, iustitiis, misericordiis, donis gratuitis et praemiis repromissis. Quibus diligenter consideratis, *luctum unigeniti fac tibi planctum amarum*[11]*; deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem, non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.*

De triplici dolore propter peccata.

7. *Desidera* nihilominus *divina charismata*, divini amoris flamma[12] in Deum conscendens, qui te

Secundo, de triplici ardore desiderii.

---

[1] Deut. 32, 4. — Supra pro *non reprobare aut* Vat. *nisi abhorrere aut reprobare aut*, refragantibus A B C. — In A B sequitur rubrica: *Sequitur conversio ad legem Dei.*

[2] Epist. I. Cor. 10, 31. — Supra post *apostolicam* A B omittunt *regulam et.* Infra pro singulari C habet pluralem, scil. *interpellationes... degustationes... actiones.*

[3] Cant. 3, 6: Quae est ista quae ascendit per desertum etc. Pro *per desertum* A B *per affectum.* Cfr. Itinerar. mentis in Deum, c. 4. n. 3. — Vat. addit *ut de sponsa in Canticis dicitur.*

[4] Psalm. 118, 80. — Supra ex A B substituimus *corporeae voluptatis applausus, nullus terrenae cupiditatis* pro *corporeae venustatis applausus, nullus terrenae voluptatis* (ita C et ed. Bonelli). Inferius pro *cantare* A B *decantare.*

[5] Quod sequitur in n. 4. usque ad n. 5. totum excidit apud Bonellum; quod cum inveniatur in Vat., in antiquis edd. et in nostris codd. A B D E F, haec omissio, nullo verbo editoris memorata, errori typographico videtur esse tribuenda. — In A B est rubrica: *Sequitur conversio ad poenitentiam.*

[6] Epist. ad Rom. 8, 26. — Supra Vat. ponit *attribuas* pro *tribuas*, atque *invenis* pro *inveneris* [F *invenies*]; postea *in horum aliquo* pro *in uno horum.*

[7] Psalm. 37, 18.

[8] Psalm. 35, 7. — Infra post *adhuc tamen* Vat. omittit *Deo;* deinde ante *offendas* ex A B supplevimus *iterum.*

[9] Psalm. 118, 120. Cfr Collat. de septem Donis Spiritus S. collat. 2. n. 10-13. De triplici poena inferni cfr. IV. Sent. d. 50. p. I. a. 2. q. 2; p. II. a. 2. q. 1. — Supra pro *carens verme* A B *sine verme;* iidem prosequuntur *ut in vera poenitentia cum gratia discedens, cum Propheta decantes.*

[10] Vat. *pro te cruci affixi* contra A B C (sed C praefigit *propter te*). Eadem omittit *dole* tum ante *vehementius*, tum ante *vehementissime.*

[11] Ier. 6, 26; deinde Thren. 2, 18. Vat., omittens *neque taceat pupilla oculi tui*, ponit *nec somnum oculis tuis* [Prov. 6, 4.]. — Eadem supra habet *universum debilitasti* pro *universum dehonestasti*, A B *abusus es* pro *abusa es.*

[12] Ita C; Vat. omittit *flamma;* A B legunt *divini amoris flammam ascendentem* [B *conscendentem*], *quod te* etc. Deinde contra A B C F Vat. omittit *tam* ante *longanimiter*, et ante *misericorditer* pro *tam* substituit *et.*

peccantem tam patienter sustinuit, tam longanimiter exspectavit, tam misericorditer ad poenitentiam reduxit, tibi concedendo veniam, infundendo gratiam, promittendo coronam, dum tamen eidem impendas — vel potius ab ipso suscipias quod ei rependas — *sacrificium contribulati spiritus, cordis contriti et humiliati* [1] per *compunctionem* amaram, per *confessionem* veridicam, per *satisfactionem* condignam. Desidera, inquam, *vehementer* divinam *complacentiam* per largam immissionem Spiritus sancti, desidera *vehementius* divinam *conformitatem* per expressam imitationem Christi crucifixi, desidera *vehementissime* divinam *comprehensionem* per apertam visionem Patris aeterni, ut veraciter cum Propheta [2] decantes: *Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Dei?*

Item, te exerce ad tres virtutes.

8. Porro, ut hunc in te [3] spiritum timoris, doloris et ardoris intrinsecus serves, *exerce te foris* ad omnimodam *modestiam, iustitiam, pietatem,* quatenus iuxta documentum Apostoli [4] *abnegans impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivas in hoc saeculo.* — Exerce itaque te ad omnimodam *modestiam,* ut iuxta Apostoli doctrinam *modestia tua nota sit omnibus hominibus.* Ad *modestiam,* inquam, *parsimoniae* in victu et vestitu, in somno et vigilia, in otio et labore, ut in nullo excedas. — Ad *modestiam disciplinae* per moderamen silentii et loquelae, moeroris [5] et gaudii, mansuetudinis et rigoris, iuxta quod opportunitas exigit et recta ratio dictat. — Ad *modestiam honestatis* per regulationem [6], ordinationem et compositionem actuum, motuum, gestuum, vestimentorum seu habituum, membrorum et sensuum, iuxta quod moralis honestas et regularis observantia id exposcit, ut merito sis de illorum numero, quibus Apostolus dicit [7]: *Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis.*

Primo, ad triplicem modestiam.

Secundo, ad triplicem iustitiam.

9. Exerce te quoque ad *iustitiam,* ut tibi illud propheticum [8] veraciter possit aptari: *Propter veritatem et mansuetudinem et iustitiam* etc. Ad *iustitiam,* inquam, *integram* per *zelum divini honoris,* per *observantiam divinae legis,* per *desiderium fraternae salutis.* — Ad *iustitiam ordinatam* per *obedientiam* ad superiores, per *sociabilitatem* [9] ad pares, per *castigationem* ad inferiores. — Ad *iustitiam perfectam,* ut omni *veritati* assentias, *bonitati* faveas, *malitiae* adverseris tam mente quam verbo quam opere, nihil agens alii, quod tibi nolis fieri, nihil negans alii, quod tibi velis impendi, quatenus illorum sis imitatrix perfecta, quibus dicitur [10]: *Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam Scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum.*

Tertio, ad triplicem pietatem.

10. *Exerce te* tandem *ad pietatem,* quia, ut dicit Apostolus [11], *pietas ad omnia valet, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae.* Ad *pietatem,* inquam, *divini cultus,* attente, devote et reverenter horas canonicas persolvendo, quotidiana confitendo peccata et deplorando, sacratissimam pro tempore eucharistiam sumendo et quotidie Missam audiendo. — Ad *pietatem salvationis animarum,* nunc adiuvando per orationum frequentiam, nunc per sermonum informationem, nunc per exemplorum incitamenta, ut *qui audit dicat: Veni* [12]. Hoc tamen sic sapienter oportet fieri, ut salutis propriae dispendium non incurras. — Ad *pietatem relevationis corporalium necessitatum* in supportando patienter, consolando amicabiliter, subministrando humiliter, hilariter et misericorditer, ut sic divinam impleas legem, cum dicat Apostolus [13]: *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Ad quae omnia prosequenda super omnia credo valere memoriam Crucifixi, ut dilectus tuus tanquam *fasciculus myrrhae* inter mentis *tuae ubera* iugitur *commoretur* [14]; quod tibi ipse praestare dignetur qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

Notandum

EXPLICIT.

---

[1] Psalm. 50, 19. — Supra pro *quod ei* Vat. et C *eique.*

[2] Psalm. 41, 3. [A B C *fontem vivum*]. — Supra ex C supplevimus *desidera* ante *vehementius* et ante *vehementissime.*

[3] Fide A B C supplevimus *in te.* Codd. A B hic praemittunt rubricam: *Sequitur exercitium virtutis ad extra.* Vat. post *spiritum* addit *vitae*, et deinde substituit *acquiras* pro *serves*, refragantibus A B C.

[4] Tit. 2, 12. — Codd. A B *Apostoli doctrinam* pro *documentum Apostoli.* — Seq. locus est Phil. 4, 5, post quem Vat. omittit *in* ante *somno* et ante *otio.*

[5] Vat. praefigit *per moderamen* hic et ante *mansuetudinis*, refragantibus A B C D F.

[6] Ita C, Vat. et E F perperam *gloriationem*, A B *relegationem.* Post *compositionem* Vat. addit *scilicet*, refragantibus A B C.

[7] Epist. I. Cor. 14, 40. — Supra pro *moralis honestas et regularis observantia* A B *religiosi Christi servitoris honestas.* Cfr. supra pag. 128, nota 1.

[8] Psalm. 44, 5. — Pro *aptari* A B *applicari.* Infra pro *divini honoris* Vat. contra C *divini amoris.*

[9] Ita melius C, alias *societatem.*

[10] Matth. 5, 20. — Supra fide A B C substituimus *veritati assentias* pro *veritati consentias;* dein cum A B C E F expunximus *omni* ante *bonitati* et ante *malitiae;* post *impendi* A B prosequuntur *taliter, quod sis illorum imitator perfectus, quibus* etc.

[11] Epist. I. Tim. 4, 7. seq. Pro *valet* C cum Vulgata *utilis est;* post *nunc est* Vat. addit *pariter,* refragante etiam Vulgata. — Infra post *confitendo peccata* A B omittunt *et deplorando*, et ponunt *sanctissimam* pro *sacratissimam.*

[12] Apoc. 22, 17. — Supra ante *per* Vat. bis omittit *nunc.*

[13] Gal. 6, 2. — Supra Vat. perperam *pietatem revelationis* pro *pietatem relevationis* contra C D E F.

[14] Respicitur Cant. 1, 12. — Vat. post *quod* omittit *tibi.* Codd. A B ita concludunt: *quod tibi ipse praestare dignetur, cui cum Patre et Spiritu sancto est omnis honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.* Iidem subiungunt: Explicit compendiosa doctrina vitae spiritualis a Seraphico doctore sancto Bonaventura Ordinis Fratrum Minorum conscripta [A *sed scripta anno* 1490]. — De cod. C et ed. Bonelli vide pag. 128, notam 1.

OPUSCULUM VIII.

DE SEX ALIS SERAPHIM

PROLOGUS.

[Intentio auctoris.] *Da occasionem sapienti, et addetur ei sapientia,* Proverbiorum nono[1]. Cum igitur ex levi saepe occasione sapiens materiam sumat altioris sapientiae, qui etiam plerumque per alterius stultitiam fit eruditior; praesens scriptum potest novis et nondum in officio regiminis ad plenum exercitatis ad perfectam discretionem boni et mali aliqualem dare occasionem ulterius cogitandi et ex defectibus, quos hic considerat, diligentius requirendi altiora sive utiliora, et etiam plura, quam hic ponantur, necessaria religioso ad regimen subditorum; quia legimus, aliquando sapientes etiam ex naturali quadam brutorum animalium solertia sumsisse considerationis industriam ad aliquas artificiales peritias[2] excogitandas.

Capitulum I.

Seligendi apti superiores inter multos; incipientes indigent magistro; magistro non indigentes debent habere quatuor perfectiones.

1. *Haec tibi scribo, ut scias, quomodo oporteat, te in domo Domini conversari, quae est Ecclesia Dei vivi,* primae ad Timotheum tertio[3]. [Expositio eius loci.] Apostolus Paulus discipulo suo Timotheo, quem praefecerat Ecclesiae Ephesi episcopum, scribit duabus epistolis, docens, quomodo conversari debeat in officio regiminis commissi, ut qui iam ab eo didicerat sancte vivere per se sciret etiam, qualiter deberet et aliis utiliter et meritorie praeesse. [Notanda sententia.] Magna enim differentia est inter scire humiliter *subesse* et pacifice *coesse* et utiliter *praeesse.* Bernardus[4]: « Multos cernis sub magisterio quiete vivere, quos, si iugo absolvas, videbis non posse quiescere nec a qualibet re innoxios se servare. Rursum quosdam invenies cum omnibus, quantum in se est, pacifice vivere, minime quidem egentes magistro, nec tamen idonei magisterio. Quadam siquidem bona mediocritate contenti sunt, sicut eis *mensuram gratiae partitus* est Deus[5]. Socialiter enim inter fratres sciunt et pacifice vivere, super fratres vero positi, non solum inutiliter praesunt, sed et insipienter et nequiter. Utrisque ergo prioribus meliores existunt qui superiores esse sciunt ». Unde non passim quemlibet de populo docetur Moyses ceteris praeficere, sed *eligere* ex omni populo viros gnaros et idoneos, *qui iudicent populum omni tempore,* Exodi decimo octavo[6]. [Exemplum in Moyse.] Qui enim suscipit officium, ut alios bonos faciat, oportet, ut hanc bonitatis disciplinam prius

---

[1] Vers. 9. — Infra post *sapientiae* pro *qui etiam* unicus noster cod. *quod etiam.*

[2] Vat. *peritas.* — Quoad rem cfr. Isidor., XIX. Etymolog. c. 19. n. 9.

[3] Vers. 13. 14. Vulgata: Haec tibi scribo, sperans, me ad te venire cito. Si autem tardavero, ut scias etc. — Vat., quae citationes ex textu ad marginem transponit, hic post *vivi* continuat *ait Paulus discipulo,* ponit punctum post *episcopum,* et deinde *dicens, quomodo* pro *docens, quomodo.*

[4] Serm. 23. in Cant. n. 8, mutatis nonnullis.

[5] Respicitur vel Rom. 12, 3: Unicuique, sicut Deus divisit mensuram fidei; vel Eph. 4, 7: Secundum mensuram donationis Christi.

[6] Vers. 21. 22.

in se studiose exercendo didicerit et ex frequenti usu in habitum verterit. Unde Dominus prius legitur fecisse quae post erat verbo docturus; Actuum primo [1]: *Coepit Iesus facere et docere.*

2. Incipientes indigent magistro, ut *doceantur* Ratio 1, quod incipientes indigent magistro. *quae ignorant,* scilicet saluti suae et profectui necessaria et utilia: quid vitare debeant, quid sapere, quid facere, quid sperare, quid timere, et inter minus vel magis bona vel mala discernere; ad Hebraeos quinto [2]: *Indigetis, ut vos doceamini, quae sint* Ratio 2. *elementa exordii sermonum Dei.* — Item, ut *exerceantur in operibus virtutum,* quia non sufficit scire bonum, nisi etiam opere exerceatur, sicut qui audit medicinae scientiam et postea practicando exercet eam; quia exercitium operis plenius imprimit menti cuiuslibet disciplinae peritiam quam solus auditus. Et quia imperfecti segniter se in virtutum studiis exercere solent, expedit, ut ab alio ad hoc aliquando compellantur. Ideo magistri solent discipulos suos, quos perfectos cupiunt fieri, in diversis virtutum exercitiis occupare, modo in operibus humilitatis, modo fraternae caritatis, modo sobrietatis, modo devotionis, modo patientiae, castitatis, taciturnitatis, obedientiae et aliarum virtutum, ut et ipsae virtutes sic exerceantur et usitentur, et vitia his contraria expugnentur; quia, quanto magis virtus proficit, tanto plus vitium oppositum debilitatur; ad Ephesios sexto [3]: *Educate illos in disciplina et* Ratio 3. *correptione Domini.* — Item, ut *custodiantur,* ne aut in peccatum labantur, aut minus discrete in virtutum operibus exerceantur. Tenerae enim mentes et a peccati affectu nondum plene detersae saepe magis timore humano quam divino a voragine peccati detinentur. Ideo talibus expedit, superiorum magisterio subiici, per quos a periculis retrahantur, sicut parvuli a matre comminante ab aquae mersione et luporum morsibus defenduntur; Proverbiorum secundo [4]: *Servabit te, ut eruaris de via mala* Ratio 4. *et ab hominibus, qui perversa loquuntur.* — Item, ut *corrigantur,* quia peccatum trahit semper ad deterius, sicut una febris praebet saepe incentivum alteri graviori, et vulnus aliquando generat fistulam, nisi medicorum praecaveatur solertia. Ita qui labitur in culpam difficulter per se corrigitur, nisi fortioris auxilio fulciatur. Propter hoc enim vult Deus, minoribus [5] maiores praeesse, ut, si ceciderint in peccatum, vel in aliquo negligentes fuerint et incauti, per eorum admonitiones, correptiones, coertiones et castigationes emendentur; quia, si arbitrio suo relinquerentur, forte nec reatum suum agnoscerent, vel torpentes diutius in coeno volutarentur vel profundius mergerentur; Iudas [6]: *Hos quidem arguite iudicatos.* Necesse ergo est, eos magistro humiliter esse subditos, quia, nisi quis medico obedienter obtemperet, non poterit ab infirmitate sanari. *Infirmitates* in homine sunt passiones vitiorum; Lucae nono: *Dedit illis virtutem et potestatem super omnia daemonia, et ut languores curarent.*

3. Qui autem pro se magistro non indigent debent *ita esse scientia illuminati,* quod nihil errent in his quae scire necessario eos oportet, et quod [7] decipi non possint ab homine vel daemone vel a proprio sensu sub specie boni, donum discretionis spirituum divinitus adepti; ad Philippenses quarto [8]: *Ubique et in omnibus institutus sum.* — Debent etiam *fervore devotionis ita esse repleti,* quod sine alterius impulsu noverint se ipsos ad omne virtutis exercitium fideliter extendere, prout semper fuerit optimum; ad Philippenses tertio [9]: *Quae retro sunt oblitus, ad ea quae priora sunt, extendens me ipsum* etc. — Debent quoque *amore boni sic esse affecti,* ut quasi naturaliter omne malum horreant et omne scandalum studiose declinent et sine offensa quiete cum omnibus conversentur; *sine offensione estote Iudaeis et gentibus.* — Debent etiam *ita esse humiles in omnibus,* ut nec de bonis habitis extollantur nec malis omnino carere praesumant, ut omnes excessus cogitationis, locutionis et omissionis in se subtiliter diiudicent et districte castigando emendent. — Et in his omnibus sint *ita stabiles,* quod nec levitate nec distractione aliqua nec difficultate vel metu a statu suo valeant immutari; ad Romanos octavo [10]: *Quis nos separabit a caritate Christi* etc. — Quia vero tales difficile est reperiri, ideo paucis convenit vivere absque obedientiae iugo; ideo et qui aliis praesunt, ut melius et cautius [11] agant, necesse habent aliis subesse, a quibus regantur usque ad summum omnium Pontificem, qui vice Christi caput est totius Ecclesiae militantis.

Ut non in-digeant ma-gistro, requ-runtur 5 vi-tutes. De pri-ma. De secund[a]. De tertia. De quart[a]. De quint[a].

4. Qui ergo aliis praeesse debent utiliter, oportet, eos variis esse praeditos virtutibus: et alias habere *ad se,* quibus irreprehensibiliter vivant, alias *ad suos superiores,* quibus humiliter eis, in quibus debent, obediant, et alias *ad subditos,* quibus eos meritorie regant et ad meliora promoveant. Licet autem omnes virtutes eminenter habere debeat qui ex officio habet omnes virtutes docere; tamen, quia numerus senarii est primus perfectus numerus sui generis perfectione, constans ex suis partibus aliquotis [12]; ideo bonus animarum rector, maxime

Corollari[um]. Notandor[um].

---

[1] Vers. 1. — Deinde pro *Incipientes* cod. et edd. 1, 2 *Insipientes.*
[2] Vers. 12.
[3] Vers. 4.
[4] Vers. 11. 12. Vulgata: ab homine, qui perversa loquitur.
[5] Edd. 1, 2 *maioribus (!) maiores.*
[6] Vers. 22. Sequens locus est Luc. 9, 1.
[7] Ita recte cod., Vat. et 1, 2 *qui.*
[8] Vers. 12.
[9] Vers. 13. Sequens locus est I. Cor. 10, 32.
[10] Vers. 35.
[11] Cod. et 1, 2 *cauti.*
[12] Vide I. Sent. d. 2. q. 4. et pro explicatione ibi scholion.

religiosus, inter ceteras debet singularibus virtutibus praefulgere, sicut Isaias scribit[1] *Seraphim,* quae sunt praeeminentiora caelestium spirituum agmina, *sex alis ornata.* Et fortasse ideo in tali similitudine sanctissimo Patri nostro Francisco in illa gloriosa visione Dominus apparuit, quando eum passionis suae stigmatibus insignivit, ut ostenderet, sic alatos spiritualiter esse debere qui eius familiae utiliter praeesse deberent. Sic et *quatuor animalia singula habebant alas senas,* Apocalypsis quarto[2].

Capitulum II.

De prima ala praelatorum, quae est zelus iustitiae.

1. Prima ala rectoris animarum est *zelus iustitiae,* qua non potest aliquid iniustum sine cordis murmure in se et in aliis sustinere. Tantum enim quisque bonus aestimandus est, quanto plus et purius odit malum; quantum enim res diligitur, tantum de eius destructione doletur. Unde notandum, quod sunt quatuor genera hominum in religione vel in Ecclesia, quos *bonos* dicere solemus.

[Margin: atuor genera bonorum hominum.]

2. Primi sunt, qui malum non faciunt nec tamen in bonis operibus se studiose exercent, ut qui quiete et pacifice cum aliis vivunt, nullum offendentes nec pravo opere scandalizantes; primi Regum vigesimo quinto[3]: *Homines isti satis boni fuerunt nobis et non molesti* etc. Nam et in usu habemus, tales dicere *bonos esse,* qui mites sunt moribus et socialiter se cum omnibus habentes, licet alias quoad virtutum exercitia aliquatenus desides videantur. Pueri etiam baptizati eodem modo *boni* iudicantur.

[Margin: De primis.]

3. Secundi sunt meliores, qui mala nulla faciunt, insuper in bonis operibus se frequenter exercent: in sobrietate, castitate, humilitate, dilectione proximi et orationis instantia et similibus, quae intelligunt esse bona. Sed hoc habent proprium, quod sicut nihil negligunt ex his quae possunt et sciunt, ita etiam videtur eis sufficere bonum, quod faciunt, nec ad ampliora et perfectiora sanctitatis desideria incalescunt. Sufficit eis tantum vigilare, tantum orare, tantum pro Deo dare vel ieiunare vel laborare et huiusmodi; et his contenti quiescunt, altiora aliis relinquentes; Ecclesiastae tertio[4]: *Deprehendi, nihil esse melius, quam laetari hominem in opere suo, et hanc esse partem illius.*

[Margin: De secundis.]

4. Tertii sunt adhuc his meliores, qui malum detestantur et fugiunt et bona, quae possunt, studiose exercent; et cum *omnia fecerint,* quae valent, *parum se fecisse reputant*[5] respectu eorum quae desiderant, scientes, quod *corporalis exercitatio ad modicum utilis* ab Apostolo perhibetur, primae ad Timotheum quarto. Et ideo virtutes mentales et internae devotionis saporem et Dei familiarem notitiam et amoris eius experientiam suspirando desiderant, nihil se esse vel habere iudicantes nec aliquam consolationem de temporalibus vel spiritualibus recipientes, quamdiu pro voto praedictis virtutum exercitiis et devotionis dulcedine non fruuntur; nec tamen contra aliorum vitia et peccatorum pericula zelo fervoris inflammantur, cupientes, omnes esse bonos et beatos, sed ubi hoc non inveniunt, nullo doloris vulnere sauciantur, sibimet intenti et Deo. Tales, ad aliorum regimen vocati, minus in hac parte sunt idonei, quia propriae quieti curam illorum postponunt, iuxta illud Iudicum nono[6]: *Nunquid possum deserere dulcedinem meam fructusque suavissimos et ire, ut inter cetera ligna promovear?*

[Margin: De tertiis.] [Margin: Notandum.]

5. Quarti sunt optimi, qui cum prioribus bonis innocentiae et virtutum zelo iustitiae et animarum calent, qui non recipiunt consolationem de propriae salutis profectibus, nisi alios secum trahant ad Deum, exemplo Domini, qui cum in se plenum semper habeat gaudium, non contentus gloriam solus habere, exivit, assumta forma servi, multos filios in gloriam secum adducere opere et doctrina. Zelus enim iustitiae quasi *coccus bis tinctus*[7] duplici caritatis colore rutilat, amoris Dei et proximi. Amor *Dei* non solum desiderat eius dulcedine frui et ei adhaerere, sed etiam diligit, eius beneplacitum impleri, eius cultum ampliari et honorem sublimari; vult enim, eum ab omnibus agnosci, ab omnibus amari, ab omnibus ei serviri et super omnia honorari. Amor *proximi* desiderat non tantum eius corporalem sospitatem et temporalem prosperitatem, sed magis eius aeternam salutem. Ubi ergo caritas ista perfectior, ibi ferventius desiderium ista promovendi et instantius

[Margin: De quartis.] [Margin: Zelus ex duplici caritate.]

---

[1] Cap. 6, 2: « Seraphim stabant super illud; sex alae uni et sex alae alteri ». De visione S. Francisci vide Bonav., Legenda S. Francisci c. 13.; cfr. Itinerar. mentis in Deum, prolog. n. 1. 2.

[2] Vers. 8.

[3] Vers. 15, ubi Vat. omittit *nobis*, refragante etiam Vulgata, ac deinde *et* ante *in usu.*

[4] Vers. 22.

[5] Respicitur Luc. 17, 10: Sic et vos, cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus etc. Deinde citatur I. Tim. 4, 8: Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est; pietas autem etc. — Mox Vat. erronee *viri mentales* pro *virtutes mentales.*

[6] Vers. 11.

[7] Respicitur Exod. 26, 1. 31. 36. et alibi. Cfr. Gregor., Regula pastoral. p. II. c. 3.

studium et purius gaudium, ubi haec invenit. Caritas enim *non quaerit quae sua sunt* [1], sed quae Dei sunt. Quantum vero diligis *Deum* et quae Dei sunt purius desideras, tantum doles de offensa Dei, ubi vides, eum non agnosci et ideo inhonorari, ubi vides eum non amari et ei non obediri, et eius cultum destrui, et adversarios multiplicari et laetificari. Et quantum diligis *salutem proximi*, tantum affligeris de perditione eius et nocumento profectus eius.

Hic praecipue requiritur in superioribus.

6. Et licet haec caritas requiratur in omnibus amicis Dei, maxime tamen in vicariis Dei, qui secundum cor Dei moveri debent amore iustitiae et odio iniquitatis; Psalmus [2]: *Dilexisti iustitiam* etc. *Iustitia* potest hic dici observantia omnium, quae saluti vel profectui animarum necessaria sunt.

Quatuor differentiae praeceptorum. De prima.

7. Horum quaedam procedunt a *lege aeterna*, ut purae virtutes: humilitas, castitas, caritas, misericordia et similes, sine quibus nullus quocumque tempore poterit salvari; ad quae etiam praecepta Dei in veteri ac nova lege maxime ordinantur, sicut Dominus dicit, ad dilectionem Dei et proximi *totam Legem et Prophetas* spectare; Matthaei vigesimo secundo [3]: *In his duobus mandatis* etc. — De secunda. Quaedam procedunt ab *humana vice Dei institutione*, ut quae per Ecclesiam pro communi utilitate canonice sunt praecepta, sicut ritus Sacramentorum et aliorum ad iuris positivi praecepta pertinentium; Extra [4]: « Canonum statuta ab omnibus observentur », ita ut quilibet observet illa quae conveniunt suo statui, et communiter omnibus imperata, laicis vel clericis. — De tertia. Quaedam ex *voto proprio* proveniunt, ut ea, ad quae nemo cogitur, sed qui ea sponte voverit iam velut ex praecepto Dei compellitur observare, ut continentia religiosorum et obedientia et abdicatio proprii in monasterio et alia, quae per regulam vel cuiusque ordinis definitiones eius professoribus imponuntur; Deuteronomii vigesimo tertio [5]: *Cum votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus; et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris; quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis et facies, sicut promisisti Domino Deo tuo et propria voluntate et ore tuo locutus es.* — De quarta. Quaedam procedunt ex *quadam habilitatione profectus spiritualis*, quamvis alias non forent necessaria saluti, ut omnis disciplina divini officii et singulorum officiorum in Religione, et officiorum et temporum in silentio, victu et habitu, labore, vigiliis et ceteris spiritualibus disciplinis; in quibus singularum Religionum observantiae variantur, sicut cuique visum fuerit expedire. Quamvis autem in his non tanta vis salutis existat, quasi sine eis non sit salus; tamen transgressio eorum deformat Religionis decorem et profectum spiritualem et aliorum aedificationem solet impedire. Sicut enim amor iustitiae studiose ista in se et in aliis promovet et congaudet, ubi videt, ista sollicite observari; ita e contrario dolet et uritur et accenditur pro transgressione illorum; Psalmus [6]: *Nonne qui oderunt te* etc.

Hae differentiae discernendae.

8. Quodam vero intimo sapore discernit, ut magis doleat de gravioribus transgressionibus et de levioribus minus. Sapiens enim quasque res ponderat, prout sunt, tam bonas quam malas, insipiens autem quandoque magna pro parvis reputat et levia quasi maxima ponderat, *trabem festucam iudicat, excolando culicem, deglutiendo camelum;* Lucae undecimo [7]: *Decimatis mentham et rutam et relinquitis quae graviora sunt.* Tales zelo proprio feruntur et non spiritu Dei in hac parte aguntur, sicut quidam pro una inclinatione in choro neglecta plus accenduntur puniendo quam pro longa detractione de alio religioso excitata, gravius indignantur pro versiculo et rubricula neglecta quam pro magna perturbatione cum scandalo procurata. (Notando)

Primo ... cavenda ... quatuor.

9. Principaliter igitur cavenda et dolenda est *transgressio praeceptorum Dei;* deinde inviolabilium *praeceptorum sanctae Ecclesiae;* deinde illorum quae *sub voto* voluntario sibimet quisque fecit necessaria, ut regulares obervantiae, maxime quae sub praecepto sunt statutae; deinde *omnia scandala* speciem mali quamcumque habentia, nempe avaritiae, superbiae, invidiae, gastrimargiae, iracundiae, suspectae familiaritatis, inobedientiae et similium vitiorum, quae odorem famae religiosorum, quo alii fideles debent ab eis aedificari et ab eis discere, quid cavere debeant et facere, foetere faciunt, ut magis per eos inficiantur scandalo, quam reficiantur virtutis exemplo; ad Romanos [8]: *Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes.* Facilius autem gravius peccatum occultum curatur quam tale scandalum, quia illud per secretam potest sanari poenitentiam, scandalum autem vix avellitur a cordibus omnium, ad quos forte pervenit.

Secundo impedimentum devotionis.

10. Deinde cavenda est *perturbatio studii devotionis,* ex qua fulcitur omnis vera Religio, et omne virtutis exercitium impinguatur. Arida est omnis Religio, quae non oleo isto saginatur; instabilis est

---

[1] Epist. I. Cor. 13, 5.

[2] Psalm. 44, 8.

[3] Vers. 40.

[4] Id est, C. *Canonum statuta* (1.), X. De Constitutionibus (libr. I. tit. 2.): « Canonum statuta custodiantur ab omnibus ». — Infra 1, 2 perperam *laici sive clerici* pro *laicis vel clericis.*

[5] Vers. 21-23.

[6] Psalm. 138, 21: Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam?

[7] Vers. 42; sed cfr. Matth. 23, 23, ubi verbotenus occurrunt *reliquistis quae graviora sunt.* Superius verba *trabem festucam iudicat* respiciunt Matth. 7, 3. seqq. vel Luc. 6, 41 seq.; verba vero *excolando* [edd. et cod. perperam *aliquando*] *culicem* habentur Matth. 23, 24.

[8] Cap. 2, 24.

bonorum operum structura, quae devotae orationis frequentia non compaginatur, sicut *paries lapidum sine caemento* [1]. In omni Religione, ubi devotionis fervor tepuerit, etiam aliarum virtutum machina incipit deficere et propinquare ruinae. *Lampades fatuarum virginum sine oleo* exstinguuntur, Matthaei vigesimo quinto.

'tio, ne- ntia ex- ris di- inae.

11. Deinde cavenda est *negligentia exterioris disciplinae*, quae pro decore Religionis et habilitatione profectus spiritualis statuta est, cuius desertio signum est neglectae conscientiae et interioris levitatis. Talis autem disciplinae observantia non ita mandatur, quasi aliter non liceat vivere, sed quia sic magis convenit propter honestatis conformitatem et uniformem fratrum conversationem, ne pro libitu quisque vivat et faciat, unde forte alii turbentur. In talibus autem observantiis, quae in se indifferentes sunt, sed propter aliud statutae, ut dictum est [2], maior est habenda diligentia, ut bene serventur, quam scrupulose timendum, si ex aliqua surreptione quandoque transgrediantur; nisi forte consuetudo generaret deformitatem, et dissimulatio negligentiam nutriret; tunc propter aliud malum consequens praecavendum zelus disciplinae dormire non debet.

tandom.

ais quin- sunt ca- la.

12. Verus igitur iustitiae zelator primo cavet, ne malum aliquo modo *faciat* vel doceat; secundo, ne *licentiet* vel concedat, quacumque importunitate seu circumventione mollitus; tertio, ne *faveat* vel diligat fieri, etiam si eo irrequisito fiat, vel absente; quarto, ne *dissimulet* et taceat quasi nesciens, cum ad eum pertineat arguere et ostendere, quantum malum sit, et deterrere, ne ulterius audeat similia attentare; quinto, ne *inultum esse patiatur;* quia aliquod bonum parit peccati castigatio, scilicet quod ipse qui fecit, *prohibetur ultra peccare;* Ioannis quinto [3]: *Iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Item, quia *purgatur a peccato,* ne a Deo postea durius puniatur; Proverbiorum vigesimo tertio: *Tu virga percuties illum et animam illius de inferno liberabis.* Item, quia per hoc *alii erudiuntur,* ut caveant similia perpetrare; Proverbiorum decimo nono: *Pestilente flagellato, sapientior erit parvulus,* id est, tenellus et novus cautior esse discet. Item, *ipse praelatus,* vicarius superni iudicis, *liberat animam suam* a peccato negligentiae, officium suum sic implendo; quod quia Heli sacerdos non fecit, mortis sententiam cum filiis peccantibus excepit, primi Regum quarto [4].

ligationis natuor bona.

13. In hoc enim differunt laudabiles Religiones et iam dilapsae, non quod nullus peccans in laudabilibus reperiatur, sed quod nullus impune peccare sinatur, et peccandi aditus studiose praecludantur, et incorrigibiles et alios inficientes eliminentur, et boni foveantur et diligantur, ut perseverent et in melius semper proficiant. Nam cum in conventu Angelorum ante confirmationem et in ordine Apostolorum sub magisterio Christi *reperta sit pravitas;* quis ordo bonorum in terra audeat sibi arrogare hanc praerogativam, quod peccatum in eo non sit? quia, etsi plurimi per Dei gratiam immunes ibi fuerint, sed non omnes; Ioannis decimo tertio [5]: *Vos mundi estis, sed non omnes.*

rollarium differen- Religio- n.

Expedit mixtio malorum et bonorum.

14. Bonis enim, quamdiu sunt hic in statu merendi, expedit aliquos malos secum habere, qui eis sint maioris occasio meriti: quibus compatiantur in malis suis, contra quos zelus eorum inardescat, quos corrigere laborent, quibus similes fieri pertimescant, qui eis sint tentationis materia, a quibus etiam persecutiones sustineant et ex quorum consideratione confusi humilientur, quia tales non sunt, admoneantur gratiarum actionis ei qui custodit eos, ne tales efficiantur. Si autem deessent bonis praedictarum virtutum occasiones, merita ipsorum tanto fierent etiam minora; ad Galatas sexto [6]: *Quae enim seminaverit homo, haec et metet.*

Qui mali tolerandi et quomodo tractandi.

15. Nec tamen *diligendi* sunt mali seu fovendi, sed *tolerandi*, maxime quorum occulta sunt mala et alios non inficiunt, et est spes de correctione ipsorum. Ubi vero ista defecerint, ibi sine gravi detrimento sustineri non possunt, et ideo eliminandi sunt, ne putetur eorum pravitas bonis placere. Interim etiam, dum tolerantur, *puniendi* sunt stimulis admonitionum, correptionum, confusionum, castigationum; *ungendi* etiam fomentis exhortationum, consolationum, orationum et promissionum, si forte convalescant de infirmitate et fortes fiant; praecludenda est eis via peccandi et tentationis aditus obstruendi; quod etiam bonis expedit, ne opportunitas mali faciat eos deteriores. — Praelatus enim, vicarius Dei, cui *data est potestas a Domino super familiam suam* [7], et cui debent subditi ea de causa vice Domini obedire, si non corrigit delinquentes, si permittit sub se vitia crescere, et consuetudines malas oriri, et iam exortas roborari et dilatari, si videt, regulares observantias dilabi, et transgressiones multiplicari, et pro posse non obviat tam praesentibus malis quam imminentibus; triplicem Deo reddet rationem.

Praelato negligenti triplex Deo reddenda ratio.

De prima.

16. Primo pro *sua negligentia,* quando non fecit ad quod officio tenebatur; Sapientiae sexto [8]: *Cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis nec custodistis legem iustitiae neque secundum voluntatem eius ambulastis. Horrende et cito*

---

[1] Respicitur Ezech. 13, 10-15: Et ipse aedificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis. Dic ad eos qui liniunt absque temperatura, quod casurus sit etc. Sequens locus respicit Matth. 25, 1. seqq.

[2] Num. 7.

[3] Vers. 14; sequuntur Prov. 23, 14; et ibid. 19, 25: Pestilente flagellato etc.

[4] Vers. 11. seqq.

[5] Vers. 10. Supra respicitur Iob. 4, 18: In angelis suis reperit pravitatem.

[6] Vers. 8.

[7] Respicitur Matth. 24, 45, vel Luc. 12, 42.

[8] Vers. 5. 6.

apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his qui praesunt, fiet etc.

De secunda. Secundo, quod *omnia peccata subditorum*, quae poterat et debuerat correxisse et praecavisse, *imputantur ei;* Ezechielis trigesimo tertio[1]: *Si non fueris locutus, ut custodiat se impius a sua via, ipse in impietate sua morietur; sanguinem autem eius de manu tua requiram.*

De tertia. Tertio, pro *abusione honoris et potestatis sibi collatae,* quam ad propriam gloriam et commodum retorsit et non ad quod data est ei; Matthaei vigesimo quinto[2]: *Tollite ab eo talentum et inutilem servum eiicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium.*

Admoni 17. Ostendat ergo bonus zelator, quantum diligat Deum, in eo quod beneplacitum eius in se et in aliis promoveat nec ab hoc zelo mollescat per desidiam nec[3] labore lassetur nec consiliis flectatur nec astutiis circumveniatur nec amicitia nec blandimentis deliniatur nec minis terreatur nec per diuturnae pravae consuetudinis praescriptionem desperet, quin suum officium exsequatur.

Capitulum III.

De secunda ala praelatorum, quae est pietas.

Ipsius necessitas. 1. Secunda ala huius ecclesiastici Seraph est *pietas* sive fraterna compassio, ut, sicut eum caritas Dei ad zelum iustitiae inflammat, ita fraterna dilectio ad pietatem informet. Nam etsi *vitiis* debetur virga feriens, sed *infirmitati* necessarius est baculus sustentans; Psalmus[4]: *Virga tua et baculus tuus* etc., et primae ad Corinthios quarto: *In virga veniam ad vos, an in caritate et spiritu mansuetudinis?* Sic et ille *Samaritanus* vulneribus illius semivivi relicti infudit vinum zeli ferventis et oleum pietatis mitigantis.

Duplex infirmitas; prima est triplex. 2. Alia est autem infirmitas *corporis,* alia *mentis,* et utraque indiget compassione. — Infirmitas *corporis* triplex est. Primi sunt infirmi decumbentes in lectulis, vel in acutis vel in aliis infirmitatibus gravibus laborantes. Alii sunt infirmi per domicilium vel etiam per terram quandoque deambulantes, et tamen saepe gravibus doloribus afflicti, ut calculosi, infistulati, ponderosi et similes. Tertii determinatam infirmitatem non habentes, sed tamen corpore debiles et viribus exhausti, ut senes et laboribus confecti vel naturali infirmitate depressi, sed quandoque accidentali languore ad tempus attriti. — Quomodo his sit subveniendum. His est triplici pietate subveniendum, scilicet remediis medicinalibus, si congrue potest fieri; item, relaxatione rigoris in victu, vestitu, vigiliis et huiusmodi; item, exemptione laboris in officiis, servitiis, discursibus et huiusmodi, prout cuiusque necessitas exquirat, ita quod primis de primo, secundis de secundo, tertiis de tertio iuxta singulorum indigentiam specialius[5] succurratur.

Confirmatur. 3. Omnis humanitas est infirmis et debilibus exhibenda, quia flagellati sunt a Domino; si super hoc ab hominibus tribulantur, ipsa eorum miseria clamat ad Patrem misericordiarum contra illos qui eos tribulant, conquerendo; Psalmus[6]: *Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt* etc. Infirmus enim, qui afflictus sibimet subvenire non valet, eo ipso amplius tribulatur, quia ab his quibus deberet, non consolatur, non a labore relevatur, non subvenitur indigenti, nec habet sibi compatientem; Psalmus: *In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me; improperium exspectavit cor meum et miseriam, et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit, et qui consolaretur, et non inveni. Et dederunt in escam meam fel,* exprobrationis, *et in siti mea potaverunt me aceto,* obiurgationis. *Fiant ergo eis* quae sequuntur.

Mens b praela 4. Bonus autem praelatus agnoscit se fratrum suorum patrem, non dominum, et exhibet se eis medicum, non tyrannum, nec reputat eos ut iumenta sua vel servos emptionis, sed ut filios hereditatis supernae consortes, et facit eis, *sicut vellet sibi fieri*[7], si similiter indigeret. Sed fortes et sani non sentiunt, secundum quod sentit aeger; ideo nesciunt eis compati, scient autem postea, cum dolebunt. — Obiectio vitur. Quodsi *obiiciant,* quia saepe fingunt se quidam debiliores, quam sint; nunquid propter hoc omnes sunt hypocritae iudicandi? cum e contrario pro paucis iustis, multis malis Dominus voluerit pepercisse, Genesis decimo octavo.

Ratio trip ut provi tur infirm 5. Triplici autem ratione magis indigent infirmi subsidio pietatis quam sani et robusti: primo propter *sustentationem vitae,* quia a se ipsis non valent procurare; si tunc etiam ab aliis non procurantur, coguntur deficere et non possunt subsistere;

---

[1] Vers. 8. [2] Vers. 28. et 30.

[3] Sola Vat. perperam *ne.*

[4] Psalm. 22, 4; dein I. Cor. 4, 21. De Samaritano cfr. Luc. 10, 33; vide etiam Gregor., Regula pastoral. p. II. c. 6. circa finem.

[5] Vat. *speciali.*

[6] Psalm. 68, 27. Infra sequitur Ps. 68, 21-23, ubi concluditur: Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum et in retributiones et in scandalum.

[7] Cfr. Tob. 4, 16; Matth. 7, 12; Luc. 6, 31. — Infra post *non sentiunt* ex cod. supplevimus *secundum.* — Seq. locus est Gen. 18, 23-33.

secundo Regum decimo quarto [1]: *Ne penitus pereat qui abiectus est.* — Secundo, propter *restaurationem sanitatis et virium,* quas in infirmitate perdiderunt. Cum enim sanus et fortis solum indigeat sustentamento, ut quod habet conservet; aeger et debilis indiget duplici refectione, ne pereat et perdat quod adhuc habet, et reparet quod amisit; Lucae decimo nono [2]: *Ab eo qui non habet, etiam quod videtur habere auferetur.* — Tertio, propter *consolationis relevamen,* quia, cum sic multipliciter affligantur, solatium est eis, cum vident, alios sibi compati et ad reparationis suae studium fideliter cooperari; primi Regum vigesimo tertio [3]: *Benedicti vos a Domino, quia doluistis vicem meam.*

Obiectio. 6. Sed *dicunt aliqui:* illis debilibus digne subvenitur, de quibus est spes convalescentiae; in illis vero, de quibus non praesumitur, quod aliquando convalescant, inutiliter consumuntur expensae. — Solutio. Hoc recte diceretur, si non propter meritum caritatis, sed propter retributionem humanae utilitatis deberet infirmis misericordia exhiberi. Qui autem propter hoc infirmo subvenit, ut, cum sanatus fuerit, benefactum illud serviendo retribuat, merito caritatis se privat. Ubi enim maior miseria, ibi clarior misericordia apparet et purior caritas. — Expedit ergo, praelatum quandoque experiri infirmitates ceterorum, ut discat compati; ad Hebraeos quarto [4]: *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris* etc.

Secunda triplex infirmitas mentis. De prima. 7. Infirmorum *mente* etiam sunt tria genera: primi, qui ex devotionis defectu vel tentationis impulsu proni sunt ad scandala et peccata, ex facili occasione vacillantes et ad lapsum proclives; primae ad Corinthios undecimo [5]: *Inter vos multi infirmi et imbecilles* etc.

De secunda. Secundi, qui, licet bonae voluntatis sint et devoti, tamen, ex levi correptione vel invectiva obiurgatione effecti pusillanimes, aut coincidunt in quandam desperationis diffidentiam, aut prorumpunt in gravem commotionis impatientiam; unde postmodum dolent, et ceteri quandoque turbantur; ad Romanos decimo quinto [6]: *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere.*

De tertia. Tertii sunt omnes generaliter imperfecti, qui in diversis virtutum studiis saepe vacillant et variis passionum febribus sentiunt se interdum, etiam reluctantes, pulsari, modo elationis, modo irae, modo accidiae, invidiae, concupiscentiae, gulae et aliorum vitiorum, tam carnalium quam spiritualium; Psalmus [7]: *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum* etc.

8. Remedia his infirmitatibus adhibenda sunt: ut *subtrahatur eis occasio scandali,* opportunitas peccandi, ne videant unde infirmentur vel audiant, et ne saepe permittantur extra domum vagari, Genesis trigesimo quarto [8]; Dina enim, egressa domum, corrupta est. — Et per *exhortationes crebras exemplo patientiae confortentur,* et a duris increpationibus, donec convalescant de infirmitate, parcatur eis et aliis offensis, quibus perturbentur; ad Colossenses tertio [9]: *Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.* Qui enim amplius commovet satis per se commotum quasi provocat contra se canem latrantem, ut mordeat eum. — Item, ut aequanimiter *mores et imperfectiones eorum supportentur;* Ecclesiastici decimo septimo [10]: *Non omnes omnia possunt.* Remedia tria. De primo. De secundo. De tertio.

9. Sicut autem rudibus et minus peritis solent doctores eorum imperitiae [11] ignoscere, cum minus recte sentiant; ita et virtuosi benigne supportant aliorum defectus, scientes, quod non omnes possunt aequaliter esse perfecti, et quasi parvulis et teneris in Christo graviora quam valeant portare onera non imponunt nec ab eis exigunt ea quae vires ipsorum excedunt; Genesis trigesimo tertio [12]: *Nosti, quod parvulos habeam teneros et oves et boves foetas mecum; quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges;* hoc est, qui parvulos imperfectos et aliquam bonam habentes voluntatem, quasi foetus in utero, plus urget in exercitio virtutis quam secundum gratiam, quam acceperunt, etiam illud quod iam habent, supra vires agitando exstinguit in eis; primae ad Thessalonicenses secundo [13]: *Facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos,* quasi dicat, ita humiliter et pie blanditus sum vobis, condescendens vestrae teneritudini et imperfectioni. Quocontra de duris et non compassivis pastoribus conqueritur Dominus Ezechielis trigesimo quarto [14]: *Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod aegrotum non* Quare aliorum defectus debeant supportari.

---

[1] Vers. 14. — Supra pro *a se ipsis* edd. mendose *se ipsos;* infra pro *solum indigeat* Vat. *solus indigeat.*

[2] Potius Matth. 25, 29, ubi et verba *et quod videtur habere;* sed in Luc. 19, 26. et Matth. 13, 12. legitur *quod habet;* Luc. 8, 18. *quod putat se habere.*

[3] Vers. 21.

[4] Vers. 15.

[5] Vers. 30.

[6] Vers. 1.

[7] Psalm. 6, 3.

[8] Vers. 1. 2. — Infra fide cod. substituimus *exemplo patientiae* pro *exempla patientiae.*

[9] Vers. 21.

[10] Vers. 29: Nec enim omnia possunt esse in hominibus, quoniam non est immortalis filius hominis, et in vanitate malitiae placuerunt.

[11] Vat. mendose *imperite.*

[12] Vers. 13.

[13] Vers. 7. — Pro *quod ita* substituimus *quasi dicat.*

[14] Vers. 4, ubi pro *quod fractum* Vulgata *quod confractum est.* — Locus Bernardi est Serm. 23. in Cant. n. 2. Ipsa verba editionis Bernardi in textum recepimus, cum locum, ut est in Vat., truncatum et in parte depravatum emendare non potuerimus. Legitur enim ibi: « Ut quid gravatis iugum vestrum, cum cernitis discipulorum, quorum vos potius iugum portare debetis? Ponite onera, producite ubera, pecora lactate, quiescant. Et si interdum severitate opus sit, paterna sit, non tyrannica ». Sequitur Num. 11, 12.

sanastis, et quod fractum non alligastis, et quod perierat non quaesistis. Sed cum austeritate imperastis eis et cum potentia. Bernardus: « Discite, subditorum matres vos esse debere, non dominos; studete magis amari, quam metui; et si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica. Matres fovendo, patres vos corripiendo exhibeatis. Mansuescite, ponite feritatem; suspendite verbera, producite ubera; pectora lacte pinguescant, non typho turgeant. Quid iugum vestrum super eos aggravatis, quorum potius onera portare debetis »? Numerorum undecimo: *Porta eos in sinu tuo, sicut portat mulier infantulum suum, et defer in terram, pro qua iurasti patribus eorum.*

Capitulum IV.

De tertia praelatorum ala, quae est patientia.

Similitudo notanda.

1. Tertia ala ecclesiastici Seraph est *patientia* et constans longanimitas. Sicut enim tectum tabernaculi, ut interiora munda manerent et nitida, excepit in se pulveres et imbres et ventorum impulsus [1]; ita superiores, qui fideliter subditos suos defendunt a turbine peccati, necesse est, saepe diversarum excipere tempestates adversitatum, sicut gallina pro pullis se obiicit milvo, ut eos defendat.

Ratio triplex, quare patientia necessaria. De prima tria. Primum.

2. Tria vero sunt inter alia, in quibus patientia ei necessaria maxime videtur: primo propter multiplices *labores* et *curas* et *occupationes* diversimode emergentes. *Cura* enim continua urget eum tam de spiritualis providentia disciplinae, quam de corporalis subsidii provisione; unde et Apostoli non solum de spiritualibus, sed et de temporalibus fidelium necessitatibus, maxime pauperum, solliciti erant; ad Galatas secundo [2]: *Iacobus et Cephas et Ioannes dexteras dederunt mihi et Barnabae societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem,* scilicet Evangelii praedicationem extenderent; *tantum ut pauperum Christi memores essemus; quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere.* Dominus quoque turbas, quas verbo salutis pavit, etiam pane corporali in deserto se sustinentes, cum aliunde non haberent, refecit, Marci sexto et octavo [3]. — *Occupationes* quoque variae tam ex domesticis curis, quam extraneis causis frequenter emergunt, quibus cogitur aliquatenus implicari, et quomodo se de illis expediat, anxiari. — Ex his etiam *labores* plurimi crescent discursuum, vigiliarum, tractatuum et aliarum fatigationum, pro quibus omnibus patientia ei necessaria est, ita ut Moyses mitissimus et Deo familiarissimus propter hoc in plures onus gubernationis populi sit partitus, quasi non valens tot negotia sustinere; Deuteronomii primo [4]: *Non valeo solus vestra negotia sustinere et pondus ac iurgia. Date e vobis viros sapientes et gnaros, et quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, ut ponam eos vobis principes* etc.

Secundum. Tertium.

Ratio 2. triplex.

3. Secundo est ei patientia necessaria pro *tardo profectu* illorum, in quibus continue fatigatur. Videt enim, paucos eorum proficere; videt post — quia per multos conatus suos ea quae multo labore in modico iam emendari coeperant, ex facili iterum dilabuntur, et propter plures difficultates et obstacula profectum spiritualem impedientia — quasi in desperationem tendere fructum laboris sui, sicut qui multa seminavit et pauca conspicit oriri [5]; videt etiam quandoque, quae personaliter iubet et ordinat negligenter impleri et servari; et saepe sub specie boni latenter malum subintrare, ita quod non audet aperte ut malum redarguere, cum bonum in superficie appareat, et tamen in fine per hoc maius bonum destruitur et apertioribus malis aditus aperitur; verbi gratia, ut multi salventur, plures, quam opportune tenere possumus, recipimus; sed ipsa tandem multiplicatio erit paupertatis nostrae obfuscatio, dum plures velint pluribus gaudere, non carere. Inde sequitur frequentior discursus pro acquirendo necessaria, exquiruntur viae insolitae in petendo, incautius agitur contra regulam in [6] recipiendo, quies devotionis exstinguitur, mores religiosi in dissuetudinem vertuntur, consuescunt fratres libenter evagari et diversa carnis commoda foris venari, familiaritates in regula prohibitas contrahere, munera a confitentibus quaerere, aedificationes animarum pro quaestu vendere, divitibus adulari, areas dilatare, sumtuosa palatia exaltare, scandala non curare; et Dei bonor, qui ex nostra sancta conversatione et aliorum exinde aedificatione provenire debuerat, agendo his contraria conculcatur. — Idem est de praepropera promotione iuvenum et nondum probatorum ad ordines et officia confessionis, praedicationis et praelationis. — Idem de pluribus, quae coram hominibus sunt alicuius apparentiae, sed religionis puritatem interius coram Deo obscurant; et rudes in religione, qui interna non sapiunt, putantes, in his exterioribus honestatibus totam vim spiritualis conversationis constare,

Exiguos... boris pr... ctus. Neglecti... obedienti... Malum s... specie bo... Numerus... ligiosor... nimius... Promoti... praeprop... Falsae ap... rentiae...

[1] Cfr. Exod. 26, 7. seqq. et 35, 11. — Infra contra cod. et 1, 2 Vat. *e turbine* pro *a turbine*.

[2] Vers. 9. 10. Vulgata post *et Ioannes* interserit *qui videbantur columnae esse.*

[3] Scilicet Marc. 6, 35-44; 8, 1-10.

[4] Vers. 12. 13.

[5] Cfr. Agg. 1, 6.

[6] Ita cod., edd. *vel.*

magno zelo eas defendunt et de veris virtutibus et spiritualibus non curant. Haec et alia plurima videns spiritualis praelatus, qui omnia in veritate diiudicat, tabescit et uritur, et non valens corrigere pro desiderio, in virtute patientiae mirabiliter exercetur; Psalmus[1]: *Tabescere me fecit zelus meus. Zelus domus tuae comedit me* etc.

tio 3. triplex. gratitudo prima. 4. Tertio necessaria est ei patientia pro *ingratitudine* illorum, pro quibus tanta sollicitudine laborat, scilicet quod vix unquam eis satisfacit, quin semper *conquerantur,* quod aliter posset eis et melius facere, si vellet; quia saepe perplexus est, an debeat eorum importunitatibus cedere et acquiescere in omnibus, quae cupiunt, vel rigide tenere quod credit esse magis expediens; ad Philippenses primo[2]: *Quid eligam, ignoro; coarctor autem e duobus, desiderium habens dissolvi et esse cum Christo* etc. Secunda. — Item, quod *invertunt* ei plurima, quae facit, et interpretantur ad deterius, et super his visitant eum et murmurant et accusant et detrahunt ei et sumunt inde materiam scandali, unde putabat se Deo et ipsis obsequium praestitisse, ita quod vix in aliquo potest inveniri remedium, in hoc quod ordinat aut quod facit, quin semper aliquibus displiceat et turbentur. Tertia. — Item, quod etiam in faciem quidam *resistunt* ei, vel litteris arguunt eum et despiciunt et concitant alios, ut se ei opponant, vel astute impediunt, ne possit perficere quae deberet.

otum patiae triex. e primo. 5. His et aliis adversis, quibus diversimode impetitur, triplici patientiae scuto studeat se[3] opponere: primo, ut *modeste et mature et benigne ad singula respondeat* et impetum fervoris reprimat, ne in voce aut vultu seu moribus impatientiam ostendat. Tunc enim magis proficit per patientiam et tandem devincit quos impetuose agendo amplius provocaret. Sic Gedeon, modeste respondens viris Ephraim contra se iurgantibus, compescuit *spiritum eorum, quo tumebant,* Iudicum octavo[4]; Proverbiorum decimo quinto: *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem.* Vix enim commotio commotione sedatur, et vitium vitio non sanatur. patientia icit octo mala. — Impatientia enim praelati confundit quae promovere poterat bona, his modis. Alios scandalizat; Proverbiorum decimo quarto[5]: *Qui impatiens est exaltat stultitiam suam,* scilicet aliis pandendo. — Reddit eum subditis et aliis contemptibilem; Proverbiorum duodecimo: *Qui vanus et excors est patebit contemptui.* — Facit eum exosum et horrendum; Ecclesiastici nono: *Terribilis est in civitate sua homo linguosus, et temerarius in verbo suo odibilis erit.* — Provocat alios ad impatientiam; Proverbiorum decimo quinto[6]: *Vir iracundus provocat rixas, qui autem patiens est mitigat suscitatas.* — Non audent ei subditi necessitatem suam aperire; Iob quarto: *Si coeperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies.* — Replet domum murmure et rancore; Proverbiorum undecimo: *Qui conturbat domum suam possidebit ventos,* scilicet conspirationum. — Teneros mente fugat et pusillanimes facit; Proverbiorum decimo octavo: *Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere?* — Nemo audet eum monere de his quae forent emendanda; primi Regum vigesimo quinto: *Ipse est filius Belial, ita ut nemo possit ei loqui.*

6. Secundo, *studeat esse pacificus,* ut nec vindicet se de illatis iniuriis nec in corde oderit illos nec curam eorum[7] segnius agat nec quaerat eos a se removere, immo libentius teneat eos, ut per hoc et illos et alios aedificet, benefaciendo ingratis, et ut per se virtutis exercitium in eis habeat, exemplo summi Pastoris; Lucae sexto[8]: *Eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos.* Cum enim sit proprie officium pastoris docere virtutes, si vitiosos removet a se, quos docebit? Si medicus fugit aegrotos, quos curabit? Si fortis tiro declinat impetentes se, quomodo assequetur triumphum gloriae? Si negotiator negligit merces, in quibus magna lucretur, quomodo poterit ditari? Inde est, quod inter alios tot sanctificati sunt episcopi et praelati, quia tam agendo bona quam patiendo adversa et alios aedificando ad alta perfectionis culmina officii sui occasione pervenerunt; primae ad Timotheum tertio[9]: *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* De secundo.

7. Tertio, sit *patiens,* ut non minus sit voluntarius et studiosus ad exsequenda ea quae officii sui sollicitudo requirit, propter taedium laboris vel tarditatem profectus vel importunitates subditorum vel alia gravamina, quia sic ad alta merita pervenitur; secundi Paralipomenon decimo quinto[10]: *Vos ergo confortamini, et non dissolvantur manus vestrae; erit enim merces operi vestro.* Istae *manus* praelati sunt *instantia* in agendo et *patientia* in sufferendo quod gravat; quae si *non dissolvantur* per desidiam seu intolerantiam, *merces* aeterna ei cumulatur. De tertio.

8. Per has namque adversitates rector *a peccatorum pulvere purgatur,* quem contrahit ex humanae infirmitatis surreptione. *In multis enim offendimus omnes*[11]; etiam in pluribus negotiis plures negligentiae saepe fiunt, a quibus purgari necesse habent hic praelati, ne illic durius puniantur; Triplex utilitas adversitatum. De prima.

---

[1] Psalm. 118, 139; deinde Ps. 68, 10: Zelus domus etc.
[2] Vers. 23. — Supra pro *quod saepe* substituimus *quia saepe.*
[3] Edd. 1, 2 et cod. omittunt *se.*
[4] Vers. 1-3; sequitur Prov. 15, 1.
[5] Vers. 29; sequuntur Prov. 12, 8; Eccli. 9, 25.
[6] Vers. 18; sequuntur Iob 4, 2; Prov. 11, 29; 18, 14; denique I. Reg. 25, 17.
[7] Vat. omittit *eorum,* refragantibus cod. et 1, 2; infra pro *per se* mallemus *pro se.*
[8] Vers. 35. — Infra cod. *proprium officium* loco *proprie officium.*
[9] Vers. 1.
[10] Vers. 7. — Supra Vat. corrupte *si patiens non* pro *sit patiens, ut non.*
[11] Iac. 3, 2; sequitur II. Reg. 7, 14.

secundi Regum septimo: *Si inique aliquid gesserit, corripiam eum in virga virorum et in plagis filiorum hominum.*

De utilitate secunda.

9. Item per has, dum deprimitur, *a tumore superbiae custoditur,* quae potentibus periculosius insidiatur, dum et sublimitas officii et libertatis licentia et boni operis placentia facile mentem eius extollerent, nisi adversitatis iugum collum praesumtionis eius humiliaret et sic a superbiae voragine defensaret; Iob trigesimo tertio [1]: *Erudiens instruit disciplina, ut avertat hominem ab his quae fecit, et liberet eum de superbia, eruens animam eius a corruptione et vitam illius, ut non transeat in gladium. Increpat quoque per dolorem in lectulo* etc. Custos enim salutis et profectus boni rectoris est humiliatio adversitatis, sine qua eum successus prosperitatis cito relevasset in ventum praesumtionis. Unde David secundum cor Dei electus, quando premebatur adversis, devotissimus fuit et humilis; quando autem extollebatur prosperis, incidit in culpam offensionis; Psalmus [2]: *Bonum mihi, quia humiliasti me* etc.

De tertia.

10. Item, ut dictum est [3], *meritum eius exinde multiplicatur,* dum non solum pro bonis, quae in se et in aliis promovet, gloriam acquirit, sed et pro adversis, quae patitur, magnifice coronatur, sicut aurum, quod per ignem probatur, fit pulcrius et pretiosius; Sapientiae tertio [4]: *Tanquam aurum in fornace probavit illos* etc. Saepe autem spiritualis profectus crescit, dum non sentitur, et roboratur, cum magis infirmari putatur; Marci quarto [5]: *Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo iaciat sementem in terram et dormiat et exsurgat nocte ac die, et semen germinet et crescat, dum nescit ille* etc.

Notandum.

— Non autem mirum, si omnes conatus rectoris non proficiunt in omnibus, cum nec Dei operatio in omnibus proficiat ad salutem ipsorum, et *multi sint vocati, et pauci electi.* Omnia enim, quae seminantur, non convalescunt, et qui thesauros effodiunt libenter multam terram eruderant, ut modicum auri vel argenti reperiant. Tantus autem profectus est boni rectoris, quantum foret detrimentum, si non esset, sicut lux tantum est bonum, quantum eius absentia malum.

Ratio consolandi pri...

Secunda.

— Animare etiam debet rectorem ad laboris tolerantiam, quod non minus meretur in illis qui deficiunt vel modicum proficiunt, quam in his qui maxime proficiunt. Non enim dicit Apostolus primae ad Corinthios tertio [6]: *Unusquisque propriam mercedem accipiet* secundum suum profectum, sed *secundum suum laborem;* Dei enim est *incrementum dare.* Plus enim laborat doctor in indocili quam in docili discipulo, et ideo apud iustum aestimatorem laboris plus meretur. In terra sterili et saxosa agricola plus laborat, etsi fructus paucior, sed pretium maius, et quae difficilius elaborantur saepe carius venduntur.

Capitulum V.

De quarta praelatorum ala, quae est exemplaritas vitae.

Affertur similitudo.

1. Quarta ala est, ut sit *exemplaris in vita.* Ipse namque debet ceteris esse norma vivendi, ut quae docet verbis ostendat actionum figuris, sicut qui geometriam docet pingit in sabulo figurarum demonstrationes, ut quod dicit melius capiatur; Actuum primo [7]: *Coepit Iesus facere et docere,* et Ioannis decimo tertio: *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, et vos ita faciatis;* Iudicum septimo: *Quod me facere videritis, hoc facite.* Quamvis igitur non solum in praefatis, sed in omnibus virtutum exemplis debeat rector praecedere subditos; specialiter tamen in his tribus, scilicet in *communis observantiae conformitate,* in *mansuetudinis humilitate* et in *maturitatis honestate;* ad Titum secundo [8]: *In omnibus te ipsum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate.*

Exemplaris sit in tribus.

Primo vita communi.

2. *Communem vitam* cum ceteris observet in victu et vestitu et labore, ut non vacet conviviis et potationibus, cum alii sobrio cibo et potu utantur; nec sit eis dissimilis habitu, cum quibus est ei professio communis. Nec a labore ceterorum se subtrahat qui illos iubet in eisdem laboribus exerceri. Pastor, si se a grege segregat, oves insidiis luporum exponit. Sanus sit sanis et infirmus infirmis; primae ad Corinthios nono [9]: *Factus sum infirmis infirmus,* scilicet exemplar, *ut infirmos lucrarer. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.*

Notandum.

Nam si *sanus* debiliter vivat, facit eos exemplo suo carnales; si vero *infirmus* recuset infirmorum

---

[1] Vers. 16-19, ubi Vat. et 1, 2 pro *de superbia* habent *desuper,* dein *lecto* pro *lectulo.*

[2] Psalm. 118, 71.

[3] Num. 7.

[4] Vers. 6. — Superius pro *probatur, fit* (ita cod.) Vat. et 1, 2 *probatum fit.*

[5] Vers. 26. 27; sequitur Matth. 22, 14. — Infra pro *terram eruderant* (ita cod. et 1, 2.) Vat. mendose *terram eruperant.*

[6] Vers. 8, et respicitur ibid. v. 7.

[7] Vers. 1; sequuntur Ioan. 13, 15; Iudic. 7, 17.

[8] Vers. 7.

[9] Vers. 22. Pro *lucrarer* Vulgata *lucrifacerem.*

remedia, facit eos pusillanimes, innuens, quod aut velit eos similiter facere, aut non cupiat eis, ut melius fiat illis. Alacrius certat miles in acie, si ducem suum secum cernit laborem certaminis tolerare; Actuum primo[1]: *In omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Iesus, incipiens a baptismate Ioannis usque ad diem, qua assumtus est a nobis* etc., hoc est a primo tempore, quo coepit habere discipulos post baptismum, usque quo ascendit ad Patrem, semper exemplo suo erudivit nos, *intrans,* familiariter cum discipulis vivendo, et *exiens,* utiliter cum turbis, prout congruebat, conversando.

...cundo, in ...plici mansuetudinis humilitate. De prima.

3. Sit etiam *humilis moribus*, ut mores eius ostendant, eum non alta de se sentire nec affectare praelationem, sed timere et coactum tenere et magis desiderare subesse et eos quibus praeest, meliores se iudicare, et eorum potius se servum quam magistrum vel dominum reputare; Lucae vigesimo secundo[2]: *Qui maior est in vobis fiat sicut minor, et qui praecessor est sicut ministrator. Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat* etc.; Ecclesiastici trigesimo sécundo: *Rectorem te posuerunt? Noli extolli, esto in illis quasi unus ex ipsis.*

...secunda.

4. Sit etiam *humilis affabilitate*, ut subditi facilem accessum ad eum habeant et fiducialiter ei loqui, de quibus indigent, audeant; et patienter eos audiat et benigne eis satisfaciat et studiose instruat et alacriter exhortetur; studeat magis amari quam timeri, quia libentius obeditur[3] ei qui diligitur, quam qui timetur. Obedientia dilectionis proprie est voluntaria, timoris autem magis est coacta; quanto autem illa habet de voluntario, tanto sublimior est in merito; finis autem officii regiminis est commissos sibi ad vitam aeternam dirigere et ad similia virtutum merita fideliter promovere.

De tertia.

5. Sit etiam *humilis in usu rerum temporalium*, ut nihil habeat pomposum vel diligat, sed omnia, quae habere videtur, paupertatem voluntariam demonstrent et humilitatem ostendant, scilicet vestes, libri, cella, lectulus, utensilia, mensa, pallia et huiusmodi, ut nihil in omnibus appareat, quod notam iactantiae vel curiositatis habeat, nec talia fieri ab aliis patiatur. Similia etenim similibus congaudent, alta sublimibus, humilia humilibus delectando. Non est autem humilis cordis indicium curiosa quaerere, pretiosa affectare et excelsa ambire; Iob quadragesimo primo[4]: *Omne sublime videt, ipse est rex super universos filios superbiae.*

Tertio, in ...plici maturitatis honestate. De ...ima.

6. *Maturitatis honestas* perpenditur in tribus, scilicet, si non sit *levis in moribus*, videlicet in verbis et iocis scurrilibus et irreligiosis, quae, licet in se quandoque quasi grata putentur, minus tamen reverendum faciunt et verendum; Gregorius[5]: « Non facile eius praedicatio recipitur, si levis in moribus videtur ». Nam etsi praelatus magis diligendus sit, expedit tamen, ut et ab insolentibus timeatur. Ipse amor aliquo modo suavior sentitur cum reverentia mixtus; quod patet in amore summi Conditoris, cuius, quo maiestas sublimior agnoscitur, dignationis dulcedo sapidius amatur; Psalmus[6]: *Dulcis et rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via.*

Notandum.

De secunda.

7. Item, si non sit *levis in affectu* per privatos amores notabiles tam ad feminas quam ad quaslibet leves personas. Licet enim meliores in affectu praeferendi sint minoribus, et omnes propter spem salutis in Christo amplectendi sint; in actu tamen exterioris exhibitionis taliter se gerat ad omnes, ut nullus se ab eo contemni propter alios suspicetur, sed quilibet se ab eo diligi praesumat et fiducialiter ei quasi singulari amico confidat, ne alicui indignatio et invidia in aliis nutriatur, sicut fratres Ioseph, qui oderunt eum, pro eo quod a patre singularius amaretur, Genesis trigesimo septimo[7].

De tertia.

8. Item, si non sit *levis in proposito* et inconstans in consilio, ut quod iam placet mox displiceat; modo velit unum, modo contrarium, ubi rationabilis causa non apparet. Quis enim eius iudicio credat, vel eius voluntati se contemperet, quem in neutro stabilem agnoscit? Ideo eius subiecti non possunt eius revereri prudentiam nec sciunt se parare ad voluntatis eius obedientiam, et in utroque non potest esse modicum nocumentum; primae ad Thessalonicenses quinto[8]: *Omnia probate, quod bonum est tenete;* et *facite sine haesitatione et retractationibus,* quaecumque facitis. Ubi tamen causa rationabilis subest iustae necessitatis vel piae utilitatis, ut aliter et aliter aliquid fieri expediat; non est hoc levitatis, sed maturitatis, quia, sicut stultum esset melius mutare in deterius, sic etiam stolida est obstinatio tam pertinaciter inhaerere conceptis, ut pro maiori bono et aperto ab eis flecti non possit; Esther decimo sexto[9]: *Nec putetis, si diversa iubeamus, ex animi nostri venire levitate, sed pro qualitate et necessitate temporum, ut reipublicae poscit utilitas, ferre sententiam.* Unde et Apostolus excusat se, cum promiserit Corinthiis, se venturum, quod non levitate hoc promiserit, sed pro eorum utilitate: *Volui prius venire ad vos* etc.; Ecclesiastici decimo: *Secundum iudicem populi, sic et ministri eius; et*

Notandum.

---

[1] Vers. 21. 22.

[2] Vers. 26. 27. Post *ministrator* sola Vat. addit *ait Dominus*. Sequitur Eccli. 32, 1.

[3] Sola Vat. *obedietur*, et infra *quanto ergo* pro *quanto autem*.

[4] Vers. 25.

[5] Libr. I. Homil. in Ezech. homil. 3. n. 4.

[6] Psalm. 24, 8.

[7] Vers. 3. seqq. — Supra pro *quilibet se ab eo* cod. *quod se ab eo*, 1, 2 *qui se ab eo*.

[8] Vers. 21; et respicitur Phil. 2, 14: Omnia autem facite sine murmurationibus et haesitationibus. — Supra pro *stabilem agnoscit* Vat. et 1, 2 *stabilem agnoscat*.

[9] Vers. 9: Nec putare debetis, si etc. Sequuntur II. Cor. 1, 15; Eccli. 10, 2.

qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea.

Utilitas boni exempli.

9. Boni magistri bonos discipulos facere consueverunt ut frequentius; multi fierent meliores in Religionibus et in Ecclesia, si melioris vitae eis exempla a suis doctoribus proponerentur. Negligentia vero huiusmodi ab illis qui culpabiles sunt, districte in iudicio requiretur; Ezechielis trigesimo quarto [1]: *Ecce, ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum.* Doctrina verborum sine exemplis operum est sicut caementum sine calce, aridum et invalidum; Ezechielis decimo tertio: *Ipsi liniebant parietem absque temperamento; dic eis, quod casurus sit.* De correctis exemplaribus correcta scribuntur volumina, de corruptis corrupta. Tenacius inhaeret doctrina operum quam verborum; « nam cuius vita despicitur, restat, ut eius praedicatio contemnatur [2] ». Rector enim praecipue ad hoc studere debet, ut sibi commissos faciat christiformes, id est, ut formam vitae ac doctrinae Christi eis imprimat, ut non solum mente eum attendant, sed et moribus imitentur; ad Ephesios quinto [3]: *Estote imitatores Dei sicut filii carissimi,* et ad Galatas quarto: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Sed cum ex verborum doctrina minus capiant de doctrina Christi, debent etiam formam eius visibilem in se ipsis ostendere, ut eis profundius imprimatur, dicentes cum Apostolo primae ad Corinthios undecimo [4]: *Imitatores mei estote sicut et ego Christi,* quasi dicat: si formam Christi desideratis ad imitandum agnoscere, in meis hanc moribus considerate; ad Galatas secundo: *Vivo autem, iam non ego; vivit vero in me Christus.* — Vicarius enim Christi vicem Christi debet gerere in *beneplaciti eius promotione*, in *potestatis eius auctoritate* et in *similitudinis eius repraesentatione,* scilicet ut ea quae vult, promoveat in subditis, et eius auctoritate illa possit, quae eis expediunt, et eum in se imitabilem illis moribus et vita demonstret; secundae ad Corinthios quarto [5]: *Non enim nosmetipsos praedicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per Iesum.* Ille vero se ipsum et non Christum praedicat, qui gloriam propriam quaerit dicendo, et qui malis exemplis se potius quam Christum ingerit subditis imitandum; ad Galatas quarto: *Aemulantur vos non bene, sed excludere vos volunt, ut illos aemulemini,* hoc est, non bono zelo praesunt vobis qui per sua prava exempla excludunt vos ab imitatione Christi, ut mores eorum discatis et exempla sequamini.

Similitudines. Notandum. Praela[ti] gerere de[bent] vicem C[hri]sti in tri[bus].

Capitulum VI.

De quinta ala praelatorum, quae est circumspecta discretio.

Necessitas eiusdem.

1. Quinta ala ecclesiastici huius Seraph est *circumspecta discretio* et provida faciendorum consideratio; quae quam necessaria sit rectori animarum, Salomon ostendit, qui, habens a Deo postulandi quae vellet optionem, praetermissis omnibus, petivit sapientiam, sine qua asseruit non posse populum bene regi; tertii Regum tertio [6]: *Dabis ergo, Domine, servo tuo cor docile, ut iudicare possit populum tuum et discernere inter bonum et malum;* et: *Ad vos ergo, reges, sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam et non excidatis. Et nunc, reges, intelligite, erudimini qui iudicatis terram.* Rector enim est dux gregis sibi commissi, et si ipse erraverit, grex in dispersione confusus interibit. Sicut oculus est lux totius corporis, ita pastor gregis commissi; Matthaei quinto [7]: *Vos estis lux mundi* etc. Secundum quod oculus est clarus et obscurus, sic etiam corpus ab eo regitur directe vel per devia.

Duplex [re]quiritor [dis]cretio. Bonum, [nisi] fiat bene, vitium. Proba[tur] quoad 4 [vir]tutes.

2. Duplex ergo circumspectio rectori necessaria est, ut sciat, *quid* agendum sit et *qualiter.* Nam nec bonum simpliciter bonum est, nisi bene fiat, id est, sicut decet. Bernardus [8]: « Tolle discretionem, et virtus vitium erit ». Sine ipsa *zelus praecipitat;* ad Romanos decimo: *Aemulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.* Item, *compassio condescendit usquequaque* sub specie pietatis; Proverbiorum decimo tertio [9]: *Qui parcit virgae odit filium,* hoc est, qui sub specie pietatis peccantem non corrigit animam eius ad interitum mittit. Item, *patientia sine discretione remissum in regiminis vigore facit,* cum sub specie humilitatis rebelles non reprimit; secundi Paralipomenon decimo tertio: *Roboam erat rudis et corde pavido nec poterat resistere eis,* scilicet qui se Domino et sibi opposuerant. Item, sine discretione qualecumque *bonum exemplum inefficax* fit ad aedificandum alios, sicut bonus cibus

---

[1] Vers. 10; deinde Ezech. 13, 14: Et destruam parietem, quem linistis absque temperamento; et v. 11: Dic ad eos qui liniunt absque temperatura, quod casurus sit.

[2] Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 12. n. 1. — Infra pro *vitae ac doctrinae* sola Vat. *vitae ad doctrinam.*

[3] Vers. 1; deinde Gal. 4, 19.

[4] Vers. 1; sequitur Gal. 2, 20.

[5] Vers. 5; sequitur Gal. 4, 17.

[6] Vers. 9; sequitur Sap. 6, 10. Pro *excidatis* Vat. et 1, 2 *excedatis.* Tertius locus est Ps. 2, 10.

[7] Vers. 14.

[8] Serm. 49. in Cant. n. 5. — Sequitur Rom. 10, 2.

[9] Vers. 24; sequitur II. Paralip. 13, 7.

non est delectabilis sine condimento salis; Levitici secundo [1]: *In omni oblatione tua offeres sal. Rationabile obsequium vestrum. Si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti,* hoc est, bona facere non sufficit, nisi discrete, *qualiter, quando, ubi, quare* agendum fuerit, videatur.

3. Quamvis autem plurima sint, circa quae oportet rectorem esse circumspectum, quae non possunt breviter poni, tamen quatuor videntur praecipua, in quibus debet eius providentia vigilare. Exodi vigesimo octavo [2] iubetur pontifex ingrediens sanctuarium, ut ministret Domino, inter alia ornamenta semper in pectore *rationale iudicii* deferre, et in ipso *quatuor ordines gemmarum,* ita quod quilibet ordo *tres lapides* contineat pretiosos, auro inclusos etc. Pontifex Domino ministrans sanctuarium ingreditur, cum praelatus curam animarum suscipit, ut in earum salvatione Deo gratissimum praestet obsequium; nullum enim Deo gratius sacrificium quam zelus animarum. Qui inter alia virtutum insignia semper debet rationis iudicio *quatuor* ad officium suum spectantia in pectore versare. Primum est, quomodo in statu debito *commissos sibi gubernet,* ut boni sui proficiant et persistant; secundum, quomodo *lapsos et devios corrigat* et emendet; tertium, quomodo *exteriora negotia,* quae requiruntur ab eo, *congrue disponat;* quartum, quomodo *se in his custodiat* et gerat. — *Tres lapides* in singulis versibus, sunt tria ad singula eorum quatuor pertinentia.

...cretio re-...irit 4 of-...ia.

...emplum ...riptorae.

...uatuor ...elati offi-...cum suis ...ervantiis ...ribus.

4. Ad *statum debitum tenendum* convenit, ut rector omnium subditorum mores et conscientias et vires *perspicue agnoscat,* ut, secundum quod unicuique expedit, onus observantiae regularis imponat. Non enim omnes omnia possunt aequaliter, et *unusquisque proprium habet donum ex Deo, alius sic, alius vero sic* [3]; Numerorum quarto: *Aaron et filii eius intrabunt, ipsi quoque disponent onera singulorum,* et divident, *quid portare quis debeat. Aaron et filii eius* sunt praelati maiores et minores, qui debent *intrare,* id est interiora cuiusque agnoscere, et secundum quod convenit, singulis onus religiosae conversationis imponere et propter triplicem observantiae qualitatem, quae sunt *tres lapides* pretiosi in primo versu quatuor ordinum praedictorum.

De primo ...tio quoad ... obser-...tias.

5. Prima observantia consistit in illis quae sunt iuxta cuiusque professionis formam de *necessitate salutis,* quae ita annexa sunt Ordini et Regulae, ut eorum transgressio temeraria inducat mortale peccatum, ut est obedientia praecepti, voluntaria paupertas, castitas et alia praeceptorie imperata, in quibus locum non habet dispensatio magistri, cum et ipse sit ad ea servanda ligatus. Haec necesse est praelatum vigilanter agnoscere, quia tenetur ea facere ab omnibus studiose servari et nolentes cogere ad servandum et pro nulla causa permittere, quantum in se fuerit, aliquem contraire, etiam si magna propter hoc sibi et fratribus tribulatio seu dispendium immineret; ad Romanos octavo [4]: *Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* quasi dicat: non debet. — Hoc est contra illos qui dicunt: si sic, vel sic, non acquireretur necessitas fratribus, nec possent hic aliquatenus sustentari. Cum talis forma conquirendi est contra Regulam et in scandalum et Religionis deformitatem; melius est, ibi non esse religiosos, ubi non possunt, vel volunt [5] vivere ut religiosi, quia tunc nec ipsi pereunt, nec alii de ipsis scandalizantur: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt; expedit ei, ut* etc. Quid ergo qui multos et magnos scandalizat? — Ista consideratio *prima* debet esse *gemma* lucens in pectore pontificis, id est prae omnibus curanda.

...observan-... et gem-...a 1.

Obiectio solvitur.

6. Secunda observantia versatur circa illa quae spectant ad *exercitium altioris perfectionis,* scilicet singularis patientiae, admirandae humilitatis, stupendae caritatis, arduae sobrietatis, eximiae paupertatis et sublimis devotionis et similium virtutum. Ad illas [6] debet rector commissos exhortationibus, monitis et exemplis efficacibus afficere et attrahere magis quam invitos cogere. Consilia enim perfectionis suadentur, non imperantur, praeter ea quae in voti emissione exprimuntur, ut continentia. Praecipua tamen causa monasticae institutionis fuit, ut esset schola palaestralis exercitii perfectionis. *Palaestra,* ut dicitur, fuit ludus nude luctantium, qui se oleo perungebant, ne a colluctantibus teneri possent et ita ad terram deiici; et apte similatur luctamini religiosorum; primae ad Corinthios nono [7]: *Omnis enim, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* — Rector igitur et hanc gemmam ferat in pectore, ut sectatores suos doceat et provocet non solum viam tenere, qua salventur, sed etiam ad perfectionem tendere, per quam sublimem in caelo gloriam assequantur.

De observantia et gemma 2.

Notandum.

7. Tertia observantia consistit in illis quae nec sunt de pura necessitate salutis nec de eminentia perfectionis, sed tamen *ad utriusque acquisitionem et conservationem* a sanctis Patribus apte *statuta sunt* ad exercitium bonorum operum et decorem ipsius Religionis et ad aedificationem intuentium, ut

De observantia et gemma 3.

---

[1] Vers. 13; dein Rom. 12, 1; Gen. 4, 7 (sec. Septuaginta).

[2] Vers. 15. seqq. De horum versuum mystica interpretatione multiplici cfr. Glossa *ordinaria* apud Lyranum, et Collationes in Hexaëm. collat. 14. n. 12.

[3] Epist. I. Cor. 7, 7, ubi Vat. et 1, 2 mendose *unus quasi* pro *unusquisque.* Sequitur Num. 4, 19.

[4] Vers. 35 seqq. — Infra pro *fratribus, nec* sola Vat. *fratribus, ne.*

[5] Sola Vat. praefigit *non.* — Locus seq. est Matth. 18, 6.

[6] Vat. *ad quas,* refragantibus cod. et 1, 2. Supra post *Secunda* ex cod. supplevimus *observantia,* item infra n. 7. post *Tertia.*

[7] Vers. 25.

sunt ieiunia, silentium, solemnitas divinorum officiorum et exteriores corporalium exercitationum honestates, quae iuxta Apostolum, primae ad Timotheum quarto[1], tam utiles sunt sicut instrumenta pro artificiis, quae possent et aliter peragi a peritis, cum prius fuerint artes quam talia instrumenta. Unde discretus praelatus, cum necessitas exigit, vel maior utilitas requirit, dispensat in causa pro talibus pro loco et tempore, sine difficultate, cum viderit expedire. Ubi autem maior utilitas vel necessitas non exigit, studiose faciat ea servare. — In hoc indiget praelatus non modica discretione, ut sciat inter rigorem et remissionem medium tenere. Si autem nimis fuerit rigidus, et ipse minus erit dilectus fratribus, et illi minus erunt voluntarii ad alia, quae utiliora et necessariora forent. Rursum, si fuerit plus, quam convenit, remissus, in talibus cito maior dissolutio subsequetur. *Qui spernit modica paulatim decidet*[2].

Notandum.

8. Circa *lapsorum correptionem* discretio praelati similiter vigere debet. Hic est ordo secundus, tres gemmas continens, quia triplex continentia[3] ad hoc est necessaria, sicut sunt tria genera delinquentium. — Quidam enim, cum deliquerunt, mox, aut intus moti a spiritu, aut foris correpti ab homine, *ad poenitentiae remedium confugiunt.* His cum clementiae fomentis medicus spiritualis remedia satisfactionis sic temperata debet adhibere, quibus et satisfaciant Deo de offensis et proximo de scandalo, ut ceteri peccare magis timeant; et tamen propter levitatem remedii ipsos non poeniteat, se poenitentiae submisisse; ad Galatas sexto[4]: *Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis,* subaudi: medici, *huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans temetipsum* etc., id est, talem ei satisfactionem imponite, per quam cognoscat pondus reatus sui, ita tamen clementer, sicut tibimet velles alium compati, si tali peccato delinqueres. — Et haec est una gemma secundi ordinis discretio talis.

De secundo officio quoad 3 genera delinquentium.

De modo delinquendi et gemma 1.

9. Alii, cum delinquunt, *tegunt, palliant, defendunt,* et virus interius latet. Et licet rector ex certis indiciis deprehendat, ibi saniem putridam esse collectam, tamen non ita erumpit exterius, nec per evidens testimonium nec per voluntariam confessionem, quod possit opportune ferro apertae correctionis secare. Si corripit, non proficit et videtur magis vitiorum diffamator quam vitiosorum corrector; si movetur et dissimulat, uritur et anxiatur tam pro anima fratris quam pro se, quia non corrigit delinquentem. Cum ergo aliud congrue facere non possit, oportet, ut dissimulet et[5] patientiam suam exerceat; et quod arguendo non valet orando laboret obtinere, ut aut Deus citius demum corrigat, aut latentem eius malitiam detegat, ut aliquod remedium apponatur; sicut Dominus Iudam proditorem diu tacite toleravit, quia eum aperte non corripuit, donec in tantum eius iniquitas crevit, quod per se patenter erupit; quae, quamdiu latuit, licet in se letaliter aegrotaret, tamen aliis non nocuit, et ideo irreprehensibiliter potuit tacite tolerari; Matthaei decimo tertio[6]: *Sinite utraque crescere usque ad messem,* id est zizania cum tritico; Apocalypsis ultimo: *Qui in sordibus est sordescat adhuc.* — Debet tamen talibus, ubi potest, caute caveri ab occasione peccandi et in communi moneri debent, ut resipiscant; Matthaei vigesimo sexto: *Vae homini illi, per quem Filius hominis tradetur.* Sed cum ad tam singulare facinus non potuisset Iudas subito proruisse, nisi diu paulatim in deterius semper prolapsus; apparet, eum a Domino in malo statu diu occulte toleratum: *Ego tacens et quasi non videns*[7]. Talis ergo dissimulatio in corde rectoris multa discretione indiget, ut in neutro deviet a iusto. — Et haec est gemma secundi ordinis secunda in pectore sacerdotis.

De modo delinquendi et gemma 2.

Notanda

Cautela adhibenda

10. Tertii *offendunt graviter, aperte et non recipiunt debitam correctionem,* vel ficte recipiunt, quia non emendantur, et alii ex eis fiunt deteriores, vel scandalizantur de ipsis, vel imitari eos incipiunt, si vident, eos impune peccare, volentes sibi parci, sicut illis parcitur. Ubicumque ergo quatuor illa conveniunt, scilicet *graviter, aperte peccare,* et *non esse spem correctionis* propter obstinationem seu inveteratam mali consuetudinem, et *alios infici* per eius exemplum, vel scandalizari, quia talia tolerantur; quid restat, nisi ut ovis morbida abiiciatur, et membrum putridum praecidatur, ne sana inde inficiantur et corrumpantur? ad Galatas quinto[8]: *Utinam et abscindantur qui vos conturbant;* primae ad Corinthios quinto: *Auferte malum ex vobismetipsis. Quodsi infidelis discedit, discedat;* Lucae decimo tertio: *Succide ergo illam,* scilicet ficum infructuosam, *ut quid etiam terram occupat?* Matthaei tertio[9]: *Omnis arbor, quae non fert fructum bonum, excidetur;* Numerorum quinto: *Praecipe filiis Israel, ut eiiciant de castris omnem leprosum, et qui semine fluit pollutusque est super mortuo, ne contaminent ea, cum habitaverint vobiscum* etc. Ad ista tamen non debent impetu ferri, sed maturo consilio prudentum et spiritum Dei et

De modo delinquendi et gemma 3.

---

[1] Vers. 8: Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem etc.

[2] Eccli. 19, 1.

[3] Ita cod. et edd. Si non est error librariorum, accipi debet cum Du Cange, Glossarium etc. in sensu: Habitus moris et gestus conformatio, Gallice *Contenance.*

[4] Vers. 1.

[5] Ita cod., Vat. et 1, 2 *portet, dissimulet, patientiam* etc.

[6] Vers. 30; sequuntur Apoc. 22, 11; deinde Matth. 26, 24.

[7] Isai. 57, 11. — Supra post *prolapsus* supple: esset.

[8] Vers. 12; sequuntur 1. Cor. 5, 13; 7, 15: Quodsi infidelis etc.; Luc. 13, 7.

[9] Vers. 10; sequuntur Num. 5, 2. 3; deinde Eccli. 32, 24. (Vulgata: Fili, sine consilio nihil facias etc.) Matth. 18, 6.

donum consilii habentium; Ecclesiastici trigesimo secundo: *Omnia cum consilio fac, et post factum non poenitebis;* Matthaei decimo octavo: *Qui scandalizaverit unum ex pusillis istis qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, et demergatur in profundum maris,* hoc est, cuius vita in habitu Religionis magis scandalizat simplices, quam aedificet, expedit, ut foris missus solus damnetur, quam per eum sacra Religio contaminetur.

11. Tertius ordo versatur circa *negotia*, quae per praelatum sunt disponenda, quorum alia expedit, ut *aliis disponenda committat*, alia *per se ipsum disponat*, alia *praecidat et removeat,* quantum valet. Sic Christus commisit alia discipulis procuranda, ut Iudae loculos, sibimet retinuit praedicationis et curationis officium; Lucae duodecimo [1], requisitus, ut inter fratres quosdam hereditatem divideret, respondit: *Homo, quis me constituit iudicem aut divisorem inter vos?*

tertio of-io quoad gotia tri-citer dis-oenda.

12. *Exteriora et temporalia corporalis necessitatis officia*, si per se ipsum voluerit actu disponere, impeditur ab interiorum et meliorum provisione, quia sparsus ex se mentis oculus minus videt interiora et necessariora saluti; Exodi decimo octavo [2]: *Esto tu populo in his quae sunt ad Deum. Et levius feres, partito in alios onere*, scilicet leviorum; Actuum sexto: *Non est aequum nos relinquere verbum Dei et ministrare mensis* etc. Si alios non haberet, quibus curam exteriorum committeret; potius deberet ab alio fraudem in temporalibus pati, quam ipse praelatus in talibus occuparetur, exemplo Christi, qui sciens, Iudam esse furem, tamen permisit, eum exteriora procurare; Ioannis duodecimo [3]: *Fur erat et loculos habebat et ea quae mittebantur, portabat.* Hoc est contra illos qui facilius inveniunt quibus curam animarum committant, quam rerum suarum temporalium, cum incomparabiliter maius sit dispendium, periclitari animas, quam res perire.

gotia tem-ralia aliis mmitten-da.

13. *Spiritualia* vero et quae ad salutem necessaria sunt et profectum virtutum principaliter debet animarum custos et rector sibimet curanda retinere, cum haec sint de substantia officii pastoralis, et de his maxime sit in iudicio rationem Domino redditurus. Haec sunt, qualiter Regula studiose servetur et alia statuta et Ordinis disciplina; item, quod pax et dilectio sit inter fratres; item, ad ipsum pertinet conscientias singulorum agnoscere et de quibuslibet perplexitatibus expedire, pericula peccatorum providere et praecavere, monere fratres, ut proficiant, corrigere corrigenda, elucidare dubia, informare singulos, qualiter officia sibi commissa congrue administrent, quo et fratribus, prout convenit, sufficiant et conscientiam non offendant. Ubi vero non potest hominibus satisfieri nisi cum offensa Dei, ibi servetur ad Deum obedientia et ad homines patientia; Actuum quinto [4]: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* — Praelatus vero gerit vicem *capitis* in corpore fraternitatis, ut, cum alia membra dedita sunt actionibus sibi competentibus, caput omnibus praesidendo provideat, quasi omnium sensuum capax et omnia regens et sensum et motum omnibus transmittens per iussiones vel concessiones sanctae obedientiae quasi quorundam compaginatione nervorum. Unde et caput singulari actione non occupatur, ut vacet omnium membrorum provisioni; omnibus enim proficit, pro omnibus audit, odorat, gustat et loquitur: sic et praelatus sibi commissis; ad Hebraeos decimo tertio [5]: *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

piritualia ipso pro-ioda.

Notandum.

Praelatus est caput fraternitatis.

14. *Superflua* vero et *non necessaria* saluti vel profectui animarum *negotia* expedit praecidere et tam a se quam a fratribus, quantum opportune poterit, removere. Cum enim propter temporis brevitatem et *diei malitiam* [6] vix necessariis sufficiamus disponendis; si supervacuis vel alienis volumus occupari negotiis, negligimus utiliora et meliora, cum distractus animus ad plura fit minor ad singula provide peragenda [7]. — Inde fit aliquoties, cum praelati et religiosi nimis se exterioribus occupationibus implicant aedificiorum, librorum, causarum et aliorum, quibus fructuosius carerent; ut non solum meliora interim negligant, sed etiam conscientiam saepius inquinent, et ex usu exteriorum tenebrescat oculus mentis ad contemplationem spiritualium et internorum et tepescat ad desiderium supernorum. Sicut enim humores noxii affluunt, ubi fuerit in corpore laesio, nisi caute removeantur, ne fiat ibi tumor vel ulcus; ita et negotia crescunt ad exstinctionem spiritus, qui se eis acquieverit occupari. — Ideo discretio praelati debet provide prospicere, quid ex quolibet eventu possit consequi, et quae negotia admittere, vel quantum expediat ei exsequi, circumspecte rimari; Ecclesiastici undecimo [8]: *Fili, ne in multis sint actus tui.* Qui sarcinam satis gravem portat imprudens est, si adhuc onera plura sibi portanda imponit, quibus potest opportune carere.

Superflua praecidenda.

Aliter oriuntur pessimae sequelae.

Monitio.

15. Super omnia vero debet *semetipsum rector circumspicere,* ne, aliis providens, se ipsum negligat, ne, alios salvans, se ipsum in periculum demergat; Matthaei decimo sexto [9]: *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* Hic est quartus ordo

De quarto officio cum triplici circumspectione.

---

[1] Vers. 13. 14. Post *requisitus* Vat. male addit *enim.*
[2] Vers. 19. et 22; sequitur Act. 6, 2.
[3] Vers. 6.
[4] Vers. 29.
[5] Vers. 17.
[6] Matth. 6, 34: Sufficit diei malitia sua.
[7] Gregor., I. Dialog. c. 4: Cumque animus dividitur ad multa, fit minor ad singula. Cfr. Regul. pastoral. p. I. c. 4.
[8] Vers. 10.
[9] Vers. 26; sequitur II. Ioan. 8.

gemmarum triplici circumspectione quasi pretiosorum trium lapidum ornatu complendus; Ioannes in secunda Canonica: *Videte vosmetipsos, ne perdatis quae operati estis,* supple: in aliis, *sed ut mercedem plenam suscipiatis.*

Circumspectio et gemma 1.

16. Una circumspectio sui versatur circa *conscientiae serenitatem,* ut illa semper *secura* sit et *munda: secura* sit, ut nihil velit, agat, iubeat vel permittat illicitum et indecens professionique suae contrarium, in quo peccatum seu scandalum deprehendatur; *munda,* ut de bonis, quae fecit vel promovet, gloriam ab hominibus non captet nec sibimet exinde immoderate placeat, solius Dei beneplacitum in omnibus quaerens, ut quae *pro eo* facit, id est vice Dei, etiam pure faciat *propter eum* et ipsius amorem; Matthaei sexto[1]: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit,* hoc est, si intuitus intentionis purus fuerit caritate, totum corpus bonae operationis dignum erit praemio lucis aeternae. *Si autem nequam fuerit* etc. Scrutetur ergo conscientiam suam, sollicite diiudicans, quid egerit, quid omiserit de agendis et quo fine bona fecerit; et de malis doleat et confiteatur et corrigat et caveat, de bonis vero non in se, sed *in Domino glorietur*[2]; primae ad Corinthios undecimo: *Si nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur.* Qui pulverem ab aliis detergit vix potest transire, nisi et ipse pulvere respergatur, quem etiam in se detergere necesse habet; Lucae quarto: *Medice, cura te ipsum.* De bonis vero, quae facit, sic laetetur, ut inde non extollatur, aestimans, quod non propter se, sed propter alios, quibus praeest, Deus dederit ei bene facere vel dicere vel sentire.

Intentio sit pura.

Circumspectio et gemma 2.

17. Alia circumspectio sui versatur circa *exteriores mores et verba,* quibus oportet eum aliis magis quam sibimet deservire. Qui enim pluribus cogitur vivere ad exemplum et satisfacere singulis et omnibus placere, multa indiget discretione, ut medium valeat tenere, ne sit nimis tristis, vel hilaris; nimis severus, vel lenis[3]; nimis socialis, vel alienus; nimis tacitus, vel verbosus; nimis dure loquens, vel blande; nimis rigidus, vel remissus; nimis saepe cum hospitibus, vel raro; nimis laute reficiens, vel tenuiter; nimis facta fratrum observans, vel dissimulans; nimis fovens aliquos, vel alios parvipendens et similia. — Cum ergo non possit semper teneri quod omnibus placeat; minus tamen deviat, si ad *benignitatis* partem plus declinat, per quam redditur subditis magis amabilis, ob quam ei libentius obtemperant et audacius ad eum recurrunt, in quibus indigent, et alacrius imitantur. Ipsa enim potestatis auctoritas facit eum satis timendum subditis; et si huic iungitur austeritatis severitas, pavidis fit mentibus onerosa; Ezechielis trigesimo quarto[4]: *Vos autem cum austeritate imperabatis eis et cum potentia, et dispersae sunt oves meae;* Ecclesiastici quarto: *Noli esse quasi leo in domo tua, subvertens domesticos tuos.* — Hinc est, quod ipse summus *princeps pastorum*[5], Dominus Iesus, tantam nobis benignitatis caritatem exhibuit, ut se nobis faceret amabilem et ita imitabilem, ut per amorem suae humanitatis traheret ad amorem et cognitionem suae Divinitatis, « ut, dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur ». Sic et vicarius Christi praelatus ad hoc maxime studeat a subditis diligi, ut sic facilius trahat eos ad amorem Christi. In omni tamen dubio semper magis inclinet se ad illud quod secundum veritatis iudicium virtuti caritatis et humilitatis et professae puritati magis consonat et evangelicae perfectioni.

Commendatur benignitas.

Exempl[um] Christi [imi]tandum.

Circumsp[e]ctio et ge[m]ma 3.

18. Ultimo etiam ipsa discretio, quae cetera omnia diiudicat, *circumspiciat se ipsam,* ne ei contingat ut oculo corporis, qui, cum alia videat, non videt se ipsum, videlicet, *ne plus sapiat, quam oportet sapere*[6], ne sibi plus credat, quam expedit, ne sit sapiens in oculis suis, quia, teste beato Gregorio, « sicut subditorum tentatio est reprehendere in praelatis, quod in multis non recte agant, ita praelatorum tentatio est, quod se ceteris sapientiores aestimant »; Proverbiorum vigesimo sexto: *Vidisti hominem sapientem sibi videri? Magis illo spem habebit stultus.* Stultus enim, sibimet non confidens, quaerit consilium a sapientibus, ne decipiatur; ille autem, dum de se plus, quam debet, praesumit, etiam ubi errat, recte se plerumque sentire deceptus putat. — Inter omnes autem tentationes videtur ista periculosior cuique Christiano, scilicet proprio sensui nimis inniti. Cum enim nemo reperiatur ita perspicacis intelligentiae, quin possit in aliquibus falli; qui hoc totum et solum reputat iustum, quod ipse senserit, astuto adversario ad varias seductiones sub specie boni liberum aditum pandit; Psalmus[7]: *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem.* Ibi enim libentius insidiatur, ubi maiores meritorum divitias cernit inquiri, ut ibi *innocentem* inquirat et occidat, ubi se Deo magis obsequium praestare sperabat. Unde cautum est semper rectori consilia libenter audire et humiliter quaerere.

Notandu[m].

Tentatio [ma]gis pericu[lo]sa.

Consilia quaerend[a].

---

[1] Vers. 22. 23. Pro expositione huius vide Bonav. Comment. in Lucam, c. 11. n. 72-76.

[2] Epist. I. Cor. 1, 31; seq. locus est I. Cor. 11, 31; subinde allegatur Luc. 4, 23.

[3] Edd. 1, 2 *levis.*

[4] Vers. 4. 5; sequitur Eccli. 4, 35. — Supra Vat. et 1, 2 *quod de omnibus* pro *quod omnibus.*

[5] Respicitur I. Petr. 5, 4: Cum apparuerit princeps pastorum. — Verba *ut, dum visibiliter* etc. sumta sunt ex Missali Romano, Praefatio in Nativitate Domini.

[6] Rom. 12, 3, et alluditur ad Isai. 5, 21: Vae! qui sapientes estis in oculis vestris; vel ad Rom. 11, 25: Ut non sitis vobis ipsis sapientes. — Locus Gregorii est XXXIV. Moral. c. 23. n. 50; sequitur Prov. 26, 12, ubi Vulgata *habebit insipiens* pro *habebit stultus.*

[7] Psalm. 9, 28 (secundum Hebraeos 10, 8.).

19. Et in hoc triplex utilitas[1] consistit: primo, si alii idem sentiunt quod et ipse, securior est, quod non decipiatur. Secundo, quidquid fecerit cum prudentium consilio, si aliquid inde evenerit contrarii, minus ei poterit imputari, quam si de suo tantum sensu id fecisset. Tertio, quod saepe in merito humilitatis talis Deus dat ei agnoscere per se, vel alium, quod ante non intellexit. — Hinc Moyses, cui Deus *facie ad faciem loquebatur*[2], consilium Iethro soceri sui gratum habuit et servavit, Exodi decimo octavo. Hinc Apostolus Paulus, Spiritu sancto repletus, Evangelium, quod per revelationem Iesu Christi didicerat, ipsius instinctu *ascendens Ierusalem, cum Petro et Ioanne et Iacobo,* coapostolis suis, *contulit,* ad Galatas secundo, ut esset securior in praedicando, cum ab eis non discordaret, et exemplum per hoc daret fidelibus praelatis consilium requirendi; Ecclesiastici trigesimo secundo: *Omnia cum consilio fac, et post factum non poenitebis.* — Aliqui vero, cum ad officium regiminis assurgunt, ita se continuo repletos spiritu scientiae reputant, ut omnia antecessorum suorum facta stulta iudicent et perversa; alii vero e converso, cum ab eodem absolvuntur officio, quaecumque successores eorum faciunt, simili modo condemnant, non attendentes, quod sicut ipsi aliorum facta deprimunt, ita eorum facta alii possunt despicere; Isaiae trigesimo tertio[3]: *Vae! qui spernis, nonne et ipse sperneris?* Nullorum enim facta tam studiose solent ab aliis observando notari, sicut illorum qui aliorum facta severe diiudicant, si forte in quo ipsi alios arguunt reprehensibiles deprehendantur.

(Margin: iplex uti- in quae- lis consi- / Exempla. / plex de- fectus.)

20. Sunt enim duo genera hominum, quorum consilia prudens rector non facile debet recipere, scilicet *adulatores* et *detractores.* Primi istorum seducunt eum, ut magis de se, quam expedit, praesumat; Isaiae tertio[4]: *Qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt et viam gressuum tuorum dissipant,* ne de te vera sentias in humilitate propriae cognitionis. Secundi inducunt eum, ut peius, quam habet, de aliis suspicando sentiat et saepe innocentes condemnet, et priusquam veritatem rei plene cognoscat; Esther decimo sexto[5]: *Aures principum simplices, et ex sua natura aliud aestimantes, callida fraude decipiuntur, et malis quorundam suggestionibus regum studia depravantur, ut eos qui credita sibi officia diligenter observant et ita cuncta agunt, ut omni laude sint digni, mendaciorum cuniculis conentur subvertere.* — Cum autem tribus de causis soleat requiri consilium, scilicet propter *emendationem*, ut discatur de quo dubitatur; propter *auctoritatem*, ut magis habeat vigoris quod per tales consultum fuerit, et propter *pacem*, ne habeant aliqui occasionem murmurandi: propter primam causam consulendi sunt *prudentiores*, propter secundam *nominatiores*, et propter tertiam *omnes, ad quos negotium* pertinere videtur. — Sed quia singularia sine numero sunt, in quibus discretio est necessaria[6], non potest dari certa et communis regula, quae valeat pro omnibus.

(Margin: A duplici hominum genere cavendum. / Qui in tribus causis sint consulendi. / Observandum.)

Capitulum VII.

De sexta ala praelatorum, quae est devotio ad Deum.

1. Sexta et ultima ala, sine qua reliquae perfici non valent, maxime est necessaria, ut sit *devotus ad Deum*, per quem *zelus iustitiae* accenditur, *pietas compassionis* infunditur, *patientia* roboratur, *exemplum bonum* conditur, *discretio* clarificatur. Haec est *unctio Spiritus*, docens de omnibus, quae expediunt saluti; primae Ioannis secundo[7]: *Vos unctionem habetis a Spiritu sancto et nostis omnia, et non necesse habetis, ut aliquis vos doceat, sed sicut unctio eius docet vos de omnibus.*

2. Devotio mentem illuminat ad cognoscendum, quid sit melius; Ioannis decimo quarto: *Docebit vos omnia et suggeret vobis omnia* etc. Inflammat ad appetendum bonum; Ecclesiastici vigesimo quarto: *Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me* etc. Roborat ad perficiendum; ad Philippenses secundo: *Deus est enim, qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate.* Facit horrere peccata; Psalmus[8]: *Iniquitatem odio habui* etc.; in Apocalypsi liber comestus dulcis gustu *amaricat ventrem.* Actiones ordinat ad virtutes; Canticorum secundo: *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem.* Mores exterius componit et verba; Tobiae tertio: *Nunquam cum ludentibus miscui*

(Margin: ctio Spiritus. / evotionis t 24 fru- s.)

---

[1] Vat. et 1, 2 *humilitas*, sed, sensu exigente, corrigi debuit.

[2] Exod. 33, 11; porro citatur Exod. 18, 18. seqq. Sequens locus est Gal. 2, 1. seqq.; deinde Eccli. 32, 24.

[3] Vers. 1. — Post *reprehensibiles* substituimus *deprehendantur* pro *reprehendantur.*

[4] Vers. 12. — Infra post *vera sentias* Vat. omittit *in.*

[5] Vers. 6. 7. 5. — Supra *quam habet* idem est ac *quam se res habet.* Cfr. Forcellini, Lexicon.

[6] Cod. et 1, 2 adiiciunt *de quibus.* Si haec verba adduntur, tunc tota propositio, ut congrue construatur, coniungenda esset cum initio sequentis capituli, ut continuetur: sexta et ultima ala... maxime est necessaria etc. Lectio haec est valde probabilis, cum inscriptio capitulorum in originali defuerit.

[7] Vers. 27, sed aliquatenus mutata sunt verba; secundus locus est Ioan. 14, 26; tertius Eccli. 24, 29; quartus Phil. 2, 13.

[8] Psalm. 118, 163; secundus locus Apoc. 10, 10; tertius Cant. 2, 4; quartus Tob. 3, 17.

me neque cum iis qui in levitate ambulant. Scientiam fidei dulcem reddit; Ecclesiastici sexto[1]: *Sapientia enim doctrinae secundum nomen suum est*, id est sapida scientia. Spem in fiduciam erigit; ad Romanos octavo: *Ipse enim Spiritus sanctus reddit testimonium nobis, quod sumus filii Dei.* Amorem Dei accendit; ad Romanos quinto: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Deo familiarem efficit; Exodi trigesimo tertio: *Loquebatur Dominus cum Moyse facie ad faciem, sicut homo loqui solet ad amicum suum.* Dat fiduciam impetrandi petita; primae Ioannis tertio[2]: *Fiduciam habemus ad Deum, et quodcumque petierimus, accipiemus.* Orationem impinguat; Psalmus: *Holocaustum tuum pingue fiat;* Ecclesiastici trigesimo octavo: *Impingua oblationem.* Pium et affectuosum facit; Sapientiae septimo: *Suavis, humanus et benignus est spiritus sapientiae.* Cor humiliat; Isaiae sexagesimo sexto[3]: *Super quem requiescet spiritus meus nisi super humilem* etc. Oleum spiritum premit in olla fervente. Contra adversa constantiam praestat; Psalmus[4]: *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?* ad Romanos octavo: *Quis nos separabit a caritate Christi?* Omnia opera bona delectabilia facit; Sapientiae octavo: *Non habet amaritudinem conversatio illius nec taedium, sed laetitiam et gaudium.* Mentem in superna elevat; Iob trigesimo quarto: *Si direxerit ad Deum cor suum, spiritum eius et flatum ad se trahet.* Mundum vilescere facit; Ecclesiastae primo[5]: *Vidi cuncta, quae fiunt sub sole, et ecce, omnia vanitas.* Desiderare caelestia cogit; ad Philippenses primo: *Coarctor e duobus, desiderium habens dissolvi et esse cum Christo.* Peccata delet et poenas peccati; Lucae septimo: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Merita sublimat; Sapientiae octavo: *Si divitiae appetuntur, quid sapientia locupletius, quae omnia operatur?* Proximos maxime aedificat; Ecclesiastici quadragesimo quinto[6]: *Offerre illi incensum dignum in odorem suavitatis;* secundae ad Corinthios secundo: *Christi bonus odor sumus.* Daemones fugat; Tobiae sexto: *Nam fumus eius extricat omne genus daemoniorum.* Angelos invitat et Sanctos; Psalmus[7]: *Praevenerunt principes coniuncti psallentibus;* Tobiae duodecimo: *Quando orabas cum lacrymis* etc.

3. Haec et multa alia devotionis gratia confert. Ideo praecipue rector animarum studiosus esse debet eam habere, per quam semper *informetur*, quid faciat, *adiuvetur*, ut possit, *conservetur*, ne deviet. Non enim solum pro se orare necesse habet, sed etiam pro illis qui sibi commissi sunt, quos non sufficit sine divino auxilio custodire; Psalmus[8]: *Nisi Dominus custodierit civitatem* etc. Est enim praelatus mediator inter Deum et homines subditos, ut, sicut negotium Dei gerit apud illos docendo, corrigendo, sursum agendo; ita etiam negotia eorum studeat apud Deum fideliter promovere placando, gratiam impetrando et conservando a malo; Deuteronomii quinto: *Ego sequester et medius fui inter Deum et vos.* Petendi pro se ti... Et pro s... ditis.

4. Alia autem devotio est[9] *communis*, alia *specialis*, alia *assidua*: *communis* in divinis officiis, *specialis* in orationibus, *assidua* in omnibus agendis. — Circa officia divina triplicem debet habere diligentiam devotionis, scilicet ut omnia fiant *ordinate* et non confuse et sine erroris haesitatione, ut quisque deputatum ministerium congrue exsequatur; primae ad Corinthios decimo quarto[10]: *Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis;* primi Paralipomenon vigesimo quinto: *David et omnis exercitus segregaverunt in ministerium Domini qui prophetaverunt in citharis, psalteriis et cymbalis, secundum numerum suum dedicato sibi officio servientes.* — Item, ut *strenue* et non pigre seu desidiose opus Domini, scilicet divini cultus officium, peragatur; Ieremiae quadragesimo octavo[11]: *Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter* etc. — Item, ut *devote* et reverenter, sine aliqua dissolutione et strepitu, distincte et attente divina officia persolvantur, sicut in conspectu Angelorum et in praesentia Dei; Ecclesiastici trigesimo nono: *In omni corde et ore collaudate et benedicite nomen Domini.* Triplex d... votio. De devo... ne com... ni. Fiat ... dinate. Fiat stre... Fiat dev...

5. Officium enim divinum in Ecclesia Spiritus sanctus ordinavit fieri quinque de causis: primo propter *imitationem caelestis concentus*, quo Sancti et Angeli in caelo assidue in praesentia Dei eius laudibus sunt intenti; Psalmus[12]: *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.* Cum enim secundum promissionem suam: *Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*, hic dignetur Christus nobiscum esse veraciter, tam sacramentaliter quam Officii d... ni institu... di 5 cau... Prima.

---

[1] Vers. 23; secundus locus Rom. 8, 16; tertius ibid. 5, 5; quartus Exod. 33, 11.

[2] Vers. 21. 22; secundus locus Ps. 19, 4; tertius Eccli. 38, 11; quartus Sap. 7, 22. 23. (multis omissis).

[3] Vers. 2; sed non verbotenus secundum Vulgatam, quae legit: Ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum [Septuaginta: super humilem] et contritum spiritu et trementem sermones meos.

[4] Psalm. 26, 1; secundus locus est Rom. 8, 35; tertius Sap. 8, 16; quartus Iob 34, 14.

[5] Vers. 14; secundus locus est Phil. 1, 23; tertius Luc. 7, 47; quartus Sap. 8, 5.

[6] Vers. 20; verbotenus in Breviar. Rom. Commune Pont. capitulum ad Nonam. Vulgata: Offerre sacrificium Deo, incensum et bonum odorem. Deinde II. Cor. 2, 15. et Tob. 6, 8.

[7] Psalm. 67, 26; deinde Tob. 12, 12.

[8] Psalm. 126, 1. — Infra ante *subditos* ex cod. supplevimus *homines.* — Sequitur Deut. 5, 5.

[9] Vat. omittit *est* et *officia* infra post *circa.*

[10] Vers. 40; sequitur I. Paralip. 25, 1, nonnullis omissis.

[11] Vers. 10; sequitur Eccli. 39, 41.

[12] Psalm. 83, 5; deinde Matth. 28, 20. — Supra post *Officium* cod. omittit *enim;* deinde habet *propter quinque causas* pro *quinque de causis.*

spiritualiter; dignum est, nos ei pro modulo nostro aliqualem exhibere reverentiam honoris et laudis, iuxta exemplar similitudinis caelestis, ut ei, etsi non continue, sicut illi caeli cantores, saltem interpolate pro nostra fragilitate psallendo alacriter assistamus, imitantes *illam quae sursum est Ierusalem, matrem nostram,* ad Galatas quarto [1].

Causa secunda. 6. Secundo, ut beneficiorum Dei memores, certis horis *gratias pro his laudando et orando ei iugiter referamus,* qui natus in nocte ex Maria Virgine, mane iudici passurus sistitur [2], diluculo resurrexit, hora tertia flagellatur et post Spiritum sanctum misit Apostolis, sexta crucifixus, nona in cruce pro nobis mortuus, vespere coenans corporis et sanguinis sui nobis Sacramenta tradidit et Completorio sepultus est. Missarum autem celebratio non tantum eius nobis passionis mysterium memorandum ingerit, sed et praesentiae suae gratiam exhibet et sub forma Sacramenti nos se ipso spiritualiter pascit. Sicut [3] ergo iustum est, nos horum nunquam oblivisci, ita expedit ea semper recolere certis horis; Isaiae sexagesimo tertio: *Miserationum Domini recordabor, laudem eius super omnibus, quae reddidit nobis Dominus.*

Tertia. 7. Tertio, ut nosmetipsos sic assidue *ad devotionem excitemus* et ignem amoris Dei per hoc nobis, ne per desidiam seu alias occupationes tepescat, continue reaccendamus; Levitici sexto [4]: *Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet, quem nutriet sacerdos in altari, subiiciens ligna mane per singulos dies. Ignis* est devotionis fervor, qui semper in altari cordis ardere debet, quem sacerdos devotus semper subiiciendo ligna divinae laudis debet nutrire, ne quando exstinguatur; Psalmus: *Benedicam Dominum in omni tempore* etc.

Quarta. 8. Quarto, ut *simplices fideles,* qui per se nesciunt certa orandi tempora eligere, per hoc ad orationis studium assuefaciamus, ut saltem tunc ad ecclesiam oraturi conveniant, quando ibidem divinae laudis officia persolvuntur, et ut minus afficiantur taedio ibi persistendi, quamdiu coram se vident clericos celebrare divina; Lucae primo [5]: *Omnis multitudo populi erat foris hora incensi.* Multi enim rudes vix unquam se orationi offerrent, si foris non certis temporibus in ecclesiam ex consuetudine ad divinorum celebrationem et verbi Dei recitationem ordinarie vocarentur.

Quinta. 9. Quinto, propter *decorem religionis christianae,* quia decens est et congruum, ut, si Iudaei et gentiles et quidam haeretici quandoque conventicula sua faciunt et sua profana ibi commercia celebrant et ritus suae perfidiae observant, multo dignius qui vera et sacrosancta habent Sacramentorum mysteria ad ea celebranda et veneranda saepe conveniant et debita Conditori suo laudum solemnia persolvant, quibus et gratiam Dei ampliorem merentur et vitam aeternam, et quibus alliciantur simplices ad religionis sanctae reverentiam et amorem; Ecclesiastici quadragesimo septimo [6]: *Dedit in celebrationibus decus et ornavit tempora* etc. Notandum.

Inter omnes ergo exteriores observantias maior debet diligentia divino officio adhiberi, ut, sicut dictum est [7], *ordinate* fiat, *strenue* et *devote.* Alio enim tempore *facimus pro Deo,* in hoc autem *assistimus Deo* et *intendimus Deo* et *alloquimur eum,* et *nos ipse,* simul et pro nostris necessitatibus eius auxilium postulamus. Hortatio.

De devotione speciali triplici. Prima. 10. *Specialis* devotio consistit in orationibus privatis: in familiaribus *vocalium orationum* recitationibus, veluti psalmorum, litaniarum et aliarum orationum, quas in secreto quisque per se extraordinarie ruminando persolvit; Lucae undecimo [8]: *Cum oratis, dicite: Pater noster.* — Item, in *sacris meditationibus,* cum quis ante mentis oculos recolligit peccata propria et miserias et futura supplicia vel beneficia Dei generalia seu specialia et passionem Christi et bonitatis eius dulcedinem et praemia repromissa, ut ex his concipiat devotionis affectum, timoris vel amoris Dei, desiderii, moeroris vel gaudii spiritualis; Psalmus [9]: *Meditatus sum nocte cum corde meo* etc. — Item, in *piis erga Deum affectibus* et lacrymis et suspiriis et sanctis desideriis amoris et aliis internis et ineffabilibus motibus cordis, in iubilis, excessibus et raptu et absorptione spiritus in Deum, quo *adhaerens Deo, unus fit spiritus cum eo* per purae intelligentiae lucem et cognitionem Dei et amoris eius ardorem et glutinosam fruendi inhaesionem; ad Romanos octavo: *Ipse enim Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Secunda. Tertia.

Monitum ad praelatum. 11. Quodsi praelatus praepeditur variis curarum distractionibus speciali devotioni saepius intendere, saltem interdum, cum opportune valet [10], quasi furtim et raptim ad orationis studium se conferat, ne omnino refrigescat, ne in desuetudinem orandi veniat, ne Deo alienus efficiatur, ne gratia divinae propitiationis ei quasi insensibiliter subtrahatur. — Unde Moyses, cum per populi negotia exterius vexaretur, Exemplum.

---

[1] Vers. 26.

[2] Alias *assistitur* (!).

[3] Fide cod. et ed. 1 substituimus *Sicut* pro *Si.* — Sequitur Isai. 63, 7.

[4] Vers. 13: Ignis est iste perpetuus etc., et v. 12: Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet etc. Sequitur Ps. 33, 2.

[5] Vers. 10.

[6] Vers. 12.

[7] Supra n. 4.

[8] Vers. 2, ubi illa verba verbotenus; edd. et cod. citant Matth. 6 (v. 9.): Sic ergo vos orabitis: Pater noster etc. — Supra ante *psalmorum* cod. et 1, 2 omittunt *veluti.*

[9] Psalm. 76, 7; secundus locus est I. Cor. 6, 17; tertius Rom. 8, 26.

[10] Ita ed. 1, Vat. *videlicet,* cod. *videtur.* — De ingressu Moysis in tabernaculum cfr. Exod. 33, 9-11; Lev. 9, 23; Num. 7, 89; 16, 43; 20, 6. De oratione Domini Luc. 6, 12: Exiit in montem orare et erat pernoctans in oratione Dei.

crebro in tabernaculum foederis ad Dominum recurrit, familiare ipsius colloquium ibi expetens, quo intrinsecus in spiritu reficeretur. Dominus quoque, diebus praedicans turbis, noctibus in orationibus solus pernoctavit. Et licet parva detur mora praelato orandi, tamen, quia pro aliis debet ex officio orare, datur ei quandoque propter alios copiosior orandi gratia, ut quibus prodest agendo possit etiam orando prodesse; tantum non negligat quaerere nec abiiciat, cum offertur, ne ex merito ingratitudinis ab eo gratia elongetur.

De devotione assidua triplici. Prima.

12. *Assidua* devotio semper ei debet adesse, sicut et quibuslibet proficere volentibus in religionis virtute; et ipsa triplex est. — Una est *iugis memoria Dei* ante oculos cordis; Psalmus[1]: *Providebam Deum in conspectu meo semper. Oculi mei semper ad Dominum.* In omni loco et tempore semper debet homo studere Deo intendere, quasi sit coram eo, per mentis intuitum. Unde solebant dicere Elias et Eliseus, tertii Regum decimo octavo: *Vivit Dominus, in cuius conspectu sto.* Sicut enim Angeli, quocumque mittantur, tamen a divina contemplatione non recedunt; ita homo virtutis pro suo *posse* semper Dei memoriam a suo corde non removeat. Unde si aliquando contigerit, semetipsum inde redarguat; Bernardus[2]: « Omne tempus, quo de Deo non cogitas, puta te perdidisse ». Nam etsi profunde non possis cogitationem tuam semper in ipsum defigere meditando, saltem memorando cordis intuitum in eum dirige, et cum datur opportunitas, ipsa memoria in meditationem seu orationem formetur, sicut qui materiam formandae imaginis secum circumfert, ut, cum habuerit opportunitatem, aliquid in ea sculpendo operetur.

Exempla.

Secunda.

13. Alia est *continuum studium Deo placendi* in omni actione vel locutione, ut semper quasi in eius praesentia caveat, unde ei displiceat, et doleat, si forte fecerit, et studeat, in quo et qualiter ei possit magis placere; secundae ad Corinthios quinto[3]: *Contendimus, sive absentes sive praesentes, placere illi. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* Semper enim debet religiosus se gerere, quasi in proximo sit tribunali summi Iudicis praesentandus; Lucae duodecimo: *Estote parati, quia, qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Omnia nostra videt, quae facimus, et sicut non obliviscitur bonorum operum ad praemiandum ex diuturnitate temporis, ita nec malorum ad puniendum, nisi per poenitentiam diluantur; Ecclesiastici vigesimo tertio[4]: *Contemnens in animam suam: Quis me videt? Nemo circumspicit me; quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus. Et non intelligit, quoniam omnia videt oculus eius* etc.

Tertia.

14. Tertia est *omnia agenda oratione, saltem mentali praevenire,* ad omnes eventus oratione *se praemunire,* omnia beneficia *gratiarum actione prosequi* ac laude divina. *Agenda* petat a Domino *sibi salubriter inspirari, eventum dirigi* ad salutis profectum, *beneficia augeri et conservari.* Sicut enim nauta, providens tempestatem, festinat saepius ingredi portum securum; ita religiosus ad orationis portum continuo confugiat, ubi omnes periculorum collisiones evadat et in omnibus agendis semper plus orationi fidat quam propriae industriae vel labori; secundi Paralipomenon vigesimo[5]: *Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut ad te oculos nostros dirigamus,* videlicet in oratione; Psalmus: *Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum* etc.

Epilogus belli.

15. His igitur et aliis pennis ecclesiasticus Seraph, id est praelatus spiritualis, *Domino sedenti super solium excelsum et elevatum*[6] ornatus assistat, quarum primas duas super caput elevet, mediis duabus corpus et pedes contegat, ultimis duabus in latum et in altum volet, ut zelum eius non humanae laudis fervor deprimat nec compassionem eius carnalis inclinet affectus; sed sursum *recta intentio* sustollat, et *fraternae caritatis pietas* in altum erigat, propter retributionem supernam; Psalmus[7]: *Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas in aeternum, propter retributionem. Patientia* vero et *vita exemplaris* contegant eum a perturbationum iaculis et a nuditate inopiae meritorum, quibus quasi armis defendatur et quasi sacris vestibus adornetur; Isaiae quinquagesimo secundo: *Induere fortitudine tua, Sion, induere vestimentis gloriae tuae. Circumspectione* vero ubique circumvolet videndo, quid et qualiter sit agendum; et *devotionis studio quae sursum sunt quaerat, ubi Christus est in dextera Dei sedens,* sublimi volatu ad ipsum accedens. — Licet autem omnes, qui praesunt animabus, has virtutes non possint omnes aequaliter habere, tamen omnino necessarium est eis aliquatenus non carere, tam pro fructu aedificationis illorum, quibus praesunt, quam propriae salutis profectu. — Quilibet etiam religiosus, qui se ipsum habet regere et de sui ipsius regimine rationem Deo est redditurus in extremo examine[8], his alis et pennis, quantum sibimet indiget, debet adornari et in

Notandum

Applicat ad quemlibet religiosum

---

[1] Psalm. 15, 8; 24, 15. De verbis Eliae et Elisei vide III. Reg. 17, 1; 18, 15; IV. Reg. 3, 14.
[2] Libr. Meditat. etc. (inter opera Bernardi) c. 6. n. 18.
[3] Vers. 9. 10; sequitur Luc. 12, 40.
[4] Vers. 25-27. — Vat. supra post *diluantur* habet *Unde peccator contemnens animam suam dicit in Ecclesiastico: Nemo* etc.
[5] Vers. 12; deinde Ps. 122, 2.
[6] Isai. 6, 1. seqq.
[7] Psalm. 118, 112; secundus locus est Isai. 52, 1; tertius Col. 3, 1.
[8] Cod. praefigit *iudicio vel;* infra pro *debet adornari* (ita 1, 2) Vat. *oportet adornari.* — Post *Amen* cod. habet: Finit tractatus S. Bonaventurae de Sex Alis Seraphim.

superna sublevari, ut sit fervens in iustitia, compatiens proximis propter Deum, patiens in adversis, bono exemplo alios aedificans, circumspectus in omnibus et super omnia Deo per orationis studium familiariter adhaerens, qui eum in omnibus protegat, dirigat et promoveat et tandem ad caelestia evolare faciat; quod nobis praestare dignetur Iesus Christus. Amen.

ADDITAMENTUM[1].

Quod multum differat scire bene subesse et socialiter vivere et utiliter praeesse.

Quatuor causae, pro quibus indigent imperfecti alterius subesse magisterio.

Quales esse debeant qui magisterio subesse per se non indigent.

De variis virtutibus et specialiter de sex alis virtutum praelato necessariis.

De quatuor differentiis bonorum in Religione[2], et qui inter hos sint meliores.

De zelo iustitiae, quo praelatus debet fervere ex amore Dei et proximi.

Distinctio quadruplex observantiarum iustitiae in Religione servanda.

Circa quae magis vel minus inter haec zelus rectoris fervere debeat.

Quinque cavenda praelato, et ad quae sit utilis castigatio delinquentium.

In quibus agnoscitur laudabilis Religio, et quae utilitas bonorum; de falsis fratribus, et qualiter sint removendi[3].

Triplex ratio urget praelatum, corrigere subditorum excessus.

De compassione praelati, et quot genera infirmorum corpore, et quibus remediis sint fovendi.

Propter tres causas indigent infirmi recreatione, quibus etiam pro caritate subveniri debet.

Tria genera mente infirmantium, et quibus remediis eis subveniendum sit.

De patientia praelati, quae in multis est ei necessaria, et primo de occupationibus ipsius.

Secundo, de tardo profectu eius in subditis, et causae illius tarditatis.

Tertio, de ingratitudine subditorum erga diligentiam, quam pro ipsis habet.

De patientia in verbis et moribus, et in quibus noxia sit eiusmodi impetuositas.

Secundo sit patiens, quod non oderit laedentes; tertio[4], quod non officium suum exsequatur.

Multiplex profectus praelati ex adversitatibus, quod[5] debent eas ipsi reddere tolerabiles.

Praelatus sit exemplaris vitae in communitate, in humilitate et maturitate.

In quibus debet esse communis cum fratribus, et in quibus eius humilitas attendatur.

Quod debet esse maturus in moribus exterioribus, in affectu et consiliorum[6] stabilitate.

Quantum prosint subditis exempla bona magistrorum vel mala noceant, et quomodo Christum debent in se eis ostendere.

De discretione praelati, et quomodo sine ipsa ceterae virtutes imperfectae sint.

Quod circa quatuor praecipue discretio eius attenditur, et quae sint illa.

Statum subditorum debet cognoscere, et quae saluti sint necessaria principaliter promovere.

Quomodo se habere debeat circa perfectionis exercitia et circa illa quae ad exteriorem pertinent disciplinam.

De correctione delinquentium et de tribus generibus illorum, et qualiter cum ipsis est agendum.

De tribus generibus exteriorum negotiorum, et quomodo circa illa se debeat habere praelatus.

De circumspectione sui ipsius, et primo, ut conscientia eius semper sit munda et secura.

Secundo, de moribus propriis, verbis et factis, et quomodo in his medium servet quoad se et ad alios.

Tertio, de ipsa sua discretione, ne de illa sit nimis praesumens, et quam sit hoc periculosum.

Quam sit utile consilium quaerere, et de illis qui facta aliorum temere reprehendunt.

De adulatoribus et detractoribus non audiendis, et quare, vel a quibus consilium sit quaerendum.

Quod praelatus debet esse devotus, et quae bona devotio conferat.

De triplici genere devotionis: communis, specialis et assidua, et primo de communi, qualis sit.

Quinque causae, quare officium divinum in Ecclesia sit a Spiritu sancto institutum.

Specialis devotio in quibus constat, et quod saltem interdum debeat praelatus orationi intendere.

Assidua devotio in quibus consistat, et de frequenti memoria Dei in mente versanda[7].

Studendum, in omnibus Deo placere et omnia agenda Deo per orationem commendari.

Quomodo his virtutum alis praelatus tegat caput et pedes, seu volet, et quod quilibet bonus easdem pro se indiget habere, et qualiter.

EXPLICIT OPUSCULUM CUM TABULA.

---

[1] Haec tabula, quae refert principales sententias praecedentis opusculi, habetur in collato codice bibliothecae regiae Monachii et etiam in prima editione (Argentina an. 1495 p. II. fol. 341 r.). In utrisque eadem posita est post brevem illum prologum; deest autem in eis distinctio capitulorum. Sed Vat. et edd. subsequentes ante prologum referunt inscriptiones octo capitulorum easque in ipso opere repetunt; distinguunt enim minus apte nostrum primum capitulum, quod generales quasdam observationes explicationi sex alarum praemittendas continet, in duo brevia capitula.

[2] Cod. omittit *in Religione*.

[3] Ed. 1 *tenendi*.

[4] Scil. quando vituperatur, quod non etc.

[5] Ed. 1 *qui*.

[6] Ed. 1 *consilii*.

[7] Ita bene ed. 1; cod. hanc et praecedentem rubricam modo confuso coniungit.

OPUSCULUM IX.

OFFICIUM DE PASSIONE DOMINI[1]

AD MATUTINUM.

Domine, labia mea aperies. ℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus, in adiutorium meum intende. ℟. Domine, ad adiuvandum me festina.

Gloria Patri etc. Alleluia.

Invitatorium. Christum captum et derisum, flagellatum et crucifixum, * Venite adoremus[2].

Psalmus. Venite, exsultemus Domino.

Hymnus.

In passione Domini,
Qua datur salus homini,
Sit nostrum refrigerium[3]
Et cordis desiderium.

Portemus in memoria
Dolores et opprobria[4],
Christi coronam spineam,
Crucem, clavos et lanceam,

Et plagas sacratissimas,
Omni laude dignissimas,
Acetum, fel, arundinem
Et mortis amaritudinem.

Haec omnia nos satient
Et dulciter inebrient,
Nos repleant virtutibus
Et gloriosis fructibus.

Te crucifixum colimus
Et toto corde poscimus[5],
Ut nos Sanctorum coetibus
Coniungas in caelestibus.

Laus, honor Christo vendito
Et sine[6] causa prodito,
Mortem passo pro populo
In aspero patibulo. Amen.

AD NOCTURNUM.

Antiph. Insurrexerunt[7].

Psalmus. Quare fremuerunt gentes etc.

Antiph. Insurrexerunt in me viri sine misericordia, et non pepercerunt animae meae[8].

℣. Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam. ℟. Dedi dilectam animam meam in manus peccatorum[9].

Pater noster.

Absolutio. Passio[10] Domini nostri Iesu Christi perducat nos ad gaudia paradisi. ℟. Amen.

---

[1] Titulus opusculi in nonnullis codd., ut A E F, est *Cursus de passione Domini.* — Mira varietas invenitur in diversis codd. quoad *capitula, responsoria, versus* et etiam quoad *psalmos, lectiones. Orationum forma* plerumque aucta vel penitus mutata est. Pro sua particulari devotione multi hunc libellum precum proprio sensui accommodare voluerunt. — Cod. C opusculo praemittit: *Incipiunt hic iam horae de passione Domini. Iesus Dei Verbum, David inclyta proles, qui passus es pro nobis, miserere nobis.* Sequitur *Domine, labia mea* etc.

[2] Codd. B D G *Regem Christum crucifixum, Venite adoremus.* Post flagellatum A addit *spinis coronatum;* deinde F G habent integrum Ps. 94. *Venite, exsultemus Domino.*

[3] Codd. B D *Adsit nostrum refugium* pro *Sit nostrum refrigerium.*

[4] Codd. A C *Poenas et opprobria*, B *Et sputa et opprobria*, G *Fel, poenas et opprobria* pro *Dolores et opprobria.*

[5] Pro *poscimus* D *petimus;* deinde A *Adiungas*, C *Iungas* pro *Coniungas.*

[6] Ita codd., Vat. *nostri;* pro *causa prodito* A *culpa tradito.*

[7] Pro hac antiph. A habet aliam, quae incipit: *Reliqui domum meam*, E *Astiterunt reges*, B D *Traditus sum.* Deinde pro Ps. 2. *Quare fremuerunt* B D habent Ps. 87. *Domine, Deus salutis;* in G sunt tres Psalmi: *Beatus vir* (Ps. 1.) cum antiph. *Novit Dominus viam iustorum, et iter impiorum peribit;* deinde Ps. 2. *Quare fremuerunt* usque ad versum 5. incl., cum antiph. *Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Christum eius;* deinde Ps. 3. *Domine, quid multiplicati sunt* usque ad versum 6. incl., cum antiph. *Non timebo millia populi circumdantis me, quia, tu Domine, mecum es tanquam bellator fortis.*

[8] In A est antiph. *Reliqui domum meam, divisi hereditatem meam, dedi dilectam animam meam in manus inimicorum meorum;* in B D *Traditus sum et non egrediebar, oculi mei tanguerunt prae inopia;* in E *Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Christum eius.*

[9] Cod. A substituit ℣. *Homo pacis meae, in quo speravi.* ℟. *Ampliavit adversum me supplantationem;* G ℣. *Media nocte clamor factus est.* ℟. *Ecce, Christus orat, venite occidamus eum.*

[10] Codd. B D addunt *Gloriosa* ante *Passio;* A substituit pro hac absolutione *Per omnes sanctas suas passiones, contumelias*

Iube domne benedicere. *Bened.* Per suam sanctam passionem det nobis Dominus suam benedictionem. ℟. Amen.

Lectio prima.

Apprehendit Pilatus Iesum et flagellavit. Et milites, plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius et veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum et dicebant: Ave Rex Iudaeorum. Et dabant ei alapas [1], et exspuentes in eum, acceperunt arundinem et percutiebant caput eius. Tu autem.

℟. Seniores consilium fecerunt in unum, ut Iesum dolo tenerent et occiderent. * Cum gladiis et fustibus exierunt tanquam ad latronem. ℣. Collegerunt Pontifices et Pharisaei consilium, ut Iesum dolo tenerent et occiderent. Cum gladiis [2].

Iube domne benedicere. *Bened.* Per virtutem sanctae crucis, perducat nos Dominus ad gaudia verae lucis. ℟. Amen [3].

Lectio secunda.

Susceperunt autem milites Iesum et eduxerunt, et baiulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariae locus, Hebraice autem Golgotha, ubi crucifixerunt eum, et cum eo alios duos hinc et hinc, medium autem Iesum. Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt [4]. Tu autem.

℟. Tanquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me. * Quotidie apud vos eram in templo docens, et non tenuistis me, et ecce, flagellatum ducitis ad crucifigendum. ℣. Cumque iniecissent manus in Iesum et tenuissent eum, dixit ad eos. Quotidie apud vos [5].

Iube domne benedicere. *Bened.* Sanguinis Christi aspersio sit nobis sempiterna salus et protectio. ℟. Amen [6].

Lectio tertia.

Postea sciens Iesus, quia omnia consummata sunt, ut impleretur Scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est, et inclinato capite, tradidit spiritum [7]. Tu autem.

℟. Tenebrae factae sunt, dum crucifixissent Iesum Iudaei. Et circa horam nonam exclamavit Iesus voce magna: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? * Et inclinato capite, emisit spiritum. ℣. Exclamans Iesus voce magna, ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et inclinato. Gloria Patri. Et inclinato [8].

---

et opprobria sanet et protegat nos Iesus Christus. Amen. Et pro benedictione habet: *Ad gaudia veri paradisi perducat nos gloriosa passio Christi. Amen.* In G est absolutio: *Iesu Christe, nos exaudi, qui pro nobis moreieris (!). Amen. Benedictio: Benedicat nos Christus, qui pro nobis est crucifixus. Amen.* In C est seq. absolutio: *Triumphalis Christi passio sit nobis salus et protectio.* — Vat. omittit *sanctam* ante *passionem.*

[1] Quae praecedunt habentur Ioan. 19, 1-3; quae sequuntur Matth. 27, 30. Codd. B D habent *unam* tantum lectionem, quae incipit: *Non est species*, sumtam ex Isai. 53, 2-5, cum respons.: ℟. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, * Si est dolor similis sicut dolor meus. ℣. Attendite, universi populi, et videte dolorem meum. Si est dolor. Gloria. O vos omnes. ℣. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem. ℟. Mortem autem crucis.* [In B est ℣. *Hoc signum crucis erit in caelo.* ℟. *Cum Dominus ad iudicandum venerit*]. *Canticum: Te Deum laudamus* etc. In G prima lectio incipit: *In illo tempore orante Christo in horto: Ecce Iudas, unus de duodecim;* sequitur lectio ex Matth. 26, 47-49, paucis omissis, cum ℟. *Seniores populi.* Lectio secunda incipit: *Tunc accesserunt Iudaei et manus* etc., sumta ex Matth. 26, 50. 56. 57. et 67. 68, cum ℟. proprio *Tristis est anima*, ex Breviar. Romano (fer. V. in Coena Domini, Nocturn. 1. Respons. 2.); tertia lectio desumta est ex Matth. 27, 27-50, nonnullis omissis et mutatis, cum ℟. *Tenebrae factae sunt in universa terra* etc., quod habetur infra post tertiam lectionem.

[2] Cfr. Matth. 26, 4. et 47. — Sola Vat. habet seq. respons.: ℟. *Ecce vidimus eum non habentem speciem neque decorem, aspectus eius in eo non est, hic peccata nostra portavit, et pro nobis dolens. * Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, cuius livore sanati sumus.* ℣. *Vere languores nostros ipse abstulit, et infirmitates nostras ipse portavit. Ipse.*

[3] Cod. A habet aliam benedictionem: *Per sanctam suam passionem det nobis Christus suam benedictionem. Amen;* et G: *Per passionem sui Filii det nobis Pater gaudia caeli. Amen.*

[4] Lectio est ex Ioan. 19, 16-18; ultima propositio ex Luc. 23, 34.

[5] Cfr. Matth. 26, 55; Marc. 14, 48; Luc. 22, 52. — Vat. habet sequens respons.: ℟. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, * Si est dolor vester similis ut dolor meus.* ℣. *Attendite, universi populi, et videte dolorem meum. Si est dolor.*

[6] Cod. F habet hanc benedictionem: *Ille nos benedicat, cuius mors mundum vivificat omnem;* A: *Per virtutem sanctae crucis*, ut supra.

[7] Ioan. 19, 28-30.

[8] Hoc responsor. sumtum est ex Breviar. Rom. (fer. VI. in Parasceve, Nocturn. 2. Respons. 2.). Cfr. Luc. 23, 44. et 46. Codd. C E F habent sequens respons.: ℟. *Sicut ovis ad occisionem ductus est, et dum male tractaretur, non aperuit os suum. Traditus est ad mortem, * Ut vivificaret populum suum.* ℣. *Tradidit in mortem piissimam animam suam, et cum sceleratis deputatus est. Ut vivificaret. Gloria Patri. Ut vivificaret.* Cfr. Isai. 53, 7. et 12. et Luc. 22, 37. — Post responsor. A F G cum nonnullis variantibus addunt: *Te Christum laudamus, Te Iesum benedicimus. Te Regem regum et Dominum confitemur. Te crucifixum colimus, gloriosum, dulcem et amabilem Redemptorem, qui nos aspersione tui sanguinis redemisti. Dignus es, Domine Iesu Christe, accipere laudem, benedictionem, gloriam et honorem. Exsultet tibi omnis caro* [F *Exaltet te omnis creatura*], *et omnis vivens glorificet nomen tuum. Humilietur omnis facies sub pedibus tuis, et omnis creatura iubilet, serviat tibi et superextollat, glorificet nomen tuum in aeternum. Amen.* Cod. A addit: ℣. *Dedi corpus meum percutientibus et genas meas vellentibus;* sed F: *Versiculus: Locuti sunt adversum me lingua dolosa et sermonibus odii circumdederunt me et expugnaverunt me gratis* [Ps. 108, 2.]. *Oratio: Domine Iesu Christe, qui tempore*

AD LAUDES.

Deus, in adiutorium meum intende etc.

Antiph. Contumelias.

Psalmus 12. Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem [1] etc.

Antiph. Contumelias et terrores passus sum ab eis, et Dominus mecum est tanquam bellator fortis.

Capitulum.

Spiritus oris nostri, Christus Dominus, captus est in peccatis nostris, cui diximus: In umbra tua vivemus in gentibus [2]. ℟. Deo gratias.

Hymnus.

Christum ducem, qui per crucem
Redemit nos ab hostibus,
Laudet [3] coetus noster laetus,
Exsultet caelum laudibus.
Poena fortis tuae mortis
Et sanguinis effusio
Corda terant, ut te quaerant,
Iesu, nostra redemptio.
Per felices cicatrices,
Sputa, flagella, verbera,
Nobis grata sunt collata
Aeterna Christi munera.
Nostrum tangat cor, ut plangat,
Tuorum sanguis vulnerum,
In quo toti simus loti,
Conditor alme siderum.
Passionis tuae donis,
Salvator, nos inebria,
Qua fidelis dare velis
Beata nobis gaudia.
Laus, honor Christo vendito
Et sine causa prodito,
Mortem passo pro populo
In aspero patibulo. Amen.

℣. Dedit percutienti se maxillam. ℟. Saturatus est opprobriis [4].

Ad Benedictus. Antiph. Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison [5].

Oratio.

Domine Iesu Christe, qui hora matutina pro salute humani generis tradi, capi, ligari, flagellari, colaphis caedi et conspui voluisti: fac nos, quaesumus, contumelias et opprobria pro tui nominis gloria laetanter suscipere, et sic huius tuae sacratissimae passionis memoriam continue recordari; ut ad tuae resurrectionis consortium mereamur feliciter pervenire. Qui vivis et regnas [6] etc.

AD PRIMAM [7].

Deus, in adiutorium meum intende etc.

Hymnus.

Tu qui velatus [8] facie
Fuisti, sol iustitiae,
Flexis illusus genibus,
Crebris caesus verberibus.
Te petimus attentius,
Ut sis nobis propitius,
Et per tuam clementiam
Perducas nos ad gloriam.

---

nocturno ex Maria Virgine nasci dignatus es et a Iudaeis comprehendi voluisti et electos tuos ex inferni claustris eduxisti et eos illuminasti: illumina, quaeso, tenebras nostras, ut nascatur in nobis novae vitae sanctitas, ne comprehendamur a negotio perambulante in tenebris, sed educ de lacu miseriae et de luto faecis, ut cum electis tuis perfruamur paradisi deliciis. Qui vivis etc.

[1] Cod. B habet Ps. 58: *Eripe me de inimicis meis, Deus meus;* D Ps. 54: *Exaudi, Deus, orationem meam;* G Ps. 116: *Laudate Dominum omnes gentes.* — In B D est antiph.: *Quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes;* in G: *Attendite universi populi et videte Iesum ligatum, quem vulneratum adorate, laudantes eum in excelsis.*

[2] Thren. 4, 20. — In B D habetur capitulum *Recogitate;* vide infra ad Primam; in A G: *Communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriae eius gaudeatis exsultantes* [I. Petr. 4, 13.].

[3] Cod. E *Psallat* et infra *sanguinis aspersio* pro *sanguinis effusio.* Pro *Passionis tuae* C *In passionis tuae;* et pro *Beata nobis* Vat. et D F *Aeterna nobis.* Ultimus versus omnis strophae sumtus est ex aliis hymnis.

[4] Cfr. Thren. 3, 30.

[5] Codd. A B C D G, omisso *Kyrie eleison,* ponunt immediate *Collectam;* E F addunt *Pater noster. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem* etc.; E adiungit etiam *Ave Maria* et *Credo.*

[6] Ita habent A B D; Vat., omissis nonnullis, in fine post *laetanter suscipere* habet *fac nos resurgere ad virtutes a vitiis, ut te videre possimus in Galilaea cum discipulis.* Codd. C E F G habent alias differentes orationes et inter se diversas, E F conveniunt in prima oratione, cui E adiungit aliam et F tres alias. — Post orationem sola Vat. addit *Commemoratio de beata Virgine matutino tempore. Mariae nuntiatur, quod a Iudaeis perfidis Christus captivatur, et toto corde tremuit et male tractabatur.* ℣. *Nunquam mater pertulit dolores.* ℟. *Ut Maria Filii considerans livores. Oratio: Pietatem tuam, quaesumus Domine, qua pro nobis mortem subiisti temporalem, nec proprio corpori nec materno dolori parcere voluisti: fac, ut nos tuae Matrisque passionis memores, vobiscum felicitatis perpetuae simus participes. Qui vivis et regnas.* Codd. A C substituunt hanc orationem: *Interveniat pro nobis* etc., quae habetur in Missali Rom. in Missa votiva de VII Doloribus; deinde aliam orationem ad S. Ioannem: *Sancti Ioannis Apostoli tui et Evangelistae* [cfr. Brev. Rom. in festo S. Ioan., respons. 1. ad primam lectionem]. Ante primam orationem C habet: *Suffragia. Recordare, Virgo Mater, dum steteris in conspectu Dei* etc., ut in praedicta Missa ad Offertorium. Deinde: ℣. *In omni tribulatione et angustia nostra, nunc et in mortis hora succurre nobis beatissima Virgo Maria.*

[7] Ante *Deus in adiutorium* A C G semper adiungunt versum; hoc loco C: *Iesu, Dei Verbum, David inclyta proles, qui passus es pro nobis, miserere nobis* [in A hic evulsum est folium]; G: *Per signum crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster.*

[8] Cod. E *velata.* Deinde fide cod. C substituimus *Crebris caesus* pro *Caesus quoque;* et infra cum B G *Perducas nos* pro *Perduc nos.*

Laus, honor Christo vendito
Et sine causa prodito,
Mortem passo pro populo
In aspero patibulo. Amen.

Antiph. Faciem meam.

Psalmus 42. Iudica me, Deus etc.[1].

Antiph. Faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.

Capitulum.

Recogitate eum qui talem sustinuit adversum semetipsum a peccatoribus contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes[2]. ℟. Deo gratias.

℣. Cum malediceretur, non maledicebat. ℟. Et cum pateretur, non comminabatur[3].

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Oratio.

Domine Iesu Christe, qui hora diei prima pro nobis peccatoribus, Pilato praesidi praesentatus, Iudex iudicum durissimum iudicium pertulisti: tibi humiliter supplicamus, ut nobis miseris subvenias iudicandis, ne in extremo iudicio aeterno damnemur supplicio, sed tuis in caelestibus mereamur fidelibus sociari. Qui vivis et regnas[4] etc.

AD TERTIAM[5].

Deus, in adiutorium meum intende etc.

Hymnus.

Hora qui ductus tertia
Fuisti ad supplicia,
Christe, ferendo humeris[6]
Crucem pro nobis miseris.
Fac nos sic te diligere,
Vitamque sanctam ducere,
Ut mereamur requie
Frui caelestis patriae.
Laus, honor Christo vendito
Et sine causa prodito,
Mortem passo pro populo
In aspero patibulo. Amen.

Antiph. Dominus.

Psalmus 63. Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor etc.

Antiph. Dominus tanquam ovis ad occisionem ductus est et non aperuit os suum.

Capitulum.

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius. ℟. Deo gratias.

℣. Oblatus est, quia ipse voluit. ℟. Et peccata nostra ipse portavit.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison[7].

Oratio.

Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, qui hora diei tertia ad crucis tormentum pro mundi salute ductus es: te suppliciter exoramus; ut per virtutem tuae sacratissimae passionis omnia peccata nostra deleas et ad tuae beatitudinis gloriam sempiternam misericorditer nos perducas. Qui vivis et regnas etc.

AD SEXTAM.

Deus, in adiutorium meum intende etc.

Hymnus.

Crucem pro nobis subiit,
Et stans in illa sitiit
Iesus, sacratis manibus
Clavis fossus et[8] pedibus.

---

[1] Pro Ps. 42: *Iudica me* habet D Ps. 2: *Quare fremuerunt* et cum B habet antiph. *Astiterunt reges terrae* [vide supra pag. 152. notam 7.], G habet Ps. 65: *Iubilate Deo omnis terra* cum antiph. *Cum ducerent Iesum ligatum, blasphemabant eum et diluculo veniebant et conspuebant in eum.*

[2] Hebr. 12, 3. Cod. F addit *Nondum enim usque ad sanguinem restitistis adversus peccatum* [ibid. v. 4.]. Codd. B D habent capitulum *Communicantes Christi passionibus* [vide supra pag. 154. notam 2.], G *Christo igitur passo* [vide infra ad Completorium].

[3] Ex I. Petr. 2, 23. Codd. B D habent seq. ℟. br.: ℟. *Spiritus oris mei, * Christus Dominus.* ℣. *Captus est pro peccatis nostris. Christus Dominus. Gloria Patri. Spiritus oris mei.* ℣. *Proposito sibi gaudio.* ℟. *Sustinuit crucem, omni confusione contempta.* Alii habent aliud respons., cui C solummodo hic, E F vero etiam in aliis horis addunt *Kyrie eleison. Pater noster. Credo.* Cod. G habet ℣. *Collaphizabant Dominum faciem velatus* (!). ℟. *Et spoliabant eum verberibus fangatus* (!).

[4] In principio huius orationis usque ad *praesentatus* fere omnes codd. conveniunt, sed deinde differunt; nostra lectio sumta est ex A B D; E F semper habent duas orationes diversas; A iterum addit orationem *Interveniat pro nobis* etc. et aliam ad *S. Ioan.*, ut supra. Porro hic et in aliis horis addit quosdam versus satis insulsos.

[5] Ante *Deus, in adiutorium* C praemittit eadem verba, ut ante Primam; A habet *Salva nos Christe redemptor*, ut supra [ibi haec defecerunt]. Idem fit in seqq. horis.

[6] Cod. A praefigit *in;* infra cum A B D substituimus *Ut mereamur* pro *Ut valeamus.* — Post hymnum B D habent alium Psalmum, scilicet Ps. 108: *Deus, laudem meam ne tacueris,* cum antiph. *Locuti sunt adversum me lingua dolosa et sermonibus odii circumdederunt me et expugnaverunt me gratis* (vide supra pag. 154. notam 1.); G habet Ps. 122: *Ad te levavi oculos meos,* cum antiph. *Vide, Domine, et considera, quia sine causa flagellis caesus fui et ad mortem condemnatus.* — Capitul. sumtum est ex I. Petr. 2, 21. 22.

[7] Cod. D loco *Kyrie eleison* habet seq. ℟. br.: ℟. *Proposito sibi gaudio, * Sustinuit crucem.* ℣. *Omni confusione contempta. Sustinuit. Gloria Patri. Proposito sibi.* ℣. *Oblatus est, quia ipse voluit.* ℟. *Et non aperuit os suum.* Alii codd. substituunt aliud respons., et quidem E F cum *Kyrie eleison. Pater noster. Credo*, ut supra. Vat. habet tantum ℣. *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* ℟. *Confusione contempta;* G ab aliis discedit. Sequentem orationem correximus ex A B C D; E F G habent alias duas, et G recedit ab omnibus.

[8] Ita D, Vat. *fossisque,* C F G *fossis et* [C *ac*], E *fixus et*, et B *Clavi fixis et.*

Honor et benedictio
Sit crucifixo Filio,
Qui suo nos supplicio
Redemit ab exsilio.
Laus, honor Christo vendito
Et sine causa prodito,
Mortem passo pro populo
In aspero patibulo. Amen.

Antiph. Posuerunt.

Psalmus 115. Credidi, propter quod etc.

Antiph. Posuerunt super caput eius causam ipsius scriptam: Iesus Nazarenus, Rex Iudaeorum [1].

Capitulum.

Tradebat autem iudicanti se iniuste, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitiae vivamus, cuius livore sanati sumus. ℟. Deo gratias.

℣. Oblatus est, quia ipse voluit. ℟. Et peccata nostra ipse portavit [2].

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Oratio.

Domine Iesu Christe, qui hora diei sexta crucis patibulum ascendisti, in qua salutem nostram sitiens felle et aceto te potare permisisti: te suppliciter deprecamur; ut accenso et inflammato corde nostro sitire nos facias tuae calicem passionis. Qui vivis et regnas Deus [3] etc.

AD NONAM.

Deus, in adiutorium meum intende etc.

Hymnus.

Beata Christi passio
Sit nostra liberatio,
Ut per hanc nobis gaudia
Parata sint caelestia.

Gloria Christo [4] Domino,
Qui pendens in patibulo,
Clamans emisit spiritum,
Mundumque salvans perditum.
Laus, honor Christo vendito
Et sine causa prodito,
Mortem passo pro populo
In aspero patibulo. Amen.

Antiph. Et cum accepisset.

Psalmus 141. Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum etc.

Antiph. Cum accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite, emisit spiritum [5].

Capitulum.

Decebat eum, per quem omnia et propter quem omnia facta sunt, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari [6]. ℟. Deo gratias.

℣. Tradidit in mortem animam suam. ℟. Et cum viris sceleratis deputatus est.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Oratio.

Domine Iesu Christe, qui hora diei nona, expansis in cruce manibus et inclinato capite, Deo Patri spiritum tradidisti et clave mortis tuae dignantissime paradisum reserasti: concede nobis indignis supplicibus tuis; ut in hora mortis nostrae animas nostras ad te, qui verus paradisus es, facias misericorditer pervenire. Qui vivis et regnas etc.

AD VESPERAS.

Deus, in adiutorium meum intende etc.

Antiph. Dignus es.

Psalmus 29. Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me [7] etc.

---

[1] Cfr. Ioan. 19, 19. et Breviar. Rom. feria VI. in Parasceve, antiph. ad Benedictus. — Codd. B D G habent Ps. 21: *Deus, Deus meus, respice in me;* sed G habet solummodo paucos versiculos incipiendo a v. 17. Deinde B D pro antiph. habent *Omnes videntes me locuti sunt labiis et moverunt caput*, et pro capitulo cum A *Humiliavit semetipsum factus obediens* etc., G vero pro antiph. *O vos omnes* et pro capitulo *Aspiciamus in auctorem.* Capitulum nostrae lectionis est ex I. Petr. 2, 23. 24.

[2] Post capitul. exhibetur in B seq. ℟. br.: ℟. *Oblatus est, * Quia ipse voluit. ℣. Et non aperuit os suum. Quia. Gloria Patri. Oblatus est. ℣. Tradidit in mortem animam suam. ℟. Et cum sceleratis deputatus est.* In aliis codd. est fere idem respons., excepto G.

[3] Hanc formam orationis sumsimus ex B D. Vat. post verba *diei sexta* continuat: *pro salute nostra manus in cruce expandisti et quinque vulnera pertulisti, ad te fugientes brachiis misericordiae clementer suscipe et vulnera mentis nostrae tuo sana medicamine, ut purgati a peccatorum sordibus templum efficiamur Spiritus sancti.* Cod. F habet tres orationes, quarum secunda fere convenit cum Vat.; in aliis omnibus codicibus orationes differunt, nec placent.

[4] Pro *Gloria Christo* G *Commoriamur.*

[5] Cfr. Ioan. 19, 30. — Codd. B D habent Ps. 68: *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt,* cum antiph. *Laboravi clamans, raucae factae sunt fauces meae, defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum* [ibid. v. 4.]; et capitul. *Christus semel pro peccatis nostris*, ex I. Petr. 3, 18. — Cod. G habet paucos versiculos Ps. 23. incipiendo a v. 6, cum capitulo *Fratres: Gaudete, quia cum inimici essemus* etc.; cfr. Rom. 5, 10.

[6] Cfr. Hebr. 2, 10. — Hic codices habent seq. ℟. br.: ℟. *Tradidit in mortem, * Animam suam. ℣. Et cum sceleratis deputatus est. Animam. Gloria Patri. Tradidit. ℣. Vere languores nostros ipse tulit. ℟. Et dolores nostros ipse portavit* [cfr. Isai. 53, 12.]. Sequentem orationem exhibemus secundum A B C D. Vat. post *diei nona* prosequitur: *pro salute nostra humana in mortem animam tuam tradidisti et caelos ascendisti, vivifica corda nostra per infusionem tui amoris, ut te diligere mentemque caelestibus inhaerere et mortem tuam nostrae carnis mortificatione imitari valeamus: ut, dum tua passione participes efficimur, tuae consolationis nos facias esse consortes.*

[7] Codd. B D substituunt Ps. 56: *Miserere mei, Deus, miserere mei,* cum antiph. *Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam, animam meam eripuit de medio catulorum leonum, dormivi conturbatus* [ibid. v. 4. 5.], G Ps. 130: *Domine, non est exaltatum cor meum,* cum antiph. *Ad vesperum demorabitur fletus et ad matutinum laetitia* [Ps. 29, 6.].

Antiph. Dignus es, Domine, accipere librum et aperire septem signacula eius, quoniam occisus es et redemisti nos Deo in sanguine tuo [1].

Capitulum.

Videmus Iesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. ℟. Deo gratias.

Hymnus.

Qui pressura mortis dura
Solvisti nexus criminum,
Nos ad pacem duc veracem,
Iesu, corona virginum.
In flagellis potum fellis
Bibisti amarissime
Pro peccatis perpetratis,
Aeterne Rex altissime.
Omni [2] genti recolenti
Tuae mortis supplicium
Da virtutem et salutem,
Iesu, redemptor omnium.
In amara crucis ara
Fudisti rivos sanguinis,
Iesu digne, Rex benigne,
Consors paterni luminis.
Sanguis Christi, qui fuisti
Peremptor hostis invidi,
Fac secure nos venire
Ad coenam Agni providi.
Laus, honor Christo vendito
Et sine causa prodito,
Mortem passo pro populo
In aspero patibulo. Amen.

℣. Disciplina pacis nostrae super eum. ℟. Quia livore eius sanati sumus [3].

Ad Magnificat. Antiph. Recessit pastor noster bonus, fons aquae vivae, quia animam suam posuit pro ovibus suis et pro suo grege mori dignatus est.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Oratio.

Domine Iesu Christe, qui hora vespertina pro humana salute iam morte peremptus de cruce deponi et in tuae Matris manibus, ut pie creditur, recipi voluisti: concede propitius; ut depositis peccatorum nostrorum sarcinis, ante conspectum divinae Maiestatis tuae praesentari valeamus. Qui vivis et regnas [4] etc.

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos, Deus salutaris noster. ℟. Et averte iram tuam a nobis.

Deus, in adiutorium meum intende etc.

Antiph. Plangent eum.

Psalmus 87. Domine Deus salutis meae [5] etc.

Antiph. Plangent eum quasi unigenitum, quia innocens Dominus occisus est [6].

Hymnus.

Qui iacuisti mortuus
In petra rex innocuus,
Fac nos in te quiescere,
Sanctamque vitam ducere.
Succurre nobis, Domine
Quos redemisti sanguine,
Et duc nos ad caelestia
Aeternae pacis gaudia.
Laus, honor Christo vendito
Et sine causa prodito,
Mortem passo pro populo
In aspero patibulo. Amen.

Capitulum.

Christo in carne passo, et vos eadem cogitatione armamini. ℟. Deo gratias [7].

---

[1] Apoc. 5, 9. Sequens capitulum est Hebr. 2, 9; capitulum in G sumtum est ex Gal. 6, 14.

[2] Ultimus versus primae strophae est ex hymno ad Vesper. in officio de Comm. Virgin.; secundae strophae ultimus versus ex hymno ad Matut. in officio de Ascens.; tertiae strophae ultimus versus ex hymno de Comm. Conf. Pont. ad Laudes; quintae strophae ultimus versus desumtus est ex hymno 62. S. Ambros. (in appendice ad opera S. Ambrosii).

[3] Isai. 53, 5. De seq. antiph. cfr. Ioan. 10, 15. Codd. B D habent antiph. *Cum accepisset*, ut supra ad Nonam, G exhibet longiorem antiph. *Deponentes Iesum* etc., cum versu *Lanceaverunt* etc.

[4] Ita A B D et C, qui tamen plura addit. Vat. post *vespertina* continuat: *discipulis tuis corporis et sanguinis tui tradidisti mysteria et de cruce positus es, depone mentis nostrae vitia et perpetrata scelera, ut sint nobis in remedium hic et in perpetuum.* E F differunt et F aliam orationem addit, quae aliquatenus convenit cum Vat., G omnino differt. Postea sequitur in Vat.: *Commemoratio Virginis: Antiphona. Regina clementiae, Virgo mater Christi, cum videres Filium tuum in cruce mori, nullus dolor similis tuo dolori.* ℣. *Quae matris angustias posset lingua fari?* ℟. *Cum videres Filium in cruce clavari. Oratio. Domine Iesu Christe, Virginis Mariae Fili dulcissime, qui cum proditore coenasti, deinde captus viliter tractus fuisti, praesta quaesumus, ut qui tibi et tuae sanctissimae Genitrici compatimur vobiscum manere sine termino mereamur. Qui vivis et regnas.* Cod. A addit Orationes duas *Interveniat pro nobis* etc., ut supra ad Laudes et ℣. *Proprio Filio suo*, et ante Completorium ℣. *Salva nos.*

[5] Codd. B D habent Ps. 40: *Beatus qui intelligit* cum antiph. *Etenim homo pacis* [ibid. v. 10.], G Ps. 150: *Laudate Dominum in sanctis*, cum antiph. *Tulit Ioseph corpus* etc. [cfr. Ioan. 19, 38.].

[6] Cfr. Zach. 12, 10.

[7] Epist. I. Petr. 4, 1. — Quoad versum vide Brev. Rom. in Sabbato sancto vers. ad 3. Noct. Cod. A habet hunc vers.: ℣. *Mortuus est propter delicta nostra.* ℟. *Et resurrexit propter iustificationem nostram;* B D habent integrum respons. br.: ℟. *Oportuit * Pati Christum.* ℣. *Et ita intrare in gloriam suam. Pati Christum. Gloria Patri. Oportuit.* ℣. *Mortuus est propter delicta nostra.* ℟. *Et resurrexit propter iustificationem nostram.* Cod. C ante hymnum habet respons. br.: ℟. *Posuerunt Dominum, * In monumento.* ℣. *Signantes lapidem cum custodibus. In monumento. Gloria Patri. Posuerunt.* ℣. *In pace factus est* etc.

℣. Et factus est in pace locus eius. ℟. Et habitatio eius in Sion.

Antiph. Salvator mundi.

Canticum Simeonis, Luc. 2. 29. Nunc dimittis etc.

Antiph. Salvator mundi, salva nos, qui per crucem et sanguinem redemisti nos, auxiliare nobis, te deprecamur, Deus noster.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

Oratio.

Domine Iesu Christe, qui hora diei ultima in sepulcro quievisti, et a Matre tua moestissima et ab aliis mulieribus planctus et lamentatus fuisti: fac nos, quaesumus, passionis tuae compunctione lacrymis abundare et tota cordis devotione ipsam passionem tuam semper plangere eamque quasi recentem in ardenti desiderio retinere. Qui vivis et regnas [1] etc.

---

[1] Ita B D. Vat. post *Iesu Christe* prosequitur: *cuius sudor hora Completorii prae tristitia animae factus est sanguineus, et es sepultus, a mulieribus es lamentatus, aufer a nobis tristitiam et da veram laetitiam et a vanitate saeculi nos veraciter sepeli, et educ de oculis nostris lacrymas piae compassionis, ut dum deflemus tua* (!), *a te consolari mereamur hic et in caelesti curia.* Cod. D addit: *Oratio. Deprecor te, sancta Maria, Domina, Mater Dei, pietate plenissima, summi Regis filia, mater gloriosissima, mater orphanorum, consolatio desolatorum, via errantium, salus vitae sperantium, virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum, fons misericordiae et pietatis et laetitiae, fons consolationis et indulgentiae, ut intercedas pro me peccatore, famulo tuo, ante conspectum Filii tui, ut per hanc sanctam intercessionem concedat mihi ante tempus et horam mortis meae puram de peccatis confessionem et veram poenitentiam et post mortem cum Sanctis suis vitam aeternam et omnibus fidelibus vivis et defunctis vitam et requiem sempiternam. Amen.* Cod. A praeter solitas duas orationes adhuc quosdam versus et alias orationes adiungit.

OPUSCULUM X.

VITIS MYSTICA

SEU

TRACTATUS DE PASSIONE DOMINI

PROLOGUS [1].

Ego sum vitis vera [2] etc. O Iesu, benigna vitis, veni! *Lignum vitae,* quod est *in medio paradisi,* Domine Iesu Christe, cuius *folia sunt in medicinam,* fructus vero in vitam aeternam; benedicte flos simul et fructus benedictae virgae [3] Virginis Matris castissimae, et sine quo nullus sapiens, quia tu es aeterni Patris sapientia, mentem meam debilem et aridam *pane intellectus et aqua sapientiae* dignare reficere, ut, te, *clavis David,* aperiente, mihi reserentur obscura, te, o *lux vera,* radiante, tenebrosa pandantur, ut, per me [4] temetipso manifestante et elucidante, loquens simul et audientes vitam habeamus sempiternam. Amen.

Capitulum I.

De proprietatibus vitis [5].

(uplex genus proprietatum in vite considerandum.) 1. *Ego sum vitis vera* [6]. Ipso Domino nostro Iesu Christo adiuvante, videamus quasdam proprietates vitis terrestris, in quibus etiam illius caelestis vitis proprietates notare possimus; nec tantum eas quae naturaliter insunt viti, sed etiam eas quae exterius ad culturam adhibentur, consideremus.

2. Et primo considerandum [7] occurrit, quod plantari solet vitis et non seminari; translata de sua vite (De primo genere summatim.)

---

[1] Codd. A B *Incipit prologus in librum, qui dicitur Vitis,* H: *Incipit planctus Bonaventurae de passione Domini,* ed. 1 *Prooemium,* Bon. cum G *Incipit prologus.* Hoc idem opusculum, sed multis insertis fere triplo auctum, inter opera Bernardi impressum est; fatentibus autem Bellarmino, Mabillonio aliisque non est Bernardi. Bonelli in III. tomo sui *Supplementi* denuo illud edidit ut opus Bonaventurae, sed in hoc erravit, quod illud cum omnibus partibus suppositiis integrum vindicare voluit S. Bonaventurae, refragantibus melioribus codicibus. Plura de hoc in Prolegomenis nostris c. 1. § 10. Ed. operum Bernardi nominamus *ed. 1* et ed. Bonelli signamus *Bon.* Primis capitulis exceptis, non omnes, sed tantum quae sunt maioris momenti, variantes afferemus lectiones.

[2] Ioan. 15, 1, quem A B et ed. 1 omittunt. — Sequuntur Gen. 2, 9. et Ezech. 47, 12: Et erunt fructus eius in cibum et folia eius ad medicinam. Cfr. supra Opusc. III. Ligni Vitae prolog. n. 2. seqq. — Deinde F *O Iesu, vitis, veni,* H *O Iesu mitis, veni,* ed. 1 et Bon. cum A B *O Iesu benigne, vitis vera.*

[3] Respicitur Num. 17, 8, ubi de virga Aaron florente. Nostram lectionem praebent A B C D E F, ed. 1 legit *benedictus flos et fructus Virginis Matris castissimae* etc.; Bon. cum G H *benedicte flos simul et fructus Virginis, benedicte Unigenite Matris castissimae* etc. — Inferius allegatur Eccli. 15, 3. et respiciuntur Isai. 22, 22. (cfr. Apoc. 3, 7.) de clave David, ubi pro *ut te, clavis David* Bon. *ut te clave David;* et Ioan. 1, 9: Erat lux vera etc.

[4] Bon. (qua auctoritate, nescimus) contra C D E F et ed. 1 addit *ministrum humilem.* Subinde pro *temetipso* C D E F *temetipsum,* qui etiam cum ed. 1 et Bon. pro *loquens simul* (ita A B) substituunt *loquentes simul,* et pro *sempiternam* ed. 1 *aeternam.*

[5] Cod. F *De proprietate vitis,* A B *Incipit liber Iesu,* ed. 1 *Christum Iesum esse veram vitem.*

[6] Ioan. 15, 1. — Inferius pro *caelestis* (ita C D E F G) ed. 1 et Bon. *supercaelestis,* pro *notare* ed. 1 *nominare,* quae etiam cum Bon. bis pro *eas quae* (ita C D E) substituit *ea quae* (cfr. finis cap.), et post *ad culturam* ed. 1 addit *eidem,* Bon. *eiusdem,* refragantibus C D E F.

[7] Codd. A B et ed. 1 *Et primo quidem;* dein pro *occurrit* H *accurate,* post *plantari solet vitis* A B et ed. 1 addunt *in terra,* pro *translata* G *transplantata,* et pro *plantatur* (ita D E) Bon. *primaria* (C *primarum?*), quod ab A B et ed. 1 omittitur.

plantatur; quod ad conceptionem Iesu mihi pertinere videtur. Vitis enim primo nata de vite est Deus genitus de Deo, et Filius[1] de Patre, coaeternus et consubstantialis ei, de quo est. Sed, ut maiorem fructum faceret, plantata est in terra, quod est in Virgine Maria conceptus, factus quod non erat, manens quod erat[2]. Benedicta terra haec, benedictionem omnium gentium proferens! Vere benedicta, quae, Deo dante benignitatem, tam benedictum protulit fructum[3]. Haec est terra, de qua scriptum est: *Terram non operabatur quisquam, sed irrigabatur a fonte ascendente a paradiso.* Terra quippe haec non operationem humanam accepit, ut conciperetur in ea Filius Dei; sed aqua Spiritus sancti irrigata fuit. Ita enim legis[4]: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Rursum de hac scriptum est: *Aperiatur terra et germinet Salvatorem.* Aperta quidem fuit eadem terra, beata scilicet Virgo Maria, per fidem, credens et obediens verbis Angeli; germinavitque vitem salutarem, scilicet Salvatorem nostrum, « aeternae vitae praemia largientem[5] ». — Hac itaque vite nostra in lucem edita, quaedam proprietates culturae vitis attinentes adhibitae sunt.

Vitis ex Patre nata.

In Maria plantata.

De sec[lo] genere [e]cialiter.

Capitulum II.

De praecisione vitis[6].

I. Solet enim vitis fructifera *praecidi,* quod et corporaliter et figurative accipi potest. Circumcisus fuit Dominus noster Iesus Christus[7], non quod hac circumcisione indigeret, sed ut consolaretur dolores nostros doloribus illius qui non pro se, sed pro nobis doluit, et vulneratus est non pro se, sed ut nostris doloribus mederetur[8].

De praecisione corporali.

2. Possumus etiam alio modo accipere praecisionem vitis nostrae, amantissimi scilicet Iesu, ut omnia ab eo praecisa dicamus, quibus caruit in hac

De prae[cisio]ne spiri[tuali].

---

[1] Cod. H *Deus de Deo, unigenitus Filius.* Subinde pro *consubstantialis ei, de quo est* F *consubstantialis, de quo est, Patri,* pro *de quo est* AB et ed. 1 *de quo genitus est.*

[2] August., in Ioan. Evang. tr. 80. n. 2, exponens verba *Ego sum vitis vera* etc. ait: Et si *Verbum caro factum est* [Ioan. 1, 14.], quod non erat, manet quod erat. — Superius pro *plantata est* (ita A B C D F) ed. 1 et Bon. *plantatus est.*

[3] Psalm. 84, 13: Etenim Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum. Pro *Deo dante benignitatem* D E *tanta benignitate.* — Sequitur Gen. 2, 5. seq.: Et homo non erat, qui operaretur terram, sed fons ascendebat e terra irrigans universam superficiem terrae. Ibid. v. 10: Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum. Pro *a paradiso* A B et ed. 1 *de paradiso.*

[4] Luc. 1, 35. — Subinde allegatur Isai. 45, 8, in quo pro *germinet* ed. 1 *germinabit.* — Pro *legis* Bon. *legitur.*

[5] Respicitur Resp. lect. 2. pro festo S. Andreae (30 Nov.): « Aeternae vitae secutus est [Andreas] praemia largientem »; D E *fructum largientem.* — Superius post *Aperta* ed. 1 cum A B prosequitur *quippe fuit per fidem, credens et obediens Angelo germinavitque* etc.

[6] Codd. A B omittunt *vitis,* nonnulli, ut C H, omittunt totam capituli inscriptionem, ed. 1 vero addit *sive de variis mysteriis ad statum exinanitionis Christi spectantibus.*

[7] Cfr. Luc. 2, 21. — Superius post *quod* H addit *in proposito rursum.*

[8] Vide Isai. 53, 4. seq.: Dolores nostros ipse portavit... Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras etc. — Superius pro *doloribus illius qui* G H *doloribus suis, quia.* Codd. A B, ed. 1 et Bon. contra C D E F G H plura hic addunt legentes: Circumcisus enim fuit Dominus noster Iesus Christus, non quod hac circumcisione indigeret [A B et ed. 1 *egeret*], quae in antiquis Patribus delebat originale peccatum, sicut baptismus in nobis. Nihil enim peccato originali per concupiscentiae vitium contracto debebat qui [ita A B; ed. 1 et Bon. *quia*] sine omni concupiscentia carnali conceptus erat; sed ne legem, quam ipse dederat, solvere videretur. — Moraliter vero docens nos oportere [A B omittunt *oportere*] non aegre ferre, si quando poenas peccati patimur, quod in nobismetipsis non recognoscimus, cum ipse peccatorum purgator non fuerit dedignatus pro nobis subire remedium peccatorum. Consolemur ergo [A B *Consolemurque*] dolores nostros, qui nequaquam sine peccato sumus, doloribus illius qui non pro se, sed pro nobis doluit et vulneratus est, non pro se, sed ut nostris vulneribus mederetur. Vide, quantum ad suscipiendos dolores [A B addunt *nostros*] festinavit, quam paratus et promptus sanguinem [A B addunt *pro nobis*] effundere, circumcisus pro nobis die nativitatis suae octavo. Utinam nos saltem et anno octavo nonnihil [A B *nos aliquid saltem anno octavo*] pro Domino pateremur! Sed quid dicimus? cum plures inveniamus etiam post octo annos decuplatos, id est post [ita A B; ed. 1 et Bon. *et post octo plantatos, vel post*] octoginta annos, cum naturaliter amplius erit *eorum labor et dolor* [Ps. 89, 10.], nec voluntate saltem ad Dominum converti, nec tam mature impensi sanguinis pretiosi memores, tamdiu vanitati subiectam corrigere vitam [A B *rependere voluntatem*]. Quid miserius? Christus octavam diem a nativitate sua vix exspectat, ut suum tibi sanguinem impendere incipiat, tu post non dico octo dies, sed nec post octoginta menses, immo et octoginta annos solam non rependis voluntatem? Ille [A B *Christus*] vix natus sanguinem tibi effundit, tu iam moriturus voluntatem tuam illi [ex A B supplevimus *illi*] non refundis? Bonus profecto Iesus, qui etiam in quarta vigilia venientem servum suscipit poenitentem [cfr. Luc. 12, 38.]. Dedisti robur annorum iuvenilium hosti Christi. Christo saltem [A B addunt *postremo*] misericorditer exspectanti infirmam tribue voluntatem, nec dubites, quin illam accipiat. *Puer enim natus est nobis* [Isai. 9, 6.], ut parvulis munusculis consoletur, quia parvum parva decent. Quodsi quod [A B *Si tamen quidquid*] offers parvum non fuerit [A B *parvum sit*], id est humile, per hoc ipsum [A B *alioquin per ipsum*] ad ipsum humilem [A B omittunt *humilem*] intrare non poteris, qui de se dicit [A B *dixit.* Ioan. 10, 9.]: *Ego sum ostium.* Et alibi [Matth. 11, 28. seq.]: *Venite ad me, omnes, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde.*

vita, cum ea tamen habere potuisset. Accipiamus igitur hanc praecisionem a verbo Apostoli dicentis de ipso[1]: *Qui cum in forma Dei esset,* inquit, *exinanivit semetipsum, formam servi accipiens.* Ipsa enim exinanitio quaedam praecisio est; sicut enim minuitur vitis, quando conciditur, sic *vitis vera,* Dominus Iesus Christus, in incarnatione *minoratur ab Angelis*[2], immo et infra omnes homines humiliatus fuit.

modo et a huius cisionis.

3. *Quomodo?* Amputata fuit ab illo gloria cultro ignominiae, potentia cultro abiectionis, voluptas cultro doloris, divitiae cultro paupertatis. Vide nunc, *quantum* fuerit praecisa. Ille cui famulatur omnis gloria caelorum, immo qui solus est gloria[3], quasi abiecit gloriam, servili circumdatur indumento, sustinet ignominias, induitur confusionibus, ut a confusione nos redimeret et gloriam pristinam renovaret. Ille cuius potenti nutui inferna, terrestria et supercaelestia sunt subdita, sic fit abiectus, ut reputetur *omnium virorum novissimus*[4]; subiicitur fami, siti, caloribus, frigoribus, infirmitatibus et postremo ipsius mortis supplicium non evadit. Ille qui *lucem inhabitat inaccessibilem*[5], *in quem Angeli desiderant prospicere,* cuius solus odor sic mentes inebriat Sanctorum, ut et mundi praesentis et sui ipsorum obliti, totis viribus *currant post ipsum,* tanto dolori subiicitur, ut veraciter sciatur impletum quod ante dixerat per Prophetam: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus. In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi*[6], dives in omnibus, solus nullius egens, sic fit pauper, ipso teste, ut vulpibus terrae et volucribus caeli pauperior inveniatur, cum dicit: *Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet,* pauper in *nativitate,* pauperior in *vita,* pauperrimus in *cruce. Natus* pastum habuit lac virgineum et tegumen viles pannos. In *vita* vero, etsi tegumen habuit, saepius tamen in victualibus defecit. In *morte* autem et nudum invenies et sitientem, nisi forte siti ipsius velis adhibere *acetum myrrha et felle mixtum*[7].

Continuatur.

4. Postremo autem cultro timoris amputati sunt ab eo omnes amici et proximi, ut non *esset qui consolaretur eum ex omnibus caris eius*[8]. *Torcular* enim *calcavit solus, et de gentibus non erat vir cum eo.* Et cum *sustineret cor eius improperium, exspectavit qui simul contristaretur et non fuit, qui consolaretur, et non invenit.* Vide nunc, *quantum* praecisa fuerit vitis nostra, benignissimus Iesus. Quae vitis unquam tantum praecisa fuit? Sed est consolatio huius praecisionis multus fructus multam et incomparabilem praecisionem subsecutus[9].

---

[1] Phil. 2, 6. seq. — Superius pro *amantissimi scilicet Iesu,* quod ed. 1 cum A B omittit, C *amarissimi scilicet Iesu.* Subinde pro *Accipiamus igitur* ed. 1 *et accipiamus.*

[2] Respicitur Ps. 8, 6; cfr. Hebr. 2, 7. et 9. Codd. D E *minoratur vel minor fit,* Bon. *minoratus paulo minus ab Angelis,* A B et ed. 1 *minoratus ab Angelis.* — Superius pro *quaedam praecisio est* Bon. cum H *quodam modo praecisio fuit,* et pro *quando conciditur* A B et ed. 1 *quando praeciditur.*

[3] Ed. 1 et Bon. cum A B *immo ipse, qui solus vera gloria est.* Subinde pro *abiecit* A B et ed. 1 *abiicit,* pro *servili circumdatur* [A B F *circumdatus*] ed. 1 et Bon. *Servuli circumdatus,* pro *sustinet* D E *sustinuit,* pro *induitur* ed. 1 cum A B *operitur,* pro *nos redimeret* (ita C D E F) ed. 1 et Bon. *te redimeret,* et pro *et gloriam pristinam renovaret* (ita C D E) Bon. cum ed. 1 *et ad gloriam pristinam revocaret.*

[4] Isai. 53, 3. — Superius voci *inferna* Bon. cum ed. 1 et pluribus codd. praefigit *omnia,* pro *sic fit abiectus* Bon. *sic fit subiectus,* et pro *ut reputetur* ed. 1 *ut reputaretur.* Subinde pro *subiicitur* et *evadit* A B *subiiciatur* et *evadat.*

[5] Epist. I. Tim. 6, 16, post quem I. Petr. 1, 12. — Subinde respicitur Cant. 1, 3: Post te curremus etc., et allegatur Thren. 1, 12.

[6] Col. 2, 3, cui subnectunt ed. 1 et Bon. contra C D E *Rex regum* [I. Tim. 6, 15.], *dives in omnes* [Rom. 10, 12.]. — Sequitur Matth. 8, 20. — Inferius pro *ipso teste* D E *ipso testante.*

[7] Matth. 27, 34. et 48; Marc. 15, 23; Ioan. 19, 28. seq. — De hac triplici paupertate Christi cfr. supra Opusc. VI. de Perfectione vitae ad sorores, c. 3. n. 2. seqq. Cod. C omittit *myrrha et.* — Ed. 1 et Bon. contra C D E *nisi forte ad sitis ipsius remedium velis adhibere acetum* etc.

[8] Thren. 1, 2. — Duo seqq. loci sunt Isai. 63, 3. et Ps. 68, 21.

[9] Ed. 1: *Sed quae est consolatio huius praecisionis? Multus fructus. Multam enim et incomparabilem praecisionem sustinuit.* Bon.: *Sed quae est consolatio huius praecisionis? Multus fructus multam et incomparabilem praecisionem subsecutus est.* Deinde ed. 1 et Bon. cum A B, refragantibus C D E F G H, addunt: Videtur tamen signanter dictum esse: *Et de gentibus non est vir mecum,* tanquam intelligendum sit, solas mulieres cum illo remansisse. Viris enim fortioris naturae, fugientibus prae timore, non fugit muliebris infirmitas, quae etiam baiulantem sibi crucem [cfr. Luc. 23, 27.] et in cruce morientem non dereliquerunt [cfr. Ioan. 19, 25; A B *reliquerunt*], sicut in persona Christi conquerentis loquitur beatus Iob [19, 20; cfr. Gregor., XIV. Moral. c. 49. n. 57. et c. 50. n. 58.]: *Derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.* Per *labia* quippe, quae ceteris sunt membris molliora, muliebris sexus mollis et [A B *id est*] infirmus intelligitur, qui solus Christo, discipulis fugientibus, adhaesit [ed. 1 et Bon. contra A B incongrue addunt *figuratur*]. *Elegit* enim *Dominus infirma mundi, ut confunderet fortia* [I. Cor. 1, 27.]. Si vero fugam mentalem intelligimus [A B *intelligamus*], nec vir relictus est cum eo nec mulier, praeter illam quae sola *benedicta* est *in mulieribus* [Luc. 1, 28.], quae sola per illud triste Sabbatum stetit in fide, et salvata fuit Ecclesia in ipsa sola. Propter quod aptissime tota Ecclesia in laudem et gloriam eiusdem Virginis diem Sabbati per totius anni circulum celebrare consuevit [cfr. Bonav., III. Sent. d. 3. p. I. a. 2. q. 3. ad 2. cum nota adiecta, in qua praedicta sententia allegata est]. Vere et singulariter benedictus palmes, qui a sua vite nunquam ullo [ita A B; ed. 1 et Bon. *vite nullo*] potuit timore praecidi. Abscissi sunt viri, qui dicunt [Luc. 24, 21.]: *Nos autem sperabamus, quod ipse redempturus esset Israel.* Abscissae sunt mulieres, quae quamvis pie praeveniunt mortuo humanitatis servitium exhibere [Luc. 23, 56; cfr. Theophylact. in hunc loc. et in Marc. 16, 1.], tamen illum [A B omittunt *tamen illum*] resurrecturum, nequaquam credebant. Et fortasse propterea — quod tamen non asserendo dico, ne novas videar assertiones introducere — illa Mater, quae plus omnibus [ed. 1 et Bon. contra A B omittunt *omnibus*] habuit pietatis, cum aliis ad ungendum corpus Christi sepultum non venit, quia frustra putabat [A B *reputabat*] eum ungi, quem statim [ex A B supplevimus

Capitulum III.

De circumfossione vitis [1].

Quid sit circumfossio.

1. *Circumfoditur* etiam vitis. Fossio haec insidiantium fraus intelligitur; quasi enim foveam fodit qui dolo machinatur aliquem decipere; unde conquerens dicit [2]: *Foderunt ante faciem meam foveam.* Non enim poterat illi dolus aliquis abscondi, qui oculatus est ante et retro, qui et praeterita et futura quasi praesentia intuetur. Ostendamus istarum fossionum aliquam per exemplum. *Adducunt,* inquit Evangelium [3], Domino Iesu *mulierem adulteram*, dicentes, quod *Moyses huiusmodi in Lege lapidare praecepit. Tu autem quid dicis?* Vide foveas verae vitis, quibus maligni agricolae beatam vitem nostram, dulcissimum Dominum Iesum, circumfoderunt, non ut eam facerent germinare, sed magis arescere. Verumtamen in contrarium cessit eorum intentio, et circumfossa magna facta est et humorem nobis misericordiae distillavit [4].

2. Longum vero [5] esset nimis, omnes foveas, quas maligni agricolae foderunt, edicere, qui omnia illius et verba et facta calumniari nitebantur. Sed ubi viderunt, circumfossionem [6] nihil nocere viti, sed ipsos fodientes in ipsas foveas incidisse; ipsam vitem iam non circumfodere, sed perfodere laborabant, ut sic saltem ad modum aliarum arborum aeternam incurreret ariditatem. Foderunt ergo et perfoderunt non solum manus, sed et pedes [7], latus quoque et

Non tan[tum] circumfo[de]re, sed perfodere [vo]luerunt

---

statim] resurrecturum sciebat. Vere fortis haec mulier et prae cunctis post Filium honoranda! Vere *virago* [cfr. Gen. 2, 23.] et dici potest et est [ed. 1 et Bon. contra A B omittunt *et est*], quae a viro Christo per amoris fortitudinem [A B *a viro fortissimo*] separata non est, sed eum quem morientem et mortuum vidit, credidit immortalitatis gloria sublimandum [ita A B; ed. 1 et Bon. *sublimatum*].

[1] Codd. A B omittunt *vitis*, Bon. legit *De fossione et circumfossione vitis*, ed. 1: *De circumfossione vitis, id est de insidiis Iudaeorum et vulneribus Christi.*

[2] Psalm. 56, 7. — Inferius respicitur Apoc. 4, 6, ubi quatuor animalia dicuntur « plena oculis ante et retro »; cfr. Ezech. 1, 18. et 10, 12. Subinde post *quasi* [ed. 1 cum A B *tanquam*] *praesentia intuetur* ed. 1 et Bon. contra C D E F addunt *Omnia enim nuda et aperta sunt oculis eius* [Hebr. 4, 13.].

[3] Ioan. 8, 3. et 5. Codd. A B *inquit Evangelista.* — Praecedentem propositionem ed. 1 sic exhibet: *Ostendamus autem per exemplum aliquam fraudem istarum fossionum*, Bon.: *Ostendamus autem istarum fossionum aliquas per exemplum* [A B *per exempla aliquam*], insinuans, refragantibus C D E F G H, plura exempla adducenda. Inferius post *Vide* ed. 1 prosequitur *foveam, qua beatam vitem nostram circumfoderunt illi pessimi agricolae* [cfr. Matth. 21, 33. seqq.], *non ut* [ultima pars sic etiam exhibetur ab A B] etc.

[4] Ed. 1 *et circumfossa fertilis magis* [ita etiam A B] *facta est et humorem misericordiae distillans;* pro *et circumfossa* Bon. *et circumfossio.* Ed. 1 et Bon. cum A B, aliis codd. contradicentibus, hic addunt: Foveas vero [A B *enim*] videamus. Dixerunt apud se: Si secundum Legem dixerit mulierem *lapidandam*, in [ed. 1 cum A B omittit *in*] foveam incidet crudelitatis, qui de se dicit [Matth. 11, 29.]: *Mitis sum et humilis corde;* et iterum [Matth. 9, 13; 12, 7; Osee 6, 6.]: *Misericordiam volo et non sacrificium.* Si vero dixerit *absolvendam*, foveam praevaricationis non evadet et iure condemnabitur ut Legis transgressor. Sic *captant in animam iusti* [Ps. 93, 21.] et *observant peccatores iustum et strident dentibus* [Ps. 36, 12; ex A B supplevimus *dentibus*], nescientes, quod *frustra iacitur rete ante oculos pennatorum* [Prov. 1, 17.], et quod *qui fodit foveam incidet in eam* [Prov. 26, 27; Eccle. 10, 8.]. Sed [ed. 1 addit *leviter*] transilivit has foveas [A B *eam*] noster Idithun [ita A B, qui tamen scribunt *ydithim;* cfr. Hieron., de Nominib. Hebraic. de Psalt. *Idithun*, transiliens eos sive saliens eos. Vide etiam August., Enarrat. in Ps. 38. n. 1, et Isidor., VII. Etymolog. c. 8. n. 28. Ed. 1 *noster Ibex*, Bon. *nostra Ibex*] ipsosque *fossores* deiecit in illas [A B *illam*]. Ait enim [Ioan. 8, 7.]: *Qui sine peccato est vestrum, primus mittat in illam lapidem;* quasi dicat [A B *diceret*]: Legi meae non contradico, pietatem meam non desero. Ista quidem meruit lapidari; sed non lapidabitur, quia qui lapidem iuste possit in eam mittere non habetur [A B addunt *non enim vult Lex habere ministros sui praevaricatores*]. Numne vis adhuc aliquas [A B *Vis autem adhuc alias*] foveas videre? *Licet*, inquiunt [Matth. 22, 17.], *censum dari caesari, an non?* Dixerunt [ita A B; ed. 1 et Bon. *Dixerant*] enim apud se: Si dixerit: Licet, tenebitur reus tanquam libertatis nostrae destructor. Solutio enim census servitii signum est. Si dixerit: Non licet, reus erit laesae maiestatis. O stultos! Solet stultus alios secundum se aestimare, et quod ipse ignorat, sapientes quosque credit similiter ignorare [cfr. Eccle. 10, 3.]. Sed quid ait Sapientia? Libertati [A B addunt *Dei*] non derogo, maiestatem [A B addunt *regiam*] non offendo, in [ed. 1 cum A B omittit *in*] foveas vestras non incido. *Reddite quae sunt caesaris caesari, et quae sunt Dei Deo* [Matth. 22, 21.]. Non enim offenditur Deus iustus, qui vult reddi cuique quod suum est. Si reddatis caesari quod caesaris est, non [A B coniungentes *si reddatis... est* cum praecedente propositione, pro *non* substituunt *nec*] offenditur caesar. Si Deo reddideritis quod [ita A B; ed. 1 et Bon. *quae*] creavit iuste, quod iustum est facitis [A B omittunt *iuste... facitis*, verba *si Deo... creavit* coniungentes cum praecedente propositione. Iidem codd. omittunt quae sequuntur]. Reddite ergo caesari denarium, caesaris habentem imaginem; reddite Deo animam, quam *ad imaginem et similitudinem suam creavit* [Gen. 1, 26. seq.], et ecce iusti fueritis.

[5] Cod. C *enim*, alii, ut A B F, ed. 1 et Bon. omittunt *vero*, quod D E praebent. Subinde pro *quas maligni agricolae foderunt* (ita C D E F) ed. 1 et Bon. *quas verae viti nostrae maligni isti foderunt*, et pro *qui omnia* (ita C D E F) Bon. cum ed. 1 *quia omnia.*

[6] Ita F, C D E *circumcisionem*, ed. 1 et Bon. *Sed cum viderent, circumfossiones.* Post *viti* ed. 1 prosequitur *magis autem se ipsos, dum fodiunt in ipsas incidisse, ipsam vitem circumfodere et perfodere* etc.

[7] Psalm. 21, 17: Foderunt manus meas et pedes meos. Ioan. 19, 34: Sed unus militum lancea latus eius aperuit. — Pro *sanctissimi cordis* Bon. *beatissimi cordis*, et pro *perforatum* (ita C D E F) ed. 1 et Bon. *vulneratum.*

duplici ...eratione ...is.

sanctissimi cordis intima furoris lancea perforarunt, quod iam dudum amoris lancea fuerat perforatum. *Vulnerasti,* inquit[1], *cor meum, soror mea, sponsa, vulnerasti cor meum.* Vulneravit cor tuum, amantissime Iesu, *sponsa tua, soror tua, amica tua;* quid necessarium fuit ab inimicis ultra vulnerari? Quid agitis, o inimici? Si vulneratum est, immo quia vulneratum est cor dulcissimi Iesu, quid[2] secundum vulnus apponitis? An ignoratis, quia uno vulnere tactum cor emoritur et fit quodam modo insensibile? Mortuum est cor dulcissimi Domini mei Iesu, quia vulneratum; possedit vulnus amoris Sponsi Iesu cor, possedit mors amoris. Quomodo mors altera introibit? *Fortis est ut mors,* immo vere etiam fortior quam mors, *dilectio*[3]. Non potest expelli mors prima, id est dilectio multorum mortuorum a domo cordis, quoniam sibi inviolabili suo vulnere acquisivit. Si duo aeque fortes occurrant, quorum unus sit in domo, alter vero deforis, quis dubitet, eum qui deintus est obtinere victoriam[4]? Et vide, quanta sit vis amoris domum cordis possidentis et per vulnus dilectionis occidentis; sed non solum in Domino Iesu, verum etiam in servis suis[5]. Sic ergo iam dudum vulneratum et mortuum fuit cor Domini Iesu, *mortificati propter nos tota die, aestimati sicut ovis occisionis*[6]. Accessit autem mors corporalis et vicit ad tempus, ut vinceretur in aeternum.

Habitandum est in corde Iesu.

3. Sed quia iam semel venimus ad cor Domini Iesu dulcissimi, et *bonum est nos hic esse*[7], non facile evellamur ab eo, de quo scriptum est: *Recedentes a te in terra scribentur.* Quid autem erit accedentibus ad te? Accedemus, inquit[8], ad te et *exsultabimus et laetabimur in te memores* cordis tui. *O quam bonum et iucundum habitare* in corde hoc! Bonus thesaurus, pretiosa margarita cor tuum, optime Iesu, quam, fosso agro corporis tui, invenimus[9]. Quis hanc margaritam abiiciat? Quin potius dabo omnes margaritas; cogitationes et affectiones meas commutabo et comparabo illam mihi, *iactans omnem cogitatum meum* in cor boni Iesu, *et* sine fallacia illud *me enutriet*[10].

In ipso adorandum.

4. *Ad hoc templum,* ad haec sancta Sanctorum et ad hanc arcam testamenti *adorabo*[11] *et laudabo nomen Domini,* dicens cum David: *Inveni cor meum, ut orem Deum meum.* Et ego inveni cor regis Domini, fratris et amici mei, benignissimi Iesu; et nunquid

---

[1] Cant. 4, 9. Ed. 1 et Bon. hic addunt *in Canticis* [Bon. *Cantico*] *amoris Sponsus.* — Inferius pro *amantissime Iesu* C *amarissime Iesu,* ed. 1 cum A B *Domine Iesu.* Subinde post *quid necessarium fuit* A B addunt *illud.*

[2] Bon. *quare.* Inferius A B et ed. 1 omittunt *quodam modo,* quod Bon. transponit, legens: *Quodam modo mortuum est cor dulcissimi Domini mei Iesu, quia vulneratum possedit vis amoris sponsae; cor Sponsi Iesu possedit mors amoris.* Ed. 1 cum A B ultimam partem sic exhibet: *Possedit vulnus amoris, possedit mors amoris Domini cor* [A B *cordis*] *Sponsi Iesu.* Nostra lectio fulcitur auctoritate C D E F, sed F post *possedit vulnus amoris* addit *sponsae,* et D E pro *Sponsi* substituunt *speciosi.*

[3] Cant. 8, 6. — Inferius vocibus *Non potest* ed. 1 et Bon. interserunt *enim.* Subinde pro *multorum mortuorum* (ita F, licet a correctore sit deletum) C D E *multorum motuum,* Bon. *multorum morientium,* ed. 1 cum A B *malarum mortium mortificatrix* et pro *quoniam sibi* (ita C D E) alias *quam sibi.*

[4] Cfr. Luc. 11, 22: Si autem *fortior* eo [custodiente atrium suum] superveniens vicerit etc. — Inferius pro *possidentis* ed. 1 cum A B *obtinentis,* et pro *vulnus dilectionis* A B *vulnus dulcissimum,* ed. 1 *vulnus dulcissime.*

[5] Codd. A B et ed. 1 *servis ipsius.* Refragantibus C D E F G H, ed. 1 et Bon. cum A B hic addunt: Veniamus ad Martyres. Terreantur licet Martyres, rident [A B *Terrentur enim Martyres et rident*]; feriuntur et gaudent; occiduntur et ecce [A B omittunt *ecce*] triumphant. Quare? Quia morte caritatis intus in corde iam dudum mortui peccatis, mortui mundo, tanquam insensibiles facti, nec minas nec tormenta nec mortem sentire potuerunt. Quid mirum? Mortui erant. *Mortui enim estis,* ait Apostolus [Col. 3, 7.]. Qualem mortem [ita ed. 1 et A B; Bon. *mortuum*] quidam stultus, sed [ita A B; ed. 1 et Bon. omittunt *sed*] sapienter [A B addunt *quidem*] optabat, dicens [Num. 23, 10.]: *Moriatur anima mea morte iustorum, et fiant novissima mea horum similia.* Bona mors mortem contemnens, bona mors vitam conferens sempiternam.

[6] Psalm. 43, 22; cfr. Rom. 8, 36. Secuti sumus A B et ed. 1, dum alii codd. legunt *mortificati propter te tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis;* Bon., hanc lectionem praeferens, voci *mortificati* praefigit *ita,* paulo superius pro *Sic ergo* substituto *Sicut ergo.* Inferius post *in aeternum* ed. 1 et Bon. cum A B (contra C D E F) addunt: Victa est [A B adnectunt *enim*], quia [A B addunt *Christus*] resurrexit a mortuis, quia *mors illi ultra non dominabitur* [Rom. 6, 9.].

[7] Matth. 17, 4. — Sequitur Ier. 17, 13. — Notamus, quod lectiones II. Noctur. pro festo Ss. Cordis Iesu *Quia semel venimus... iaculo vulnerare dignetur* ex ed. 1 sub nomine Bernardi (cfr. supra pag. 159, nota 1.) hoc ex loco sumtae sunt. — Superius ed. 1 omittit *iam,* A B vero *semel,* et pro *cor Domini Iesu dulcissimi* ed. 1 cum A B substituit *cor dulcissimum Iesu.* Subinde pro *non facile evellamur* ed. 1 *ne sinamus, nos facile avelli.*

[8] Cant. 1, 3: Post te curremus... exsultabimus et laetabimur in te, memores uberum tuorum. Cod. F legit *memores uberum tuorum, id est cordis tui in medio uberum constituti.* — Subinde allegatur Ps. 132, 1. — Ed. 1 cum A B legit: *Quid autem accedentes?* et deinde cum A B et Bon. prosequitur: Tu ipse doce nos. Tu dixisti accedentibus ad te [Luc. 10, 20.]: *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in caelo.* Concordemus haec, quia, si sic hi [A B brevius *Gaudebunt hi*], qui in caelis scripti sunt; quid ergo illi [A B *hi*], qui *in terra scribentur?* Lugebunt utique. Sed quis nolit [A B *nollet*] gaudere? Accedamus [A B *Accedimus,* Bon. *Accedemus*] ergo ad te et *exsultabimus et laetabimur* etc.

[9] Respicitur Matth. 13, 44-46. parabola de thesauro et margarita in agro inventis. — Ed. 1 *inveniemus,* quae etiam superius pro *pretiosa margarita* substituit *bona margarita* et pro *optime Iesu* cum A B *bone Iesu.* Subinde pro *agro corporis tui* F *agro tuo.*

[10] Psalm. 54, 23: Iacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet. Hieron., Divinae Bibliothecae Ps. 54, 23: Iacta in Deum cogitatum tuum, et ipse etc. Cfr. tom. VI. pag. 142, nota 4. et tom. VII. pag. 218, nota 4. — Superius post *potius dabo* ed. 1 cum A B prosequitur: *omnia* [A B addunt *mea*], *omnes cogitationes et affectus mentis* [A B *meos*] *commutabo... in cor Domini Iesu et sine* etc. Cod. G pro *sine fallacia* ponit *nisi fallar* (convenire videtur F).

[11] Psalm. 5, 8. (cfr. 137, 2.), post quem Ps. 68, 31. et II. Reg. 7, 27: Invenit servus tuus cor suum, ut oraret te oratione hac. Pro *ut orem* D E *ut adorem.*

Cor Iesu est et cor meum.

non orabo? Orabo utique. Cor enim illius etiam meum est, audacter dicam. *Si*, immo *quia* caput meum Christus est [1]; quomodo quod capitis mei est meum non est? Sicut ergo corporalis capitis mei oculi mei vere sunt, ita et spiritualis capitis mei cor etiam meum est. Bene ergo mihi; ecce, ego cum Iesu cor unum habeo; et quid mirum? cum etiam *multitudinis credentium cor fuerit unum* [2]. Hoc igitur tuo et meo corde, dulcissime Iesu, invento, orabo te Deum meum. Admitte in sacrarium exauditionis preces meas, immo me totum trahe in cor tuum. Licet enim tortuositas peccatorum meorum impediat me, tamen, quia illud incomprehensibili caritate dilatatum est et ampliatum, et *tu, qui solus es*, potes *facere mundum de immundo conceptum semine* [3]; o omnium pulcherrime, *amplius lava me ab iniquitate mea et a peccato meo munda me*, ut purificatus per te ad te purissimum possim accedere et in corde tuo *omnibus diebus vitae meae* merear *habitare* et *videre* simul et *facere voluntatem tuam*.

Quare cor Iesu vulneratum duplici modo.

5. Ad hoc enim perforatum est latus tuum, ut nobis pateat [4] introitus; ad hoc vulneratum cor tuum, ut in illa vite ab exterioribus turbationibus absoluti habitare possimus; nihilominus et propterea vulneratum est, ut per vulnus visibile vulnus amoris invisibile videamus. Qui enim ardenter amat amore vulneratus est [5]. Quomodo hic ardor melius posset ostendi, nisi quod non solum corpus, verum etiam ipsum cor lancea vulnerari permisit? Carnale ergo vulnus vulnus spirituale ostendit; et hoc formose innuit auctoritas praelibata [6], in qua bis positum est: *vulnerasti*. Utriusque enim vulneris ipsa soror et sponsa causa est, ac si ipse Sponsus aperte diceret: quia zelo amoris tui vulnerasti, lancea quoque militis vulneratus sum. Quis enim pro amico cor suum vulnerari permitteret, nisi prius amoris illius vulnus accepisset? Dicit ergo [7]: *Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa, vulnerasti cor meum*. Sed quare *soror* et *sponsa?* An non poterat sufficienter Sponsi amantis affectum ostendere *solius sororis* vel *sponsae* positio? — Item [8], quare *sponsa* et non *uxor*, cum quotidie non cesset vel Ecclesia vel quaelibet fidelis anima Sponso suo Christo bonorum operum sobolem generare? Paucis dico. Solent sponsae ardentius amari, coniugio adhuc recenti, quam postea, cum tempore procedente amor ipse componitur [9]. Sponsus ergo noster, ut amoris sui magnitudinem insinuet, qui tempore non decrescit, amicam suam *sponsam* appellat, eo quod amor illius semper novus sit.

Confirmatur loco Scripturae.

6. Sed quia sponsae etiam carnaliter diliguntur, ut in amore Sponsi nostri nihil carnale sapias, ipsam sponsam *sororem* appellat, quoniam sorores iam [10] nequaquam carnaliter adamantur. Dicit ergo: *Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa*, quasi diceret: quia summe te diligo ut sponsam, caste ut sororem, vulneratum est cor meum propter te. Quis illud cor tam [11] vulneratum non diligat? Quis tam amantem non redamet? Quis tam castum non amplexetur? Diligit profecto vulneratum quae mutuo illius amore vulnerata clamat [12]: *Vulnerata caritate*

Cor Iesu amandum.

---

[1] Cfr. Eph. 4, 15. et 5, 23; Col. 1, 18. — Superius pro *illius etiam meum est* (ita C D E F) alias *illius mecum est;* Bon. deinde prosequitur *immo audacter dicam: Si in me caput meum* etc.; huic lectioni favent C D E F, qui tamen omittunt *immo;* nostra lectio praebetur ab A B et ed. 1. Inferius pro *Bene ergo mihi* Bon. *Bonum ergo mihi.*

[2] Act. 4, 32. — Superius pro *ecce, ego* ed. 1 *Ego vero*, et *cor meum* pro *cor unum*, quae etiam subinde cum A B et Bon. omittit *etiam*. Inferius post *Admitte* ed. 1 cum A B addit *tantum*, et post *exauditionis* ed. 1 et Bon. cum pluribus codd. addunt *tuae*.

[3] Iob 14, 4: Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu, qui solus es? Post *qui solus* ex C D E F supplevimus *es*. Ed. 1 cum A B hic addit: *ut deposita gibbi sarcina per foramen acus possim transire* [cfr. Matth. 19, 24.]. — Subinde allegantur Ps. 50, 4; 26, 4. et 142, 10. — Superius vocibus *quia* [Bon. omittit *quia*] *illud* ed. 1 cum A B interserit *cor*. Inferius pro *omnium pulcherrime* ed. 1 *omnium pulcritudine speciosissime*, quae etiam subinde post *videre simul* prosequitur *semper et facere tuam valeam voluntatem* [ita etiam Bon.].

[4] Ed. 1 cum A B *patescat* et subinde *in illo et in te* pro *in illa vite* [D E *vita*].

[5] Ed. 1 hanc propositionem omittit. Inferius pro *posset ostendi* ed. 1 *ostendi potest*, C F *possit ostendi*, qui etiam pro *non solum corpus, verum etiam ipsum cor* substituunt *non solum corpus verum, sed* [in F secunda manus addidit *et*] *ipsum cor*. Subinde pro *permisit* Bon. *permisisti*.

[6] Supra n. 2. — Superius cum ed. 1, Bon. et A B retinuimus *Carnale ergo* (conclusio praecedentium), licet C D E F G substituant *Carnale quoque*. Subinde pro *formose* (ita C D E F G H) ed. 1 et Bon. *fortasse*. Inferius pro *zelo amoris tui* (ita A B C et ed. 1) Bon. *telo amoris tui;* post *vulnerasti* ed. 1 cum A B addit *me*, Bon. *cor meum*, et post *vulneratus sum* Bon. subnectit *propter te*.

[7] Cant. 4, 9. — Superius pro *amico* Bon. *amica*, A B *alio*, ed. 1 vero legit: *Quis enim cor tuum palo* (Corn. a Lapide, Cant. 4, 9. sensus secundus partialis: *Quis enim cor suum pilo) vulnerari permitteret... vulnus percepisset?* Inferius pro *sufficienter* ed. 1 *sufficientem*, A B *forte sufficientem*, et pro *affectum* C *officium*.

[8] Ed. 1 cum A B *Vel*, quae etiam subinde, omisso *non cesset*, verbo *generare* praefigit *debeat*.

[9] Ita A B C D E, Bon. *tepescit*, ed. 1 legit: *Solent sponsae nondum alligatae coniugali vinculo amari ardentius quam postea. Tempore enim procedente amor ipse componitur*. Inferius pro *amor illius* A B *amor suus*, Bon. *amor ipsius*.

[10] Bon. omittit *iam*. Inferius pro *quasi diceret* A B et ed. 1 *tanquam dicat*.

[11] Bon., refragantibus A B C D E et ed. 1, addit *acriter* et subinde vocibus *tam amantem* interserit *ardentissime;* pro *amplexetur* ed. 1 cum A B *amplectatur*.

[12] Cant. 2, 5. secundum septuaginta interpretes; ita etiam August., Enarrat. in Ps. 37. n. 5; Gregor., VI. Moral. c. 25. n. 42. et XXXIV. c. 10. n. 21; Vulgata: *Amore langueo*. — Sequitur Cant. 5, 8. — Superius pro *mutuo illius amore vulnerata clamat* ed. 1 *nimio illius amore vulnerata proclamat* [etiam A B *proclamat*], Bon. *vulnerata amat, unde ipsa quoque de se innotescit vulneris vicissitudinem et amoris, dicens* (A B C D E et ed. 1 hanc propositionem omittunt): *Vulnerata caritate ego sum. Nunquid non redamat Sponsum* [ita etiam ed. 1 contra A B C] etc.

ego sum. Redamat Sponsum amantem quae dicit: *Nuntiate dilecto, quia amore langueo* [1]. — Nos igitur adhuc in carne manentes, quantum possumus, amantem redamemus; amplectamur vulneratum nostrum, cuius impii agricolae *foderunt manus et pedes* [2], latus et cor; oremusque, ut cor nostrum adhuc durum et impoenitens amoris sui vinculo constringere et iaculo vulnerare dignetur. Amen.

Capitulum IV.

De ligatura vitis [3].

De quatuor vinculis.

1. *Ligatur* vitis [4]. Quis vincula nostrae vitis non videat? Videamus haec. Primum igitur vinculum, ut puto, *obedientia* fuit. Obedivit enim Patri *usque ad mortem, mortem autem crucis* [5]. Obedivit et Matri et Ioseph secundum illud: *Venit Nazareth cum illis et erat subditus eis.* Obedivit etiam terrenis iudicibus solvens didrachma. — Secundum vinculum fuit Virginis *sinus,* « quia quem caeli capere non poterant tuo gremio contulisti [6] ». — Tertium vinculum fuit in *praesepio* secundum illud [7]: « Vagit infans inter arcta positus praesepia ». — Quartum vinculum fuit *funis,* quo ligabatur, cum caperetur. *Iniecerunt iniqui manus suas in Iesum et vinxerunt eum* [8]. O *Rex regum et Domine dominantium,* quid tibi cum vinculis? Ligantur vites, ne, si iaceant in terra, aut minuatur [9] aut corrumpatur fructus earum. Incorruptibilis autem fructus tuus est. Quare ergo ligatur? Bene dixit rex Alexander [10], cum, percussus hamata sagitta, peteretur, ut se ligari permitteret, donec excideretur, quoniam motu levissimo posset mortem incurrere: « Non decet, inquit, regem vinciri; libera sit regis et semper salva potestas ». O *Deus*

---

[1] Ed. 1 et Bon. cum A B, refragantibus ceteris codd., addunt: Fraterno se amantem amore complectitur quae dicit [Cant. 8, 1.]: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meae, ut inveniam te foris* et complectar *et deosculer te, et iam me nemo despiciat* [ed. 1 cum A B *derideat*]? Quis [A B *Quid*] autem est foris? Aestimo, quod extra corpus. *Quamdiu sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino* [II. Cor. 5; 6.]. Quis hanc peregrinationem patienter ferat? Plena est dolore praeteritorum, labore praesentium, timore futurorum, in qua, etsi Sponsus se aliquando gratia consolationis exhibeat, *stat* tamen longe quasi *post parietem* [Cant. 2, 9.], corpore hoc peccati separante inter nos et ipsum; nec facile praebet se tangendum et osculandum, nisi illi animae, quae in tantam altitudinem meritorum processit, ut dicat ei [Cant. 2, 10.]: *Surge, amica mea, columba mea, formosa mea* [A B addunt *et veni; et iterum: Una est columba mea, formosa mea;* Cant. 6, 8, ubi pro *formosa* Vulgata *perfecta*]. Quae sola, licet raro, aliquo modo arbitrans se comprehendisse proclamat [Cant. 3, 4.]: *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum* [ed. 1 cum A B *illum*] *nec dimittam.* Sed ad hunc gradum non facile quis ascendit.

[2] Psalm. 21, 17. Alluditur ad parabolam de vinea locata *agricolis,* qui filium, heredem vineae, occiderunt; Matth. 21, 33. seqq. — Superius pro *adhuc in carne* ed. 1 cum A B *adhuc intus; id est in corpore,* et pro *amantem redamemus* (ita C D E) alias *amemus, redamemus.* Inferius pro *oremusque* ed. 1 *stemusque,* ex qua cum Bon. et A B post *vinculo* retinuimus *constringere.*

[3] Ita C, A B *Quomodo ligatur vitis,* Bon. *Vitis nostra pius Iesus ligatur septem vinculis,* ed. 1 *De vinculis nostrae vitis, id est de variis Christi vinculis et poenis.*

[4] Cod. C omittit *Ligatur vitis.* Subinde pro *Videamus haec* (ita C) A B *Videamus tamen haec,* ed. 1 *Videamus tamen hoc vinculum,* Bon. *Videamus tamen haec vincula plurima,* et pro *Primum igitur* [A B *enim*] *vinculum, ut puto* ed. 1 *Primum.*

[5] Phil. 2, 8. — Sequitur Luc. 2, 51. et dein respicitur Matth. 17, 23. seqq., ubi de didrachma solvendo. Ed. 1 *Obedivit enim in terrenis iudicibus, solvens didrachmum* [C *drachma*].

[6] Breviar. Roman., in festo Nativit. Domini, II. Noct. Resp. ad 6. lect.; cfr. Libr. Responsal. (inter opera Gregor.) in Vigilia Natalis Domini (sive in Natali Domini), III. Noct. Vide Bonav., tom. VII. pag. 296, notam 11. — Codd. A B et ed. 1: *Secundum vinculum, uterus Virginis, de qua canimus: Quia quem caeli* etc.

[7] Hymni pro Matutino dominicae Passionis; attribuitur Fortunato, episc. Pictav. (Migne, Patrol. Lat. tom. 88, col. 88). Pro *positus praesepia* (ita C D E) ed. 1, Bon. cum A B et textu originali *conditus praesepia;* ab iisdem additur: Membra pannis involuta Virgo mater alligat; pedes [textus originalis *et pedes*], manus atque crura [A B cum textu originali *manusque, crura*] stricta cingit fascia.

[8] Matth. 26, 50. Pro *iniqui,* quod ed. 1 cum A B omittit, C *inquam;* pro *et vinxerunt eum* Vulgata *et tenuerunt eum,* Bon. *et tenuerunt sive vinxerunt eum.* Sequitur I. Tim. 6, 15. — Superius A B C omittunt *funis,* et post *cum caperetur* ed. 1 et Bon. addunt *Ita enim habes. Tunc, videlicet cum traditus esset* (contra C D E).

[9] Codd. D E et ed. 1 *minuantur,* et pro *corrumpatur* D E *corrumpantur,* A legit *minuatur a vermibus, corrumpatur.* Subinde pro *fructus tuus est* ed. 1 cum A B *fructus fuit eius et est,* et pro *Quare ergo ligatur* (ita ed. 1 cum A B C D E) Bon. *Quare ergo ligaris.*

[10] Curtius Rufus, IX. Histor. de rebus Alexandri Magni, c. 5. narrat, Alexandrum in expugnatione oppidi Oxydracarum sagitta Indi fuisse vulneratum. « Rege in tabernaculum relato, medici lignum hastae corpori infixum, ita ne spiculum moveretur, abscindunt. Corpore deinde nudato, animadvertunt *hamos* inesse telo, nec aliter id sine pernicie corporis extrahi posse, quam ut secando vulnus augerent... Critobolus... manus admovere metuebat... tandem vel finito vel dissimulato metu hortari eum [Alexandrum] coepit, ut se continendum praeberet, dum spiculum evelleret, etiam levem corporis motum noxium fore. Rex cum affirmasset, nihil opus esse iis qui semet continerent, sicut praeceptum erat, sine motu praebuit corpus » etc. Cfr. Plutarch., IV. Apophtheg. Rom., ubi de C. Mario narratur, ipsum in operatione chirurgica non permisisse se ligari. Pro *Bene dixit* D E *Unde dixit,* ed. 1 cum A B legit *Bene dixit* [ed. 1 omittit *dixit*] *quidam rex.* Pro *hamata* (ita A) ed. 1 *humana,* Bon. cum G H *lunata,* C D E *limata.*

deorum [1], quantum ergo derogatum fuit libertati et potentiae tuae! Per tot vincula ligaris, qui solus liber es, ligaris qui solus ligandi et solvendi potestatem habes! Sed propter misericordiam tuam [2] ligatus es, ut nos a miseriis nostris faceres absolutos. O quam immitia fuerunt illorum immitissimorum vincula, quibus te Agnum mansuetissimum vinciebant! Video oculis mentis, quibus possum, Domine Iesu, te tam duris nexibus affectum tanquam latronem trahi ad iudicium principis sacerdotum [3], deinde ad Pilatum. Video et perhorresco et admirando deficerem, nisi quod liquido cognosco, te prius in corde caritatis nexibus fuisse constrictum, qui ad exteriora vincula sufferenda te leviter attrahere poterant. Gratias [4] vinculis tuis, o bone Iesu, quae nostra tam potenter vincula dirumpunt!

De quinto vinculo.

2. Quintum vinculum fuit, quo ligatus erat ad statuam, quando flagellabatur [5], quamquam et ipsa flagella, quae corpus eius circuibant, non incongrue possimus vincula appellare. Sed quamvis immitia, dura, iniusta, diligo flagellorum istorum vincula, quibus sanctissimum corpus tuum datum est contingere, quae tuo purissimo sanguine non mediocriter sunt imbuta. O Iesu bone! si sanguis tuus in flagellatione fuit copiose effusus, ut columna guttis illius aspersa, sicut asseritur, adhuc rubra servet vestigia [6]; quantum sanguinis credam ipsis flagellis corpus tuum scindentibus inhaesisse! Vide autem, quam bene hoc huic ligationi conveniat, quod vitis ad palum ligatur. Quid enim melius [7] per palum, quam ipsa statua, cui Dominus est alligatus, accipitur? Sicut enim vitis palo, ita Christus statuae alligatur.

De sexto vinculo.

3. Sextum vinculum fuit *corona* illa spinea cum magna amaritudine illud caput amabile premens et multorum aculeorum in illo signa relinquens, sanguineas guttas undique eliciens et, ut puto, in venerabilem faciem transmittens, vix adhuc de sputis Iudaicis desiccatam [8]. Crudele fuit vinculum hoc, et poenas, quas intulit insignium honoris, habuisse plurimum videmus dedecoris. O *Rex gloriae* [9], bone Iesu, corona omnium te confitentium, te sequentium, pugnantium pro te, vincentium per te, manentium in te, quis te tam amaro vinculo confusionis addixit? Ecce, *operit confusio* caput et *faciem tuam* [10] amabilem; ingeritur tibi a *generatione prava et perversa honor derisionis* in corona, sed in spinarum aculeis *dolor verus*. Contendunt in te confusio et dolor, nescio, utro eorum magis puniaris: corona derisionem, spinae ingerunt punctionem. *Egredimini* ergo, *filiae Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius et in die laetitiae cordis eius* [11]. Quaecumque anima confitetur se filiam Sion, id est Ecclesiae, egrediatur a curis saecularibus, a cogitationibus vanis et videat per contemplationem regem Salomonem, id est Iesum Christum, qui *est pax nostra*, destruens inimicitias amicitiasque reformans inter Deum et hominem. — Vide hunc, o fidelis anima, *in diademate, quo coronavit eum mater sua*, id est synagoga, videlicet plebs Iudaica [12]. O mater

Corona doloris et dedecoris.

Hortatio ad contemplandam hanc coronam.

---

[1] Psalm. 49, 1. — Inferius pro *Per* [Bon. *qui per*] *tot vincula ligaris* ed. 1 *Tot adeo ligaris vinculis*, quae etiam cum Bon. contra A B C D E omittit *qui solus liber es, ligaris*, ubi D E prosequuntur *solus ligandi et solvendi potestatem habens*.

[2] Codd. A B C D et ed. 1 omittunt *magnam*, quod Bon. addit. Subinde voci *absolutos* E praefigit *liberos vel*, et pro *Agnum mansuetissimum* ed. 1 cum A B substituit *Agnum mitissimum*.

[3] Cfr. Matth. 26, 55. seqq.: Tanquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me etc. — Superius ed. 1 omittit *quibus possum*, et pro *nexibus affectum* ipsa cum Bon. contra C D E substituit *nexibus adstrictum*. Inferius post *perhorresco* Bon. cum ed. 1, refragantibus C D E, addit *et admiror*, pro *ad exteriora* ed. 1 *ad deteriora*, quae etiam cum Bon. et nonnullis codd. pro *poterant* substituit *potuerunt;* pro *leviter* C *leniter*.

[4] Ita D E; A B C *Gratia*, ed. 1 et Bon. *Gratia sit*. Inferius pro *dirumpunt* (ita C H) alias *diruperunt*.

[5] Cfr. Matth. 27, 25; Marc. 15, 15. et Ioan. 19, 1. — Ed. 1 et Bon. *ad columnam, cum flagellaretur*, et inferius pro *possimus vincula appellare* A B *possint vincula appellari*, qui etiam cum ed. 1 post *immitia* prosequuntur *quamvis dura, quamvis iniusta*. Pro *imbuta* Bon. cum H *rubricata*.

[6] Idem dicit Hieron., Epist. 108. (alias 27.) n. 9; Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 23, 22. et Petr. Comestor, Histor. scholast. in Evang. c. 167. — Superius post *si* ed. 1 cum A B addit *enim*, voci *copiose* ed. 1 et Bon. contra C D praefigunt *tam*, a quibus etiam pro *aspersa* (ita C D E) substituitur *respersa*. Inferius post *inhaesisse* ed. 1 et Bon., refragantibus A B C D E, addunt: Tam dure flagellatus est Dominus, ut sanguis eius sursum in aëra resultaret.

[7] Ita A B C D E, ed. 1 et Bon. *aliud*. Subinde pro *statua* Bon. cum ed. 1 *columna* (idem recurrit paulo inferius), et pro *accipitur* D E *designatur*.

[8] Matth. 26, 67: Tunc exspuerunt in faciem eius. Ibid. 27, 29: Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius etc. — Ed. 1 cum A B *exsiccatam* et superius *complectens* pro *premens*. Seq. propositionem A B et ed. 1 sic exhibent: Crudele fuit vinculum hoc praeter poenas, quas pertulit in ligno [A B *signo*], honoris plurimum habens et decoris. — *Insignium* idem est ac signum, vel insigne; cfr. Du Cange, Glossarium etc.

[9] Psalm. 23, 8. et 10. — Subinde pro *te confitentium* (ita A B C et ed. 1) Bon. *in te confidentium*, et pro *vincentium per te* ed. 1 *viventium pro te*.

[10] Psalm. 68, 8: Operuit confusio faciem meam. — Subinde respicitur Matth. 17, 16: O generatio incredula et perversa! Cfr. Luc. 9, 41. Pro *perversa* (ita C D E G H) ed. 1 et Bon. *amaricante*. — Inferius pro *honor derisionis* (ita C E) ed. 1 et Bon. *honor derisorius* [D *derisorior*], et pro *dolor verus* (ita A B D E) C *dolor venis;* ed. 1 et Bon., refragantibus codd. praenotatis, hoc omittens, legunt *sed in spinarum aculeis contendunt in te dolor et confusio, nescio in utro* [Bon. *quo*, A B *in quo*] *magis puniaris* [Bon. *premaris*].

[11] Cant. 3, 11. — Inferius respicitur Eph. 2, 14. seqq.: Ipse enim est pax nostra etc. — Post *Quaecumque* contra A B C E alias additur *autem*, et ed. 1 et Bon. cum nonnullis codd. post *per contemplationem* addunt *mentis*.

[12] Cfr. Bernard., Serm. 6. in Vigilia Nativ. Domini, n. 11; Serm. 2. in Epiph. n. 3. seq.; Serm. 5. in festo Omnium Sanct. n. 9. et Serm. 50. de Diversis, n. 1. seq. — Ed. 1 cum A B *Iudaeorum*, quae etiam inferius omittit *spineis*.

amara, quid peccavit hic filius tuus bonus, ut vinculis etiam spineis vinciatur? Hic est *qui solvit compeditos* tuos, qui *erexit elisos, pupillos viduasque* consolans [1]; et talis meruit vinculari? Nunquid hanc dotem, haec munuscula nuptiis illius impendis? *Dies* enim *desponsationis* est prima dies [2], dies, inquam, indignationis et blasphemiae, dies tribulationis et miseriae, dies percussionis et doloris, dies vinculorum et mortis. Haec dies desponsationis est huiusmodi, et hac arrha, o fidelis anima, Sponsus tuus *speciosus forma prae filiis hominum* [3] subarrhavit te; et ipse *tanquam sponsus* hodie *processit* coronatus non auro, non gemmis, sed spinis. Nec defuit purpura vestis irrisoriae; *chlamidem* enim *coccineam circumdederunt ei,* quamvis ipse vestes corporis sui sanguinis sui sanctissimi effusione multo nobilius purpuraverit. Purpura enim non plus quam bis tingitur [4]; ipse vero purpuram corporis sui non bis, sed etiam tertio sanguinis torrente pertinxit. Ecce, Sponsus tuus, o sponsa, rubricatus in sudore, flagellatione, crucifixione! Eleva mentis oculos et *vide, si tunica* Sponsi tui *haec est, an non* [5]. Ecce, *fera pessima,* rabies canina, plebs Iudaica *devorat illum,* pessima fera condemnat filium tuum, fratrem tuum, Sponsum tuum. Quis hic non doleat? Quis lacrymas gemitusque contineat? Sicut enim pium est gaudere pro Iesu, ita pium est flere pium Iesum [6].

De septimo vinculo. 4. Septimum vinculum, quo ligatus est in cruce, *ferreum* fuit. Hoc autem vinculum multo fortius et ferocius ceteris, quia non solum manuum pedumque sanctissimorum divisit compagem, verum etiam piissimam animam illam a mundissimi corporis hospitio separavit. — Nunc *egredimini, o filiae Sion, et videte* [7] pacificum nostrum pugnantem pro libertate nostra in bello occumbere. Videte vitae nostrae auctorem pro nobis mortis ianuas introire, ut nos ad vitae viam revocaret. Videte vincula durissima, clavos ferreos, manus et pedes, qui ad salutem semper directi fuerunt et *salutem* nostram *operabantur in medio terrae* [8], crudeliter penetrare. Videte lignum crucis missum in panem nostrum, panem candidissimum, panem delicatum, *panem Angelorum, qui de caelo descendit,* ut se nobis daret in cibum, ut animas nostras continuo subiectas labori semetipso, non alio reficeret cibo; sed se nobis incarnando, non ut in nostram carnem se, sed ut nos in suum spiritum transformaret. Videte ergo, carissimi, quomodo ligatur, quomodo *cum iniquis* deputatur [9] liberrimus et optimus Sponsus noster. Moritur vita nostra non quidem pro necessitatibus suis, sed nostris. Date lacrymarum flumina in tantis vinculis morienti, quia et ipse prior pro nobis lacrymatus est. Astate pendenti, *vacate et videte* [10], quam amara, quam turpissima morte condemnatur. Sustinet enim adhuc et diligenter considerat, si quis sit *qui simul contristaretur;* si quem inveniat, qui consolationem impendat [11], qui sanguinis rivos abstergat, qui oculos componat, qui clavos, cum quibus ligatus est,

Hortatio ad contemplandam crucem.

---

[1] Psalm. 145, 7-9: Dominus solvit compeditos... Dominus erigit elisos.... Dominus custodit advenas, pupillum et viduam suscipiet. Ed. 1 cum A B post *elisos* addit *suscipiens advenas*, quae etiam subinde cum A B omittit *talis*. Pro *impendis* D *impendes*.

[2] Ita C; D E *Dies enim desponsationis illius et haec arrha est prima dies* [Bon. cum ed. 1 et A B *illius, dies ista est*]. Inferius post *et mortis* ed. 1 cum A B prosequitur *dies desponsationis illius est. Hac arrha* etc., ubi pro *huiusmodi* (ita C D E) Bon. *huius Domini.*

[3] Psalm. 18, 6. — Sequuntur Ps. 18, 6. et Matth. 27, 28.

[4] De purpura coccoque bis tincto cfr. Exod. 25, 4; 26, 1. etc. — Inferius vocibus *non bis* Bon. cum ed. 1 et nonnullis codd. interserunt *solum,* et pro *sanguinis torrente* (ita C E) ed. 1 cum A B *sanguineo torrente,* Bon. *in sanguinis torrente.*

[5] Gen. 37, 32; ibid. v. 33: Fera pessima comedit eum, bestia devoravit Ioseph. Cfr. supra Opusc. III. Lignum vitae, n. 31. Ed. 1 brevius *Ecce, fera pessima condemnavit filium tuum* etc.; Bon. *Ecce, fera pessima, id est rabies canina plebis Iudaicae, devoravit illum sive condemnavit filium tuum* etc.; A B *Ecce, fera pessima, rabies Iudaica, devorat illum, morte turpissima condemnat filium suum, fratrem tuum* etc. Cfr. Luc. 8, 21: Mater mea et fratres mei hi sunt qui verbum Dei audiunt et faciunt.

[6] Cfr. supra Opusc. II. Soliloq. c. 4. n. 27. verba Anselmi in fine et Opusc. IV. de V Festivitatibus, festivitas IV. n. 2. Pro *gaudere pro Iesu* C D E *gaudere pium Iesum.* — Superius pro *Quis hic* Bon. *Quis hoc,* et post secundum *Quis* ed. 1 cum A B repetunt *hic.*

[7] Cant. 3, 11. — In hac et seq. propositione pro *nostrum... nostra... nostrae* etc. Bon. cum nonnullis codd. *vestrum... vestra... vestrae* etc., et pro *occumbere* H *occumbentem.* Superius pro *piissimam animam* (ita C D E) alias *purissimam animam,* et pro *a mundissimi corporis hospitio* ed. 1 cum E *a mundissimo corporis hospitio.*

[8] Psalm. 73, 12: Operatus est salutem in medio terrae. — Subinde respiciuntur Ier. 11, 19: Mittamus lignum in panem eius; Ps. 77, 25: Panem Angelorum manducavit homo; Ioan. 6, 59: Hic est panis, qui de caelo descendit. August., VII. Confess. c. 10. n. 16: Cibus sum grandium, cresce et manducabis me. Nec tu me in te mutabis sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me. Cfr. supra pag. 104, nota 2. — In seq. propositione pro *panem nostrum... ut se nobis* etc. substituunt A B *panem vestrum... ut se vobis* etc., pro *sed se nobis* (ita A B) et pro *incarnando* (ita C D E G H) alias *et se nobis* et *incorporando.*

[9] Luc. 22, 37; cfr. Isai. 53, 12. Ed. 1 et Bon. *deputatus est.* — Superius pro *carissimi* Bon. *carissimae,* quod ed. 1 omittit. Vocibus *quomodo ligatur* ed. 1 et Bon. interserunt *iustus.* Inferius pro *noster... nostra... nostris* Bon. cum nonnullis codd. *vester... vestra... vestris.*

[10] Psalm. 45, 11. — Superius ed. 1 omittit *pro nobis* [A B *pro vobis*] et *Astate pendenti.*

[11] Psalm. 68, 21: Et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit, et qui consolaretur, et non inveni. — Subinde respicitur Matth. 27, 59: Et accepto corpore, Ioseph involvit illud in sindone munda. Cfr. Marc. 15, 46; Luc. 23, 53. — In hac propositione ed. 1 omittit *qui* [A B addunt *desolato*] *consolationem impendat* et *qui clavos, cum quibus ligatus est, extrahat.* Pro *abstergat* C D E G *astringat,* pro *inclinet* (C D E) alias *involvat,* et pro *et flens* C D E *sed.*

extrahat et de cruce depositum *sindone munda*, non panni, sed cordis inclinet et flens cum beatis mulieribus flentibus ad tumulum prosequatur [1].

Hortatio ad imitandum.

5. *Exeamus* igitur et nos secundum monita beati Pauli [2] cum Sponso nostro, bono et optimo Iesu, *extra castra*, id est extra concupiscentias huius saeculi, *improperium* crucis et vinculorum asperitatem cum illo *portantes*, quia « non decet esse membrum delicatum sub capite crucifixo », nec ad capitis corpus se indicat pertinere membrum, quod capiti non fuerit compassum. — Vinciamur ergo vinculis passionis boni et amantissimi Iesu, ut etiam vinculis caritatis [3] cum illo vinciri possimus. Vinculis enim caritatis ipse devinctus, ad suscipienda vincula passionis de caelo tractus fuit in terram, et e contrario, qui de terris trahi desideramus ad caelum prius passionis vinculis nostro capiti colligemur, ut per hoc ad caritatis vincula pervenientes, unum cum ipso efficiamur [4].

Capitulum V.

De similitudine ipsius vitis et primo quoad eius corpus [5].

De secundo genere proprietatum vitis in speciali.

1. Visis ex parte his quae viti ad culturam exterius adhibentur, nunc ad ipsam vitem animum divertamus, ut per quasdam similitudines illius nostram veram vitem Dominum nostrum Iesum magis proprie [6] et propius contemplemur. — Totum igitur corpus ipsius vitis aliis arboribus et arbustis deformius invenitur et quasi penitus inutile et abiectum videtur nec usui cuiquam accommodatum. Quid autem hic dicitur? Corpus vitis terrenae corpus nostrae vitis Domini Iesu significare deberet, nisi quod plurimum discordare videntur huius deformitas et forma illius, de quo scriptum est [7]: *Speciosus forma*

Primo, de deformi corpore vitis.

---

[1] Ed. 1 et Bon. cum A B, refragantibus C D E F G H, hic addunt: Quaecumque anima fecerit haec assidue, spero etiam, quod laetissime resurrectionis quandoque mereatur gaudio [A B *gaudiis*] recreari. *Si enim compatimur, et conregnabimus* [II. Tim. 2, 12.]; quod bene sponsa in cantico amoris ostendit, praemittens [Cant. 1, 12.]: *Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur;* et [A B addunt *consequenter*] subiungit [v. 13.]: *Botrus Cypri dilectus meus mihi.* Quid est [A B addunt *ergo*] *fasciculus myrrhae? Myrrha* amara amaritudinem passionis significat; *fasciculus* vero coadunationem multarum passionum [A B *adversitatum*] ostendit. Fit ergo Sponsus sponsae suae *fasciculus myrrhae,* quando ipsum multiplicibus affectum iniuriis ad mentem reducit; quarum quaedam iam enumeratae, aliae vero enumerandae sunt. Quae sunt autem *ubera sponsae,* inter quae illum commoraturum affirmat? Duo ubera sponsae, prosperitas et adversitas sunt. His [A B addunt *enim*] tanquam uberibus nutritur, dum prosperitate lactatur, ne in malis deficiat [hoc ex A B supplevimus], adversitate fovetur, ne in prosperis elevetur. Ponit [A B *Tenet*] autem dilectum suum *inter haec ubera,* dum illius et in adversis et in prosperis recordatur. Ex quo evenit, ut ille qui modo fuerat fasciculus myrrhae, id est, qui mentem sponsae passionum suarum amaritudinibus amaricaverat, subito sit [A B *fiat*] *botrus Cypri,* continens in se vinum iucunditatis et laetitiae. Quod fit, dum Sponsum, quem tot viderat oppressum iniuriis et [A B *etiam*] morte turpissima condemnatum, per resurrectionis triumphum gloria videt et honore coronatum [cfr. Ps. 8, 6.] et cum humanitate, quam assumserat, ad Patris dexteram consedere, confidens certissime se quoque [ex A B supplevimus *quoque*] per diversas tribulationes ad idem Domini sui gaudium intraturam [A *introituram* et B a secunda manu]. Cfr. Bernard., Serm. 43. et 44. in Cant.

[2] Hebr. 13, 13. — Subinde respicitur sententia Bernard., Serm. 5. in festo Omnium Sanctor. n. 9: Pudeat sub spinato capite membrum fieri delicatum. Cfr. supra pag. 111, nota 4. — Pro *huius saeculi* (ita C D E) ed. 1 et Bon. *praesentis saeculi,* et pro *se indicat* (ita ed. 1 cum A B C) Bon. *iudicatur.*

[3] Codd. C D E *crucis,* qui etiam subinde pro *Vinculis enim caritatis* substituunt *Vinculis enim carnis.* Inferius pro *et e contrario* ed. 1 cum A B *nos e contrario,* Bon. *Et nos ergo,* et post *ad caelum* ed. 1 cum A B prosequitur: *prius passionis vinculum nostro capiti colligemus, ut per hoc ad caritatis vincula pertinentes* [A B *pertingentes*], *unum* etc.

[4] Codd. G H addunt *Quod ipse praestare dignetur qui* etc. Ed. 1 et Bon. cum A B, refragantibus C D E F G H, subnectunt: secundum quod [A B addunt *ipse*] oravit Patrem, dicens [Ioan. 17, 24. et 21.]: *Rogo, Pater, ut quos dedisti mihi,* confirmati [A B *consummati*] in caritate *sint unum in nobis, sicut tu et ego unum sumus.* Quid hac unitate gloriosius? Quid ultra vel optare poteris, vel habere? Unum cum Sponso tu [A B *tuo*] eris. O felix, felicior, immo omnium [A B omittunt *immo omnium*] felicissima unitas! Hac unitate se Apostolus [in A B deest *Apostolus*] Christo unitum sentiebat, cum dixit [Rom. 8, 35. et 38. seq. A B *qui dicebat*]: *Quis separabit nos a caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an persecutio, an periculum, an nuditas, an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque potestates* [Vulgata *virtutes*], *neque altituda, neque profundum, neque alia creatura poterit nos separare a caritate Dei* [ex A B supplevimus *Dei*], *quae est in Christo Iesu.* Optemus totis desideriis huius caritatis vinculis Sponso et Domino nostro colligari, ita ut eius [A B omittunt *eius*] sequentes vestigia illuc [A B *illius*] pervenire possimus, ubi ipse est, qui dixit [Ioan. 17, 24. et 12, 26.]: *Volo, Pater, ut ubi ego sum, et illi sint mecum, et ubi ego sum, ibi* [ed. 1 et A B *illic*] *sit et minister meus.*

[5] Cod. C *De similitudine vitis;* A B *De ipsa vite;* G *Passio Christi multiplex. De proprietatibus vitis.* Ed. 1 et Bon. *De cultura et speciositate nostrae vitis,* ed. 1 addit *id est de pulcritudine Christi interna et externa.* — Consideratur hic *primum* genus proprietatum vitis in specie, de quo superius c. 1. n. 2. generatim.

[6] Bon. *prope,* qui etiam subinde pro *arbustis* substituit *arbusculis,* et post *videtur* prosequitur: *nec ipso aspectu amabile aut usui cuiquam accommodatum* (convenit ed. 1, quae tamen in fine legit *aut visui accommodum).*

[7] Psalm. 44, 3. — Ed. 1 legit: *Quid hic dicemus? Corpus vitis nostrae Domini Iesu significare deberet, nisi* etc.; D E *Quid autem hic dicitur? Corpus vitis nostrae Dominum Iesum significare debet, nisi* etc.; Bon.: « Quod autem dicitur, corpus vitis terrenae corpus vitis nostrae Domini Iesu significare, videtur non convenire, sed plurimum discordare assignata huius significatio figurata et similitudo. Nam in corpore

prae filiis hominum. Tamen audiamus Isaiam dicentem [1]: *Ecce, vidimus eum, et non erat ei species neque decor, aspectus eius in eo non erat, et desideravimus eum despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem; quasi absconditus vultus eius et despectus. Unde nec reputavimus eum et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum.* Ecce, qualis describitur a Propheta [2].

anta Christos passos t, primo tota vita.

2. Sed iam ad passionis effectum veniamus. Passionem vero non illum unum diem appellamus, quo mortuus fuit, sed totam vitam illius; tota enim vita Christi exemplum fuit et martyrium [3]. Breviter dicamus, sed meditando longius immoremur, quantae fuerit paupertatis in abstinentia, quam prolixus in vigiliis, quam frequens in orationibus, in labore et sudore vultus sui, quam assiduus, cum *circuiret* vicos et *castella evangelizando et curando ubique* [4]; quam crebro famem sitimque pertulit ille *panis vivus*, ille *fons aquae salientis in vitam aeternam.* Videamus illud ieiunium quadraginta dierum, post quod *esuriit,* et iam a deserto ad homines redeunti occurramus, ut vultum illius amabilem consideremus [5].

ecundo, in tima nocte.

3. Tandem ad ultimae diei agonem veniamus, et causas deformati corporis non poterimus ignorare. Incipiat igitur consideratio nostra in eo loco, ubi, ipso teste, dum inciperet *pavere et taedere, tristis* fuit *anima eius usque ad mortem* [6]; sudor sanguineus exanimis et agonizantis membra copiose perfudit, ita ut iam non distillaret, sed guttatim decurreret in terram. Procedamus et illius noctis incommoda percurramus [7]: quomodo tentus, vinctus, tractus, trusus, caesus et sputus, colaphis et alapis percussus, spinis coronatus et chlamyde coccinea indutus, falsa adoratione et genuflexione irrisus, arundine percussus, alba veste illusus, flagellis acerrimis laceratus, propria cruce oneratus, primo portans eam, quae ipsum postea statim fuit portatura. Talem inspice Iesum! Quis hic locus deliciis [8], qualis hic decor speciei; quis in corpore sic mactato formae pulcritudinem quaerat?

Tertio, in crucifixione.

4. Sed veniamus ad finem. Nudatus est amantissimus Dominus Iesus. Quare? Ut tu corporis purissimi deformitatem valeas intueri. Nudatur ergo sic bonus ille et optimus Iesus. Heu mihi! nudatur Dominus, qui ante saecula regnans *decorem induit et fortitudinem* [9]; cui canimus: *Confessionem et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento. Spectaculum* fit et opprobrium *mundo et hominibus* [10], quasi *prodigium multis* et *commotio capitis in populis* caput nostrum, gaudium nostrum, honor noster, bonus Iesus! Sed quid moror? Exaltatur in cruce, perforantur manus et pedes, elicitur sanguis, si quis

---

vitis plurima est deformitas, ex adverso autem in Christo Iesu multa speciositas, de quo dicitur per Prophetam: *Speciosus forma prae filiis hominum* ». Deinde Bon. cum ed. 1 et A B, refragantibus ceteris codd., hic addit: Sunt autem nonnulli, qui haec verba non ad exteriorem, sed ad [ex A B supplevimus *ad*] interiorem hominem retorqueant, id est ad animam sive ad Divinitatem, in quibus nimirum [A B omittunt *nimirum*] non solum filios hominum, sed etiam filios Dei, id est ipsos angelicos spiritus, praecellebat. *Tanto enim melior Angelis effectus est, quanto differentius prae illis nomen hereditavit* [Hebr. 1, 4.]. Ne ergo nos huic sententiae contradicere videamur, ad manum auctoritates habemus, licet plurimos esse sciamus, qui nondum omnino spirituales effecti, aliud sentiant [A B *mentem suam in exterioribus adhuc occupare desiderent*], fingentes sibi quandam specialem pulcritudinem in corpore Domini; et si quando audiant, Dominum ipsum despicabilem forma [A B *despicabilis formae*] fuisse, non patienter sustinent, et si lingua taceant, rancore et motu animi contradicunt, non attendentes, quod scriptum est [Ioan. 6, 64.]: *Spiritus est, qui vivificat, caro autem non prodest quidquam.*

[1] Cap. 53, 2. seqq. Bon. cum Vulgata: Non est ei species neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum etc. — Pro *Tamen* [H *Verum*, Bon. *Sed tamen*] *audiamus Isaiam dicentem* [Bon. addit *de Christo*] ed. 1 cum A B *Isaiam quoque non audiunt, vel inviti audiunt dicentem in eum* [cfr. nota praecedens in fine].

[2] Refragantibus C D E F G H, ed. 1 et Bon. cum A B plura hic subnectunt, quae infra post hoc opusculum in additamento I. exhibemus.

[3] Cfr. supra Opusc. VI. de Perfectione vitae etc. c. 6. n. 8. — Superius pro *passionis effectum* (ita C D E), scilicet deformitatem, alias *passionis defectum* et pro *exemplum fuit* (ita C D E) alias *crux fuit.*

[4] Marc. 6, 6; Luc. 9, 6. — Sequitur Ioan. 6, 51, post quem 4, 14, in quo pro *fons aquae* C *fons sapientiae.* — Superius pro *paupertatis* ed. 1 *parcitatis*, pro *circuiret* Bon. *transcurreret*, qui etiam cum ed. 1 pro *ubique* substituit *undique.*

[5] De Christi ieiunio quadraginta dierum [ed. 1 cum A B addunt *et quadraginta noctium*] cfr. Matth. 4, 2. et Luc. 4, 2. — Pro *post quod* (ita A B C D E) alias *post quos*, et post *occurramus* Bon. cum ed. 1 et A B contra C D E G H prosequitur: et vultum illius [ed. 1 cum A B *illum*] amabilem tantis ieiuniis consideremus afflictum. Et optime posuit Evangelista, post ieiunium *esuriit*, ut scias, Iesum non in virtute Divinitatis, sed [A B addunt *in*] humanitatis suae natura ieiunasse. Quid enim magnum, si in Divinitatis fortitudine quadraginta diebus ieiunasset, in qua nunquam esuriit [A B *esurit*]. Cfr. Petr. Chrysolog., Serm. 11.

[6] Marc. 14, 33. seqq., post quem respicitur Luc. 22, 44. (de sudore sanguineo). — Superius pro *Tandem ad ultimae* [D *ultimum*] *diei agonem* ed. 1 cum A B *Sed iam ad illum ultimae diei agonem.* Inferius pro *sudor sanguineus exanimis* ed. 1 cum A B *sudor sanguineus orantis.*

[7] Cfr. Matth. 26, 47. seqq. et 27, 1. seqq. — Inferius pro *sputus* Bon. cum ed. 1 et A B *consputus*, et pro *arundine percussus* ed. 1 et A B *arundine caesum caput.*

[8] Ita C D E, alias *deliciarum.*

[9] Psalm. 92, 1. et deinde Ps. 103, 1. seq. — Superius pro *deformitatem* (ita C E) alias *deformationem*, et post *Heu mihi* ed. 1 et Bon. cum A B, refragantibus C D E F G H, addunt: Qui vestivit caelos diversis sideribus, ante crucem exspoliatus, nudus etiam [A B *et*] ut erat, lividus cruci affigitur. Heu! *candor lucis aeternae* [Sap. 7, 26.] nigrescit in carne pro carne salvanda, et facies, quam Cherubim et Seraphim aspicere desiderant [cfr. 1. Petr. 1, 12.], erat ex lacrymis turgida.

[10] Epist. I. Cor. 4, 9, post quem Ps. 70, 7: Tanquam prodigium factus sum multis; Ps. 43, 15: Posuisti nos in similitudinem gentibus, commotionem capitis in populis. — Pro *Spectaculum fit* Bon. cum C E *Spectaculum* [Bon. addit *mundi*] *fuit*, et pro *quasi* ed. 1 cum A B *fit tanquam.*

fuit. *Stat* mediator noster *in conspectu* Patris *in confractione, ut avertat iram eius, ne disperdat nos* [1]. Et quamvis toto corpore confractus, non cadit mente et stat constanter in perseverantia bonae voluntatis. —

Affectus. O qualem te intueor, dulcis Iesu! O dulcissime atque amantissime bone Iesu! quis te tam amarae [2] morti addixit, vulnerum nostrorum antiquorum unice salvator? Quis te usque ad haec non solum durissima, sed et turpissima vulnera patienda detraxit? O vitis dulcissima, bone Iesu! hunc fructum reddit tibi vinea tua, quam *de Aegypto transtulisti* [3]. *Exspectaveras* patienter usque in hunc diem nuptiarum tuarum, *ut faceret uvas, fecit autem spinas.* Spinis enim coronavit te et spinis circumdedit te. Ecce, in quantam amaritudinem conversa est vitis iam non tua, sed aliena [4]! Negavit enim te, dicens et clamans: *Non habemus regem nisi caesarem.*

5. Eiectum ergo te extra vineam vel civitatis vel

Continuatur. consortii scilicet, sacrilegi agricolae occiderunt [5] non subito, sed longo crucis tormento confectum et multis vulneribus flagellorum et clavorum pariter cruciatum.

Christus diversimode percutitur. O quantos habes percussores, bone Iesu! Percutit te Pater tuus, quia *proprio Filio,* id est tibi, *non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit* te [6]; percutis etiam tu temetipsum, *tradens in mortem animam tuam,* quam nemo *potest tollere a te* sine te; percutit iterum discipulus tuus traditione et osculo falso; percutit Iudaeus colaphis et alapis; percutiunt te gentiles flagellis et clavis; et ecce, quantum percussus et humiliatus es! O quanti percussores! — O quanti

Item traditur. traditores tui! Tradidit te Pater caelestis, qui *pro nobis omnibus tradidit* te [7]. Tradidisti et tu temetipsum, sicut quidam servorum tuorum gratulando dicit: *Qui dilexit me,* inquit, *et tradidit semetipsum pro me.* « O vere admirabile commercium [8] »! Tradidit se Dominus pro servo, Deus pro homine, Creator pro creatura, innocens pro nocente. Tradidisti ergo te in manus illius traditoris, scilicet falsi discipuli. Tradidit te traditor ille Iudaeis. Tradiderunt illi pessimi traditores Iudaei *gentibus ad illudendum, conspuendum, flagellandum, crucifigendum* [9]. Dixisti et praedixisti haec, et ecce, facta sunt. Omnibus consummatis, ecce, crucifixus es *et cum iniquis deputatus* es. Nec sufficit, te vulneratum esse, immo et *super dolorem vulnerum tuorum addiderunt* [10], dantes tibi sitienti *vinum myrrhatum bibere cum felle mixtum.*

6. *Doleo super te,* mi rex, Domine et magister, Mira pastalis ac ta patientis. pater et *frater mi,* amantissime Iesu, *amabilis valde super amorem mulierum* [11], cuius *sagitta non abiit retrorsum. Sagittae* enim *tuae acutae,* id est doctrinae validae, quia *vivus est sermo* tuus *et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animae et spiritus;* nec declinavit clypeus tuus de bello. *Scuto* enim *bonae voluntatis* et gratiae *coronasti nos* [12]. *Hasta* orationum tuarum non est aversa, quoniam pro transgressoribus orasti, ut non perirent, quanto magis pro amicis! Tu leone fortior, quia tu *leo de tribu Iuda* [13] superasti leonem, qui *circuit quaerens quem devoret.* Tu aquila velocior; *exsultasti* enim *ut gigas ad currendam viam* [14], ad implendum mysterium incarnationis tuae, donec, *sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, expandisti alas* brachiorum

---

[1] Secundum Ps. 105, 23. — Codd. A B hanc propositionem cum seq. coniungunt legentes: *Vere stat in confractione, qui quamvis toto corpore confractus* etc. Superius ed. 1 et Bon. cum A B legunt: Exaltatur [ed. 1 *Exaltato*] in crucem [A B *in cruce*], perforantur manus et pedes viri optimi, benigni Iesu. Elicitur [ed. 1 *Eiicitur*] sanguis, si quis fuit [A B *erat,* ed. 1 *supererat*]. Stat etc. De duplici sententia, utrum scilicet Christus, cruce iam exaltata, an cruce adhuc in terra posita, clavis affixus sit, cfr. Cornel. a Lapide in Cant. 7, 8. sensus primus et in Matth. 27, 35.

[2] Bon. cum ed. 1 contra C D E addit *et tam odiosae.* Inferius pro *detraxit* ed. 1 *pertraxit.*

[3] Psalm. 79, 9, post quem Isai. 5, 2. (cfr. v. 4.), ubi pro *spinas* (ita etiam Septuaginta, Ambros., IX. in Luc. 20, 10. n. 25., et August., Enarrat. in Ps. 35. n. 8.) Vulgata *labruscas.* — Inferius vocibus *spinis circumdedit* (ita C D E) Bon. cum ed. 1 interserit *peccatorum suorum.*

[4] Ier. 2, 21, ubi Septuaginta: Ego autem plantavi te vitem fructiferam omnem veram; quomodo conversa es in amaritudinem vitis aliena? — Subinde allegatur Ioan. 19, 15.

[5] Respicitur Matth. 21, 33. seqq. — Ed. 1 et Bon. cum A B *consortii tui* [A B *sui*], *sacrilegi agricolae occiderunt.*

[6] Rom. 8, 32. — Subinde allegantur Phil. 2, 30: Tradens animam suam; Ioan. 10, 18: Nemo tollit eam a me.

[7] Rom. 8, 32. — Sequitur Eph. 5, 2. — Pro *Tradidisti et tu temetipsum, sicut quidam* (ita D E) A B *Tradidisti tu ipse te; sic enim quidam;* alias prima pars *Tradidisti et tu temetipsum* omissa fuit.

[8] Breviar. Roman. pro festo Circumcisionis Domini, antiph. 1. pro 1. Vesp. et Laud. Cfr. Liber responsal (inter opera Gregorii) pro eodem festo. Bon. *O vere magnum admirabile* etc.

[9] Matth. 20, 19; Marc. 10, 33. seq.; Luc. 18, 32. — Subinde respiciuntur Ps. 32, 9: Quoniam ipse dixit, et facta sunt; Luc. 22, 37: Et cum iniquis deputatus est (C D E *reputatus est;* cfr. Isai. 53, 12.), qui omittitur ab ed. 1.

[10] Psalm. 68, 27 (pro *dolorem* D E *numerum*), post quem Marc. 15, 23; Matth. 27, 34; cfr. infra pag. 176, nota 7.

[11] Libr. II. Reg. 1, 26; ibid. v. 22: Sagitta Ionathae nunquam rediit retrorsum. — Sequuntur Ps. 44, 6. et Hebr. 4, 12, ubi C D E *animae et corporis.* — Inferius pro *id est doctrinae validae* (ita C D) Bon. *et doctrinae validae,* ed. 1 cum A B ibi legunt: *Sagittae enim* [A B omittunt *enim*] *tuae, id est doctrinae tuae acutae, quia vivus* etc. Subinde pro *de bello* (ita A B C E) alias *in bello.*

[12] Psalm. 5, 13. Pro *et gratiae coronasti nos* (ita A B C E) Bon. *id est gratiae coronasti nos.* — Subinde respiciuntur II. Reg. 2, 23: Percussit ergo eum [Asael] Abner *aversa hasta...* et mortuus est; Isai. 53, 12: Pro transgressoribus rogavit (pro *orasti* H *rogasti*). — Inferius pro *amicis* ed. 1 *amatis.*

[13] Apoc. 5, 5, post quem I. Petr. 5, 8. In hac et in seq. propositione alluditur ad II. Reg. 1, 23: Aquilis velociores, leonibus fortiores.

[14] Psalm. 18, 6. — Sequuntur Deut. 32, 11. (de aquila); Exod. 15, 13: Portasti eum in fortitudine tua etc.; Luc. 15, 4. (de ove perdita) et v. 8-10. (de drachma perdita et gaudio de peccatore poenitente). — Inferius post *beatissimis spiritibus* ed. 1 et Bon. cum A B contra C D E prosequuntur *ipsos hilariter ad tuam congratulationem invitans, faciens in caelis gaudium* etc.

tuorum in cruce et *super nos volitans, assumsisti nos et portasti nos in humeris tuis* et *in fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuum*, in domum familiaritatis et claritatis tuae, ubi de *ove* et de *drachma perdita et inventa* fecisti *convivium vicinis et amicis tuis*, beatissimis spiritibus faciens *gaudium de peccatore poenitentiam agente*. Et cum talis sis ac tantus, *morte turpissima* condemnaris [1], spirituque in manus Patris commendato capiteque inclinato, exspiras.

itatio ad templan- n volun- iam de- nationem teriorem n decore teriore.

7. Venite, quaeso, et condolete mihi [2], omnes, qui gaudere desideratis in Domino. Attendite vestrum manu fortem, quomodo contritus est; desiderabilem vestrum, quam miserabiliter deformatus est; pacificum vestrum, quomodo in bello peremptus est. Ubi est rubor roseus, ubi candor niveus, ubi in corpore tam contrito decorem invenies? Ecce, *defecerunt dies* [3] nostrae diei, benignissimi Iesu, qui est solus dies sine tenebris; et ossa eius *sicut cremium aruerunt, percussus* est *ut foenum, et aruit cor* eius, elevatus est, allisus est valde; sed in dedecore extrinseco decorem simul et decus retinebat intrinsecus. — Noli ergo deficere pro ipso in tribulationibus suis; quia hunc *speciosum forma prae filiis hominum* [4] viderunt homines in cruce, qui tantum exteriora intuentur, et viderunt eum *non habentem speciem neque decorem*, sed facies eius quasi despecta et quasi deformis positio eius; de hac tamen deformitate Redemptoris nostri manavit pretium decoris nostri [5]. Sed dedecoris extrinseci nigredinem corporis amantissimi Iesu pro parte executi sumus; formositatem vero intrinsecam, *quia in ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis* [6], quis enarrabit? Deformemur igitur et nos in corpore exterius cum deformato Iesu, ut reformemur interius cum formoso Iesu. Conformemur corpori vitis nostrae in corpore nostro, ut reformetur *corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae* [7].

Hortatio ad imitandum.

CAPITULUM VI.

De secunda similitudine sive de foliis vitis, et primo in generali [8].

aestantia orum vi- mysticae.

1. *Folia* vitis pene omnium arborum foliis praestantiora sunt. Quid autem in foliis nisi verae vitis nostrae, benignissimi Iesu, verba commendantur? Praeeminet in foliis vitis, praeeminet in verbis Iesus [9]. Sed quia gratior solet esse umbra foliorum vitis, cum ipsa, elevata super quandam struem lignorum, huc illucque distenditur; videamus, si vera vitis nostra aliquando levata [10] fuerit et distenta, et quae tunc ad nostram protectionem dulcium verborum folia emiserit, contemplemur.

Elevatio vitis.

---

[1] Sap. 2, 20. — De seqq. cfr. Luc. 23, 46. et Ioan. 19, 30. — Ed. 1 *spiritumque in manus Patris commendando, capite inclinato exspiras.*

[2] Ita A B C D E; ed. 1 et Bon. *ei.* Inferius ed. 1 cum A B ter *nostrum* pro *vestrum,* et pro *candor niveus* (ita A B C D E) alias *candor iuvenilis.*

[3] Psalm. 89, 9. — Subinde allegatur Ps. 101, 4. seq. et respicitur v. 11: Elevans allisisti me, ubi ed. 1 legit *et allisus valde, sed in decore extrinseco decorem simul* etc., Bon. *et allisus est valde, scilicet in decore extrinseco, sed decorem* etc. Nostram lectionem praebent A B C D E.

[4] Psalm. 44, 3. — Subinde respicitur I. Reg. 16, 7: Homo enim videt quae parent (Septuaginta: Quoniam homo aspiciet in faciem), et allegatur Isai. 53, 2. — Superius pro *in tribulationibus suis* (ita C D E) alias *in tributationibus tuis*. Inferius pro *viderunt homines* (ita A B C) alias *viderunt omnes*, pro *intuentur* (ita A B C D E) alias *intuebantur*, pro *despecta* ed. 1 cum A B *abiecta,* et pro *positio eius*, quod Bon. cum ed. 1 omittit, H *dispositio eius.*

[5] Ed. 1 et Bon. cum A B, refragantibus C D E F G H, addunt: sed decoris interni [A B *intrinseci*]. *Omnis* enim *gloria eius* [ed. 1 omittit *eius*] *filiae regis ab intus* [Ps. 44, 14.]. Senserat haec illa [ex A B supplevimus *illa*], quae in Cantico Salomonis [1, 4; A B *amoris*] proclamat: *Nigra sum, sed formosa, filiae Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles* [A B *pellis*] *Salomonis.* Quid est pellis Salomonis, nisi corpus Domini Iesu [ita A B; ed. 1, omisso *Quid est pellis Salomonis,* hic addit *deforme fuisset*]? cuius nigredinem supra pro parte executi sumus [Bon. discedit ab ed. 1 et A B, exhibens pro ultima propositione nostram lectionem] etc.

[6] Col. 2, 9. — Inferius pro *Deformemur* Bon. *Conformemur*, et post *interius* ed. 1 cum A B addit *in anima.*

[7] Phil. 3, 21. — Superius pro *reformetur* (ita C D E) alias *reformet.* Ed. 1 et Bon. cum A B, refragantibus C D E F G H, hic addunt: Imitatores simus Pauli Apostoli, *sicut* ipse *Christi* [I. Cor. 11, 1.], qui de se dicit [Gal. 2, 19.]: *Christo confixus sum cruci;* et alibi [Gal. 6, 17.]: *Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Bene portabat characterem passionis Iesu Christi in corpore suo, cui mundus mortuus erat et ipse mundo [cfr. Gal. 6, 14.]. *Fuscus* effectus est, *quia decoloravit* eum *sol* [Cant. 1, 5.] passionis et caritatis Christi. Sciendum tamen [A B *autem*], quod ea quae diximus de deformitate corporis speciosi [A B addunt *Iesu*], non de naturali, sed de accidentali deformitate Domini diximus [A B *dicuntur*], non accusantes in ipso defectum naturae, sed passionis caritatem commendantes.

[8] Bon. *De foliis vitis nostrae Iesu;* ed. 1 *De foliis vitis generaliter, id est de variis Christi verbis ad virtutum commendationem spectantibus;* codd. A B *De foliis vitis.*

[9] Quae ed. 1 et Bon. cum A B, contradicentibus C D E F G H, hic addunt exhibemus infra post opusculum in additamento II. In ed. 1, Bon. et A B propositio seq. est initium *cap. 7,* quod ab A B inscribitur *De elevatione vitis super struem lignorum,* a Bon. et ed. 1 *De umbra foliorum vitis,* cui ed. 1 addit *id est de verbis a Christo in crucem elevato prolatis.*

[10] Ed. 1 et Bon. cum nonnullis codd. *elevata,* et subinde *et si qua tunc* pro *et quae tunc.*

2. Quod elevata fuerit vitis nostra, Dominus Iesus, ipse testatur de se dicens [1]: *Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.* Manifestum vero est, quod haec exaltatio de cruce dicta sit. Et vide, quam aperte lignorum strues, super quam solent vites elevari, crucem signat. Cancellantur, id est, ex transverso ponuntur, et sic super haec vitis distenditur [2]. Quid convenientius? Cancellantur ligna crucis, elevatur in illam, distenditur brachiis et toto corpore vitis nostra, bonus Iesus. In tantum enim in cruce distentus fuit, ut numerari possent omnia membra eius; ita siquidem dixit per Prophetam [3]: *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea;* quasi diceret: tantum distentus sum dextrorsum, sinistrorsum et a summo usque ad deorsum, ut corpore meo in modum pellis tympani distento [4], facile possent dinumerari omnia ossa mea.

Congruentia huius elevationis.

3. *Respice in faciem Christi tui* [5], o anima christiana, et eleva oculos tuos ad tormenta illius non sine lacrymis, et cor contritum non sine singultu, et vide, quantam tribulationem invenerit, dum quaereret te, ut inveniret te. Laxa ergo oculos tuos, ut respicias *in faciem Christi tui;* ausculta auribus erectis, si quod in tanto dolore proferat verbum, auditumque pro pretiosissimo reconde thesauro in cubiculo cordis tui. Ecce, positus est in lecto immiti, mortis videlicet, crucem dico. Extrema igitur Sponsi tui mandata conserva, si vis *hereditatem* obtinere *incontaminatam et immarcescibilem* [6]. Nec multa quidem sunt, quae moriens locutus est; facile servabuntur a voluntaria Christi sponsa.

Hortati[o] d[...] contemp[...] dum.

CAPITULUM VII.

De foliis vitis in speciali et de primo verbo Christi in cruce [7].

1. Septem sunt verba, quae quasi septem folia semper virentia vitis nostra, cum in cruce elevata fuit, emisit. Cithara factus est tibi Sponsus tuus, scilicet cruce habente formam ligni, corpore vero suo vicem chordarum ligno extensarum [8]. Haec autem sunt septem verba.

Septem verba Christi in cruce.

2. Primum, cum crucifixus est benignissimus Iesus, dixit [9]: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt,*

De prim[...]

---

[1] Ioan. 12, 32, cui ed. 1 et Bon. cum A B subnectunt: Item [Ioan. 3, 14.]: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.* Elevatus ergo fuit, quia exaltatus. — Inferius pro *aperte* ed. 1 cum A B *apte*, et pro *crucem signat* (ita C D E) alias *crucem signet.*

[2] Bon. cum A B contra C D E addit *elevata;* ed. 1 legit: *elevata distenditur convenientius. Cancellantur* etc.

[3] Psalm. 21, 17. seq. Ed. 1 et Bon. cum A B, refragantibus C D E F G H, addit: Quantum fossus fuit [A B *fuerit*], supra [c. 3.] dictum est; quantum autem [A B omittunt *autem*] distentus, nunc subiungitur: *Dinumeraverunt omnia ossa mea.* — Superius pro *possent* E *possint,* Bon. *potuerint.*

[4] Isidor., III. Etymolog. c. 22. n. 10: Tympanum est pellis vel corium ligno ex una parte extentum. Est enim pars media symphoniae [i. e., ut ibid. n. 14. dicitur: lignum cavum, ex utraque parte, pelle extenta, quam virgulis hinc et inde musici feriunt] in similitudinem cribri etc. August., Enarrat. in Ps. 67. n. 34. dicit, « quod tympana fiant corio siccato et extento ». In Ps. 33. enarrat. 1. n. 9. ait: Et quoniam qui crucifigitur in ligno extenditur; ut autem tympanum fiat, caro, id est corium, in ligno extenditur; dictum est *et tympanizabat,* id est crucifigebatur, in ligno extendebatur. Cfr. ibid. enarrat. 2. n. 2. Vide supra Opusc. III. Lignum vitae, n. 26. — Pro *facile possent* C *facile possint.*

[5] Psalm. 83, 10. — Inferius post *tribulationem* ed. 1 et Bon. cum A B addit *et dolorem* (cfr. Ps. 114, 3: Tribulationem et dolorem inveni).

[6] Epist. I. Petr. 1, 4. Matth. 19, 17: Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. — Superius post *in lecto* D E addunt *vitis,* pro *mortis videlicet* (ita C E) alias *mortis suae,* et post *crucem dico* D E addunt *vera vitis tua,* A B *vera vitis, vita tua.* Inferius pro *Christi sponsa* Bon. *sibi sponsa.*

[7] Bon. omittit *verbo Christi in cruce,* ed. 1 addit *pendentis: Pater ignosce illis;* A B *De septem verbis Iesu in cruce,* alii codd. rubricam omittunt. Idem occurrit etiam inferius. In ed. 1 et Bon. hoc cap. est *cap. 8.*

[8] August., Homil. 4. in B. Ioan. Apocalypsim (inter opera August.): Cithara enim, id est chorda in ligno extensa, significat carnem Christi passioni coniunctam. Isidor., III. Etymolog. c. 22. n. 4: Antiqua autem cithara septem chordis erat. — Ed. 1 *vicem supplente chordarum per ligni planitiem extensarum.* Superius pro *in cruce elevata* (ita C E) alias *in crucem elevata,* post *Cithara* D E addunt *pro amicis,* et pro *scilicet cruce* C E *sed cruce,* A *in cruce,* ed. 1 cum B *cruce,* Bon. *scilicet in cruce.* Codd. A B post *extensarum* subnectunt: « Et quare? nisi ut in verbis eius, quae sic extensus tanquam citharizans daret, amplius delecteris diligentiusque conserves ». Bon. cum ed. 1: « Nam nisi ligno affigeretur expansus, neutiquam verborum sonum ederet tanquam citharizans, quibus amplius delectareris. Observa diligentius ». Deinde A B, ed. 1 et Bon. prosequuntur: « Septem chordas habet [A B addunt *haec*] cithara. Cantat tibi, ludit tibi, te ad audiendum invitat, quae illum ad loquendum potius debueras invitare. Vide ergo folia vitis tuae [A B addunt *audi sonum citharae tuae*], et indelebiliter ea memoriae commendare memento. Haec autem septem [A B addunt *verba diversi*] diversis modis ordinantur [A B *ordinant*], quorum ordo non facile potest inveniri, cum non ab uno Evangelista fuerint ordinata. Nos ergo ea, secundum quod potuimus investigare, ordinamus ». Haec praenotata in textum non recepimus, eo quod omittantur a C D E F G H.

[9] Luc. 23, 34, ubi Vulgata: Pater, dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt. Lectionem nostram exhibent August., in Epist. I. Ioan. tr. 1. n. 9; tr. 8. n. 10. et alibi passim; Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 2. n. 19. et II. Homil. in Evang. homil. 27. n. 2. — Ed. 1 cum A B, omissa propositione superius posita *Haec autem sunt septem verba,* legit: Luca referente cognovimus, quod cum crucifixus esset [A B addunt *benignus*] Iesus, dixit.

quid faciunt. O folium viride, o verbum summi Patris Verbo conveniens! Facit bonus doctor quod iubet: orat non solum pro amicis, sed et *pro persequentibus et calumniantibus* se [1]. — Reconde in thesauro cordis tui hoc folium, ut quotiescumque saeviunt inimici tui, *memoriam abundantiae suavitatis* boni Iesu valeas eructare, hoc verbum semper quasi clypeum contra inimicorum insultus opponens. Orat Sponsus pro occisoribus suis; tu non orabis pro detractoribus tuis?

[...]tatio ad [...]tandum.

3. Sed ipsam orationem diligentius videamus. *Pater,* inquit; quare nomen patris ponit? Solent enim pueri patres, aliquid affectuosius orantes, paterno nomine appellare [2], ut naturalem dilectionem ipsis ad memoriam reducant, per quam facilius petitionis suae consequantur effectum. Sic et Iesus, *miserator et misericors, patiens et multae miserationis* [3] et *suavis universis;* quamvis se a Patre semper sciret audiri, tamen, nobis commendans, cum quanto affectu pro inimicis sit orandum, nomen posuit caritatis, quasi dicat: per dilectionem paternam, qua unum sumus, supplico tibi [4] pro his, quatenus exaudias me, meis occisoribus ignoscendo; agnosce Filii tui amicitiam, ut inimicis ignoscas.

[...]re nomen [...]is ponat.

Capitulum VIII.

De secundo folio vitis sive verbo Christi in cruce [5].

1. Secundum vitis nostrae folium et secunda citharae nostrae chorda est secundum Domini verbum, quod ad latronem ait confitentem et Christi consortium expetentem. *Amen,* inquit [6], *dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.* O quanti vigoris folium! O quantam resonat dulcedinem chorda ista! Quam subito factus est amicus ex hoste, ex alieno familiaris, de extraneo proximus, de latrone confessor! O quanta latronis fiducia! Omnis mali et nullius boni sibi conscius, transgressor legis, vitae simul et substantiae raptor alienae, positus in ianuis mortis, in fine vitae [7], desperans de vita praesenti, spem vitae futurae,

[...]is huius verbi.

---

[1] Matth. 5, 44: Orate pro persequentibus et calumniantibus vos. Cfr. supra Opusc. III. Lignum vitae, n. 27. Ed. 1 cum A B: *Orat non solum pro persequentibus et calumniantibus, sed etiam pro occidentibus se.* — Subinde respicitur Ps. 144, 7: Memoriam abundantiae suavitatis tuae eructabunt. — Pro *saeviunt inimici* Bon. *saevierint inimici*, et pro *hoc verbum semper quasi* ed. 1 cum A B *hoc folium semper tanquam.*

[2] Ed. 1 cum A B *Solent pueri* [A B addunt *patres*] *aliquid affectuosius orare volentes nomen paternum nominare.*

[3] Ita Hieron., Biblioth. divinae liber Psalm. iuxta Hebraicam veritatem Ps. 145; Vulgata Ps. 144, 8. *et multum misericors*, quod etiam Bon. cum ed. 1 habet; ibid. v. 9: Suavis Dominus universis. — Subinde respicitur Ioan. 11, 42: Ego autem sciebam, quia semper me audis.

[4] Cod. C *supplica te* (cfr. Priscian., XVIII. Grammat. c. 25: Et nos: *supplico te* et *tibi*). Voces *pro his*, quas A B omittunt, ed. 1 transponit post *exaudias me*, ubi Bon. pro ipsis substituit *his.* Inferius post *ignoscas* ed. 1 et Bon. cum A B, refragantibus C D E F G H, addunt: Et idem [A B *Et causam*], quare sit ignoscendum, subiungit: *Quia nesciunt quid faciunt.* Quid hic dicemus? Nunquid ignorabant, se crucifigere eum quem crucifigebant? Nequaquam, sed quis esset ille quem occidebant, ignorabant. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent* [I. Cor. 2, 8.]. Nescierunt [A B addunt *ergo*], quid facerent, quia, quantum delinquerent [ita A B; alias *deliquerunt*], nescierunt. Sic cogitandum, sic orandum tibi [A B addunt *est*], quae sponsa Domini nuncupari desideras. Cum in te saeviunt inimici, cum obloquuntur, minantur, damna ingerunt et cum in faciem caedunt, immo cum [A B *et si*] occidunt; memento folii vitis tuae, sonum citharae tuae recordare, sequere, id est imitare, Sponsum tuum et dic ex toto corde [A B addunt *tuo*]: O Sponse, *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt,* id est quantum delinquant, ignorant. Si enim scirent, quantam beatitudinem amittant, quantam infelicitatem peccando [A B omittunt *peccando*] incurrant; utique non peccarent. Quid enim est quod omnes homines ad peccandum instigat [A B *instiget*], nisi ignorantia boni, quod perditur, et mali, quod peccando incurritur? Amittitur peccando optimus Deus, acquiritur [A B addunt *pessima*] poena gehennalis, quorum commutationem nullus appetit [A B *appetat*] nisi prorsus insanus. Et vere, quicumque caeli delicias amittentes, scienter peccando [A B omittunt *peccando*] poenas infernales invadunt, insani sunt; *nesciunt* ergo [A B *enim*], *quid faciunt.* Talibus ergo et pro nostra salute et pro illorum ignorantia est ignoscendum et pro ipsis orandum cum grandi fiducia, quia tales preces aures Domini violenter irrumpunt. Nimirum exaudit ipse alios, in quo se voluit exaudiri. Et exauditus fuit, cum ad praedicationem Petri uno die tria millia, alio die quinque [ed. 1 et A B *quatuor*] millia eorum, qui in necem Domini acclamaverant, sunt conversi [cfr. Act. 2, 41. et 4, 4.]. Quanta [A B addunt *putas*] in caelestibus iucunditas, cum occisus occisorem, et quilibet laesus se laedentem orationibus suis perducit ad caelum! O quanta fuit exsultatio Stephani [A B addunt *lapidati*] super conversione Pauli! qui suis orationibus ad fidem conversus, postea pro fide Christi, sicut ipsum lapidaverat, lapidatus est [cfr. II. Cor. 11, 25.] et multa mala, quae ante [A B *antea*] Sanctis ingesserat, [A B addunt *et ipse*] propter Christum sustinuit. Sequamur igitur et nos pro inimicis orando, ut illis simul et nobis aeternam mereamur obtinere salutem.

[5] Codd. A B omittunt *sive verbo Christi in cruce*, ed. 1 addit *Hodie mecum eris in paradiso.*

[6] Luc. 23, 43. — Superius post *Domini* ed. 1 cum A B addit *crucifixi*, quod ipsa etiam cum A B subinde pro *Christi* substituit. Inferius pro *quanti vigoris* (ita C D E) alias *quanti viroris*, et pro *quantam resonat dulcedinem* A B *quanta resonat dulcedine.*

[7] Ita A B C D E et ed. 1; Bon. *in ianuis mortis inferni, iure.* Subinde pro *desperans* ed. 1 cum A B *desperatus*, quae etiam pro *quam quandoque* (ita C D E) cum A B substituit *quam toties*, Bon. *quam quidem.*

quam quandoque demeruerat et nunquam meruerat, concipere et requirere non formidat. Quis homo[1] desperet, latrone sperante?

Expositio huius verbi.

2. Exaudivit ergo Sponsus animam iam non latronis, sed confessoris, scilicet sponsam suam et orantem iam digna voce confortat: *Amen*, inquit[2], *dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.* Cui *tibi? Tibi*, qui me confessus es in cruce tormentorum. *Mecum eris in paradiso* deliciarum[3]; non dicit simpliciter *eris in paradiso*, vel cum Angelis, sed *mecum eris;* sociaberis ei quem desideras; videbis in maiestate quem confiteris positum in infirmitate; nec differo quod promitto, quia *hodie mecum eris.* Bonus vere et dulcis Dominus Iesus cito exaudit, cito promittit, cito dat. Quis de tam pio exauditore, tam veloci promissore, prompto redditore desperet? Speramus in te, quia novimus dulce nomen tuum, *quoniam non derelinquis quaerentes te*[4]. Accedimus ad te, o benigne Iesu, mente, qua possumus, sedentem in *throno maiestatis*, orantes, ut illuc ad te et a te introduci mereamur, quo ingressus est latro, te confitens in *throno crucis*[5].

Capitulum IX.

De tertio folio vitis sive verbo Christi in cruce[6].

Dulcedo huius verbi.

1. Tertium folium et tertia citharae chorda est tertium verbum: *Mulier, ecce*, inquiens[7], *filius tuus;* et: *Ecce, mater tua.* Dulce verbum et suave, verbum mirabile et magnum continens pietatis affectum! Non legimus, bonum et benignissimum Iesum, maxime cum ad aetatem provectam accesserat, carissimae Matri suae familiarius adhaesisse et cum ea frequentius convivatum fuisse et prae ceteris mitius allocutum esse[8]. Sed quantus in ipso fuerit circa Matrem caritatis *affectus*, iam corporaliter recessurus, brevibus verbis intimavit; et ut crucis suae taceam passionem, quantum circa beatam Matrem compassione nimia credis affectum fuisse, cuius cor mitissimum tam validi doloris gladio perforatum perfecte sciebat[9]? Adauxit vulnerum passionem materna compassio; quam tam contritissimo corde, manibus

De Mati sub cru

---

[1] Ed. 1 cum A B *Quis hic.* Deinde post *latrone sperante* ed. 1 et Bon. cum A B, refragantibus C D E F G H, addunt: Sed operae pretium est diligenter [A B *diligentius*] intueri, qualis fuerit latro iste, ne, si causam spei nesciamus, in [ed. 1 et A B omittunt *in*] praesumtionis vitium incidamus. Omnes amici et proximi et noti, fratres quoque, immo et ipsi discipuli unanimes et electi de mundo a Domino Iesu Christo in tantarum pressurarum molestia, in tanta confusione et tantis opprobriis, percusso pastore, velut erraticae [A B omittunt *erraticae*] oves sunt dispersi [cfr. Zach. 13, 7; Matth. 26, 31.]; fugerat quoque *ille discipulus, quem diligebat Iesus* [Ioan. 13, 23; 19, 26.], ille ardens *Petrus a longe sequebatur* [Matth. 26, 58; ex A B supplevimus *Petrus*], signorum immemores divinorum, quae Salvatorem toties viderant operari, immo et ipsi in nomine ipsius [A B *illius*] fuerant operati. Et nunc latro inter tot improperia et miserias, immo et inter tot tormenta crucis et mortis prius non cognitum confitetur et ab eo fiducialiter petit auxilium, qui auxilio videbatur indigere. Quem discipulorum tanta audacia inflammavit? Fugerunt [A B *Fugiunt*] omnes eum quem hactenus fuerant confessi, dum viveret; iste vero, quem viventem negaverat, confitetur morientem. Orat vero in fide et spe et caritate, dicens [Luc. 23, 42.]: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum. Credit* profecto in eum quem *dominum* et *regem* appellat. Quis autem petit hoc quod non *sperat? Amat* vero [A B omittunt *vero*] eum cui coniungi desiderat. Quid tali oratori ille bonus Pater negaret, qui eum incitaverat, ut rogaret, praesertim dum in sede sponsali, in die nuptiali sederet? Sedes sponsalis crux erat, in qua verus Sponsus sponsam suam Ecclesiam sibi copulavit, ipsam sibi proprii sacrati sanguinis effusione subarrhans.

[2] Luc. 23, 43. Ed. 1 cum A B legit: non iam latronis, sed confessoris sui [ita etiam Bon.], sponsam suam et orantem benigna [ed. 1 *digna*] responsione confortavit [A B *confortat*]: *Amen dico tibi*, id est [ed. 1 omittit *id est*, quod etiam Bon. exhibet], vere dico tibi: *Hodie mecum* etc. Nostra lectio est codd. C D E.

[3] Bon., contradicentibus C D E, addit: *O verbum mirae benignitatis!* Ed. 1 cum A B: *Mecum, inquit* [A B *inquam*]; *mira benignitas!* Cfr. supra Opusc. III. Lignum vitae, n. 27. Inferius pro *sociaberis ei* (ita C D E) alias *satiaberis eo.*

[4] Psalm. 9, 11: Et sperent in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quaerentes te, Domine. — Superius pro *desperet* C forma antiqua *desperetur* (cfr. Forcellini, Lexicon).

[5] Cfr. supra Opusc. III. Lignum vitae, n. 27. in fine. — Superius pro *Accedimus* (ita A B C D E, ex quibus A B D addunt *ergo*) alias *Accedamus ergo*, et pro *latro, te confitens* ed. 1 cum A B *tuus latro, te confessus.*

[6] Codd. A B *De tertio verbo*, Bon. *De tertio verbo sive folio vitis*, ed. 1 *De tertio folio vitis, id est tertio verbo Christi in cruce: Mulier, ecce, filius tuus.*

[7] Ioan. 19, 26. et 27. — Ed. 1 cum A B: Praeparemus nunc visum pariter et auditum cordis nostri ad videndum tertium folium vitis nostrae [A B addunt *ad audiendam tertiam chordam citharae nostrae*]. *Mulier*, inquit, *ecce, filius tuus.* [A B addunt *Ad discipulum*] *Ecce, mater tua.* Verbum bonum et suave, verbum mirabile [A B *imitabile*], magnum continens piae caritatis affectum. Pro *affectum* C D E *effectum.*

[8] Cfr. Bonav., Comment. in Ioan. c. 19. n. 44, ubi solvit quaestionem: Quare Dominus [in cruce] sic Matrem recommendavit, cum supra 2, 4. ita dure responderit: *Quid mihi et tibi est, mulier?* — Codd. A B *allocutum fuisse*, ed. 1 *allocutum.* Superius pro *Non legimus* A B *Certe non legimus*, ed. 1 *Certe nos* (?) *legimus*, C *Nam* (?) *legimus.* Subinde pro *accesserat* Bon. *pervenerat*, qui etiam pro *frequentius convivatum* (ita ed. 1 cum A B) substituit *firmius conversatum*, C D E *frequentius continuatum.*

[9] Cfr. supra Opusc. III. Lignum vitae, n. 28. in fine, ubi etiam de compassione Matris cum filio. — In hac propositione pro *recessurus* ed. 1 substituit *recessuro*, pro *compassione nimia credis* (ita C D E) cum A B *compassione mutua credis*, Bon. *compassione putamus*, et pro *validi doloris gladio*

complosis, oculis lacrymarum torrente fluentibus, vultu contracto, voce querula et totis corporis viribus viriliter vidit sibi astare pendenti. Quoties ipsam, propter verecundiam virginalem pariter et immensitatem doloris stantem, ut aestimo, cooperto capite, ingemuisse putas, lugendo filium et dicendo: Iesu, fili mi, Iesu, *Quis mihi det, ut ego* tecum et *pro te moriar, fili mi*[1], dulcissime Iesu! Quoties ipsam ad illa immitia vulnera verecundos, putas, oculos levasse; si tamen eos inde aliquando deflexit vel si prae nimio fluxu lacrymarum illa potuit intueri. Quomodo ipsam prae immensitate doloris cordis, credis, non potuisse[2] deficere, a quo ipsam summe miror etiam mortuam non fuisse? Commoritur vivens, vivendo ferens dolorem morte crudeliorem.

[...]positio [...]is verbi. 2. Sed ne moriendo deficeret, a Filio confortata est intrinsecus, extrinsecus vero verbis et factis pie consolata. Quomodo? *Stabat iuxta crucem*[3]; dixit ad eam: *Ecce, filius tuus;* quasi dicat: tu me *filio* corporaliter privaris; unde tibi amicum prae cunctis dilectum in filium do, cuius praesentia, mea interim absentia[4], consoleris. Tu me *patre* spoliaris, Ioannes, unde hanc mihi Matrem carissimam tibi in matrem trado. — O quam munificus factus es in nuptiis Munificentia Crucifixi. tuis rex et Sponse, bone Iesu; quam large omnia, quae habuisti, tradidisti! Ecce, ipsis crucifixoribus tuis orationis affectum, latroni paradisum, Matri filium, filio Matrem, mortuis vitam, manibus Patris animam tuam, toti mundo signa tuae potentiae obtulisti, pro redimendo servo non ex parte, sed totum sanguinem ex multis et largis foraminibus effudisti, traditori tuo seu proditori reatus sui poenam, terrae corpus non corrumpendum ad tempus tradidisti[5]!

Capitulum X.

De quarto folio vitis sive verbo Christi in cruce[6].

1. Quartum folium et quarta citharae chorda est quartum Domini verbum, quod emisit *circa horam nonam, clamans voce magna: Eli, Eli, lamma sabacthani, hoc est: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti*[7]? Qui oculi folium hoc non videant, [...]re Chri[...] clama[...]. quae aures hanc chordam non audiant? Quare autem *clamat*, nisi ut fortius audiatur? Quanta, putas, fuit doloris acerbissimi magnitudo[8], cum haec bonus Iesus toto corpore distentus clamabat! Sed cave, ne propter clamorem putes ad impatientiam dilapsum mitissimum Dominum Iesum. Patientiam enim, sicut in sequenti folio et chorda ostendemus, in amarissima passione sustinuit[9], sed et magnitudinem doloris ostendit.

---

perforatum ed. 1 cum A B *valido doloris sui gladio transverberatum.* Inferius pro *quam tam* (ita A B C) D E *quoniam tam*, Bon. *quoniam*, qui etiam pro *manibus complosis* substituit *manibus complicitis* et post *voce querula* prosequitur *nec tamen viribus cordis destituta, viriliter eum vidit sibi astare pendentem;* ed. 1 *et totis viribus cordis destituta, viriliter eum* (?) *vidit sibi astare pendenti;* A B *totis viribus corporis viriliter tamen vidit eum... pendenti.* Hic cod. G finit.

[1] Libr. II. Reg. 18, 33. Cfr. supra Opusc. II. Soliloq. c. 4. n. 26. Bon. cum ed. 1 *propter te moriar.* — Refragantibus A B C D E, ed. 1 et Bon. praecedentem propositionem transponunt post sequentem.

[2] Ita C D E; alias *Quoties ipsam... credis, potuisse.* Subinde pro *a quo* Bon. *ex quo*, pro *Commoritur* (ita C) Bon. *Commoriebatur*, ed. 1 cum A B *Moriebatur.*

[3] Ioan. 19, 25. et dein v. 26. Codd. C D E: *Quo stabat in Christi cruce*, omissis *dixit ad eam: Ecce, filius tuus;* H: *Dum ita staret iuxta crucem beata Mater, dixit ad eam: Ecce, filius tuus.* Ed. 1, superius post *a filio* addens *pro ipsa mortalitate confortata est*, hic cum A B et Bon. legit: Quomodo stabat iuxta crucem Iesu Mater eius? Vere iuxta crucem stabat, quia crucem Filii prae ceteris Mater maiore cum dolore ferebat. Stabant et aliae, sed proxima haec. *Cum ergo vidisset Iesus Matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dixit Matri suae: Mulier, ecce, filius tuus. Ad discipulum autem: Ecce, mater tua* [Ioan. 19, 26. seq.]; quasi [ed. 1 cum A B *ac si*] diceret: Tu me filio etc.

[4] Ita D E; A B C *meam interim absentiam*, Bon. cum ed. 1 *interim, dum absum.* Inferius pro *unde hanc* (ita ed. 1 cum A B) C D E *unam*, Bon. *et ego*, qui etiam post *trado* cum ed. 1 et A B, ceteris codd. refragantibus, addit: « Conservate iura mutuae caritatis ad invicem, tu istum filium, tu istam matrem habendo ». Subinde pro *quam large* Bon. *quoniam large*, omisso *quae habuisti.*

[5] Bon. cum ed. 1 et A B *sed ad tempus reddidisti;* ab iisdem hic plura subnectuntur, quae infra post hoc opusculum in additamento III. exhibemus.

[6] Ed. 1 addit *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* A B ponunt: *De quarto folio.*

[7] Matth. 27, 46; Marc. 15, 34. — Ed. 1 cum A B: Sed iam ad quartum folium videndum et quartam chordam audiendam oculum simul et aurem cordis adaptemus. Acutos petit hoc folium oculos, aures bene purgatas haec chorda; immo et ipse purgare et acuere potest aures et oculos, quia iam non simpliciter hoc verbum ut cetera dicit [A B *dixit*] Dominus Iesus, sed, ut testatur Evangelista, *circa horam nonam exclamavit voce magna* etc.

[8] Ed. 1: *Quanti fuit doloris, putas, acerbissima haec magnitudo*, quae etiam inferius post *Dominum Iesum* cum Bon. addit: Cum enim in summa crucis esset amaritudine, nihil exivit de eius corde, nisi dulcedo.

[9] Ed. 1 cum A B *retinuit;* ed. 1 prosequitur *et sui doloris magnitudinem ostendit*, A B *sed vim et magnitudinem doloris ostendit.* Bon. legit: *Patienter enim... in amaritudine passionem sustinuit, sed magnitudinem doloris ostendit.* Deinde ipse cum ed. 1 et A B, ceteris codd. refragantibus, addit: Quod [A B addunt *ante*] in beato Iob, qui interpretatur *dolens*, et verbis et factis eius prius ostensum [A B *eius praeostensum*] fuit, qui auditis nuntiorum verbis [hic desinit B] amaritudinem animi foris ostendit in factis, sed quantae fuerit

Verbum hoc dictum ex persona hominis assumti.

2. Quod autem haec verba loqueretur ex persona assumti hominis, qui tamen cum ipso Dei [1] Filio una persona fuit, patet per hoc quod ait: *Deus meus;* quod utique non diceret ipse qui unus Deus est cum Patre, si non hominem assumsisset. Quid autem est quod ait: *Ut quid me dereliquisti?* Nunquid Pater unicum suum Filium poterat derelinquere? Absit; sed pro toto corpore, id est [2] pro tota Ecclesia, loquitur ita caput nostrum, benignissimus Iesus. Volens enim commendare unitatem et caritatem, quam ad Ecclesiam, sponsam suam habuit, se in omnibus membris suis passurum ostendit, qui tunc in capite sustinuit passionem, hoc est in proprio corpore, quod assumsit de Virgine [3]. *Clamat* autem se derelictum qui derelinqui non poterat, quia multa membrorum suorum ad tantam tribulationem erant ventura, ut a Deo derelicta penitus viderentur [4]. Benedictus sit amabilis Dominus, benignissimus Iesus, qui primo in se pro nobis, nunc vero et nobiscum in nobis pati dignatur, tribulationem nostram, quam pro iustitia patimur, suam reputans et clamans: *Cum ipso sum in tribulatione* [5], ut de ipso securius confidamus.

Capitulum XI.

De quinto folio vitis sive verbo Christi in cruce [6].

Punitu[is] membr[is] lingua[m]

1. Quintum folium et quinta chorda est quintum amantissimi Iesu verbum, quod emisit in cruce dicens: *Sitio* [7]. *Et dabant ei vinum myrrhatum bibere cum felle mixtum.* Punitis omnibus membris dulcissimi Iesu, supererat, puniri et linguam. Dedit ergo ei in siti sua illa *vitis aliena, conversa in*

---

patientiae [ex A supplevimus *ostendit... patientiae*] ostendit in verbis. Scissis enim vestibus et tonso crine capitis, corruit in terram. Ecce, magnitudo doloris. Post hoc [A *haec*] ait [1, 21.]: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Ecce, virtus patientiae. Si patienter sustinuit Iob miserias suas, quanto patientius putas Dominum Iesum [A omittit *Iesum*] sustinuisse crucem suam, pro qua sustinenda venerat?

[1] Ita C D E, alias *Deo.* Inferius pro *si non hominem* (ita C D E) alias *nisi hominem* (id est humanam naturam; cfr. Bonav., III. Sent. d. 5. a. 2. q. 4.).

[2] Ed. 1 cum A addit *pro se et.* Subinde post *Volens enim* C addit *ei,* voci *unitatem* D E praefigunt *eius,* voci *caritatem* A addit *suam,* et post *qui tunc* Bon. contra A C D E et ed. 1. prosequitur *in caritate et in se ipso sustinuit passionem, hoc est in toto corpore* etc.

[3] Cfr. Bonav., III. Sent. d. 21. a. 1. q. 1. ad 4: Dispensative subtracta fuit redundantia [delectationis Deitatis] in partem sensibilem, et exposita fuit [anima] passioni acerbissimae. Propter quod clamat in passione: *Deus meus, Deus meus! ut quid dereliquisti me?* quod non intelligitur, quia dereliquerit solvendo vinculum unionis, sed exponendo ad supplicium passionis. Cfr. Beda, in Matth. 27, 46. et in Marc. 15, 34. — Inferius post *membrorum suorum* Bon. addit *mystici corporis.*

[4] Refragantibus C D E F H, Bon. cum ed. 1 et A hic addit: Quorum personam gestabat ille qui dicebat [Ps. 70, 10. 11.]: *Qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum, dicentes: Deus dereliquit eum, persequimini et comprehendite eum, quia non est qui liberet eum.* Quod et ipsi benignissimo [ed. 1 cum A *benigno*] Iesu in tormento crucis improperatum est: *Si Filius Dei es, salva temetipsum* [Matth. 27, 40. Ed. 1 cum A *salvum te fac;* cfr. Marc. 15, 30.]. Potest et ita accipi, quod Dominus praevidens aliquos, immo plurimos in [A *de*] corpore suo [A addit *perituros*], qui ab unitate Ecclesiae suae per haereses, sive per alia criminalia peccata erant recessuri, illorum personam in se transfigurando, clamabat: *Ut quid dereliquisti me?* Ac si diceret: Quare aliquis eorum abiit retrorsum, ut pereat ab unitate corporis mei, qui tanto cruciatu mihi sunt uniti? Unde ex persona membrorum [ed. 1 cum A *Martyrum*] dicitur in Psalmo [43, 25.]: *Adhaesit in terra venter noster.* Per *ventrem* [A addit *enim*], qui est mollior et infirmior pars hominis, significantur illi qui carentes patientia [A *duritia patientiae*] et firmitate perseverantiae et propter hoc in acerbitate tormentorum deficientes, adhaeserunt in terra, id est terrenis consiliis et actionibus consenserunt. Nos autem, qui adhuc in tribulationibus quotidianis versamur, qui *spectaculum facti sumus mundo et Angelis et hominibus* [I. Cor. 4, 9.] et *tanquam purgamenta huius mundi et peripsema omnium usque adhuc* [ibid. v. 13.], inenarrabilem spiritus [A *spem et*] fiduciam concipiamus ex hoc praecipue, quod ipse Dominus consolator omnium pressurarum tanta unitate spiritus et caritatis nobis coniunctus est, ut etiam personam nostrae infirmitatis in se tam manifestis verbis transfigurare dignatus sit; qui adhuc etiam apud Patrem ostensione vulnerum suorum interpellat pro nobis [cfr. Hebr. 7, 25.], orans, ne derelinquatur in infirmioribus [ita A; ed. 1 et Bon. *inferioribus*] membris suis, qui in se capite nequaquam potuit derelinqui. Et quomodo membra desperabunt [ita A; ed. 1 et Bon. *deperirent*], quae in voluntate capitis sui suam sciunt constare salutem? Nunquid aliquod membrorum est in mortali corpore nostro [A omittit *nostro*], cui non condoleat caput nostrum? Si affligitur pes vel manus, statim clamat caput per linguam: Cur affligor [cfr. August., Enarrat. in Ps. 140. n. 3.]? Clamabat Dominus ad Saulum in membra sua saevientem: *Cur me persequeris* [Act. 9, 4.]? cum tamen ipse securus remaneret in caelo.

[5] Psalm. 90, 15. — Cod. A prosequitur *ut in ipso stabilius et securius confidamus,* D E *ut de ipso vel ipsi securius confidamus,* ed. 1 omittit *de ipso.* Superius pro *in nobis* Bon. *et in nobis,* pro *pati* H *compati,* et post *tribulationem* Bon. cum ed. 1 contra codd. prosequitur *quam exigente iustitia patimur* etc.

[6] Ed. 1 addit *Sitio;* A B legunt *De quinto verbo,* Bon. *De quinto folio vitis.*

[7] Ioan. 19, 28, post quem Marc. 15, 23: Et dabant ei bibere myrrhatum vinum. Matth. 27, 34: Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. — Ed. 1 cum A legit: Quintum folium sive quinta chorda brevis quidem videtur, sed si discutiatur, si diligentius [A omittit *diligentius*] consideretur, ad amoris indicium efficacissima poterit inveniri. Ait enim Evangelista [Ioan. 19, 28.]: *Videns* [A addit *autem*] *Iesus, quia omnia* [A *iam omnia*] *consummata essent, ut implerentur Scripturae* [A addit *ait: Sitio. Quae fuerunt Scripturae*]; quae implendae erant? illae utique, quae dicunt [Ps. 68, 22.]:

amaritudinem [1], de fructu suo potum amarum, non quidem potandum, sed potius degustandum, quia ad poenam linguae suffecit potum gustare.

...d ostenditur ardor ...itatis.

2. Sed licet haec ad impletionem Scripturae vere patrata sint, tamen hoc verbo *sitio* aliquid aliud significari videtur. Puto enim, quod hoc loquendo [2] immensitatem caritatis voluit commendare, quoniam ab homine sitiente multo ardentius potus desideratur quam cibus ab esuriente. In siti ergo ostendens nobis desiderium illius rei, quae ardentissime concupiscitur, per illam figurative ardorem suae caritatis ostendit; licet etiam veraciter possim accipere, quod sitierit, quoniam, per totum corpus sacrati sanguinis effusione siccatus, *ossa* habuit *sicut cremium* arefacta [3]. Sed non est satis credibile, ipsum de corporali siti dixisse, qui in instanti sciebat se corporaliter moriturum, sed potius ardentissimo desiderio salutis nostrae ipsum credimus sitivisse [4]. — Sed est quod moveat nos, quod, cum instaret hora passionis extremae, ad orationem procedens, Dominus benignissimus Iesus *procidit in faciem suam orans et dicens: Mi Pater, si possibile est, transfer hunc calicem a me* [5] — et hoc non semel tantum, sed et secundo et tertio fecit — per *calicem,* quem bibiturus erat, passionem significans, qua erat passurus [6]. Nunc vero, eodem calice passionis ebibito, dicit: *Sitio.* Quid est hoc? Antequam gustes, bone Iesu, petis, calicem omnino auferri, sed postquam ebibisti, sitis? Ut video, mirabilis potator es tu! Nunquid vino iucunditatis et non potius vino compunctionis et summae amaritudinis repletus fuit calix tuus? Immo vere [7] compunctionis amarissimae plenus est, qui non sitim, sed potius potandi fastidium generare deberet.

...pparens ...radictio.

Solutio.

3. Sed, ut aestimo, ante passionem quidem calicem [8] a te transferri petisti, non ut passionem non amares, pro qua patienda veneras, et sine qua salus humano generi non adesset; sed ne putaret quis, te verum hominem passionis amaritudinem non sensisse propter Deitatis unitatem, verbis petentibus, calicem a te transferri et bis et tertio summam acerbitatem passionis tuae dubitantibus indicasti [9]; nobis quoque sequentibus doctrinae et exempli tui formam praescripsisti, in imminentibus nobis periculis, etiam cum ad utilitatem nostram pertineant, posse et debere a nobis Dominum frequentius exorari, ut flagella iracundiae suae dignetur a nobis avertere; et nihilominus, etiam si ablata non fuerint, exemplo passionis tuae gratanter, patienter et viriliter cum omni perseverantia tolerare. Quod autem ante passionis calicem auferri rogaveras, et eo iam exhausto [10] dixisti: *Sitio,* dilectionis magnitudinem commendasti, ac si diceres: quamvis passio mea tanta fuerit, ut quantum ad humanitatis sensum illam declinare petierim, tua, o homo, caritate vincente et ipsa tormenta crucis superante, adhuc plura et maiora, si necessarium foret, sitio subire tormenta. Nihil enim est, quod detrectem pati propter te, pro cuius pretio *animam meam pono* [11].

Dederunt in escam meam fel et in siti mea potaverunt me aceto. Subiungit enim Evangelista [Ioan. 19, 29.]: *Vas ergo positum erat aceto plenum, et currens unus implevit spongiam aceto et circumponens hyssopo dabat ei bibere.* Alter vero Evangelista plenius exponens [A *ponens*], quomodo Scriptura sit impleta, etiam fellis facit mentionem, ita [A omittit *ita*] dicens: *Et dabant ei vinum myrrhatum* etc. Deinde ed. 1 prosequitur: Fractis membris omnibus, dulcis Iesus voluit puniri etc.

[1] Ier. 2, 21; cfr. supra pag. 170, nota 4. — Inferius pro *non quidem potandum* ed. 1 cum A *potum non potandum*, pro *suffecit* (ita A C) alias *sufficit*, et pro *potum gustare* (ita C D E) alias *acetum gustasse.*

[2] Ed. 1 *liquido*, quae etiam cum Bon. voci *caritatis* praefigit *ardentissimae.*

[3] Psalm. 101, 4: Ossa mea sicut cremium aruerunt. — Superius pro *In siti ergo* (ita etiam Bon.) ed. 1 cum A C D E *In se ergo.* Subinde Bon. omittit *ostendens*, qui etiam pro *possim accipere* (ita C D) substituit *possimus accipere*, ed. 1 *possumus accipere;* pro *sitierit* D E *sitiverat*, et pro *quoniam* (ita C) alias *qui.*

[4] Cfr. August., Enarrat. in Ps. 61. n. 9. et Serm. 218. (alias 76. de Diversis) c. 11. n. 11. — Superius post *dixisse* Bon. cum ed. 1 et A prosequitur *ut potum peteret carnalem* [A *corporalem*], *qui in instanti se sciebat carnaliter* [A *corporaliter*] *moriturum, sed potius ardentissimum desiderium salutis* etc.

[5] Matth. 26, 39, ubi tamen pro *transfer hunc calicem a me* (ita Marc. 14, 36.) *transeat a me calix iste;* ibid. v. 42: Iterum *secundo* abiit et oravit etc. et v. 44: Iterum abiit et oravit *tertio*, eundem sermonem dicens.

[6] Cfr. Bonav., IV. Sent. d. 8. p. II. a. 1. q. 2. ad 1. 2. et Comment. in Luc. 22, 42. n. 54. — Codd. D E *quam erat procul dubio passurus*, Bon. cum ed. 1 et A *procul dubio passionem significans, quam erat passurus.* Nostra lectio est ex C.

[7] Ita C, alias *Immo vero.* Inferius pro *potandi fastidium* C *potanti fastidium.*

[8] Cod. A addit *ipsius*, Bon. cum ed. 1 *ipsius Patris.* Inferius pro *non amares* ed. 1 cum A *declinares*, D E *non amares vel damnares*, et pro *Deitatis unitatem* (ita A C D E) Bon. cum ed. 1 *claritatis unionem*, a quibus etiam post *transferri* contra C E additur *semel.*

[9] Cfr. Bonav., III. Sent. d. 16. a. 1. q. 1. seqq. — Subinde Bon. cum ed. 1 contra C E voci *sequentibus* praefigit *te*, omisso *tui.* Pro *in imminentibus* (ita Bon.) ed. 1 cum A *quod imminentibus*, C D E *ut imminentibus* (incongrue propter ea quae sequuntur *posse et debere* etc.), et post *avertere* ed. 1 cum A prosequitur *nihilominus tamen etsi ablata... toleranda sunt* [A omittit *sunt*].

[10] Ita Bon.; C D E *et inde exhausto*, A *iam exhausto*, ed. 1 legit: *Quando autem passionis calicem, quem antea rogaveras auferri, iam exhausisti.* Inferius pro *tanta* ed. 1 cum A *tam acerba*, et pro *declinare petierim* (ita C) D E *declinare velle petierim vel potuerim*, ed. 1 cum A *declinare potuerim*, Bon. legit: *tanta fuerit, quod illam declinare volens petierim, tamen tua* etc.

[11] Ioan. 10, 15. — Superius pro *pati propter te* (ita C) alias *pati pro te.* Bon. cum ed. 1 et A, ceteris codd. refragantibus, hic addit: Imitetur ergo quaelibet fidelis anima Sponsum suum, dulcem Iesum, tantae amaritudinis poculum sitientem pro ipsa pariter et ebibentem; et sitiat etiam ipsa pro ipso et ebibat pro mensura sua pericula et adversa [ita A; ed. 1 et Bon. *sicut* (Bon. *et sic*) *ipsa etiam pro ipso ebibat per adversa*] praesentia; sitiat quoque et ipsum dulcissimum Sponsum suum,

CAPITULUM XII.

De sexto folio vitis sive verbo Christi in cruce [1].

Explicatur repetitio verborum: Consummatum est.

1. Sextum folium et sexta chorda citharae est sextum verbum, quod, *cum accepisset acetum* vera et summa dulcedo, Dominus Iesus, *dixit: Consummatum est* [2]. Quid est hoc? Superius [3] dictum est: Quoniam videns Dominus, quod *consummata sunt omnia, ut implerentur Scripturae, dixit: Sitio;* et cum gustasset, *dixit: Consummatum est.* Consummatum quippe et perfectum fuit testimonium Scripturae, quae dicit [4]: *Dederunt in escam meam fel;* et per hoc *omnis Scriptura, quae de ipso erat,* consummationem accepit.

Imitanda Christi perseverantia.

2. Sicut ergo caput nostrum, pro peccatis nostris acerbitatem sustinens passionis usque ad consummationem, id est perfectionem omnium Scripturarum, quae de ipso erant, patienter perseveravit; ita et nos, si huius capitis membra esse volumus, in omnibus adversitatibus nostris virtutem perseverantiae servemus, ut ad finem omnium passionum nostrarum, ipso benignissimo Iesu duce, veniamus et cum ipso possimus dicere confidenter: *Consummatum est,* hoc est, adiutorio tuo, non nostra virtute, *bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi* [5]. Redde ergo quod legitime certantibus in agone, te promittente, repositum est, scilicet *coronam iustitiae, quam tu, iudex iustus,* reddes in tua die, quae nubilum non habet, in illa die, quae *in atriis tuis melior erit super millia dierum,* in qua tu solus singularis sol eris. — O *sol iustitiae* [6], benigne Christe Iesu, lucens in virtute tua, redde temetipsum in praemium sempiternum omnibus, qui certaverunt et certando perseveraverunt in agone certaminis; recipiant a te [7] splendorem sempiternum, in quo assidue felices laetentur. Hunc autem splendorem nullus poterit adipisci, nisi *qui perseveraverit in finem* [8], « quia virtus boni operis perseverantia est ».

Oratio.

Notandum.

---

cuius dulcedinem ex amaritudinibus praesentibus melius poterit considerare, malisque exhaustis propter eum confidentius ipsum sitire poterit et dicere cum Propheta [Ps. 41, 3.]: *Sitivit anima mea ad Deum fontem* [Vulgata *fortem*] *vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* Et iterum [Ps. 62, 2.]: *Sitivit in te* [A *post te*] *anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.*

[1] Cod. A *De sexto verbo dulcis Iesu*, Bon. *De sexto folio vitis*, quibus ed. 1 addit *id est sexto verbo Christi in cruce: Consummatum est.*

[2] Ioan. 19, 30. — Ed. 1 cum A legit: In sexto folio vitis nostrae, sive in sexta chorda citharae nostrae nobis virtus perseverantiae commendatur. Ait enim Evangelista, quod, cum accepisset dulcis Iesus amaritudinem aceti, dixit: *Consummatum est.*

[3] Ioan. 19, 28: Postea sciens Iesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio (cfr. supra c. 11. n. 4.). — Ibid. v. 30: Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. — Bon.: Superius dictum est, quomodo Iudaeis Dominus, quoniam consummata sunt omnia, ut implerentur Scripturae, dixit: *Sitio.* Et cum gustasset acetum sibi porrectum, subiunxit: *Consummatum est.*

[4] Psalm. 68, 22. Bon. cum ed. 1 et A addit *et in siti mea potaverunt me aceto.* — Subinde respicitur Luc. 24, 27. — Superius pro *et perfectum* (ita C D E) alias *id est perfectum.*

[5] Epist. II. Tim. 4, 7. Cfr. August., de Gratia et lib. arb. c. 6. n. 14. seqq. In seq. propositione respicitur II. Tim. 4, 8: In reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex etc., et allegatur Ps. 83, 11. — Superius pro *non nostra virtute* (ita C D E) alias *non mea virtute.*

[6] Malach. 4, 2. — Subinde respicitur Apoc. 1, 16: Facies eius sicut sol lucet in virtute sua. — Bon. cum ed. 1 et A hanc propositionem cum praecedenti coniungens legit: in qua tu solus, id est singulariter [A *singularis*] sol eris et sol [ed. 1 cum A *o sol*] iustitiae... lucens in virtute tua, reddens temetipsum etc.

[7] Ita C D E; ed. 1 cum A *recipient enim a te,* Bon. *respiciant ad te,* qui etiam inferius pro *assidue felices laetentur* (ita C D E H) cum ed. 1 substituit *sine fine felices laetantur* (A *sine fine laetantur*).

[8] Matth. 24, 13. Cfr. supra Opusc. VI. de Perfectione vitae ad sorores, c. 8. — Sequitur sententia Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 25. n. 1, post quam Bon. cum ed. 1 et A, ceteris codd. refragantibus, addit: Huic soli redditur *corona iustitiae.* Quid enim prodest esse bonum, esse sapientem, esse potentem, si non perseveraveris usque in finem? Bonus erat Saul, immo [ita A; Bon. cum ed. 1 *et*] optimus, quia docet Scriptura [I. Reg. 9, 2.], quod *non erat vir melior illo* in populo Israel. Sed ad quid devenit? Cecidit et reprobus factus est, ita ut non obediret voci Domini, Prophetam contemneret, a spiritu malo vexaretur, virum innocentem persequeretur usque ad mortem, tandem vero consuleret pythonissam et ab alienigena miserabiliter interiret. Quis vero sapientior Salomone? Sed deficiens a praeceptis Domini et coniunctus mulieribus gentilibus, fabricavit diis, immo daemonibus illarum templa, ita ut ipse cum illis [A addit *tandem*] idola adoraret, tanto magis in stultitia desipiens et deiectus, quanto prius in sapientia fuerat elevatus. De quantis legimus in Vitis Patrum [cfr. lib. VIII, in quo Palladii Historia Lausiaca exhibetur, c. 44.] viris potentibus in vigiliis et in ieiuniis, in laboribus supra modum humanum, immo et in miraculis coruscantibus, qui ceciderunt, quia non perseveraverunt usque in finem? *Qui perseveraverit usque in finem,* Dominus inquit [Matth. 10, 22.], *hic salvus erit.* Finis, non pugna coronat. Lauda navigantis felicitatem, sed cum venerit ad portum. Unde [Ovid., Heroid. epist. 9. v. 23. seq.]:

Coepisti melius, quam desinis; ultima primis
Cedunt; dissimiles hic vir et ille puer.

O quantum humilitatis tibi [A *nobis*] iure incutiet et timoris, cum adverteris, summum Angelorum cum magna multitudine sequacium suorum in caelo cecidisse, hominem protoplastum cum uxore sua a paradiso eiectos fuisse, tot bonos sapientes

Capitulum XIII.

De septimo folio vitis sive verbo Christi in cruce[1].

...io, quare ...istos hoc ...erit.

1. Septimum et ultimum folium vitis nostrae et septima citharae chorda ultimum fuit verbum amantissimi Iesu: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*[2]. Littera plana est. Quid est autem, quod ille coaeternus et consubstantialis Patri Filius animam suam ita manifeste in manus Patris commendabat, cui non minus commendata esset, etiamsi[3] hoc non dixisset? Profecto, quamvis sciret, animam suam sanctissimam Patri esse commendatam, qui paulo ante[4] dixerat: *Venit princeps mundi huius*, id est satanas, *et in me non habet quidquam;* voluit animam suam Patris manibus commendare, ut erudiret nos, qui terra sumus et cinis[5], quatenus spiritum nostrum disceremus Patris aeterni manibus commendare, ne ab huius mundi principe, cum a corpore egressus fuerit, comprehendatur, qui in nobis heu, non pauca inveniret, quae ad ipsum pertineant; cum ipse, qui peccato nihil debebat, immo etiam peccata tollere advenerat[6], spiritum suum sanctum purissimum a corpore purissimo egressurum non utique necessitatis, sed exempli gratia Patris sui manibus commendaret.

Capitulum XIV.

De tertia similitudine vitis quoad flores[7].

...nis incarnationis.

1. Propterea *exinanivit semetipsum* Filius Dei, *formam servi accipiens*[8], et plantatus est in terra nostra et corporis nostri deformitatem accepit et fronduit, floruit, fructus plurimos attulit, ut per hoc, quod nostrae humanitati unitus fuit, Deitati suae nos uniret. Sed quia sine flore non pervenitur ad

---

et potentes in terra nostra periisse, quia ad bonorum operum consummationem non pervenerunt! « Est enim alius alio iustior » [August., in Ioan. Evang. tr. 67. n. 2.], *et nescit, utrum amore vel* [A cum Vulgata *an*] *odio dignus sit* [Eccle. 9, 1.]. Quare? Quia ignorat, si perseveraturus sit, si coronandus sit. Est autem efficax medicamentum, quod huic timori apponamus, videlicet fiduciam, spem et fortitudinem nostram ponamus in eo cui canit Psalmus [58, 18; A *Psalmista*]: *Adiutor meus, tibi psallam, quia Deus susceptor meus es, Deus meus, misericordia mea;* et de quo Isaias [12, 2.]: *Ecce, Deus Salvator meus, fiducialiter agam et non timebo, quia fortitudo mea et laus mea Dominus et factus est mihi in salutem.* Quicumque enim ceciderunt, ideo profecto ceciderunt, quia magis de se quam de Deo praesumserunt. Aedificaverunt quippe *domum* intentionis suae et operationis suae [ita A; ed. 1 et Bon. omittunt *et operationis suae*] *super arenam.* Imminente ergo tempestate tentationum, *venerunt flumina*, id est concupiscentiae transitoria persuadentes appeti [ita A; Bon. cum ed. 1 *transitoriae persuadentes appetitum*], *et flaverunt venti* superbiae et vanae gloriae, *et cecidit* domus illorum, id est [ita A; Bon. cum ed. 1 *et*] omnia facta eorum destructa sunt, quia super arenam, id est semetipsos aedificaverunt [Matth. 7, 26. seq.], de propriis nimirum viribus confidentes. Nos autem multo melius fundamentum ponentes, illud [ed. 1 *illum*] scilicet, de quo Apostolus [I. Cor. 3, 11.]: *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus*, securi aedificemus super illud bona opera, quae, quamdiu illi inhaeserint fundamento, corruere non poterunt, donec, ipso adiuvante qui coepit, ad consummationem debitam perducantur.

[1] Cod. A *De septima verbo*, Bon. *De septimo folio vitis*, quibus ed. 1 addit *seu de ultimo verbo Christi in cruce: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.*

[2] Luc. 23, 46. — Superius post *citharae* Bon. legit: *nostrae chordae ultimum verbum, id est amantissimi Iesu est: Pater* etc., qui etiam subinde omittit *Littera plana est.* Ed. 1 cum A: Nunc vero ultimum folium vitis nostrae vel ultimam chordam citharae nostrae consideremus, ut [A *et*] indelebili memoriae commendemus, immo et ore indefesso semper ruminemus. *Pater*, ait bonus ille Iesus, *in manus tuas commendo spiritum meum.* Littera plana est etc.

[3] Bon. cum ed. 1 *commendata etiam esset, si.* Subinde post *dixisset* ed. 1 et A addunt: In Evangelio Ioannis [11, 41. seq.] habemus, quod cum Dominus Iesus suscitaturus esset Lazarum, dixit: *Gratias tibi, Pater, ago, quia semper me audisti; ego autem scio* [ex A supplevimus *quia semper... scio*], *quia semper me audis; sed propter astantes dixi, ut* [A addit *et*] *ipsi credant, quia tu me misisti.* Ita profecto et nunc. Quamvis sciret etc.

[4] Ioan. 14, 30. — Superius pro *Patri esse commendatam* (ita C) alias *Patris esse manibus commendatam.*

[5] Cfr. Gen. 18, 27, ubi Abraham ait: Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis. — Superius pro *voluit* [Bon. addit *tamen*] *animam... commendare* ed. 1 cum A *tamen.* Inferius pro *quatenus... disceremus* (ita C D E) Bon. *ut... discamus*, ed. 1 cum A *ut... disceremus*, et pro *inveniret* (ita C D E) alias *inveniet.*

[6] Ioan. 1, 29: Ecce, qui tollit peccatum mundi. — Inferius pro *commendaret* (ita C D E) alias *commendavit*, ubi etiam Bon. cum ed. 1 et A, ceteris codd. refragantibus, plura addit, quae infra post opusculum in additamento IV. exhibemus.

[7] Bon. *De iucunditate florum vitis*, quibus ed. 1 addit *id est de virtutibus Christi.* Cod. A legit: *Quomodo vitis floruit.* Cfr. infra post opusculum additamentum IV. n. 51.

[8] Phil. 2, 7. — Cfr. supra c. 1 n. 2, ubi de plantatione vitis.

Flores significant virtutes.

fructum, floruit benignissimus Dominus meus Iesus. Qui sunt eius flores nisi virtutes? Floruit autem admirabiliter et valde singulariter et excellenter vitis haec inclyta, non uno florum genere, sicut aliae vites et arbores, sed omnium in se florum speciem continebat[1]: violam scilicet humilitatis, lilium castitatis, rosam patientiae et caritatis et crocum abstinentiae[2]. — Verum omissis aliis, de *rosa* prosequamur.

Floruit (vi- virtutu speci-

Capitulum XV.

De flore rosae rubentis et ardentis in genere[3].

Rosa rubens, ardens et roscida.

De fletu Christi admonitio.

1. Floret in vite nostra, benignissimo[4] Iesu, rosa *rubens* et *ardens*, *rubens* sanguine passionis, *ardens* igne caritatis, *roscida* effusione lacrymarum dulcis Iesu. — Flevit enim et contristatus est gaudium meum, immo gaudium Angelorum, optimus Iesus, *qui,* ut ait Apostolus[5], *in diebus carnis suae offerens vota supplicationesque ad eum qui possit eum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis, exauditus est pro sua reverentia.* Audis, cor non carneum, sed lapideum, illum magnum Iesum et optimum in diebus carnis suae, quam pro me assumserat, lacrymis maduisse, et adhuc aridum permanes? O cor durum, audis, commoveri pro te ad lacrymas qui *in aeternum non commovebitur*[6], nec adhuc ad lacrymas tu commoveris? — Addam et ignem caritatis et sanguinem passionis, si forte calefias, si emolliaris, ut dulcissimo Iesu pro lacrymis suis et sanguine effuso saltem lacrymas effundas[7]. — Addam adhuc malleum gravem et incudes ferreas incutiam tibi, ut saltem vel sic movearis. Nam si esses *ut terra sine aqua*[8] aridum, leviter posses emolliri, solis perfusum lacrymis dulcissimi Iesu; si autem a facie frigoris iniquitatum multiplicium induratum esses in rigorem lapidis, addo instrumenta fortia, malleum crucis et incudes clavorum ferreorum, ut illis tibi incussis scindaris et fontem salubrem lacrymarum effundas.

De igne et sanguine et instrumentis passionis.

Increpat corda du-

2. Quodsi nec commoveris adhuc, *cor durum et impoenitens*[9], durius es silice in deserto, qui a Moyse bis percussus virga, emisit aquas largissimas, praesertim cum malleus crucis validior sit ad feriendum quam virga Moysi, et tres clavi ferrei ter percussi validiores et efficaciores esse debeant ad aquam eliciendam quam percussio virgae Moysi geminata[10]. — Si vero adhuc permanes inconcussum, eo quod in adamantis duritiem sis conversum, qui solo haedi sanguine potest emolliri[11], affero tibi haedi pariter et *Agni incontaminati,* optimi Iesu, sanguinem copiosum, calore incomparabili caritatis ferventem, quia sua fortitudine illum adamantinum parietem inimicitiarum

Saltem sanguine Christi emollienda.

---

[1] Bon. cum ed. 1 et A, refragantibus ceteris codd., hic addit: Aliorum enim Sanctorum [A addit *alius alio humilior*] alius alio castior, alius alio patientior, alius alio in caritate ferventior; ista vero vitis omnibus Angelis et hominibus in humilitate, patientia, castitate, caritate et ceteris virtutibus omnibus praeeminebat. Habuit ergo [A *igitur in se*] vitis ista [A repetit *vitis*] vera non unius, sed omnium florum speciem.

[2] Bon. cum ed. 1 et A, ceteris codd. refragantibus, *florem abstinentiae, quam* [A *quem*] *crocum appellamus,* et deinde adduntur quae infra post opusculum exhibemus in additamento IV: *Quam iucundus* etc. (secundum ipsum a c. 16. n. 51. in fine usque ad c. 33. n. 121.).

[3] Bon. *De rosa rubente et ardente,* ed. 1 *De flore caritatis seu rosa rubente et ardente.*

[4] Cod. A *Floruit in vite nostra benigna,* omisso *Iesu.* Inferius pro *roscida* (ita Bon. cum ed. 1) C D E *rosida;* cfr. Forcellini, Lexicon etc. et Du Cange, Glossarium etc.: *Rosidus,* rore plenus... Legendum est *roscidus,* ut est apud Virgilium.

[5] Hebr. 5, 7. Pro *vota* D E cum Vulgata *preces.* — Subinde respicitur Ezech. 11, 19. et 36, 26, ubi de corde *carneo* et *lapideo.* — Superius post *contristatus est* Bon. cum ed. 1 contra C D E addit *propter me.*

[6] Psalm. 124, 1. Bon. cum ed. 1 *qui in aeternum stat et non commovebitur.* Cfr. supra Opusc. III. Lignum vitae n. 14. — Superius post *quam pro me* ed. 1 et Bon. addunt *redimendo* et subinde loco *pro te* substituunt *pro me.*

[7] Codd. D E *refundas,* Bon. cum ed. 1 *sanguinis effusione solas saltem lacrymas rependas.* Quae sequuntur usque ad *Quod si nec commoveris adhuc* (n. 2.) omittuntur ab H.

[8] Psalm. 142, 6. — Subinde alludi videtur ad Ps. 147, 17: Ante faciem frigoris eius etc. — Pro *aridum* D E *arida.* Bon. cum ed. 1 legit: Adhuc addam et malleum gravem et cuneos ferreos incutiam tibi, ut scindaris. Nam si tu, cor, sicut terra sine aqua exaruisses, utique vel leviter posses emolliri solis perfusum lacrymis lacrymantis Iesu; si autem a facie frigoris iniquitatum induratum es in rigorem lapidis, addo instrumenta fortia, malleum crucis et cuneos clavorum ferreorum etc. Pro *instrumenta fortia* A *instrumenta fortiora.*

[9] Rom. 2, 5, post quem respicitur Num. 20, 11: Cumque elevasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem, egressae sunt aquae largissimae etc.

[10] Gregor. Turon., l. Miraculorum, de Gloria Martyrum, c. 6: Clavorum ergo dominicorum gratia quod *quatuor* fuerint, haec est ratio: duo sunt affixi in pedibus et duo in plantis. Cfr. de numero clavorum (utrum *tres,* an *quatuor*) Benedict. XIV., l. de Festis Domini nostri Iesu Christi, c. 7. n. 87. — Superius pro *ter percussi* (ita C D E) ed. 1 *tibi incussi,* Bon. *percussi,* qui etiam cum ed. 1 et A vocibus *aquam eliciendam* interserit *lacrymarum.*

[11] Ut narrant Plin., XX. Histor. natur. c. 1. et XXXVII. c. 15. (alias 4.); Hieron., III. Comment. in Amos 7, 7. seqq.; August., XXI. de Civ. Dei, c. 4. n. 4; Isidor., XVI. Etymolog. c. 13. n. 2. — Subinde respicitur 1. Petr. 1, 19: Agni immaculati Christi et incontaminati; Eph. 2, 14: Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum et medium parietem maceriae solvens, inimicitias in carne sua etc. — Inferius pro *calore incomparabili* [ed. 1 *incomparabilis*] *caritatis ferventem* Bon. cum C *calore incomparabilis* [C *incomparabili*] *caritatis fluentem.*

positum inter Deum et hominem omnino comminuit et dissolvit; qui paries per tot annorum millia duruerat [1], ut nec Lege nec Prophetis ipsum diversorum praeceptorum et comminationum malleis percutientibus fuerit comminutus. Sed accedente sanguine haedi et Agni nostri, amabilis Iesu, non tantum perforatus est, sed etiam destructus. — Dicitur autem Dominus Iesus esse *haedus*, qui est immundum animal, quia naturam [2] gestabat plenam in nobis immunditiis peccatorum, in ipso vero nihil peccati habentem; propter eximiam vero munditiam suam *Agnus* est, qui non solum non habet peccatum, sed et totius *mundi tollit peccata* [3].

…e voce haedus.

Hortatio.

3. Huius ergo haedi et Agni nostri copioso sanguine te, o cor adamantinum, immerge [4], iace in illo, ut calefias, calefactum molliaris, emollitum vero fontem lacrymarum emittas. Quaeram ergo mihi, et tunc [5] inveniam, fontem lacrymarum in lacrymis, in cruce et clavis, postremo et in sanguine rubicundi, mitissimi Iesu. Legam ergo et intelligam, quantum ipse annuerit, ruborem carnis et animae *dilecti ex dilecto* [6], amantissimi Iesu. Rubuit enim in utroque: in carne quidem ex natura, quia naturaliter omnis caro rubea est; nec minus sanguine passionis, quo carnem suam, nostra caritate compellente, tam crebro et tam copiose perfudit, quas etiam sacratissimi sanguinis effusiones in superioribus [7] constat frequenter nos explicasse. Unde videtur modo in his minime immorandum, ne lectori fastidium generetur.

Continuatur.

4. Quis igitur, nisi totus caro et sanguis et qui in se nihil habeat spirituale, sanguinem istum fastidiat? Quis volens *de sanguinibus* [8], id est peccatis per carnem et sanguinem contractis, liberari, istum saluberrimum sanguinem Iesu purissimi non affectetur? Quicumque semel illo dulcissimo sanguine fuerit inebriatus, quem *paravit in dulcedine sua pauperi Deus* [9], nonne magis ac magis sitiet, audiens et intelligens veram vocem Sapientiae Dei, Unigeniti Patris, optimi Iesu dicentis: *Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient?* — Si verum est, immo quia verum est, humano sanguini prae ceterorum animalium sanguine tantam naturaliter inesse dulcedinem, ut, cum semel a bestiis [10] quibuslibet gustatus fuerit, illum semper de cetero gustare desiderent, ita ut aliis animalibus postpositis sanguini insidientur humano et in mortem suam pro illo corruant acquirendo; quid, credis, in se habere dulcedinis sanguinem illius Filii hominis, veri Dei et veri hominis, dulcissimi Iesu? Ecce, sitiunt irrationales bestiae sanguinem hominis, et ego non sitiam sanguinem Dei et hominis, optimi Iesu? Bestiae, quanto plus gustaverint, tanto plus sitiunt sanguinem humanum; et ego fastidiam sanguinem Dei et hominis, benignissimi Iesu? Bestiae ruunt in mortem suam, dulcedinem humani sanguinis acquirendo; ego non festinabo ad vitam meam, ad sanguinem *candidi et rubicundi* Iesu [11]? — Immo vere festinabo et bibam et *emam absque ulla commutatione vinum*

Similitudo.

---

[1] A verbo *dureo* sive, quod idem valet, *duresco;* Cfr. Ovid., II. Metamor. v. 831: *Oraque duruerant.* Bon. cum ed. 1 contra C D E *duraverat,* qui etiam, immediate post omisso *ut*, subinde pro *fuerit comminutus* substituit *aliqualiter fuerat comminutus.*

[2] Ed. 1 cum A *carnem nostram.* Subinde pro *plenam in nobis immunditiis peccatorum* (ita Bon. cum ed. 1 et A) C D E *in nobis* [fortasse addendum *ortam*] *ex immunditiis peccatorum*, et pro *nihil peccati* ed. 1 *nihil eiusmodi.*

[3] Ioan. 1, 29. Ed. 1 *tulit peccata.*

[4] Ed. 1 *inungere et immergere*, quae etiam inferius pro *emittas* cum A substituit *effundas;* dein cum A et Bon., codd. C D E F H refragantibus, addit: Copiosa autem aqua opus est, ut reficiatur *populus* meus *et iumenta* [cfr. Num. 20, 11.]. Est autem *populus* meus motus animi mei rationales, quaerentes ea quae tantum spiritui meo conveniunt. Habeo et *iumenta*, nempe [A *id est*] alias cogitationes, quae circa carnem occupantur, quae animae tenentur servitutem impendere ut iumentum; quas utrasque cogitationes decet refici fonte lacrymarum, *ne in via* vitae huius *deficiant* [Matth. 15, 32.], vel a recto itinere declinent, ut quod bonum est in eis confortetur, et [A *quod*] sordidum abluatur, quae virtus utraque in lacrymis invenitur.

[5] Ita C D E; ed. 1 cum A *et utinam*, Bon. legit: *Quaeram ergo eum et tunc.*

[6] Cant. 5, 9: Qualis est dilectus tuus ex dilecto. — Pro *annuerit* et *carnis* D E *attulit* et *caritatis* (!); C H hanc propositionem omittunt.

[7] Cap. 2. n. 1; c. 4. n. 2. seq.; c. 5. n. 3. seq.; c. 9. n. 2. etc. — Ed. 1 cum A *in superioribus nos frequenter meminimus explicasse.* Eadem ed. 1 cum A et Bon. contra C D E superius post *Rubuit enim in utroque* supplet *id est tam in corpore* [A et Bon. *carne*] *quam in anima.* Inferius C et ed. 1 omittunt *modo*, quod praebent A D E, pro quo Bon. *hic*, in nota adiecta insinuans: « sed *hic* addendum, quia de his c. 17. seqq. data opera fusius acturus est ».

[8] Ioan. 1, 13: Qui non ex sanguinibus etc. — Hanc propositionem Bon., refragantibus A C D E et ed. 1, ita exhibet: « Nemo contradicat, sed istum sanguinem Iesu purissimi nunc affectet ». Vocibus *istum saluberrimum* ed. 1 cum A interserit *purissimum* et pro *affectetur* (ita C) A D E et ed. 1 substituunt *affectet.*

[9] Psalm. 67, 11. — Subinde allegatur Eccli. 24, 29.

[10] Sensu strictiori acceptis. Isidor., XII. Etymolog. c. 2. n. 1, sequens Augustinum, III. de Gen. ad litt. c. 11. n. 16, ait: *Bestiarum* vocabulum proprie convenit leonibus, pardis, tigribus... ac ceteris, quae vel ore, vel unguibus saeviunt, exceptis serpentibus. *Bestiae* autem dictae a vi, qua saeviunt. Cfr. Hieron., I. Comment. in Habacuc 1, 15. seqq., ubi de bestiis dicit: « quae gustatum semel sanguinem semper sitiunt ». — Superius Bon. contra A C D E et ed. 1 omittit *immo quia verum est;* cfr. supra c. 3. n. 4, ubi simile habetur: *Si, immo quia caput meum Christus est.* Inferius pro *quid, credis, in se habere* (ita C D E) ed. 1 cum A *quantum in se credis habere*, Bon. legit: *quid faciendum ei, qui credit, se habere in se sanguinem* etc.

[11] Cant. 5, 10: Dilectus meus candidus et rubicundus. — Superius pro *dulcedinem humani sanguinis acquirendo* (ita C D E) ed. 1 cum A *dulcedine sanguinis humani attractae*, Bon. *pro dulci humano sanguine acquirendo* et omissa seq. propositione prosequitur: *et ego non festinabo et emam absque ulla* etc.

et lac [1], quae nobis *sapientia* Patris altissimi, benignissimus Iesus, *miscuit in cratere* carnis suae, sanguinem scilicet pretium vitae nostrae. *Properate* et mecum qui diligitis dilectum Iesum; *emite* [2] *non corruptibilibus auro et argento*, sed commutatione morum et conversationis vestrae *vinum* illud et *lac*, sanguinem purissimum, inebriantem perfectos ut *vinum* et ut *lac* parvulos nutrientem [3]. Si *perfectus*, si fortis es, vinum est tibi sanguis Iesu, sanguis uvae meracissimus; si adhuc *infirmus*, cui opus sit lacte, lac est tibi ad nutriendum te. Bibe ergo *sanguinem* hunc *meracissimum* [4] !

Hortatio.

Capitulum XVI.

De rosa caritatis.

Ardor caritatis inaestimabilis.

1. Viso de rosa, videndum est de caritate et passione [5]. Ardorem rosae caritatis perpendimus, si diligentius videamus, *quis, quare, quales, quantum* amaverit amator misericors et mirabilis, amator noster ille, quo nihil maius, quo nihil ditius, nihil fortius, cui omnis spiritus confitetur, quoniam *Deus meus es tu* [6]. In hoc verbo bene comprehenditur, *quis* amator sit: quia *Deus;* et *quare* amaverit, ex verbo sequenti elicitur, quia non amavit nos, ut nostri aliquid acciperet, quia *bonorum nostrorum non indiget,* sed gratuita caritate sua. Quod si aliquid etiam in nobis boni esset, quod ille appeteret, non hoc a nobis, sed ab illo haberemus [7]. *Quales* autem nos amaverit, exponit ille qui ait [8]: *Cum adhuc,* inquit, *inimici essemus, reconciliati sumus Deo.* Iustus enim iniustos, pulcher foedos, *solus bonus et pius* [9] peccatores et impios adamavit. O quanta dignatio! Iam vero *quantum* amaverit, videamus. Quis vero hoc sufficienter dicat?

Capitulum XVII.

De rosa passionis.

Notandum.

1. Ecce, in expositione huius verbi [10] necessarium habemus rosam passionis rosae caritatis coniungere, ut rosa caritatis in passione rubescat, et rosa passionis igne caritatis ardescat. Tantum enim dilexit nos noster dilector, ut, caritatis ardore cogente, ruborem passionis incideret *traderetque in mortem*

---

[1] Isai. 55, 1. Codd. C D E omittunt *vinum et lac;* ed. 1 cum A legit: Immo vere festinabo, emam et bibam; *emam absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac* [ed. 1 *mel*]. — Deinde allegatur Prov. 9, 2. secundum Septuaginta: *Sapientia miscuit in cratera vinum suum.* Pro *in cratere carnis suae* ed. 1 *in cratere cordis sui,* et pro *pretium vitae nostrae* C D E *praemium vitae nostrae.*

[2] Isai. 55, 1: Properate, emite. — Sequitur I. Petr. 1, 18: Scientes, quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione etc. — Pro *et conversationis vestrae* [C *vitae*] A *id est conversationis vestrae.*

[3] Hebr. 5, 13. seq.: Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiae; parvulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus etc. Cfr. I. Cor. 3, 2. — Bon. *vinum et lac, vinum sanguinem purissimum, inebriantem perfectos, et lac parvulos nutriens.*

[4] Deut. 32, 13. seq., ubi Moyses in cantico suo dicit, quod Dominus populum suum « constituit super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum... et sanguinem uvae biberet meracissimum ». — Bon. cum ed. 1 et A, ceteris codd. refragantibus, hic addit: fide, memoria et intuitu spirituali. Ecce, sub compendio iterum [ex A supplevimus *iterum*] iterumque reduco tibi multiplicem sanguinis effusionem [A addit *boni et*] largissimi Iesu, qua rosam passionis et caritatis suae rubricavit. Caritatis quidem illius ardorem humanus comprehendere non sufficit intellectus, nisi quantum ex passione ipsius, quae cunctis apparuit, comprehendit.

[5] Bon. *Viso ergo de rosa sanguinis, videndum est de rosa caritatis, deinde passionis;* ed. 1 cum A *Verumtamen prius* [A *primum*] *de rosa caritatis, quam* [A *consequenter*] *de rosa passionis videamus.* Subinde voci *caritatis* Bon. contra A C D E et ed. 1 praefigit *ruborem et flammam ineffabilis,* qui etiam pro *perpendimus* (ita C D) cum ed. 1 et A substituit *perpendemus.*

[6] Psalm. 15, 2: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. — Bon. cum ed. 1 et A superius post *amator* [quod D E omittunt] *misericors et mirabilis* novam propositionem incipit, legens: *Amator noster est ille, quo nihil* etc. Nostra lectio probatur a C D E. Subinde pro *In hoc verbo bene* [ita C] A D E et ed. 1 *In hoc brevi verbo* [ed. 1 *versu*], Bon. *In hoc vero bene,* qui etiam pro *ex verbo sequenti* substituit *ex consequenti;* pro *gratuita caritate* [E *bonitate*] *sua* ed. 1 cum A *gratuita gratia sua.*

[7] Cod. A addit: *Quid enim habemus, quod non accepimus* [I. Cor. 4, 7.]? Cfr. supra Opusc. VI. de Perfectione vitae ad sorores, c. 2. n. 2.

[8] Rom. 5, 10: Cum inimici essemus etc.; cfr. ibid. v. 8: Cum adhuc peccatores essemus. Bon. duos hos locos coniungit legens: *Cum adhuc peccatores et inimici* etc. Cfr. supra Opusc. II. Soliloq. c. 1. n. 31. — Pro *Quales* ed. 1 *Qualiter,* quae etiam post *nos amaverit* cum A et Bon. addit *amator noster.*

[9] Iudith 11, 6: Quoniam tu solus bonus. Apoc. 15, 4: Quia solus pius es. Codd. C D E *solus Dominus et pius.* — Ed. 1 et Bon. omittunt *pulcher foedos.*

[10] Scilicet *quantum* nos amaverit. Bon. omittit *verbi* et pro *necessarium habemus* substituit *debemus.*

T… Christi …rit est pas- …sio

animam suam[1], *mortem autem crucis* non breviter transeuntis, sed a principio ortus sui usque in finem mortis durissimae perdurantis. Omnia ergo, quae passus est bonus Iesus *in diebus carnis suae*[2], ad ruborem utique pertinent rosae passionis, quamvis effusionibus crebris sacratissimi sanguinis ipsius specialiter fuerit rubricata. Sed quia omnia, quae passus est, enumerare non possumus, sanguinis effusiones salutiferas non pigeat iterare, ut quae iugiter sunt memoranda memoriae arctius imprimantur.

Septem effusiones sanguinis.

Capitulum XVIII.

De prima effusione sanguinis Iesu Christi[3].

…umcisio- Christi …ificatio.

1. Primam igitur sanguinis effusionem legimus in circumcisione, quando fuit *nomen eius vocatum Iesus*[4], iam tunc mystice significando, quod effusione sanguinis sui nobis futurus erat verus Iesus, id est salvator. Audiant et intelligant tam pueri teneri quam puellae, et frequenter eorum mentibus inculcetur maturum martyrium innocentis Iesu. Unde et Isaias[5] de nativitate eiusdem nostri dulcissimi Iesu loquens, ait: *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis, cuius imperium super humerum eius,* crucem, quam *imperii* nomine significavit, nativitati statim adiungendo, quia profecto a nativitatis exordio nativitas crucis simul exorta est. Non modicum enim pertinet ad commendationem rubicundae passionis, quod Dominus noster in alieno loco, in media hieme, in medio noctis, extra diversorium, a Matre paupercula natus est[6]. Et licet ibi sanguis eius effusus non sit, tamen post, parvo intervallo temporis, id est septem dierum spatio, subsecutum est.

Commendatio caritatis.

2. O quanta commendatio caritatis[7]! Vix natus est caeli gloria, caeli divitiae, caeli deliciae, dulcissimus et amantissimus puer Iesus, et ecce, recenti ortui crucis ignominia, crucis dolor, crucis paupertas maxima copulatur. Sed redemit miseriam crucis *imperii* nomen verum. Cruce enim totum mundum simul et infernum subiugavit qui *regnavit a ligno*[8] fortis Iesus; propter crucem *usque ad mortem humiliavit semetipsum, factus obediens* Patri; *propter quod exaltavit illum Deus* Pater *et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* — Bene igitur in prima sanguinis Agni purissimi effusione aptatum est hoc nomen Iesus[9], quoniam pro nostra salvatione sanguis fundi coepit, qui in completione salutis totus fuerat effundendus.

Congruit nomen Iesus.

---

[1] Phil. 2, 30: Quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam. Ibid. v. 8: Obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. — De iis quae immediate post sequuntur cfr. supra c. 5. n. 2, quae respicientes ed. 1 et Bon. cum A, ceteris codd refragantibus, post *perdurantis* addunt: Sicut etenim superius vestrae commendavimus caritati, crux optimi Iesu Christi non tantum fuit unius diei, sed tota vita illius crux fuit et martyrium.

[2] Hebr. 5, 7. Cfr. Bonav., Comment. in Luc. 22, 44. n. 56. — Inferius vocibus *non pigeat* Bon. cum ed. 1 et A praefigit *nos* et voci *memoriae* praemittit *tenaci;* pro *arctius* Bon. *acrius.*

[3] Bon. cum ed. 1 et A *De septem effusionibus sanguinis vitis nostrae, Iesu Christi.*

[4] Luc. 2, 21. Cfr. supra c. 2. n. 1. — De etymologia nominis *Iesu*, id est salvator, cfr. supra pag. 92, nota 7. — Pro *mystice significando* ed. 1 *mysterio hoc significante*, et pro *futurus erat* (ita C D E) alias *futurus esset.*

[5] Cap. 9, 6, qui allegatur secundum Missale Romanum (Introitus Missae tertiae in Nativ. Domini) et Libr. antiphonar. Gregorii (antiph. in die Natalis Domini). Vide Tertullian., adversus Iudaeos, c. 10. Vulgata: Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius. Hieron., hunc locum exponens, ait: Nunc dicit *factum illius principatum super humerum eius*, vel quod crucem suam ipse portaverit, vel per humerum ostendens brachii fortitudinem. — Inferius pro *nativitas crucis* (ita A C D E) Bon. cum ed. 1 *passio crucis.*

[6] Cfr. Luc. 2, 7. seqq. — Pro *extra diversorium* ed. 1 *in stabulo diversorii*, Bon. *extra diversorium, in stabulis animalium.* Ed. 1 cum A propositionem seq. coniungens cum praecedenti prosequitur: *licet ibi sanguis eius effusus non fuerit, quod tam parvo* etc. Bon. legit: *Et licet ibi nullus sanguis eius effusus fuerit, nihilominus tamen post parvum temporis intervallum, id est septem dierum spatium, subsecutus est.*

[7] Ed. 1 cum A *O quanta caritas! O quanta commendatio caritatis!*

[8] Psalm. 95, 10, ubi Cassiodor. ait: « *A ligno* alii quidem non habent translatores, sed nobis sufficit, quod septuaginta interpretum auctoritate firmatum est ». Iustin., Dialog. cum Tryphone Iudaeo, n. 73, ait: « Et ex Psalmo Davidis nonagesimo quinto perpauca haec abstulerunt [Iudaei] *a ligno* ». Alii (cfr. Calmet in hunc loc.) censent, haec verba *a ligno* prius in margine a quodam posita postea textui inserta fuisse. Ipsa exhibentur a Tertulliano, adversus Iudaeos, c. 10. et 13; August., Enarrat. in Ps. 95. n. 11; Leo I, Serm. 6. de Passione Domini, c. 2; Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 6. n. 13. — Sequitur Phil. 2, 8. seq. Bon. cum ed. 1 et A legit: *propter enim crucem, ad quam humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem* [ed. 1 cum A omittit *usque ad mortem*], *exaltavit illum* etc.

[9] Bon. *appellatum est nomen eius Iesus;* ed. 1 cum A prosequitur: *eo quod iam tunc pro salute nostra sanguinem fundere* [A *sanguis fundi*] *inciperet, qui in completione salutis nostrae totus erat effundendus.*

Capitulum XIX.

De secunda effusione sanguinis.

Sudor sanguineus agonizantis.

1. Secunda sanguinis dulcissimi Iesu effusio, qua passionis rosa coloratur, invenitur in sudore sanguineo orantis et agonizantis Iesu; quia [1] *factus in agonia prolixius orabat, et factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.* Cessent omnes ceterae sanguinis effusiones, nunquid haec sola non poterit rosam nostram sufficienter rubricare? Vere potest. — Contremisce et scindere, cor meum miserum, et sanguineis lacrymis immadesce [2], quia ecce, Creator meus pro me sanguineo sudore perfunditur, nec levi quidem, sed decurrente in terram. Vae misero cordi, quod tali ac tanto sudore perfusum non madescit! Inspice tribulationem mitissimi illius cordis [3], qua angebatur, cum totum corpus ex omni parte sanguineo sudore manaret. Neque enim corpus extrinsecus tanto talique sudore deflueret, si cor intrinsecus illius doloris molestia non frangeretur. *Contritum est,* inquit Propheta [4], *cor meum in medio mei.* Scisso ergo corde interius, scissa est exterius pellis veri Salomonis, amantissimi Iesu, et effusus est sudor sanguineus super terram. Rubricata est rosa caritatis et passionis Christi, rubicundi Iesu. Ecce, quam totus *rubicundus* [5]!

Hortatio.

Mysterium huius effusionis exponitur.

2. Nec vacat a mysterio ista sanguinis optimi Iesu effusio generalis. Sudavit enim toto corpore qui nostras tollere venerat infirmitates ex nostro corpore [6] et sanguine contractas, ut ad convalescentiam et sanitatem totius corporis spiritualis, quod est Ecclesia, sufficeret sudor sanguineus ab omni parte corporis capitis nostri Iesu profusus. *Liberati* igitur sumus *de sanguinibus, Deo salutis nostrae* [7], benignissimo Iesu scilicet, pro nobis sanguinem effundente. Vel hoc certe signabat sudor sanguineus, quod in toto corpore, scilicet spirituali, quod est Ecclesia, sanguis erat Martyrum effundendus et Ecclesia erat rubricanda [8].

Aliter.

Capitulum XX.

De tertia effusione sanguinis.

Vellicatio genarum.

1. Tertia sanguinis effusio erat in vellicatione genarum, cuius testimonium habemus in Propheta [9] dicente ex persona amabilis Domini Iesu: *Corpus meum dedi percutientibus, genas meas vellentibus;* quod quidam exponunt de laceratione maxillarum facta cum unguibus impiorum Iudaeorum, quidam vero de extractione barbae Domini Iesu; quod, sive utrumque sive alterum verum sit, non tamen sine effusione sanguinis factum est [10]. Video ergo sacrilegas manus impiissimae gentis, non saturatas colaphis et

---

[1] Ut dicitur Luc. 22, 43. seq. Ed. 1 cum A *Ita enim dicit Evangelista: Et factus* etc.

[2] Ed. 1 *Vere potest conscindere cor meum miserum et sanguineis lacrymis madefacere.* Inferius pro *nec levi* C *nec leni.*

[3] Ita ed. 1 cum A; C D E omittunt *cordis.* Bon. legit: *illius qui agonizabat,* et dein cum ed. 1 *cum toto corpore ex omni parte sanguineus sudor manaret.*

[4] Ier. 23, 9. Cfr. supra Opusc. III. Lignum vitae, n. 18. et Opusc. VI. de Perfectione vitae ad sorores, c. 6. n. 5. — Subinde alluditur ad Cant. 1, 4: *Sicut pelles Salomonis.* — Superius pro *si cor intrinsecus illius doloris molestia non frangeretur* (ita C D E) alias *si cor intrinsecus nullius doloris molestia frangeretur.*

[5] Cant. 5, 10: Dilectus meus candidus et rubicundus. — Bon. cum ed. 1 et A *Ecce, quam rubicundus et quam totus rubicundus!*

[6] Ed. 1 *ex carne nostra.*

[7] Psalm. 50, 16: Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae. Bon. *a Deo salutari nostro,* ed. 1 *Deo gratia sit, auctori salutis nostrae benigno Iesu, qui suum pro nobis sanguinem liberalissime effudit.* Nostra lectio praebetur ab A C D E. Bernard., Serm. 3. in dominica palmarum, n. 4: Non solis oculis, sed quasi membris omnibus flevisse videtur, ut totum corpus eius, quod est Ecclesia, totius lacrymis corporis purgaretur.

[8] Haec expositio est secundum August., Enarrat. in Ps. 93. n. 19. et in Ps. 140. n. 4. — Superius post *sudor sanguineus* ed. 1 cum A addit *a toto corpore capitis nostri effusus,* Bon. *ab omni parte capitis nostri effusus.*

[9] Isai. 50, 6, ubi Septuaginta: Dorsum meum dedi ad flagella et genas meas ad alapas: Cfr. Bonav., Comment. in Ioan. 19, 3. n. 3. Haymo praedictum locum Isaiae explicans, dicit: *Corpus meum dedi percutientibus,* Iudaeis et militibus Romanis, pro salute generis humani, *et genas meas vellentibus.* Genae sunt loca, ubi primum barba nascitur; tunc dedit genas suas sive barbam ad vellendum, quando velaverunt faciem eius et dabant ei alapas [Marc. 14, 65; Luc. 22, 64.], illo non contemnente.

[10] Ed. 1 legit: quidam autem de evulsione barbae Domini. Potest utrumque fuisse verum. Credo non sine aliqua sanguinis effusione id peractum [ultima propositio exhibetur etiam ab A]. Eadem ed. inferius pro *conspuitione* substituit *consputione* et vocibus *vultu dulcissimo* interserit *quoque* [Bon. legit *vultu quoque dilectissimo*].

alapis et conspuitione desiderabilis vultus optimi Iesu, sed etiam ad genarum ipsius vellicationem exarsisse et a vultu dulcissimo ad rubricationem rosae nostrae sanguinem elicuisse. Video, *Agni* illius *immaculati* [1] patientiam admirabilem et imitandam genas pudicissimas impudicissimorum unguibus lacerandas cum omni mansuetudine praebuisse, ut patienter sufferamus, si aliquando nostram *faciem confusio* propter ipsum *operiat* [2].

Capitulum XXI.

De quarta effusione sanguinis.

...c fuit in ...ona spinea.

1. Quarta sanguinis effusio erat in corona immiti spinea non leviter imposita, sed invide impressa capiti dulcissimo nostri Iesu [3]. Satis est enim consentaneum veritati, ut odientes veritatem non solum

...probrium ...supplicium.

opprobrium illius requirerent, sed et supplicium illius. Nec hic puto rivos sanguinis defuisse, qui a capite irrisorie et invide coronato defluxerunt [4] in collum simul et in faciem dulcis Iesu; quoniam, si noluissent coronato simul poenam cum irrisionibus irrogare, facilius de aliis viminibus vel virgulis arboris alicuius potuerunt plexisse coronam. Sed ut morum suorum aculeos demonstrarent, nunc *gloria et honore coronatum* [5] tunc spinarum aculeis coronaverunt Agnum mitissimum, Dominum Iesum. Et licet irrisorie coronaverint, tamen irridentes et ignorantes coronatum regem fatentur, quia regum est proprie corona [6]: ergo rex a nescientibus demonstratur, in spinis vero coronantium malitia exprimitur.

Notandum.

Capitulum XXII.

De quinta effusione sanguinis.

...c fuit in ...ellatione.

1. Quinta sanguinis effusio constitit in crudeli flagellatione mansuetissimi Agni, rosei Iesu [7]. O cum quanta quantitate putas illum sacratissimum sanguinem de conscisso corpore flagellati distillasse in terram! Cum quanta putas saevitia impiorum frementium, quanto fremitu saevientium flagellatum fuisse dulcem Iesum, qui idcirco advenerat, ut nos a flagellis aeternis liberaret! « Sine causa, inquit [8], flagellis ceciderunt me ». Vere *sine causa*, nisi forte miserrimi et perversi bona opera tua poenis digna indicarent, *qui veritatem* in mendacio *detinuerunt* [9].

Eruditio moralis.

2. Sed et his moraliter erudimur, ut flagella beatissimi Patris nostri discamus aequanimiter tolerare, qui pessimorum flagella pro nobis indignis tam patienter sustinuit dulcissimus Dominus noster

---

[1] Epist. I. Petr. 1, 19. — Inferius pro *imitandam* Bon. *inimitandam*, et pro *impudicissimorum* C E *impudentissimorum.*

[2] Psalm. 68, 8: Operuit confusio faciem meam. — Superius post *praebuisse* A prosequitur: *et nobis moraliter documentum praebuisse, ut aliquando nostram faciem operiat confusio propter ipsum, immo et si quis nos caedat in faciem* [II. Cor. 11, 20.] *verbis vel factis propter dulcem Iesum* (consentit ed. 1, paucis mutatis).

[3] Cfr. Matth. 27, 29; Ioan. 19, 2. — Ed. 1 cum A: Quartam sanguinis purissimi effusionem in corona invenire possumus [A *debemus inimici* (!), legendum cum D E *immiti*, licet etiam C ponat *inimici*], in corona spinea, non tamen leviter [A *tantum leniter*], sed valide [A *invide*] impressa capiti dulcissimo capitis mei [A *nostri*] dulcis Iesu. Satis enim consentit veritati etc.

[4] Bon. cum ed. 1 et A *defluerent.* Inferius pro *viminibus* ed. 1 *ramis* (D E omittunt *viminibus vel),* et pro *potuerunt* (ita C D E) alias *potuerant.*

[5] Psalm. 8, 6: Gloria et honore coronasti eum. Cfr. Hebr. 2, 7. Bon. contra A C D E et ed. 1 *non gloria et honore coronatum.*

[6] Ita C D E; Bon. cum ed. 1 et A *coronari* et deinde *Coronatus ergo rex esse a nescientibus* etc. Inferius post *exprimitur* ed. 1 et Bon. cum A, ceteris codd. refragantibus, addunt: Moraliter autem docemur, imitari caput nostrum, regem et ducem nostrum, dulcem [Bon. *dulcissimum*] Iesum. Si autem [A *quando*, Bon. *ergo*] malorum quorumlibet perversitate compungimur et [A *si*] irridemur, cum caput nostrum ita compunctum, ita irrisum conspexerimus [A addit *benignum Iesum*], non murmuremus, non recalcitremus, pauca, quae nobis in vita praesenti et brevi inferuntur, cum omni aequanimitate et patientia sufferendo, ut digni simus esse membra capitis nostri, et [A *ut*] boni bellatores simus, sequendo vestigia signiferi nostri [A addit *rubicundi boni Iesu*].

[7] Cfr. Matth. 27, 26; Marc. 15, 15; Ioan. 19, 1. — Superius pro *constitit* (ita C) Bon. *extitit*, D E *existit*, ed. 1 cum A legit *Quinta rubricatio rosae* [A addit *nostrae*] *invenitur.* Inferius pro *flagellati* ed. 1 *et flagellato*, et pro *distillasse* C D E *distillare.*

[8] Breviar. Roman., dominica Palmar. Resp. ad 9. lect. et feria IV. maior. hebdom. Resp. ad 3. lect. — Hieron., IV. Comment. in Matth. 27, 26: Hoc autem factum est, ut, quia scriptum erat [Ps. 31, 10.]: *Multa flagella peccatorum*, illo flagellato, nos a verberibus liberaremur etc.

[9] Rom. 1, 18: Qui veritatem Dei in iniustitia detinent.

Iesus[1]. Quae enim flagella non sufferret homo *natus ad laborem*[2], in peccatis nutritus et conversatus, hereditati caelestis aulae deputatus, quae non nisi mundos recipit, cum videat Regem omnium regum et Dominum dominantium, amantissimum Iesum, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius*, tam gravibus flagellationibus contritum? *Audi*, homo *stulte et insipiens*, et *erudire*[3] et non solum non refuge, sed apprehende disciplinam, ne pereas de via iusta, Domino tuo irascente, *qui proprio Filio suo non pepercit, sed* propter te *tradidit* flagellandum[4].

Capitulum XXIII.

De sexta et septima effusione sanguinis.

Sexta fuit in fossione clavorum.

1. Sexta sanguinis effusio in fossione clavorum copiosissime invenitur. Quis enim de fossis, immo et perfossis manibus pedibusque[5] innocentis Iesu copiam sacrati sanguinis dubitet effluxisse? In torrentibus huius sanguinis nostra rosa purpuretur, quia hic vere ardentissima caritas, hic rubicundissima passio invenitur. In hac magnitudine passionis magnitudo consideretur caritatis; ardorem rosae caritatis in rubore[6] considera passionis. Quis unquam tam gravia et tam pudenda sustinuit? Deus est, qui patitur, nec in aliquo sibi durum passionis torcular alleviavit[7] qui servis suis vel omnino auferre vel alleviare vires tormentorum consuevit.

Christus parcit aliis, non sibi.

Non parcit sibi qui suis parcere novit. Huius evidentiam rei habes in Evangelio Ioannis[8], ubi tamen, cum ab his qui ipsum venerant captivare, diceretur, quod ipsum quaererent, subiunxit: *Ego sum. Si ergo me quaeritis, sinite hos abire.* O ardor verae, immo verissimae caritatis, quia manifestat[9] et tradit se caritas ipsa saevientibus inimicis, non parcens sibi, rogat pro suis, ut parcatur illis! Captus ergo post plurimas illusiones tam Iudaeorum quam gentium, post sanguinis plurimas effusiones clavis in manibus simul et pedibus perforatur et configitur ligno crucis Salvator noster mitissimus, dilectus Iesus[10]. —

Hortati contemplandam caritatem.

Intuere et respice rosam passionis sanguineae, quomodo rubet in indicium ardentissimae caritatis. Contendunt simul[11] caritas et passio, illa, ut plus ardeat, ista, ut plus rubeat. Sed mirabiliter per ardorem caritatis fit passio rubea, quia, nisi diligeret, non pateretur; et in passione ac[12] passionis rubore ardor maximae et incomparabilis ostenditur caritatis. Sicut

---

[1] Ita A C D E et ed. 1, quae tamen cum A in principio propositionis pro *Sed et his* et pro *beatissimi Patris* substituit *Sed et hic* et *benignissimi Patris;* Bon. vero legit: Sed et his moraliter erudimur, ut, quia flagella pro nobis indignis tam patienter sustinuit dulcissimus noster Iesus, etiam nos flagellis divinis nos subiiciamus.

[2] Iob 5, 7: Homo nascitur ad laborem. — Subinde respicitur I. Tim. 6, 15: Rex regum et Dominus dominantium; et allegatur I. Petr. 2, 22. Cfr. supra Opusc. VII. de Perfectione vitae ad sorores, c. 6. n. 5. — Bon. cum ed. 1: *Quae* [ed. 1 *Quis*] *enim flagella non libenter* [ed. 1 omittit *libenter*] *sufferret homo in flagella paratus* [cfr. Ps. 37, 18.], *ad laborem natus.* Inferius pro *deputatus* ed. 1 cum A *destinatus.*

[3] Ier. 5, 21: Audi, popule stulte; ibid. 6, 8: Erudire Ierusalem. Cfr. Deut. 32, 6: Haeccine reddis Domino, popule stulte et insipiens? — Subinde respicitur Ps. 2, 12: Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, et pereatis de via iusta; et allegatur Rom. 8, 32. — Inferius pro *Domino tuo irascente* (ita C D E) alias *Domino tibi irascente.*

[4] Bon. cum ed. 1 et A, ceteris codd. refragantibus, hic addit: Non pepercit Deus [ex A supplevimus *Deus*] Filio suo [A *proprio*] naturali, consubstantiali sibi et coaeterno et impassibili, quin pro salute tua ipsum faceret nasci in tempore et passibilem [A addit *faceret*] et flagellis contereret, sicut scriptum est [Isai. 53, 10.]: *Dominus voluit eum conterere in infirmitate.* Et quomodo parcet tibi filio adoptivo, cum sensus tui proni sint in malum [cfr. Gen. 8, 21.]? Quin *in camo et freno maxillas* tuas constringet [Ps. 31, 9; A *constringat*], ut saltem *vexatio* det tibi *intellectum* [Isai. 28, 19.], quatenus ad ipsum approximare cogaris, qui licet moleste, salubriter tamen *flagellat omnem filium, quem recipit* [Hebr. 12, 6.].

[5] Psalm. 21, 17: Foderunt manus meas et pedes meos. Cfr. Ioan. 20, 25. et 27. — Superius post *Sexta sanguinis effusio* ed. 1 cum A addit *quae rosam passionis rubricavit.* Inferius pro *purpuretur* ed. 1 *purpurata est*, Bon. ibi legit *dubitet effluxisse, ut in torrentibus huius sanguinis animas nostras purpuraret?*

[6] Ed. 1 *ruborem* pro *in rubore*, Bon. contra A C D E et ed. 1 legit *in ardore rosae caritatis ruborem.*

[7] Isai. 63, 3: Torcular calcavi solus. — Bon. cum ed. 1 et A *alleviat*, a quibus inferius post *vel alleviare* additur *vel breviare*, et pro *Non parcit sibi* a Bon. cum ed. 1 substituitur *Non pepercit sibi.*

[8] Cap. 18, 8. — Inferius pro *captivare* (ita C D E; cfr. Du Cange, Glossarium etc. *Captivare*, abducere) Bon. cum ed. 1 et A *capiendum*, a quibus etiam voci *diceretur* praefigitur *ei.*

[9] Ita C D E; alias *O ardor verissimae caritatis! Manifestat.* Inferius pro *saevientibus* E *venientibus*, qui etiam post *rogat pro suis* addit *crucifixoribus et persecutoribus*, C D *persecutoribus*, quae lectio contextui non congruit; fortasse quaedam exciderunt, et legendum: rogat pro suis, sicut rogavit pro suis persecutoribus, ut parcatur illis.

[10] Haec propositio cum iis quae sequuntur usque ad *exivit sanguis et aqua*, pluribus tamen omissis, exhibetur in festo Ss. quinque plagarum D. N. I. Ch. (feria VI. post dominicam III. Quadrag.) tanquam 4. et 5. lect. ex Bernardo; cfr. supra pag. 159, nota 1. — Superius pro *clavis in manibus* ed. 1 *clavis immitibus, manibus*, quae etiam cum D E omittit *dilectus*, pro quo A *dulcis.*

[11] Ed. 1 cum A omittit *simul*, et inferius ante *rubeat* A C E non repetunt *plus.*

[12] Ita C; alias omittitur *in passione ac.* Post *passionis rubore* ed. 1 prosequitur: *maxima et incomparabilis ostenditur caritas.*

enim rosa per frigus noctis clausa, solis ardore surgente, tota aperitur et foliis expansis in rubore demonstrat ardorem iucundum; ita flos caeli deliciosus, optimus Iesus, qui multo tempore a peccato primi hominis quasi in frigore noctis clausus fuit, peccatoribus nondum gratiae plenitudinem impendens, tandem plenitudine temporis accedente[1], radiis ardentis caritatis accensus, in omni corporis sui parte apertus est, et rosae caritatis ardor in rubore sanguinis effusi refulsit.

2. Vide ergo, quomodo hoc flore rosae floruit rubicundus Iesus! Vide totum corpus; ubi rosae florem non invenies[2]? Inspice unam manum et alteram, inspice pedem unum et alterum, si forte rosae florem invenias; inspice[3] lateris aperturam, quia nec illa caret rosa, quamvis subrubea sit propter mixturam aquae, quia *exivit sanguis et aqua*[4].

[ptima fuit n lateris pertura.]

Ipse enim est, *qui venit per aquam et sanguinem*, optimus Christus Iesus. — O suavissime universorum Domine et Salvator, bone Iesu, quas tibi dignas referam[5] gratiarum actiones, qui a principio ortus tui usque ad mortem durissimam, immo et post mortem pro me tantum tui sanguinis effudisti, qui ardorem excellentissimae caritatis tuae tam crebris sanguinis tui effusionibus manifestare curasti! O quam multo numero foliorum multiplicata et exornata est rosa tua! Quis illa omnia enumeret? Numera[6] guttas sanguinis effusi de dulcissimo latere et corpore amantissimi Iesu, et habebis rosae passionis caritatisque folia enumerata. Singulae enim guttae sanguinis singula folia sunt[7]. — Septimam effusionem dominici sanguinis iam breviter diximus, cum de apertura lateris diceremus[8], unde *exivit sanguis et aqua*, per quae baptismatis accepimus Sacramenta.

[Affectus ad Iesum.]

[Notandum.]

Capitulum XXIV.

Hortatio ad contemplandam passionem et caritatem Christi[9].

1. Confortare nunc igitur, anima mea, et elevare, misera et infirma, et alis fidei et spei ad hunc hortum caritatis enitere et totum mentis intuitum per varia dispersum in unum recollige et apiculae sedulitatem imiteris ad conficiendum tibi mel devotionis; ad paradisum caritatis ascende, ascende, inquam, ad *cor altum*[10], quia ecce, quem quaeris exaltatus est. — Sed ne timeas, *exaltatus humiliatus est*[11]. Non enim elevatus est in cruce, ut se difficilem praeberet accedere ad ipsum volentibus, sed magis, ut posset omnibus paratior inveniri. Accedens ergo cum fiducia ad hunc paradisum, in extensione brachiorum cognosce sustinentis affectum, se ad te et te ad se invitantis amplexus, et quodam modo

[Apis nobis imitanda. Cor Christi ut paradisus caritatis.]

[Fiducia tenenda.]

---

[1] Respicitur Gal. 4, 4: At ubi venit plenitudo temporis etc. — Superius ed. 1 omittit *gratiae* ante *plenitudinem* (cfr. Ioan. 1, 14. et 16.), et inferius pro *radiis ardentis caritatis accensus* (ita A C D) substituit *radiis scilicet ardentis caritatis.*

[2] Codd. D E *florem ita* [supple *florentem*] *non invenies; C florem ita invenies*, Bon. legit: *ubi florem rosae invenies*, ed. 1 cum A, superius pro *floruit* posito *floruerit vitis nostra*, hic substituit: *sicubi rosae sanguineae florem non invenias*, et deinde cum A prosequitur: Inspice manum unam et alteram, si florem rosae invenias in utraque. Inspice pedem unum et alterum, nunquid non rosei [A addit *sunt*]? Ibi Bon. pro *si forte rosae florem invenias* (ita C; conveniunt D E, qui tamen pro *invenias* substituunt *invenies) sic forte rosae florem invenies.*

[3] Cod. A praemittit hanc rubricam: *De apertione lateris Iesu Christi.*

[4] Ioan. 19, 34. Bon. cum ed. 1 et A: quia, sicut narrat Evangelista, *cum unus militum lancea latus eius perforasset, exivit sanguis et aqua.* — Subinde allegatur I. Ioan. 5, 6. Bon. cum ed. 1 et A: Ipse est enim, qui *venit* per aquam, et non per aquam solum, sed *per aquam et sanguinem* etc.

[5] Bon. *digne offeremus*, ed. 1 cum A *condignas referre potero*, quae etiam inferius pro *tantum* [A addit *pretiosissimi*] *tui sanguinis* substituit *pretiosissimum sanguinem tuum.* Subinde pro *manifestare curasti* Bon. *manifestare voluisti.*

[6] Bon. *Nimirum.* Subinde ed. 1 cum A omittit *latere et* substituitque cum Bon. *passionis caritativae* pro *passionis caritatisque* (ita C); D legit *passionis caritatis guttas tot, quot folia enumerata;* E *passionis caritatis quot guttas tot folia enumerata.*

[7] Ed. 1 *sanguinis sui folia sunt rosae sanguineae passionis ipsius;* deinde cum A prosequitur: *Sed ideo* [A *iam*] *ad alia transeamus, quia septimam sanguinis dominici effusionem iam breviter* etc.

[8] Paulo superius et c. 3. n. 2. seqq. — Sequitur Ioan. 19, 34, quem August., in Ioan. Evang. tr. 120. n. 2, exponens dicit: Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret: *latus eius* percussit, aut vulneravit, aut quid aliud, sed *aperuit*, ut illic quodam modo vitae ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiae manaverunt, sine quibus ad vitam, quae vera vita est, non intratur. Ille *sanguis* in remissionem fusus est peccatorum, *aqua* illa salutare temperat poculum, haec et lavacrum praestat et potum. — Pro *diceremus* ed. 1 *doceremus*, quae etiam inferius pro *Sacramenta* (ita C D E) cum Bon. et A substituit *Sacramentum*, et deinde, refragantibus C D E F H, plura addit (c. 42. n. 134 — c. 44. n. 149), quae infra post hoc opusculum in additamento V. exhibemus.

[9] Hanc rubricam codd. A C D E et edd. omittunt, pro qua F: *Concludit, sermonem convertens ad animas.*

[10] Psalm. 63, 7. seq.: Accedat homo ad cor altum, et exaltabitur Deus. — Superius pro *enitere* D E *revertere*, pro *apiculae* (ita A C D E) ed. 1 *apum*, Bon. *apis*, et pro *imiteris* (ita C D E) alias *imitans.*

[11] Psalm. 87, 16: Exaltatus autem humiliatus sum. — Ed. 1 hanc propositionem cum praecedente coniungens omittit *Sed ne timeas, exaltatus*, et inferius pro *in cruce* (ita C D E) cum A et Bon. substituit *in crucem.* Subinde pro *posset omnibus paratior* Bon. *omnibus patentior possit.*

Vox Christi. miserabiliter et misericorditer clamantis: *Revertere, revertere, Sunamitis; revertere, revertere, ut intueamur te*[1]. Revertere a mala voluntate, a malis factis, ab obstinatione et desperatione; revertere ad me, quoniam aversa fuisti a me, ut intuitu gratiae, quo mulierem peccatricem respeximus et latronem, intueamur te[2].

Liber scriptus intus et foris. 2. Lege ergo me, *librum vitae scriptum intus et foris*[3], et lectum intellige; collige tibi flores meos, ut paradisum illum possis introire, ante cuius fores Cherubim est collocatus cum gladio flammeo. Valet enim scientia, quam in me[4] plenarie discere potes, ad amovendum impedimentum Cherubim; flores vero sanguinei gladii versatilis flammam exstinguunt. Intra ergo, o anima, hunc paradisum omnibus paradisis meliorem nunc solo quo potes meditationis[5] affectu, ut postmodum anima et corpore caelestem illum paradisum valeas introire. Notandum. Nec breviter amplexandus est tibi paradisus, sed volandum per singulos illius flores, et singulorum florum folia sunt sugenda; nunc ad dexteram, nunc ad sinistram rivos sanguinis spargentes propius est nobis et interius accedendum[6]. Ubique quaerenda est devotio et gratia lacrymosae compunctionis; utrinque considerandum, Contemplandi clavi in manibus. quam immites fixurae clavorum, quam amara venarum ossiumque confractio in manibus illius qui fabricatus est caelum et terram[7], quomodo *operatus est salutem in medio terrae*, et inter horum considerationem repetendum frequenter: *Redde mihi laetitiam salutaris tui*, per imitationem apiculae, quae inter volandum semper quendam sonum vocis habet nec conticescit, donec intra florem intraverit, ubi mellis dulcedinem exoptati colligit et exsugit. O quam felix eris, si, postquam intra florentis et dulcissimi paradisi nostri flores sanguineos, vulnera scilicet Christi, fueris intromissus, ab huius mundi strepitu et tentationum incursibus omnino valeas liberari et soli ei, ad quem introisti, vacans gustare possis et intelligere, quam bonus et dulcis est Iesus[8]! — Sic lustrandi sunt et pedes non minus san- Item, in [pe]dibus. guinis habentes, non minus doloris quam manus, perfossi ipsi et perforati, sanguineis fluminibus guttisque manantes et respersi.

3. Tandem accedendum est ad cor illud humil- Accedend[um] ad Ss. c[or]. limum altissimi Iesu, per ianuam videlicet lateris lanceati[9]; ibi procul dubio thesaurus ineffabilis desiderabilis caritatis latet; ibidem devotio invenitur, inde lacrymarum gratia extrahitur, discitur mansuetudo et patientia in adversis, compassio in afflictis, praecipue *cor contritum et humiliatum*[10] invenitur. Talis ac tantus complexus tuos desiderat, talis te, ut complectatur, exspectat; caput floridum, multis spinarum aculeis confixum ad te inclinat, ut ad pacis osculum te invitet, quasi dicat: ecce, quomodo Vox Chr[isti]. configuratus sum, quomodo confossus, quomodo mactatus, ut te possim ponere super humeros meos, quae aberraveras, ovis mea[11], et ad pascuae caelestis reducere paradisum. Redde vicem et super vulnera mea misericordia commovere et *pone me* talem, qualem nunc vides, *ut signaculum super cor*

---

[1] Cant. 6, 12. Cfr. supra Opusc. II. Soliloq. c. 1. n. 37. seqq. et Opusc. IV. de V Festivitatibus, Festivitas V. n. 3. — Superius post *sustinentis* [D *suscipientis*, in margine additur *id est sustinentis*] *affectum* D E addunt *paratum*, ed. 1 legit *cognosce, suscipe affectum paratum ad tuos et te ad suos invitantis amplexus;* Bon. *agnosce suscipientis affectum et te ad suos invitantis amplexus.* Nostra lectio praebetur a C D E. Subinde pro *miserabiliter* Bon. *miseranter;* cfr. tamen Du Cange, Glossarium etc.: *Miserabilitas*, Commiseratio.

[2] Respiciuntur Luc. 7, 37. seqq. (de muliere peccatrice) et 23, 40. seqq. (de latrone). Ed. 1 cum A et Bon.: revertere, inquam, ad me, quae [Bon. *quoniam*] a me aversa fuisti, ut intueamur [Bon. *intuear*] te intuitu gratiae, quo [Bon. *quomodo*] mulierem peccatricem, Petrum et latronem respexi.

[3] Apoc. 5, 1. Cfr. Breviloq. p. II. c. 11. Vide etiam supra Opusc. III. Lignum vitae, n. 46. — Subinde respicitur Gen. 3, 24: Eiecitque Adam et collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim et flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitae. — Superius post *Lege ergo* C D E omittunt *me*. Inferius pro *ut paradisum illum possis introire* (ita C D E) alias *ut paradisi illius possis ianuam introire*, et post *gladio flammeo* Bon. cum ed. 1 addit *ac versatili.*

[4] Ita A C D E; Bon. cum ed. 1 *ex me*. Inferius pro *flammam exstinguunt* (ita C D E) A *flammas terrentes exstinguunt;* Bon. cum ed. 1: *Flores ergo sanguinis mei gladii versatilis flammas horrendas ac tibi formidabiles extrahant.*

[5] Ed. 1 *cogitationis*, quae etiam subinde voci *caelestem* cum A et Bon. praefigit *et terrestrem et.*

[6] Auctor opusculi *Instructio sacerdotis* seu Tractatus de praecipuis mysteriis nostrae religionis (inter opera Bernardi), p. I. n. 12: Esto *columba in foraminibus petrae, in caverna maceriae* [Cant. 2, 14.]. Pervola manus, pervola pedes, involа lateri; nihil horum inscrutatum relinquas; singula membra compassionis amaritudine perfundas. Cfr. supra Opusc. II. Soliloq. c. 1. n. 39. — Bon. omittit principium huius propositionis *Nec breviter amplexandus est tibi* [ed. 1 *hic*, A *tibi hic*] *paradisus*, et pro *rivos sanguinis spargentes* [scil. manus dextera et sinistra] ed. 1 cum A *rivulos et guttas sanguinis spargentem*, Bon. *rivos sanguinis collige*, omissis quae sequuntur *propius... accedendum.*

[7] Respicitur Iob 34, 13: Quem [orbem] fabricatus est; cfr. 37, 18. Pro *fabricatus est* ed. 1 cum A *fabricavit*. — Duo seqq. loci sunt Ps. 73, 12. (cfr. supra pag. 167, nota 8.) et 50, 14. — Superius pro *Ubique* ed. 1 *Undelibet*, et pro *utrinque* C D E *utrumque*. Inferius pro *quomodo operatus* (ita C) alias *qui operatus*, pro *apiculae* ed. 1 *apis*, et pro *donec intra florem intraverit* Bon. *donec florem invenerit.*

[8] Psalm. 33, 9: Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus. — Superius pro *vulnera scilicet Christi* ed. 1 cum A *vulnera dico*, quae etiam subinde cum A et Bon. vocibus *omnino valeas* praefigit *per dimidiam saltem horam*. Inferius pro *perfossi ipsi et perforati* [C et ed. 1 *perfracti*] Bon. *perfossae et perforatae*, qui etiam pro *et respersi*, quod ed. 1 omittit, substituit *et respersae.*

[9] Cfr. supra Opusc. III. Lignum vitae, n. 30. — Inferius pro *Ibidem devotio invenitur* (ita C D E) ed. 1 *ibi nova devotio invenitur*, Bon. istam propositionem cum praecedente coniungit *caritatis et devotionis invenitur.*

[10] Psalm. 50, 19. — Inferius pro *Talis ac tantus* (ita C) D E *Tales ac tantos*, Bon. cum ed. 1 *Ipse Iesus*, subinde voci *inclinat* Bon. praefigit *se*. In hac propositione post *caput floridum, multis* C desinit.

[11] Respicitur Luc. 15, 5: Et cum invenerit eam [ovem perditam], imponit in humeros suos gaudens. — De praecedentibus

tuum, ut signaculum super brachium tuum [1], ut in omnibus cogitationibus cordis tui, in omnibus operibus brachiorum tuorum mihi taliter, ut vides, signato possis similis inveniri. Conformaveram te imagini Deitatis meae, cum te crearem [2], conformatus sum imagini humanitatis tuae, ut te reformarem. Tu ergo, qui non retinuisti formam Deitatis meae tibi impressam in tua formatione, retine saltem formam humanitatis tuae mihi impressam in tua recreatione; si non retines, qualem te creaveram, retine saltem, qualem te recreaveram [3]; si non capis, quantas *virtutes* tibi dederim te creando, cape saltem, quantas in humanitate tua *miserias* propter te acceperim te recreando, et ad potiores, quam ad quas te formaveram delicias reformando. Nam propterea homo visibilis factus sum, ut a te visus amarer, qui in Deitate mea invisus et invisibilis quodam modo non amabar [4]. Da ergo praemium incarnationi meae et passioni te, pro quo incarnatus simul sum et passus. Dedi me tibi, da te mihi.

4. O dulcissime bone Iesu! *Pater luminum*, a quo est *omne datum optimum et omne donum perfectum* [5], misericorditer respice humiliter tibi confitentes et vere scientes, quia sine te nihil possumus facere; et qui dedisti te pro nobis in pretium, da, ut, licet tanto pretio minus digni simus, nos tuae gratiae tam integre et perfecte in toto reddamur, ut conformati imagini passionis tuae, ad eam quoque, quam peccando amisimus, Divinitatis tuae imaginem reformemur, praestante Domino nostro. Amen [6]. Allocutio ad Christum.

ADDITAMENTUM I [1].

Quid apertius? Et vere talis erat in oculis infidelium et carnalium, qui tantum carnem noverunt intueri.

20. Quod et nos manifestis rationibus possumus approbare, primum quidem per *affectum compassionis*, deinde per *defectum passionis*. Et quia vere susceperat affectiones nostras, videamus, quomodo affici soleant [2] homines circa eos quos amant, ut per notum ad ignotum veniamus. Quis nesciat, hominem circa amicum suum periclitantem saepe tanto affectu et dolore moveri, ut corporis sui detrimentum incurrat? Si hoc praestat homo homini, quantum Deum-hominem Iesum putas homini praestitisse? Si tu pro uno homine per compassionem periculum corporale incurris, quid putas Dominum Iesum pro omnibus hominibus tolerasse? Omnes enim sui erant, et omnes mortaliter infirmi erant. Certe novimus, Paulum Apostolum de se dixisse [3]: *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* Et vere eo usque infirmabatur, ut, sicut ipse de se fatetur, praesentia eius esset despectabilis [4], et sicut ait: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Mundus quippe ei crucifixus erat, qui omnia, quae mundi erant, tanquam mortua reputabat. Ipse vero mundo etiam crucifixus erat, quia ipsum propter crebras compassionum simul et passionum infirmitates corpore extenuatum et exterminatum eum mundus abhorrebat, nihil in eo inveniens, quod pertineret ad ipsum. Si ergo Paulus cum infirmantibus infirmabatur, et cum esset [5] conservus et frater, cum conservis et fratribus, quid benignus Iesus, Dominus et pater, pro creatura et filiis? Ardebat Paulus, quasi esset [6] radio solis accensus; quantum ipsum solem putas exarsisse? Si usque ad tantam infirmitatem per affectum compassionis accenditur qui scintillam caritatis habuit, quid sentiendum putas de ipsa caritate, de cuius plenitudine omnes acceperunt? [7].

[...]lex ratio. [...]ffectus [co]mpassio[n]is. [Ex]emplum Pauli.

21. Nec aliquo modo dubitandum, quin infirmitatem et exterminationem corporis incomparabilem sustinuerit qui etiam venerat crucem sustinere, et prae ceteris tanto magis fuerit confectus, quanto maior in eo fuit compassionis affectus, qui non solum facta, sed etiam cogitationes inspexit. — Suffragatur his rationibus sententia ipsius Domini sic dicentis [8]: *Ierusalem, Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat* Continuator.

---

cfr. supra pag. 123, nota 3. — Inferius pro *et ad pascuae caelestis reducere paradisum* (ita A D E) Bon. cum ed. 1 *et ad pascua caelestis* [ed. 1 omittit *caelestis*] *reducere paradisi.*

[1] Cant. 8, 6. Cfr. supra Opusc. VI. de Perfectione vitae ad sorores, c. 6. n. 11. — Inferius pro *brachiorum tuorum* (ita D E) alias *brachii tui.*

[2] Cfr. Gen. 1, 26. seq. — In hac et seq. propositione pro *humanitatis tuae* D E *humilitatis tuae.*

[3] Ita D E; Bon. cum ed. 1 *recreari*, A *recreaverim*, et paulo superius ed. 1 et Bon. *creari* pro *creaveram*, A *creaverim*. Inferius pro *quantas virtutes* (ita D E) alias *quantas virtutum divitias.*

[4] Gregor., Lib. Sacramentor. in Praefatione Natalis Domini: Ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc invisibilium amore rapiamur [Missale Roman. *in invisibilium amorem rapiamur*]. Cfr. Bernard., Serm. 6. in Cant. n. 2. seqq. — Ed. 1 cum A et Bon. *in Deitate mea invisibilis non amabar.* Inferius post *incarnatus simul*, ed. 1 cum A breviter legit *et passus dedi me.*

[5] Iac. 1, 17. — Subinde respicitur Ioan. 15, 5: Quia sine me nihil potestis facere. — Inferius pro *et vere scientes* (ita D E) alias *et vere sentientes*, et pro *tam integre et perfecte in toto* (ita D E) Bon. *tam integre, perfecte et in toto*, A *tam integre, perfecte*, ed. 1 *tam integri.*

[6] Ita D E; F *reformemur, qui vivit et regnat. Amen. Explicit planctus Bonaventurae;* H *reformemur, qui vivis et regnas etc. Explicit planctus Bonaventurae de passione Domini.* Bon. cum ed. 1 et A plura addit (n. 153-177.), quae post hoc opusculum in additamento VI. exhibemus.

Notae ad additamenta.

[1] Vide supra pag. 169, notam 2. Bon. cum ed. 1 in hoc opusculo usus est numeris progressivis, quos in his additamentis singulis paragraphis praefixos servavimus.
[2] Ita A B; Bon. cum ed. 1 *solent.*
[3] Epist. II. Cor. 11, 29.
[4] Epist. II. Cor. 10, 10: Praesentia autem corporis infirma, et sermo contemptibilis. — Sequitur Gal. 6, 14.
[5] Codd. A B *cum infirmantibus infirmatus erat, quid benignus Iesus? Si sic*, omisso subinde *benignus Iesus.*
[6] Codd. A B *Si sic ardebat.*
[7] Ioan. 1, 16: Et de plenitudine eius nos omnes accepimus.
[8] Matth. 23, 37.

Cur Christus gallinae se comparaverit.

pullos suos sub alas, et noluisti? Videamus, quid sibi hoc velit, quod Dominus se gallinae magis quam alteri animali voluit comparare. Quod, ut a sanctis Patribus [1] tenetur, ideo factum est, ut exprimatur incomparabilis affectus caritatis. Nullum enim animal circa pullos suos tanta compassione movetur, sicut gallina. Fit enim toto corpore hispida, voce rauca, toto fervens animo et omnibus membris infirma et usque ad supremum defectum perveniens. Si ergo in tantum pullis suis gallina animal irrationale compatitur, quantum [2] putas optimum Iesum humano generi fuisse compassum? Ad quantam putas eum debilitatem et infirmitatem pervenisse? Quanta ipsum putas macie confectum fuisse, qui pro omnibus cognoscitur doluisse? Unde Isaias [3]: *Vere languores nostros ipse tulit et peccata nostra ipse portavit.*

ADDITAMENTUM II [4].

Foliorum viris pulcritudo et virtus.

Senserant hoc Iudaeorum ministri, qui missi, ut adducerent Iesum, reversi et culpati dixerunt: *Nunquam locutus fuit homo sic* [5]. Non accusaverunt defectum trunci, pulcritudinem foliorum videntes, immo per folia aliquid aliud, quam quod videbatur, in corpore debili latere senserunt. Senserat etiam Petrus, qui, multis a Domino Iesu recedentibus et interrogatis ab ipso duodecim Apostolis: *Nunquid et vos vultis abire?* [6] respondit: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes*, et nos alio ibimus? Absit; ac si diceret: folia pulcherrima habes, quae nos ab omni aestu protegant; da ergo nobis alium pulcriorem, id est meliorem te, et ibimus ad illum abs te; quem quia dare non potes qui omnia potes, ad quem ibimus relinquentes te? Senserat horum foliorum, id est verborum benigni Iesu, virtutem, quae, loquente ipso ad turbas, in foliorum pulcritudine singulari laetata nec tacite quidem, sed *extollens vocem dixit: Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti!* [7] Vere beata,

Laus B. M. V.

immo beatissima terra, quae talem tulerat vitem, Virgo Maria, mater Iesu; vere et tu beata, quae, foliorum pulcritudine considerata, inter tot calumniantium insidias sola veritati testimonium audacter praebuisti! Sed credo, quod iam nunc magnam habes et maiorem habitura sis huius confessionis mercedem, ipsa Veritate, cui testimonium perhibuisti, iam te confitente coram Patre suo [8], et tunc nihilominus confessuro, cum dicet calumniatoribus suis: *Non novi vos. Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum;* notis vero dicet: *Venite, benedicti Patris mei.* Viderunt virorem foliorum verae vitis Petrus et Andreas, Iacobus et Ioannes et Matthaeus, qui ad unam vocantis vocem illi retia, iste telonium reliquerunt [9]. Quis virtutem verborum benigni Iesu enumerare sufficiat? Quae virtus est verborum, quae verbis illius non commendetur? Nulla profecto.

Folia sive verba principalia.

29. Vis autem audire verba breviter, quae tanquam folia refrigerium nobis praestent ab aestu vitiorum? Ad commendationem *humilitatis* dicit [10]: *Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister;* et: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis;* et item: *Qui se humiliat exaltabitur.* Ad commendationem *mansuetudinis* contra iram: [11] *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde;* et item: *Beati mites, quoniam ipsi hereditabunt terram.* Ad commendationem *caritatis* contra invidiam [12]: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos.* Ad commendationem *alacritatis* ad exercitia spiritualia contra accidiam ait discipulis [13]: *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem;* et alibi: *Quoniam semper orare oportet et nunquam deficere;* ubi intelligitur, orationem non tantum esse vocis, sed etiam desiderii. Non enim semper clamare possumus motu labiorum, semper autem possumus bono desiderio fervere; quod ostendit Dominus loquens ad Moysen tacentem [14]: *Quid clamas ad me?* Desiderium viri sancti *clamorem* appellat, quia lingua profecto tacebat. Unde dicitur in Psalmo: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, praeparationem cordis eorum audivit auris tua.* Ad commendationem *largitatis* contra avaritiam [15]: *Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis;* et illud: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna habitacula.* De divitiis *iniquitatis*, id est inaequalitatis, hoc est, quae nobis abundant, cum aliis deficiant, facimus nobis amicos, cum illas pauperibus erogamus, ut, si modo in illos misericordes existimus, per illos post hanc vitam misericordiam consequamur. *Beati* enim [16] *misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Ad commendationem *abstinentiae* contra gulam: *Attendite*, inquit [17], *ne graventur corda vestra crapula et ebrietate, et superveniat in vos repentina dies.* Et

De humilitate. De mansuetudine. De caritate. De alacritate. De largitate. De abstinentia.

---

[1] Chrysost., Homil. 74. (alias 75.) in Matth. n. 3; Hilar., in Matth. c. 24. n. 11; August., I. Qq. Evangelior. q. 36; Beda, in Matth. 22, 37. Cfr. tom. VII. pag. 357, nota 5. — Superius pro *Quod* (ita A B) Bon. cum ed. 1 *Quia*.

[2] Ita A B; Bon. cum ed. 1 *quanto*.

[3] Cap. 53, 4. — Superius pro *cognoscitur* A B *agnoscitur*.

[4] Cfr. supra pag. 171, nota 9.

[5] Ioan. 7, 46. Bon. addit *sicut hic homo loquitur*. — Inferius post *per folia* A B addunt *verborum*.

[6] Ioan. 6, 68. et deinde v. 69. — Inferius pro *et nos* (ita ed. 1 cum A B) Bon. *id est nos*, pro *alio ibimus? Absit* (ita Bon.) A B *ad quem ibimus abs te?* ed. 1 *ad quem ibimus? Absit.*

[7] Luc. 11, 27.

[8] Respicitur Matth. 10, 32: Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo etc. — Sequuntur Matth. 7, 23: Nunquam novi vos; cfr. 25, 12: Nescio vos; ibid. v. 41: Discedite a me etc., et v. 34: Venite etc. — Pro *confessuro* Bon. *confessura* (!).

[9] Cfr. Matth. 4, 18-22. et 9, 9. (de Matthaeo). — Superius pro *Viderunt* A B *Viderant*.

[10] Matth. 20, 26, post quem v. 28. et Luc. 14, 11. (cfr. Matth. 23, 12.).

[11] Matth. 11, 29; deinde 5, 4, ubi pro *hereditabunt* Vulgata *possidebunt;* cfr. Ps. 36, 11.

[12] Matth. 5, 44. seq.

[13] Matth. 26, 41, post quem Luc. 18, 1. — Inferius pro *sed etiam desiderii* (ita A B) Bon. cum ed. 1 *sed devotionis.*

[14] Exod. 14, 15. Subinde allegatur Ps. 9 (secundum Hebr. 10.), 17. — Inferius pro *Unde dicitur* (ita A B) Bon. cum ed. 1 *Unde Dominus.*

[15] Luc. 11, 41, cui subnectitur Luc. 16, 9. Cfr. tom. VII. pag. 408, nota 5, ubi de divitiis iniquitatis, id est *inaequalitatis*, quibus opponuntur divitiae iniquitatis, id est *iniustitiae.*

[16] Ut dicitur Matth. 5, 7.

[17] Luc. 21, 34. Parabola de divite epulone et Lazaro mendico habetur Luc. 16, 19. seqq.

parabolam contexuit de divite epulante quotidie splendide, qui mortuus petebat guttam aquae, cum esset in tormentis, a Lazaro quiescente post mortem, nec poterat obtinere, recipiens perpetua mala pro voluptate temporali transacta. [C]astitate. Ad commendationem *castitatis* contra luxuriam: *Audistis*, inquit [1], *quia dictum est antiquis: Non moechaberis; ego autem dico vobis: quia quicumque viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est eam in corde suo.* Huius verbi folio tegantur oculi nostri, ne, si forte minus caute reserentur, eveniat quod Ieremias dicit [2]: *Ascendit mors per fenestras nostras.* Fenestrae quippe animae nostrae sunt foramina sensuum nostrorum, scilicet oculorum, aurium, narium et oris, per quos quasi per fenestras quasdam mors ascendit, quoties ad aliqua criminalia appetenda reserantur. — His et aliis verbis plurimis tanquam quorundam foliorum umbra per vitem nostram benignum Iesum ab aestu vitiorum refrigeramur et in virtutum temperie refovemur [3].

ADDITAMENTUM III [4].

[Q]uaestio [qu]edam solvitur. 38. Sed movet me, quod, cum dixisset [5]: *Mulier ecce, filius tuus,* subiunxit: *Ecce, mater tua*, cum utique, etiam si hoc non subiunxisset, necessarium fuisset, eam esse matrem illius qui in filium sibi datus erat. Sed hoc [C]aritas sit mutua. mutuae caritatis affectum mihi commendare videtur. Sunt enim nonnulli, qui ab omnibus amari volunt, sed nullos affectu mutuo complectuntur; volunt, ut eorum labores et dolores allevientur, et cum ferantur a pluribus, ipsi nullius onera volunt portare etc. Non ita docet Apostolus: ait enim [6]: *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Hoc enim Christus fecit, hoc docuit. Portavit enim onera tua, invitans te, ut tu passiones illius imiteris. *Christus enim passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia eius* [7]. Hoc et docuit, cum Matrem discipulo et Matri discipulum mutuo commendavit, nimirum nolens, ut caritas spiritualis ex una parte frigida remaneret, sed ut simul dormientes, id est in vera et pura caritate simul quiescentes, mutuo calefiant [8], id est, alter ab altero ad caritatis exercitia mutuo accendantur. Hoc enim est efficax signum verae et purae caritatis, quod hi qui spirituali dilectione spiritualiter [9] connectuntur, per puram caritatem ad exercitia spiritualia alterutrum accendant, ut devotius orare, saepius genuflectere, frequentius disciplinam corporalem suscipere libeat, praecipue cum nec [10] invideat, immo ut congaudeat amans quisque, si tertius, vel quartus, vel plures ad caritatem illius quem amant, se adiungant, dummodo tales sint, quorum familiaritas non sit suspecta; et in his omnibus et in his similibus caritatis fervore perseverantiam conservent [11]. Non enim bonum videtur habuisse fontem rivus caritatis aliquando decrescens. Amemus ergo et nos invicem et amoris efficaciam operibus comprobemus, *quia* talis *caritas ex Deo est* [12], quae *finis est praecepti* et quae legem implet.

Caput XI.

De tribus caritatis speciebus, per tria priora verba commendatis [13].

39. Sed in tribus verbis pertractatis tres caritatis species mihi commendari videntur: una, quae habetur ad De prima. inimicos etiam reconciliari nolentes, de qua dicit Ioannes [14]: *Diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos, cum* adhuc *inimici essemus;* et haec est summa et magis admiranda dilectio. Diligere enim inimicos magis divinum est quam humanum. Secunda, quae habetur ad eos qui aliquando De secunda. fuerunt inimici, sed petita reconciliatione, in gratiam sunt recepti. Unde Paulus [15]: *Reconciliati sumus Deo per sanguinem ipsius.* Tertia, quae habetur erga eos qui nun- De tertia. quam fuerunt inimici, de qua idem [16]: *Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Prima autem caritatis species nobis commendatur in primo verbo, ubi Dominus Iesus orat pro inimicis; secunda, ubi latroni petenti paradisum promittit; tertia, ubi amicos praecipuos coniungit [17]. Tegamur ergo horum umbra foliorum. Audiamus et exaudiamus hos nostrae citharae sonos dulcissime modulantes et a fervore omnis invidiae, odii, irae et ab omni amaritudine detractionis, adulationis, simulationis, adiuvante Domino, qui *est* vera *caritas* [18], temperemus, ipsum in omnibus caritatis speciebus animo simul et operibus imitantes.

---

[1] Matth. 5, 27. et 28.
[2] Cap. 9, 21. — Superius pro *reserentur* A B *fuerint reserati,* qui etiam inferius pro *criminalia* substituunt *criminaliter*.
[3] Codd. A B *conforemur*.
[4] Cfr. supra pag. 175, nota 5.
[5] Ioan. 19, 26. et deinde v. 27.
[6] Gal. 6, 2. Ex A B supplevimus hunc loc.; Bon. cum ed. 1 legit: *Non hoc enim Christus docuit, aut fecit. Portavit* etc. — Superius pro *Volunt* (ita A B) Bon. eum ed. 1 *Nolunt,* et subinde pro *volunt portare etc.* A B *portare dignantur*.
[7] Epist. 1. Petr. 2, 21. Ita etiam August., in Ioan. Evang. tr. 124. n. 5; Enarrat. in Ps. 87. n. 1. etc.; Vulgata *vobis relinquens exemplum, ut sequamini* etc.
[8] Respicitur Eccle. 4, 11: Et si dormierint duo, fovebuntur mutuo; unus quomodo calefiet?
[9] Codd. A B *specialiter*, qui etiam subinde pro *per puram* substituunt *per ipsam*, et pro *accendant* cum ed. 1 *accendunt*.
[10] Pro *cum (ut?) nec* A B *si non*. Inferius pro *quem amant* A B *quem ipse amat*.
[11] Codd. A B *conservare*, qui etiam inferius pro *decrescens* substituunt *arescens*.
[12] Epist. 1. Ioan. 4, 7. — Sequuntur 1. Tim. 1, 5. Rom. 13, 8: Qui enim diligit proximum legem implevit. — Superius pro *comprobemus* (ita A B) Bon. cum ed. 1 *approbemus*.
[13] Codd. A B omittunt *per tria... commendatis*.
[14] Epist. 1. 4, 19, post quem Rom. 5, 10: Cum inimici essemus. — Superius pro *verbis* ed. 1 *verbulis*.
[15] Rom. 5, 9. seq.: Iustificati in sanguine ipsius... reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius.
[16] Gal. 6, 10.
[17] Ita Bon.; ed. 1 *committit*, A B *sibi invicem committit*.
[18] Epist. 1. Ioan. 4, 8. — Inferius pro *simul* (ita A B) Bon. cum ed. 1 *simus*.

ADDITAMENTUM IV [1].

Quod et nos sub spe gratiae et misericordiae poterimus facere, si sub umbra foliorum praemissorum latuerimus, si sonos chordarum citharae nostrae auribus cordis audierimus, scilicet si oraverimus pro inimicis, si poenitentibus, qui in nos peccaverunt, ex toto corde remiserimus, si proximis nostris mutuam rependerimus caritatem, si in omnibus tribulationibus nostris speraverimus in eo qui propter nos homo factus est, ut unitus nostrae naturae esset nobiscum [2], si ardenti desiderio proximorum salutem desideraverimus, et postremo, si in bonis operibus ad consummationem perstiterimus. In quantum haec egerimus, fiducialiter poterimus dicere aeterno Patri cum Domino Iesu [3]: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum;* semper orantes, dum vivimus, ut in his verbis, quibus ipse spiritum emisit, praestare dignetur nos etiam spiritum nostrum emittere et suis efficaciter manibus commendare.

Epilogus ad septem verba.

50. Ecce, secundum quod potuimus, non secundum [4] quod debuimus, nec secundum quod voluimus, vitis nostrae desuper extensae folia septem vestrae ostendimus caritati; quae non satis est tantum intueri, sed potius est accedendum et sub umbra illorum sedendum, ut possimus cum sponsa veraciter dicere [5]: *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi.* Cuius? Illius Sponsi utique, cuius folia umbram tanto habent latiorem, quanto ipse Sponsus, Verbum summi Patris, verba habet virtutibus amabiliora vicinioraque saluti, magis accommodata pietati et omnium intellectui promptiora. Quamvis enim in omnibus Prophetis et Apostolis locutus sit ille bonus Iesus, nullius tamen verba reperies omnino, quae ita et fortibus et infirmis, id est doctis et indoctis, sapientibus conveniant et insipientibus, ut verba doctissimi Verbi Domini Iesu. Nam ait quidam [6]:

Commendatio verborum Christi.

Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquae.

Hortatio.

Sciendum autem, quod in umbra foliorum istorum, id est in verbis Domini, meditandum est *die ac nocte* [7]; quorum umbra tunc profecto protegimur, cum quoties a vitiis aut diabolo tentamur, per tractatores aliquod verbum de Scripturis evangelicis nobis adducimus, cuius monitis et auctoritate irruentibus in nos vitiis resistamus; verbi gratia, si tentaris a superbia, videlicet ut velis praeesse, subesse nolis; occurret tibi statim verbum Domini dicentis: [8] *Qui voluerit inter vos primus esse erit vester servus, quia* sicut *qui se exaltat humiliabitur,* ita *qui se humiliat exaltabitur.* Si infestat te ardor iracundiae, habes statim folium vitis nostrae, quod illi fervori opponas, verbum illud scilicet [9], quod *omnis, qui irascitur fratri sine causa, reus erit iudicio,* et sic contra singula tentamenta verba invenies, quibus ab aestu vitiorum defendi possis et virtutem teporatam [10] confovere, ipsa Vite nostra, benigno Iesu, nobis praestante subsidium.

Caput XVI.

De iucunditate florum vitis, id est de virtutibus Christi [11].

51. Deinde ad florum iucunditatem animum inclinantes, immo vere elevantes, videamus, quomodo floruerit vitis nostra. Floruit enim, et tanto uberius iucundiusque ceteris, quanto ipsa melior omnibus fuit, cuius *magnificentia elevata est super caelos, sub* cuius *pedibus omnia sunt subiecta* [12], quamvis nostra caritate devinctus, ad tempus *paulo minus ab Angelis* fuerit diminutus [13]. — Quam iucundus, ut putas, erit fructus vitis nostrae tanta iucunditate florentis!

52. Sed iam singulariter [14] etiam de his floribus vitis nostrae, ipso annuente, aliqua disseramus, hoc tamen praeviso, quod flores in iucunditate visus et in suavitate odoratus maxime considerantur, comedi vero non solent, nisi quod apes de quibusdam floribus cibum dulcissimum sugendo colligunt. Diximus autem [15], quod nullus flos, id est nulla virtus per quemcumque florem significata, deest viti nostrae. Quae enim virtus deesset Domino Deo virtutum?

De floribus vitis.

Caput XVII.

De flore humilitatis, quae est viola [16].

53. Primo ergo de flore humilitatis, id est de viola, videamus. Quare flos violaceus humilitatem significet, *statura, situs, odor, color* et *vis* ipsius floris manifestant. — *Statura* enim, id est quantitas ipsius, modica est. Quis

De statura violae.

---

[1] Cfr. supra pag. 179, nota 6.
[2] Matth. 1, 23: Nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum *Nobiscum Deus.*
[3] Luc. 23, 46. — Cod. A addit *immo et ipsi Domino Iesu.*
[4] Ex A supplevimus *secundum.*
[5] Cant. 2, 3. — Inferius pro *amabiliora* et *accommodata* A *amiciora* et *accommoda*, pro *promptiora* ed. 1 *propiora.*
[6] Ovid., III. ex Ponto, epist. 5. v. 18, ubi pro *Dulcius* textus originalis *Gratius.* Cod. A ex v. 17. praemittit: *Quamquam sapor est allata dulcis in unda.*
[7] Psalm. 1, 2. — Superius pro *Sciendum autem, quod* A *Sedendum autem est,* qui etiam inferius omittit *aut diabolo* et *per tractatores.*
[8] Matth. 20, 27, pro *erit vester* ed. 1 et A *sit omnium;* post quem Luc. 14, 11. (cfr. Matth. 23, 12.). — Superius pro *si tentaris* (ita A) Bon. cum ed. 1 *si tentatus.*
[9] Matth. 5, 22. Vulgata omittit *sine causa,* quod praeter alios exhibet August., l. de Sermone Domini in monte, c. 9. n. 21. et 25. Hieron., II. Dialog. contra Pelagianos, n. 5, verba *sine causa* praebet, « licet in plerisque codicibus *sine causa* additum non sit »; in Matth. 5, 22. autem ait: « Radendum est ergo *sine causa* ».
[10] Ita Bon.; ed. 1 *temporis,* A legit *et in virtutum temperie confoveri,* qui etiam superius pro *singula tentamenta verba* substituit *singula vitia singula verba.*
[11] Bon. omittit *id est de virtutibus Christi;* A substituit *Quomodo vitis floruit.* Cfr. supra pag. 179, nota 7.
[12] Psalm. 8, 2. et 8. — Superius pro *inclinantes* Bon. cum ed. 1 *inclinemus,* qui etiam post *vitis nostra* addit *Christus* et pro *ipsa* substituit *ipse.*
[13] Respicitur Ps. 8, 6. et Hebr. 2, 7. — Bon. cum ed. 1 et A hic exhibent illas propositiones, quae habentur supra c. 14. n. 1. pag. 179: *Propterea exinanivit... crocum abstinentiae.* Cfr. supra pag. 180, nota 2.
[14] Ita A; Bon. cum ed. 1 *singula.* Pro *vitis nostrae, ipso annuente* A *ipsa vite nostra annuente,* et pro *praeviso* Bon. *praemisso.*
[15] Num. praecedente. — Inferius respicitur Ps. 58, 6: Domine Deus virtutum.
[16] Bon. omittit *quae est viola;* A brevius *De viola.*

enim flos hoc flosculo minor est? Nam et humiles in oculis suis parvi sunt. Sic enim ait de se ille Apostolus [1], qui plus omnibus laboraverat: *Ego sum minimus omnium Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus.* Vides, hic magnus quam parvus sibi erat! Et miro modo fit, ut his quibus conscientia secura est, qui nihil sibi conscii sunt, tam humilia de semetipsis sentire contingat [2]. —

[S]itus violae. *Situs* huius floris terrae est proximus, et optime. Ita enim habes docentem Apostolum [3]: *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Non habent hanc proprietatem istius floris qui se aliis meliores putant, vel aliis meliores videri volunt, quamvis sibimetipsis parvi sint. Sunt enim nonnulli, qui quidem in conscientiis suis se abiectos [4] iudicant, sed tamen videri foris volunt aliis meliores. Isti *staturam* huius floris habent, quia sibi intus in animo parvi sunt; *situm* vero non habent, quia volunt foris super alios elevari, de quibus dicit Salomon [5]: *Mensura et mensura, pondus et pondus, utrumque abominatio est apud Deum;* et in Lege Moysi duplex pondus prohibetur haberi. Duplex quippe pondus habet qui, sibi malorum conscius, malum se iudicat, aliis vero vult foris bonus et aliis melior apparere, suo iudicio terrae proximus est, et aliis cupit elevatus videri. Agitantur hi, quicumque tales sunt, vitio hypocriseos, de quibus in sermone, quem de Parvis [6] conscripsimus, plenius sumus elocuti.

Odor. 54. *Odor* violae suavis est et salubris, quia etiam apud ipsos superbos laus humilitatis exaltatur. Ipsa enim fama laudabilis suavitas est odoris, et vere salutaris est, et nonnunquam de laude humilium auditores emendantur, si tamen sint tales, qui istum odorem admittunt et diligenter considerant [7]. —

Color. *Color,* sicut apparet, abiectus est, illis praecipue, qui virtutem flosculi ignorant; sed vim floris agnoscentibus fit etiam ipsius floris despectio commendabilis et dilecta. Hoc in ipsius humilitatis magistro, benigno Iesu, facile agnoscemus secundum illud verbum Apostoli [8]: *Nos,* inquit, *praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus vero stultitiam, ipsis vero vocatis sanctis Christum, Dei virtutem et Dei sapientiam.* Nimirum Christus crucifixus viola est. In cruce enim humillimus factus est. In hac humilitate solum colorem intuentibus Iudaeis et gentibus ipse color vilis apparuit; nobis vero, qui virtutem agnoscimus passionis, etiam ipsa despecta humilitas, humilitas Christi placet et per humilitatem maxime commendatur. — Despectui ergo coloris adiungatur quae latet virtus floris interior, ut per interiorem virtutem hoc quod exterius vile videtur, non contemnatur, verum [9] amplius diligatur.

Applicatio ad Christum. 55. Nunc ergo perfectiori et puriori oculo intueamur, quantum isto flore floruerit ille flos singularis, de quo scriptum est [10]: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini.* Bonus flos, super quem Spiritus Domini sanctus requiescit; et licet flos hic, noster Dominus Iesus, qui de se dicit [11]: *Ego sum flos campi,* omnium in se florum virtutem habuerit et decorem sine diminutione aliqua, nulli tamen flori magis convenit quam violae, ut in eo Spiritus sanctus requiescat. Nec ego hoc affirmo, sed ipse qui dicit [12]: *Super quem requiescet Spiritus meus nisi super humilem et quietum et trementem sermones meos?* Quid apertius? Nunquid non potuisset ponere rosam patientiae et caritatis, lilium castitatis, crocum abstinentiae, cum vellet ostendere requiem Spiritus sancti? Quibus praetermissis, violam posuit humilitatis, cuius pedissequae sunt quies et timor, quae post ponuntur. Non enim possunt moveri violae, id est humiles, a vento superbiae, qui semper quaerit alta corda, quae concutiat, sicut quidam ait [13]:

Summa petit livor, perflant altissima venti.

Dum enim inveniuntur humiles, non possunt moveri [14]. Quiescunt ergo et Spiritum super se quiescentem non excutiunt, dum nec superbiae nec invidiae vento commoventur. Est et timor, non quilibet perdendae pecuniae, non bonorum transitoriorum, sed timor sermonum Domini humilitatis pedissequa; quia, dum humilis nihil de sua virtute praesumit, sermones Domini pro sua consolatione attendens, semper timet, ne non adimpleat praecepta, ne Patrem praecipientem sua transgressione offendat. Bonus igitur flos iste quietem generans et timorem, timorem utique genitorem securitatis, quia, sicut scriptum est [15], *qui timet Dominum faciet bona;* pro quibus factis quid dabitur mercedis nisi securitas sempiterna?

Item ad B. V. M. 56. Bonus profecto flos viola, qui florem caelestem, Verbum aeterni Patris in uterum terreni floris, beatissimae Virginis, mirifica dulcedine sui odoris attraxit, ipsa attestante, quae ait [16]: *Exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem ancillae suae.* Quid dicis? Nunquid non alios flores habes? Habeo, inquam. Tota enim floreo, nullius floris expers, quia nulla virtute careo, cum tota speciosa sim, et macula non sit in me [17]. Habeo lilium castitatis, quia prima votum conservandae virginitatis vovi Domino. Habeo rosam caritatis, quia, si non usque adeo dilexissem Dominum, unde mihi tanta fiducia, unde mihi tanta audacia, ut novum aliquid

---

[1] Epist. I. Cor. 15, 9. Bon. cum Vulgata omittit *omnium,* qui etiam inferius vocibus *hic magnus* praefigit *ut.*

[2] Cod. A *concedatur.*

[3] Rom. 12, 16. — Cod. A *dicentem Apostolum.*

[4] Ita A; Bon. cum ed. 1 *subiectos.*

[5] Prov. 20, 10, in cuius fine ed. 1 cum A *abominatio est Domino.* — Subinde allegatur Deut. 25, 13-16.

[6] Cod. A *de Pueris.* Ex hac allegatione Mabillonius (in principio huius opusculi) concludit, auctorem scripsisse *parvos sermones,* Bon. vero putat, verbis praenotatis indicari *Serm. I. de sancto Antonio Paduano,* in quo agitur de expositione Gen. 43, 29: *Iste est frater vester parvulus, de quo dixeratis mihi?* Sed falso supposuit, Bonaventuram esse auctorem huius additamenti.

[7] Ita A; Bon. cum ed. 1 *etiamsi sint tales, qui istum odorem amittant, licet diligenter considerent.*

[8] Epist. I. Cor. 1, 23. seq. Pro *sanctis* Bon. cum Vulgata *Iudaeis atque Graecis.*

[9] Cod. A *verum etiam.*

[10] Isai. 11, 1. seq. — Superius pro *Nunc ergo* A *Nunc vero,* ex quo subinde post *quantum* supplevimus *isto flore.*

[11] Cant. 2, 1. — Superius A omittit *hic.*

[12] Isai. 66, 2, ubi Septuaginta: Et super quem respiciam nisi etc.; Vulgata: Ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu et trementem etc.

[13] Ovid., Remed. amoris, v. 369.

[14] Cod. A *commoveri.*

[15] Eccli. 15, 1. Pro *Dominum* (ita A) Bon. cum Vulgata et ed. 1 *Deum.* — Superius ante *utique* ex A supplevimus *timorem,* et post *quia* addidimus *sicut.*

[16] Luc. 1, 47. seq. — Cod. A *quae de se ait.*

[17] Cant. 4, 7: Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te. — De seq. propositione cfr. Damasc., Homil. I. in Dormitionem B. V. Mariae, n. 7, et Bonav., IV. Sent. d. 30. q. 2; vide etiam infra n. 63.

puellula tenera et verecunda et adhuc sub parentum iure et praeceptis Legis constituta inchoarem [1]? Sed, ut verum fatear, « audacem faciebat amor », coegit rosa ardens, servilem timorem devorans, ut facerem novum votum et singulare lilium, ut possem quandoque dicere dilecto meo: candida sum et rubicunda, sicut et tu *candidus et rubicundus* [2]. Habeo et alios quoscumque flores, sed nullum horum tanta dignatus praerogativa respexit in me Dominus, ut florem violae meae; *respexit* enim *humilitatem ancillae suae*. Et vultis videre omnes, qui imitatis [3] flores meos, quantum ex flore sim consecuta? *Ecce enim, ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Ex hoc* dico, quia respectus est a Domino flos violae meae, quia *nardus mea dedit odorem suum* [4], quae idem significat, quod viola, id est humilitatis virtutem, cuius fragrantia delectatus est *rex*, filius regis, Deus Dei Filius, *cum esset in accubitu suo*, id est *in sinu Patris;* et odore tam delectabili quasi quadam illius violentia tractus est in me et voluit concipi flos in flore intra florem, id est intra Nazareth, quod interpretatur *flos* [5], ut fieret ipse flos florens, hoc est Nazarenus. Concordant omnia flori. Concipitur flos, concipit flos, manens in flore, hoc est in Nazareth. Bonus ergo omnino et optimus flos violaceus, qui odoris sui fragrantia quasi quodam delectabili vinculo florem caeli in uterum nostri floris, humilis Virginis inclinavit [6].

Hortatio ad virgines.

57. Discant omnes, sed prae omnibus mundi flores, id est virgines, quae in Ecclesia [7] Dei excellunt tanquam flores in gramine, quod Virgo virginum prima, virginum devotarum sanctissima et castissima omnium summam gloriam ponit in viola humilitatis, licet in ea candeat singulariter lilium castitatis, rosa rubescat caritatis. Nolite gloriari, virgines, de castitate corporali, licet illa sit laudabilis virtus; sed quanto maiores estis, tanto humiliate vos in omnibus, ut inveniatis *gratiam apud Deum* [8]. Non enim castitatem respexit Dominus, sed *humilitatem ancillae suae*. Si vultis oculo misericordiae, oculo gratiae a Domino respici, humiles estote. *Humilibus* enim, sicut dicit Scriptura [9], *dat gratiam;* quia *respexit humilitatem ancillae suae*. Si vultis, lampades vestras esse refertas oleo, cum Sponsus ad nuptias venerit [10], id est, si vultis integram et laetam conscientiam habere — oleum enim in lampade est laetitia spiritualis in corde — nolite de altitudine lilii vestri, id est de puritate castitatis vestrae, alta sapere [11]. Nolite laudem exteriorem appetere, ne clauso ostio regni caelorum, dicat vobis Sponsus: *Amen dico vobis: Nescio vos*, et a se excludat qui *respexit humilitatem ancillae suae*. Multae enim virginum excluduntur, quia superbarum nulla ingredietur; humilium vero nullus, nec coniugatus nec vidua nec virgo merebitur expelli. Arcta enim est ianua regni caelorum [12] nec recipit nisi parvos. Tumidi repelluntur, immo nequaquam possunt accedere, cuiuscumque sexus sive conditionis fuerint vel aetatis. Et breviter dico: nulla virtus accedit, nisi ad humilitatis violam fuerit inclinata. Dicit enim et docet hoc ipse humilitatis magister, qui *advocans parvulum statuit eum in medio discipulorum et dixit: Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvulus hic, non intrabitis in regnum caelorum* [13]. Nunquid posuit ibi in exemplum discipulis lilium castitatis Ioannem, vel rosam caritatis Petrum, qui et tunc praesentes erant, quorum prior ab ipsis nuptiis, ut asseritur, vocatus fuit et electus a Domino [14]; sequens vero trina confessione Domino benigno Iesu, cui mentiri non potuit, perfectae caritatis affectum contestatus est? Sicut enim Ioannes de speciali praerogativa castitatis, ita Petrus de ferventiori caritate commendatur [15]. Nec tamen istos in exemplum posuit caelorum ianuam intraturis, sed parvulum humilitatis virtute praecelsum.

Quantum Christus humilitatem commendaverit.

58. Videamus ergo, quantum in se istam virtutem omnium virtutum Dominus commendavit; primo verba eius attendentes, ubi ait [16]: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.* Quid est, magister bone, optime Iesu? Nunquid ad hoc redacti sunt *omnes thesauri sapientiae et scientiae* in te *reconditi*, ut hoc singulariter doceas, quia *mitis es et humilis corde?* Non doces, ut discantur caeli fabricari, fieri miracula, mortui suscitari et cetera huiusmodi, sed *quia mitis sum et humilis corde* [17]. Nunquid tam magnum est esse parvum? Utique, quia per hoc invenitur requies animabus. Quae enim alia est causa omnis laboris et certaminis nostri, nisi ut inveniamus requiem animabus nostris? Brevis doctrina, brevis via demonstrata est. Disce hanc a Domino Iesu, qui mitis est et humilis corde, id est, vide, et *quantum* et *quare* humiliatus fuit ille qui est *excelsus super omnes gentes Dominus, et super caelos gloria eius* [18]; et disce etiam, quia tu es lutum et cinis, et sic invenies requiem animae tuae. — Sed nota, quod ait: *Humilis corde.* Non enim ficta humilitate pacatur ille qui est humilis corde, sed humilitate vera. Humilitate

---

[1] Bonav., IV. Sent. dist. 30. q. 2. ad 1. et 2. ita solvit obiectiones contra votum B. M. V. petitas ex Lege adhuc obligante et Evangelio nondum promulgato: Dicendum, quod Virgo sanctissima *non* erat sub Lege. Nam quomodo sub Lege erat quae Legis auctorem genuit etc. — Subinde allegatur Ovid., IV. Metamor. v. 96: Audacem faciebat amor. — Inferius voci *servilem* A praefigit *et*, qui etiam pro *ut facerem novum votum* substituit *ut fierem novum.*

[2] Cant. 5, 10. — Inferius post *nullum horum* A prosequitur: *praecipue in me respexit Dominus, nisi florem* etc.

[3] Ita A; Bon. cum ed. 1 *cui mutuavi.*

[4] Cant. 1, 11, ex quo est etiam seq. locus, post quem Ioan. 1, 18. — Superius pro *quia respectus est a Domino flos violae meae* (ita A) Bon. cum ed. 1 *quia respecta sum a Domino. Flos violae meae.*

[5] Hieron., de Nominibus Hebraicis, Novi testam. de Matthaeo: *Nazareth*, flos, aut virgultum eius etc. — Inferius ex A supplevimus *concipit flos.*

[6] Cfr. Bonav., Comment. in Luc. 1, 26. n. 43. — Superius vocibus *florem caeli* A interserit *illum delicias.*

[7] Ita A; Bon. cum ed. 1 *in tota Ecclesia.* Inferius post *gloriam* A addit *suam.*

[8] Luc. 1, 30: Invenisti enim gratiam apud Deum. Eccli. 3, 20: Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.

[9] Iac. 4, 6. — Ed. 1 et Bon. *Scriptura ait*, omisso *sicut.*

[10] Respicitur Matth. 25, 1. seqq.

[11] Rom. 11, 20: Noli altum sapere, sed time. — Subinde allegatur Matth. 25, 12.

[12] Matth. 7, 13: Intrate per angustam portam... Quam angusta porta, et arcta via est, quae ducit ad vitam. — Ex A supplevimus *enim.*

[13] Matth. 18, 2. seq. Pro *parvulus hic* Vulgata *parvuli;* cfr. ibid. v. 4: Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste etc.

[14] Cfr. tom. VI. pag. 245, nota 2. — De Petri trina confessione vide Ioan. 21, 15. seqq.

[15] Cfr. Bonav., III. Sent. d. 32. q. 6.

[16] Matth. 11, 29. — Subinde allegatur Col. 2, 3, ubi pro *reconditi* Vulgata *absconditi.*

[17] Cfr. August., Serm. 69. (alias 10. de Verbis Domini) c. 1. n. 2. — Inferius pro *esse parvum* (ita A) Bon. cum ed. 1 *quod est parvum*, et subinde A omittit *enim alia.*

[18] Psalm. 112, 4. — Superius pro *qui mitis* A *quia mitis*, qui etiam inferius post *et disce etiam* prosequitur: *tu qui lutum es et cinis esse humilis et mitis, et sic* etc.

cordis delectatur ille qui *intuetur cor* [1], quia in humilium cordibus requiescit. Quaerit enim corda humilia, quae elevet, non tumida, a quibus resiliat.

59. Sed quia duo posuimus, quae nobis consideranda sunt, scilicet *quantum* et *quare* humiliata fuit vitis nostra, Dominus Iesus; utrumque hoc iam explicemus, quia vestrae nota [2] sunt caritati. Deficit tamen humanus intellectus, ratio succumbit in consideratione, *quantum* humiliatus fuerit Dominus. Quomodo enim scire posses deiectionem humilitatis, nisi etiam excellentiam dominationis agnosceres? Loquere enim, quidquid petes [3]; nunquid mensuram gloriae, potentiae et pulcritudinis eius attinges? Non ad hoc Angeli neque Cherubim neque Seraphim pervenerunt. Non enim aliqua creatura Deum cognoscit ita plenarie et perfecte, sicut ipse est; quanto minus *homo putredo* aut *filius hominis vermis* [4]? Et tamen quia tantus erat, ut *magnitudinis eius non esset finis*, ad hoc inclinatus est, ut Filius hominis fieret vermis. O quanta humilitas! Incomprehensibilis Deus vult comprehendi, summus humiliari, potentissimus despici, pulcherrimus deformari, sapientissimus fieri *ut iumentum* [5], immortalis mori, et, ut compendio absolvam, Deus vult fieri vermiculus! Quid excelsius Deo, quid vermiculo inferius? *Ego*, inquit [6], *vermis sum et non homo*. Quare vermis? quia Filius hominis. Ita enim habes in Iob: *Astra non sunt munda in conspectu eius, quanto magis homo putredo et filius hominis vermis?*

Quantum humiliatus fuerit Christus.

Factus est vermis.

60. Si ergo filius hominis vermis est, utique et ipse vermis est, quia, ipso testante, Filius hominis est; *quem*, inquit [7], *dicunt homines esse Filium hominis?* Ecce, qualem distinctionem facit inter *hominem* et *Filium hominis*. *Homines* appellat, qui de primo homine Adam per corruptionem descenderunt. Unde Iob ait: *Quanto magis homo putredo?* quia in putredine corruptio est; ipse vero solus purus Christus Dominus, quia sine corruptione de Matre Virgine natus est. Se quidem non appellat hominem, qui utique putredo est, sed *Filium hominis*, qui vermis est. Sicut enim vermis de sola terra, ita Iesus Christus de sola Virgine generatur [8]. O quam humilis vermiculus Iesus Christus, qui *opprobrium* factus est *hominum et abiectio plebis* [9], ab hominibus contemptus sine causa, sine vindicta, conculcatus sicut vermis! *Cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur*. Humiliatus est, ut fieret homo, ut hominibus subderetur, beatae Matri et Ioseph nutritio suo [10], Simeoni exspectatori suo, non solum bonis, verum etiam malis, terrenis potestatibus solvens cum Petro didrachma inventum in ore piscis. Subditus est Ioanni baptismate suo, qui ab ipso potius debuit baptizari [11]. Humiliatus est usque ad ablutionem pedum discipulorum suorum bonus et benignus Iesus. Postremo *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* [12]. Quo ultra progredi poterimus? Mortuus non qualibet morte, sed morte crucis, morte turpissima condemnatus est. Videsne igitur, quantum in vite nostra, benigno Iesu, flos iste violaceus floruerit? Multi usque ad mortem humiliati sunt, sed nequaquam eo vilipensionis descenderunt, quia nunquam [13] ad tantam exaltationem pervenerant. Quis enim omnium bonorum morientium sibi potuit usurpare quod de Christo Iesu dictum est [14]: *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo?* Nullus profecto, quia nullus hominum praeter ipsum Deus erat. Maxime ergo humiliatus fuit, qui solus, *cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*, et ad tantam abiectionem deveniens, ut ab hominibus iam non homo, sed vermiculus reputaretur.

Plura de verme.

61. Sed quae est *causa* tantae humiliationis in benigno Iesu? Non enim sine rationabili necessitate et iusta causa sic humiliatus est Filius et Sapientia Patris, quae nihil sine causa facit. Quid multis immoramur? Propter hoc factus est homo, ut homines redimeret; infirmatus est, ut nostras infirmitates curaret; inops factus est, ut sua nos inopia ditaret [15]; humiliatus est, ut nos exaltaret; traditus est ad mortem, immo mortuus est, ut nos vivificaret.

Item, quare humiliatus.

Quis sanae mentis contemnat humiliari propter tam humiliatum pro nobis? Et licet multae sint causae, quae nos ad humilitatem cogant, scilicet initium pudorosum, vita dolorosa, finis timorosus, metus gehennae, spes caelestium; his tamen causis aliisque [16], si quae sunt, cessantibus, sola Regis nostri, Creatoris nostri, Patris nostri, Redemptoris nostri, dulcissimi et optimi Iesu humilitas ad humilitatis virtutem nos non solum incitare, sed violenter cogere deberet. — Humiliemur igitur et propter supradictas causas, ut vicem [17] rependamus propter nos humiliato Domino Iesu, offerentes violam humilitatis ipsius, qua ipse, vitis nostra tam excellenter effloruit, et in corde nostro gustantes, ut hunc florem suum, quem ipse specialiter voluit commendare, recognoscens in nobis, nos secum, qui *super omne nomen* exaltatus est [18], *in tempore visitationis* suae exaltare dignetur.

Hortatio ad humilitatem sectandam.

Caput XVIII.

De flore castitatis, quae est lilium [19].

62. Non potuit deesse in vite nostra florente flos lilii candentis, excellens castitatis insigne. Inter omnes virtutes

---

[1] Libr. I. Reg. 16, 7. — Pro *quia in* A *qui in*, et pro *corda humilia* (ita A) Bon. cum ed. 1 *corda humilium*.

[2] Ita A; Bon. cum ed. 1 *votiva*, qui etiam inferius pro *Deficit tamen* (ita A) substituit *Deficit enim*, et omisso *in consideratione* (ita A), post *Dominus* addit *in conversatione*.

[3] Ita A; Bon. cum ed. 1 *Loquere enim. Quid pates?*

[4] Iob 25, 6; vide aliquanto inferius. — Subinde allegatur Ps. 144, 3.

[5] Psalm. 72, 23: Ut iumentum factus sum apud te. — Inferius pro *ut compendio absolvam* A *ut summum dicam*.

[6] Psalm. 21, 7. — Sequitur Iob 25, 5. seq.: Stellae non sunt mundae etc. Pro *quanto magis* ed. 1 cum A *quanto minus*.

[7] Matth. 16, 13.

[8] Cfr. Bonav., Comment. in Ioan. c. 1. n. 103. — In praecedente propositione A omittit *quidem* et *qui vermis est*.

[9] Psalm. 21, 7. — Sequitur I. Petr. 2, 23. — Pro *ab hominibus contemptus* A *ab omnibus aspernatus*.

[10] Cfr. Luc. 2, 51; ibid. v. 28: Et ipse [Simeon] accepit eum in ulnas suas. Matth. 17, 23. seqq. de solvendo didrachma. Vide supra pag. 165, notam 5. — Inferius vocibus *non solum bonis* A praefigit *et*.

[11] Matth. 3, 13-15. — De lotione pedum discipulorum vide Ioan. 13, 5.

[12] Phil. 2, 8.

[13] Cod. A *sed nequaquam tantum, quia nequaquam tantum descenderunt, qui nunquam*.

[14] Phil. 2, 6, cui aliquanto inferius additur v. 7.

[15] Epist. II. Cor. 8, 9: Propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis. Cod. A *ut nos eius inopia divites essemus*.

[16] Ita A; Bon. cum ed. 1 *hisque cum aliis causis*. Inferius ex A supplevimus *Creatoris nostri*.

[17] Cod. A *et ut vicem aliquo modo*, qui etiam subinde omittit *Iesu*, *offerentes* et post *effloruit* non exhibet *et*.

[18] Phil. 2, 9, post quem I. Petr. 5, 6: Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. — Superius post *specialiter* Bon. cum ed. 1 contra A addit *in se*. Inferius post *dignetur* A addit *Amen*.

[19] Cod. A *De lilio virginali*, Bon. *De florente lilio castitatis*.

castitas quadam speciali praerogativa meruit *flos* appellari, quae per lilium figuratur. Castitatis autem nomine in hoc tractatu non quamcumque accipe castitatem, sed eam quae *virginitas* appellatur. Est enim et castitas continentium sive viduarum, et est castitas maritalis. Sed hae iam minime *flores* appellantur, quia virginitatis [1] florem lilii amiserunt. Eos igitur, qui deflorati non sunt, id est virgines, flore lilii in praesenti volumus nuncupari; nec hoc dicendo facimus iniuriam continentibus et maritatis. Non enim, cum laudamus castitatem Ioannis, vituperamus coniugium Abrahae [2]; nec commendando virginitatem Mariae, viduitatem Annae reprobamus. Sed habent singuli merita sua non parva, tamen dignitate distincta. Quis enim fructum tricesimum non laudat in coniugatis, sexagesimum in viduis, licet his excellenter praeferatur fructus centesimus virginitatis [3]?

Triplex castitas.

63. De hac igitur gratia lilii, in quo vitis nostra floruit, locuturi, videamus, vera luce nos illuminante, quare tanta virtus per *lilium* figuretur. Et manifeste quidem occurrit, quia propter candoris munditiam, qua ille flos ceteris floribus est praelatus, munditia virginalis merito figuratur [4]. Nullus praeterea alius flos vel ipso prospectu tantum prae se fert gratiae, quantum hic unus; quare merito mundissima et omnibus piis gratiosa virginitas per hunc figuratur florem. — Quibus itaque laudibus te efferam, o virginalis candor, prorsus nescio. Atqui nescientem me doceat singulare illud lilium, increata Dei sapientia, Dominus Iesus, unigenitus Patris Filius et unicus Filius lilii singularis, id est castissimae Virginis Matris, quae in confinio utriusque legis votum consecravit perpetuae et integerrimae virginitatis [5]. Doceat, inquam, me, quomodo per considerationem lilii materialis lilii virginalis circumstantias agnoscere valeam. Praeter has ergo proprietates, quas iam proposuimus, ipsum lilium materiale in *radice* et *trunco*, in *foliis* circa illum, in *flore* super truncum [6] et in his aliis *flosculis*, qui intra illum includuntur, studiosius investigare curemus. Speramus enim, quod his omnibus spiritualiter consideratis, commendationem perfectae virginitatis invenire possimus.

Quare virginitas figuretur per lilium.

Laus virginitatis.

Caput XIX.

De radice lilii, id est cogitationibus in corde latentibus [7].

64. *Radix* lilii commendatur in tribus: *alba* est, *splendida* est, *tractabilis* est. Quid autem per radicem in terra latentem nisi cogitatio latens in corde figuratur? Per *albedinem* ergo radicis munditiam cogitationis accipimus. Quid est munditia carnis sine munditia cogitationis? De hac praecipit Dominus: *Lavamini*, inquit [8], *mundi estote;* et ne exteriorem munditiam intelligeres, subiunxit: *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Perversae enim cogitationes separant a Deo* [9]*;* et sicut ipsa Veritas testatur: *De corde exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, furta, blasphemiae* etc. *quae coinquinant hominem.* Sunt autem cogitationes nigrae sive pollutae, nempe *diabolicae, mundanae, carnales.* Cogitationes *diabolicae* sunt cogitationes superbae, cum aliquis se alio meliorem aestimat, et cum alii similis esse videri vult qui eo maior est; vel cum non vult subiectus esse ei qui sibi praelatus est. Diabolicae sunt cogitationes istae, quia a diabolo primum inventae sunt [10] et ab ipso ceteris familiarius usurpatae, ita ut proprie character diaboli dicatur superbia. — Cogitationes *mundanae* sunt illae, quae animum concupiscentiis rerum illaqueant, ut illis acquirendis nimis sollicite insistat et acquisitis nimis delectetur, ne proximorum necessitatibus erogentur; et sic fiant alieni a caritate Dei, quia scriptum est [11]: *Qui habuerit substantiam huius mundi et viderit fratrem suum necessitatem patientem et clauserit sua viscera ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* — Cogitationes *carnales* sunt, quae homines ad luxuriam pertrahunt carnis, utpote quando inordinata dilectione et delectatione cogitant viri de mulieribus, vel mulieres de viris, quia stulti homines amorem appellare praesumunt quod verius odium posset [12] appellari. Est et luxuria ciborum et potuum, cum lautiora et delicatiora propter solum saporem quaeruntur. Nam propter sanitatem adipiscendam posset quis uti delicatis cum moderatione; quod tamen difficile observatur. Simile iudicium est de his qui vestimentis delicatis uti desiderant.

Triplex eius proprietas.

Primo, rac est alba.

Cogitatione diabolicae

Item, mun danae.

Item, caro les.

65. Perditur proprietas lilii et virginitatis decor, si radici desit albedo et cogitationi virginalis [13] munditia. Nam si corpus extrinsecus sit mundum, et cogitatio intrinsecus sit polluta; iam non est virtus appellanda. Hoc tamen sciendum, teste Gregorio [14], quod cogitatio quantumlibet immunda mentem non polluit, cui ratio non consentit. Quis enim cogitationes suas ita refrenare potest, ut non qualibet immunditia titilletur? Sed continuo talium cogitationum insultus sunt reprimendi, ut unde se hostis sperabat vincere, per hoc magis victus abscedat. Quod fit, quoties, pravis et immundis cogitationibus attracti, statim

Applicat ad virginit tem.

---

[1] Bon. *virginalis*, et deinde pro *lilii* A *lilium*.

[2] Cfr. Bonav., IV. Sent. d. 33. a. 2. q. 2. et dub. 3.

[3] Respicitur Matth. 13, 23: Facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero trigesimum [fructum]. Hieron., in hunc loc., exponit illud de virginibus, viduis et coniugatis. Cfr. tom. IV. pag. 754, nota 6. — Superius pro *Quis enim* (ita A) Bon. cum ed. 1 *Quis autem*.

[4] Ita A; Bon. cum ed. 1 *est praelatus. Hinc sane munditia virginalis merito figuratur typo lilii.* Deinde A: Nullus enim flos tantum habet gratiae quantum iste; iuste igitur per mundissimum florem virginitas, virtus mundissima, figuratur, per florem singulariter gratiosum singularis gratia virginitatis merito commendatur. Sancta ergo et immaculata et gratiosa virginitas, quibus te laudibus efferam nescio. Sed doceat nescientem solus sciens, lilium singulare, sapientia Patris, Dominus Iesus Filius lilii singularis, id est castissimae Virginis, votum castitatis initiantis. Doceat, inquam, me etc.

[5] Cfr. supra n. 56.

[6] Ita A; Bon. cum ed. 1, superius pro *Praeter has* substituto *Propter has*, hic omittit *circa illum, in flore super truncum*, et inferius pro *includuntur* et *spiritualiter* ponit *concluduntur* et *specialiter*.

[7] Bon. cum A omittit *id est... latentibus*.

[8] Isai. 1, 16, ubi est etiam seq. locus. — Pro *et ne exteriorem munditiam intelligeres* (ita A) Bon. cum ed. 1 *Nam ne exteriorem munditiam intelligeres solam.*

[9] Sap. 1, 3. — Sequitur Matth. 15, 19. seq.

[10] Ita A; Bon. cum ed. 1 coniungens hanc propositionem cum praecedente, superius omisso *Cogitationes diabolicae sunt cogitationes superbae,* hic legit *praelatus est; diabolicae sunt cogitationes, quae a diabolo inventae sunt.* Inferius pro *usurpatae* A *usitatae.*

[11] Epist. I. Ioan. 3, 17, ubi pro *patientem* Bon. cum Vulgata *habere.* — Superius pro *insistat* et *delectetur* Bon. *insistant* et *delectentur.*

[12] Cod. A *potest.* Inferius Bon. cum ed. 1 contra A post *saporem quaeruntur* prosequitur: *non propter sanitatem adipiscendam. Potest quis uti* etc. Pro *difficile* A *difficillime.*

[13] Cod. A *virginali.* Inferius post *iam non* Bon. cum ed 1 contra A legit: *virtus, sed hypocrisis appellanda est.*

[14] Libr. XXI. Moral. c. 3. n. 7: Mentem nequaquam cogitatio immunda inquinat, cum pulsat, sed cum hanc sibi per delectationem subiugat.

ad signum crucis, ad passionis dominicae recordationem, ad orationum et lacrymarum subsidia confugimus et *in bello fortes effecti*[1], suo telo hostem ferimus.

...odo, est ...dida.

66. Non solum autem alba, sed et *candida* sive splendida est radix lilii; candore autem sive splendore hilaritatem animi videtur designare[2]. Sunt autem nonnulli, qui bona quidem opera faciunt vel coactione, vel necessitate, vel consuetudine; sed ad haec agenda nulla[3] alacritate moventur, quod vitium proprie *accidia* dicitur. Et hoc quidem vitio religiosi homines maxime affliguntur. Nam saeculares admodum pauci, etiam si hoc sit vitium, animadvertunt[4]. Mundo enim alligati, spiritualis vitii vix possunt apprehendere notionem, cum tamen hoc vitium inter septem principalia nominetur. Ut ergo spiritualibus loquamur, qui hoc vitium possunt intelligere, vitium *accidiae* est, quod quendam torporem incutit animo, ut ipsi omnia exercitia spiritualia quasi insipida videantur et in grave taedium convertantur. De quo taedio dicit Psalmista[5]: *Dormitavit anima mea prae taedio;* et alibi: *Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Tantum quippe aliquando affligitur hoc vitio anima bonorum, ut etiam omnem escam, id est omne spirituale exercitium, abominetur, ut nec orare nec legere nec meditari nec opus manuum libeat exercere. Immo etiam appropinquant *usque ad portas mortis*, id est, ut etiam ipsius vitae fastidium habentes, morte finiri desiderent, dicentes cum sancto Iob[6]: *Taedet animam meam vitae meae.* — Huic gravi vitio medetur iucunditas spiritualis, quae per nitorem radicis lilii designatur, et reformat aegrum animum et abiectum et ad meditationem incitat spiritualem et reddit desiderium laborandi, orandi et legendi, ut exsultet quasi *gigas ad currendam viam*[7] et cum Psalmista dicat: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Curritur quippe via mandatorum Dei, cum cor dilatatur, id est spirituali iucunditate aperitur. Dicitur enim naturaliter cor timore et tristitia claudi, securitate vero et laetitia aperiri. Quantum, putas, convenit haec virtus hilaritatis virginibus sacris, quae gaudium huius mundi et omnem ornatum saeculi contempserunt propter amorem Domini sui Iesu Christi[8], ut quod deest exterius interius impleatur? *Gaudete* ergo *in Domino semper*[9], quia vana gaudia reiecistis; *iterum dico, gaudete*, quia vero gaudio adhaerere meruistis et in cogitatione cordis vestri hilaritatis nitorem semper habere. *Hilarem enim datorem diligit Deus*[10], dator singularis et verae hilaritatis.

...ra accidiam.

...tedium.

Tertio, est tractabilis.

67. Est et *tractabilis* radix lilii, per quod[11] virtutem mansuetudinis intelligere debemus. Scimus enim, quam plurimos esse, qui castitatis virtute praeeminent, sed ita levi de causa, immo sine omni causa, moveri consueverunt, ut tam sibi quam aliis, in quos commoventur, fiant nimium onerosi, semper exacerbatum animum gerentes ex omnibus, quae capiunt visu vel auditu. Non decet hoc virginem Christi, qui dicit et docet[12]: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde;* et qui mitibus promittit beatitudinem, dicens: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Quid ergo immites? Exsules erunt a terra. Qua? De qua scriptum est[13]: *Placebo Domino in terra viventium.* Quid prodest castitas ab illa terra exsulantibus? Non sunt illa perfecta lilia, quibus haec proprietas deest; unde non pertinent ad illud perfectissimum lilium, benignum Iesum, qui de se dicit[14]: *Ego flos campi et lilium convallium.* Quae sunt illa lilia ad ipsum pertinentia? Audi: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Tractabile et lene est lilium, pungentes et durae sunt spinae. Non perdit lilium suam lenitatem, licet perferat spinarum asperitatem. O quam malae filiae spinis comparatae! Quomodo ergo sunt *filiae*, si malae? *Filiae* per communionem fidei[15], *spinae* per amaritudinem morum! Tu ergo, si vis esse lilium verum, si vis a Sponso dulcissimo collaudari, esto lilium inter filias, inter illas animas, quae eiusdem fidei, eiusdem professionis tecum sunt. Sed etsi morum amaritudine et verborum asperitate te pungunt, esto inter tales mitis et tractabilis; non exaspereris ad quodlibet verbum, sed habe sustinentiam, ut merearis et tu audire: *Sicut lilium inter spinas* etc.

Contra immites.

Coniungatur zelus.

68. Nec tamen hoc dicimus, ut tacite transeat[16] omnium perversitas, et ut non corripiantur inquieti, vel ut tumidi non comprimantur, immo qui eiusmodi sunt, sunt reprehendendi, ita ut non amittatur tractabilitas tuae radicis, qui vis esse lilium; sed, secundum Apostolum[17], *argue, obsecra, increpa, insta opportune, importune, in omni mansuetudine et patientia*, quasi dicat: ita foris exerce zelum disciplinae, ut lenitatem non perdas interius in mente, ut revocando perversum, tu ipse quoque non pervertaris. Sunt autem quandoque malorum vitia arguenda, quandoque

---

[1] Hebr. 11, 34. — Superius ex A supplevimus *ad orationum.*

[2] Cfr. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 21. n. 2. seq. et homil. 29. n. 9. — Cod. A *autumo designare.*

[3] Cod. A addit *cogitationis*, et inferius pro *Et hoc quidem vitio* ipse substituit *quo vitio.*

[4] Ita A; Bon. cum ed. 1 *non advertunt*, qui etiam inferius pro *notionem* et *Ut ergo* (ita A) substituit *nomen* et *Nunc ergo.*

[5] Psalm. 118, 28, post quem Ps. 106, 18. Cfr. Bernard., Serm. 2. in festo S. Andreae Apost. n. 4; Serm. 21. in Cant. n. 4. seq. et 54. n. 8.

[6] Cap. 10, 1. — Superius pro *appropinquant* A *ut appropinquent.* Inferius supplevimus ex A *spiritualis.*

[7] Psalm. 18, 6, cui subnectitur Ps. 118, 32.

[8] Breviar. Roman. Commune non Virginum, Resp. pro 8. lect.: Regnum mundi et omnem ornatum saeculi contempsi propter amorem Domini mei Iesu Christi.

[9] Phil. 4, 4, ubi etiam seq. locus. — Pro *reiecistis* (ita A) Bon. cum ed. 1 *eiecistis.*

[10] Epist. II. Cor. 9, 7.

[11] Ita A; Bon. cum ed 1. *per quam.*

[12] Matth. 11, 29. — Sequitur Matth. 5, 4. — Superius post *vel auditu* A addit *quia quantulacumque a Deo est* [fortasse legendum *adest*] *occasio, sufficit irae.*

[13] Psalm. 114, 9: Placebo Domino in regione vivorum. Hieron., Biblioth. divina, lib. Ps. iuxta Hebraicam veritatem, Ps. 116: Deambulabo coram Domino in terris viventium. — Superius Bon. cum ed. 1 contra A legunt: *Exsules erunt in terra. E qua?* et inferius pro *perfecta lilia* (ita A) substituit *profecto litia.*

[14] Cant. 2, 1. et deinde v. 2.

[15] Ita A; Bon. cum ed. 1 corrupte: *O quam malae filiae per communionem fidei.*

[16] Cod. A *pertranseatur.* Inferius pro *sunt reprehendendi, ita ut non* (ita A) ed. 1 *reprehendendi veniunt, ut ne,* Bon. *reprehendendi veniunt. Sed, ut non,* omisso subinde *sed* ante *secundum Apostolum.*

[17] Epist. II. Tim. 4, 2. — Inferius pro *foris* (ita A) Bon. cum ed. 1 *fortis.*

tacite sufferenda, secundum quod uniuscuiusque, qui talis est, utilitati videris expedire, quia non omnes aegroti uno genere medicinae curantur.

Caput XX.

De trunco lilii seu proposito bono, quod e radice bonae cogitationis exsurgit[1].

Triplex proprietas propositi.

69. Sequitur videre de *trunco* lilii, in quo tria considerantur: *rectitudo*, *fortitudo*, *longitudo*. Truncus ergo lilii a radice exiens, est propositum bonum exiens a bona cogitatione. Cum ergo[2] bona cogitaveris, si convalescant illa in te sicut radix in terra, necessitas exigit, ut ea quae cogitationi placent, proponas ad effectum boni operis perducere, et sic statim habes truncum lilii, et bonum[3] propositum a bona radice et cogitatatione procedens.

Caput XXI.

De rectitudine trunci[4], *id est recta intentione.*

Facile corrumpitur intentio.

70. Necessaria est autem huic trunco boni propositi rectitudo, id est, ut recta intentione proponamus bonum facere pro Christo, non terrenas divitias nec humanos favores nec honoris transitorii excellentiam requirentes. Astutus enim ille serpens, id est satanas, cum principio bonae cogitationis non potest resistere, ponit insidias in via, quibus intentionem[5] boni propositi possit evertere et per truncum perversum ipsam quoque radicem bonae cogitationis amarescere faciat. De his insidiis conqueritur Psalmista[6]: *In via hac, qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi.* O quanti istis laqueis capti et decepti sunt! qui bona quidem bene initiantes, tandem, exterioribus tentationibus[7] accedentibus, propositi sui rectitudinem deseruerunt et omnino perversi, et per bona opera sua vel divitias, vel honores, vel voluptates terrenas semel adepti[8], primae intentionis sunt obliti, et aliud quam Deum quaerentes, idololatrae facti sunt, dum *gloriam incorruptibilis Dei*, qui solus gloriosus est et qui solus quaerendus est, *mutaverunt in similitudinem volucrum, bestiarum et serpentum*[9]. Quomodo in similitudinem *volucrum* mutant gloriam Dei? Quia bona opera sua, quae prius ad gloriam Dei facere intenderunt, intentionis rectitudine commutata, pro vana mundi gloria facere laborant. Per *volucres* enim leves et instabiles et alta petentes vana gloria figuratur[10]. Gloriam Dei mutant in similitudinem *bestiarum* qui bona opera, per quae prius gloriam Dei intenderunt, postea[11] pro carnis implenda voluptate faciunt. Per *bestias* enim, quae tantum quae carnis sunt sequuntur, voluptas designatur. Gloriam vero Dei in similitudinem *serpentum* commutant qui bona opera, quae pro caelestibus tantum divitiis et pro gloria Dei adipiscenda fieri deberent, propterea operantur, ut ex his terrenas divitias consequantur. Per *serpentes* enim, qui terram comedunt, designantur avari, qui tantum lucra terrena sequuntur et his animae suae ventrem cupiunt implere.

Notandum.

71. Haec sunt scandala, quae in via rectae intentionis gradientibus abscondit diabolus, ut truncum lilii, id est bonum propositum, a sua rectitudine distorqueat. Heu! heu! Domine Deus, quis evadet laqueos istos? Ecce, ut taceam saeculares, quot quantosque videmus Ordinum diversorum praelatos, quos bona sine dubio scimus intentione nudos nudum Christum fuisse secutos[12], cum etiam inviti ad praelaturas attrahantur, non post longum tempus, sed statim corrumpunt intentionem, truncum vitiant, commutant propositum, ut praelaturis, ad quas inviti venerant, libenter inhaereant, praeesse cupientes potius quam prodesse; lautioribus ferculis et exquisitis voluptati ventris potius quam fratrum[13] utilitati vel divinae voluntati deserviunt; nonnunquam etiam pecunias congregare dicuntur, non ut spiritualibus filiis necessaria, sed ut carnalibus nepotibus et amicis superflue aliquid largiantur! O utinam mentiar, Domine Iesu, utinam mentiar, ut, me solo mentiente, omnes in rectitudine et veritate persistant!

Ad virg. hortat.

72. Vobis autem, o virgines Christi, humilitatis virtutem, quam iam saepius vestrae caritati commendavimus[14], ad propositi nostri rectitudinem pro maxima parte putamus sufficere. Quia enim in tantam altitudinem castitatis ascendistis, laborat adversarius vester, satanas, ut vos ab illa deflectat. Clamat enim nobis saepe, immo semper suggestionis internae voce dicens[15]: *Incurvare, ut transeamus.* Quid est *incurvare?* Deflecte intentionem tuam ad terrena, quam ad caelestia erexisti, ut pateat nobis transitus per te, ut conculcemus te. Ne consentias inimico tuo, o anima casta, virgo Christi, amica Sponsi tui, amici tui sponsa, ne consentias, ne incurveris[16]; hoc est, nihil terrenum quaeras, non laudes humanas, non honores, non divitias terrenas; quia si ad haec declinaveris, transibit per te mendax ille teque conculcabit et premet ac elidet te et iugum iniquitatis suae importabile ponet super te, si abieceris *iugum* Christi *leve et suave*[17]. O quam insensati, qui rectitudinem intentionis suae sic incurvant, ut accipiant illum teterrimum et iniquissimum satanam sessorem suum, abiecto illo pulcherrimo et optimo primo rectore Domino Iesu, cuius, ut ipse asserit[18], iugum suavissimum est et onus levissimum.

---

[1] Bon. cum A omittit *seu proposito... exsurgit.*
[2] Ita A; Bon. cum ed. 1 *Cum enim.*
[3] Ed. 1 et Bon. contra A: *id est boni, hoc est bonum.* Inferius pro *et cogitatione* A *a bona cogitatione.*
[4] Ita A; Bon. cum ed. 1 *lilii;* Bon. cum A omittit *id est recta intentione.*
[5] Cod. A *si intentionem.* Inferius pro *per truncum perversum* A *trunco perverso,* qui etiam pro *amarescere faciat* substituit *cogat arescere.*
[6] Psalm. 141, 4. — Bon. cum ed. 1 *Psalmus.*
[7] Ita A; Bon. cum ed. 1 *cogitationibus.* Inferius ante *omnino perversi* Bon. cum ed. 1 omittit *et.*
[8] Cod. A *adipiscentes,* qui etiam inferius vocibus *Deum quaerentes* interserit *bonis operibus suis.*
[9] Rom. 1, 23.
[10] Ita A; Bon. cum ed. 1 *vana figurantur.*
[11] Ed. 1 et Bon. contra A *praeterea.* Inferius pro *quae carnis sunt* A *carnis sensum.*
[12] Respicitur sententia Hieron. supra pag. 114, nota 7. allata. — Ed. 1 et Bon. prosequuntur: *et tamen inviti ad praelaturas licet attrahantur* etc. Subinde pro *vitiant* A *incurvant.*
[13] Ex A supplevimus *fratrum.* Inferius pro *nepotibus* (ita A) Bon. cum ed. 1 *nepotulis.*
[14] Ed. 1 et Bon. contra A, superius omisso *iam,* substituunt *commendamus,* et inferius pro *Quia enim* ponunt *Dum enim,* et *ascenditis* pro *ascendistis.*
[15] Isai. 51, 23. — Bon. cum ed. 1, refragante A, *immo semper suggerit vocem illam, dicens.*
[16] Ed. 1 et Bon. *ut ne incurveris.*
[17] Matth. 11, 30: Iugum enim meum suave est et onus meum leve.
[18] Cfr. nota praecedens. — Cod. A *ut ipse vere asserit.*

Caput XXII.

De fortitudine trunci seu de constantia boni propositi [1].

73. *Fortitudo* trunci exprimit [2] virtutem, quae fortitudo vocatur. Est autem fortitudo, secundum quod hic accipimus, quaedam virtus omnium tentationum sustinens insultus, non tantum earum quae molestae, sed etiam earum quae prosperae sunt. Est autem haec virtus trunco lilii nostri, proposito boni operis, et maxime voto virginitatis conveniens, quia quanto laudabilius est votum, tanto fallacius et fortius insistit diabolus, ut impediat bene terminari [3] quod in bono initio non potuit impedire. Talis truncus vere opus est ut sit fortis contra *frigus*. Frigus, quo bonum propositum tentatur, accidia est, qua quandoque, sicut etiam supra [4] diximus, in tantum tentantur electi, ut nec orare libeat nec legere nec meditari nec aliud quidquam operari eorum quae sunt quaedam fomenta animae; quia oratione, lectione, meditatione, seu etiam exteriori exercitio corporis vires animae reparantur et conservantur et augentur, eisque subtractis, animam languescere necesse est et in frigus mortale resolvi, statimque subintrat luxuria vindicatque sibi sedem in anima frigida et eam pessime suo igne calefacit. Sine intermissione igitur [5] nostro lilio, virgini Christi, orandum, legendum, meditandum, vel etiam exterius aliquid operandum est, ne in ipsa truncus boni propositi corrumpatur. Haec enim, sicut ait beatus Augustinus [6], si cum discretione fiant, ut valetudinem corporis non perturbent, in delicias spirituales vertuntur.

...umpitur ...gore.

74. *Calor,* quo corrumpitur truncus boni propositi saeculi prospera sunt, in quibus nimis insidiae inimicorum latent. Multos enim invenimus, qui adversis resistant, quia in illis tentatio est manifesta. Quis autem repugnaret in pace prosperitatis, ubi omnimoda quies invenitur [7]? Sanum est corpus, adversitates animi quieverunt, tentationes sedatae sunt. Quid superest nisi securitas? Cave, cave; vae huic securitati, vae paci huic, de qua dicit ipsa Veritas [8]: *Dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quae possidet.* Time ergo, dum omnia tibi prospera sunt et tranquilla, ne ille *fortis armatus*, id est satanas, sine resistentia possideat te. Noli dicere apud te quod dixit ille dives, cuius ager uberes fructus attulit [9]: *Anima mea, habes multa bona reposita in annos plurimos; comede, bibe, epulare*, quia, *cum dixerint: Pax et securitas, tunc repentinus superveniet eis interitus, et non effugient.* Tu vero, si vis pacem et securitatem veram habere, vide, ne unquam securus sis, sciens pro certo, nihil tibi tam timendum sicut praesentem pacem, quae sine dubio aeternum generat timorem. Neque enim omnibus Sanctis melior es tu, qui in tentationibus probati et perfecti sunt. Quis melior beato Iob, cui ipse Dominus testimonium perhibuit [10], quod esset *vir simplex et rectus ac timens Deum et recedens a malo*, et cui *similis non* erat *in terra?* Simile vide in omnibus Deum timentibus, Apostolis, Martyribus, « quanta passi sunt tormenta, ut securi pervenirent ad palmam regni [11] », qui *fortes facti sunt in bello*, non in prosperitate.

..., calore.

75. *Tempestates* autem truncum lilii nostri impugnantes manifestae adversitates sunt, in quibus quaerendum est unicum et singulare remedium ille optimus medicus, dux non seducens, rex suos erigens, athleta fortissimus, in suis et pro suis pugnans et vincens et inde victores coronans Dominus Iesus. Quid quaeris, quod in illo non invenias? Si aegrotas [12], medicus est; si exsulas, dux est; si desolatus es, rex est; si impugnaris, pugil est; si esuris, panis est; si sitis, potus est; si alges, vestimentum est; si tristaris, gaudium est; si obtenebraris, lux est; si orphanus es, pater est. Sponsus est, amicus est, frater est, summus, optimus, misericordissimus, fortissimus, pulcherrimus, sapientissimus est, omnia sine fine gubernans. Quid autem laboro? Omnia, quae velle potes et debes, est Dominus Iesus Christus. Desidera hunc, acquire hunc, posside hunc, quia hic est illa una pretiosa margarita, pro qua emenda vendenda sunt omnia, quae tua sunt [13]; qua habita, nullius tempestatis procellam timebis. Sit ille finis propositi tui, sit in illo posita fortitudo tua, non in viribus tuis [14]; et nullo modo confringeris, quia ipse et non alius est verissimus et optimus consolator omnium adversitatum et pressurarum.

Item, tempestatibus.

Remedium in solo Christo.

Caput XXIII.

De vermibus, qui corrodunt [15] *truncum, id est malis suggestionibus bonum propositum corrumpentibus.*

76. *Vermes* truncum boni propositi corrumpentes sunt tentationes intrinsecae, quae tanto nociviores [16] sunt, quanto familiariores, saepe sub specie boni bonum propositum corrumpentes. Est enim aliquis, qui de bonae cogitationis radice boni propositi truncum emisit. Proponit omnia, quae mundi sunt, relinquere, ut nudus Christum nudum sequatur [17]; sed nascitur intrinsecus vermis pravae suggestionis, dicens ita: indotata tibi soror est, paupercula mater, sunt fortassis fratres, vel filii, sive alii quicumque amici rei familiaris inopia laborantes, qui de te solo pendent, te

Item, vermibus corrumpitur.

Pravae suggestiones.

[1] Bon. cum A omittit *seu de.... propositi.*
[2] Ita A; Bon. cum ed. 1 *imprimit.*
[3] Ed. 1 *tertiari*, et in margine *alias terminari.* De verbo *tertiare* cfr. Du Cange, Glossarium etc.
[4] Num. 66. — Superius pro *Frigus, quo bonum propositum tentatur* (ita A) Bon. cum ed. 1 *Bonum namque propositum unde tentatur.*
[5] Ita A; ed. 1 et Bon. *Sine autem intermissione.*
[6] De Bono viduitatis, c. 21. n. 26: Ieiunia quoque ac vigiliae, in quantum valetudinem non perturbant, si orando, psallendo, legendo et in lege Dei meditando insumantur, in delicias spirituales etiam ipsa quae videntur laboriosa vertuntur.
[7] Hanc propositionem ex A supplevimus. Inferius pro *quieverunt* (ita A) Bon. et ed. 1 *quae enervant, et.*
[8] Luc. 11, 21, ubi pro *omnia, quae* (ita A) Bon. cum Vulgata *ea quae.*
[9] Luc. 12, 19, post quem I. Thess. 5, 3.
[10] Iob 1, 1. et 8.
[11] Breviar. Roman. (et etiam Liber Responsalis, qui est inter opera Gregorii) Commune plurim. Mart. antiph. 1 ad Laudes, ubi tamen pro *regni* substituitur *martyrii.* — Sequitur Hebr. 11, 34.
[12] Ita A; Bon. cum ed. 1 *Si aegrotus es.* Inferius ex A supplevimus *si esuris, panis est.*
[13] Cfr. Matth. 13, 46. — Superius pro *acquire hunc, posside hunc, quia hic* (ita A) Bon. cum ed. 1 *require hunc. Quia haec.*
[14] Vide supra pag. 110, notam 7. — Inferius ex A supplevimus *omnium.*
[15] Cod. A *corrumpunt*, qui etiam cum Bon. omittit *id est... corrumpentibus.*
[16] Ita A; ed. 1 et Bon. *viciniores.*
[17] Alluditur ad verba Hieron. supra pag. 114, nota 7. allata. — Inferius post *dicens ita* hanc exhibet rubricam *De prava suggestione.*

unum respiciunt, quos si reliqueris, aut mendicabunt turpiter, nimirum in tuum et[1] tui generis opprobrium, aut certe furtive, vel violenter rapient aliena, et sic in corpore simul et in anima peribunt. Quod si tu, qui his poteris subvenire manendo in possessione tua, hos in certo periculo reliqueris et *clauseris viscera* tua *ab eis; quomodo caritas Dei manet* in te[2]? Ergo, ut maneas in caritate, mane cum illis, quia sine caritate nihil tibi proderit, quidquid agas[3]. Quod si etiam tibi prodesset, melius tamen esset, ut multos tecum quam te solum salvares. Nunquid praeceptum est alicubi a Domino, mundum omnino ab omnibus relinqui, et non magis misericordiae operibus insudare? Non de mundo relicto, sed de misericordiae operibus commendabuntur electi et salvandi in extremi examinis die[4]. Quid ergo quaeras extra mundum, quod in mundo melius habere poteris et securius? — Adduntur his vermibus alii vermes mortiferi, scilicet difficultas claustralium praeceptorum, et quod « maior est casus, ubi altior gradus[5] », ciborum parcitas, ieiunia, vigiliae, intolerabilis labor sine requie, duritia lectorum, laborum assiduitas et super omnia abrenuntiatio propriae voluntatis, cum periculo falsorum fratrum[6], duritia praelatorum. Ecquis omnia enumerabit? Innumerabiles sunt omnes hi vermes pessimarum suggestionum truncum boni propositi gravissime corrodentes. Omnino resistendum[7] est his vermibus, omnino et sacrarum Scripturarum rationibus sunt enecandi.

Alii vermes.

77. Vermis igitur, qui indiscretam caritatem et misericordiae compassionem persuadet, occidendus est unguento dominicae sententiae dicentis[8]: *Si quis venit ad me et non odit patrem et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non est me dignus.* Qualiter autem diligendi et qualiter odiendi sint, per vaccas trahentes plaustrum cum arca Domini perdocemur[9]; quarum vituli cum essent reclusi domi, ipsae vaccae arcam gestantes et recto itinere pergentes Bethsames, cum audirent voces vitulorum, dederunt quidem rugitum, qui erat signum naturalis affectus, nec tamen se ab arrepto semel itinere deflexerunt. Tu ergo[10], si iam portas sive professione aperta et solemni, sive occulto proposito iugum Domini, id est Regulam quamcumque per Spiritum sanctum a Patribus institutam; si te praedictorum vermium suggestiones incipiunt corrodere, imitare vaccas allophylorum[11] portantes arcam Domini; redde mugitum, id est signum affectus, hoc est, condole, compatere, consolare eos qui naturali amore tibi coniuncti sunt; sed nihilominus serva viam inceptam, hoc est, perfice bonum propositum, dirigendo pedes tuos versus Bethsames, versus *domum solis*[12], hoc est ad caelestem patriam, ubi est summa et spiritualis habitatio solis nostri, Domini Iesu, qui est *sol iustitiae*[13], qui in illa domo *lucet in virtute sua*, habitans *lucem inaccessibilem.* Sic sunt odiendi amici, ut affectus amoris erga illos conservetur; sic sunt et amandi, ut eorum amor nequaquam amori Dei praeferatur. Immo nec animae nostrae commodum temporale amori illius praeferre debemus, sed tanquam odisse animas nostras[14] affligendo illas ieiuniis, vigiliis, castigationibus, ut doceamus eas dominicis obedire praeceptis. Eos quoque, quorum inopiam supplere possemus in saeculo permanendo, ei commendabimus conservandos, qui est *Rex regum*[15], *dives in omnes, qui invocant illum*, orantes, ut eorum statum ita gubernet, sicut scit eorum saluti expedire.

Remedia contra primam suggestionem.

78. Ceterum vermes suggerentes austeritatem vitae regularis velociter necabuntur, si mentem nostram myrrha, id est amaritudine dominicae passionis, curaverimus inungere, cui quidquid pati poterimus[16] comparatum aut parum, aut nihil poterit aestimari. Sunt autem hi vermes maxime importuni proposito virginali, eo quod magister vermium Beelzebub, qui primitus Evam virginem leviter supplantavit[17], se modo iure doleat a virgunculis utriusque sexus toties supplantari. — Vide ergo et praevide et praecave vermes tibi insidiantes, virgo Christi; quoniam cum te, quandoque ad plenitudinem casti lilii perventurum, iam usque ad truncum boni propositi viderit profecisse, emittet in mentem tuam vermes suggestionum nocentium, tanquam ita dicentes[18]: Quid agis? Quorsum deflecteris? Nunquid florem iuventutis tuae vis exstinguere? Nunquid dulcedinem maritalis copulae non vis experiri[19]? Nunquid carissimos filios et filias solatii tui et vitae tuae superstites non habebis? Nunquid ministrorum fidelium servitio carebis? Stultum est iter, quod aggrederis, imitare parentes tuos, qui te genuerunt. Gigne et tu filios et secundum institutionem dominicam coniugio fruere, qui de virginibus praeceptum non dedit.

Item contra secund.

Hortati[o]

79. Insidiosi vermes sunt hi, o virgo Christi, in cuius faciem tibi respiciendum est, si hos curaveris evadere. Diligentius intuere[20], quis sit Iesus Christus, o anima virginalis; utrum virgo, vel coniugata, de qua natus; utrum

Continu[atio]

---

[1] Ex A supplevimus *tuum et.* Inferius vocem *certe* Bon. cum ed. 1 transponit post *vel.*
[2] Epist. I. Ioan. 3, 17. — Superius pro *reliqueris et clauseris* (ita A) ed. 1 et Bon. *reliquisse videberis et clausisse.*
[3] Cfr. I. Cor. 13, 1. seqq. — Inferius pro *salvares* (ita A) Bon. cum ed. 1 *servares.*
[4] Vide Matth. 25, 34. seqq. — Superius post *relinqui* Bon. cum ed. 1, refragante A, prosequitur: *Quin et magis operibus misericordiae commendabuntur* etc. Inferius pro *quaeras* (ita A) ed. 1 et Bon. *quaeris.*
[5] Cfr. de Dignitate sacerdotali (inter opera Ambrosii), c. 3. — Inferius post *parcitas* A addit *nimia* et omittit *ieiunia.*
[6] Epist. II. Cor. 11, 26: Periculis in falsis fratribus.
[7] Cod. A *corrodentes et nunquam demordentes omnino. Resistendum.*
[8] Luc. 14, 26, ubi pro *non est me dignus* (cfr. Matth. 10, 37.) Bon. cum Vulgata *non potest meus esse discipulus.* — Superius pro *indiscretam caritatem* (ita A) Bon. cum ed. 1 *indiscrete adeo caritatem.*
[9] Cfr. I. Reg. 6, 7. seqq. — Subinde pro *cum essent* (ita A) ed. 1 et Bon. *dum essent.*
[10] Ita A; Bon. cum ed. 1 *Tu vero.*
[11] August., Enarrat. in Ps. 55. n. 3: *Allophylorum,* id est alienigenarum.
[12] Hieron., de Nominib. Hebraicis, de III. Reg. *Bethsames,* domus solis. — Cod. A *id est versus domum solis.*
[13] Malach. 4, 2. — Subinde allegantur Apoc. 1, 16. et I. Tim. 6, 16. — In seq. propositione pro *odiendi* A substituit *amandi,* et subinde pro *et amandi* ponit *odiendi.*
[14] Ioan. 12, 25: Qui odit animam suam in hoc mundo in vitam aeternam custodit eam. — Superius ex A supplevimus *temporale.*
[15] Epist. I. Tim. 6, 15, post quem Rom. 10, 12. — Superius pro *Eos quoque* A *Eos ergo,* et pro *supplere* (ita A) Bon. cum ed. 1 *implere.*
[16] Ita A; Bon. cum ed. 1 *potuerimus.*
[17] Cfr. Gen. 3, 1. seqq.
[18] Ita A; Bon. cum. ed. 1: virgo Christi. Cum enim nonnunquam cogitaris, te ad perfectam staturam casti lilii aut pervenisse iam, aut facile perventurum, excute ac depelle abs te vermes istos suggestionum noxiarum et imminentium trunco pariter et radici tui lilii tibique per suggestionem dicentium.
[19] Bon. cum ed. 1 contra A *non experieris.*
[20] Ita A; Bon. cum ed. 1: *in quorum faciem conspuendum est tibi. Si hos curaveris evadere, diligentius intuere,* qui etiam subinde omittit *utrum virgo, vel coniugata, de qua natus* et *utrum virginem, vel coniugatum.*

virgo, vel coniugatus, cui Virginem Matrem commiserit; quem familiarius dilexerit, utrum virginem, vel coniugatum. Quid opus est multis? Virgo est Christus Iesus, natus de Virgine, quam virgini purissimo commendavit, hoc est beato Ioanni, quem « specialis praerogativa castitatis ampliori dilectione fecerat dignum[1] ». Hic Iesus Christus, Sponsus tuus tibi sequendus est potius quam parentes, si vis florem iuvenilem animae tuae conservare, qui nunquam veterascit; virginitas enim nunquam decidet. Si autem de flore corporali vis agere, nunquid non magis florent virgines animo simul et corpore quam qui corrupti[2]? Immo vero virgines tam in corpore quam in anima vere florent, singularia lilia lilii singularis, Domini Iesu, qui, ut firmiter spero, et in hac mortali vita suis liliis abundantiam suae suavitatis abundantius quam ceteris eructat[3], quia in his similitudinem suam videt distinctius expressam. Quocumque enim Christus pergit, virgines sequuntur[4] fecundaeque fiunt, de spiritu ipsius concipientes bonum propositum et bona opera parientes, quae nunquam moriuntur, sicut generatio terrena, quae in peccato concipitur, in tristitia pariter et anxietate nutritur, cum dolore tandem amittitur vel deseritur. Non tales erunt filii tui, o virgo Christi, non sic. Nunquam morientur, nunquam[5] amittentur, immo semper sive viventem, sive morientem sequentur te, tuebuntur te et in vitam aeternam perducent te. *Multi* ergo *filii* et multo meliores *desertae*, id est virginis Christi, quae ad praesens deserta videtur, *magis quam eius quae habet virum*[6] carnalem. Si haec et his similia frequenter ad mentem reduxeris, morientur procul dubio in te vermes malarum suggestionum nec ad corrodendum truncum boni propositi tui, tuente te Sponso tuo, aliquo modo praevalebunt.

[Fecunditas spiritualis.]

Caput XXIV.

De longitudine trunci, seu de virtute longanimitatis et perseverantia in bono proposito [7].

80. *Longitudo* trunci in lilio, quae in altum erecta est, virtutem longanimitatis insinuat, quae perseverare volentibus summe necessaria est. Sed quia de virtute perseverantiae supra in tractatu sexti folii[8] diffusius locuti sumus, hic brevius aliquid dicemus. Videtur autem haec virtus plurimum commendanda in virginibus, maxime sexus feminei, quarum tam animis quam corporibus quaedam infirmitas et debilitas longanimitati sive perseverantiae contraria naturaliter est inserta. Sed benedictus Deus, qui hodierna die etiam *infirma mundi elegit, ut confundat fortia*[9], et animis virguncularum tenerrimarum se ipsum proponit defensorem, ut illius primi et fortissimi corruptoris, antiqui serpentis dico, caput elidat, qui humillimis Christi virginibus insidiatur[10]. Quis sanae mentis prae gaudio non exsultet, cum iam tempora nostra tot videat virginum liliis redimiri, tanta fortitudine, non sua, sed Sponsi sui contra furorem draconis infesti viriliter dimicantibus et triumphi coronam merentibus?

81. Gaudeo ego plane, cum iam nec in vicis nec in civitatibus nec in claustris lilia ista desint, immo cum et multa[11] deserta et invia claustris virginalibus sint repleta, ita ut vere dicatur, quod germinant campi eremi germen odoris Domini. Etenim *ascendunt de deserto* virgunculae, virtutum *deliciis affluentes*, *innixae* non super se, sed *super dilectum suum*[12] et longanimiter exspectantes Sponsum suum, quando veniat, ut, cum clamor factus fuerit, aptent lampades suas et intrent cum eo ad nuptias sempiternas, ubi *iucunditatem et exsultationem thesaurizabit super ipsas et nomine aeterno hereditabit illas*[13] Sponsus illarum, Dominus Deus noster. — Vos igitur, o virgines Christi, ne deficiatis in exspectatione Christi. Aderit enim citissime Sponsus vester, qui idcirco adventum suum differt, ut cum ceteris bonis operibus vestris vestrae etiam donet exspectationi coronam. Scio, quamvis expertus non sim, quomodo gematis, quomodo compungamini in illo purissimo cubili cordis vestri, *exspectantes beatam spem et adventum Christi*[14]; sed *patientes estote et confirmate corda vestra*. Ne deficiatis in bono proposito vestro, ut ad consummationem boni operis et perseverantiam pervenire possitis, per quam coronam mereamini sempiternam.

[Multitudo horum liliorum.]

[Hortatio.]

Caput XXV.

De foliis lilii circa truncum[15], *id est de verbis piis et fructuosis virginum.*

82. Iam de *foliis*, quae circa truncum sunt, videamus. Folia igitur, sicut supra[16] diximus de foliis vitis, verborum figuram habent. Circa quae folia considerandum est, quod semper sunt virentia. Inferius, iuxta[17] terram maiora sunt et plura, quam in superiori parte, et superposita apostematibus rumpunt et mitigant ea. Nimirum his foliis similia debent esse verba virginum. Viriditas igitur foliorum virtutem verborum significat, videlicet ut nullum verbum proferatur ab ore virginis Christi, quod nihil in se virtutis contineat. Resecentur[18] hic non solum verba

[Notandum.]

---

[1] Breviar. Roman. in festo S. Ioan. (27 Dec.) Resp. Noct. 2 lect. 5. Cfr. tom. VI. pag. 529, nota 1.

[2] Cod. A *corpore incorrupti quam coniugati in corpore de necessitate corrupti et etiam fortassis in animo?*

[3] Psalm. 144, 7: Memoriam abundantiae suavitatis tuae eructabunt. — Superius ex A supplevimus *Domini Iesu.*

[4] Apoc. 14, 4: Virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum, quocumque ierit. — Inferius post *generatio terrena* ex A addidimus *quae.*

[5] Ita A; Bon. cum ed. 1 *Neque enim unquam morientur, unquam.*

[6] Isai. 54, 1. et Gal. 4, 27. — Superius post *desertae* Bon. cum ed. 1 contra A prosequitur *id est virgines Christi, quae* [ed. 1 *qui*] *ad praesens desertae* [ed. 1 *deserti*] *videntur.*

[7] Bon. cum A omittit *seu de... proposito.*

[8] Cfr. supra pag. 178, nota 8.

[9] Epist. I. Cor. 1, 27.

[10] Cod. A *corruptoris caput, antiqui serpentis dico, qui illarum calcaneo insidiatur, suarum virginum humillimarum virtute conculcet* (cfr. Gen. 3, 15.). Subinde pro *exsultet* (ita A) ed. 1 et Bon. *exsiliat.*

[11] Cod. A *ista.* Inferius pro *germinant* et *odoris* (ita A) Bon. cum ed. 1 *germinent* et *odorem.*

[12] Cant. 8, 5: Quae est ista quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? — Subinde respicitur Matth. 25, 6. seqq. (de virginibus prudentibus).

[13] Eccli. 15, 6. Pro *iucunditatem et exsultationem thesaurizabit* (ita Bon. cum Vulgata) A et ed. 1 *iucunditas et exsultatio thesaurizabitur* (ed. 1 *thesaurizabit*). — Deinde ex A supplevimus *Sponsus illarum.*

[14] Tit. 2, 13, post quem Iac. 5, 8. Duos hos locos ex A supplevimus.

[15] Cod. A *De foliis, quae sunt circa truncum,* omissis *id est... virginum* (etiam Bon. haec omittit).

[16] Cap. 6. n. 1.

[17] Ita A; Bon. cum ed. 1 *virentia inferius, et circa,* qui etiam subinde vocibus *et superposita* interserit *quod.*

[18] Ed. 1 et Bon. contra A *Ut resecentur.*

turpia, scurrilia, iocosa, luxuriosa, superba, iracunda, detractoria, adulatoria, sed etiam superflua. Verbum enim superfluum, id est otiosum, folium aridum est; folium vero aridum folium lilii non est. Si ergo vis esse lilium, habeto verba virtuosa, folia viridia, de quibus scriptum est[1]: *Folium eius non defluet.* Vis autem videre, quod verbum otiosum folium aridum est? Audi ipsam Veritatem, Dominum Iesum: *Omne*, inquit[2], *verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicii.* O quantus terror! Iudex sapientissimus, qui numerat omnes pluviae guttas, *discretor* omnium *cogitationum*[3] omnium hominum a primo Adam usque ad ultimum, qui erit in fine saeculi, vult audire rationem omnium verborum otiosorum, *cum sederit in sede maiestatis* iudicii sui, ubi non iam misericordia, sed iudicium cantabitur Domino. Quid tum miseri et miserabiles faciemus[4]? Sapientissimus es, Domine, falli non potes; iustissimus es, corrumpi non potes. *Tempus miserendi*[5] tunc praeteritum erit, quia *iudicabis orbem terrae in aequitate; iudicabis populos in iustitia*, qui prius per misericordiam pepercisti. Quid ergo dicam ego miserrimus et quid faciam? Miserere, quaeso, dum *tempus* est *miserendi*[6], *Pater misericordiarum*, ut non iudices me in tempore iudicandi. *Pone custodiam ori meo et ostium circumstantiae labiis meis*[7], ut non solum a maledictis et turpibus declinem, verum etiam otiosa verba devitem, ne de illis me oporteat *in die iudicii* reddere *rationem*, ubi non de bonis et viridibus foliis verborum, sed de malis et aridis ratio est reddenda.

Verba otiosa.

De his ratio reddenda.

83. Quid est autem verbum *otiosum?* « Otiosum est verbum, teste Gregorio[8], quod ratione iustae necessitatis, vel intentione piae utilitatis caret ». Quidquid ergo loqueris sine rationabili necessitate, vel sine intentione utilitatis, id est, quod non loqueris, ut[9] intendas alicui prodesse, otiosum est. Quis de his omnibus potest reddere rationem? Moderetur ergo omnis homo linguam suam, sed praecipue virgines Christi, ut sciant, quando vel qualem proferant sermonem. Non enim decet, ex ore *cantaturo canticum novum*[10] Sponso suo aliquod verbum procedere, quod illi cantico sit contrarium. Quid est ergo canticum novum? Canticum caritatis. Quare *novum?* Quia in initio saeculi a primis creaturis canticum fuit vetus, canticum contrarium caritati. Vis ergo nosse? Cantavit angelus periturus in caelo canticum *superbiae*, dicens[11]: *Ponam sedem meam ad aquilonem et similis ero Altissimo.* Cantavit postea canticum *detractionis* in paradiso, cum accedens ad mulierem ait[12]: *Quare prohibuit Deus vobis, ne comederetis de ligno scientiae boni et mali?* tanquam diceret: mala intentione prohibuit. Canticum *dubitationis* cantavit mulier, dicens[13]: *Ne comedamus et forte moriamur.* O *forte* quantum infirmitatis nobis induxisti! Videns autem diabolus mulierem dubitantem prorupit ad canticum aperti *mendacii*, dicens[14]: *Nequaquam moriemini.* O nequam, o nequam, ubi est modo tuum *nequaquam?* Ecce, mortui sunt et duplici morte quos dixisti nequaquam morituros. *Nequaquam*, inquit, *moriemini.* Malum et vetus canticum hoc verbis Veritatis contrarium. Dixerat enim Deus[15]: *Quacumque die comederitis ex eo, morte moriemini*, morte videlicet animae, vel ut alii exponunt: *Moriemini*, id est, mortales efficiemini, scilicet ut necessitatem tunc habeatis moriendi qui modo potestis non mori[16]. Si enim in obedientia permansissent, mortui non fuissent. Cantavit et Adam canticum *excusationis* in peccato, cum dixit[17]: *Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi, et comedi*, ac si diceret: tu potius accusandus esses, qui talem mihi iunxisti mulierem, quae me ad peccandum induceret.

Quid sit verbum otiosum.

Cantica vetera contra novum.

84. Carissimi, vetera cantica sunt haec: canticum superbiae, canticum detractionis, canticum dubitationis, canticum mendacii, canticum excusationis. Cavenda sunt et per omnem modum cavenda[18] haec cantica, o virgines Christi, si novum vultis canticum decantare. Sed neque aures vestras talibus canticis aperietis, qui vocem Christi specialius et familiarius audire desideratis. Vivit enim adhuc ille malignus serpens et sub virginea facie[19], id est sub specie boni, collocutionis suae venena distillat. Cantat adhuc in cordibus auditorum suorum canticum superbiae, cum illis latenter suggerit, ut ad honores et dignitates et praelaturas aspirent, vel propter nobilitatem, vel propter scientiam, sive etiam propter bonitatem suam. His enim

Haec cavenda.

[1] Psalm. 1, 3.
[2] Matth. 12, 36. — Pro *inquit* (ita A) Bon. cum ed. 1 *igitur*.
[3] Hebr. 4. 12. — Subinde allegatur Matth. 19, 28. et respicitur Ps. 100, 1: Misericordiam et iudicium cantabo tibi, Domine.
[4] Cod. A *Quid ergo hic ego miserandus et miserabilis faciam?*
[5] Psalm. 101, 14, post quem Ps. 97, 9. — Inferius ex A supplevimus *ego miserrimus, et quid faciam.*
[6] Psalm. 101, 14, cui subnectitur II. Cor. 1, 3.
[7] Psalm. 140, 3; ibid. v. 4: Non declines cor meum in verba malitiae. — Subinde respicitur Matth. 12, 36. — Inferius post *ubi* Bon. cum ed. 1 addit *iam.*
[8] Libr. VII. Moral. c. 17. n. 58. et I. Homil. in Evang. homil. 6. n. 6.
[9] Ita A; Bon. cum ed. 1 pro *sine rationabili... loqueris, ut* substituit *nisi.*
[10] Apoc. 14, 3: Et cantabant quasi canticum novum.
[11] Isai. 14, 13. seq. Vulgata: Super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis etc. Septuaginta: Super sidera caeli ponam thronum meum, sedebo in monte excelso super montes excelsos, qui ad aquilonem; ascendam super nubes, ero similis Altissimo. — Superius voci *Cantavit* A praemittit hanc rubricam: *De cantico superbiae.*
[12] Gen. 3, 1: Cur praecepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi? — Superius voci *Cantavit* A praemittit rubricam *De cantico detractionis.*
[13] Gen. 3, 3: Praecepit nobis Deus, ne comederemus... ne forte moriamur. — Voci *Canticum* A praefigit rubricam *De cantico dubitationis.*
[14] Gen. 3, 4. — Superius ex A supplevimus *aperti.*
[15] Gen. 2, 17: In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris. — Superius pro *verbis Veritatis* (ita A) Bon. cum ed. 1 *verbum veritati.*
[16] Glossa *ordinaria* in Gen. 2, 17: *Morte morieris.* Duplex mors significatur: *animae*, Domino discedente, qui est eius vita; vel *corporis*, quam in fine vitae accepit, sed statim necessitatem moriendi incurrit. Cfr. August., IX. de Gen. ad lit. c. 10. n. 16; XIII. de Civ. Dei, c. 23. n. 1; Beda, I. Hexaëm. Gen. 2, 17.
[17] Gen. 3, 12, quem Gregor., IV. Moral. c. 21. n. 39, ita exponit: Scilicet excessus sui vitium in auctorem latenter intorquens, ac si diceret: tu occasionem delinquendi praebuisti, qui mulierem dedisti. — Superius voci *Cantavit* A praemittit rubricam *De cantico excusationis.*
[18] Cod. A *Cavenda nimirum et nimium cavenda sunt.*
[19] Petr. Comestor, Histor. scholast. lib. Gen. c. 21: Elegit [lucifer] etiam quoddam genus serpentis, ut ait Beda, virgineum vultum habens, quia similia similibus applaudunt etc. Cfr. tom. II. pag. 495, nota 8. — Bon. cum ed. 1 contra A prosequitur: *id est, sub specie bonae collocutionis suae malignitatis venena distillat.*

ipse deceptus fuit; quia se[1] praelatum in nobilitate pulcritudinis et sapientia et virtutibus aliis vidit choris Angelorum, prorupit in canticum superbiae, per quam cecidit et alios cadere facit, quotquot secum idem canticum cantare praesumunt.

Caput XXVI.

De novo cantico virginibus cantando[2].

85. Non ita cantavit illa[3] novi cantici imitatrix Mater Christi, verum lilium vere viridantibus foliis redimitum. Vis videre folia eius; vis audire canticum eius? Exaltata supra quam dici aut cogitari potest, toti mundo caelisque praelata, non ascendit supra se, sed cantavit canticum *humilitatis*, quod et *caritatis* est, quia *caritas non inflatur*[4]. *Eructavit* de corde suo inebriato *verbum bonum* et suave, canticum novum virginibus cantandum. Et quid ait? *Magnificat anima mea Dominum*[5]. Vide, quam contrarium est canticum hoc cantico angeli ruituri. Incipit ille in alto et in ima non descendit, sed corruit. Incipit Maria ab imo, ut in altum sublevetur. Magnificat haec Dominum, non se, licet inaestimabiliter exaltata, servans quod scriptum est[6]: *Quanto maior es, humilia te in omnibus;* unde et super omnes choros Angelorum meruit elevari. Magnificavit se ille supra Dominum, unde infra omne, quod est, meruit praecipitari. *Exsultavit spiritus*[7] humilis Mariae in Domino Iesu suo, unde *oleo laetitiae prae consortibus* suis inungi promeruit; exsultavit stultus ille angelus in se, unde luctu perpetuo meruit condemnari. Gloriatur ista, humilitatem suam esse respectam[8], unde *habebit fructum in respectione animarum sanctarum;* gloriabatur ille *in multitudine virtutis suae*, unde perpetuam despectionem incurrit.

(ticum ou- B. M. V.)

86. Vos igitur, o virgines Christi, virete in foliis, in verbis *caritatis, humilitatis* et *pacis*[9]. Sequimini lilium illud praecipuum, Matrem summi lilii, boni Iesu, ut ipsum solum magnificantes, qui solus magnus est, in ipso, per ipsum et cum ipso mereamini magnificari. Cavete nihilominus canticum *detractionis*, quod in paradiso inchoatum est, canticum vetus et in peccati vetustatem perducens; et videte, quantum omnino sit contrarium novo cantico caritatis, cum necessarium sit, illum non diligi, cui detrahitur. Solet enim caritas non obloqui, non detrahere, sed potius peccata aliena excusare, vel, si forte sit necessarium corripere, facit hoc non animo malignandi, sed corrigendi. — Cavete et canticum *dubietatis*, non dubitantes de misericordia Domini, sed *omnem sollicitudinem vestram* audacter *in eum proiicite, quoniam ipsi cura est de vobis*[10]. Non enim crudelis est, ut permittat vos cadere, si vos in ipsum proieceritis, qui vos ad hoc hortatur, qui vos propter ipsum omni terreno solatio scit voluntarie destitutos[11]. Nec dubitetis de poena malis pro suis demeritis infligenda, ne in praesumtionis vitium incidatis; nec dubitetis de praemio iustis conferendo, ne forte desperationis periculum incurratis. — Cavete, ne canticum *mendacii* aliquando ex ore vestro procedat, quo[12] Veritatem, Sponsum vestrum spiritualiter laudare speratis. Perdit os virginis virginitatem suam, quoties scienter et animo malignandi loquitur mendacia contraria veritati. — Cavete nihilominus canticum *excusationis* in peccatis, semper habentes in mente testimonium illud beati Ioannis virginis veritati testimonium perhibentis. *Filioli*, inquit[13], *si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis et iustus est Deus, qui dimittat nobis peccata nostra et emundet nos ab omni iniquitate.* Nemo igitur aestimet, se sine peccatis esse; nec, cum cognoverit illa, excuset se, sicut stulti solent adhuc hodie, loquentes excusationem Adae et dicentes: Mulier, quam dedit mihi Deus, seduxit me. Quare talem mulierem dedit mihi Deus, quae me seducat[14]? Mulier ista virum seducens caro nostra est, spiritum nostrum adducens ad consentiendum peccatis, pro qua stulti Deum quotidie accusant, se ipsos in peccatis excusare volentes[15] et dicentes, se carnis illecebris non posse resistere, quam acceperunt a Deo. Grande valde est peccatum illud accusare Deum optimum, qui fecit *omnia bona valde*[16] et praecipue ipsum hominem prae creaturis aliis exornavit. Bonum sine dubio fecit te Deus bonus, qui fecit omnia bona, bona valde propter te. Neque enim bonus esset, si te male fecisset, propter quem fecit omnia, qui propter te facta bona valde fecit. Bonum ergo et summe bene fecit te Deus bonus. Tu ipse vero te malum facis. Si deleveris in te quod tu ipse facis, invenies, summe bonum esse inter creaturas quod in te ipse fecit[17]. Fecit ipse te primo secundum se, et factus est ipse postea secundum te. Fecit ipse te primo ad imaginem et similitudinem suam[18], et factus est ipse posterius homo ad similitudinem tuam; *Verbum* enim *caro factum est.* Laudemus ergo Deum, qui secundum se fecit nos.

(aveudum ticum detionis.) (Item, dubietatis.) (Item, mendacii.) (Item, excusationis.) (Deus omnia fecit bona.)

---

[1] Ita A; Bon. cum ed. 1 *Quin et his deceptus fuit ipse, qui se*, qui etiam inferius verbo *prorupit* praefigit *et*. Subinde pro *per quam* A *quo* et *qui* pro *quotquot.*
[2] Bon. cum A omittit *virginibus cantando.*
[3] Ex A supplevimus *illa.*
[4] Epist. 1. Cor. 13, 4, post quem Ps. 44, 2. — Superius vocibus *supra quam* Bon. cum ed. 1 praefigit *et.*
[5] Luc. 1, 46. — Inferius pro *Incipit ille in alto, et* (ita A) Bon. cum ed. 1 *Incepit ille in alto, ac proinde*, qui etiam pro *Incipit... sublevetur* (ita A) cum ed. 1 *Incepit... sublevaretur.*
[6] Eccli. 3, 20. — Inferius pro *se ille supra Dominum* A *se ille, non Dominum.*
[7] Luc. 1, 47. — Subinde respicitur Ps. 44, 8: Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.
[8] Luc. 1, 48: Quia respexit humilitatem ancillae suae. — Sequuntur Sap. 3, 13. et Ps. 32, 16.
[9] Ita A; ed. 1 et Bon. *patientiae.*
[10] Epist. 1. Petr. 5, 7.
[11] Bon. *destitutas.*
[12] Scilicet *ore*. Bon. cum ed. 1 contra A prosequitur: *veritatis Sponsum vestrum spiritualiter laudare spernatis.* Inferius pro *et animo* (ita A) ed. 1 *in animo*, Bon. *animo.*
[13] Epist. 1. Ioan. 1, 8. seq. Vulgata in nonnullis discedit; ipsam sequitur Bon.; cfr. tamen August. in hunc loc., tr. 1. n. 6. in fine.
[14] Respicitur Gen. 3, 12. Cfr. supra n. 83. in fine. De adaptatione *mulieris* et *viri* ad carnem et spiritum vide II. Sent. d. XXIV. lit. Magistri, c. 7. seqq.
[15] Psalm. 140, 4: Ad excusandas excusationes in peccatis. — Ita A; Bon. cum ed. 1 *in peccatis volventes.*
[16] Gen. 1, 31. — Ed. 1 et Bon. hic addunt *propter te.*
[17] Ita A; Bon. cum ed. 1 praecedentia ita exhibet: Neque enim bonus esset, si te male fecisset, propter quem omnia fecit, quae propter te bona facta valde fecit omnia. Bonum ergo et valde bonum fecit te Deus. Bonus tu ipse, te vere malum facis. Si deleveris in te quod tu ipse facis, invenies, valde bonum te esse inter creaturas, quas ipse fecit.
[18] Cfr. Gen. 1, 26. seqq. — Subinde allegatur Ioan. 1, 14. — Pro *primo* et *posterius* (ita A) ed. 1 et Bon. *prior* et *posterior.*

Amemus Deum, qui propter nos factus est secundum nos. Oremus ipsum, ut imaginem suam, sicubi deformata est in anima nostra, misericorditer reformare dignetur; nihilominus et corpus nostrum, quod ad similitudinem et naturam nostram accepit, sic immaculatum conservare dignetur. Viridia folia, id est verba virtutes continentia, proferamus, si volumus esse vera lilia, quia lilium arida folia, id est verba veterum canticorum non habet [1], sed quae novo cantico, id est caritati, spei, fidei, humilitati et ceteris virtutibus convenire noscuntur.

87. Proferamus talia folia — et vos praecipue, virgines Christi, quae a viriditate nomen habetis — quae vireant, et quae apostematibus superposita rumpant illa et levient et sanent, sanie foris eiecta; quod fit, quoties incestum ad castitatem, superbum ad humilitatem, iracundum ad mansuetudinem, invidum ad caritatem, gulosum ad sobrietatem, avarum ad largitatem, accidiosum ad alacritatem verbis bonis et veritati consentaneis perducimus. Ista enim vitia quasi quaedam ulcera animam gravant, continentia in se venenum immunditiae et pravae consuetudinis, de quibus singulis, quia nos in tractatu de foliis vitis exempla posuisse meminimus [2], causa brevitatis in praesenti iudicamus praetereunda. Hoc autem dicimus tantum, quod considerandum nobis est, quo vitio unusquisque laboret, ut secundum languoris sui qualitatem ipsi [3] verborum medicinam ministremus, ut, si fuerit superbus, exempla et verba Salvatoris nostri de humilitatis virtute ministremus, et similiter de aliis vitiis, sicut supra expositum est. — Hoc enim sciendum est, quia non semper silentio studendum, licet cum magno studio silentium sit servandum [4]; sed ianuam oris nostri quandoque claudere, quandoque aperire debemus, quatenus ita taceantur mala, ne cum malis etiam bona et utilia taceantur. Quod etiam in petitione sua innuit Propheta, cum dicebat [5]: *Pone, Domine, custodiam ori meo et ostium circumstantiae labiis meis.* Ostium quippe nec semper patet, nec semper clauditur; sed in domo sapientis patet sapientibus in nuntiis emittendis, clauditur vero pro stultis intrinsecus retinendis. Sic et os nostrum, quod est ostium cordis nostri, per quod verba nostra quasi quidam nuntii [6] egrediuntur, nuntiantia, quid intus agitur in corde, verbis prudentibus et utilibus est in tempore reserandum; pravis vero verbis, quae de malis motibus cordis surgunt, iugiter est claudendum. *Tempus* enim *loquendi, et tempus tacendi* [7]. Nec minus peccat is qui verbum subtrahit in tempore opportuno, quam qui prava loquendo alios scandalizat. Nimis enim videtur et avarus esse et invidus qui verba gratis habita ad utilitatem proximorum negligit ministrare. Quando enim putas eum substantiam propriam indigenti proximo largiturum, quae divisa minuitur, qui verba nunquam deficientia non largitur? Ponat ergo Dominus *custodiam ori* nostro, ut sciamus, quando et qualem debeamus proferre sermonem; *et ostium circumstantiae labiis* nostris, ut ita non solum aperiatur, sed etiam claudatur in tempore, ut neutro offendamus, sed superposita apostematibus animarum infirmarum verba nostra tanquam folia liliorum saniem vitiorum, Domino adiuvante, eiiciant et virtutum vires valeant inserere cordibus auditorum [8].

Hortatio.

Necessitas discretionis.

Caput XXVII.

De foliis lilii inferioribus et superioribus, seu de frequentia et parcitate verborum [9].

88. Quid est autem, quod ipsa folia iuxta terram maiora sunt et plura, superius vero pauciora et minora, nisi quod viri iusti, et praecipue virgines, quanto altius ascendunt ad culmen virtutum, terrenis cogitationibus et cupiditatibus infra relictis, tanto disciplinatiores et tanto parciores esse debent in verbis? Per diminutionem enim foliorum in superiore parte disciplina verborum intelligitur; quia disciplinati quique quasi circumcidunt et extenuant verba sua, ne quid in eis pudicitiae vel disciplinae contrarium valeat inveniri, quae indisciplinati et turpes quique omni honestate carentia, turgida et inflata emittunt. Per paucitatem vero foliorum verborum paucitas convenienter accipitur; cui omnes boni tanto magis student, quanto virtutum culmini [10] viciniores existunt. Unde de fratre quodam, qui discere volebat et quasi in usum reducere linguae coercionem, legitur [11], quod quendam lapidem per triennium portabat in ore; de alio vero, quod triginta annos non fuerat locutus quidquam. Videmus autem plerosque, qui, dum in principio boni propositi sunt et adhuc quasi vicini terrae, pristina ducti consuetudine, nec modestiam nec paucitatem verborum valent observare, quorum verba designantur per folia lilii iuxta terram; procedente vero tempore, gratiaque accedente, secundum profectum suum moderantur verba studentque silentio, ita ut non solum prava, sed etiam otiosa devitent.

Notand.

Exempl.

89. Cui autem bonorum statui [12] melius competit disciplina et paucitas verborum quam virgini Christi? Nam si omni homini christiano praecipitur, ut nec turpiloquium nec *scurrilitas* procedat ex ore eorum, *sed magis gratiarum actio* [13]; quanto magis virgo suam Domino pudicitiam consecrans ab omnibus debet turpibus abstinere? Quae suam procul dubio pudicitiam non violavit tanto maiores debet Domino reddere gratiarum actiones, quanto maiorem est gratiam consecuta. Bonos enim virgines esse, summum bonum est et summa gratia, quia hi solum *sequuntur*

Hortatio virgini.

---

[1] Ita A; ed. 1 et Bon. *si quidem volumus esse vera lilia, quae verba veterum canticorum non habent.*

[2] Supra in additamento II, ad quod etiam in fine propositionis seq. respicitur.

[3] Ita A; Bon. cum ed. 1 *laboris sui magnitudinem et qualitatem*, omisso subinde *ut, si superbus... ministremus.*

[4] Cfr. supra Opusc. VI. de Perfectione vitae ad sorores, c. 4.

[5] Psalm. 140, 3.

[6] Ita A; Bon. cum ed. 1 *verba quasi quaedam nuntia*, qui etiam inferius post *nuntiantia* prosequitur: *quid interius agatur in corde, quod verbis prudentibus* etc.

[7] Eccle. 3, 7. — Subinde respicitur Prov. 15, 23: Sermo opportunus est optimus.

[8] Ita A; Bon. cum ed. 1 *inserere auditoribus.*

[9] Bon. omittit *seu de... verborum;* A legit *De foliis iuxta terram.*

[10] Ita A; ed. 1 et Bon. *quanto virtutum culturae.*

[11] Cfr. supra pag. 116, nota 10. Pro *de fratre quodam* Bon. *de abbate quodam* (Agathone). — De abbate Theona, « qui tempore triginta annorum silentium exercuerat », vide VIII. de Vitis Patrum, c. 50. (Palladii Historia Lausiaca, qui sequitur Rufinum, Histor. Monach. c. 6.). — Superius pro *coercionem* (ita A) Bon. cum ed. 1 *correctionem*, a quibus etiam inferius pro *Videmus autem plerosque* substituitur *Videmus plures.*

[12] Cod. A omittit *statui.*

[13] Eph. 5, 4. — Inferius secuti sumus A, dum Bon. cum ed. 1 pro *suam Domino* substituit *suo Domino, temporibus* pro *turpibus, Qui suam* pro *Quae suam.*

Agnum, quocumque ierit [1]. Quantum vero is etiam a *multiplicitate verborum* debeat abstinere, quis non videat, cum loquacitas manifestum sit indicium impudicitiae, quae nequaquam potest simul esse cum pudicitia virginali? Loquacitatis ergo vitium maxime devitent virgines pudici, si volunt virtutem pudicitiae conservare. Manifestum enim est, quod *in multiloquio non deerit peccatum* [2], sed paulatim ab otiosis verbis ad detractiones venitur, donec tandem ad apertas contumelias prorumpatur. Arguit autem loquacitatem Apostolus Iacobus [3], ita dicens: *Si quis putat, se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum; huius vana est religio.* Nemo igitur sibi de Religionis habitu blandiatur, qui adhuc linguam suam non didicit religare. Religa linguam tuam, si vis esse religiosus, quia sine linguae religatione religio vana est. Unde sanctissimi Patres, Religionum institutores et eorum sequaces sapientissimi, sicut a Spiritu sapientiae docti fuerant, districte instituerunt observationem silentii, non ignorantes, quia, *sicut urbs patens et sine murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo spiritum suum cohibere* [4]. Et, sicut Psalmista ait, *vir linguosus non dirigetur in terra.* Sciunt enim homines spirituales, qui hoc experti sunt, quantum auferat devotionis, quantum inferat dissolutionis intrinsecus frequens linguae resolutio. Nam sicut fornax, cuius os semper apertum est, non potest in se retinere fervorem; sic nec cor devotionis in se poterit gratiam conservare, cuius os non fuerit ianua silentii reclusum. Claudamus igitur os nostrum, ut cum devotionis fervore Christum, devotionis largitorem, in ferventi affectu animi possimus [5] conservare.

[Co]ntra lo[qu]acitatem.

90. Vos autem praecipue, o virgines, sponsae Christi, *intrate in cubiculum* cordis vestri, *et clauso ostio* oris vestri, *orate* familiariter, humiliter, lacrymabiliter, hilariter, dulciter, fiducialiter Sponsum vestrum, Regem vestrum, *Patrem vestrum* [6] et Consolatorem. *Effundite coram illo*, omnium inspectore cordium, *corda vestra;* confabulamini cum illo recordantes illius, effundite super vos animas vestras, et terrenis corporalibusque relictis, pennis spiritualibus caritatis elevamini, *et transite in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei*, ubi auribus non corporis, sed cordis audiatis *in voce exsultationis et confessionis sonum* [7], *festum diem celebrantes*, ubi interna consolatione refectae, quandoque, cum articulus tempestatis et necessitatis, tentationis et carnis advenerit, caelestis refectionis recordari possitis et dicere: *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi* qui est et *salutare vultus mei et Deus meus.* Memores estote optimi Domini Dei, memoramini et delectamini, et deficiat spiritus vester, spiritus carnis vestrae, ut spiritu illius qui *est super mel dulcis* [8], reficiamini et discatis vilipendere exteriores collocutiones, postquam interioris collocutionis dulcedinem gustaveritis. O *quam bonum et quam iucundum*, o quam optimum et iucundissimum est tecum, o dulcissime Iesu, *habitare in unum* [9], tecum colloqui, *tibi revelare causam* animae nostrae tuaeque consolationis responso perfrui! O quam bonum est, quam optimum est ad te *inhabitantem lucem inaccessibilem* [10] duce caritate accedere, cui, si tantum dux nostra fuerit, nihil manere poterit inaccessum! Novit cor tuum, o dulcis Iesu, caritatis lancea vulneratum, viam facere caritati, cui perpetuo non claudetur.

[C]ommenda[ti]o devotio[ni]s.

91. *Accedite ergo ad eum* per eum gressibus caritatis *et illuminamini; gustate et videte, quoniam suavis est Dominus* [11]. Sciunt experti — et bene sciunt qui ex alia parte gustaverunt bonum Dei donum, qui aliquando *in cellam vinariam* a vera vite nostra *sunt introducti* [12] — quam amarum et quam taediosum sit a dulcissimae contemplationis illius interiori praesentia separari et ad exteriora corporalia vel audienda vel videnda reduci. Cum enim, quantum in praesenti fas est, ille bonus Iesus, discipulis suis familiarioribus seorsum ab aliis fratribus in montem contemplationis eductis, se coram illis transfigurare voluerit, et in veste candida dulcedinis et bonitatis suae apparere mirantibus [13] et solida caritate inebriare voluerit eos quos ante visitaverat per timorem iudicii, sive per molestiam salubrium tentationum — quia et per flagella Deus se nonnunquam suorum cordibus repraesentat — cum ergo, sicut diximus, aliquando se in suorum cordibus transfigurare dignatus fuerit, ut *tristitia in gaudium convertatur* [14]; et si interim, dum haec, nescio quomodo, aguntur, aliquis exteriorem requirens praesentiam sic affecti, ipsum a tam amabili contemplationis monte cogat descendere; putas, illum talem impulsionem exteriorem patienter ferre et non magis clamare cum Petro [15]: *Domine, bonum est nos hic esse;* et cum Paulo: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* O quam amarum est eis qui tali interiore refectione satiari noverunt, ad exteriora rursus attrahi! Mori videntur sibi, quia revera quaedam species mortis est a contemplatione vitae, a contemplatione rubicundi Iesu, a contemplatione faciei illius rutilantis sicut sol ad nostras tenebras rursus avelli et a Mariae dulcedine ad Marthae ministerium [16] revocari.

Suavitas vitae contemplativae.

92. Breviter autem dico, quod quicumque sciunt mentis oculos interioribus contemplationibus occupare et linguam animae ad divinum colloquium reserare, non solum non delectantur exterioribus visibus vel colloquiis, verum

Haec generat taedium mundani colloquii.

[1] Apoc. 14, 4: Virgines enim sunt. *Hi* sequuntur Agnum etc. — Superius pro *Bonos* A *Bonis*, qui etiam inferius pro *Quantum vero is etiam* substituit *Quantum enim.* Subinde pro *manifestum* (ita A) ed. 1 et Bon. *omnis.*

[2] Prov. 10, 19.

[3] Cap. 1, 26.

[4] Prov. 25, 28, post quem Ps. 139, 12. Pro *Psalmista* (ita A) Bon. cum ed. 1 *Psalmus.* Inferius pro *inferat* (ita A) ed. 1 et Bon. *afferat.*

[5] Cod. A *in ferventi possimus anima.*

[6] Matth. 6, 6. — Sequitur Ps. 61, 9.

[7] Psalm. 41, 5. Pro *in voce* (ita A cum Vulgata) Bon. cum ed. 1 *vocem.* — Sequuntur I. Reg. 30, 16. et Ps. 41, 6. seq., in quo ex A supplevimus *qui est et.*

[8] Eccli. 24, 27. — Superius ex A supplevimus *vester, spiritus.*

[9] Psalm. 132, 1, post quem Ier. 11, 20. — Superius pro *optimum et iucundissimum est tecum* (ita A) Bon. cum ed. 1 *bonum et iucundum est habitare in unum tecum.*

[10] Epist. I. Tim. 6, 16. — Ex A supplevimus *quam optimum est.*

[11] Psalm. 33, 6. et 9. — Inferius pro *ex alia parte* Bon. *ex aliqua parte.*

[12] Cant. 2, 4. — Inferius pro *dulcissimae* (ita A) Bon. cum ed. 1 *dulcedine.*

[13] Cfr. Matth. 17, 1. seqq. — Superius pro *familiarioribus* (ita A) Bon. cum ed. 1 *familiaribus.* Inferius pro *solida caritate* A *insolita claritate*, et pro *molestiam* Bon. cum ed. 1 *violentiam.*

[14] Ioan. 16, 20. — Inferius post *praesentiam* Bon. cum ed. 1 contra A prosequitur: *sic sit affectus, ut tamen ab amabilis contemplationis monte ipsum cogat descendere* etc.

[15] Matth. 17, 4, post quem Rom. 7, 24.

[16] Cfr. Luc. 10, 39. seqq. — Superius pro *ad nostras tenebras* (ita A) Bon. cum ed. 1 *ad has tenebras.*

etiam plurimum fatigantur. Hi vero, qui intrinsecus caeci sunt et muti et in contemplatione divina et orationibus devotis se nesciunt occupare, exteriorum sensuum subsidia quaerunt et longitudinem temporis, qua gravantur, inutilibus confabulationibus expendere satagunt. Exterioribus enim collocutionibus velle occupari signum certissimum est animae otiosae, quae ad collocutionem divinam nulla penitus devotione levatur. Nondum certe ad summitatem lilii pervenerunt qui linguam suam a multiplicitate verborum nesciunt sive nolunt refrenare, tantoque altius se quisque noverit in virtutum gradibus ascendisse, quanto minus humanis colloquiis delectatur, nisi forte talium hominum [1], in quibus ipse Deus loquitur, et per quos verbum Dei auditur. Tales enim non audiuntur propter se, sed propter Deum, qui et habitat et loquitur in ipsis; et cum talibus loquendo a nostris saepe, operante Domino [2], dubietatibus expedimur, a pravis abducimur et in bono proposito confortamur. Verumtamen in omnibus discretionis spiritus optandus est et orandus a Domino, ut, ipso revelante, sciamus, cui spiritui sit credendum [3], cui cordium nostrorum simplicium sit cogitatio revelanda, a quo verbum salutis audiendum; ne simplicitas nostra ab astuti serpentis fallacia capiatur, qui plerumque mala bonis et falsa veris, erronea rectis admiscere consuevit.

Discretio servanda.

Caput XXVIII.

De contemplandis in ipso lilio, id est de decore et excellentia verae virginitatis [4].

93. Iam nunc ad contemplandum florem ipsum lilii veniamus. Vide, o virgo Christi, quanta pulcritudine praeemineat flos tuus, flos tuum florem designans, ceteris floribus [5]. Vide, quantam prae omnibus floribus, qui sunt in terra, gratiam obtineat specialem. Vide, quantam ab ipso Sponso tuo laudem prae cunctis floribus mereatur. *Considerate*, inquit [6], *lilia agri, quomodo crescunt. Amen, dico vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis*. Lege, o virgo, et perlege et saepe relege hoc verbum Sponsi tui et lege et intellige, quantum in huius floris commendatione tuam gloriam commendavit. Omnem mundi gloriam sapientissimus ille omnium Creator et cognitor unico tuo flosculo cooperuit nec gloriam flosculo, sed flosculum omni gloriae praetulit. In Salomone enim, de quo legitur [7], quod *magnificatus est super omnes reges* universae *terrae in divitiis* et honore, omnes mundi glorias debes intelligere; in flore vero lilii tui, qui tuam et omnium virginum Christi figuram gerit, virginitatis gloriam contemplare. — Si ergo tantum commendatur ab ipsa Veritate decor lilii tui, ut ei iuste subiiciatur omnis gloria Salomonis, quem non dubium est secundum magnitudinem gloriae suae fuisse [8] coopertum; quantum putas commendandum esse ipsum tuae virginitatis lilium incorruptum et nulla in perpetuum macula corrumpendum, cuius vel umbra et figura tantum meruit commendari? Si omne operimentum omnis gloriae Salomonis non potest decori unius materialis lilii comparari; quis decor comparabitur tuae florenti virginitati, quae est tuum lilium verum et spirituale [9]? Nullus, inquam; quia ad claritatem altitudinis tui decoris decores terreni nequaquam possunt ascendere, quia *nec Salomon in omni gloria sua coopertus fuit sicut unum ex istis* [10].

Pulcritudo lilii materialis.

Item, spiritualis.

94. Noli ergo subtristis cantare: « Regnum mundi et omnem ornatum saeculi contempsi propter amorem Domini mei Iesu Christi [11] », qui tibi etiam in praesenti vita decorem dedit omni decore mundano maiorem, lilium integritatis tuae sibi conservando et sibi prae ceteris pulcritudinibus virtutum specialiter dedicando et speciali dilectione adstringendo. Videbis luculenter hoc in Cantico amoris, ubi, ceteris floribus pene omissis, florem tuum saepius nominat nomen *lilii* saepius inculcando. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias* [12]; et item: *Dilectus meus descendit ad areolam aromatum, ut lilia colligat;* et rursus: *Dilectus meus mihi, et ego illi qui pascitur inter lilia.* Laudabile lilium, amica Sponsi; amabile lilium, quod colligitur a Sponso. Non enim, ut aestimo, colligitur, ut ultra marcescat; sed ut in *altari aureo* collocetur, *quod est ante thronum Domini* [13], id est, ut collocetur in caelesti sanctuario, ut sit ipsum lilium ad ornamentum aliorum Sanctorum, in quibus Dominus tanquam in altari aureo requiescit. Delicatum profecto lilium, in quo pascitur Sponsus; non quod in hoc solo delectetur, sed in hoc quadam speciali praerogativa dilectionis plus aliis delectatur. Nec immerito. Duplex enim bonum in virginibus, quod in aliis Sanctis non virginibus simplex est. Cum enim tota Ecclesia virgo sit in anima, *non habens maculam neque rugam* [14], in fide et spe et caritate incorrupta, propter quod et *virgo* appellari meretur et a Sponso laudari; quanta laude putas digna esse lilia nostra, quae hoc habent tam in corpore quam in anima, quod tota Ecclesia habet tantum in anima? Quasi quidam adeps et medulla, medulla totius Ecclesiae sunt virgines Christi et quaedam singularis excellentia [15] aliorum florum, Sponsi amplexibus familiarius inhaerentes.

Hortati[...]

Notand[...]

95. Hoc autem virginibus est summopere considerandum, qui [16] lilii pulcritudine delectantur, quod flos lilii tam interius quam exterius *albus* est. Quid enim per exteriorem partem floris albam nisi munditia corporis; quid per

Duplex albed[...]

[1] Ita A; ed. 1 et Bon. *eiusmodi hominum.*
[2] Ita A; Bon. cum ed. 1 *Domino cooperante* (cfr. Marc. 16, 20.), qui etiam inferius pro *confortamur* (ita A) cum ed. 1 substituit *confirmamur.*
[3] Epist. I. Ioan. 4, 1: Carissimi, nolite omni spiritui credere. — Superius pro *orandus* (ita A) ed. 1 et Bon. *implorandus.*
[4] Bon. omittit *id est... virginitatis;* A legit *De ipso lilio.*
[5] Ita A; ed. 1 et Bon. *praeemineat tuus iste flos, tuum florem designans, prae ceteris floribus.*
[6] Matth. 6, 28. seq.; cfr. Luc. 12, 27.
[7] Libr. III. Reg. 10, 23. — Superius pro *cognitor* (ita A) Bon. cum ed. 1 *Conditor.*
[8] Bon. cum ed. 1 addit *magnifice* et inferius pro *commendari* substituit *honorari.*
[9] Contextu exigente, substituimus *spirituale* pro *speciale.*
[10] Matth. 6, 29. — Superius ed. 1 et Bon. contra A legunt: *Nullus, inquam; quia claritatem altitudinis tui decoris nullus potest decor terrenus transcendere* etc.
[11] Breviar. Roman. Commune non Virg. Resp. ad lect. 8. Pro *mei* (ita A) Bon. cum ed. 1 *nostri.*
[12] Cant. 2, 2; deinde 6, 1. et 2, 16.
[13] Apoc. 8, 3. Ed. 1 *ante oculos Domini.* — Inferius ex A supplevimus *in quibus... requiescit.*
[14] Eph. 5, 27. — De etymologia nominis *virgo* cfr. Isidor., XI. Etymolog. c. 2. n. 21. — Inferius pro *appellari* (ita A) Bon. cum ed. 1 *appellatur* et *hic habent* pro *hoc habent.*
[15] Ed. 1 et Bon. contra A, omisso superius *medulla totius,* hic substituunt *et quadam singulari excellentia.*
[16] Ita ed. 1 cum A; Bon. *quae.*

interiorem nisi mentis virginalis puritas figuratur? Turpe esset, immo non esset lilium, quod vel interius vel exterius[1] candoris sui puritate careret; ita quoque turpis est virgo, immo non est virgo, quae non habet utramque, scilicet mentis et corporis castitatem. Unde non dubito, multos utriusque sexus virgines in corpore defunctos esse et salvandos, qui nequaquam virginale praemium merebuntur. Multi enim mortui sunt, qui corpore quidem adhuc incorrupti, sed mente corrupti erant, ipsa tamen mentis corruptione non existente eis[2] ad mortem aeternam, quia legitimas nuptias exspectabant, sine quibus nulla voluerunt illicita connubia perpetrare. *Si* enim, inquit Apostolus[3], *nupserit virgo, non peccavit;* multo minus peccavit quae sola tantum voluntate nupsit, quamvis iam in mente florem virginitatis corrupit. Consentit huic sententiae beatus Augustinus[4], dicens, « quod nequaquam melior est virgo aspirans ad nuptias muliere nuptias iam adepta, cum ea quae iam nupsit, uno sit viro contenta; nuptura vero, quaerens per omnem populum, cui adhaereat, cum pluribus necesse est fornicetur animo ». Placet enim illi hodie unus, cras alius, deinde tertius et quartus et fortassis plures; et quomodo talis, si moritur, meritum obtinebit virginitatis[5] incorruptae?

96. Utrum autem illae virgines, quae vi opprimuntur post votum virginitatis nec aliquando consentiunt corruptioni; vel etiam illae quae ante votum aliquando ad nuptias aspiraverunt firma mente, sed postea, poenitentia ductae, voto castitatis se constrinxerunt[6]; sive etiam illae quae post votum aliquando sola voluntate a voto continentiae resilierunt, sed rursus ad voti constantiam redierunt et usque in finem perseveraverunt: utrum, inquam, tales virgines sint praemio coronandae, fateor, me ex auctoritate nescire, et hoc magis peritiorum hominum, vel certe divino potius censeo arbitrio definiendum[7]. Dico autem magis opinando quam definiendo de primis, quae vim patiuntur, si nunquam suae corruptioni nec voluntate nec delectatione consentiunt, virgineo non esse praemio spoliandas, quod ex verbis Luciae[8] — si tamen authentica iudicantur — videtur posse comprobari. Si autem per violentiam a non consentientibus castitas virginalis amittitur, spero, quod talis amissio castitatis ipsis amittentibus cedat in bonum, quia forte permisit eas benignus Iesus tali bono spoliari, quo praescivit, ipsas non bene usuras. Utile enim esset, aliquam, quae propter virginitatis meritum deberet superbire, perdere virginitatem et per hoc consequi humilitatis virtutem[9].

97. Cavenda sunt autem virginibus summo studio loca et tempora corruptoribus opportuna, ne, si suae corruptioni per insipientiam suam occasionem praebuerint, ipsae sibi merito nocuisse iudicentur et sua corona priventur. Si enim Bethsabee non se impudice sive incaute lavisset in solario[10] et Susanna in pomario, ubi videri poterant aliquo modo; nequaquam illa adulterium, nec ista mortis periculum incidisset. Cautae sint ergo virgines, sicut sunt castae. Fenestras oculorum et aurium suorum discant obserare, vultus abscondere, ne vel sibi, videndo vel audiendo quod forte non expedit, mortem adsciscant, vel, dum[11] ab aliis incaute videntur et audiuntur, ipsos, quamvis ignoranter, occidant; quod saepius accidisse cognovimus, illo suggerente et insidiante, de quo scriptum est[12]: *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem.* — De aliis vero, quae vel ante votum, vel post sola voluntate lapsae sunt; mihi videtur, sine praeiudicio melioris cuiuslibet sententiae, quod virginitatis coronam non amittant, si tamen citius ad votum redierunt et in eo fideliter permanserunt; sed tamen coronae meritum puto aliquatenus minuendum[13] secundum mutationem voluntatis, ut si qua longo tempore vel firma voluntate perstitit in voluntate frangendi votum virginitatis, tanto minus habeat in corona. Integram vero omnino coronam aestimo possessuras, quae a primis annis suis virginitatem Sponso suo, Domino Iesu vovere et conservare studuerunt.

Caput XXIX.

Quod flos lilii inclinatus ad terram doceat humilitatem[14].

98. Nec praetereundum est, quod ipse flos lilii tam altus, tam candidus, tam iucundus semper reclinatur ad terram. Quid nobis per hoc aliud quam humilitas commendatur? Caput enim inclinare ad terram est mentem nostram ad generationem terrenam et fragilitatem de terra contractam inflectere, ne de nobis aliquid praesumere omnino audeamus, dum nos lutum et cinerem esse consideramus. Nulli autem haec virtus tam necessaria est, ut virginibus, ne in profundum superbiae decidant[15], dum suorum considerant excellentiam meritorum. Virgines enim Christi etiam adhuc in terra viventes angelicam ducunt vitam, cum tales sint, quales dixit Dominus[16] homines futuros esse post resurrectionem; quia tunc *neque nubent neque nubentur, sed erunt similes Angelis Dei in caelo.* Non exspectant autem virgines Christi incorruptionem resurrectionis solummodo, sed in praesenti etiam vivunt incorruptae, vitam sine dubio angelicam aemulantes. Ne igitur a tam altissimo[17] gradu, quem non ex praecepto cuiusquam, sed propria voluntate viriliter ascenderunt, viliter per superbiam decidant; inclinentur ad terram, sicut flos lilii; recordentur, quoniam pulvis sunt, et quod dies

[Marginalia: ...ndum. / ...stiones ...identes ...ctantur. / ...ela ser... ...oda. / Alia quaestio. / Notandum.]

---

[1] Ita A; Bon. cum ed. 1 *interioris vel exterioris.* Inferius pro *Unde non dubito* (ita A) ed. 1 et Bon. *Ubi non dubito.*
[2] Ita A; Bon. cum ed. 1, superius omisso *Multi* et *adhuc,* hic legit *exigente eos.*
[3] Epist. I. Cor. 7, 28. — Ex A subinde addidimus *multo minus peccavit;* pro *voluntate* ed. 1 *voluptate.*
[4] De Sancta Virginit. c. 11. n. 11, ex quo sententia exhibetur, non verba.
[5] Cod. A *virginis.*
[6] Ita A; Bon. cum ed. 1 *licet postea... se constrinxerint.*
[7] Ed. 1 et Bon. contra A *arbitrio sentio relinquendum.*
[8] Breviar. Roman. in festo S. Luciae (13 Dec.), II. Noct. lect. 6: Si invitam iusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam. Cfr. Bonav., IV. Sent. d. 33. a. 2. q. 3. arg. 3. ad oppositum. — Superius pro *virgineo* (ita A) Bon. cum ed. 1 *beato virginali,* qui etiam inferius pro *Si autem* cum ed. 1 *Si etiam.* Subinde A omittit *forte.*
[9] Cfr. August., I. de Civ. Dei, c. 28. n. 1. — Superius pro *deberet* Bon. *haberet.*
[10] Libr. II. Reg. 11, 2. De Susanna cfr. Dan. 13, 15. — Superius pro *iudicentur* (ita A) Bon. cum ed. 1 *videantur.*
[11] Ita A: ed. 1 et Bon. *ne dum.*
[12] Psalm. 10 [sec. Hebraeos), 8. — Inferius post *quae vel* Bon. ed. 1 cum addit *aliquando.*
[13] Ed. 1 et Bon. *aliqualiter imminuendum,* qui etiam inferius post *tanto minus habeat* cum ed. 1 addit *meriti.*
[14] Ita ed. 1; Bon. *Quod flos lilii inclinandus sit ad terram;* A *De reclinatione lilii ad terram.*
[15] Ita A; Bon. cum ed. 1, superius pro *ut virginibus* substituto *quam virginibus,* hic ponit *incidant.*
[16] Matth. 22, 30. — Pro *cum tales sint* A *tales existimo.*
[17] Ita A; ed. 1 et Bon. *e tam sublimi.*

eorum sicut foenum [1], et nondum aestiment, se ad immortalitatis beatitudinem resurrexisse, sed adhuc illo carneo pariete circumdatos, qui inter ipsos dividit et dilectum Iesum. Caveant illum astutum serpentem ipsis multipliciter insidiantem, ut vel ducat [2] eas ad praesumendum aliquid de se, quatenus existiment, bonum, quod habent, non habere se a Deo, sed a propria virtute; vel credant, sibi pro meritis suis datum; vel propter hoc quod a Domino singulariter acceperunt, credant se meliores aliis; vel ut putent, se habere quod non habent. Haec sunt quatuor species iactantiae [3], quibus ille nequissimus serpens etiam bonos non raro decipit.

Quatuor species superbiae.

De prima.

99. Et prima quidem specie decepti, qui non putant, se bonum, quod habent, a Deo accepisse, incidunt vitium, quo nullum est maius, scilicet crimen ingratitudinis [4]. Quid enim peius quam non recognoscere, Deum esse largitorem omnis boni? Quod qui non agnoscat, quomodo grates referet ei, a quo se nihil aestimat accepisse? Et certe non pauci tales sunt, quod [5] ex verbis ipsorum potes agnoscere. Quid enim dicunt? Quare, inquiunt, non servasti castitatem tuam? Quare non habes humilitatis et patientiae virtutem? Quare non habes orationis devotionem et fluenta lacrymarum? Quid putas eos cogitare, qui hoc dicunt, nisi quod ipsi haec habeant a se, et quaelibet [6] etiam a se haec possit habere? Non ita cogita tu, virgo Christi, sed scito, te a te ipso nihil habere nisi peccata, cetera vero bona gratiae Sponsi tui sunt. Gratulare ergo, id est, laetare simul et gratias age ei, a quo habes et *esse* et *bene esse;* et tanto magis dilige dilectum tuum, quanto pluribus et maioribus donis suis suam erga te comprobat dilectionem. Immo et ipsa dona virtutum plus dilige diligentiusque conserva, quia haec a tam dilecto et tantum diligendo [7] accipere meruisti, quam si propriis viribus obtineres. In retinendo datum diligenter dantis dilecti Sponsi tui dilectionem ostende; quia non solet vilia dare munera dator tam pretiosus.

De secunda.

100. Secunda vero specie decepti, qui credunt, se quidem accepisse, quod habent [8], a Deo, sed tamen propter merita sua, volunt benignum Dominum sua gratia spoliare, qui non propter merita, sed gratis dat omnia, quae dat. Si enim propter merita tua putas accepisse virtutem, dic mihi: Quis dedit tibi posse mereri? *Quid* enim *habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis* [9]? Et si vis scire, quomodo acceperis, audi eundem Apostolum: *Gratia,* inquit, *Dei salvi facti sumus.* Quod autem salvamur secundum opera nostra, non ex iustificationibus salvamur; sed *gratia* datur *pro gratia* [10]. *Gratia enim Dei sumus id quod sumus,* sive in habendis virtutibus, sive in caelestibus obtinendis.

De terti[a]

101. Tertii vero, qui ex speciali dono putant se aliis meliores aliosque contemnunt tanquam viliores se, peste illius Pharisaei [11] premuntur, qui etiam, cum pro acceptis virtutibus gratias ageret, peccavit, quia publicanum contempsit. Sed quia plurimi hac peste laborant, tentemus, adiuvante Domino, his aliquod medicamentum adhibere. Considerandum puto his qui aliqua virtute speciali praeeminent, utpote castitate virginali, quod alius, qui hac virtute caret [12], forsitan habet aliam similem isti, vel maiorem hac. Si enim tu virgo es, adhuc dubium tibi est, usque ad quem gradum dignitatis virginalis ascenderis. Non enim eiusdem meriti sunt omnes virgines. Quis enim sanctorum virorum in castitatis laude similis Ioanni [13]? Quae virginum feminarum usque ad altitudinem Mariae Virginis altissimae pervenit? Non ergo te exaltes super quemquam, cuius mentem ignoras, ne sub omnibus cadas. Item, si tu forte in virginitatis dignitate [14] locum tenes infimum, quomodo te audebis comparare cuiquam, qui in humilitate vel caritate vel obedientia forte iuxta summum gradum ascendit? Quid, si ille cui te audes praeferre, ad tantam perfectionem pervenit, ut non dubitet, immo, teste Deo, cui conscientia ipsius nota est, promptus sit et tota mente flagret calicem passionis pro Domino bibere [15]? — Sed hoc fortassis dicis, quia et tu, conscientia tua testante, paratus sis ad tolerandum passionem. Ad quod respondemus, quod non sit quisquam, qui huius virtutis constantiam in se veraciter possit agnoscere, nisi per experimentum [16] didicerit. Quantos enim putas in tormentorum acerbitate defecisse, qui se putabant usque ad mortem fortiter perseveraturos? Non ergo *te ipsum* iudices, qui te ipsum non agnoscis, cum perfectissimus omnium Paulus dicat [17]: *Sed neque me ipsum iudica, qui autem me iudicat Dominus est. Alios* autem, qui multo minus tibi noti sunt quam tu tibi, multo minus debes iudicare, propter hoc quod ibidem subditur [18]: *Nalite itaque ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium;* ubi sine dubio multi alii contra opinionem hominum iudicio Domini cuncta videntis praeponentur, et postponentur qui

Obiectio [so]lvitur

---

[1] Gen. 3, 19: Quia pulvis es. Ps. 102, 14. seq.: Recordatus est, quoniam pulvis sumus; homo sicut foenum dies eius, tanquam flos agri sic efflorebit. — Pro *dies eorum* Bon. *dies earum,* et subinde *circumdatas* pro *circumdatos,* qui tamen paulo post etiam exhibet *ipsos.*

[2] Ita A; Bon. cum ed. 1. *ne seducat.*

[3] Secundum Gregor., XXIII. Moral. c. 6. n. 13. Cfr. tom. VII. pag. 455, nota 8.

[4] In hac propositione ex A supplevimns *se bonum,* deinde *vitium* et *scilicet.*

[5] Ita A; Bon. cum ed. 1 *quos.*

[6] Ita ed. 1 cum A et Bon., fortasse legendum *quilibet.* Inferius pro *a te ipso* Bon. *a te ipsa.*

[7] Ita A; Bon. cum ed. 1 *quia hoc a tam dilecto et tam diligendo.* Inferius pro *propriis viribus* [ed. 1 et Bon. addunt *hoc*] A *a propriis viribus.* Subinde pro *solet* (Ita A) ed. 1 et Bon. *debet.*

[8] Ita A; Bon. cum ed. 1 *Secundi vero, qui credunt... quod non (!) habent,* qui etiam inferius post *spoliare* cum ed. 1 contra A prosequitur: *Cur propter merita tua accepisse te putas virtutem? Dic mihi* etc.

[9] Epist. I. Cor 4, 7. — Sequitur Eph. 2, 8: Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis; Dei enim donum est.

[10] Ioan. 1, 16: Gratiam [accepimus] pro gratia. — Sequitur I. Cor. 15, 10.

[11] Luc. 18, 11. — Superius ex A substituimus *speciali* pro *spirituali.*

[12] Ita A; Bon. cum ed. 1 *Considerandum puto. Is aliqua virtute spirituali caret.* Inferius post *maiorem hac* ed. 1 et Bon., refragante A, addunt: Ideo dicit Hieronymus [Epist. 13. de Virginitatis laude, c. 10; inter opera Hieron.]: « Praeclara est virginitas et pudicitiae virtus, si modo non aliis macularum lapsibus infirmatur ». Nam tanto maiori studio placendi opus est, quanto est maior ille cui placendum est.

[13] Ita A; Bon. cum ed. 1 *virorum similis in castitate et laude Ioanni venit aequandus.*

[14] Ita A; ed. 1 et Bon. *tu forte dignitate virginitatis* et inferius *ei* pro *cuiquam.*

[15] Ed. 1 et Bon. contra A, superius omisso *promptus sit et,* substituunt *exhaurire.* Inferius pro *ad tolerandum passionem* A *tolerandae passioni.*

[16] Ita A; Bon. cum ed. 1 *nisi re ipsa atque experientia doctrice.*

[17] Epist. I. Cor. 4, 3. seq.

[18] Vers. 5. — Superius Bon. cum ed. 1, A refragante, legit: *Alios quidem multo minus debes iudicare* etc.

praeponendi falso putabantur. — Est autem adhuc alia ratio valida, quae ab hac specie iactantiae te defendet, ne te, qui manifeste et tuae conscientiae et aliis bonus es, alii, qui vere malus est, praeferre praesumas. Ita enim habes[1]: « Est alius alio iustior, alius alio sanctior[2] »; et *nescit, utrum odio, vel amore dignus sit.*

102. Hinc suam mentem exerceant boni quique, et puto, quod necessario[3] ad exemplum lilii, timore et humilitate coacti, inclinabuntur ad terram, cum habuerint in mente, quod nesciunt, utrum amore, vel odio digni sint. Et vere nesciunt, quia ignorant, *quid superventura pariat dies*[4], immo et hora; quanto minus sciunt, qualis eorum finis sit futurus, vel eorum qui modo mali sunt? Si Iudam proditorem vidisses, cum adhuc erat discipulus et inter summos, eiicientem in nomine benigni Iesu daemonia, vidissesque latronem postea cum Christo crucifixum, latrociniis et homicidiis insistentem[5]; non dubito, quin latroni discipulum praetulisses; et tamen omnes scimus, uter eorum in fine alteri praelatus sit. Tu ergo, si etiam ad tantam iam vitae perfectionem pervenisti, ut miracula opereris; time, ne ad extremum cum impio Iuda reproberis[6]. Si vero alium quemquam pessimis operibus videas insudare, non te illi praeferas, quia nescis, utrum exemplo latronis ad ultimum convertatur, sicut scriptum est[7]: *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Quod de illis convenienter accipitur, qui post scelera sua ad Dominum a Domino convertuntur, qui non considerat qualis vivas, sed qualis moriaris. Nullum igitur et tu nec temetipsum[8] iudicare praesumas, nec te, licet optimum, cuiquam alteri, quamvis pessimo praeferas, quia et tuus et illius qualis exitus sit futurus, ignoras. Ad terram igitur tuam cum lilii flore inclinare et considera fragilitatem tuam, quam habes in te, quia terra et cinis es; et *quanto magnus es, humilia te in omnibus*[9], carnis tuae munditiam virtute humilitatis inclinans.

...motiva ...ilitatis.

103. Quid autem vanius illis qui se putabant habere quod non habent? Sed certe hac peste omnium hominum genus fere laborat. Quis est enim, qui se ipsum perfecte cognoscat, nisi cui datum est *a Patre luminum*[10], a *luce vera, quae illuminat omnem hominem?* « E caelo descendit: Γνῶθι σεαυτόν[11] », id est: Nosce te ipsum. Nam in Cantico Canticorum ipsa sponsa, quae ad amplexus Sponsi anhelabat, quae senserat unguentorum illius fragrantiam, de ignorantia sui quodam modo reprehensa est, dicente Sponso[12]: *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere* a me. Vide ergo, quantum malum sit quaevis ignorantia sui, propter quam ab amantissimo Sponso meretur repelli. Ad cognitionem igitur propriam redeamus, id est ad terram nostram, si volumus esse vera lilia et ad Sponsi admitti praesentiam. Nos ipsos iugiter introspiciamus, incessanter clamantes ad verum lumen[13], benignum Iesum, ut mentis nostrae oculos ad cognoscendum nosmetipsos et ipsum illuminare dignetur.

...quarta.

Caput XXX.

De numero foliorum nostri[14] lilii, seu de tribus incommodis vitae praesentis, quae evadunt virgines; et de totidem commodis vitae futurae, quae exspectant.

104. Nunc ad numerum foliorum ipsius candidi[15] floris, candidissimo flore nostro, benigno Iesu nos illuminante, animum intendamus. In perfectis liliis ipse candidus flos plerumque sex foliis constat, per quae sex causas intelligimus, quae ad virginitatis munditiam debent animos virginum incitare, quarum tres ad vitam praesentem, tres ad futuram pertinent. Tria sunt incommoda in prasenti vita in coniugatis, propter quae vitanda virginalis castitas est appetenda. Tria sunt quoque commoda futurae gloriae, propter quae acquirenda virginitas est vovenda Domino[16] et conservanda. Praesentis vitae incommoda duo habemus ex maledictione, quae inflicta fuit primae parenti nostrae Evae post transgressionem praecepti. Serpens enim tribus maledictionibus percussus fuit, Eva duobus, Adam una. Serpenti enim dictum est a Domino[17]: *Supra pectus tuum gradieris, terram comedes, et mulier conculcabit caput tuum.* Evae autem dixit Deus: *In dolore paries filios et sub potestate viri eris.* Adae vero ait: *In sudore vultus tui comedes panem tuum.*

Tria incommoda vitae praesentis in coniugatis.

105. Maledictiones itaque Evae et per ipsam omnium mulierum nuptarum duae sunt in praesenti expressae, scilicet quod *in dolore pariunt filios* et *sub potestate virorum sunt.* — Quis et quantus sit dolor mulierum parientium, nullus hominum cognovit, nisi quae expertae sunt. In Scripturis[18] autem huius doloris testimonium frequenter invenimus; quia, cum magnitudinem alicuius doloris volumus exprimere, ipsum mulieri parturienti comparare solemus. Fecit hoc ipse Dominus, omnium dolorum cognitor; cum videret discipulos de morte sua nimium contristandos, ipsorum tristitiam mulieris parturientis tristitiae voluit comparare, dicens[19]: *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius; ita et vos nunc quidem tristitiam habetis.* Similiter et beatus Paulus, volens ostendere dolorem eorum qui in extremi iudicii die imparati

De primo.

[1] Ita A; Bon. cum ed. 1 *quae ab hac specie iactantiae te avocet. Ita enim habeto.*

[2] August., in Ioan. Evang. tr. 67. n. 2. — Sequitur Eccle. 9, 1.

[3] Ex A supplevimus *puto, quod necessario.*

[4] Prov. 27, 1.

[5] Ita A; Bon. cum ed. 1 *crucifixum, qui hactenus* [ed. 1 *eatenus*] *institisset latrociniis et homicidiis*, et inferius *utri alter in fine* pro *uter eorum in fine alteri.*

[6] Ed. 1 et Bon. *cum ipso Iuda deprehendaris reprobus.*

[7] Psalm. 31, 2. — Inferius ex A substituimus *convenienter* pro *communiter*, et *qui non considerat, qualis vivas, sed qualis moriaris* pro *qui considerat, qualis quis moriatur.*

[8] Ex A supplevimus *nec temetipsum.*

[9] Eccli. 3, 20. Pro *magnus* Bon. et ed. 1 *maior.* — Superius post *igitur* ex A supplevimus *tuam*, deinde substituimus *et considera* pro *id est considera* et addidimus *quam habes.*

[10] Iac. 1, 17, post quem Ioan. 1, 9.

[11] Iuvenal., Satyra 11. v. 27. Cfr. Bernard., Serm. 40. de Diversis, n. 3.

[12] Cap. 1, 7. — Superius pro *ad amplexus Sponsi anhelabat* A *Sponsi osculum desiderabat*; cfr. ibid. v. 1: Osculetur me osculo oris sui; v. 2: Fragrantia unguentis optimis etc.

[13] Pro *lumen* (ita A) Bon. cum ed. 1 *et.* Inferius ex A supplevimus *et ipsum.*

[14] Cod. A omittit *nostri* et deinde cum Bon. *seu de tribus... exspectant.*

[15] Bon. cum ed. 1 omittit *candidi*, et inferius pro *plerumque* substituit *plurimum.*

[16] Pro *vovenda Domino* (ita A) Bon. cum ed. 1 *votiva.*

[17] Gen. 3, 14. seq. — Duo seqq. loci sunt ibid. v. 16. et 19. — Superius pro *praecepti* (ita A) Bon. cum ed. 1 *peccati.*

[18] Cfr. Deut. 2, 25; Ps. 47, 7; Eccli. 48, 21; Isai. 13, 8. et 21, 3; Ier. 6, 24. etc.

[19] Ioan. 16, 21. seq. — Superius pro *Fecit hoc ipse Dominus* (ita A) ed. 1 et Bon. *Hoc enim ipsum Dominus.*

inveniuntur, ait[1]: *Cum autem dixerint: Pax et securitas, tunc repentinus superveniet eis interitus, sicut dolor in utero habenti, et non effugient.* Saepius quoque in Prophetis et in aliis Scripturis[2] de huius doloris magnitudine multa inveniuntur exempla. Sed quia vivorum plura suppetunt testimonia, quae id ad experientiam cognoverunt, videtur in his non diutius immorandum. — Sed felices virgines et vere prudentes, quae etiam praeter commoda carnalia spiritui Domini iungi[3] vicinius elegerunt, spirituales fetus, id est bona opera, multo melius, uberius et securius immortali Sponso suo, Domino bono Iesu non singulis annorum spatiis, sed diebus singulis procreantes, amantes eum, in cuius thalamum castissimum duce pudicitia intraverunt, vel quem potius in sui cordis thalamum receperunt, cuius[4] vocem organicam in praeceptis suis et promissis praemiorum caelestium audierunt, et loquente Sponso suo, sibi per obedientiam responderunt; cuius amor castimoniam, cuius tactus munditiam, cuius nuptiae virgines faciunt et conservant. O vere felices, quae tali viro non solum animi, sed etiam corporis munditiam consecrarunt! Cuius commercio sic in anima fecundantur, ut omnium virtutum matres efficiantur, quorum *filii* in domo caelesti aeternaliter *habitabunt, et semen* operum suorum coram Sponso suo *in saeculum dirigetur*[5].

Fetus spirituales.

106. Evadunt etiam virgines Christi maledictionem secundam Evae, matris primae[6], et per ipsam omnium mulierum maritatarum, scilicet quod *sub viri mortalis potestate non sunt;* et in hoc quantum malum effugias, diligentius intuere. Super quo Pauli Apostoli[7] sententiam audiamus: *Virgo, quae innupta est, cogitat quae sunt Domini, ut sit sancta corpore et spiritu; quae autem nupta est cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro.* Quid acquiritur? Evaditur malum non modicum, sollicitudo mundana, quomodo viro placeat. Quantum putas animis virginalibus devotionis augeri, quod libere, quando volunt et quando debent, nulla impediente cura, possunt orationibus ceterisque spiritualibus exercitiis vacare? Quantas, putas, habent coniugatae religiosae et Deo vacare volentes molestias, cum a viris propriis, quibus eas subiectas esse oportet, prohibentur? Est enim hoc magnum onus coniugii, cum mulieres viris talibus copulantur, qui a bonis earum moribus et bona conversatione discordant. Quantas putas esse coniugatas, quae supplicio mortis[8] hoc emere vellent, quod a malorum virorum potestate liberatae, liberum possent Domino servitium exhibere? — Felices igitur virgines, quae Sponsum accipientes, illi se soli subiecerunt, cuius *iugum suave est et onus leve*[9], eique soli tota et integra mente placere desiderant, qui sane est *speciosus forma prae filiis hominum*, non dividentes mentem suam, ut ex parte cupiant et sollicitae sint placere Deo et ex parte placere viro, sed se totas integras reddunt illi a quo semetipsas[10] receperunt, ut essent, et receperunt, ut bene essent, ipsumque praeterea Sponsum suum gratuito acceperunt. Quid poterit tanto largitori digne rependi[11]? Dedit te tibi, cum te creavit, ut esses; reddidit te tibi, cum te recreavit, ut bene esses; dedit in viaticum tibi, ne in via deficias, corpus et sanguinem suum, se verum Deum et verum hominem; et tu quid rependes? Si pro eo, quod te tibi dedit, cum te creavit, vicem nequis rependere; quid denique pro eo, quod se tibi dedit? Certe, si te millies posses rependere, quid esses tu in comparatione Dei? — Repende tamen quantum potes, repende te totam illi qui te totam tibi et dedit et reddidit, et his non contentus, se quoque totum tibi dedit[12]. Dilige hunc tantum te diligentem et singularem dilectum *ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex omnibus viribus tuis*[13]; quia et cor bonae voluntatis et animam rationabilem et vires ad implenda quae bona sunt, ipse dedit tibi. *Benedicat anima tua Domino et noli oblivisci* has et *omnes retributiones eius*[14]; et te dilectionis illius vinculis adstringe, ut liberius *vacare possis et videre, quam suavis est Dominus;* quem si recte gustaveris, ipso te trahente, iam nequaquam ulterius sub alterius potestate redigeris. Quis enim sapiens ab illius se vellet absolvere servitio, « cui servire regnare est[15] »? Quis autem regnare nolit? Vis regnare feliciter? Servi benigno Iesu, et regnabis; quia « illi servire regnare est ». Sic enim de Sanctis legitur[16], quia *cum Christo regnabunt* in aeternum. Quid est *regnabunt?* Reges erunt. Hoc enim et Apostolus ait[17]: *Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Reges ergo vere erunt, heredes Dei regis, coheredes Christi regis. Felicissimae ergo virgines huius solius iugo subiectae, qui servos suos commutat in reges, quorum regnum non mutabitur in aeternum!

De secundo.

Felices virgines.

Gratiae rependa[...]

107. Tertia causa appetendae virginitatis est *carentia multiplicium anxietatum,* quae inevitabiliter[18] habentur circa pueros nutriendos. Quanta sit haec anxietas et sollicitudo, soli novere parentes. Secundum amorem enim, quo afficiuntur circa filios, extenditur sollicitudinis magnitudo, quem amorem, exceptis parentibus, nulli sciunt. Verum enim dixit qui ait:

De tert[...]

Quis sit amor prolis, soli novere parentes.

Unde nonnunquam sollicitudinem ipsam in tantum contingit extendi, ut omnes animi vires occupet, et omnibus

---

[1] Epist. I. Thess. 5, 3.
[2] Cfr. Gen. 35, 18; I. Reg. 4, 19; I. Paral. 4, 9.
[3] Ita A; Bon. cum ed. 1 *commoda temporalia in spiritu Domino iungi.*
[4] Bon. cum ed. 1 contra A *eius* et inferius *ei* pro *sibi.*
[5] Psalm. 101, 29.
[6] Ita A; Bon. cum ed. 1 *matris nostrae,* omisso subinde *mulierum.*
[7] Epist. I. Cor. 7, 34. Pro *quae autem... viro* A substituit v. 32: *quomodo placeat Domino,* et deinde prosequitur: *quod acquiritur evaditurque malum* etc.
[8] Pro *supplicio mortis* (ita A) Bon. cum ed. 1 *suppliciis.*
[9] Matth. 11, 30. — Sequitur Ps. 44, 3. et respicitur I. Cor. 7, 34. — Superius post *Sponsum* ed. 1 et Bon. addunt *suum Christum.* Inferius pro *ut ex parte... et ex parte* (ita A) Bon. cum ed. 1 *ita ut nec ex parte... nec ex parte.*
[10] Ex A supplevimus *semetipsas.* Inferius pro *ipsumque* (ita A) Bon. cum ed. 1 *ipsum munere.*
[11] Ita A; Bon. cum ed. 1 *Quid poteris largitori tuo digne rependere?*
[12] Cfr. supra Opusc. II. Soliloq. c. 1. n. 36.
[13] Luc. 10, 27. Vide supra Opusc. II. Soliloq. c. 1. n. 43. et Opusc. VI. de Perfectione vitae ad sorores, c. 7. n. 2. — Inferius pro *ad implenda* A *benefacta adimplendi.*
[14] Psalm. 102, 2. — Sequitur Ps. 45, 11: Vacate et videte; et 33, 9: Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus. Pro *vacare possis* Bon. *gustare possis.* — Post *adstringe* A addit *dono illius a maritalibus vinculis libera.*
[15] Glossa *interlinearis* in Rom. 1, 1. Cfr. tom. VI. pag. 576, nota 7. — Ed. 1 et Bon. contra A *Omnis sapiens ab illius se nollet absolvere servitio, cui* etc.
[16] Apoc. 20, 6: Et regnabunt cum illo [Christo] mille annis; 22, 5: Et regnabunt in saecula saeculorum.
[17] Rom. 8, 17. — In seq. propositione pro *heredes Dei regis, coheredes Christi regis* (ita A) Bon. cum ed. 1 *heredes regni Dei, coheredes autem regis.*
[18] Ita A; Bon. cum ed. 1 *inenarrabiliter.*

postpositis, solummodo filiorum mentio habeatur [1]. Discurrit animus et vagatur et circuit mare et aridam, nihil inexpertum relinquit, plurimumque et corpus miserorum parentum diverso labore atteritur, ut filiis pecunia et possessio comparetur. Nec adhuc quiescitur, etiam pluribus, quam necessitas exigat, conquisitis, quia occasione dilectionis filiorum subintrat avaritia etc.

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit [2].

Et nimis hanc optat, cum non habet, consequenterque moriuntur in miseriis opera misericordiae, dum miseris [3] nec possunt compati nec volunt misereri et se ipsos miserrimi parentes faciunt indignos ad misericordiam consequendam. Iam, ut puto, vides, quantum malum faciat sollicitudo circa filios habita et ad quem finem tendat. Quantum autem putas anxietatis adiici etiam bonis parentibus, et maxime matribus, quae maiori solent circa filios affectu moveri, cum vident, vitam filiorum, virtutum tramite relicto, vagari per devia vitiorum, cum diversis illos affici vident corporum infirmitatibus, cum denique tandem ad mortis vident interitum devenire? Quis in tantis miseriis locus divinae contemplationi relinquitur? Quomodo cor sursum habebit [4] tantis gravitatibus oppressum? — O quam beatae virgines, quorum Sponsus non ultra mori potest, quarum filii, id est virtutes, semper vivunt, immo et ipsas ad vitam perducunt, quarum animus ad diversa terrena non distenditur [5], sed ad solum bonum extenditur, posteriorum oblitus! Portant iam virgines beatae in mente sua caelum cum gaudiis, quantum homini fas est, quod ipsis postea [6] est laturum. Iam vagantur per gaudia caelestia, transeunt choros beatissimorum spirituum, singulorum chororum officia singula spirituali mentis vivacitate perspiciunt, et singularium virginum gaudia sibi a Rege et a Sponso suo praeparata libera mentis aviditate degustant, nulla filiorum terrenorum sollicitudine remoratae.

[margin: ...atae virgines.]

Caput XXXI.

De tribus commodis futurae vitae, quae obtinebunt virgines [7].

108. Sequamur, et nos prosequamur in tractatu materiae propositae tria commoda futurae vitae, Christi virginibus singulariter accessura. Beatissimus evangelista Ioannes in Apocalypsi sua [8] « vidit duodecies duodena millia sanctorum citharoedorum illibatae virginitatis in corpore, inviolatae veritatis in corde, quod sequerentur *Agnum*, sponsum virginum, *quocumque ierit* ». Ecce, virginum praemium singulare, quod per [9] quartum folium floris lilii designatur, quia *sequuntur Agnum, quocumque ierit*. « Quo ire putamus hunc Agnum, quo nemo eum sequi vel audeat vel valeat nisi vos? Quo, inquam, putamus eum ire? In quos saltus, in quae prata? Illuc, aestimo, ubi sunt vera gaudia [10], non gaudia huius saeculi vana, insaniae mendaces, nec gaudia, qualia in ipso regno Dei ceteris non virginibus praestantur, sed a ceterorum omnium gaudiorum sorte [11] distincta. Gaudia virginum Christi, de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum. Gaudia propria virginum Christi non sunt eadem non virginum, id est eorum qui non sunt virgines, quamvis tamen sint Christi. Nam sunt aliis alia gaudia, sed nullis talia. Ite in haec, sequimini *Agnum, quocumque ierit,* quia et Agni caro utique virgo est. Hoc enim in se retinuit, cum esset in corpore auctus, quod non abstulit Matri conceptus [12] ». Virgo enim in Virgine conceptus est, et natus Virgo de Virgine, et post nativitatem cum Virgine Matre Virgo permansit, auctor et custos et amator virginitatis et remunerator largissimus, Christus Iesus. « Merito igitur eum sequimini etiam in hac vita virginitate cordis et carnis, quocumque ierit. Quid est enim sequi nisi imitari? quia *Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum*, sicut ait Apostolus Petrus [13]. Hunc in eo quisque sequitur, in quo imitatur, in quo multa ad imitandum omnibus proponuntur, virginitas autem carnis non omnibus. Non enim habent, quid faciant, ut virgines sint, in quibus iam factum est, ut virgines non sint [14] ». « Sequantur itaque Agnum ceteri fideles, qui virginitatem corporis amiserunt, non quocumque ierit, sed quocumque ipsi poterunt. Possunt autem in omnibus virtutibus, nisi cum in decore virginitatis incedit [15] ». « Quomodo enim post eum ibunt itinere virginali, qui hoc amiserunt, quod nullo modo recipiunt? Vos ergo, o virgines eius, vos ite post eum, quae propter hoc unum, quocumque ierit, sequimini eum. Sequimini eum tenendo perseveranter quod vovistis ardenter; facite quod potestis, ne virginitatis bonum vobis pereat, cui facere nihil potestis, ut redeat [16] ». O quanta cum admiratione, o quanto cum gaudio « videbit vos cetera multitudo Sanctorum, quae Agnum ad hoc sequi non potest! Videbit nec invidebit, et collaetando vobis, quod in se non habet habebit in vobis. Agnus quippe ille, quem vos quocumque ierit, sequimini, nec eos deseret, qui eum non valent sequi quo vos; omnipotentem Agnum loquimur, et vobis praeibit et ab eis non abibit, cum erit Deus *omnia in omnibus* [17]; et qui minus habebunt a vobis non horrebunt; ubi enim

[margin: ...ria commoda.]
[margin: Primo, sequuntur Agnum.]
[margin: Sequere eum etiam in hac vita.]

---

[1] Ed. 1 et Bon. *mentionem habeant*, et subinde *percurrit* pro *circuit*.

[2] Iuvenal., Satyr. 14. v. 139.

[3] Bon. cum. ed. 1, superius pro *nimis* substituto *minus*, omittit *opera misericordiae, dum miseris*.

[4] Ita A; Bon. cum ed. 1 *haberi potest ad Dominum*.

[5] Ed. 1 et Bon. contra A *descendit*, omisso *sed ad solum bonum extenditur*.

[6] Ita A; Bon. cum. ed. 1 *ipsas praeterea*, qui etiam subinde post *transeunt* cum ed. 1 addit *singulariter*, et pro *singula* substituit *singularia*.

[7] Cod. A omittit *quae obtinebunt virgines*.

[8] Cap. 14, 1-4. Ita August., de Sancta Virginitate, c. 27. n. 27. Pro *inviolatae veritatis* (ita A cum textu originali) Bon. cum ed. 1 *viriditatis inviolatae*.

[9] Ita A; Bon. cum ed. 1 *per quod*.

[10] August., loc. cit.: *Ubi, credo, sunt gramina gaudia*. Inferius pro *insaniae mendaces* Bon. cum ed. 1 *insana mendacia*.

[11] Bon. cum ed. 1 contra A et textum originalem *ceteris praestantur, sed a ceteris sorte*. Inferius ex A et textu originali supplevimus *in Christo*.

[12] August., loc. cit. Ex A supplevimus *auctus* et *conceptus*, quod etiam exhibet Augustinus: Hoc enim in se retinuit auctus, quod Matri non abstulit conceptus et natus.

[13] Epist. I. 2, 21.

[14] August., de Sancta Virginitate, c. 27. n. 27. Quae sequuntur sunt ibid. c. 28. n. 28.

[15] Textus originalis: sed quousque ipsi potuerint. Possunt autem ubique, praeter cum in decore virginitatis incedit. Bon. cum ed. 1 *inceditur*.

[16] August., loc. cit. c. 29. n. 29. Pro *quae* [A *qui*] *propter hoc* textus originalis *quia propter hoc*. Subinde vocibus *cui facere* Bon. cum ed. 1 contra textum originalem et A interserit *semel perditae*.

[17] Epist. I. Cor. 15, 28.

nulla invidentia est, concors est differentia. Praesumite itaque, confidite, roboramini, permanete qui vovetis et *reddite Domino Deo vestro* [1] vota perpetuae continentiae, non tantum propter aerumnas praesentis saeculi vitandas, sed multo magis propter futuri saeculi delicias singulares [2] », quas vobis specialiter Agnus vester, Christus *transiens ministrabit.*

Cautela servanda.

109. Caveant autem virgines Christi, ne pueriliter ista intelligant, ita ut solam virginitatem credant sibi sufficere ad sequendum Agnum Dei, quocumque ierit; cum ipse Agnus non solum virginitatis semitam, immo etiam omnium virtutum viam incedat. Oportet ergo, virginem Christi omnium virtutum itinere, etiam in hac vita, Agnum mansuetissimum imitari, si vult illuc pervenire, ubi sine fine eum, quocumque ierit, sequetur. Quomodo enim sequi potest virgo superba Agnum in humilitatis via gradientem, ad quem nullo modo accedit? Quomodo mitissimum iracunda, quomodo ferventem in caritate invida, quomodo largissimum avara, quomodo alacrem accidiosa [3], quomodo sobrium ebriosa? Ambulat in omni via omnium virtutum Agnus, ambulet sic et virgo cupiens Agnum imitari. Sit humilis, mitis sit, sit caritate fervens, sit larga, sit alacris, sit sobria, et imitatur et imitabitur Agnum, quocumque ierit, et meretur ab ipso Agno, Sponso suo audire [4]: *Quam pulcri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!* Specialis quippe filia Dei principis, et domina regum universae terrae erit anima virginalis, cuius gressus commendantur in calceamentis. Per *calceamenta* autem accipimus exempla mortuorum, quia « calceamenta fiunt de mortuis animalibus [5] ». Pulcri igitur sunt gressus virginum in calceamentis, cum directae per viam virtutum omnium Agnum Christum pro ipsis mortuum prosequuntur, paratae pro Agno etiam ipsae usque ad mortem et per mortem, si necesse fuerit, sequi Agnum; in omni facto munientes pedes affectuum suorum exemplis optimi Agni, Christi Iesu adversus serpentem insidiantem calcaneo virginali, cuius tamen caput virginali pede, ipsius Agni adiutorio, conculcatur [6].

Secundo, canticum novum cantant.

110. Quintum folium floris lilii quintam causam designat, propter quam virginitas est appetenda, illam scilicet, quia *cantabunt canticum novum ante thronum Dei et Agni, quod* praeter virgines *nemo dicere potest* [7]. O felices et ceteris feliciores virgines, quae « affertis ad illas Agni nuptias aeternales canticum novum, quod cantabitis in citharis vestris, non utique tale, quale cantat universa terra, ut dicitur: *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra;* sed tale, quale nemo potest dicere nisi vos [8] ». Audiet tamen et delectabitur omnis multitudo fidelium vestro proprio et tam excellenti dono. Vos autem, quae et dicetis et audietis, quia id quod dicetis a vobis audietur [9], felicius exsultabitis iucundiusque regnabitis. Quis istam felicitatem, quis istam iucunditatem poterit explicare, immo quis humana mente concipiet tantae exsultantis iubilum? Nam si omnes virgines canticum istud cantabunt, nunquid illa virginum Virgo [10] non cantabit? Cantabit utique et tanto melius et iucundius, quanto castior ceteris, praebebitque toti virginum choro in cantando exemplum, quas ad virginitatis amorem suo incitavit exemplo. Cantabunt ergo virgines in illa iucunditate festiva canticum suum in cor Agni virginis, Sponsi sui, a quo, ut tale canticum cantare possent, acceperunt. Quid autem? Nunquid et ipse Agnus non solum aliarum virginum coetum, sed etiam ipsam Virginem virginum, Matrem suam superexcellens, a quo habent non solum, ut sint virgines, sed etiam ut sint; nunquid ipse Sponsus, virginum virgo optimus non etiam cantabit? Immo vero et ipse cantabit, et iucundissima illa vox Verbi Patris aeterni prae omnibus, cum omnibus, in omnibus audietur. O felix, felicius, felicissimum canticum! O festivitatem iucundissimam, comparatione et fine carentem! Quis istud non anhelet? Quis laborare contemnet, ut illuc perveniat, ubi tantarum virginum canticum novum audiat, ubi mirabiliter prae ceteris virginibus redundantem vocem Matris Agni percipiat; ubi et ipsum Agnum purissimum et dulcissimum melos, totum melleum audiat concinentem? Si enim *eloquia Domini,* teste Psalmista [11], et in isto corpore mortis existentis alicui tam *dulcia sunt, ut mel et favum superent;* quanta putas ea dulcedine superabundare debere, ubi omnis mortalitas, omnis timor, omnis dolor procul transierunt; ubi nulli amaritudini nullus locus relinquitur, sed omnes *torrente voluptatis* divinae potabuntur, inebriatae ab *ubertate domus* eius [12]? Maxima omnibus felicitas canticum virgineum Agni dulcissimum audientibus, multo tamen abundantior virginibus ipsi et cum ipso Agno cantantibus.

Praecipue B. M.

Hortatio ad custodiendam linguam.

111. Quanta sollicitudine merito custodire debent virgines ora sua, canticum solis virginibus cantatura! et omni munditia conservabunt [13] non solum ab omni actu polluto, sed etiam ab omni verbo luxurioso, turpi, scurrili, iocoso, immo et otioso, eruntque, sicut in Cantico sponsae dicitur [14], sicut *vitta coccinea labia* virginum, *et eloquium* earum *dulce.* Sicut *vitta* enim *coccinea* sunt labia eorum qui semper verbis ardentis caritatis abundant, quibus verbis motus et cogitationes carnales restringuntur. Per *coccineum* quidem *colorem,* caritas; per *vittam,* qua crines restringuntur, restrictio cogitationum carnalium, quae per *crines* figurantur, accipitur. Sponsarum ergo Agni, hoc est virginum Christi, labia praecipue decet esse ut vittam coccineam, ut sermo earum semper sit de caritate ardenti, de passione Sponsi et Agni rubentis, ut qui semper debet esse in corde, semper sit in ore *candidus*

---

[1] Psalm. 75, 12.
[2] August., loc. cit.: Non propter praesens saeculum, sed propter regnum caelorum. — Subinde allegatur Luc. 12, 37. — Bon. cum ed. 1 legit *quas nobis spiritualiter Agnus noster Christus* etc.
[3] Ex A supplevimus *quomodo alacrem accidiosa.*
[4] Cant. 7, 1. — Superius pro *et meretur* (ita A) Bon. cum ed. 1 *denique merebitur.*
[5] Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 7. n. 3. Cfr. tom. III. pag. 466, nota 4.
[6] Respicitur Gen. 3, 15. Cfr. supra pag. 201, nota 10. — Superius pro *cuius tamen caput* (ita A) Bon. cum ed. 1 *cum caput serpentis.*
[7] Apoc. 14, 3. — Superius pro *illam scilicet* (ita A) ed. 1 et Bon. *illud scilicet.*
[8] August., de Sancta Virginitate, c. 27. n. 27. Allegatur Ps. 95, 1.
[9] Ita A; Bon. cum ed. 1 *quia illud dicetur a vobis.*
[10] Ed. 1 et Bon. contra A *Iam si omnes... illa Virgo virginum primiceria.*
[11] Psalm. 118, 103: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo! Ps. 18, 11: Dulciora super mel et favum.
[12] Psalm. 35, 9. Pro *inebriatae* (ita A) Bon. cum ed. 1 *inebriati.* — Inferius pro *ipsi et cum ipso* (ita A) ed. 1 et Bon. *Christi cum ipso.*
[13] Ita A; Bon. et ed. 1 *virginibus cantandum cantare et cum omni munditia conservare.*
[14] Cant. 4, 3. Cfr. Beda in hunc locum.

et rubicundus[1], dulcis Iesus. Nec timeo talibus de mendacio, quia mentiri omnino nolunt, cum de *veritate* loquuntur dulci Iesu; nec detractiones vereor, cum de *caritate* loquuntur dulci Iesu[2]. Scurrilia vero, turpia, iocosa, otiosa verbis passionis convenire non possunt. Quid enim utilius, quid amarius, quid decentius passione Domini Iesu Christi?

112. O dulcisissime atque amantissime Iesu, Agne immaculate, candide per innocentiam, rubicunde per sanguinem passionis, quam iucundum est cogitare, quam salubre loqui de te! Tu enim de te loquentibus praesens es mentesque dulciter accendis, informas verba et omnium in te loquentium trahis affectus, curruntque *in odore unguentorum tuorum*[3], donec introducantur a te, Rex regum, *in cellaria* tua *bibantque vinum* dulcissimae consolationis tuae *in iucunditate* cordis tui audiantque suavissimam vocem tuam dicentem: *Bibite et inebriamini, carissimi*, sentiantque, indignos a te gratis amari, amicissime et gratissime Iesu. — Videsne igitur, quorsum tendant verba caritatis et passionis benigni Iesu? cuius nomen, *quod est super omne nomen*[4], nulli potius nominandum, nulli dulcius sapiendum est quam virginibus sacris, sponsis eius, ut nunquam ab earum ore recedat nomen dulcissimi Iesu, quo ipsi Agno caelestis Patris canticum novum solae cantabunt. Incipite ergo iam, quantum fas est, o virgines, frui Sponso vestro, ipsum semper in corde, semper in ore gestantes, ut fiant ei *sicut vitta coccinea labia* vestra, *et eloquium dulce*[5], ut dignae habeamini postmodum osculari ab osculo oris eius et ab ipso in caelestem thalamum introduci.

113. Sexta et ultima causa, propter quam virginitas est appetenda, sexto floris lilii folio designatur. Ostenditur, quae sit haec causa, testimonio Isaiae ita dicentis[6]: *Eunuchis*, id est virginibus meis, *dabo in domo mea et in muro meo locum nominatum multo meliorem quam filiorum atque filiarum; nomen aeternum dabo eis, quod nunquam deficiet.* O sublime meritum virginum, o gloriam excellentem, o praemium speciale[7]! Legant et intelligant memoriaeque commendent verbum hoc, verbum bonum et suave, virgines omnes; pueri pariter et puellae gaudeant et perseveranter currant, qui iam continentiam voverunt, donec comprehendant. Audiant qui nondum voverunt et delectentur in altitudine praemiorum, ut voveant etiam ipsi votum castitatis castissimo Iesu et semitam virginitatis altissimam et arctissimam apprehendant, ut ipsi[8] bravium accipiant nominis sempiterni et locum multo meliorem, quam qui filios et filias ex se genuerunt[9], incolere mereantur. — Quid per hoc *nomen* designatur, quod Dominus promittit se suis virginibus daturum? « Quaedam utique gloria propria excellensque significatur, quae erit virginibus non communis cum multis, quamvis in eodem regno et eadem domo constitutis. Nam ideo fortassis *nomen* dictum est, quod eos quibus datur, distinguit a ceteris[10] ». sicut homines propriis nominibus distinguuntur. Licet enim omnes ad vitam aeternam praedestinati in uno regno sint mansuri et uno Deo fruituri; tamen, sicut ait Apostolus[11], *stella differt a stella in claritate; sic et resurrectio mortuorum;* « haec sunt merita diversa Sanctorum ». Nam sicut commune est omnibus sideribus esse in caelo, et tamen *est alia* gloria *solis, alia lunae, alia stellarum;*[12] sic in ipsa vita aeterna esse commune erit omnibus Sanctis, in ipsa autem vita aeterna distincte fulgebunt lumina meritorum. *In domo autem Patris* aeterni *mansiones multae sunt*[13], « ubi non vivet alter altero prolixius », quia omnes habebunt vitam aeternam. « In multis autem mansionibus honoratur alius alio clarius ». Quanta, putas, ibi gloria fulgebunt virgines Christi, corporis simul et mentis puritate Christum sequentes? Quis Sanctorum chorus melius lunae comparabitur quam virgines? Quod sidus soli similius quam luna? Quis chorus Sanctorum suo Sponso similior quam virgines? Solae sequentur eum, *quocumque ierit*[14]; unde et solae illi similes sunt atque simillissimae. Honorabuntur ergo prae ceteris in eodem regno existentibus splendore quidem excellentiori, sicut lunam videmus prae ceteris sideribus praeeminere; possidebuntque in domo Domini locum meliorem multo quam ceterorum filiorum et filiarum ipsius, qui virginitatis merito non sunt insignes.

114. « Pergite itaque Sancti Dei, pueri et puellae, mares et feminae, coelibes et innuptae, pergite perseveranter in finem. Laudate Dominum dulcius, quem cogitatis uberius; sperate felicius, cui servitis instantius; amate ardentius, cui placetis attentius[15] ». Non sint in vobis maculae vitiorum, sed totum hominem vestrum vestro Sponso *specioso forma prae filiis hominum*[16] consecrate simul et conservate. « Non conspiciatur in virgineo corpore vestro improbus vultus, non vagi oculi, non infrenis lingua, non petulans risus, non scurrilis iocus, non indecens habitus, tumidus aut fluxus incessus. Iam *non reddite malum pro malo, aut maledictum pro maledicto*. Iam postremo ad illam dilectionis mensuram accedite, ut ad imitationem Sponsi vestri ponatis *animas pro fratribus* vestris[17] ». « Haec enim addita virginitati angelicam vitam hominibus et caeli mores exhibent terris. Sed *quanto magni estis, tanto humiliate vos in omnibus*, ut *coram Deo inveniatis gratiam*,

[1] Cant. 5, 10. — Superius Bon. cum ed. 1 *sermo earum semper caritate ardeat, passione Agni et Sponsi rubeat, qui semper* etc.

[2] Ex A supplevimus *nec detractiones... dulci Iesu.*

[3] Cant. 1, 3; ibid.: Introduxit me rex in cellaria sua. Iudith, 12, 12: Bibat vinum in iucunditate. Cant. 5, 1: Bibite et inebriamini, carissimi.

[4] Phil. 2, 9.

[5] Cant. 4, 3. — Subinde respicitur Cant. 1, 1: Osculetur me osculo oris sui.

[6] Isai. 56, 5. Convenit August., de Sancta Virginitate, c. 25. n. 25, qui tantum in fine legit *nec unquam deerit* (etiam A *deerit*). Cfr. Septuaginta. Vulgata post *locum* prosequitur: et nomen melius a filiis et filiabus; nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.

[7] Ita A; Bon. cum ed. 1 *spirituale.*

[8] Pro *ut ipsi* (ita A) ed. 1 et Bon. *per quam incedentes.*

[9] Cod. A repetens locum Isaiae legit *meliorem quam filiorum atque filiarum.*

[10] August., de Sancta Virginitate, c. 25. n. 25: *Aeternum* hoc *nomen...* quod utique gloriam quandam propriam excellentemque significat, non erit commune cum multis, quamvis etc.

[11] Epist. I. Cor. 15, 41. seq. Cfr. August., loc. cit. c. 26. n. 26, ex quo *haec sunt merita diversa Sanctorum.*

[12] Epist. I. Cor. 15, 41. — Inferius ex A supplevimus *esse commune... vita aeterna.*

[13] Ioan. 14, 2, in cuius expositione August., in Ioan. Evang. tr. 67. n. 1. ait: Ubi amplius alio nemo vivit, quoniam vivendi non est diversa in aeternitate mensura. — Duo seqq. loci sunt ex August., de Sancta Virginitate, c. 26. n. 26.

[14] Apoc. 14, 4. — Superius ex A supplevimus *quod sidus... quam virgines.*

[15] August., de Sancta Virginitate, c. 27. n. 27.

[16] Psalm. 44, 3. — Superius pro *maculae* (ita A) Bon. cum ed. 1 *incentiva ulla.*

[17] August., loc. cit. c. 53. n. 54. — Allegatur I. Petr. 3, 9. et respicitur I. Ioan. 3, 16: Ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere.

ne superbis resistat, ne se exaltantes humiliet, ne inflatos per angustam portam non traiiciat, quamquam sit superflua sollicitudo; ne, ubi fervet caritas, desit humilitas [1] ».

115. « Si ergo nuptias contempsistis filiorum hominum, ex quibus gigneretis filios hominis; tanto magis corde amate Filium hominis *speciosum forma prae filiis hominum* [2]. Inspicite pulcritudinem amatoris vestri; etiam hoc ipsum, quod in eo derident superbi, inspicite, quam pulcrum sit interioribus luminibus. Inspicite vulnera pendentis, cicatrices resurgentis, sanguinem morientis, pretium credentis, commercium redimentis. Haec quanti valeant, cogitate; haec in statera caritatis appendite, et quidquid amoris in nuptias vestras impendendum habetis, illi rependite, qui non pulcram carnem, sed interiorem pulcridinem vestram quaerit, ubi vobis *dedit potestatem filias Dei fieri* [3]. Videte, cum quanta securitate amatis eum cui displicere falsis suspicionibus non timetis. Vir et uxor invicem se amant, quia in se vident in manifesto signa caritatis; saepe tamen de se aliquid mali invicem suspicantur, quia sua occulta invicem non contuentur. Non ita est de amatore vestro, dulcissimo Iesu, toto desiderabili, in quo nihil invenietis, quod reprehendere possitis; nec vobis timendum est de ipso, quod falso aliquid mali de vobis suspicetur qui *renes* intuetur *et corda* [4]. Si ergo magnum amorem coniugibus deberetis, quantum amare debetis eum, propter quem coniuges habere noluistis? Totus vobis figatur in corde qui pro vobis fixus est in cruce [5] » ; semper habentes in mente, quantam caritatem vobis exhibuit qui vos sibi inviolatas tam in corpore quam in anima conservavit, quantam vobis et quam specialem gloriam praeparavit, quas tam speciali gratia sublimavit? Specialem, inquam, gloriam, specialem coronam donabit vobis in caelis, quam nostri maiores *aureolam* [6] appellant, quam idcirco ab auro aestimo nominatam, ut ipsum coronae nomen, quae dabitur vobis in praemium virginitatis, insinuet excellentiam gloriae virginalis. Quid, inquam, dabitur sacris virginibus Christi? Ceteris sanctis ut praeemineant, sicut aurum cetera metalla praecellit. Dicit enim Isaias [7]: *In die illa erit Dominus corona gloriae et sertum exsultationis residuo populi sui.* Attende, quod *corona* fit de auro et de lapidibus pretiosis, *sertum* de floribus, puta rosis, violis et huiusmodi. Attende, quam magnum est ipsum Deum habere pro corona! Et virgines non tantum habebunt Deum pro corona, id quod est commune omnibus glorificatis; sed habebunt pro capillo florido exsultationis praerogativam spiritualis excellentiae, quae in virginibus in patria caelesti apparebit. Quid autem est ille *locus multo melior* quam filiorum Dei; quid illud *nomen aeternum* [8]; quid aureola? Magnum est valde et inexplicabile inexpertis. Sed propterea cum magna aviditate currendum, magna fortitudine perseverandum est eis qui soli fruendo poterunt hoc experiri.

Item, ad amorem Christi.

De aureola.

— Sed quia, commemorando gratiam specialem virginibus a Sponso suo gratis concessam et gloriam specialem ab ipso quoque nihilominus in caelis virginibus praeparatam, ad specialem dilectionem Sponsi caelestis, benigni Iesu animos virginalis munditiae, prout ipse virginitatis et dilectionis auctor largiri dignatus est, incitare curavimus; materiae ordinem prosequendo, de dilectione proximi, sine qua Dei dilectio non subsistit, pauca curemus adnectere, quia *in his duobus mandatis tota Lex pendet et Prophetae* [9].

Notandum.

Caput XXXII.

De sex flosculis flavis in medio lilii, id est de dilectione proximi et sex operibus misericordiae [10].

116. Flosculi igitur aurei coloris numero sex, qui in medio floris albi in lilio consistunt, caritatem erga proximum habendam figurant, quae in sex operibus caritatis, quae et *opera misericordiae* [11] nominantur, consistit. Caritas enim, quae otiosa esse non potest, ubicumque est, operibus se ostendit, sicut beatus Gregorius [12] ait: « Probatio dilectionis exhibitio est operis »; et ille specialis dilectus boni Iesu, Ioannes ait: *Qui habuerit substantiam huius mundi et viderit fratrem suum necessitatem patientem et clauserit viscera sua ab eo; quomodo caritas Dei manet in eo? Si enim fratrem suum, quem videt, non diligit; Deum, quem non videt, quomodo posset diligere?* Opera autem misericordiae, quibus caritas proximi demonstratur, curavit ipsa Veritas, bonus Iesus explicare, ostendens, se de his solis iustos in extremi iudicii examine laudaturum et propter horum defectum reprobos damnaturum, dicens [13]: *Cum venerit Filius hominis et sederit in sede maiestatis suae et statuerit iustos a dextris suis et reprobos a sinistris; dicet ipse Rex his qui a dextris erunt: Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes fui, et collegistis me; nudus, et cooperuistis me; infirmus et in carcere, et visitastis me; quia quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Tunc dicet his qui a sinistris: Ite, maledicti, in ignem aeternum. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum; hospes eram, et non collegistis me; infirmus et in carcere, et non visitastis me; quia quod non fecistis uni de minimis meis, nec mihi fecistis.* Ecce, opera misericordiae de caritatis radice procedentia. Considerandum est itaque, quantae sint dignitatis quae sola in districto examine laudari merentur; quorum dignitas in colore aureo flosculorum ipsa significantium designatur [14]. Nihil valet albi floris munditia sine istis, id est virginalis puritas sine operibus caritatis.

Requiruntur opera misericordiae.

Notandum.

---

[1] August., loc. cit. — Allegantur Eccli. 3, 20; Iac. 4, 6. (cfr. I. Petr. 5, 5.), et respicitur Matth. 23, 12: Qui autem se exaltaverit humiliabitur; et 7, 13: Intrate per angustam portam etc.

[2] Psalm. 44, 3.

[3] Ioan. 1, 12. Ed. 1 cum A contra August. *filios Dei fieri.*

[4] Psalm. 7, 10: Scrutans corda et renes Deus. Cfr. I. Reg. 16, 7. et Ier. 20, 12.

[5] August., loc. cit. c. 54-56. n. 55-57, pluribus tamen aliqualiter mutatis.

[6] Cfr. Bonav., IV. Sent. d. 33. a. 2. q. 3; Breviloq. p. VII. c. 7.

[7] Cap. 28, 5. — Cod. A omittit *Dicit enim Isaias... apparebit.*

[8] Respicitur Isai. 56, 5, de quo supra n. 113.

[9] Matth. 22, 40. — Superius pro *materiae ordinem* (ita A) Bon. cum ed. 1 *secundum ordinem.*

[10] Bon. omittit *id est... misericordiae*, A legit *De flosculis, qui sunt in medio floris albi, et de dilectione proximi.*

[11] Cfr. Bonav., IV. Sent. d. 15. p. II. dub. 2, ubi *septem* afferuntur, de quibus tantum *sex* hic afferuntur, quae inferius ex Matth. 25, 35. seqq. exhibentur.

[12] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 1; ibid. n. 2: Nunquam est Dei amor otiosus. — Sequuntur I. Ioan. 3, 17. et 4, 20: Qui enim fratrem suum etc.

[13] Matth. 25, 31-45.

[14] Ita A; Bon. cum ed. 1 *flosculorum lilii designatur.*

...stio in...eos sol...er.

117. Sed quid dicimus de his qui propter defectum terrenae substantiae haec opera implere non possunt, sive adhuc in saeculo commorentur, sive renuntiantes saeculo et omnibus, quae possidebant, nudum Christum nudi secuti sunt [1]? Nunquid hi omnes reprobi erunt, qui Christo in operibus misericordiae ministrare non possunt? Absit! Non enim impotentes, sed nolentes condemnabuntur. Nam viscera, id est compassionem suam, non claudit a proximo indigentiam patienti [2] qui, si posset, vellet subvenire, sufficitque Domino cor intuenti, si sola voluntas adsit, et ipsam pro facto reputat voluntatem. Nullus igitur se poterit excusare, quin omni petenti se tribuat vel opere vel voluntate. Non igitur se excusent qui dare non possunt, vel a Domino afflicta, vel voluntaria [3] paupertate coacti; voluntatem dare tenentur. — Examinet autem se quilibet, si hanc habeat voluntatem. Cum enim vides pauperem, vel infirmum, vel peregrinum, et nulla commotus compassione, pertransis nec orationem nec gemitum pro illo effundis; nunquid dandi habes voluntatem? Nequaquam. Si enim non dividis affectum caritatis cum proximo indigente, perinde est ac si non compatiaris patienti. Si non condoles [4] cum dolente; quomodo substantiam exteriorem divideres? Si non das compassionis affectum, qui, quo plus datur, plus abundat; quomodo dares terrenam substantiam, quae divisa minuitur? Quoties autem videmus aliquem indigentem, agnoscamus Christum in illo; quia et ipse indigens membrum Christi est, et non claudamus viscera compassionis ab illo; et per hoc sciemus, quia *caritas* Dei *manet in nobis* [5]. Maxime virgines Christi, lilia boni Iesu, intra albos flores munditiae virginalis habeant et hos aureos flosculos caritatis, sine qua nulla munditia castitatis, nullus labor passionis, nulla scientiae plenitudo ianuam vitae ingredietur aeternae.

...amen de ...passione ...miseris.

118. Nihilominus autem, immo et multo magis miserendum est miseris a via rectae fidei vel operum fidei exorbitantibus et in peccatorum sorde iacentibus, sive ipsi peccata sua agnoscant, sive non; frangendus est eis, id est orationibus et lacrymis nostris ad misericordiam inclinandus ille panis caelestis Angelorum, dulcis Iesus. Similiter et illi quibus dedit Dominus intellectum, panem sacrae Scripturae talibus frangent et apponent, orando Dominum, ut oculos eorum aperire dignetur, ut eum agnoscant, et cordis palatum sanet, ut gustent et videant, *quoniam* omnino *suavis est Dominus* [6], ipsumque *in fractione panis*, id est in interpretatione sacrae Scripturae, agnoscant, quorum *oculi* intellectus ante *tenebantur, ne cum cognoscerent*, peccatorum sordibus superiectis. Frangendus est et panis consolationis his qui in pressuris sunt constituti, sive in languoribus corporis, sive onere paupertatis vel in semetipsis, vel in amicis suis; ut secundum consilium Sapientis [7] *detur sicera moerentibus et vinum* dulcis consolationis *his qui amaro sunt animo*, divitem semper voluntatem habentes ad omnes, non solum ad amicos et domesticos fidei, verum etiam ad inimicos, *ut simus filii Patris nostri, qui in caelis est, qui facit solem suum oriri super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos.*

...em, com...ritualiter ...seris.

— Sed forte dicet aliquis: quid deperit Deo in eo, quod solem [8] sive pluviam suam tam malis quam bonis largitur? Nihil, inquam, immo et prodest, quia plerumque vincuntur mali multitudine bonitatis et beneficiorum Dei et a pravis suis itineribus convertuntur. Et tu dic mihi: quid deperit tibi, si caritatem tuam, quae quasi sol ceteras virtutes illuminat, et pluviam lacrymarum tuarum etiam cum inimicis dividas orando et lacrymando pro illis, ut quandoque *revertantur ad cor* [9] et errores suos agnoscant et caritatis unitatem recipiant? O si scires bonitatem optimi Dei, et quam bonus est qui te monet orare *pro persequentibus et calumniantibus* te, et quantam mercedem talia orantibus paret; certe iam dudum petivisses ab eo, et dedisset tibi solem talis caritatis et pluviam talium lacrymarum *qui dat omnibus affluenter et non improperat* [10], *apud quem fons est vitae*, et *in cuius lumine videbitur lumen, lux vera, quae illuminat omnem hominem*, dulcis Iesus. Ad cuius exemplum divide et tu caritatem tuam, divide lacrymas tuas tam cum inimicis tuis quam cum amicis; ut sis filius Patris caelestis et frater et imitator boni Iesu, qui super civitatem peccatricem flevit, pro occisoribus suis oravit, ut non perirent [11].

Obiectio solvitur.

119. Sed iam ad finem floris huius attingamus. Flosculus in medio flosculorum aureorum eminens, ceteris omnibus longior Divinitatem significat, *quae est super omnia benedictus Deus in saecula. Amen* [12]. Habet autem hic flosculus caput *unum*, *triangulum*, per quod Trinitas ipsa designatur. *Unum* enim *caput* divinae substantiae unitatem figurat, *tres* vero *anguli* eminentes et a se distincti Trinitatem significant personarum. Summus est hic flosculus in lilio virginali, quia virgo Domini omnes cogitationes suas, omnem voluntatem suam, omnia verba sua, omnia facta sua, omnem munditiam corporis sui et cordis ad honorem Sponsi sui caelestis debet referre; quia, si gloriam propriam quaesierit, *lampadem* quidem, id est corpus purum habebit; sed *oleo* laetitiae spiritualis et *igne* caritatis carebit. Scimus autem, quod illis virginibus dicturus sit Sponsus, quae lampades habebunt sine oleo, verbum horribile, non solum auditu, sed et cogitatu: *Nescio vos* [13]! O verbum asperum! Libera, dulcissime Sponse, optime Iesu, dum adhuc tempus est liberandi, nos pauperes peccatores *a laqueo venantium*, ne postea istud verbum asperum audiamus. Scimus, quod adversarius noster, serpens ille astutissimus, innumerabiles et subtilissimos nobis laqueos tendit; ut quos a bonis operibus non

De flosculo Trinitatem figurante.

Ad virgines.

De fatuis virginibus.

---

[1] Respicitur sententia Hieron. supra pag. 114, nota 7. allata.

[2] Respicitur I. Ioan. 3, 17. supra n. 116. allatus, et deinde I. Reg. 16, 7: Dominus autem intuetur cor. Cfr. Bonav., II. Sent. d. 40. a. 1. q. 3, ubi etiam (ad 2.) explicatio illius effati: *voluntas pro facto reputatur.*

[3] Ita A; Bon. cum ed. 1 *non possunt. Tam enim afflicti quam voluntaria.*

[4] Ita Bon. cum ed. 1; A pro *perinde est, ac* habet tantum *et*, et pro puncto habet comma.

[5] Epist. I. Ioan. 3, 17: Qui habuerit substantiam... et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? — Inferius ex A supplevimus *lilia boni Iesu.*

[6] Psalm. 33, 9, post quem Luc. 24, 35: Cognoverunt eum in fractione panis; et v. 16: Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent. — Pro *in interpretatione sacrae Scripturae* (ita A) Bon. cum ed. 1 *in sacra Scriptura.*

[7] Prov. 31, 6. — Subinde respicitur Gal. 6, 10: Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei; et allegatur Matth. 5, 45.

[8] Ita A; Bon. cum ed. 1 *Deo mea, quod solem.*

[9] Psalm. 84, 9. — Inferius respicitur Matth. 5, 44: Orate pro persequentibus et calumniantibus vos.

[10] Iac. 1, 5, post quem Ps. 35, 10. et Ioan. 1, 9.

[11] Luc. 19, 41: Videns civitatem flevit super illam. Ibid. 23, 34: Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt. Cfr. Isai. 53, 12.

[12] Rom. 9, 5. — De triangulo Trinitatem significante cfr. Bonav., Collat. in Hexaëm. collat. 4. n. 16.

[13] Matth. 25, 42. — Sequitur Ps. 123, 7.

potest suggestionibus pravis avertere de bonis, saltem faciat operibus gloriari. Et quomodo putas eum fremere, quomodo stridere dentibus suis, cum videt, virgunculas teneras a primis infantiae suae rudimentis « regnum mundi et omnem ornatum saeculi contemnere[1] » et tam altam semitam virginitatis ascendere? Quantas ipsum putas tendere insidias, nunc radici, nunc trunco, nunc foliis, nunc albis, nunc aureis flosculis lilii virginalis, ut inducat eas in aliquo horum quaerere gloriam propriam, ne ad summae virginitatis apicem pertingant? Sed virgo Christi semper respiciat in faciem Sponsi sui, ut omnia faciat propter ipsum, omnia referat ad ipsum, in omnibus quaerat ipsum, dicens cum ipso[2]: *Ego gloriam meam non quaero, sed honorifico* Dominum amicum et Sponsum meum, et ipse honorificabit me; quia ipse solus est *susceptor meus et gloria mea*, qui *exaltabit caput meum*, dulcis Iesus. Si quis virginum sic loquetur, sic aget, erit perfectum lilium « et florebit in aeternum ante Dominum[3] » et in Domino suo et in Sponso suo, et Dominus et Sponsus suus florebit in ipso, qui *in hortum* Ecclesiae suae *descendit*, ut talia lilia colligeret, dulcissimus Iesus.

Epilogus. 120. Haec autem per quendam excessum de flore lilii spiritualis, quo praecipue floret vitis et vita nostra, bonus Iesus, in gratiam virginum, ad quarum notitiam hunc tractatum credimus venturum, diligentius pertractare studuimus, ut hic inveniant compendiose et facilius memoriae commendent, tanto avidius legendo, quanto brevius quod ab aliis Patribus diffusius est tractatum et multis gravibus disputationibus aggravatum, quod propter difficultatem sui a simplicium virginum simplici intellectu non potest comprehendi. Nec timemus linguas detractorum, dicentium, nos uniformitatem materiae non servasse, qui a tractatu vitis in tractatum lilii deciderimus; cum pro certo sciamus, nos a caritatis benignitate excusandos fore, cui nos in hoc tractatu confitemur, sicut intelligimus, deservisse, *in cuius manu* sumus *et nos et sermones nostri*[4], quem, ut firmiter speramus, in huius materiae tractatu secuti sumus, non gloriam doctorum, sed fructum discentium requirentes. Verumtamen, quantum intelligo, non magis floret aliquo flore vitis nostra, non plures alicuius floris sui attrahit fragrantia[5] quam huius lilii, id est virtutis virginalis, cuius amore tot adolescentulae attractae, tam liberaliter currunt in odore unguentorum Sponsi, voce simul et opere ipsi proclamantes[6]: *Trahe nos, post te curremus in odore unguentorum tuorum.* Quid enim amant tot virginum millia mundi illecebras spernentium? Quid, inquam, tam amant in Sponso suo, cuius virtutis delectatione attrahuntur quam odorem lilii, id est amorem virginitatis? Licuerit ergo nobis hunc florem potissimum in vite nostra commendare, quo nullus pretiosior nec speciosior est in ipsa vite. Nunc autem ad alios compendiosius tractandos transeamus.

Notandum.

ADDITAMENTUM V[7].

CAPUT XLII.

De croco abstinentiae vitis nostrae[8].

134. Crocum etiam abstinentiae in nostra vite, dulcissimo Iesu Christo, sentimus floruisse, quamvis non propterea abstinens fuerit, ut *castigaret corpus* suum *et in servitutem redigeret, ne forte reprobus efficeretur*[9], sed ut nobis formam daret; et documentum abstinentiae, sicut in circumcisione et baptismo, quae non ad emundationem suam accepit, qui semper fuit mundissimus et omnium emundator, sed ut obedientiae nobis formam iustitiaeque donaret. Sine dubio igitur virtutem habuit abstinentiae Rex virtutum, et prae ceteris Sanctis praeteritis, praesentibus et futuris excellentius semetipsum macerans, non necessitate, sed voluntate. — Sed obiicitur nobis de verbis ipsius Domini Salvatoris de se dicentis[10]: *Venit* ad vos, o Iudaei, *Ioannes* Baptista *non manducans neque bibens, et dixistis: daemonium habet*; item: *Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicitis: Ecce, homo vorax et vinarius, amicus publicanorum et peccatorum.* Ecce, testimonium Veritatis dicentis, quod Ioannes non manducavit neque bibit, et quod ipse Iesus et manducavit et bibit. Nunquid ergo Ioannes in abstinentiae virtute praecellit nostrum dulcem Iesum? Nequaquam.

Obiectio solvitur.

Duplex abstinentiae virtus. 135. Sed notandum, quod duplex est abstinentiae virtus: una intus in mente, altera foris in actu; et ea quidem, quae in mente est, semper est habenda, ea vero, quae est in actu, pro rerum ac temporum qualitate manifestanda est. Bene autem Ioannes, qui purus homo erat, abstinentiam tam in mente quam in opere exercebat, ne forte contaminaretur sicut homo. Noster autem Iesus[11], qui maculari non poterat, cibis et potibus pro tempore utebatur, ut convescentes sibi ad virtutem attraheret abstinentiae ceterasque virtutes. Nec credas, ullo modo maiorem esse virtutem omnino abstinere a cibis quam ipsis cibariis uti moderate. Difficillimum est enim modum in cibariis omnimodis retinere, ita ut ultra, quam naturae potest sufficere, nihil sumatur, nec tamen ipsi naturae aliquid de necessariis subtrahatur. Si ergo contingat, aliquem virtutem

---

[1] Respicitur Resp. lect. 9. pro Communi non virginum; cfr. supra pag. 197, nota 8. — Inferius post *in aliquo horum* (ita A) Bon. cum ed. 1 *in aliquo bonorum operum.*
[2] Ioan. 8, 50. — Subinde allegatur Ps. 3, 4.
[3] Breviar. Roman. Commune unius Martyris, Resp. lect. 2. — Sequitur Cant. 6, 1.
[4] Sap. 7, 16. — Superius post *sciamus* Bon. cum ed. 1 prosequitur: *nos a caritate et benignitate Christi, nimirum virginum Sponsi, excusandos, cui in hoc* etc.
[5] Ita A; Bon. cum ed. 1 *non alterius alicuius floris tam attrahit fragrantiam.*
[6] Cant. 1, 3, in quo Bon. cum Vulgata *in odorem* pro *in odore*; cfr. Bernard., Serm. 21. in Cant. n. 1. et 4, ubi hoc explicat ita: *spirantibus unguentis, odore excitati curremus.*
[7] Cfr. supra pag. 187, nota 8. in fine.
[8] Cod. A brevius *De croco.* Cfr. Cant. 4, 14.
[9] Epist. 1. Cor. 9, 27. — De circumcisione cfr. supra c. 2. n. 1. — Superius pro *quamvis* (ita A) Bon. cum ed. 1 *Qui.*
[10] Matth. 11, 18. et deinde v. 19, in quo pro *vinarius* Bon. cum Vulgata *potator vini.*
[11] Ita A; Bon. cum ed. 1 *quam in corpore exercebat, ne forte contaminaretur; sed homo noster verus Iesus.*

abstinentiae habere cum Ioanne, scilicet ut ipsam mente et opere[1] exerceat; non condemnet eum qui abstinet cum perfectissimo Iesu, id est, qui abstinentiam, prout tempora exegerint et personae, pro utilitate vel corporis proprii vel proximi nunc intendit, nunc remittit, observans tamen in omnibus omnia, quae circa virtutem abstinentiae sunt servanda, ut semper vitii abstinentiae oppositi, id est gulae crimen, evitet. Cuius vitii abusiones hoc versu[2] notantur:

...bosiones ...tra absti- ...tiam ex- ...antur.

Praepropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

...ima abusio. *Praepropere* enim comedunt vel bibunt qui tempus comedendi praeveniunt, sola voluptate, non necessitate coacti. ...templum. Legimus enim in Vita Patrum[3] de sanctis Patribus, qui hospitum caritate devicti, tempus consuetum ciborum anticipaverunt, sed comedendo in caritate se nequaquam solvisse ieiunium aestimabant; ita ut etiam aliqui post talem refectiunculam Missarum celebrare solemnia non timerent[4], quod quamvis nobis non conveniat trahere in exemplum, ut similiter faciamus, quoniam quidem ab eorum perfectione nos nimium separamur, eos tamen sine peccato talia fecisse confidimus, quae nequaquam, nisi Spiritu sancto ipsis veraciter revelante, fecissent. — Secunda. *Laute* comedunt qui delicatis utuntur cibariis, sola delectatione attracti, quibus non sufficit naturalis sapor sive carnium sive piscium, quem Creator illis imposuit; sed metis naturae contemptis, quaerunt adulterinos sapores piperis et salsamentorum variorum, ut sibi appetitum faciant comedendi, non metuentes optimum Creatorem vituperare in creaturis suis, dum alios illis sapores ipsi faciunt, quam earum Creator naturae earum praestiterit. O quantum huiusmodi sapores alienos homo christianus vitare deberet, si adverteret, dulcissimum ac sapientissimum Dominum suum fecisse *omnia bona valde*[5], cuius creaturas vere bonas nullus nisi vere malus alterare consuevit! Consuevit, dico, quia quandoque lautioribus uti cibariis pro infirmitate corporis repellenda, palato non alludente, sed renitente cibariis, nulla vel parva culpa esset.

136. Ad eorum igitur confusionem, *quorum*, ut Apostolus ait[6], *deus venter est, et gloria in confusione eorum*, quos idem asserit flendo *inimicos* esse *crucis Christi* et imitatores illius pauperrimi et miserrimi divitis, qui epulabatur non *aliquando* pro sanitatis remedio, sed pro voluptate *quotidie splendide*; propter quod nec guttam aquae, cum in inferno sepultus esset, meruit impetrare, ut refrigeretur lingua sua ardens profecto in flamma, quae alienis semper et superfluis fuerat saporibus delectata; nec naturali aquae frigore meruit refoveri qui in voluptatibus suis naturae saporem adulteraverat: ad horum, inquam, confusionem gentilis hominis[7] memorare sententiam non gravabor, ut erubescat nomine Christianus, cum a meliore se Christum ignorante docetur, qui neque creaturas per Creatorem venerari sciebat, nec asperos sciebat pati sapores pro Christo, quem vel nescivit, vel non credidit pro se in crucis supplicio *vinum myrrhatum* bibisse *cum felle mixtum*[8], sed soli naturae consentiens contra voluptuosos exclamat:

O prodiga rerum
Luxuries, nunquam parvo contenta paratu,
Et quaesitorum terra pelagoque ciborum
Ambitiosa fames, et lautae gloria mensae!
Discite, quam parvo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat. Non erigit aegros
Nobilis ignoto diffusus consule Bacchus,
Non auro gemmisque[9] bibunt; sed gurgite puro
Vita redit; satis est populis fluviusque Ceresque;

id est aqua et panis. Et quam bene concordat cum illa sententia usitata et vera[10]: *Panis et aqua vita beata.* Nec adhuc conteruntur hac confusione durissimae frontes voratorum tam ipsius Veritatis, verissimi Iesu, quam Apostoli eius aeque veri nec non et gentilis quidem hominis reprehensione et eruditione percussae, et dicunt: Christiani sumus; nec tamen recipiunt vocem Christi in Apostolo loquentis et monentis[11]: *Curam carnis ne feceritis in desideriis.* Unde frequenter evenit, ut, cum *adhuc escae eorum sint in ore ipsorum, ira Dei ascendat super eos:* et qui *deduxerunt in* pessimis *bonis* terrenis *dies suos, in puncto ad infernum descendant; ubi vermis* comedens ipsos *non moritur, et ignis non exstinguitur*, pro deliciis brevibus mala recipientes sempiterna.

137. *Nimis* comedere quid sit, omnibus notum est. Tertia. Nimis enim comedit sive bibit qui ultra quam naturae suae sustentandae possit sufficere, sumit alimenta, maxime si hoc scienter fecerit. Evenit enim non raro, ut homo, laboribus suis consideratis, plus vilium sumat alimentorum, ut in labore possit subsistere, et timore deficiendi cogente, mensuram refectionis excedat, a quo peccato vix credo aliquem esse immunem. Sed talia peccata crebris confessionibus, intermixtis voluntariis abstinentiis, statim ut deprehenduntur, purganda sunt. In nullo autem genere ciborum istud vitium superfluitatis ciborum et potuum excusatur, cum etiam legatur[12], quod *peccatum Sodomae fuit abundantia panis*, et diabolus tentaturus Dominum non de alio quam de pane tentavit, sciens profecto, in nimio sumtu panis peccatum non deesse, qui primos parentes et per ipsos omnes homines unius pomi comestione decepit[13]; quamvis non ita facile mensura in cibis vilibus excedatur, ubi sapor non decipit, sicut in cibariis laute praeparatis et saporibus alteratis.

---

[1] Bon. *mente et corpore.*
[2] In quo sententia Gregor., XXX. Moral. c. 18. n. 60, exprimitur. Cfr. Alex. Hal., Sum. p. II. q. 142. m. 6. — Cod. A hic exhibet rubricam *De vitiis gulae.*
[3] Libr. IV. c. 32. et V. libellus 13. n. 2. et 8.
[4] Hoc loc. cit. non habetur; cfr. August., Epist. 54. (alias 118.) c. 5. n. 7. seqq., ubi hunc morem tangit. — Inferius pro *nos nimium* A *non minimum.*
[5] Gen. 1, 31; Eccli. 39, 21.
[6] Phil. 3, 19. et 18: Flens dico, inimicos crucis Christi. — Subinde respicitur Luc. 16, 19. seqq.
[7] Scilicet Annaei Lucani Cordubensis, ex cuius lib. IV. de Bello civili (Pharsal.), v. 373-381, sunt versi inferius allegati. — Subinde pro *se Christum ignorante* (ita A) Bon. cum ed. 1 *se ipsum ignorante.*
[8] Cfr. supra pag. 176, nota 7.
[9] Ed. Basil. 1579 *myrrhaque.*
[10] Eccli. 29, 28: Initium vitae hominis aqua et panis.
[11] Rom. 13, 14. — Subinde allegantur Ps. 77, 30. seq.; Iob 21, 13; Marc. 9, 45. (cfr. Isai. 66, 24.).
[12] Ezech. 16, 49: Ecce, haec fuit iniquitas Sodomae, sororis tuae, superbia, saturitas panis et abundantia. — Subinde respicitur Matth. 4, 3: Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant. — Inferius post *Dominum* A addit *dulcem Iesum.*
[13] Cfr. Gen. 3, 1. seqq.

138. *Ardenter* comedere est cibos vel potus cum nimio desiderio sumere, quod etiam tam in vilibus quam in delicatis potest cibariis evenire. Cuius rei exemplum habemus in Esau, qui vilis cibi delectatione attractus, ultro vendidit primogenita sua. Ita enim ait liber Genesis [1], quia, veniente Esau de agro, vidit Iacob fratrem suum coquentem lenticulam, cui dicit: *Da mihi de coctione tua hac rufa, quia oppido lassus sum.* Et facta pactione cum Iacob de venditione primogenitorum, comedit in voracitate coctionem nimis desideratam et dignitatem primogenitorum amisit. Quia enim nimium ardenter desiderabat lenticulam, ita ut diceret [2]: *En morior; quid mihi proderunt primogenita?* non est dubium, quin ardenter comederit acceptum, quod tam ardenter fuerat desideratum. Miserere, misericordissime Iesu, mihi miserrimo peccatori, qui nullam diem sine huiusmodi peccato me sentio praeterire, ne per talem excessum fidei tuae, qua tibi genitus sum, merear perdere dignitatem. Econtra et sanctissimos Eliam [3] et Ioannem Baptistam carnibus nullis usos fuisse accepimus, sed per sobrietatem temperantiae eos nullum ex hoc omnino meritum perdidisse.

Quarta abusio.

139. *Studiose* comedere est in cibis vel in potibus nimis diu immorari. De hoc expertis loquimur, et utinam non essemus experti nec unquam experturi. Frequenter solet accidere, quod sumtis cibariis, quae secundum consuetudinem necessitati sumentis possent et deberent sufficere, quaedam surgat nova delectatio ex his quae ante comesta sunt, utpote panis comedendi [4], quae delectatio facit, hominem improvidum et insidias diaboli non caventem illi cibo cum tanto studio inhaerere, tanquam nihil ante comederit, vel intra multos dies post hoc nihil sit sumturus ciborum. At illi qui hanc gulae speciem in se deprehendunt, auxiliante Deo, facile possunt resistere, quia impetus eius non longius durat, quam dum a mensa surgatur et illius quod tanto studio desideratur memoria subducatur. Sunt autem plurimi, qui tale studium comedendi nec peccatum quidem aestimant, nec etiam cuiquam suggerenti peccatum esse, fidem adhibent, habentes in consuetudine damnabili nulli desiderio resistere, quod possit a natura aliqua obumbratione defendi, nec ponunt aliquam metam desiderio comedendi, donec tempore deficiant fatigati [5]. Sed christianus homo comedit, ut vivat, non vivit, ut comedat, sicut quidam [6] ait. Ideoque et illud bene de inutilibus et voracibus:

Quinta.

Notandum.

Nos numerus sumus, et fruges consumere nati.

Christianus autem non sic, sed semper ita surgat [7] a mensa, ut adhuc habeat appetitum plura sumendi, et eum qui adhuc esset implendus cibariis, Domino Iesu pro grato munere conferat appetitum, qui pro nostra salute saepius esurire voluit et sitire. His et aliis similibus rationibus unus aliquis inductus, tanta se abstinentia macerat, ut nimia consumtus inedia in languores incidat diuturnos, ut nec sibi nec aliis valeat omnino prodesse, immo fiat etiam omnibus gravis, quos, si gravarentur, ipse potius alleviare deberet. Quis ista docet, quis sapiens ista facit? Ignorant tales, quod [8]

Virtus est medium vitiorum et utrinque reductum.

Est enim quoddam medium inter nimis comedere et nimis abstinere; et illud medium est virtus, hoc est tantum sumere alimentorum, ne debilitetur omnino natura; nec tantum, ut vitia vegetentur. Quodsi omnino tale medium servari non potest, tamen hoc caveri potest, ne nimis a medio recedatur, id est, ut ille qui minus comedit, quam debeat, non nimis abstineat; ut ille qui comedendi mensuram excedit, eam non nimis excedat, ita ut corpus non nutriatur vitiis, sed virtutibus conservetur.

140. Quare autem flos croci abstinentiam significet, color ipsius ostendit; facit enim abstinentia suos cultores croceos, suo flori similes. Non enim potest esse facies rubicunda cum stomacho abstinente [9]. Multitudo autem foliorum croci multas species abstinentiae designat. Non enim est abstinentia solummodo cibi et potus, sed etiam somni et lasciviae et vestimentorum et aliorum quorumlibet commodorum, quae corpori superflue tribuuntur, et balneorum, unguentorum, stratorum mollium, odoramentorum, musicorum instrumentorum et cantilenarum et ceterorum huiusmodi, quae sensus humanos corrumpunt animumque subvertunt. Quod autem quaedam folia rubei sunt coloris, significat, caritatem semper debere immixtam esse operibus abstinentiae, quia, si quis sine caritate *corpus suum ita tradat, ut ardeat, nihil ei prodest* [10]. Quosdam enim esse, qui non propter caritatem Dei, sed propter vanam gloriam se macerent abstinendo, ostendit ipsa Veritas, bonus Iesus, dicens discipulis suis [11]: *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae tristes, qui exterminant facies suas, ut videantur ab hominibus ieiunantes. Amen, dico vobis, receperunt mercedem suam.* Quare? Quia non sunt verus crocus, qui carent rubris foliis caritatis, sine qua nullum opus perfectum est. Ipsa enim est virtus, de qua dicitur: Qui habet unam habet omnes, et quam qui non habet, id *quod habet auferetur ab eo* [12].

Quare c[...]cus sign[...]cet ab[...]nentiam.

Caput XLIII.

De odore florum vitis [13].

141. Iam ad odorem horum florum vitis nostrae accedamus, rogantes ipsum dulcissimum Iesum, ut sui odoris dulcissimi fragrantia corda nostra dignetur suffumigare [14], ut de ipso dulcia et sentire et dicere valeamus.

---

[1] Cap. 25, 30.
[2] Gen. 25, 32.
[3] Libr. III. Reg. 17, 6. tamen dicitur: Corvi quoque deferebant ei panem et *carnes* mane etc.; ibid. 19, 6. de pane subcinericio. Marc. 1, 6: Et locustas et mel edebat [Ioannes].
[4] Ex A supplevimus *ex his... comedendi.* Inferius pro *intra* A *infra.*
[5] Cod. A addit *vel forte pudore devicti.*
[6] August., de Magistro, c. 9. n. 26: Cibandum potius, ut vivamus, quam vivendum, ut cibemur. Similis sententia tribuitur Socrati. — Versus, qui sequitur, est Horatii, Epist. 2. v. 27.
[7] Cod. A *surget.*
[8] Ut ait Horat., Epist. 18. v. 9. — Superius pro *quos, si* (ita A) Bon. cum ed. 1 *qui si.*
[9] Ita A; Bon. cum ed. 1 *abstinentiae* et subinde *florum* pro *foliorum.*
[10] Epist. I. Cor. 13, 3.
[11] Matth. 6, 16.
[12] Matth. 13, 12; Marc. 4, 25; Luc. 19, 26. — De connexione virtutum cfr. Bonav., III. Sent. d. 36. q. 1. 3. 6.
[13] Cod. A omittit hanc rubricam.
[14] Ita A; Bon. cum ed. 1 *aspirare.*

a de odore vitis.

Quid autem dicere de hoc odore poterimus? Mirabilis et supra quam potest credi aut cogitari inaestimabilis est odor iste vitis nostrae omni genere florum florentis [1]. Floruerunt et alii sancti palmites vitis huius, in quibus et ipse profecto floruit; sed certissime ipsi viti soli, capiti nostro Iesu clamat illa spiritualis sponsa [2]: *Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum; ideo adolescentulae dilexerunt te. Trahe me post te; curremus in odore unguentorum tuorum.* Non est mirum, si odor inaestimabilis nimis de hac vite nostra florente procedit, si nomina eius diligentius attendamus, quae sunt *Iesus*, *Christus*, *Nazarenus*. *Iesus* autem, ut scitis, salutaris vel salvator interpretatur; de quo Psalmista [3]: *Converte nos, Deus, salutaris noster;* et iterum: *Salvasti nos de affligentibus nos.* Quis autem in afflictione positus salvari nolit? Si vis salvari, attrahe odorem huius nominis salutaris, quod *effusum* est sicut *oleum* [4]*;* incipe delectari in dulcissimo Iesu et confidenter require in vero salutari salutem, non imitando illos *qui laetantur, cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis*, in quibus salutis suae summam constare putant; sed potius eam, cuius *spiritus exsultavit in Deo salutari suo*, quae nominis huius salutaris odorem tanto suavius attraxerat perfectiusque senserat, quanto illi fide, spe et caritate vicinior fuerat, quae ipsum de suis genuerat visceribus, nempe verum et perfectum Deum et hominem, salutarem Iesum. Non ignorabat enim, qualiter sine omni carnali concupiscentia conceptus, qualiter sine omni dolore ex ipsa natus, quomodo a pastoribus praedicatus, quomodo a Magis adoratus, quomodo suo virgineo lacte nutritus, quomodo a Simeone et Anna commendatus. Noverat, inquam, haec omnia et multo plura virgo illa felicissima, beatissima, fecundissima et perfectissima fide salutarem veri salutaris sequebatur odorem. Nec poterat non sperare in eum quem fide perfectissima cognoscebat et posse et scire et velle salvare omnes desiderantes salutem. Quantum enim quis credit, tantum sperat; quantum sperat, tantum amat. Quanto ergo haec optima Mater perfectior erat in fide, tanto in spe fortior et in caritate ferventior, *omnem cogitatum iactans* in eum [5] quem sciebat ipsam enutrire debere.

Nomina ...ius vitis.

142. *Oleum* enim *effusum est nomen tuum* [6]. Quare? Quia oleo *nutriuntur infirmi*, *pascuntur famelici*, *lumina reparantur.* — Quis enim tam *infirmus*, qui hoc oleo salutari, nomine scilicet salutiferi Iesu, curatus non fuerit, dummodo velit curari? Ita enim ait ipse Salvator [7] cuidam languenti, qui iacebat ad piscinam probaticam: *Vis sanus fieri?* Et ille: *Domine, hominem non habeo, ut, cum mota fuerit aqua, mittat me in piscinam.* Stulte, ecce, *oleum* salutiferum salutaris Iesus, cuius nomen est sicut oleum effusum. Quid tibi cum *aqua?* Si vis recipere salutem, ecce, fons olei misericordiae, in quo te nullus prohibet baptizari, cuius nomen oleum est effusum, id est omnibus gentibus manifestum, quo oleo uncti infirmi sanantur. Quomodo, cum audis et intelligis supereminentem misericordiam optimi Iesu — qui propter te redimendum de sinu Patris descendit in terras, ubi te misericordissima passione sua redemit — non oboritur [8] tibi certa spes, quod te redemptum tanto pretio nolit perdere, quem de caelo venit redimere? Iam ergo tibi sic cogitanti, sic speranti oleum nominis Iesu tibi effusum est. Unge te eo, ut saneris; id est, spera in misericordia Salvatoris, qui salvat omnes sperantes in se [9].

...um nomi... Iesu nu...it.

143. Nihilominus autem oleum hoc *pascit te*, si *famelicus* es, si esuris, verbum est. In hoc oleo Dei Verbi [10], optimi Iesu, invenis quod satiet te, si dictis et factis eius aurem cordis tui velis inclinare. Satiat enim animam esurientem quidquid dixit, quidquid fecit dulcis Iesus. Quod si esuris et sitis iustitiam, satiabit te verbum oris eius qui dixit [11]: *Beati, qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* — *Fovet* [12] quoque ignem oleum, quod huic nomini Iesu optime convenit; quia huius nominis virtute fides confirmatur, caritas exardescit. Pauci enim fidem habuerunt ante huius olei effusionem, id est ante praedicationem nominis tui, o bone Iesu, pauci igniculo caritatis arserunt. Sed ecce, illo effuso, quanti fide illuminati, quanti caritate succensi sunt! Dedit odorem, id est bonam famam, oleum nominis boni Iesu effusum, et patuit, eum esse etiam Christum, id est unctum. Sic enim ait Psalmista de eo [13]: *Unxit te, Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.* Ergo et oleum *unguentum* est, quia unguentum de oleo et aromatibus conficitur. Quid ergo iam mirum, si haec vitis mirabilem dedit odorem, quae et uncta est et florens? *Nazarenus* enim florens interpretatur [14].

Item, pascit.

Item, fovet.

144. Vitis nostra, Iesus Christus Nazarenus, id est salutaris, uncta et florens, quot non attraheret? Omnes, qui *salutem*, *gloriam*, *divitias* vel [15] *delicias* concupiscunt, veniant ad vitem hanc. Dabit enim Iesus *salutem*, quia salutaris est; dabit Christus *regnum*, in quo gloria cum divitiis habetur, quia unctus est, quod proprie ad reges pertinet; dabit Nazarenus *delicias*, quia florens est. Quid enim iucundius flore? Multi autem, immo omnes, id est omnium virtutum flores in nostro Nazareno sunt, quarum delectabili odore totum mundum traxit post se. Nam qui veniunt ad ipsum propter humilitatem, violae eius sequuntur odorem; qui propter castitatem, lilii; qui propter passionis caritatem, rosae; qui propter abstinentiam, croci sequuntur odorem. His ergo virtutibus optimi Iesu Christi Nazareni ubique per praedicatores tanquam quodam pretioso unguento effusis, extraxerunt odorem eius adolescentulae et in odore eius mirifico delectatae, cucurrerunt post unctum

Magna attractio huius vitis.

---

[1] Ex A supplevimus *omni genere florum florentes.*

[2] Cant. 1, 1-3. — Bon. cum ed. 1 *sed certissime viri illi soli capiti nostro, optimo Iesu clamabant, nempe illa spiritualis sponsa.*

[3] Psalm. 84, 5, post quem 43, 8. — De interpretatione nominis *Iesu* cfr. supra pag. 92, nota 7.

[4] Cant. 1, 2. — Duo seqq. loci sunt Prov. 2, 14. et Luc. 1, 47.

[5] Respicitur Ps. 54, 23; cfr. supra pag. 163, nota 10. — Ex A supplevimus *quem... debere.*

[6] Cant. 1, 2. — Cod. A *effusum nomen eius erat.*

[7] Ioan. 5, 6. et 7.

[8] Pro *non oboritur* A *oritur.*

[9] Psalm. 16, 7: Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te.

[10] Ita A; Bon. cum ed. 1 *In hoc verbo Dei* et inferius *Sanat enim* pro *Satiat enim.*

[11] Matth. 5, 6. — Superius pro *satiabit* Bon. cum ed. 1 *sanabit.*

[12] Ita A; Bon. cum ed. 1 *Addet.* Cfr. Bernard., Serm. 15. in Cant. n. 5: Fovet [oleum] ignem, nutrit carnem, lenit dolorem... Lucet praedicatum, pascit recogitatum, invocatum lenit et ungit.

[13] Psalm. 44, 8.

[14] Cfr. supra pag. 194, nota 5.

[15] Cod. A *gloriam in divitiis et.*

Iesum; et adhuc nimirum currunt, clamantes in toto corde suo[1]: *Trahe me post te, ut curramus in odore unguentorum tuorum,* scientes, quod *neque volentis neque currentis*, sed solius *Dei miserentis* est. Superat autem omnes odores omnium virtutum uncti Iesu odor crucifixi, ubi profecto praecipue efflorebat et de floribus vulnerum suorum inaestimabilem effudit odorem. *Fracto* enim *alabastro*[2] mundissimi corporis virginalis dulcis Iesu, effusum est unguentum sacratissimi sanguinis. Ipsa quoque sanctissima anima, in qua sine dubio redolebat unguentum spiritus septiformis, emissa, est dilatatus et dispersus odor vitis nostrae florentis non solum terris, sed et inferis; et suscitati sunt mortui tam ad vitam corporis quidam quam ad vitam animae, et adhuc ad vitam quotidie suscitantur, quia tota *domus* Christi, id est Ecclesia, *impleta est ex odore unguenti*[3] nostrae vitis praecipue in passione florentis. Conscissus est saccus corporis boni Iesu, ceciderunt grana sanguinearum guttarum, quae adhuc a fidelibus mente colligi possunt et ab accedentibus ad crucem fideliter ac devote colliguntur. Pretiosissimus vere thesaurus et incomparabilis guttae sunt sanguinis Christi Iesu.

145. Accede huc, o fidelis anima, et collige tibi reliquias epularum Sponsi tui, micas gratissimas, folia rosarum Sponsi tui, dulcis Iesu. Ecce, in quanta multitudine distillant de manibus simul et pedibus nec non et de latere crucifixi Christi Iesu! Non est morbus animae, cui his floribus mederi non possis. Collige tantum folia florum florentis Iesu, stillas sanguinis rubicundi, et tanquam pilulas, sine quibus esse nolo, in cubiculo cordis tui reconde. Erit tibi illarum sapor et odor in medicinam salubrem, morbos, si qui fuerint, repellentem venturosque caventem. Vide tantum, ne unquam sine illis esse velis, quae vere nomen[4] habent, quolibet fideli dicente: Sine quibus esse nolo. Hauri igitur toto cordis tui affectu odorem vitis verae, Iesu Christi Nazareni, et delectare in illo, sicut Pater caelestis in illo delectatus fuit, ut vere dicere potuerit[5]: *Ecce, odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus;* vere *pleni, in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis, in quo omnes thesauri sapientiae et scientiae reconditi sunt.*

Hortatio.

146. Est autem adhuc causa, quare tanto Crucifixus odore fragraverit. Modicus vel nullus est odor corporis cuiuslibet animalis viventis; sed cum igni caro apposita fuerit, quam suavis, quam delectabilis inde procedat odoris fragrantia, nullus ignorat. Attendamus ergo, quis vel quantus ignis corpori nostrae vitis apposita fuerit. Flagrabat interius incendio caritatis immensae, exterius passionis ardore, verissimum et gratissimum et saluberrimum holocaustum in ara crucis crucifixus bonus Iesus. Quod holocaustum simile isti? Nullum vere, quia nullum sic totum incensum; holocaustum quippe *totum incensum* dicitur[6]; et si istud dicebatur verum holocaustum, quod *totum* ardebat, cum tamen ibi arderet *sola caro;* quanto verius nostra vera victima dicetur holocaustum, quod et intus et foris incomparabiliter ardebat? Ardebat et totus Laurentius, Vincentius aliique quam plures, sed nihil ad hunc. Quis enim hoc audeat profiteri, ut aliquis eorum qui de huius divini ignis immensa plenitudine singulas scintillulas acceperant, in comparatione huius caritatis vel aliquid arderent[7]? Quis etiam ardori fornacis crucis aliquod audeat supplicium comparare? De quo nos superius[8] multa meminimus posuisse exempla. De holocausto igitur nostro, crucifixo Iesu, incomparabiliter ardente inaestimabilis nimis odor processit; *odoratusque Dominus* Deus Pater *odorem suavitatis*[9], benedixit nobis avertitque iram indignationis suae longe a nobis, pace in integrum reformata, et sanguine rubicundi Iesu tam nostro quam ipsius participe, pacis aeternae obside exsistente. Odoraverunt et alii quam plures ab oriente et occidente, ab aquilone et meridiano accurrentes, et ad hoc dulcissimi odoris corpus floridum congregati, ut de eo se satient, illo tamen integro permanente, impleverunt ipsius dulcissimi Iesu verbum dicentis[10]: *Ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilae.* Sed iam non cruda et indigestibilis caro ista comeditur, optime percocta duplici igne caritatis simul et passionis. Unde tam delectabili odore inebriati non solum viri natura fortiores, sed et virgunculae tenerrimae currunt toto cordis affectu, omnibus viribus animi ad delicias crucis hausturi delicias cordis[11], quantum in praesenti vita licet, unguentorum defluentium largiter ab holocausto nostro tam validis ignibus ardente.

Alia huius odoris causa.

Holocaustum Christi.

Notandu…

147. Non parum enim delicatum ardentis corporis adauxit odorem spiritualium unguentorum odor, id est gratuitorum collatio, quae post passionem a Domino Iesu Apostolis sunt collata. Ante passionem enim *Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*[12]; humiliato autem et exaltato pio Iesu, defluxit *unguentum* Spiritus sancti *a capite,* id est a Christo, id est uncto, *in barbam,* id est, in eos qui viriliter egerunt et confortati sunt, ut superarent in Domino; et non solum *in barbam Aaron,* id est, non solum summis Christi Apostolis datum est unguentum hoc, quod quasi liquefactum fuit igne passionis Christi, ut daret odorem bonae opinionis per omnem terram; sed etiam *descendit in oram vestimenti,* id est in infima membra Ecclesiae, quae est tanquam Christi vestimentum. Unde scriptum est[13]: *Vivit Dominus, quia his omnibus tanquam vestimento indueris;* quod et ita impletum est et adhuc impletur, ut etiam *in nationes Spiritus sancti gratia diffundatur,* et sentiant Christi odorem spiritualis unguenti de summo omnium capite defluentem, quo mundae fiant adolescentulae, ut attrahant et diligant unctum nostrum et currant *in odore unguentorum* illius[14].

Accedit g… tuitorum … latio per S… ritus S. m… sionem.

---

[1] Cant. 1, 3, post quem Rom. 9, 16. — Superius pro *per praedicotores... effusis* (ita A) Bon. cum ed. 1 *praedicatores... effuso.*

[2] Marc. 14, 3. — Superius pro *profecto* (ita A) ed. 1 et Bon. *perfectio.*

[3] Ioan. 12, 3. — Subinde respicitur Ps. 29, 12: Conscidisti saccum meum. — Superius ex A supplevimus *et adhuc ad vitam.*

[4] Bon. *numen.*

[5] Gen. 27, 27, post quem Col. 2, 9. et 3.

[6] Isidor., Etymolog. VI. c. 19, n. 35: Holocaustum illud est, ubi totum igne consumitur, quod offertur... Ὅλον enim Graece *totum* dicitur, καῦσις *incensio*, et holocaustum *totum incensum.* Cfr. August., Enarrat. in Ps. 49. n. 15. Bon. cum ed. 1 omittit *holocaustum... incensum.*

[7] Hanc propositionem ex A supplevimus.

[8] Cap. 3. n. 2. seqq.; c. 4. n. 4; c. 5. n. 2. seqq.; c. 6. seqq.

[9] Gen. 8, 21. — Subinde respicitur Ps. 84, 4. seq.: Avertisti ab ira indignationis tuae... averte iram tuam a nobis.

[10] Luc. 17, 37. — Inferius ex A supplevimus *et indigestibilis,* qui etiam vocibus *optime percocta* praefigit *tam*, Bon. cum ed. 1 illis addit *cum sit.*

[11] Cod. A omittit *cordis sui.*

[12] Ioan. 7, 39. — Subinde allegatur Ps. 132, 2.

[13] Isai. 49, 18: Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris. Ex A supplevimus hunc locum. — Sequitur Act. 10, 45.

[14] Cant. 1, 3.

148. Nec mirum, si vehementer delectentur duplici
plex odor. odore vitis nostrae: uno, qui ex unguentis, alio, qui ex floribus procedit. Odorantur igitur [1] et odoratum sequuntur dulcem Iesum, imitantes bestiam quandam, quae odore cocti panis et recentis ita delectatur, ut, ubicumque illum senserit, illum sequatur etiam usque ad interitum. Ecce, ipso teste [2], *panis vivus, qui de caelo descendit,* decoctus duplici igne caritatis et passionis, odorem suum longe lateque dispergit. Quis hunc non sequatur? Sequitur irrationalis bestia odorem panis cocti et consumendi; non sequetur homo rationalis odorem panis Angelorum bis cocti? Stultior [3] est quam bestia qui istius odoriferi panis odo-
Panis bis coctus. rem non intelligit et honorem. — Sed praeterire non possumus, quod transituri mare panem bis coctum necessarium habent. Quicumque ergo se in hoc mari magno huius saeculi esse cognoscit, quod quia *spatiosum* est, cito transire non potest, et propter *reptilia, quorum non est numerus* [4], periculosum est, nihilominus quoque et ventis et tempestatibus saevit; si securus vult esse, habeat hunc panem bis coctum, fortissimum Iesum in nave crucis suae, quem comedat, quem odoret, quo reficiatur, quo consoletur et, ut breviter dicam, ab omnibus periculis eruatur. Si enim, ut ait Psalmista [5], *illic naves pertransibunt,* id est homines in crucibus suis Iesum sequentes; quae navis potius pertransibit quam navis Crucifixi? Secundum vero Pauli sententiam dicentis [6]: *Christo confixus sum cruci,* crucifigamur et nos cum Christo, crucem eius, immo ipsum in cruce indeficienter cordis affectu amplectamur, ut in vivifico odore delectemur ardentis Iesu, qui de se dicit: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et honestatis,* cuius *spiritus est super mel dulcis.* Eius, inquam, odore delectemur, unguentis charismatum [7] eius foveamur, pane suo caelesti, id est corpore suo purissimo, confortemur, ut corpus eius edentes sanguinemque pro salute nostra effusum in nostram salutem bibentes, gustare possimus et videre, licet *per speculum in aenigmate* [8], quia suavissimus est Dominus, ut et ipsius promissio perficiatur in nobis, quantum in praesenti vita fas est, qui dicit: *Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient.*

Caput XLIV.

Quod flores inveniendi sunt in vite nostra [9].

149. Postremo videamus hoc quod breviter tetigimus [10], Flores serviunt apibus ad mel faciendum.
quod flores, qui nimirum et visum delectant et odoratum, licet comedi non soleant, suguntur tamen ab apibus, et liquore de floribus ablato dulcissima sibi mella conficiunt. Quae sunt hac apes, quae de floribus horti nostri dulcissimi Iesu, quos flores habemus prae manibus, sugendo sibi mella conficiunt [11]? Apes tales, ut puto, sunt illi qui Hae sunt animae contemplativae.
pennis contemplationis elevari sciunt et possunt suique ipsorum possunt alvearia, hoc est corporis curam, relinquere et ad hortum deliciarum dulcissimum, iucundissimum, floridissimum transvolare, in quo omnium florum divitias deliciosas et divites delicias inveniunt. Hortus enim iste paradisus est. Ita habes enim in Cantico amoris [12]: *Emissiones tuae,* o Virgo Maria fecundissima, *paradisus.* Processit enim hic paradisus ab utero virginali, omni flore omnique fructu refertus, sed fructibus interim dilatis. Flores istius paradisi videamus, legamus vel potius sugamus; hoc enim proprie apum est. Nos tantum utinam tales apes simus, quae sciunt sugere *mel de petra* [13]. Idem enim est *hortus* paradisi et *petra,* id est Christus. Si ergo flores quaerendi sunt, ubi potius quaerentur, ubi promptius et copiosius invenientur quam in dulcissimo Iesu Christo? Manifesti sunt flores virtutum et vulnerum eius. Stat ecce, expansis brachiis, nudo corpore, manibus simul et pedibus perforatis, capite inclinato [14].

ADDITAMENTUM VI [15].

153. Nec praetereundem est, quod apes de liquore flo-
De cera et melle. rum collecto favum conficiunt, id est ceram in se mel continentem. Quid est hoc? Per ceram tenacem memoriam accipe, quae apta est ad recipiendam formam sigilli et ad nutriendum ignem, si tamen in ea sit lychnus [16]; quae cera mel in se continet dulcissimum, mundificativum, descensivum. Nos igitur, si vere spirituales apes sumus, de floribus nostri paradisi Nazareni, id est horti florentis floridissimi Iesu Christi, nobis memoriam componamus tenacem, quae non a qualibet tentatione dissolvatur, sed apta sit illa memoria recipere impressionem sigilli, id est crucifixi Iesu, ut illum semper in memoria habeamus, qui dicit [17]: *Pone me ut signaculum super cor tuum.* Signa- Signaculum regium.
culum enim regium crux est, quam si in cordis nostri memoria portaverimus, tanti Regis regionem, quae finem non habet, secure poterimus pertransire. Habet hoc sigillum imaginem crucifixi Iesu in ipso sigillo crucis multis fossuris effossam et expressam, sicut in sigillis imago regum

---

[1] Bon. cum ed. 1 *Odorantur enim.*
[2] Ioan. 6, 51. et 59. — Inferius pro *dispergit* A *dispergens.*
[3] Bon. cum ed. 1 *Immo stultior;* A legit *Stultior est bestia, immo et bestia, qui* etc.
[4] Psalm. 103, 25. — Inferius pro *nihilominus quoque* (ita A) Bon. cum ed. 1 *quia.*
[5] Psalm. 103; 26. Cfr. August. in hunc loc. — Inferius pro *sequentes* (ita A) Bon. cum ed. 1 *sequentur.*
[6] Gal. 2, 19. — Subinde allegantur Eccli. 24, 23. et 27: Spiritus enim meus super mel dulcis.
[7] Cod. A *charismatis.*
[8] Epist. I. Cor. 13, 12. Ps. 33, 9: Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus. — Sequitur Eccli. 24, 29.
[9] Cod. A hanc rubricam omittit.
[10] Supra n. 52. — Bon. et ed. 1 contra A *Postremo videamus, quia flores et visum* etc.
[11] Hanc propositionem ex A supplevimus.
[12] Cap. 4, 13.
[13] Deut. 32, 13. Bon. cum ed. 1 *sugamus. Convenit enim, ut tales modo apes simus, quae sciant sugere mel de petra.* — Deinde respicitur I. Cor. 10, 4: Petra autem erat Christus.
[14] Hic sequuntur quae habentur supra pag. 187, c. 24. n. 1-4.
[15] Cfr. supra pag. 189, nota 6.
[16] Isidor., XX. Etymolog. c. 10. n. 2: *Lychnus* autem, quasi *lucinius.* Est enim cicendela lucernae. Cfr. tom. II. pag. 736, nota 3. Ed. 1 *linum,* alias *lignum;* Bon. *lychnium sive allychnium;* A scribit *licnus.*
[17] Cant. 8, 6. Cfr. supra pag. 189, nota 1.

exprimitur fodiendo. Habet et superscriptionem, titulum scilicet a Pilato conscriptum[1], *Iesus Nazarenus, Rex Iudaeorum.* Huius superscriptionis significationem spiritualem consequetur, si quis hoc sigillum crucis gestare curaverit tenaci memoriae impressum: habebit *Iesum*, id est salutem, quod primum est in superscriptione. Salus autem, quae ab omnibus sanae mentis appetitur, in tribus consistit, ut quae in tribus dictionibus exprimitur. In hac dictione *Nazarenus*, quod interpretatur florens[2], voluptatem sive delectationem intellige, quia florum pulcritudo summe delectat. Unde in libro Sapientiae[3] luxuriosorum voluptas exprimitur his dictis: *Nullum pratum sit, quod non pertranseat voluptas nostra. Coronemus nos rosis, antequam marcescant.* In hac dictione *Rex* divitiae exprimuntur. Reges enim divites esse solent super omnes, quos regunt. In hac dictione *Iudaeorum* gloria accipitur, quia uno modo *Iudaeus* glorians interpretatur[4]. — Portitor ergo voluntarius sigilli regis nostri crucifixi Iesu fructum superscriptionis consequitur, ut sit salvus, scilicet ut *voluptatem* consequatur aeternam, *torrente voluptatis* summi Regis potatus[5]; aeternales quoque *divitias* thesaurizet in optimo Iesu, in quo *sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae reconditi;* in ipso quoque *glorietur* sine termino, qui *excelsus* est *super omnes gentes, et* cuius *gloria super caelos.* Illuminat etiam domum cordis nostri et fovet in eo ignem caritatis divinae cera tenacis memoriae[6], ita tamen, si sit in eo *lychnus*, id est exercitium spiritualis laboris, quod per lychnum intelligitur, assumtum de lino, quod multis laboribus conteri solet, ut ad utilitatem aliquam perducatur.

Explicatio tituli crucis.

154. Si ergo in memoria nostra passionis Christi laborem habeamus, potest accendi et ardere caritas eius in nobis, quae illuminet tenebras ignorantiae nostrae et accendat frigus tarditatis nostrae, ut et nos parati fiamus pati pro illo et cum illo, *qui* prior *pro nobis passus est*[7]. In tali cera memoriae nostrae debet esse mel, id est delectatio de recordatione crucis, quod mel *dulcissimum* est. Quid est tam amarum, quod in recordatione vivificae passionis non possit dulcescere? Certe legimus[8], Hebraeos, cum exissent de Aegypto, venisse ad aquam amarissimam, quam nullus gustare poterat; *cui cum Moyses lignum iniecisset, dulcorata est*, sic ut eam delectabiliter biberent. Quid apertius per aquam amaram quam cuiuslibet adversitatis amaritudo signatur? cui cum lignum crucis iniicitur, id est, cum passio immensa dulcis Iesu consideratur et comparatur, necesse est, omnem passionem hominis levem videri respectu passionis dominicae, quam pro homine voluit sustinere Deus et homo, *mediator Dei et hominum*, dulcis *Iesus*[9]. — Est etiam mel *mundificativum*, quia vere nihil est, quod ita ab omnium vitiorum impulsu et contagione cogitationem nostram purificet et in puritate conservet, sicut iugis memoria crucis et passionis nostri dulcis Iesu.

Fructus huius memoriae.

Mel dulcissimum.

Mel mundificativum.

155. Est et mel *descensivum*, quia contra aliorum liquorum consuetudinem naturalem quod in melle purissimum est ad ima descendit, faeculentum vero ascendit. Quid per talem descensum nisi virtus humilitatis designatur? Quae profecto virtus in passionis dominicae memoria et acquiritur et conservatur; quia non potest non humiliari homo, cum recordatur pro se humiliatum Dominum maiestatis. Indignum quippe esset, hominem, lutum et cinerem, per sui elevationem illuc ascendere, quo nisi humiliatus ipse Dominus non pervenit, ubi angelus perfectissimus in omni scientia et decore, quia humilitate caruit, non potuit permanere[10]. — Colligamus ergo nobis in floribus Vitis nostrae dulcissimi et floridissimi Iesu talem memoriam, talem delectationem, ut stigmata Crucifixi nostri semper in memoria retinentes[11], ita in Christo, qui solus dulcis est, delectemur, ut omnes per ipsum praesentis vitae amaritudines superemus, mundemur ab omni delicto et in bonis operibus iugiter per humilitatis custodiam conservemur.

Mel de[...] sivum

Hortati[...]

Caput XLV.

De odore florum vitis[12].

156. Superest, ut dulci Iesu adiuvante dicamus, quid sit, quod per odorem florum vitis omnia venenata, praecipue serpentes[13] effugentur. Cuius rei ratio citius invenitur, si quid *serpentes* significent, agnoscatur. Quod autem de serpentibus dicitur de aliis quoque venenosis reptilibus accipiatur. Quid autem melius per *serpentes* quam diabolicas suggestiones accipimus? Ad similitudinem enim serpentium reptant occulte per mentes hominum; sed subito, nisi agnoscantur, morsus mortales incautis infligunt; quod praefiguratum agnoscimus in filiis Israel in deserto a serpentibus miserabiliter interemptis; cuius interemptionis causam ponit Apostolus dicens[14]: *Neque tentemus Deum, sicut quidam eorum tentaverunt et a serpentibus perierunt.* Quid est autem *tentare Deum?* Non credere Domino. Incredulitatis namque vitio urgebantur qui a serpentibus occisi sunt. Quid est autem *desertum*, in quo occisi sunt, nisi hic mundus, in quo vagamur, per baptismum[15] tanquam per mare rubrum transeuntes, liberati per nostrum legislatorem, optimum Iesum, a servitute Aegyptiaca, qua ante baptismi gratiam premebamur?

Odor h[...] gat se[...] tes.

157. Si autem diligentius consideremus, cuncta pene vitia ex incredulitate inveniemus oriri. Quis enim *vanam mundi gloriam* quaereret, si perfecte crederet, aliam esse gloriam futuram *in caelis immarcescibilem*[16], quam *oculus*

Ex inc[...] litate [...] vana gl[...]

---

[1] Ioan. 19, 19.

[2] Cfr. supra pag. 194, nota 5. — Superius pro *ut quae... exprimitur* A *quae... exprimuntur.*

[3] Sap. 2, 8, ubi pro *voluptas* Vulgata *luxuria*, Bon. *luxuria, id est voluptas.*

[4] Hieron., de Nominib. Hebraic. de Epist. Pauli ad Rom. *Iuda*, confitens, sive glorificans. Ibid. I. Cor.: *Iudaeis*, confitentibus, sive laudantibus. — Pro *gloria* et *glorians* Bon. *glorificatio* et *glorificans.*

[5] Psalm. 35, 9: Torrente voluptatis tuae potabis eos. — Duo seqq. loci sunt Col. 2, 3. et Ps. 112, 4.

[6] Ita A; Bon. cum ed. 1 novam propositionom incipiens legit *Cera tenacis memoriae per lychnium* [ed. 1 *lignum*] *intelligitur*, et subinde pro *lychnus* et *lychnum* substituit *linum* et *lychnium* [ed. 1 *linum*].

[7] Epist. I. Petr. 2, 21. — Inferius pro *crucis, quod* (ita A) Bon. cum ed. 1 *crucis, quae.*

[8] Exod. 15, 23-25.

[9] Epist. I. Tim. 2, 5.

[10] Cfr. Ezech. 28, 12. seqq., de quibus supra pag. 110, nota 8. — Superius ex A supplevimus *quo... pervenit;* cfr. supra pag. 111, nota 3. verba Bernardi.

[11] Respicitur Gal. 6, 17: Ego enim stigmata Domini Iesu etc.

[12] Cod. A hanc rubricam omittit.

[13] Ex A supplevimus *serpentes.*

[14] Epist. I. Cor. 10, 9, ubi pro *Deum* Bon. cum Vulgata *Christum.* Cfr. Num. 21, 5. seq.

[15] Cfr. I. Petr. 3, 20. seq. — Superius pro *qui a serpentibus* (ita A) Bon. cum ed. 1 *eoque a serpentibus.*

[16] Epist. I. Petr. 1, 4, post quem I. Cor. 2, 9.

non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae humilibus conservatur? Putasne, huic gloriae mundanae tam incertae quam transitoriae animum inclinaret? Nequaquam. Sed quod tales asserunt, se Deo credere, provenit ex quadam consuetudine, quia totum pene mundum tali vident et audiunt fide teneri. Quod si infidelium numerus cresceret, et nomen Christi non possent sine poena vel sine timore confiteri; citius audire deberes, eos quod corde gerunt lingua propalare et negare dictis eum quem factis denegare non timent [1]. — Simile est de *avaris,* qui caelestes non curant divitias; et de *invidis,* qui caritatis laudem et praemium non attendunt; et de *iracundis,* qui in patientia animas suas non possident [2]; et de *accidiosis,* qui pro aeterno commodo labores subire refugiunt temporales; et de *luxuriosis,* qui caelestibus voluptatibus mentis oculum non intendunt; de *gulosis* quoque, qui panem illum delicatissimum Angelorum suis epulis terrenis postponunt, quia, si ea quae futura promittuntur, vere crederent, nequaquam terrenis tam ardenter inhiarent. Propter incredulitatem ergo suam dantur non solum vulnerandi per tentationes, sed etiam occidendi per veneni sui infusionem serpentibus ignitis [3], id est daemonibus, illius maximi et tortuosi serpentis, primi perversoris ministris, qui illos secum pervertunt et incendiis aeternis addicunt, quos in hac vita incendio suarum pravarum suggestionum corrumpunt.

...o, avari- ...iracun- ...accidia, ...ria, gu-...

158. Sed *remedium* attendamus, per quod vitium credulitatis correctum est. Dixit enim Dominus ad Moysen [4]: *Fac serpentem aeneum et pone in ligno erecto, quem qui intuiti fuerint a serpentium morsibus sanabuntur.* Cuius serpentis mysterium ipse benignus Iesus curavit exponere, dicens [5]: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis; ut omnis, qui credit in illum, non pereat.* Videsne, quorsum feramur? Prorsus ad exaltatum in cruce benignum Iesum, qui optime serpenti aeneo et exaltato comparatur. *Serpens* enim dicitur, id est mortalis, quia per suggestionem serpentis *mors introivit in orbem* [6]; *aeneus* vero, quia, caritatis simul et passionis ignibus conflatus, passionis sanguine rubricatus, ad modum aeris in resurrectione induratus est, quia *ultra non moritur* [7]. *Exaltatio* autem serpentis exaltationem crucifixi boni Iesu figurat. Hic est serpens, quem increduli a malignis serpentibus vulnerati ad credulitatem conversi, si volunt salvari, respicere commonentur. Potens enim est serpens iste de virga Moysi [8] transformatus. Per *virgam*, quae est insigne regium, *Deum* intellige; per *serpentem* vero, cuius suggestione primi parentes mortui sunt, *hominem mortalem* accipe. Mutata est virga in serpentem, quando *Verbum caro factum est* [9], assumens quod non erat, id est humanitatem, manens quod erat, id est Deus. Sicut ergo factus serpens magorum Aegyptiorum serpentes devoravit [10]; sic Deus factus homo inimicorum suggerentium peccata fraudesque evacuavit, maxime tamen, cum esset exaltatus in cruce, cum sanguinis sui flores ostenderet et florum, scilicet virtutum suarum, odorem per totum mundum effunderet et corda quibuscumque vitiis vulnerata sanaret.

...remedio ...orum.

159. Respiciamus igitur et nos *in faciem* serpentis aenei elevati, *Christi* [11] nostri crucifixi, si volumus a pravorum daemonum suggestionibus serpentinis liberari. *Respicere* autem fide in ipsum tendere est, quod non infirma, sed forti et perfecta fide completur. Sunt enim quidam, qui quidem ore *confitentur,* quoniam Christiani sunt, *factis autem negant* [12]; quos non puto fide tendere in crucifixum pium Iesum. — Ut autem hoc per similitudinem aliquo modo ostendamus, similis est fides vino, quod tantum vini colorem habet, sed a veri vini sapore et viribus est alienum. Quale vinum non credo fideli Deo acceptum, sed quale in Cantico canticorum laudatur, ubi ipse Sponsus ad sponsam commendans ait [13]: *Guttur tuum sicut vinum optimum.* Et illa statim respondet: *Dignum dilecto meo ad potandum et dentibus eius ad ruminandum;* et post pauca: *Dabo,* inquit, *tibi vinum conditum et mustum malorum granatorum meorum.* Ecce, quale vinum erit placens dilecto, et quod in amorem nostri illum accendat, scilicet vinum optimum, quod est fides perfecta, cordis sententia et oris confessione pariter concordante [14]. Et quod dicitur: *Dabo tibi vinum conditum*, fides bonis virtutum operibus condita et exercitata intelligitur. Tali fide tenditur et intenditur in pium Deum, *non fide ficta* [15] operibusque carente, *sine quibus fides mortua est.* Demus ergo dilecto nostro optimo Iesu vinum optimum fidei perfectae et vinum diversis virtutum aromatibus saporosum, et sic intueamur in faciem eius, pro nobis ad similitudinem serpentis aenei in cruce suspensi. Et quoties alicuius serpentinae tentationis morsu nos cognoverimus vulneratos, ad crucem curramus et *ad thronum* crucis quandoque ignominiae, nunc summae gloriae *accedamus* [16], et fide et spe et caritate liberatorem piissimum intendentes, per mortem nostri serpentis, qui mortem antiqui serpentis occidit, a serpentium morsibus petamus et obtinebimus liberari.

Hortatio.

Fides similis vino.

CAPUT XLVI.

De fructu vitis nostrae seu Christi pro nobis passi et crucifixi [17].

160. Quia docente et ducente, ut spero, nos bono Iesu, duce optimo et doctore, prolixiorem multo quam

[1] Tit. 1, 16: Confitentur, se nosse Deum, factis autem negant.
[2] Luc. 21, 19: In patientia vestra possidebitis animas vestras.
[3] Num. 21, 6: Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes etc.
[4] Num. 21, 8: Fac serpentem aeneum et pone eum pro signo; qui percussus aspexerit eum vivet.
[5] Ioan. 3, 14. seq.
[6] Sap. 2, 24. August., in Ioan. Evang. tr. 12. n. 11: Quis est serpens exaltatus? Mors Domini in cruce. Quia enim a serpente mors, per serpentis effigiem figurata est etc. — Pro *id est mortalis* (ita A) ed. 1 et Bon. *mortifer*, ubi Bon. prosequitur: quia, sicut per suggestionem serpentis *mors intravit in orbem terrarum,* ita per Iesum « mors mortua tunc est, in ligno quando mortua vita fuit » (antiph. 1 ad Laudes in festo Exaltationis S. Crucis).
[7] Rom. 6, 9. Cfr. Isidor., Qq. in vetus testam. in Num. c. 36. (Mansio 36.) n. 3. — Pro *aeris* A *aeni.*
[8] Exod. 7, 10: Quae [virga] versa est in colubrum.
[9] Ioan. 1, 14. Cfr. supra pag. 160, nota 2. verba Augustini.
[10] Cfr. Exod. 7, 12. Vide Isidor., Qq. in vetus testam. Exod. c. 12. n. 1-3.
[11] Psalm. 83, 10: Respice in faciem Christi tui.
[12] Tit. 1, 16. Cfr. supra nota 1. — Inferius post *similis est* Bon. cum ed. 1 addit *enim (eorum?).*
[13] Cap. 7, 9, ubi etiam seq. locus, et deinde 8, 2, ubi Vulgata, quam Bon. sequitur: Dabo tibi poculum ex vino condito et mustum malorum etc.
[14] Rom. 10, 10: Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. — Bon. prosequitur: Et quod dicitur: *Dabo tibi poculum ex vino condito,* fides etc.
[15] Epist. 1. Tim. 1, 5. Cod. A *non fide viti.* — Sequitur Iac. 2, 26.
[16] Hebr. 4, 16: Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae.
[17] Cod. A hanc rubricam omittit.

speraveramus sermonem habuimus de floribus vitis nostrae; nunc, eodem nos adiuvante, qui usque in finem diligit et dirigit suos [1], *in* cuius *manu* sumus *et nos et sermones nostri;* ad fructum eiusdem vitis animum acclinemus, florum dispendium fructuum compendio redempturi. *Confortata* enim *est scientia* [2] fructus vitis nostrae huius, et non potest ad eam ingenioli nostri tarditas elevari. Ut ergo omnes abscindamus ambages, fructus omnium florum praecipue redemptio hominis est. Plantata est in terra benedicta, in Virgine virginum Maria illa Vitis vera, dulcis Iesus; apparuit in nativitate, praecisa in circumcisione, circumfossa in insidiis, perfossa clavis, ligata vinculis multiplicibus, frondnit in verbis, floruit in virtutibus, fructificavit in passione, redemit hominem, quem alio modo redimi non convenit [3]. — Sed dicis: quomodo dicitur in passione fructificasse qui paulo ante dictus est in nativitate floruisse? Nunquid idem sunt flores et fructus? An ita subito sine intervallo temporis fructus suum florem secutus est? Non ita videmus fieri in rerum naturis; praecedit enim flos et sequitur multi temporis intervallum, ut fructus ad maturitatem perducatur. Quod nos verum quidem esse fatemur; sed ea quae habemus prae manibus, non tantum humana, sed divina sunt; unde non sequuntur rerum naturas in omnibus, sed naturae magis suum sequuntur auctorem.

Fructus florum praecipuus redemptio.

Obiectio solvitur.

161. Quod videbis apertius, si diligentius volueris intueri. Vides, in omni [4] arborum genere in ortu fructus florem decidere et perire; in hominibus quoque et fere in cunctis animantibus fructus foliorum florem virginitatis abscindit. Non sic erat in nativitate Vitis nostrae. Beatissima enim illius Mater fructum quidem protulit benedictum, non amisso virginitatis flore, immo magis per partum mirabilem et mundissimum decorato [5], ubi ergo lex, ubi iura naturae abscissa sunt. Non est igitur magnum, si sine intervallo temporis flores Vitis nostrae non pereuntes fructus saluberrimus consecutus est. Protulit eum Mater pulcherrima, flore virginali non perdito; protulit et ipse fructum redemptionis nostrae, floribus virtutum non marcescentibus. — Nec tamen caret ratione maturitas fructus accelerata. Patet enim, quia secundum augmentum vel diminutionem caloris maturitas fructus vel accelerat vel tardat. Vide ergo magnitudinem caloris, immo fervoris in patiente Iesu, et non miraberis fructus sui accelerationem. Ardebat incomparabiliter caritatis intrinsecus et passionis extrinsecus igne, ut fructum nostrae redemptionis sine mora produceret. Productus est ergo botrus ille optabilis [6], desideratus cunctis Patriarchis et Prophetis aliisque iustis, scilicet redemptio nostra; quem fructum Ecclesia non solum ex his qui sunt sub tempore gratiae, sed etiam a mundi principio iuste congregata dulcem sibi fore gratulatur, dicens de Sponso in Cantico amoris [7]: *Sub umbra illius quem desiderabam, sedi; et fructus eius dulcis gutturi meo.*

Exemplis probatur.

Horum ratio.

162. Quid mirum, si redemptio iustorum a diabolica tyrannide, a *tenebris et umbra mortis* [8], a carcere infernali, quo inclusi tenebantur, et reductio in paradisum Angelorum optimorum custodiae deputatur? Quid mirum, praesentiam Christi fuisse delectabilem atque votivam, tanto tempore exspectati atque desiderati? In afflictis enim rebus constitutis tanto solet esse gratior liberatoris adventus, quanto fuerit diuturnior afflictio. Quanto enim tempore primus Abel iustus, primus Martyr, qui sua passione primus liberatorem suum et nostrum dulcissimum praefiguravit [9], exspectaverat? Quamdiu ipsi Adam et Eva, parentes nostri, adhuc etiam in inferno paradisi gaudia memorantes, istam redemptionem sitiverant cum aliis Sanctis et iustis, qui se liberandos sperabant [10]? Quanto, putas, eos exsultasse tripudio, cum ille Crucifer adveniret, Angelis praecedentibus et clamantibus [11]: *Tollite portas, principes, vestras, et elevamini portae aeternales, et introibit Rex gloriae?* Quanta, putas, eos alacritate concinuisse [12]: « Advenisti, desiderabilis, quem exspectabamus in tenebris, ut educeres vinculatos de claustris. Te nostra vocabant suspiria, te larga requirebant lamenta. Tu factus es spes desperatis, magna consolatio in tormentis »? O quam dulcis fructus redemptionis his qui in tanta et tam amara servitute fuerant constituti! Hic est fructus, de quo Sponsus loquitur in Cantico amoris [13]: *Dixi, ascendam in palmam et apprehendam fructus eius.* Quid est *in palmam?* In crucem, cuius una pars de arbore palmae dicitur facta fuisse.

Alii fruct[...]

163. De quatuor enim generibus arborum facta fuisse refertur [14]: de cypresso, de cedro, de oliva, de palma. Cypressus in profundo, cedrus in longo, oliva in lato, palma in alto. Unde dicit Apostolus [15]: *Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit longitudo et latitudo et sublimitas et profundum. Profundum* ergo in cruce vocatur illud lignum, quod infixum erat terrae; in quo stabat lignum erectum, et cui dorsum crucifixi boni Iesu applicatum fuit, quod est crucis *longitudo.* Lignum vero ex transverso illi appositum, cui manus erant affixae, *latitudo* crucis nominatur. Illud autem, quod a Pilato fuit appositum, in quo titulus triumphalis erat scriptus, *altitudo* nuncupatur. Habent autem horum lignorum singula

Crux de [...] tuor gen[...] bus arbo[...] facta est

---

[1] Respicitur Ioan. 13, 1: In finem dilexit eos. — Sequitur Sap. 7, 16.

[2] Psalm. 138, 6: Confortata est [scientia], et non potero ad eam. — Inferius post *ambages* Bon. cum ed. 1 contra A prosequitur: si fructus perquiramus, praecipue redemptio est plantata in terra benedicta, in Virgine virginum Maria. Illa vitis vera, dulcis Iesus, apparuit etc.

[3] Cfr. Bonav., III. Sent. d. 20. q. 6. — De praecedentibus vide supra c. 1. seqq.

[4] Ita A; Bon. cum ed. 1 *volueris intueri in omni.*

[5] Bon. cum ed. 1 contra A *est decorata.*

[6] Cant. 1, 13: Botrus Cypri dilectus meus mihi etc.

[7] Cap. 2, 3. Pro *illius* A *dilecti mei,* qui etiam superius post *iuste* addit *viventibus.*

[8] Luc. 1, 79. — Inferius post *custodiae* A prosequitur: deputatum, luce divina praefulgidum in libertatem filiorum Dei tanto tempore exspectatam ipsis exspectantibus dulcis erat? Immo et tanto magis requieturos ipsa requies delectabat, quanto magis diuturno carcere fuerant afflicti, quanto longiori tempore transmigrationis huius beatitudinem exspectaverant. Quanto tempore primus Abel etc.

[9] Cfr. Bonav., Collat. in Hexaëm. collat. 14. n. 18. et Comment. in Luc. 24, 27. n. 34.

[10] Vide August., VI. Op. imperfect. contra Iulian. n. 12. n. 22. et 30; II. de Peccator. meritis etc. c. 34. n. 55.

[11] Psalm. 23, 7. et 9. — Pro *Crucifer* (ita A) Bon. cum ed. 1 *Crucifixus.*

[12] Secundum ed. 1 et Bon. haec sententia habetur in antiquo Eccles. offic. Paschali, a quibus pro *vinculatos, desperatis* et *in tormentis* (ita A) substituitur *vinctos, desiderantibus* et *in aeternum.*

[13] Cap. 7, 8.

[14] Vide Petr. Comest., Hist. scholast. in Evang. c. 172. — Inferius pro *oliva in lato, palma in alto* (ita A) Bon. cum ed. 1 perperam (ut ex subnexis patet) *oliva in alto, palma in lato.*

[15] Eph. 3, 18.

...nificatio- ...horum li- ...rum.

suas mysticas significationes secundum naturas suas[1]. *Cypressus* enim timorem sive humilitatem significat, ubi est radix crucis; quod non solum situs humilis, sed etiam natura ejus exprimit; quia, ut dicitur, suo fugat odore serpentes, id est diabolos, quorum proprius character superbia est, quae ab humilitatis virtute fugatur. *Cedrus*, arbor longitudine sua praestans aliis arboribus, longitudinem crucis, id est perseverantiam significat sive patientiam; quod et naturali sua virtute approbatur, quia lignum eius valde durabile corrumpi ex natura non potest. *Oliva* vero, arbor oleum effundens, per quod misericordiae opera significantur, caritatem significat; quae arbor bene latitudinem habet crucis, quia caritas lata est, quae etiam ad inimicos extendi praecipitur. *Palma*, arbor victoriam significans, altitudinem crucis obtinet et significat spem de summis habendam, non ad infima deprimendam. Haec arbor in se habet titulum triumphalem scriptum, in quo invenitur fructus crucis. Prima enim dictio est *Iesus*, in qua intelligitur *salvatio*[2], quae idem est quod redemptio. Ecce, fructus crucis, quia propterea crucifixus est Christus, ut redimeret hominem. Quod autem ait: *Ascendam in palmam*, a parte *crucis* totam crucem significavit[3]; sed bene per *palmam*, in qua titulus signum redemptionis, quae fructus crucis est, invenitur.

...e titulo crucis.

164. Sed dicet aliquid: Dicturus eras de fructu vitis, et dicis de fructu palmae. Quae concordia est *vitis* et *palmae?* — Ad quod ego: *Palma* crucem, *vitis* vero significat Crucifixum. Dic igitur: Nunquid diversus est fructus crucis et Crucifixi? Non puto; ergo et idem est fructus et palmae et vitis? Ascendit vitis in palmam, apprehendit fructus palmae, non quos palma habuit ex se, sed ex vite in palmam extensa. Quare ergo dicit ipsa vitis: *Apprehendam fructus eius*, et non potius dicit *meos*, cum palma fructum habuerit a vite, non vitis a palma? Quia, etsi non habuit fructum a palma, tamen[4] non habuit hunc fructum sine palma, immo et per palmam, id est per crucem; quia, si Christus crucifixus non esset, non fuisset secuta redemptio. Apprehendit ergo Christus fructum crucis, illum profecto, quem ipse per crucem fuerat operatus.

...ectio solvitur.

165. Sed habet hic botrus grana multa, scilicet impletionem Scripturae, victoriam de diabolo, resurrectionis gloriam, ascensionis mirabilem elevationem, donorum Spiritus sancti missionem. — De *impletione Scripturae* ipse Dominus testimonium perhibet, dicens Petro[5]: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum? Quomodo ergo implebuntur Scripturae, quia sic oportet fieri?* Et in alio loco: *Non oportebat, adimpleri omnia, quae scripta sunt in Lege et Prophetis et Psalmis de me?* — *Victoria* vero *de diabolo*, etsi alio modo potuit, tamen alio modo impleri non debuit. Multum enim desipit qui sapientiam Dei et Deum aliquid putat, nisi id quod praestantissimum fuit, ordinasse. Necessarium fuit, cum per hominem

...oque grana botri. ...e grano primo. ...secundo.

vinci et per lignum, qui hominem vicerat per lignum; ut «unde mors oriebatur, inde vita resurgeret; et qui in ligno vincebat in ligno quoque vinceretur[6]». — Quare autem per hominem, qui erat Deus, et non per simplicem hominem, satis manifestum est; quia omnes homines eodem peccato erant obnoxii, et non poterat quisquam aliorum solvere vincula, qui se ipsum solvere non valebat. Christus vero, fortis Iesus, qui originali peccato nihil debebat, eo quod singulari privilegio nascendi sine omni carnali concupiscentia conceptus erat, quia solus est *inter mortuos liber*[7], solus a morte poterat mortuos liberare, qui, sicut ait Apostolus, *non habebat necesse offerre pro se sacrificium, quemadmodum alii sacerdotes*, tam pro sua quam pro populi ignorantia.

Quaestio solvitur.

166. Si autem quaeritur, quare Deus potius per se quam per aliquam aliam creaturam voluerit hominem liberare; possumus hoc quidem caritati eius imputare, quam ut nobis commendaret, non solum incarnatus, sed et mortuus est pro nobis[8] tradiditque nobis nihilominus per hoc formam caritatis, ut parati simus, cum necessitas exegerit, *pro fratribus* nostris *animas* nostras *ponere*, cum Regem nostrum pro nobis animam posuisse videmus. — Est tamen adhuc et alia causa rationabilis, quare per Deum redempti sumus, scilicet quia nequaquam decuit, nos per alium reformari quam per eum, per quem formati eramus. Plus enim excitat nos ad caritatem reformatio quam formatio, sicut saepius dictum est superius[9]. Si ergo per alium quam per ipsum, per quem sumus formati, reformati essemus; plus amoris reformatori nostro quam formatori deberemus; et sic plus diligeremus creaturam quam Creatorem; quod esset inconveniens. Ut ergo nos incitaret ad *diligendum ipsum ex toto corde, ex tota anima* et *ex totis viribus* nostris[10]; impendit nobis quidquid potuit et debuit creando et recreando optimus Deus, cuius beneficiis non communicat alienus.

Altera quaestio solvitur. Alia ratio.

167. Fructum igitur redemptionis nostrae toto desiderio complectamur, et saepius, immo sine intermissione ad memoriam revocantes, latentem in ipso dulcedinem lingua intellectus nostri degustemus et in vase memoriae nostrae recordamus *sanguinem* huius *uvae meracissimum*[11], sanguinem, inquam, rubicundi boni Iesu, *qui nobis factus est redemptio*, quia «per ipsum salvati et liberati sumus». His floribus, hoc fructu, quo redempta est a tyrannide daemoniaca, iugiter reficienda est fidelis anima, ne in hoc taedioso deserto deficiat, in quo sine requie et sine intermissione laborat, suspirans ad illam *terram lacte et melle manantem*[12] et cum sponsa proclamans: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Non ignorat ista, qui et quales sint fructus vitis nostrae, ligni vitae, dulcissimi Iesu Christi. Nonnunquam enim lectum conscientiae suae floribus virtutum et passionis Sponsi sui, dulcis Iesu resperserat, quae eidem in eodem Cantico[13] amoris proclamat: *Lectulus noster floridus;* non de

Hortatio. Explicatio textus.

---

[1] Cfr. Isidor., XVII. Etymolog. c. 7; Raban., V. Comment. in Eccle. c. 14, ubi tamen in explicando 24, 17-19: *Quasi cedrus* etc., virtus fugandi serpentes non *cypresso*, sed *cedro* tribuitur; XIX. de Universo, c. 6.

[2] Vide supra pag. 92, notam 7.

[3] Isidor., I. Etymolog. c. 37. n. 13: *Synecdoche* est conceptio, cum a parte totum, vel a toto pars intelligitur.

[4] Pro *Quia... tamen* (ita A) Bon. cum ed. 1 *Christus*.

[5] Ioan. 18, 11, post quem Matth. 26, 54. et Luc. 24, 44.

[6] Praefat. Missae de Cruce in Missali Romano. — Cfr. Bonav., III. Sent. d. 20. q. 5. fundam. 2. et in fine art. Ibid. q. 3. seq. insinuatur seq. propositio.

[7] Psalm. 87, 6. — Sequitur Hebr. 7, 27; cfr. 5, 2. seq.

[8] Respicitur Rom. 5, 8. seq. — Sequitur I. Ioan. 3, 16. et respicitur Ioan. 10, 15.

[9] Cap. 16. seqq. (pag. 182); c. 24. n. 2. seqq. (pag. 188). Cfr. supra Opusc. II. Soliloq. c. 1. § 4. n. 24. seqq.; Breviloq., p. IV. c. 1. et 9.

[10] Luc. 10, 27. — Inferius pro *beneficiis* A *beneficentiae*.

[11] Deut. 32, 14. — Sequitur I. Cor. 1, 30, post quem ex Resp. lect. 4. pro festo Invent. S. Crucis (3. Maii): Per quem salvati etc.

[12] Deut. 6, 3. et deinde Cant. 2, 5.

[13] Cap. 1, 15. Cfr. Bernard., Serm. 46. in Cant. n. 7.

alienis, sed de tuis floribus, dulcis Iesu. Veni ergo et agnosce flores tuos, requiesce in lectulo tuis floribus adornato. His ergo floribus petit a sociis Sponsi, ab annuntiatoribus verbi Dei, se sponsa fulciri; sciens profecto, quid virtutis habeant, qualem affectum, quantum effectum operentur in ipsa tales flores ipsi, per ministros verbi ad memoriam revocati; quantum ipsam in tentationibus et periculis praesentis vitae confortent, quantum ad supernae patriae desiderium accendant. Nec dubito, quin eadem Sponsi sponsa in hortum sanctarum Scripturarum quandoque fuerit introducta, ubi procul dubio *lignum vitae* [1], vitem veram invenit, cuius alacriter fructum apprehendit, volvens in mente sua et revolvens et intuens diligenter ac perspicaciter, qualem ex ardore dilecti sui, immo ex ipso dilecto fuerit fructum consecuta, sensitque infallibiliter, quantum amoris ei debeat, quantum ad omnia pericula sustinenda merito debeat confortari, gustato spiritu [2] fructuosissimo, quem ex arbore tam dilecta suscepit. Optat ergo, sibi saepius ad memoriam revocari hos flores et hunc fructum, quia et illis *fulciri*, ne cadat, et his *stipari*, ne aliquo modo moveatur, exorat, nimirum sciens, quid virium habeant et illorum odor et huius sapor.

Continuatur. 168. Quod autem addit: *Quia amore langueo*, quid est, nisi quod sponsa, desiderio supernae patriae accensa, dilationem diuturnam non patienter exspectat? Unde in eodem [3]: *Filiae Jerusalem, nuntiate dilecto, quia amore langueo*. Quis est amor iste tam validus et languorem inducens? Nunquid non est iste amor, de quo scriptum est: *Fortis est ut mors dilectio?* Qualis est ista fortitudo, quae infirmitatem inducit? Respondeant illi qui in libro experientiae huius quaestionis solutionem perlegerunt, *experientiae*, dixi. Et quare non *sapientiae*, illius, inquam, sapientiae, quae a sapore dicta est [4]? Qui ergo in libro sapientiae legerunt, id est, qui saporem internum experti sunt, dicant et doceant nos, quis sit iste amor, qui, cum sit *fortis ut mors*, facit amantes languere usque ad mortem, quia in morte huius corporis, et non ante sanantur. Possunt quidem medio tempore, dum adhuc in hac vita mortali, sive in hac morte vitali degunt, dilecti desiderabilis et desiderati floribus et fructibus consolari, satiari non possunt, donec veniat dies, quem cum Propheta [5] desiderant dicentes: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua;* et in alio loco: *Adimplebis me iucunditate cum vultu tuo; delectationes in dextera tua usque in finem*. De qua *dextera* alias legitur: *Laeva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me*. Et vide, quam bene ista auctoritas cum superioribus concordet, ut « *laeva* dilecti appelletur recordatio illius caritatis, qua nulla maior est, quod animam suam posuit pro amicis suis [6]; in *dextera* vero beata Dei visio, quam promisit amicis suis, et gaudium de praesentia Maiestatis. Merito illa Dei et deifica visio, illa divinae praesentiae inaestimabilis delectatio [7] in *dextera* deputatur, de qua et delectabiliter canitur: *Delectationes in dextera tua usque in finem*. Merito in *laeva* memoriabilis illa et semper memoranda dilectio collocatur; ut, *donec transeat iniquitas* [8], super eam sponsa recumbat et requiescat. Merito igitur *laeva* Sponsi sub *capite* sponsae, super quam videlicet caput suum reclinata sustentet, id est mentis suae intentionem, ne inclinetur et incurvetur in carnalia et saecularia desideria, quia *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* [9] ». Idem ergo per *flores* et *fructum* nostrae vitis, et per *laevam* ipsius Sponsi, languoris autem sanatio per *dexteram* figuratur.

Alii textus explicantur.

169. Per hos ergo flores et fructum vitis nostrae non petunt se *fulciri* nec a *laeva* dilecti glorientur se sustentari qui spem et fiduciam suam in rebus caducis posuerunt [10], sed illa tantum anima, quae modo pro amore et desiderio dilecti corporalibus et mundanis languet, immo et moritur, cui et dicitur [11]: *Quae est ista quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? De deserto* quippe huius mundi ascendit quae cor suum cum corde dilecti *media caritate* [12] connexuit, *quaerens ea quae sursum sunt, non quae super terram*. Unde et deliciis virtutum affluit, tanquam unguento delibuta diversorum aromatum, quae de dilecti paradiso collegit, sequens eum qui pro ea passus, suum ipsi reliquit exemplum. Unde et bene dicitur: *Innixa super dilectum suum*, non super hominem; quia *maledictus homo, qui confidit in homine et ponit carnem brachium suum* [13]; nec super aliquas res terrenas, quae omnia reputavit *quasi stercora, ut Christum lucrifaceret*. Talis ergo anima, quae nunc a laeva, a floribus et a fructu vitis verae, Sponsi sui fulcitur, quae modo prae amore illius languet usque ad mortem, dicens cum Iob [14]: *Desperavi, nequaquam iam ultra vivam;* talis, inquam, post haec a Sponsi dulcissima dextera ineffabiliter amplexari et fructu aeternae iucunditatis merebitur satiari, languore non sanato, sed augmentato. Sanabitur enim languor intolerabilis desiderii in perfruitione iucundissima dilecti desiderati; non tamen auferetur, immo augebitur idem desiderium; sed tunc non erit *languor*, sed *depulsio fastidii*, cum desiderans plenissime satiabitur desiderato, et satiatus in satietate discet desiderare mutua et interminabili et inexplicabili generatione, desiderio generante satietatem, et satietate desiderium pariente [15]. Sed iam revertamur ad uvam.

Continuat[io].

170. Est tertium granum in botro redemptionis nostrae dominica *resurrectio*, quae quantum habuerit habeatque dulcedinis, quis explicet? Ponat aliquis, si quis tamen potest, in corde suo magnitudinem ineffabilem illius beatissimae et tristissimae passionis; videat, quanto desperationis moerore illa dilectorum passi boni Iesu corda

De gra[no] tertio

---

[1] Respicitur Gen. 2, 9. (cfr. Prov. 3, 18.) et deinde Ioan. 15, 1: Ego sum vitis vera.
[2] Cod. A *fructu*.
[3] Cap. 5, 8. et inferius 8, 6.
[4] Cfr. tom. III. pag. 773, nota 5.
[5] Psalm. 16, 15, post quem 15, 11. et Cant. 2, 6. (cfr. 8, 3.).
[6] Ioan. 15, 13: Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.
[7] Ita A cum textu originali; Bon. cum ed. 1 *dilectio*.
[8] Psalm. 56, 2. — Superius pro *memoriabilis illa* (ita A) Bon. cum ed. 1 *memoralis illa*, textus originalis *admirabilis illa memorata*.
[9] Sap. 9, 15. Ita Bernard., de Diligendo Deo, c. 4. n. 12. seq. — Superius pro *mentis suae intentionem, ne inclinetur et incurvetur* (ita textus originalis) alias *mentis suae intentione incurvetur, ne inclinetur*.
[10] Ita A; Bon. cum ed. 1: Per hos ergo flores et fructum vitis nostrae petunt se fulciri nec aliena dilectione glorientur se sustentari qui spem et fiduciam suam non in rebus caducis posuerunt.
[11] Cant. 8, 5.
[12] Cant. 3, 10. Ed. 1 et Bon. *in ea caritate*. — Sequitur Col. 3, 1. seq.
[13] Ier. 17, 5. — Subinde allegatur Phil. 3, 8.
[14] Cap. 7, 16. — Inferius pro *a Sponsi* (ita A) ed. 1 *sponsa*, Bon. *Sponsi*, qui etiam pro *augmentato* exhibet *aucto eius desiderio*.
[15] Cfr. supra pag. 59, nota 7.

percussa fuerint, videat illarum fidelium mulierum lamentationes, quae dilectissimum et dulcissimum Iesum ad passionis locum euntem, cum sibi crucem baiularet, etiam cum dulcissimam exspiraret animam, non deseruerunt. Videat praecipue illam tunc despectam mulierculam, nunc mundi Dominam, Matrem Domini boni Iesu, quam acutus doloris gladius animam eius pertransierit [1]. Videat totius mundi machinam fabricatori suo compatientem, tetra caligine involutam. Videat, inquam, haec et tantae turbationi serenitatem tertiae diei et insperatam laetitiam laetissimae resurrectionis annectat recogitetque propensius, cum quanta exsultatione susceperint Dominum resurgentem, quem cum ingenti tristitia viderant morientem. Vide, cum quanta iucunditate recompensaverit in resurrectione discipulis tristissimam illam et sanctissimam extremae comestionis suae coenam, in qua dixerat [2]: *Non bibam amodo de generatione vitis, donec bibam illam vobiscum novam.* Ecce, iam nunc resurrexit in gloria *vitis vera* [3], pulcher Iesus, comeditque et bibit cum eisdem discipulis cum gaudio maximo proculdubio seque dubitantibus aliquibus praebuit videndum pariter et tangendum.

[Magnitudo laetitiae.]

171. Nec putet quisquam, quod resurrexit ad gaudium solis discipulis, immo et resurrexit nobis et toti mundo, beatificans omnes, qui, quamvis non videant, credunt tamen, *ipsum passum fuisse propter delicta nostra et resurrexisse propter justificationem nostram* [4], docens nos, quoniam, *si socii* effecti *fuerimus passionis, erimus et resurrectionis;* et ut non dubitemus, mortalia corpora nostra resurrectionis gloria sublimanda, cum caput nostrum *morte turpissima* condemnatum [5] resurrexisse crediderimus. Nam, *sicut in Adam omnes moriuntur*, ita *et in Christo omnes vivificabuntur. Primitiae enim* morientium *Christus; deinde hi qui sunt Christi, in adventu eius*, qui ad exemplum Christi resurgentis ad gloriam ultra non morituri resurgent.

[...tensa ad ...m mun...]

172. Est et *ascensio* Domini optimi Iesu granum in botro redemptionis per passionem factae; dulce utique granum, plurimum in se continens dulcedinis, faciens gaudium caelis et terris. Quis enim dubitet gaudium magnum factum discipulis, cum eum quem ut hominem viderant morientem, ut Deum, immo verum Deum viderunt caelestia penetrantem? Stabant animis simul oculisque in caelum erectis, animi sui gaudium non capientes, sed in voce iubilationis eunti Domino gratulantes. Exsultavit proculdubio et caelum, omnes videlicet Angelorum chori purpurato suo Domino nostrae carnis trabea [6] occurrentes et cum summa laude summum suscipientes victorem. Quodsi in unius iusti sive Martyris animae adventu omnis Angelorum exsultat chorus; quantum putas in singularis sui Imperatoris adventu omnium ordinum spiritus exsultasse? Humano igitur intellectu huius laudis et gaudii magnitudini succumbente, gaudeamus et nos et dulcedinem huius grani recolendo, admirando, diligendo sumamus, exsultantes in Spiritu sancto, pro eo quod carnis nostrae portio in dulcissimo Domino Iesu in summae Trinitatis throno tam excellentissime sit collocata; tendentes animos nostros, quantum possumus, post ipsum et in ipsum, ipsi in *humilitatis spiritu* [7] supplicantes, quatenus nos post se trahere dignetur, ut in *odore unguentorum* ipsius *currentes, in* illa *cellaria*, in illam supremam apothecam aromatum, in illa interiora sancta sanctorum mereamur introduci, quo ipse, caput nostrum praecessit, dulcis Christus Iesus.

[De grano quarto.]

173. Quintum botri nostri granum *missio Spiritus sancti* est. Quis vinum iucundissimum huius grani valeat explicare? *Vinum*, inquam, vel, si plus placet, *mustum*. Accepto enim ab Apostolis et his qui erant cum eis, exspectantibus Spiritu sancto, inebriati sunt, *eructaverunt verbum bonum* [8], *loquebantur variis linguis magnalia Dei.* Ante timore absconditi, nunc occurrerunt foras nec timuerunt aquam populi frementis, caritatis igne succensi. Tunc pro certo experientes, verum esse quod scriptum est [9]: *Aquae multae non potuerunt exstinguere caritatem, et flumina non obruent illam.* Irruerunt enim in eos flumina potestatum, fluxerunt aquae populosae multitudinis, flaverunt venti comminationum verberumque procellae; et ignis caritatis non exstinctus, immo et auctus est. *Ibant enim Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliam pati* [10]. Est etiam auctus, pluribus per eorum praedicationem accensis, et eadem qua ipsi ardebant iucunditate succensis. Sed quid aiebant Iudaei, omnium bonorum increduli? *Musto*, inquiunt, *pleni sunt* [11]. Mentientes et ignorantes verum dixerunt. *Musto* quippe illo nobilissimo caritatis Dei, immo caritate Deo repleti erant, inflammante ad amorem, confortante ipsos contra timorem. Unde sicut mustum non patitur, se contineri a vase, nisi foramen habeat, unde prorumpat; sic ab istorum corde per ora eorum se mustum sancti Spiritus manifestavit, *loquentium magnalia Dei* [12] cum mira eloquentia. Non enim impedit, sed expedit linguam haustus musti huius, ut illud poëticum verum inveniatur [13]:

[De grano quinto.]

Fecundi calices quem non fecere disertum?

Fecundus vero calix Domini et praeclarus inebriaverat eos [14], *quia*, sicut ait Apostolus, *caritas Dei diffusa erat in cordibus eorum.* — Sed videntur verbis nostris verba Petri contraire, qui haustu musti novi audax factus, iam non solum non timuit verba mulieris cuiusquam, ut ante [15], sed nec verba principum. Hic ergo obiiciens se in medium, dixit, discipulos ebrios non esse a vino. Sed audiamus verba ipsius

[Obiectio solvitur.]

---

[1] Respicitur Luc. 2, 35: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. — Superius pro *despectam* (ita A) Bon. cum ed. 1 *spectantem.*

[2] Matth. 26, 29. — Superius pro *tristissimam* (ita A) ed. 1 et Bon. *tristitiam.*

[3] Ioan. 15, 1. — De seqq. cfr. Luc. 24, 36. seqq.

[4] Rom. 4, 25, post quem II. Cor. 1, 7; cfr. Rom. 6, 5.

[5] Sap. 2, 20. — Subinde allegatur I. Cor. 15, 22. seq.

[6] Du Cange, Glossarium etc.: *Trabea* genus est vestis imperialis, qua soli imperatores utebantur... unde legitur [Fulgent., Serm. 3. de S. Stephano, n. 1.], quod Dominus noster fuit *indutus trabea carnis*, id est veste regia, carnis trabea. Cfr. Isidor., Etymolog., XIX. c. 24. n. 8.

[7] Dan. 3, 39, post quem Cant. 1, 3. (cfr. supra pag. 216, nota 6.).

[8] Psalm. 44, 2. et deinde Act. 2, 11.

[9] Cant. 8, 7. — Subinde respicitur Matth. 7, 25: Venerunt flumina, et flaverunt venti et irruerunt in domum illam, et non cecidit.

[10] Act. 5, 41.

[11] Act. 2, 13. — Inferius pro *caritate Deo* Bon. *caritate Dei.*

[12] Act. 2, 11.

[13] Horat., I. Epist. epist. 5. v. 19.

[14] Psalm. 22, 5: Calix meus inebrians quam praeclarus est! — Sequitur Rom. 5, 5.

[15] Cfr. Matth. 26, 69. seqq. — Inferius pro *verba principum* A *verbera principum.*

optime distincta: *Non enim*, inquit [1], *sicut vos aestimatis, hi ebrii sunt.* Sicut vos aestimatis, inquit; non enim musto *terreno* ebrii sunt, sicut vos putatis, sed caelesti, *spirituali*, sicut nos scimus. Hauriamus igitur et nos, carissimi, de vino iucundissimo grani huius; vel, si in quo hauriamus, scilicet vas intellectus, non habemus [2]; recurramus cum plena fiducia ad singularem nostrum ac providum Conditorem, cuius figmentum sumus, oremusque, ut vas formet in anima nostra huius dulcissimi musti capax, ut nostro consolatore, Spiritu gratiae septiformis accepto, multiformis tentatoris, adversarii nostri laqueos evadamus, et *pedes* affectuum nostrorum *in compedes* sapientiae *iniiciamus* [3]; ut, cum ipsa vera sapientia colligati vinculis caritatis, indesinenter et indefesse curramus post illam, donec et saporis ipsius plenitudinem attingamus, ubi iam non *per speculum et in aenigmate*, sed *facie ad faciem* [4] *Regem* nostrum *in suo decore videamus*, et *sicut sumus cogniti, cognoscamus.*

Uva comeditur et bibitur. 174. Hic enim advertendum puto, quod fructus vitis nostrae et comeditur et bibitur. Masticatur enim uva, bibitur vero vinum, quod in uva continetur, et in utroque usu iucunditas est, sed in vino et utilitas et iucunditas maior et prolixior est, quod ad botri huius, de quo locuti sumus, fruitionem mihi pertinere videtur. In praesenti enim vita hunc botrum masticamus, cum suavitatem, iucunditatem et utilitatem nostrae redemptionis dentibus intellectus nostri discutimus; cum resurrectionis potentiam, ascensionis gloriam et adventus sancti Spiritus utilitatem in cordis nostri consideratione versamus, tanquam uvas in ore, fitque de his nonnunquam aliqua laetitia cordi nostro. Erit autem plena, postquam cessaverit tempus, id est mutabilitas temporum, quando haec iam non comedemus, sed bibemus, inaestimabilem de his et perpetuam laetitiam consecuti. In comedendo enim aliquis labor est, quod vero bibitur sine labore recipitur. Unde per comestionem delectatio quaecumque vel qualiscumque vel quantacumque, quia sine corpore non percipitur, quod *semper aggravat animam* [5], accipienda est. Per *potum* vero sine labore acceptum illius loci et temporis gaudia figurantur, ubi et quando *iam non erit amplius neque luctus neque clamor, sed nec ullus dolor, quoniam haec omnia transierunt.* Et ipse ab aeterno stabilis, incommutabilis, qui pro nobis, ne velut umbra transiremus, *transiens* factus fuit, *ministrabit* nobis [6]. Ibi et tunc iam non cum labore et timore et cum impedimento *corporis mortis huius* comedemus, sed cum magna iucunditate bibemus vinum redemptionis nostrae, et secundum naturam nobilis vini, quanto plus biberimus, licet saturemur, tanto plus sitiemus, admirantes et laudantes sine termino, sine intermissione bonitatem admirabilem Redemptoris nostri, dulcissimi Iesu, quam in fructum redemptionis nostrae circa nos voluit exhibere.

175. Et vide, si non ista differentia cibi et potus ex verbis Sponsi in Cantico amoris commendetur, cum ait [7]: *Comedite, amici, bibite et inebriamini, carissimi.* Praemonet enim *comedere*, quod utique ad praesentem vitam pertinet, in qua, sicut diximus, contemplatio labori actionis admixta est. In futura vero vita, quae omni actione caret, gaudio tanquam poculo perfruemur. Bibemus enim et *inebriabimur ab ubertate domus Dei et torrente voluptate eius potabimur* [8], iam nos tunc esse Regis et Sponsi nostri carissimos liquido cognoscentes, cum aqua omnis laboris et actionis terrenae in vinum divinae contemplationis commutabitur, implebunturque omnes hydriae usque ad summum. Omnes enim *replebuntur in bonis domus Domini* [9]; cum illae desiderabiles nuptiae Sponsi, id est pulcherrimi Christi Iesu, et sponsae, id est universalis Ecclesiae, celebrabuntur, bibeturque vinum in summa laetitia cordis omnium clamantium Domino et dicentium: *Tu bonum vinum servasti usque adhuc.* Nos autem dicimus, hanc laetitiam per *cibum* significari, cum scriptum sit: *Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo* [10], licet expositio praecedentis auctoritatis etiam in hac locum posset obtinere. — Si vero aliquis asserat, indignum fore, ut tanta vitis tantum laborata et laborans unum tantum botrum produxerit; potest, si vult, ea quae nos *grana* appellamus, *botros* appellare et singulis aliam granorum multitudinem adinvenire [11]. Confirma[tio ex] Scriptur[a]. Obiectio.

176. Verumtamen non irrationabiliter in praesenti botros vitis innumeros inveniemus, si omnes ecclesias, omnia monasteria, omnes congregationes, quae in universa sunt Ecclesia, volumus intueri. Hos enim botros quis produxit nisi vitis nostra? Nam et Christus et Ecclesia vitis una sunt, sicut unum corpus; singulae congregationes, singuli botri; grana vero singularitatem exprimunt personarum, et non inconvenienter, ut mihi videtur [12]. Nam per exteriorem *folliculum* grani sive uvae corpus exprimitur, per *nucleos* ossa, per *liquorem* anima figuratur, vel sanguis, qui est sedes animae [13]. In morte hominis anima de corpore, tanquam vinum de acino, exprimitur; et si dignum fuerit, in regale defertur cellarium paradisi caelestis, ut gaudium faciat Regi caelesti et convivis suis, universis beatis, *qui ad nuptias Agni vocati sunt* [14] et perveniunt. Bibit enim et ipse Sponsus vinum proprium de vite sua, de vinea sua, Ecclesia scilicet, cuius ipse caput est. Bibet, inquam, et ipse *sanguinem uvarum meracissimum* [15], scilicet animas Sanctorum expressas et separatas ab acinis in torculari crucis, *in labore et siti, in frigore et nuditate, in vigiliis multis* et aliis exercitiis spiritualibus. Botri innu[]meri.

---

[1] Act. 2, 15. — Inferius pro *spirituali* (ita A) Bon. cum ed. 1 *Spiritu*. Cfr. Bernard., Serm. 49. in Cant. n. 2.

[2] Ioan. 4, 11: Domine, neque in quo haurias habes. — Inferius post *fiducia* A prosequitur *ad figulum nostrum, cuius figmentum sumus* etc.

[3] Eccli. 6, 25. — Inferius respicitur Cant. 1, 3: Post te curremus.

[4] Epist. I. Cor. 13, 12, post quem Isai. 33, 17: Regem in decore suo videbunt oculi eius; et I. Cor. 13, 12.

[5] Sap. 9, 15. — Subinde allegatur Apoc. 21, 4. Cfr. Bernard., de Diligendo Deo, c. 11. n. 31. seqq.

[6] Luc. 12, 37. (cfr. supra pag. 59, nota 9. in fine). Eccle. 8, 13: Quasi umbra transeant qui non timent faciem Domini. Inferius respicitur Rom. 7, 24.

[7] Cant. 5, 1. Cfr. Bernard., de Diligendo Deo, c. 11. n. 31. et de Caritate (inter opera Bernardi), c. 31. n. 96.

[8] Psalm. 35, 9. — Subinde respicitur Ioan. 2, 7: Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum.

[9] Psalm. 64, 5. — Sequitur Ioan. 2, 10.

[10] Luc. 22, 30. — Superius voci *significari* A praefigit *non.*

[11] Cfr. Isidor., Qq. in Num. c. 15. (alias 11.) n. 10. — Bon. cum ed. 1 *et singulis aliquam granorum multitudinem adiungere.*

[12] Cfr. Gillebert., Serm. 35. in Cant. n. 7.

[13] Deut. 12, 23: Sanguis enim eorum pro anima est.

[14] Apoc. 19, 9: Beati, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt.

[15] Deut. 32, 14. et deinde II. Cor. 11, 27.

Bibet has, id est, sibi delectabiliter incorporabit, faciens, ut, unus spiritus secum effecti, cum ipso et in ipso a cunctis de cetero *laboribus requiescant*[1]. Timeant et caveant sibi illa putrida grana, *fratres falsos*[2], perversos christianos dico, qui in se non vinum continent, sed venenum; qui in torculari crucis premi nolunt et *in labore hominum non sunt.* Caveant, inquam, dum tempus est, ne porcis, id est diabolis, devorandi proiiciantur, quia in cellaria regia non nisi per torcular crucis iter est.

177. Restabat nobis dicere de secundis floribus vitis verae et de fructibus illorum, secundum quod scriptum est[3]: *Et refloruit caro mea,* quod de resurrectione dici nullus est qui ambigat, cuius fructus erit gloria resurrectionis secundae; sed nos magis legentem volentes sitientem relinquere quam fastidientem, hic huic sermoni terminum imponimus, parati emendare, demere et mutare, sicubi contra fidem vel contra sacras Scripturas aliquid diximus; in omnibus grati humiliter gratias agentes ei qui gratuita gratia sua nos et duxit et docuit, aperienti *os mutorum et linguas infantium disertas* facienti[4], cuius nomini principium huius opusculi sacraverim finemque sacramus optimo et dulcissimo Iesu. Amen.

Explicit liber, qui dicitur Vitis[5].

---

[1] Apoc. 14, 13. — Superius post *unus spiritus* A omittit *secum effecti.*
[2] Gal. 2, 4. — Subinde allegatur Ps. 72, 5.
[3] Psalm. 27, 7. August., in hunc loc.: *Et refloruit caro mea,* id est, et resurrexerit caro mea. Cfr. supra Opusc. III. Lignum vitae, n. 35.
[4] Sap. 10, 21.
[5] Ut additur in A.

SERAPHICI DOCTORIS

SANCTI BONAVENTURAE

OPUSCULA AD ORDINEM SPECTANTIA

OPUSCULUM XI.

APOLOGIA PAUPERUM

CONTRA CALUMNIATOREM

PROLOGUS [1].

Mandata mi legis- is.

1. Summi legislatoris [2] inviolabili constat definitione sancitum, sic maiestati aeternae cultum debitum esse reddendum, quod idolorum cultura vitetur [3]; sic redigendum intellectum creatum in summae veritatis obsequium, quod nullus falsitati praebeatur assensus; sic vacandum sanctificationi spirituum, quod ferietur a servitute carnalium voluptatum; sic denique virtutum deiformium approbandam esse rectitudinem, quod deformantium vitiorum pravitas reprobetur. Propterea [4], sicut veritatem fidei et morum amore iubemur praecipuo desiderare ac quaerere; sic et errores eidem oppositos summo astringimur horrore vitare tantoque id vehementius, quanto perniciosiores esse probantur. Quod quia Scripturae sacrae catholicos tractatores non latuit, mox ut suboriri senserunt perversorum germina dogmatum, magno studuere conatu illorum convulsioni operam diligentem impendere, ne, si in altum succrescerent, sationis dominicae semina suffocarent [5].

Errores vitandi et reprimendi.

Perniciosus error prorupit.

2. Porro, diebus istis novissimis, quibus evidentiori claritate veritatis evangelicae fulgor illuxerat; quod absque profluentium exuberantia lacrymarum

[1] De sequente Apologia haec iuvat breviter praenotare; plura vide in Prolegomenis nostris cap. 2.

1. In famosa controversia, quam Universitas Parisiensis contra Mendicantes concitavit, S. Bonaventura ab ipso litis exordio defensionem evangelicae paupertatis suscepit et disputando in scholis et publicando illam Quaestionem disputatam de Paupertate, quae est contra *Tractatum brevem de periculis novissimorum temporum* Gulielmi de *St. Amore*, incipientem: « *Ecce, videntes clamabunt* ». Haec habetur in V. tomo nostrae editionis pag. 149, cum *Replicationibus* contra quasdam posteriores contrariorum *Animadversiones* (cfr. Prolegom. V. tomi c. 2, pag. VI. seqq.). Eundem Gulielmi librum confutaverunt S. Thomas opusculo *Contra impugnantes Dei cultum*, et alius quidam Fr. Minor in illo tractatu, cuius initium est: « Manus, quae contra Omnipotentem erigitur », quem Bonaventura infra in Apologia, cap. 1. n. 3. nominat. Libellus ille Gulielmi de St. Amore ab Alexandro IV, Summo Pontifice, Anagniae an. 1256, 5 Octob. condemnatus est (vide Chartularium Universitatis Parisien. editum a P. H. Denifle et Chatelain, I. 291 seqq).

2. Attamen illa lis decreto Summi Pontificis minime exstincta est. Antesignanus adversariorum, praefatus Gulielmus, cum multis ipsi adhaerentibus obstinate defendit suam opinionem (cfr. illud Chartular. pag. 495, ubi ex duabus epistolis inter annos 1270 et 1271 scriptis horum mens satis patet). In eodem sensu praeter alios scripserunt tum Nicolaus Lexoviensis in opere tripartito: *De perfectione et excellentia Clericorum* (cfr. ibid. pag. 497, nota 1.), tum auctor libelli a Bonaventura in hac Apologia fortiter confutati, cuius titulus est: *Contra adversarium perfectionis christianae et praelatorum et facultatum Ecclesiae*, qui incipit: « Tantum sibi praesumtionis assumserunt quidam homines » (cfr. infra c. 1. n. 1. et n. 3.). Huius secundi opusculi perniciosi quis fuerit auctor, hucusque non omnino constat; videtur tamen fuisse magister Gherardus (Giraldus) de Abbatisvilla. Nam in Chronicis XXIV nostrorum Generalium (Analecta Francisc. III, 326 lin. 4) habetur de eo libello: « Qui creditur fuisse magistri Gherardi de Abbatisvilla »; quod etiam P. Denifle (cit. Chartular. pag. 415, nota 2.) ut probabile refert, et quod valde confirmatur codice Burghesiano (nunc Vaticano) n. 360, qui fol. 90a ipsum tractatum habet, qui sic inscribitur: « Tractatus magistri Girardi de Abbatisvilla factus contra tractatum fratris de Baiona, qui incipiebat: Manus, quae contra Omnipotentem erigitur ».

3. Etiam de auctore tractatus ultimo nominati affirmare aliquid omnino exploratum non possumus, cum testes non concordent. In codice *Laurentiano*, quem signavimus littera A, exhibetur a manu secunda (cfr. infra pag. 235, nota 8.) ut auctor huius tractatus *Fr. Thomas de Eboraco* Ord. Min., de quo P. Denifle (ibid. pag. 415, nota 2.) tradit, ipsum an. 1253 mense Martii incepisse legere Oxonii. Attamen in citato codice *Burghesiano* opusculum hoc clare attribuitur illi Bertrando de Baiona. In eodem habentur etiam ipsi textus tractatuum tum magistri Gherardi, tum Bertrandi contra *Brevem tractatum* Gulielmi de St. Amore, tum aliud opusculum Gherardi, inscriptum *Exceptiones Gherardi* contra librum incipientem: « Manus, quae contra Omnipotentem » etc., tum *Responsiones* Bertrandi contra has *Exceptiones*.

4. Haec Apologia scripta fuit a Bonaventura iam facto Ministro Generali et certo non ante annum 1269. Ipse enim dicit in fine Apologiae (c. 12. post medium): « His enim modis vixerunt hactenus huiusmodi pauperes in magna multitudine *sexaginta annos et amplius* ».

[2] Iob 36, 22: Nullus ei [Deo] similis in legislatoribus.

[3] Exod. 20, 3-5. — De seqq. cfr. II. Cor. 10, 5. et Rom. 12, 1. seq. — Inferius pro *ferietur* F *praeservetur*.

[4] Ita A B et ed. 1; Vat. et ed. 2 minus bene *Praeterea*. Inferius pro *desiderare ac quaerere* G *desideranter acquirere*.

[5] Matth. 13, 7: Creverunt spinae et suffocaverunt ea. — Superius pro *convulsioni* E *evulsioni*.

nequaquam referre valemus; dogma quoddam pullulasse iamque in scriptis redactum comperimus, quod tanquam fumus teter et horridus, e puteo abyssali prorumpens ipsiusque *solis iustitiae* splendentibus radiis se directe obiiciens, christianarum mentium hemisphaerium obscurare contendit [1]. Ne igitur tam perniciosa labes non sine Dei offensa et animarum discrimine dissimulata concrescat, praecipue cum calliditate serpentina pietatem quandam in superficie praeferat, revelanda est facies indumenti eius [2], ut, clare detecta fovea, caute possit evitari ruina. Sane, quia huiusmodi fabricator errorum, cum adhuc sit viator, ut credimus, corrigi potest per Dei clementiam, sollicite pro eo interpellandus est Christus, ut suae vocis virtute ac sapientiae lumine eius, quam Saulo quondam exhibuit [3], miserationis non immemor, et protervientem deterreat et superbientem humiliet et errantem requirat, corrigat et reducat. Et quoniam *meliora sunt vulnera diligentis quam fraudulenta odientis oscula* [4], nequaquam peccatoris oleo, adulatione videlicet, impinguandum est ipsius languidum caput, nec tumidi cordis apostema palpandum; quin potius procacis hominis erectam cervicem dura oportet increpatione ferire, non quidem amari cordis odio, sed tranquillae mentis aemulatoria caritate. Ipsum vero dogma pestiferum ordinato competit improbare progressu, ut per modum apologiae obiectioni coaptetur responsio, et impugnationi defensio correspondeat ex adverso.

Huic est resistendum.

Pro conversione scriptoris rogandum.

Ipse durе increpand[us].

3. Quoniam igitur primo perfectionis evangelicae apicem [5] conatur deiicere, dehinc praecipitare moenia et tertio evertere fundamenta tandemque pauperum Christi professionem falsis criminationibus infamatam, abominabilem reddere mundo; quadruplex in contrarium responsionum est instruenda munitio, quarum quaelibet tripartita sit, iuxta quod materia exigit, quatenus triangulari huiusmodi armatura evangelici milites, velut veritatis scuto circumdati, contra fulminantium telorum acumina protegantur invicti [6].

Quadru[pli]ci impu[gna]tioni res[pon]dendum [qua]druplicit[er].

Subdivis[io].

CAPITULA HUIUS OPUSCULI.

Capitulum I.

Primae responsionis prima particula primumque capitulum, in quo calumniatoris intentio perversa detegitur, et verae condescensionis Christi sublimis perfectio declaratur.

Capitulum II.

Primae responsionis secunda particula secundumque capitulum, in quo capitalis error circa notificationem perfectionis et imperfectionis eliditur, et verae perfectionis exemplaritas et differentia ipsius ad imperfectionem reseratur.

Capitulum III.

Primae responsionis tertia particula tertiumque capitulum, in quo evangelicae perfectionis integritas panditur, eiusque status sublimis et gradus multiformis aperitur.

Capitulum IV.

Secundae responsionis prima particula quartumque capitulum, in quo appetitus martyrii de se perfectus ostenditur, et e contrario fuga martyrii de se imperfecta monstratur.

Capitulum V.

Secundae responsionis secunda particula quintumque capitulum, in quo abstinentiae laus et perfectio declaratur, et eiusdem impugnatio calumniosa refellitur.

Capitulum VI.

Secundae responsionis tertia particula sextumque capitulum, in quo ieiunii arctitudo ut consona perfectioni defenditur, et eius multiplex commendatio subinfertur.

Capitulum VII.

Tertiae responsionis prima particula septimumque capitulum, in quo voluntaria et penuriosa paupertas fundamentum evangelicae perfectionis adstruitur, et quae huic videri possunt contraria dissolvuntur.

Capitulum VIII.

Tertiae responsionis secunda particula octavumque capitulum, in quo possessionum leviticarum et ecclesiasticarum affluentia monstratur perfectioni paupertatis non esse contraria, sed et commendatio divitiarum ostenditur non esse secura.

Capitulum IX.

Tertiae responsionis tertia particula nonumque capitulum, in quo abrenuntiationis ratio falsa eliditur, et penuriosae paupertatis duodenaria praerogativa monstratur.

Capitulum X.

Quartae responsionis prima particula decimumque capitulum, in quo religio carentium loculis ab errore defenditur, et verum ius possessionis ecclesiasticae declaratur.

Capitulum XI.

Quartae responsionis secunda particula undecimumque capitulum, in quo professio Fratrum Minorum veraciter carere ostenditur et appropriatione rerum immobilium sive mobilium et proprietate pecuniarum tam in proprio quam in communi.

Capitulum XII.

Quartae responsionis tertia particula duodecimumque capitulum, in quo evangelizantium pauperum fructificatio multiformis ostenditur, eorumque status a multiplicibus cavillationum versutiis defensatur.

EXPLICIUNT CAPITULA. INCIPIT TRACTATUS.

---

[1] Apoc. 9, 2: Et aperuit puteum abyssi, et ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnae, et obscuratus est sol et aër de fumo putei. Mal. 4, 2: Sol iustitiae.

[2] Iob 41, 4: Quis revelabit faciem indumenti eius? — Supra *praeferat* idem est ac *prae se ferat*.

[3] Act. 9, 3. seqq.

[4] Prov. 27, 6. Ps. 140, 5: Corripiet me iustus in misericordia et increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

[5] Secunda manus in A adiungit *hoc vocabulo utitur Girardus* (Gherardus de Abbatisvilla, magister Parisiensis).

[6] Plures codd., ut DF, secuti, summam capitulorum hic inseruimus, quae alias ante Prologum exhibebatur. Notamus tamen, quod non in omnibus verba et ordinem praedictorum codd. exhibemus, quia ipsa materiam plurium capitulorum minus complete exprimunt. Cfr. tom. V. pag. 209, nota 1, ubi simile de capitulis *Breviloquii* occurrit.

Capitulum I.

Primae responsionis prima particula primumque capitulum, in quo calumniatoris intentio perversa detegitur, et verae condescensionis Christi sublimis perfectio declaratur.

mo, con- illum li- lum affer- or con- natio S. Sedis.

1. Igitur libellum illum calumniosum[1], cuius hoc initium est: « Tantum sibi praesumtionis assumserunt quidam homines » etc., aemulatione non secundum scientiam fuisse conscriptum neque sanam continere doctrinam, qui diligenter vult considerare luculenter valet advertere, primum quidem, quia in defensionem illius libri erronei, qui sic incipit[2]: « *Ecce, videntes clamabunt foris* », paucis revolutis temporibus per Sedem apostolicam reprobati, non absque nota rebellionis est editus, legislatoris spreta sententia, quam in Deuteronomio[3] sanxit: *Si difficile et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, venies ad sacerdotes levitici generis et sequeris sententiam eorum nec declinabis ad dexteram, vel ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur.* Quodsi tempore sacerdotii figuralis pontificis sententiae adversari malum erat mortis poena mulctandum; multo fortius tempore veritatis et gratiae revelatae, quando Christi Vicario plenitudo potestatis collata esse dignoscitur[4], malum esse constat nullatenus tolerandum in fide vel moribus eius definitioni dogmatizare contrarium, approbando quod ipse reprobat, reaedificando quod ipse destruit, defensando quod damnat.

otandum.

Secundo, a triam orum do- oa refer-

2. Dehinc, si quis libri totalis continentiam vigili circumspectione consideret, non sanam, sed potius insanam et impiam disseminare doctrinam, oculata fide perpendet. Nam in primo libro fugam persecutionis et mortis tanquam actum maxime competentem viris perfectis et sanctis magnis extollit praeconiis[5], abstinentiam vero et ieiunium tanquam spiritualium medicamenta morborum maxime astruit competere imperfectis. In secundo vero statum opes habentium ostendere nititur omni laude dignissimum, et econtra statum nihil habentium periculosum astruere conatur et imperfectum. In tertio quoque mendicantium religiosorum pauperiem et abiectionem quantis potest cavillationum versutiis impugnare molitur. — Ex quibus patenter colligitur, quod huiusmodi perniciosa doctrina non tantum Sedi apostolicae, sed etiam sedi Dei et Agni adversatur aperte. Cum enim sacrum Evangelium[6] *beatos* dicat *pauperes, beatos, qui lugent, beatos, qui esuriunt, beatos, qui* cum gaudio et desiderio *persecutionem patiuntur*, ut sic hos ad *arctam* inducat *viam, quae ducit ad vitam;* hic e contrario dogmatizat perfectos et beatos, qui persecutionem fugiunt, qui ieiunia solvunt, qui reditibus affluunt, qui etiam summis honoribus extolluntur. Quod quam sit alienum a Salvatoris doctrina, nemo Christianus ignorat, cum ipse magister omnium Christus non ad solatia carnis, sed ad supplicia crucis discipulos suos semper invitet[7].

Adversatur ipsi Dei sedi.

3. Denique, quam perversi fuerit zeli amaritudine motus qui praefatum edidit librum et libri declarat *titulus* et *processus* et *terminus*. Nam cum adversus eum[8] scribat, qui contra libellum damnatum opusculum quoddam composuit, cuius initium est: « Manus, quae contra Omnipotentem erigitur », in quo secundum totalem intentionem scribentis et continentiam libri paupertatis eximiae perfectio defenditur, astruitur et laudatur; hic e contrario *titulum* libello suo praemittit, quod liber hic est « contra adversarium perfectionis christianae et praelatorum et facultatum Ecclesiae », quasi non possit paupertatis celsitudo laudari nisi in iniuriam Christi et

Scriptoris perversus zelus tripliciter apparet.

Primo ex titulo.

Censura tituli.

---

[1] In A secunda manus addidit *quem composuit Gerardus* [Gherardus], *ut creditur.* — Inferius respicitur Rom. 10, 2: Aemulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.

[2] Ex Isai. 33, 7. — Secunda manus in A subiunxit *quem composuit Guiltelmus de S. Amore,* et cui titulus: De periculis novissimorum temporum. Inferius post *Sedem apostolicam* eadem manus addidit *ab Alexandro IV* (an. 1256).

[3] Cap. 17, 8-12, pluribus tamen omissis, quae Vulgata hinc inde interserit.

[4] Bernard., II. de Considerat. c. 8. n. 16. Eugenio III. scribit: Ergo iuxta canones tuos alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es.

[5] Secunda manus in A subiunxit: *primo tamen praemittit multa absurda, de quibus habetur infra cap. eodem et c. 2. c. 3.*

[6] Matth. 5, 3. seqq. Ibid. 7, 14: Quam angusta porta et arcta via est, quae ducit ad vitam.

[7] Matth. 10, 38. et 16, 24; Marc. 8, 34; Luc. 9, 23. et 14, 27.

[8] Secunda manus in A addidit: *Scilicet Fr. Thomam de Eboraco* [quartus vel quintus Magister FF. Minorum in Universitate Oxoniensi et deinde sextus Magister Universitatis Cantabrigiae in Anglia; cfr. Analecta Franciscana, tom. I. pag. 239. 270. et 272.]. Subinde A post *libellum* subiunxit *scilicet Ecce, videntes* [Gulielm. de St. Amore]. In margine eiusdem cod. legitur: « Ex his quae hic dicuntur, patet: 1° composuit Gulielm. de St. Amore libellum illum, scilicet *Ecce, videntes;* 2° composuit Fr. Thomas de Eboraco (?) libellum illum, scilicet *Manus, quae contra Omnipotentem;* 3° composuit Geraldus libellum illum, scilicet *Tantum sibi praesumtionis;* 4° composuit Bonaventura *Apologiam* istam. Habetur etiam infra c. 6. de quodam Sermone, quem fecit, ut credo, vel Fr. Robertus de Vegli vel Fr. Petrus de Tarantasia. Invenitur etiam modo quidam magnus libellus, in quo continentur multa de his quae continentur in libello Magistri Gulielmi. De hac etiam materia composuit Fr. Ioannes de Pecchamo et Fr. Thomas de Aquino ».

ecclesiasticae dignitatis; in quo se ostendit vel impium, vel ignarum, dum vel scienter innocenti falsum crimen impingit, vel ex inconsideratione propria non advertit, quod diversi status in Ecclesia Christi commendari possunt laudibus praecelsis et propriis, non tamen dissonis, quamquam diversis. Nunquam enim qui commendat virginitatem adversarius censendus est esse coniugii, aut qui laudat solitudinem adversarius dicendus est coenobiticae vitae. Certe sancta mater Ecclesia, quae in laudibus cuiuslibet Confessoris pie decantat[1]: *Non est inventus similis illi qui conservaret legem Excelsi,* non propter hoc glorioso Apostolorum detrahit choro, vel candidato exercitui Martyrum, cum quilibet status suam habeat praerogativam, de qua potest sine aliorum iniuria specialiter commendari. Porro, si laus filiorum non diminuit, sed amplificat laudem patrum, commendatio spiritualium pauperum potius censenda est exaltatio et glorificatio quam depressio praelatorum.

Falsi criminis impositio in titulo.

4. Ex quibus aperte relinquitur, praefatum titulum a falsi criminis impositione sumsisse originem, per quam pauperum hostis molitur procurare dissidium inter patres et filios, tutores et orphanos, nutritios et alumnos, ut sic patronorum suorum praesidio destitutos deglutiat inopes, rapiat pauperes et interficiat innocentes[2]. Huiusmodi enim pauperes, de quorum numero fuit ille, contra quem scribit, in ipso sui libri exordio de praesumtione notat, de amore privato, de sui complacentia, iactantia et arrogantia inaudita, videlicet, quod se praeferant Christo, dum in prima sui oris apertione sic ait: « Tantum sibi praesumtionis assumserunt quidam *homines se ipsos amantes*[3], *sibimetipsis placentes* ac suam, non Christi iustitiam praedicantes, ut, cum dicat Apostolus: *Estote imitatores mei, sicut et ego Christi,* ipsi e contrario dicant: Estote imitatores nostri in quibus non sumus imitatores Christi ». Haec namque sunt prima verba ipsius, in quibus aperte declaratur, quod liber ipse totalis ab ipso trahit originem, *qui est mendacii pater et in veritate non stetit, qui homicida fuit ab initio*[4] et *accusator est fratrum.*

Calumnia scriptoris.

5. Qui enim sunt tales inter Ecclesiae membra, certe si qui sunt, omnino tanquam luciferiana tumescentes superbia, ex hac et aeterna sunt vita delendi. Quodsi reperiri nequeunt, quia non sunt; vel *in ventum loquitur*[5], vel innocentes calumniatur, non attendens illud Sapientis: *Qui calumniatur egentem exprobrat factori suo; honorat autem eum qui miseretur pauperis.* Nec dubium, divina hoc providentia gestum esse, quod tali dogmati tale praemitteretur initium, ut qui legit agnoscat, quod libelli huius conscriptor ut detractor loquitur, non ut doctor. Sane, quia detractionis vitium excaecationem inducit, Gregorio in Registro[6] dicente: « Quid aliud detrahentes faciunt, nisi quod in pulverem sufflant atque in oculos suos terram excitant, ut, unde plus detractionis perflant, inde magis nihil veritatis videant »? ideo perversi huius dogmatis cultor semper, dum scribit, in peius proficit et tanquam caecus in foveam ruit[7]. Nam consequenter annectit: « Quid enim aliud dicere volunt qui in suis scriptis dogmatizant, quod Christus Dominus aliqua egit non in summae perfectionis ostensionem, sed in infirmorum seu imperfectorum condescensionem, cuius contrarium aliquando perfectis viris facere licet, non vituperabiliter, sed laudabiliter, immo laudabilius agitur, quam omittatur »? Hoc est, quod pro summo habet errore, quod tanquam venenum abhorret et respuit, quod Christus Deus, cuius *perfecta sunt opera*[8], aliquod opus effecerit, per quod imperfectis condescenderet et infirmis, ac per hoc condescensionem huiusmodi tanquam rectitudini perfectae contrariam ab exemplari omnimodae perfectionis omnino astruit esse alienam. — Quod quamvis superficietenus videatur excelsam iustitiae perfectionem in Christo praetendere, et ideo ad laudem eius pertinere; quia tamen ab ipso actum summae pietatis excludit, nihil aliud est quam fontis misericordiae venas salutisque vias inique praecludere, nec non et Regis aeterni condescensivam clementiam impie blasphemare.

6. Ad defensionem igitur veritatis et improbationem erroris eligere disposuimus exemplo David[9] *quinque limpidissimos lapides de torrente* redundantis sapientiae catholicorum doctorum, quibus si pia fide veritati assentiri voluerit, nobiscum armetur; si autem ut effrons resistere, *in fronte* feriatur. — Audiat igitur primo, quid super Psalmum centesimum tertium[10] dicat Augustinus: « Habuit, inquit, Dominus loculos, sicut dictum est de quibusdam religiosis feminis, quod ministrabant ei de substantia sua. Futurus erat Paulus nihil tale aliquando

Notandu[m]

Poena d[e]tractio[nis]

Error c[a]lumniato[ris]

Hic rep[…]tur.

Quinq[ue] lapides auctorit[atum] eligunt[ur]

Lapis [primus].

---

[1] Ex Eccli. 44, 20.

[2] Cfr. Prov. 3, 14; Ps. 9. (sec. Hebr. 10.), 8. 9. — Supra pro *praesidio* edd. *subsidio.*

[3] Epist. II. Tim. 3, 2, post quem II. Petr. 2, 10, et I. Cor. 4, 16.

[4] Ioan. 8, 44. et deinde Apoc. 12, 10.

[5] Iob 6, 26. et 15, 2; Ier. 5, 13. — Sequitur Prov. 14, 31.

[6] Libr. XI. Epist. epist. 2.

[7] Luc. 6, 39: Nunquid potest caecus caecum ducere? Nonne ambo in foveam cadunt?

[8] Deut. 32, 4. — Superius post *Hoc est* solae edd. addunt *etiam.*

[9] Libr. I. Reg. 17, 40. Ibid. v. 49: Tulitque unum lapidem et funda iecit et circumducens percussit Philisthaeum *in fronte* etc. — Superius pro *defensionem* D F *considerationem,* et pro *disponimus* fide D G substituimus *disposuimus.*

[10] Serm. 3. n. 11. — De *loculis* cfr. Ioan. 12, 6. Luc. 8, 3: Et Ioanna... et Susanna et aliae multae, quae ministrabant ei de facultatibus suis. De Paulo cfr. Act. 20, 33. seq. et I. Cor. 9, 15.

quaerens et omnia provincialibus donans. Sed quia multi infirmi ista quaesituri erant, magis infirmorum personam suscepit Christus. Sublimius Paulus, nunquid et Christo? Sublimius Christus, quia misericordius. Cum enim videret, Paulum ista non esse quaesiturum, providit, ne damnaret quaesiturum, et praebuit exemplum infirmo; quomodo, cum [1] videret, multos promptos et gaudentes ituros ad martyrium passionis, exsultaturos in ipsa passione, fortes, centenarios, maturos ad horreum, tamen quorundam infirmorum, quos videbat posse conturbari ventura passione, ne deficerent, sed potius voluntatem humanam voluntati Creatoris coniungerent, ipsorum personam voluit suscipere in passione Christus, dicens [2]: *Tristis est anima mea usque ad mortem* ».

[Explicatur.] Haec Augustinus. — Quid hoc clarius, quid limpidius contra veritatis adversarium dici potest? Non enim valet intorqueri ad infirmitatem carnis, quod ait, in loculis et in formidine passionis infirmorum personam suscepisse Christum. Nam et Paulus ipse et illi quos ad passionem dicit ire gaudentes, quos etiam ab huiusmodi infirmis in verbo praefato distinguit, a carnis infirmitate, cum mortales essent homines, nequiverunt esse immunes.

[Testis secundus.] Beatus quoque Ambrosius super illud Salvatoris in Luca [3]: *Transfer calicem hunc a me:* « Errant, inquit, in hoc loco, qui tristitiam Salvatoris ad argumentum inolitae potius a principio quam susceptae ad tempus infirmitatis inclinant et naturalis sensum cupiunt detorquere sententiae. Nusquam magis pietatem eius maiestatemque demiror; minus enim mihi contulerat, nisi meum suscepisset affectum ».

[Explicatur.] Haec sanctus Ambrosius. — Ex quibus aperte colligitur, quod praeter illum generalem mortis horrorem, qui communis est omnibus, tam in passione gaudentibus quam etiam ceteris, aliquem affectum susceperit ad condescendendum non tantum carne, sed etiam mente infirmis.

[Tertius.] Chrysostomus etiam super Matthaeum homilia vigesima septima [4]: « Vides, ait, quanta est Christi in condescensione diligentia, sicut cum comedat et bibat, cum videatur ex adverso Ioanni faciens; et hoc Iudaeorum gratia salutis facit, magis autem orbis terrarum universi ». — [Explicatur.] Quid his clarius dici potest? in quibus Christum asserit condescendisse in cibo et potu Iudaeis, qui utique infirmi erant, non tam carne quam mente; nam et infirmitatem carnis ipse Ioannes habebat.

[Quartus.] Gregorius in Moralibus libro duodecimo [5] super illud: *Putasne mortuus homo rursum vivat?* « Solent, inquit, viri iusti in eo quod ipsi certum sentiunt, quasi ex dubitatione aliquid proferre, ut infirmorum in se verba transforment; sed rursum per fortem sententiam dubietati contradicunt, quatenus per hoc quod dubie proferre cernuntur, infirmis aliquatenus condescendant, infirmorum mentes ad soliditatem trahant. Quod dum faciunt, exemplum nostri capitis sequuntur, qui passioni propinquans, infirmantium in se vocem sumsit dicens [6]: *Pater, si possibile est, transfer calicem hunc a me;* sed vim fortitudinis ostendens, ait: *Non sicut ego volo, sed sicut tu* ». Hucusque Gregorius. — [Explicatur.] Per quae patenter ostendit, condescensionem ad infirma et imperfecta mortalium non solum ad membra Christi fortia pertinere, sed etiam ad caput.

[Quintus.] Tandem magister Hugo [7] in Expositione Psalmi illius: *Bonum est confiteri Domino*, dicit sic: « Habebat Iesus loculos et ea quae dabantur, suscipiebat, conformans se imperfectis. Paulus autem noluit sumtus accipere de Evangelio, sed gratis factus est minister verbi, et invenitur Paulus aliquid maius fecisse quam Christus. Christus autem in numero imperfectorum inveniri voluit, ne praesumerent non accipientes, et confunderentur accipientes, et aestimaretur non esse Christianus, faciens quod noluit facere Christus ». — [Explicatur.] Hoc catholici doctoris testimonio quinto directe hostis condescensionis Christi *in fronte* percutitur [8], quo non solum astruitur, quod Magister perfectionis ex condescensione loculos habuerit, verum etiam, quod oppositum huius non solum laudabiliter, sed laudabilius habet fieri quam omitti.

[Notabiles distinctiones.] 7. Ut autem hoc clarius elucescat, consideratione pervigili attendendum est, quod sicut tripliciter dicitur bonum et etiam malum; sic et perfectum et imperfectum, videlicet *in genere, ex circumstantia* et *secundum se* [9]. — [Bonum triplex.] *Bonum* namque *in genere* est actus transiens super materiam debitam, ut ire ad ecclesiam, dare eleemosynam. Bonum *ex circumstantia* est actus circumstantiis laudabilibus informatus, sicut dare eleemosynam, servatis debitis circumstantiis circa datum, dantem et accipientem, quantum ad loca, tempora et personas. Et haec duo bona depravari possunt per alicuius circumstantiae defectum, et maxime propter inordinationem intentionis, utpote si quis in dando eleemosynam vel ieiunando vel eundo ad ecclesiam hoc faciat, ut

---

[1] Ita BCD cum textu originali; cdd. *Cum enim*.

[2] Matth. 26, 38.

[3] Libr. X. in Luc. 22, 42. seq. n. 56: Haerent plerique hoc loco, qui tristitiam Salutaris ad argumentum etc. Pro *inolitae* (secunda manus in D addidit *id est innatae)* Vat. *insolitae*, quae etiam inferius pro *sensum* substituit *sensus*.

[4] Alias homil. 28. n. 3.

[5] Cap. 12. n. 16, ubi explicat Iob 14, 14.

[6] Luc. 22, 42; Gregor. affert Matth. 26, 39: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste. Ibid. habetur etiam seq. locus.

[7] Libr. II. Miscellan. (Migne, Patrol. Lat. tom. 177. col. 626.), in quo continentur *Adnotationes elucidariae in quosdam Psalmos David*, c. 64. in Ps. 91. De *loculis* Domini et de *Paulo* cfr. supra pag. 236, nota 10. In fine pro *noluit facere Christus* textus originalis et B perperam *voluit facere Christus*.

[8] Cfr. supra pag. 236, nota 9. — Inferius pro *habet* B *haberet*.

[9] Vide Bonav., II. Sent. d. 36. dub. 5. et d. 41. a. 1. q. 3. In corp.

gloriam captet humanam. Tertium autem est bonum *secundum se*, quod nullo modo potest[1] male fieri, sicut est opus virtutis ex caritatis radice procedens.

Malum triplex. Per hunc etiam modum tripliciter dicitur *malum*: malum, inquam, *in genere* dicitur actus transiens super materiam indebitam, sicut occidere hominem. Malum *ex circumstantia* dicitur actus informatus circumstantia deordinata, ut comedere extra horam. Malum *secundum se* est quod nullo modo potest bene fieri, ut sunt illa « quae mox nominata coniuncta sunt malo[2] », ut mentiri, fornicari, odire veritatem et approbare errorem.

Perfectum triplex. 8. Simili etiam modo *perfectum* tripliciter dicitur. Perfectum namque *in genere* est actus difficilis et excellens, utpote omnia relinquere, utpote intrare Religionem. Perfectum *ex circumstantia* dicitur actus difficilis debitis circumstantiis adornatus, ut relinquere divitias gaudenter et ad aedificationem proximi. Perfectum autem *secundum se* est actus difficilis a caritatis[3] sublimitate procedens, ut est motus fervidae et ecstaticae dilectionis in Deum, vel purae et plenae dilectionis ad inimicum.

Imperfectum triplex. Iuxta hunc etiam modum *imperfectum* dicitur tripliciter. Imperfectum quippe *in genere* dicitur actus facilis et ad quem humana infirmitas inclinatur, sicut fugere mortem vel pecuniam possidere. Imperfectum *ex circumstantia* est actus informatus circumstantia inclinante ad infimum[4] iustitiae statum, ut vim facienti dimittere vestem propter fugam maioris iniuriae. Imperfectum *secundum se*, quod nullo modo potest stare cum evangelica perfectione, sicut ducere uxorem, vel refugere paupertatem.

Corollaria. 9. Cum igitur tam multiformiter dicatur tam perfectus quam imperfectus actus[5], clarum est, quod sicut *malum in genere* potest fieri bonum ex circumstantia, ut occidere hominem, quia maleficus est, et quia lex iubet et reipublicae confert, et e converso *bonum in genere* potest fieri malum ex circumstantia, utpote dare eleemosynam propter vanam gloriam; sic et *perfectum in genere* potest fieri imperfectum ex circumstantia, utpote sua relinquere modica, ut quis accipiat maiora ecclesiastica bona, vel ab omni actu carnalis libidinis abstinere propter vitam corporis prolongandam; et e contrario *imperfectum in genere* potest fieri perfectum ex circumstantia, utpote fugere mortem, ut quis gloriosius et fructuosius et opportunius pro Domino patiatur, quomodo fugit Christus[6] et etiam Apostolus Paulus. Sic et in consimilibus similiter est iudicandum.

Applic. ad Chri. oper. 10. Ex his patenter liquet, quid de Christi operibus veraciter sentiendum est. Nam cum loquimur de Christi operibus, potest fieri sermo de eius opere *interiori*, aut *exteriori*. *Interius* dicimus opus operans, *exterius* opus operatum. *Notand.* Omne autem opus Christi operans sive *interius* est perfectissimum, quia ex perfectissima caritate processit, et est actus perfectissimae voluntatis et virtutis. Opus vero eius *exterius* in se consideratum aliquando fuit perfectum de genere actus, utpote morti se offerre, vel *animam pro ovibus ponere*[7]; aliquando imperfectum, ut a facie persequentium fugere, ut se ipsum abscondere, ut pro amotione calicis exorare. Verumtamen hoc opus, relatum ad Christi caritatem et rationem et causam, quare hoc faciebat, et ad personam suam, efficitur perfectissimum. — *Confirm. auctori. Bernar.* Unde Bernardus in sermone de beato Andrea[8], tractans illud: *Si fieri potest, transeat a me calix iste,* ait: « Agnosco in duce belli pusillanimem trepidationem, agnosco aegroti vocem in medico, agnosco infirmantem gallinam cum pullis, considero caritatem, stupeo dignationem, expavesco humilitatem. Misericors Dominus non beati Andreae robustum sibi suscepit affectum, quia *non est sanis opus medicus, sed male habentibus*[9]. Si quem forte dignatio scandalizat, plane meretur audire: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Huic enim odor vitae in mortem est. Quid magnum fuerat, Domine Iesu, si, accedente hora, propter quam veneras, intrepidus stares, tanquam qui *potestatem habebas ponendi animam tuam, et nemo tollebat eam a te*[10]? Aut non longe gloriosius fuit, quandoquidem totum propter nos agebatur, ut non solum passio corporis, sed etiam cordis affectio pro nobis faceret, ut quos vivificabat mors tua, tua nihilominus et trepidatio robustos, et moestitia laetos, et taedium alacres, et turbatio quietos faceret, et desolatio consolatos »? Usque huc Bernardus. — *Item, Augustin.* Et hoc ipsum est, quod dicit Augustinus in auctoritate superius[11] allegata, quod « sublimius aliquid fecit Paulus, quam fuerat opus, quod fecerat Christus, nec tamen Paulus sublimius Christo, immo Christus sublimius, quia misericordius ». Quod ideo dicit, quia ipsa condescensio Christi, qua Christus membris

---

[1] Vat. contra A B C D addit *esse malum aut.*

[2] Aristot., II. Ethic. c. 6; cfr. tom. I. pag. 32, nota 6. — Vat., contradicente G, legit: *Mala secundum se sunt illa quae mox* etc.

[3] Codd. B C D G *virtutis.* Subinde pro *ecstaticae* Vat. *extractae.*

[4] Ita A B C D F G; Vat. *inclinatus ad infimae.*

[5] Vat., refragantibus A B C D G, *tam perfectum quam imperfectum.*

[6] Cfr. Ioan. 8, 59. et 12, 36. De Paulo vide II. Cor. 11, 33.

[7] Ioan. 10, 11. et 15. — Superius pro *et est actus* (ita A B C D) Vat. *et hoc est opus et actus.*

[8] Serm. 1. n. 5. seq., ubi tractat illud Matth. 26, 39: *Pater, si fieri potest* etc. Pro *pusillanimem* (ita C D et ed. 1, 2.) Vat. *pusillanimitatem*, textus originalis *pusillanimorum*, qui etiam subinde pro *stupeo dignationem, expavesco humilitatem* substituit *stupeo miserationem, expavesco dignationem.*

[9] Matth. 9, 12. — Sequitur Matth. 20, 15. et respicitur II. Cor. 2, 16: Aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitae in vitam. — Vat. cum aliis edd. legit: *et si quem dignatio tanta scandalizet* etc.

[10] Ioan. 10, 18. — Superius pro *accedente hora* edd. *accedente iam hora mortis.*

[11] Num. 6.

condescendebat infirmis et imperfectis, ex sublimitate procedebat perfectissimae caritatis. Sicut enim humanam assumendo naturam, in nostris quidem factus est humilis, sed in propriis permansit excelsus [1]; sic ex summae caritatis dignatione ad actus quosdam nostrae imbecillitati et imperfectioni conformes deprimitur et a summae perfectionis rectitudine non curvatur.

pilogos. 11. Ac per hoc verum est, quod Christi *perfecta sunt* omnia *opera* [2] ad ipsum relata; verum etiam est, quod Christus aliqua fecit opera, infirmorum in se suscipiendo personam et ad nostra condescendendo infirma et imperfecta; verum nihilominus, quod illorum opposita laudabiliter possunt fieri, et laudabilius est facere illa pro loco et tempore quam omittere; verum etiam, quod nunquam ex hoc *est discipulus super magistrum* [3], quia nullus tanta caritate ascendit ad illa fortia, quanta Christus condescendit ad ista infirma, et ideo semper magister est supra discipulum, Christus videlicet supra omnem hominem quantumcumque perfectum. — Haec omnia si diligenter et pie is cui respondetur, scivisset [4] advertere, nunquam tot contra Christi condescensionem protulisset ineptias; et nunc, si misericordia Dei praeventus, ut per omnem modum optamus et suppliciter petimus, humiliter attendere velit, non alteri conabitur haereticae pravitatis crimen impingere, sed proprium corrigere ac deplorare studebit errorem, nisi forte, quod avertat Deus, de numero sit illorum qui, Christi sublimis et humilis altam et condescensivam ignorantes iustitiam et inflexibilem quendam magistro perfectionis attribuentes rigorem [5], verae ac piae Christi iustitiae convincuntur potius esse contrarii quam subiecti. Contra auctorem libelli.

Capitulum II.

Primae responsionis secunda particula secundumque capitulum, in quo capitalis error circa notificationem perfectionis et imperfectionis eliditur, et verae perfectionis exemplaritas et differentia ipsius ad imperfectionem reseratur.

1. Quemadmodum autem condescensionis Christi adversarium valida doctorum prostravit auctoritas, sic et perversi dogmatis eius caput propriae assertionis mucro detruncat, dum idem perfectionis evangelicae oppugnator, impiis sensibus invertendo Scripturas et *imperitis sermonibus involvendo sententias* [6], non solum a veritate dissentit, verum etiam sibi ipsi contradicit. (ibellos am sibi tradicit.) Quanta namque sit in subsequentibus intellectus perversitas, quantus Scripturarum abusus, quanta involutio sententiarum, quantaque repugnantia sensuum; quia longum esset explicare [7] per singula, prudenti lectori sufficere credimus, si aliqua illorum succincte tangamus.

2. Siquidem a *definitione perfectionis* quasi capitale sumens exordium, dicit, quod « perfectio huius vitae est, non ut peccatum non habeamus, sed *ne regnet in nostro mortali corpore* [8] ». (perfe- nis defi-.) Hoc quamvis sit veraciter et catholice dictum et a Sanctis acceptum, quia tamen in hoc perfectionis evangelicae terminum ponit et complementum constituit, a vera perfectionis notitia procul esse convincitur. Nam cum omnis homo ad hoc, quod in ipso peccatum non regnet, divino sit praecepto astrictus; omnis igitur homo tenetur esse perfectus. Ratio prima. — Iterum, si quantumcumque parva caritas hoc efficit; sequitur, quod minima caritas ad culmen perfectionis attingit. Secunda. Quid igitur Augustinus [9] dicit, quod « caritas meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici »? — Amplius, si perfectio est, quod in nobis peccatum non regnet; igitur imperfectio est, quod regnet; sed peccatum non potest regnare in nobis, nisi cum sumus in peccato mortali: omnis igitur imperfectio est peccatum Tertia.

---

[1] Leo, Serm. 1. de Nat. Domini, c. 2, ait: Se ad susceptionem humilitatis nostrae sine diminutione suae maiestatis inclinans. Cfr. Nicol. III, Declarat. super Regulam FF. Min. *Exiit* (3.). X. de Verborum signif. (lib. V. tit. 12.) in VI. art. 2. n. 2, ubi haec S. Bonav. propositio exhibetur. Cfr. tom. V. pag. 131, nota 6.

[2] Deut. 32, 4: Dei perfecta sunt opera.

[3] Matth. 10, 24; Luc. 6, 40.

[4] Cod. B *voluisset.* Inferius pro *humiliter attendere* (ita A B C D G) edd. *humilitatem discere.*

[5] Ita A B C D G; edd. *errorem.*

[6] Iob 38, 2.

[7] Ita C D E G; edd. *explicari.*

[8] Rom. 6, 12. Hunc locum Gregor., XXI. Moral. c. 3. n. 7, exponens dicit: Peccatum quippe in mortali corpore nequaquam non esse, sed regnare prohibuit, quia in carne corruptibili non regnare potest, sed non esse non potest. Hoc ipsum namque ei de peccato tentari peccatum est, quo, quia, quamdiu vivimus, perfecte omnimodo non caremus etc. Cfr. August., de Perfectione iustitiae hominis, c. 18, n. 39; II. Operis imperf. contra Iulian. n. 226. et Expos. in Gal. c. 5. n. 48: Aliud est enim *non peccare,* aliud *non habere peccatum.* Nam in quo *peccatum non regnat,* non peccat, id est, qui non obedit desideriis eius; in quo autem non existunt omnino ista desideria, non solum non peccat, sed etiam non habet peccatum. Quod etiam si ex multis partibus in ista vita possit effici, ex omni tamen parte nonnisi in resurrectione carnis atque commutatione sperandum est. — Inferius pro *dictum* (ita B C D E G) edd. *verum.*

[9] Epist. 186. (alias 106.) c. 3. n. 10. Cfr. Bonav., I. Sent. d. 17. p. II. q. 1. seq. De *quantumcumque parva caritate* cfr. III. Sent. d. 30. q. 1. — Superius pro *hoc efficit* (ita codd.) edd. *ad hoc sufficit.*

mortale. Quod quam sit absurdum et a veritate dissentiat, nemo, qui aliquid novit, ignorat.

Falsa imperfectionis definitio.

3. Debinc, vigilans lector attendat, qualiter in subsequentibus, *imperfectionem* definiens, sibi ipsi contradicat aperte. Subdit enim: « Imperfectio est citra [1] possibilitatem conditionis humanae non conformari Christo ». Sed hoc potest esse non solum absque peccato mortali, quia nullus ad hoc tenetur, verum etiam absque veniali, in his potissimum, quae sunt consilii et in nostrae ponuntur liberae voluntatis arbitrio, ac per hoc omitti possunt absque ullo peccato, sicut expresse patet in voto paupertatis et continentiae virginalis [2]. — Quod autem subiungit, dicens, quod « a Christi mandatis et eius operibus discordare est imperfectio, a qua Apostolus [3] dehortatur discipulos », non solum a praecedentibus dissonat, verum etiam in se repugnantiam claudit manifestam. Nam *discordare a Christi mandatis* semper est peccatum mortale, discordare vero *a Christi operibus* potest esse veniale, vel nullum omnino peccatum. Apparet igitur, quod se ipsum nequaquam intellexit, dum in eadem propositione duo sibi contraria simul includit. — Deinde, quod verba inculcans de imperfectionis notificatione, subnectit, dicens: « Imperfectio vitae est a regula iustitiae et vestigiis Christi distorqueri, ubi Christum posset secundum carnem corruptibilem imitari »; ostendit, se non solum veritatis intelligentia vacuum, sed et verbis usitatis [4] egenum. Verum de verbis cura permodica, magis autem discutienda verbi sententia et abiicienda tanquam distorta. Dicit enim, quod « imperfectio est distortio a regula iustitiae ». Constat autem, quod « iustitia est rectitudo voluntatis », sicut dicit Anselmus [5]. Si igitur est quaedam iustitia perfecta, quaedam imperfecta, sequitur necessario, quod sit quaedam rectitudo distorta. — Amplius, si est rectitudo iustitia, distortio est iniustitia [6]. Si igitur imperfectio distortio est, imperfectum erit iniustum. Sequitur ergo, si imperfectio est distortio, quod aliqua iustitia sit iniusta. — Denique, cum « virtus omnis, ut ait Augustinus [7], sit ratio recta », necessario sequitur, quod distortio sit peccatum. Si igitur imperfectum universaliter est distortio, imperfectio universaliter est peccatum. Cum ergo aliqua caritas sit imperfecta, consequentia necessaria potest inferri, quod caritas est peccatrix. Ac per hoc colligitur ex praemissis secundum notificationes imperfectionis [8] praehabitas, quod iustitia sit iniusta, rectitudo distorta et caritas vitiosa.

Contradictio in assertis.

Alius error multipliciter improbatus.

4. Ad maiorem quoque imperitiae suae declarationem paulo posterius subdit, quod « Sapiens [9] asserit, *magnam esse gloriam sequi Dominum*, et quod tanquam simpliciter dictum est universaliter intelligendum ». Quod si verum est, cum velle Dominum sequi in aliquibus ipsius actibus sit magna praesumtio, utpote in miraculis, in iudiciis, in vindictis et in praevidendis futuris et consimilibus; igitur si verbum hoc simpliciter dictum est universaliter intelligendum, aut *magna gloria erit sequi Dominum* in his, ad quae aspirare est praesumtuosum et impium [10], aut secundum istius perversum iudicium Sapiens dixit falsum. — Huic quoque dementiae et aliam non minorem adiungit, dicens, quod « Christus adolescenti dixit: *Sequere me* [11], non distinguendo in quibus et qualibus, sed simpliciter »; « et magna, ut dicit, praesumtio est, velle distinguere, ubi Dominus non distinxit, quia legislatoris est proprium legem interpretari, quam condidit ».

Aliud di[...] reproba[...]

Alius e[...]

5. In qua quidem assertione et ipsi fidei et sanctorum Patrum sententiae et etiam sibimet contradicit expresse. Nam si, ubi Christus in sermone proprio ipse non distinxit, nec nos debemus distinguere, cum dixit [12]: *Pater maior me est*, errat catholicae fidei sensus, quo docetur, non ad Christi Divinitatem, sed ad eius tantummodo humanitatem praefatum verbum esse referendum. — Errant nihilominus Sancti, qui Christi explicando eloquia et distinguendo exponunt et exponendo interpretantur. — Errat et ipse, qui consequenter etiam in hoc verbo distinguit dicens, quod « non intelligitur de actibus spectantibus ad graduum et dignitatum distinctionem, sed de aliis tantum ».

Reproba[...] triplicit[...]

6. Verum nec his contentus stultitiis, subiungit et alias, asserens, quod dicere, Deum aliquid praecepisse perfectis, non imperfectis, error sit Manichaeorum et res magni periculi, non attendens quod sacer dicit Hieronymus libro secundo [13] contra Iovinianum. Ait enim: « Nunquid omnibus praeceptum est, ne duas tunicas habeant, ne cibos in pera, aes in zona, calceamenta in pedibus, ut vendant universa, quae habent, et sequantur Iesum, sed his qui volunt esse perfecti? alioquin cur a Ioanne

Aliae st[...]tiae.

---

[1] Cod. B *iuxta*, ed. 1 et 2 *circa*.

[2] Cfr. Matth. 19, 16. seqq.; I. Cor. 7, 25. seqq.

[3] Epist. I. Ioan. 2, 3. seqq. — De peccato *mortali* (contra Dei mandatum) et peccato *veniali* (praeter Dei mandatum) cfr. Bonav., II. Sent. d. 42. a. 2. q. 1. in corp.

[4] Ita C D E G; edd. *veritatis*.

[5] De Conceptu virgin. et orig. pecc. c. 3; Dialog. de veritate, c. 12. — Inferius pro *rectitudo distorta* edd. contra codd. *iustitia distorta*.

[6] Ita codd.; edd. *rectitudo iusta, distortio etiam iniusta*. Inferius pro *sit iniusta* F *sit iniustitia*.

[7] Libr. I. Soliloq. c. 6. n. 13: Et haec est vere perfecta virtus, ratio perveniens ad finem suum. Cfr. Bonav., II. Sent. d. 27. dub. 3: In comparatione *ad finem* sic definitur [virtus] ab Augustino in Soliloquiis: Virtus est *ratio recta*, ad suum finem perveniens.

[8] Codd. A B D G *perfectionis*.

[9] Eccli. 23, 38: Gloria magna est sequi Dominum.

[10] Ita codd.; edd. *imperitum*.

[11] Matth. 19, 21. — Mox pro *distinguendo* (ita codd.) edd. *distinguens*.

[12] Ioan. 14, 28.

[13] Num. 6. Respicitur Matth. 10, 9. seq. (cfr. Marc. 6, 8. seq.; Luc. 9, 3.) et 19, 21: Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes... et veni, sequere me. De Ioanne vide Luc. 3, 12-14. Post *alioquin* A B C D E cum textu originali omittunt *cur*.

Baptista aliud militibus, aliud praecipitur publicanis »? Haec Hieronymus. Quibus patenter ostendit, hanc suam, immo Scripturarum esse sententiam, quam hic novellus doctor, Ioviniani erroneum dogma secutus, haereticam asserit et periculosam. — Sane quod addit, mandatis hominem imperfectum non effici, quia *mandatum sanctum, iustum et bonum* non operatur mortem [1], sed « imperfectio quaedam mors est »; manifeste verum probans per manifeste falsum, simul sui ipsius declarat imprudentiam et errorem. Certum est enim, quod mandata nec perfectos faciunt nec imperfectos, cum tam hi quam illi ad ipsorum observantiam astringantur. Certum est etiam, quod imperfectio a perfectione non discrepat, sicut mors a vita distat. Si enim imperfectio mors est, aut *poenalis,* aut *culpabilis.* Si *poenalis;* nullus est in hac vita perfectus, nec ipse Christus; si *culpabilis;* sed mors culpabilis est culpa mortalis, nullus igitur est imperfectus, qui non sit per mortale peccatum vita privatus. — Quodsi dicat, se mortem quandam dicere venialem culpam, valde improprie loquitur, nec tamen declinat errorem, quia, si culpa venialis est mors faciens imperfectum, cum non sit ratio maior de uno veniali quam de alio, quoties quis incidit in veniale peccatum, toties a perfectionis decidit statu. Et iterum, cum nullus quantumcumque iustus sit omnino immunis a venialibus, nullus erit in hac vita perfectus ea perfectione, quam consulit Christus [2]; quod est haereticum et damnandum.

'alsa veri batio retur.

explicatio probatur.

7. Ad erroris etiam sui cumulationem maiorem subsequenter annectit, imperfectionem esse claudicationem, quae sub praecepto non cadit, sed sub indulgentia, quemadmodum *sua repetere* non est mandatum, sed indultum. — Quod est plane falsum, cum *indulgentia,* secundum Augustinum de Bono coniugali [3], includat peccatum, et *repetere sua* imperfectis sit licitum, sicut primae ad Corinthios sexto dicit Glossa: « Infirmis licet sua repetere, etiam movendo causam ante iudicem ». — Huic quoque simile est, quod, quibusdam vanis et frivolis interpositis, addidit, quod « in novo testamento, etiam quando contrahitur causa prolis matrimonium, est *indultum* ». Cui aperte contradicit Augustinus de Bono coniugali [4]: « Certe, inquit, dubitare fas non est, nuptias non esse peccatum. Non itaque *nuptias* secundum veniam concedit Apostolus, sed illum *concubitum* secundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non solum causa procreandi, sed etiam aliquando nulla causa procreandi, quem nuptiae fieri non cogunt, sed ignosci impetrant. Concubitus enim sola causa generandi inculpabilis, solus ipse nuptialis est ». Haec Augustinus; ubi inter ipsum doctorem antiquum et hunc novellum tanta est repugnantia sensuum et verborum, ut necesse sit, alterum eorum asseruisse falsum. Si igitur non suam, sed egregii doctoris vult sequi sententiam, ne in foveam cadat erroris, desinat imperfectionem per *distortionem* et *claudicationem* describere, ne compellatur ex hoc tanquam distortus et claudus a veritatis tramite deviare.

a assertio lsa monratur.

rum, alia.

8. Quod autem subdit, Christum nulla fecisse opera tantum imitanda perfectis, pro eo quod nemini perfectionem invidit, quasi non possit esse gradus et distinctio in exemplis Christi ac verbis respectu graduum et statuum diversorum in hierarchia Ecclesiae; nequaquam est consonum documentis Scripturae. Nam Christus dixit specialiter Apostolis [5]: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis.* Et iterum loquens ad Patrem ait: *Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis.* Nunquid invidus Deus, quia non omnibus sapientiae suae revelavit arcanum? Constans est autem, quod sicut Christus sua pro illis qui ea capiebant, proponebat eloquia, ita pariter et exempla. — Nequaquam igitur ex invidia, sed ex altissima dispensatione sapientiae Dei *dividentis dona sua singulis, prout vult* [6], quaedam proponuntur imitanda praelatis, non subditis; quaedam spiritualibus, non animalibus; quaedam perfectis, non imperfectis; quaedam fortibus, non infirmis, sicut patet expressius in auctoritate praemissa [7] Hieronymi contra Iovinianum. Nec tamen dicimus, quod opera consiliorum et supererogationum illis solis proponantur, qui iam perfecti sunt, quin potius omnibus, qui ad perfectionis culmen conscendere volunt; quod quidem tanquam difficile et arduum non est omnium, sed paucorum.

Alia assertio refellitur.

Vera sententia ponitor.

9. Porro, ratio illa, qua subsequenter conatur astruere, Christi opera et exempla aequaliter cunctis esse proposita, quia, si aliquid egit, quod tantum imitandum esset imperfectis, videretur tunc, quod debuisset uxorem accipere et contentionibus se ingerere, ut horum imperfectis exempla praeberet, nullius est efficaciae, sed [8] magnae dementiae. Nunquam enim rationem hanc probabilem crederet, nisi experientiam carnalis libidinis et compugnantiam

Etiam ratio falsa reprobatur.

---

[1] Rom. 7, 12. seq.: Itaque lex quidem sancta et mandatum sanctum et iustum et bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem etc.

[2] Matth. 5, 48: Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est.

[3] Cap. 10. n. 11: Quis ambigat, absurdissime dici, non eos peccasse, quibus venia datur? — De Glossa in I. Cor. 6, 7, quae exhibetur a Petro Lombardo et Lyrano ut *ordinaria,* cfr. August., Enchirid. c. 78. n. 21. Codd. A B C D omittunt *ante iudicem.* Vide Bonav., Comment. in Luc. c. 6. n. 74. seq.

[4] Cap. 10. n. 11. Cfr. I. Cor. 7, 2. seqq., ubi v. 6: Hoc autem dico secundum indulgentiam [veniam], non secundum imperium.

[5] Luc. 8, 10, post quem Matth. 11, 25.

[6] Epist. I. Cor. 12, 11. [7] Num. 6.

[8] Codd. A B C E *et.* Subinde pro *Nunquam* (ita B C D E F) edd. *Nequaquam,* et pro *condescendentiae* edd. *condescensioni.*

litis condescendentiae divinae dulcedinis in nostris suscipiendis infirmitatibus temeritate quadam erronea coaequaret; ac si aperte diceret: si Christus condescendit infirmitati humanae in actu comestionis et fugae, pari ratione condescendere debuit in actu carnalis libidinis et litis contentiosae [1]. Alioquin ratio sua non valet. Et vere non valet, quia non est simile hinc inde, quia in illis infirmitatibus decuit nobis condescendere Christum, quae communiter respiciunt naturam lapsam nec aliquam habent foeditatem annexam, in aliis vero nequaquam [2].

Finalis eiusdem conclusio evertitur.

10. Tandem si quis vigilanter attendat, quid finaliter intendit concludere, patenter advertet, quod se ipsum paralogizando multiplici involvit errore. Ait enim: « Cum duae sint perfectionis partes, scilicet *sua vendere ac distribuere* et *Christum Dominum sequi* [3]*;* sicut ad fundamentum perfectionis requiritur necessario, quod quis omnia sua relinquat, sic ad complementum exigitur, quod sua relinquens Christum imitetur in omnibus iuxta possibilitatem humanam ». Propter quod non parvam asserit esse blasphemiam dicere, Christum in his quae secundum naturam nostram gessit, non in omnibus, sed in aliquibus imitandum, eis potissime, qui perfecti esse conantur. — Verum licet verba huiusmodi aliquam superficialiter videantur rationem praetendere, tamen secundum veritatem *ratiocinatio* sua nullum habet omnino vigorem, sed et *conclusio* multimodam continet falsitatem. Non enim est simile de dimissione suorum et imitatione actuum Christi. Nam *sua dimittere* actus est unus et uniformis, qui perfectioni non consonat, si diminute, hoc est secundum partem et non secundum totum fiat [4]. Actus autem Christi sunt multiformes et varii, et quamvis in comparatione ad Christi personam omnes sint perfecti, tamen secundum naturam proprii generis quidam sunt excellentes, quidam mediocres, quidam condescensivi, sicut in praecedentibus [5] aliqualiter patuit et subsequenter magis patebit.

Responsio.

Consequentiae erroris absurdae.

11. Sane si verum est, sicut concludit, quod *perfectio* dicat universalem conformitatem ad opera Christi et *imperfectio* dissonantiam, multa per omnem modum sequuntur absurda. Nam cum Christus mulieres se comitantes et sustentantes habuerit [6], sequitur, quod imperfectus fuerit Paulus, qui hoc recusavit; cum Christus inter homines habitaverit, imperfectus Ioannes Baptista, qui, relictis turbis, solitaria loca quaesivit; cum Christus vinum biberit, imperfectus idem Baptista, qui vinum et siceram non gustavit [7]; cum Christus solus cum muliere locutus fuerit, imperfectus erit qui a mulierum consortiis se elongat; cum Christus peccatrici pedes osculandos praebuerit, imperfectus, qui mulierum contactus abhorret et vitat; cum Christus dividere inter fratres hereditatem recusaverit [8], imperfectus erit qui iurgantes pro hereditatis divisione germanos ad pacem et aequitatem reducit; cum Christus scienter loculos furi conservandos commiserit, imperfectus omnis erit, qui furem dispensatorem expellens fidelem requirit; cum Christus imminente passione trepidaverit [9], imperfectus omnis, qui ad passionem securus et hilaris currit; cum Christus in ipsa passione tacuerit, imperfectus omnis, qui pro Christo patiens veritatem dicit. Et sic in pluribus aliis potest inductio fieri, ut de fuga [10], comestione et loculis taceamus; quae omnia tam absurda sunt, ut qui ea conetur defendere non tam videatur errare quam insanire.

Duplex e… rum cau…

12. Ut autem haec et his similia inconvenientia prudens lector effugiat, in quae is cui respondemus, ex inconsideratione devenit, attendere debet, quod deceptionis huius duplex exstitit causa: prima, quia, cum sciret, Christum esse omnis perfectionis exemplar [11], modum tamen huius exemplaritatis nescivit, vel neglexit advertere; secunda, quia, cum clare perpenderet, imperfectionem a perfectione deficere, modum tamen defectionis huius non potuit investigare. — Intelligendum est igitur, quod cum Christus sit Verbum *increatum* et *incarnatum*, duplex est in eo ratio exemplaritatis, *aeternae* videlicet et *temporalis*: aeternae, inquam, secundum quod est *splendor paternae gloriae et figura substantiae Dei Patris* [12] atque *candor lucis aeternae et speculum sine macula maiestatis Dei.* In quo quidem speculo exemplariter cuncta relucent, quae a principio conditionis mundi usque in finem ad perfectionem totius universi tam spiritualiter quam sensibiliter producuntur. Et secundum hoc est Christus ut Verbum increatum speculum intellectuale et exemplar aeternum totius machinae mundialis [13]. — In quantum autem

Contra … mam e… cator du… ratio ex… plaritatis

De aeter…

De temp… rali.

---

[1] Edd. *contentione*. Inferius pro *non valet* A C D *omnino nihil valet,* B *nulla est, unde omnino* (coniungens hanc propositionem cum seq.).

[2] Cfr. Bonav., III. Sent. d. 15. per totam.

[3] Vide Matth. 19, 21. — Inferius pro *perfectionis* edd. *Religionis.*

[4] Hieron., III. in Matth. 19, 21: Quicumque perfectus esse voluerit, debet vendere quae habet, et non *ex parte* vendere, sicut Ananias et Saphira [Act. 5, 2.], sed *totum* vendere etc.

[5] Cap. 1. n. 10. seq. — Edd. contra codd. legunt: *secundum naturam propriam quidam sunt excellentes, quidam condescensivi, sicut in praecedentibus.*

[6] Luc. 8, 2. seq. De *Paulo* cfr. I. Cor. 9, 5. seq. et de *Ioanne* Matth. 3, 1. seqq.

[7] Matth. 11, 18. seq. et Luc. 1, 15. De Christo loquente cum *muliere Samaritana* cfr. Ioan. 4, 7. seqq. et cum *muliere peccatrice* Luc. 7, 37. seqq.

[8] Luc. 12, 13. seq. De *loculis* Iudae commissis vide Ioan. 12, 6.

[9] Matth. 26, 37. seqq. Hanc propositionem ex codd. supplevimus; de seq. cfr. Matth. 26, 63: Iesus autem tacebat.

[10] Cfr. supra n. 9.

[11] Edd. *exemplum.* Idem bis recurrit aliquanto inferius.

[12] Hebr. 1, 3. et deinde Sap. 7, 26. — Inferius post *cuncta* edd. contra A B C D addunt *creata.*

[13] Cfr. Bonav., Collat. in Hexaëm. collat. 1. n. 10. seqq. et 3. collat. n. 2. seqq.

Verbum *incarnatum* in assumtae humanitatis conversatione exemplar est et speculum omnium gratiarum, virtutum et meritorum, ad cuius exemplaris imitationem erigendum est tabernaculum militantis Ecclesiae, iuxta quod Moysi mysterialiter dictum est [1]: *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Et quemadmodum ab illo uno aeterno exemplari indiviso tam diversae manant creaturarum naturae et naturarum perfectiones secundum variam ipsius summi boni participationem, quod perfecte ab aliqua una creatura capi non poterant, propter quod et diversas constituit Deus rerum species ad universi completionem; sic et a Verbo incarnato tanquam ab originali principio gratiae, *de cuius plenitudine accepimus omnes* [2], et tanquam a speculo, in quo et a quo omnis sanctitatis et sapientiae plenitudo et pulcritudo refulget, diversi status, gradus et ordines secundum variam distributionem donorum et varium imitandi modum exemplariter derivantur, in quibus secundum multiformem participationem multimoda Christi perfectio sic distribuitur, ut simul reperiatur in omnibus, nec tamen in aliquo uno solo secundum omnimodae plenitudinis totalitatem refulgeat; sed quilibet gradus et status pro suae mensurae modulo secundum plus et minus istiusmodi exemplaris influentiam suscipit et ad ipsius imitationem accedit.

...otandum.

13. Refulgent autem a Christo tanquam a totius nostrae salutis exemplari et originali principio actus multiformes. Nam quidam actus in ipso respiciunt *sublimitatem potentiae,* ut super aquas siccis pedibus ambulare, elementa convertere, panes multiplicare, se ipsum transfigurare [3] et cetera miracula facere; quidam *sapientiae lucem,* ut arcana caelestia referre, secreta cordium scrutari et futura praedicere; quidam *severitatem iudicii,* sicut eiicere vendentes de templo, cathedras vendentium columbas evertere et dura increpatione ferire pontifices [4]; quidam *officii dignitatem,* ut Sacramentum conficere sacratissimi corporis sui, manus imponere et peccata relaxare; quidam *condescensionem miseriae,* ut latere in persecutione, trepidare et contristari in morte et pro calicis amotione Patrem orare [5]; quidam *informationem vitae perfectae,* sicut paupertatem servare, virginitatem custodire, Deo et hominibus se ipsum subiicere, noctes in oratione pervigiles ducere, pro crucifixoribus exorare et morti se summa caritate etiam pro inimicis offerre [6]. — Cum igitur sex sint huiusmodi actuum varietates, in ultimis his dumtaxat est ipsum imitari perfectum. Nam in his quae sunt *excellentiae singularis,* est impium et luciferianum, nisi fuerit alicui privilegii specialis dono concessum. In his autem, quae *severitatis* et *dignitatis,* est praesidentium et praelatorum. In his quae *condescensionis,* est infirmorum, in quantum ad actum loquimur extrinsecum. Nequaquam igitur, ut dogmatizat, summa perfectionis christianae consistit in universali imitatione actuum Christi, sed tantum illorum qui *vitae perfectae informationem* [7] respiciunt.

...t actus ab ...oo exemplari refulgentes.

Horum tantum duo imitari perfectum est.

14. Ex quo apparet, quod huiusmodi veritatis ignorantia prima fuit in eo causa erroris; quam etiam secunda comitata est, videlicet, quod imperfectionem a perfectione rationabiliter non discrevit, dum imprudenter asseruit, quod « perfectio et imperfectio differunt sicut rectitudo et distortio, sicut iustitia et peccatum, sicut puritas et pollutio, sicut gloria et ignominia, sicut vita et mors, sicut sanitas et morbus, sicut incessus aequalis [8] et claudicatio ». — Ex quibus inconvenientia magna sequuntur et multa, quorum aliqua superius [9] sunt expressa. Propter quod diligens lector advertat, quod perfectio et imperfectio non differunt sicut duo contraria [10], sed sicut maius bonum et minus bonum, sicut fini propinquum et longinquum, sicut magis meritorium et minus, sicut magis deiforme et minus, sicut gloria et sanctitas maior et minor.

Contra secundam causam errorum.

Falsae definitiones.

Reprobantur.

15. Quod quamquam sit intelligentibus per se notum, ad tollendum tamen omnem dubietatis scrupulum Sanctorum auctoritatibus est probandum. Ait enim Ambrosius de Officiis libro primo [11]: « Officium omne aut *medium,* aut *perfectum* est. Quod aeque Scripturarum auctoritate probare possumus. Habemus enim in Evangelio, dixisse Dominum: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Non homicidium facies, non adulterabis.* Haec *media* sunt officia, quibus aliquid deest; ideo sequitur: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia bona tua et da pauperibus et veni, sequere me.* Hoc est igitur *perfectum* officium, quod Graeci *catorthoma* vocant, quo corriguntur omnia, quae aliquos potuerunt lapsus habere ». Haec Ambrosius. Ex quibus colligitur, quod medium officium, quod est imperfectum, nullum dicit peccatum, cum consistat in observantia mandatorum. Idem etiam super primam Epistolam ad

Confirmatur auctoritatibus.

Ambrosius.

---

[1] Exod. 25, 40; cfr. Hebr. 8, 5.

[2] Ioan. 1, 16. — Superius pro *non poterant* (ita A B C) edd. *non poterat.*

[3] Cfr. Matth. 14, 26. seqq.; Ioan. 2, 7. seqq.; Matth. 14, 19. seqq. et 17, 2.

[4] Vide Matth. 21, 12. seqq. — De seq. propositione cfr. Matth. 26, 26. seqq. (post *corporis* A B C D omittunt *sui)* et 9, 2. seqq.

[5] Cfr. Ioan. 8, 59. et Marc. 14, 33. seqq. — Superius pro *miseriae* A videtur habere *misericordiae.*

[6] Vide Luc. 2, 51; Matth. 14, 23; Luc. 23, 34. et Ioan. 18, 4. seqq.

[7] Ita codd.; edd. *imitationem.*

[8] E codd. supplevimus *aequalis.*

[9] Num. 3. 6. 7.

[10] Aristot., Praedicam. c. *de Oppositis,* exempla oppositorum referens de contrariis hoc affert: Tanquam *contraria,* ut malum bono.

[11] Cap. 11. n. 36. seq.; cfr. tom. V. pag. 132, nota 6. Alleganlur Matth. 19, 17. seq. et 21.

Corinthios [1]: « A licitis temperare vult fideles, ut non solum innocentes, sed et gloriosi videantur. Concessa enim praeterire virtutis est maximae ». Haec Ambrosius. Si igitur uti licitis est innocentia, concessa praeterire perfectio; constat, quod imperfectio simul cum innocentia stat. Non est ergo peccatum. — Augustinus quoque de Bono coniugali [2]: « Quid dicturi sumus adversus evidentissimam vocem Apostoli dicentis: *Quod vult faciat; non peccat, si nubat;* et: *Si acceperis uxorem, non peccasti, et si nupserit virgo, non peccat?* Hinc certe dubitare fas non est, nuptias non esse peccatum. Non itaque nuptias secundum veniam concedit Apostolus. Nam quis ambigat, absurdissime dici, non eos peccasse, quibus venia datur »? Haec Augustinus. Constat autem, quod nuptiae non stant cum evangelica perfectione, qua eunuchizari docet Christus *propter regnum caelorum* [3]. Igitur imperfectio non requirit veniam, nec est de se aliqua culpa. Idem etiam in eodem libro [4]: « Bonum, inquit, erat quod Martha faciebat, occupata circa ministerium Sanctorum, sed melius quod Maria soror eius. Bonum Susannae in coniugali castitate laudamus, sed tamen ei bonum viduae Annae ac multo magis Mariae Virginis bonum anteponimus. Bonum erat quod faciebant qui de substantia sua Christo et eius discipulis ministrabant; sed melius, qui omnem substantiam dimiserunt, ut Christum Dominum expeditiores sequerentur ». Haec Augustinus. In quibus luculenter ostendit, quod perfectum non differt ab imperfecto, sicut virtuosum a vitioso, sed sicut maius bonum a minus bono. — Hoc ipsum beatus Hieronymus ad Hebidiam [5] dicit expressius: « Vis, ait, esse perfecta et in primo stare fastigio dignitatis, fac quod fecerunt Apostoli »; et post: « Non vis esse perfecta, sed secundum gradum tenere virtutis, dimitte omnia tua, quae habes, da filiis, da propinquis. Nemo te reprehendit, si inferiora secteris, dummodo scias, illam tibi iure praelatam, quae elegerit prima [6] ». Hucusque Hieronymus. Ecce, quam patenter asserit, quod imperfectio, quae est secundi et inferioris status et gradus, non dicit quid reprehensibile nec peccatum. Idem quoque ad Demetriadem [7]: « Prohibentur mala, praecipiuntur bona, conceduntur media, suadentur perfecta. In duobus primis peccatum omne concluditur, reliqua vero in nostra posita sunt potestate, ut aut cum minori gloria utamur concessis ac licitis, aut ob maius praemium ea quae nobis permissa sunt, respuamus ». Haec Hieronymus. — Quid his clarius ad propositum dici potest? Quibus quantumcumque tardus ingenio, nisi fortasse fuerit obcaecatus [8] malitia, ab omni praefati erroris caligine non dubitamus posse purgari, maxime si velit advertere, quod recenter baptizatus, quamquam nondum pervenit ad apicem perfectionis et meriti, nulla tamen est infectus labe peccati.

Augustinus. Hieronym. Epilogus.

Capitulum III.

Primae responsionis tertia particula tertiumque capitulum, in quo evangelicae perfectionis integritas panditur, eiusque status sublimis et gradus multiformis aperitur.

Tria hic consideranda.

1. Quoniam autem pii scriptoris intentio non tam esse debet de falsitatis reprobatione quam de veritatis reseratione sollicita, quatenus erroris tenebrositate depulsa, mentalibus legentium oculis radius verae lucis infulgeat; ideo, perfectionis notificatione falsa et erronea iam improbata, considerandum nobis est, in quo perfectionis evangelicae summa consistat, quidve [9] perfectionis status ad actum imperfectionis adiiciat, tandemque, per quem modum unus status perfectionis alterum in ipsa perfectione transcendat.

Caritatis relatio ad perfectionem. Triplex status caritatis et perfectionis.

2. Sciendum est igitur, quod radix, forma, finis, complementum et *vinculum perfectionis* caritas est, ad quam magister omnium Christus Legem, Prophetas et per consequens universa Dei documenta reducit [10]. Ipsa vero caritas triplicem habet statum: unum quidem *infimum*, in observantia mandatorum legalium; secundum vero *medium*, qui constat in adimpletione spiritualium consiliorum; tertium autem *supremum*, in perfruitione sempiternalium iucunditatum. Ideo triplex est perfectionis differentia in

---

[1] Cap. 7, 29. Notamus, Commentaria in epist. Pauli, quae inter opera Ambrosii continentur, non esse Ambrosii, sed, ut critici volunt, Hilarii Diaconi.

[2] Cap. 10. n. 11. Allegantur 1. Cor. 7, 36. et 28: Si autem acceperis etc. Cfr. supra pag. 241, nota 3. et 4.

[3] Matth. 19, 12.

[4] Cap. 8. n. 8. Respiciuntur Luc. 10, 40: Martha autem satagebat circa frequens ministerium; et v. 39: Maria, quae etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius; subinde Dan. 13, 22. seqq.; Luc. 2, 36. seq. (de Anna) et 1, 27. (de Maria); Luc. 8, 2. seq. (de mulieribus ministrantibus Iesu) et 5, 11: Relictis omnibus, secuti sunt eum.

[5] Epist. 120. (alias 150.) c. 1.

[6] Scilicet: vendere omnia, dare pauperibus et sequi Salvatorem (Matth. 19, 21.).

[7] Epist. 1. in Appendice, c. 9. Post *suadentur perfecta* textus originalis plura addit. Haec epistola non est Hieronymi, sed Pelagii; cfr. supra pag. 116, nota 8.

[8] Edd. *tardum ingenium, nisi fortasse fuerit excaecatum.*

[9] Codd. C D F G *quid verae*, B *qui verae;* edd. hanc propositionem omittunt.

[10] Matth. 22, 40. Col. 3, 14: Super omnia autem haec caritatem habete, quod est vinculum perfectionis.

Primus. Scriptura sacra descripta: una quidem *necessitatis*, de qua in Deuteronomio[1]: *Perfectus eris et absque macula coram Domino Deo tuo;* Glossa: « *Absque macula* criminali ». Et de hac Prosper de Vita contemplativa[2]: « Perfecti sunt qui volendo quod Deus vult nullis peccatis, quibus offenditur, acquiescunt ». — Secunda est perfectio *supererogationis*, de qua in Matthaeo[3]: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus.* De hac Hieronymus ad Heliodorum: « Perfectus servus Christi nihil praeter Christum habet, aut si praeter ipsum aliquid habet, perfectus non est ». — Tertia perfectio est *ultimatae plenitudinis*, de qua Sapiens in Proverbiis[4]: *Iustorum semita quasi lux splendens crescit et procedit usque ad perfectam diem*, id est divinae visionis fulgidam claritatem. Et de hac Augustinus primo Soliloquiorum: « Vere, perfecta virtus est ratio perveniens usque ad finem, quem beata vita consequitur ».

...cundus. Tertius.

3. Prima igitur et secunda perfectio a tertia differunt, sicut meritum differt a praemio[5]. Media quoque differt a prima, sicut distinguitur consilium a praecepto. Omnia vero, tam praecepta quam consilia, referuntur ad caritatis illius impletionem et observantiam, quam sic describit Apostolus ad Timotheum[6]: *Caritas est finis praecepti de corde puro, conscientia bona et fide non ficta*, insinuans triplicem actum caritatis, videlicet *declinare mala, prosequi bona* et *patienter ferre adversa*. Nam propter declinationem malorum dicitur *de corde puro;* propter prosecutionem bonorum, *de conscientia bona;* propter tolerantiam adversorum, *de fide non ficta;* Glossa[7]: « Id est non fictili vel fragili, sed contra adversa forti ».

...lex actus ...ritatis.

4. Quia vero hic triplex caritatis actus duobus modis ab habitu virtutis egreditur, vel secundum *legem praecepti* et obligationis necessariae et universalis, vel secundum *legem consilii* et obligationis spontaneae et specialis, et sequens includit primum et superaddit, quantum possibilitas viatoris admittit: hinc est, quod secundum cum primo dicitur *perfectum*, primum vero absque secundo, quamquam sit quodam modo perfectum, respectu tamen secundi dicitur *imperfectum*, sicut dicit Ambrosius in libro de Officiis, in auctoritate capitulo praecedenti[8] proposita. Cum igitur de perfectione evangelica loquimur secundum communem acceptionem, de hac media intelligimus. Et istiusmodi perfectionis notificationem ex praecedentibus colligere possumus, videlicet quod ipsa sit conformitas viatoris ad Christum per illum virtutis habitum, quo supererogative declinantur mala, efficiuntur bona et perferuntur adversa. In his namque tribus tres partes evangelicae perfectionis consistunt.

...i duplici ...o ab ha... virtutis ...ditur.

Vera perfectionis notificatio.

5. Porro, cum ex *conversione inordinata* ad triplex bonum commutabile, scilicet *exterius, interius* et *inferius*, omne peccatum trahat originem, secundum concupiscentiam oculorum, superbiam vitae et concupiscentiam carnis[9]; et haec tria vitari habeant non solum quantum ad actum et *consensum*, quod fit per virtutes illis oppositas, verum etiam quantum ad *occasionem*, et hoc quidem sit promotivum in merito et expediens ad salutem perfectionis: magister Christus ad perfecte declinandum *concupiscentiam oculorum* consulit, quod haec omnia temporalia relinquantur, secundum illud Matthaei[10]: *Si vis perfectus esse* etc. Ad perfecte declinandum *superbiam vitae* suadet, quod voluntas propria abnegetur, iuxta illud Matthaei: *Qui vult venire post me abneget semetipsum.* Ad perfecte declinandum *concupiscentiam carnis* edocet, quod omnis experientia secundum actum generativae potentiae abscindatur, sic inquiens in Matthaeo: *Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum caelorum; qui potest capere capiat.* — In hac igitur triplici supererogativa declinatione triformis originis omnis mali primam partem evangelicae perfectionis consistere, et sacra Scriptura insinuat, et veri doctores astruunt, et sancti Patres religionum institutores affirmant.

Primo, triplex malum declinandum.

Notandum.

6. Secunda vero perfectionis pars consistit in supererogativa *prosecutione bonorum*, quae secundum duplicem vitam, scilicet *activam* et *contemplativam*,

Secundo, bona duplicia prosequenda.

---

[1] Cap. 18, 13, ubi pro *coram* Vulgata *cum*, Septuaginta autem omittit *et absque macula*. Glossa in hunc locum est apud Lyranum *interlinearis*.

[2] Libr. III. c. 15. n. 4: Sic ergo possunt in hac vita illi esse perfecti, qui perfecte diligunt Deum; et illi perfecte Deum diligunt, qui volendo quod vult Deus, et nolendo quod non vult, nec ullis peccatis etc. (Cfr. supra pag. 112, nota 7.).

[3] Cap. 19, 21. — Sententia Hieron. habetur in Epist. 14. (alias 1.) n. 6.

[4] Cap. 4, 18. — De definitione perfectae virtutis ex August., I. Soliloq. c. 6. n. 13, cfr. supra pag. 240, nota 7.

[5] Sicut etiam differt gratia a gloria; cfr. Bonav., II. Sent. d. 27. a. 1. q. 3.

[6] Epist. I. c. 1, 5. Cfr. August., I. de Doctr. christiana, c. 40. n. 44. et Enarrat. II. in Ps. 31. n. 5. seq., ubi etiam dicit: Quid enim facit dilectio? *Declina a malo et fac bonum* [Ps. 36, 27.]. — In cod. E omittuntur quae sequuntur usque ad n. 14. Sed idem cod. tum supra tum infra non pauca omittit et etiam quandoque *Glossas*, ut dicit, adiungit.

[7] Scilicet *interlinearis* apud Lyranum; cfr. etiam Petr. Lombard. in hunc locum. Glossa *ordinaria*: *Et fide non ficta*, vel non fictili et fragili, vel in qua non quisque sibi quodlibet fingit, sed catholica dumtaxat.

[8] Num. 15. — Inferius pro *de hac media* (ita A B C D E F) edd. *de hac materia;* cfr. supra n. 2.

[9] Epist. I. Ioan. 2, 16: Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitae. Cfr. Bonav., Comment. in Luc. c. 4. n. 93. August., II. de Lib. Arb. c. 19. n. 53: Voluntas autem aversa ab incommutabili et communi bono et conversa ad proprium bonum aut ad exterius aut ad inferius peccat. Ad *proprium* convertitur, cum suae potestatis vult esse; ad *exterius*, cum aliorum propria vel quaecumque ad se non pertinent cognoscere studet; ad *inferius*, cum voluptatem corporis diligit etc. Cfr. Bonav., Comment. in Luc. c. 4. n. 8. et c. 8. n. 20.

[10] Cap. 19, 21. — Duo seqq. loci sunt Matth. 16, 24. et 19, 12.

in duobus consistit, videlicet in *condescensione* ad proximum et in *sursumactione mentis in Deum.* Consistit autem supererogativa *condescensio caritatis* ad proximum in hoc, ut secundum legem iustitiae et misericordiae amoris signa et beneficia non solum ad amicos, verum etiam ad inimicos benignitate largiflua protendantur, secundum illud Matthaei [1]: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos;* et post: *Estote perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est.* Per hunc etiam modum supererogativa *sursumactio mentis in Deum* in hoc attenditur, ut secundum legem mentalis munditiae ac pacis per amorem ecstaticum in divinos splendores et ardores sacrum mens devota sentiat et patiatur excessum, iuxta illud Apostoli ad Corinthios [2]: *Sive mente excedimus, Deo, sive sobrii sumus, vobis;* et ad Hebraeos: *Perfectorum est solidus cibus.*

Tertio, adversa perfecte perferenda.

7. Tertia denique perfectionis evangelicae portio consistit in supererogativa *perpessione adversi.* Quae quidem attenditur non solum in hoc, ut quis patienter adversa perferat, cum sic supervenerint, quod secundum legem Dei declinari non possunt, quoniam ad hoc omnes tenentur; verum etiam, ut ex fervore divini amoris magno desiderio illa praeoptet et cum gaudio magno sustineat, secundum illud Iacobi [3]: *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis;* et post: *Patientia opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes.* Hic namque est consummatio perfectionis et caritatis, iuxta illud primae Ioannis: *Perfecta caritas foras mittit timorem.*

Figura perfectionis. Christus exemplar.

8. Secundum hoc igitur arca spiritualis perfectionis, cum sit inferius tricamerata et bicamerata in medio, in cubito consummatur [4]. Hoc sane perfectionis arcanum Salvator noster exemplo monstravit in se ipso tanquam in monte sublimi, qui totius est perfectionis splendor, speculum et exemplar, iuxta quod ipse testatur in Luca [5]: *Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius.* Et ideo in huius designationem, cum hanc Apostolos docere voluit, in montem conscendit, non turbas imperfectas alloquens, sed discipulos suos, quos ad perfectionis culmen exaltare decreverat. Et propterea sex praefata eo quo dictum est [6] ordine docet. Nam primo dicens: *Beati pauperes spiritu,* invitat ad perfectam abdicationem temporalium possessionum. Secundo addens: *Beati mites,* inducit ad abnegationem propriarum voluntatum et sensuum, quibus quis immitis et protervus efficitur. Tertio subdens: *Beati, qui lugent,* incitat ad fugam perfectam carnalium voluptatum. Dehinc subiungens: *Beati, qui esuriunt et sitiunt iustitiam;* et: *Beati misericordes,* attrahit ad iustam et piam et condescensivam proximorum supportationem. Post haec superaddens: *Beati mundo corde;* et: *Beati pacifici,* allicit ad sursumactionem limpidam in intellectu et tranquillam sive pacificam in affectu, quibus anima perfecti viri Ierusalem conformis efficitur, quae *visio pacis* interpretatur [7]. Tandem concludens: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum,* quasi circulum faciens reddit ad principium, quia in hoc uno summa completur universorum, ac per hoc senaria perfectio minoris mundi in *esse* reparationis et gratiae directe correspondet senariae productioni mundialis machinae in *esse* naturae [8].

Chris[ti] doctrina [in] monte.

Notand[um].

Haec m[odo] determi[na]tur.

9. Unde sicut illorum tria prima pertinent ad *distinctionem,* tria sequentia ad *ornatum* [9], sic etiam in his tria prima quasi distinguendo separant animae vires ab universitate malorum, ut habeant *esse purum* atque distinctum; tria sequentia quasi adornando easdem reducunt in Deum, ut habeant *esse decorum* atque perfectum. Porro tanta, si descendatur ad singula, et tam mira est correspondentia ordinis tantaeque similitudinis symbolum, ut illud quod post sex dierum opera dicitur [10]: *Igitur perfecti sunt caeli et terra et omnis ornatus eorum,* in anima viri perfecti videatur esse completum. Propter quod instar trium primorum operum, quae sunt mundi *fundamenta,* et trium sequentium, quae sunt *complementa,* tria prima ex his cadunt sub voto, tria vero sequentia sub desiderio.

Confirma[tur] regula S. Franc[isci].

10. In cuius rei testimonium beatus pauperum patriarcha Franciscus in principio regulae suae tria

---

[1] Cap. 5, 44. et 48.

[2] Epist. II. c. 5, 13. et Hebr. 5, 14. — Superius pro *sacrum* (scil. excessum; ita A B G) E *sacrum aliquod*, edd. *sacra.*

[3] Cap. 1, 2. et 4, post quos I. Ioan. 4, 18. — Superius pro *cum sic supervenerint, quod* (ita A B C D E) edd. *cum sibi supervenerint quae.*

[4] Respicitur Gen. 6, 16: « In cubito consummabis summitatem eius [arcae]... deorsum coenacula et tristega facies in ea ». Septuaginta: « In cubito consummabis eam desuper... inferiora bicamerata et tricamerata facies eam ». Ita etiam Origen., Homil. 2. in Gen.; August., Qq. in Gen. 9, 6. et XV. de Civ. Dei, c. 26. n. 2; cfr. Petr. Comestor, Histor. scholast. Gen. c. 32. Vide etiam tom. V. pag. 258, notam 2.

[5] Cap. 6, 40. — Matth. 5, 1. seqq.: Videns autem Iesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, et aperiens os suum docebat eos dicens: Beati pauperes etc. Ibid. habentur beatitudines, quae mox adducuntur. Cfr. Bonav., Comment. in Luc. c. 6. n. 62. — Superius voci *monstravit* ex B C D E praefiximus *exemplo.*

[6] Num. 5-7. De seqq. locis ex Matthaeo cfr. nota praecedens.

[7] Vide Hieron., Epist. 46. (alias 17.) n. 3, cuius verba tom. VII. pag. 42, nota 6. allegavimus.

[8] Respicitur Gen. 1, 3. seqq. Cfr. Bonav., II. Sent. d. 12. a. 1. q. 2. in corp. et Itiner. mentis in Deum, c. 1. n. 5. August., I. de Serm. Domini in monte, c. 4. n. 12: Haec octava sententia, quae ad caput redit perfectumque hominem declarat etc.

[9] Petr. Comestor, Histor. scholast. Gen. c. 1: Sub operibus sex dierum explicat [creationem mundi] Scriptura, insinuans tria: creationem, dispositionem et ornatum. In primo die creationem et quandam dispositionem; in secundo et tertio dispositionem; in reliquis tribus ornatum. — Inferius bis pro *habeant* A C D *habeat.*

[10] Gen. 2, 1.

prima proponit ut *vovenda* tanquam fundamenta, dicens [1]: « Regula et vita Minorum Fratrum haec est, scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate ». Alia vero tria postmodum ut *desideranda* commendat tanquam complementa, dicens: « Attendant fratres, quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini et sanctam eius operationem, orare semper ad Deum puro corde, et habere humilitatem et patientiam in persecutione et infirmitate, et diligere eos qui nos persequuntur et reprehendunt et arguunt »; ubi illa tria tangit. Nam praemittit *sursumactionem in Deum*, subiungit ultimo *condescensionem ad proximum*, interponit in medio *tolerantiam adversorum*. Igitur in tribus primis vir perfectus crucifigitur mundo [2], tribus sequentibus conformis efficitur Deo, ut quasi sex alis seraphicis a mundialibus elevetur et in divina feratur. Digne proinde huic pauperculo sacro, qui perfectionem Evangelii perfecte servavit et docuit, in apparitione seraphica stigmata sua tanquam sigillum approbativum Christus impressit [3], ut contra finalium temporum periculosam caliginem manifestum nobis in via perfectionis ostenderet signum, quo reduceremur in Christum perfectae virtutis exemplar et finem ac per hoc doceremur ad perfectionem attingere, si tamen discamus *non alta sapere, sed humilibus consentire* [4].

11. Cum autem perfectio evangelica, circa quam nunc sermo versatur, in his quae sunt supererogationis, sit in praecedentibus [5] monstrata consistere, ea vero, quae supererogationis sunt, non solum respiciant dona charismatum, verum etiam exercitia virtutum; manifeste colligitur, quod hujusmodi perfectio non sine virtuosorum habituum exercitatione possidetur. Huiusmodi autem exercitia virtutum supererogantium aut fiunt ex *mera voluntate*, absque obligatione, et tunc quandam dicunt perfectionem actionis et meriti; aut cum voluntate dicunt obligationem quandam superinductam ex *voto emisso*, vel ex *officio iniuncto*, et tunc dicunt perfectionem status et ordinis, in quo videlicet quis actibus perfectis non solum est deditus, verum etiam ad actus perfectionis astrictus; et haec quidem astrictio de perfectione non minuit, sed potius culmen superinducit, quia de temporali facit aeternum, dum non licet resilire a voto, et de nostro facit divinum, dum, non solum actum, sed et voluntatem dedicans Deo, totum illi offert et redigit sub iure divino, dumque propriam sacrificat voluntatem, quae est impretiabile bonum et maxime carum et intimum, offert Deo sacrificium medullatum [6], ac per hoc perfectum et integrum et optimo Deo summe acceptum.

[Margin: ...mirantur ...exercitia virtutum. / ...c fiunt ...liciter. / ...andum.]

12. Unde Augustinus, tractans illud Psalmi [7]: *Sicut iuravit Domino, votum vovit Deo Iacob*, ait sic: « Quid vovemus Deo, nisi ut simus templum Dei? Nihil enim gratius possumus ei offerre, quam ut dicamus ei quod dicitur in Isaia: *Posside nos* ». Haec Augustinus. Si igitur perfectius possidet qui possidet quoad usum et proprietatem, quam qui quoad usum tantum; perfectius se Deo dedicat qui Deo se offert et quoad usum operis et quoad arbitrium voluntatis. — Quemadmodum Anselmus in libro de Similitudinibus [8] per exemplum sensibile patenter ostendit in duobus, quorum unus pro tempore offert Domino arboris *fructum*, sed retinet *proprietatem;* alter vero largitur *utrumque;* et huius secundi donum et oblationem tanquam liberalius offerentis dicit non immerito debere praeferri; ac per hoc, iuxta huiusmodi similitudinem, opus voventis opere non voventis Deo acceptabilius esse confirmat, pro eo videlicet, quod sic introducta in voluntate ex mera liberalitate [9] necessitas gratiositatem obsequii non diminuit, sed consummat. Idem quoque scribens episcopo Parisiensi [10] et eum redarguens, quod quendam clericum de monasterio sancti Martini de Campis extraxerat, ait sic: « Si omnia agenda sunt cum consilio, cuius magis consilio, quam eius qui *admirabilis consiliarius, Deus fortis* dicitur? Ipse quippe consulit ad perfectionem nitentibus, ut omnia relinquant et se sequantur. Hoc consilium magis in monastico quam in alio vitae proposito impleri sancti Patres intellexerunt ».

[Margin: Augustinus. / Anselmus.]

13. Hoc ipsum Gregorius in Registro [11], scribens Desiderio episcopo pro clerico volente Religionem intrare, dicit: « Minime ei sit impedimento vestra fraternitas, magis autem pastorali admonitione succendite, ut fervor huius desiderii in eo non tepescat;

[Margin: Gregorius.]

---

[1] Cap. I. et deinde c. 10: Attendant etc., in cuius fine respicitur Matth. 5, 44: Diligite inimicos vestros... et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.

[2] Gal. 6, 14: Per quem [Christum] mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Subinde respicitur Isai. 6, 2: Seraphim stabant super illud, *sex alae* uni etc. Cfr. Itiner. mentis in Deum, Prolog. n. 2. seq. et c. 1. n. 5.

[3] Cfr. tom. V. pag. 295, nota 6.

[4] Rom. 12, 16: Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. — Cod. E n. 11-14. omittit.

[5] Num. 4. seqq.

[6] Psalm. 65, 15: Holocausta medullata offeram tibi. — Subinde pro *et optimo* (ita B C D G) edd. *et optimum.*

[7] Psalm. 131, 2. n. 3. In fine allegatur Isai. 26, 13. iuxta Septuaginta: Domine Deus noster, *posside nos*, Domine, extra te alium nescimus (Vulgata: Domine Deus noster, possederunt nos domini absque te).

[8] Cap. 34. Liber iste non est Anselmi, sed Eadmari, discipuli Anselmi.

[9] Ita B C D; edd. *libertate.*

[10] Goffrido; III. Epist. epist. 12, in qua allegatur Isai. 9, 6. et respicitur Matth. 19, 21: Si vis perfectus esse, vade, vende etc. Post *dicitur* textus originalis plura addit. In eadem epist. mentio fit sententiae Gregorii et concilii Toletani inferius n. 14. et 14. allegatae.

[11] Libr. XII. Epist. epist. 35. (alias 39.). Pro *saecularium turbarum* textus originalis *curarum saecularium.*

ut qui a turbulento saecularium turbarum tumultu se segregans, quietis desiderio monasterii portum appetit, rursus ecclesiasticarum curarum non debeat tumultibus implicari, sed in Dei laudibus secure permittatur liber ab his omnibus, ut postulat, remanere ». — Bernardus quoque in libro de Dispensatione et praecepto [1]: « Audire, inquit, vultis a me, unde inter cetera poenitentiae instituta monasterialis disciplina meruerit hanc praerogativam, ut secundum baptisma nuncupetur. Arbitror ob perfectam mundi abrenuntiationem ac singularem excellentiam vitae spiritualis, qua praeeminens universis vitae humanae generibus huiusmodi conversatio professores et amatores suos Angelis similes, dissimiles hominibus facit, immo divinam in homine reformat imaginem, configurans Christo instar baptismi, dum per id, quod *mortificamus membra nostra, quae sunt super terram,* rursum *Christum induimus, complantati similitudini mortis eius* ». — Idem etiam astruit Glossa super trigesimum Numerorum [2], dicens: « Alii vovent vitulos, alii arietes vel domos, Nazaraeus semetipsum. Hoc est enim votum Nazaraei, quod est super omne votum. Filius enim vel filia, aut pecus, aut praedium extra nos est; semetipsum Deo offerre nec alieno labore, sed proprio placere perfectius et eminentius est omnibus votis ».

Bernardus. Glossa.

14. Ex his omnibus aperte clarescit, quod Religionis votum in statu perfectionis collocat, tanquam adminiculans ad perfectae virtutis exercitium, custoditionem et complementum. Quod intelligentes, Patres in quarto concilio Toletano [3] statuerunt, quod liber sit clericis ad Religionem ingressus, dicentes sic: « Placuit, clericos monachorum propositum appetentes, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos esse debere ab episcopis, ad monasteriorum ingressus ». — Hoc autem, quia non solum auctoritatibus probari potest, sed etiam innumeris [4] Sanctorum exemplis, qui de clericali statu ad religionem transierunt, adeo certum est, ut, si quis contraire voluerit, non minus videatur desipere quam errare.

Religionis votum ponit in statu perfectionis.

15. Si quis autem, errore deceptus, praefatis conetur obsistere asserendo, quod perfectius sit remanere in saeculo, quia « circa magis difficile virtus consistit [5] », et difficilius est inter multimodas peccandi occasiones peccata vitare, et mirabilius est, hominem in medio flammarum non uri, et victoriosius est inter numerosiores hostium acies et frequentiores insultus et maiora bellorum discrimina de hostibus triumphare; respondebimus, non ideo statum maioris esse virtutis, quia minoris [6] est securitatis, nec ideo statum aliquem perfectioris esse iustitiae, quia proximior est ruinae, nec etiam ideo magis esse perfectum, quia difficilius in ipso contingit vitare peccatum. — Est enim triplex difficultas: quaedam proveniens ex *arduitate et nobilitate generis operis,* sicut omni se castrare concubitu, omni abrenuntiare possessioni et omnino se alienae propter Deum voluntati subiicere. Et haec absque dubio meritum auget, iuxta illud Matthaei [7]: *Intrate per angustam portam;* ubi Glossa: « Satis angustum est omnia praetermittere, unum solum diligere, unum quaerere, ad unum quotidie pulsare, prospera non ambire, adversa non timere ». In his consistit difficultas ratione generis operis, maiorque difficultatis angustia reperitur in via divini *consilii,* quam pauciores inveniunt [8], quam in via divini *praecepti,* per quam omnes iusti gradiuntur. Unde Hieronymus ad Rusticum monachum [9]: « Si perfecta sequi desideras, *exi* cum Abraham *de patria et de cognatione tua* et perge, quo nescis. Si habes substantiam, *vende et da pauperibus;* si non habes, grandi onere liberatus es. Nudum Christum nudus sequere. Durum, grande et difficile, sed magna sunt praemia ».

Obiicitur. Respondetur. Triplex difficultas. De prima.

16. Est et alia difficultas, veniens ex *vitiositate personae* [10] *agentis,* sicut homini avaro difficilius est dare minuta quam largo maiora, et superbo se alteri subdere et guloso ieiunare et assueto voluptatibus carnis difficilius continere. Et hoc non auget meritum, sed miseriam. Unde Hieronymus ad Eustochium [11]: « Soror tua Blesilla aetate maior, sed proposito minor, post acceptum maritum septimo mense viduata est. O infelix humana conditio et futuri nescia! Nam et virginitatis coronam et nuptiarum perdidit voluptatem. Et quamquam secundum pudicitiae gradum teneat [12], quas illam per momenta sustinere aestimas cruces, spectantem quotidie in sorore quod ipsa perdidit, et cum difficilius experta careat voluptate, minorem continentiae habere mercedem » ?

De secunda.

17. Est et tertia difficultas ex *circumstantiis extrinsecus annexis* trahens originem, sicut difficilius est abstinere, cum apponuntur delicata cibaria, difficilius temporalia bona contemnere, quando offeruntur

De tertia.

---

[1] Cap. 17. n. 54. Pro *dum per id, quod* textus originalis *Et quasi denique secundo baptizamur, cum per hoc quod.* Allegantur Col. 3, 5: Mortificate ergo membra vestra etc.; Gal. 3, 27: Quicumque enim in Christo baptizati estis, *Christum induistis;* Rom. 6, 5: Si enim complantati facti sumus etc.

[2] Vers. 3. Glossa est *ordinaria* ex Origene, Homil. 24. in Num. n. 2. De *voto Nazaraei* cfr. Num. 6, 2. seqq.

[3] Anno 633; c. 50: Clerici, qui monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab episcopo in monasteriis largiri oportet ingressus etc. Cfr. Gratian., C. *Clerici, qui,* Caus. 19. q. 1. Textus, quem fide edd. et codd. exhibemus, corruptionem sapit. — Superius ex B C D E G supplevimus *custoditionem et complementum.*

[4] Ita B C D G; edd. *universis.*

[5] Aristot., II. Ethic. c. 3: Circa id quod difficilius est, semper et ars et virtus versatur.

[6] Cod. C D et ed. 1 *minoris esse virtutis, quia maioris.*

[7] Cap. 7, 13. Glossa, quae est *ordinaria,* exhibetur a Strabo et Lyrano pro v. 14.

[8] Respicitur Matth. 7, 14: Quam angusta porta et arcta via est... et pauci sunt, qui inveniunt eam!

[9] Epist. 125. (alias 4.) n. 20. Allegantur Gen. 12, 1. (cfr. Act. 7, 3.) et Matth. 19, 21.

[10] Ita codd.; edd. *per se.*

[11] Epist. 22. n. 15.

[12] Textus originalis addit *viduitas, tamen.*

magna et pulcra, difficilius continere in consortio feminarum. Et haec difficultas per accidens et indirecte auget aliquando meritum, cum virtus inter haec illaesa triumphat; sed directe et quantum est de se, magis est via ad ruinam, et ideo fugienda. Unde super illud Matthaei [1]: *Dives difficile intrabit in regnum caelorum,* dicit Rabanus: « Non, ait, impossibile, sed *difficile,* hoc est maximi laboris, esse, pecunias habentes et in pecuniis confidentes, exutis philargyriae retinaculis, aulam regni caelestis intrare ». Nec tamen ex hoc inferri potest, quod divites sint pauperibus perfectiores, cum Dominus adolescenti diviti consilium dederit, ut pauper fieret, si vellet esse perfectus [2]. Expedit igitur ad perfectionem virtutis et meriti difficultatem huiusmodi non amplecti, sed fugere. — Unde et Augustinus de Singularitate clericorum [3]: « Lubrica spes est, quae inter fomenta peccati salvare se sperat; incerta victoria inter hostilia arma pugnare, et impossibilis liberatio flammis circumdari nec ardere ». Haec Augustinus. — Cui et consonat Hieronymus contra Vigilantium [4], qui statum saecularem statui religionis praeferre conabatur. « Cur, inquis, pergis ad eremum? Videlicet ut te non audiam, non videam, ut tuo furore non movear, ut tua bella non patiar, ne me capiat oculus meretricis, ne me forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. — Respondebis: Hoc non est pugnare, sed fugere. Sta in acie, adversariis armatus obsiste, ut postquam viceris, coroneris. — Fateor imbecillitalitem meam, nolo spe pugnare victoriae, ne perdam quando victoriam. Si fugero, gladium devitavi; si stetero, aut vincendum est mihi, aut cadendum. Quid necesse est certa dimittere et incerta sectari? Nulla securitas est vicino serpente dormire. Potest fieri, ut me non mordeat, et tamen potest fieri, ut aliquando me mordeat. Quod de libidine diximus, referamus ad avaritiam et ad omnia vitia, quae vitantur solitudine. Et ideo urbium frequentias declinamus, ne facere compellamur quae nos non tam natura cogit facere quam voluptas ». Haec Hieronymus. Quibus error confutatur Vigilantii suorumque sequacium, eorum videlicet, qui statum saecularem quantum ad perfectionis gradum statui Religionis vel praeferre, vel aequare conantur. Adversus quos et paulo ante [5] praemittit: « Quod autem asserit Vigilantius, eos melius facere, qui utuntur rebus suis et paulatim fructus possessionum suarum pauperibus dividunt, quam illos qui, possessionibus venundatis, semel omnia largiuntur, non a me sibi, sed a Domino respondebitur: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae tu habes, et da pauperibus.* Ad eum loquitur, qui vult esse perfectus, qui cum Apostolis patrem, naviculam et rete dimittit. Iste quem tu laudas, secundus aut tertius gradus est, quem et nos recipimus, dummodo sciamus prima secundis et tertiis praeferenda ».

(Margin: Rabanus. — Augustinus. — Hieronymus. — Hieronymus.)

18. Denique de comparatione perfectionis ad perfectionem secundum praeeminentiae rationem patenter elucet, quod aliquis perfectionis modus et status sit eminentior altero. Cum enim se ipsum castrare *propter regnum caelorum* [6] per votum continentiae perfectum sit, certum est, quod perfectiori modo fit illud per virginalem continentiam, quae fructui comparatur centesimo, quam per vidualem, quae per sexagesimum in evangelica parabola designatur. Non est ergo contra perfectionis naturam, quod de aliquibus duobus, quae recte dicuntur perfecta, in *statu viae* unum dicatur perfectius altero, quia et in *statu patriae,* ubi ad ultimatam perfectionem beatificati perveniunt, unus alteri secundum apostolicam doctrinam [7] praeponitur, instar caelestium luminum differentium claritate.

(Margin: Modi et status perfectionis gradu differunt.)

19. Attendendum est igitur, quod cum comparamus perfectionem perfectioni, potest hoc esse in *eodem genere,* vel in *diverso.* Nam, sicut ex praecedentibus [8] liquet, perfectio supererogationis quaedam existit in *exercitio virtutis,* quaedam in *voto religionis,* quaedam in *officio praelationis.* — Facta ergo comparatione ad *consimilem* perfectionis modum, primo secundum *exercitium perfectae* [9] *virtutis* illa perfectio est eminentior, in qua *radix caritatis* est pinguior et *sublimitas operationis* excelsior et *fraternae aedificationis fructus* uberior. Quamquam enim totius huius perfectionis origo sit caritas, multum tamen facit ad eius complementum *ipsa operatio,* Gregorio attestante, qui ait [10]: « De

(Margin: Comparatio fieri potest dupliciter. — Comparantur gradus perfectionis in eodem genere primo quoad exercitium virtutis, de quo tria.)

---

[1] Cap. 19, 23. Sententia Rabani habetur VI. Comment. in Matth. 19, 23, ex Beda, III. in Marc. 10, 24. Cfr. Hieron., III. in Matth. 19, 23.

[2] Matth. 19, 21: Si vis esse perfectus, vade, vende etc.

[3] Vide Opera Cypriani ed. Migne, Patrol. Lat. tom. 4. col. 835, ubi hic tractatus dicitur « Cypriano perperam adscriptus, nec non *Augustino* et Origeni iuxta quosdam »; et in nota adiecta profertur: « Videtur circa Bedae popularis nostri tempora, quando de coelibatu clericorum maxime fervebat, praesertim in occidente, controversia, conscriptus liber » etc. Sententia allegata habetur ibid. col. 837, ubi pro *salvare* (ita A B C D G) textus originalis (cui concordant Vat. et edd. 1, 2) *salvari.*

[4] Num. 17: Cur, inquies [cod. C *inquis*, quem secuti sumus; Vat. *inquit*], pergis etc. Textus originalis hinc inde plura interserit et in fine pro *voluptas* substituit *voluntas.*

[5] Num. 15. Allegatur Matth. 19, 21. et respicitur Matth. 4, 22: Illi autem statim, relictis retibus et patre, secuti sunt eum; cfr. ibid. v. 20; Marc. 1, 18. et 20. In fine cum textu originali et ed. 2 substituimus *recipimus* pro *praecipimus*, quod habent Vat. et ed. 1, A B C D F omittunt *quem et nos recipimus.*

[6] Matth. 19, 12. — Subinde respicitur Matth. 13, 8. et 23. parabola seminantis de fructu *centesimo* et *sexagesimo;* cfr. supra pag. 196, nota 3.

[7] Epist. I. Cor. 15, 41. seq.: Alia claritas solis, alia claritas lunae et alia claritas stellarum etc. Cfr. supra pag. 213, nota 11. et 12. — Superius pro *ultimatam* (ita B C D G) edd. *ultimam.*

[8] Num. 11.

[9] Fide A B C D G supplevimus *perfectae;* cfr. supra pag. 240, nota 7. et pag. 245, nota 4.

[10] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 2.

dilectione Conditoris lingua, mens et vita requiratur. Nunquam est Dei amor otiosus, operatur enim magna, si est; si autem operari renuit, amor non est ». Multum etiam facit *genus et nobilitas operis*, quia, sicut clarum est, aureolae praemium non debetur habitui virtutis intrinseco, sed operi privilegiato, utpote praedicationi, martyrio et virginitati [1]. Multum etiam facit *aedificatio proximi*, cum Dominus dicat viris perfectis [2]: *Vos estis lux mundi. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.*

Secundo, quoad votum.

20. Similiter quantum ad *votum Religionis* illius est professio [3] perfectior, in qua vovetur et paupertas altior et obedientia universalior et forma castitatis honestior. Nam ista tria, sicut expresse patet, et gradus habent et minus et maius recipiunt, ac per hoc tanto in maioris perfectionis statu constituunt [4], quanto voventur sublimius, potissime, si haec regularium observantiarum instituta comitentur, quibus *austerius castigetur corpus, fructuosius aedificetur proximus* ac *reverentius colatur Deus.* — Consistit autem *castigatio corporis* in arctitudine vestium, victualium et verborum, cum austeritate laborum, vigiliarum et aliarum corporalium afflictionum; *aedificatio* vero *proximi*, in exhibendis exemplis virtutum, documentis Scripturarum, remediis Sacramentorum, praesidiis [5] regiminum, iudiciis iustitiarum et beneficiis miserationum; *cultus* autem *Dei,* in reverenti ac vigili frequentatione psalmorum, hymnorum, canticorum spiritualium, adorationum, Missarum et aliarum devotarum orationum. — Haec autem omnia simul reperire in aliquo uno statu Religionis praecellentius quam in aliis, valde difficile et fortassis impossibile videbitur diligenter consideranti. Et ideo, quamvis unus Religionis status alterum praecellat in votis substantialibus, non tamen praeferri potest in omnibus, cum quilibet status aliquid praerogativae specialis obtineat, quo sancta mater nostra et Christi sponsa Ecclesia tanquam *in vestitu deaurato circumdata varietate* [6] decoratur et deiformis efficitur.

Tria attendenda.

Notandum.

Tertio, quoad exercitium praelationis. Item, tria attendenda.

21. Per hunc etiam modum secundum *officium praelationis* excellentior est perfectio, in quo *eminentior confertur sublimitas ordinis,* ad purgandum scilicet, illuminandum et perficiendum [7], *onerosior imponitur sarcina laboris* in pascendo commissum gregem exemplo, verbo et temporali subsidio, *uberior* etiam *comitatur fructuositas salutis* et in eo qui praesidet, et in eis qui subsunt, et in ceteris, ad quos praesidentis exempla perveniunt. Requiritur igitur huius perfectionis eminentior sublimitas, ut praelatus Ecclesiae, quanto sublimius praeest, tanto sanctius vivat et sollicitius invigilet et fructuosius gregem pascat.

Comparatio graduum in diverso genere fit dupliciter.

22. Si autem comparatio fiat perfectionis ad perfectionem in *genere diverso* quantum ad modum et statum, dupliciter potest intelligi: vel *praesuppositorie*, vel *praecise.* Si *praesuppositorie*, sic absque dubio maior est perfectio, quae attenditur secundum *exercitium virtutis, votum religionis* et *officium praelationis*, quam altero modo tantum. — Sed si *praecise* comparemus perfectionem *Religionis* aut *praelationis* ad perfectionem *virtutis;* nulla prorsus est comparatio in *vero esse* perfectionis [8]. Nam *votum religionis* sine exercitatione perfectae virtutis non est perfectio, sed perversio, non perfectionis sublimitas, sed simulatio sanctitatis. *Officium* vero *praelationis* sine culmine virtutis et meritis non est vera sublimatio, sed deiectio, non gloriosa excellentia, sed periculosa ruina, pro eo quod *potentes potenter tormenta patientur, et iudicium durissimum his qui praesunt, fiet* [9]. — Cum autem perfectio status sive ratione voti, sive ratione officii sine perfectione meriti pro modico habenda sit; perfectio vero meriti obtineri non possit sine caritate, quae est donum Spiritus sancti; et nemo sciat, utrum alterum in hoc dono praecellat, quia etiam nescit, se donum illud habere [10]: nullus debet se alteri in perfectione praeferre; quin potius, si fiat comparatio personarum in excellentia perfectionis, debent viri quantumcumque perfecti iuxta doctrinam Apostoli, *superiores sibi invicem arbitrari.* Unde Augustinus de Bono coniugali [11]: « Non recte, inquit, comparantur homines hominibus in uno aliquo bono. Fieri enim potest, ut alius non habeat aliquid, quod alius habet, sed aliud habeat, quod pluris aestimandum est ». Et paulo post: « Melius est habere omnia bona, vel minora, quam magnum bonum cum magno malo, quia in bonis corporis melius est habere Zachaei staturam cum sanitate, quam Goliae cum febre ».

Praesuppositorie.

Praecise quoad relationem ad exercitium virtutis.

Notanda.

Corollarium notabile.

Quoad dignitatem status ad invicem.

23. Porro, de comparatione statuum *praelationis* et *Religionis*, meliori salvo iudicio, dicere possumus,

---

[1] Cfr. Bonav., II. Sent. d. 40. a. 2. q. 4; IV. Sent. d. 33. a. 2. q. 3; Breviloq. p. VII. c. 7.

[2] Matth. 5, 14. et 16.

[3] Ita G; A B C D incongrue *professionis,* edd. *perfectio,* quae etiam pro *perfectior* substituunt *potior*, G *perfectior et potior.*

[4] Ita B C D G; edd. *constituuntur.* Inferius pro *comitentur* Vat. *imitentur.*

[5] Edd., refragantibus B C D G, *praesidentiis;* quae etiam inferius pro *devotarum* substituunt *divinarum.*

[6] Psalm. 44, 10. — Superius pro *praecellat* B C D G *excellat.*

[7] Cfr. Dionys., de Ecclesiast. Hierarch. c. 5. n. 3. seqq.; vide etiam supra pag. 3, notam 4. — Superius pro *in quo* B C D G *in qua* (scil. praelatione).

[8] Ita B C D G; edd. *virtutis,* quae etiam inferius pro *simulatio sanctitatis* substituunt *simulatio aequitatis.*

[9] Ut dicitur Sap. 6, 7. et 6.

[10] Eccle. 9, 1: Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit. — Subinde allegatur Phil. 2, 3: In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.

[11] Cap. 23. n. 29. Ibid. est etiam seq. locus, in quo respiciuntur Luc. 19, 3: Quia statura pusillus erat; et I. Reg. 17, 4. seqq.: Et egressus est vir... nomine Goliath... altitudinis sex cubitorum etc.

Distinctio. quod huiusmodi comparatio fieri potest vel quantum ad ea quae sunt de *substantia,* vel quantum ad ea quae sunt de *congruentia* statuum. Si quantum ad ea quae sunt de *substantia,* sic se habent velut excedentia et excessa, pro eo videlicet, quod ad perfectionem status Religionis necessario requiritur abdicatio proprietatis, ad quam tamen minime astringuntur praelati Ecclesiae, sicut patet Causae duodecimae quaestione prima [1], ex concilio Agathensi: « Episcopi de rebus propriis vel acquisitis vel quidquid de proprio habent heredibus suis, si voluerint, derelinquant ». Verum praelatus ex ipso praelationis officio tenetur non solum ad ea quae sunt salutis propriae, sed etiam plebis sibi commissae. Nam ei pro quolibet subditorum a Domino dicitur [2]: *Custodi virum istum; qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius.* Et ad hoc Religiosus ex ipso Religionis voto nequaquam astringitur. — Si autem fiat comparatio quantum ad ea quae sunt de *congruentia* statuum simpliciter dicendum, quod status *praelationis* et eius perfectio est eminentior, quemadmodum insinuat Dionysius in libro de Ecclesiastica Hierarchia [3], dicens: « Sicut qui dicit *hierarchiam* summatim dicit universorum sacrorum ornatum, ita dicens *hierarcham* monstrat in Deo manentem et divinum virum, in quo omnis hierarchia perficitur ». Similiter et Hieronymus ad Fabiolam [4]: « Tanta debet esse scientia et eruditio pontificis Dei, ut gressus eius et motus et universa *vocalia* sint; veritatem mente concipiat et toto eam habitu resonet et ornatu, ut quidquid agit, quidquid loquitur sit doctrina populorum ».

Primo, quoad substantiam. Secundo, quoad congruentiam.

24. Nec tamen ex his potest inferri, quod ad pontificis statum requiratur, quod omnes status praecellat, in omnibus; alioquin non posset fieri pontifex, nisi esset virgo; congruit tamen, quod in his praecellat quae ad pascendi gregis spectant officium, sicut scribit Hieronymus ad Oceanum [5]: « Futurus pastor Ecclesiae talis eligatur, cuius comparatione subiectus populus merito *grex* dicatur ». Et Gregorius in Pastorali [6]: « Tantum debet actionem populi actio praecedere praesulis, quantum distare solet a grege vita pastoris ». Quapropter ad praelationis statum non congruit accedere nisi perfectum, ut ibidem [7] ait Gregorius: « Virtutibus pollens coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus nec coactus accedat ».

Restrictio.

25. Status vero *Religionis* peccatores et imperfectos admittit, ut iustos efficiat et ad perfectionem perducat. Et ideo, quamquam praelationis status in perfectione sit altior, Religionis tamen securior et morbis nostris curandis expedientior, pro eo quod a multis periculis eruit, quibus status praelationis exponit, primum quidem ratione *annexi honoris,* iuxta illud Augustini super Psalmos [8]: « Quanto plus honoramur, tanto plus periclitamur ». Huiusmodi autem periculi occasionem manifestans Gregorius super illud Iob [9]: *Qui dicit regi apostata,* ait: « Unusquisque rector, quoties extollitur in eo, quod ceteros regit, toties per lapsum superbiae a summi rectoris officio separatur ». Idem etiam in Registro [10]: « Ego viam capitis mei sequens, summopere decreveram esse *opprobrium hominum et abiectio plebis,* ut tanto veracius intus ascenderem, quanto foris humilius iacerem ». — Adiacet igitur statui praelationis periculum ratione honoris, nec non et ratione *oneris et occupationis.* Unde idem Gregorius secundo Moralium [11]: « Omnis, qui dispensandis rebus terrenis praesidet, occulti hostis iaculis latius patet. Nam cum ad administranda exterius mens efficaciter se extendere nititur, a sui consideratione separatur ». — Apparet itaque, quod praelationis status simul est excelsus et periculosus, et ideo ipsum appetere simul est praesumtuosum et stultum. Propter quod ait Augustinus decimo nono de Civitate Dei [12]: « Locus superior, sine quo populus regi non potest, et si ita administretur, ut decet, tamen indecenter appetitur ». Et ideo ait Gregorius decimo octavo Moralium [13]: « Sancti viri nequaquam curas extrinsecas appetunt, sed occulto ordine sibi superimpositas gemunt. Et quamvis illas per meliorem intentionem fugiant, tamen per subditam mentem portant, quas quidem summopere, si liceat, vitare festinant; sed timentes occultas dispensationes Dei, tenent quod fugiunt, exercent quod vitant ».

Duorum statuum comparatio. Periculum ratione honoris in praelatis. Item, ratione oneris et occupationis. Corollarium. Augustinus. Gregorius.

26. Ex his aperte colligitur, quod locus *praelationis* pro sublimitate quidem gradus et multiformitate periculi a viris iam probatae virtutis potest cum coactione et formidine suscipi, a peccatoribus vero et infirmis tota debet intentione vitari, a nullis prorsus appeti et ab omnibus honorari. Status autem *Religionis* ab universis, tam iustis quam peccatoribus, tam perfectis quam imperfectis, tam sapientibus quam

Epilogus.

---

[1] Can. 19. Secundum Gratianum (alii contradicunt ipsi) habetur c. 48. concilii Agathensis an. 506.

[2] Libr. III. Reg. 20, 39.

[3] Cap. 1. § 3. — Superius post *comparatio* edd. supplent *statuum.*

[4] Epist. 64. (alias 128.) n. 23. Cum textu originali substituimus in fine *doctrina populorum* pro *doctrina Apostolorum.*

[5] Epist. 69. (alias 83.) n. 8: Futurus pastor Ecclesiae talis eligitur, ad cuius comparationem recte grex ceteri nominentur.

[6] Sive Regula pastoral. p. II. c. 1: Tantum debet actionem populi actio transcendere praesulis, quantum distare solet etc. Pro *vita pastoris* A B *vita pastoralis.*

[7] Parte I. c. 9.

[8] Enarrat. in Ps. 106. n. 7.

[9] Libr. XXIV. Moral. c. 25. n. 52. in Iob 33, 18. — Superius pro *periculi occasionem* edd. *periculum.*

[10] Libr. IX. Epist. epist. 121. ad Leandrum Hispalensem episc. Allegatur Ps. 21, 7. Textus originalis post *plebis* plura addit et pro *veracius* (B C D G *veraciter*) substituit *verius.*

[11] Cap. 48. n. 75. Post *patet* textus originalis multa addit.

[12] Cap. 19. Voci *administretur* textus originalis praefigit *teneatur atque.*

[13] Cap. 43. n. 70.

simplicibus licite potest appeti, a nullis debet contemni, ab his vero, qui vocantur divinitus, secure suscipi et studiose servari. — Haec de perfectione diffusius dicta sunt, pro eo quod non parvum adminiculum conferunt ad declinationem errorum sequentium, in quos is cui respondere incepimus, incidit, quia considerare praedeterminata vel ex ruditate non valuit, vel ex protervitate contempsit.

Capitulum IV.

Secundae responsionis prima particula quartumque capitulum, in quo appetitus martyrii de se perfectus ostenditur, et e contrario fuga martyrii de se imperfecta monstratur.

Culmen perfectionis.

1. Spirituali divinae legis intelligentia praeditos nequaquam arbitramur ambigere, perfectionis evangelicae culmen instar Davidicae turris spiritualibus propugnaculis esse munitum [1], quibus et foris hostilitas infesta repellitur, et intus tranquillitas imperturbata servatur. — Ilorum autem praecipuum tenere locum desiderium passionis et mortis pro nomine Christi Iesu, ipse nobilis christiani exercitus dux, Apostolus Paulus, evidenter ostendit, cum ad Hebraeos [2] dicit: *Curramus per patientiam ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem, Iesum, qui proposito sibi gaudio, crucem sustinuit confusione contempta.* Ubi Glossa [3]: « Succincti et expediti curramus sine dubitatione ad certamen martyrii, aspicientes in auctorem fidei, qui scilicet omnia bona terrena contempsit, ut contemnenda monstraret, et omnia terrena mala sustinuit, quae sustinenda praecipiebat, ut nec in illis quaereretur felicitas, nec in istis timeretur infelicitas ». Et paulo post: « Vinctus est qui infirmitatum vincula solvit, mortuus est qui mortuos suscitavit; amore itaque eius similia patiamur ». Haec Glossa. Ad haec quoque idem Apostolus suo nos hortatur exemplo, ad Corinthios [4] scribens: *Ego,* inquit, *libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris.* Ibi Glossa [5]: « Perfecta caritas haec est, ut quis paratus sit etiam pro fratribus mori. Sed nunquid mox, ut nascitur, iam prorsus perfecta est? Immo, ut perficiatur, nascitur. Cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur; cum ad perfectionem venerit, dicit: *Cupio dissolvi et esse cum Christo* ». Haec Glossa. Per quam patenter colligitur, quod perfectae caritatis actus est sui corporis dissolutionem et mortem appetere, exemplo ipsius Apostoli ad Philippenses [6] dicentis: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* Unde Glossa ibidem: « Sunt quidam homines imperfecti, qui cum patientia moriuntur, et sunt quidam homines perfecti, qui cum patientia vivunt. Qui enim desiderant istam vitam, cum illis venerit dies mortis, luctantur adversum se, ut sequantur voluntatem Dei; qui vero desiderat, sicut Apostolus, *dissolvi et esse cum Christo,* non patienter moritur, sed patienter vivit et delectabiliter moritur. Unde passioni appropinquans exsultabat et gloriabatur, dicens: *Bonum certamen certavi* » etc. Haec Glossa. Qua [7] nihil clarius ad propositum potest adduci, cum expresse dicat, perfectionem caritatis consistere in desiderio mortis.

Desiderium martyrii sec. auctoritates.

Item, secundum rationem. Amoris unitiv.

2. Potest autem et hoc ipsum necessaria ratione concludi. Si enim « amor, ut dicit Dionysius [8], *vis est unitiva* », et haec locutio est vera per se; necessario sequitur, quod perfectus Dei amor perfecte inclinat amantem ad omne illud, per quod convenientius, intimius et celerius amato possit uniri; sed nihil est, quod magis disponat, ut celerius et intimius spiritus hominis in statu mortalitatis existens uniatur immortali et impassibili Deo, quam sustinentia mortis illatae propter honorem Dei: necesse est igitur, perfecte amantem hoc desiderare, antequam illud obtineat, et cum obtinuerit, perfecte laetari. Unde et de Apostolis dicitur [9], quod *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* — Ipse etiam amor, ut dicit Hugo [10], *vis est transformativa.* Qui igitur perfecte Christum amat praecipuo mentis affectu eidem configurari peroptat, in his potissimum, quae divina lex dictat; sed configuratio

Item, transformati.

---

[1] Cant. 4, 4: Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

[2] Cap. 12, 1. seq.

[3] Scilicet *ordinaria* apud Lyranum et Petr. Lombard.; sumta est ex August., de Catechizandis Rudibus, c. 22. n. 40.

[4] Epist. II. c. 12, 15.

[5] Nempe *ordinaria* apud Strab. et Lyranum, ex August., tr. 5. in I. Epist. Ioan. n. 4. Respicitur I. Ioan. 3, 16: Et nos debemus pro fratribus animas ponere. In fine allegatur Phil. 1, 23.

[6] Cap. 1, 23. Glossa in hunc locum exhibetur a Petro Lombardo extensior, et sumta est ex August., tr. 9. in I. Epist. Ioan. n. 2. et ex Enarrat. in Ps. 93. n. 19: Adeo cum appropinquaret ipsa passio, quomodo exsultabat? Quomodo gloriabatur? *Bonum certamen certavi* [II. Tim. 4, 7.] etc.

[7] Ita B D et ed. 1; A C E G *Quia;* Vat. et ed. 2 *Ecce quod.*

[8] De Divinis Nomin. c. 4. § 15: Amorem... unitivam quandam et continuativam intelligemus virtutem (versio Scoti Erigenae). Cfr. tom. I. pag. 202, nota 3.

[9] Act. 5, 41.

[10] De Arrha animae; cfr. supra pag. 30, nota 7. — Superius pro *Ipse etiam* Vat. et ed. 2 *Ipse enim.*

ad Christum praecipue salvandis conveniens in statu praesentis miseriae attenditur secundum assimilationem in passione et morte, Petro[1] attestante, qui ait: *Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius:* hoc igitur est, ad quod inclinatione praecipua perfectae caritatis ardor inflammat, iuxta illud Canticorum: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio, lampades eius lampades ignis atque flammarum.* — Idem nihilominus amor, ut dicit Richardus[2], est *vis liberaliter diffusiva.* Ubi igitur perfectus est amor, ibi et perfecta diffusio vel actu, si opportunitas adest, vel si non adest, saltem desiderio pleno. Cum igitur traditio sui in mortem pro alicuius amore sit diffusionis permaximae, necesse est, perfectum caritatis amorem ad id aspirare, iuxta quod dicitur in Ioanne[3]: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

3. Mortem itaque pro Christo desiderare, morti se pro Christo exponere et in mortis agone gaudere actus est caritatis perfectae. Porro, *mortem refugere* actus est imperfectionis, quantum de se est; potest tamen ad perfectionem reduci per circumstantiam superadditam, sicut determinatum est supra[4]; utpote cum quis hoc facit, ut se reservet ad gloriosiorem triumphum, sicut fugit Apostolus, vel cum id agit ad praebendum infirmis spei solatium, ne, dum morte imminente trepidare se sentiunt, in desperationem labantur. Et hac ratione fugisse credendus est Christus, non ex vehementia timoris, sed ex benigna condescensione perfectissimae caritatis, iuxta quod dicit Augustinus super Ioannem homilia sexagesima[5]: « Firmissimi sunt Christiani, si qui sunt, qui nequaquam morte imminente turbantur. Sed nunquid Christo firmiores? Quis hoc insanissimus dixerit? Quid est ergo, quod ille turbatus est? nisi quia infirmos in suo corpore, id est in Ecclesia, suae infirmitatis voluntaria assumtione consolatus est, ut, si qui suorum morte imminente turbantur, ipsum in spiritu intueantur, ne, hoc ipso se putantes reprobos, peiore desperationis morte absorbeantur ». Haec Augustinus. Quibus luce clarius ostenditur, quod in *passione trepidare,* quamquam sit imperfectum, nullam tamen in Christo condescendente imperfectionem ponit, sed in eis solum, quibus ipse condescendit.

4. Similiter etiam de *fuga* super illud Ioannis septimo[6]: *Non enim volebat in Iudaeam ambulare,* astruit esse sentiendum. « Futurum, inquit, erat, ut aliquis fidelis eius absconderet se, ne a persecutoribus inveniretur; et ne illi pro crimine obiiceretur latibulum, praecessit in capite quod in membris confirmaretur ». Idem quoque super illud Psalmi[7]: *Quoadusque iustitia convertatur in iudicium:* « Infirmos, inquit, in se praefigurans Dominus, id est personam infirmorum gerens illisque compatiens ait: *Transeat a me calix iste.* Non enim timebat Dominus pati, die tertia resurrecturus, cum arderet Paulus *dissolvi et esse cum Christo* ». Certum est autem, quod Paulus habebat infirmitatem carnis; non igitur infirmis *carne* Christus exemplum praebuit, sed infirmis *spiritu* condescendit.

5. Huic autem veritati tam clarae is cui respondemus, multipliciter conatur obsistere. Quia enim, ut veritatis ignarus, absurdum reputat[8], quod Christus imperfectis condescenderit in aliquo actu; ostendere nititur, quod *fugere mortem* sit de sua ratione perfectum, pro eo videlicet, quod a Christo *praecipitur*[9], et quia *in viris perfectis reperitur.* — Verum primam rationem nullius esse vigoris ex hoc colligere possumus, quia, sicut praeceptum perfectionem non efficit, sic nec imperfectionem tollit[10]. Si enim imperfectionem tolleret, quicumque teneretur ad praecepti observantiam, teneretur ad perfectionem implendam. Quod cum sit manifestum inconveniens, constat, quod frustra laborat ostendere, quod fugere sit perfectum, per Evangelium[11], per Pelagium Papam et per Athanasium, cum perfectionis evangelicae culmen ex supererogatione manet divini consilii, non ex obligatione praecepti.

6. Insuper, et illud mandatum de fugiendo a facie persecutorum intelligi habet in casu, sicut Rabanus dicit super Matthaeum[12], et Glossa: « Hoc, inquit, ad illud tempus pertinet, quo dictum est: *In viam gentium ne abieritis,* quod persecutionem non debeant timere, sed declinare, ut tribulationis occasio sit Evangelii seminarium ». Si ergo in *hoc*

[1] Epist. I. c. 2, 21. — Subinde allegatur Cant. 8, 6.

[2] Cfr. III. de Trin. c. 2. seqq. et V. c. 16. seqq., ex quibus supra pag. 9, nota 10. nonnulla sunt allata.

[3] Cap. 15, 13.

[4] Cap. 1. n. 9, ubi etiam de fuga Apostoli Pauli et Christi. — Inferius pro *infirmis* G *imperfectis.*

[5] Num. 5. Pro *turbantur* A C D E *turbentur;* subinde textus originalis pro *assumtione* substituit *similitudine,* et *turbantur in spiritu, ipsum intueantur* pro *turbantur, ipsum in spiritu intueantur.*

[6] Vers. 1. Sententia August. habetur in Ioan. Evang. tr. 28. n. 2, ubi pro *in membris* textus originalis *in membro.*

[7] Enarrat. in Ps. 93, 15. n. 19: Quosdam ergo infirmos in se praefigurans, vel in corpore suo, ex persona infirmorum compatiens illis, ait [Matth. 26, 39.]: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste...* Te praesignavit Dominus in sua infirmitate, non se; non enim timebat Dominus pati, tertio die resurrecturus... quod non formidavit Apostolus Paulus, in fine saeculi resurrecturus. Ait enim [Phil. 1, 23. seq.]: *Compellor autem ex duobus, concupiscentiam habens dissolvi et esse cum Christo* etc.

[8] Cfr. supra c. 1. n. 5.

[9] Matth. 10, 23: Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.

[10] Cfr. supra c. 2. n. 6.

[11] Vide supra notam 8. De *Pelagio II.* cfr. Gratian., C. *Omnis,* qui gemebat et vexabatur a Saul, fugiebat et veniebat ad David etc. (c. 36.) Caus. 7. q. 1; de *Athanasio* cfr. ipsius Apologia de fuga sua.

[12] Libr. III. c. 10, 23, ubi ipse, sicut et Glossa *ordinaria* (cuius verba mox afferuntur), sequitur Hieron., in eundem locum. Allegatur Matth. 10, 5: *In viam* etc.

Distinctio. *casu* intelligat, nihil ad propositum suum valet. Si autem *simpliciter* intelligat, sicut insinuat, non modicum errat, quia quicumque voluntarie se morti exponeret, cum latere, vel fugere posset, peccaret mortaliter, faciens contra Domini iussionem. Quod si verum est, beatissimi Martyres Petrus, Paulus, Andreas, Laurentius, Sebastianus, Tiburtius et consimiles, qui se ultro persecutoribus obtulerunt, digni non essent gloria Martyrum, sed ignominia praevaricatorum. Magnae igitur fuit dementiae universaliter affirmare, quod sancti Martyres fugiebant, et cum inveniebantur, martyrio se subdebant. Nam hoc expresse derogat perfectioni sanctorum Martyrum, quia quilibet quantumcumque imperfectus, quando non potest latere, tenetur se ipsum martyrio subdere; ac per hoc, dum actui fugiendi falsam quandam perfectionem attribuit, perfectis Christi Martyribus veram tollit.

7. Alia quoque ratio, qua conatur probare, quod fugere non sit imperfectum, quia viri perfecti fugerunt, dupliciter deficit: primo, quia non omne, quod viri perfecti faciunt, est hoc ipso perfectum. Nam, sicut Iacob, David, Urias et Mathathias [1] fugerunt, quos introducit ad fugae commendationem, ita etiam habuerunt uxores et proprietates possessionum, quae tamen sese cum evangelica perfectione non compatiuntur. — Dehinc, quia, ut supra [2] monstratum est, actus, qui de suo genere est imperfectus, per aliquam circumstantiam, quam perfecta caritas illi adhibet, potest esse perfectus; et ideo non ratione actus, sed circumstantiae sanctorum virorum in operibus huiusmodi perfectio commendatur. — Praeterea, sicut non sequitur, quod occidere hominem sit bonum atque perfectum, quia Phinees et Mathathias [3] ex peccatorum occisione laudantur; sic et rationes huiusmodi, quas multiplicat, nil recte concludunt. Bene tamen potest inferri, quod si sancti viri aliquid laudabiliter fecerunt, illud fieri potest pro loco et pro tempore absque peccato, sicut sacer Athanasius probare intendit [4]. Nec tamen ex hoc sequitur, quod sit perfectum, nisi pariter includatur, quod imperfectio peccatum includat, sicut hic perverse dogmatizat. Quod quia superius [5] multipliciter improbatum est, hic commemorasse sufficiat.

Contra 2. eius rationem arguitur.

8. Sane distinctio, quam subiungit de *modis fugiendi*, quos de se perfectos conatur astruere ac multipliciter per exempla commendare, non veritatis dilucidationem tribuit menti legentium, quin potius erroris caliginem, nisi sollicita circumspectione caveatur. Distinguit namque *sex modos* fugae, quorum « primus, ut dicit, est ex *mentis perversitate*, secundus ex *mentis ignavia* et *timore* [6] *servili*, tertius ex *naturali timore*, quartus ex *mentis humilitate*, quintus ex *circumspecta prudentia*, sextus ex *abundanti misericordia* ». In quorum modorum explicatione multa dicere invenitur absurda. — Loquens enim de secundo modo, dicit, quod « *fugere ex ignavia* est ex *timore servili*, sicut fugerunt filii Israel in diebus Saulis » [7], subditque, quod « Christus hoc timore mortem non timuit, sed timeri prohibuit »; et paulo post: « Haec fuga imperfectis competit ».

Sex modi fugiendi ... minanto...

De 2. modo verba ... ptoris.

9. In his autem verbis ostendit se per omnia theologicae veritatis ignarum: primo quantum ad *significationem verborum* in hoc quod dicit, filios Israel fugisse Philisthiim ex *timore servili*. Timor enim servilis, cum sit donum Spiritus sancti [8], non docet fugere corporalia bella, sed spiritualia peccata. — Secundo ostendit, se nescire pondus sententiarum, cum dicit, hunc timorem esse prohibitum; et post subiungit, quod competat imperfectis. Ex hoc enim sequitur, quod idem sit generaliter prohibitum et aliquibus personis indultum; et iterum, quod imperfectis indulta sit transgressio mandatorum; quod quia continet contradictionem implicitam, ab omni prorsus ratione discordat.

Refellunt...

10. De tertio vero loquens fugiendi modo dicit, quod « est ex quodam naturali timore, et quod hic fugiendi modus competit viris perfectis, sicut Moysi et Eliseo et Eliae et Uriae [9] ». Et « haec fuga, ut dicit, nullam operatur imperfectionem, et hanc, ut asserit, Christus assumsit ». — In quibus verbis duo implicat, quorum unum est falsum, alterum vero blasphemum. Quamquam enim *timere* mortem sit naturale, tamen *fugere* est voluntarium, et quamvis perfecta caritas non excludat omnino naturalem timorem, excludit tamen illius timoris dominium, quo timens in fugam convertitur. Unde Beda super illud Marci [10]: *Relicta sindone fugit:* « Quia plus ceteris

De 3. modo fugiend...

---

[1] Cfr. Gen. 28, 5; I. Reg. 19, 12; Ier. 26, 21; I. Mach. 2, 28.

[2] Cap. 1. n. 9.

[3] Vide Num. 25, 7. seqq. (Ps. 105, 30. seq.) et I. Mach. 2, 24-26. — Cfr. supra c. 1. n. 9, ubi dicitur: *Malum in genere* potest fieri bonum ex circumstantia, ut occidere hominem, quia maleficus est, et quia lex iubet etc. — Superius pro *Praeterea* A et ed. 1 *Propterea*.

[4] In Apologia de fuga sua. — Edd. *probare videtur et intendit*.

[5] Cap. 2. n. 3. et 6. seqq. — Ex A B supplevimus *multipliciter*.

[6] Edd. perperam *ratione;* cfr. paulo inferius dicta.

[7] Libr. I. Reg. 13, 6: Quod cum vidissent viri Israel se in arcto positos, afflictus enim erat populus, absconderunt se in speluncis etc. — Inferius pro *hoc timore* edd. *hoc modo*.

[8] Cfr. Bonav., III. Sent. d. 34. p. II. a. 1. q. 1. — Inferius pro *corporalia bella* G *temporalia mala*.

[9] Vide Exod. 2, 15; IV. Reg. 6, 13. seqq.; III. Reg. 19, 3; Ier. 26, 21. De fuga Christi cfr. supra pag. 238, nota 6.

[10] Libr. IV. in Marc. 14, 51. 52. (ubi habetur: At ille, relicta sindone, nudus profugit ab eis). Sententia Bedae exhibetur verbis Glossae *ordinariae* in hunc locum apud Lyranum; pro *vel territus* Glossa cum Beda *vel tentus* (v. 51: *Et tenuerunt eum).*

Dominum amaverit, indicavit qui, aliis fugientibus, Dominum sequi non omisit; nondum tamen perfectionem habuit qui vel territus fugere potuit ». In quibus patenter ostendit, quod fuga ex timore mortis non stat cum perfectione caritatis.

ectio solvitur. 11. Nec obstat verbum Glossae super illud Ioannis[1]: *Alius te cinget,* qua dicitur, quod huiusmodi affectus adeo naturalis erat, ut nec eum Petro senectus abstulerit, cum tamen perfectus esset; pro eo quod aliud est *timere,* aliud *ex timore fugere,* sicut in eadem Glossa, quam ipse fraudulenter detruncat, immediate subiungitur: « Sed quantacumque, ait, sit molestia mortis, vincat eam vis amoris »; constat autem, quod amoris vi superante timorem, nequaquam fugimus. — Fuga igitur ex timore mortis nequaquam stare potest cum perfectione amoris. Unde Augustinus in originali homilia eadem[2]: « Amor Christi in eo qui pascit oves eius, in tam magnum debet Christi talemque crescere ardorem, ut vincat etiam mortis naturalem timorem, quo mori nolumus, etiam quando cum Christo vivere volumus ». Haec Augustinus. Ex quibus concluditur, quod fuga huiusmodi stare non potest cum perfecta caritate, quae hunc naturalem timorem exsuperat, ne timentem convertat in fugam.

riptor de sphemia rguitur. 12. Dicere igitur, ex hoc timore Christum fugisse, non est aliud quam ipsum blasphemare, cum ex hoc sequatur, quod in ipso fuerit amor naturalem timorem non superans, sed ab ipso superatus, ac per hoc non perfecte stabiliens, sed vacillans et imperfectus. Advertat igitur quisquis haec legerit, quod fugae provenienti ex naturali timore mortis perfectionem attribuere, simulque asserere, hoc modo Dominum fugisse, nihil aliud est quam Christum ducem iam prostratum ab hostibus dicere et universum ipsius exercitum ad fugam provocare. Nullus enim mortis timore in fugam convertitur, nisi timor huiusmodi in eo dominetur. Quodsi hoc, ut asserit, perfectum est, et omnes hoc timore naturaliter urgentur; nil aliud restat secundum hanc profanam doctrinam, nisi ut omnes in fugam convertantur. Nulla igitur erit in fugiendo differentia pastoris et mercenarii[3], cum uterque pariter habeat naturalem timorem moriendi.

13. De quarto modo fugiendi disserens, addit, quod « *fugere ex humilitate mentis,* qua homo infirmitatem propriam recognoscit et ad mortem sustinendam humiliter se imperfectum credit, competit viris perfectis ». Nam « hoc modo, ut ait, fugit Petrus a facie Neronis[4], et Iudaei persecutiones Antiochi, et anachoretae persecutionem Decii et Valeriani ». Et post subiungit, quod « hanc fugam docuit Christus et exemplo confirmavit, et ideo est imitanda perfectis ». — Haec autem si quis diligenter consideret, scribentis imperitiam manifeste perpendet. Nam primum exemplum de Petro est falsum[5]. Si enim Petrus se reputabat, ut dicit, imperfectum ad martyrium, pari ratione et quilibet Christianus. Si igitur ex hac consideratione fugere perfectum est, quilibet omnino debet fugere, nullusque ad passionem tanquam ad rem proprias vires transcendentem aspirare. Ex quo etiam illud infertur, quod praesumtuosus fuerit fervor sanctorum Martyrum, qui corde intrepido ad tormenta ferebantur. — Secundum autem exemplum est in se ambiguum et impertinens ad propositum, quia non constat, Iudaeos illos ex humilitate fugisse; nec ad perfectionis exemplum fuga eorum assumi potest, qui materiali gladio propriam tuebantur salutem et adversarios, quando sibi facultas aderat, persequebantur ad mortem.

De 4. modo fugiendi. — Responsio. — De exemplo primo. — De secundo.

14. Exemplum vero tertium de anachoretis, ubi allegat auctoritatem Hieronymi pro fuga Pauli, primi eremitae, suo proposito non competit, quin potius adversatur. Nam Paulus tunc, ut ibidem[6] Hieronymus dicit, adolescens erat delicatus et dives, non anachoreta, non monachus, sed adhuc in saeculo degens. De quo idem Hieronymus subdit, quod « necessitatem in voluntatem convertit », dum primo quasi compulsus, postea voluntarius mansit in eremo. De aliis vero Christianis, qui iam perfecti erant, De tertio.

---

[1] Cap. 21, 18. Glossa, sumta ex August., in Ioan. Evang. tr. 123. n. 5, est *ordinaria* apud Lyranum: Ad illam molestiam nolens [Petrus] est ductus, nolens ad eam venit, sed volens eam vicit et reliquit affectum infirmitatis, quo nemo vult mori, qui adeo est naturalis, ut eum nec senectus abstulerit Petro. Unde et Dominus [Matth. 26, 39.]: *Transeat a me calix iste.* Sed quantacumque sit molestia mortis, vincat eam vis amoris etc.

[2] Ex qua Glossa praenotata sumta est, scilicet in Ioan. Evang. tr. 123. n. 5. Textus originalis omittit *Christi talemque.* — Superius pro *nequaquam stare* B C D *stare non,* et pro *perfectione amoris* (ita B C D G) edd. *perfectione caritatis.*

[3] Respicitur Ioan. 10, 11. seqq.

[4] De hac fuga refert Ambros., Epist. 21. *Serm. contra Auxentium,* n. 13: Et quamvis [Petrus] esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est; rogabatur enim, ut ad instituendum et confirmandum populum se reservaret. Quid multa? Nocte muros egredi coepit et videns sibi in porta Christum occurrere urbemque ingredi, ait: « Domine, quo vadis »? Respondit Christus: « Venio iterum crucifigi ». Intellexit Petrus, ad *suam crucem* divinum pertinere responsum... Itaque sponte remeavit... statimque correptus, per crucem suam honorificavit Dominum Iesum. — De fuga *Iudaeorum* cfr. I. Mach. 1, 40. et 2, 27. seq.; de fuga *anachoretarum* vide infra n. 14.

[5] Vide notam praecedentem.

[6] Vita S. Pauli, n. 2-6: Sub Decio et Valeriano persecutoribus... multas apud Aegyptum et Thebaidem Ecclesias tempestas saeva populata est... Per idem ergo tempus... sorore iam viro tradita... Paulus relictus est annorum *circiter sexdecim...* Et cum persecutionis procella detonaret, in villam remotiorem et secretiorem secessit. Verum quid pectora humana non cogit? Sororis maritus coepit prodere... Quod ubi prudentissimus *adolescens* intellexit, ad montium deserta confugiens, dum persecutionis finem praestolaretur, *necessitatem in voluntatem vertit...* Igitur adamato... habitaculo omnem ibidem in orationibus et solitudine duxit aetatem.

ibidem Hieronymus paulo ante [1] praemittit: « Votum tunc Christianis erat pro nomine Domini gladio percuti. Verum hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat iugulare, non corpora, et ut ipse qui ab eo passus est Cyprianus ait, volentibus mori non permittebatur occidi ». Haec Hieronymus. Quibus praefati erroris sententia non fulcitur, sed confutatur, dum asserit, quod illius temporis Martyres non solum non fugiebant, sed etiam vehementer dolebant, quod occidi non poterant, quemadmodum gloriosi doctoris et Martyris Cypriani verbo et exemplo confirmat.

De quarto exemplo.

15. Quartum autem exemplum, quod proponit de Christo, horrendam piis auribus includit blasphemiam, quia, si Christus ex humilitate se ad martyrii sustinentiam imperfectum putabat, aut *vere* hoc aestimabat, aut *falso*. Si *vere*, ergo Christus fuit veraciter imperfectus; si *falso*, tunc necessario sequitur, quod fuerit suae perfectionis ignarus; et horum utrumque blasphemum. Insuper, si omnis, qui Filium Dei, Christum Iesum, imperfectum dicit vel aestimat, in Deum blasphemat; qui ponit, hoc de se Christum sensisse, non solum blasphemat in Christum, verum etiam asserit, Christum fuisse blasphemum, quod piae aures audire non possunt. Quisquis igitur haec pertinaciter dixerit et senserit, *tradendus est satanae, ut discat ultra non blasphemare* [2].

De 5. modo fugiendi.

16. De quinto modo fugiendi, qui est ex *prudentia circumspecta*, diffusius tractans, imprudentiam suam patenter ostendit, dum pro nihilo tot verba disseminat. Nullus enim negat, quin pro exspectatione opportunitatis vel utilitatis maioris interdum etiam vir perfectus fugere possit, sicut Paulus Apostolus de Damasco fugit [3]. Sed hic modus ab aliis licitis fugiendi modis non debet distingui, quia omnis rationabilis et licita fuga est ex prudentia circumspecta, quae est magistra directionis in omni via salutis. Est autem prudentia directiva fugae pro loco et tempore non tam secundum imperium perfectae virtutis quam secundum conditionem humanae imperfectionis et mentalis infirmitatis. Unde super illud Matthaei: *Discipuli eo relicto fugerunt*, Beda dicit in Glossa [4]: « Sicut Petrus, qui negationem lacrymis abluit et confessione dominici amoris trina funditus exstirpavit, recuperationem eorum ostendit, qui in martyrio labuntur; sic alii discipuli, qui articulum comprehensionis fugiendo praevenerunt, cautelam fugiendi docent eos qui se ad supplicia minus sentiunt idoneos, quibus tutius est latere quam se discrimini exponere ». Haec Beda. Quibus elucet, quod huiusmodi circumspectio, qua quis provide fugit, infirmis magis competit quam perfectis.

Scripto[r] [ar]guit[ur].

17. Quod igitur dicit, se nullatenus aestimare, quod prudentia, quae perfectionem facit, aliquando sit magistra imperfectionis; si sic intelligit, quod prudentia de perfecto imperfectum non facit, verum dicit, sed nihil ad propositum. Si autem intelligit, quod nullum opus imperfectionis ex prudentia procedit, errat manifeste, quia tunc omne opus prudentiae esset perfectum, nec solius prudentiae, verum etiam aliarum virtutum omnium, quibus necessario prudentia est annexa [5]. Ex quo etiam sequitur, quod omnis virtus sit perfecta, et quod omnis virtutem habens perfectus sit, et omnis imperfectus iniustus, et omnis imperfectio culpa. Quae omnia tanquam falsa et inconvenientia sunt in praecedentibus [6] multipliciter improbata.

De 6. [mo]do fugie[ndi].

18. De sexto tandem fugiendi modo subinfert, quod « fugere ex *abundanti misericordia*, ne persequentes iniuste gravius Deum offendant, viris perfectis competit, quia hoc modo fugit Iacob, Moyses, David [7], Benedictus et Silvester ». Et « hanc fugam, ut dicit, Christus docuit et exemplo confirmavit ». — Porro, quamvis in his quae de hoc sexto fugiendi modo scribit, videatur superficialiter considerantibus rationabiliter et pie sentire; si quis tamen vigilantiori attentione consideret, manifeste cognoscet, ea carere ratione simul et pietate. Nam et exempla, quae proponit, ambigua sunt, nec ex Scripturis constat, praefatos viros ex ea quam assignat causa fugisse. Qua enim ratione vel auctoritate astrui potest, quod Iacob Esau, Moyses Pharaonem, David Saulem et Silvester Constantinum fugerint, ne in eos illi gravius peccarent? Et ideo, quae proponit pro nihilo habenda sunt, « quia, ut dicit Hieronymus [8], quod de Scripturis auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur ». — Insuper, si omnis, qui persequitur iustum, tanto magis peccat, quanto graviores iniurias irrogat, et sanctum est atque perfectum propter hoc fugere; semper a facie cuiuslibet persecutoris fugiendum est, ne gravius peccet. — Amplius, ex hoc necessario sequitur, quod Christus non abundantem misericordiam, sed potius crudelitatem in Iudaeos exercuerit, qui tunc se passioni

Respo[nsio].

Ratio

Ratio

Ratio

---

[1] Num. 2: Voti tunc Christianis etc. Sententia Cypriani habetur Epist. 53. n. 2.

[2] Epist. I. Tim. 1, 20: Quos tradidi satanae, ut discant non blasphemare. — Superius ex G supplevimus *dixerit et*.

[3] Epist. II. Cor. 11, 32. seq.; cfr. Act. 9, 24. seq.

[4] Scilicet *ordinaria* in Matth. 26, 56. Respiciuntur Matth. 26, 70-75, ubi de negatione et lacrymis Petri; Ioan. 21, 15-17, ubi de trina confessione. Beda post *fugiendo* prosequitur: praevenerant, docent eos qui se minus idoneos ad toleranda supplicia sentiunt, quibus tutius est multo praesidia latebrarum petere, quam se discrimini certaminum exponere. Pro *in martyrio* (ita Beda et Glossa) codd. et edd. *martyrio*, et pro *exponere* A *opponere*.

[5] Cod. B *quia tunc omne opus non solum prudentiae, verum etiam... annexa, esset perfectum*.

[6] Cap. 2. n. 2. seqq. — Fide A B C D F G hanc propositionem *Quae omnia... improbata* supplevimus.

[7] Cfr. supra pag. 254, nota 3. et 9. De Benedicto vide Gregor., II. Dialog. c. 3, et de Silvestro cfr. Surius, Vita Silvestri (31. Dec.) § 11.

[8] Libr. IV. Comment. in Matth. 23, 35. seq.

obtulit, quando plures in eo peccare potuerunt, paschali scilicet tempore, cum Iudaeorum multitudo ad festum ventura erat[1], de qua sciebat, quod in eius mortem consensura esset. — Arguuntur etiam secundum hanc doctrinam impietatis et crudelitatis omnes Martyres, qui non fugerunt.

19. Inaniter proinde[2] gloriatur, se adversarium confutasse, quasi fugere non sit imperfectum, cum habeat fieri ex abundanti misericordia, quae imperfectionis non potest esse ministra. In quo credens alterius improbare sententiam, viam aperit ad reprobandam suam. Si enim Christus, quia fugit ex misericordia respectu persequentium, nullam imperfectionis notam incurrit; multo magis, si fugit ex misericordia respectu membrorum suorum infirmorum ad praebendum illis solatium, non debet imperfectioni ascribere, sed potius iudicare perfectum.

20. Quod autem in fine concludit, quod « his quatuor modis Christus fugit et fugere docuit, et viri perfectissimi in hoc eum imitati sunt et hoc alios facere docuerunt, et quod Christus fugiendo exemplum infirmis praebuit, infirmis autem, ut dicit, infirmitate *carnis,* quae perfectis convenit, non *mentis,* quae solum competit imperfectis », quia ex praecedentibus[3] sufficienter reprobatum est, non est opus ultra discutere, quamquam haec quatuor simul aggregata dogmatis huius absurditatem patenter ostendant. Nam si Christus hoc quadruplici modo fugit, et perfectissimi viri in hoc eum imitati sunt; cum hoc fugae quadrivium semper et ubique et omnibus pateat, semper et a quolibet ineunda est fuga. Quis enim non naturaliter timet[4]? Quis se non debet humiliare? Quis non debet prudenter cavere periculum? Quis misereri non debeat persequentium proximorum? Si igitur hae viae fugarum semitae sunt perfectionum, quibus itur ad Christum; non iam ad exhortationem apostolicae tubae[5] currendum est *ad propositum nobis* passionum *certamen,* sed potius quaerendum est per aliquam dictarum viarum fugae praesidium, quo celerius tanquam per compendiosas perfectionis semitas perveniatur ad Christum. Quodsi huiusmodi exhortationis, immo dehortationis clamorem, quo bellatorum corda terrentur, procul a castris pugnantium abesse censuerunt duces in pugna saeculi; quanto magis hoc observare convenit in pugna Iesu Christi, ubi res agitur non pro vitandis dispendiis rerum, aut fugiendis periculis corporum, sed pro declinanda infinibili morte animarum? Nec hoc dicimus, quin competere possit perfectis in casu fugere eo modo, quo superius[6] ostensum est; sed ut fugae laudes superfluas, vanas et falsas, tanquam perniciosas et virtutibus perfectis contrarias ostendamus esse fugiendas; quia, cum falsitas semper et ubique vitanda sit, ibi tamen et tunc potissimum declinanda est, cum sub fallaci specie sanctitatis a virtutum culmine revocat et inclinat ad ima. Notandum.

Capitulum V.

Secundae responsionis secunda particula quintumque capitulum, in quo abstinentiae laus et perfectio declaratur, et eiusdem impugnatio calumniosa refellitur.

1. Quamquam certum sit omnibus in christiano exercitatis agone, abstinentiae sanctae rigorem pernecessarium esse his qui perfectionem adipisci et defensare conantur; quia tamen novae adinventionis dogma perversum subintroductum est ad probandum contrarium, roboranda est huiusmodi veritas tam per *exempla* quam per *documenta* Sanctorum. — Et primum quidem evangelicae perfectionis Praecursor adducatur in medium, qui propter abstinentiam eminentem *magnus* praedicatur angelica voce, sicut refert Lucas[7], Angelum dixisse ad Zachariam: *Erit enim magnus coram Domino, vinum et siceram non bibet;* ubi Glossa: « Sicera interpretatur ebrietas, quo nomine signatur omne poculum de quacumque materia factum, quod inebriare possit. Decet namque, vas caelesti gratiae mancipatum a saeculi illecebris abstinere ». Hoc ipsum *vas electionis,* Apostolus in se ipso commendat, ad Corinthios[8] scribens: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse* Pauli.

[1] Cod. G *quando Iudaeorum maior multitudo ad festum convenerat.* Inferius post *non fugerunt* B addit *in quantum potuerunt.* [2] Vat. *igitur.*

[3] Supra n. 5. seqq. et c. 1. n. 6. seqq. — Superius pro *Christus fugit et fugere docuit* G *Christus fugisse invenitur et docuit sic fugere.*

[4] Edd. addunt *mortem,* quod A B C D omittunt.

[5] Hebr. 12, 1. Cfr. supra n. 1.

[6] Num. 4. et 6. 7.

[7] Cap. 1, 15. — Glossa est *ordinaria* et sumta ex Beda, in eundem locum: *Sicera* interpretatur ebrietas; quo vocabulo Hebraei omne quod inebriare potest poculentum sive de pomis sive de frugibus seu de qualibet alia materia confectum significant... Decet enim, vas caelesti gratiae mancipatum a saeculi illecebris castigari etc. Cfr. Forcellini, secundum quem *poculum* significat etiam ipsam potionem. Hieron., Epist. 52. (alias 2.) n. 11: Sicera Hebraeo sermone omnis *potio* nuncupatur, quae inebriare potest, sive illa quae frumento conficitur, sive pomorum succo etc. Cfr. II. Comment. in Isai. 5, 11. seq. et de Nominib. Hebraic. ex Luca: *Sicera,* ebrietas etc.

[8] Epist. I. c. 9, 27; ibid. v. 25. habetur seq. locus. Superius respicitur Act. 9, 15: *Vas electionis* est mihi iste.

reprobus efficiar. Et ad hoc agonistarum exemplo cunctos provocat Christi milites, cum praemittit: *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam*. Ad hoc facit quod ait Ambrosius Hexaëmeron libro tertio[1]: « Ab initio saeculi simplicem cibum et naturalem debuit Deus reliquis cibis anteferre, quoniam iste sobrietatis est cibus, reliqui voluptatis. In hoc datur nobis frugalitatis exemplum et parsimoniae magisterium, ut herbis et victu simplicis oleris aut pomis contenti simus, quem natura obtulit, quem liberalitas Dei primo donavit ».

Confirmat Ambrosius.

2. In Ecclesiastica quoque Historia, libro secundo[2] refert Eusebius, quod « inter sanctos Aegyptios, quos Evangelista Marcus instituit, vinum nemo nec gustu contingit nec aliquam carnem, tantum aqua est eis potus et panis cum sale et hyssopo cibus ». De anachoretis autem, quorum vitam constat fuisse perfectionis exemplar, Hieronymus ad Eustochium[3], cum vitam commendasset *coenobitarum*, dicens, quod apud eos « vivitur pane, leguminibus et oleribus, quae sale solo condiuntur », quibusdam interpositis subdit: « Ad tertium genus veniam, quos *anachoretas* vocant, qui de coenobiis exeuntes, excepto pane et sale, amplius ad deserta nil perferunt. Huius vitae auctor Paulus, illustrator Antonius, et ut ad superiora conscendam, princeps Ioannes Baptista fuit ». Hucusque Hieronymus, qui et hunc quem huiusmodi vitae asserit auctorem Paulum talibus extollit abstinentiae laudibus, eius vitam describens[4]: « Omnem in oratione, in solitudine duxit aetatem; cibum et vestimentum ei palma praebebat. Quod ne cui impossibile videatur, Iesum testor et sanctos Angelos eius, vidisse me monachos, e quibus unus per triginta annos pane hordeaceo et aqua lutulenta vixit ». — Beatus quoque Basilius[5] monachis orientalibus, qui ad perfectionis apicem nitebantur ascendere, carnium esum inhibuit. Sanctus etiam Martinus, ut de ipso narrat Sulpitius[6], in suo monasterio vini potum secum degentibus monachis concedere noluit. Et sacer vir Benedictus[7] sanis monachis carnium comestionem interdixit. — His et similibus quasi innumeris Sanctorum exemplis indubitanter colligitur, quod abstinentiae rigor opus sit perfectae virtutis.

Exemplum Aegyptiorum. Coenobitarum et anachoretarum. Monachorum orientalium. S. Martini. Benedicti.

3. Et ne quid ad certitudinem desit, aliis Sanctorum *auctoritatibus* probandum est, quibus asserunt, quod abstinere a vino et carnibus sit perfectum. Ait enim Hieronymus ad Demetriadem[8]: « Conceduntur quidem nuptiae, carnium usus et vini, sed horum abstinentia consilio perfectiore suadetur ». Idem quoque contra Iovinianum[9]: « *Si vis perfectus esse*, bonum est vinum non bibere et carnes non manducare; nam *si vis perfectus esse*, melius est animam saginare quam corpus ». Augustinus etiam de Fide ad Petrum[10] sic ait: « Humiles servi Christi, qui cupiunt Domino absque impedimento servire, coniugia non appetunt, a vino et carnibus abstinent, quantum corporis valitudo permittit, non quod peccatum sit aut coniugem habere, aut carnes vinumque percipere ». Haec Augustinus. Ad hoc ipsum facit quod dicit Gregorius trigesimo libro Moralium[11]: « Nullus palmam spiritualis certaminis apprehendit, qui non in semetipso prius per afflictam concupiscentiam carnis incentiva devicerit. Neque enim ad conflictum spiritualis agonis assurgitur, si non prius intra nosmetipsos hostis positus, gulae videlicet appetitus, edomatur ».

Secundo er auctoritatis. Hieronyj. Augusti

4. Colligitur itaque, quod abstinere sit opus maxime competens viris perfectis, quorum est et satanae bellis victoriose *resistere* et *sapientiae studiis quiete vacare*. Propter quod Hieronymus contra Iovinianum[12]: « Si quis aestimat, abundantia ciborum potuumque se perfrui et vacare posse sapientiae, hoc est, versari inter delicias et deliciarum vitiis non teneri, se ipsum decipit ». Et post[13]: « Quomodo nuptiis virginitatem, ita saturitati et carnibus ieiunia spiritumque praeferimus ». Si igitur vacare sapientiae perfectorum est, et virginitas praefertur coniugio sicut perfectum imperfecto; restat, quod de genere operis abstinere a carnibus aliisque delicatis cibariis actum dicit consonum perfectioni; et econtra his uti imperfectionem quandam importat, quantum est de sui generis natura, nisi ad perfectionem reducatur per circumstantiam superadiectam[14], utpote cum quis habet plenam abstinendi voluntatem, et

Absti re competi a- xime p e- ctis. Notandi

---

[1] Cap. 7. 28; in textu originali nonnulla adduntur et mutantur.

[2] Cap. 17. in fine, ubi haec ex Philone allegantur.

[3] Epist. 22. n. 35. et 36.

[4] Vita S. Pauli primi eremitae, n. 6. Cfr. supra pag. 255, nota 6. in fine.

[5] Regulae fusius tractatae. Interrogatio 19, n. 2.

[6] De Vita B. Martini, c. 10: Cibum una omnes post horam ieiunii accipiebant; vinum nemo noverat, nisi quem infirmitas coegisset.

[7] Regul. c. 39: Carnium vero quadrupedum omnino ab omnibus abstineatur comestio, praeter omnino debiles et aegrotos.

[8] Epist. 1. in Appendice, c. 9. (cfr. supra pag. 116, nota 8.).

[9] Libr. II. n. 6. Allegatur Matth. 19, 21. Textus originalis omittit *nam*. Pro *quam corpus* (ita A B cum textu originali) edd. *quam carnem*.

[10] Cap. 3. n. 45. (Non est Augustini, sed Fulgentii). Textus originalis nonnulla interserit.

[11] Cap. 18. n. 58. Vocibus *afflictam concupiscentiam* textus originalis interserit *ventris*.

[12] Lib. II. n. 9. Pro *potuumque* textus originalis *potionumque*.

[13] Num. 17.

[14] Cod. G *per aliquam circumstantiam superadditam*.

tamen huiusmodi cibariis pro loco et tempore sobrie utitur, vel quia requirit *necessitas sustentationis propriae* propter aegritudinem seu debilitatem, vel *utilitas aedificationis fraternae* per caritativam condescensionem.

5. Primi quidem exemplum ex vita sumitur perfectorum coenobitarum, quam describens Hieronymus ad Eustochium [1] ait, loquens de sanis: « Vivitur pane, leguminibus et oleribus, quae sale solo condiuntur ». Dehinc pro debilibus subdit: « Vinum tantum senes accipiunt, quibus et parvulis saepe fit prandium, ut aliorum fessa sustentetur aetas, et aliorum non frangatur incipiens ». Post haec de infirmantibus ait: « Si quis vero coeperit aegrotare, transfertur ad exedram latiorem et tanto senum ministerio confovetur, ut nec delicias urbium nec matris quaerat affectum ». Haec Hieronymus. — Porro, exemplum secundi manifeste refulget in Christo, de quo Chrysostomus super Matthaeum homilia vigesima septima [2]: « Vide, quanta est Christi in condescensione diligentia, sicut cum comedat et bibat, cum videatur ex adverso Ioanni faciens; et hoc Iudaeorum gratia salutis facit, magis autem orbis terrarum universi, simulque haereticorum obstruens ora ». Magister namque perfectionis omnimodae, Iesus Christus, et supportator imperfectionis nostrae utrumque debuit in sua vita monstrare, cum tamen Ioannes totam peregerit vitam secundum arctissimam abstinentiae legem.

6. Et quamquam actus abstinendi perfectior sit ex proprio genere, perfectius tamen egit Christus quam Ioannes, quia et puriori modo in se ipso abstinuit et aliis ex perfectiori charitate condescendit [3]. Unde et perfectionis Christi praecipuus sectator Apostolus non solum imitabilem se praebet in austeritate vitae, verum etiam in pia ad proximos condescensione, ad Corinthios [4] dicens: *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem, omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Hanc condescensionis aedificatoriae formam discipulis ad praedicandum missis Dominus dedit, cum ait [5]: *In eadem domo manete, edentes et bibentes quae apud illos sunt.* Et ratio in Matthaeo redditur: *Est enim dignus operarius cibo suo.* Quia enim discipuli pauperes erant et laboriosis praedicationis exponebantur discursibus; ne pro penuria et difficultate laboris in se ipsis deficerent, vel pro difformitate victus onerosi redderentur suscipientibus ipsos, huiusmodi fuit eis a Domino vivendi norma [6] praescripta tam pie quam provide, ut et aliis condescenderent et iniunctum sibi laborem viriliter tolerare valerent.

7. Ex praedictis igitur elucescit, quod tam abstinere a carnibus et vino quam his uti potest fieri perfecte et imperfecte; sed unum, scilicet abstinere, fit perfecte ex proprio genere; alterum vero ratione circumstantiae adiunctae, cum ex se magis declinet ad imperfectionem. — Haec autem non idcirco dicimus, quia cibus in culpa sit, cum dicat Apostolus ad Corinthios [7]: *Esca nos non commendat Deo;* Glossa: « Sumta, vel non sumta »; et Augustinus tertio libro de Doctrina christiana [8]: « Quid locis et tempori et personis conveniat, diligenter attendendum est, ne temere flagitia reprehendamus. Fieri enim potest, ut sine aliquo vitio cupidinis vel voracitatis pretiosissimo cibo sapiens utatur, insipiens autem foedissimae gulae flamma in vilissimum ardescat, et sanus quisque maluerit more Domini pisce vesci quam lenticula more Esau, aut hordeo more iumentorum ». Haec Augustinus. Ad quod etiam facit quod dicit Gregorius trigesimo libro Moralium [9]: « Non cibus, sed appetitus in vitio est. Unde lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus et abiectiores non sine reatu conscientiae degustamus. Hinc Esau primatum per lenticulam perdidit, et Elias in eremo virtutem corporis carnes edendo servavit. Unde et antiquus hostis primum sibi hominem non carne, sed pomo subdidit et secundum non carne, sed pane tentavit ».

8. Patet igitur, quod delicatis uti pro loco et tempore possumus absque peccato; quia tamen per excitationem [10] concupiscentiae dant occasionem peccandi, ab huiusmodi abstinere salutare est; ac per hoc, cum sit difficile et arduum et supererogatorium de natura sui generis, colligitur, esse perfectum tanquam ad perfectionem *praeparans* et ipsam *promovens et conservans.* Unde Hieronymus contra Iovinianum [11]: « Fac, esum carnium cunctis nationibus esse communem, et passim licere quod passim gignitur; quid ad nos? quorum *conversatio in caelis est,* qui super Pythagoram et Empedoclem et omnes sapientiae sectatores non ei debemur, cui nascimur, sed cui renascimur, quoniam repugnantem carnem et ad libidinum incentiva rapientem inedia subiugamus ». Haec Hieronymus. Quibus

[1] Epist. 22. n. 35. (cfr. supra n. 2.). Ibidem habentur etiam duo seqq. loci.

[2] Alias homil. 28. n. 3; cfr. supra pag. 237, nota 4, ubi eadem sententia occurrit.

[3] Vide supra c. 1. n. 10. seq.

[4] Epist. I. c. 9, 22. — Superius post *perfectionis* fide C D supplevimus *Christi*, E *caritatis Christi.*

[5] Luc. 10, 7, post quem Matth. 10, 10.

[6] Ita A B C G; edd. *forma.*

[7] Epist. I. c. 8, 8. Glossa est *interlinearis* apud Lyranum; cfr. Comment., quod habetur inter opera Ambrosii et Petr. Lombardi in hunc locum.

[8] Cap. 12. n. 19. In fine respiciuntur Luc. 24, 42. seq. et Gen. 25, 34. Pro *foedissimae* textus originalis *foedissima*, et pro *sanus* Vat. cum nonnullis codd. et ed. 1 *sanius.*

[9] Cap. 18. n. 60. Respiciuntur Gen. 25, 32. seqq.; III. Reg. 17, 6; Gen. 3, 6. et Matth. 4, 3.

[10] Ita B et, ut in ed. 2 notatur, cod. Ferrariensis; edd. *exercitationem.*

[11] Libr. II. n. 7. Allegatur Phil. 3, 20.

ostendit, abstinentiam viris perfectis et caelestibus competere ad perfecte *cavendam libidinem et edomandam carnem.*

Ratio 1.

9. Competit etiam eis, quia *promovet ad perfectam virtutem.* Valet enim primo ad *servandum pudicitiae sanctae nitorem.* Unde Hieronymus ad Eustochium [1]: « Sollicite providendum est, ut quos saturitas de paradiso expulit esuries reducat, non quod Deus, universitatis Creator et Dominus, intestinorum nostrorum rugitu et inanitate ventris pulmonumque delectetur ardore, sed quod aliter pudicitia tuta esse non possit ». — Valet secundo ad *custodiam paupertatis altissimae,* iuxta quod idem Hieronymus ad Salvinam [2] scribit: « Ubi vile olusculum et cibarius panis et cibus potusque moderatus, ibi divitiae supervacuae ». Idem quoque contra Iovinianum [3]: « *Si vis perfectus esse,* bonum est vinum non bibere et carnes non manducare »; et post: « Grandis animae exsultatio est, cum parvo contentus fueris, mundum habere sub pedibus et omnem eius potentiam, et epulas ac libidines, propter quae divitiae conquiruntur, vilibus commutare cibis ». — Valet etiam tertio ad *conquirendam animi fortitudinem,* secundum illud Bernardi [4]: « Quomodo ipsum corpus nostrum quotidie crescit aut decrescit; sic necesse est, spiritum semper proficere aut deficere; sed interest ordinis. Nam semper in robusto et vegeto corpore animus mollior atque tepidior est, et rursum in corpore debili et infirmo fortior viget promptiorque spiritus. Quod se expertum testatur Apostolus, dicens: *Quando infirmor, tunc potens sum* ». Sicut igitur per abstinentiam vigor attenuatur in corpore, sic et augmentatur virtus in animo, quod maxime locum habet in viro perfecto. — Valet nihilominus quarto ad *obtinendam mentis serenitatem,* iuxta sententiam Senecae in quadam epistola [5]: « Non est, inquit, iucunda res aqua et polenta aut frustum hordeacei panis, sed summa voluptas est ex his posse capere voluptatem et ad id se deduxisse, quod eripere nulla fortunae iniquitas possit ». Si igitur haec mentis iucunda [6] tranquillitas, quam varii eventus fortunae non auferunt, perfectioni attestatur; aperte colligitur, quod sic abstinere sit perfectorum.

Ratio 2. quadruplex. Prima. — Secunda. — Tertia. — Quarta.

10. His praeallegatis pro veritatis parte, facile iam est et perfectionis abstinentiae sublimitatem defendere et hostis adversus eam erecta machinamenta dissipare. Nam ab impositione falsi criminis sumens exordium, primum quidem se fundat super falsum, asserens, eum, contra quem scribit, dixisse, quod carnium esus sit a perfectione recessus, quod nunquam dixit; insuper, et quod de numero sit illorum, de quibus dicit Apostolus [7], quod *in novissimis diebus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris.* Quod crimen illi impingit, quia saturitati abstinentiam praetulit. Quantae igitur malignitatis et fraudis sit pro abstinentiae commendatione viro fideli errorem Manichaeorum impingere, is qui legit advertat. Hoc enim nihil aliud est astruere, nisi quod abstinentia commendari non possit sine praeiudicio fidei et sanae doctrinae. Quod si verum est, erraverunt viri clarissimi, qui magna et mira fuerunt abstinentia praediti; errat et nunc sancta mater Ecclesia, quae in ieiuniis ab ipsa institutis [8] iubet abstinere a carnibus et ab his quae sementinam inde trahunt originem. Errare probatur et ipse qui aut morem Ecclesiae sequitur, et tunc secundum suam sententiam est Manichaeus; aut morem hunc sacrum impugnat, et tunc est Ioviniani discipulus.

Machinamenta scriptoris destruuntur. — Ipse im[...]it falsum [...] men. — Improb[...]r calumni[...]r. — Notand[...].

11. Audiat igitur non nos, sed Augustinum contra Adimantum Manichaeum [9] de discipulis illius sectae loquentem: « Istos, inquit, significavit futuros Apostolus *in temporibus novissimis, prohibentes nubere et abstinere a cibis, quos Deus creavit.* Hos enim proprie designat, qui se non propterea temperant a cibis talibus, ut aut concupiscentiam suam refrenent, aut infirmitati alterius parcant ». Audiat etiam Hieronymum contra Iovinianum [10]: « Reprobat, inquit, Apostolus eos qui prohibebant nubere et iubebant a cibis abstinere; sed Marcionem designat et ceteros haereticos, qui abstinentiam inducunt perpetuam ad destruenda et contemnenda et abominanda opera Creatoris. Nos autem creaturam omnem laudamus, et maciem saginae, abstinentiam luxuriae, ieiunia praeferimus saturitati; et *a diebus Ioannis Baptistae,* ieiunatoris et virginis, *regnum caelorum vim patitur* ». In his satis Hieronymus Ioviniani et novi sectatoris ipsius os obstruit, ne instar sepulcri patentis suorum carnalitate sermonum tanquam exhalationibus foetidis fidelium mentes sobrias et pudicas inficiat moresque corrumpat. Nam, ut ait Apostolus [11], *corrumpunt bonos mores colloquia prava.*

Augusti[...]. — Hierony[...].

---

[1] Epist. 22. n. 10. seq. Post *esuries reducat* textus originalis plura addit.

[2] Epist. 79. (alias 9.) n. 4.

[3] Libr. II. n. 6, ubi allegatur Matth. 19, 21. Cfr. supra pag. 258, nota 9. Secundus loc. est ibid. n. 11, in quo pro *potentiam* (ita C D E et ed. 1 cum textu originali) Vat. et ed. 2 *pompam,* et pro *conquiruntur* textus originalis *comparantur.*

[4] Epist. 254. n. 5. In fine allegatur II. Cor. 12, 10. Textus originalis nonnulla interserit et mutat.

[5] Epist. 18. § 8.

[6] Ex B C D supplevimus *iucunda.* Quae sequuntur a n. 10. usque ad c. 6. desiderantur in E, qui tamen hoc loco duplicem exhibet *Glossam,* secundum quam licita probatur abstinentia, qua etiam Sancti utebantur.

[7] Epist. I. Tim. 4, 1.

[8] Codd. B C D *statutis.*

[9] Cap. 14. n. 2. Allegantur I. Tim. 4, 1. et 3.

[10] Libr. II. n. 16. In principio respicitur I. Tim. 4, 3. et in fine allegatur Matth. 11, 12. Textus originalis plura hinc inde interserit et pro *inducunt* substituit *indicunt.*

[11] Epist. I. Cor. 15, 33, ubi pro *prava* C cum Vulgata *mala.* Ps. 13, 3: *Sepulcrum patens* est guttur eorum etc.

12. Sane, quia studium esse consuevit errantium testimoniis veritatis perverse intellectis adversus ipsam veritatem confligere; ideo consequenter munire se nititur auctoritate Scripturarum, primo allegans illud Apostoli[1]: *Omnis creatura Dei bona;* et iterum: *Omnia munda mundis;* cui etiam, interpositis quibusdam, subnectit evangelicum illud[2]: *Non quod intrat in os coinquinat hominem;* quibus etiam interponit auctoritatem Augustini de Civitate Dei, qui dicit, quod « consuetudo victus non impedit religionem ». Ex quibus conatur astruere, quod abstinentia ciborum nihil facit ad perfectionem, nec ipsorum usus vel sumtio ad imperfectionem. Unde et dicit: « Imperfectionem non facit Dei creatura, sed mens infirma et nesciens uti ea; ideo magis ei competit abstinentia quam perfectae menti[3] ». — Hoc si verum est, et huiusmodi ratio aliquid roboris habet; cum bona temporalia sint creaturae Dei, et mulier formata a Deo, et coniugium, quod plus est, sit Domini Sacramentum[4], et libertas propriae voluntatis sit donum divinum; nihil horum ad imperfectionem facit, magisque competunt haec perfectis quam imperfectis, tanquam melius scientibus uti. Magis igitur secundum hanc indoctam doctrinam perfectis competit divitias possidere quam spernere, magis nubere quam continere, magis agi voluntate propria quam gubernari aliena.

[Margin: ...toritates ...so ad- ...ctae. — ...ntra hoc ...itur, pri-]

13. Ex quibus etiam illud infertur, quod doctrina Christi fuerit perfectioni contraria. Ad quod quidem inconveniens auribus piis horrendum nequaquam devenisset, si earum quas allegat auctoritatum catholicum habuisset intellectum. Nam auctoritas *Apostoli,* quam proponit, haereticorum reprobat impietatem; *evangelicum* verbum Pharisaeorum superstitionem; sed et Augustinus in verbo proposito adversatur utrisque. Quod enim Christus Pharisaeos de superstitione notavit, et textus evangelicus[5] aperte declarat, et Glossa exponit, quae super illud Matthaei: *Non quod intrat in os coinquinat hominem,* ait: « Uno sermone omnis superstitio observationum eliditur, dum in discernendis cibis religio putatur »; quod de ea discretione intelligendum est, quae secundum Pharisaeorum sententiam in cibis constituit immunditiae causam. Nam discernere inter cibaria delicata et aspera, pretiosa et vilia abstinentium more non repugnat, sed consonat religioni christianae. — Quod autem dicit Augustinus, quod « victus non impedit religionem », intelligendum est de religione christianae fidei, quae communis est perfectis et imperfectis; de qua Augustinus ibidem[6]: « Ipsos quoque philosophos, qui Christiani fiunt, non habitum et consuetudinem victus, sed falsa dogmata mutare compellit ». Quod quidem intelligi non potest de Religione disciplinae regularis, in qua habitus novus assumitur, et mutatur consuetudo vivendi quantum etiam ad discretionem ciborum. Unde Hieronymus contra Iovinianum[7]: « Audi, inquit, sues et apros et cervos et huiusmodi reliquas animantes esse creatas, ut athletae, milites et nautae metallorumque fossores et ceteri huiusmodi operibus mancipati cibos haberent, quibus fortitudinem corporum sibi necessariam sustentarent. Ceterum nostra religio non athletam erudit, non fossorem vel remigem, sed sapientiae sectatorem, qui se Dei cultui mancipavit ». — Denique verbum Apostoli, quod primo[8] proponit, Manichaeorum impietatem impugnat, non abstinentiam perfectorum. Unde Hieronymus ad Salvinam[9]: « Scimus ab Apostolo dictum: *Omnis creatura Dei bona, et nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur;* sed idem loquitur: *Bonum est non manducare carnem et non bibere vinum.* Comedant carnes quae carnibus serviunt, quarum fervor despumat in coitum, quae alligatae maritis generationi et liberis dant operam; quarum uteri portant fetus, earum intestina carnibus impleantur. Tu vero, quae in tumulo mariti sepelisti omnes pariter voluptates, nihil habes necesse aliud nisi perseverare in ieiunio ».

[Margin: ..., secundo. — Locus Augustini explicatur et confirmatur. — Item, verbum Apostoli.]

14. His aperte colligitur, quod omnis creatura bona et munda est, et quod sanctum est ab aliquibus abstinere, quia, etsi non sint immundae *causaliter* vel *formaliter,* tamen *occasionaliter* ex earum usu, ut frequenter, immunditia contrahitur, dum concupiscentia excitatur; sicut idem Hieronymus ad Eustochium[10] ait: « Si quid in me potest esse consilii, si experto creditur; hoc primum moneo, hoc obtestor, ut virgo Christi vinum fugiat pro veneno. Quid oleum flammae adiicimus? Quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus »? Haec Hieronymus.

[Margin: Notandum.]

---

[1] Epist. I. Tim. 4, 4, post quem Tit. 1, 15.

[2] Matth. 15, 11. Sententia August. habetur XIX. de Civ. Dei, c. 19: « Nihil sane ad istam pertinet civitatem, quo habitu vel more vivendi, si non est contra divina praecepta, istam fidem, qua pervenitur ad Deum, quisque sectetur; unde ipsos quoque philosophos, quando christiani fiunt, non habitum vel consuetudinem victus, quae nihil impedit religionem, sed falsa dogmata mutare compellit ». Pro *non impedit* A B *nihil impedit.*

[3] Ita A B C D G; edd. *idcirco magis ei abstinentia quam perfectae menti est necessaria.*

[4] Eph. 5, 32: Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.

[5] Matth. 15, 1-20. Glossa est *ordinaria* in Matth. 15, 11, sumta ex Hieron., in Matth. 15, 12.

[6] Libr. XIX. de Civ. Dei, c. 19; cfr. supra nota 2.

[7] Libr. II. n. 6. Textus originalis hinc inde plura interserit. Pro *reliquas animantes esse creatas* Vat. cum edd. 1, 2 et nonnullis codd. *reliquos animantes esse creatos.*

[8] Supra n. 12. — Inferius pro *perfectorum* (ita B C D G et edd. 1, 2) Vat. *imperfectorum.*

[9] Epist. 79. (alias 9.) n. 7. Allegantur I. Tim. 4, 4. et Rom. 14, 21, post quem textus originalis nonnulla addit. In fine pro *in ieiunio* A B C D et ed. 1 *ieiunio.*

[10] Epist. 22. n. 8. Post *veneno* in textu originali plura adduntur. — Superius pro *contrahitur* A B C D G et ed. 1 *trahitur.*

Obiectio solvitur.

15. Quod si forte quis dicat, hanc ruinam iuvenibus et imperfectis, non perfectis esse timendam; obviat idem Hieronymus in eadem epistola[1] dicens: « Quamdiu hoc fragili corpore detinemur, quamdiu *habemus thesaurum istum in vasis fictilibus,* et *concupiscit caro adversus spiritum,* et *spiritus adversus carnem,* nulla est certa victoria »; et paulo post[2]: « Si Apostolus, *vas electionis* et *segregatus in Evangelium* Christi, ob carnis aculeos et incentiva vitiorum reprimit corpus suum et servituti subiicit, ne *aliis praedicans, ipse reprobus inveniatur;* si post nuditatem, ieiunia, famem, flagella, supplicia in semetipsum reversus exclamat: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius?* tu te putas securam esse debere? Cave igitur, ne de te aliquando dicat Deus: *Virgo Israel cecidit, et non est qui suscitet eam* ». Haec Hieronymi verba si vera sunt, immo quia vera sunt; non parvi periculi res est abstinentiae perfectioni detrahere, ac per hoc animos perfectae virtuti studentium ab ea revocare.

Exempla a scriptore allata.

16. Ut autem efficacius ad hoc possit inducere, Sanctorum consequenter se munit exemplis, Noe scilicet, Eliae et Ioannis Baptistae[3]: « Quorum primus, ut dicit, omne genus carnis accepit in usum, secundus fuit carnium cibo refectus, tertius vero locustarum esu non fuit pollutus ». Ex quibus arguit, quod « cum omnis imperfectio sit pollutio animae, carnium esus nihil facit ad imperfectionem, quin potius ad perfectionem, cum dicat Apostolus[4]: *Scio abundare et penuriam pati;* nec esset perfectior esuriens quam abundans, utrumque enim poterat virtute divina ». — Verum haec quae proposuit virorum perfectorum exempla, si ad hoc introducit, quod talibus vesci sit de se *licitum;* ex ratione procedit et Augustini sententiam sequitur, in libro Confessionum[5], ubi ex praedictis Sanctorum exemplis ostendit, quod non cibus, sed appetitus inordinatus introducit peccatum. Si autem per hoc conatur astruere, quod cibis huiusmodi uti pro loco et tempore non sit perfectioni contrarium, sed *compossibile;* verum adhuc dicit, sed frustra laborat, quia hoc nullus catholicus negat.

Responsio cum distinctione.

Alius sensus reprobatur, primo.

17. Si vero persuadere conatur, quod his vesci et ab his abstinere sit *aeque perfectum,* errat non modicum: primo quidem, quia hoc falsum est et absurdum, sicut praeallegata[6] Sanctorum testimonia et exempla declarant. — Secundo, quia non vera, sed sophistica ratione procedit, cum arguit, quodsi viri perfecti aliquid egerunt, quod hoc ipso illud sit de propria ratione perfectum; hoc enim plurimas habet instantias, sicut praeostensum fuit in praecedenti particula[7]. Nam similiter argui posset de coniugio Noe et de proprietate possessionum et de plantatione vineae, ut taceamus de vini potatione. — Tertio vero, quia exemplis huiusmodi primo propositis falsam subnectit *assumtionem,* cum dicit, quod « imperfectio est animae quaedam pollutio »; hoc superius[8] multipliciter improbatum est tanquam erroneum, et ad quod inconvenientia multa sequuntur. Tunc enim noviter baptizatus aut non esset imperfectus, aut peccati labe pollutus, quorum utrumque absurdum. — Insuper, si esset pollutio, aut *mortalis* esset, et tunc omnis imperfectus caritate careret; aut *venialis,* et tunc omnis venialiter peccans a perfectione decideret, nullusque in veniali existens ad perfectionem perveniret, idemque foret perfectum et impollutum, quod quidem vel est iustorum omnium in statu viae, vel omnino nullorum, nisi Dei-hominis et Virginis gloriosae. — Quarto autem, quia praefata exempla magis ad oppositum quam ad propositum valent, sicut a sacris doctoribus inducuntur. Unde Hieronymus ad Eustochium[9]: « Noe vinum bibit et inebriatus est, et post ebrietatem nudatio femorum subsecuta est. Elias, cum Iezabel fugeret et sub quercu iaceret, adveniente ad se Angelo, suscitatur, et ecce, ad caput eius *panis subcinericius et vas aquae.* Re vera non poterat ei conditum merum mittere et electos cibos et carnes contusione mutatas? Eliseus filios Prophetarum invitat ad prandium et herbis agrestibus eos alens, consonum prandentium audit clamorem: *Mors in olla.* Vir Dei non est iratus cocis, lautioris enim mensae consuetudinem non habebat. Potuit et Danieli de regiis ferculis opulentior mensa transferri, sed Habacuc ei messorum prandium portat, arbitror, rusticanum, ideoque *vir desideriorum* appellatus est, quia panem desiderii non manducavit et vinum concupiscentiae non bibit ».

Secundo.

Tertio.

Ratio.

Alia ra.

Quarto

Evadere [...] ptor co[...]

18. Ecce, quot exempla Patrum veteris testamenti introducit ad abstinentiae laudem, quae is tanquam carnaliter sapiens trahere conatur ad carnem. Sentiens autem, ex his quae iam dixerat, acutis eiusdem Hieronymi iaculis ut Ioviniani discipulum se posse transfigi, quasi clypeum defensionis

---

[1] Num. 4. Allegantur II. Cor. 4, 7. et Gal. 5, 17.

[2] Num. 5. Allegantur Act. 9, 15; I. Cor. 9, 27; Rom. 7, 24. et Amos 5, 1. seq.: Domus Israel *cecidit,* et non adiiciet, ut resurgat. Virgo Israel proiecta est in terram suam, non est qui suscitet eam. Pro *praeparatus in Evangelium Christi* cum textu originali posuimus *segregatus in Evangelium Christi* [Rom. 1, 1.], qui etiam post *inveniatur* nonnulla addit.

[3] Cfr. Gen. 9, 3; III. Reg. 17, 6; Matth. 3, 4. — De seq. propositione cfr. verba August. inferius nota 5. allata.

[4] Phil. 4, 12.

[5] Libr. X. c. 31. n. 46: Non ego immunditiam obsonii timeo, sed immunditiam cupiditatis. Scio, Noe omne carnis genus, quod cibo esset usui, manducare permissum, Eliam cibo carnis refectum, Ioannem mirabili abstinentia praeditum animalibus, hoc est locustis in escam cedentibus non fuisse pollutum. Et scio, Esau lenticulae concupiscentia deceptum etc.

[6] Num. 1. seqq. [7] Num. 7.

[8] Cap. 2. n. 14. seq.

[9] Epist. 22. n. 8. et 9, ubi tamen textus originalis multa hinc inde interserit. De Noe vide Gen. 9, 21; de Elia III. Reg. 19, 5. seq.; de Eliseo IV. Reg. 4, 40; de Daniel cfr. Dan. 14, 32. seqq.; ibid. 9, 23: Vir desideriorum es (cfr. 10, 11. et 19.).

obiiciendo versute subiungit: « Nec me clames Iovinianum, quia non dico, ut ipse, quod non differat simpliciter abstinere, vel carnes et vinum gulose comedere; sed *infirmis,* qui nesciunt his recte uti, valde necessariam iudico abstinentiam, *perfecti* vero nullam contrahunt immunditiam ». — Haec verba ipsius, quibus, ut excuset errorem proprium, exaggerat alienum. Nunquam enim Iovinianus, quamquam sit omnino detestandus, in hanc quam hic fingit dementiam incidit, ut gulositatem aequaret abstinentiae, sicut nec luxuriam continentiae coaequavit, sed pudicitiam coniugalem et virginitatem, usum ciborum et abstinentiam aequalis apud Deum meriti censuit. Quod idem Hieronymus [1] reprobat ut dogma profanum. Hic autem longe amplius desipit quam ille Iovinianus, tanquam proficiens in erroris doctrina discipulus. Nam *sobrietatem* in usu ciborum dicit competere perfectis, *abstinentiam* imperfectis, quia « perfecti nullam ex hoc immunditiam contrahunt, et imperfecti indigent illo remedio ad edomationem concupiscentiarum ». Constat autem, quod perfecti praeferuntur imperfectis, et quae illis et his competunt per se loquendo consimilem habent comparationem: igitur secundum ipsum praefertur horum ciborum usus moderatus et sobrius abstinentiae ab eisdem.

19. Quodsi causetur, falso sibi crimen imponi; dicat igitur ipse quod [2] sentit. Aut enim *praefert* abstinentiam moderato modo vescendi, aut *aequat,* aut *postponit.* Si *praefert,* ut quid tot supervacua verba contra propriam sententiam protulit? Concesso enim, quod abstinere perfectius sit, iam nulla restat causa adversus aliquem disputandi. Si vero *aequat,* in errorem Ioviniani turpiter incidit. Si autem *postponit,* damnatae et reprobatae iam haeresi superaddit. — Quod autem huius ultimae sententiae fuerit, ex consequentibus aperte clarescit. Quasi enim aliquis ei quod dixerat, abstinentiam imperfectis competere, ex adverso resisteret; ex alterius persona subiungit: « Sed dices: Quid igitur Dominus sacerdotibus veteris testamenti, cum ministrarent, prohibuit vinum [3]? Quid quod Nazaraeis inhibuit? Quid quod filii Rechab ex hoc laudantur? Et tandem Ioannes Baptista *vinum et siceram non gustavit* ». Et addit: « Qualiter igitur non erit perfectius a vino et a carnibus abstinere quam his uti »? Et ad haec tanquam ad probandum falsum inducta respondet dicens, quod « *sacerdotibus* veteris legis inhibetur vinum velut adhuc nescientibus uti; et quod abstinentia *Nazaraeorum* figuralis, non moralis fuit; et quod filii *Rechab* magis de obedientia quam de abstinentia laudati sunt; et quod *Ioanni Baptistae* abstinentia competebat, quia adolescens erat », addens, « quia, sicut absque diminutione perfectionis carnes comedit [4], sic etiam, si voluisset, potuisset bibere vinum, cum ad eius oppositum nulla lege teneretur ».

20. Ex quibus aperte colligitur, quod ad Ioviniani superaddit errorem. Cum enim supra [5] probaverit, quod perfectis competit vino et carnibus uti, exemplo Noe, Eliae et Ioannis Baptistae; et nunc pro inconvenienti habeat, quod perfectis viris abstinentia indicitur: manifeste convincitur eius esse sententiae, qua ciborum usus abstinentiae non *postponitur,* sed *praefertur.* Pro huius quoque erroris defensanda [6] perfidia plurima dicit absurda. — Nam quod asserit, vinum interdici *sacerdotibus* tanquam nescientibus uti, aperte contrariatur veritati, cum super illud Levitici [7]: *Vinum et omne, quod inebriare potest* etc., dicat Glossa: « Filiis Aaron tanquam sublimiora adeptis traditur hoc mandatum ». Insuper, contra viros sanctos blasphemare convincitur, quorum nonnulli sacerdotalis generis sanctitatis privilegio et prophetiae spiritu claruerunt. Mira certe, vel potius monstruosa doctrina! Cum enim supra praemiserit, quod viris perfectis competebat coniugium in veteri lege, et secundo addiderit, quod Aaron tanquam vir perfectus fugit [8]; qua fronte nunc subiungere potest, quod tanquam imperfectus abstinuit, quasi coniugii nexus vel fugae praesidium sacerdotibus perfectionis gloriam tribuat, et sanctitas abstinentiae tollat?

21. Magna etiam absurditate non caret, quod principalem causam abstinentiae Praecursoris aetatem asserit fuisse iuvenilem, scilicet propter adolescentiam castigandam, ac si abstinentia senibus et perfectis non competat. Quid igitur sancti senes et perfecti, Paulus eremita, Antonius, Hilarion [9] et clarissimi illi coenobiorum Patres abstinuerunt usque ad decrepitam senectutem? Quid illi nobiles coenobitae, de quibus dicit Hieronymus ad Eustochium [10]: « De cibis vero et potu taceo, cum etiam languentes monachi aqua frigida utantur, et coctum aliquid accepisse luxuria sit »? Quid illa anus sacratissima Paula, de qua idem Hieronymus [11]: « Nulla iuvenum puellarum sano et

[Margin notes: ...obatur. — ...ptor er-...distin-...e. — ...s fuerit ...entiae, ...stratur. — Addit ad errorem Ioviniani. — Refellitur. — Alia ipsius absurditas. — Exempla.]

---

[1] Libr. I. adversus Iovinian. n. 3. quatuor propositiones Ioviniani falsas recenset, de quibus prima et tertia sic sonat: « Dicit, virgines, viduas et maritatas, quae semel in Christo lotae sunt, si non discrepent ceteris operibus, eiusdem esse meriti... Tertium proponit, inter abstinentiam ciborum, et cum gratiarum actione perceptionem eorum nullam esse distantiam ». Primam propositionem Hieronymus impugnat libr. I. n. 4-49; tertiam libr. II. n. 5-17.

[2] Codd. B G *quid.*

[3] Levit. 10, 9; de Nazaraeis cfr. Num. 6, 3; de filiis Rechab Ier. 35, 6. et de Ioanne Luc. 1, 15.

[4] Matth. 3, 4: Esca autem eius erat locustae. Cfr. supra pag. 262, nota 5.

[5] Cfr. n. 16.

[6] Cod. G *defendenda,* F *defensare,* Vat. *defensatore.*

[7] Cap. 10, 9. Glossa in hunc locum est *ordinaria* (ex Hesychio).

[8] Num. 16, 43: Moyses et Aaron fugerunt ad tabernaculum foederis. — Superius D omittit *supra.*

[9] Cfr. Hieron., Vita S. Pauli primi eremitae, n. 6. seqq., ubi etiam de Antonio; et Vita S. Hilarionis eremitae, n. 11.

[10] Epist. 22. n. 7. Voci *utantur* Vat. cum ed. 1 et 2 praefigit *vix* (etiam contra textum originalem), et pro *luxuria* G *luxuriae.*

[11] Epist. 108. (alias 27.) ad Eustochium virginem. Epitaphium Paulae matris, n. 20.

vegeto corpore tantae se dederat abstinentiae, quantae ipsa fracto et senili debilitatoque corpusculo »? Quid etiam venerabilis illa Tharsilla, de qua Gregorius, quarto Dialogorum [1]: « Tharsilla, inquit, amita mea, inter duas alias sorores suas virtute continuae orationis, gravitate vitae, singularitate abstinentiae ad culmen perfectionis excreverat »? Quid tandem Apostolus, de quo Hieronymus contra Iovinianum [2]: « Paulus Apostolus post famem et sitim et ceteros labores suos et pericula latronum et solitudinis crebra ieiunia enumerat et discipulo Timotheo dolenti stomachum et infirmitates plurimas sustinenti suadet vini modicam potionem, quod non concederet, nisi crebrae infirmitates et dolor stomachi postulassent »?

Exempla philosophorum.

22. Innumera quoque ad hoc exempla suppetunt virorum illustrium, non solum in Christum credentium, verum etiam gentilium philosophorum, sicut ex variis historiis colligi potest, et praecipue de libro Hieronymi contra Iovinianum [3] et ex eo quem conscripsit Ambrosius de Vita brachmanorum. Nec horum contemnenda exempla, cum Hieronymus ad Laetam [4] dicat, « quod Iudaica superstitio *ex parte* facit in reiectione quorundam animalium atque escarum, quod Indorum brachmani et Aegyptiorum gymnosophistae in polenta et oriza et pomorum solo observant cibo, cur virgo Christi non facit *in toto*? Si tanti vitrum, quare non et maioris pretii sit margaritum »?

Cautela contra excessum.

23. Haec autem non idcirco diximus, ut abstinentiae laudemus excessum, vel ut nostri temporis homines de imperfectione notemus. Fieri etenim potest, ut pro debilitate corporum excusentur nonnulli, iuxta quod Distinctione trigesima quarta [5] dicitur: « Defectus hominum nostri temporis, quibus non solum merita, sed etiam corpora ipsa defecerunt, non patitur, districtionis illius manere censuram ». Fieri etiam potest, ut ad aliqua pietatis officia se ipsos exerceant, quae districtionem illam vel in toto, vel in parte recompensent. Hoc tamen praecipua cura servandum, ut, qui tantum vitae rigorem sequi non valent, vel forsitan nolunt, non praesumtuose vilipendant, sed religiose venerentur, quatenus, si quid in eis pro carnis debilitate [6] subtrahitur, ex mentis humilitate suppleatur.

Contra ... ptorem ... bo Praecursoris.

24. Hanc piam reverentiae formam, si is cui respondetur, observare voluisset, nequaquam humanae carnalitatis vitium per carnes, quas dicit a Praecursore comestas, temeraria praesumtione foveret. Cui aperte contrariatur evangelicus textus [7] et Augustinus contra Faustum, ubi sic ait: « Unde dictus est Ioannes *non manducans neque bibens*, nisi quia illo victu, quo Iudaei utebantur, ipse non utebatur »? Constat autem, quod Iudaei carnibus vescebantur; nisi forte quis ita desipiat, ut dicat, Ioannem carnes manducasse in Lege prohibitas. Hieronymus etiam contra Iovinianum [8]: « Praecursor Domini et praeco locustis alitur et silvestri melle, non carnibus ». Et Rabanus super illud Matthaei [9]: *Esca eius locustae* etc.: « Habitatori solitudinis congruum erat, ut non delicias ciborum, sed necessitatem humanae carnis expeteret ». Unde refert Arculfus Galliarum episcopus [10], « minimum genus locustarum fuisse in deserto Iudaeae, quo pastus est Ioannes Baptista, et usque hodie ibi apparere, quae corpusculis in modum digiti manus exilibus in herbis facile capiuntur coctaeque oleo pauperem praebent victum ». His itaque diligenter perspectis, quis tam impudens erit, ut per vitam Ioannis austeram et pauperem, suam, vel alienam defensare audeat carnalitatem?

Verba ... ptori

25. Ceterum quia superfluum est in his immorari diutius, ad ea veniendum est, quae in quaestionis huius definitione subiungit. Dicit namque, quod « viri perfecti ad vinum et carnes se relaxaverunt propter *carnis infirmitatem*, propter *servandam consuetudinem communis vitae* et propter *scandali vitationem* ». Quae quamvis vera sint et a Sanctis accepta, multa tamen falsa, ut assolet, in eorum explicatione permiscet. — Dicit enim in explicatione primi membri, quod « imperfectio est damnum virtutis », quod superius [11] tanquam erroneum est multipliciter

Eiusdem ... rores in ... bantur.

---

[1] Cap. 16: Unde et hoc quod de Tharsilla, amita mea, in Homiliis [homil. 38. n. 15.] Evangelii dixisse me recolo replicabo, quae inter duas... ad culmen sanctitatis excreverat.

[2] Libr. II. n. 15. Respiciuntur II. Cor. 11, 26. seq. et I. Tim. 5, 23.

[3] Libr. II. n. 9-14. — Liber de Vita brachmanorum habetur inter opera *incerta* Ambrosii.

[4] Epist. 107. (alias 7.) n. 8. Pro *in polenta et oriza* (ita A B C D G et ed. 1) Vat. et ed. 2 cum textu originali *in polentae et orizae* [cibo].

[5] Can. *Fraternitatis* (7.)... tamen quia defectus nostrorum temporum, quibus non solum merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt, districtionis illius non patitur in omnibus manere censuram. Codd. D G post *corpora ipsa* repetunt *hominum*.

[6] Codd. A B *imbecillitate*.

[7] Matth. 3, 4. et 11, 18. — Sententia August. habetur XVI. contra Faustum, c. 31. Allegatur Matth. 11, 18.

[8] Libr. II. n. 15. Respicitur Matth. 3, 4.

[9] Libr. I. Comment. in Matth. 3, 4: Habitatori solitudinis congruum est, ut... carnis *expleret*.

[10] Migne, Patrol. Lat. tom. 88, col. 721. seq.: « Arculfus, urbis cuiusdam in Gallia episcopus, claruit 690. Suscepto religionis causa in Orientem itinere ac lustratis locis sanctis, Damascum quoque, Constantinopolim, Alexandriam aliaque loca adiit, ac demum in Galliam rediens, vi tempestatis in occidentalia Britanniae littora delatus et ab Adamano, abbate Hyensi, hospitio benigne exceptus est. Ab illius ore exceptum peregrinationis huiusce historiam et locorum sanctorum descriptionem litteris consignavit Adamanus, rem voluminibus tribus complexus. Exstant hi libri *De situ terrae sanctae* inscripti » etc. (Cfr. Beda, V. Histor. ecclesiast. c. 15.) Sententia allegata habetur in libro II. c. 23. (col. 803): Idem noster Arculfus in illa solitudine, ubi Ioannes habitabat, quoddam locustarum vidit minimum genus, quarum corpuscula in modum digiti manus exilia et brevia sunt; et quia earum brevis est volatus, similis levium saltibus ranarum, facile in herbis capiuntur et coctae per oleum pauperem praebent victum.

[11] Num. 17.

improbatum. Addit etiam, quod « Elias propter infirmitatem carnis carnibus pastus fuit, quam etiam infirmitatem Christus accepit ». Hoc si de *speciali* carnis infirmitate intelligatur, non sine temeritate multa asseritur, tum quia id Scriptura non docet, sed eius contrarium [1], tum quia erroneum est asserere, quod Christus assumserit infirmitates, nisi illas quae communiter respiciunt statum humanae naturae. Quodsi de infirmitate, quae *communis* est omnibus, loquitur, secundum hoc exemplo Christi et Eliae quilibet perfectus carnes comedere debet.

26. Sane quod in explicatione secundi modi introducit auctoritate Augustini, de libro Quaestionum Evangelii [2], quod « non interest, quid alimentorum vel quantum quis accipiat, dummodo id agat pro congruentia hominum, cum quibus vivit »; si *generaliter* accipiatur, sicut hic ex perversitate intellectus insinuat, omnem abstinentiae rigorem enervat, secundum duplicem abstinentiae modum, a *quali* videlicet et a *quanto*. — Attendendum est igitur, quod verbum illud intelligi debet, quod non multum interest quantum ad *rationem liciti vel illiciti*, contra id quod asserit Manichaeus [3]; multum tamen interest quantum ad *edomationem carnis, exercitationem virtutis* et *satisfactionem pro culpis commissis*. Unde Gregorius in Registro [4]: « Duobus modis viri sancti a licitis abstinere solent, aliquando, ut merita sibi apud omnipotentem Deum augeant, aliquando, ut anteactae vitae culpas detergant ».

27. Sed etiam pari non caret perversitate quod ibidem subiungit: « Si quis vero restrictius vult vivere quam hi, cum quibus communiter vivit; aut intemperans est, et ita imperfectus, aut superstitiosus, et ita impius ». Haec verba ipsius, quae imponit Augustino, de Doctrina christiana [5], simulque dicit, quod hoc, scilicet restrictius vivere, « non docuit Christus, sed potius inhibuit, nec aliquis Sanctorum hoc fecit ». — His autem verbis omnibus pene [6] sanctarum Religionum institutoribus et ecclesiarum rectoribus, qui strictius vixerunt quam eorum consocii, non solum notam imperfectionis, sed etiam maculam praevaricationis impingit. Propter quod et a blasphemia in Christi Sanctos immunis non est, nisi in quantum fortassis eum ignorantia excusat, quia quos imitari abhorruit, illorum vitas legere neglexit; sicut et mendositas codicis in ea quam allegat Augustini auctoritate ipsum fefellit. Nequaquam enim ibi [7] scriptum habetur: « aut intemperans est », sed: « aut temperans est, aut superstitiosus »; ubi vult Augustinus ostendere, quod transcensus vitae communis aut venit ex sublimitate virtutis, sicut in viris magnae austeritatis, aut ex superstitione erroris, sicut in Manichaeis, vel ex praesumtuosa singularitate modi vivendi, sicut in quibusdam hypocritis et vanis hominibus, qui despiciunt statum vitae communis. Corrigat igitur sui mendositatem codicis, vel potius a malignitate resipiscat erroris.

28. In pertractatione quoque tertii modi falso *redarguit Petrum* Apostolum et impie *blasphemat in Christum*. Dicit enim, Petrum reprehensum a Paulo, quia abstinentia sua scandalizabat infirmos. Verum, sicut ex textu apparet Apostoli [8], non in hoc arguendus erat Petrus, quod abstinentium more a cibis delicatioribus carnem restringeret, sed quia, more Iudaeorum cibos discernens, *gentiles* faciebat exemplo suo *iudaizare*. — Quod vero subiungit, Christum comedisse agnum paschalem [9], quem comedere non tenebatur, nisi ne inde praeberet Iudaeis scandali occasionem; manifestam blasphemiam continet. Nam Christus, cum esset Dominus Legis et omnium, etiam cum scandalo Iudaeorum, qui sub Lege erant, legales caeremonias praeterire poterat, nec ex *tentione* aliqua, sed ex *condescensione* Legis figuralia observabat.

29. Tandem quia veritas semper vincit et invalescit [10], cuius lumen etiam inter densas errorum tenebras radiat, eius quasi virtute compulsus abstinentiae hostis ad eam quam impugnaverat laudandam convertitur, cum subiungat, quod « tribus ex causis viri sancti abstinuerunt: primo, propter *macerationem carnis* ad edomandum concupiscentias; secundo, propter *cautelam scandali infirmorum;* tertio, propter *evitationem idolothytorum* ». — Haec siquidem vera sunt et ab Augustino sumta, in libro de Moribus Manichaeorum [11]; sed hunc triplicem veritatis radium triplicis erroris caligine obnubilare conatur.

30. Nam primo dicit, quod « sancti Patres non tenebantur abstinere a cibis Lege prohibitis nisi propter vitandum scandalum, quia pertinebant ad novum testamentum »; et hoc est falsum. Unde Augustinus contra Faustum libro decimo nono [12]: « Machabaeos, inquit, cum ingenti admiratione praeferimus, quod escas, quibus nunc licite Christiani utuntur, attingere

---

[1] Libr. III. Reg. 17, 1. seqq., ubi narratur, Eliam oratione sua impetrasse, ut per triennium non plueret super terram, eique in hoc tempore famis a corvo delatos fuisse panes et carnes. — De seq. ratione cfr. supra pag. 252, nota 2.

[2] Libr. II. q. 11.

[3] Cfr. supra n. 11. et 13.

[4] Libr. XI. Epist. epist. 45. ad Theoctistam patriciam.

[5] Libr. III. c. 12. n. 18.

[6] Vat. *plane*.

[7] Loc. paulo superius allegato: Quisquis autem rebus praetereuntibus restrictius utitur, quam sese habent mores eorum, cum quibus vivit, aut *temperans*, aut superstitiosus est; quisquis vero sic eis utitur, ut metas consuetudinis bonorum, inter quos versatur, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus non usus rerum, sed libido utentis in culpa est. — Inferius pro *auctoritatis* ex B posuimus *austeritatis*.

[8] Gal. 2, 11. seqq. Cfr. Bonav., IV. Sent. d. 3. p. II. a. 3. q. 2.

[9] Cfr. Luc. 22, 7. seqq.

[10] Libr. III. Esdr. 4, 35: Nonne... veritas magna et fortior prae omnibus?

[11] Libr. II. c. 14. n. 31. et 35.

[12] Cap. 14, ubi pro *tempore prohibito* textus originalis *tempore prophetico*.

noluerunt, quia tunc pro tempore prohibito non licebat ». — Secundo addit, quod « Christus his tribus modis abstinuit »; in quo non solum oberrat, sed solito more blasphemat. Cum enim primus modus sit, ut dicit, propter refrenandas concupiscentias carnis [1], hoc Christo attribuere non est aliud quam blasphemare, nisi forte per hoc excusare se velit, quod ante praedixit, Christum non propter concupiscentias proprias abstinuisse, quia nullas habuit, sed ut abstinendo exemplum daret aliis suas concupiscentias refrenandi. — Verum, si hanc intelligentiam habet, sensum rectitudinis teneat, sed verbum erroris immutet [2]. Quaerimus tamen ab eo, quibus exemplum hoc praebuit Christus, utrum *perfectis*, de quibus idem dicit, quod iam concupiscentias domuerunt, an *imperfectis*, qui adhuc concupiscentiis agitantur? Constat, quod *imperfectis*. Si igitur Christus tanquam medicus infirmis condescendendo exemplum praebuit et quasi de huiusmodi medicinali potione gustavit absque detrimento perfectionis suae, ut quid tot in vanum verba protulit et conscripsit adversus hanc veritatem, quam de ipsius impugnantis ore eiusdem invincibilis veritatis virtus extorsit?

Error 2. — Excusatio vana. — Arguitur contra eam.

31. Tertio subdit, quod « his tribus modis abstinere *perfectis* Christus praecepit nec contrarium praecepit *imperfectis*, sed quibus placuit misericorditer indulsit ». Haec verba ipsius; in quibus et *veritati* contradicit et *sibi ipsi*: *veritati* quidem, quia maxime astringuntur imperfecti ad idolothyta vitanda; nec eis indulgetur, quod alios scandalizent, aut suas concupiscentias non refrenent. *Sibi ipsi* etiam contradicit, quia, cum supra [3] docuerit, abstinentiam imperfectis magis competere quam perfectis — propter quod dixit, abstinentiam vini iniunctam sacerdotibus veteris testamenti, non novi — nunc se ipsum redarguens dicit, quod « abstinentia viris perfectis praecipitur et imperfectis indulgetur ». In quo, dum uno destruit brevi sermone quidquid supra construxerat, manifeste declarat, quod qui studio contentionis deservit, dum arcu tenso doloso [4] per sagittam sermonis emissam alterum vulnerare satagit, iusto Dei iudicio semetipsum prius ipse configit.

Error 3. — Contradi[cit] duplex. — Nota od[...]

Capitulum VI.

Secundae responsionis tertia particula sextumque capitulum, in quo ieiunii arctitudo ut consona perfectioni defenditur, et eius multiplex commendatio subinfertur.

1. Satis evidenter per praedeterminata patet, ut credimus, ieiunii arctitudinem, velut abstinentiae culmen, evangelicae perfectionis structurae non modicum praestare munimen. Verum, quia contentionis amator adversus ipsius praerogativam novae [5] disputationis certamen aggreditur, stultitiae suae respondere compellimur, ut simplices a perfectione non revocet nec sibi sapiens esse videatur. Etenim cum is, contra quem scribit, nullam de ieiunio mentionem fecerit, sicut ipsemet recognoscit; quia tamen alius praedicans [6] fuit de ieiunii perfectione locutus, nova eum disceptatione confutare conatur, quasi non ei sufficiat agere contra unum, quin potius Ismaelitico more *manum erigit contra omnes*, ut iusto Dei iudicio *manus sit omnium contra eum* [7]. Et quidem, quod vir peritus, ut iste fatetur, docuerit, Christum ieiunando solis perfectis et comedendo solis imperfectis exemplum dedisse, nullatenus videtur esse credibile, cum omnibus constet, quod tam ieiunare quam comedere fieri potest non solum perfecte et imperfecte, verum etiam bene et male, sancte et impie, secundum rationem diversorum finium et circumstantiarum [8].

Alterius sermonem scriptor impugnat. — Et falsa refert.

2. In hoc tamen differentia est inter *ieiunia servare* et *ieiunia solvere*, quod primum de se est difficile et arduum ac de se efficax ad repressionem carnalis libidinis et exercitationem spiritualis virtutis, et ideo de ratione *sui generis* bonum et ad perfectionem ordinatum. Secundum autem, scilicet *ieiunia solvere*, facile est et carni suave, et ad quod inclinatur mentalis infirmitas, et ideo imperfectum de se, quamvis et perfecte fieri possit ratione circumstantiae superadditae, utpote cum a viro perfecto fit ratione debilitatis propriae, vel condescensionis fraternae. Fatemur igitur una cum illo, contra quem scribit, quod loquendo de natura huiusmodi actuum perfectius est ieiunia servare quam solvere, et quod Christus omnis virtutis exemplar et pro tempore ieiunavit et pro tempore ieiunia solvit, ut in primo austeritatis vitae praeberet exemplum et in secundo humanae infirmitati praestaret solatium. Propter quod et primum fuit rigoris, secundum condescensionis,

Quo[d] differan[t] ieiunia s[ervare] et s[olve]re. — Asserti[o]

---

[1] Codd. A B C omittunt *carnis*.
[2] Cfr. August., V. de Civitate Dei, c. 1. et 8.
[3] Num. 18. seq.
[4] Osee 7, 16: Facti sunt quasi arcus dolosus.
[5] Ita A B C D E; edd. *novum*.
[6] Secundum A fuit vel Fr. Robertus de Vegli vel Fr. Petrus de Tarantasia; cfr. supra pag. 235, nota 8. — Subinde pro *disceptatione confutare* (ita A B C E) edd. substituunt *disputatione confutare*.
[7] Gen. 16, 12: Hic [Ismael] erit ferus homo, manus eius contra omnes, et manus omnium contra eum.
[8] Cfr. supra c. 1. n. 7. seqq. et c. 5. n. 4. — Superius pro *docuerit* C E *docuit*.

utrumque tamen perfectum in Christo, quia ex perfectissima caritate processit. Nam condescensio, sicut ex praedeterminatis [1] est evidens, nullam imperfectionem ponit in condescendente, sed in eis solum, quibus condescenditur, vel in ipso genere actus.

3. Hoc [2] si voluisset calumniator advertere, varios, in quos incidit, falsorum dogmatum declinasset errores. Nam super falsum primo se fundans, *falsi criminis impositione* catholici doctoris verba depravat, sed et verisimili quadam *distinctione modorum ieiunandi* erroris sui versutias occultat, tandem fraudulenta *commendatione solutionis ieiunii* carnalis lasciviae venena propinat. — Aggrediens igitur eum, contra quem scribit, primum redarguit tanquam *haereticum* et *praesumtuosum* et *verae perfectionis inimicum*. — Summa autem persuasionis suae, qua velut *haereticum* eum confutare conatur, haec esse colligitur: quia, « si Christus aliqua fecit, quibus exemplum praebuit perfectis tantummodo; tunc sequitur, quod invidus fuerit, quia perfectionem imperfectis invidit ». Item, « si aliqua fecit, tantum imitanda imperfectis, cum illa non potuerint esse perfecta, aut Christus duas habet personas, quarum una fecit perfecta, alia imperfecta, secundum dogma Nestorii; aut, si *Dei* Patris *perfecta sunt opera* [3] et Christi imperfecta, tunc erit persona Filii minor persona Patris, iuxta impietatem Arii sive Photini ».

ra illum ...torem ...tor tria ...acit.

...mo eum ...mniatur ...pliciter.

...usat ut ...reticum ...pliciter.

4. Huius autem sophisticae ratiocinationis processus auctorem suum et ignorantem demonstrat et impium. Si enim scientiam haberet vel quantumcumque exilem, manifeste perpenderet, quod sicut universitatis Creator diversis rerum generibus varias secundum magis et minus naturarum, virtutum et operationum nobilitates distribuit non solum absque malignitate invidiae, verum etiam cum multa manifestatione bonitatis suae; sic et humani generis Recreator non solum absque invidia, sed etiam ex multa caritatis benevolentia diversa largitur charismatum dona, diversa revelat mysteriorum arcana, diversa dat graduum et praelationum officia, diversa tandem virtutum praebet exempla, ita quod uni dat imitari unum, alteri alterum, iuxta quod Apostolus loquens de continentiae gradibus ait [4]: *Unusquisque donum proprium habet a Deo.* — Insuper, cum dicitur, quod Christus aliqua proposuit imitanda perfectis, si sane saperet, non solum de illis intelligeret, qui iam perfecti sunt, sed de omnibus, qui cupiunt esse perfecti, sicut etiam Christus adolescenti, cui dixerat [5]: *Unum tibi deest,* subdit: *Si vis esse perfectus, vade et vende omnia, quae habes* etc. Nullis ergo semitam perfectionis praecludit, nullis invidet, nullos repellit, sed gradum statuit competentem his qui ad perfectionem satagunt provehi, non his qui volunt in imperfectione versari.

...arguitur ...mniator primo ...dicto.

5. Quod autem ex diversitate operationum in Christo, vel minoritate respectu operum Patris infert, Christum vel duplicis esse personae, vel in ipsa personalitate divina esse minorem Patre, Nestorii simul et Arii erroneam sapit impietatem. Nunquam enim ex *pluralitate operationum* sequitur *pluralitas personarum*, nisi secundum Nestorium, sed *pluralitas virtutum* et *naturarum*. Nec ex *minoritate operationis* sequitur minoritas in personalitate divina, sed in natura assumta, nisi secundum Arium, qui ex hoc, quod Christus dicit se Patre minorem [6], quod fideles intelligunt secundum naturam humanam, infert inaequalitatem in personalitate et natura divina. Si igitur hanc rationem credit valere, dum errorem alteri conatur impingere, manifeste convincitur ut Nestorianus et Arianus errare.

De secundo dicto.

6. Verum nec his contentus, servum Dei, contra quem scribit, tanquam *praesumtuosum* invadit et arguit, pro eo videlicet, quod contra prohibitionem Apostoli [7] *iudicat alienum servum* in hoc, quod manducantes asserit imperfectos. Nam cum omnis, ut dicit, imperfectio sit *reatus*, sit etiam *configurans mundo*, sit et *displicens Deo;* si quis manducantes imperfectos dixerit, hoc ipso iudicat et condemnat eosdem tanquam reos in se ipsis, mundo conformes et displicentes Deo; « quod quidem asserere nil aliud est, ut dicit, quam insanire »; et haec est summa rationum suarum. — Sed huic ex adverso veraciter dicitur [8]: *O praesumtio nequissima, unde creata es operire aridam malitiam!* Praesumtuose enim atque maligne *alienum iudicat servum* qui dicenti verum impingit mendacium, sicut hic agit, cum id peritum hominem sensisse asserit, quod falsum esse vix quantumlibet imperitus ignorat. Quis enim tam stolidus, ut dicat, quod omnis manducans sit imperfectus, cum hoc necessarium et commune sit omni viatori, tam perfecto quam imperfecto, tam bono quam malo? Sed esto, quod quis dixerit, quod ieiunia solvere sit actus imperfectus, quantum est de proprio genere; non tamen ex hoc sequitur, quod

Item, ut praesumtuosum.

Improbatur.

Ratio 1.

---

[1] Cap. 1. n. 10. seq. et c. 2. n. 3.

[2] Codd. A C E *Haec.*

[3] Deut. 32, 4.

[4] Epist. I. Cor. 7, 7. Pro *a Deo* Vulgata *ex Deo.* Cfr. supra c. 2. n. 12.

[5] Marc. 10, 21, post quem Matth. 19, 21; cfr. Marc. 10, 21: Vade, quaecumque habes vende etc. Cfr. supra c. 2. n. 8.

[6] Ioan. 14, 28: Pater maior me est. Cfr. supra c. 2. n. 5; Comment. in Ioan. c. 14. n. 47. et III. Sent. d. 17. a. 2. q. 1. ad 2; ibid. a. 1. q. 1. praecedens propositio *Nunquam enim* etc. probatur.

[7] Rom. 14, 4: Tu quis es, qui iudicas alienum servum? — Superius A B omittunt *contra quem scribit.*

[8] Eccli. 37, 3, in cuius fine legit Vulgata *cooperire aridam malitia;* cfr. tamen tom. VII. pag. 360, nota 2, ubi pro nostra lectione adduximus Card. Hug. et Lyranum, quorum prior ipsam ita explicat: Id est malitiam, quae animam facit aridam sine pinguedine caritatis. — Sequitur Rom. 14, 4.

omnis ieiunia solvens vel comedens sit imperfectus, pro eo quod, sicut saepe dictum est [1], circumstantia potest esse personae et actui annexa, quae ab omni imperfectione excuset. — Insuper, et alia est comparatio *statuum* [2], et alia *personarum*. Unde sicut non sequitur, si perfectior est virginitas quam coniugium, quod ideo virgo sit semper perfectior coniugata, quia potest esse, quod virgo sit impia, et coniugata sit sancta; sic et ad eam comparationem, qua ieiunium comestioni praefertur, non sequitur, quod ieiunans sit universaliter comedente perfectior; ac per hoc multo minus inferri potest, quod comedens sit imperfectus. — Ex hoc autem quod dicit, imperfectionem esse reatum, rem mundo conformem et Deo displicentem, sequuntur absurditates innumerae. Nam cum virtus, caritas et iustitia aliquando sit imperfecta, erit ergo reatui obnoxia, conformis mundo et displicens Deo [3]. — Amplius, cum ipsum coniugium de sua ratione sit imperfectum, necessario sequitur, quod sit culpabile et displicens Deo. Sed et pudicitia coniugalis, cum sit imperfecta respectu virginalis, erit Deo displicens, ac per hoc iuxta Manichaeum non erit matrimonium a Deo institutum [4]. — Praeterea, « si omnis imperfectio in artificiato artifici displicet », ut hic temerarie asserit; cum omnia a Deo creata prius imperfecta fuerint quam perfecta [5], universa in suae productionis principio displicuerunt productori suo; sed nullus sapienter operans producit quod sibi displicet: sequitur ergo, quod prima rerum opera non sunt a Deo in sapientia facta. Et quia haec absurdissima sunt, illa, ex quibus sequuntur, repudianda sunt tanquam erronea et ex falso intellectu imperfectionis procedentia, sicut in praecedentibus [6] patenter ostendimus.

Ratio 2.

Dictum erroneum arguitur tripliciter.

Conclusio.

7. Sed nec ista contentioso disputatori sufficiunt. Nam adhuc prudentem virum tanquam *perfectionis hostem* insequitur. Arguit enim: « Si ieiunium solvere est imperfectum, senes, qui ieiunare non possunt, in imperfectionem labuntur. Similiter, et corpore imbecilles in virtute decrescunt, cum tamen dicat Apostolus [7], quod *virtus in infirmitate perficitur*. Insuper, et solventes ieiunium in diebus dominicis secundum mandatum canonum [8] imperfecti erunt ». — Hae sunt itaque rationes ipsius, in quibus non tam eius cui adversatur, impugnat sententiam, quam ieiunii sanctitatem perfectam. Cum enim nullus peritus hoc dixerit, nullus etiam senserit, quod solutio ieiunii ex rationabili causa perfectioni repugnet; aut praefatae rationes omnino sunt frivolae, aut ex hoc imperitis videntur probabiles, quia nullum perfectionis opus est, quod intermitti potest salva perfectione; ac per hoc, quia ieiunium salva perfectione intermitti potest, concludi posse videtur, quod non sit de perfectionis integritate.

Item, ut perfectionis hostem.

Improbatur.

8. Et quoniam hac ratione ad impugnationem perfectionis in consequentibus frequenter se munit, ideo, ut hac una responsione sophisticatio ipsius dissolvatur, ubique prudens lector advertet, quod actus ad perfectionem spectantes quidam sunt *intrinseci* et essentiales, tanquam secundum se perfecti et perfectivi; quidam autem sunt *exteriores* et ad perfectionis complementum adminiculantes et exercitativi, et horum *quidam* possunt intermitti pro loco et tempore salva perfectione, *quidam* autem, nisi pro loco et tempore intermittantur, cum perfectione stare non possunt. Unde Beda super Lucam [9]: « Quis nesciat viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, patientiam, castitatem et his similia sine ulla temporum intercapedine fidelibus esse servanda? At vero famem, sitim, vigilias, nuditatem, lectionem, orationem, laborem operandi et cetera huiusmodi, si quis semper exsequenda putaverit, horum se fructu privabit ». Haec Beda. Ad hoc ipsum facit quod dicit Augustinus de Bono coniugali [10]: « Habebat utique Timotheus virtutem continendi a vino, quam non ei abstulit Paulus monendo, ut *vino modico uteretur propter stomachum et frequentes suas infirmitates;* alioquin perniciose docebat, ut propter salutem corporis fieret in animo damnum virtutis; sed quia poterat ea virtute salva fieri quod monebat, ita relaxata est corpori utilitas bibendi, ut maneret in animo habitus continendi ». Haec Augustinus. Ex quibus patenter colligitur, quod opus virtutis intermitti potest virtute salva, ac per hoc etiam opus perfectionis, ipsa perfectione servata.

De act[...] perfecti[...] sana d[...]na.

Beda.

August[...]

9. Ad palliandam quoque absurditatem sui dogmatis, quo ieiunium a perfectione sequestrare contendit, sex differentias ieiuniorum distinguendo subnectit. Dicit enim, « quod sex modis contingit ieiunare: primo, causa *laudis humanae;* secundo, *causa avaritiae;* tertio, causa *concupiscentiae refrenandae;* quarto, ex *abundanti misericordia* ad dandum exemplum; quinto, ad *designandum mysterium;* sexto, propter *gerendum aliis morem et scandalum vitandum* ». — Haec autem distinctio superficialiter considerata erroneam ipsius sententiam palliare videtur sed diligenti examinatione discussa,

Secund[...] modos [...] nandi [...] citer [...] guit.

Discuti[...]

---

[1] Num. 1. in fine et n. 2.

[2] Edd. et codd. male *actuum;* E post *personarum* addit *vel statuum*.

[3] Cfr. supra c. 2. n. 3.

[4] August., l. contra Duas Epistolas Pelagianorum, c. 24. n. 42: Quis enim nostrum dubitat, anathema dicere Manichaeis, qui dicunt, a bono Deo nec homines nec nuptias institutas etc.

[5] Cfr. Gen. 1, 2. seqq. — Subinde respicitur Ps. 103, 24: Omnia in sapientia fecisti. Prov. 3, 19: Dominus sapientia fundavit terram etc.

[6] Cap. 2. n. 3. 6. 7. 14. seq.

[7] Epist. II. Cor. 12, 9.

[8] Cfr. C. *Scire debet* (8.) et C. *Utinam* (14.) Dist. 76, ubi insinuatur, *die dominico* non esse ieiunandum. Vide etiam August., Epist. 36. (alias 86.) c. 1. n. 2. seqq.

[9] Cap. 22, 35. Respicitur Col. 3, 12: Induite... viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam.

[10] Cap. 21. n. 25. Allegatur I. Tim. 5, 23.

propalare cognoscitur. Nam ex his sex modis duos secundum veritatem dicit competere hypocritis et avaris, tertium, scilicet causa concupiscentiae refrenandae, competere asserit perfectis et imperfectis, « quia, ut dicit, in quantovis sancto remanet aliquid de concupiscentiis evincendis »; et post subdit, quod « hoc ieiunium Christus [1] non assumsit »; et tertio subiungit, quod « hoc ieiunium magis imperfecto quam perfecto monacho competit ». — Sed hoc tertio loco dictum ei quod primo posuerat, aperte contradicit. Nam si in quantumcumque perfecto aliquid remanet de concupiscentiis evincendis; cum plene vincere ac domare concupiscentias magis competat perfecto quam imperfecto, magis ei competit modus hic ieiunandi, ubi corporalium virium imbecillitas non obsistit. Unde Hieronymus, Hilarionis, perfectissimi monachi, vitam describens [2]: « A sexagesimo quarto anno, inquit, usque ad octogesimum pane abstinuit incredibili fervore mentis, sicque complens ordinem vitae, nunquam ante solis occasum solvit ieiunium ».

(margin: ...i dicta ...ptoris. / ... dicto.)

10. Porro in eo quod dicit, Christum non dedisse exemplum hoc modo ieiunandi, aperte contrarium est ei quod in praecedenti capitulo [3] scripsit. Dixit enim ibi, quod « Christus exemplum abstinendi ad domandas concupiscentias praebuit ». Mirum certe, si homo fuit alicuius intelligentiae, aut saltem memoriae, qui haec scripsit, quomodo repente oblitus eorum quae dixerat, paucis interpositis, contrarium dogmatizat. Iusto tamen supernae dispositionis iudicio has mentis tenebras incurrit, ut nec sibi ipsi consentiat qui a veritate discordat. Quamquam enim Christus concupiscentias nullas habuerit, suo tamen ieiunio exemplum nobis certandi per ieiunium contra concupiscentias dedit, sicut dicit Hieronymus ad Demetriadem [4]: « Salvator generis humani, qui virtutis et conversationis suae nobis reliquit exemplum, post baptismum statim assumitur a Spiritu, ut pugnet contra diabolum, et tamen hostis antiquus post quadraginta dierum ieiunium per cibum molitur insidias ». Glossa etiam super illud Matthaei [5]: *Ductus est Iesus in desertum* etc.: « Ieiunat, ut tentetur; tentatur, quia ieiunat et exemplum ieiunandi nobis dat ». Et alia Glossa ibidem: « Hic est ordo rectae conversationis, ut post acceptam Spiritus sancti gratiam contra diabolum arctius accingamur ».

(margin: ... dicto. / ...andum.)

11. Ex quibus colligitur, quod Christus simul exemplum ieiunandi et pugnandi dedit hominibus. Sed hoc exemplum certum est nos sequi non posse per primum et secundum ieiunandi modum, in quibus deest iustitia, nec per quartum, quintum et sextum, quibus non ieiunatur, ut contra hostem pugnetur; restat igitur, quod exemplum dedit quantum ad tertium modum. Unde et Ambrosius in libro de Laude ieiunii [6]: « Proeliatus est Christus, ut vinceret, non quod ipse egeret certamine, sed ut nobis formam bellandi praescriberet et postea daret gratiam triumphandi. Certamen nostrum ieiunium est. Denique ieiunavit Salvator, et sic ad eum tentator accessit et primum gulae direxit spiculum et cibum velut escam laquei praetendit. Dominus ieiunium praetulit, ut laqueos tentatoris sui vinculaque dissolveret. Illo laqueo Adam fuit strangulatus, hac absolutione diabolicae quaestionis omnis homo est liberatus ». — In his tam clare sacer Ambrosius, si quid forte obscurum est, explicat, ut nemo nisi mente obstinatus obsistat. Unde et ipse hostis ieiunii in quarto ieiunandi modo, qui videlicet est ex abundanti misericordia, asserit, Christum dedisse ieiunandi exemplum non solum perfectis, sed etiam imperfectis. In quo siquidem aut intendit dicere, quod exemplum ieiunandi dedit nobis, ut ieiunemus pro exhibenda aliis misericordia, sicut ieiunaverunt Moyses, Elias, Daniel [7] et alii Prophetae; et tunc falsum dicit, quia abundans misericordia non competit imperfectis, sed perfectis; aut ut ieiunemus pro superanda pugna; et tunc quidem verum dicit, sed sibi ipsi aperte contradicit.

(margin: ...istus ieiunando ...t exemplum. / Notandum.)

12. Quod etiam facit in sexto ieiunandi modo, ubi dicit, quod « perfecti, concupiscentias iam habentes edomitas et ideo ieiunio non astricti, ieiunabant secundum morem illorum, cum quibus vivebant », ubi contradicit ei quod paulo ante praedixerat, quod « in quantovis perfecto remanet aliquid de concupiscentiis evincendis », contradicit insuper veritati. Nam Paulus Apostolus [8], qui ad apicem summae perfectionis pervenerat, castigare se dicit corpus proprium et in servitutem redigere non tam pro gerendo aliis more quam pro superando hoste domestico, sicut expresse dicit Hieronymus ad Eustochium in auctoritate superius [9] posita. Quis etiam, quantumcumque sanctus, nisi sit actu infirmus vel corpore debilis, ab his ieiuniis, ad quae se obligavit per Regulae votum, vel ab his quae universaliter servanda sancta mater Ecclesia statuit, ex sua quantalibet perfectione absolvitur ? Quis sanae mentis hoc senserit, quis

(margin: De sexto ieiunandi modo.)

---

[1] Cfr. Matth. 4, 2. seqq.

[2] Vita S. Hilarionis eremitae, n. 11. Textus originalis hinc inde plura interserit.

[3] Num. 30.

[4] Epist. 130. (alias 8.) n. 10. Post *contra diabolum* textus originalis plura addit. Respicitur Matth. 4, 1. seqq.: Tunc Iesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo etc.

[5] Cap. 4, 1. seq. Duae Glossae sunt *ordinariae* in Matth. 4, 2. et 1. Respectu *primae* vide Chrysost., Op. imperfect. (inter opera Chrysost.), Homil. 5. in Matth. 4, 2: Non solum ideo tentabatur, quia ieiunabat, sed ideo ieiunabat, ut tentaretur. De *secunda* cfr. Beda et Rabanus in Matth. 4, 1.

[6] Sive de Elia et ieiunio, c. 1. n. 1.

[7] Cfr. Exod. 34, 28; III. Reg. 19, 8; Dan. 1, 8. et 9, 3.

[8] Epist. I. Cor. 9, 27.

[9] Cap. 5. n. 15.

docere praesumserit? Nullus certe, ut credimus, nisi qui sanctae matris Ecclesiae statuta contemnat[1].

Tertio, sex modos solvendi ieiunium malitiose distinguit.

13. Dehinc, ut suam finalem declaret intentionem, qua non ad ieiunium servandum, sed potius ad solvendum conatur inducere, sex modos assignat solutionis ieiunii, quorum primum dicit *illicitum*, secundum *imperfectum*, quatuor sequentes modos dicit esse *perfectorum*. In quibus plura interserit perversorum seminaria dogmatum, quae ad praesens indiscussa relinquimus, ne legentium animos prolixitate gravemus. Hoc tamen praetereundum non est, quod — cum supra[2] sex modos ieiunandi distinxerit, in quibus quatuor posuit licitos, et illos indifferenter competere perfectis et imperfectis; deinde sex modos subnectit solvendi ieiunium, ex quibus unum imperfectis attribuit, quatuor vero reliquos modos perfectis maxime competere dicit — manifeste declarat, eius se esse sententiae, quod viris perfectis magis competat ieiunia solvere quam servare. In quo et impietatem transcendit Ioviniani haeretici, qui sacrae ieiuniorum observantiae moderatam ciborum sumtionem ausus non fuit praeponere, sed aequare[3].

Notandum.

Loci Ss. Patrum.

Ambrosius.

14. Legat igitur, si dignetur, veracium scripta doctorum, in quibus magnis nequaquam praeconiis solutio ieiuniorum extollitur, sed miris laudibus observantia commendatur. Hanc enim sacer Ambrosius in libro de Ieiunio[4] non tam miseriae huius saeculi fore asserit quam *innocentiae paradisi*, cum ait: « Itaque ne terrenum quis aut novellum putet esse ieiunium, primus usus mundi a ieiunio coepit, quando lux clara resplenduit. Ubi cibus coepit, ibi finis factus est mundi. Ubi coepit sua incrementa nescire, ibi coeperunt divina circa eum opera feriari. Quo indicio declaratum est, quod per cibos mundus haberet imminui, per quos desiit et augeri. Et ut sciamus, novellum non esse ieiunium, primam in paradiso legem constituit de ieiunio; sciebat enim, quod per escam culpa haberet intrare ». — Idem etiam libro eodem[5] ieiunium comparat *vitae caelesti*: « Merito, inquit, Eliam dignum caelo divina iudicavit sententia, ut cum ipso raperetur corpore, quoniam caelesti vita vivebat in corpore et supernae usum conversationis exhibebat in terris. Quid est enim ieiunium nisi substantia et imago caelestis? Ieiunium refectio animae et cibus mentis est. Ieiunium vita est Angelorum, ieiunium culpae mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiae, fundamentum est castitatis. Hoc ad Deum gradu citius pervenitur, hoc gradu Elias ascendit ante quam curru; in hac virtute et spiritu Eliae venit Ioannes, denique in deserto et ille vacuit ieiuniis, et ideo, quia vitae humanae possibilitatem continentia supergressus fuerat, non homo, sed Angelus aestimatus est ».

Ieiuni[um] compa[ra]tur vitae a[nge]lica[e].

15. In his Ambrosius sacer ieiunium comparat angelicae vitae, et quidem satis digne. Cum enim, sicut ait Dionysius[6], hierarchiae caelestis triplex sit actus, *purgatio* scilicet, *illuminatio* et *perfectio*, et ad haec tria per ieiunii observantiam perveniatur; sancte ieiunantium vita magis caelestis esse perhibetur quam terrena. — Per ieiunium enim obtinetur perfecta *custodia sanctitatis*: primo quantum ad *declinationem carnalium vitiorum*, sicut ait Hieronymus ad Demetriadem[7]: « Post cogitationum diligentissimam cautionem ieiuniorum tibi arma sumenda sunt et canendum cum David: *Humiliavi in ieiunio animam meam;* et: *Cinerem tanquam panem manducabam* ». Et paulo post[8]: « Ignita sunt diaboli iacula, quae simul vulnerant et inflammant, et a rege Babylonis tribus pueris praeparantur. Sed quomodo ibi *quartus, speciem habens quasi filii Dei*, immensos mitigavit ardores; sic et in animo virginali rore caelesti et ieiuniorum frigore puellaris calor exstinguitur, et in humano corpore Angelorum conversatio impetratur ». — Dehinc propter *debellationem spiritualium hostium*, iuxta illud Ambrosii, ubi supra[9]: « Iudith, ieiunans omnibus diebus viduitatis suae, his armis munita processit et omnem Assyriorum circumvenit exercitum, sobrii vigore consilii abstulit Holofernis caput, servavit pudicitiam, victoriam reportavit. Esther quoque, pulcrior facta ieiunio, omne genus suum a persecutione liberavit, ita ut regem sibi faceret esse subiectum, non libidinis ardore inflammatum, sed caelesti miseratione conversum, ut poena in impium retorqueretur, et honor sacris redderetur altaribus. Est ergo ieiunium reconciliationis sacrificium, virtutis incrementum, quod fecit etiam feminas fortiores ».

Ob[tin]et primo [custo]diam s[anc]titatis. Praesta[t pri]ma co[ntra] carne[m].

Item, [cont]ra daem[ones].

Obtine[t se]cundo [intel]ligenti[am], primo [in o]peran[dis].

16. Per ieiunium etiam impetratur perfecta *intelligentia veritatis*, primo quidem in *operandis*,

---

[1] Cod. B *contemnit*. Cod. E ea quae usque ad cap. 7. sequuntur, omittit solumque exhibet tres locos (Bernardi, Chrysostomi et Augustini) de laude ieiunii.

[2] Num. 9.

[3] Cfr. supra pag. 263, nota 1.

[4] Sive de Elia et ieiunio, c. 4. n. 6. seq. Respicitur Gen. 3, 1. Post *resplenduit* et *augeri* textus originalis plura addit.

[5] Cap. 2. et 3. n. 3. et 4. De Elia vide IV. Reg. 2, 11. et Eccli. 48, 9; de Ioanne Luc. 1, 17: Et ipse praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae; Matth. 3, 1. seqq. et 14. 9. seq.

[6] Cfr. supra pag. 3, nota 4.

[7] Epist. 130. (alias 8.) n. 10. Allegantur Ps. 34, 13. et 101, 10.

[8] Loc. cit. Respicitur Dan. 3, 15. seqq. et allegatur v. 92: Ecce ego [Nabuchodonosor] video quatuor viros solutos et ambulantes in medio ignis, et nihil corruptionis in eis est, et species quarti similis filio Dei. Textus originalis hinc inde plura addit, substituit *quasi filii hominis* pro *quasi filii Dei*, et in fine legit: et ieiuniorum rigore [alias *frigore*] calor puellaris exstinguitur, et in humano corpore Angelorum impetratur conversatio [Vat. cum codd. et ed. 1, 2 *et humano corpori Angelorum conversatio imperatur*, D *inseratur*].

[9] Libr. de Elia et ieiunio c. 9. n. 29-31, ubi tamen textus originalis plura interserit. De Iudith vide Iudith 8, 6: Ieiunabat omnibus diebus vitae suae etc. De Esther cfr. Esther 4, 16: Ego cum ancillis meis similiter ieiunabo, et tunc ingrediar ad regem etc.

cuiusmodi est veritas divinae legis, sicut dicit Ambrosius, ubi supra[1]: « Moyses, inquit, de ieiunio Legem dedit, ipsum quoque ieiunantem non voces magnae, non fulgura et nubes nimbosa et fumigans Sina perterruit. Neque enim introisset in nubem et vocem Dei loquentis de medio ignis sine periculo salutis audisset, nisi munitus armis ieiunii. Quadraginta enim diebus ieiunavit in monte, ut Legem acciperet a Domino Deo nostro. Et in superioribus quidem montis Lex dabatur Moysi ieiunanti, in inferioribus populo manducanti praevaricatio sacrilega accendebatur epulantium. Quo spectaculo motus fregit tabulas Moyses, indignum iudicans, ut ebrio populo Lex daretur ».

rosius.

17. Impetratur etiam per ieiunium intelligentia veritatis *in speculandis*, iuxta quod dicit Hieronymus contra Iovinianum[2]: « Daniel atque tres pueri revelationem somniorum ieiunio merentur pastique leguminibus, pulcriores et prudentiores inveniuntur ». Eodem quoque libro[3]: « Elias, quadraginta dierum ieiunio praeparatus, Deum vidit in monte Horeb audivitque ab eo: *Quid tu hic agis, Elia?* Multo familiarior ista vox quam illa in Genesi: *Adam, ubi es?* Illa enim pastum terrebat et perditum, haec ieiunanti famulo blandiebatur ».

ndo in ulandis.

18. Denique per ieiunium acquiritur *constantia perfectae virtutis*, primum quidem ad *faciendum ardua*, iuxta quod Ambrosius, ubi supra[4]: « Magna est virtus ieiunii. Denique tam speciosa militia est, ut ieiunare delectaret et Christum, tam valida, ut ad caelum homines elevaret. Et ut humanis magis quam divinis utar exemplis, Elias ieiuno ore caelum clausit, ieiunus filium viduae ab inferis suscitavit, ieiunus pluvias ore deposuit, ieiunus ignes deduxit de caelo, ieiunus curru est raptus ad caelum et quadraginta dierum ieiunio divinam acquisivit praesentiam. Tunc denique plus meruit, quando plus ieiunavit. Quis enim humana virtute igneos equos et currus potuisset ascendere, nisi qui naturam humanam corporis incorruptibilis ieiunii virtute mutasset »?

et ter- onstan- virtutis di ar-

19. Dat etiam *virtutem superandi adversa*, sicut idem Ambrosius dicit ibidem[5]: « Est quaedam creaturae natura, quam amiantum vocant, nullo facilis igne consumi, quae imposita focis ignescit, illico sublata de flamma, tanquam aquarum infusione munda resplendet. Talia erant Hebraeorum puerorum corpora, quae de ieiunio in amianti transformata naturam vapore ignis non ad dispendium sui, sed ad gratiam mutabantur. Daniel quoque trium hebdomadarum ieiunio leones docuit ieiunare, missus in lacum et in adamantinam soliditatem abstinentiae rigore membra duratus, non patuit vulneri. Sic eum constrinxerant ieiunia, ut in eius corpore ferarum morsibus locus esse non posset. Clausa tenebant leones ora, quae abstinentiae propheticae sanctitas comprimebat, ut ea ferae aperire non possent, veluti quibusdam vinculis alligata ».

erandi versa.

20. Ex his igitur et aliis praedictis colligitur, quod cum per ieiunium obtineatur perfectio sanctitatis, sapientiae et virtutis, per quae mens humana purgatur, illuminatur et perficitur instar hierarchiae caelestis, ab omnibus debet servari et appeti, sed maxime ab his qui cupiunt esse perfecti. Unde et haec tria breviter exprimit Gregoriana illa Praefatio[6], qua dicitur, quod « Deus corporali ieiunio vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur et praemia ». Et Augustinus in quodam sermone[7]: « Ieiunium, inquit, purgat mentem, sublevat sensum, carnem spiritui subiicit, cor facit contritum et humiliatum, quod Deus non spernit, concupiscentiae nebulas dispergit, libidinum ardores exstinguit, castitatis lumen accendit, verbositatem non amat, divitiarum superfluitates abdicat, superbiam calcat, humilitatem commendat ». Ambrosius etiam, ubi supra[8]: « Ieiunium continentiae magisterium est, pudicitiae disciplina, humilitas mentis, castigatio carnis, forma sobrietatis, norma virtutis, purificatio animae, miserationis expensa, lenitatis institutio, castitatis origo, senilis gratia, custodia iuventutis ». — Haec de ieiunii laude diffusius diximus, ut carnaliter sapientis hominis et intellectus instruatur et inflammetur affectus, quatenus, suum recognoscens errorem, *in ieiunio et fletu et planctu* convertatur *ad Dominum*[9]; super quo Patri misericordiarum sacrificium devotae precis offerimus, ut, sicut de ipsius subversione doluimus hactenus, ita de conversione in posterum gaudeamus.

Hortatio ad ieiunium.

Gregorius.

Augustinus.

Ambrosius.

Epilogus.

---

[1] Cap. 6. n. 16. Cfr. Exod. 24, 12. seqq. et 32, 1. seqq.

[2] Libr. II. n. 15. Vide Dan. 1, 8. seqq.

[3] Loc. cit. Allegantur III. Reg. 19, 13. et Gen. 3, 9.

[4] Libr. de Elia et ieiunio, c. 2. n. 2. seq. et c. 3. n. 4, ex quo est ultima propositio *Quis enim* etc., in qua pro *naturam humanam corporis* textus originalis *naturam humani corporis*. De Christi ieiunio cfr. Matth. 4, 1. seq.; de Elia cfr. III. Reg. 17, 1. et 22; 18, 42. seqq.; IV. Reg. 1, 10. seqq.; 2, 11. et III. Reg. 19, 8. seqq.

[5] Cap. 7. n. 19. et 20. Respiciuntur Dan. 3, 23. seqq. (de tribus pueris in camino ignis) et 14, 30. seqq. (de Daniele in lacu leonum). Cum textu originali pro voce *adamantium* (ita codd. et edd.) substituimus *amiantum* (in originali refertur in nota adiecta altera lectio) et pro antiquae ed. lectione *vapore ignis... mutabantur* ipse substituit *vaporem ignis... mutuabantur* et deinde plura addit atque in fine pro *veluti* ponit *meriti*.

[6] Libr. Sacramentorum, Feria IV. Cinerum, in capite ieiunii. In Missali Romano, Praefatio in Quadragesima: Aeterne Deus, qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris et praemia.

[7] Serm. 73. in Appendice (alias 230. de Tempore), n. 1. Respicitur Ps. 50, 19: Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. Textus originalis substituit *contribulatum* pro *contritum*, voci *lumen* praefigit *verum* et pro *divitiarum superfluitates abdicat* exhibet *divitiarum superfluitatem iudicat* (ita etiam A C), B *divitias superfluitatem iudicat*.

[8] Libr. de Elia et ieiunio, c. 8. n. 22. Pro *castitatis origo* textus originalis *caritatis illecebra*.

[9] Ioel 2, 12. seq.: Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio et in fletu et in planctu. Et scindite corda vestra... et convertimini ad Dominum Deum vestrum. II. Cor. 1, 3: *Pater misericordiarum*.

Capitulum VII.

Tertiae responsionis prima particula septimumque capitulum, in quo voluntaria et penuriosa paupertas fundamentum evangelicae perfectionis adstruitur, et quae huic videri possunt contraria dissolvuntur.

Christus religionis fundamentum.

1. Christianae religionis fundamentum esse Christum Iesum, *sapiens* ille *architectus* Apostolus Paulus ad Corinthios[1] asserit, docens, *fundamentum aliud poni non posse praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Hoc quidem in nostro *intellectu* collocatur per fidem, quam idem Apostolus ad Hebraeos[2] dicit *rerum sperandarum esse substantiam,* in *affectu* vero per caritatem; de qua idem ad Ephesios scribit: *In caritate radicati et fundati,* fundamento ipsam comparans et radici. Ut igitur haec duo iungantur in unum, christianae religionis fundamentum et radix est *fides, quae per caritatem operatur*[3], sicut et Glossa super illud: *Fundamentum aliud* etc., dicit: « *Fides, quae per dilectionem operatur,* in fundamento posita neminem perire permittit ». — Huic autem fundamento sive radici directe adversatur cupiditas, de qua scribitur ad Timotheum[4]: *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide.* Ex hac nempe radice cum annexa sibi superbia universa mala originem, fomentum et incrementum suscipiunt; propter quod civitatis Babylonicae fundamentum ab Augustino[5] esse perhibetur.

Cui adversatur cupiditas.

Eam reprobat Christus verbo et exemplo.

2. Omnium itaque bonorum origo et novae civitatis Ierusalem fundamentum et fundator, Christus Iesus, qui *in hoc apparuit, ut diaboli dissolveret opera*[6], huius cupiditatis oppositum summo debuit affectu complecti, exemplo ostendere et verbo praedicare. Et quoniam cupiditatis vitium et inordinatio *radicatur* in affectu mentis, *occasio* vero et fomentum sumitur a rebus extra possessis; ideo necesse est, quod perfecta radicis huius avulsio utrumque respiciat, ut avaritiae *rubiginosa affectio* et substantiae terrenae *illecebrosa possessio* tam spiritualiter quam corporaliter abdicentur. Unde super illud Matthaei: *Dixit Simon Petrus ad Iesum: Ecce, nos reliquimus omnia,* dicit Bernardus[7]: « Optime et non ad insipientiam tibi. Nam et *mundus transit et concupiscentia eius,* et relinquere haec magis expedit, quam ab eis derelinqui. Et haec fugiendarum divitiarum causa praecipua est, quod aut vix, aut nunquam sine amore valeant possideri ».

Radix et occasio cupiditatis.

Abdicatio... laus

3. Si igitur gemina haec abdicatio, mundi scilicet et concupiscentiae eius, quae etiam *paupertas spiritus* dicitur[8], ipsa est, qua *radix omnium malorum* perfecte amputatur et Babylonis fundamentum evertitur; certa potest ratione concludi, quod perfectionis evangelicae, per quam Christo configuramur et complantamur et habitaculum eius efficimur, ipsa *paupertas spiritus,* secundum quandam analogiam et cohaerentiam ad praedicta, radix est et fundamentum. Propter quod et Christus, cum ad perfectionem discipulos informaret in monte, tanquam *novae Ierusalem descendentis de caelo fundamenta,* perfectionis videlicet evangelicae lumina, *in montibus sanctis*[9], mentibus scilicet apostolicis, collocans, inter ceterarum virtutum gloriosa praeconia a sanctae paupertatis excellentia sumit initium, dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Dehinc tribuens de perfectionis aggressione consilium, primum ad hanc suo invitat exemplo, dicens[10]: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus et veni, sequere me.* Quem locum tractans Hieronymus ad Demetriadem[11] ait: « Apostolici fastigii est perfectaeque virtutis omnia vendere et pauperibus distribuere, et sic levem atque expeditum cum Christo ad caelestia subvolare ». — Cum autem circa temporalium bonorum possessionem duo considerare contingat, *dominium* videlicet et *usum,* sitque *usus* necessario

Verbo comme... tur et e... plo

De do... et u...

---

[1] Epist. I. c. 3, 11. Ibid. v. 10: Ut *sapiens architectus* fundamentum posui. — Cfr. de hoc cap. Bonav., Qq. disput. de Perfectione evang. q. 2. a. 1. (tom. V.).

[2] Cap. 11, 1, post quem Eph. 3, 17.

[3] Gal. 5, 6. — Glossa in I. Cor. 3, 11. est *ordinaria* et sumta ex August., de Fide et operibus, c. 16. n. 27.

[4] Epist. I. c. 6, 10.

[5] Enarrat. in Ps. 64. n. 2; XI. de Gen. ad lit. c. 15. n. 20. et XIV. de Civ. Dei, c. 28. Cfr. tom. V. pag. 127, nota 7.

[6] Epist. I. Ioan. 3, 8.

[7] Declamation. (cfr. supra pag. 45, nota 8.) II. n. 2, ubi exponitur Matth. 19, 27: *Ecce, nos reliquimus omnia.* Allegatur I. Ioan. 2, 17. Post *derelinqui* textus originalis plura addit.

[8] Bernard., Serm. 1. in Festo omnium Sanct. n. 8: Sed diligenter attende, quod non simpliciter *pauperes* nominat [Christus in sermone de beatitudinibus, Matth. 5, 3.] propter plebeios pauperes necessitate miserabili, non laudabili voluntate... Attamen nec voluntaria quidem paupertas omnis laudem habet apud Deum; nam et philosophi omnia sua reliquisse leguntur, ut expediti mundialibus curis, studio vanitatis possent vacare liberius... Hos discernit quod dictum est *spiritu,* id est spirituali voluntate. Beati ergo *pauperes spiritu,* spirituali scilicet intentione, desiderio spirituali, propter solum beneplacitum Dei et animarum salutem etc. — De iis quae immediate post sequuntur, cfr. supra n. 1. in fine. — Inferius pro *certa* (ita B C E G) edd. *recta.*

[9] Apoc. 21, 2. et Ps. 86, 1: Fundamenta eius in montibus sanctis. — Subinde allegatur Matth. 5, 3. — Pro *lumina* (ita C D E) edd. *limina,* quae etiam pro *mentibus* (ita C E) substituunt *montibus.*

[10] Matth. 19, 21.

[11] Epist. 130. (alias 8.) n. 14.

annexus vitae praesenti; evangelicae paupertatis est, possessiones terrenas quantum ad *dominium et proprietatem* relinquere, *usum* vero non omnino reiicere, sed *arctare*, iuxta illud quod dicit Apostolus ad Timotheum [1]: *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.*

io paupertatis.

4. Ex his potest colligi paupertatis evangelicae ratio, videlicet, quod ipsa sit virtus temporalium abdicativa bonorum, qua quis, nil proprium habens, sustentatur de non suo. Et quoniam dupliciter contingit rerum temporalium abdicare dominium, dupliciter etiam sustentari de non suo; ideo paupertatis evangelicae duplex est modus duplexque perfectio. Cum enim duplex sit rerum dominium, privatum scilicet et commune, unum quidem spectans ad determinatam personam, alterum vero ad determinatum collegium; et primum abdicari possit, retento secundo, possit etiam abdicari secundum cum primo: duplex erit secundum hunc duplicem modum paupertatis perfecta professio, *una* videlicet, qua quis, temporalium omnium [2] privato seu personali abdicato dominio, sustentatur de non suo, id est, non sibi proprio, communi tamen iure cum aliis participato et simul possesso; *alia* vero, qua quis, omni rerum abdicato dominio, tam in proprio quam in communi, sustentatur de non suo, id est non sibi proprio, sed alieno, pie tamen et iuste ab alio sibi pro sustentatione collato. — Primae paupertatis forma praecessit in turba credentium, de qua in Actibus [3] dicitur: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Quem Scripturae locum tractans Hieronymus ad Demetriadem [4], dicit: « In Actibus Apostolorum, quando Domini nostri Iesu Christi calebat cruor et fervebat recens in credentibus fides, vendebant omnes possessiones suas et *pretia* earum *ad Apostolorum proiiciebant pedes,* ut ostenderent, pecunias esse calcandas; et *dabatur singulis, prout opus erat* ». Hic etiam tradita fuit forma monasticae seu coenobiticae vitae, iuxta quod Glossa Bedae dicit ibidem [5]: « Qui ita vivunt, ut sint eis omnia communia in Domino, *coenobitae* vocantur. Quae vita tanto felicior est, quanto statum futuri saeculi imitatur, ubi omnia communia ».

dem do- modus rofessio.

prima orma.

De secunda forma.

5. Secundae autem paupertatis exemplar et forma in vita praecessit Apostolorum, quam perfectionis magister Christus eisdem instituit, quando ipsos ad praedicandum misit, sicut legitur in Matthaeo [6]: *Nolite,* inquit, *possidere aurum neque argentum neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via neque duas tunicas neque calceamenta neque virgam. Dignus est enim operarius cibo suo.* Ubi Glossa [7]: « Propemodum necessaria vitae amputat, ne vel curent de crastino qui docent, omnia regi a Deo, nec ipsa necessaria nec cellarium secum vehant, nihil praeter vestimentum, nec etiam minima ». — In his igitur verbis Dominus Apostolis et praedicatoribus veritatis extremae ac penuriosae paupertatis formam servandam imponit quantum ad carentiam non solum possessionum, sed etiam pecuniarum et aliorum mobilium, quibus sustentari vel communiri solet communis hominum vita, ut, tanquam veri pauperes in summa rerum constituti penuria, carerent pecuniis, alimenta non ferrent, simplici vestitu contenti essent et sine calceamentis incederent, ut sic paupertatem altissimam actu et habitu quasi quoddam perfectionis insigne praeferrent. Hanc paupertatis normam tanquam speciali praerogativa perfectam et *Christus* in se ipso servavit et *Apostolis* servandam instituit, et his qui eorum *cupiunt imitari vestigia,* consulendo suasit.

Imposita Apostolis.

Primo, de Christo.

6. Quod enim *Christus* illam servaverit, ostendit Chrysostomus super Matthaeum homilia vigesima secunda [8]: « *Ne possideatis,* inquit, *aurum neque argentum neque peram in via.* Quia enim per *opera* ostendit ea, tunc iam et legislationem, quae est a *verbis*, validiorem inducit, quando et facile susceptibilis sermo factus est, *operibus* suis prius certificatus. Ubi igitur ostendit per *opera?* Audi eum dicentem: *Filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Neque in hoc sufficit solo, sed et in discipulis tribuit hanc apodixim ». Haec verba Chrysostomi. — Glossa etiam super illud Matthaei [9]: *Vulpes foveas habent* etc.: « Quid me propter lucra saeculi vis sequi, cum ita sim pauper, ut nec hospitiolum, quod meum sit, habeam »? — Quod si forte

Obiectio.

---

[1] Epist. I. c. 6, 8.

[2] Cod. B *omni*. Inferius pro *omni rerum* (ita A B) edd. *omnium rerum,* et subinde post *pro sustentatione* G addit *vitae*.

[3] Cap. 4, 32.

[4] Epist. 130. (alias 8.) n. 14. Allegatur Act. 4, 34. seq., ubi pro *proiiciebant* G cum Vulgata *ponebant*, Hieron. *deferebant* (Vulgata: *vendentes afferebant pretia... et ponebant* etc.), qui etiam cum Vulgata vocibus *opus erat* praefigit *cuique*.

[5] Act. 4, 32. Glossa est *ordinaria* apud Lyranum, sumta ex Beda, Libr. Retractationis in Act. Apostol. 4, 32. Pro *in Domino* (ita A B C D E cum Beda et Glossa) edd. *ideo*. — Superius pro *Hic etiam* (ita A B D et ed. 1) C E *Haec etiam*, Vat. et ed. 2 *Hinc etiam*.

[6] Cap. 10, 9. seq.

[7] Scilicet *interlinearis* apud Lyranum. Prima pars est secundum Hieron. in hunc locum; secunda iuxta August., II. de Consensu Evangelist. c. 30. n. 74: Illa Apostolis loquebatur, ut securi non possiderent neque portarent huic vitae *necessaria*, nec magna, nec *minima*. Ideo posuit *nec virgam*, ostendens a fidelibus suis omnia deberi ministris suis nulla superflua requirentibus. Pro *nec minima* Vat. et ed. 2 *nec numisma*.

[8] Alias 23. n. 4. In fine substituimus cum textu originali *sed et in discipulis* (ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς μαθηταῖς) pro *sed et discipulis;* recentior versio legit: « in discipulis suis horum exemplum [ἀπόδειξιν] suppeditat ». Allegantur Matth. 10, 9. seq. et 8, 20.

[9] Cap. 8, 20. Glossa est *ordinaria* sumtaque ex Hieron., in hunc locum.

quis dicat, Christum non proprium habuisse hospitium, sed commune; obviat idem Chrysostomus in sermone de proditione Iudae[1]: « Quos, inquit, pretiosorum marmorum pompa delectat cognoscant Christum omnium Dominum, quod locum, in quo caput reclinaret, non habuit. Et ideo discipuli ipsum interrogant et dicunt: *Ubi vis paremus tibi comedere Pascha* »? Sed si Christus habuisset domicilium commune, illud discipuli non ignorassent, sed et Christus loco non caruisset, in quo caput reclinaret et Pascha comederet. Colligitur ergo ex interrogatione discipulorum et hospitii incertitudine, quod Christus domicilium non habuit, nec proprium nec commune.

Solvitur a Chrysostomo.

Hieronymus. — Arctissimam quoque Domini paupertatem declarans Hieronymus ad Nepotianum[2] ait: « Turpe est ante fores sacerdotis Domini crucifixi et pauperis, qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores consulum et milites excubare ». Fuit itaque Christus tanquam vere pauperrimus alieno cibo sustentatus.

Bernardus. — Hoc ipsum Bernardus[3] in quodam sermone super illud Lucae: *Cum factus esset Iesus annorum duodecim*, apertius dicit: « Ut te, Domine, per omnia nostrae paupertati conformares, quasi unus in turba pauperum stipem per ostia mendicabas. Quis dabit me buccellarum illarum mendicatarum participem fieri et illius divini edulii reliquiis saginari »?

Anselmus. — Anselmus etiam in libro de Sacramentis[4]: « Pauper ita fuit Christus, ut, veniens in mundum, non in sua, sed in aliena domo nasceretur, et natus propter inopiam loci *in praesepio* brutorum animalium poneretur, et vivens in mundo *non haberet, ubi caput suum reclinaret*, nec moriens, unde nuditatem suam tegeret, nec mortuus, unde involveretur, nec sepulcrum aut locum, ubi corpus mortuum locaretur ».

Christus tripliciter pauper. In ortu.

7. Ex his colligitur, quod Christus pauper fuit in *ortu*, pauper in *vitae progressu*, pauper in *termino*[5]. — Sane, ut hanc paupertatem amabilem redderet mundo, pauperrimam Matrem elegit, paupertatis defectus voluntarie pertulit et ut pauper et inops discalceatus incessit.

Beda. De paupertate namque Matris ipsius dicit Beda super Marcum[6], exponens Evangelicum illud: *Si quis mihi ministrat, me sequatur:* « Consideremus, inquit, qua via graditur, ut sequi mereamur. Ecce, cum dominus sit et creator Angelorum, suscepturus naturam nostram, quam condidit, in uterum Virginis venit, nasci tamen in hoc mundo per divites noluit, parentes pauperes elegit. Unde et agnus, qui pro illo offerretur, defuit, *columbarum pullos et par turturum* ad sacrificium Mater invenit ».

Chrysostomus. — His concordat Chrysostomus super Matthaeum homilia octava[7]: « Pariens quidem Virgo Filium, confestim illum *in praesepe declinavit*, quia, multis convenientibus propter descriptionem, non erat domum invenire. Sed quid fuit, quod suasit Magos adorare? Nihil enim sensibilium magnum erat illic, sed praesepe et tugurium et Mater pauper, ut nudam Magorum videas philosophiam ». Idem quoque in homilia Epiphaniae de Magis[8] loquens, sic dicit: « Viderunt pandochium tenebrosum et sordidum, magis animalibus quam hominibus aptum, in quo nemo erat contentus secedere, nisi itineris necessitate coactus, Matremque eius vix tunicam habentem unam, non ad ornatum corporis, sed ad tegumentum nuditatis proficientem ».

In vitae progressu.

8. Quod autem pauperrime *vixerit*, super illud Marci[9]: *Circumspectis omnibus*, Glossa declarat dicens: « *Circumspectis omnibus*, si quis eum hospitio susciperet. Tantae enim paupertatis fuit et ita nulli adulatus, ut in tanta urbe nullum inveniret *hospitium* ».

Beda. Super quem etiam locum Beda in originali[10] dicit: « Intelligendum est, quod tantae paupertatis Dominus fuit, ut in urbe maxima nullum hospitem, nullam mansionem inveniret, sed in agro parvulo apud Lazarum sororesque eius habitaret ». Constans est igitur, quod Christus non solum hospitio, sed et pretio, quo illud conduceret, caruit, dum necessitate compulsus de urbe exivit, illo videlicet die, quo eandem urbem tanquam rex asello vectus intravit[11].

Glossa. Hoc ipsum et Glossa super illud Ioannis[12]: *Venit princeps mundi huius et in me non habet quidquam*, expressius asserit: « Noluit Dominus habere quod perderet, pauper erat, ne haberet diabolus quod auferret ». Sed omne temporale, sive commune, sive proprium, et auferri potest et perdi. —

---

[1] Homil. 1. n. 4: Discant illi qui splendidas construunt domos, latas porticus, longa septa, Christum non habuisse, ubi caput suum reclinaret [Matth. 8, 20.]. Quamobrem interrogant illi: *Ubi vis paremus tibi comedere Pascha* [Matth. 26, 17.]?

[2] Epist. 52. (alias 2.) n. 11.

[3] Vel potius Aelredus abbas Rievalis in Tract. de Iesu puero duodenni, in quo explicatur illud Luc. 2, 42: *Cum factus esset* (Iesus) *annorum duodecim* etc. (inter opera Bernardi) n. 6. Cfr. tom. V. pag. 156, col. I. in fine.

[4] Sive de Sacramentorum Diversitate, ad Waleranni querelas responsio, c. 3. Cfr. Luc. 2, 7: Et reclinavit eum in praesepio etc.; 9, 58: Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet (cfr. Matth. 8, 20.); 23, 53: Et depositum involvit [Ioseph ab Arimathaea] sindone et posuit eum in monumento etc.

[5] Cfr. supra Opusc. VI. de Perfectione vitae ad sorores, c. 3. n. 2. seqq.

[6] Libr. III. in Marc. 10, 52, ubi exponit Ioan. 12, 26: *Si quis mihi ministrat* etc. Respicitur Luc. 2, 24.

[7] Num. 1. Respiciuntur Luc. 2, 7. et Matth. 2, 11. (de Magis). Post *domum invenire* et *Magos adorare* textus originalis plura addit.

[8] Homil. 2. in Matth. (Op. imperfect.) 2, 11.

[9] Cap. 11, 11. Glossa est *interlinearis* (ex Beda) apud Lyranum. Cfr. supra pag. 113, nota 5.

[10] Libr. III. in Marc. 11, 11: Et circumspectis omnibus, cum iam vesperae esset hora, exiit in Bethaniam [ubi Lazarus] cum duodecim. Post *Dominus fuit* textus originalis addit *et ita nulli sit adulatus*.

[11] Ut in eodem cap. Marc. 11, 1-10 insinuatur. — Superius pro *conduceret* edd. *emeret*.

[12] Cap. 14, 30. Glossa est *ordinaria*, in qua pro *pauper erat* substituitur *pauper venit*. Cfr. tom. V. pag. 125, nota 10.

Tandem ut pauper *discalceatus* incessit, iuxta quod Hieronymus ad Eustochium [1] scribens ait: « Discipuli sine calceamentorum onere et vinculis pellium ad praedicationem novi Evangelii destinantur, et milites, vestimentis Iesu sorte divisis, caligas non habebant, quas tollerent. Nec enim poterat habere Dominus quod prohibuerat in servis ». Calceamentis igitur Christus ut pauperrimus caruit, vestimentis vero necessariis carere non potuit, volens tamen summae paupertatis nuditate vitam concludere, nudus elegit in cruce pendere.

9. Quia vero magister et Dominus Christus non propter se, sed nostri causa paupertatem assumsit, ut perfectionem nobis exemplo monstraret; ideo sacris *Apostolis* tanquam suae sanctitatis imitatoribus perfectis hanc extremae paupertatis formam servandam instituit, sicut in Matthaeo legitur et Marco et Luca [2]. Quod quamquam ex ipso textu sit certum et evidens, ad omnem tamen dubietatis scrupulum amovendum Sanctorum auctoritatibus confirmetur. Nam super illud Matthaei [3]: *Nolite possidere aurum* etc., dicit Chrysostomus: « Multa per hoc unum emendabat: primum quidem non suspectos faciens Apostolos; secundo autem ab omni eos eruens sollicitudine, ut vacationem omnem sermoni tribuant; tertio docens eos suam virtutem; hoc nempe eis et postea dicit: *Nunquid aliquid defuit vobis, quando misi vos nudos et discalceatos* »? Et infra: « Orbi terrarum doctores erat missurus, propter hoc et Angelos eos ex hominibus, ut ita dicam, constituit, ab omni absolvens vitae huius sollicitudine ». Et post [4]: « Intende, qualiter omnibus eos denudans, omnia eis dedit, permittens in domibus eorum qui docentur, manere et nihil habentes introire. Si autem in aliena patria existentes et apud ignotos abeuntes, nihil amplius oportet petere quotidiano cibo, multo magis domi manentes ». Hucusque Chrysostomus. Idem quoque homilia ultima super Matthaeum [5]: « Si bonum esset aurum habere, hoc utique dedisset Apostolis Christus, qui ineffabilia eis tribuit bona; nunc autem non solum non dedit, sed etiam habere prohibuit. Ideoque Petrus non solum non verecundatur, sed etiam decoratur in paupertate, dicens: *Argentum et aurum non est mihi* ».

10. Super praefatum etiam Matthaei locum Rabanus in originali [6] sic dicit: « Consequenter hoc praecipit evangelizatoribus veritatis, quibus ante dixerat: *Gratis accepistis, gratis date.* Si enim sic praedicant, ut pretium non accipiant, superflua est auri et argenti nummorumque possessio. Nam si habuissent aurum vel argentum, viderentur non causa hominum salutis, sed lucri causa praedicare ». Idemque subiungit: « Qui divitias detruncaverat, propemodum necessaria vitae amputat, ut Apostoli, doctores verae religionis, qui docebant, omnia gubernari providentia divina, se ipsos ostenderent nihil cogitare de crastino. Ex [7] hoc praecepto arguit philosophos, qui vulgo appellantur *Bactroperitae*, quod contemptores saeculi existentes et omnia pro nihilo ducentes, cellarium secum vehant ». — His etiam Beda super Marcum [8] consonat dicens: *Praecepit eis, ne quid tollerent in via nisi virgam tantum.* « Tanta, inquit, praedicatori debet esse fiducia in Deo, ut praesentis vitae sumtus, quamvis non provideat, tamen sibi eos non deesse certissime sciat, ne, dum mens eius occupatur ad temporalia, minus aliis provideat aeterna ». Idem paulo post [9] subdit: « Illa Apostolis loquebatur, ut securi non possiderent nec portarent huic vitae necessaria, nec magna nec minima. Ideo posuit: *Nisi virgam*, ostendens, a fidelibus omnia deberi ministris suis, nulla superflua quaerentibus ».

11. His concordat Ambrosius super illud Lucae [10]: *Nihil tuleritis in via, nec virgam nec peram nec panem nec pecuniam*: « Qualis debeat esse qui evangelizat regnum Dei, praeceptis evangelicis designatur, ut sine virga, sine pera, sine calceamento, id est subsidii saecularis adminicula non requirens fideque tutus, putet sibi, quo minus ea requirit, magis posse suppetere ». Ad quod etiam facit quod ab eodem dicitur super illud Lucae [11]: *Nolite portare sacculum neque peram:* « Si prohibemur aurum possidere, quid eripere? Apostolus Petrus, primus dominicae exsecutor sententiae, ostendens, non in

[1] Epist. 22. n. 19. Respiciuntur Matth. 10, 10. (de calceamentis) et Ioan. 19, 23. seq. (de divisione vestium).

[2] Matth. 10, 9. seq.; Marc. 6, 8. seq.; Luc. 9, 3. et 10, 4.

[3] Cap. 10, 9. — Sententia Chrysost. habetur Homil. 32. (alias 33.) in Matth. n. 4. In fine allegatur Luc. 22, 35. Ibid. invenitur etiam seq. sententia.

[4] Num. 5. circa finem. Post *introire* textus originalis plura addit.

[5] Sive Homil. 90. (alias 91.) n. 4. Allegatur Act. 3, 6.

[6] Libr. III. in Matth. 10, 9. seq. Allegatur Matth. 10, 8. Ibid. habetur etiam seq. sententia. Rabanus sequitur Hieron., in eundem locum; cfr. supra pag. 273, nota 7.

[7] Textus originalis praemittit *Non peram in via* (Matth. 10, 10.). — Du Cange, Glossarium etc.: *Bactroperatae, Vactroperiti*, ita philosophi appellati, quod baculum et peram deferant, ex Graeco βάκτρον, *baculus*, et πήρα, *pera*, *sacculus*.

[8] Libr. II. in Marc. 6, 8. Beda sequitur Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 17. n. 5.

[9] Loc. cit. Idem dicit August. supra pag. 273, nota 7. allegatus. Pro *Nisi virgam* (ita Marc. 6, 8, A B D E G et edd. 1, 2) Vat. cum Beda et August. *Nec virgam* (Matth. 10, 10. et Luc. 9, 3.); cfr. Bonav., Comment. in Luc. c. 9. n. 6.

[10] Libr. VI. in Luc. 9, 5. n. 65, ubi exponitur v. 5: *Et quicumque non receperint vos* etc., dum verba *Nihil tuleritis in via* etc., occurrunt v. 3. In fine ed. Maurin. legit: non requirens *fideique deditus* sit, et quanto minus appetat temporalia, tanto magis speret, ea sibi posse suppetere (in nota adiecta allegatur etiam lectio nostra). Cfr. tom. V. pag. 126, nota 5.

[11] Libr. VII. in Luc. 10, 4. n. 54. seq., ubi tamen textus originalis hinc inde plura interserit. Allegantur Act. 3, 6. et Matth. 10, 9.

vacuum effusa Domini mandata, cum posceretur a paupere, ut ei aliquid pecuniae largiretur, ait: *Argentum atque aurum non habeo.* Tamen non tam in hoc gloriatur Petrus, quod aurum et argentum non habeat, quam quod servet Domini mandatum, qui praecepit: *Nolite possidere aurum.* Hoc est dicere: Vides me Christi discipulum, et aurum a me requiris? Aliud nobis multo pretiosius auro donavit ».

Augustinus. 12. His verbis Ambrosii et Augustinus concordat in libro de Mirabilibus sacrae Scripturae[1], sic dicens: « In excusatione eleemosynae et paupertatis professione Petrus paralytico dixit: *Surge et ambula,* illud magistri praeceptum servans: *Nolite possidere aurum neque argentum.* Qui enim, soli Deo serviens, de iniquo mammona expeditus fuerat, verbo imperii morbo ligatum cito solvebat ». Hoc ipsum Bernardus ad Eugenium libro secundo[2] confirmat: « Nec locus, inquit, otio, ubi sedula urget *sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Nam quid aliud dimisit tibi sanctus Apostolus? *Quod habeo,* inquit, *hoc tibi do.* Quid illud? Unum scio, neque aurum neque argentum, cum ipse dicat: *Argentum et aurum non est mihi* ». Et infra: « Esto, ut alia quacumque ratione haec tibi vindices, sed non apostolico iure. Nec enim ille tibi dare potuit quod non habuit ». Id ipsum Hieronymus ad Ageruchiam[3] dicit expressius: « Apostoli, toto orbe peregrini, non aes in zona, non virgam in manu, non caligas habuere in pedibus ». — Chrysostomus tandem de Laudibus Pauli[4]: « Paulus, inquit, pecunias non possedit. Nam ipse hoc testatur: *Usque in hanc,* inquit, *horam et esurimus et sitimus et nudi sumus et colaphis caedimur.* Et quid dico *pecuniam,* cum ille necessarium saepe non haberet cibum nec quo se circumdaret indumentum »? — Ex his omnibus aperte colligitur, praescriptam paupertatis formam, qua nihil possidetur et in summa rerum penuria vivitur, Apostolis fuisse praeceptam et ab eisdem servatam.

(Margin: Bernardus. — Chrysostomus.)

Tertio, de Christum sequi volentibus. 13. Quod autem ipsorum, immo Christi vestigia sequi volentibus consulatur ab ipso, aperte clarescit ex consilio, quod dedit adolescenti, sicut legitur in Matthaeo[5]: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quae habes, et da pauperibus et veni, sequere me.* Quod exponens Rabanus[6] ait: « In potestate nostra est, utrum velimus esse perfecti, tamen quicumque perfectus esse voluerit, debet vendere quae habet, et non ex parte vendere, sicut Ananias et Saphira, sed totum, et sic praeparare sibi thesaurum in regno caelorum. Nec hoc ad perfectionem sufficit, nisi Salvatorem sequatur ». Constat autem, quod Christus in summa rerum penuria vixit. Idem paulo posterius[7]: « Inter pecunias *habere* et pecunias *amare* nonnulla distantia est. Multi enim habentes non amant, multi non habentes amant. Item, alii et habent et amant, alii nec habere nec amare se divitias saeculi gaudent, quorum tutior status est, cum Apostolo dicentium: *Nobis crucifixus mundus est, et nos mundo* ». — In his Rabanus expresse insinuat, opus perfectionis esse magisque securum et Christo crucifixo conforme in carentia rerum et pecuniarum vivere in extrema paupertate.

Augustinus. 14. Hoc ipsum et Apostolus ad Corinthios[8] persuadet: *Scitis,* inquit, *gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum dives esset, ut illius inopia vos divites essetis. Et in hoc consilium do.* Super quo Augustinus in originali[9]: « *Factus est,* inquit, *egenus* in tantum, ut non haberet quod habent vulpes. *Et in hoc consilium do,* subauditur, ut eius paupertatem imitemini ». Idem quoque in libro de Bono coniugali[10]: « Non ideo malum est iustum aut Prophetam in domo sua suscipere, quia nec domum habere debet, ut quod melius est faciat qui vult ad perfectum Christum sequi ». In quo Augustinus aperte declarat, quod alieno suscipi tecto ei maxime competit, qui perfecte Christum imitari cupit. — Huic consonat quod dicit Chrysostomus super Ioannem homilia decima nona[11]: « Omnia agamus, per quae Christum imitemur. Quid igitur Christus ait: « *Vulpes foveas habent, et volucres caeli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet* ». Idem super Matthaeum homilia nona[12]: « Si ab honore quidem, qui in inferioribus est palatiis, pecuniae nos expulerint, contemptibiles erunt; caelorum autem rege per singulos dies clamante et dicente, quia difficile est cum illis caelum intrare, non proiiciemus omnia et non desistemus ab omnibus rebus, ut cum libera facie regnum ingrediamur »?

(Margin: Chrysostomus.)

---

[1] Libr. III. c. 16. (inter opera August.). Allegantur Act. 3, 6. et Matth. 10, 9. Cfr. ibid. 4, 10: Illi soli [Deo] servies, et Luc. 16, 11, ubi de *iniquo mammona.*

[2] Cap. 6. n. 10. Allegantur II. Cor. 11, 28. et Act. 3, 6. — Seq. sententia habetur ibidem.

[3] Epist. 123. (alias 11.) n. 15. Pro *Ageruchiam* A B C E *Geruntiam,* quae lectio etiam in ed. Maurin. in nota adiecta exhibetur. Respicitur Matth. 10, 9. seq. (cfr. Marc. 6, 8.).

[4] Homil. 4. de Laudibus Pauli (cfr. tom. V. pag. 138, nota 6.). Allegatur I. Cor. 4, 11.

[5] Cap. 19, 21.

[6] Libr. VI. in Matth. 19, 21, ubi sequitur Hieron., in eundem locum. Respicitur Act. 5, 2. Cfr. supra pag. 242, nota 4. — Inferius pro *penuria* A B *inopia.*

[7] Loc. cit. in Matth. 19, 23. In fine allegatur Gal. 6, 14.

[8] Epist. II. c. 8, 9. et 10.

[9] Potius Haymo in Expositione (alias Remigio Rhemensi tributa) super hunc locum. Cfr. tom. V. pag. 126, nota 2. Respicitur Matth. 8, 20: Vulpes foveas habent etc.

[10] Cap. 8. n. 8. Pro *perfectum* textus originalis *perfectionem.*

[11] Alias Homil. 18. n. 3. Allegatur Matth. 8, 20.

[12] Num. 5. in fine. Respicitur Matth. 19, 23: Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum caelorum.

…ymus. 15. His concordat Hieronymus ad Heliodorum [1]: « Nolo, te huius peregrinationis terreat difficultas; qui in Christum credis et eius crede sermonibus: *Primum quaerite regnum Dei, et haec omnia adiicientur vobis.* Non pera tibi sumenda, non virga; affatim dives est qui cum Christo pauper est ». — — Idem ad Rusticum monachum [2]: « Si habes substantiam, *vende et da pauperibus;* si non habes, grandi onere liberatus es, nudum Christum nudus sequere. Durum, grande, difficile, sed magna sunt praemia ». Constat autem, quod duritia et difficultas non est, cum proprietas rerum contemnitur, nisi penuria comitetur. — Ad hoc ipsum spectat quod dicit Gregorius Nazianzenus in Apologia sua libro secundo [3]: « Sed paupertatem, inquit, et penuriam exprobrabunt. Istae sunt divitiae meae. Ista me non solum gloriantem, sed etiam arrogantem facit. Videor enim mihi hoc audire ab inimicis, quia vestigiis illius incedam, *qui propter nos pauper factus est, cum dives esset;* atque utinam exuere me possem istis panniculis, quibus circumdari videor, ut nudus effugerem spinas saeculi, quae retinent et revocant pergentes ad Deum ». Haec sanctus Gregorius. — His consonat quod dicit Bernardus [4]: « Habetur in Evangelio et perfectionis consilium et remedium infirmitatis. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra;* haec perfectio est, siquidem *Filius hominis, ubi caput reclinaret, non habebat.* Petro et Ioanni *nec argentum nec aurum erat.* Paulus simplici victu vestituque contentus, haec ipsa labore manuum acquirebat. Sed *non omnes capiunt verbum hoc* sicut nec consilium castitatis ». Hucusque Bernardus. — Gennadius quoque de Ecclesiasticis Dogmatibus [5]: « Bonum est, inquit, facultates cum dispensatione pauperibus erogare, sed melius est pro intentione sequendi Dominum semel donare, et absolutum sollicitudine, egere cum Christo ». Sed qui habet, unde sustentetur proprie non dicitur egere; nam de illis quibus *erant omnia communia,* in Actibus [6] dicitur: *Nec erat quisquam egens inter eos.* — Postremo, ut clare nobis innotescat, quae sit abrenuntiationis forma perfectior; attendendum quod dicit Beda super illud Marci [7]: *Relictis omnibus, secutus est eum*: « Perfectam nobis abrenuntiationis saeculi formam tribuit, dum non solum lucra reliquit vectigalium, sed et pericula contempsit. Tanta enim cupiditate sequendi Dominum ductus est, ut in nullo prorsus huius vitae respectum vel cogitationem sibimet reservaverit ».

(Margin: …gorius Naz. — …nardus. — …nadius. — Beda.)

16. Per haec sacrorum doctorum testimonia tam manifesta quam certa et alia plurima, quae causa prolixitatis vitandae reticentur [8] ad praesens, irrefragabili potest ratione concludi, quod Christum et Apostolos imitari non solum quoad *abdicationem proprietatum,* verum etiam quoad *extremam temporalium rerum penuriam,* quae consistit in carentia possessionum et pecuniarum, non solum est licitum, sed et laudabile et perfectum. Non tamen ex hoc debet vel potest inferri, quod abdicatis rerum proprietatibus, possidere aliquid in communi sit imperfectum, quia, sicut perfectae castitatis diversi sunt modi, quorum variis praerogativis sancta mater Ecclesia tanquam ornamentorum varietate decoratur [9], sic et in modis perfectae paupertatis intelligendum est, quamquam non sit per omnia simile hinc et inde, sicut diligenter consideranti est evidens. Conclusio. Cautela.

17. His autem non obstat praeallegatorum vita Sanctorum, qui communia possederunt, quasi non debuerint aliter docere quam vivere, quia mos esse solet piis doctoribus, ut eas virtutum praerogativas, quibus carere se vident, in aliis mirentur et praedicent, sicut Hieronymus ad Pammachium [10] scribens: « Virginitatem, inquit, in caelum fero, non quia habeo, sed quia magis miror quod non habeo. Ingenua enim et verecunda confessio est, quo ipse careas in aliis praedicare. Nunquid, quia gravi corpore terrae haereo, avium non miror volatus »? Haec Hieronymus. — Cui etiam Chrysostomus consonat homilia octava super Matthaeum [11], qui Aegyptios monachos laudans, ait: « Nunc veniens in eremum Difficultas solvitur. Hieronymus. Chrysostomus.

[1] Epist. 14. (alias 1.) n. 1: Nolo, te antiquae peregrinationis etc. Allegatur Matth. 6, 33. et respicitur Matth. 10, 10: Non peram in via etc.

[2] Epist. 125. (alias 4.) n. 20. in fine. Respicitur Matth. 19, 21.

[3] Orat. 26. n. 14. Migne, Patr. Graeco-Lat. tom. 35. (alias 28. n. 33.): « Paupertatem obiicient? Meas scilicet opes et copias. Atque utinam et pannos hosce exuere possem, ut huius vitae spinas nudus percurrerem; utinam et gravem hanc tunicam quam celerrime abiicerem, ut leviorem acciperem »! Haec oratio inscribitur: « *In se ipsum,* cum rure rediisset, post ea quae a Maximo perpetrata fuerant ». Ex qua inscriptione colligi potest, quare haec oratio tempore Bonaventurae nominata sit *Apologia* (Oratio in se ipsum vel pro se ipso); et quia plures exstant *Orationes in se ipsum,* forsitan haec *libro secundo* continebatur. Cfr. infra c. 8. n. 17. Allegatur II. Cor. 8, 9.

[4] Declamation. etc. (cfr. supra pag. 45, nota 8.) VIII. n. 8: Habent [imperfecti] enim Evangelia et perfectionis etc. Allegantur Matth. 6, 19. et 8, 20; Act. 3, 6; I. Tim. 6, 8; Act. 20, 34. et Matth. 19, 11.

[5] Cap. 38. (alias 71.). Pro *semel* (ita B C D E G cum textu originali) edd. *simul.*

[6] Cap. 4, 33. et 34. — Superius post *sustentetur* edd. contra A B C D E addunt *scilicet in communi.*

[7] Libr. I. in Marc. 2, 14: *Et surgens* [Levi Alphaei sive Matthaeus] *secutus est eum,* ubi Beda, Luc. 5, 28. verbis: *Et relictis omnibus, surgens secutus est eum,* allegatam sententiam subiungit. Pro *ut in nullo prorsus huius vitae respectum* plures codd. cum ed. 1 et Vat. *ut nullo prorsus huius vitae respectu.*

[8] Edd. *quae causa brevitatis vitandae resecantur.*

[9] Cfr. supra pag. 250, nota 6.

[10] Epist. 48. (alias 50.) n. 20.

[11] Num. 4. et 5. Textus originalis post *effectam* et *urbanitatem* ac *zelum* multa addit. Pro *existentia enim omnia exuti* (de hac Graeca constructione, quam exhibent A B C D et ed. 1,

Aegypti, paradiso hanc meliorem videbis effectam. Etenim est videre ubique regionis illius Christi exercitum et regalem gregem et superiorum virtutum urbanitatem; existentia enim omnia exuti et mundo omnino crucifixi, et ultra rursus procedunt corporis operatione ad indigentiam cibum sumentes. Neque enim, quoniam ieiunant et vigilant, vacare per diem dignum aestimant, sed noctes quidem sacris hymnis et vigiliis, dies in orationibus et manuum operationibus consumunt, apostolicum imitantes zelum. Verecundemur igitur omnes, et divites et inopes, cum illi, nil penitus habentes nisi corpus et manus suas, cogant et litigent [1] impensas hinc indigentibus invenire, nos autem, decem millibus intus reconditis, neque superflua ad hoc tangimus ». Haec Chrysostomus, qui ut doctor sanctus et verax, quasi ad sui et aliorum sibi similium verecundiam paupertatis excellentiam in monachis Aegypti commendat.

18. Simile per omnia sacer dicit Ambrosius [2]: « Christus, ait, Dominus noster sacerdotibus suis quid praecepit audiamus: *Qui non renuntiaverit omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus*. Contremisco haec dicens. Meus enim primo omnium, meus, inquam, ipse accusator existo, meas condemnationes loquor. Negat Christus, suum esse discipulum, quem viderit aliquid possidentem, et eum qui non renuntiat omnibus, quae possidet. Et quid agimus? Quomodo haec autem ipsi legimus aut populis exponimus, qui non solum non renuntiamus his quae possidemus, sed acquirere volumus ea quae nunquam habuimus, antequam veniremus ad Christum? Nunquid nam, quia nos redarguit conscientia, tegere, non proferre quae scripta sunt possumus? Nolo duplicati criminis esse reus; confiteor et palam, audiente populo, confiteor, haec scripta esse, etiam si nondum implesse me novi. Sed ex hoc saltem commoniti, festinemus implere, festinemus transire a sacerdotibus Pharaonis, quibus terrena possessio est, ad sacerdotes Domini, quibus in terra pars non est, quibus *portio Dominus* est. Talis enim erat et ille qui dicebat: *Tanquam egentes, multos autem locupletantes, ut nihil habentes, et omnia possidentes;* Paulus hic est, qui in talibus gloriatur ». His sacri doctoris veracibus et humilibus verbis nihil expressius ad propositum dici potest.

Ambrosius.

19. Et beatus Papa Gregorius tertio Dialogorum [3], viri mirabilis Isaac vitam describens, ait: « Servus omnipotentis Domini, egressus urbem non longe, desertum locum reperit ibique sibi humile habitaculum construxit, ad quod dum multi pergerent, exemplo illius aeternae vitae accendi desiderio coeperunt atque sub eius magisterio in omnipotentis se Domini servitium dederunt. Cumque ei crebro discipuli innuerent, ut pro usu monasterii possessiones, quae offerebantur, acciperet, ille sollicitus suae paupertatis custos fortem sententiam tenebat, dicens: Monachus, qui in terra possessionem quaerit, monachus non est. Sic quippe metuebat paupertatis suae securitatem perdere, sicut avari solent divites perituras divitias custodire ». Haec Gregorius, qui, cum monachus et ipse in monasterio, quod possessionibus dotaverat, vitam duxisset [4], communes tamen possessiones recusantem miratur et laudat. Ac per hoc impiae praesumtionis esse convincitur virtutem non habitam spernere, ut, si cuiusvis docentis *vita* extremae paupertati non per omnia consonat, ipsius *doctrina* pauperum perfectioni repugnando contradicat.

Gregor…

Notand…

20. Nequaquam igitur a praedictis discordat illud Augustini verbum, quo contra Adimantum Manichaeum [5] praefatum de paupertatis forma mandatum datum Apostolis dicit *spiritualiter esse perscrutandum*, vel, ut alibi dicit, *permissive intelligendum*. Nam cum Marcus [6] dicat expresse, quod *praecepit eis, ne quid tollerent in via*, et ipse una cum aliis expositoribus, sicut ex praemissis claret, intelligendum ad litteram doceat; si hoc simpliciter alibi negaret, et evangelicae veritati et Sanctorum doctrinae simul ac suae contrairet. Quod de tanto

Augu… non d… tit.

---

cfr. Forcellini, sub verbo *exuo*) Vat. et ed. 2 perperam *existentia enim omni exuti*, recentior versio: *siquidem exuti rebus cunctis praesentibus*. Subinde pro *et ultra rursus procedunt* Vat. et edd. 1, 2 contra textum originalem: *Et ultra. Rursus procedunt;* recentior versio: *ultra etiam procedunt, labore corporis utentes ad victum egenis comparandum* (τῇ τοῦ σώματος ἐργασίᾳ πρὸς τὴν τῶν δεομένων ἀποχρώμενοι τροφήν).

[1] Recentior versio: *quando illi... conantur et contendunt* (βιάζωνται καὶ φιλονεικῶσι).

[2] Potius Origenes, Homil. 16. in Gen. (A B C E *Ambros., homit. 16. super Genesi*) n. 5. In principio allegatur Luc. 14, 33. et in fine respicitur Num. 18, 20. (cfr. Deut. 18, 2.) de levitis, ac allegatur II. Cor. 6, 10.

[3] Cap. 14. Cfr. tom. V. pag. 148, nota 4. Pro *ad quod* textus originalis *ad quem*.

[4] Cfr. eius vita, scripta a Paulo Diacono, n. 4. seq. et a Ioanne Diacono, lib. 1. n. 5. seq. — Superius pro *cum monachis* ex A B et edd. 1, 2 substituimus *cum monachus*. Inferius pro *ut quia docentis vita* ex A B C G substituimus *ut, si cuiusvis docentis vita*.

[5] Cap. 20. n. 1: « Quae tamen omnia spiritualiter perscrutanda sunt, ne ipse Dominus hominibus impiis contra sua praecepta fecisse videatur, qui etiam loculos habebat [cfr. Ioan. 12, 6.], quibus ad necessarium victum penuria portabatur ». Ibid. etiam alia sententia occurrit: Non autem ista iussa, sed *permissa* esse Apostolis, ex hoc intelligitur, quod Apostolus Paulus [cfr. Act. 18, 3. et 20, 34.], manibus suis operatus, victum quaerebat etc. Cfr. de Mendacio, c. 15. n. 30: Item dictum est Apostolis [Luc. 10, 4.], ut nihil secum portantes in via ex Evangelio viverent. Et quodam loco [Matth. 10, 10.] etiam ipse Dominus significavit, cur hoc dixerit, cum addidit: *Dignus est enim operarius mercede sua*, ubi satis ostendit, *permissum* hoc esse, non *iussum*, ne forte qui hoc faceret, ut in opere praedicationis verbi aliquid ab eis quibus praedicaret, in usus vitae huius sumeret, illicitum aliquid se facere arbitraretur etc.

[6] Cap. 6, 8. — Cfr. supra n. 5. seq. et 9. seqq.

dici doctore piae catholicorum aures abhorrent. — Attendendum est ergo, quod cum Apostoli fuerint primi *fundatores* religionis christianae et *professores* perfectionis excelsae, professores, inquam, et sicut *privatae personae* et sicut *exemplaria quaedam*, praedicta Domini verba intelligere possumus, eis esse dicta tanquam *fundatoribus* christianae religionis; et sic intelliguntur extendi ad omnes. Sed non omnes Christiani arctantur, ut hanc vitae regulam teneant, sicut Manichaei falso dogmatizant; ideo contra ipsos loquens haereticorum malleus Augustinus ostendit, quod haec verba *spiritualiter intelligenda sunt*, si sic accipiantur tanquam omnibus sint praecepta. — Possumus etiam intelligere, praedicta verba dicta fuisse Apostolis tanquam *exemplaribus perfectionis*; et sic intelliguntur per modum *consilii*, quod de se non obligat, nisi eos qui hanc vivendi formam voluntarie profitentur et vovent. — Intelligere possumus insuper dicta fuisse Apostolis sicut *certis personis* primisque praedicatoribus evangelicae legis; et sic, cum duo insinuentur in verbis illis, videlicet *abdicatio temporalium* et *receptio stipendiorum*, primum intelligitur fuisse *praeceptum*, sicut dicit textus[1] et Glossa. Unde Beda[2]: « Missis ad praedicandum discipulis, *ne quid tollerent in via, praecepit* ». Secundum autem non fuisse praeceptum, sed *concessum* sive *permissum*. Unde Glossa super illud Lucae[3]: *In eadem domo manete* etc.: « Qui saccum et peram prohibuit sumtus ex praedicatione concedit ». — Et Rabanus[4] super Matthaeum: « Claret autem, hoc Dominum *non ita praecepisse*, tanquam evangelistae vivere aliunde non debeant, quam eis praebentibus, quibus annuntiant Evangelium; alioquin contra hoc praeceptum fecit Apostolus, qui victum de manuum suarum laboribus transigebat; sed *potestatem dedisse*, in qua scirent ista sibi deberi. Cum autem potestas datur, licet cuique non uti et tanquam de iure suo cedere ». Haec Rabanus. — Ex his manifeste colligitur, quod praedicta Domini verba iuxta considerationes praemissas intelligi possunt et *spiritualiter* et *ad litteram* et ut *consulta* et ut *praecepta* et ut *permissa*. Propter quod omnis contrarietatis calumnia de medio tollitur, si multiformis huius acceptionis intelligentia sane capiatur.

Non dissentit Hieronymus.

21. His etiam non obsistit illud Hieronymi ad Nepotianum[5], ubi dicit, quod « vivens de decimis et altaris oblatione sustentatus, nudam crucem nudus sequitur », tanquam perfectae paupertatis summa consistat in vivendo de decimis et oblationibus, sicut sacerdotes et clerici vivunt. — Est enim multiplex gradus et differentia nuditatis, et alia quidem est *cordis*, alia *cordis et corporis*. Nuditas *cordis* est per exspoliationem spiritus ab omni perverso affectu avaritiae et cupiditatis. Et de hac Gregorius in homilia[6]: « Nudi cum nudo luctari debemus, quia, si vestitus quisque cum nudo luctatur, citius ad terram deiicitur, quia habet, unde teneatur ». Hoc quidem intelligitur generaliter dictum omnibus Christianis.

Multiplex gradus huius nuditatis. — Nuditas cordis.

Gradus nuditatis cordis et corporis est triplex. Primus.

22. Nuditas autem *cordis et corporis* triplicem habet gradum. Nam quaedam est *magna*, quae attenditur in abiectione omnis superfluitatis et proprietariae possessionis. Et haec, quamquam non sit de necessitate, est tamen de congruentia status et ordinis clericalis. Et de hac Hieronymus ad Nepotianum[7]: « Si autem ego *pars Domini* sum *et funiculus hereditatis eius*, nec *accipio partem inter ceteras tribus*, sed quasi levita et sacerdos vivo de decimis, et altari deserviens, altaris oblatione sustentor, habens victum et vestitum, his contentus ero et nudam crucem nudus sequar ». — Est et alia nuditas *maior*, quae non solum consistit in his, verum etiam in abdicatione potestatis possidendi proprium et abnegatione propriae voluntatis; et haec competit regularibus et coenobitis, de qua Hieronymus ad Heliodorum[8] ait: « Nolo pristinarum necessitudinum recorderis; nudos amat eremus ». *Nudos* intelligit non solum a facultatum appropriatione, verum etiam a propria voluntate, iuxta illud Bernardi de Colloquio Simonis et Iesu[9]: « Age ergo, et qui relinquere omnia disponis, te quoque inter relinquenda numerare memento, immo vero maxime et principaliter abnega temetipsum, si deliberas sequi eum qui *exinanivit* propter te *semetipsum* ». —

Secundus.

---

[1] Marc. 6, 8: Et praecepit eis, ne quid tollerent in via etc. Glossam vide paulo inferius. — Superius pro *stipendiorum* (ita A B C D et ed. 1) Vat. et ed. 2 *dispendiorum*.

[2] Libr. VI. in Luc. 22, 36; vide inferius n. 39. huius capituli, ubi integer locus Bedae affertur. Allegatur Marc. 6, 8. Cfr. II. in Marc. 6, 8. et III. in Luc. 10, 4.

[3] Cap. 10, 7. Glossa est *ordinaria* ex Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 17. n. 7, quem sequitur Beda, III. in Luc. 10, 6.

[4] Libr. III. in Matth. 10, 9. seq., ubi sequitur August., II. de Consensu Evangelist. c. 30. n. 73. Respicitur Act. 18, 3. (cfr. 20, 34. et I. Cor. 4, 12.) de Paulo. Vocibus *Cum autem* textus originalis praemittit: Cum autem a Domino aliquid imperatur, nisi fiat, inobedientiae culpa est.

[5] Epist. 52. (alias 2.) n. 5. Vide paulo inferius notam 7.

[6] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 32. n. 2. — Col. 3, 9: *Exspoliantes* vos veterem hominem cum actibus suis.

[7] Epist. 52. (alias 2.) n. 5. In principio respicitur etymologia nominis *clericus*, quam Hieron. ibid. praemisit: « Si enim κλῆρος Graece, *sors* Latine appellatur, propterea vocantur *clerici*, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est pars clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut et ipse possideat Dominum et possideatur a Domino » etc. Deut. 32, 9: Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hereditatis eius. Cfr. Ps. 15, 5. Subinde respiciuntur Num. 18, 20. seqq. (cfr. Deut. 10, 9; 18, 1. seq., Iosue 14, 3.); I. Cor. 9, 13. et I. Tim. 6, 8.

[8] Epist. 14. (alias 1.) n. 1: Nolo pristinarum necessitatum recorderis etc.

[9] Sive Declamation. etc. (cfr. supra pag. 45, nota 8.) III. n. 3. Allegatur Phil. 2, 7.

Tertius. Est et tertia nuditas, quae consistit in his quae praedicta sunt et insuper in abdicatione omnis transitoriae facultatis cum penuria et indigentia opportunae sustentationis, et haec competit Apostolis et apostolicis viris, et de hac super illud Matthaei [1]: *Qui potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli non perdet mercedem suam;* Glossa: « Minimi sunt qui nihil penitus habent in hoc mundo ». Tales fuerunt Apostoli. Unde Hieronymus ad Exsuperantium [2] ait: « Nemo Apostolis pauperior fuit et nemo tantum pro Domino dereliquit. Vidua illa in Evangelio paupercula, quae duo minuta misit in gazophylacium, cunctis praefertur divitibus, quia totum, quod habuit, dedit ». Haec Hieronymus. Si igitur haec vidua iuxta testimonium Domini totum dando nihil sibi reservavit, in extrema se nuditate constituit.

23. Ad hanc nuditatem aspirabat illa nobilis vidua Paula, de qua Hieronymus in laudem ipsius [3]: « Hoc habuit voti, ut mendicans ipsa moreretur et unum nummum filiae non dimitteret et in funere suo aliena sindone involveretur ». Eiusdem quoque felicem describens obitum, ait: « Testis est Iesus, ne unum quidem nummum ab ea derelictum. Quid hac virtute mirabilius, feminam nobilissimae familiae, magnis quondam opibus, tanta fide omnia dilargitam, ut ad egestatem ultimam perveniret? Iactent alii pecunias in corbonam funalibusque aureis dona pendentia; nemo plus dedit pauperibus, quam quae sibi nihil reliquit ». Haec Hieronymus, qui ad hanc nuditatem tanquam summe perfectam hortatur Hedibiam, in epistola [4], quam ad eam scribens, ait: « Vis esse perfecta et in primo stare fastigio dignitatis? Fac quod fecerunt Apostoli. *Vende omnia, quae habes, et da pauperibus et sequere* Salvatorem et nudam solamque crucem nuda sequaris et sola ». — In his manifestius asserit, quod ea paupertas ad perfectionis attingit fastigium, qua quis expressius et conformius nuditatem crucis amplectitur et nudum Crucifixum imitatur.

Exemplum S. Paulae.

24. Illud autem Gregorii [5] verbum, quo dicit, censum non esse in culpa, sed *affectum*, nequaquam est praemissis contrarium, si recte intelligatur. Si quis enim hoc sentiat, quod census *in culpa* sit causaliter vel formaliter, cum Manichaeo errat, et hoc Gregorius reprobat. Si quis autem intelligat, censum esse *culpae occasionem*, a sententia veritatis non deviat, cum et ipsa Veritas dicat in Marco [6]: *Quam difficile, qui pecunias habent in regnum Dei introibunt.* Nullo enim modo pecunia impedimentum difficultatis Dei regnum intrare volentibus praestat, nisi quia vel est occasio *inclinationis* ad malum, vel *distractionis* a bono. — Hoc Sanctorum testimoniis clare monstratur. Quod enim divitiae habentibus ipsas *occasio* sint *cupiditatis* in libro de Officiis [7] dicit Ambrosius: « Feralis, inquit, avaritia, illecebrosa pecunia, quae habentes contaminat, non habentes non iuvat. Esto tamen, ut aliquando iuvet pecunia inferiorem et ipsum desiderantem, quid ad alios, si sit ille copiosior, qui habet? Nunquid idcirco honestior, quia habet quo honestas plerumque amittitur »? — Cui et Bernardus concordat de Colloquio Simonis et Iesu [8]: « Haec fugiendarum divitiarum praecipua causa est, quod vix aut nunquam sine amore valeant possideri. Limosa siquidem et glutinosa nimis, non solummodo exterior, verum etiam interior substantia nostra videtur, et facile cor humanum omnibus, quae frequentat, adhaeret ». — His consonat Augustinus super Psalmum centesimum vigesimum secundum [9] dicens: « Non sunt istae verae divitiae, sed mendicitas, quia quanto magis abundant, tanto magis crescit inopia avaritiae. Non sunt verae divitiae, quae plus augent cupiditatem ei qui eas possidet ».

Exp... verbum ... gorii.

Divitiae ... casio cupi... tatis. Ambro...

Bernar...

Augus...

25. Quod autem sint occasio *vanitatis atque superbiae*, Augustinus de Lapsu mundi [10]: « In divitiis nil tam cavendum est quam superbiae morbus. Qui enim non habet divitias, non habet amplissimas facultates non habet, unde se extollat ». Idem de Verbis Domini [11]: « Nihil est, quod sic generent divitiae, quomodo superbiam. Omne granum, omne germen habet vermem

Item, ... sio s... biae.

---

[1] Cap. 10, 42. Glossa est *ordinaria*. Cfr. Matth. 25, 40. et 45.

[2] Epist. 145. (alias 35.). Cfr. de Apostolis Matth. 4, 18. seqq., et de vidua Marc. 12, 41. seqq.; Luc. 21, 1. seqq.

[3] Epist. 108. (alias 27.) ad Eustochium virginem, sive *Epitaphium Paulae matris*, n. 15. et 30. Textus originalis voci *derelictum* praefigit *filiae*, deinde plura addit et in fine legit: Iactent alii pecunias et in corbonam Dei aera congesta funalibusque... Nemo plus dedit pauperibus, quam quae [ed. 2 cum ed. 1 et Vat. *qui*] sibi nihil reservavit.

[4] Epist. 120. (alias 150.) c. 1. Allegantur Matth. 19, 21. Cfr. supra pag. 244, nota 5. et 6.

[5] Libr. X. Moral. c. 30. n. 49: Non est ergo census in crimine, sed affectus.

[6] Cap. 10, 23. — Cfr. supra c. 5. n. 14, ubi eadem distinctio occurrit.

[7] Libr. II. c. 26. n. 132. Post *inferiorem* textus originalis prosequitur: tamen et ipsam desiderantem. Quid ad eum qui non desiderat, qui non requirit, qui auxilio eius non indiget, studio non flectitur? Quid ad alios etc.

[8] Sive Declamat. etc. (cfr. supra pag. 45, nota 8.) II. n. 2. Vide supra pag. 272, notam 2.

[9] Num. 11. seq. Textus originalis pro *inopia avaritiae* substituit *inopia et avaritia* et deinde, pluribus additis, legit: Non sunt illae verae divitiae; plus augent cupiditatem eis qui eas possident.

[10] Serm. 14. (alias 110. de Tempore) c. 1. n. 2, ubi pro *divitias* textus originalis substituit *pecuniam*. Ed. Maurin. huic sermoni praefigit: « Habitus Carthagine in basilica Novarum die dominico », nihil insinuans de inscriptione *de Lapsu mundi*.

[11] Serm. 5; nunc Serm. 61. c. 9. n. 10: Nihil enim est, quod sic generent divitiae, quomodo superbiam. Omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum. Et alius est vermis mali, alius pyri, alius fabae, alius tritici; vermis divitiarum, superbia. Cfr. tom. VII. pag. 321, nota 13.

...occa-si distra-ctionis.

suum. Vermis divitiarum superbia est ». — Quod vero sint occasio *distractionis*, manifeste insinuat Gregorius primo Moralium[1]: « Solet, inquit, rerum abundantia tanto a timore divino mentem solvere, quanto hanc exigit diversa cogitare. Nam dum foris per multa spargitur, stare in intimis fixa prohibetur ». Idem in homilia super illud Lucae[2]: *Exiit qui seminat* etc.: « Si nos, inquit, vobis *semen* verbum, *agrum* mundum, *volucres* daemonia, *spinas* divitias significare diceremus; ad credendum nobis mens forsitan vestra dubitaret. Unde et idem Dominus per semetipsum dignatus est exponere quae dicebat. Quis enim unquam mihi crederet, si *spinas* divitias interpretari voluissem? maxime cum illae pungant, istae delectent; et tamen spinae sunt, quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant, et cum usque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant ».

...rmatur.

26. Si quis igitur praemissa diligenter attendat, indubitanter advertet, quod quamvis census formaliter seu causaliter non sit in culpa[3], est tamen frequens occasio culpae, distrahendo a bonis et inclinando ad mala. Propter quod opes a Salvatore *spinis* comparantur et ab Ambrosio *illecebrosae* dicuntur. Nam cum, sicut ex praemissis[4] apparet, vim rationalem distrahant, irascibilem extollant et concupiscibilem nostram illiciant, non solum sunt illecebris, sed et periculis plenae. Unde Augustinus de Lapsu mundi[5]: « Divitiae ipsae, quas putatis plenas esse deliciarum, pleniores sunt periculorum ». Cum itaque perfectionis sit non solum peccata vitare, verum etiam peccatorum occasiones et bonorum impedimenta ad plenum succidere, dicente Gregorio in Moralibus[6], quod « solus ille in illicita non cadit, qui se a licitis caute restringit »; liquido claret, quod quamvis possessiones et pecunias habere de se non sit peccatum, sed licitum, est tamen eas abdicare et voluntarie pro Christo eis carere perfectum.

...ectio re-llitur.

27. Quodsi forte quis dicat, occasionem huiusmodi a temporalibus rebus *imperfectis* dari mentibus, non perfectis, quasi magis competat statui imperfectorum divitias fugere eisque carere[7]; vitae Iesu Christi eiusque doctrinae adversatur aperte. Neque enim secundum hoc perfectissimus debuisset Christus carere divitiis neque hoc docuisset perfectos, cum tamen dixerit[8]: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quae habes* etc. Nunquid Apostoli perfecti non erant, quibus dictum est: *Nolite possidere aurum?* Quod verbum tractans Ambrosius in libro de Officiis[9], ait: « *Nolite possidere aurum et argentum neque pecuniam;* quo velut falce pullulantem in pectoribus humanis succidit avaritiam ». — Super eundem quoque sermonem Chrysostomus homilia trigesima secunda[10]: « Non dixit: Nolite accipere vobiscum aurum, sed, si aliunde possibile est accipere, fugite perniciosam hanc aegritudinem. Etenim multa per hoc emendabat ». Ex his datur intelligi, quod propter vitandam occasionem avaritiae fuit Apostolis interdicta pecunia, cum tamen essent perfecti.

Declaratur.

28. Verum est quidem, quod census perfectis non tam vehemens nec tantorum est peccatorum occasio, sed quia quantumlibet parva intellectus distractio vel illectio appetitus vitiosa mentibus perfectorum ad aeterna suspensis magis est dissona, quam longe maior imperfectis circa filiorum educationem et curam rei familiaris occupatis; hinc est, quod perfecta temporalium rerum abdicatio perfectis consulitur, non imperfectis, nisi velint esse perfecti. Nam cum ipsis imperfectis sufficiat peccata maiora vitare per mandatorum observantiam, perfectis tamen competit etiam superfluas cogitationes a mente rescindere, sicut et Gregorius secundo Moralium[11] docet, spiritualiter exemplificans Nazaraeorum ritum perfectionisque figuram: « Devotione, inquit, completa, caput Nazaraeus radere capillosque in igne sacrificii ponere iubetur, quia tunc ad perfectionis summam pertingimus, cum sic exteriora vitia vincimus, ut etiam cogitationes superfluas a mente resecemus, quas nimirum igne sacrificii concremare est flamma eas divini amoris incendere, ut totum cor in Dei amore ardeat, et cogitationes superfluas concremans quasi Nazaraei capillos, devotionis perfectione consumat ».

Notandum.

Alia difficultas. Hieronymus.

29. Illa quoque promissio *centupli* praedeterminatis non obviat, quoniam ad spiritualia bona refertur, sicut dicit Hieronymus super Matthaeum[12] et etiam Rabanus quasi eisdem verbis utentes: « Occasione, inquiunt, huius sententiae quidam introducunt mille annos post resurrectionem, dicentes, nobis tunc centuplum omnium rerum, quas dimisimus, et vitam

---

[1] Cap. 5. n. 6. Post *tanto* et *quanto* textus originalis addit *magis* et subinde omittit *foris.*

[2] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 15. n. 1, ubi exponitur parabola de seminante, Luc. 8, 4-15. Pro *quae dicebat* textus originalis *quod dicebat*, qui et deinde plura addit.

[3] Cfr. supra n. 24. verba Gregorii; ibid. etiam occurrit sententia Ambrosii paulo inferius allegata.

[4] Num. 24. seq.

[5] Serm. 14. (alias 110. de Tempore) c. 4. n. 6. Cfr. supra pag. 280, nota 10.

[6] Libr. V. c. 11. n. 17: Solus enim in illicitis non cadit qui se aliquando et a licitis caute restringit. — Pro *succidere* Vat. cum ed. 1 *succindere;* cfr. Bonav., IV. Sent. d. 15. p. II. a. 1. q. 1, ubi exponitur haec definitio satisfactionis: Satisfacere est peccatorum causas *excidere* et earum suggestionibus aditum non indulgere.

[7] Cfr. supra c. 5. n. 15, ubi similis obiectio occurrit.

[8] Matth 19, 21, et subinde 10, 9.

[9] Libr. II. c. 25. n. 128. Allegatur Matth. 10, 9.

[10] Alias 33. n. 4. Vide supra n. 9, ubi exhibentur ea quae sequuntur.

[11] Cap. 52. n. 84. De Nazaraeis cfr. Num. 6, 18.

[12] Libr. III. in Matth. 19, 29: Et omnis, qui reliquerit domum... *centuplum* accipiet etc.; in cuius expositione Rabanus sequitur Hieron.

aeternam esse reddendam, non intelligentes, quod si in ceteris digna sit retributio, in uxoribus appareat turpitudo, ut qui unam pro Domino dimiserit centum accipiat in futuro. Sensus igitur iste est: qui carnalia pro Salvatore dimiserit spiritualia recipiet, quae comparatione et merito sui ita erunt, quasi parvo numero centenarius numerus comparetur ». — Cui etiam consonat Gregorius super Ezechielem homilia sexta [1]: « Neque enim sanctus vir ideo terrena deserit, ut haec possidere in hoc mundo multiplicius possit; sed per centenarium numerum perfectio designatur, quia, quisquis pro Dei nomine temporalia contemnit, hic perfectionem mentis recipit, ut ea non appetat, quae contempsit. Centies itaque recipit quod dedit qui, perfectionis spiritum accipiens, terrenis non indiget, etiamsi haec non habet ». Hucusque Gregorius. — His consentit Bernardus in sermone illo de beato Petro [2]: *Dixit Simon Petrus ad Iesum,* dicens: « Quid est centuplum istud, fratres, nisi consolationes, visitationes primitiaeque spiritus, qui super mel dulcior est »? Et post pauca: « Non est pater aut mater, non domus aut ager est, non cibus aut vestis, non denique terrenum aliquid aut corporale, sed plane his omnibus est delectabilius, super omnia haec dulcius, universis his iucundius est, et quaecumque desiderantur in hoc saeculo nequam, huic non valent comparari ».

Gregorius.

Bernardus.

30. Quodsi forte quis pertinaciter obsistat tam per textum Marci [3] quam per Augustinum contra Adimantum, asserens, bona temporalia repromissa fuisse a Christo; respondebimus, promissionem donationis et receptionis huiusmodi debere intelligi per modum *caritativae communionis,* non per modum *possessionis.* Unde Beda super illud Marci [4]: *Nemo est, qui reliquerit domum* etc.: « Quia nimirum a fratribus atque consortibus propositi sui, qui ei spirituali glutino colligantur, multo gratiorem etiam in hac vita recipiet caritatem ». Cui consonat et Glossa [5] ibidem: « Omnes Sancti et quaecumque habent communicantur ei ». Et Augustinus contra Adimantum [6]: « Fideli totus mundus divitiarum est ». — Vel certe intelligendum est per modum cuiusdam *caelestis provisionis,* contra Manichaeos, qui dicebant, haec temporalia bona a tenebrarum principe fuisse creata et ab illo solo repromitti et dari, a Christo autem inhiberi. Ideo hic promittuntur a Domino ad haereticorum confutandam perfidiam et a cordibus fidelium diffidentiam omnem tollendam. Unde super illud Matthaei [7]: *Haec omnia adiicientur vobis,* Glossa: « Omnia sunt filiorum, et ideo *haec omnia adiicientur* etiam non quaerentibus, quibus, si subtrahantur, ad probationem est, si dentur, ad gratiarum actionem ». Et Augustinus super illud Ioannis [8]: *Vado piscari:* « Cur non invenit aliud, unde viveret, cum Dominus promiserit dicens: *Primum quaerite regnum Dei, et haec omnia adiicientur vobis?* Prorsus etiam sic Dominus quod promisit implevit. Nam quis alius pisces, qui caperentur, apposuit »?

Ad aliam obiectionem respondetur primo.

Respondetur secundo.

31. Constat igitur, promissionem huiusmodi per modum *provisionis* debere intelligi ad tollendum diffidentiam, non per modum *augmentationis* temporalis substantiae, quia hoc non esset cupiditatem abscindere, sed augere. Unde Chrysostomus super Matthaeum homilia sexagesima tertia [9]: « Nihil ita sedat cupiditatis sitim, sicut desistere a lucrandi concupiscentia, sicut amaram choleram abstinentia et evacuatio. Facilius est enim, homines existentes volare, quam adiectione pluris quiescere facere desiderium ». — Et Augustinus in libro octoginta trium Quaestionum [10]: « Caritatis venenum est spes adipiscendorum temporalium ». Si ergo Christus multiplicationem temporalium per modum possessionis discipulis suis promitteret, caritatem in eis perimeret potius, quam augeret [11], dum possessionis terrenae centuplicatione

Confirmatur.

Chrysostomus.

Augustinus.

---

[1] Libr. II. n. 16. Textus originalis plura hinc inde interserit.

[2] Cfr. Declamat. etc. (vide supra pag. 45, notam 8.) LVIII. n. 70: « Hoc ergo centuplum adoptio filiorum est, libertas et primitiae spiritus [cfr. Rom. 8, 23.], deliciae caritatis, gloria conscientiae regnum Dei, quod intra nos est [cfr. Luc. 17, 21.], *non utique esca vel potus, sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu sancto* [Rom. 14, 17.] ». Subinde: « Illa [pax] *superat omnem sensum* [Phil. 4, 7.], sed et huic quidquid sub sole placet, quidquid in mundo concupiscitur, non poterit comparari [cfr. Prov. 3, 15. et 8, 11.] ». Respicitur Eccli. 24, 27: Spiritus enim meus super mel dulcis.

[3] Cap. 10, 29. seqq.: Amen dico vobis: Nemo est, qui reliquerit domum... qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc domos et fratres... et in saeculo futuro vitam aeternam. Sententia Augustini habetur in libro contra Adimantum, c. 18. n. 1. Vide paulo inferius notam 6.

[4] Libr. III. in Marc. 10, 29 seq.

[5] Scilicet *interlinearis* in Marc. 10, 30.

[6] Cap. 18. n. 1: Si autem in ipso novo testamento, cuius praemium et hereditas ad novum hominem pertinet, tamen et Dominus iisdem ipsis, quos vult esse rerum temporalium contemptores, ut in Evangelio sibi serviant, promittit multiplicationem earundem rerum in hoc saeculo, dicens [Marc. 10, 30.], quod accipient in hoc saeculo *centies tantum, in saeculo* autem *venturo vitam aeternam,* sicut etiam in veteri Scriptura [Prov. 17, 6. secundum Septuaginta] dicitur: *Fideli homini totus mundus divitiarum est;* unde exsultat Apostolus [II. Cor. 6, 10.] dicens: *Quasi nihil habentes et omnia possidentes*... quanto magis in veteri testamento carnalis populi praemia talia esse debuerunt etc. Cfr. Epist. 157. (alias 89.) c. 4. n. 32. Prov. 17, 6. in Septuaginta additur Vulgatae: Eius qui fidelis est, totus mundus divitiarum, illius autem, qui infidelis est, neque obolus.

[7] Cap. 6, 33. Glossa est *ordinaria.* — Superius pro *Ideo hic* B *Ideo haec.*

[8] In Ioan. Evang. tr. 122. n. 4. in Ioan. 21, 3. Allegatur Matth. 6, 33.

[9] Alias 64. n. 3. Post *evacuatio* textus originalis multa addit. Pro *sedat* A B C *sistit* (ἵστησιν), G *exstinguit.*

[10] Quaest. 36. n. 1, ubi post *adipiscendorum* a textu originali additur *aut retinendorum.*

[11] Codd. A B C *perimeret, non nutriret.* Inferius pro *docet* ex C D substituimus *doceret.*

promissa temporalium bonorum affluentiam sperandam doceret potius quam spernendam. Quod impium est sentire de Christi doctrina.

32. Modus etiam *apostolicae vitae* praedeterminatis non adversatur, sed consonat. Quamvis enim legatur in Actibus [1], quod *multitudini credentium erant omnia communia*, et quod rerum venditarum pretia ponebantur ad pedes Apostolorum; nequaquam est intelligendum, quod Apostoli proprium aliquid vel commune possederint, quia communitas illa non refertur ad Apostolos, sed ad turbam, sicut et Glossa [2] ibidem insinuat: « Discernit, inquit, ordinem doctorum et auditorum. Nam multitudo credentium, rebus spretis, copula caritatis invicem iungebantur; Apostoli vero, virtute fulgentes, mysteria Christi pandebant ». Haec Glossa, quae per ipsum textum declarat, quod sicut illa rerum communitas erat turbarum, sic et signorum virtus erat Apostolorum. Nec huic repugnat, quod sequitur [3], ante ipsorum pedes pretia fuisse posita, quia, ut dicit Hieronymus ad Demetriadem, hoc fiebat, « ut docerent, pecunias esse calcandas », vel certe, ut se ac sua apostolicae dispositioni committerent, sicut docet Ambrosius super Epistolam secundam ad Corinthios [4], ubi de Apostolis loquens dicit: « Quantum ad praesentem vitam pertinet, pauperes videbantur, sed spirituales divitias credentibus largiebantur, egeni in terris, in caelis divites, ut *nihil habentes, omnia autem possidentes.* Hoc enim fuit in Apostolis gloriosum, ut sine sollicitudine et nomine possidendi non solum ea quae in possessionibus erant, sed etiam eorum dominos possiderent ». Haec Ambrosius, in quibus insinuat, quod Apostolis in sua egestate manentibus, eorum dispositioni quoad res et personas primitiva illa Ecclesia suberat; hanc tamen rerum dispositionem maluerunt committere aliis, sicut in Actibus [5] consequenter legitur: *Non est aequum, nos relinquere verbum Dei et ministrare mensis;* quod quidem dixerunt, ut distractionem ministrandi refugerent, non quia per illud ministerium aliquid possiderent. Unde et Petrus in eadem urbe, ubi haec fiebant, pauperi eleemosynam a se petenti respondit [6]: *Argentum et aurum non est mihi;* ubi Glossa: « Memor illius praecepti: *Nolite possidere aurum neque argentum,* pecuniam, quae ad pedes Apostolorum ponebatur, non sibi recondebat, sed ad usus pauperum, quia sua patrimonia reliquerant ».

33. Hanc etiam paupertatis formam et Ioannes servavit Evangelista cum discipulis suis, inter quos duobus, qui magnas reliquerant opes, prae nimia egestate tentatis, sicut scribitur in eius Legenda [7], ait: « Nunquid non valet manus Domini, ut faciat servos suos divitiis affluentes? Sed in hoc certamen statuit animarum, ut sciant, se aeternas habituros divitias, qui pro eius nomine temporales opes habere noluerunt ». — Eandem paupertatis districtionem et Thaddaeus servavit Apostolus, sicut scribitur libro primo Ecclesiasticae Historiae [8], quod cum post Christi ascensionem Abgarus rex, sanatus a praefato Apostolo, praeciperet, eidem dari aurum et argentum, ille non accepit, dicens: « Si nostra reliquimus, quomodo accipiemus aliena »? Sed et Apostolus Paulus de se simul et aliis Apostolis ait ad Corinthios [9]: *Usque in hanc horam et esurimus et sitimus et colaphis caedimur et instabiles sumus;* ubi Glossa: « *Usque in hanc horam,* id est continue ». Et alibi ad Corinthios: *In fame et siti, in frigore et nuditate.* Hanc penuriosam vitam duxisse Apostolum non ad tempus, sed continue, et praefata Glossa insinuat, et superius [10] allegata Chrysostomi de Laudibus Pauli auctoritas confirmat. Si quando igitur dicit, se habere omnia et abundare [11]; nec debet nec potest intelligi quantum ad opulentiam sive affluentiam rerum, sed quantum ad sufficientiam mentis. De qua Augustinus in libro de Beata Vita [12]: « Nullus perfectus aliquo eget, et quod videtur corpori necessarium sumet, si affuerit; si non affuerit, istarum rerum non frangetur inopia ».

34. Quodsi forte quis dicat, Apostolum aliquas secum tulisse pecunias, quia periculis se dicit expositum fuisse latronum; aperte contrariatur Ambrosio, qui, praefatum locum tractans, in originali [13] sic ait: « Cum in civitate eum diabolus occidere non posset, latrones sibi excitabat in via, cum tamen nihil ferret, quod latrones cuperent ». — Haec sacer Ambrosius; cui et Chrysostomus consonat de Laudibus Pauli [14]: « Iob, cum oves et boves haberet innumeras, erat in pauperes liberalis. Paulus vero, nil amplius corpore suo

---

[1] Cap. 4, 32. et 34. seq.

[2] Scilicet *ordinaria* (ex Beda) in Act. 4, 33. Vocibus *rebus spretis* textus originalis interserit *temporalibus* (Beda *suis*), et pro *iungebantur* (ita Glossa) A *iungebatur* (Beda *iuncta est*). — Act. 5, 12: Per manus autem Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe.

[3] Vers. 34. seq. — Sententia Hieron. habetur Epist. 130. (alias 8.) n. 14; cfr. supra n. 4.

[4] Cap. 6, 10. Cfr. supra pag. 244, nota 1, ubi de *auctore* Commentariorum istorum.

[5] Cap. 6, 2, ubi pro *relinquere* Vulgata *derelinquere*.

[6] Act. 3, 6. Glossa est *ordinaria* (ex Beda). Allegatur Matth. 10, 9.

[7] Ex libro Abdiae, Babyloniae primi episcopi ab Apostolis constituti, de historia certaminis Apostolorum libr. X, Iulio Africano interprete etc. Paris. 1571, libr. V. fol. 62. Cfr. tom. V. pag. 138, nota 5.

[8] Euseb., libr. I. c. 13. in fine.

[9] Epist. II. c. 4, 11. Glossa est *interlinearis* apud Lyranum, quam etiam Petr. Lombard., in hunc locum, affert: Id est continue, id est usque ad hoc tempus (ultimam explicationem exhibet Haymo). — Sequitur II. Cor. 11, 27.

[10] Num. 12.

[11] Epist. II. Cor. 6, 10: Omnia possidentes. Phil. 4, 12: Scio et abundare.

[12] Cap. 4. n. 25. In fine legit textus originalis: non eum istarum rerum franget inopia.

[13] In II. Cor. 11, 26: Periculis latronum. Pro *quod latrones* textus originalis *quae latrones.*

[14] Homil. 1.

possidens, de hoc ipso sufficienter indigentibus ministrabat ». Miram Pauli ex hac laude perpendere valemus inopiam, cum nil praeter corpus haberet, ac per hoc nihil, quod latro cupere [1] posset; miram nihilominus affluentiam, cum non solum sibi sufficeret, verum etiam in alios abundaret.

Ultima de loculis difficultas.

35. Denique nec *loculorum* Christi ad praefatam perfectionis formam ulla invenitur dissonantia, si quomodo et quare ipsos habere dignatus fuit, pia mentis attentione pensetur. Nam Unigenitus Dei, cum *dives esset in omnes, pro nobis* adeo *factus egenus* [2], ut alieno cibo vesceretur, non sine magna dispensatione superni consilii loculos fecit deferri, quorum tamen custodiae illum deputavit discipulum, quem furem ac proditorem praesciebat esse futurum.

Ratio triplex.

Habuit enim Christus loculos ad *consolandum infirmos*, ad *refellendum improbos* et ad *informandum perfectos*. — Unde et huiusmodi actus, scilicet habere loculos, in Christo respectu *infirmorum* fuit *condescensivus*, ad consolandum scilicet eos qui propriis loculis carere non volunt, sicut Augustinus ait in libro de Opere monachorum [3]: « Dominus more misericordiae suae infirmioribus compatiens, cum ei Angeli possent ministrare, loculos habebat, quibus mitteretur pecunia, quae conferebatur utique a bonis fidelibus eorum victui necessaria; quos loculos Iudae commendavit ».

De prima.

De secunda.

36. Respectu autem *impiorum* fuit actus *commonitorius*, primo quidem ad *refellendum haereticos*, qui loculos reprobant et detestantur. Unde Augustinus super Ioannem homilia quinquagesima [4]: « Quare loculos habuit, *cui Angeli ministrabant*, nisi quia Ecclesia ipsius loculos habitura erat » ? Unde et loculos habebat, ut doceret, non esse peccatum loculos habere. In his Augustinus Manichaeorum refellit impietatem, condemnantium Ecclesiae statum propter rerum temporalium possessionem. — Secundo commonitorius fuit ad *deterrendum avaros*, qui loculos concupiscunt, quia nullus de Christi discipulis periit, nisi qui loculos portavit [5]. Quamquam enim ad mitigationem cupiditatis Dominus Iudae loculos commisisset, ipse tamen adeo igne cupiditatis exarsit, ut ipsum Dominum pretio parvo venundaret. Unde Chrysostomus super Ioannem homilia sexagesima quinta [6]: « Si vero quis scrutabitur: quid furi existenti loculos commisit pauperum et dispensare fecit avarum existentem? Ut omnem abscinderet occasionem. Etenim sufficientem habebat ex loculo concupiscentiae mitigationem; sed propter nequitiam multam, quam volebat comprimere Christus, multa condescensione ad eum utens, non incusabat surripientem, obstruens perniciosam concupiscentiam et omnem auferens occasionem ». Hucusque Chrysostomus, aperte declarans, quod non penuria paupertatis, sed nequitia cupidae mentis causa fuit tantae impietatis.

Primo, contra haereticos.

Secundo, contra avaros.

De tertia. Primo, quoad modum habendi.

37. Respectu vero *perfectorum* fuit actus *informativus*. Siquidem quantum ad *modum habendi* forma fuit perfectionis in *ecclesiasticis personis*, maxime coenobitis, ut ad exemplum Christi et discipulorum eius nullus sibi quidquam appropriet, sed habeant omnia in communi. Unde Augustinus homilia sexagesima secunda [7] super Ioannem: « Habebat Dominus loculos, et a fidelibus oblata conservans, suorum necessitatibus et aliis indigentibus tribuebat; tunc primum ecclesiasticae pecuniae forma est instituta, ut intelligeremus, quod praecepit, non cogitandum esse de crastino, non ad hoc fuisse praeceptum, ut nihil pecuniae servaretur a Sanctis, sed ne Deo propter ista serviatur ». Haec Augustinus, qui formam regulariter viventium describens, sicut habetur Causae duodecimae quaestione prima [8], ait: « Cum huius nostrae congregationis fratres non solum facultatibus, sed etiam voluntatibus propriis in ipsa ordinis susceptione renuntiaverint; certum est, eos nihil habere, possidere, dare vel accipere sine superioris licentia debere ».

Secundo, quoad modum dispensandi.

38. Quantum autem ad *modum dispensandi* forma fuit perfectionis in *Ecclesiae praelatis*, ut exemplo Christi ecclesiastica bona dispensent ad sustentationem ministrorum Ecclesiae et ad pauperum relevandas miserias. Unde Chrysostomus super Ioannem homilia septuagesima prima [9], de loculis Christi loquens, quaestionem proponit: « Qualiter, inquit, non peram, non virgam, non aes iubens deferre, marsupium ferebat » ? Et respondens subdit: « Ad inopum ministerium, ut discas, quoniam valde pauperem et crucifixum huius oportet partis multam facere procurationem. Multa enim ad nostram dispensans doctrinam agebat ». In his ostendit Chrysostomus, quod viris perfectis competat, miserabilium

---

[1] Ita A B C G, quorum lectione alluditur ad verba Ambrosii paulo superius allata; edd. *capere*.

[2] Epist. II. Cor. 8, 9: Propter vos egenus factus est, cum esset dives. Rom. 10, 12: Dominus omnium, *dives in omnes*, qui invocant illum. — Ioan. 12, 6: Fur erat [Iudas Iscariotes] et loculos habens, ea quae mittebantur, portabat.

[3] Cap. 5. n. 6. Respiciuntur Matth. 4, 11: Et ecce, Angeli accesserunt et *ministrabant* ei; Ioan. 12, 6. (de loculis Iudae commissis).

[4] Num. 11. Respicitur Matth. 4, 11.

[5] Ex codd. A B C G supplevimus *quia nullus de Christi discipulis... portavit.*

[6] Alias 64. n. 2. Textus originalis hinc inde nonnulla interserit. Cfr. tom. VI. pag. 412, nota 14. Pro *abscinderet* A B *abscideret*.

[7] Num. 5, ubi exponit Ioan. 13, 29: Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas etc. Respicitur Matth. 6, 34: Nolite ergo solliciti esse in crastinum.

[8] Can. *Non dicatis* (11.). Post *renuntiaverint* textus originalis plura addit. Editores Romani notant: « Haec [*Cum huius nostrae* etc.] usque ad vers. *certum est*, non sunt inventa apud B. Augustinum ». Ultima propositio (*certum* etc.) habetur in regulae clericis traditae Fragmento (inter opera August.). Cfr. Regula ad servos Dei, n. 8. et Epist. 211. (alias 109.) n. 12.

[9] Nunc 72. n. 2. [verbotenus versum ex Graeco, aliter diviso]. Respicitur Matth. 10, 9. seq.: Nolite possidere etc.

personarum gerere curam, quod maxime locum habet in praelatis Ecclesiae, quorum perfectioni consonat, ut et spiritualiter et etiam temporaliter pascendis sibi commissis gregibus intendant. Unde Prosper in libro de Vita contemplativa [1]: « Scientes viri sancti, nihil aliud esse res Ecclesiae nisi vota fidelium et pretia peccatorum et patrimonia pauperum, non eas vindicaverunt in usus suos ut proprias, sed ut commendatas pauperibus erogaverunt. Hoc est possidendo contemnere, non sibi, sed aliis possidere et nec cupiditate habendi Ecclesiae facultates ambire, sed pietate subveniendi eas suscipere, et quod habet Ecclesia cum omnibus nihil habentibus habere commune nec aliquid inde eis qui sibi sufficiunt de suo, erogare, cum nihil aliud sit habentibus dare quam perdere ».

ertio, ad mo- utendi.

39. Quantum vero ad *modum utendi* forma fuit perfectionis *ipsis Apostolis* [2] ac ceteris huiusmodi paupertatem professis, ut, cum ex amore paupertatis semper carere loculis cupiant, solum quando apertae necessitatis urget articulus, loculos ferant. Ipse siquidem Christus sustentabatur a suscipientibus vel a mulieribus comitantibus eum, sicut in Luca [3] scribitur, quod *ibant cum eo mulieres, quae ministrabant ei de facultatibus suis.* Cum tamen per Samariam transivit, in qua quidem civitate, ut dicit Evangelista, hospitium habere non potuit, de loculis vixit, sicut dicitur in Ioanne, quod *discipuli abierant in civitatem, ut cibos emerent.* Unde super illud Lucae [4]: *Quando misi vos sine sacculo et sine pera,* dicit Glossa: « Si per inhospitales regiones transimus, plura viatici causa licet portare, quam domi habeamus ». Constat autem, quod valde pauper est qui plura portat in via, quam habeat, ubi habitat habitatione determinata. — Quodsi forte quis dicat, perfectionis formam nullo tempore esse intermittendam; respondet ad hoc Beda super Lucam [5], dicens super illud: *Nunc qui habet sacculum tollat similiter et peram:* « Non eadem vivendi regula persecutionis, qua pacis tempore informat. Sunt namque virtutes, quae semper obnixeque tenendae sunt, et sunt quae tempore locoque provida sunt discretione mutandae. Quis enim nesciat, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, patientiam, modestiam, castitatem, fidem, spem, caritatem et his similia sine ulla temporum intercapedine esse servanda? At vero famem, sitim, vigilias, nuditatem, lectionem, psalmodiam, orationem, laborem operandi, doctrinam, silentium et cetera huiusmodi, si quis semper exsequenda putaverit, non modo se horum fructu privabit, sed et notam indiscretae obstinationis incurret. Magister itaque Dominusque virtutum, ut modum discretionis insinuet, missis ad praedicandum discipulis, *ne quid tollerent in via praecepit* [6], videlicet *ordinans, ut qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivant.* Mortis vero instante periculo, et tota simul gente pastorem gregemque persequente, congruam tempori regulam decrevit, pecuniam scilicet victui necessariam, donec, sopita persecutorum insania, tempus evangelizandi redeat, tollere permittendo ». Haec Beda.

ectio solvitur.

Epilogus.

40. Ex praedictis igitur patenter elucet, quod omnis perfectionis splendor et speculum, Iesus Christus, ob sex rationes praefatas ac triplicem utilitatem, aggregatione quadam in perfectionis senarium consurgentem [7], mirabili quodam modo in habendo loculos et *infirmos* simplici modo *consolatur* et *impios* dupliciter *arguit* et *perfectos* tribus modis *informat.* In quibus et illud est omni admiratione et laude ac imitatione dignissimum, quod sic paupertatem Christus tenuit, ut statum divitum non damnaret, sic etiam habentibus pecunias conformem se reddidit, ut summae paupertatis formam perfecte servaret. Unde super illud Matthaei [8]: *Vade ad mare,* Glossa: « Dominus tantae fuit paupertatis, ut unde tributa solveret non haberet. Iudas quidem communia in loculis habebat, sed res pauperum in usus suos convertere nefas duxit, id ipsum dans exemplum nobis ». Haec Glossa. Non igitur loculi Christi ad fomentum cupiditatis, sed ad exemplum pietatis et paupertatis [9] trahendi sunt. Sicut enim in Salvatore nostro crucifixo nil fuit, quod saeculares glorias aut delicias saperet; sic nil egit, nil docuit, per quod mundi divitias appetendas esse monstraret, quin potius, ut nos ad perfectae paupertatis amorem accenderet, in huius mundi campum hostem expugnaturus ingrediens, de pauperrima Matre pauperrimus prodiit, sed et hostiam Deo Patri ut pontifex offerens, nudus in cruce pependit nec non, ut veritatis eius tanquam perfectissimae rectitudinis nequaquam

---

[1] Libr. II. c. 9. n. 2. In fine textus originalis legit: Quod habet Ecclesia... habet commune, nec aliquid inde eis qui sibi de suo sufficiunt, debet erogare, quando nihil aliud sit habentibus dare quam perdere.

[2] Ita A B C D et ed. 1; Vat. et ed. 2 *populis.*

[3] Cap. 8, 2. seq. — Subinde allegantur Luc. 9, 53: Et non receperunt [Samaritani] eum; Ioan. 4, 8.

[4] Cap. 22, 35. Glossa est *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 22, 36. Cfr. tom. VII. pag. 554, nota 10.

[5] Libr. VI. in Luc. 22, 35. seq. Voci *informat* textus originalis praefigit *discipulos* vocique *tempore* praemittit *pro.* Subinde respicitur Col. 3, 12: Induite... viscera misericordiae etc. (cfr. supra pag. 268, nota 9.).

[6] Marc. 6, 8. (cfr. supra pag. 278, nota 2.), post quem I. Cor. 9, 14. Cfr. tom. VII. pag. 554, nota 9.

[7] De perfectione numeri *senarii* cfr. tom. I. pag. 59, Scholion col. I. n. 2; tom. V. pag. 351, nota 7. et tom. VI. pag. 32, nota 5. in fine. — Vat. et ed. 2 *consurgente.*

[8] Cap. 17, 26. Glossa est *ordinaria* (ex Hieron.) apud Lyranum. Cfr. tom. V. pag. 125, nota 8.

[9] Ex A B C supplevimus *sed ad exemplum pietatis et paupertatis.*

discordaret medium ab extremis [1], tota ipsius vita caminus paupertatis fuit. Huius igitur invictissimi ducis nuditate tanquam armatura circumdati et in eo solo sperantes, qui ait [2]: *Confidite, ego vici mundum,* in ipsius pauperis Crucifixi nomine hostiles excipiamus insultus.

Capitulum VIII.

Tertiae responsionis secunda particula octavumque capitulum, in quo possessionum leviticarum et ecclesiasticarum affluentia monstratur perfectioni paupertatis non esse contraria, sed et commendatio divitiarum ostenditur non esse secura.

Hostes evangelicae paupertatis.

1. Paupertatis siquidem « odibile bonum » [3] retroactis temporibus in tanto fuit horrore sensualitati mortalium, ut ante Christi adventum vix quantumcumque perfectus pretiositatem ipsius agnosceret; post vero in tanta fuit admiratione spiritualium atque sapientium, ut vix quantumcumque perversus haereticus ipsius dignitati derogaret, excepto dumtaxat Vigilantio quodam [4], qui cum ad increpationem sacri doctoris Hieronymi dormitasset iam dudum, nunc per novum quendam paupertatis hostem [5], illo non minus improbum evigilasse videtur. Ille nimirum contra paupertatis professionem et sustentationem pauperum Sanctorum sui pectoris virus evomuit; hic autem bonorum temporalium affluentiam in culmine perfectionis evangelicae collocans ipsorumque voluntariam carentiam ut imperfectam et superstitiosam calumnians, illius [6] fatetur se fuisse discipulum, qui contra evangelizantium et mendicantium pauperum ordines libellum composuit, quem Sedes apostolica condemnavit; quem etiam non parva temeritate velut innocentem excusat ipsiusque doctrinam commendat et approbat, non sine iniuria multa Sedis iam dictae, cum nil aliud sit auctorem damnati libelli innocentem asserere quam damnantis iudicium reprobare.

Primum adversarii argumentum.

2. Insurgens igitur temerarius in secundi [7] sui libri exordio adversus pastorem Ecclesiae, ut pauperum ipsius gregem invadat atrocius, primum se armat *possessionibus levitarum.* Nam in hoc persuasionis suae summa consistit, quod cum forma perfectionis evangelicae in levitis praecesserit, quibus a Domino collatae fuerunt decimae, primitiae et oblationes ad vivendum, civitates ad habitandum et suburbana ad alenda pecora; si novum testamentum veteri non repugnat, quin potius consonat, *quia rota erat in medio rotae* [8], nullo modo secundum hoc novae legis perfectio consistit in carentia huiusmodi possessionum, sed potius in habendo eas ut Domino dedicatas. — In hac autem persuasione, quam per multas verborum venatur ambages, non solum *veritati*, sed et *sibi ipsi* contradicit aperte. In praecedenti siquidem libro [9], cum abstinentiae perfectionem impugnaret, asseruit, vinum fuisse prohibitum sacerdotibus filiis Aaron tanquam imperfectis; nunc autem illos eosdem in affluentia possessionum perfectos asserit, quasi verbi prioris oblitus, vel si forte memoriam habuit, in tantam devenit erroris caliginem, ut putaret, quod abstinere a deliciis sit imperfectum, et possidere divitias sit perfectum. — Insuper et, cum paulo ante [10] docuerit, quod in contemptu omnis proprietatis evangelicae perfectionis consistit inceptio; et sacerdotes levitici generis habuerunt uxores et filios, ad quos bona sua tanquam vere propria hereditaria successione transmittebant: necessario sequitur, quod perfectio evangelica in levitis non fuit, vel quod abdicatio proprietatis non est initium perfectionis huiusmodi; ac per hoc manifeste convincitur sibi ipsi esse contrarius.

Contradicit sibi dupliciter. Primo. Secundo.

Item, veritati.

3. Contrariatur etiam ipsi *veritati.* Si enim forma vitae leviticae perfectionem legis evangelicae veraciter continet, cum perfectio modi vivendi tam in veteri testamento quam in novo supremum teneat locum; et perfectio Legis perfectioni Evangelii aequatur: necesse est, summum Legis et summum Evangelii tam in merito quam in praemio inter se aequari,

---

[1] Respicitur definitio *recti* data a Platone in Parmen.: Rectum est cuius medium non exit ab extremis. Cfr. tom. II. pag. 4, nota 11. et tom. V. pag. 325, nota 2. — Isai. 48, 10: Elegi te in camino paupertatis. — Superius pro *veritatis eius* Vat. *veritas eius.* [2] Ioan. 16, 33.

[3] Bonav., Comment. in Luc. 10. n. 8: Est autem paupertas, ut dicit Seneca, odibile bonum (cfr. ibid. nota adiecta).

[4] Cfr. Hieron., contra Vigilantium, n. 13. seqq., ex quo supra c. 3. n. 17. quaedam allata sunt. Hieron., loc. cit. n. 1: Vigilantius seu verius *Dormitantius.*

[5] Scilicet Gherardum de Abbatisvilla; cfr. supra pag. 233, nota 1. et pag. 235, nota 8. — Superius pro *ad increpationem* (ita BCDEF) edd. *ad interpretationem.*

[6] Nempe Gulielm. de St. Amore; cfr. supra pag. 233, nota 1. et pag. 235, nota 8. — Superius pro *paupertatis professionem* (ita CEG) edd. *paupertatis perfectionem.*

[7] Edd., refragantibus codd., *in serie;* subinde ed. 2 omittit *exordio.*

[8] Ezech. 1, 16. Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 6. n. 12: Quid est hoc, quod cum *una rota* [v. 15.] diceretur, paulo post [v. 16.] adiungitur: *Quasi sit rota in medio rotae,* nisi quod in testamenti veteris littera testamentum novum latuit per allegoriam? — De levitis cfr. supra pag. 279, nota 7. et Num. 35, 2. seqq. ac Iosue 21, 2. seqq.

[9] Cfr. supra c. 5. n. 20.

[10] Vide supra c. 2. n. 10.

ac per hoc testamentum testamento, promissio promissioni, sacerdotium sacerdotio coaequatur. Si igitur *Lex neminem ad perfectum duxit*[1], nec Evangelium; si non per Legem iustitia, nec per Evangelium; si etiam qui sub Lege erant sub maledicto fuerunt, et qui sub Evangelio. Frustra igitur est Filius Dei incarnatus et passus, frustra translatum est sacerdotium, frustra Legis observantia pro maiori parte abolita, et evangelica veritas introducta; quae omnia cum sint falsa et impia et prorsus abiicienda tanquam haeretica, necessario concluditur, et illud esse erroneum, ex quo haec sequuntur, videlicet, quod in forma vitae sacerdotum legalium evangelicae perfectionis altitudo consistat. Unde Apostolus ad Hebraeos[2]: *Si consummatio*, inquit, id est perfectio, secundum Glossam, *per sacerdotium leviticum erat, quid adhuc necessarium fuit, secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, et non secundum ordinem Aaron dici? Translato enim sacerdotio, necesse est, ut et Legis translatio fiat;* ubi Glossa[3]: « Hic incipit novi et veteris testamenti differentias dare, quia illud imperfectum, hoc autem perfectum ». Cui etiam consonat illud quod subsequenter adiungit idem Apostolus[4]: *Umbram*, inquit, *habens Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, nunquam potest accedentes perfectos facere;* ubi Glossa: « *Lex umbram habens nunquam potest facere perfectos* virtutibus et bonos pontifices ». Non est igitur perfectio virtutum et consiliorum Evangelii in litterali observantia mandatorum legalium et in modo vivendi illorum pontificum requirenda nisi sicut in figura et umbra, quia hoc modo dicitur *rota esse in medio rotae*[5], non per litteralis observantiae aequitatem in testamento utroque, sed per spiritualis intelligentiae aenigmaticam praefigurationem.

4. Quodsi quis obiiciat, sicut et hic cui respondemus, allegat, quod forma praefata indicta sit sacerdotibus per Ezechielem[6], qui non umbraticum, sed sanctum et verum Ecclesiae templum describit; attendat quod ibidem praemittitur, quod sacerdos virginem ducat uxorem et in sacrificio agnos et vitulos offerat. Eadem igitur ratione, qua perfectio evangelica in levitarum possessionibus praecessisse decernitur et in eorum uxoribus et sacrificiis atque observantiis ceteris fuisse monstratur. Quod si verum est, ad perfectionem evangelicam spectat, quod sacerdotes novae legis uxores ducant, hircos et vitulos offerant et primi cum tubis ad bella procedant[7]. Quae cum absurda sint, non est requirenda verae perfectionis descriptio in templo illo secundum litteram, sed secundum *allegoriam*. Unde Hieronymus ad Nepotianum[8]: « Neque vero mihi aliquis opponat dives in Iudaea templum, mensas, lucernas, thuribula, patellas, scyphos, mortariola et cetera ex auro fabrefacta; tunc haec probabantur a Domino, quando sacerdotes hostias immolabant, et sanguis pecudum erat redemptio peccatorum, quamquam haec omnia in figura praecesserint. Nunc vero, cum paupertatem domus suae pauper Dominus dedicaverit, cogitemus crucem eius, et divitias lutum putabimus. Quid miramur quod Christus vocat *iniquam mammona*[9]? Quid suspicimus et amamus quod Petrus se non habere testatur? Alioquin si tantum litteram sequimur, et in auro atque divitiis simplex nos delectat historia; cum auro observemus et cetera. Ducant pontifices uxores virgines, lepra corporis animae vitiis praeferatur, crescamus, multiplicemur et repleamus terram, figamus septimo mense tabernacula et solemnia ieiunia buccinis concrepemus. Quodsi haec omnia, *spiritualibus spiritualia comparantes*[10], sic intelligimus, ut Dominus noster intellexit et interpretatus est; Sabbatum aut aurum repudiemus cum ceteris superstitionibus Iudaeorum, aut, si aurum placet, placeant et Iudaei, quos cum auro aut probare nobis necesse est, aut damnare ». Hucusque Hieronymus, a quo luce clarius ratio praemissa dissolvitur, et evangelicae paupertatis perfectio novae legi proprie convenire docetur.

5. Nequaquam igitur intelligendum est, bona levitarum Domino dedicata fuisse, tanquam in se sint aliquid sanctitatis habentia, et non possint esse occasio culpae, sed quia deputantur sustentationi illorum qui Domino famulantur; quorum etiam et Dominus *possessio* dicitur[11], quia, sicut alii vivebant de fructibus terrarum suarum, sic et hi de proventibus

[1] Hebr. 7, 19. — Pro seqq. cfr. Gal. 2, 21: Si enim per Legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est. Ibid. 3, 10: Quicumque enim ex operibus Legis sunt, sub maledicto sunt; v. 13: Christus nos redemit de maledicto Legis.

[2] Hebr. 7, 11. seq. Glossa *interlinearis* (ex Alcuino) apud Lyranum: *Si consummatio*, perfectio.

[3] Scilicet *ordinaria* apud Lyranum, qui tamen omittit *quia illud imperfectum, hoc autem perfectum* (cfr. Alcuinus); integra exhibetur a Petro Lombardo, qui ipsam tribuit Ambrosio. Ex A B C E G supplevimus *hoc autem perfectum*.

[4] Hebr. 10, 1. Glossa exhibetur a Petro Lombardo et Lyrano tanquam *interlinearis* (cfr. Comment., quod Anselmo olim tribuebatur). Pro *bonos* B C cum Anselmo et Lyrano *beatos*.

[5] Ezech. 1, 16. Cfr. supra pag. 286, nota 8. — Inferius pro *aequitatem* C E *aequalitatem* [idem est sensus].

[6] Cap. 45, 5. seq. Cfr. Gregor., II. Homil. in Ezech. homil. 1. seqq., ubi de descriptione civitatis et templi. — Ibid. 44, 22: Et viduam et repudiatam non accipient uxores, sed virgines de semine domus Israel etc. (Lev. 21, 13. seq.: Virginem ducet uxorem etc.); de sacrificio agnorum et vitulorum cfr. 43, 19.

[7] Cfr. Iosue 6, 4. — Inferius pro *descriptio* (ita C D E G et ed. 1) Vat. et ed. 2 *discretio*.

[8] Epist. 52. (alias 2.) n. 10. Textus originalis hinc inde plura interserit. De templo cfr. III. Reg. c. 5. et 6. Subinde respicitur I. Cor. 10, 11: Haec autem omnia in figura contingebant illis etc.

[9] Luc. 16, 9. Act. 3, 6: Petrus autem dixit: Argentum et aurum non est mihi.

[10] Epist. I. Cor. 2, 13. In praecedenti propositione respiciuntur Lev. 21, 13. et c. 13; Gen. 1, 28. (cfr. 9, 1.).

[11] Cfr. supra pag. 279, nota 7.

divinorum ministeriorum, ita tamen, quod ea quae inde percipiebant, proprietatis iure ad suos, ut dictum est [1], transmittebant heredes, quia, sicut illis indicta non erat castitatis integritas, sic nec consulta paupertas. Unde Hieronymus ad Eustochium [2]: « Alia fuit in veteri lege felicitas, in qua *beatus* dicitur *qui habet semen in Sion,* et repromissio fit divitiarum. Statim autem, ut Filius Dei ingressus est super terram, novam sibi legem instituit, ut qui ab Angelis adorabatur in caelis haberet Angelos et in terris. Tunc Holofernis caput Iudith continens amputavit [3], tunc Iacobus et Ioannes, relicto patre, reti et navicula, secuti sunt Salvatorem, affectum sanguinis et vincula saeculi et curam domus pariter relinquentes. Tunc primum auditum est: *Qui vult venire post me abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me.* Nemo enim miles cum uxore pergit ad proelium. Disciple ad sepulturam patris ire cupienti non permittitur. *Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet,* ne forte contristeris, si anguste permanseris ».

Hieronymus.

6. In his Hieronymus patenter affirmat, quod sicut statui testamenti veteris divitiae competebant et nuptiae; ita perfectioni novae legis paupertas et castitas. Sicut igitur virginitas per Christum introducta Legem non solvit, sed implet [4]; sic nec paupertatis consilium Legem destruit, sed consummat, quia nec in eadem evangelica lege consilia praeceptis contrariantur, sed potius addunt ad perfectionem iustitiae. Concluditur itaque per hoc, quod sicut a ratione dissonum est, formam perfectae castitatis constituere in uxoribus sacerdotum legalium; sic sanae doctrinae adversatur, perfectionem paupertatis collocare in possessionibus levitarum. — His consonat et Bernardus de Colloquio Simonis et Iesu [5]: « Longe, inquit, aliud est in luto aquarum multarum divisi fundo maris iter carpere, terrena licite possidendo, aliud ipsam novis gressibus undam calcare, omnia relinquendo. Sed tempori gratiae praerogativa haec debebatur, Petro novum iter et novi typus itineris servabatur [6]. Antiquorum sane Patrum diebus, donec in terris videretur et conversaretur inter homines Dominus maiestatis, non erat evangelicae forma perfectionis, sed spiritum Domini solo interim spiritu sequebantur. At ubi *Verbum caro factum est et habitavit in nobis* [7], iam in eo tradita est imago vitae et conversationis exemplar, quod oporteat etiam corporaliter imitari, ut utroque sequentes vestigio, non ulterius cum patriarcha Iacob altero femore claudicemus. Neque id dicimus, tanquam salvari quis vel hoc tempore nequeat, si secus egerit, sed ut gradum agnoscat proprium et locum perfectionis, aut discipulatus officium non usurpet ». Haec Bernardus. Per quae cupidorum atque carnalium [8] error perversus eliditur, a quibus sub pietatis specie per antiquorum Patrum divitias paupertas impugnatur. Ex quibus et illud consequitur, quod is cui respondemus, non tanquam paupertatis amicus, sed adversarius pauperum, super huiusmodi possessiones se fundans, perfectionis fundamenta non statuit, sed subvertit.

Novae legi competit paupertas et castitas.

Bernardus.

Notand.

7. Perfectionem itaque paupertatis extremae legalis observantia non oppugnat, sed nec *forma vivendi Apostolorum* nec *loculi Christi* nec *promissio centupli,* sicut ex ante dictis [9] est patens, insuper nec *affluentia facultatum Ecclesiae,* qua velut armatura consequenter se munit pauperum hostis, non tam ad defensandum statum ecclesiasticae celsitudinis quam ad deiiciendum culmen evangelicae paupertatis. Si enim possessiones Ecclesiae commendaret ut *licitas*, ut *expedientes*, ut *perfectioni compossibiles* in his qui *communiter possident*, et in eis qui *sancte dispensant;* viam sequeretur sacrorum doctorum et Canonum confutantium perversos haereticos, qui Ecclesiam Dei propter possessiones acceptas a statu iustitiae et perfectionis asserunt esse collapsam; nec sanctae paupertati praeiudicaret in aliquo doctrina huiusmodi, pro eo quod varii sunt in ea modi perfectionis, sicut circa responsionis huius principium fuit ostensum [10]. Nunc autem, quia suadere conatur, possessiones ecclesiasticas ad perfectionis facere cumulum, tanquam perfectius sit eis in Christo affluere quam pro Christo carere; non solum gloriam paupertatis evacuat, verum etiam fundamenta ipsius Ecclesiae subruit, dum Christum et Apostolos temporalia possedisse ad dandum perfectionis exemplum, monstrare contendit.

Secund. adversa argum. tum.

Notand.

8. Etenim, cum Christus de se diceret [11], quod non haberet, ubi reclinaret caput, hic e contrario dogmatizat, quod « domum habuit, quia dixisse

Dictum versari

---

[1] Supra n. 2. in fine.

[2] Epist. 22. n. 21. Allegatur Isai. 31, 9. secundum Septuaginta (Vulgata: Cuius ignis in Sion). Subinde textus originalis plura addit et pro *sibi legem instituit* ponit *sibi familiam instituit.*

[3] Iudith 13, 10, post quem textus originalis addit: « Tunc Aman, qui interpretatur *iniquitas*, suo combustus est igni »; et respicitur Matth. 4, 21. seq. (de Iacobo et Ioanne), et allegantur Matth. 16, 24. et Luc. 9, 60. 58.

[4] Matth. 5, 17: Nolite putare, quoniam veni solvere Legem, aut Prophetas; non veni solvere, sed adimplere. — Superius pro *affirmat* edd. contra codd. *insinuat.* Inferius pro *addunt* D G *adduntur.*

[5] Sive Declamat. etc. (cfr. supra pag. 45, nota 8.) VII. n. 7.

[6] Matth. 19, 27: Tunc respondens Petrus, dixit ei: Ecce, nos reliquimus omnia et secuti sumus te. — Subinde respicitur Baruch 3, 38: Post haec in terris visus est et cum hominibus conversatus est. — Inferius pro *spiritum Domini* textus originalis *spiritum Deum.*

[7] Ioan. 1, 14. — Subinde respicitur Gen. 32, 25: Tetigit [Angelus] nervum femoris eius, et statim emarcuit; v. 31: Ipse vero [Iacob] claudicabat pede.

[8] Fide codd. supplevimus *atque carnalium.*

[9] Cap. 7. n. 20. et 32; n. 35. seqq.; n. 29-31.

[10] Cap. 7. n. 4. seqq. — Superius pro *praeiudicaret* (ita C E G) edd. *praeiudicatur.* Inferius pro *cumulum* (ita A B; cfr. infra n. 9. et 10.) edd. *culmen,* et pro *eis in Christo affluere* (ita B C E F G) edd. *in eis in* [Vat. omittit *in*] *Christo affluere.*

[11] Matth. 8, 20. et subinde 21, 13.

legitur: *Domus mea domus orationis vocabitur* »; et post subdit, quod « Christus iure *proprietario*, ubi caput reclinaret inter homines, factus homo, non habuit, qui tanquam verus Deus omnium [1] levitarum bona possedit ». — In quibus miro modo se ostendit omni veritatis intelligentia nudum, quasi nescientem distinguere inter ea quae Christi Divinitatem et ipsius humanitatem respiciunt. Quod enim dicimus, Christum fuisse pauperem, ad eius refertur humanitatem assumtam, in qua perfecte vivendi nobis monstravit exempla, non autem ad Divinitatis ipsius potentiam, secundum quam non solum templum et bona levitica eius dominio subiacent, verum etiam *caelum et terra et omnia, quae caeli ambitu continentur,* dicente Propheta [2]: *Domini est terra et plenitudo eius.* — Ei vero, quod dicit, quod « Christo tanquam vero sacerdoti *Pater in manus omnia dedit* [3], et quod sacerdotii iure levitarum bona possedit », ipsemet paulo post aperte contradicit, dum subdit, quod, « nondum translato sacerdotio, nec decimarum nec possessionum debuit translatio fieri ». Si enim sacerdotium leviticum ante Christi passionem et resurrectionem translatum non fuit [4], manifeste colligitur, quod Christus iure sacerdotii eorum quae ad levitas spectabant, nil omnino possedit.

9. Igitur tam veritati quam sibi ipsi contradicens, quia instar principis mundi huius in pauperrimo capite Christo nil temporalium possessionum invenire potuit [5], ad corpus ipsius, videlicet sanctam matrem Ecclesiam, sermonem convertit. De qua frivolis quibusdam praemissis, auctoritate Canonis [6] astruit, quod « ratione maioris utilitatis agros et praedia, quae vendere consueverat, possidere coepit ». Ex quibus consequenter sic arguit: « Cum idem sit utile et honestum, ut dicit Ambrosius [7]; et quod est imperfectionis in quantum huiusmodi declinat ab honestate, et quod est honestatis est perfectionis: praedia Ecclesiae viris perfectis sunt in perfectionis cumulum, non in eius detrimentum ». — Haec ratio ipsius, haec verba; cuius rationis conclusio partim est vera, partim erronea. Verum est quidem, quod ecclesiastica praedia sine detrimento perfectionis haberi possunt; quod autem sint ad *perfectionis cumulum*, sentire vel dicere adeo absurdum est, ut ex hoc status modusque vivendi praesentium temporum vitae Christi praeferatur et Apostolorum; quod est apertissime falsum. Unde Hieronymus, Malchi monachi [8] vitam describens, ait: « Scribere disposui ab adventu Salvatoris usque ad nostram aetatem, id est ab Apostolis usque ad huius temporis faecem, quomodo et per quos Christi Ecclesia nata sit et adulta persecutionibus creverit, martyriis coronata sit, et postquam ad christianos principes venerit, potentia et divitiis maior, sed virtutibus sit minor effecta ». Hucusque Hieronymus.

10. Insuper, si praedia faciunt ad perfectionis cumulum, tunc, quanto ecclesiae plura praedia possident, tanto qui in eis degunt perfectiores existunt; ac per hoc nullus ab Ecclesia habente copiam praediorum absque detrimento perfectionis ad Religiones pauperum [9] transferre se potest; quin potius e converso paupertatis aerumnas abiicere et ad facultates ecclesiasticas aspirare sanctum erit atque perfectum. Cuius sententiae falsitatem Hieronymus ad Nepotianum [10] eliminans, ironice ait: « Sint ditiores monachi, quam ante fuerant saeculares; possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete diabolo non habuerunt, et suspiret eos Ecclesia divites, quos tenuit mundus ante mendicos ». — Amplius, si ecclesiastica praedia faciunt ad perfectionis cumulum, nihil est secundum Christi consilium vendendum dandumque pauperibus [11], sed totum Ecclesiae agris seu opibus aggregandum, cum secundum hoc dogma profanum cumulatio possessionum in Ecclesia Christi ad cumulum faciat perfectae sanctitatis. Contra quod Hieronymus ad Demetriadem [12]: « Alii aedificent ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles advehant earumque deaurent capita, gemmis aurata distinguant altaria; non reprehendo, non abnuo. Sed tibi aliud propositum est, Christum vestire in pauperibus, visitare in languentibus, pascere in esurientibus, suscipere in his qui tecto indigent, et *maxime in domesticis fidei* ». Ex his colligi potest, quod praefata conclusio multiformem continet absurditatem.

11. Sed et ratio ipsa non valet. Nam, sicut possessiones sunt utiles, sic et alia multa, utpote uxores, servi, arma et temporalis potentia, ex quorum retentione non sequitur, quod cumulus perfectionis

[1] Codd. A B *omnia*.

[2] Psalm. 23, 1; in verbis praecedent. respicitur Esth. 13, 10.

[3] Ioan. 3, 35, ubi Vulgata (quam sequuntur edd.) *in manu* pro *in manus* (ita A B C E). — Superius pro *Ei vero quod* Vat. *Ei vero qui*.

[4] Cfr. Hebr. 7, 1. seqq.

[5] Ioan. 14, 30: Venit enim princeps mundi huius et in me non habet quidquam. Cfr. supra pag. 274, nota 12.

[6] Can. *Videntes* (16.), Caus. 12, q. 1: Videntes autem summi sacerdotes et alii... plus utilitatis posse conferri, si hereditates et agros, quos vendebant, ecclesiis, quibus praesidebant episcopi, traderent... coeperunt praedia et agros, quos vendere solebant, matricibus ecclesiis tradere etc.

[7] Lib. III. de Officiis ministrorum, c. 2. n. 9: Nec honestum esse posse nisi quod utile, nec utile nisi quod honestum.

[8] Vita Malchi monachi captivi, n. 1.

[9] Ex C D E F G supplevimus *pauperum*.

[10] Potius *ad Heliodorum*, avunculum Nepotiani, Epist. 60. (alias 3.) n. 11, ubi pro *habuerunt* textus originalis *habuerant*. — Superius pro *sententiae falsitatem* edd. contra codd. *sententiae facultatem*.

[11] Matth. 19, 21: Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus.

[12] Epist. 130. (alias 8.) n. 14. Textus originalis hinc inde nonnulla interserit. Respicitur Matth. 25, 35. seq. (de operibus misericordiae) et allegatur Gal. 6, 10: Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.

Verbum Ambrosii explicatur.

accrescat. — Nec ei suffragatur Ambrosii verbum [1], quo definit, idem esse utile quod honestum; loquitur enim de utilitate bonorum *spiritualium*, non terrenorum. Nam eodem libro [2]: « Nihil utile, nisi quod ad vitae illius aeternae prosit gratiam, definimus, non quod ad delectationem praesentis. Neque aliqua commoda in facultatibus et opum copiis constituimus, sed incommoda haec putamus, si non reiiciantur, eaque oneri magis, cum adsunt, aestimamus quam dispendio, cum erogantur ». Idem quoque libri parte alia [3] sic ait: « Nullum adminiculum praestant divitiae ad vitam beatam. Quod evidenter demonstravit Dominus in Evangelio dicens: *Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei. Beati, qui nunc esuritis* etc. Itaque paupertatem, famem, dolorem, quae putantur *mala*, non solum impedimento non esse ad beatam vitam, sed etiam adiumento esse, evidentissime pronuntiatum est. Sed et illa quae videntur *bona*, divitias, satietatem, laetitiam expertem doloris, detrimentum esse ad fructum beatitudinis, dominico declaratum iudicio liquet [4]. Sic ergo non solum adminiculo non sunt ad vitam beatam corporis externa bona, sed etiam dispendio sunt ». Hucusque Ambrosius, qui et in praedictis intelligendus est loqui de utilitate *intrinseca* et spirituali, quae idem est quod honestas, non autem de *extrinseca*, de qua Canon [5] habet intelligi, secundum quem etiam pronuntiat Sapiens, *utiliorem esse sapientiam cum divitiis*.

Utilitas possessionum.

12. Sunt enim possessiones terrenae utiles ad sustentamenta [6] naturae, ad opera humanae industriae, nonnullis etiam ad exercitia virtutis perfectae; sed hoc non inest eis ex se ipsis, sed ex parte *utentis*. Unde Augustinus in fine libri *Unde malum* [7]: « Qui, inquit, bene uti vult temporalibus bonis non eis amore agglutinetur et velut membra animi sui faciat, quod fit amando, ne, cum resecari coeperint, eum cruciatu ac tabe foedent; sed eis totus superferatur et habere illa atque regere paratus sit, amittere vero ac non habere, paratior ». Haec Augustinus. Quae nunquam diceret, si temporalia bona essent utilia, secundum quod idem utile et honestum, quia nullus recte sapiens paratior esse debet honestatem amittere quam servare. Multum igitur a vera sapientia discors fuit qui in temporalibus Ecclesiae bonis honestum ab utili non discrevit.

Septem [u]tilitates ad[versario] d[o]ctae.

13. In sui quoque firmamentum erroris perfectionis virtutum et possessionis opum septiformem assignat germanitatem, dicens, quod « Dominus voluit, ministros Ecclesiae ipsum perfecte sequi volentes habere bona communia mobilia et immobilia, primo propter *cautelam futurorum*, quod est prudentiae; secundo, propter *sustentationem ministrantium*, quod est iustitiae; tertio, in *sustentamentum egentium*, quod est misericordiae; quarto, in *mutuae caritatis nutrimentum;* quinto, propter *quietem ministrantium;* sexto, in *aliorum exemplum* et *largitionem eleemosynarum;* septimo, propter *conformitatem ad caelestem curiam*, cuius est *participatio in id ipsum* [8] ». Ex quibus omnibus arguit, quod habere possessiones ecclesiasticas perfectionem non minuit, sed consummat.

Ratioci[nat]io eius est [in]efficax et [im]pia.

14. Quamquam autem praedictarum rationum aggregatio, superficietenus considerata, efficax videatur et pia; si tamen discutiatur interius, *inefficax* invenitur et *impia*. Pro eo videlicet est *impia*, quia, si mobilium et immobilium communis possessio perfectionem non diminuit, sed potius complet; qui non valent nec volunt haec possidere communia, perfecti esse non possunt. Insuper, cum Christus et Apostoli huiusmodi possessiones immobiles non habuerint, sequitur, quod consummatae perfectionis exemplum non effulsit in eis. *Inefficax* vero, quia eisdem rationibus potest etiam aliquis laicus uxoratus bona sua retinere, videlicet, ut prudenter, iuste, misericorditer et caritative ministrantibus Christo subveniat, ad illorum quietem et aliorum exemplum, secundum conformitatem ad civitatem [9] supernam, in qua est communicatio larga bonorum. Aut igitur talis erit perfectus, aut praefata ratio nullius efficaciae esse convincitur. — Amplius, sicut ecclesiastica bona bene utentibus sunt materia exercendarum virtutum, sic etiam abutentibus sunt fomentum multiformium perversitatum, utpote iniustitiarum et impietatum, carnalitatum, contentionum, simoniarum, ambitionum et schismatum [10]; nec tamen inferri potest propter huiusmodi abusum, quod bona huiusmodi habere sit impium: pari ratione inferri non poterit, quod propter bonam dispensationem utentium ea habere sit perfectum in se et absolute, vel perfectius quam carere.

Impia. Ineffica[x]. Alia r[atio].

---

[1] Vide supra n. 9.

[2] Libr. I. de Officiis ministrorum, c. 9. n. 28.

[3] Libr. II. c. 4. n. 15. et c. 5. n. 16. Allegatur Luc. 6, 20. seq.

[4] Textus originalis addit: « cum dicitur [Luc. 6, 24. seq.]: *Vae vobis divitibus! quia habetis consolationem vestram. Vae vobis! qui saturati estis, quia esurietis.* Et illis qui rident, quia lugebunt ». Superius pro *detrimentum esse* textus originalis *detrimento esse*, qui etiam inferius vocibus *externa bona* praefigit *aut*.

[5] Supra n. 9. allegatus. — Sequitur Eccle. 7, 12: Utilior est sapientia cum divitiis. — Pro *secundum quem* C *secundum quam*. Edd. legunt: qui [Vat. et ed. 1 *quod*] et in praedictis intelligendis loquitur... non autem de extrinseca, de qua non [ed. 1 *de qua canon;* ed. 2 *de qua ea non*] habent [ed. 1 *habet*] intelligi, secundum quod etiam pronuntiat etc.

[6] Vat. et ed. 2 *et sustentamenta*.

[7] Scilicet Libr. I. de Lib. Arb. (in quo, mota quaestione *Unde malum*, explicatur, quid sit male agere etc.) c. 15. n. 33: Ille autem, qui recte his [rebus] utitur, ostendat quidem, bona esse, sed non sibi, non enim eum bonum melioremve faciunt, sed ab eo potius fiunt; et ideo non eis amore agglutinetur neque velut membra... regere, cum opus est, paratus et amittere ac non habere, paratior.

[8] Psalm. 121, 3. — Superius post *quietem* (ed. 2 *quietudinem*) ex A B C G supplevimus *ministrantium*.

[9] Fide A B C G addidimus *ad civitatem*.

[10] Vat. omittit *contentionum... schismatum*.

[...]usio est [...]lsa.

15. Unde et illa *conclusio,* quam post explicationem rationum praedictarum, in quibus absurditates multas interserit, tanquam finaliter intentam subiungit, nullius est probabilitatis, sed magnae perfidiae. Ait enim, ut verbis eius utamur: « His causis praedictis, forte et aliis, quae a sapientibus possunt inveniri, cum apice perfectionis — quod enim citra est imperfectum est — bona temporalia Ecclesiae a perfectis viris praecepit Deus et voluit possideri ». — In quibus verbis manifeste [1] aperit, quod paupertatis evangelicae perfectionem totis viribus eliminare contendit. Si enim temporalia bona Ecclesiae possidere sic est perfectum, ut dicit, ut omne, quod est citra illud, sit imperfectum; pauperes igitur Christi, qui nihil omnino possidere volunt, sed totum dant cum vidua illa paupercula [2], aut citra hunc perfectionis apicem consistunt, et tunc sunt imperfecti; aut ultra procedunt, et tunc sunt superstitiosi et impii. Si igitur talis fuit Christus, sicut narrat evangelicae veritatis historia, et per Sanctorum testimonia monstratum est supra [3], tales etiam fuerunt Apostoli; necessario sequitur secundum hanc antichristianam doctrinam, quod Christus et eius discipuli vel superstitiosi fuerint, vel imperfecti. Insuper, si haec temporalia bona Christus praecepit possideri a viris perfectis, ut asserit; quicumque igitur huius perfectionis statum profitentur et haec bona non possident, transgressores divini praecepti esse convincuntur. Quod si verum est, utique dici non potest [4]: *Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei,* nec: *Vae vobis divitibus!* sed potius: vae vobis pauperibus tanquam miseris, imperfectis, iniustis et impiis! et: Beati divites; *beatus etiam populus, cui haec sunt* [5], sine quibus nec perfectionis apex nec virtus iustitiae possidetur. Quodsi perfectio inter dona Dei locum praecipuum tenet, caveat sibi qui eiusmodi sententiae est, ne super eum maledictio principis Apostolorum iuste descendat, dicaturque sibi [6]: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, eo quod existimasti, donum Dei pecunia possideri.*

[...]itur ad[...]sarios.

16. Mirum certe, quomodo quis potuit ad tantam impietatem proficere, ad tantam venire insaniam, in tantam prorumpere fatuitatem, ut, cum Christus viris perfectis consulat omnia vendere et dare pauperibus, praecipiatque Apostolis, ut nec peram nec pecuniam tollant in via nec aurum nec argentum possideant [7]; e contrario audeat dicere, praeceptum esse a Deo viris perfectis temporalia possidere. — Quam vero absurdum dogma [8] conclusio praefata contineat, ex ipsius verbis elicitur, quibus affirmat, omne, quod infra perfectionis apicem est, esse imperfectum. Si *apex* dicit summitatem rei alicuius extremam et excelsam, et perfectio apicem habet; aliquid est perfectionis *citra apicem eius* [9]: duo ergo contraria simul dicit, cum asserit, et perfectionem habere apicem, et nihil citra perfectionis apicem esse perfectum. Est etiam haec universalis negativa pene in toto falsa, cum non solum perfectio *viae,* sed etiam perfectio *patriae* gradus habeat; et sicut perfectio castitatis et obedientiae potest esse maior et minor, sic et paupertatis, quemadmodum ex primae responsionis tertia parte [10] patescit.

Confirmatur.

Doctrina eius periculosa.

17. Denique, quam periculosum sit possessionum affluentiam magnis laudatam praeconiis desiderabilem reddere; ex hoc patenter advertitur, quod omnium fere mortalium appetitus et sensus proni sunt ad concupiscentiam oculorum et admirationem divitiarum, et sicut dicit Apostolus ad Timotheum [11]: *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem et laqueum diaboli.* — Quodsi dixerit, non se laudare possessiones quascumque, sed tantum *communes* et ecclesiasticas et Domino [12] dedicatas; attendat, quod non parum latet in ipsarum accumulatione periculum. Unde Bernardus de Colloquio Simonis et Iesu [13]: « Dotatas et ditatas videmus ecclesias a potentibus et divitibus huius saeculi, qui in operibus bonis divites, iuxta Domini admonitionem, *amicos sibi facere* studuerunt *de mammona iniquitatis, a quibus in aeterna tabernacula reciperentur.* Quidni sperarent, ab his se recipi, qui claves videntur habere? Sed heu, data est ipsa providentia eorum in occasionem carnis, et qui sibi atque aliis in caelo tabernacula parare debuerant, in terra coniungunt *domum ad domum et copulant agrum agro* [14]. Quis rapuit ab ore Apostolorum huiusmodi temporis verbum gratiae, verbum fiduciae: *Ecce, nos reliquimus omnia et secuti sumus te?* Ecce enim, *ut populus, sic sacerdotes* [15] *divites fieri volunt;* similiter hic

Obiectio solvitur.

Bernardus.

---

[1] Codd. BCF *manifestius,* et deinde pro *aperit* B *apparet,* F *apparet, immo aperit.*

[2] De qua Marc. 12, 42. seqq. et Luc. 21, 2. seqq. — Pro *cum vidua* (ita A B C D et ed. 1) Vat. et ed. 2 *ut vidua.*

[3] Cap. 7. n. 6-8. et deinceps de paupertate Apostolorum. — Pro *per Sanctorum testimonia* (ita A C D et ed. 1) Vat. et ed. 2 *perfectorum testimonio.* Inferius ex C F supplevimus *hanc.*

[4] Luc. 6, 20. et 24; cfr. supra pag. 290, nota 3. et 4.

[5] Psalm. 143, 15: Beatum dixerunt populum, cui haec sunt. — Inferius post *possidetur* edd. contra B C F prosequuntur: quae perfectio inter dona Dei locum praecipuum tenet. Caveat sibi etc.

[6] Sicut Simoni mago Act. 8, 20.

[7] Matth. 19, 21: Si vis perfectus esse, vade, vende etc.; 10, 9. seq.: Nolite possidere aurum etc.

[8] Ita A B C D et ed. 1; Vat. et ed. 2 *absurda dogmata.*

[9] Cfr. supra c. 2. n. 2. seqq. — Superius pro *summitatem* (ita A B C D G) edd. *summam.*

[10] Cap. 3. n. 20. — Superius pro *perfectio viae* (ita C D et ed. 1) Vat. et ed. 2 *perfectio vitae.*

[11] Epist. I. c. 6, 9. — Gen. 8, 21: Sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.

[12] Cod. B *ut Domino.*

[13] Sive Declamation. etc. (cfr. supra pag. 45, nota 8.) IX. n. 9. Vat. et edd. 1, 2: *Dotatas et dedicatas cernimus ecclesias* etc. Subinde allegatur Luc. 16, 9.

[14] Isai. 5, 8: Vae! qui coniungitis domum ad domum et agrum agro copulatis etc. — Sequitur Matth. 19, 27.

[15] Isai. 24, 2: « Et erit sicut populus, sic sacerdos ». Textus originalis: Ecce enim, *ut populus, sic et sacerdos.* Similiter

suam, et abundantius suam recipiunt consolationem; similiter amicis egent et ipsi, ut in aliena tabernacula recipiantur, utpote propria non habentes. *Beati* enim *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum* ». Haec Bernardus. — Idem quoque, quibusdam interpositis, subdit[1]: « Utinam in duodecim unus hodie Petrus, unus, qui *reliquerit omnia,* unus, qui loculis careat, inveniatur. *Utinam saperes,* miser, *et intelligeres,* cum thesauro pecuniae et thesaurum irae pariter cumulari; *utinam novissima provideres,* animadverteres, facile per foramen acus transituros non divitiarum cumulos[2], sed delictorum. *Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre poterimus quidquam* ». Hucusque Bernardus. — Cui et Gregorius Nazianzenus concordat in quodam sermone contra persecutores Ecclesiae[3] loquens: « Sed facultatibus, inquit, defraudabunt. Quibus? Meis? Sed facilius mihi alas abscindent, quas non habeo. Si autem ecclesiasticis, hoc utique est, pro quo omnis pugna et omne certamen est. An ignoramus, quod per pecuniae cupiditatem et loculorum fraudem ad proditionem proficitur Christi »? Haec Nazianzenus. — Ad hoc etiam facit quod dicit Ambrosius in libro de Officiis[4]: « Qui Apostolos sine auro misit ecclesias sine auro congregavit »; et iterum[5]: « Qui plurimum auri possidet non abundat, quia nihil est, quidquid in saeculo est; et qui exiguum habet non minuit, quia nihil est, quod amittit; res sine dispendio est, quae tota dispendium est ».

Gregorius Naz.

Ambrosius.

18. Ex his clare patet, sanctorum Doctorum curam fuisse praecipuam non ad quarumcumque possessionum amorem allicere, sed potius exemplo Christi et Apostolorum ad earum contemptum provocare. — Nec tamen ex his intelligat aliquis, quod ecclesiastica bona per modum dilapidationis sint habenda contemptui, quoniam hoc sacri Canones[6] inhibent, sed quod a personis non alligatis curae pastorali ratione maioris securitatis sive perfectionis valeant pro Christi amore dimitti, et ut hi quibus dispensatio ipsorum committitur, eis quae dispensant, nullatenus alligentur affectu. Hic autem, ut affluentiam opum reddat amabilem, tanquam rem sanctitatis eximiae in *rationali*[7] Ecclesiae collocat, ex quo iudicium cum veritate resplendere solebat, cum tamen haec sua doctrina omni careat ratione iudicii et rectitudine veritatis. — Fingit etiam *superhumerale* quoddam, quod huic irrationabili suae phantasiae[8] coaptat, adducens in medium duodecim viros sanctos atque probatos, qui de statu paupertatis ad dispensandas divitias assumti fuerunt, beatum scilicet Clementem, Silvestrum, Gregorium, Cyprianum, Hilarium, Basilium, Chrysostomum, Martinum, Nicolaum, Paulinum, Augustinum et Anselmum, quorum exempla coaptans suo errori, in sequentibus subdit: « Isti sunt duodecim filiorum Israel nomina, isti sunt vittae hyacinthinae et catenulae aureae[9] ». Post quae addit: « Ista est doctrina dominica, statuto Apostolorum Ierosolymis solidata[10], a sanctis doctoribus exposita, a perfectis Christi imitatoribus observata, non ut nihil in communi, aut proprio haberetur, sed ut, spreta proprietate, bonorum Ecclesiae communitas servaretur. Si aliter docueris, cave, ne fias, secundum Apostolum, *anathema,* quod a viro absit catholico, qui puniri recusat cum apostata Iuliano ». Haec verba ipsius; in quibus et *ignorantem* se esse demonstrat et *impium.*

Additur cautela.

Fictio perversa

Se mo[...] ignora[...] et imp[...]

19. Nisi enim *impius* esset, nunquam de professoribus paupertatis, in qua nihil habetur in proprio, vel communi, sensisset tam impie, ut eos tanquam haereticos iudicasset *anathema esse a Christo*[11]. Qua quidem blasphemia non solum hos Christi pauperes, sed et Romanam Ecclesiam impetit, quae hunc vivendi modum approbavit[12]. Insuper, et beatos

Impius

volunt in hoc saeculo *fieri divites* [I. Tim. 6, 9.]; similiter, immo et abundantius suam hic praeripiunt consolationem [cfr. Luc. 6, 24.]. Similiter amicis egent et ipsi, ut in aliena saltem tabernacula suscipiantur, utpote propria non habentes. *Beati* enim *pauperes spiritu* [Matth. 5, 3.] etc. Pro *recipiantur* A B C D G *reciperentur.*

[1] Loc. cit. XIV. n. 16: *Nonne ego,* inquit [Ioan. 6, 71.], *vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est?* Utinam in duodecim etc. Subinde respicitur Matth. 19, 27, et allegatur Deut. 32, 29: Utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent!

[2] Cfr. Matth. 19, 24. — Sequitur I. Tim. 6, 7.

[3] Orat. 26. n. 16. (alias 28. n. 44. seq.). Cfr. supra pag. 277, nota 3, respectu cuius adiungimus, quod exstant duae *apologeticae* orationes (Orat. 1. et 2.), in quibus tamen allegata sententia non invenitur. In fine respiciuntur Ioan. 12, 6: Quia [Iudas] fur erat et loculos habens etc., et Matth. 26, 15: Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos.

[4] Libr. II. c. 28. n. 137. Respicitur Matth. 10, 9: Nolite possidere aurum etc.

[5] Libr. I. c. 30. n. 154, ubi exponitur II. Cor. 8, 15: « Qui multum, non abundavit; et qui modicum, non minoravit ». Respicitur in his Exod. 16, 18: Nec qui plus [manna] collegerat habuit amplius, nec qui minus paraverat reperit minus.

[6] Cfr. Caus. 12. q. 2. per totam, in qua inhibetur alienatio rerum ecclesiarum.

[7] Respicitur Exod. 28, 4: Haec autem erunt vestimenta, quae facient [Aaroni et filiis eius]: Rationale et superhumerale etc.; v. 15: Rationale quoque iudicii facies etc.; v. 30: Pones autem in rationali iudicii Doctrinam et Veritatem etc. — Inferius pro *resplendere* (ita A B C G) edd. *responderi.*

[8] Vat. cum ed. 1 *sive phantasiae.*

[9] Exod. 28, 21. seqq. rationale iudicii simili modo describitur.

[10] Cfr. Act. 4, 32: « Nec quisquam eorum quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia ». Subinde respicitur Gal. 1, 8: Sed licet nos aut Angelus de caelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit (cfr. v. 9.).

[11] Rom. 9, 3, licet ibi in alio sensu usurpetur: Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis etc.; cfr. nota praecedens.

[12] Honorius III. Regulam FF. Minor. approbans ait: Ordinis vestri Regulam a bonae memoriae Innocentio Papa praedecessore nostro approbatam, annotatam praesentibus, auctoritate vobis apostolica confirmamus etc.

viros catalogo Sanctorum ascriptos, et quod maius est, ipsos Apostolos, qui, ut ex superioribus claret[1], in extrema paupertate vixerunt, quibus etiam, tanquam duodecim filiis Israel, in *superhumerali* summi pontificis Christi conscriptis et per propria nomina designatis summa paupertas indicitur. Sic enim scribitur in Matthaeo[2]: *Duodecim nomina Apostolorum sunt haec: Primus Simon, qui dicitur Petrus,* et dehinc ceteris nominatis subiungit: *Hos duodecim misit Iesus, praecipiens eis: Nolite possidere aurum neque argentum neque pecuniam in zonis vestris* etc. In quibus *superhumerale* vitae apostolicae cum *rationali* perfectionis et paupertatis altissimae per caritatem regni caelestis tanquam *vitta hyacinthina*[3] indissolubili iunctura constringit, cum interponit: *Gratis accepistis, gratis date.*

...andum.

20. Hoc autem *superhumerali* et *rationali* verus pontifex Christus adornatus fuit, dum sanctae paupertatis perfectionem et verbo docuit et exemplo monstravit, et tunc potissimum, quando, ut verus pontifex *per sanguinem proprium* ingressurus *in Sancta*[4], pauper et nudus in cruce pependit. Hoc ornamento nobili et spiritnali, quo a corporalibus crucifixoribus Christus spoliari non potuit, hic velut atrocissimus praedo eum nudare contendit et aliud quoddam confingere nititur, non *vitta hyacinthina* et *catenulis aureis,* sed terrenarum possessionum affluentiis tanquam iunctura lutea et viscosa constrictum, quasi Christus cum Apostolis terrena possederit, ipsaque communis possessio altius provehat magisque ad caelestia elevet quam altissima et extrema paupertas. Quod nemo dubitat falsum, nisi qui modos prorsus ignorat mentalis elevationis in Deum. Unde Hieronymus ad Lucinium[5]: « Ioseph cum tunica Aegyptiam effugere non potuit. Adolescens, qui *opertus sindone sequebatur Iesum,* quia tentus fuerat a ministris, terrenum abiiciens operimentum, *nudus* evasit. Elias igneo curru raptus in caelum melotam reliquit in terris. Eliseus boves et iuga prioris operis vertit in vota. Loquitur sapientissimus vir[6]: *Qui tangit picem inquinabitur ab ea.* Quamdiu versamur in saeculi rebus, et anima nostra possessionum et redituum procuratione devincta est; de Deo libere cogitare non possumus ». — Cui et Glossa consonat super illud Canticorum[7]: *Spoliavi me tunica mea* etc.: « Recepta sollicitudine temporalium subsidiorum, quantumlibet eximius doctor difficile vitat peccatum ».

...menium ...lex Christi adversa- ...ei rape- ...conatur.

Quo sensu hoc dicatur.

21. Haec autem non idcirco dicimus, quod dispensatio facultatum Ecclesiae a viris sanctis administrari non possit absque detrimento perfectionis, sed ut discernamus *pretiosum a vili*[8], quia perfectionem eis non contulit temporalium bonorum administratio, sed contemptus; non temporalis affluentia, sed spiritus paupertatis, quo inter rerum affluentium copias sic vivebant *sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes et omnia possidentes;* quemadmodum nobilis ille praelatus, de quo ait Hieronymus, scribens ad Rusticum[9]: « Sanctus Exsuperius, Tolosae episcopus, viduae Sareptanae imitator, esuriens pascit alios, et ore pallente ieiuniis, fame torquetur aliena omnemque substantiam Christi visceribus erogavit. Nihil eo ditius, qui corpus Christi canistro vimineo, sanguinem portat in vitro, qui avaritiam proiecit de templo, qui *cathedras vendentium columbas mensasque subvertit,* mammonae et nummulariorum aera dispersit, ut domus *Dei vocaretur domus orationis et non spelunca latronum*[10]. Huiusmodi tu sectare vestigia et ceterorum, qui virtutum illius similes sunt, quos sacerdotium et humiliores facit et pauperiores. Aut si perfecta desideras, *exi* cum Abraham *de patria et de cognatione tua;* si habes substantiam, *vende et da pauperibus;* si non habes, grandi onere liberatus es. Nudum Christum nudus sequere. Durum, grande, difficile, sed magna sunt praemia ».

Hieronymus.

22. In his sacer Hieronymus distinguit *pretiosum a vili*[11] simulque ostendit, quod aliud competit perfectioni praelati, qui est persona communis, alind perfectioni personae privatae. Et ideo, quamquam ratione praelationis quivis Religiosus a statu paupertatis ad dispensationem temporalium possit assumi; impium tamen est hoc ad consequentiam trahere[12]. Sicut enim praelatis ratione curae pastoralis competit extrinsecis interdum implicari negotiis,

Persona communis et privata.

---

[1] Cap. 7. n. 9. seqq. — Hieronym., Epist. 64. (alias 128.) n. 21; Isidor., Qq. in Exod. c. 59. (alias 51.) n. 6. et Beda in Exod. 28-31, nominibus duodecim patriarcharum in rationali significari docent duodecim Apostolos; cfr. Apoc. 21. 14. seqq. — Superius pro *beatos* (ita C D) edd. *bonos.*

[2] Cap. 10, 2-10.

[3] Gregor., Regul. pastoral. p. II. c. 3: Cui *hyacinthus,* qui aëreo colore resplendet, adiungitur, ut per omne, quod intelligendo penetrat [sacerdos], non ad favores infimos, sed ad amorem caelestium surgat etc. — Subinde allegatur Matth. 10, 8.

[4] Hebr. 9, 11. seq.: Christus autem, assistens pontifex futurorum bonorum... per proprium sanguinem introivit semel in Sancta. — Pro *ingressurus* Vat. et ed. 2 *ingressus.*

[5] Epist. 71. (alias 28.) n. 3. Respiciuntur Gen. 39, 12; Marc. 14, 51. seq.; IV. Reg. 2, 11. seqq. (de Elia; pro *melotam* textus originalis *meloten*); III. Reg. 19, 20. seq. (de Eliseo).

[6] Eccli. 13, 1.

[7] Cap. 5, 3. Glossa est *ordinaria* sumta ex Beda in Cant. 5, 3: *Lavi pedes meos* etc. Pro *Recepta* ed. 1 contra textum originalem et codd. perperam *Decepta,* Vat. et ed. 2 *Deceptus;* pro *quantumlibet* textus originalis *quamlibet,* C *quilibet.*

[8] Ier. 15, 19: Et si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. — Subinde allegatur II. Cor. 6, 10. — Superius pro *viris sanctis* B *viris perfectis.*

[9] Epist. 125. (alias 4.) n. 20. De vidua *Sareptana,* sive ut habet textus originalis, *Sareptensi* cfr. III. Reg. 17, 9. seqq.

[10] Matth. 21, 12. seq. — Duo loci seqq. sunt Gen. 12, 1. (cfr. Act. 7, 3.) et Matth. 19, 21. Cfr. supra pag. 248, nota 9.

[11] Cfr. supra nota 8.

[12] Vide X. in VI. de Regulis iuris (in fine lib. V. Sexti Decretal.): Quae a iure communi exorbitant nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.

salva perfectione, nec tamen inferri potest, quod in persona privata aeque perfectum sit, per extrinsecas occupationes *erga plurima turbari* cum Martha, velut per intimas, fervidas et iucundas sursumactiones *secus pedes* Domini quiescere cum Maria [1]; sic et in proposito intelligendum est. Licet igitur summi sacerdotes sive pontifices, quia curam habent non solum quantum ad perfectos et validos, verum etiam infirmos et imperfectos, quos pascere debent exemplo et verbo et pro loco et tempore corporali subsidio, salva perfectione possessiones susceperint ad sustentationem pauperum et Ecclesiae ministrorum; non tamen ex hoc quibuslibet privatis personis in quolibet Ecclesiae statu ascribi potest nec debet, quod in tanto sint perfectionis culmine cum amplitudine possessionis, sicut cum altitudine paupertatis.

23. In hoc autem, quod laudatores paupertatis extremae imitatores existimat Iuliani apostatae, non solum nequitia plenum, sed etiam *veritatis notitia vacuum* se esse demonstrat, dum professoribus veritatis malitiose crimen impingit erroris, et ipsam perfidiam Iuliani apostatae tanquam ignorans a laude paupertatis insinuat traxisse originem, cum tamen ipse Iulianus non in hoc erraverit, quod assereret, omnia temporalia relinquenda fore secundum dictamen divini consilii — ad quod nemo *astringitur*, nisi velit — sed potius ad suae avaritiae rapacitatem colorandam et conculcandam Ecclesiam hoc dicebat [2] esse *de necessitate divini mandati*, allegans illud Christi verbum, quod in Luca scribitur: *Nisi quis renuntiaverit omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus.* Ex quo ipse universaliter calumniabatur Ecclesiam, quasi nulla esset differentia inter *renuntiare omnibus* et *relinquere omnia.* Verum, sicut Glossa dicit ibidem [3], « hoc distat inter *renuntiare omnibus* et *relinquere omnia,* quia *renuntiare* convenit omnibus, qui ita licite utuntur mundanis, quae possident, ut tamen mente tendant ad superna; *relinquere* vero est solummodo perfectorum, qui omnia temporalia postponunt et solis aeternis inhiant ». Haec Glossa. Ex qua manifeste colligitur, quod quisquis hoc sentit, quod perfectorum sit omnia relinquere et solis aeternis inhiare, doctrinam sequitur Iesu Christi, non perfidiam Iuliani. Nam quamvis dicat, omnia pro perfectionis amore debere relinqui, non tamen astruit, debere bona Ecclesiae diripi [4], quia licitum est dimittere propria, sed illicitum rapere aliena.

Item, ignorantem se monstrat. — De Iuliano. — Notandum.

Capitulum IX.

Tertiae responsionis tertia particula nonumque capitulum, in quo abrenuntiationis ratio falsa eliditur, et penuriosae paupertatis duodenaria praerogativa monstratur.

1. Mos perversarum mentium esse dignoscitur, si qua sententiae suae contraria propter ipsorum certitudinem inficiari non possunt, fraudulenta calliditate pervertere et ad sensum trahere repugnantem, iuxta illud Bernardi ad fratres de Monte Dei [5]: « Si in lectione Deum quaerit qui legit, omnia cooperantur ei in hoc ipsum; si autem in aliud declinat sensus legentis, omnia trahit post se ipsum, nihilque tam sanctum, tam pium in Scripturis invenit, quod seu per vanam gloriam, seu per distortum sensum, seu per pravum intellectum non applicet suae vel malitiae vel vanitati ». Quod manifeste in adversario pauperum nunc cernimus esse completum. Cum enim certum sit, paupertatem, quae consistit in abdicatione rerum temporalium propter Deum, esse laudabilem, magistrumque perfectionis Christum in paupertate vixisse usque ad mortem [6]; hic in comparatione possessionum et opulentiarum sic pervertendo attenuat, ut nil sanctae paupertati de perfectionis sublimitate relinquat.

2. Investigans enim primo *causam* abdicationis temporalium, hanc dicit esse ipsorum appropriationem seu proprietatem, quae, « quoniam ex radice descendit avaritiae, ut verbis eius utamur, non stat cum perfecta caritate, quae *non quaerit quae sua sunt* [7] ». Et ideo dicit, consultam esse abdicationem proprietatis ad excludendam cupiditatem; « qua exstirpata, his qui eiusmodi sunt, recte committitur

Mos perversorum. — Advers[ari]us de caus[a ab]dicatio[nis].

---

[1] Luc. 10, 41. et 39.

[2] Quia opera Iuliani prae manibus non habemus, hanc allegationem ex ed. 2 sumsimus: Vide Iuliani Epist. 43; tom. I. opp. eiusd. edit. Lipsiae an. 1696. Cfr. Gregor. Nazianz., Orat. 4. (ed. Migne; alias 3. n. 80. et 94.) n. 86, ubi exspoliatio aedium sacrarum et votivorum donorum ac pecuniarum *avaritiae* Iuliani ascribitur, et n. 97, in quo Iulianus Scriptura Christianos impugnans sic inducitur: « Hoc enim lege nostra sanciri, ne iniuriam acceptam ulciscamur nec litem intendamus *nec quidquam omnino possideamus propriumque ducamus*, verum alibi vivamus, ac praesentia ut vana et inania contemnamus et pro nihilo putemus » etc. Allegatur Luc. 14, 33: Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus etc.

[3] In Luc. 14, 33. Glossa (ex Beda) est *ordinaria* apud Lyranum.

[4] Ita A B C F; D *dirimi*, edd. *dirui.*

[5] Libr. I. c. 10. n. 31: Si vere in lectione Deum quaerit qui legit, *omnia,* quae legit, *cooperantur* ei *in hoc ipsum* [alias *in bonum*, Rom. 8, 28.], et captivat sensus legentis et in servitutem *redigit omnem* lectionis *intellectum in obsequium Christi* [II. Cor. 10, 5.]. Si in aliud declinat etc. Tractatus sive Epistola ad fratres de Monte Dei (inter opera Bernardi) est Guigonis, prioris quinti maioris Carthusiae.

[6] Cfr. supra c. 7. n. 6. seqq. — Subinde pro *hic* C *hoc.*

[7] Epist. I. Cor. 13, 5.

dispensatio bonorum temporalium tanquam scientibus uti et *non quaerentibus quae sua sunt, sed quae Iesu Christi*[1] », quod et per Abrahae, Iacob, Ioseph, David, Daniel, Patrum scilicet veteris testamenti, exempla confirmat. — In his autem verbis et exemplis superficialiter consideratis nihil apparet erroneum; si tamen diligenter discutiantur, magnum invenitur in eis latere venenum.

[e nom ibi tet.]

3. Si enim proprietas sola *causa* est abdicationis temporalium, ut exstirpetur cupiditas, et perficiatur caritas ad bona huiusmodi temporalia dispensanda; tunc igitur paupertas non est nisi sicut via ad abundantiam et dispositio quaedam praeambula; ac per hoc nulla perfectio consistit in ea. Imperfecta igitur fuit Christi vita, et falsa doctrina, qua dixit[2]: *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus*. — Amplius, si unum aliquod collegium, non dicam unius regni, sed totius mundi bona in communi possideat; altissimum illud de paupertate consilium integerrime servat, immo, quod est absurdius, multo perfectiori modo quam hi qui in extrema rerum penuria, *in fame* videlicet *et siti, frigore et nuditate*[3] Domino serviunt, cuiusmodi fuerunt Apostoli et hi qui eorum exempla sequuntur. Quod cum evidenter sit falsum, restat, quod haec non sit *causa praecisa et principalis* abdicandi divitias, quia *propriae*, sed quia *illecebrosae*, ut ostensum est supra[4]. — Verum est quidem, quod propriae divitiae magis solent esse illecebrosae quam communes, et ideo magis est de essentia perfectionis contemptus ipsarum, non quia appropriatio sit *culpa*, vel semper habeat culpam annexam, sed quia ut frequentius solet esse *occasio culpae*[5]. Unde et ipsemet in consequentibus exemplis sibi ipsi contradicit, cum asserit, illos sanctos Patres non solum sine culpa, sed etiam cum perfectione bona haec temporalia possedisse. Ipsi etiam levitae, qui uxores habebant et filios, constat, quod aliqua propria possidebant, quos tamen superius[6] de perfectione laudavit. Ipse etiam populus Israeliticus, terram Patribus repromissam adeptus, absque peccato distinctas et proprias portiones accepit. Insuper, nunc revelatae gratiae tempore, secundum scita legum et canonum, iuste et sancte aditur et possidetur hereditas, non solum in particularibus patrimoniis, sed in principatibus et regnis, sicut ipse inferius fatetur de Constantino et Raymundo et similibus[7]. Non ergo proprietas est ratio abdicationis, sicut falso insinuat, quasi semper sibi sit annexum peccatum. Sane quod dicit Clemens[8], quod « per iniquitatem alius dicit, hoc esse suum, alius illud », non est generaliter intelligendum, sed ut in pluribus; vel intelligendum est, quod huiusmodi appropriatio descendit ex iniquitate primorum parentum, quia, nisi illi peccassent, huiusmodi appropriatio non fuisset[9]. Non tamen ex hoc sequitur, quod omnis appropriatio sit cum peccato, quia ex praevaricatione primorum parentum non solum peccata descendunt, sed et poenae peccatorum.

[...atio 1.] [...tatio 2.] [...andum.]

4. Licet autem divitiae tam communes quam propriae haberi et possideri valeant absque peccato, tamen eas relinquere perfectionis est, quia, sicut *imperfectio* de se non dicit culpam, ut ex supra dictis[10] apparet, sic et *perfectio* non tantum dicit iustitiae *rectitudinem*, verum etiam *expeditionem;* quam quidem expeditionem divitiae, quia illecebrosae et periculosae, praepediunt. Unde Gregorius quarto Moralium[11]: « Rarum valde est, ut qui possident aurum ad requiem tendant, cum per semetipsam Veritas dicat: *Quam difficile, qui pecunias habent intrabunt in regnum caelorum* ». Idem etiam in quarto Dialogorum[12]: « Cura rei familiaris vix sine culpa agitur, etiam ab his qui qualiter culpas declinare debeant, sciunt ». — Et Rabanus super Matthaeum[13]: « *Difficile*, hoc est maximi laboris, *est*, pecunias habentes vel in pecuniis confidentes, exutis philargyriae retinaculis, aulam regni caelestis intrare ». Propter quod securum est divitias fugere, et eas prorsus abdicare perfectum. Unde Hieronymus ad Demetriadem[14]: « Apostolici fastigii est perfectaeque virtutis vendere omnia et pauperibus distribuere, et sic levem et expeditum cum Christo ad caelestia subvolare ».

[Notandum.] [Gregorius.] [Rabanus.] [Hieronymus.]

5. Porro, *exempla*, quae subiungit de Patribus, inconvenientia sunt ad propositum: primum quidem, quia non se expropriaverunt, ut hic falso confingit, dicens, quod « Dominus sanctum Abraham, propria hereditate reiecta, nudum de terra sua exire praecepit ». Nam et textus Geneseos[15] aperte contradicit, ubi dicitur: *Egressus est Abraham, sicut praeceperat ei Dominus, tulitque Sarai, uxorem suam, et Lot, filium fratris sui, universamque substantiam, quam possederant, et ingressi sunt, ut irent in terram Chanaan*. Quod autem Iacob, Ioseph et David aliquando in paupertate fuerunt, hoc magis fuit urgentis necessitatis quam voluntariae expropriationis. Quod vero Daniel omnia sua vendiderit,

[Contra inconvenientia exempla ratio 1.]

---

[1] Phil. 2, 21.
[2] Matth. 19, 21.
[3] Epist. II. Cor. 11, 27.
[4] Cap. 7. n. 2. seqq.
[5] Vide supra c. 7. n. 24.
[6] Cap. 8. n. 2. — De seq. propositione cfr. Iosue c. 13-21, in quorum ultimo etiam de possessione levitarum.
[7] Codd. BCDE *Aymundo et sibi similibus*.
[8] Libr. X. Recognit. c. 5. Vide Gratian., C. *Dilectissimis* (2.), Caus. 12. q. 1. Pro *Clemens* Vat. et ed. 2 *Clementina*.
[9] Cfr. Bonav., II. Sent. d. 44. a. 2. q. 2. ad 4; in ipsa quaestione insinuatur seq. propositio.
[10] Cap. 2. n. 3. seqq.; c. 3. n. 4; c. 4. n. 7. in fine; c. 5. n. 16 seqq.; c. 6. n. 2. seqq.; c. 7. n. 4. seqq.
[11] Praefatio, c. 3. Allegatur Luc. 18, 24.
[12] Cap. 39.
[13] Libr. VI. Comment. in Matth. 19, 23. Cfr. supra pag. 249, nota 1.
[14] Epist. 130. (alias 8.) n. 14. Cfr. supra pag. 272, nota 11.
[15] Cap. 12, 4. seq.

quia de Scripturis auctoritatem non habet, si sapientia Danielis fuisset imbutus, nequaquam adduxisset in medium, quia prudentius silentio tegitur quod Scripturarum testimoniis non probatur [1].

Ratio 2. 6. Secunda ratio est, quare dictorum Patrum exempla non congruunt, quia cum perfectione virtutis aliquos habuerunt actus extrinsecos secundum exigentiam temporis, qui trahi non possunt in exemplum perfectionis, sicut in Patriarchis pluralitas uxorum, in David strenuitas ad bellandum et in Elia occisio prophetarum Baal [2], et si cum istis perfectionem servaverunt, magis admirabiles quam imitabiles viris perfectis proponuntur. Unde Augustinus de Moribus Ecclesiae [3]: « Amisit Iob omnes divitias et factus est repente pauperrimus, sed inconcussum tenuit animum, quo animo si esse possent nostri temporis homines, non magnopere in novo testamento ab istorum possessione prohiberemur, ut perfecti esse possemus ». Haec Augustinus. Cui consonat Gregorius primo Moralium [4]: « Necdum virtus praecepti emicuerat, quae omnia relinqui praeciperet, sed tamen beatus Iob eandem praeceptionis vim in corde servabat, quia nimirum substantiam suam iam mente reliquerat, quam sine dilectione possidebat ». Ex quibus evidenter apparet, quod Iob, terrena possidendo, perfectus fuit solo contemptu mentis, quia nondum emicuerat consilium paupertatis; ac per hoc, sicut coniugium Abrahae, cui non praefertur caelibatus Ioannis [5], non est trahendum tempore gratiae in exemplum perfectionis, sic nec Patrum sanctorum possessio temporalis.

Ratio 3. 7. Tertia quoque ratio ad hoc ipsum est, quia multa Patribus *in figura contingebant* [6] et umbra, quae tempore revelatae veritatis perfectioni non consonant; et ideo illa nunc in exemplum trahere non modicam generat absurditatem. Unde Bernardus de Colloquio Simonis et Iesu [7]: « Excusant se aliqui fortasse dicentes: Abraham, Isaac et Iacob ceterique Sancti nunquid non terrenas divitias habuisse leguntur? Sufficit nobis esse, sicut illi fuerunt; neque enim sumus nos patribus meliores [8]. Si culpabilis esset possessio divitiarum, nunquam illi in divitiis tantam a Domino gratiam obtinerent. Quid respondebimus novis imitatoribus Sanctorum veterum? Imponant certe vitulos super altare Domini, mactent arietes, hircos immolent, quia et hoc Abraham fecit [9]. — Sed haec, inquiunt, statum ultra non habent; ubi revelata est veritas, transiere. Quid si ipsas quoque Sanctorum divitias temporales *umbram* fuisse dixerimus *futurorum* [10]? *In figura* siquidem eis omnia legimus contigisse. Denique, quidni terrenas palam divitias possiderent sancti et perfecti viri, cum sola terrena palam promitterentur a Domino? Ubi sane caelestis promissio sonuit, necesse est, *spiritualia spiritualibus comparari* [11] et mutari sacrificium, spe mutata ».

8. Non sunt igitur huiusmodi exempla nec etiam *praelatorum*, quae consequenter annectit, cum de paupertatis perfectione agitur, adducenda in medium, ne sub specie sanctitatis pontificalis officii, quod opulentia comitatur [12] et honor, parvipendatur paupertas, vilificetur humilitas, excitetur cupiditas et ambitio foveatur, ad quae omnia is cui respondemus pauperum hostis omni qua potest virtute conatur. Nam verum *iustitiae Solem* [13], qui per paupertatis et humilitatis exempla in universum orbem radios suae lucis emisit, phantasticae cuiusdam nebulositatis obiectu obscurare contendit. Quaerit enim: « Ut quid Christus pauper esse voluit? Ut quid rex fieri recusavit [14] »? Et respondet, ut verbis eius utamur: « Ideo pauper esse debuit, ut eum statum teneret, qui ab omnibus imitari valeret. Neque enim omnes divites fieri possunt, sed si voluerint, omnes pauperes fient ». Post quae subiungit: « Quod autem, ne rex fieret, fugit, *mundanas* dignitates fugere docuit. Alius est enim honor regis, alius praelati sive sacerdotis ».

9. Haec sunt verba ipsius, in quibus tam viliter [15] et indocte sentit et loquitur de nobili et alta materia, ut nos etiam pudeat ipsius replicare ineptias.

Etiam exempla praetorum incongrue afferuntur.

Verba adversarii.

Reprehensio ta

---

[1] Alluditur ad verba Hieron. supra pag. 256, nota 8. allegata.

[2] Libr. III. Reg. 18, 40: Duxit eos [prophetas Baal] Elias ad torrentem Cison et interfecit eos ibi.

[3] Libr. I. c. 23. n. 42: Amisit namque ille [Iob 1, 14. seqq.] omnes divitias et factus repente pauperrimus, tam inconcussum animum tenuit et infixum Deo, ut satis demonstraret, non illas sibi fuisse magnas, sed se illis, sibi autem Deum. Quo animo etc.

[4] Cap. 5. n. 7: « Necdum... sed tamen beatus Iob eiusdem iam praeceptionis vim corde servabat, quia nimirum substantiam suam mente reliquerat, quam sine delectatione possidebat ». Pro *dilectione* (ita A B C) edd. *amore*.

[5] Considerando *diversa* tempora, scilicet Legis et Evangelii. Nam, ut ait August., de Bono coniugali, c. 21. n. 26: Et illius enim caelibatus, et illius connubium *pro temporum distributione* Christo militarunt etc. Cfr. Bonav., IV. Sent. d. 33. a. 2. q. 2.

[6] Epist. I. Cor. 10, 11. Cfr. supra pag. 287, nota 8.

[7] Sive Declamation. (cfr. supra pag. 45, nota 8.) VI. n. 6.

[8] Libr. III. Reg. 19, 4: Neque enim melior sum quam patres mei. — Subinde pro *obtinerent* textus originalis substituit *obtinuissent* et addit: aut tantam gratiam consecuti divitias nihilominus possedissent.

[9] Cfr. Gen. 15, 9. seq. et 22, 13. Textus originalis nonnulla hic addit.

[10] Hebr. 10, 1; cfr. Col. 2, 17. Immediate post respicitur I. Cor. 10, 11. — Inferius post *Domino* textus originalis plura addit.

[11] Epist. I. Cor. 2, 13. Cfr. supra pag. 287, nota 10. — Subinde pro *spe* Vat. et ed. 2 perperam *specie*.

[12] Vat. cum ed. 1 falso *commutatur*. Inferius pro *bonorum* ex C E substituimus *honor*.

[13] Cfr. Mal. 4, 2. — Subinde post *qui* supplevimus ex B C E *per*, quo omisso, ed. 2 voci *radios* praefigendum putat *veluti*.

[14] Respicitur Ioan. 6, 15. — Inferius pro *ut eum* Vat. et ed. 2 *ut animi*.

[15] Vat., contextu repugnante, *viriliter*.

Quis enim in sacris litteris eruditus vel modicum, quis quantulamcumque ad Christum reverentiam habens altissimi Dei benignissimam condescensionem usque ad extremae paupertatis inopiam sic parvipendere audeat, ut putet, hoc eum egisse absque ratione et causa permaxima? Quam tamen is paupertatis hostis adeo frivolam arbitratur, ut non vereatur dicere, ideo Christum pauperem factum, quia non omnes possunt divites fieri. Si igitur omnes possent adipisci divitias, sicut et paupertatem assumere; aeque bene vel magis secundum hanc profanam doctrinam Christus debuisset temporalibus bonis dives esse quam pauper. Quod si verum est, paupertas in nullo praefertur divitiis, nec magis meritorium est pro Christo pauperem fieri quam possidere divitias. Quapropter, sicut Christus dixit adolescenti diviti[1]: *Vade et vende,* ita secundum hoc antichristianum dogma dici potest et pauperi: *Si vis perfectus esse, vade* et posside. — Insuper, cum dicit, quod omnes possunt pauperes esse, aut intelligit de paupertate, quae habet aliquid in communi, cuiusmodi est in collegiatis ecclesiis; et tunc est falsum, quia non omnes, etiam si velint, admittuntur ad collegia talia; aut intelligit de paupertate, in qua nihil habetur; et tunc etiam falsum est, quia non omnes, salvis statibus, quos in Ecclesia universali Deus esse decrevit, hanc possunt paupertatem eligere, sicut patet in regibus et principibus, militibus et popularibus ceterisque habentibus uxores et filios.

...ia ratio.

10. Et quoniam qui a recta veritatis via discedit per devia vagatur errorum, hinc provenit, quod de *Christi fuga* in consequentibus loquens, in multa incidit falsa. Nam dicens, quod « Christus docuit, fugiendos esse honores, non ecclesiasticos, sed *mundanos*, quia acceptavit honorem in Ierusalem sibi exhibitum ut prophetae, qui prius fugerat honorem sibi oblatum ut regi », expresse contradicit evangelico textui. Nam in Ioanne dicitur[2]: *Benedictus, qui venit in nomine Domini, rex Israel;* et in Marco, quod turbae clamabant dicentes: *Benedictum, quod venit regnum Patris nostri David.* Super quo Beda[3]: « Non reprimit voces eorum qui regnum patriarchae David in eo restaurandum et priscae benedictionis dona recuperanda concinunt. Ut quid igitur quod prius fugiendo declinavit modo libens amplectitur? nisi ut aperte doceret, quod non temporalis et terreni, sed aeterni in caelis rex esset imperii, ad quod profecto regnum per contemptum mortis et gloriam resurrectionis perveniret ». Ex his clarum est, quod Christo exhibitus fuit honor regalis, non prophetalis seu sacerdotalis, ut dicit; quem tamen acceptavit propter mysterium nostrae salutis et propter exemplum humilitatis, ut etiam ab his oblati honoris non recusaret obsequium, a quibus se paulo post crucifigendum esse sciebat. Tunc siquidem inter laudantium et applaudentium voces, humilitatis et pietatis non immemor, super aselli tergum sedere non erubuit[4], sed etiam copiosos lacrymarum imbres effudit. Per hunc etiam modum, quando discipulorum pedes humiliter abluit, se magistrum et dominum esse et dici debere monstravit, ut per declarationem regiae celsitudinis discipulos induceret ad imitationem ostensae humilitatis[5].

...erta adarii de Christi obantur.

Honor iste fuit regalis.

11. Mira igitur perversitas est, ea quae Scriptura introducit in exemplum abiectionis, ad fomentum ambitionis intorquere, quasi non sit humilitatis virtus honores ecclesiasticos fugere, nec superbiae vitium ad illos aspirare. Cuius contrarium dicit Gregorius in Registro[6]: « Ego, inquit, viam capitis mei sequens, summopere decreveram esse *opprobrium hominum et abiectio plebis* ». In quo manifeste ostendit, quod in fuga ecclesiastici honoris est imitatio Christi. Idem quoque in Pastorali[7]: « *Nolite plures magistri fieri.* Hinc ipse *Dei et hominum Mediator* regnum percipere vitavit in terris, qui supernorum spirituum scientiam sensumque transcendens, ante saecula regnat in caelis[8]. Qui enim idcirco in carne venerat, ut non solum nos per passionem redimeret, verum etiam per suam conversationem doceret, exemplum se sequentibus praebens, rex fieri noluit, ad crucis vero patibulum sponte pervenit, oblatam gloriam culminis fugit, poenam probrosae mortis expetiit, ut membra eius discerent favores fugere, terrores minime timere, pro veritate adversa diligere, prospera formidando declinare ». Hucusque Gregorius. — Si igitur Christus in fugiendo regnum se sequentibus exemplum dedit fugiendi gloriam, favorem et prosperitatem; et haec non tantum reperiuntur in dignitatibus mundanis, sed etiam ecclesiasticis: constat, quod humilitatis est haec refugere ad perfectam humilitatis Christi imitationem, quantum fieri potest, salvo zelo salutis animarum

Mira perversitas.

Fuga honoris suadenda.

---

[1] Matth. 19, 21.

[2] Cap. 12, 13; Marc. 11, 10.

[3] Libr. III. in Marc. 11, 10. Pro *priscae benedictionis* edd. etiam contra Bedam *prece benedictionis.* Post *amplectitur* textus originalis plura addit et finem sic exhibet *gloriam resurrectionis et triumphum ascensionis perveniret* (Vat. et edd. 1, 2 *perveniretur*).

[4] Marc. 11, 7: Et duxerunt pullum ad Iesum... et sedit super eum. Cfr. Luc. 19, 35; ibid. v. 41: Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam etc.

[5] Cfr. Ioan. 13, 13. seqq.

[6] Libr. IX. Epist. epist. 121. ad Leandrum Hispalensem episc. (cfr. supra pag. 251, nota 10.). Allegatur Ps. 21, 7.

[7] Sive Regul. pastoral. p. I. c. 3. Allegantur Iac. 3, 1; I. Tim. 2, 5.

[8] Textus originalis prosequitur: Scriptum quippe est [Ioan. 6, 15.]: *Iesus ergo, cum cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Quis enim principari hominibus tam sine culpa potuisset, quam is qui hos nimirum regeret, quos ipse creaverat? Sed quia idcirco in carne venerat etc. Inferius pro *gloriam culminis* Vat. et ed. 2 *gloriam luminis.*

et obedientia respectu superiorum, cum ipse Christus discipulis contendentibus, *quis eorum videretur esse maior,* in Matthaeo [1] respondeat: *Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic maior est in regno caelorum.*

Obiectio refellitur.

12. Quodsi forte quis dicat, sicut et iste in consequentibus conatur astruere, hoc ad humiliationem spiritualem et interiorem, non ad corporalem et exteriorem debere referri; non modicum desipit, cum universorum *Magister et Dominus* non solum spiritualis, sed et corporalis humiliationis exempla praebuerit, quando discipulorum pedes lavit et tersit [2], ubi et dixit: *Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* De quo

Augustinus.

Augustinus homilia quinquagesima quinta [3]: « Passurus Christus exitia, praemisit obsequia non solum eis, pro quibus erat subiturus mortem, sed etiam illi qui eum fuerat traditurus ad mortem. Tanta quippe est humanae humilitatis utilitas, ut eam suo commendaret exemplo etiam divina sublimitas, quia homo superbus in aeternum periret, nisi eum Deus humilis inveniret [4]. Perierat autem, superbiam deceptoris secutus, ut humilitatem Redemptoris sequatur inventus ». « Discamus [5], fratres, humilitatem ab Excelso, faciamus invicem humiles quod humiliter fecit Excelsus. Magna est haec commendatio humilitatis. Faciunt hoc sibi invicem fratres etiam opere ipso visibili, cum se invicem hospitio recipiunt. Unde et Apostolus, cum bene meritam viduam commendaret: *Si hospitio,* inquit, *recepit, si sanctorum pedes lavit.* Et apud sanctos ubicumque haec consuetudo non est, quod manu non faciunt corde faciunt [6]; multo autem est melius et sine controversia, ut etiam manibus fiat, ne dedignetur quod fecit Christus facere Christianus. Cum enim ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam corde ipso vel excitatur, vel, si iam inerat, confirmatur ipsius humilitatis affectus ». His Augustini verbis ostenditur, quod humiliatio exterius facta in corpore plurimum confert ad perfectionem verae humilitatis in corde.

Etiam exterior penuria est utilis.

13. Per hunc etiam modum *exterior rerum penuria,* quamquam de se videatur inutilis, paupertati tamen spiritus iuncta, non solum ipsius auget meritum, sed et valet ad plurima; propter quod recte designatur per evangelicam illam margaritam, quae tantae pretiositatis est, ut pro illa emenda distrahenda sint omnia [7].

Quadrupl[ex] eius utilitas.

Valet enim inter alia specialiter ad quatuor, videlicet ad *exterminium iniquitatis,* ad *exercitium perfectae virtutis,* ad *possessionem internae iucunditatis* et ad *publicationem evangelicae praedicationis.*

Prima et ad tria de primo.

14. Valet primo ad *exterminium iniquitatis,* primum quidem propter *expiationem perpetratarum culparum.* Est enim caminus quidam purgans et eliminans sordes vitiorum, iuxta illud Isaiae [8]: *Elegi te in camino paupertatis.* Quod maxime de illa paupertate habet intelligi, quae non tantum voluntatem *interius* per rerum contemptum afficit, verum etiam corpus per penuriam *exterius* affligit. De qua Gregorius in homilia de Lazaro et divite [9]: « Mala, inquit, Lazari purgavit ignis inopiae, et bona divitis remuneravit felicitas transeuntis vitae. Illum paupertas afflixit et tersit, istum abundantia remuneravit et repulit. Quicumque ergo in hoc saeculo bene habetis, cum vos bona egisse recolitis, valde de eis pertimescite, ne concessa vobis prosperitas eorundem remuneratio sit bonorum. Et cum quoslibet pauperes nonnulla reprehensibilia perpetrare conspicitis, nolite despicere, nolite desperare, quia fortassis quod [10] superfluitas tenuissimae pravitatis inquinat caminus paupertatis purgat. De vobis omnino pertimescite, quia nonnulla etiam male acta prospera vita secuta est; de illis vero sollicite pensate, quia eorum vitam magistra paupertas cruciat, quousque ad rectitudinem perducat ».

De sec[undo].

15. Secundo, propter *subtractionem occasionum peccandi,* quae, sicut divitiarum affluentia crescunt, sic voluntaria paupertate minuuntur. Unde Chrysostomus super Epistolam ad Hebraeos, sermone secundo [11]: « Christianus in pauperie constitutus quam cum divitiis magis irradiat. Quomodo hoc? Quia excludit a se superbiae typhum. Non erit arrogans, sed patiens, obtemperans, pudicus, mitis et sapiens. Qui vero in divitiis constitutus est, multa illum ad haec bona praepediunt. Inspiciamus ergo, quae sunt quae dives operatur. Rapit aliena, aestuat cupiditate, nefandos non desinit perpetrare concubitus, maleficia cuncta committit. Nonne universa haec ex divitiis conspicis generari? Intueris, quomodo in pauperie magis quam in divitiis virtutes facilius possidemus?

---

[1] Cap. 18, 4.

[2] Ioan. 13, 14: Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Subinde allegatur v. 15.

[3] In Ioan. Evang. n. 7.

[4] Textus originalis addit ex Luc. 19, 10: *Venit enim Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat.* Subinde pro *ut humilitatem* (ita A B C D E G et ed. 1) textus originalis, Vat. et ed. 2 *ergo humilitatem.*

[5] Loc. cit. tr. 58. n. 4: Didicimus, fratres etc. Allegatur I. Tim. 5, 10.

[6] Textus originalis addit: si in illorum numero sunt, quibus dicitur in hymno beatorum trium virorum [Dan. 3, 87.]: *Benedicite, sancti et humiles corde Domino.* Inferius pro *ne dedignetur* textus originalis *nec dedignetur,* qui etiam pro *corde ipso* substituit *in corde ipso.*

[7] Matth. 13, 46: Inventa autem una pretiosa margarita, abiit et vendidit omnia, quae habuit, et emit eam. — Hic finit cod. E.

[8] Cap. 48, 10; cfr. supra pag. 286, nota 1.

[9] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 40. n. 6.

[10] Cod. G (C a secunda manu) *quos* (ed. Maurin. in nota adiecta hanc lectionem refert: Excusi *quos superfluitas*).

[11] Num. 5. Textus originalis hinc inde plura interserit.

Nec mihi dicas, quia in hac vita divites nullam vindictam suscipiunt. Nam cum omnibus malis suis etiam hoc malum habent divitiae, quia malignitate peccantes ab ultionibus tuentur, et qui divitias possidet semper peccans nulla poena revocatur, sed sine ullis remediis vulnera [1] suscipit peccatorum, et frenum illi nullus imponit ». Hucusque Chrysostomus. — Quodsi forte quis dicat, quod de pauperie occasionaliter multa oriuntur mala; respondet inferius decimo octavo sermone [2]: « Nemo causetur, inquit, de paupertate, tanquam causa sit multorum malorum, neque obloquatur de Christo, qui perfectionem illam dixit: *Si vis perfectus esse* etc. Hoc enim ipse et verbis dixit et operibus ostendit et per discipulos suos docuit. Sectemur ergo paupertatem, maximum quippe bonum est [3]. Nihil enim opulentius eo qui paupertatem sponte diligit et cum alacritate suscipit ».

[...]etio solitur.

16. Valet etiam tertio propter *abscissionem vitiosarum radicum*. Unde et Chrysostomus sermone eodem [4]: « Abiiciamus quaecumque corpus florere faciunt, vitiant autem animam, ut puta sunt divitiae, deliciae, gloria; cuncta haec carnis sunt et amor corporum. Itaque non amemus ampliora, sed paupertatem semper consectemur; ista enim magnum bonum est. Sed *sapientia*, inquit, *pauperis pro nihilo habetur* [5]; et iterum: *Divitias et paupertatem ne dederis mihi*; et: *Ex camino paupertatis libera me*. Quare ergo haec dicta sunt? Haec in veteri testamento dicebantur, ubi multa ratio divitiarum habebatur, ubi paupertatis plurimus erat contemptus, ubi haec quidem maledictio erat, illud [6] benedictio; sed nunc nequaquam ita est. Sed vis audire paupertatis praedicamenta? Ipsam professus est Christus et dixit [7]: *Filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet*; et iterum discipulis dicebat: *Nolite possidere aurum neque argentum*; et Petrus dicebat ei qui ex nativitate sua claudus erat: *Argentum et aurum non est mihi*. Et in ipso quidem veteri testamento nonne Elias praeter melotam nihil habebat [8]? Nonné Eliseus, nonne Ioannes »? Hucusque Chrysostomus; paupertatis tolerantiam laudat, quia per eam *corporalium rerum amor* abscinditur, qui est prima radix vitiorum [9]; laudat etiam, quia per ipsam abscinditur radix secunda, quae est *timor male humilians*. Unde et consequenter adiungit [10]: « Vides, quia, quod maxime facit fiduciam, hoc est paupertas? Dives servus est, obnoxius existens damnis et tribuens omni volenti eum nocere; ille autem nihil habens proscriptionem non timet neque condemnationem. Nequaquam ergo paupertas facit sine fiducia esse; Christus cum paupertate mittebat Apostolos in causam opus habentem fiducia multa. Valde enim fortis est pauper et non habet unde iniuriam patiatur ». Haec verba Chrysostomi intelligi non possunt nisi de paupere, qui nihil penitus habet. — Ex his itaque patet, quod voluntaria paupertas non modicum valet ad exterminium omnis culpae [11].

[...]e tertio.

Duplex laus paupertatis.

17. Valet etiam ad *exercitium virtutis perfectae*, primum quidem, quia per eam *virtus acquisita probatur*. Unde Ambrosius primo libro de Officiis [12]: « Non potest quis praemium accipere, *nisi legitime certaverit*; neque est gloriosa victoria, ubi non fuerint laboriosa certamina. Ideoque Dominus in Evangelio: *Beati, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum*. Non dicit *beati, divites*, sed *pauperes*. Inde enim incipit beatitudo divino iudicio, ubi aerumna aestimatur humana ». Haec Ambrosius. Constat autem, quod aerumna non est in paupertate ratione contemptus rerum in mente, sed ratione penuriae temporalis, quam sustinemus in corpore.

Secunda utilitas valet ad tria. De primo.

Secundo etiam valet, quia per eam *virtus probata custoditur*. Unde Hieronymus ad Paulinum [13]: « Crates, ille Thebanus homo, quondam ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit nec putavit, se virtutes posse simul et divitias possidere. Denique, et tu, audita sententia Salvatoris: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus et veni, sequere me*, verba vertis in opera et nudam crucem nudus sequens, expeditior et levior ascendis scalam Iacob purisque manibus et candido pectore pauperem te spiritu et operibus gloriaris ».

De secundo.

---

[1] Vat. et edd. 1, 2 contra textum originalem *munera*. Recens versio: Sed inter alia hoc quoque malum habent divitiae, quod qui eas in vitio et scelere possidet, impune peccans, nunquam desistet hoc facere, sed accipiet vulnera absque medicamentis, neque ei quisquam imponet frenum.

[2] Num. 3. Allegatur Matth. 19, 21.

[3] Textus originalis hic plura addit. Subinde pro *diligit* recens versio *eligit* (αἱρουμένου).

[4] Num. 2. Post *bonum est* textus originalis plura addit.

[5] Eccle. 9, 16: Sapientia pauperis contempta est. — Duo seqq. loci sunt Prov. 30, 8. et Isai. 48, 10: Elegi te in camino paupertatis (Septuaginta: Erui autem te de fornace paupertatis).

[6] Recens versio *illae* (divitiae); graecus textus: ἔνθα τὸ μὲν κατάρα ἦν, τὸ δὲ εὐλογία.

[7] Matth. 8, 20; deinde 10, 9. (post quem textus originalis addit: Et Paulus scribens dicebat: *Tanquam nihil habentes et omnia possidentes*. II. Cor. 6, 10.) et Act. 3, 6.

[8] Cfr. IV. Reg. 1, 8. et 2, 13, ubi Eliseus pallium Eliae levasse dicitur (cfr. supra pag. 293, nota 5.); de Ioanne vide Matth. 3, 4.

[9] Cfr. supra pag. 272, nota 4. — De hac duplici radice secundum August., Enarrat. in Ps. 79. n. 13, vide tom. II. pag. 146, notam 7. et pag. 958, notam 2; cfr. etiam Breviloq. p. III. c. 9. — Pro *abscinditur* A B C *absciditur*.

[10] Loc. cit. n. 2. circa finem. Recens versio: Vides, quod hoc magis efficit fiduciam et loquendi libertatem [παῤῥησίαν], nempe paupertas? Nam dives quidem est servus, ut qui damno sit obnoxius et cuilibet volenti praebeat, ut ipsi male faciat; qui autem nihil habet non timet bonorum publicationem neque condemnationem etc.

[11] Pro *omnis culpae* (ita A B C D G) edd. *iniquitatis*.

[12] Cap. 15. et 16. n. 58. et 59. Allegantur II. Tim. 2, 5. et Matth. 5, 3.

[13] Epist. 58. (alias 13.) n. 2. Textus originalis propositiones ordine inverso exhibet; prior enim est illa *Denique et tu* etc. Allegatur Matth. 19, 21. et respicitur Gen. 28, 12. (de scala Iacob).

Valet et tertio, quia per eam *virtus custodita* De tertio. *expeditius in finem perducitur*, iuxta quod dicit Chrysostomus super Epistolam ad Hebraeos sermone secundo [1]: « Non habentes divitias, non propterea doleamus, sed gratias magis universorum Deo et Domino referamus, quia nos parvo labore eandem mercedem poterimus quam divites promereri, et si voluerimus, etiam ampliorem. Nam ex parvis magna lucramur ». — Huic et Gregorius consonans in homilia [2]: « Regnum, inquit, caelorum tantum valet, quantum habes »; et iterum: « Ante Dei oculos nunquam est vacua manus a munere, cum arca cordis repleta fuerit bona voluntate ». Quapropter, cum « voluntas, ubi deest possibilitas, pro facto reputetur [3] », et facilius sit sanctis pauperibus *velle*, quam divitibus bonis *velle et facere;* multum igitur facit paupertatis inopia ad virtutis expeditionem. — Si ergo voluntaria temporalium rerum penuria virtus *probatur, conservatur* et *expeditur;* manifeste convincitur, quod eminentia paupertatis plurimum confert ad exercitium perfectae virtutis.

18. Consequenter etiam valet ad *fruitionem iucunditatis internae*, primo *ratione extrinsecae securitatis*. Unde Chrysostomus homilia ultima super Matthaeum [4]: « Divitem necesse est multis indigere et turpiter servire, formidare et suspicari et timere eorum qui suspicantur oculos et calumniatorum ora et avarorum concupiscentias. Sed non paupertas est aliquid tale, sed contrarium universum; regio est furibus non subiecta, sed munita, portus tranquillus, palaestra et gymnasium philosophiae ». Constat autem, quod paupertas furibus non subiacens ea potissimum est, in qua *nihil habetur;* de qua et subdit ibidem [5]: « Audite, quicumque pauperes estis, magis autem, et quicumque ditari concupiscitis. Non *pauperem esse* malum est, sed *non velle pauperem esse;* et neque malum existima paupertatem, et non erit tibi malum, et si philosopharis, decem millium erit bonorum fons et origo ». — Nec tantum securitatem dat penuriosa paupertas in hoc saeculo, verum etiam in *futuro iudicio*. Unde Bernardus super Psalmum [6]: *Qui habitat:* « Felix paupertas voluntarie relinquentium omnia et sequentium te, Domine Iesu. Felix plane, quae tam securos, immo et tam gloriosos faciat in illo singulari fragore elementorum, in illo tremendo examine meritorum, in illo tanto discrimine iudiciorum ».

Tertia utilitas valet ad tria. De primo.

Altera securitas.

19. Secundo valet *ratione exspectatae mercedis.* De secto Unde super illud Iob [7]: *Deridetur iusti simplicitas, lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum*, dicit Gregorius: « *Statutum* quippe contemptae lampadis *tempus* est extremi iudicii praedestinatus dies. Tunc reproborum oculis patescet, quod caelesti potestate subnixi sunt qui terrena omnia reliquerunt. Quisquis enim, divini amoris stimulo excitatus, hic possessa reliquerit, illic procul dubio culmen iudiciariae potestatis obtinebit, ut simul tunc iudex cum iudice veniat qui nunc consideratione iudicii sese spontanea paupertate castigat ». Liquet autem, quod paupertas, pro qua quis deridetur et contemnitur, ea potissimum est, quae annexam habet exteriorum penuriam et vilificationem. Unde Bernardus sermone centesimo quinquagesimo primo [8]: « Duo habet paupertas sequentium Dominum: afflictionem scilicet et vilitatem, de quibus Propheta: *Vide,* inquit, *humilitatem meam et laborem meum;* et *propterea in terra sua duplicia possidebunt*, ut pro *pudore* sit honor iudiciariae potestatis, pro *labore* refrigerium placidissimae sessionis. Haec enim est, quae castigat, purgat et probat, humiliat et exaltat ». — Hanc igitur rationem mercedis concomitatur Notand *laetitia mentis;* unde super illud Psalmi [9]: *Ego sum pauper et dolens; salus tua, Deus, suscepit me;* Glossa: « *Laudabo* in me et in membris meis *nomen Dei cum cantico,* id est cum delectatione, quia, si omnia desunt, *Deus* tamen *mecum est* ». Sed constat, quod nullus est illo pauperior, cui omnia desunt. Nec tamen illi deest mentalis iucunditas; propter quod subditur [10]: *Videant pauperes et laetentur; quaerite Deum, et vivet anima vestra.*

---

[1] Num. 5. circa finem.

[2] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 5. n. 2. Ibid. n. 3. habetur seq. sententia.

[3] De hoc axiomate cfr. tom. II. pag. 924, nota 5. et 7.

[4] Sive Homil. 90. (alias 91.) n. 3. — Superius pro *fruitionem* B C *perfruitionem*.

[5] Loc. cit. Post *tibi malum* textus originalis plura addit.

[6] Psalm. 90. Serm. 8. n. 12.

[7] Cap. 12, 4. seq. Sententia Gregorii habetur X. Moral. c. 31. n. 52. Textus originalis hinc inde plura interserit. Respicitur Matth. 19, 28. (pauperes cum Christo iudicabunt).

[8] Ita codd. et edd. Nescimus, quis sit iste sermo; eadem tamen sententia occurrit in illis saepe iam allegatis Declamationibus de colloquio Simonis cum Iesu ex Bernardi sermonibus collectis a Gaufrido, qui XXXVI. n. 42. latera duo scalae, per quam ad Dominum ascenditur, describit dicens: « Et totum, quod a via vitae et disciplinae deterret filios huius saeculi, totum, quod exercet interim servos Dei, in his duobus est, quae sub uno versu Propheta [Ps. 24, 18.] commendat: *Vide*, inquiens, *humilitatem meam et laborem meum*. Haec ergo sint latera scalae, vilitas et asperitas » etc. Subinde XL. n. 49. agens de scalae capitellis dicit: Minime suis contentus exemplis Salvator, etiam praemia repromittit, ut quem forte non provocat invitatio praecedentis, trahat vel desiderium retributionis, et si quidem voluptuosus est, illum satiat torrente voluptatis [cfr. Ps. 35, 9.]; si vero gloriae cupidus, aspiret ad illam celsitudinem iudiciariae potestatis. *Sedebitis*, ait [Matth. 19, 28.], *et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Ac si diceret: *Pro confusione vestra duplici et rubore pars vestra laudabitur; propterea* enim *in terra vestra duplicia possidebitis, et laetitia sempiterna erit vobis* [Isai. 61, 7.]. In exsilio vobis afflictio duplex, humilitatis utique et laboris. Sed consolamini et nolite deficere... duplex vobis nihilominus remuneratio manet, sublimitatis et delectationis. In *sedibus* enim quies imperturbata, in *iudicio* dignitatis eminentia commendatur.

[9] Psalm. 68, 30. Glossa, quae est apud Petr. Lombard. et Lyranum *interlinearis*, exhibetur ad v. 31, qui etiam allegatur in ipsa. Fide A B C F supplevimus *Deus tamen mecum est* (Ier. 20, 11; Ps. 20, 4.), et *Sed constat... cui omnia desunt.*

[10] Vers. 33. Cfr. Cassiodor., in Ps. 68, 31. et 33.

...s tertio.

20. Tertio quoque ad hoc ipsum valet *ratione superinfusae consolationis.* Unde Chrysostomus homilia quarta super Matthaeum [1]: « Descendamus, inquit, ad paupertatis caminum, videamus, qui ambulant in eo et elatorum colla conculcant, videamus miraculum et paradoxum hominem in camino psallentem, hominem in igne gratias agentem, paupertati ultimae alligatum et multam ferentem Deo laudationem. Etenim pueris illis tribus similes sunt, qui paupertatem cum gratiarum actione ferunt; nam et igne terribilius paupertas incendere consuevit, sed pueros illos nequaquam incendit. Ita et nunc, si in paupertate gratias egeris, vincula dissolvuntur, et flamma exstinguitur, et si non exstincta fuerit, quod multo mirabilius est, pro flamma ros orietur. Quod et in philosophantibus est videre, quoniam in paupertate divitibus copiosius disponuntur et in medio camino rore puro potiuntur. Etenim maximus est ros non detineri concupiscentia divitiarum. Et illi tunc, contemnentes regem, facti sunt rege clariores; et tu utique, si despexeris mundana negotia, omni mundo eris honorabilior, secundum Sanctos illos, *quibus dignus non erat mundus* [2]. Ut igitur dignus caelis efficiaris, deride praesentia; ita enim hic eris clarior et futuris potieris bonis ». Hucusque Chrysostomus, evidenter ostendens, quod voluntaria rerum penuria est quam maxime utilis ad perfruitionem internae iucunditatis.

...arta uti... s valet ad ... De pri-

21. Valet et quarto ad *publicationem evangelicae praedicationis*, primum, quia *facit eam magis credibilem.* Unde Chrysostomus homilia decima quinta super Matthaeum [3]: « Talis est luminis virtus, ut non solum luceat, sed et illuc ducat illos qui sequuntur. Cum enim viderint omnia praesentia nos contemnentes et ad futura praeparatos, ante omnem sermonem operibus nostris credent. Quis enim ita est amens, ut, videns eum qui heri et ante lasciviebat et ditabatur, omnia exutum et ad famem et inopiam et duram vitam et pericula et sanguinem et occisionem et omnia, quae videntur periculosa, praeparatum, non manifestam accipiat hinc futurorum demonstrationem? Si autem praesentibus nos implicuerimus et immiscuerimus, qualiter poterunt credere, quod ad possessionem aliam festinemus »? Hucusque Chrysostomus. In his clare demonstrat, quod voluntariae paupertatis exemplum in praedicante magis credibilem facit evangelicam praedicationem.

Secundo etiam valet, quia *magis reddit efficacem*, iuxta quod Damascenus libro quarto [4] dicit: « Evangelium cognitionis Dei praedicatum est, non bellis et armatis exercitibus adversarios devincens, sed pauci, nudi, pauperes, illitterati, persecuti, verberati, mortificati, crucifixum in carne et mortuum praedicantes, sapientibus et potentibus praevaluerunt ». Haec Damascenus. — Horum imitatores illi fuerunt, de quibus in ecclesiastica historia libro tertio [5] dicit Eusebius: « Quidam, ardentiore divinae sapientiae cupiditate succensi, animas suas verbo Dei consecrabant, explentes perfectionis salutare praeceptum, ut facultates suas primo pauperibus dividentes, expediti ad praedicandum Evangelium fierent ». De secundo.

Tertio, quia *efficit eam magis acceptabilem.* Unde super illud Matthaei: *Dignus est operarius cibo suo*, dicit Chrysostomus homilia trigesima secunda [6]: « Manifestum, quoniam a discipulis eos cibari oportebat, ut neque ipsi magna sapiant adversus eos qui docebantur, omnia praebentes et nihil accipientes ab ipsis, nec illi rursus abscindantur tanquam despecti ab ipsis ». De tertio.

22. Cum igitur voluntaria rerum penuria Evangelii praedicationem magis reddat *credibilem, efficacem* et *acceptabilem*, ac per hoc auditores inducat ad fidem, erigat ad spem, alliciat ad caritatem; manifestum est, quod maxime valet ad evangelicae veritatis publicationem. Cuius etiam evidens indicium est, quod per Apostolos pauperes rebus et spiritu, quamquam numero paucos, diffusa est evangelica veritas in orbem universum, ut de ipsis vere dictum sit [7]: *In omnem terram exivit sonus eorum.* Unde et Chrysostomus super Matthaeum homilia quadragesima sexta [8]: « Si autem homines duodecim orbem terrarum converterunt, excogita, quanta est nostra malitia, cum tanti existentes eos qui reguntur, non possumus corrigere, quos decem millibus mundis oportebat sufficere et esse fermentum. — Sed signa, ais, habebant [9]. Sed non signa eos *mirabiles* fecerunt. Multi enim et daemones proiicientes, quia iniquitatem operati sunt, non sunt facti *mirabiles*, sed puniti. Sed quid, inquis, est, quod eos ostendit magnos? Pecuniarum contemptus, gloriae despectus, ab omnibus vitae huius negotiis ereptio, quia, si haec non habuissent, etsi decem millia mortuos suscitassent, non solum nulli profecissent, sed et seductores aestimati essent ». Hucusque Chrysostomus, Obiectio solvitur.

---

[1] Num. 12. Respicitur Dan. 3, 24, de tribus pueris in camino ignis. Textus originalis hinc inde plura interserit.

[2] Hebr. 11, 38. — Aliquanto inferius vocibus *rerum penuria* edd. praefigunt *paupertas et.*

[3] Num. 9.

[4] De Fide orthod. c. 4. Pro *armatis exercitibus* ed. 1 *armis, exercitibus*, textus originalis *armis et exercitibus*, B C D contra textum originalem legunt *armis exercitus adversariorum devincens.* Subinde post *mortuum* contra A et textum originalem B C addunt *et Deum entem*, edd. *et dominantem*, quae etiam pro *potentibus* perperam substituunt *insipientibus.*

[5] Cap. 37: Plerique ex illius temporis discipulis, quorum animos ardentioris philosophiae desiderio Verbum divinum incenderat, Servatoris nostri praeceptum iam antea expleverant, divisis inter egentes facultatibus suis. Deinde, relicta patria, peregre proficiscentes, munus obibant evangelistarum etc.

[6] Alias 33. n. 4. in fine, ubi exponit Matth. 10, 10. Pro *docebantur* edd. contra A B C G perperam *dicebantur.*

[7] Psalm. 18, 5.

[8] Alias 47. n. 2. et 3. Textus originalis hinc inde plura interserit.

[9] Cfr. Act. 5, 12. — Inferius ex codd. et ed. 1 cum textu originali supplevimus *non sunt.*

qui et in his patenter ostendit, quod nihil tantum valuit ad dilatandum Christi Evangelium quam perfectus contemptus rerum mundanarum.

Figorae harum utilitatum.

23. Cum igitur voluntaria et penuriosa paupertas, sicut ex praedictis [1] elucet, valores incomparabiles quatuor habeat triplicatos; recte designatur non solum per *unam* evangelicam *margaritam*, verum etiam per *duodecim* illas praefulgidas, *in portis novae Ierusalem descendentis de caelo* pro magno sui valore miraque pulcritudine positas, quibus et nomina duodecim pauperum spiritu, Apostolorum scilicet, in fundamentis collocata respondent, seu per *duodecim* pretiosos *lapides in typico rationali*, quadruplici ordinatione distinctos, quo summus Pontifex noster adornatus apparuit, quando, ut nos reconciliaret Patri, nudus in cruce pependit. Cui etiam *rationali* et *superhumerale*, exemplum scilicet duodecim Apostolorum tanquam *vitta hyacinthina* [2] caritatis affectu copulatur. Est enim huiusmodi paupertatis pretiositas non tantum *multiplex*, sed et *magna* et incomparabilis omni pretiositati terrenae, ut ait Chrysostomus super Matthaeum homilia quadragesima sexta [3]: « Quid autem, si quis tibi proponeret facere foenum aurum et posse omnes pecunias ut foenum contemnere? Non utique hoc susciperes magis et valde decenter? Etenim homines hoc utique maxime attraxisset. Si enim viderent, foenum aurum effici, concupiscerent et ipsi hanc virtutem, ut Simon, et augeretur utique eis pecuniarum cupido. Si autem viderent omnes ut foenum aurum despicientes, olim utique ab hac aegritudine eruti essent ».

Chrysostomus.

24. Idem quoque homilia ultima [4]: « Si quis tibi principatum et civiles potestates et divitias et lasciviam proponeret, deinde paupertatem ponens, electionem daret accipere quodcumque velles; hanc confestim raperes, si tamen cognosceres eius pulcritudinem. Mihi enim paupertas puellae cuidam pulcrae et speciosae similis esse videtur. Cum hac Elias educatus, raptus est beata illa rapina [5], cum hac Eliseus claruit, cum hac Ioannes, cum hac Apostoli omnes. Sed et ipsam puellae huius pulcritudinem intueamur. Etenim oculus eius est purus et praeclarus, nihil habens turbulentum, sed mansuetus, tranquillus, delectabilis, ad omnes respiciens, mitis, humilis, nullum odio habens, nullum avertens [6]; os illi et lingua sana est, continua gratiarum actione plena et benedictione et mitibus verbis et amicabilibus. Si autem vis et proportionem membrorum eius videre, longa est et multum excelsior quam superabundantia. Si autem fugiunt eam multi, ne mireris, etenim et alias virtutes fugiunt insipientes. — Sed contumeliis afficitur, ais, pauper a divitibus? Rursus mihi inopiae laudem dicis, quoniam beatus est qui convitium patitur. Sed hoc ferre admonet inopia. — Sed esurit pauper, ais? Et Paulus esuriebat et in fame erat [7]. — Sed non habet requiem? *Neque Filius hominis habebat, ubi caput reclinaret* ». In his expresse declarat Os aureum, quod voluntaria rerum inopia non solum est magnae pretiositatis, sed etiam mirae *pulcritudinis*.

Obiecti...

Chrys... mo

25. Est etiam, et quod plus est, magnae *opulentiae* et *honoris*, sicut idem vir sanctus ait super Matthaeum homilia quadragesima septima [8]: « Anima inopis, inopis quidem voluntarii, fulget velut aurum, splendet ut margarita fulgens, florescit autem ut rosa. Non enim est illic tinea, non est illic fur, non sollicitudo vitae huius negotiorum, sed sicut Angelus ita conversatur. Vis animae huiusmodi pulcritudinem videre, vis inopiae divitias addiscere? Non subiacet daemonibus, non assistit regi, sed assistit Deo; non militat cum hominibus, sed militat cum Angelis; non habet arcas duas vel tres vel viginti, sed talem abundantiam, ut hunc mundum universum nihil esse aestimet; non habet thesaurum, sed caelum; non indiget servis, magis autem habet servos passiones et cogitationes, quae regum dominantur; regnum autem et aurum et omnia talia quemadmodum puerorum ludibria deridet et sicut rotas et pilam haec omnia aestimat esse contemptibilia. Habet enim mundum [9], quem neque videre qui in his ludunt possunt. Quid igitur paupere hoc melius est unquam? Pavimentum denique habet caelum; si autem pavimentum tale est, excogita tectum. — Sed non habet equos et currus. Quid autem ei his opus est, qui supra nubes vehi debet *et esse cum Christo* [10] »? Hucusque Ioannes Os aureum ignitis, fulgidis, ponderosis et pretiosis eloquiis voluntariae paupertatis, quae penuriam rerum habet annexam, admirabilem celsitudinem, pulcritudinem pretiositatemque commendat.

De... haec no... ponend... nalibus

26. Quia tamen haec non revelantur mundi sapientibus, iuxta illud Domini in Matthaeo [11]: *Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis;* non proponuntur carnalibus, sed

---

[1] Num. 13. seqq. — Subinde respiciuntur Matth. 13, 46. (cfr. supra pag. 298, nota 7.); Apoc. 21, 3. 21. 14. (cfr. supra pag. 293, nota 1.); Exod. 28, 17. seqq. (cfr. supra pag. 292, nota 7. seq.).

[2] Exod. 28, 28. Cfr. supra pag. 293, nota 3. et 4.

[3] Alias 47. n. 4. Respicitur Act. 8, 18. seq. de Simone; pro *ut Simon* Vat. et ed. 2 cum ed. 1 perperam *ut sic moveretur*.

[4] Sive Homil. 90. (alias 91.) n. 3. seq. Textus originalis hinc inde plura interserit.

[5] Respicitur IV. Reg. 2, 11. seqq. Cfr. supra pag. 293, nota 5. et pag. 299, nota 8, ubi etiam de Eliseo et Ioanne.

[6] Clarius recens versio *neminem aversans* (οὐδένα ἀποστρεφόμενος), A B *nullum advertens*. Subinde pro *mitibus* edd. etiam contra textum originalem *nutibus*.

[7] Epist. II. Cor. 11, 27. — Subinde allegatur Matth. 8, 20.

[8] Alias 48. n. 4. Codd. et edd. allegant *super Ioannem homil. 47.* (alias 46.), in qua n. 5. de contemptu divitiarum quidem agitur, sed allegata sententia non habetur. Respicitur Luc. 12, 33: Quo fur non appropiat, neque tinea corrrumpit. Textus originalis hinc inde pauca interserit.

[9] Recentior versio *ornatum* (κόσμον). Inferius G legit: *Quid igitur paupere hoc est melius? Nihil. Pavimentum* etc.

[10] Phil. 1, 23.

[11] Cap. 11, 25. — Duo seqq. loci sunt Matth. 7, 6. et Apoc. 2, 17.

spiritualibus, iuxta illud: *Nolite dare sanctum canibus neque mittatis margaritas ante porcos;* non innotescunt amatoribus divitiarum, sed paupertatem amantibus et expertis, qui iam vicerunt mundum, iuxta illud Apocalypsis: *Vincenti dabo manna absconditum et dabo ei calculum candidum et in calculo nomen meum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Ideo paupertas huiusmodi per *thesaurum absconditum in agro* designatur, *quem qui invenit homo abscondit et prae gaudio illius vadit et vendit universa, quae habet, et emit agrum illum* [1]. — Si quis igitur sanctae paupertatis vult nosse valorem, aut ipse in se experiri studeat, aut expertorum sententiae acquiescat, iuxta quod Bernardus in epistola, quam scribit ad Thomam [2], qui amore scientiae retardabat propositum veniendi ad Religionem, ait: « Quam salubrius disceres *Christum* Iesum *et hunc crucifixum;* quam utique scientiam haud facile, nisi qui mundo crucifixus fuerit, apprehendit. Falleris, fili, falleris, si te putas invenire apud mundi magistros, quam soli Christi discipuli, id est mundi contemptores, Dei munere assequuntur. Nec enim hanc lectio docet, sed unctio, non eruditio, sed exercitatio in mandatis Domini ».

27. His Bernardi sacris eloquiis Chrysostomus consonat homilia trigesima octava [3] super Matthaeum, sic dicens: « Verumtamen, quaecumque dixero, nihil repraesentabit tale sermo, quale rerum experientia; ideo vellem, quendam illorum, qui in illum iam devenerunt philosophiae verticem, nobis adesse, et tunc manifeste videres huius rei delectationem, et qualiter nulli eorum qui diligunt paupertatem, acceptarent ditari decem millibus praebendis [4], tanquam qui non lamentantur in sollicitudinibus, sed rident et saltant et his, qui diadema sibi circumponunt, magis in paupertate decorantur ». Si igitur haec rerum experientia docet, et qui divitias, delicias et honores saeculi complectuntur nec experti sunt nec experiri volunt; necesse habent qui eiusmodi sunt super hac materia indicere sibi silentium, ne tanquam caeci de coloribus syllogizare videantur. — Talium etenim temeritatem Hieronymus, ad Demetriadem [5] scribens, redarguit: « Quidam, inquit, cum loqui nesciant, tacere non possunt docentque Scripturas, quas non intelligunt; et cum aliis persuaserint, eruditorum sibi assumunt supercilium, prius imperitorum magistri quam doctorum discipuli. Bonum est enim obedire maioribus et parere perfectis et post regulas Scripturarum vitae suae tramitem ab aliis discere nec praeceptore uti pessimo, praesumtione sua ». — Hoc praeceptore pessimo si is cui respondemus, usus non esset, nequaquam in sugillationem paupertatis commendationem temporalium possessionum improba temeritate dogmatizare praesumsisset. Quamquam enim interdum ex rerum inopia proveniant mala et ex affluentia bona; nunquam tamen mala ex *paupertate dilecta* proveniunt, sed *odita*, nec bona ex *amatis divitiis*, sed *contemptis*, Salomone testante [6]: *Qui amat divitias fructum non capiet ex eis.*

Contra adversarium.

28. Constat autem, quod sicut laus alicuius rei excitat ad illius amorem, sic et vituperium ad contemptum. Cum igitur contemnere divitias et amare pauperiem sit exstirpatio vitiorum et insertio virtutum, et e contrario contemnere paupertatem et amare divitias sit eradicatio virtutum et insertio vitiorum; manifesta ratione colligitur, quod, quemadmodum commendatio paupertatis et spiritualium pauperum et vilificatio divitiarum et divitum doctrinae competit Christi, sic et huius contrarium asserere ad dogma profanum pertinet antichristi. Unde Hieronymus de vita Paulae [7]: « Non laudis est possidere divitias, sed eas pro Christo contemnere, non tumere ad honores, sed eos parvipendere. Propter quod et Paula fugiendo gloriam gloriam merebatur, quae virtutes quasi umbra sequitur et appetitores sui deserens, appetit contemptores [8]. Saeculi homines suspiciunt eos qui his privilegiis pollent; nos laudamus eos qui pro Salvatore ista despexerint, et mirum in modum quos habentes parvipendimus, si habere noluerint, praedicamus ». Hucusque Hieronymus.

Continuatur.

29. Quodsi forte hostis pauperum dicat, non se laudare honores et divitias saeculi, sed *ecclesiasticos* tantum; requiremus ab eo, an credat, in horum appetitu esse *periculum*, an *indifferentiam* quandam, an *meritum?* Si appetere ecclesiasticas divitias et honores *periculum* credit, et tamen, dum laudat, appetibiles efficit, aut auditores suos decipit, aut insanit. Si vero haec appetere *indifferens* aestimat nec ista [9] laudando persuadere conatur, quod aliquis appetat; in vanum loquitur et frustra laborat. Si autem desiderare opes et honores Ecclesiae

Obiectio solvitur.

---

[1] Matth. 13, 44.

[2] Epist. 108. n. 2. Allegatur I. Cor. 2, 2. Respiciuntur Gal. 6, 14: Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo; I. Ioan. 2, 27: Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio eius docet vos etc.

[3] Alias 39. n. 3. et 4.

[4] Textus originalis prosequitur: Et hi, inquies, an pauperes unquam fieri vellent et possessionum curam abiicere? Et quid hoc est? Argumentum certe stultitiae et gravissimi morbi nec rei iucunditatem declarans. Cuius rei nobis testes fuerint illi qui quotidie de his sollicitudinibus lamentantur et vitam huiusmodi non vitalem esse putant. At illi tales non sunt, sed rident, exsultant, nec minus de paupertate quam reges de diademate gloriantur.

[5] Epist. 130. (alias 8.) n. 17. Textus originalis (ed. Maurin. recenset etiam hanc lectionem *parere perfectis*) substituit *parere praefectis.*

[6] Eccle. 5, 9.

[7] Epist. 108. (alias 27; cfr. supra pag. 280, nota 3.) n. 3. Voci *parvipendere* A B C praefigunt *pro Christo*, textus originalis *pro Dei fide*, qui etiam deinde plura addit.

[8] A textu originali nonnulla subnectuntur. Quae sequuntur habentur n. 4, ubi codd. et edd. *suscipiunt* contra textum originalem (in ed. Maurin. alia lectio annotatur).

[9] Ita A B; edd. *nec istas.*

meritorium credit et sanctum, cum nullum vitium sit abominabilius cupiditate et ambitione personarum ecclesiasticarum, cum per haec duo emi vel vendi soleat Spiritus sanctus, ut de domo Dei fiat *spelunca latronum* [1]; non minus impugnat fundamentum christianae religionis quam evangelicae paupertatis. — In hoc igitur finis sit huius tertiae responsionis, quamquam non sit eius cui respondemus, partialis intercisio libri. Quia enim ex nunc ad ordinem spiritualem impugnandum se praeparat novamque aggreditur pugnam, novae responsionis cum adiutorio Christi assumemus armaturam.

Capitulum X.

Quartae responsionis prima particula decimumque capitulum, in quo Religio carentium loculis ab errore defenditur, et verum ius possessionis ecclesiasticae declaratur.

Cupiditas est idolorum servitus.

1. *Omnium malorum* radicalis origo, *cupiditas* [2], cum humanae mentis arcem invaserit, tam dura tyrannide premit, ut ad idolorum redigat servitutem et in bestialem transformet crudelitatem.

Exemplum Iudae.

Huius testimonium evidens esse constat Iudae proditoris nequitiam, qui, cum loculos haberet, de quibus cupiditatis suae voracitatem famelicam mitigare valebat, modicae tamen sibi repromissae pecuniae tanto est illectus amore, ut sitiret Salvatoris omnium sanguinem et auctorem vitae venaretur ad mortem [3].

Adversarii perfidia.

Hac peste laborans et hic pauperum calumniator tanquam Iudae discipulus primo eis *pacis osculum tribuit* [4], ipsorum simulatorie commendando pauperiem; dehinc *letaliter percutit*, dum loculis carentium pauperum professionem conatur arguere, non solum ut imperfectam, verum etiam ut erroneam, simulatoriam et iniquam. Ex quibus non solum praelatorum, sed et clericorum et religiosorum possessiones habentium nititur animos ad ipsorum odium et exterminium concitare.

Primo osculum praebet.

2. Primo igitur quasi *osculum praebens*, quaestionem sibi proponit: « Sed dices: Condemnasne eos qui loculos non habent, nec laborant »? Et postea subdit: « Non condemno, sed laudo, nec tamen habentibus praefero, quia *non est discipulus super magistrum* [5] ». Et paulo post: « Etsi enim homo solus absque loculis possit vivere, tamen de congregatione, cui tanta competunt, credibile non est ». Dehinc subdit: « Res publica sunt loculi Christi. Ergo si Christi membrum es, cum Christo loculos habes ». Haec enim sunt verba ipsius, in quibus more Iudae primo *deosculatur*, cum loculis carentes laudare se asserit; sed statim *vulnus infligit*, cum immediate subnectit, quod hoc Christus exemplo non docuit; ac per hoc demonstrat, quod loculis carere non sit perfectum, sed imperfectum, quia *non est discipulus super magistrum* [6].

Secundo letaliter percutit.

Contra … arguit … primo.

3. Certum autem est, quod nullus vir prudens abrenuntiat loculis, nisi ut Christo configuretur perfectius; omnis igitur talis secundum hoc dogma perversum [7] est errore deceptus. — Amplius, si non est credibile, quod congregatio aliqua sine loculis vivat, ut dicit; aut asserit hoc incredibile, quia *difficile*, aut quia *impossibile*. Si quia *difficile*, tunc pari ratione non est credibile, quod aliqua congregatio sancte vivat et caste. Si quia *impossibile*; sed omnis congregatio impossibile profitens et se ad impossibile ligans est superstitiosa [8] et fatua, ac per hoc reprobanda, quia erronea. Igitur loculos non habentes secundum huiusmodi dogmatis assertionem non sunt digni laude, sed reprobatione. — Insuper, si, quicumque membrum Christi est, cum Christo loculos habet, ut asserit; *a destructione consequentis* [9] qui loculos non habet non est membrum Christi. Ex quo etiam sequitur, quod omnes pauperes nihil habentes et prorsus omnia relinquentes alieni sunt ab unitate corporis mystici, tanquam si is qui habere pecuniam noluerit, gratiam Christi habere non possit, ac per hoc beatior fuerit Iudas, qui loculos habuit, quam Petrus, qui dixit [10]: *Argentum et aurum non est mihi;* cum etiam secundum hanc profanam sententiam ipse Dominus Iesus non nisi in loculis inveniat locum, qui tamen per Isaiam prophetam locum suae requietionis asserit *super pauperculum et contritum.*

Secundo.

Tertio.

Idem … sat de … ci haer…

4. Ecce, qualis pauperum collaudator, qui etiam, ut sui pectoris virus abundantius evomat, eosdem nititur de haeresi duplici in consequentibus notabiles

[1] Respicitur Matth. 21, 13. Cfr. supra pag. 293, nota 10.

[2] Epist. I. Tim. 6, 10. Cfr. supra pag. 272, nota 4. — Subinde respicitur Eph. 5, 5: Avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi et Dei. Cfr. Col. 3, 5.

[3] Cfr. supra pag. 292, nota 3. in fine. — Superius pro *valebat* (ita A B C D G) edd. *volebat.*

[4] Matth. 26, 49: Et confestim accedens [Iudas] ad Iesum, dixit: Ave, Rabbi. Et osculatus est eum.

[5] Matth. 10, 24. — Inferius pro *Dehinc subdit* B C *Deinde subdit.*

[6] Matth. 10, 24. — Ex B C F supplevimus *sed imperfectum.*

[7] Ita codd.; edd. *profanum.*

[8] Edd. addunt *et vana.*

[9] Boeth., I. de Syllogismo hypothetico: Itaque in consequentia propositionis coniunctae, si est primum, secundum esse necesse est; si secundum *non fuerit,* non erit primum etc.

[10] Act. 3, 6. — Subinde allegatur Isai. 66, 1. seq.: Quis est iste locus quietis [Hieron. *requietionis*] meae? Omnia haec [caelum et terram] manus mea fecit... ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu etc.

reddere, cum subiungit, allegans auctoritatem Augustini de Haeresibus [1] et etiam contra Faustum, quod « quaedam est haeresis nudis pedibus ambulantium, non quia propter corporis afflictionem sic ambulant, sed quia divina testimonia taliter intelligunt; sic et Manichaei indicantur haeretici, non quia pecunias aut loculos non habeant, sed quia testimonia divina ad hoc referre nituntur ». — Haec verba ipsius, in quibus foveam erroris aperit, quam non claudit. Nam ex his manifeste relinquit, quia, si qui nudis pedibus incedunt et loculis carent, si ad hoc divina testimonia referunt, in duplicem haeresim incidunt, scilicet nudis pedibus ambulantium et Manichaeorum. Constat autem, quod huiusmodi pauperes ideo nudis pedibus incedunt et loculis carent, ut illud Evangelii verbum ad litteram impleant, quod Dominus dixit Apostolis [2], ut non ferrent aes in zonis nec calceamenta in pedibus. Igitur secundum assertionem huiusmodi dogmatis impii in duplicem haeresim sunt prolapsi. — Quod si verum est, per omnem modum apostolica erravit Ecclesia, quae statum talium approbavit [3] et auctores huiusmodi haeresum catalogo Sanctorum ascripsit. Erraverunt nihilominus Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, Beda, Rabanus et Bernardus, qui omnes affirmant, quod documentum Christi ad Apostolos de non ferenda pecunia sit intelligendum ad litteram, sicut manifestum est ex praeallegatis auctoritatibus ipsorum in praecedentis responsionis particula prima [4]. Quod quia profanum est sentire de Sanctis, necesse habet hic impostor errorum ad piam redire intelligentiam veritatis, si iusta non vult feriri sententia damnationis.

[...esponsio.]

[Ex falsis ...nsequen...is argui...r.]

5. Attendat igitur insensatus et perfidus, quod divina testimonia dupliciter his possunt aptari, per modum videlicet *consilii*, vel per modum *praecepti*. Si quis igitur ad nuditatem pedum et carentiam loculorum sic divina coaptat eloquia, ut ea per Scripturam astruat esse *praecepta* et necessaria ad salutem, tanquam nullus salvari possit, nisi pedibus nudis incedat et loculis careat; dupliciter errat [5]. Si quis vero ad hoc aptare nititur divina testimonia tanquam sint *consulta* et supererogatoria et ad salutem expedientia; non est censendus haereticus, sed verus Christi discipulus, non Manichaeus, sed verus Christianus. — Et quod hic fuerit intellectus pii doctoris Augustini, manifeste colligitur ex verbis ipsius, quinto libro contra Faustum. Nam praemittens verba Fausti, in quibus se gloriatur Evangelium accipere, quia argentum et aurum reiecit et aes in zonis habere destitit, et cetera his similia [6]; postmodum respondet hoc ordine, primo ipsum ostendens hypocritam et mendacem et tandem haereticum, in hoc videlicet, quod Ecclesia distinguit in modo accipiendi Evangelium quantum ad perfectos et imperfectos, sed Manichaei nequaquam. Ait enim sic [7]: « Quam multi in nostra communione veraciter faciunt sublimia illa praecepta, de quorum specie fallitis imperitos »! Et assignatis paulo post differentiis in Ecclesia, subdit [8]: « Neque enim illi soli, qui, ut sint perfecti, vendunt et dimittunt omnia sua et sequuntur Dominum, pertinent ad regnum caelorum; sed huic militiae christianae propter quoddam commercium caritatis subiungitur etiam quaedam stipendiaria multitudo, cui dicetur in fine: *Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere.* Alioquin damnandi erunt illi quorum domos tam diligenti et sollicita cura componit Apostolus [9], monens, mulieres subditas esse viris suis, viros diligere uxores, filios obtemperare parentibus. Sed absit, ut istos a mandatis evangelicis alienos et a vita aeterna separandos iudicet, quia, ubi Dominus ait [10]: *Si quis non tulerit crucem suam et secutus me fuerit, non potest meus esse discipulus,* exhortans firmiores ad perfectionem, ibi statim et istos consolatus est, dicens: *Qui recipit iustum in nomine iusti mercedem iusti accipiet.* Quid autem fallitis auditores vestros, qui cum suis uxoribus et filiis et familiis et domibus et agris vobis serviunt, si, quisquis omnia ista non dimiserit, non accipit Evangelium? Sed quia eis non resurrectionem, sed revolutionem ad istam mortalitatem promittitis, ut vita [11] electorum vestrorum vivant tam vana et inepta et sacrilega, qua et vos vivitis, quando valde laudamini; merito eos a mandatis evangelicis alienatis ». Haec Augustinus. In quibus aperte demonstrat, quod aliqua

[...sitive veritas explicatur.]

[Locus Augustini explicatur.]

[Consilia et praecepta distinguuntur.]

[1] Haeresis 68: « Est alia haeresis nudis pedibus semper ambulantium, eo quod Dominus dixerit ad Moysen [Exod. 3, 5.] vel ad Iosue [5, 16.]: *Solve calceamentum de pedibus tuis;* et quod propheta Isaias [20, 2.] nudis pedibus iussus fuerit ambulare. Ideo ergo haeresis est, quia non propter corporis afflictionem sic ambulant, sed quia testimonia divina taliter intelligunt ». Libr. V. contra Faustum, c. 1; vide infra n. 5.

[2] Matth. 10, 9. et 10.

[3] Cfr. supra pag. 292, nota 12.

[4] Sive cap. 7. n. 9. seqq. — Inferius pro *impostor* (ita A B) edd. *impositor*.

[5] Cfr. supra c. 8. n. 23, ubi simile de Iuliano apostata habetur.

[6] Cap. 1: Ego patrem dimisi et matrem... Ego argentum et aurum reiecei et aes in zonis habere destiti, quotidiano contentus cibo nec de crastino curans... et quaeris a me, utrum accipiam Evangelium?

[7] Cap. 9, ubi pro *sublimia illa praecepta* textus originalis *ista sublimiora praecepta evangelica*.

[8] Loc. cit. Respicitur Matth. 19, 21: Si vis perfectus esse, vade, vende etc., et allegatur Matth. 25, 35. Vocibus *quoddam commercium* textus originalis interserit *quasi*.

[9] Col. 3, 18. seqq. Post *parentibus* plura adduntur in textu originali.

[10] Matth. 10, 38. (cfr. Luc. 14, 27.) et subinde v. 41, post quem textus originalis plura addit. Quae sequuntur sumta sunt ex cap. 10.

[11] Textus originalis *ut rursus nascantur et vita* (Manichaei siquidem admittebant sic dictam *metempsychosim),* qui subinde post *laudamini* plura subnectit.

Evangelii documenta perfectis conveniunt, sine quorum observantia imperfecti salvari possunt, et quod sententia Manichaeorum fuit, ad haec omnes indifferenter astringi. Non igitur dicit, Faustum errasse, quia diceret, haec intelligenda ad litteram, sed quia discernere noluit inter consilia et praecepta.

De portandis calceamentis.

6. Per hunc etiam modum, quod testimonium illud de non portandis calceamentis sit ad litteram intelligendum, multiplici patet attestatione Doctorum.

Ambrosius.

Nam sacer Ambrosius in libro de Fuga saeculi[1] sic ait: « Iesus discipulos sine calceamentis et pecunia misit, ne secum terrena portarent ».

Hieronymus.

— Hieronymus etiam, ad Eustochium[2] scribens, ait: « Moyses et Iesus Nave nudis in terra pedibus iubentur incedere, et discipuli sine calceamentorum onere et vinculis pellium nudi ad praedicationem Evangelii destinantur, et milites, vestimentis Iesu sorte divisis, caligas non habebant, quas tollerent. Nec enim habere poterat Dominus quod prohibuerat in servis ». In his ostendit Hieronymus, quod non solum discipuli, sed etiam ipse Christus nudis pedibus incessit, et quod ad litteram debet intelligi. Idem quoque ad Ageruchiam[3] de Monogamia: « Discipuli toto orbe peregrini non aes in zona, non virgam in manu, non caligas habuere in pedibus ».

Chrysostomus.

— Ioannes Chrysostomus ultima homilia super Matthaeum[4]: « Apostoli una tunica induti et discalceati circumierunt et omnes superaverunt ». Idem quoque homilia trigesima secunda[5]: « Dixit Christus Apostolis: *Nunquid aliquid defuit vobis, quando misi vos nudos et discalceatos* » ?

Eusebius.

— Eusebius etiam Ecclesiasticae Historiae libro sexto[6] in laudem Origenis pro eo tempore, quo catholicus erat, sic ait: « Ante omnia vero praecepta evangelica et voces Salvatoris summo amore et studio implendas esse censebat, quibus praecipitur, duas tunicas non habendum neque calceamentis utendum neque de crastino cogitandum »; et paulo post: « Denique et per multos annos traditur absque omni calceamento nudis incessisse vestigiis ». — Ex quibus et ante dictis[7] luce clarius constat, quod Christus nudis pedibus incessit, et Apostoli ad mandatum ipsius.

Verbum Ioannis Bapt. explicatur.

7. Quodsi quem forte movet verbum Baptistae dicentis[8]: *Cuius non sum dignus solvere corrigiam calceamenti*, consideret textum et Glossas. Nam Ioannes ibi verbis mysticis et parabolicis utitur, cum Christum dicit habere *in manu ventilabrum* et *securim*[9]; propterea, sicut per haec intelligi dat districtionem futuri examinis, sic per calceamenti corrigiam mysterium incarnationis. Unde Glossa[10]: « Calceamentum, incarnationis mysterium; corrigia, mysterii ligatura. Non ergo valet Ioannes corrigiam calceamenti solvere, quia mysterium incarnationis non sufficit explicare ». Et alia Glossa[11]: « *Non sum dignus corrigiam calceamenti solvere*, id est, nomen Sponsi mihi non usurpo ». Est ergo verbum praefatum tanquam mysticum spiritualiter intelligendum.

Difficultas solvitur.

— Si quis vero contendat, intelligendum hoc esse ad litteram secundum usitatum modum loquendi, attendat, quod *conditionalis* est huiuscemodi sermo, quo quis de eo quem vult excellentem ostendere, dicit, quod non sit dignus eum discalceare, etiam si calceamentis non utatur, quia hoc intelligitur, si uteretur[12].

Item, alia.

— Verum si quis urgeat quod Angelus dixit ad Petrum[13]: *Calcea te caligas tuas*, ac per hoc, quod Petrus non fuerit discalceatus, nec Apostoli alii; audiat Bedam super hunc locum in originali dicentem: « Pro *caligulis* vel *caligis*, ut quidam habent, Graecus habet *sandalia;* hoc enim genus calceamentorum legitur in Evangelio Apostolis fuisse permissum ». Haec Beda. Cui etiam consonat et Papias grammaticus dicens[14]: « Caligae vel caligulae, id est sandalia, dicta sunt a callo pedum, vel quasi a colligando, quia ad pedes ligantur ».

Alia obiectio solvitur.

8. Porro, si quis sensu carnis inflatus asserat, non esse conveniens, Dominum ad litteram indixisse Apostolis nuditatem pedum, tanquam[15] vile aliquid et

---

[1] Cap. 5. n. 25: Iesus sine calceamento, auro et argento Apostolos destinavit [Matth. 10, 9. seq.], ne secum terrena portarent.

[2] Epist. 22. n. 19. De Moyse et Iosue cfr. Exod. 3, 5. et Iosue 5, 16. (cfr. supra pag. 305, nota 1.), de discipulis et Christo vide supra pag. 275, notam 1, ubi idem locus allegatur et pro *nudi ad praedicationem Evangelii* cum textu originali legitur *ad praedicationem novi Evangelii.*

[3] Epist. 123. (alias 11.) n. 15. Pro *Ageruchiam* A B C D *Geruntiam;* cfr. supra pag. 276, nota 3. Epistola inscribitur *de Monogamia;* Hieronymus enim in ipsa Ageruchiam viduam a secundis nuptiis dehortatur.

[4] Sive Homil. 90. (alias 91.) n. 3.

[5] Alias 33. in Matth. n. 4. Allegatur Luc. 22, 35. Vide supra c. 7. n. 9, ubi integer locus Chrysostomi affertur. Vat. et ed. 2 omittunt *homilia 32.*

[6] Cap. 3. Ibid. habetur etiam seq. sententia, in cuius fine edd. *nudis pedibus incessisse,* recentior versio *nudis vestigiis ambulasse* (γῆν πεπατηκέναι).

[7] Cap. 7. n. 8. seqq.

[8] Luc. 3, 16.

[9] Luc. 3, 17: Cuius ventilabrum in manu eius etc. Idem dicitur Matth. 3, 12; v. 10: Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Cfr. Beda in hos locos, qui ipsos de districtione futuri iudicii et de sententia iudicis intelligit.

[10] Scilicet *ordinaria* (ex Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 7. n. 3, quem sequitur Beda, in Matth. 3, 11; Marc. 1, 7; Luc. 3, 16; Ioan. 1, 27.) in Matth. 3, 11. Cfr. tom. III. pag. 466, nota 1. et tom. VII. pag. 79, nota 3.

[11] Nempe *ordinaria* in Matth. 3, 11; Marc. 1, 7. et Luc. 3, 16; cfr. nota praecedens.

[12] Glossa *ordinaria* (ex August., II. de Consensu Evangelist. c. 12. n. 29.) in Matth. 3, 11: *Cuius non sum dignus calceamenta portare.* Alii [Marc. 1, 7; Luc. 3, 16; Ioan. 1, 27.] scribunt: *Cuius non sum dignus corrigiam calceamenti solvere.* Potuit autem Ioannes utrumque dicere vel contextim vel diverso tempore, ut alius Evangelista hoc, alius illud assumeret; omnes tamen verum narraverunt. Intendit autem [Ioannes] in hoc ostendere excellentiam Christi et suam humilitatem. Cfr. Bonav., Comment. in Luc. c. 3. n. 38. et in Ioan. c. 1. n. 56.

[13] Act. 12, 8. — Sententia Bedae habetur Retract. in Act. Apost. c. 12, 8, ubi post *quidam* additur *codices.*

[14] Ed. 2 in nota subiungit: In vocabulario Latino ad voc. *Caligae.*

[15] Codd. A B C D G *tale.*

apostolicae dignitati dissonum et a tramite discretionis alienum; intelligat, quod multiplex est ratio huius informationis. Prima est ad *indicium paupertatis extremae;* unde in Luca[1]: *Quando misi vos sine sacculo et pera et calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* Quod pertractans Chrysostomus homilia super Matthaeum trigesima secunda[2] ait: « Fortasse dicet aliquis: quoniam alia Christi praecepta rationem quidem habebant, non habere autem peram in via neque calceamenta neque duas tunicas, qua de causa iussit »? Et respondet: « In omnem indigentiam exercitare eos volens, qui et superius[3] nec de supervenienti die sollicitos esse concessit ». — Secundo vero hoc persuasit ad *incitamentum humilitatis poenitentiae,* secundum illud secundi Regum[4]: *Porro David ascendebat clivum olivarum, scandens et flens operto capite et nudis pedibus incedens;* in quo rex ille nobilis, totius poenitentiae et humilitatis exemplar, vere poenitentibus praebebat exemplum. Cui etiam consuetudo ecclesiastica consonat, quae ad iram Dei placandam in processionibus pedes nudat. — Tertio, ad *testimonium obedientiae promptae.* Unde super illud Isaiae[5]: *Sicut ambulavit servus meus Isaias nudus et discalceatus;* Glossa: « Ecce, obedientia. Iste de regio semine fuit, et tamen per civitatem Ierusalem nudus pedes incessit ». — Quarto, ad *exercitium vitae austerae.* Unde super illud Matthaei[6]: *Neque calceamenta in pedibus;* Glossa: « Etiam Plato dicit, duas corporis summitates non esse velandas, nec assuetam fieri debere mollitiem capitis et pedum. Cum enim haec habuerint firmitatem, cetera robustiora sunt ». — Quinto, in *signum elongationis ab omni carnalitate.* Unde super illud Exodi[7]: *Solve calceamentum de pedibus tuis* etc.; Glossa: « Quia nullus Deo assistere vel Deum videre potest, nisi cuncta desideria carnalia deponat ». — Sexto, ad *perfectae virtutis insigne.* Unde Gregorius Nazianzenus in laudem Religiosorum quorundam sui temporis, post ipsorum dispersionem lugens et flens[8]:

[Left margin: ...tiones 6 ...nuntur. Prima. / Secunda. / Tertia. / Quarta. / Quinta. / Sexta.]

« Desiderabam, inquit, et intentis ac pendentibus oculis requirebam, videre cupiens sanctum illum psallentem chorum laudem et gloriam offerentium Deo, qui *in lege Domini meditantur die ac nocte,* qui ad exemplum et commonitionem melioris vitae omnibus vivunt, legis Dei atque Evangelii Christi taciti praedicatores; in quibus ipse quoque habitus praefert virtutis insignia, hirsutum caput incultis et horrentibus comis, pedes nudi et apostolicis similes, indumenti vilitas arrogantiam saeculi superbiamque condemnans, zona ipso suo neglectu pretiosior, parum quid cohibens vestimenti[9] ». — Ne igitur nuditas pedum, quae de se afflictiva et despicabilis est, tanquam inutilis et erronea detestabilis habita, tollatur de medio; idcirco in medium has Patrum auctoritates adduximus, non quia calceamenta reprobanda censeamus, nec quia calceatos de imperfectione notemus, cum et calceatorum et discalceatorum habitus et loculos habentium et non habentium professiones considerationibus et causis diversis Domino placeant et multiformi quadam varietate sponsam Christi circumdatam[10], decoram, perfectam et admirabilem reddant.

[Right margin: Auctor mentem suam declarat.]

9. Frustra igitur ad contumeliam nil habentium pauperum, quos supra[11] de haeresi ac simulatione notaverat, sanctam matrem Ecclesiam vanis et falsis quibusdam laudibus, quasi *mendacio suo indigeat,* a vitio simulationis excusat, cum subsequenter annectit: « Sancta vero mater Ecclesia *supra montem posita*[12] haec se non habere non simulat, non quia harum rerum dominium habeat, sed pro capite suo *legatione fungens,* eas fidelissime dispensat ». Haec verba ipsius, in quibus duo simul contraria implicat, cum dicit, quod « Ecclesia haec se non habere non simulat », et postea subdit, quod « nequaquam horum dominium habeat ». Si enim ostendit Ecclesia, se habere et sine simulatione, veraciter igitur habet veroque[13] possidet iure, ac per hoc rerum dominium sibi veraciter vindicat. Qualiter igitur dicit: « Non

[Right margin: Adversarius Ecclesiam frustra excusat. / Contradictio ipsius.]

---

[1] Cap. 22, 35.

[2] Alias 33. n. 4; cfr. supra pag. 306, nota 5. Respicitur Matth. 10, 9. seq.

[3] Matth. 6, 34: Nolite ergo solliciti esse in crastinum.

[4] Cap. 15, 30. — De processionibus cfr. Du Cange, Glossarium etc. sub voce *Processio:* Nudis pedibus ut plurimum indictoque ieiunio fiebant eiusmodi supplicationes, tempore praesertim angustiae, unde *Nudipedalia* interdum appellantur etc.

[5] Cap. 20, 3. Glossa est *ordinaria* (ex Hieron.) in v. 2: *Et fecit sic.* Mira obedientia! solo cilicio induebatur vir nobilissimus, ut Hebraei tradunt; cuius filiam rex Manasses accepit in coniugium, non erubuit nudus incedere, nihil honestius iudicans quam Domino obedire.

[6] Cap. 10, 10. Glossa est *ordinaria* (ex Hieron.).

[7] Cap. 3, 5. Glossa est *ordinaria* (ex Isidor., Qq. in Exod. c. 7. n. 3.): Quia nullus scilicet digne consistere, vel Deum videre potest, nisi cuncta terrena et mortalia vitia deponat.

[8] Orat. 6. (alias 12.) n. 2. Oratio haec inscribitur: « Prima de pace, ob monachorum reconciliationem, post silentium, praesente patre », scilicet Gregorii Theologi; pater enim ipsius quosdam Arianos benigne exceperat et cuidam impiae eorum sententiae ex simplicitate subscripserat. Quae res tanta indignatione monachorum animos permovit, ut confestim ab ipsius communione recesserint. Patre errorem revocante et praesente, Gregorius hanc orationem habuit, in qua, occasione illa deplorata, vitae monasticae formam elegantissime describit pacisque utilitates exponit. In allegata sententia non omnia verbotenus a Bonav. referuntur. Allegatur Ps. 1, 2. Pro *commonitionem* (ita B C) D G *commemorationem,* cdd. *commotionem.*

[9] Ita A B C G; edd. *necessitati;* recentior versio legit: zona ob inelegantiam elegans, tunicam nonnihil restringens, ita ut restringere minime videatur.

[10] Respicitur Ps. 44, 10; cfr. supra pag. 250, nota 6. et pag. 277, nota 9.

[11] Num. 4. — Subinde respicitur Iob 13, 7.

[12] Matth. 5, 14: Non potest civitas abscondi supra montem posita. — II. Cor. 5, 20: Pro Christo ergo legatione fungimur.

[13] Ita A B C F; edd. *quia.*

quia rerum dominium habeat, sed quia dispensat »? Non enim dicimur *veraciter habere* quae dispensamus tanquam aliena, sed quae possidemus tanquam [1] nostro iure mancipata. Porro, si Ecclesia se ostendit res temporales *habere*, et tamen non habet; contraria Manichaeis simulatione laborat, dum illi simulant, se *non habere* quod habent, haec autem simulat, *se habere* in specie quae tamen non habet in veritate. Si autem Ecclesia *non habere* se asserit nec etiam secundum veritatem habet aliquid, ut dicit; non habere igitur temporalia bona, ac per hoc nec etiam loculos, sanctae matri Ecclesiae veraciter competit. Ut quid igitur non habentes loculos et se non habere profitentes ut simulatores et haereticos criminatur et damnat? Si vero, ut diximus, et vere habet et veraciter habere se asserit; falso igitur bonorum Ecclesiae dominium ab Ecclesia tollit et sibimet etiam contradicit.

Amplius idem arguitur.

10. Amplius, si rerum dominium non competit sanctae Ecclesiae, ut dicit; quicumque rei alicuius dominium habent exclusi sunt ab ecclesiastica unitate; quod absque dubio spectat ad impietatem Manichaeorum, sicut evidenter apparet per allegatam superius [2] auctoritatem Augustini quinto libro contra Faustum. Dum igitur Christi pauperibus Manichaeorum impietatem impingit, *in eam quam fecit foveam incidit* et in lacum demergitur, quem effodit.

Obiectio solvitur.

— Quodsi dicat, se non intelligere de universali Ecclesia, sed particulari, utpote ecclesia clericorum; adhuc false et impie sentit, dum omnes clericos habentes proprium ab Ecclesiae unitate secludit. Nequaquam igitur asseri potest, Ecclesiam temporalia huiusmodi universaliter *non habere,* nec eius contrarium, scilicet universaliter *habere,* cum quidam, salva veritate Evangelii et statu salutis, veraciter habeant sicut *propria,* quidam sicut *communia,* quidam etiam *utrisque careant,* secundum quandam perfectionis evangelicae formam superius [3] iam expressam.

De decimis et oblationibus.

11. Verum quidem est, quod decimae et oblationes Domino debentur et iure divino deputantur Ecclesiae; verum etiam nihilominus est, quod possessiones immobiles, ut agri, villae, castra, civitates et comitatus, non tantum iure divino, sed etiam humano in possessionem transeunt ecclesiarum. Quod quamquam prudentibus omnibus iurisque [4] peritis luce clarius constet, tamen ad imperiti et procacis hominis refellendam proterviam sacris Canonibus ostendendum est. Nam Causa duodecima, quaestione secunda ex Concilio Aurelianensi [5]: « Si quis de clericis documenta, quibus possessio Ecclesiae firma tenetur, aut supprimere aut negare praesumserit, quidquid pro absentia documentorum damni Ecclesiae datum est, de propriis facultatibus reddat ». Item, paulo post Gregorius quaestione eadem [6]: « Sicut Ecclesia proprias res amittere non debet, ita eam rapacitatis ardore alienas invadere non oportet ». Amplius, quaestione eadem [7], ex Concilio Agathensi: « Si servos Ecclesiae libertate episcopus donaverit, ea quae in manumissione data illis fuerant, perpetua firmitate tenebunt ». Haec canon. Habet igitur Ecclesia servos; sed ubi vera servitus, ibi verum dominium: si igitur Ecclesia habere potest servos originarios et ascriptitios, veram concluditur habere proprietatem veramque possessionem.

Distincta dominia distinctarum ecclesiarum.

12. Insuper, quod distinctis ecclesiis distincta dominia competant, aperte probatur per iura. Nam Causa decima sexta, quaestione quinta [8] Nicolaus Papa: « Si quis episcoporum in alienae civitatis territorio pro quacumque suorum opportunitate ecclesiam aedificare disponit, non praesumat dedicationem facere, quae illius est, in cuius territorio ecclesia surget ». Item, Causa eadem, quaestione tertia [9] Gelasius: « Illud annecti placuit, ut si, quod absit, facultates ecclesiae nec non dioeceses ab aliquibus possidentur episcopis, iure sibi vindicent, quod lex tricennalis conclusit, quia et filiorum nostrorum principum ita mandavit auctoritas ». Amplius, quaestione eadem [10], *Inter memoratos,* ubi dirimitur quaestio limitum, ait Innocentius: « Si limes legitimus eandem basilicam non concludit, et tamen longi temporis probatur obiecta praescriptio; appellatio praesentis episcopi non valebit, quoniam illi tricennalis obiectio ponit silentium. Hoc etiam saecularium edicta principum praecipiunt, et praesulum Romanorum decrevit auctoritas ». Haec canon. In quibus non solum astruitur, quod ecclesiae verum dominium habeant atque distinctum, quia mutuo inter se praescribunt, verum etiam, quod id habeant secundum ius divinum pariter et humanum, pro eo

Notand[um]

---

[1] Cod. B addit *nostra.*

[2] Num. 5. — Subinde allegatur Ps. 7, 16: Lacum aperuit et effodit eum, et incidit in foveam, quam fecit.

[3] Cap. 9-11. — Superius pro *quidam sicut communia* Vat. *quia sunt communia.*

[4] Ita C; edd. *virisque.*

[5] Can. 40. Idem occurrit ibid. c. 33, ubi ex Concilio *Agathensi* allegatur. Vat. et ed. 2 post *negare* cum Canone addunt *aut avertere, aut fortasse tradere damnabili et punienda obstinatione* et pro *datum est* substituunt *illatum est.*

[6] Can. 49; ex Gregor., III. Epist. epist. 44. ad Bonifacium episc.

[7] Can. 57: Si quos de servis Ecclesiae benemeritos sibi episcopus libertate donaverit, collatam libertatem a successoribus placuit custodiri, cum hoc quod eis manumissor in libertatem contulerit etc.

[8] Quae, ordine inverso, immediate post Quaestionem 2. ponitur, c. 1, quem Gratianus attribuit Nicolao Papae, secundum editores Romanos autem exhibet Concilium Arausicanum I. c. 10. Pro *opportunitate* Vat. et edd. 1, 2 perperam *infirmitate;* in fine pro *surget* canon *assurgit.*

[9] Can. *Praesulum nostrorum* (2.). Pro *decimalis,* B *decennalis,* cum canone substituimus *tricennalis;* cfr. can. Gelasii, qui immediate post a Bonav. allegatur.

[10] Can. *Inter memoratos* (6.), qui a Gratiano attribuitur *Innocentio* Papae, sed invenitur in actis Concilii Hispalensis II. c. 2. Codd. B C D omittunt *principum,* cui canon praefigit *saecularium.*

quod praescriptio, sicut ex praeallegato canone patet, ab edicto principum trahit originem, approbato nihilominus per summi Pontificis auctoritatem. Hoc autem declaratur patentius Causa undecima, quaestione prima [1] ex verbis Ambrosii contra Auxentium: « Si tributum imperator petit, non negamus, agri Ecclesiae solvant tributum ». Sed qui ad tributum Caesaris tenetur ratione praediorum, praedia illa non tam divino iure possidet quam humano, Salvatore teste, qui ait [2]: *Reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo.* Amplius, distinctione octava [3] ex verbis Augustini super Ioannem: « Quo iure defendis villas Ecclesiae, *divino* an *humano? Divinum* ius in divinis Scripturis habetur, *humanum* in legibus regum. Unde quisquis possidet quod possidet, nonne iure humano? Nam iure divino *Domini est terra et plenitudo eius* ». Haec Augustinus. Idem quoque homilia sexta [4] super Ioannem: « Noli dicere: Quid mihi et regi? Quid ergo tibi et possessioni? Per iura enim regum possidentur possessiones. Dixisti: Quid mihi et regi? Noli dicere possessiones tuas, quia ipsa iura humana renuntiasti, quibus possidentur possessiones ». — Quid his clarius dici potest ad ostendendum, quod Ecclesia temporalia bona veraciter possidet iure divino pariter et humano?

13. Verum, quia sacri Canones asserunt, quod ea quae offeruntur ecclesiis, Domino consecrantur, et quod eorum dominium non debent sibi ministri earum proprietate damnabili vindicare, et quod bona huiusmodi magis sunt caelestia quam mundana, magis communia quam privata [5]; ideo, ut omnis contradictionis et dubietatis caligo tollatur de medio, intelligendum est, quod quadruplex est temporalium rerum communitas, ex quadruplici iure manans. — Prima namque communitas est, quae manat ex iure *necessitatis naturae,* qua fit, ut omnis res ad naturae sustentationem idonea, quantumcumque sit alicui personae [6] appropriata, illius fiat, qui ea indiget necessitate *extrema.* Et huic communitati *renuntiare non est possibile,* pro eo quod manat ex iure naturaliter inserto homini, quia Dei est imago et creatura dignissima, propter quam sunt omnia mundana creata.

[Margin: ...guenda quadru- rerum ...unitas.] [Margin: Prima.]

14. Secunda communitas est, quae manat ex iure *caritatis fraternae,* qua fit, ut omnia sint iustorum, et communione quadam caritatis quae sunt propria singulorum fiant universorum communia, secundum illud Apostoli ad Corinthios [7]: *Omnia vestra sunt.* De qua Augustinus super Ioannem homilia sexta, loquens contra haereticos Donatistas: « Veniant, inquit, ad catholicam Ecclesiam et nobiscum habeant non solum terram, sed eum *qui fecit caelum et terram* ». Et huic communitati *renuntiare est omnino illicitum,* quia manat ex iure divinitus infuso, per quod est unitas in *columba,* id est in universali Ecclesia, a qua quidem unitate ac communione nullus potest discedere, servata divina lege, quae tota completur in caritate. Secunda.

15. Tertia est communitas, quae manat ex iure *civilitatis mundanae,* qua fit, ut unius imperii, regni vel civitatis una fiat respublica, vel unius societatis, ut mercatorum vel pugnatorum, commune fiat lucrum vel damnum [8], vel unius indivisae familiae una sit communis hereditas. Et huic communitati *renuntiare est de perfectionis evangelicae necessitate,* quia talis communitas personalem includit proprietatem, quae manat ex iure humanitus instituto, cui etiam annexa sunt quae occasionaliter inducunt difficultatem ad bonum et pronitatem ad malum, ac per hoc perfectioni evangelicae adversantur. Et ideo animae sanctae huiusmodi suadetur dimissio, ut in Psalmo [9] dicitur: *Audi, filia, et vide et inclina aurem tuam et obliviscere populum tuum et domum patris tui.* Tertia.

16. Quarta communitas est, quae manat ex iure *dotationis ecclesiae* [10], qua fit, ut omnia bona, quae conferuntur ecclesiis, Domino dedicentur ad communem sustentationem ministrorum suorum et pauperum. Et haec communitas est in omnibus ecclesiis collegiatis habentibus possessiones. Et huic communitati *renuntiare non est perfectioni necessarium,* quia teneri potest salva perfectione, sicut apparet in praelatis et Religiosis perfectis et sanctis; quia talis communitas ex iure manat divinitus ordinato, *ut de altari vivat qui altari deservit* [11], et illis sint omnia Quarta.

---

[1] Can. 27, qui sumtus est ex Ambrosii Serm. contra Auxentium de basilicis tradendis (in Epist. 21. n. 33.). Pro *solvant* canon et Ambrosius *solvunt.*

[2] Matth. 22, 21.

[3] Can. 1; ex August., in Ioan. Evang. tr. 6. n. 25. Allegatur Ps. 23, 1.

[4] In Ioan. Evang. tr. 6. n. 26. Codd. BCG omittunt *Dixisti... possessiones,* ubi vocibus *ipsa iura* textus originalis praefigit *ad,* qui deinde *ius divinum* Ecclesiae catholicae contra Donatistas urget et defendit: Sed de divino iure ago, ait. Ergo Evangelium recitemus, videamus, quousque Ecclesia catholica Christi est, super quem venit columba, quae docuit [Ioan. 1, 33.]: *Hic est qui baptizat.* Quomodo ergo iure divino possideat qui dicit: Ego baptizo, cum dicat columba: *Hic est qui baptizat,* cum dicat Scriptura [Cant. 6, 8.]: *Una est columba mea, una est matris suae?* Quare laniastis columbam... Veniant ad catholicam, et nobiscum habebunt non solum terram, sed etiam illum *qui fecit caelum et terram* [Ps. 113, 15.].

[5] Cfr. C. *Videntes* (16.) Caus. 12. q. 1. et q. 2. per totam. — Superius post *consecrantur* edd. legunt *et quod earum dominium non habent, igitur ministri earum ea proprietate damnabili vindicant* [ed. 1 *vindicare*], quae etiam subinde pro *mundana* (ita BC) substituunt *humana.*

[6] Cod. B *possessioni.* Inferius pro *naturaliter* C *naturali.*

[7] Epist. I. c. 3, 22. — Sententia August. habetur in Ioan. Evang. tr. 6. n. 26; cfr. supra nota 4. in fine, ubi etiam seq. propositio insinuatur. Allegatur Ps. 113, 15. — Superius pro *quae sunt propria* G *per quam omnia, quae sunt, sunt propria.*

[8] Cod. B *et damnum.*

[9] Psalm. 44, 11. Cfr. supra c. 3. n. 15-17, ubi de triplici *difficultate* agitur.

[10] Codd. DG *donationis ecclesiae.*

[11] Epist. I. Cor. 9, 13. — Subinde respicitur Act. 4, 32: Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una... erant illis omnia communia. Pro *quibus est cor unum* G *quorum est cor unum.* Cfr. supra c. 8. n. 21. seq.

communia, quibus est *cor unum et anima una*, unus pater spiritualis et una norma vivendi. Huic tamen communitati *renuntiare non est perfectioni contrarium*, quin potius facit ad perfectionis evangelicae cumulum, pro eo videlicet, quod talis communitas, quamquam manet ex iure divino, manat etiam ex humano, et quia [1] non solum est spiritualis, verum etiam temporalis, et quia, licet in ea excludatur *personalis* proprietas, includitur tamen proprietas *collegialis*, cuius etiam quaelibet persona de collegio particeps esse dignoscitur non solum quantum ad *usum*, verum etiam quantum ad *dominium*, dum unusquisque ipso iure *actionem* habet ad res ecclesiae suae recuperandas et *exceptionem* ad defendendas; quod vere declarat, dominii rerum ipsarum agentem vel excipientem aliqualiter esse participem.

Utrumque perfectum.

17. Quoniam igitur valde difficile est, omnibus abdicatis, in sola paupertate gaudere; difficile nihilominus, omni proprietate exclusa, sola ecclesiastica communitate [2] esse contentum: ideo utrumque perfectum non secundum humanam traditionem, ut pauperum adversarius asserit, sed secundum ius divinitus institutum, maxime si hoc comitetur castitatis votum cum propriae voluntatis abnegatione. — Si quis vero pro sola abdicatione mundialium facultatum cum retentione quantalibet ecclesiasticorum redituum clericos asserat esse perfectos, eos vero solos *imperfectos et claudos*, qui quantumcumque exiliter de patrimonio vivunt — sicut hic calumniator pauperum dogmatizat — ecclesiasticae [3] perfectioni non modicum derogat. Quis enim quantumcumque parum intelligens non advertat, hoc esse insanum dicere, quod aliquis clericus de patrimonio victitans, vix habens victum et vestitum, sit *imperfectus et claudus*, qui autem quantoscumque reditus habet ecclesiae, si paternis bonis renuntiet, sit *rectus atque perfectus?* Quis unquam ita cupidus, ita carnalis [4], quis ita claudus mentalibus pedibus, qui non libenter statum hunc mutaret in illum ? Nunquid talis est evangelicae veritatis perfectio, quam velut sublimem et arduam Christus commendat et praedicat [5], ad qualem quivis infirmus, imperfectus et claudus, cupidus, superbus et carnalis aspirat?

Absurda adversarii doctrina.

18. Mirum certe, si via haec nova, per quam aut nullus aut rarus perfectus sive imperfectus incessit, antiquis praeferenda est semitis, ut clericus assumtus ad ecclesiasticos reditus omni se denudet proprietate. Quis enim saecularium clericorum nostris temporibus hoc perfecit? Quis proposuit, quis etiam somniavit, ut in susceptione ecclesiastici beneficii paterna bona cum his quae habere posset, distraheret et erogaret pauperibus, et ipse deinceps voveret nihil possidere proprium soloque foret victu atque vestitu contentus [6] ? Huiusmodi propterea statum, qui vix aut nunquam in aliquo reperitur, extollere nihil aliud est quam corvinam albedinem praedicare, nil certe aliud quam proprii capitis fictionem veritati iam notae praeponere, ut sic *filii hominum gravi corde, diligentes vanitatem et quaerentes mendacium* [7] a Christi vestigiis avertantur suaque sequantur phantasmata, errantes *in invio et non in via.*

Ac... res ...tur.

19. Nec tamen negamus, eos qui bonis ecclesiasticis contenti sola necessaria retinent et reliqua omnia pauperibus conferunt, ad quandam perfectionem pertingere, perfectioni tamen Religiosorum pauperum nullatenus coaequandam, sicut supra monstratum est tertia parte responsionis primae [8]. Huic ergo eiusque complicibus a Salvatore veraciter dicitur: *Vae vobis, hypocritae! quia clauditis regnum caelorum ante homines; vos enim non intratis neque introeuntes sinitis intrare.* Si enim per hanc venenatam doctrinam nonnulli credentes, in saeculo se esse perfectos, retrahantur a Religionis ingressu; nulli dubium est, quin *sanguinem animarum* illarum, quae propter hoc in suorum peccatorum faecibus remanserint, iustus iudex *de ipsorum manibus* in examine districto *requirat* [9], nisi per suam immensam clementiam, ut oramus, eosdem veritatis suae luce perfusos dignatus fuerit ab erroris devio revocare.

Capitulum XI.

Quartae responsionis secunda particula undecimumque capitulum, in quo professio Fratrum Minorum veraciter carere ostenditur et appropriatione rerum immobilium sive mobilium et proprietate pecuniarum tam in proprio quam in communi.

Mos superborum.

1. Arrogantium hominum tumidae mentes, qui mundi huius vanitate pascuntur, gloriam sibi videntur conquisivisse non modicam, si veram simplicium sanctitatem visi fuerint ut simulationem dolosam arguere eorumque prudentiam spiritus ut insaniam reprobare. Quod ut efficacius perficere queant, *bona*

---

[1] Vat. et ed. 2 *ut quia*, quae etiam inferius pro *excludatur* (ita A B C G) cum ed. 1 *non concludatur*.

[2] Ex A B C supplevimus *communitate*.

[3] Codd. A B *evangelicae*.

[4] Edd. contra A B C D G omittunt *Quis... carnalis*.

[5] Matth. 19, 21. seqq.

[6] Epist. I. Tim. 6, 8: Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. — Codd. B C *victu ac vestitu contentus*. Superius pro *paterna* D *propria*.

[7] Psalm. 4, 3. et deinde 106, 40: Et errare fecit eos in invio et non in via. — Superius pro *fictionem* edd. *sententiam*.

[8] Sive c. 3. n. 18. seqq. — Subinde allegatur Matth. 23, 13.

[9] Gen. 9, 5.

frequenter *in mala convertunt et in electis maculam ponunt* [1]. Verum est quidem, quod propter humanae infirmitatis corruptelam vix reperiri potest aliqua persona vel status ab omni materia reprehensionis immunis; sed et nos veraciter inficiari non possumus, quin inter perfectionis evangelicae professores *perversi* sint aliqui et *imperfecti* quamplurimi. Si igitur is cui respondemus, insolentium vitia reprehenderet, praeconia laudum reportare deberet; si etiam generaliter in personas maledicta congereret, deceret evangelicos viros ori suo silentium imponere, praesertim si divino motu id ageret, et per patientiam, dissimulando convitia, pro maledicente rogare [2]. Nunc autem, quia in totam Christi pauperum Religionem venenatorum eloquiorum tela convertit eorumque *professioni* erroris et simulationis crimen impingit; necesse habemus ipsius procacitati resistere, non quia velimus maledictiones pro maledictionibus reddere, sed quia sacram Religionem intendimus ab obiectis criminibus excusare.

2. Assumens igitur personam Ecclesiae adversus pauperes praefatos invehitur velut contra hostes ipsius. « *Nunc,* inquit, *derident me iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei* [3] », aperte insinuans per hoc, Religiosos, contra quos loquitur, obiurgandos ut Ecclesiae inimicos et adversus Ecclesiam insurgentes ipsamque ut irrisores habentes contemptui, cum tamen, ut dicit, « *vita ipsa putentur indigni, egestate et fame steriles et in terra penitus non parentes* ». Quod quidem nihil aliud est quam patrem suum, Christi vicarium, a quo status huiusmodi approbatus est [4], subsannando despicere et partum sacrae matris, sponsae Christi, Ecclesiae irridere. Et ideo, iuxta Salomonis sententiam, *ipsius est oculus a corvis et aquilis,* veritatis scilicet aemulatoribus, *eruendus,* ac per hoc veraciter contra hunc et complices eius, novorum dogmatum inventores, dicere potest Ecclesia [5]: *Nunc me derident iuniores tempore,* ut sic ictu proprio iniquus oculus eruatur, dum sagitta, qua ferire nititur, ipse feritur. — Dehinc, zelum et verbum apostolicum [6] sibi usurpans, cum tamen apostolicae perfectionis impugnator magis sit quam imitator, subsequenter annectit: « *Utinam sustineatis me modicum! Aemulor enim vos Dei aemulatione.* Quid vos prae ceteris iactatis de perfectione » ?

3. Haec verba ipsius, in quibus, apostolicae humilitatis oblitus, id omittit, quod potissime potuit dicere: *Modicum quid insipientiae meae* [7]*;* dumque non insipienter, sed sapienter loqui se reputat, iusto Dei iudicio stultus effectus, in multas et magnas prorumpit insanias. Omnia enim fere, quae subsequenter allegat, non solum insipientiam, sed et nequitiam sonant. Nequaquam enim, ut dicit, *nos* prae ceteris de perfectione iactamus, quamquam *paupertatis celsitudinem* tanquam verae perfectioni consonam commendemus. Nam sicut veraciter praefertur virginitas cuilibet gradui pudicitiae, nec tamen ex hoc sequitur, quod status sacrarum virginum praeferatur statui praelatorum vel virorum quorumlibet, qui ad hanc minime astringuntur; sic et circa differentias et gradus paupertatis oportet intelligi. Unde nec ille [8], contra quem iste agit, asserit, quod hic status pauperum sit perfectior aliis, qui sibi aliquid retinent, nisi cum hac additione: « paribus conditionibus aliis »; sed nullus est omnino status, in quo conditiones omnes cum statu praefato per omnia parificentur [9]: non ergo potest ex hoc argui, quod omnibus statibus, vel alicui omnium praeferat statum suum. Magnae igitur malignitatis fuit occasione unius sermonis veracis et humilis librum plenum invectionibus et criminationibus falsis componere adversus totum Ordinem pauperum, quasi parum superbo visum fuerit, *in unum Mardochaeum mittere* linguae *manum* [10]. Propter quod et detractiones in libello conscriptae manifeste declarant, auctorem non aemulatione Dei fuisse succensum, sed potius stimulatione illius *cuius invidia mors introivit in orbem terrarum* [11].

4. Ceterum confusionis babylonicae filius [12], ut universos confundat Ecclesiae status, pro viribus conatur astruere, quod nullus sit gradus nullaque differentia in paupertatis professione. Nam quibusdam frivolis interpositis, subsequenter adiungit: « In quo ergo gloriamini contra ministros Ecclesiae? quia, sicut nec vos, ita nec ipsi sunt possessores, quibus dominicarum possessionum tantum *usus* conceditur,

[Margin notes: Con...otan... — ...nitur. — ...rsarii ...gatio...s. — ...antur. — Adver... verba. — Confutatio. — Notandum. — Falsa adversarii assertio.]

---

[1] Eccli. 11, 33. Cfr. Gregor., XXVI. Moral. c. 40. n. 72. et Bonav., Comment. in Luc. c. 4. n. 48. — Inferius pro *materia* (ita B C D G) edd. *macula.*

[2] Luc. 6, 28: Benedicite maledicentibus vobis et orate pro calumniantibus vos. — Superius pro *imponere* A B C D *ponere.*

[3] Iob 30, 1; subinde allegantur v. 2. seq.: Vita ipsa putabantur indigni, egestate et fame steriles, qui rodebant in solitudine etc., et v. 8: Et in terra penitus non parentes.

[4] Cfr. supra pag. 292, nota 12. — Respicitur Prov. 30, 17: Oculum, qui subsannat patrem et qui despicit partum matris suae, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilae.

[5] Iob 30, 1. — Inferius Vat. omittit *qua.*

[6] Epist. II. Cor. 11, 1. seq. Pro *sustineatis* (ita A B C) edd. *sustineretis.*

[7] Epist. II. Cor. 11, 1: Utinam sustineretis modicum quid etc. Rom. 1, 22: Dicentes enim, se esse sapientes, stulti facti sunt.

[8] Cfr. supra pag. 233, nota 1. n. 2. seq.; pag. 235, nota 8. et pag. 266, nota 6. — Edd., refragantibus A B C F G, *Unde nec ille ait, ut asserit* etc., quae etiam subinde, substituto *conditione* pro *additione*, post *conditionibus aliis* addunt *ad perfectionem requisitis.*

[9] Vide supra c. 3. n. 20. circa finem.

[10] Esther 3, 6: Et pro nihilo duxit in unum Mardochaeum mittere manus suas.

[11] Sap. 2, 24: Invidia autem diaboli mors introivit etc.

[12] Cfr. Gen. 11, 1. seqq.

non *dominium,* in tantum beatiores ac praeferendi, quod res, quibus utuntur, aeternum habent dominium, sed vestrae res sub potestate sunt terrestrium dominorum ». — Haec verba ipsius, in quibus omnia confundit atque in tantum pervertit, ut in paupertate gradus non sit, aut si est, praeferendus sit status clericorum ecclesiasticis reditibus affluentium statui quantumlibet pauperum et pro Christi amore nihil habere volentium, quia illi utuntur rebus caelestis et sempiterni dominii, hi terreni; quasi Christus exclusus sit a dominio rerum, quas laici possident, cum tamen sit dominus universorum, et quasi Ecclesia non habeat rerum temporalium verum dominium, cuius contrarium evidenter monstratum est supra[1]; et ideo in hoc ipsius matris Ecclesiae paupertatem fallaciter insinuat et potestatem veraciter impugnat. — Denique, si verum est, quod Ecclesia non habet cum suis ministris rerum dominium, sed tantum usum, ut quid consequenter professionem pauperum calumniatur dicentium, se nullarum rerum habere *dominium,* quamvis habeant *usum,* dicens, quod omnibus *hoc videatur* esse ridiculum, cum eorum quae per ipsum usum penitus consumuntur, ab usu dominium inter homines nullatenus distinguatur? Et dehinc irridendo subiungit: « Ceterum quorum sunt pecuniae, quas per provincias non cessatis a divitibus petere et in unum congregare, nisi aliquid habeatis commune »?

Responsio.

Alia ratio.

5. Ut igitur praefatis et his similibus cavillationibus malignis et subdolis imponatur silentium, intelligendum est, quod cum circa res temporales quatuor sit considerare, scilicet *proprietatem, possessionem, usumfructum* et *simplicem usum;* et primis quidem tribus vita mortalium possit carere, ultimo vero tanquam necessario egeat: nulla prorsus potest esse professio omnino temporalium rerum abdicans *usum.* Verum ei professioni, quae sponte devovit Christum in extrema paupertate sectari, condecens fuit universaliter rerum abdicare *dominium* arctoque rerum alienarum et sibi concessarum *usu* esse contentam. Unde et in ipsorum Regula[2] continetur: « Fratres nihil sibi approprient, nec domum nec locum nec aliquam rem ».

Quatuor circa res temporales consideranda.

Notandum.

6. Porro, ne quis forte proprietatem interdictam in his verbis credat non collegio, sed privatis personis; audiat, quid super hoc Gregorius nonus Fratrum consultationi respondet[3]: « Dicimus, inquit, quod nec in communi nec in speciali debent proprietatem habere, sed utensilium et librorum et eorum quae licet habere, Ordo usum habeat, et Fratres, secundum quod generalis vel provinciales Ministri disponendum duxerint, his utantur. Nec debent vendi mobilia vel extra Ordinem commutari aut alienari quoquo modo nisi Ecclesiae Romanae cardinalis, qui fuerit Ordinis gubernator, generali vel provincialibus Ministris auctoritatem super hoc praebuerit, vel assensum ». — Haec verba rescripti papalis, in quibus sapiens et pius antistes proprietatem separavit ab usu, illam sibi et Ecclesiae retinens, hunc autem Fratrum necessitati concedens, sancte quidem, sapienter et pie. Si enim temporalia bona pro aliis possidere ac dispensare, ubi etiam temporale recipitur emolumentum atque solatium, nihil de ratione perfectionis in praelatis diminuit, sicut ex tertia responsione[4] clarescit; quanto magis, quando solum *praesidium* impenditur, et nullum temporale commodum exspectatur, ipsius summi Pontificis salvatur perfectio, et ei accrescit meritum ante Deum.

Declaratio Gregorii IX.

7. Quodsi forte his quisquam conetur obsistere, ex eo quod iure[5] cautum est, usum non posse perpetuo a dominio separari; respondebimus, quod lex illa civilis non habet hic locum, quia hoc ideo ius civile decrevit, ne dominium inutile videatur ac per hoc inanis sit nominis. Nam retentio dominii huiusmodi rerum cum concessione usus facta pauperibus non est infructuosa, cum sit patri pauperum meritoria et professioni filiorum Christo famulantium opportuna. — Nec obstat quod adversarius obiicit de rebus, quae *usu consumuntur,* quod in eis proprietas non separatur ab usu. Hoc enim fallit in peculio profectitio filiifamilias, ubi filiusfamilias usum habet, et tamen proprietas nec ad momentum residet penes ipsum[6]. Sic et de Ordine huiusmodi pauperum respectu Romanae Ecclesiae intelligi debet. Sunt quippe de iure communi omnes Christi fideles summi Pontificis filii, peculiari tamen quodam iure hi sunt eius obedientiae subditi et curae commissi; et ideo, cum alii sint tanquam filii *emancipati,* quibus licet auctoritate iuris eis indulta de bonis ecclesiarum suarum sine dilapidatione disponere, hi sunt tanquam *parvuli et filiifamilias* totaliter ipsius regimini deputati. Propterea, sicut lege[7] cavetur, quod « filiusfamilias nec retinere nec recuperare posse possessionem rei peculiaris videtur », sed patri per eum quaeritur; sic et in his pauperibus intelligendum est, quod rerum eisdem collatarum ad sustentamentum ipsorum patri pauperum deputetur dominium, illis vero usus.

---

[1] Cap. 10. n. 9. seqq. — Inferius pro *et potestatem veraciter impugnat* edd. *ut potestatem veraciter impugnet.*

[2] Scilicet Regula FF. Minorum, c. 6.

[3] Constitut.: *Quo elongati* (an. 1230, 28. Sept.). Cfr. Sbaralea, Bullar. Franciscan. tom. I. n. 56. pag. 69.

[4] Cap. 8. n. 21. seq.

[5] Libr. VII. Digest. tit. 1, leg. *Omnium praediorum* (3.), in qua dicitur: Ne tamen in universum inutiles essent proprietates, semper abscedente usufructu, placuit certis modis exstingui usumfructum et ad proprietatem reverti. Idem habetur II. Institut. tit. 4. leg. *Ususfructus.* — Inferius pro *inanis sit nominis* (ita A B C D F G et ed. 1) Vat. et ed. 2 *inane sit omnino.*

[6] Cfr. II. Institut. tit. 9. leg. *Acquiritur nobis.*

[7] Libr. L. Digest. tit. 17. de Regulis iuris, regula 94. Post *recuperare* textus originalis addit *neque adipisci.*

...opertas ...Minu-...

8. Sane, quemadmodum essentiale cuilibet Religionis statui esse dignoscitur, quod nulla persona privata possideat aliquid proprium [1]; sic nec huiusmodi pauperum Religio tota, quae quidem quantum ad abdicationem proprietatis censetur sicut una persona. Quemadmodum igitur monachus vel quivis Religiosus utitur vestibus, calceamentis et cibis ac ceteris, quae usu consumuntur, ita tamen quod nihil sibi appropriat quoad privatum dominium, nec propter talem usum efficitur proprietarius, quia proprietas semper collegio reservatur; sic et de collegio istiusmodi pauperum summoque Pontifice intelligere debet quicumque de professione ipsorum sentire vult tam vere quam pie. Et propterea, sicut illud quod datur monacho, qualiscumque sit intentio dantis, non in ipsius transit dominium, sed totius collegii et subiacet dispositioni abbatis, etiam si dans nihil de collegio cogitet; sic quidquid datur congregationi Minorum Fratrum in ius, dominium et proprietatem summi Pontificis et Romanae Ecclesiae transit; praecipue cum ipsi Fratres ius seu proprietatem rei alicuius sibi acquirere nulla ratione intendant.

...rmatur ...naturali ...ili.

9. His autem, quae dicta sunt, suffragatur *legis naturalis* dictamen evidenter explicatum *per iura civilia.* Nam lege [2] cavetur, quod non potest libertas nolenti acquiri, et quod «beneficium invito non datur», et quod nemo donatum assequi et damnosam seu lucrosam hereditatem nemo adire compellitur. Insuper, sicut rerum universitas, puta hereditas, solo animo acquiritur, ita solo animo contrario repudiatur [3], et sicut nuda voluntate extraneus heres fit, ita ex contraria destinatione statim ab hereditate repellitur. Propter quod et iurisconsultus Iulianus ait [4]: «Pro herede gerere non tam facti quam animi est». Cui et alius, Paulus scilicet iurisconsultus, consonat dicens [5]: «Furiosus et pupillus sine tutoris auctoritate non possunt incipere possidere, quia affectionem tenendi non habent, licet res suo corpore contingant, sicut si dormienti aliquid in manu ponatur». Patet igitur per haec verba legis expressa, neminem posse proprietatem sive [6] dominium, immo nec possessionem acquirere, nisi vere, vel interpretative animum acquirendi habeat. Cum igitur Fratres Minores animum acquirendi non habeant, quin potius voluntatem contrariam, etiam si res corpore contingant; nec dominium nec possessionem acquirunt nec rerum huiusmodi possessores vel domini dici possunt.

10. His autem robur praebet *pontificalis auctoritas,* quae tam eminens est, ut omnia iura humana transcendat, ut Extra, de Maioritate et obedientia, *Solitae* [7]: «Ad firmamentum caeli, id est universalis Ecclesiae, *fecit Deus duo luminaria magna,* id est, duas instituit dignitates, quae sunt pontificalis auctoritas regalisque potestas. Sed illa quae praeest diebus, id est spiritualibus, maior est; quae autem noctibus, id est carnalibus, minor, ut, quanta est inter lunam et solem, tanta inter reges et Pontifices differentia cognoscatur». Cum igitur tantae sit auctoritatis potestas imperialis, ut non arctetur legibus, sed ipsa sit legis origo et in tantum possit, ut ea quae fuerint, pro *non factis* habenda statuerit, ut patet in lege postliminii [8], qua bello captus et servus effectus decernitur semper fuisse liber et praesens; et ea quae non fuerint, pro *factis* habenda decernit, sicut patet Codice [9] de inofficioso testamento, in quo de postumo nulla fit mentio, et tamen iudicatur mentio facta. Si, inquam, tantum potest regalis potestas, multo fortius pontificalis auctoritas, quantumcumque usus et dominium in aliquibus rebus secundum ius civile censeantur esse coniuncta, decernere poterit, in personis aliquibus esse separata. Quod circa Ordinem praedictorum Fratrum Christi Vicarius [10] sua auctoritate confirmans, sic esse decrevit; cuius definitioni contraire nullatenus licet. Nam distinctione decima nona Gregorius [11]: «Nulli fas est vel velle, vel posse transgredi apostolicae Sedis praecepta. Sit ergo ruinae suae dolore prostratus, quisquis voluerit apostolicae Sedis contraire decretis».

Item, auctoritate Papae.

Notandum.

Argumentum a minori.

11. Nulla igitur possunt ad huius status impugnationem allegari *iura civilia,* nulla etiam *iura canonica.* Nam Extra, de Electione [12]: «Romanae Ecclesiae legem concilia nulla praefigunt, cum omnia concilia per Romanae Ecclesiae auctoritatem et facta

Non obsistunt contraria iura.

[1] Cfr. can. *Non dicatis* aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia etc. (11.), ex Caus. 12. q. 1, ex quo supra c. 7. n. 37. in fine quaedam allata sunt. — Superius pro *cuilibet* (ita B) edd. *cuiuslibet.*

[2] Libr. XXXVIII. Digest. tit. 2. leg.: Liberto per obreptionem adrogato, ius suum patronus non amittit (49.). Libr. L. tit. 17. de Regulis iuris, regula 70: Invito beneficium non datur. Libr. XXXVI. tit. 1. leg.: *Non est cogendus* heres suspectam adire hereditatem etc. (53.). Cfr. I. Institut. tit. 21. leg.: *Auctoritas autem* (1.) § *Neque tamen.*

[3] Cfr. L. Digest. tit. 17. de Regulis iuris, regula 196.

[4] Libr. XXIX. Digest. tit. 2. leg.: *Pro herede gerere* (20.).

[5] Libr. XLI. Digest. tit. 2. leg.: *Possessio oppellata est* (1.) § *Adipiscimur.*

[6] Cod. B *vel,* C D *seu.*

[7] Cap. 6. libr. I. Decretal. Gregorii IX. tit. 33. Sententia est Innoc. III. Respicitur Gen. 1, 16.

[8] Libr. XLIX. Digest. tit. 15: De captivis et de postliminio et de redemptis ab hostibus; leg.: *Eos qui ab hostibus capiuntur* etc. (4.).

[9] Libr. III. tit. 28. leg.: *Si mater* (3.). Pro *postumo* (ita A B C D G et ed. 2) Vat. cum ed. 1 *postliminio.*

[10] Vide supra n. 6. verba Gregorii IX.

[11] Gregorius IV. apud Gratianum dist. 19. can. *Nulli fas* (5.). Post *praecepta* textus originalis addit: nec nostrae dispositionis ministerium, quod vestram sequi oportet caritatem.

[12] Libr. I. Decretal. Gregorii IX. tit. 6. c. *Significasti* (4.): Aiunt, in conciliis statutum non inveniri, quasi Romanae Ecclesiae legem concilia ulla praefixerint, cum omnia concilia etc. Est Paschalis ad Panormitanum archiepiscopum.

sint et robur acceperint, et in eorum statutis Ecclesiae Romanae patenter excipiatur auctoritas». Nulla etiam *praecedentium Pontificum statuta* obsistunt, ut Extra, de Electione, *Innotuit*[1], ubi dicit Innocentius tertius: «Per praedecessorem nostrum nobis adempta non fuit facultas, cum ea non fuerit prohibentis intentio, qui successoribus suis nullum potuit in hac parte praeiudicium generare pari post eum, immo eadem potestate functuris, cum non habeat imperium par in parem». — Et haec quidem dicta sufficiant ad cavillationes malignantium hominum refellendas. Nam quantum ad testimonium veritatis summi legislatoris[2] Christi *solisque iustitiae* exemplum sufficit atque consilium; qui, cum sit iuris naturalis, civilis, canonici ac divini principalis origo, sacro suo sanxit eloquio, temporalium rerum *dominium* abiiciendum esse perfectis, cum tamen sufficientiam quantum ad *usum* eisdem concesserit, promiserit et persolverit. Insuper, ut quod docebat verbo confirmaret exemplo, alieno cibo voluit sustentari, sicut evangelica narrat historia, et Hieronymus ad Nepotianum dicit, et evidentius claret ex praecedenti responsione[3].

Testimonium Christi sufficit.

12. Porro, de dominio *pecuniarum*, quae ad sustentationem praefatis Fratribus conferuntur, indubitanter tenendum est, quod nullatenus ad ipsorum collegium spectat, cum in ipsorum Regula[4] sit praeceptum, quod «Fratres nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam personam». Et ut omnis tollatur de medio calumniandi materia, intelligendum est, quod *persona interposita*, cui pecunia dispensanda committitur, intelligi potest recipere ac tenere ipsam auctoritate *dantis*, vel auctoritate *illorum*, pro quorum necessitate relevanda donatur. Si auctoritate *dantis* retinet et dispensat, sic ipsius est procurator seu nuntius, et dans potest repetere et reaccipere[5] et agere contra eum in causa ad recuperationem pecuniae, non autem ille, pro quo dispensanda committitur. Et hoc non debuit nec potuit inhiberi pauperibus mendicantibus, quin per interpositam personam ipsorum valeat relevari necessitas, quia valde absurdum est intelligere, quod cuivis diviti non liceat eleemosynam per se ipsum et per alterum pro sua voluntate conferre. Quodsi reservet auctoritate *illius*, pro quo dispensanda est, ei competit et in causam trahere et cetera agere, quae potest quisquis verum rei sibi vindicavit dominium; et hoc, quia professioni Fratrum nullatenus convenit, beatus Franciscus[6] expresse inhibuit, quia secundum veritatem quantum ad proprietatem rei non refert, utrum quis hoc modo recipiat per propriam manum, vel per alienam.

De dominio pecuniarum.

Quid sit persona interposita.

13. Hanc autem differentiam et *naturalis ratio* docet, et *ius scriptum* dictat[7], et *rescriptum papale* declarat. Sicut enim multum refert, utrum qui ministrat alicui sit ipsius servus, vel alicuius excellentioris personae minister, pro cuius voluntate et imperio ministerium illud impendit; quemadmodum differunt ministerium servile et liberale, ministerium humanum et angelicum; sic multum differt, utrum ille intermedius nuntius personam teneat *dantis*, vel *accipientis*. — Secundum etiam *ius civile*[8] multum differt, cum creditori debitor pecuniam soluturus alicui intermediae personae committit, utrum ille medius sit procurator *debitoris*, an *creditoris*. Si enim procurator est *creditoris*, et pecunia perdatur ante solutionem; ipsi *creditori* perditur et iam pro soluta habetur. Si autem procurator sit *debitoris*, ipsi perditur et adhuc solvenda est, non pro soluta habenda. — Iuxta hunc modum dominus Gregorius nonus[9], vir utique tam divino quam humano iure peritus, qui mentem beati Francisci plenius noverat, sic definitive respondet: «Quodsi rem sibi necessariam velint Fratres emere, vel solutionem facere pro iam empta, possunt vel nuntium eius, a quo res emitur, vel aliquem alium volentibus sibi eleemosynam facere praesentare, qui taliter praesentatus a Fratribus, non est eorum nuntius, sed illius potius, cuius mandato solutionem facit, seu recipientis eandem, qui et eleemosynam sibi commissam potest, sicut et dominus, apud spiritualem vel familiarem Fratrum amicum deponere per ipsum, loco et tempore pro ipsorum necessitatibus, sicut expedire viderit, dispensandam». Haec verba rescripti papalis. — Ex quibus patenter elucet, quod Fratrum Minorum Regula non discordat a vita, nec communis ipsorum modus vivendi discordat a Regula. Nequaquam enim[10] profitentur, quod nullus eis provideat, vel eleemosynam faciat per se, vel per interpositam personam, quia hoc collegio mendicantium pauperum et impossibile foret et stultum; sed quod ipsi iuxta formam in Evangelio traditam evangelicis viris pecuniam nullo modo possideant.

Triplex ro[...]bati[...]

Prima.

Secund[...]

Tertia.

Conclu[...]

14. Si vero forte quis dicat, in carentia pecuniae nullam esse prorsus sanctitatem, non tam infert calumniam Regulae pauperum quam Evangelio

Obiecti[...] vita[...]

---

[1] Loc. in praecedenti nota cit. c. 20. In fine respicitur IV. Digest. tit. 8. leg. *Labeo ait* (3.) § *Tractemus* et leg. *Nam magistratus* (4.), ubi insinuatur, parem in parem non habere imperium. Cfr. tom. V. pag. 145, nota 7.

[2] Cfr. supra pag. 233, nota 2. Subinde respiciuntur Mal. 4, 2: Sol iustitiae, et Matth. 19, 21: Si vis perfectus esse, vade, vende etc. — Superius pro *refellendas* edd. *revellendas*.

[3] Cap. 7. n. 6-8, ubi etiam sententia Hieron. ad Nepotianum (epist. 52. alias 2. n. 11.) allegata est.

[4] Cap. 4. — Inferius pro *de medio* A B C *e medio*.

[5] Ita A B C D; edd. *recipere*.

[6] Verbis paulo superius ex Regula allegatis.

[7] Vat. et ed. 2 omittunt *dictat, et rescriptum*.

[8] Libr. III. Digest. tit. 5. leg. *Si hac mente* pecuniam procuratori dem etc. (25.).

[9] Constitut. *Quo elongati* supra pag. 312, nota 3, allegata. Textus originalis hinc inde nonnulla interserit. Pro *spiritualem* Vat. et ed. 2 *specialem*.

[10] Edd. contra codd. *Nequaquam igitur*.

Christi, in quo Apostolis inhibitam constat fuisse pecuniam, sicut et textus[1] expresse dicit, et Sanctorum testimonia astruunt. Quod quidem nullatenus credendum est a Magistro veritatis perfectissimis viris fuisse propositum, nisi per hoc scivisset meritum eis accrescere perfectae virtutis et praecipuae sanctitatis. Cum enim magnae sit difficultatis ignotas regiones et aridas terras sine sufficientia stipendiorum peragrare, quia tales necesse habent, vitam istam transigere *in fame et siti, in frigore et nuditate*[2] omniumque rerum penuria; si nullum hoc modo viventibus meritum sanctitatis accresceret, hoc docere, hoc profiteri, sic vivere nihil aliud esset quam insanire.

...ntra ...riosae ...ertatis ...tates ...sarius ...rgit. 15. Verum, sicut ex ultima praecedentis responsionis particula[3] patet, penuriosae paupertatis duodenario Apostolorum primo impositae duodecim sunt utilitates eximiae mirique valoris, quas typici *rationalis* duodecim lapides pretiosi designant. Et quia illos hostis hic pauperum ignoravit, ideo margaritas has porcino more conculcans, ore polluto in haec blasphemiae verba prorumpit: « Si, inquit, in pecuniae carentia, sive ut non tangeretur, sanctus Franciscus sanctitatem credidit, vel perfectis a Domino inhibitam esse sancivit; audacter loquor coram ...onsio. Domino, quod erravit ». — Sed constans est, quod beatus Franciscus non ob aliud possessionem seu contrectationem pecuniae imitatoribus suis inhibuit, nisi quia in hoc aliquam esse sanctitatem et pia fide credidit et certa veritate cognovit; non quia mala sit pecunia, vel quia census formaliter sive causaliter sit in culpa[4], vel quia pecunia possideri et contrectari non possit absque peccato; sed quia inter cetera, quae possidentur, pecunia maxime est illecebrosa et de facili est illectiva et distractiva non solum imperfectorum, sed etiam perfectorum, et quia Spiritu sancto dictante percepit, quod sanctitatis est non tantum peccata cavere, verum etiam occasiones peccatorum refugere: ideo veraciter in hoc sanctitatem esse credidit et non erravit. Qui[5] igitur hunc Christi imitatorem praecipuum, ipsius insignitum stigmatibus, ascriptum catalogo Sanctorum et ab universa Ecclesia in veneratione susceptum asserit errore deceptum fuisse, maxime in professione et observantia evangelicae vitae, non solum ipsum impugnat, verum etiam universalem Ecclesiam, et quod plus est, Magistri veritatis et Apostolorum eius do- ...adver- ...niaria. ctrinam blasphemat et vitam. — Insuper, et professores huius Regulae tanquam approbatores erroris, ut alter Aman[6] superbissimus, dignos esse iudicat sententia temporalis mortis et sempiternae damnationis. Super qua quidem absurditate, quam aures piae audire vehementer abhorrent, ipsis zelatoribus paupertatis sanctae magis lugendum credimus quam loquendum, magis *spiritualis Esther*[7] implorandum praesidium quam versandum in pugna verborum.

16. Te igitur, sacrosancta Romana Ecclesia, tanquam alteram Esther elevatam in populis ut Ecclesiarum omnium matrem, reginam atque magistram ad docendam et defensandam tam morum quam fidei veritatem, fiducialiter interpellat tuorum pauperum coetus, ut quos genuisti ut mater, educasti ut nutrix, nunc etiam ut regina potenter[8] ac iuste defendas; cum idcirco, dispositione faciente divina, pontificalis ac regiae dignitatis verticem supremum adipisci merueris, ut in arduis necessitatis articulis ad defensandum Christi populum parareris. *Exsurge* igitur, sancta mater, et *iudica causam tuam*[9], quia, si pauperum hic Ordo Minorum recte profitetur veritatem Evangelii, tuum est; si a veritate in professione a te sancita deviat, tuum est; ac per hoc, si professioni huiusmodi sanctae error impingitur, tu, quae illam sanxisti, errasse assereris; et quae magistra veritatis hactenus exstitisti, nunc de approbatione erroris argueris et a quibusdam modernis praesumtoribus velut iuris divini et humani nescia derideris. Obtestatio Ecclesiae Romanae.

17. Sed et tu, Regina mundi dignissima, defensatrix pauperum et humilium advocata, longe sublimius quam Esther exaltata in populis et praeparata in tempore, Mardochaei tui, Francisci videlicet, excitare clamoribus, ut interpellare digneris ad Regem, quatenus pauperum statum, quem tibi voluit esse consimilem et speciali quadam germanitate coniunctum, sacris tuis exemplis et[10] meritis clarificet et conservet. Quid enim magis dat paupertatis amori fomentum magisque ipsius declarat praerogativam et gloriam, quam tua forma vivendi, beatissima Virgo et Mater Domini nostri Iesu Christi, quae adeo fuisti paupercula, ut sicut historia Evangelii[11] sacra testatur, in ipso sacratissimo partu non haberes, ubi reclinares Deum caeli et Dominum exercituum nisi in via publica itinerantium et praesepio iumentorum? Porro, si tu Virgo sanctissima, omnis es perfectionis exemplar, sicut perfectis imitanda est Item, B. V. Mariae.

---

[1] Matth. 10, 9; Marc. 6, 8; Luc. 9, 3. Cfr. supra c. 7. n. 9-12, ubi testimonia Sanctorum allegata sunt.

[2] Epist. II. Cor. 11, 27. — Inferius pro *hoc docere* Vat. cum ed. 1 *hoc dicere*.

[3] Sive c. 9. n. 13. seqq.

[4] Respicitur sententia Gregorii supra c. 7. n. 24. allata et explicata. — Edd. prosequuntur: *vel quia pecunia et contrectari possit et non possit* etc.

[5] Edd. *Quod*, quae etiam inferius pro *verum etiam universalem Ecclesiam, et quod plus est* substituunt *et universalem Ecclesiam, sed quod plus est*.

[6] Esther 3, 6. seqq.

[7] Cfr. Esther c. 4. seqq.

[8] Ita B C G; edd. *patenter*, quae etiam inferius pro *dignitatis* (ita A B C G) substituunt *potestatis*.

[9] Psalm. 73, 22.

[10] Fide A B C D G supplevimus *exemplis et*.

[11] Luc. 2, 7.

tua cum virginitate humilitas [1], sic etiam penuriosa paupertas. Constat autem tam per Evangelii textum [2] quam per assertionem doctorum, quod tu in extrema vixisti temporalium facultatum inopia, cum Chrysostomus dicat, quod vix unam haberes tuniculam, non ad decoris ornatum, sed ad nuditatis tegumentum; et Beda, quod in oblatione et praesentatione Regis regum in templo nec unum valueris offerre agniculum, ideo more pauperum obtulisti *par turturum, aut duos pullos columbarum* [3]. Qui igitur desiderio, professione, signaculo habitus et observantiae veritate in hac tibi pauperie configurari studiosius satagunt vere sunt de tuorum numero spiritualium Iudaeorum, quorum *circumcisio non est in carne, sed in spiritu* [4] per hilarem supportationem multiformium penuriarum et universalem abdicationem omnium temporalium facultatum. — Hos igitur vere ac peculiariter tuos pie digneris, misericordiae Regina, fovere [5], ab hostili quoque incursu potenter eripere et adversus hunc hostem ipsorum pessimum triumphaliter dimicare, non ut cum Aman suspensus intereat, sed ut eius humilietur superbia, damnetur error, illustretur intelligentia, rectificetur voluntas, et *spiritus salvus fiat* [6].

Capitulum XII.

Quartae responsionis tertia particula duodecimumque capitulum, in quo evangelizantium pauperum fructificatio multiformis ostenditur, eorumque status a multiplicibus cavillationum versutiis defensatur.

Increpatur malitia adversarii.

1. Multiformis calliditatis nequitia serpens antiquus [7], sanctae matris Ecclesiae partui semper insidias parans, vetustam Pharaonis impietatem novissimis his diebus renovare conatur, dum per hominem quendam, Aegyptiacae fraudis malignitate repletum, adversus ecclesiasticam prolem suggerere satagit, quidquid masculini sexus natum fuerit in flumen proiici, quidquid feminei, reservari. Quid enim est aliud rationes ad virilem sanctae paupertatis spiritum inducentes calumniando refellere quam [8] effeminatorum cordium phantasias, quibus emollientium divitiarum affluentia commendatur, approbando roborare? Ad quae duo calumniator hic pauperum in hac extrema operis sui parte omnes sui vires conflat ingenii, quosdam cavillationum nodos [9] iam pro maxima parte in praecedentibus dissolutos frequentius replicans ad oppressionem pauperum Christi, quatenus, spiritu paupertatis exstincto, spirituales Israelitae multiplicari non possint; frustra tamen, quia divina opitulante clementia, ut veritas a figura non discrepet, quanto magis oppressi fuerint, tanto magis excrescent [10].

2. Et ne quis haec velut nostram adinventionem parvipendat, audiat Bernardum in sermone vigesimo quarto [11] sic dicentem: « Si quid ad salutem pertinens, si quid religionis oritur, quicumque resistit, quicumque repugnat, plane cum Aegyptiis parvulos Israelitici generis necare conatur, immo cum Herode nascentem persequitur Salvatorem ». Nequaquam igitur casu, sed providentia Dei gestum esse credendum est, quod instar Ioseph descendentis in Aegyptum ad custodiendas et distribuendas alimonias corporum, quem ut vere *filium accrescentem* crescere fecit Deus in terra paupertatis suae [12], status evangelizantium pauperum mitteretur in mundum ad conservanda et dispensanda documenta Scripturarum tanquam alimenta spirituum, qui etiam et sacerdotum Christi curam gregis habentium cooperatores existerent in his quae spectant ad salutem animarum.

---

[1] Bernard., Homil. 1. super *Missus est*, n. 6: Non omnium quidem est virginitas, multo tamen pauciorum est cum virginitate humilitas. Si igitur virginitatem in Maria non potes nisi mirari, stude humilitatem imitari, et sufficit tibi. Quodsi et virgo et humilis es, quisquis es, magnus es.

[2] Luc. 2, 7. — Sententia Chrysost. et Bedae allegata est supra c. 7. n. 7.

[3] Luc. 2, 24.

[4] Rom. 2, 28. seq.: Non enim qui in manifesto, Iudaeus est, neque quae in manifesto, in carne, est circumcisio, sed qui in abscondito, Iudaeus est; et circumcisio cordis in spiritu, non littera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Cfr. Philip. 3, 3. seqq.

[5] Ita A B C G; edd. *pio digneris misericordiae Regina favore*, subinde omisso *quoque*.

[6] Epist. 1. Cor. 5, 5: Ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Iesu Christi. Edd. contra A B C D G *ut spiritus*, quae etiam superius pro *error* (ita A B) substituunt *protervia*.

[7] Cfr. Gen. 3, 1. et Apoc. 12, 4. — Subinde respicitur Exod. 1, 22: Praecepit ergo Pharao omni populo suo dicens: Quidquid masculini sexus natum fuerit in flumen proiicite, quidquid feminini, reservate.

[8] Vat. cum ed. 1 *revellere quam;* nonnulli codd. *refellere et*. Subinde pro *quibus* Vat. *qui*, et pro *roborare* A *reprobare* (B C verbum exhibent illegibile).

[9] Ita C D; edd. *modos*.

[10] Exod. 1, 12: Quantoque opprimebant eos [filios Israel], tanto magis multiplicabantur et crescebant. — Edd. contra A B C G *accrescent*.

[11] Qui nunc est serm. 3. in Epiphania Domini, n. 3. Pro *serm. 24.* (ita B C D et ed. 1) A *serm. 34;* Vat. et ed. 2 *serm. 5.* Vocibus *quicumque resistit* A B C D G et ed. 1 praefigunt *si quis*, et pro *generis* textus originalis substituit *germinis*.

[12] Gen. 41, 52: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meae. De praecedentibus cfr. Gen. 37, 28. (de Ioseph descendente in Aegyptum); 41, 47. seqq. (de Ioseph congregante et distribuente alimonias); 49, 22: Filius accrescens Ioseph etc. Exod. 1, 1. seqq. Vide etiam Sap. 10, 13. seqq.

ixus ormis chicus.

3. Est autem sacerdotalis officii opus praecipuum reductio plebium subiectarum in Deum per septiformem influxum hierarchicum [1], videlicet per *eruditionem credibilium*, per *instaurationem virtutum*, per *exhibitionem exemplorum*, *interventionem precum*, *curationem plagarum hostilium*, *praenuntiationem insidiarum* et *repulsationem hostilitatum*. Et hoc quidem septiforme opus sacerdotale Scriptura sacra declarat sub septiformi metaphora scilicet *architecti*, *agricolae*, *pastoris*, *fideiussoris*, *medici*, *speculatoris* et *ducis*.

primo.

Describit igitur primo sub metaphora *architecti* pontificale officium propter *eruditionem credibilium*, secundum illud ad Corinthios [2]: *Ut sapiens architectus fundamentum posui.* Quod enim sunt lapides in aedificio sunt articuli fidei in animo, in quo habitat Christus tanquam in templo suo, secundum illud Apostoli ad Ephesios [3]: *Superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino;* et paulo post: *Christum habitare per fidem in cordibus vestris.* Ac per hoc, sicut se habet aedificator ad aedificium, sic et sacerdos ad populum in fidei veritate fundandum et promovendum.

cundo.

Secundo, sub metaphora *agricolae* propter *instaurationem virtutum*, quas irrigare debet per documenta Scripturarum, secundum illud Apostoli ad Corinthios [4]: *Ego plantavi, Apollo rigavit.* Si enim ecclesiasticus populus hortus est et paradisus plantatus et virens multiformitate virtutum, recte informator plebium in doctrina morum dicitur *agricultor* designatus per hominem primum, quem *posuit Deus* [5] *in paradiso, ut operaretur et custodiret illum.*

tertio.

4. Tertio, sub metaphora *pastoris* propter *exhibitionem exemplorum*, secundum illud Domini in Ioanne [6]: *Qui intrat per ostium pastor est ovium, et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit;* quod quidem facit, cum eas per sanctitatis exemplum praecedit. Ideo Petrus, cui Dominus dixerat [7]: *Pasce oves meas,* hortatur seniores sive presbyteros, ut pascant populos sibi commissos *tanquam facti forma gregis ex animo.* Haec autem est *forma* secundum documenta Sanctorum [8], ut quantum pastor est praecellens respectu gregis, tantum vita sacerdotalis sit sanctior et sublimior vita plebis.

De quarto.

Quarto, sub metaphora *fideiussoris* propter *interventionem precum* ad Deum, secundum illud Apostoli ad Hebraeos [9]: *Omnis namque pontifex ex hominibus assumtus, pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Agit igitur pontifex causas hominum apud Deum; agere etiam debet causam Dei apud hominem suae curae commissum, secundum illud tertio Regum [10]: *Custodi virum istum; qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius.* Propter quod Sapiens in Proverbiis: *Fili, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum animam tuam.*

De quinto.

5. Quinto, sub metaphora *medici* propter *curationem plagarum hostilium*, secundum illud quod insinuat Lucas [11] in parabola illius qui *incidit in latrones*, quod *Samaritanus alligavit vulnera eius, infundens oleum et vinum*, designans per *Samaritanum* ipsum medicum Christum et eos qui tenent locum eius in expurgatione vitiorum. Propter quod et Iacobus [12] dicit: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo, et oratio fidei salvabit infirmum, et si in peccatis sit, dimittentur ei.*

De sexto.

Sexto, sub metaphora *speculatoris* propter *praenuntiationem imminentium periculorum*, secundum illud Ezechielis [13]: *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel;* de quo et consequenter adiungit: *Quodsi gladium supervenientem*, hoc est imminentia discrimina tentationum, suae curae commissis *annuntiare neglexerit, sanguis animarum illarum de suis manibus requiretur.*

De septimo.

Septimo, sub metaphora *ducis* ferentis vexillum ad *repulsionem hostilitatum* instar illius nobilis Machabaei [14], *qui induit se loricam sicut gigas et*

---

[1] De triplici principali actu hierarchico cfr. supra pag. 3, nota 4.

[2] Epist. I. c. 3, 10; cfr. supra pag. 272, nota 1.

[3] Cap. 2, 20. seq. et deinde 3, 17.

[4] Epist. I. c. 3, 6.

[5] Ut dicitur Gen. 2, 15.

[6] Cap. 10, 2. et 4.

[7] Ioan. 21, 17. — Sequitur I. Petr. 5, 2. seq.: Pascite qui in vobis est gregem Dei... forma facti gregis ex animo.

[8] Cfr. supra c. 3. n. 23. seqq. Vide etiam Gratian., dist. 40. per totam.

[9] Cap. 5, 1.

[10] Cap. 20, 39; cfr. supra pag. 251, nota 2. — Subinde allegatur Prov. 6, 1, ubi pro *animam tuam* Vulgata *manum tuam*, Card. Hugo *manum tuam vel animam tuam.* Gregor., Regul. pastoral. p. III. c. 4: *Spondere* namque *pro amico* est alienam animam in periculo suae conversationis accipere; unde et *apud extraneum manus defigitur*, quia apud curam sollicitudinis, quae ante deerat, mens ligatur. Idem insinuat Rabanus (ex quo Glossa *ordinaria*) in Prov. 6, 1.

[11] Cap. 10, 30. et 34. Gregor., Regul. pastoral. p. II. c. 6 circa finem: Per Samaritani studium semivivus in stabulum ducitur, et vinum atque oleum vulneribus eius exhibetur, ut per vinum scilicet mordeantur vulnera, per oleum foveantur. Necesse quippe est, ut quisquis sanandis vulneribus praeest, in vino morsum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis, qualenus per vinum mundentur putrida, per oleum foveantur sananda. Miscenda ergo est lenitas cum severitate etc. Cfr. supra pag. 136, nota 4. — Inferius vocibus *per Samaritanum* DG interserunt *huiusmodi.*

[12] Cap. 5, 14. et 15. Vulgata hinc inde pauca interserit et substituit *remittentur* pro *dimittentur.*

[13] Cap. 3, 17. (cfr. 33, 7.) et 33, 6: Quodsi speculator viderit gladium venientem et non insonuerit buccina, et populus se non custodierit, veneritque gladius et tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. — Pro *imminentia* G *imminentium.*

[14] Scilicet Iudae Machabaei, de quo I. Mach. 3, 3.

succinxit se arma bellica et protegebat castra gladio suo. Praeest enim Ecclesiae, quae est *terribilis sicut castrorum acies ordinata* [1], et deputatur ad Salomonis lectulum custodiendum, *quem sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi.* — Est itaque opus sacerdotalis officii septiforme, sicut dictum est.

6. Si igitur propter multitudinem errantium a fide christianus populus iam factus est similis aedificio ruinoso, quis *providus* [2] *architectus* coaedificantes et consustentantes repellet, nisi adeo sibi sapiens videatur, quod solus sibi sufficiat, vel adeo stultus sit, quod velit, ut sub manu sua domus ecclesiastica ruat? — Item, si propter defectum sapientiae et virtutum in plebeiis hominibus comparatur ipsa plebs horto inculto et spinoso et arido, quis *diligens et laboriosus agricola* collaborantes servos repellet, maxime qui laborant in opere et doctrina, nisi in tantum desipiat, ut velit, quod *super humum* suam *et spinae et vepres ascendant* [3]? — Praeterea, si propter deviationem a semitis divinarum legum multitudo populi christiani similis est gregi errabundo et perdito et in medio luporum constituto, quis *clemens pastor* fugabit a se harum ovium reductores ad viam, et non potius gaudebit cum Angelis exemplo boni pastoris, qui dicit [4]: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem, quae perierat?* — Amplius, si propter multitudinem reatuum plebis transgredientis mandata Dei populus christianus similis est viris alieno aere oppressis [5], quis *fideiussor sensatus* abhorrebit huius oneris alleviationem per multiplicationem intercessorum ad Deum partim impetrantium remissionem, partim inducentium et adiuvantium ad solutionem spiritualium debitorum? — Insuper, si propter varietatem perversitatum in populo tanta est tabes, tanta pestilentia spiritualis, ut quasi *omne caput languidum et omne cor moerens* [6], ita quod *a planta pedis usque ad verticem* vix *est in eo sanitas*, quis *fidelis medicus*, non dico peritos homines in arte spiritualis medicinae, sed vel canes ulcera lingentes audebit effugare, nisi vulneratorum atque languentium vitam velit exstinguere? — Adhuc, si propter multiformitatem tentationum undique circumstant insidiae crudelium hostium, et quasi super capita civium gladii iam vibrantur; quis *providus speculator* in profundae et horridae [7] noctis teterrimis tenebris habere secum vigiles recusabit, qui castra custodiant? — Postremo, si propter scandalorum frequentias, adinventiones scelerum et inimicorum tyrannides innumerabilis multitudinis strages quasi continue fit in castris fidelium, et draco cum bestia multiformium capitum [8] ecclesiasticam aciem nititur oppugnare, ut truculenter discerpat, occidat et devoret; quis *prudens dux* exercitus Domini recusabit commilitones secum dimicantes habere, qui ultro se discrimini offerant et *murum pro domo Israel* se ipsos opponant?

Margin notes: Applicatio harum metaphorarum. Primae. — Secundae. — Tertiae. — Quartae. — Quintae. — Sextae. — Septim[a]

7. Porro, quia affectus pontificis sive sacerdotis ad plebem debet esse consimilis affectui *patris* ad filium, *matris* ad prolem, *nutricis* ad infantem, sicut Apostolus [9] manifeste declarat, qui fideles per ipsum conversos modo se dicit *in Christo genuisse,* modo *ut filios parturire,* modo sicut *parvulos in Christo lactare;* quemadmodum filium pauperculum sustentari, invalidam prolem foveri et gementem lacte potari [10] nequaquam est patri vel matri vel nutrici molestum, sed desiderabile, carum et placitum: sic etiam omnibus sacerdotibus sanctis et piis magnum debet esse solatium, quoties salus procuratur plebium subiectarum. Propter quod Dominus in Matthaeo [11] Apostolos alloquens et successores eorum: *Messis,* ait, *quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam,* insinuans, quod bonorum pontificum non tam est patienter ferre quam desideranter appetere cooperatores evangelistas ad multitudines divinarum messium colligendas.

8. Quod attendens Christi Vicarius Petrique successor [12], utpote sancti Spiritus illustratione praeventus, statum hunc evangelizantium pauperum, qui saluti animarum intenderent, tanquam caelitus sibi missum cum hilaritate suscepit, pietate confovit, auctoritate roboravit et potestate defendit et ut Patriarcha Iacob [13] tanquam filios accrescentis Ioseph multipliciter benedixit, pie in hoc providens saluti animarum et in nullo praeiudicans auctoritati pontificum [14], tanquam ornans, non deordinans ecclesiasticam hierarchiam. Tanta enim erat in adventu

Margin notes: Aliae [...] metaph[...] — Notand[um] — Propt[...] ratione [...] pa hu[...] diuem [...] gnesus [...]

---

[1] Cant. 6, 3. et subinde 3, 7. seq. [2] Cod. G *sapiens.*

[3] Isai. 32, 13: Super humum populi mei spinae et vepres ascendent.

[4] Luc. 15, 6. — Superius pro *Praeterea* Vat. perperam *Propterea,* et pro *propter deviationem* A *per deviationem.*

[5] Cfr. I. Reg. 22, 2, ubi ad David convenerunt « omnes, qui erant in angustia constituti et oppressi aere alieno... et factus est eorum princeps ». — Subinde pro *huius oneris* C *huiusmodi oneris.*

[6] Isai. 1, 5. et deinde v. 6, post quem respicitur Luc. 16, 21: Sed et canes veniebant et lingebant ulcera eius [Lazari].

[7] Ita A B; edd. *horrendae.*

[8] Apoc. 13, 1: Et vidi de mari bestiam ascendentem habentem capita septem etc. — Deinde respicitur Ezech. 13, 5.

[9] Epist. I. Cor. 4, 15: Per Evangelium ego vos genui Gal. 4, 19: Filioli mei, quos iterum parturio etc.; I. Cor. 3, 2: Lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis etc. Cfr. Hebr. 5, 12. seqq. — Superius pro *sive* C G *seu.*

[10] Edd. contra codd. *et gementem infantem lactari.* Inferius pro *desiderabile* G *delectabile.*

[11] Cap. 9, 37. et 38.

[12] Scilicet Innocent. III. (et postea Honorius III.; cfr. supra pag. 292, nota 12.). Vide Bonav., Legenda S. Francisci, c. 3. et 4.

[13] Gen. 49, 22. Iacob benedicens Ioseph ait: Filius accrescens Ioseph, filius accrescens et decorus aspectu etc.

[14] Cfr. supra pag. 314, nota 1. — Inferius pro *deordinans* (ita B) edd. *deornans.*

…tas o-…iorum. huiusmodi pauperum praedicantium raritas, ut illud evangelicum [1] videretur impleri: *Messis quidem multa, operarii autem pauci.* Quod pertractans Gregorius ait: « Ecce, mundus sacerdotibus plenus est, et tamen in messe Dei rarus invenitur operarius. Nam, etsi sunt qui bona audiant, desunt qui dicant, quia officium quidem sacerdotale suscepimus, sed opus officii non implemus ».

…gorius.

9. Quantum vero praedicationis opus sit Ecclesiae necessarium, in se pium et Deo acceptum, manifeste ostendit Chrysostomus super Matthaeum homilia vigesima septima [2], illud tractans verbum dominicum, quod discipulo dixit patrem sepelire volenti: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos, tu autem vade et annuntia regnum Dei.* Ait enim: « Nunquid non erat ingratitudinis naturae non adire, cum sepeliretur pater? Prohibuit ergo eum, monstrans, quod nihil caelestibus negotiis magis necessarium esse oporteret et neque parum tardare, etsi valde inevitabilia et incitantia fuerint quae retrahunt ». Cum igitur *sepelire patrem* sit magnae pietatis opus; et secundum sapientiae divinae dictamen maiori bono minus praeferri non debet: relinquitur, quod maioris pietatis est praedicare verbum salutis quam facere opus quantumcumque misericordiae corporalis [3]; digne quidem, pro eo quod spiritualiter per ipsum cibatur et potatur, vestitur et hospitio colligitur, ab infirmitate relevatur et a vinculis et morte redimitur spiritus ad imaginem Dei factus. Et ideo, cum gravis sit sceleris prohibere quemquam ab operibus pietatis et misericordiae corporalis, longe maioris impietatis erit atque perfidiae divini verbi ministris idoneis impedimenta praebere. Pensatis igitur multiformi utilitate atque necessitate salutis animarum, numerositate indigentium plebium et raritate sufficientium ministrorum, nulli debet videri iniuriosum neque superfluum, si *caelesti* hierarchiae complacuit, aliquos ad hoc opus, etsi non necessitate constrictos, sed caritate inductos, eligere, quos et *subcaelestis* hierarchia voluit et debuit approbare [4].

(Margin: …rsosto-…mus. — …amen-…um.)

Obiectiones. 10. Quodsi cui forte videtur ordini dispositionis hierarchicae nequaquam esse conveniens, monasticam vitam professos ad opus praedicationis assumi, pro eo quod Dionysius [5] dicit, monachos in ecclesiastica hierarchia non habere statum perficientium, sed perficiendorum; et Hieronymus [6] asserit, quod « monachus non docentis, sed lugentis habet officium »; et Canones sacri decernunt, quod monachi, iuxta sui nominis interpretationem solitariae vitae deputati, intendere debent saluti propriae, non alienae: intelligat, huiusmodi dicta Patrum et Canonum de ordine monastico pro eo tempore fuisse pronuntiata, quo erant inter eos personae laicales et imperitae, non sacerdotales et litteratae. Nam sicut idem vir hierarchicus [7] docet, quod « monachorum est purgari, illuminari et perfici »; sic etiam illud non reticet, quod « purgare, illuminare et perficere ad ordinem spectet sacerdotalem ». — Insuper, et professio huiusmodi pauperum non parum distat a professione monachorum; et quod maius est, huiusmodi hierarchica opera non peragunt auctoritate sua, sed Ordinariorum et potissime summi Pontificis, cuius dispositionis auctoritas iura omnia positiva transcendit [8].

Respondetur ratione prima. — **Secunda et tertia.**

Legitima missio. 11. Nec ad hoc feruntur secundum propriae voluntatis arbitrium, sed iuxta mandatum superiorum, a quibus instituuntur, regulantur, castigantur et transmittuntur ut veri filii obedientiae, non ut gyrovagi vel sarabaitae [9], non secundum numerum vagum

---

[1] Matth. 9, 37. — Sententia Gregorii habetur I. Homil. in Evang. homil. 17. n. 3, ubi tamen ordo propositionum aliter exhibetur.

[2] Alias 28. n. 3, ubi exponit Matth. 8, 22: Sequere me et dimitte, mortuos sepelire mortuos suos. Cfr. Luc. 9, 60: Sine, ut mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade et annuntia regnum Dei. Textus originalis plura interserit.

[3] Cfr. Bonav., Comment. in Luc. c. 9. n. 108, ubi sententia Ambrosii exhibetur secundum Glossam *ordinariam* (ex Beda): « Minora bona pro utilitate maiorum esse praetermittenda. Maius est enim animas mortuorum praedicando suscitare quam corpus mortui in terra abscondere ». Idem probatur ibidem diversis textibus Scripturae. — Subinde respicitur Matth. 25, 35. seqq., ubi de operibus misericordiae.

[4] De divisione hierarchiae in *caelestem* et *subcaelestem* cfr. Bonav., II. Sent. d. 9. Praenotata (pag. 240, col. I.) et Breviloq. Prolog. § 3. — Pro *caelesti hierarchiae* et *subcaelestis hierarchia* ed. 1 et 2 *caelesti hierarchae* et *subcaelestis hierarcha*.

[5] De Ecclesiastica Hierarchia, c. 6. § 3, ubi secundum versionem abbatis Vercellensis: Summus autem inter eos qui perficiuntur et non perficiunt, est ordo monachorum.

[6] Libr. contra Vigilantium, n. 16: Monachus autem non doctoris habet, sed plangentis officium. Pro *lugentis* (ita A B C) edd. *plangentis*. Haec Hieron. sententia allegatur a Gratiano Caus. 16. q. 1. c. 4; canones, qui sequuntur, decernunt, quod monachus solitariam vitam ducere debeat neque se immisceat in officia exteriora. In fine c. *Placuit* (8.) respicitur haec etymologia nominis monachi: Agnoscat nomen suum, μόνος enim Graece, Latine est *unus*; ἄχος Graece, Latine *tristis* sonat. Inde dicitur monachus, id est unus tristis. Sedeat igitur tristis et officio suo vacet. Cfr. ibid. c. *Si cupis* (5.) ubi dicitur: Monachus, id est solus; c. *Placuit* (1.): Monachus enim Graece, Latine *singularis* dicitur.

[7] Scilicet Dionysius, loc. cit. c. 6. § 3. (de monachis) et c. 5. § 3. et 6. seq.

[8] Cfr. supra c. 11. n. 10. 11.

[9] Du Cange, Glossarium etc.: *Gyrovagi* proprie appellati monachi, qui, monasteriis suis relictis, per diversas cellas, nescio qua pietatis vana specie, vagabantur, de quibus ita Regula S. Benedicti, c. 1: Quartum genus est monachorum, quod vocatur *gyrovagum*, quia tota vita sua per diversorum cellas hospitantur, semper vagi et nunquam stabiles et propriis voluptatibus et gulae illecebris servientes etc. Cfr. August., Enarrat. in Ps. 132. n. 3, ubi *circelliones* vel *circumcelliones* vocantur, quorum descriptionem (ex August., de Opere monachor. c. 28. n. 36.) affert Isidor., II. de Ecclesiast. Officiis, c. 16. n. 7. — *Sarabaitae*, ut notat Du Cange, sunt monachi, « qui nulla Regula approbati, adhuc operibus servantes saeculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur, qui interdum bini aut terni » passim per urbes aut castella proprio arbitratu vivunt, ut est in Regula S. Benedicti, c. 1. Cfr. Beda, in Act. 5, 5, ubi insinuat, sarabaitarum originem reducendam esse ad Ananiam et Saphiram. Idem docet Isidor., II. de Ecclesiast. Officiis, c. 16. n. 9, adiungens, quod isti monachi « Aegyptiorum

et infinitum, sed secundum certum et determinatum; atque utinam plures essent idonei, qui possent assumi non in uno angulo terrae, sed potius in universalis Ecclesiae latitudine! Nimirum hoc desiderare deberet coetus pontificum ac cuilibet illos prohibere volenti id respondere, quod dixit Moyses ad Iosue [1]: *Quid, inquit, aemularis pro me? Quis det, ut omnis populus prophetet, et det eis Deus spiritum suum?* Quamdiu ergo huiusmodi pauperes leges divinas custodiunt et evangelica consilia servant, quae promiserunt, et saluti animarum intendunt et sanctae matri Ecclesiae humiliter subsunt; si quis eos repudiandos censeat velut pseudopraedicatores et seductores et gyrovagos et *penetrantes domos* [2]: subiacere debet iustae damnationis iudicio tanquam ecclesiasticae auctoritatis contemptor, fraternae gratiae invidus et veritatis evangelicae impugnator.

Optandi adhuc plores.

12. Ceterum, ut via praecludatur erroribus, respondendum est cavillationibus quibusdam magis apparentibus, quibus calumniator hic pauperum vitam ipsorum in hac extrema sui operis parte depravare [3] molitur, videlicet propter *defectum laboris manuum, abdicationem bonorum communium* et *mendicationem eleemosynarum.*

Cavillationes adversarii circa tria.

Nam ex eo quod Apostolus ad Thessalonicenses [4] quibusdam praecipit, ut *cum silentio panem suum manibus operando manducent;* et huiusmodi pauperes manualiter non laborant: ideo ipsos nititur redarguere et de otiositate vitae et de mandati apostolici transgressione. — Ad quod nos e contrario respondemus, quod, sicut patet ex textu [5], non praecipit Apostolus laborem manualem *omnibus generaliter* — quia tunc omnes, qui non vacant huiusmodi laboritiis, essent in statu damnationis, inter quos et ipse calumniator se ipsum involvit — sed *quibusdam* dumtaxat *otiose, curiose* et *inquiete* viventibus opus manuum imperat, ne blanditiis adulationum et turpi quaestu victum sibi conquirant, cum dispendio salutis propriae et impedimento salutis [6] alienae.

Primo, ob defectum laboris manuum.

Responsio.

13. Verum, quia huiusmodi pauperes, qui suis et proximorum animabus salvandis intendunt secundum septiformem operationem hierarchicam in antedictis [7] expressam, id perficere nequeunt sine adminiculo Scripturarum; ad quarum praeclaram intelligentiam pervenire non possunt nisi per studium sapientiale, quod consistit in legendo, meditando, orando, contemplando, audiendo, conferendo, praedicando; ideo recte competit eis huiusmodi studii spiritualis operatio septiformis. Et quia difficultas huius studii totum hominem requirit, iuxta quod designatum est in Exodo [8], ubi praecepit Dominus, quod *vectes*, quibus ferenda esset arca, *semper essent in circulis* — quod exponens Gregorius ait [9]: « Qui ad officium praedicationis excubant a lectionis studio nunquam recedant; ignominiosum est enim, si tunc quis quaerat discere, cum debet quaestiones enodare » — ideo, qui huic studio septiformi sollicite intendunt, quia magis est sublime in se, difficile menti, expediens Ecclesiae et necessarium plebi, etiam si non laborent operibus manuum, digni tamen sunt, ut ab Ecclesia sustententur, secundum illud Deuteronomii [10]: *Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas;* Glossa: « Victum non subtrahes praedicatori, ut vacet orationi et praedicationi »; et alia Glossa ibidem: « Occupati in doctrina non possunt sibi providere necessaria ». — Ex quibus lucide [11] constat, quod studium sapientiae cum vigilantia praedicationis manualem laborem plene recompensat.

Aliam laborem Ordo habet.

Intendium studii sapientis.

Notandum.

14. Huic et sacer Ambrosius consonat super illud Lucae [12]: *Maria optimam partem elegit,* dicens: « Nec arguas eos otiosos et iudices, quos videas studere sapientiae; hanc enim sibi cohabitantem Salomon pacificus adscivit ». Denique Apostoli [13] non putaverunt *aequum relinquere verbum Dei et ministrare mensis.* — Huic etiam concordat Hieronymus in Prologo super Iob: « Si autem fiscellam iunco texerem aut palmarum folia complicarem, ut *in sudore vultus mei comederem panem* [14] et ventris opus sollicita mente tractarem; nullus morderet, nemo reprehenderet; nunc autem, quia iuxta sententiam Salvatoris operari volo *cibum, qui non perit,* falsarius vocor ». — Ad idem quoque facit quod super

Confirmatio Ambrosius.

Hieronymus.

Augustinus.

---

lingua *sarabaitae*, sive *remobothitae* nuncupantur ». Posteriorem nominationem affert Hieron., Epist. 22. n. 34; priorem Cassian., Collat. 18. c. 7, insinuans, quod ideo *sarabaitae* nominati sunt, quia « semetipsos a coenobitarum congregationibus sequestrarent ac sigillatim suas curarent necessitates ». Sabaraitae, ut alii volunt, idem est ac *renuitae* sive renuentes aliorum disciplinam. Vide Bonav., Qq. disput. de Perfect. evang. q. 2. a. 3. ad 12.

[1] Num. 11, 29, ubi pro *Quis det* Vulgata *Quis tribuat.*

[2] Epist. II. Tim. 3, 6: Ex his [qui speciem solum pietatis habent] enim sunt, qui penetrant domos etc.

[3] Cod. B *damnare.*

[4] Epist. II. c. 3, 12. Pro *manibus operando* Vulgata *operantes.* Cfr. Bonav., Qq. disput. de Perfectione evangel. q. 2. a. 3, in quo fusius hac de re agitur.

[5] Vers. 11. seq.: Audivimus enim, inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. His autem, qui eiusmodi sunt, denuntiamus... ut cum silentio operantes etc.

[6] Vat. omittit *propriae et impedimento salutis.*

[7] Num. 3. seqq. — Inferius pro *conferendo* edd. *referendo.*

[8] Cap. 25, 15. — Superius pro *huius* G *huiusmodi.*

[9] Regul. pastoral. p. II. c. 11: Qui ad officium praedicationis excubant a sacrae lectionis studio non recedant. Ad hoc namque *vectes esse in circulis semper* iubentur, ut, cum portari arcam opportunitas exigit, de intromittendis vectibus portandi tarditas nulla generetur; quia videlicet, cum spirituale aliquid a subditis pastor inquiritur, ignominiosum valde est, si tunc quaerat discere, cum quaestionem debet enodare.

[10] Cap. 25, 4. Duae seqq. Glossae sunt *interlinearis* (apud Lyranum, ubi vocibus *ut vacet* interseritur *totus*) et *ordinaria* (ex Isidor., Qq. in Deut. c. 7. n. 2.).

[11] Ita codd.; edd. *breviter.*

[12] Libr. VII. in Luc. 10, 42. n. 85: Nec arguas eos et otiosos iudices... Salomon ille *pacificus* [cfr. I. Paral. 22, 9.] adscivit [cfr. III. Reg. 3, 11. seq.]. Pro *adscivit* edd. *acquisivit.*

[13] Act. 6, 2. Pro *aequum* edd. *optimum.*

[14] Gen. 3, 19. — Subinde allegatur Ioan. 6, 27, post quem textus originalis plura addit. Cfr. tom. V. pag. 144, nota 6.

illud Psalmi[1]: *Defecerunt oculi mei*, dicit Augustinus: « Non est otiosus qui tantum verbo Dei studet, nec pluris est qui extra operatur, quam qui studium cognoscendae veritatis exercet. Ipsa etiam sapientia maximum opus est, et antefertur Maria, quae audiebat, Marthae, quae ministrabat ». Haec Augustinus. — Cui etiam concordat Anselmus[2], in libro de Similitudinibus ita dicens: « Tres sunt hominum ordines: *orantes, agricultores* et *defensores*, quos ad diversa officia Deus in hoc mundo disposuit: *monachos*, ut pro aliis orent et lacte praedicationis enutriant; *agricultores*, ut de suo labore ipsi et alii vivant; *milites*, ut utrosque defendant ». Si igitur nobilius est opus monachorum quam agricultorum seu militum; et illi officiis suis intendentes stipendia sua iuste merentur: multo magis et hi qui orando Deo assistunt et ad proximos praedicando condescendunt.

15. Nec his obstat Augustinus, de Opere monachorum, cum ibi loquatur contra quosdam haereticos principaliter, qui vocabantur Euchitae[3], asserentes, « monachis non licere sustentandae vitae causa aliquid operari », male intelligentes Evangelium Christi, quos sacer Doctor per Apostoli documenta convincit. Simul etiam arguit monachos illos qui, cum pro maiori parte essent laici nec praedicationi nec saluti animarum intenderent, non tamen volebant corporaliter operari, et quamquam fuissent in saeculo laboriosi et pauperes, iam professi monasticam vitam, ab aliis sumtus accipere non solum licitum sibi, sed etiam debitum esse censebant. Contra quos Augustinus[4]: « Isti, inquit, fratres temere sibi arrogant, quantum aestimo, ut huiusmodi habeant potestatem. Si evangelistae sunt, fateor habent; si ministri altaris, si dispensatores Sacramentorum, si saltem aliquid habebant in saeculo, quo facile sine artificio sustentarent hanc vitam, quod indigentibus dispertiti sunt; credenda est eorum infirmitas et ferenda ». Haec Augustinus.

16. Ex quibus colligitur, quod quatuor generibus hominum digne et iuste competit ab aliis pasci, quamquam propriis manibus possint laborare, scilicet qui alios pascunt vel verbo et doctrina, vel altaris viatico, vel divinorum dispensatione Sacramentorum, vel suarum distributione facultatum. Secundum hoc igitur illi quibus *aliqua* praedictarum conditionum competit, digni sunt, ut de Evangelio vivant[5]; illi vero, quibus *plures*, digniores existunt; quibus autem *omnes*, utpote qui praedicant, celebrant, confessiones audiunt et temporalium affluentiam contempserunt, maxime digni esse probantur. — Quibus vero *omnes desunt* et validi sunt et pauperes, ne otiosi et infructuosi sint sibi et onerosi Ecclesiae, iuxta sententiam Augustini laborare tenentur, nisi per hoc excusentur, quod eis qui praefatas conditiones habent, deserviunt et assistunt et ideo cum eis sustentari merentur, iuxta quod mysterialiter designatur in Iob[6], ubi dicitur, quod *boves arabant, et asinae pascebantur iuxta eos;* illaque astruitur lege sancitum, qua strenuus pugnator ille, David videlicet, iuste decrevit, quod *aequa portio esset descendentium ad proelium et remanentium ad sarcinas*. — Porro, si aliqui, quantumlibet idiotae ac simplices, tantae sunt devotionis in prece, tantae districtionis in vita, tantae aedificationis in populo, quod aeque fructificant solo exemplo quantum alii exemplo et verbo, excusant eos merita vitae, etiam si desint verba doctrinae.

Nullam harum conditionum habentes, non hoc merentur.

Notandum.

17. Haec autem diximus, non quia otiosos aut otium approbemus, cum potius castigandos huiusmodi et ad opera compellendos censeamus; sed quia propter difficultatem studii spiritualis, quod requirit hominem totum, et propter debilitatem corporum et inexperientiam artium mechanicarum rarus invenitur aut nullus, qui more Apostoli Pauli[7] manuali labori et sapientiae studio septiformi efficaciter possit intendere. Et ideo compellere homines huic studio aptos ad opera manualia non est aliud quam a sapientia revocare et filiis Israel instar *Philisthiim* divinorum eloquiorum arma praeripere[8], vel more *Pharaonis operibus duris luti et lateris* iugoque

Magis determinatur.

---

[1] Psalm. 118, 82, cuius expositio allegata habetur in Glossa *ordinaria*, quae etiam apud Lyranum *Augustino* tribuitur; est tamen Ambrosii, in Ps. 118. serm. 11. n. 11. Cfr. Petr. Lombard., in hunc loc., ubi pro expositione versus istius allegantur Ambrosius et Augustinus. In fine respicitur Luc. 10, 39. seqq.

[2] Potius Eadmerus, c. 127. seq. Post *disposuit* textus originalis plura interserit. Cfr. Bonav., Qq. disput. de Perfectione evangelica (tom. V.) q. 2. a. 3. fundam. 12.

[3] August., de Haeresibus, haeres. 57: Postremam ponit Epiphanius *Massalianorum* haeresim, quod nomen ex lingua Syra est; Graece autem dicuntur Εὐχίται, ab orando sic appellati. Tantum enim orant, ut eis qui hoc de illis audiunt incredibile videatur... Dicuntur Euchitae opinari, monachis non licere sustentandae vitae suae causa aliquid operari, atque ita se ipsos monachos profiteri, ut omnino ab operibus vacent. Cfr. Bonav., loc. in 2. nota cit. q. 2. a. 2. seq., ubi multa afferuntur ex August. libro de Opere monachorum contra hos et illos qui mox describuntur.

[4] De Opere monachorum, c. 21. n. 24. seq. Textus originalis, paucis hinc inde interiectis, pro *artificio* substituit *opificio*.

[5] Respicitur I. Cor. 9, 14: Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.

[6] Cap. 1, 14. Cfr. Gregor., II. Moral. c. 30. n. 49, ubi hoc explicat de simplicibus, qui perfectioribus adhaerent et eorum intelligentia pascuntur. — Subinde allegatur I. Reg. 30, 24, quem etiam Nicolaus III. in sua Constitut., *Exiit qui seminat*, a. S. n. 2, adducit. Haec constitutio habetur in VI. Decretal. libr. V. tit. 12. c. 3, in qua multa ex Apologia Bonav. sumta inveniuntur; cfr. supra pag. 239, nota 1.

[7] Act. 18, 3. et 20, 31; I. Cor. 4, 12; I. Thess. 2, 9. et II. 3, 8. — De studio septiformi sapientiae cfr. supra n. 13.

[8] Libr. I. Reg. 13, 19: Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israel. Caverant enim Philisthiim, ne forte facerent Hebraei gladium aut lanceam. — Sequitur Exod. 1, 14: Ad amaritudinem perducebant [Aegyptii] vitam eorum operibus duris luti et lateris omnique famulatu, quo in terrae operibus premebantur.

servitutis importabilis violenter oppressos ab ingressu Religionis retrahere et ad egressum incitare, quemadmodum insinuatur in Exodo[1] per hoc quod Pharao dixit: *Quare, Moyses et Aaron, sollicitatis populum ab operibus suis? Ite ad onera vestra;* ubi Glossa sacri Ambrosii: « Hodie, si Moyses et Aaron, id est propheticus et sacerdotalis sermo, animam sollicitet ad servitium Dei, exire de saeculo, renuntiare omnibus, attendere legi et verbo Dei; continuo audies unanimes etiam amicos[2] Pharaonis dicentes: Videte, quomodo seducuntur homines, qualiter pervertuntur adolescentes, ne laborent, ne militent, ne agant aliquid, quod eis prosit, relictis rebus necessariis, ineptias sectantur et otium, laborare nolunt et otii occasiones requirunt[3] ». Haec Glossa, qua hostis pauperum dolus patenter detegitur, quod non sicut Christi discipulus ad exercitia virtutum conatur erigere, sed tanquam amicus Pharaonis spirituales Israel filios impugnare.

Secundo, ob abdicationem bonorum in communi.

18. Alio quoque modo calumniator hic pauperum statum ipsorum depravare contendit, pro eo quod nihil sibi *retinent in proprio vel communi*, quia « non videntur *virtutis* tenere *medium*, sed *vitiositatis extremum*, cum dicat Ambrosius[4], quod non sunt effundendae opes, sed dispensandae ». —

Respondetur.

Verum consimili ratione posset et sancta virginitas ostendi non laude, sed vituperio digna, quasi *extremum*, non *medium* teneat, dum ab omni concubitu, sive illicito sive concesso, se tam mente quam carne sequestrat. —

Distinctio.

Quapropter diligens considerator advertat, quod sicut aliud est *medium* pudicitiae coniugalis, aliud sanctimoniae virginalis, sic et aliud *largitatis politicae*, aliud *paupertatis evangelicae.*

Largitas politica duas conditiones requirit.

19. *Largitas* namque *politica*[5], quia circa negotia mundana versatur, possessionum terrenarum nequaquam suadet abrenuntiationem a Christo consultam, sed potius bonorum iuste possessorum *dilectionem moderatam* et *dispensationem largam et piam.*

De prima.

Propter *dilectionis moderantiam* dicit Salomon in Proverbiis[6] in persona viri politici: *Duo rogavi te, ne deneges mihi, mendicitatem et divitias ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria,* volens in hoc ostendere, quod virtus politica tenet medium et fugit extrema. —

De secunda.

Propter *dispensationis pietatem* dicit in Ecclesiaste[7] pro persona rectoris Ecclesiae: *Utilior est sapientia cum divitiis et magis prodest videntibus solem.* Quod ideo dictum est, quia pastor sapiens etiam absque divitiis *utiliter* pascit, dum gregem aedificat exemplo et verbo; sed cum pia dispensatione divitiarum pascit *utilius*, dum verbo, exemplo et temporali subsidio gregi providet sibi commisso. Et hoc est quod canon[8] dicit: « Expedit, facultates Ecclesiae possideri ». Propterea Ecclesiastes[9] praefato verbo paulo ante praemittit: *Ne dicas: Quid, putas, causae est, quod priora tempora fuerunt meliora, quam nunc sunt? Stulta est enim huiuscemodi interrogatio.*

Contra haereticos.

In quo arguit stultitiam haereticorum approbantium Ecclesiae statum, antequam a principibus dotaretur, et reprobantium, postquam dotata est.

Notandum.

Quibus respondet[10], quod *utilior est sapientia cum divitiis,* hoc est rei publicae sanctae matris Ecclesiae magis expediens, propter varias conditiones, necessitates, infirmitates et commoditates multiformium Christi fidelium congregatorum intra ecclesiasticam unitatem, instar diversitatis animalium intra arcam Noe, quibus ipse praelatus, sollicitam curam exhibens, de pastu necessario providere debet pro loco et tempore, iuxta dictamen largitatis politicae modum servando in dispensatione. Propter quod et in Agathensi concilio[11] prohibentur huiusmodi, ne res Ecclesiae sibi creditas alienare praesumant, ibique conceditur dispensationis medium, sed interdicitur dilapidationis extremum.

Paupertas evangelica duo suadet.

20. *Evangelica* vero *paupertas*, pro eo quod ad aeterna spiritum sublevat, tanquam ea quae in caelis totaliter thesaurizat[12], perfecte ipsam profitenti suadet omnibus temporalibus debere nudari quoad *affectum* atque *dominium,* et *arcta sustentatione* necessitatis esse contentum quantum *ad usum.* Et hic

---

[1] Cap. 5, 4. — Glossa est *ordinaria;* non est Ambrosii, sed *Origenis,* Homil. 3. in Exod. n. 3. (Cfr. supra pag. 278, nota 2, ubi simile occurrit). Codd. A B C D et ed. 1 *Ambrosii, ex homilia 3. super Exodum;* Vat. et ed. 2 *Ambrosii.*

[2] Textus Glossae apud Strab. *unanimes et amicos.* Subinde pro *seducuntur* et *pervertuntur* Vat. cum ed. 1 et 2 *seducunt* et *pervertunt.*

[3] Textus originalis addit *Quid est servire Deo?* qui etiam pro *requirunt* substituit *quaerunt.*

[4] Libr. I. de Officiis ministror. c. 30. n. 149: Ceterum Dominus non vult, simul effundi opes, sed dispensari. Cfr. Gratian., can. *Dominus non vult* (15.), dist. 86. — Virtutem consistere in medio, ostendit Aristot., II. Ethic. c. 6.

[5] Aristot., II. Ethic. c. 7: Circa donationem acceptionemque pecuniarum mediocritas est *liberalitas,* excessus et defectus *prodigalitas* et illiberalitas seu *avaritia;* in quibus contrario modo excedunt et deficiunt homines. Prodigus enim in largiendo excedit, in accipiendo deficit; avarus contra excedit in accipiendo, in dando deficit. Cfr. ibid. IV. c. 1. Vocatur *politica,* quia est hominis, in quantum est animal sociale, ut insinuat Macrobius ex Plotino. Cfr. Bonav., Collat. in Hexaëm. (tom. V.) collat. 6. n. 28.

[6] Cap. 30, 7. seq. Post *deneges mihi* Vulgata plura addit.

[7] Cap. 7, 12. Cfr. supra pag. 290, nota 5.

[8] Caus. 12. q. 1. c. 13: Expedit, facultates Ecclesiae possideri et proprias perfectionis amore contemni. Non enim propriae sunt, sed communes Ecclesiae facultates; et ideo quisquis, omnibus quae habuit dimissis aut venditis, fit rei suae contemptor, cum praepositus fuerit factus Ecclesiae, omnium, quae habet Ecclesia, efficitur dispensator etc. Canon iste sumtus est ex Prosper. (potius Pomerii) II. de Vita contemplativa, c. 9.

[9] Cap. 7, 11. Pro *priora* (ita etiam Vulgata) edd. *praeterita.* Cfr. Hieron., Alcuin. et Bonav. in hunc loc.

[10] Vers. 12. — Subinde respicitur Gen. 7, 8. seq. (de arca Noe).

[11] Vide Gratian., Caus. 12. q. 1. c. 32-36. et c. 56.

[12] Matth. 6, 20: Thesaurizate autem vobis thesauros in caelo etc. — Subinde pro *quoad* B C *quantum ad.*

est ipsius modus sive medietas, quod sic relinquat dominium, quod non reiiciat usum; sic recipiat usum, quod non reservet dominium; sic arctitudinem usus servet, quod sustentationem naturae necessariam non devitet; sic necessitati subveniat, quod ab arctitudine non recedat[1]. — Igitur propter *universalem abdicationem possessionis* et *depositionem affectus terreni* in persona huiusmodi pauperis dicit sponsa in Canticis[2]: *Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Ubi Glossa: « Recepta sollicitudine temporalium subsidiorum, quantumlibet eximius doctor difficile vitat peccatum ». Et de *abdicatione* huiusmodi Hieronymus ad Lucinium[3]: « Se ipsum Deo offerre Christianorum et Apostolorum est, qui duo cum vidua paupertatis suae in gazophylacium aera mittentes, totum censum, quem habuerant, Domino tradiderunt et merentur audire: *Sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel* ».

primo.

— Propter *arctitudinem* vero *sustentationis quantum ad usum* in persona huiusmodi pauperum dicit Apostolus ad Timotheum[4]: *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. Habentes*, dicit, non quantum ad *proprietatem dominii*, sed quantum ad *facultatem utendi*, per quem modum habere dicimur omne, quo utimur, etsi non sit nobis proprium, sed gratis aliunde collatum. Hunc paupertatis modum tanquam medium virtuosum *mediator Dei et hominum Deique virtus et sapientia, Christus Iesus*[5] in se ipso monstravit, « qui, sicut dicit Hieronymus ad Nepotianum, alieno cibo vescebatur ». Hunc et Paulus Apostolus et imitator ipsius praecipuus secutus est, in cuius Laudibus[6] dicit Chrysostomus, quod « nihil habebat nisi corpus ». Sed etiam in hoc exemplum se aliis praebuit, cum ait: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* — Igitur hunc vivendi modum tanquam a *medio virtutis* recedentem arguere nihil aliud est quam Magistrum veritatis atque virtutis de excessu vitioso culpare.

ecundo.

21. Propter quod diligenter oportet advertere, quod sicut alio et alio modo tenetur medium a virtute *politica* et *purgatoria* et *animi iam purgati*[7]; sic etiam difformiter medium tenent *civiliter largus* ex rectitudine virtutis, et *christiformiter egenus* in beatitudine paupertatis. Et hoc est quod in auctoritate praemissa[8] Ambrosius, Doctor sacer insinuat, quam calumniator consueto more truncatam allegat. « Ceterum, inquit, non vult Dominus, simul effundi opes, sed dispensari »; in quo explicat *medium largitatis politicae.* Sed ne quis ex hoc crederet, quod modum paupertatis evangelicae non approbaret, immediate subiungit: « Nisi forte ut Eliseus[9] boves suos occidit et pavit pauperes ex eo quod habuit, ut nulla cura teneretur domestica, sed relictis omnibus, in disciplinam se propheticam daret ». Haec Ambrosius addidit, ut evangelicam paupertatem sublimiter extolleret; quae iste dolose subticuit, quatenus eandem profitentes subdole impugnaret.

am virnon eo- modo endum.

Locus truncatus.

22. Nequaquam igitur huiusmodi pauperes rationabiliter possunt argui, quod « discrimini se committant », ac per hoc, quod « homicidae sint sui, vel tentatores Dei ». Si enim sufficientiam victus quantum ad usum opportunum respuerent, utique se ipsos necarent. Nunc autem sic recusant possessionis dominium, quod sustentationis necessariae non abiiciunt usum; sic se divinae committunt providentiae, ut viam non spernant provisionis humanae, qua[10] sustentari valeant vel de his quae gratis offeruntur, vel de his quae mendicantur humiliter, vel de his quae per laboritium conquiruntur. His enim modis vixerunt hactenus huiusmodi pauperes in magna multitudine sexaginta annis et amplius[11], per operis exhibitionem adeo in eis divino impleto promisso, quod nullus eorum, cuius ad nos fama pervenerit, ob defectum vestitus vel victus periculum mortis incurrit. — Abscedat igitur *diffidentia* omnis a praedicatoribus veritatis perfectisque Christi discipulis, cum eis repromittatur a Domino sufficientia victus, dicaturque eis[12]: *Nolite solliciti esse animae vestrae, quid manducetis;* praecipiatur etiam eis, *ne quid tollant in via nisi virgam tantum*, ut habetur in Marco. Super quem locum dicit Beda[13]: « Tanta debet esse praedicatori fiducia in Deo, ut praesentis

Alia calumnia refellitur.

Nota.

Contra diffidentiam.

[1] Cfr. Bonav., III. Sent. d. 34. p. I. a. 1. q. 3. ad 4; Qq. disput. de Perfectione evangelica, q. 2. a. 1. ad 6; Collat. in Hexaëm. collat. 5. n. 4, ubi de medio paupertatis.

[2] Cap. 5, 3. — De Glossa in hunc loc. cfr. supra pag. 293, nota 7.

[3] Epist. 71. (alias 28.) n. 3. Respicitur Luc. 21, 2. (cfr. Marc. 12, 42; A B C D G et ed. 1 omittunt *cum vidua*), et allegatur Matth. 19, 28.

[4] Epist. I. c. 6, 8. — Inferius pro *etsi* B *etiamsi.*

[5] Epist. I. Tim. 2, 5. et I. Cor. 1, 24: Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. — Sententia Hieron. iam supra pag. 274, nota 2. allegata est.

[6] Homil. 1; cfr. supra pag. 283, nota 14. — Subinde allegatur I. Cor. 11, 1.

[7] De hac virtutum divisione ex Macrobio secundum Plotinum desumta vide Bonav., Collat. in Hexaëm. collat. 6. n. 27-31; cfr. etiam tom. II. pag. 901, nota 5. et tom. III. pag. 730, nota 5. — De seq. propositione cfr. supra nota 1. et pag. 322, nota 5. — Inferius pro *in beatitudine paupertatis* (ita A B C; cfr. Matth. 5, 3: Beati pauperes etc.) edd. *in latitudine paupertatis.*

[8] Num. 18. — Inferius pro *explicat medium* edd. contra codd. *explicat modum.*

[9] Libr. III. Reg. 19, 21. Pro *ex eo quod* Vat. et ed. 1 contra textum etiam originalem (I. de Officiis ministror. c. 30. n. 149.) *ex eo quidem.*

[10] Edd. *quominus.*

[11] Cfr. supra pag. 233, nota 1. n. 4. Vide etiam Qq. disput. de Perfectione evangelica q. 2. a. 1. ad 5. et 8. seqq.

[12] Luc. 12, 22. et deinde Marc. 6, 8.

[13] Libr. II. in Marc. 6, 8, ubi sequitur Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 17. n. 5. Cfr. supra pag. 275, nota 8. et tom. V. pag. 136, nota 7.

vitae sumtus, quamvis non provideat, tamen sibi hos non deesse certissime sciat; ne, dum mens eius occupatur ad temporalia, minus aliis provideat aeterna ». Hoc verbum totius confidentiae tam expressum calumniator pervertere nititur, ut sic illud exponat: « quamvis non provideat, id est, tempus providendi non habeat », quasi non debeat de sufficientia victus confidentiam habere, nisi quando non potest aliud agere; ad quod non tantum praedicator veritatis, immo quantumcumque imperfectus Christianus astringitur.

Falsa explicatio adversarii.

23. Propter quod, ut omnis calumniandi occasio tollatur e medio, intelligendum est, quod duplex est *diffidentia:* quaedam proveniens ex *perversitate,* quaedam ex *pusillanimitate.* Ex *perversitate* venit, quando habet infidelitatem, vel desperationem annexam, utpote cum quis de Deo diffidit, vel quia non credit, Deum curare humana tanquam *infidelis;* vel quia existimat, se derelictum a Deo propter peccata sua, tanquam *desperatus* [1]. Et talis diffidentia et sollicitudo procedens ex ipsa omnibus prohibetur, et confidentia illi opposita cunctis praecipitur. — Diffidentia autem ex *pusillanimitate* veniens est, quae habet annexam *remissionem amoris divini* et *intensionem timoris humani;* et haec stare potest cum caritate *imperfecta,* non cum perfecta, et ideo haec pusillanimitatis diffidentia et sollicitudo ex ipsa proveniens evangelicis et perfectis viris inhibetur, et confidentia eidem opposita a perfectionis Magistro iniungitur, quatenus praedicatores veritatis algorem pusillanimitatis sollicitantis pro cibo refugiant et ardorem caritatis confidentis de Deo cum promptitudine ad perferendum paupertatis incommoda constanter assumant.

Duplex diffidentia. De prima. De secunda.

24. Ad hanc quidem confidentiam in libro de Eleemosyna Augustinus [2] invitat: « Metuis, inquit, ne patrimonium tuum forte deficiat, si ex eo operari largiter coeperis? Quando enim factum est, ut iusto possent deesse subsidia? cum scriptum sit [3]: *Non occidet Deus fame animam iusti.* Elias in solitudine corvis ministrantibus pascitur, et Danieli in lacu ad leonum praedam iussu regis incluso prandium divinitus apportatur, et timemus, ne operanti et Deum promerenti desit alimentum? cum ipse in Evangelio [4] ad exprobrationem eorum quorum mens dubia est et fides parva, contestetur et dicat: *Aspicite volatilia caeli, quoniam non seminant neque metunt nec colligunt in horrea, et Pater vester caelestis pascit illa.* Volucres Deus pascit, et quibus nullus divinae rei sensus est, eis nec cibus nec potus deest; tu Christiano, tu Dei servo, tu operibus bonis dedito, tu Domino suo caro aliquid existimas defuturum? An putas, quia qui Christum pascit a Christo ipse non pascitur? Aut eis terrena deerunt, quibus divina et caelestia tribuuntur? Unde haec incredula cogitatio, unde impia et sacrilega ista meditatio »? Haec Augustinus [5]. Ad quorum confirmationem exemplum viduae Sareptanae, quae pavit Eliam, consequenter adiungit [6]. Quibus etiam consonat illius pauperculae viduae liberalis oblatio, quae, quoniam quidquid habuit misit, divino promeruit ore laudari [7].

Confidentia habenda.

25. Tertium quoque calumniandi modum non minus malignum aliquo praedictorum calumniator hic pauperum assumere nititur ex *mendicatione eleemosynarum,* allegans primo contra eam, quod « non, sicut opus virtutis, annexum habet spirituale solatium, sed potius poenalem cruciatum, ratione cuius Propheta eam imprecatur filiis impiorum, cum in Psalmo [8] dicit: *Nutantes transferantur filii eius et mendicent;* et sacri canones mendicantem clericum asserunt infelicem ».

Terti[um] ... mendi[cationem] el[eemo]syna[rum].

26. Ad cuius cavillationis et consimilium repellendam calumniam intelligendum est, quod quintuplex est mendicitatis differentia, origine, modo et efficacia ad se invicem disparata [9]. — Prima est, quam parit *calamitas,* et haec est in personis miserabilibus

Quint[uplex] mendi[citas]. De pr[ima].

---

[1] Vide Bonav., II. Sent. d. 43. a. 3. q. 2. ad 1. et dub. 3, ubi etiam de diffidentia ex pusillanimitate. — Superius pro *utpote cum quis de Deo diffidit* B *utpote tunc, cum quis de se diffidit.*

[2] Potius Cyprian. in lib. de Opere et eleemosynis, c. 11. et 12. (cfr. tom. V. pag. 130, nota 3.). S. Thom., opusc. contra Impugnantes Dei cultum et Religionem, c. 6. ad 11, etiam Augustino librum istum attribuit.

[3] Prov. 10, 3. — De Elia cfr. III. Reg. 17, 6; de Dan. cfr. Dan. 14, 32. seqq. (pro *apportatur* textus originalis *apparatur).* Subinde pro *et timemus, ne operanti* textus originalis *et tu metuis, ne operanti tibi.*

[4] Matth. 6, 26.

[5] Vat. cum ed. 1 integrum c. 12. Cypriani adiungit, quas sequitur etiam ed. 2, quae tamen verba *Haec Augustinus* transponit ad finem post *contemptum:* Quid facit in domo Dei tam perfidum pectus? Quid qui Christo omnino non credit, appellatur et dicitur Christianus? Pharisaei magis tibi congruit nomen. Nam cum in Evangelio de faciendis eleemosynis disputaret, ut et nobis amicos de terrenis lucris provida operatione faceremus, qui nos postmodum in aeterna tabernacula susciperent, fideliter et salubriter praemoneret, addit Scriptura post hoc dicens [Luc. 16, 14.]: *Audiebant haec omnia Pharisaei, qui erant avari et deridebant eum.* Quales nunc sunt in Ecclesia, quorum quosdam videmus, quorum praeclusae aures et corda caecata, nullum de spiritualibus ac salutaribus monitis lumen admittunt, de quibus mirari non debemus, quia contemnant in talibus servos, quando a talibus ipsum Dominum videmus esse derisum et contemptum.

[6] Cap. 17. Cfr. III. Reg. 17, 10. seqq.

[7] Marc. 12, 41. seqq.; Luc. 21, 2. seqq. Idem affert Cyprian., loc. cit. c. 15. De seqq. vide supra pag. 320. col. I.

[8] Psalm. 108, 10. In can. *Diaconi sunt* (23.), dist. 93. § 5. legitur: « Mendicat infelix clericus in plateis et civili operi mancipatus publicam a quolibet deposcit alimoniam. Et quidem ex eo despicitur cunctis sacerdotale officium, dum misericordia desolatus iuste putatur ad hanc ignominiam devenisse ». Canon sumtus est ex Opusculo de septem ordinibus Ecclesiae, c. 5. (inter opera Hieron. Epist. 12.). — Superius post *quod non* edd. contra codd. prosequuntur *sit opus virtutis, eo quod non habet annexum spirituale solatium* etc.

[9] Cfr. Bonav., Qq. disput. de Perfectione evangelica q. 2. a. 2. in corp. In hoc articulo fusius agitur de paupertate quoad mendicitatem. — Edd. *a se invicem disparata* (Vat. *desperata,* ed. 1 *disperata).*

et egenis, annexum habens poenalem cruciatum, cum merito, si sit cum patientia, qualis fuit mendicitas Lazari ulcerosi et pauperis, iacentis ante ianuam divitis epulonis [1]; vel cum peccato, si sit cum impatientia. Et hanc imprecatur Propheta, et abhorrebat sapiens vir in persona loquens hominis infirmi et timentis per egestatem involuntariam ad impatientiam compelli. Unde postquam praemisit [2]: *Mendicitatem ne dederis mihi;* subiungit: *Ne compulsus egestate furer et periurem nomen Dei mei.* Et haec est proprie dicta *mendicitas,* iuxta quod dicit Isidorus decimo Etymologiarum libro [3]: « Mendicus dictus est, quasi minus habens unde degat, vel quasi manu dicens necessitatem suam ».

Secunda est, quam parit *cupiditas,* et haec est in pauperibus simulatis, habens annexum cruciatum culpabilem, quo torquentur omnes avari et cupidi, non tam fame corporalis inediae quam spiritualis nequitiae per insatiabilem avaritiae voracitatem, iuxta illud Iob [4]: *Attenuetur fame robur eius, et inedia invadat costas illius.* Et hanc dissuadet Apostolus ad Thessalonicenses [5]: *Nullius aliquid desideretis;* Glossa: « Necdum rogetis vel tollatis », in quo desiderium prohibet cupiditatis rei alienae et petitionem ex ipsa venientem, iuxta illud ad Ephesios [6]: *Qui furabatur iam non furetur, magis autem laboret manibus suis operando* etc.

Tertia est, quam parit *pigritia,* et haec est in pauperibus [7] mendicantibus validis et otiosis, habens annexum cum cruciatu solatium, vitiosum tamen atque phantasticum. Studiosum enim refugientes laborem et otiosam appetentes vacationem, fructuosam quietem perdunt et perniciosam fatigationem incurrunt, secundum illud Sapientis [8]: *Desideria occidunt pigrum; noluerunt enim quidquam manus eius operari;* et iterum: *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo aestate, et non dabitur ei.* Et haec mendicitas non solum lege divina, sed etiam lege civili [9] prohibetur. Et ut ab hac Apostolus revocet, laborem manualem iniungit ad Thessalonicenses [10], cum ait: *Audivimus, inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes; his autem, qui eiusmodi sunt, denuntiamus, ut cum silentio operantes panem suum manducent.* Cuius mandati Glossa [11] rationem reddit, dicens: « Qui ad alienam mensam frequenter accedit, otio deditus, necesse est aduletur pascenti se ».

27. Quarta est, quam parit *industria,* et haec est in pauperibus studiosis circa disciplinam scholasticam occupatis, habens annexum cum cruciatu penuriae solatium veritatis in mente [12], quae adeo mentes generosas oblectat, ut multi dies aerumnis et laboribus pleni iucundi videantur et pauci prae magnitudine dilectionis, maluntque eam cum rubore mendicando addiscere quam delicate vivendo ignorare; quod in pluribus vidimus, qui, cum mendicando didicerint, postea magnum locum in Ecclesia Dei tenuerunt. Et de talibus Augustinus de Opere monachorum [13] dicit, quod eis « bona opera fidelium subsidio supplendorum necessariorum deesse non debent, cum ad erudiendum animum ita vacant, ut corporalia huiusmodi opera ab ipsis geri non possint ».

Quinta est, quam parit *iustitia,* et haec est in pauperibus voluntariis, immunibus ab amore temporalis lucri et torpore temporalis quietis, habens annexum cum cruciatu solatium virtuosum et verum, pro eo quod sic mendicantes solius moventur amore paupertatis extremae, quam ideo amplectuntur, ut liberius sapientiae vacent et efficacius ad culmen virtutis attingant, quatenus *in camino paupertatis electi* [14] ipsius penuria *purgentur* a crimine, ipsius erubescentia *humilientur* in corde, ipsius parsimonia *castificentur* in carne, ipsius devota gratitudine *concilientur* ad proximum, ipsius condescensiva benignitate *configurentur* ad Christum, ipsius sublimi celsitudine *sursum agantur* in Deum.

28. Quod autem paupertas penuriosa et voluntaria huiusmodi efficacias habeat, supra declaratum est per Sanctorum auctoritates de laude paupertatis tertiae responsionis particula postrema [15]; quamquam nullus sane intelligens dubitare queat, quin penuria purget, erubescentia humiliet, parsimonia castificet, gratitudo accipientis beneficium benefactori conciliet, condescensio benignitatis configuret ad Christum, qui,

[1] Luc. 16, 20. seqq. [2] Prov. 30, 8. et 9.

[3] Num. 176: *Mendicus* dictus, quia minus habet unde vitam degat, sive quia mos erat apud antiquos os claudere egenum et manum extendere, quasi *manu dicere.* — Cod. G perperam hanc propositionem cum seq. coniungit transponens verba *Secunda est, quam parit cupiditas* ad principium istius *et haec est proprie dicta... minus habens, habens annexum cruciatum* etc.

[4] Cap. 18, 12. Cfr. Gregor., XIV. Moral. c. 15. n. 17. seq.

[5] Epist. I. c. 4, 11. — Glossa est *ordinaria:* Opus agendum est, non otiandum... et non desiderabitis rem alterius, nedum rogetis vel tollatis. Cfr. tom. V. pag. 134, nota 8.

[6] Cap. 4, 28.

[7] Codd. B C D omittunt *pauperibus.*

[8] Prov. 21, 25, post quem 20, 4, ubi pro *aestate* etiam contra Vulgatam substituunt Vat. et ed. 2 *egestate.*

[9] Cod. lib. XI. tit. 25. lege unica *Cunctis quos in publicum,* in Authen. Cfr. tom. V. pag. 135, nota 6.

[10] Epist. II. c. 3, 11. seq. Cfr. supra pag. 320, nota 5.

[11] Scilicet *ordinaria* in v. 5. apud Petr. Lombard. et Lyranum (ex Comment. olim Ambrosio attributo). Cfr. tom. V. pag. 135, nota 3.

[12] Ita B D G; edd. *veritatis inventae.* Inferius pro *cum rubore mendicando* B *cum rubore mendicandi* (G *mendicitatis).*

[13] Cap. 17. n. 20: Ad hoc enim et illa bona opera fidelium subsidio supplendorum necessariorum deesse non debent, ut horae, quibus ad erudiendum animum ita vacatur, ut illa opera corporalia geri non possint, non opprimant egestate.

[14] Isai. 48, 10: Ecce, excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis. Cfr. supra pag. 286, nota 1. et pag. 299, nota 5.

[15] Sive c. 9. n. 13. seqq.

cum dives esset, amore nostrae salutis effici voluit *egenus* et pauper [1], celsitudo paupertatis, qua quis omnia calcat et se ipsum cum omnibus, sursum agat in Deum, non solum propter spiritus libertatem, verum etiam propter experientiam incommodorum, quae pauperes comitantur, cum dicat Gregorius [2], quod « mala, quae nos hic premunt, ad Deum ire compellunt ». Licet autem avaris sit molesta penuria et superbis erubescentia et lascivis frugalitas et indevotis actio gratiarum et infidelibus conformitas ad Christum et desperatis elevatio mentis in Deum; vere tamen pauperibus solatium est *penuriam pati* [3], humilibus despici, continentibus castificari, caritativis conciliari beneficio, credentibus configurari Christo, sperantibus sequestrari a mundo et iungi Deo aeterno.

Notandum.

29. Ad quorum omnium confirmationem hoc sufficit, quod dicit Gregorius primo Dialogorum [4]: « Sicut superbi honoribus, sic plerumque humiles sua despectione gratulantur, cumque se in alienis oculis vilescere sentiunt, idcirco gaudent, quia hoc iudicium confirmari intelligunt, quod de se et ipsi habuerunt ». Quoniam igitur huic mendicitatis modo in pauperibus veris et humilibus annexum est cum extrinseco cruciatu intrinsecum gaudium, ideo secundum Chrysostomum [5] recte designatur per illum *caminum*, in quem pueri descendentes, ne statuam auream adorarent, caelitus irrorari meruerunt. Huiusmodi spirituale solatium, quod viri carnales ignorant, cuiusque laudatores Pharisaeorum more avari derident, mulier eximiae virtutis, Paula scilicet, experiri cupiebat, iuxta quod sacer Hieronymus in ipsius Laudibus [6], ob hoc eiusdem desiderium admirabile praedicans ipsamque collaudans, dicit, quod « hoc habebat voti, ut mendicans pro Christo moreretur et unum nummum filiae non relinqueret et in funere suo aliena sindone involveretur ». — Nequaquam igitur, ut calumniator astruere nititur, ea sola mendicitas approbabilis est, quae ex *mera necessitate* vel *calamitate* procedit, pro eo quod multo laudabilior est paupertas *voluntaria* quam coacta; nisi quis ita desipiat, ut in operibus supererogationis necessitatis coactionem praeferat promptitudini voluntatis; quod ita absurdum est, quemadmodum si passionibus Martyrum praeponat quis suspendia [7] latronum, dum Martyres voluntarie, latrones involuntarie patiuntur. Porro, si quis astruere velit, mendicitatem non esse de genere honestorum et laudabilium, quoniam ad ipsam ex inopia rerum et exigentia naturae compellimur; consimili ratione nec martyrium Sanctorum fuit perfectum nec laudabile, quoniam ad illud perferendum compellebantur per violentiam improbam malignitatis alienae, cum etiam magis teneat rationem voluntarii [8] paupertatis penuria quam poenalitas passionis, pro eo quod illa voluntarie assumitur et voluntarie perfertur, haec autem aliunde violenter infligitur, quamquam voluntarie perferatur.

Confirmatur.

Reprobatur adversarius.

30. Est et alia cavillatio, qua nobilis et Christo Domino accepta mendicitas calumniose arguitur, quasi annexam habeat non evangelicam beatitudinem, sed mentalem imperfectionem, pro eo quod in Actibus Apostolorum [9] scribitur: *Beatius est magis dare quam accipere.* Ex quo sequi videtur, quod beatiores et perfectiores essent huiusmodi pauperes, si essent in statu eleemosynas dantium, quam sint in statu accipientium, beatiores utique, si essent in statu illorum qui eleemosynas liberaliter offerunt, quam qui petunt, cum dicat Hieronymus ad Nepotianum [10]: « Nunquam petentes, raro accipiamus rogati ». Et Augustinus super Psalmum centesimum tertium [11]: « In loculis habendis et in exigenda quodam modo annona, Christus non petendo, sed praebendo indigentiam suscepit ». Ex quibus videtur posse inferri, quod status clericorum praebendas habentium Christo sit similior et perfectior statu mendicantium pauperum.

Alia cavillatio contra mendicitatem

31. Verum, si huiusmodi ratiocinationis fundamentum vigilantius discussum fuerit, magis potest ex hoc oppositum quam propositum inferri. Si enim *beatius est magis dare quam accipere*, ille minime beatus est, qui bona plura accipit et pauca largitur. Cum igitur omnia ecclesiastica bona, sicut dicit Prosper [12], sint « vota fidelium, pretia peccatorum et patrimonia pauperum », sequitur, quod quicumque reditus ecclesiasticos habet, cum longe plus accipiat,

Responsio auctor.

---

[1] Epist. II. Cor. 8, 9: Quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives etc.

[2] Libr. V. Epist. epist. 42. (alias 35.): Quamvis enim inaestimabilis sit caelestis patriae dulcedo, quae trahat, multi tamen in hac vita dolores sunt, qui ad amorem caelestium quotidie impellant. Libr. XXVI. Moral. c. 13. n. 21: Mali enim bonos magis ab huius mundi desideriis expediunt, dum affligunt, quia, dum multa eis hic violenta ingerunt, festinare illos ad superna compellunt... Haec utique causa est, quod ab iniustis iusti sinuntur affligi, ut scilicet, dum futura audiunt bona, quae cupiant, patiantur etiam mala praesentia, quae perhorrescant, atque ad faciliorem exitum, dum amor provocat, cruciatus impellat. Cfr. tom. VII. pag. 146, nota 9. et pag. 620, nota 9.

[3] Phil. 4, 12. — Inferius pro *castificari* A B C D et ed. 1 *castigari.*

[4] Cap. 5, ubi pro *vilescere sentiunt* textus originalis *viles aspiciunt*, qui etiam post *et ipsi* addit *apud semetipsos.*

[5] Homil. 4. in Matth. n. 12. supra pag. 301, nota 4. allegata.

[6] Epist. 108. (alias 27.) n. 15. Cfr. supra pag. 280, nota 3.

[7] Vat. *stipendia.*

[8] Vat. et ed. 2 *voluntariae.* Inferius pro *infligitur* Vat. *intelligitur.*

[9] Cap. 20, 35. Cfr. Bonav., Qq. disput. de Perfectione evangelica, q. 2. a. 2. arg. 5. ad oppos. — Superius pro *nobilis* C D *nobis.*

[10] Epist. 52. (alias 2.) n. 16.

[11] Serm. 3. n. 11. Pro *Christus non petendo, sed praebendo* textus originalis *non petenda, sed praebenda* (in ed. Maurin. lectio nostra annotatur).

[12] Libr. II. de Vita contemplat. c. 9. n. 2. Cfr. supra pag. 285, nota 1. — Superius pro *bona plura* (ita A B C D) edd. *bona plurima.*

quam aliis largiatur, magis erit pingui acceptione miser quam exili donatione beatus. Et e contrario verus pauper, qui propter Christum omnia deserit et dispergit, non solum quae habuit, sed etiam quae concupiscere potuit, et paucis ac modicis est ad sustentationem naturae contentus, erit secundum hanc rationem acceptione parcissima minime miser et donatione largiflua maxime beatus. Cui etiam consonare videtur evangelicus textus, qui secundum Chrysostomum [1] habet in Graeco: *Beati mendici, quoniam ipsorum est regnum caelorum*, ubi Latinus habet: *Beati pauperes spiritu*. — Quibus etiam concordat sacer Ambrosius in libro de Officiis [2], dicens: « Pauper, etsi non habet unde reddat pecuniam, reddit gratiam. In quo certum est, quod plus reddat, quam acceperit. Pecunia enim nummo solvitur, gratia vero nunquam exinanitur; reddendo vacuatur pecunia, gratia autem et habendo solvitur et solvendo retinetur ». Haec Ambrosius.

(…ysosto-nus.) (…rosius.)

32. Ex quibus est evidens, quod praedicta veritatis auctoritas contra evangelicos pauperes intorqueri non potest. Unde et Glossa Bedae ibidem [3]: « Non illis qui, relictis omnibus, secuti sunt Dominum, divites eleemosynarios praeponit, sed illos maxime glorificat, qui cunctis, quae possident, renuntiantes, laborant nihilominus operando manibus, ut babeant, unde tribuant necessitatem patienti ». — His Cassianus consonat de Institutis Monachorum [4]: « Haec est, inquit, impartientis beatior largitas quam accipientis pecunia, quae non de reconditis avaritiae thesauris impenditur, sed quae de fructibus operis proprii et pio sudore profertur ». — Ex quibus habetur, quod si quis cum paupertate et exercitio studii spiritualis, labori manuum intendens, se ipsum et alios pascit, imitator effectus Apostoli Pauli [5], opus agit maioris supererogationis, quam qui ab aliis subsidia requirit et accipit. Et ideo perfectionis omnis amator Franciscus [6] ad laborem manualem sectatores suos et filios moderate ac prudenter inducit, dum ad hoc idoneos informat et excitat, quod « sic laborent, quod refugiant otium et spiritum non exstinguant ». Ad quod, quamquam sit perfectum et sanctum, universali praecepto astringere noluit, pro eo quod hanc celsitudinem supererogantis perfectionis infirmitas corporum cum tarditate ingeniorum in hominibus nostri temporis non admittit [7]. Esto igitur, quod hoc modo *beatius sit dare quam accipere*, secundum imitationem Apostoli, non tamen propter hoc potest inferri, quod accipientes sint imperfecti, quia nec Apostoli a perfectione exciderunt in hoc, quod sustentabantur ab aliis, nec Christus imperfectionis magister fuit, qui perfectionis evangelicae doctores ab aliis sustentari ordinavit et hoc in se ipso per exemplum ostendit [8]. Unde Augustinus super illud Psalmi: *Qui producit in montibus foenum*: « Quare voluit egere Dominus, nisi ut daret *montibus* exemplum, ut parerent *foenum*, ne contra *pluviam* sterilitatem redderent »? Haec Augustinus, per *pluviam* dans intelligi doctrinam, qua mentes erudiuntur, et per *foenum* temporalia, quibus corpora sustentantur.

(Beda.) (…ssianus.) (…ciscus.) (Notandum.)

33. Sane, ut omnis calumniandi materia cesset, intelligendum est, quod quamquam *accipere* comparatum ad *dare* de genere operis minus sit beatum atque perfectum; potest tamen ex superadiecta circumstantia esse beatius atque perfectius, videlicet cum quis *accipit* extremae paupertatis amore secundum sex conditiones superius [9] expressas, in quibus simul iunctis integra consistit ipsius perfectio, non solum in abdicatione proprietatum, verum etiam in acceptione necessariorum, cum videlicet quis mendicat et accipit, ut acceptione *penuriosa* purgetur, *verecunda* humilietur, *attenuata* restringatur et castificetur [10], *grata* concilietur ad proximum, *condescensiva* configuretur ad Christum, *fiduciali* et alta sursum agatur in Deum; quod quidem excellentius est quam praebere alimenta pauperibus. Unde Hieronymus ad Iulianum [11]: « Exstruis monasteria, multus a te sanctorum numerus sustentatur; sed melius faceres, si et ipse sanctus inter sanctos viveres ». Et Bernardus in quadam epistola [12]: « Volo, te amicum esse pauperum, magis autem imitatorem. Ille gradus est proficientium, hic perfectorum ». Secundum haec igitur perfectius est cum Christo egere et eleemosynas

(Magis confirmatur.) (Notandum.)

---

[1] In Op. imperfect. (inter opera Chrysost.) homil. 5. in Matth. 5, 3: In Graeco non dicit: Beati pauperes, sed *Beati egeni*, vel *Beati mendici* [Μακάριοι οἱ πτωχοί]. Cfr. Tertull., IV. advers. Marcion. c. 14: *Beati mendici* (sic exigit interpretatio vocabuli, quod in Graeco est), *quoniam illorum est regnum caelorum* [Luc. 6, 20.]. Idem de Idololatria, c. 12: « Sed felices *egenos* Dominus appellat ». Pauper in Graeco exprimitur voce πένης.

[2] Libr. II. c. 25. n. 127, ubi pro *reddit gratiam* textus originalis *refert gratiam*.

[3] In Act. 20, 35. Glossa est *ordinaria* ex Beda in hunc loc.

[4] Libr. X. de Coenobiorum institutis, c. 19: « *Beatius est magis dare quam accipere* [Act. 20, 35.]. Hoc est impartientis beatior largitas quam accipientis *penuria*, quae [largitas] non de pecunia per infidelitatem vel diffidentiam reservata nec de reconditis avaritiae thesauris impenditur, sed quae de fructu operis » etc. Subinde monachum *dupliciter* dicit beatum, qui aliis laborat et *largitur*, licet ipse sit *pauperrimus*.

[5] Cfr. supra pag. 321, nota 7. [6] In Regula c. 5.

[7] Cfr. supra pag. 264, nota 5, ubi simile occurrit.

[8] Cfr. supra n. 20. seqq. et c. 7. n. 5. seqq. — Sententia August. habetur Enarrat. in Ps. 146, 8. n. 17, ubi pro *sterilitatem redderent* (ita codd. cum textu originali) edd. *steriles redderentur*. Cfr. tom. V. pag. 141, nota 4, ubi similis Glossa in Ps. 103, 14.

[9] Num. 27. — Superius pro *beatum atque perfectum* A B *beatum sive perfectum*, et pro *superadiecta circumstantia* B *superaddita circumstantia* (cfr. supra c. 1. n. 7-9.).

[10] Vat. *castigetur*, sed vide supra n. 28.

[11] Epist. 118. (alias 34.) n. 5. Post *a te* textus originalis addit *per insulas Dalmatiae*, et pro *viveres* Vat. et ed. 2 *numerareris*, ed. 1 *numereris*.

[12] Epist. 103. n. 1. — Inferius post *quam sit* D et ed. 2 prosequuntur *fieri amicum pauperum et ipsos* etc., A B *amicos pauperum, ipsos* etc.

cum accipiente accipere, quam sit amicum esse pauperum et ipsos pauperes sustentare.

Explicatur locus Hieronymi et alii.

34. Quod ergo dicit Hieronymus ad Nepotianum [1], quod « nunquam *petentes* debemus accipere », intelligendum est, quod loquitur Nepotiano clerico pro his clericis, qui sufficientem habebant victum de bonis Ecclesiae, qui etiam nondum conscenderant ad celsitudinem paupertatis extremae. Et his, cum habeant unde vivant, nec velint egere, turpe est *accipere,* turpius *petere.* Et quia huiusmodi personis nisi studii causa turpe est mendicare, ideo statutum fuit in Carthaginensi concilio [2], quod « clericus pauper victum et vestitum artificiolo quaereret ». Et quia difficile erat eos ad huiusmodi labores compellere; ideo statutum est, sicut patet de Consecratione, distinctione prima [3], quod nulla ecclesia dedicetur, nisi prius dotata fuerit, ob hoc videlicet, ut clerici in ea ministrantes habeant unde sustentari possint. Simul etiam et per nova iura [4] introductum est, ut clerici sine titulis non debeant ordinari; quodsi ordinati fuerint, ab ordinatoribus sustententur. Quae quidem iura certum est nullatenus illos astringere, qui pro Christi nomine vivere devoverunt in extrema paupertate, concurrentibus in hoc ipsum auctoritate summi Pontificis et attestatione evangelicae veritatis [5].

Item, locus Augustini.

35. Qualiter autem verbum Augustini [6], quod dixit, Christum non petendo, sed praebendo indigentiam suscepisse, intelligi debeat; ipsemet aperit, cum subsequenter adiungit exempla de Christo et Zachaeo, Elia et vidua, dicens: « Cum quisque sanctum suscipit, non suscepto, sed susceptori praestatur », quasi dicat, quod Dominus in exigenda annona non quaerebat proprium commodum, sed meritum alienum, non requirebat *datum, sed fructum* [7], quo fiebat, ut Christum suscipienti plus praestaretur ex merito, quam suscepto conferretur ex dono. Quod non solum habet veritatem in ipso capite, verum etiam pro membris ipsius, pauperibus scilicet, pro quibus benefactoribus eorum in Matthaeo [8] mercedem repromittit, cum dicit: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis;* et iterum: *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquae frigidae tantum, in nomine discipuli; amen dico vobis: Non perdet mercedem suam;* ibi Glossa [9]: « *Minimi* sunt qui nihil penitus habent in hoc mundo et iudices erunt cum Christo ». Valde igitur sunt pauperes, qui nihil omnino habent in mundo et aquae frigidae calice indigent; sed nihilominus valde sunt divites, in quorum susceptione Christus se suscipi asserit, quibus etiam iudiciariam potestatem se communicaturum esse praedixit [10].

Ultima et pessima cavillatio.

36. Denique pessima cavillationum omnium ea esse dignoscitur, qua oppressor hic pauperum eos esse viros sanguinum criminatur, pro eo videlicet, quod « eleemosynas accipiunt, quibus sustentari deberent invalidi pauperes, qui operari non possunt; et ideo quodam modo homicidium perpetrant, dum eos eleemosynis ex pietate sibi debitis impie defraudant, cum Ecclesiasticus [11] dicat: *Panis egentium vita pauperis est, qui defraudat illum homo sanguinis est.* Insuper et Christi Ecclesiam, ut dicit, onerant et multis periculis se exponunt, quae ex inopia procedunt, cum idem Ecclesiasticus [12] dicat: *Propter inopiam multi deliquerunt.* Ex quibus et illud habet sequi, quod paupertatem huiusmodi profiteri sit impium, cum non habeat annexum meritum, sed peccatum ». — Et hoc est quod finaliter calumniator egentium persuadere molitur, scilicet quod status huiusmodi pauperum tanquam perversus ab universali Ecclesia reprobetur, ut vere videatur illud Psalmi [13] in eo esse completum: *Persecutus est hominem inopem et mendicum et compunctum corde mortificare.*

Notandum.

Responsio.

37. Dicamus igitur pro causa pauperum defensanda, quod huiusmodi evangelici viri, qui propriis facultatibus renuntiaverunt et saluti animarum intendunt, non sunt *viri sanguinum, sed viri misericordiae, quorum iustitiae oblivionem non acceperunt* [14], quoniam ex abundante misericordia temporalia bona

---

[1] Vide supra n. 30.

[2] Scilicet Carthag. IV. (an. 398) c. 52: Clericus victum et vestimentum sibi artificiolo, vel agricultura absque officii sui duntaxat detrimento paret. Cfr. Gratian., dist. 91. c. 3, qui etiam ibid. c. 4. alios canones (c. 51. et 53.) ex eodem concilio affert. Cfr. tom. V. pag. 157, nota 8. — Superius pro *nec velint egere* Vat. *nec velint agere.*

[3] Can. *Nemo* ecclesiam aedificet, antequam episcopus civitatis veniat... et ante praefiniat qui aedificare vult, quae ad luminaria et ad custodiam et ad stipendia custodum sufficiant etc. (9.). Cfr. tom. V. pag. 135, nota 5.

[4] Cap. *Accepimus* (13.), X. de Aetate et qualitate etc. (I. Decret. Gregor. IX. tit. 14.) ab Innoc. III. — Pro *sine titulis* (D *titulo*) G *sine provisione.*

[5] Cfr. supra c. 11. n. 10. seq.

[6] Supra n. 30. allegatum ex Serm. 3. in Ps. 103. n. 11, ubi haec subiungit: Suscepit eum Zachaeus [Luc. 19, 6.] et gaudet. Cui hoc bonum? Christo, an Zachaeo? Vere, si non susciperet Zachaeus, non erat ubi maneret mundi fabricator? Aut si non pasceret Zachaeus, indigeret is qui de quinque panibus tot millia hominum saturavit [Ioan. 6, 9. seqq.]? Cum ergo quisque sanctum suscipit, non suscepto, sed susceptori praestatur. Numquid in illa fame non pascebatur Elias? Nonne corvus afferebat panem et carnem, servo Dei serviente creatura [III. Reg. 17, 6.]? Missus est tamen pascendus ad viduam [ibid. v. 9.], non ut militi, sed ut provinciali aliquid praestaretur. — Vocibus *indigentiam suscepisse* C interserit *loculos.*

[7] Phil. 4, 17: Non quia quaero datum, sed requiro fructum etc. — Superius pro *in exigenda annona* (ita A B C D G) edd. *in suscipienda annona.*

[8] Cap. 25, 40, post quem 10, 42.

[9] Scilicet *ordinaria.* Cfr. supra pag. 280, nota 1.

[10] Matth. 19, 28. Cfr. supra pag. 300, nota 7. et 8.

[11] Cap. 34, 25.

[12] Cap. 27, 1.

[13] Psalm. 108, 17.

[14] Eccli. 44, 10: Sed illi viri misericordiae sunt, quorum pietates non defuerunt. Ezech. 33, 13. per oppositionem de impio dicitur: Omnes iustitiae eius oblivioni tradentur.

largiti sunt ad sustentanda corpora pauperum, et spiritualia bona continue largiuntur ad sustentationem animarum; et ideo digni sunt, ut ab Ecclesia sustententur, quia non gravant, sed alleviant multo amplius, quam illi qui ecclesiasticorum redituum ubertate pinguescunt, quos cum et plurimi eorum habere potuissent, multo magis pro Christo illis carere voluerunt. Hi ergo cum eleemosynas petunt et accipiunt, nullum pauperem *defraudant,* quin potius causas pauperum agunt, dum suis sacris exemplis et monitis impios homines ad opera pietatis inducunt nulli prorsus *iniuriantur,* quia hoc petunt et accipiunt, quod eis debetur.

[...andum.]

38. Sustentatio enim corporalis debetur ipsis lege *misericordiae* tanquam pauperibus, et eo magis, quod pauperes voluntarii sunt Christoque devoti. Unde Hieronymus contra Vigilantium [1]: « Non negamus, cunctis pauperibus, si tanta sit largitas, stipes esse porrigendas. Apostolus docet, faciendam quidem eleemosynam *ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei,* de quibus Salvator in Evangelio loquebatur: *Facite vobis amicos de iniquo mammona, qui vos recipiant in aeterna tabernacula.* Nunquid isti pauperes, inter quorum pannos et illuviem corporis flagrans libido dominatur, possunt habere aeterna tabernacula, qui nec praesentia possident nec futura? Non enim simpliciter pauperes, sed *pauperes spiritu* [2] appellantur, de quibus scriptum est: *Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem.* In vulgi pauperibus nequaquam intelligentia, sed eleemosyna opus est, in sanctis vero pauperibus beatitudo est intelligentiae, ut ei tribuas, qui erubescit accipere, et cum acceperit, dolet, metens carnalia et seminans spiritualia [3] ». Hucusque Hieronymus.

[...tentatio ...m debe- ...ege mi- ...ordiae.]

39. Debetur etiam eis lege *iustitiae* tanquam praedicatoribus veritatis; quam quidem iustitiam exigere possunt, non *iure fori* sicut praelati, in quibus acceptio stipendiorum non est mendicitas, sed potestas; sed *iure poli* eam exigere possunt et debent per modum humilitatis, scilicet pro Christi amore gratis petendo, ut alii mereantur dando, et ipsi humilientur accipiendo; et sic sustententur, ut evangelizent, non evangelizent, ut comedant. Unde Bernardus ad Fratres de Monte Dei [4]: « *Cum dives esset, pauper pro nobis factus est;* et qui voluntariae paupertatis dedit praeceptum, ipse eiusdem in semetipso formam dignatus est demonstrare. Ut enim sciant evangelici pauperes, quid eis faciendum sit; ipse etiam a fidelibus pasci voluit, nonnunquam et ab infidelibus, sed ut fideles faceret, vitae necessaria accipere non recusavit ». Constans est autem, quod non loquitur hic de praelatis, sed de pauperibus Religiosis, quos exemplo Christi dicit de eleemosynis debere sustentari, non quidem potestative requisitis, sed pie et humiliter postulatis.

[...m, lege ...stitiae.]

40. Huiusmodi autem pauperes sustentare pro Christo non minoris est meriti quam aedificare basilicas, ut dicit Hieronymus ad Demetriadem [5]: « Alii aedificent ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis; non reprehendo, non abnuo. *Unusquisque in suo sensu abundet,* meliusque est hoc facere quam repositis opibus incubare. Sed tibi aliud propositum est: Christum vestire in pauperibus, visitare in languentibus, pascere in esurientibus, suscipere in his qui tecto indigent [6], et *maxime in domesticis fidei,* virginum alere monasteria, servorum Dei et pauperum spiritu habere curam, qui *diebus ac noctibus serviunt Domino* tuo; qui in terra positi, imitantur Angelorum conversationem et nihil loquuntur, nisi quod ad laudes Dei pertinet, habentesque victum et vestitum, his gaudent divitiis [7]; qui plus habere nolunt, si tamen servant propositum; alioquin, si amplius desiderant, his quae necessaria sunt, probantur indigni ». — Ex his Hieronymi verbis colligitur, quod sustentare huiusmodi evangelicos pauperes opus est pietatis permaximae, ac per hoc ipsos persequendo calumniari scelus est non parvae perfidiae. Non enim inopia voluntaria, ut hic dicit, est causa malorum et multiplicium criminum, sed, ut dicit Chrysostomus et supra [8] habitum est, « infinitorum causa bonorum ». Sicut enim *radix omnium malorum est cupiditas,* quae est amor divitiarum; sic paupertas cunctorum est origo bonorum spiritualium, quae est contemptus affluentiae et amor penuriarum. Non ergo *multi deliquerunt propter inopiam* [9], quam *dilexerunt,* sed propter inopiam,

[Meritum talis sustentationis.] [Notandum.]

---

[1] Num. 15. Allegantur Gal. 6, 10. et Luc. 16, 9.

[2] Textus originalis addit *beati;* cfr. Matth. 5, 3: Beati, pauperes spiritu etc. — Sequitur Ps. 40, 2.

[3] Respicitur I. Cor. 9, 11: Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? — Superius post *In vulgi pauperibus* Vat. et ed. 2 cum textu originali addunt *sustentandis,* pro *intelligentia* textus originalis *intellectu,* qui etiam pro *tribuas* (ita A B C D G) substituit *tribuat,* edd. *tribuatur.*

[4] Libr. I. c. 13. n. 39. (cfr. supra pag. 294, nota 5, in cuius fine de auctore huius tractatus sive epistolae). Allegatur II. Cor. 8, 9. Pro *praeceptum* (ita etiam textus originalis) edd. *exemplum.*

[5] Epist. 130. (alias 8.) n. 14. Cfr. supra pag. 289, nota 12. Allegatur Rom. 14, 5.

[6] Cfr. Matth. 25, 35. seq., ubi haec opera misericordiae insinuantur. — Sequuntur Gal. 6, 10: Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei; Apoc. 7, 15: Et serviunt ei die ac nocte in templo eius.

[7] Epist. I. Tim. 6, 8: Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. — Superius vocibus *nihil loquuntur* textus originalis interserit *aliud.*

[8] Cap. 9. n. 18. — Subinde allegatur I. Tim. 6, 10. Cfr. supra pag. 272, nota 4.

[9] Eccli. 27, 1. Cfr. supra pag. 328, nota 12. Glossa *interlinearis* apud Lyranum: *Propter inopiam,* cordis vel corporis, alias operis, *multi deliquerunt.* Cfr. Rabanus, in hunc locum: Multi ergo per inopiam delinquunt, sed magis propter inopiam cordis quam corporis, quia multos viros sanctos pauperes rebus in hoc mundo esse legimus, divites autem in fide et virtutibus, qui eandem fidem Christi et iustitiam eius inter adversa istius saeculi usque in finem vitae servaverunt sicque

quam *oderunt*, vel certe, sicut Glossa dicit, verbum illud intelligitur non de inopia bonorum temporalium, sed spiritualium charismatum atque virtutum.

41. Haec idcirco diximus, non quia commen-
Epilogus. demus effrenatam mendicantium multitudinem, aut omnem mendicandi modum ut perfectum approbare velimus; sed eum dumtaxat, qui annexum habet studium sapientiae septiforme [1], vel laborem manualem cum professione et observantia evangelicae paupertatis et exercitatione perfectae virtutis. Quem quidem modum cum tota Christi vita et doctrina evangelica comprobet, si quis ipsius contrarium evangelizaverit, iuxta verbum Apostoli [2], *anathema sit.* Desinat igitur persecutor hic pauperum a malignis calumniis et verbis maledicis, nec Balaam [3] transcendendo malitiam, illis maledicat, quibus Dominus benedixit, ne, benedictionem perdens caelitus repromissam, maledictionem promereatur aeternam. Quodsi cessare noluerit, verus pauper clamare non cesset [4]: *Adiuva me, Domine Deus; Deus, salvum me fac propter misericordiam tuam;* et dehinc media prosequens, in fine concludat: *Confitebor Domino nimis in ore meo et in medio multorum laudabo eum; quia astitit a dextris pauperis, ut salvam faceret a persequentibus animam meam.* Amen.

Explicit Apologia pauperum.

---

ad coronam aeternae vitae pervenerunt, qui magis thesaurum caelestem quam terrestrem quaesierunt. *Beati, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum* [Matth. 5, 3.]. At ille qui quaerit in hoc mundo locupletari, avertit oculum suum a timore Dei et sequitur cupiditates istius mundi, ideo carebit benedictione caelestis regni. Cfr. supra c. 9. n. 27. in fine.

[1] Cfr. supra n. 13.

[2] Gal. 1, 8. Cfr. supra pag. 292, nota 10.

[3] Num. 23, 8: Quomodo maledicam cui non maledixit Deus? — Inferius loco *promereatur* edd. *incurrat.*

[4] Cum Psalm. 108, 26. Versus seqq. sunt: « Et sciant, quia manus tua haec, et tu, Domine, fecisti eam. Maledicent illi, et tu benedices; qui insurgunt in me confundantur, servus autem tuus laetabitur. Induantur qui detrahunt mihi pudore, et operiantur sicut diploide confusione sua ». Deinde v. 30. seq.: Confitebor Domino etc.

OPUSCULUM XII.

EPISTOLA DE TRIBUS QUAESTIONIBUS

AD MAGISTRUM INNOMINATUM[1]

1. Innominato magistro spiritum intelligentiae et veritatis[2]! Proponis, carissime, ut tibi tres articuli de Regula Fratrum Minorum absolvantur, de quibus te ostendis pluribus rationibus dubitare, scilicet de paupertate, labore manuum et studio scholarium et magistrorum. — Cum enim Regula[3] dicat, quod « Fratres non recipiant pecuniam per se vel per interpositam personam »; et rursum, « nec domum nec locum nec aliquam rem sibi approprient »; videntur tibi Fratres in hoc Regulae contraire, cum tibi videantur pecuniam per interpositam personam recipere, libros habere et domos, cum non possint harum rerum quas habent dominos assignare. — In labore etiam manuum sibi iniuncto[4], ut tibi videtur, sub praecepto, culpabiles tibi videntur, cum nec laici laborent in operibus mechanicis nec clerici in libris manu propria scribendis, quin potius magnis sumtibus faciunt eos scribi, ac si apud se haberent numismatum percussores. — Postremo, in magisterio et studio philosophiae Fratres condemnas; cum Regula[5] dicat, quod « non curent nescientes litteras litteras discere », Fratres plerumque tam clerici quam magistri, qui etiam in saeculo philosophiam parum aut nihil audierunt, student, lectitant, scriptitant, immo quod plus est, laniant, dissipant et aedificant. Nec videtur tibi, tantae humilitatis professoribus posse competere nomen *magistri*, cum hoc nomen videatur Dominus in Evangelio Matthaei[6] suis discipulis inhibere, quorum nos dicimur imitatores tanquam professores Evangelii Iesu Christi. — Haec, ut asseris, tibi in corde de statu et salute Fratrum scrupulum generant et tuam conscientiam inquietant. Super haec addis assertionem quorundam, qui tibi nisi sunt hanc conscientiam de Fratribus fabricare.

[Margin notes: ...asio hoc ...ribendi. — Dubitatio prima. — Secunda. — Tertia. — Notandum.]

2. Intende igitur in ea quae dicturus sum; *dabit enim tibi Dominus* precibus gloriosae Virginis et

[Margin note: Incipit responsio.]

---

[1] Cod. P: « Determinatio quorundam articulorum de Regula Fratrum Minorum per dominum Bonaventuram tunc degentem Parisius edita et transmissa cuidam in artibus liberalibus magistro, averso ab Ordine per quosdam aemulos alterius Ordinis Religiosos ». — Verba huius codicis confirmantur ipso opusculo; vide ultimam propositionem in n. 1. Praecipue vero notandum est illud additamentum sine dubio genuinum, quod in fine Epistolae exhibemus ad calcem ex cod. L omnium aliorum antiquiore, cuius aetas ascendit usque ad finem saeculi XIII. Id quod ibi dicitur de quodam Religioso alterius egregii Ordinis, amicitia cum S. Bonaventura coniuncti, bene convenit epistolae ad privatam personam scriptae, non vero publico foro. Consentaneum igitur erat, illud additamentum supprimere, quando haec Epistola publicata est sive ab ipso auctore, sive ab aliis Fratribus. Cum Bonaventura illum magistrum invitet, non solum ut ipsum visitet, sed etiam ut Ordini Minorum se aggreget, satis insinuatur, eundem iam propensum fuisse ad hanc vitam assumendam, sed postea falsis istius Religiosi incriminationibus scrupulum de statu et salute Fratrum concepisse hasque dubitationes sancto Generali Ordinis communicasse, qui inde sumsit occasionem scribendi hanc Epistolam. — Denique observamus, codices nostros praebere insolitam multitudinem variantium lectionum. Conveniunt quidem ipsi plerumque contra textum editum in locis a nobis mutatis, sed praeterea quasi in omni linea unus alterve cod. a communiore codicum lectione in aliquo verbo deviat, quin sensus propositionis mutetur; unde plerasque variantes omisimus.

[2] Vat., refragantibus plurimis codd., *Innominato magistro frater Bonaventura* [ita etiam ed. 1 et 2] *spiritum intelligentiae veritatis exoptat.* Subinde pro *ut tibi* B E *quod tibi*, et pro *absolvantur* H L *dissolvantur*, A D E G *solvantur*.

[3] Cap. 4. et deinde c. 6.

[4] Regul. c. 5: Fratres illi quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter et devote etc. — Inferius vocibus *magnis sumtibus* edd. et plures codd. praefigunt *cum*.

[5] Cap. 10. Post *curent* L addit *Fratres*. — Inferius pro *magistri* C E G K *laici;* pro *philosophiam* edd. cum pluribus codd. *de philosophia*, et pro *lectitant* (ita A B D E L) *recitant*.

[6] Cap. 23, 8: Vos autem nolite vocari rabbi, unus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis. — Inferius post *professores Evangelii* G K prosequuntur *principaliores imitatores tanquam profitentes Evangelium* etc.

beati Francisci rectum *in his omnibus intellectum*[1].

In quo consentiant et dissentiant.

Supponis, quod Regula paupertatem praecipit, commendat laborem, vetat curiositatem; suppono et ego. Detestaris ob hoc receptiones pecuniarum, proprietates librorum atque domorum; vitupero et ego; immo et hoc nos fortiter omnes culpamus et persequimur; et in his convenimus. — Sed quod Fratres tales credis, aut si non credis, dubitas; in hoc penitus dissentimus. Nec enim hoc credo nec dubito, certum habens oppositum tanquam verum; non quod nullus talis sit in Ordine, qui non possit culpari in aliquo praedictorum, cum nec in duodecim Apostolis talis perfectio potuerit reperiri[2]; sed communitatem status, de qua tu intelligis, defendendam assumsi.

Primo, de receptione pecuniae et paupertate.

3. Vide igitur, quid sentire debeas de *receptione pecuniae. Testificor enim coram Deo*[3], quoniam veritatem sum expressurus secundum meam conscientiam in omnibus, quae subiungam. Non credo, te aliquatenus dubitare, quin pauperibus, quantumcumque extremam voverint paupertatem, liceat recipere eleemosynam, nisi velint se occidere; quod si nefas est, licet hoc Fratribus; quod nullus sanae mentis ignorat. Non est igitur contra eorum professionem, si quis[4] dives homo hanc eis ministrat manu propria. Quod si noluerit, potest eis ministrare per manum servi sui. Quod si ille servus non possit, sed committat alii, quare non liceat per tertiam manum, non videtur; quare ergo non possit usque ad decimam manum, non video. Quodsi dives, habens pecuniam, non habeat victum[5] aut vestitum Fratribus necessarium, nonne potest ipse manu sua emere? Nonne potest pecuniam pro emptione alii committere, et sic per multas manus in usus Fratrum expendere, pro relevandis eorum necessitatibus sine offensione Fratrum? Quis sanae mentis hoc dubitat? cum pecunia ita sit domini, dum committitur personae intermediae, ac si ipse dominus eam manu propria conservaret; nisi forte quis ita desipiat, ut dicat, quod pecunia in manu servientis posita transeat hoc ipso[6] in eius dominium et desinat esse domini; quod penitus absurdum est.

Obiectio… vitu

4. Quodsi dicas, quod dominus simpliciter et absolute dare intendit Fratribus, dico et ego, quod nullus sanae mentis dare intendit Fratribus, nisi prout competit Regulae et professioni eorum. Quis enim daret eis eleemosynam, ut eos faceret perdere vitam aeternam? Dat ergo eo modo, quo Fratribus expedit[7], scilicet committendo alicui, qui per se eam dispenset in his rebus, quas Fratribus licet accipere, et sic pecunia illa, per quorumcumque manus transeat, nullo modo spectat ad Fratres, quia semper est primi domini. Et per hoc manifestum est, quod « nec per se nec per interpositam personam » eam recipiunt[8]. Fateor coram Deo, ita esse verum in conscientiis Fratrum.

Confirm… auctor… Papae

5. Quodsi forte mihi non credis, crede tamen ipsi domino Papae[9], qui, in utroque iure peritus, Ordinis et perfectionis aemulator, qui, ut ipse testatur, in conditione Regulae beato Francisco astitit et eius plenius intellectum cognovit, dicit[10], requisitus a Fratribus, quod « Fratres volentibus sibi eleemosynas facere possunt fidelem aliquem praesentare. Qui taliter praesentatus a Fratribus non est eorum nuntius, licet praesentetur ab ipsis, sed illius potius, cuius mandato solutionem facit, seu recipientis eandem ». Haec sunt verba ipsius. Quis ita desipit, ut si dicam alicui: iste fideliter exsequetur vel custodiet quod ei committes, quod propter hoc quidquid ille acceperit fiat meum? Et licet haec verba non semper exprimantur, semper tamen habentur in corde, et semper ab aliis credimus sic accipi[11]. Quis igitur tam improbus est, ut impugnare audeat hanc veritatem, per tantorum virorum conscientiam sanam et discretam, per tantam rei evidentiam, et ut nihil desit, per Sedem apostolicam confirmatam? Certus sum, quod talis portabit iudicium.

De lib. et utensil…

6. De[12] *libris* autem et *utensilibus* quid sentiam, audi. Clamat Regula[13] expresse imponens

---

[1] Epist. II. Tim. 2, 7. — Superius pro *in ea* C K *corde;* G M N O legunt *Ad oppositiones responsio. Vide ergo corde quae* etc.; P *Responsio et primo de paupertate. Intende* etc. Inferius pro *curiositatem* G L M *otiositatem.*

[2] Ioan. 6, 71: Nonne ego vos duodecim elegi, et ex vobis unus diabolus est? Cfr. supra pag. 292, nota 1. — Codd. A D E F G I L M O et ed. 2 omittunt *talis perfectio.* Inferius pro *intelligis* edd. *iniungis.*

[3] Epist. II. Tim. 4, 1. — Codd. A D P huic numero praefigunt rubricam *Quomodo* [P *Ut*] *Fratres non recipiunt* [P *recipiant*] *pecuniam per se nec per interpositam personam.*

[4] Plures codd. *si aliquis* et subinde *hoc* pro *hanc.*

[5] Ita A B D F G H L; cod. E *habens pecuniam, velit emere non habentibus victum;* Vat. *habens pecuniam, dat victum.*

[6] Fide codd. supplevimus *hoc ipso.*

[7] Codd. E G *competit.* Subinde pro *qui per se* D E F I et ed. 2 *qui pro se,* pro *sic pecunia illa* A B D E G *sic pecunia ipsa,* et pro *primi domini* G H *propria domini.*

[8] Ut in Regula c. 4. insinuatur.

[9] Codd. G I O addunt *Gregorio IX,* qui in Constitut. *Quo elongati* (cfr. supra pag. 312, nota 3.) ait: Et cum ex longa familiaritate, quam idem confessor [Franciscus] nobiscum habuit, plenius noverimus intentionem ipsius et in condendo praedictam Regulam, obtinendo confirmationem ipsius per Sedem apostolicam sibi astiterimus, dum adhuc essemus in minori officio constituti, declarari similiter postulastis dubia et obscura Regulae supradictae nec non super quibusdam difficilibus responderi etc. — Inferius pro *perfectionis* A D E *professionis,* et pro *plenius* Vat. *plenum,* G *penitus,* M *plenarie.*

[10] In allegata Constitutione; cfr. supra pag. 314, nota 9.

[11] Codd. C G K legunt *in corde. Et sic semper ab aliis eleemosynam accipimus.*

[12] Cod. A praemittit hanc rubricam *De libris;* P *De libris et utensilibus Ordinis.*

[13] Cap. 9. — Nicolaus III., in sua Declaratione *Exiit qui seminat* (cfr. supra pag. 321, nota 6.), a. 2. n. 6: Habetur etiam in eadem Regula [c. 9.], quod « in praedicatione, quam Fratres faciunt, sint examinata et casta eorum eloquia, ad utilitatem et aedificationem populi, annuntiando eis vitia et virtutes, poenam et gloriam ». Sed constans est, quod haec prae-

Fratribus auctoritatem et officium praedicandi, quod non credo in aliqua Regula alia reperiri. Si igitur praedicare non debent fabulas, sed verba divina; et haec scire non possunt, nisi legant; nec legere, nisi habeant scripta: planissimum est, quod de perfectione Regulae est libros habere sicut et praedicare. Et sicut non obstat Ordinis paupertati habere Missalia ad cantandas Missas et Breviaria ad Horas dicendas; sic nec obstat libros habere [1] et Biblias ad verba divina praedicanda. Licet igitur Fratribus libros habere.

e rerum editur, rietas atur.

Sed nunquid Regula sibi contraria est, quae alibi [2] mandat *nihil habere?* Absit hoc, ut in ea sit aliqua contrarietas, sicut nec falsitas, cum tota de fonte Evangelii sit extracta, sicut mihi, qui parum novi, facile esset ostendere [3]. Dico ergo, quod Fratribus horum concessus est *usus*, sed vetatur *appropriatio*. Nam non dicit Regula, quod Fratres nihil *habeant* nec aliqua re utantur, quod esset insanum; sed, quod « nihil sibi *approprient* ». Cui igitur horum proprietas assignabitur? Respondeo ego, quod cuiuscumque sit, non est mea nec Ordinis, et hoc mihi sufficit ad meae conscientiae puritatem. Ne tamen hominibus fugam parare videar, dico, harum rerum mobilium gubernatori et protectori Ordinis cardinali potestatem et auctoritatem et providentiam a domino Papa esse concessam. Sic enim dominus Papa [4] ait: « Nec vendi debent mobilia nec extra Ordinem commutari aut alienari quoquo modo, nisi Ecclesiae Romanae cardinalis, qui fuerit Ordinis gubernator, generali seu provincialibus Ministris super hoc auctoritatem praebuerit vel assensum ».

tio solvitur.

7. Sed dicis: Nunquid qui dant Biblias Fratribus, intendunt eas dare Papae aut cardinali [5]? Dico et ego: Nunquid pater, qui dat Bibliam filio, intendit labefacere Ordinem filii et filium suum facere filium diaboli? Credo, te responsurum, quod non. Dat igitur filio, intendens, quod Ordinis paupertas [6] sit penitus illibata, ac per hoc, ut Ordo *utatur*, *proprietas* autem sit eius cuius decrevit esse pastor Ordinis et Ecclesiae. An non credis, quodsi pater non posset filio librum dare nisi per manum alicuius, de quo praesumeret, quod non esset filii sui praedator, sed pastor, nonne daret [7]? Utique daret, ut filio commodaret ad usum. Et in hoc melius provisum est Ordini, Domino favente. Nam si librorum proprietas remaneret penes parentes, sic Ministri non possent auferre Fratribus libros, et essent quasi perpetui [8] ad vitam. Nunc autem Ordo nihil sibi appropriat in libris, dum Ministri libros nec vendere nec alienare auctoritate propria possunt, nec Fratres subditi, dum frequenter resignant, et eis pro voluntate Ministrorum assignantur et auferuntur. Certus sum, quod haec est conscientia Fratrum.

Specialiter de domibus agitur.

8. Ut autem nihil remaneat, audi [9] de *domibus*. Dico, *domos* non esse Fratrum; sed si de *solo* quaeris, dico, quod dantium est et patronorum; si de *aedificiis*, pari ratione aedificantium, vel eorum quorum est solum, quia cedit solo [10] unius, si unus aedificat, vel plurium, si plures. Mentior, nisi dominus Papa [11] dicat: « Salvo *locorum* et *domorum* dominio illis, ad quos noscitur pertinere »; in *loco* intelligens solum, in *domibus* aedificia superaddita. Unde nec appropriamus nobis *locum*, cum dicamus [12], esse illorum qui Fratribus ipsum accommodant, nec *aedificium*, cum sit illorum qui dant impensas, vel cedat solo; nec etiam *usum* appropriamus, nisi pro voluntate eorum qui Fratribus concedunt praedicta. Certus sum enim, quod haec est conscientia Fratrum. Nec obstat, si aliquando vidisti contrarium — quod non credo — quia indiscretio unius non debet ad omnes nec ad singulos retorqueri [13].

Alia difficultas solvitur.

— Si dicas, nos *tanquam advenas et peregrinos* debere ire de domo in domum; parcat illi Deus, qui primo hanc stultitiam cogitavit. Nonne beatus Franciscus aedificavit loca? Nunquid tanquam peregrinus ibat quotidie unam dietam? Nunquid et beatus Petrus, cum dicat

---

supponunt scientiam, scientia requirit studium, exercitium vero studii convenienter haberi non potest sine usu librorum. Ex quibus omnibus satis claret ex Regula, ad... sapientiale studium necessarium rerum usum Fratribus esse concessum. — Subinde Vat. cum ed. 1, refragantibus multis codd. et ed. 2, omittit *auctoritatem et,* ac plures codd., ut A B E I L, post *Regula* omittunt *alia.*

[1] Vat. cum ed. 1 omittunt *libros habere.*

[2] Cap. 6: Fratres nihil sibi *approprient,* nec domum nec locum nec aliquam rem etc.

[3] Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 7. seqq. — De propositione seq. vide notam praecedentem.

[4] Gregor. IX. supra in Apologia pauperum, c. 11. n. 6. allegatus. Edd. etiam contra textum originalem omittunt *aut alienari* et *generali seu provincialibus Ministris* (ita G K L; plures alii exhibent solum *Ministris*).

[5] Cod. G *Ecclesiae vel cardinali.* Inferius pro *labefacere* F L *labefactare,* et A D G omittunt *filii.*

[6] Codd. D E *puritas.* Inferius pro *pastor* A D *ius.*

[7] Edd. 1 et 2 omittunt *nonne daret,* pro quo A B D *quod illi non daret,* G legit *filium praedaturus, quod illi non daret.* Inferius pro *favente* edd. *faciente.*

[8] Codd. I O *et sic essent quasi appropriati.* Inferius post *assignantur* G addit *ad usum,* F *frequenter,* et vocibus *conscientia Fratrum* M interserit *mea et.*

[9] Cod. P, praemissa hac rubrica *De areis et domibus Fratrum,* legit *De hac materia indiscriminatim audi;* A D *Ut autem nihil remaneat de hac materia indiscussum, audi,* ed. 2 *Ut autem nihil indiscussum remaneat, audi.*

[10] Libr. XLI. Digest. tit. 1. leg. *Adeo quidem* (7.) § *Praeterea* dicitur: Omne, quod inaedificatur [id est in ipsa terra affigitur, ut notat Glossa], solo cedit. — Codd. G K *quia cedunt solo.*

[11] Gregor. IX. in praeallata Constitut. *Quo elongati.* — Codd. C G K post *dicat* addunt *in expositione,* edd. *in Regula.*

[12] Codd. A B E *cum dicimus.* Subinde ex codd. E F G H I L O et ed. 2 supplevimus *qui Fratribus... sit illorum,* et pro *vel cedit solo* M substituit *vel cedunt solo.*

[13] Cod. G *quia indiscretio unius vel plurium inter multos non debet ad omnes retorqueri et ad singulos.*

in prima Canonica sua [1]: *Obsecro vos tanquam advenas et peregrinos* etc., voluit, quod omnes transirent de domo in domum? Cum enim dicat Ecclesiasticus [2]: *Vita nequam hospitandi de domo in domum;* tam Petrus quam Franciscus filiis et discipulis suis non sanctam vitam, sed *nequam* imposuissent, si secundum praedictum intellectum nos similes esse peregrinis mandarent. Sed hoc dictum intellige, non ut currat similitudo quatuor pedibus, sed ut domos, in quibus habitamus, parum diligamus nec proprias reputemus, sicut peregrinus, qui transit in patriam, domum non diligit in via tanquam propriam, sed utitur tanquam aliena [3]. Qui aliter sapit, ipse sua insipientia manifestat, quod nihil omnino sapit. Quomodo enim posset esse regimen et ordo praelatorum, qui ita districte manet in Ordine beati Francisci, si omnes essent instabiles et vagabundi per orbem? Hoc non sentit, nisi qui nihil vidit de Ordine.

Secundo, de labore manuum.

9. Veniam [4] autem ad *laborem manuum*, ubi multum insistis, utrum sit *consilium*, vel *praeceptum*. Ego autem dico, non intendere beatum Franciscum manualem laborem nec praecipere nec consulere nec monere; sed supposita admonitione Apostoli [5], Fratribus nimis vel minus sollicitis ad laborem dat formam laborandi. Quidam enim sic intendebant labori manuali, ut necaretur in eis devotio orationis; quod quia periculosum erat, cum activa debeat deservire contemplativae, dedit eis formam sanctissimus Pater, ut « sic laborarent », qui laborare vellent, scirent et possent, « ut sanctae orationis et devotionis spiritum non exstinguerent ». Hoc enim sequitur in textu Regulae [6] immediate. Unde attende, quod non dicit: *praecipio* vel *consulo* Fratribus, quod laborent, nec dicit: Fratres, qui possunt laborare vel operari sciunt, laborent; sed, « quibus dedit Dominus gratiam laborandi », quod non solum includit potentiam, sed etiam voluntatem laborandi. Sicut, si diceret: Fratres, quibus dedit Dominus gratiam lacrymandi, lacrymentur modeste, ita quod oculos non amittant; non praeciperet lacrymari; sic nunc intelligit [7]. Ipse autem de labore manuum parvam vim faciebat nisi propter otium declinandum, quia, cum ipse fuerit Regulae observator perfectissimus, non credo, quod unquam lucratus fuerit de labore manuum duodecim denarios vel eorum valorem; sed potissime Fratres ad orationem monebat nec volebat, quod illam exstinguerent propter lucrum. — Unde provincialibus Ministris relinquitur, quod non permittant, Fratres suos esse otiosos; et ego una tecum, si qui tales sunt, iudico arguendos et verberibus puniendos tanquam servos malos et pigros [8]. Non tamen propter hoc tibi displiceat Ordo, quia satis ibi invenies copiam laborandi tam in studio veritatis quam in exercitio humilitatis, pietatis et cuiuslibet alterius virtutis. Nam Fratrum est eleemosynam quaerere [9], coquinam facere, infirmis servire, scutellas lavare et in omnibus humilitatis exercitiis laborare, quae dulciora sunt Fratribus quam multa officia dignitatis.

Notandum. (Notandum.)

Tertio de magistris et studio.

10. Sed quid dicemus de *ascendentibus cathedram?* cum Regula [10] dicat, quod « non curent nescientes litteras litteras discere » etc., cum etiam Evangelium dicat, quod nolimus vocari *magistri.* Dico ego, quod Regula non vetat studium litteratis, sed illitteratis et laicis. Vult enim iuxta Apostolum [11], quod *unusquisque in ea vocatione, qua vocatus est, permaneat,* ut ad clericatum de laicatu nullus ascendat, nec vult, quod clerici efficiantur laici studium recusando; alioquin ipse transgressor fuisset, qui, cum paucas litteras sciret, postmodum in litteris profecit in Ordine, non solum orando, sed etiam legendo. Unde ut scias, quantum sibi placuerit studium sacrae Scripturae, audivi ego a Fratre, qui vivit, quod, cum novum testamentum venit ad manus eius, et plures Fratres non possent simul totum habere, dividebat per folia et singulis communicabat, ut omnes studerent, nec unus alterum impediret. Clericos etiam, quos ipse recipiebat ad Ordinem, in

Notandum.

---

[1] Cap. 2, 11. — Superius pro *primo hanc* E *falsam hanc.*

[2] Cap. 29, 31. — Inferius pro *praedictum* A D H L *praemissum.*

[3] August., in Ioan. Evang. tr. 28. n. 9: Ille se intelligit peregrinantem, qui se videt patriae suspirantem. Cfr. Gregor., XV. Moral. c. 57. n. 68. et XVIII. c. 30. n. 48; Beda, in I. Petr. 2, 11. — Superius voci *domum* C G K praefigunt *alienam.* Subinde pro *ipse sua insipientia* E et ed. 2 *ipsa* [ita etiam F H I] *sua sapientia* [etiam B], pro *Quomodo enim* edd. *Quomodo ergo;* post *omnes* E addit *Fratres,* et pro *per orbem* A B D E substituunt *per mundum* (G legit: *si omnes instabiles et vagabundi transirent per orbem).*

[4] Cod. B praemittit hanc rubricam *De labore manuum,* E *De labore,* M *Secundus articulus,* O in margine *Solutio secundi dubii.* Inferius pro *multum insistis* edd. *taliter insistis.*

[5] Epist. II. Thess. 3, 11. seq., cfr. supra pag. 320, nota 5. — Subinde post *laborandi* ed. 2 addit: *ut excluso otio, quod est fomentum peccati, laborarent, ita quod spiritum devotionis non exstinguerent* (Regula c. 5; cfr. paulo inferius).

[6] Cap. 5, ubi etiam habetur quod in seq. propositione allegatur, in qua ex pluribus codd. et ed. 2 supplevimus *nec dicit... operari sciunt* [A D *faciant*], *laborent.*

[7] Codd. B E G K *intellige,* N *intelligendum,* D *sic et similiter intelligo.* Subinde pro *Ipse autem* G K N et ed. 2 *Ipse enim,* pro *parvam vim faciebat* Vat. cum ed. 1 *vim non faciebat,* et pro *nisi* B E *sed.*

[8] Cfr. Matth. 25, 26. seqq. et Luc. 12, 47. — Pro *puniendos* G I K M O *pungendos.* Superius pro *relinquitur* B E M *relinquit.*

[9] Codd. B E G *petere.* Inferius pro *exercitiis* B E G M et ed. 2 *officiis,* et pro *laborare* E *se exercere.*

[10] Cap. 10. — Sequitur Matth. 23, 8: Nolite vocari rabbi (ita et G); cfr. supra pag. 331, nota 6. — Huic numero praefigit B rubricam *De magistris,* E *De lectoribus,* P *De magistris et lectoribus Ordinis,* O in margine *Solutio tertii dubii.*

[11] Epist. I. Cor. 7, 24: Unusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum. Cfr. Eph. 4, 1. — Inferius post *alioquin ipse* B E supplent *beatus Franciscus,* et post *paucas litteras* M et ed. 2 addunt *in saeculo.*

summa reverentia habebat et in morte[1] mandavit Fratribus, quod doctores sacrae Scripturae in summa veneratione haberent tanquam illos, a quibus perciperent verba vitae. Unde cum nomen *doctoris* veneraretur, intelligebat, hoc Evangelium non vetasse, alioquin Paulus Apostolus Evangelio contradiceret, qui se in secunda Epistola ad Timotheum[2] *magistrum gentium* vocat, quod maioris impudentiae videtur, quam si ab aliis vocaretur.

...rorum ...a re-...ur, of-... com-...atur.

11. Dico ergo, quod secundum dictum evangelicum ambitio et pompa huius nominis condemnanda[3] est et nullatenus appetenda, sed officium assumendum. Quos enim magis decet docere Evangelium, quam qui Evangelium profitentur et servant? Nam, cum dicat Evangelium[4]: *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum;* quis sanae mentis dicat, ut magister et frater Alexander dives debuerit praedicare et docere: *Beati pauperes spiritu,* et idem ipse pauper effectus debuerit reticere? Certe, si Fratres decet addiscere et *ruminare* tanquam *munda animalia*[5] verba divina, et sibi ipsis sufficiunt in docendo; quis tam stultus est, ut dicat, quod doctrinam, quam eos decet facere et docere, debeant a non facientibus mendicare? Damno igitur tecum in magisterio pompam, sed commendo officium; damno Fratrem Minorem pomposum et dico eum magisterio penitus indignum; sed commendo studiosum, credens, quod nulli magis quam tali competit auctoritas docendi Evangelium Christi.

...studio ...ophiae.

12. Restat[6] autem, ut de *philosophantibus* aliquid subiungamus, amice carissime. Utinam in ceteris sicut et in hoc pariter concordemus! Fateor, displicent tibi curiositates, displicent et mihi, displicent et Fratribus bonis, displicent et Deo et Angelis eius. Nec defendo circa scripta puerilia mussitantes, sed detestor eos pariter tecum. Unum tibi et mihi consulo, ut habeamus zelum secundum scientiam[7] nec detestemur plus, quam oportet, vel quod non oportet. Fortasse enim hoc inter peccata minuta et venialia computandum est. Vix enim grana absque paleis colligi possunt et verba divina sine verbis humanis[8]. Haec autem omnia separantur per zelum compunctionis et flatum devotionis, quae faciunt, triticum veritatis a verborum paleis separari. Et fortasse aliqui videntur *curiosi*, qui magis sunt *studiosi.* Si quis enim studeret in dictis haereticorum, ut eorum sententias declinando magis intelligeret veritatem; nec curiosus nec haereticus, sed catholicus esset. — Quodsi verba philosophorum aliquando[9] plus valent ad intelligentiam veritatis et confutationem errorum, non deviat a puritate aliquando in his studere, maxime cum multae sint quaestiones fidei, quae sine his non possunt terminari. Unde si velimus nimis stricte iudicare, fortasse ipsos Sanctos, quod impium est, iudicabimus curiosos. Nam nullus melius *naturam temporis et materiae* describit quam Augustinus, inquirendo et disputando in libro Confessionum[10]; nullus melius *exitus formarum* et *propaginem rerum* quam ipse super Genesim ad litteram; nullus melius quaestiones de *anima* et de *Deo* quam ipse in libro de Trinitate[11]; nullus melius *naturam creationis mundi* quam idem in libro de Civitate Dei. Et ut breviter dicam, pauca aut nulla posuerunt magistri in scriptis suis, quin illa reperias in libris Augustini. Lege Augustinum de Doctrina christiana[12], ubi ostendit, quod non potest intelligi sacra Scriptura sine aliarum scientiarum peritia; ostendit etiam, quod sicut filii Israel asportaverunt vasa Aegypti, sic doctores theologi doctrinam philosophicam. Unde multa, quae non didicimus per philosophos et de dictis philosophiae, discimus per

Notandum.

Utilitas philosophiae.

---

[1] In testamento suo: Et omnes theologos et qui ministrant nobis sanctissima verba divina debemus honorare et venerari, sicut qui ministrant nobis spiritum et vitam. Cfr. Bonav., Legenda S. Francisci, c. 11.

[2] Cap. 1, 11: Et magister gentium. — Superius pro *cum nomen doctoris* G K *cum tantum doctores.*

[3] Codd. E F G K L N O et ed. 2 *contemnenda;* Vat. et ed. 1 legunt *quod secundum Evangelium pompa huius nominis condemnanda.*

[4] Matth. 5, 19. — Sequitur Matth. 5, 3. — Post *Alexander* G addit *de Alis* (Hales), magister Bonaventurae.

[5] Cfr. Lev. 11, 3. seqq. et Deut. 14, 6. seqq.

[6] Cod. B praemittit hanc rubricam *De philosophantibus,* M *Tertius articulus*, P *De curiositate Fratrum.* Inferius post *subiungamus* edd. prosequuntur: *Audi carissime, sicut in ceteris, sic et in hoc* etc. Pro *concordemus* D G *concordaremus.*

[7] Rom. 10, 2: Aemulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. Ibid. 12, 3: Non plus sapere, quam oportet sapere. — Superius pro *Unum* Vat. et ed. 1 *Unde et,* quae etiam subinde pro *nec detestemur* substituunt *ne detestemur* et omittunt *vel quod non oportet.*

[8] Codd. A D L N *verba divina absque* [N addit *verbis*] *humanis.* Inferius pro *flatum devotionis* (ita A F H K M N; cfr. supra Opusc. V. de Praeparatione ad Missam, c. 1. n. 8: Nisi pulveres et stipulae venialium per afflatum Spiritus etc.) I O *planctum devotionis,* Vat. et ed. 1 *fletum* [ed. 2 *fletus*] *devotionis.*

[9] Cod. G *alicui,* qui etiam inferius vocibus *a puritate* interserit *veritatis.* Subinde pro *studere* (ita D F I L M N et ed. 2) B *studendo,* E *studentes* (superius pro *deviat* posito *deviant),* Vat. cum ed. 1 *studens,* quae etiam pro *quaestiones* substituit *conclusiones.*

[10] Cod. E addit *undecimo,* in cuius c. 14. n. 17. seqq. agit de tempore, libro XII. c. 3. n. 3. seqq. de materia. — De seq. propositione vide Gen. ad lit. V. c. 23. n. 44. seq.; VI. c. 10. n. 17-19; c. 14. n. 25. seqq.; IX. c. 17. n. 32. Cfr. Bonav., II. Sent. d. 7. p. II. a. 2. q. 1. in fine corp. et d. 18. a. 1. q. 2. — Pro *exitus formarum* G *ortum formarum.*

[11] Praecipue libr. V. seqq. de Deo; lib. IX. seqq. de anima. — De seq. propositione cfr. de Civ. Dei, libr. XI. et XII. — Inferius vocibus *naturam creationis* H L interserunt *Angelorum et.*

[12] Libr. II. c. 27. n. 41. seqq.; ibid. c. 40. n. 60. seq. asportatio vasorum Aegyptiorum per filios Israel [cfr. Exod. 3, 22. et 12, 35.] applicatur doctoribus Ecclesiae.

Sanctos. Ac per hoc non debet tibi esse mirum, si minus fundati intrantes[1] fiant in scientia in Ordine fundatiores.

Hortatio ad illum magistrum non se retrahendi.

13. Sed esto, quod ista sint reprehensibilia et purganda, non propter hoc *retraharis,* quia nullus ad hoc compellitur[2], sed is magis amatur, qui magis est talium aspernator. Nec praelati talia praecipiunt, sed magis puniunt vitiosos. Nec tu propter tres vel quatuor vitiosos debes multos contemnere innocentes. Et si aliqui libris abundant ad tempus, aliis multo pluribus indigentibus poterunt dispensari, cum multo plures egeant, quam abundent. Nec te moveat, quod Fratres fuerunt in principio simplices et illitterati, immo magis debet hoc in te fidem Ordinis confirmare. Fateor coram Deo, quod hoc est, quod me fecit vitam beati Francisci maxime diligere, quia similis est initio et perfectioni Ecclesiae, quae primo incepit a piscatoribus simplicibus et postmodum profecit ad doctores clarissimos et peritissimos; sic videbis in Religione beati Francisci, ut ostendat Deus[3], quod non fuit per hominum prudentiam inventa, sed per Christum; et quia opera Christi non deficiunt, sed proficiunt, ostenditur, hoc opus fuisse divinum, dum ad consortium virorum simplicium etiam sapientes non sunt dedignati descendere, attendentes illud Apostoli[4]: *Si quis est inter vos sapiens, stultus fiat, ut sit sapiens.* Rogo, carissime, ut non nimis *abundes in sensu tuo*[5] nec credas te prudentiorem nec meliorem omnibus, quos ad statum istum vocavit Dominus, et si te vocaverit, non recuses[6]. Vale in Domino. Amen.

EXPLICIT EPISTOLA DE TRIBUS QUAESTIONIBUS.

---

[1] Codd. G M et ed. 2 addunt *Ordinem.*

[2] Cod. L *nullus repellitur.* Inferius pro *sed magis puniunt vitiosos* edd. *sed permittunt,* quae deinde prosequuntur: *Nec propter tres vel quatuor vitiosos debet magister contemnere innocentes.*

[3] Ex L supplevimus *quia similis... ostendat Deus,* quam propositionem M paulo superius post *in principio* exhibet. Superius pro *maxime diligere* edd. *eligere.*

[4] Epist. I. Cor. 3, 18. — Superius edd. omittunt *sed proficiunt.*

[5] Rom. 14, 5: Unusquisque in suo sensu abundet.

[6] Cod. L prosequitur: Singulas rationes tuas, quas posuisti, non pertractavi, tum quia nimis esset prolixum, tum quia ex praemissis apparet, si diligenter attendas, quod falsum supponunt. Credo firmiter, quod si de Ordine pie sentire coeperis, non rationes, sed figmenta quaedam phantastica esse videbuntur. Si tibi placuerit, ego tibi ore ad os ostendam, penitus non valere. De his autem, de quibus loqueris, quod tibi talia sua fecerunt, nolo aliquid aliud dicere, nisi quod Deus illis indulgeat, qui sive malitia, sive, quod magis credo, per ignorantiam, tam temeraria iudicia facere non verentur. Hoc tamen scio, quod maiores et meliores inter eos optimam ac sanctissimam de statu Ordinis se habere conscientiam confitentur; unde aut nobis mentiuntur, aut vobis, et ideo nullatenus est eis credendum. Nec aliquem vidi unquam in tali sententia obfirmatum nisi quendam *parietem dealbatum* [cfr. Act. 23, 3.], quem constat nobis multis mendaciis a propriis Fratribus redargutum. Scio, quod Minister Angliae a Magistro Ordinis quaesivit, qui respondit, se nullam dedisse auctoritatem, nec talem conscientiam habere, immo valde exhorruit; et ex hoc intulit idem Minister sibi: aut ipse mentitur, aut nos. Magis autem credibile est, quod detractor manifestus et perfidus mentitus fuerit, quam vir ille fide dignus. Nos autem credimus, quod ille detractor occasione detractionum, quarum amore obedientiam sibi impositam non servavit, fuerit a Fratribus tanquam rebellis et incorrigibilis expulsus. Scio ego, quod plures ex Fratribus suis malam de ipso conscientiam habebant in parte ista et dicebant, quod nesciebant excusare ipsum a peccato mortali.

Si tibi satisfactum est, Deo gratias age et beatae Virgini Mariae et beato Francisco; si aliquid restat, rogo, non pigeat ore loqui, ut plenius et planius tibi ostendam, non solum praecedentia esse nulla, sed etiam Regulam beati Francisci sic perfectam, sic moderatam, sic sapientissime traditam, quod nulla est certior via eundi ad patriam; et ut breviter dicam, nihil aliud esse quam legem evangelicam abbreviatam. Prolixitati da veniam, pro eo quod prolixae quaestionis necesse est responsionem esse prolixam. Nec debet esse avaritia pergameni, ubi salus animae quaeritur, pro cuius salute effusa fuit copia sanguinis Iesu Christi. Vale in Christo. Amen. Epistolae Bonaventurae declaratoriae quorundam articulorum Regulae Minorum finis. Deo gratias. — De hoc additamento vide supra pag. 331, notam 1. Titulus *Magister* datur Generali Praedicatorum.

Cod. A B E addunt: Explicit eliminatio errorum magistri eiusdem [B omittit *eiusdem,* pro quo E *innominati*] contra Regulam beati Francisci, Domino concedente [B E *respondente*], per servum suum fratrem Bonaventuram [hic desinit E] composita, qui tunc rexit Parisius [hic desinit B] et postea factus est Minister generalis septimus a principio Ordinis Minorum et XVIII annis salubriter praefuit et ministravit Ordini, et postea factus est cardinalis episcopus etc.

OPUSCULUM XIII.

DETERMINATIONES QUAESTIONUM

CIRCA REGULAM FRATRUM MINORUM

PARS I[1].

PROLOGUS.

fioem nis Mi- o obti- im re- untur itnur.

Cum inter alios Ordines Religiosorum Ordo Fratrum Minorum datus sit Ecclesiae ad aedificationem fidelium[2] in fide et moribus per verba doctrinae et exempla bonae conversationis, quibus et fideles erudiantur ad imitandum, et fides muniatur contra pravitatem haereticam, sicut lucerna fugans in domo tenebras et operationes promovens; ut eadem aedificatio afferat fructum ampliorem, necesse est, Ordinem ipsum quatuor ornamentis esse praeditum, sine quibus minus proficeret in aliis, licet forte quoad se aliquo illorum posset carere.

recen- otur.

Primum est *vita irreprehensibilis,* quae maxime sibimet prodest et alios aedificat. Secundum est *scientia sacrae Scripturae,* sine qua nec secure nec utiliter posset alios docere. Tertium est *auctoritas praedicandi et confessiones audiendi,* in quibus maxime prosunt fidelibus Fratres. Quartum est *ratio satisfactoria* super quibusdam dubiis apud alios[3] — qui non intelligunt, qualiter fiant et rationabiliter et licite, immo necessario et meritorie in Ordine, super quibus aut mirantur, aut scandalizantur — ut sciant, quare

re ratio factoria enda.

et quomodo ista fiant rationabiliter. — Cum ad hoc teneamur, ut *coram caeco offendiculum non ponamus,* opera nostra lux debent esse coram hominibus, iuxta illud Matthaei quinto[4]: *Vos estis lux mundi.* Et ideo expedit in lucem ponere et rationem, ut luceat, ostendere de his quae non intellecta possent putari tenebrae, et per consequens possent aliorum aedificationem de nobis aliquatenus impedire. Sicut enim artis alicuius ignarus videt, aliqua ab illius artis opificibus instrumenta haberi, quae non intelligit ad quid valeant; ita plerumque saeculares et rudes mirantur, quare spirituales haec et haec faciant, ita ut etiam expediat aliqua ab eis abscondere, non ex simulationis palliatione, sed pro cautela, ut non ponatur offendiculum infirmis, et pusilli intelligentia materiam scandali inde sumant. Nam, *aufer rubiginem de argento, et egredietur purissimum vas*[5], hoc est, tolle de bono, quod facis, suspicionem rationem reddendo, et apparebit purum et bonum quod putabatur vitiosum; prima Petri: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem* etc. Ipsa enim opera Dei purissima in se saepe sunt in rudibus et in infidelibus occasio scandali, cum non intelligunt et sinistre ac perverse interpretantur; Matthaei undecimo[6]: *Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me,* ait Dominus; et Propheta: *Cum sancto sanctus eris et cum perverso perverteris.* Ut ergo lucerna clarius luceat, offendiculum auferas ei, et limpidius lumen effundet.

Aliqua etiam abscondenda.

---

[1] Huius opusculi partes distinguimus duas, quarum pars *secunda* hucusque impressa fuit ut opusculum distinctum cum titulo *Liber apologeticus in eos qui Ordini Fratrum Minorum adversantur.* Sed manifestum est, hunc libellum non esse nisi continuationem harum *Determinationum;* de quo plura in principio partis II. ad calcem dicentur. — Codd. A B et ed. 1: Incipiunt determinationes quaestionum quarundam [ed. 1 multarum] editae a doctore devoto, scilicet S. Bonaventura [quae sequuntur omittit ed. 1], de statu Ordinis Fratrum Minorum contra detractores Regulae S. Francisci. — Vat. huic Prologo praemittit summam quaestionum, quae hoc opusculo determinantur.

[2] Codd. B C omittunt *fidelium.* Inferius pro *operationes* (ita B) edd. *operantes,* quae etiam subinde vocibus *ut eadem* contra C interserunt *autem.*

[3] Ita B C; edd. *apud illos,* et inferius post *sciant qualiter* pro *quare* (ita A B).

[4] Vers. 14. Edd. praefigunt v. 16: *Sic luceat* etc. Supra respicitur Lev. 19, 14. — Superius edd. contra codd. legunt *fiant rationabiliter, cum ad hoc teneamur. Nam ut coram caeco* etc. Inferius ex codd. supplevimus *ut luceat.*

[5] Prov. 25, 4. — Subinde allegatur I. Petr. 3, 15.

[6] Vers. 6, post quem Ps. 17, 26.

Quaestio I.

Cur sanctus Franciscus novam Regulam instituit [1].

Primo igitur quaeritur, cum tot sancti Ordines et approbatae Regulae fuerint, cur sanctus Franciscus novam Regulam facere voluerit, quasi non sufficerent priorum instituta Sanctorum [2].

Ad primum [3] tibi respondeo, quod sanctus Pater Franciscus, Spiritu Dei plenus et zelo caritatis Dei et proximi totus ignitus, triplici desiderio flagravit, videlicet ut totus posset esse imitator Christi in omni perfectione virtutum; item, ut totus posset adhaerere Deo per assiduae contemplationis eius gustum; item, ut multas posset lucrari Deo et salvare animas, pro quibus Christus voluit crucifigi et mori. Et quia non suffecit ei, ut ista in propria persona tantum ageret, voluit instituere Ordinem, ut multos cooperatores haberet non solum in praesenti, sed etiam in futuro, qui et sanctitatis eius imitatores existerent et alios Deo plurimos lucrarentur. Ordines autem, quos invenit in Ecclesia, aliqua praedictorum trium ex parte habebant, ut Religiosi coenobitae, qui in studio virtutum Christi imitantur vestigia; eremitae, qui contemplationi divinae frequentius vacant [4], et clerici, rectores plebium, qui animarum curam habentes, ex officio lucris animarum omni vigilantia intendere debent. Et quia haec tria simul in nullo invenit Ordine, Spiritu sancto edoctus, novam condidit Regulam et novum Ordinem instituit, qui [5] in professione evangelicorum consiliorum, obedientiae videlicet et castitatis et abdicatione proprietatis, Christi vestigia sequeretur, et in officio praedicationis et confessionis animarum lucra utiliter quaereret, et in altissimae paupertatis mendicitate libertatem spiritus retinens, contemplationis supernae apprehenderet puritatem. Nam, etsi actionis exterioris occupatio aliquoties interrumpat otium contemplandi, ipsa tamen libertas cordis, nullis sollicitudinibus temporalium distracta, spiritualis vacationis magnam praestat studiosis opportunitatem, ut orando, legendo, meditando et contemplando [6]. — Plus enim obest ad devotionis puritatem assequendam strepitus temporalium curarum quam exercitatio virtuosarum actionum, quia curarum importunitas in otio corporis generat mentis inquietudinem. Boni autem operis fidelis exercitatio conscientiam quietat et impinguando elevat in superna [7], sicut qui laborat in praeparationem convivii, in quo quietus iucunde epuletur. Unde et Dominus per diem occupabatur in doctrina populi et aegrotantium cura, in noctibus orationi in monte vacabat; Lucae vigesimo primo [8]: *Erat autem diebus docens in templo, noctibus vero exiens morabatur in monte Oliveti;* et in Psalmo: *In die mandavit Dominus misericordiam suam et nocte canticum eius.* Noluit sanctus Franciscus, esse Fratres suos astrictos ad curam animarum ex debito necessitatis, sed ex affectu liberae caritatis, et ut meritum exspectarent de fructu salutis aliorum et periculum evitarent de perditione eorum, participes in lucro, indemnes in detrimento, ut alios extrahant de naufragii, seu incendii periculo, sed ipsi tuti consistentes in solido, non periclitentur cum pereuntibus in peccato [9].

B. Francisci triplex desiderium. — De Ordinibus antiquis. — Quare novus Ordo institutus sit. — Notand.

Quaestio II.

Cur Fratres praedicent et audiant confessiones, cum ordinarie non habeant curam animarum.

Cur ergo, qui animarum curam ordinarie non suscipitis, praedicatis populo et confessiones auditis, mittentes falcem in messem alienam [10], cum illis proprie competat, qui animarum curam ex officio gerunt, iniuriantes plebanis, in quorum vindemia praeiudicium est exercere officia illis commissa, et decipientes illos quos absolvitis, super quos iurisdictionem non habetis ordinariam, contra canonum statuta [11] et in periculum animarum vestrarum?

Respondeo. Nulli in hoc facimus *iniuriam* nec aliquem *decipimus;* sed Sedes apostolica, quae immediate curam ecclesiarum habet, et a qua ceteri ecclesiarum pastores, tam maiores quam minores, gubernandi suscipiunt auctoritatem, tam mediate quam immediate, et a qua omnes canonum leges emanant, videns, *in his novissimis temporibus,* iuxta Apostolum [12], *instare tempora periculosa,* et laxatis evangelicae praedicationis retibus in capturam,

Iudic. S. Se

---

[1] Ed. 1 hanc rubricam omittit (idem occurrit in seqq.); Vat.: *Cur tot existentibus sanctis et approbatis Ordinibus novam Regulam facere voluerit S. Franciscus.*

[2] Cod. B *instituta patrum.*

[3] Edd. *Ad illud.* Inferius pro *adhaerere* A B *inhaerere,* et pro *multas* (ita A C) edd. *multos.*

[4] Cfr. supra pag. 258, nota 3. et pag. 273, nota 5. — Superius pro *trium* C *tamen* (tantum ?), et vocibus *ex parte* A B praefigunt *vel.*

[5] Edd. *quo,* et deinde pro *in professione* Vat. substituit *in possessione.*

[6] Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 12. n. 13.

[7] Cod. B *ad superna.*

[8] Vers. 37. — Sequitur Ps. 41, 9. — Superius pro *cura* et *orationi* edd. *curatione* et *orationibus.*

[9] Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum c. 12. n. 8.

[10] Deut. 23, 25: Falce autem non metes [segetem amici]. — Inferius pro *in quorum vindemia praeiudicium est* (ita codd.) edd. *in quorum videmini praeiudicium.*

[11] Cfr. Gratian., Causa 16. q. 1, ubi plures canones hac de re afferuntur. — Pro *statuta* (ita C) Vat. *instituta.*

[12] Epist. II. Tim. 3, 1: In novissimis diebus instabunt tempora periculosa. — Subinde respicitur Luc. 5, 4. seqq. (de captura piscium) et 10, 2: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 12. n. 7-11. et infra Opusc. XIV. Quare Fratres Minores praedicent etc.

tantos influxisse pisces hominum ad fidei professionem, quod rete fidei scinditur, messem fidelium multam et *operarios idoneos paucos*, eo quod peccata quotidie multiplicantur in Ecclesia, et episcopi, negotiis exterioribus dediti, spiritualibus intendere nequeunt, et pauci sunt pastores in ecclesiis personaliter residentes, sed vicariis et mercenariis committunt oves sive animas regendas [1], in quorum plurimis multi inveniuntur defectus imperitiae et honestae vitae, negligentiae et aliorum defectuum, per quos ad gubernandas animas redduntur inhabiles, et non esse qui plebes erudiant, vel a peccati faecibus extrahant [2]: vocavit nos in adiutorium tam cleri quam populi, ut per officium praedicationis et confessionis subveniamus animabus et onus pastorum sublevando alleviemus, sicut Petrus et eius socii, *non valentes* soli *rete piscium* ad littus *trahere prae multitudine* [3], *annuerunt* Iacobo et Ioanni, *sociis suis in alia navi*, quae significat Religionem, *ut venirent et adiuvarent eos*, ne vel ipsi mergerentur, vel pisces capti perirent, Lucae quinto [4]. Cum ergo ex apostolicae Sedis missione episcoporum benevolentia praedicationis opem et confessionem subditis eorum impendimus, ex caritate et auctoritate eorum absolvimus; non decipimus eos, sed iuvamus, et in huiusmodi fit non praeiudicium plebanis, sed beneficium, dum pro eis laboramus et ad obedientiam debitam eorum subditos exhortamur. Nam si plebanus potest alteri vicem suam committere, multo fortius potest hoc Papa et episcopi, qui pleniorem habent in omnes sibi commissos sine differentia potestatem. Et sicut ex caritate et non ex necessitate impendimus fidelibus spiritualia subsidia docendo et orando et a peccatis in confessione absolvendo; ita ipsi non ex debito coactionis, sed ex liberalitate caritatis ministrant nobis corporalis necessitatis subsidium, cum *Dominus ordinaverit his qui Evangelium nuntiant, de Evangelio vivere* [5].

...ti sunt ... Sede.

... praeiu- ... o pleba- ...am.

Quaestio III.

Cur Fratres intendant studio litterarum.

Item quaero: cum Religiosi debeant simpliciter ambulare et orationibus et virtutibus [6] abundare et ad hoc operam dare, cur usum impendunt studio litterarum, quae olim sancti Patres postposuisse laudantur, ut Benedictus et alii, in secreta conversatione studentes?

Respondeo. Cum, sicut dictum est [7], praedicationis officium ex regulari professione Ordini annexum sit et confessionis, quae notitiam requirunt sacrae Scripturae, quae subtili indiget in plerisque locis expositione, ne ex imperitia errores pro veritate doceamus; necesse est, nos sacrae Scripturae habere studium et magistros. Haec enim scientia non solum utilis est ad aliorum eruditionem, sed etiam ad propriam instructionem, ut servus Dei sciat se ipsum bene regere, virtutes a vitiis discernere et notitiam Dei et futurorum praemiorum clarius intelligere et in omnibus cautius et fructuosius conversari. Nam et Apostolus hortatur Timotheum [8] ad lectionis studium, et Sanctorum nobis diligentia in sanctarum ruminatione Scripturarum frequentius commendatur. Veritas enim fidei et vitae sanctitas non aliunde quam ex Scripturarum fonte hauritur; sine quibus impossibile est, quemquam salvari. Haereticorum etiam versutiis, qui in Scripturis sanctis occasionem erroris per falsas interpretationes assumunt, oportet per ipsarum diligentem investigationem diligentius obviare et fideles contra illorum fraudes et latentes decipulas praemunire. Unde Hieronymus [9]: « Sancta rusticitas solum sibi prodest, et quantum ex vitae merito Ecclesiam Christi aedificat, tantum nocet, si resistentibus non resistat, et non *potens sit exhortari in doctrina sana et eos qui contradicunt arguere* ».

Utilis est scientia Scripturae.

---

[1] Cfr. Ioan. 10, 1. seqq., ubi verus pastor et mercenarius describitur. — Post *oves* A addit *suas*, et inferius pro *inveniuntur* edd. *eveniunt*.

[2] Cfr. Bonav., IV. Sent. d. 17. p. III. a. 1. q. 2. in corp. et infra Opusc. XIV. Quare Fratres Minores praedicent et confessiones audiant. Concordat S. Thom., Opusc. contra Impugnantes Dei cultum et Religionem, c. 4. § 10: Hanc etiam necessitatem maxime ostendit imperitia multorum sacerdotum, qui in aliquibus partibus adeo ignorantes inveniuntur, ut nec etiam loqui Latinum sciant. Paucissimi etiam inveniuntur, qui sacram Scripturam didicerint etc.

[3] Ioan. 21, 6, ubi de altera captura piscium.

[4] Vers. 7. — Inferius post *praedicationis* edd. prosequuntur *opera et confessionis subditis eorum impendimus, eos ex caritate* etc.

[5] Epist. I. Cor. 9, 14. Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 12. n. 13-17. et infra Opusc. XIV. Quare Fratres Minores praedicent et confessiones audiant. — Superius pro *ex liberalitate* edd. *ex libertate*.

[6] Edd. *ambulare et omnino virtutibus*, quae etiam inferius, pro *usum impendunt* substituto *rursum*, post *alii* addunt *se modo dant et*.

[7] Quaest. 1. et 2. — Inferius pro *necesse est nos* edd. *necesse est nobis*.

[8] Epist. I. c. 4, 13: Attende lectioni, exhortationi et doctrinae. Cfr. Hieron., Epist. 53. (alias 103.), quae agit de studio Scripturarum; August., II. de Doctrina christiana, c. 9. n. 14; Epist. 137. (alias 3.) c. 1. n. 3; Gregor., II. Moral. c. 1. n. 1; Isidor., I. Sent. c. 18. n. 2. seqq. et III. c. 8. n. 4. seqq.

[9] Epist. 53. (alias 103.) n. 3, ubi pro *resistentibus* (ita A B C) ed. 1 cum textu originali *destruentibus*, Vat. *distribuentibus*. Allegatur Tit. 1, 9, quem tamen textus originalis transponit hoc modo: Tito praecipit, ut... scientiam quoque eligat Scripturarum: *Obtinentem*, inquit, *eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana et contradicentes revincere*. Sancta quippe rusticitas etc. — Nomen *decipula* idem valet ac laqueus. — Cfr. S. Thom., Opusc. contra Impugnantes Dei cultum et Religionem, c. 11.

Quaestio IV.

Cur Fratres mendicent [1].

Item, cum sufficiat ad Religionis perfectionem nil habere proprium in speciali et habere possessiones pro necessitate in communi, sicut omnes Religiones antiquorum Patrum Benedicti et Augustini et aliorum, videtur [2] inconsultum et aliquo modo tentare Deum, quod tantus Ordo exponat se mendicitati quotidianae, velut caelitus exspectans victum suum, cum posset aliter habere.

Diversi gradus perfectionis Ordinum.

Respondeo. Perfectio diversos habet gradus, et alius alio sublimior est, nec perfectioni aliorum Ordinum praeiudicat, quin altior eo possit inveniri [3]. *Tentare autem Deum* non est eius promissionibus credere et eius consiliis obedire et eius vestigia imitari; Matthaei decimo nono [4]: *Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia et secuti estis me, sedebitis super sedes* etc. Dominus autem istam paupertatem docuit et tenuit, ut nil possessionis in terra haberet; Matthaei octavo [5]: *Vulpes foveas habent, et volucres caeli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* — Multis autem de causis Ordo noster nil proprium possidet in hoc mundo: ut vestigia Christi perfectius imitemur: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia* [6] etc.; ut laqueos avaritiae facilius declinemus, Apostolus [7]: *Qui volunt divites fieri incidunt* etc.; ut culpas superfluitatis plenius expiemus: *Omnem substantiam domus suae tradet;* ut altioris meriti gloriam consequamur per varias virtutes paupertatis, Matthaei quinto [8]: *Beati pauperes spiritu;* ut liberiores simus mente ad spiritualia studia orationis, contemplationis, lectionis: *Nolite possidere aurum* etc.; ut praedicationis studio expeditius intendamus; ut verbum Dei minus trepide omnibus proponamus; ut magis confidere omnes in eum sperantes doceamus; ut occasione petendae eleemosynae ad aliorum aedificationem frequentius exeamus; ut qui nobis subveniunt in temporalibus fiducialius spiritualia requirant; ut magis cauti simus ab omni scandalo, quo magis timemus in temporalibus deperire; ut tanto humiliores simus, quanto magis subsidio aliorum indigemus. Et quia spiritualia fidelibus seminamus, non tam ex gratia ab eis carnalia subsidia exspectamus, Lucae decimo [9]: *Dignus est operarius mercede sua,* et Hieronymus: « Redituum possessionem nobis providere non oportet, sed ad mensam Domini tanquam fideles cooperatores occurramus ».

Quare Ordo Minorum nihil sibi appropriet.

Quaestio V.

Cur Fratres frequentius maneant in civitatibus et oppidis [10].

Item quaero: cum Religiosi a tumultu saecularium frequentius [11] sese separare studuerint et in solitudinibus habitare, quid est, quod vos frequentius in civitatibus et oppidis manere soletis, quasi voluptuosius ibi pascendi, et inquietius et indevotius ibi vivatis?

Tres causae. Prima.

Respondeo. Tres sunt causae praecipuae, pro quibus inter homines morari solemus: una propter eorum *aedificationem,* ut promptius eis adsimus, quando requirunt a nobis poenitentiam, doctrinam et salutis consilium, et videant in nobis bonae conversationis exemplum. Si enim remoti essemus ab eis, nec ipsi possent ad nos, quando indigerent, commode accedere, et difficile esset, nos toties vocari, et maior esset nobis inquietudo continue currere et recurrere quam inter eos manere, et priusquam [12] veniremus, affectio et compunctio requirentium poenitentiam saepe tepuisset.

Secunda.

Secunda causa est propter *indigentiam victualium,* quia in locis desertis non inveniremus, quoties pro [13] supervenientibus vel residentibus vel infirmis indigeremus, qui nobis necessaria vitae ministrarent, cum per nos non habeamus. Extranei etiam, qui pro consilio supervenirent, cum statim non possent expediri et recedere, cogerentur nobiscum frequentius hospitari, quod multis de causis nullatenus expediret propter inquietudinem, suspicionem et paupertatem.

Tertia.

Tertia est causa propter *tuitionem,* quia, si extra homines moraremur, nec libros nec calices nec vestes nec alia necessaria vitae [14] servare possemus a latronibus vel praedonibus vel servientibus potentium.

---

[1] Ita codd.; Vat.: *Cur Fratres Minores nihil habeant proprium, nec in speciali, nec in communi.*

[2] Edd. *videretur* et inferius *exspectet* pro *exspectans.*

[3] Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 3. n. 20. et c. 10. n. 8. in fine. — Post *praeiudicat* A B addunt incongrue *alteri.*

[4] Vers. 28. Vide supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 12. n. 22. seqq. — Pro *eius promissionibus* edd. *Christi promissionibus.*

[5] Vers. 20; cfr. Luc. 9, 58, quem B allegat.

[6] Matth. 19, 21.

[7] Epist. I. Tim. 6, 9. — Subinde allegatur Prov. 6, 31: Deprehensus quoque reddet septuplum et omnem etc.

[8] Vers. 3. — Sequitur Matth. 10, 9, ubi pro *possidere* codd. *portare;* cfr. Luc. 10, 4: Nolite portare sacculum, neque peram etc.

[9] Vers. 7. Cfr. I. Cor. 9, 11: Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Vide supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 9. n. 13. seqq., ubi duodecim utilitates paupertatis afferuntur. Cfr. S. Thom., Opusc. superius cit. c. 7. — De sententia Hieron., quam non invenimus, cfr. supra pag. 275, nota 6. et pag. 279, nota 7. — Superius pro *non tam* (ita B) A C *non iam,* edd. *non tantum.*

[10] Vat.: *Cur Fratres Minores non degant in deserto.*

[11] Edd. *saecularis frequentiae.*

[12] Codd. A B *postquam.* Subinde pro *affectio* edd. *affectus.*

[13] Ex codd. supplevimus *pro.*

[14] Edd., refragantibus codd., pro *vitae* substituunt *tute.*

Personae etiam saepius essent in periculo: si quando in praedicatione forsitan aliquos offenderemus, vel filium vel fratrem alicuius, de quo doleret, in Ordinem reciperemus, qui etiam amicum aut fratrem suum vellet malitiose vindicare [1], vel moleste ferret, nos in terra morari; domus nostras incenderet et nunquam possemus ibi pacifice morari. Qui autem habent possessiones et praedia sibimet sufficiunt, et ideo possunt [2] extra civitates morari; similiter et solitarii, qui paucis indigent, pauca ab aliis requirere necesse habent. — Sunt et aliae causae, quas modo praetereo, propter quas convenit inter homines potius quam in deserto iuxta conditiones nostri Ordinis habitare. Sed istae ad praesens sufficiant.

Quaestio VI.

Cur Fratres habeant magnas et latas domos et oratoria sumtuosa et areas latas [3].

Item quaero: cum sancti Patres laudentur in casellis et in vilibus habitaculis habitasse, quid est, quod vos altas et magnas domos erigitis et oratoria sumtuosa et areas latas magno pretio comparatis, cum sitis pauperes et mendici et contemptores mundanorum esse debeatis?

Respondeo. Sicut iam dictum est [4], cum inter homines manere nos oporteat, aut ergo *extra* muros civitatis, aut *intra*. Si *extra* civitates maneremus, ubi possemus latiores areas leviori pretio comparare, videlicet in campis vel hortis; quandocumque bellum timeretur vel guerra, cives loci formidarent, ne forte hostes domos nostras occuparent et de illis niterentur civitatem vel oppidum expugnare, et non auderent etiam alias [5], quando sibi timerent, ad loca Fratrum pro confessione vel Missa seu praedicatione securi venire, et ideo non diligunt, ut in locis talibus commoremur. — Quod si *intra* muros habitamus, ubi propter frequentiam populi areae cariores sunt, oportet, et nos areas carius emere, quantum sufficiant pro claustro, oratorio et officinis congruis pro conventu, hospitibus et infirmis et horto herbarum, tam pro pulmentario quam pro aëris recreatione, ut infirmi refocillentur, et sani conserventur, et lassi in spiritualibus studiis recreentur. Saeculares enim, qui frequenter vagantur, domi non indigent recreatione aëris; Religiosi vero, qui in cellarum reclusoriis religantur, nisi aliquam interius habeant aëris recreationem, cito languescentes tabescunt et ad studia spiritualia inhabiles efficiuntur, ita quod [6] nec sibi nec aliis proficiunt in devotionis internae profectu, in sapientiae intellectu, in virtutum exemplis et in doctrina salutis. — Et quamvis perfectis omnis locus aptus sit pro disciplinae internae exercitiis, imperfectis [7] tamen et adhuc indigentibus eruditione virtutis opus est etiam exteriori distinctione officinarum claustralium, ut sciant, ubi tacere debeant, ubi loqui liceat, ubi orare, ubi laborare, ubi legere, scribere, dormire vel comedere, ubi sit requies infirmantium, ubi repausatio de labore itineris venientium, et aliorum, quae in collegiis sunt necessaria, ne, si confuse ubique indifferenter singula fierent pro libitu, iam nec disciplina nec quies nec devotio nec ordo inter Fratres, sicut expedit, servaretur, quod esset in magnum detrimentum Religionis et in scandalum alienis et in destructionem salutis, quia nec minores discerent [8] in quo proficerent, nec provecti alios aedificarent. Quia vero intra ambitum civitatis, ut dictum est, cariores sunt areae, quod non possemus facile sufficientiam congruae latitudinis habere, ut omnes officinae deorsum collocarentur iuxta se invicem, oportet aliquando, ut una super alteram in altum [9] locetur, ita quod utraque aëris respiraculo non careat, et ex hoc domus nostrae magis apparent excelsae ac sumtuosae et paupertati dissimiles, cum tamen hoc paupertas magis efficiat, quia, ne circa dilatemur, inferius angustamur. Et quia circumsepti sumus domibus aliorum vicinorum, et quia in civitatibus saepe insurgunt incendia late pervagantia, ne vel domus, vel ecclesiae, vel libri, vel alia necessaria frequenti discrimini sint exposita, et in continuo tremore infirmantium corda sint inde suspensa, et ne ipsi vicini nostri a nobis per incendia molestentur; ubi possumus, facimus domos lapideas, ut nec igne nec vetustate citius destruantur, quia non solum corporibus, sed etiam cordibus magna est destructio, nova saepius aedificia construere, maxime illis qui non habent sumtus, nisi quantum valent colligere mendicitate. — Non [10] intendo in his excusare nisi quae valde necessaria et rationabiliter. Ubi autem superfluitas, curiositas et irreligiositas et Regulae et paupertati nostrae derogantes essent structurae, reprehendo tecum et omnia alia, quae Deo displicent tam in moribus quam in rebus.

Quintuplicis [11] peccati rei sunt qui superflua in aedificiis et aliis, quibus utimur, procurant et acquirunt: primo, propter *transgressionem professionis*,

(Margin: ...inctio. ...is pri-...ios. — ...ondos. — Distinctio locorum necessaria. — Notandum. — Quintuplex peccatum. — Primum.)

[1] Edd. contra codd. legunt: *Nam personae etiam saepius... de quo dolerent, quod in Ordinem reciperemus, qui etiam amicum Fratrum vellet malitiose offendere.*
[2] Ita codd.; Vat.: *praedia, quae sibimet sufficiunt, possunt.*
[3] Vat.: *Cur Fratres Minores habent magnos conventus.*
[4] Quaest. praecedente.
[5] Codd. *aliter.*
[6] Codd. omittunt *ita.*
[7] Codd. A B *in imperfectis.*
[8] Codd. A B *discernerent.* Subinde pro *in quo* (ita A B C) edd. *a quo*, quae etiam pro *provecti* (ita A) substituunt *perfecti.*
[9] Ex codd. supplevimus *in altum.* Inferius pro *magis apparent excelsae* (ita B C) edd. *magnae apparent et excelsae.*
[10] Edd. *Non tamen*, quae etiam inferius post *necessaria* addunt *sunt.*
[11] Edd. *Quintuplicis enim.*

quia pompis renuntiantes saeculi in paupertate et humilitate vera promiserunt Domino famulari: *Si enim*[1] *ea quae destruxi, iterum haec aedifico, praevaricatorem me constituo.* — Secundo, propter *malum exemplum,* quo alii discunt ab eis similia facere, vel scandalizantur, quando vident, eos qui huiusmodi pro Christo spernere deberent, iterum quaerere vel sectari. — Tertio, propter *inquietudinem Fratrum* propter huiusmodi aedificia et procurationes, quia et devotio exstinguitur, et disciplina Religionis plurimum dissipatur, ut dicitur Isaiae quadragesimo nono[2]: *Venerunt structores tui destruentes te, et dissipantes a te exibunt.* — Quarto, propter *spoliationem aliorum pauperum,* quibus saepe eleemosynae praeripiuntur, et huiusmodi structurae fiunt, ex quibus illi deberent vestiri et pasci, dum quod istis datur eis negatur, quia ad dandum utrisque saepe deficit dantium largitas et facultas. — Quinto, quia, dum *nimis urgemus homines* ad dandum, perdunt devotionem ad nos prius habitam, quod nec de praedicatione nec exemplis nec aliis, quae facimus, aedificantur. Unde cum vident nos accedere, terrentur et timent, quod aliquid velimus ab eis expetere, quod grave sit eis dare et erubescant negare; et si dederint non libenter, minus merentur, et sic rebus, devotione et merito[3] privantur.

Secundum. Tertium. Quartum. Quintum.

Quaestio VII.

Quare Fratres plura congregent vel conservent, cum sint pauperes[4].

Item quaero: cum Dominus in Evangelio[5] dicat: *Nolite solliciti esse in crastinum,* et vos sitis paupertatis evangelicae professores; non debetis plura colligere vel servare, quam quod possit quotidie ad unius diei victum sufficere. Sed videtur, quod non servetis.

Respondeo. Si diligenter sancti Evangelii dicta pensamus, *sollicitudinem de crastino,* sed non *provisionem* prohibere videtur. Unde sancti Apostoli, Evangelii Christi perfectissimi observatores, tam pro se quam pro aliis Christi pauperibus, qui omnia pro Christo reliquerunt, a fidelibus subsidium pro corporis necessitate etiam in futuro petebant et recipiebant; sicut Paulus, rogatus a Petro, Ioanne et Iacobo, collectas fieri per ecclesias pro Christi pauperibus sustentandis mandavit, ad Galatas secundo et ad Corinthios[6], et in aliis locis pluribus reperitur id fecisse; qui etiam pro acquirendis necessariis sibi et sociis suis laboravit manibus[7]. *Sollicitudo* enim notat curae anxietatem, illicitam conquisitionem, avaram superfluorum provisionem. Sicut enim in opere salutis nostrae principaliter *spem in Deum iactare* debemus[8], ita et in corporali subsidio sollicitudinem debemus ei committere, et tamen, ubi congrue possumus, sine iactura spiritualis profectus nostri vel aliorum, nobis necessaria providere, ne aliter quasi Deum tentare videamur, ut miraculose, sicut olim filiis Israel, nobis quotidie alimonia subministretur. — Licet enim priorum Fratrum puritas pro maioris perfectionis ardore pauciora quam nunc consueverit ad victum colligere necessaria, et populus ex hoc talem opinionem conceperit, quod nil nobis licet conservare in crastinum; tamen nec tunc nec nunc aliquo nobis prohibitum est statuto, quin possimus ad victum aliqua etiam necessaria in futurum pro alio[9] tempore providere, maxime de his quae in promptu, cum indigeremus, non possumus acquirere mendicando. Sunt enim quae nisi colligamus certo tempore, quando est copia, quando inter manus communiter habentur, a populo postmodum nec pro infirmis nec pro hospitibus nec pro aliis sine magna difficultate, vel sine magno pretio poterunt haberi. Mendici enim maxime illo tempore solent necessaria petere, quo sciunt, ea promptius a dantibus inter manus haberi, ut circa horam comedendi. Sic et Dominus populo certo tempore praecepit mannae alimoniam colligere, quia non omni tempore in agro, etiam si quaererent, invenirent, Exodi decimo sexto[10], et in Psalmo: *Tu das escam illis tempore opportuno.* In hoc enim non tam nobis quam illis, a quibus petitur, providemus, quando tali tempore petimus, quo ipsi facilius dare possunt et magis sunt voluntarii ad eleemosynam largiendam.

Prohibetur sollicitudo de crastino, non provisio. Notandum. Puritas priorum Fratrum. Exemplum.

Quaestio VIII.

Cur Fratres modo plura petant quam olim.

Item quaero: quid est, quod modo plura petitis quam olim, ut, cum tunc vix in una villa vel paucis

---

[1] Ut dicitur Gal. 2, 18. — Paulo ante alluditur ad Regulae c. 6: « in paupertate et humilitate Domino famulantes ».

[2] Vers. 17, quem A B C ita exhibent: Venerunt destructores tui, destruentes a te exibunt.

[3] Edd.: *et sic rebus et devotionis merito.*

[4] Vat.: *Cur Fratres Minores plura colligant vel servent, quam sufficiant ad unius diei victum.*

[5] Matth. 6, 34.

[6] Gal. 2, 9. seq. et II. Cor. 8, 4. seqq. Cfr. I. Cor. 16, 1-4; Rom. 15, 26. seq.; Act. 24, 17. Vide Hieron., contra Vigilantium, n. 13, de quo supra pag. 286, nota 4. — Superius pro *in futuro* edd. *in futurum.*

[7] Cfr. supra pag. 321, nota 7.

[8] Psalm. 72, 28: Mihi autem adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Ps. 54, 23: Iacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet. — De miraculosa cibatione filiorum Israel cfr. Exod. 16, 13. seqq. et Ps. 77, 24. seqq. — Superius pro *opere* (ita B C) edd. *operatione,* et inferius voci *providere* C praefigit *procurare vel.*

[9] Edd. *pro aliquo,* et inferius *non possemus* pro *non possumus.*

[10] Vers. 21. et 27. — Sequitur Ps. 144, 15, ubi pro *illis tempore* Vulgata *illorum in tempore.*

villis et pauca postulaveritis, modo[1] late per terram et oppida et castra pervagando plurima congregatis? Videtur enim avaritia inter vos crevisse, et cura ventris hanc vobis providentiam persuasisse videtur, vel spiritus exstinctio vos in cella quiescere non permittit.

Respondeo. Vitiosos in hoc et in aliis, ut dixi[2], ...adum. excusare non audeo, sed rationem pro *illis* qui ratione ducuntur et pia intentione omnia faciunt, ostendere benevolis nunc intendo; quia *malevoli*, qui magis facta nostra calumniari desiderant quam agnoscere veritatem, magis dolent, si ostensa eis ratione, materia subtrahitur detrahendi; quia inimicus vult potius, causas maledicendi[3] contra eum quem odit, sibi adesse quam abesse, ut non ex invidia, sed ex iustitia eum persequi videatur. Quod autem nunc potius quam olim videmur mendicando plura colligere, inter alias sunt principales causae, quas potes advertere ...prima. veras esse: una est, quod cum olim pauci Fratres fuissent in Ordine, nunc multo plures sunt ubique; et plures pluribus indigent, quanto numerus numerum excedit, et omnibus, quae necessitas requirit, est magis opus. Nam Dominus, infans natus, modico diversorio et praesepio contentus fuit[4]; sed aggregata discipulorum turba, ad celebrationem paschalis convivii quaesivit, sibi *parari coenaculum grande stratum.*

Secunda causa est, quod inter plures sunt etiam ...cunda. plures debiles et infirmi, maxime qui olim strenue Religionis et arduae paupertatis pondus per annos plurimos portantes[5], nunc ex humanae mortalitatis defectibus lassati, cogente ipsa caritate, non debent ipsi ut infirma pecora relinqui, sed pie, quamdiu poterunt, fulcimentis corporalium necessitatum pro iustitiae misericordia, pro aliorum aedificatione et pro iuniorum instructione sustentari. Et propter tales oportet et expedit, plura peti.

Tertia causa, quia plures modo mendicantes Tertia. sunt in Ecclesia de diversis Ordinibus, et quod nobis solum dabatur integrum, nunc minutatim[6] dividitur inter plures. Unde cogimur nunc latius tanto vagari, quo minus in locis singulis datur nobis. Quod enim aliquando offerebatur nobis non quaerentibus, nunc vix per diversa minutatim colligimus cum rubore, et oportet nos *petere*, quia non petentibus parum datur, dum ex multitudine petentium homines sunt lassati. Qui autem per se nihil habent, necesse est, eos omnia, quibus indigent, ab aliis postulare, vel carere, nisi velint illicite acquirere, vel quocumque modo apud alios deservire, vel nisi gratis eis donetur.

Quarta causa, non tamen omnino commendabilis, sed pro aliqua parte excusabilis accedit, quia qui non est patiens penuriae in his quibus indiget, plura eum conquirere oportet[7]. Quarta.

Quaestio IX.

Cur Religiosi impatientes sint sustinendo penuriam[8].

Item quaero: quae possunt esse causae huius *impatientiae* nisi voluptuositas, quae nil vult sibi deesse illorum quae appetit, quae omnis religiositatis est exterminium?

Respondeo. Haec, etsi in quibusdam habeat locum, non tamen est potior causa, sed aliae quaedam: una, quia, ut dictum est[9], plures habemus debiles Causa prima. et infirmos quam olim, cum omnes fere erant novi in Ordine, qui, cum lassati iam et exhausti sint viribus, oportet, *ut reficiantur*, ne penitus deficiant, Distinctionis membrum 1. quod esset contra misericordiae, caritatis et discretionis virtutem, cum tales maxime consilio suo et zelo et pietatis exemplo sustentent Ordinem in suo vigore, ne subito corruat a pristina puritate; licet virtute corporali iam non, sicut olim, eminenter luceant[10] propter corporis destructionem. Aut oportet, Membrum 2. quod *contra misericordiam deficere subito permittantur*, et tunc ex hoc magis fovebitur in Ordine carnalitas, quia quilibet iuvenis et sanus, instructus carnis prudentia, cogitabit apud se dicens: si tales viri pro aedificatione Ordinis *corpora sua tradiderunt*[11] omnibus laboribus, modo debilitati, sic permittuntur absque misericordia perire; volo mihi cavere et parcere corpori et illud fovendo custodire, ne mihi similiter contingat. Et sic aliquis audebit de cetero vix ferventer se in Dei servitio exercere. — *Si* Ad membrum 1. *autem* debent debiles *misericorditer refoveri*, expedit, ut etiam alii, qui unum corpus societatis cum eis sunt et eis serviunt et labores Ordinis pro eis in domo, in divino officio, in frigore et petendis eleemosynis et aliis obsequiis, aliquo modo mitius pertractentur et melius reficiantur, ut minus de illis scandalizentur et minus murmurent contra eos, quasi ipsi soli consumant omnia, quae offeruntur, et ut

---

[1] Cod. B *nunc*. Inferius vocibus *Videtur enim* C interserit *mihi*, et pro *videtur, vel* edd. *videtur etiam, quod.*

[2] Quaest. 6. — Inferius pro *benevolis* A B C *benevolos.*

[3] Edd. *malignandi.* Inferius edd. *inter alias principales causas* pro *inter alias sunt principales causae.*

[4] Cfr. Luc. 2, 7. — Subinde allegatur Luc. 22, 12. (cfr. Marc. 14, 15.), ubi pro *parari* edd. *praeparari.*

[5] Matth. 20, 12: Portavimus pondus diei et aestus. — Subinde respicitur Ezech. 34, 21: Ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras. — Inferius supplevimus *iustitiae*, et voci *sustentari* codd. praefigunt *ut possint diutius.*

[6] Codd. A B hic et paulo inferius *minuatim*. Cfr. Du Cange, Glossarium etc. *Minutatim*, particulatim, Gall. *en détail.*

[7] Cod. B *accipere oportet.*

[8] Vat.: *Quae sit causa impatientiae penuriae in fine praecedentis quaestionis dictae.*

[9] Quaest. 8. — Pro *una* C *prima causa*. Inferius pro *exhausti sint* A B *exhausti sunt.*

[10] Edd. *eminenter aestimentur lucere.*

[11] Dan. 3, 95. — Subinde respicitur Tob. 7, 11: Ne forte et huic similiter contingeret. — Inferius pro *fovendo* C *fruendo.*

patientius pro eis laborent et hilarius ministrent, et ut ipsi debiles minus erubescant et confidentius audeant necessitates suas accipere, cum videant, etiam alios secum esse participes in consolatione. Sani igitur et fortes non debent propter se ista appetere nec suae industriae ascribere, quando petentibus [1] eis eleemosynam ista offeruntur, sed cogitare debent, sicut et veritas est, quod Deus ea propter debiles ministrat et in tanta copia, quod exinde etiam sani consolentur. Propter causas praemissas vult etiam Deus veritatem suae promissionis et evidentiam suae liberalitatis ostendere, dum nobis, qui nullos certos reditus pro ipso habere decrevimus et totam sollicitudinem in eum iactavimus, saepe indulgentius necessaria ministrat quam aliis quibusdam, qui lata praedia habent et loculos plenos, ad hoc ut ei securius confidamus et fidelius serviamus [2].

Notandum.

Alia causa est, quia et eorum qui nuper de saeculo venerunt, quidam delicate sunt nutriti, et cum in Ordine subito contra solitum coguntur aliter vivere in labore et victu et coercione magisterii, territa caro tenera languescet, et nisi clementer foveantur, donec paulatim assuescant Ordinis pati rigorem, aut semper tabescendo languescent, aut ex rigoris horrore ad vomitum revertentur [3]. Et ideo expedit, ut supra.

Causa secunda.

Tertia causa est: spiritualis studii assiduum [4] lucrum in studio sacrae Scripturae, in devotionis desiderio, in tentationis certamine, in internae sollicitudinis vigore ita desiccat et consumit vires corporis, ut, nisi exterius quandoque aliquatenus refocillentur, non valeant diu subsistere. — Quod autem aliquando lautiores cibos et potus habere videmur, hoc est proprie mendicorum, qui, dum non reservant in posterum, ut cumulos congregent, ut praedia lata comparent, statim comedunt et bibunt ea quae Dominus administrat. Et quia pro honestate et devotione sua plerique dant nobis non de vilioribus, sed de melioribus, quae Dominus dedit eis, etiam nos, cum interim non habeamus alia, quibus utamur, ne videamur ingrati et avari, comedimus et bibimus quae offeruntur nobis, indifferenter tam illa quam alia, iuxta illud Regulae [5]: « De omnibus cibis, qui apponuntur, liceat manducare ». Mendicus enim, si recuset ea quae offeruntur, cum non habeat unde alia emat, remanebit inanis. Quia vero diversi diversa et aliquando quasi adversa mirantur de nobis, ut cum illi reprehendant in nobis carnalitatem, alii vero duritiam, quilibet pro visu suo et affectu; oportet, nos singulis de suis quaestionibus respondere et rationem reddere, licet sequentia praecedentibus, attenuato ipso ordine, ad hoc non cohaereant, sed modo de hoc, modo de alio tractemus [6].

Tertia. Notandum.

Quaestio X.

Cur non omnes indifferenter recipiantur ad Ordinem.

Item quaero: cum omnibus debeatis cupere, ut salventur vobiscum, quare indifferenter non omnes recipitis, qui desiderant, cum non arctet vos praediorum paucitas, sed aperta sit omnibus via mendicandi?

Respondeo. Omnes quidem cupimus salvari et nulli prohibere possumus mendicitatis licentiam; sed omnes passim *recipere*, non expedit [7] *nobis* nec *Ecclesiae Dei. Nobis* non, quia, cum variae sint conditiones hominum, qualitates et mores; multos saepe reciperemus *imbecilles*, qui non possent rigorem Ordinis sustinere; multos *pauperes*, qui non pro Deo, sed pro sustentatione vitae vivere desiderarent [8]; multos *incompositos moribus*, quos vix corrigere ab inolita consuetudine possemus; et per tales dissolveretur Ordinis disciplina, et impediretur profectus aliorum, et non sufficerent eos alii pascere nec eis servire. Nec invenirentur tandem qui possent eis praeesse, et omnes simul in corpore et spiritu quasi confusa multitudo perirent, quae nec regi valet nec congrue sustentari. — *Ecclesiae* similiter non expedit, quia, cum sit Ordo ad aedificationem Ecclesiae constitutus, multitudo [9] receptorum magis confusionem induceret, nec de conversione multorum exemplum aedificationis acciperet, sed scandalum, ubi, excepto religiositatis solo habitu, nihil inveniret. Minus enim malum est, ibi non esse Religiosos vel nomine vel habitu, ubi non vivunt, sicut Religionis eorum forma requirit, quam ut sint et per vitam eorum perversam alios scandalizent; sicut melius est, lucernam non esse in domo quam esse ibi tantum foetidam et non lucentem. Nimis etiam foret onerosum fidelibus tot mendicos unius Ordinis pascere, a quibus nullum vel modicum haberent aedificationis praesidium; sed tot et tales solum recipi expedit, qui sine onere Ecclesiae pasci possint et qui valeant Ecclesiae in spiritualibus respondere quod [10] ab ea in carnalibus recipiunt pro corporis sustentatione.

Non ed... no. Nec ... si. Nota...

---

[1] Edd. *appetentibus*, et deinde pro *eis* B *se*, C *ab eis*.

[2] Matth. 19, 29: Et omnis qui reliquerit domum... centuplum accipiet. Luc. 22, 35. seq.: Quando misi vos sine sacculo et pera et calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 7. n. 9. et 30. seq. — Superius fide codd. supplevimus *saepe*.

[3] Epist. II. Petr. 2, 22: Contingit autem eis illud veri proverbii [cfr. Prov. 26, 11.]: Canis reversus ad suum vomitum etc. Cfr. Isidor., II. Sent. c. 8. n. 5.

[4] Edd. *Nam assiduum*.

[5] Cap. 3. Post *apponuntur* edd. addunt *vobis*, A *nobis*, Regula *eis*.

[6] Edd.: *continuato ipsis ordine ad hoc non cohaereant, sed modo de hac, modo de alia tractemus*.

[7] Cod. A *non licet nec expedit*.

[8] Edd. addunt *nobiscum*.

[9] Codd. *et multitudo*.

[10] Cod. C *quia*; edd. *respondere iis quae*.

Quaestio XI.

Cur Fratres non laborent pro victu.

Item quaero: cur ergo non laboratis manibus pro victu, ut non sitis Ecclesiae onerosi in eleemosynis petendis?

Respondeo. Si de *puro labore* manuum deberemus vivere, tantum urgeret nos operis instantia, quod aliorum lucris intendere non possemus nec divina officia libere celebrare nec orationi libere vacare. Cum enim ad confessionem vel ad praedicationem Frater vocaretur, respondere cogeretur: opus meum, quo victui meo hodie deservire debeo, nondum explevi, et ille cui laboro, priusquam deserviam [1], non dabit mihi mercedem debitam; ideo non possum venire. Alii autem omnes praeter infirmos laborant: alii in studio, ut fideles erudiant, alii in divino officio et laudibus Dei, alii in colligendis eleemosynis pro sustentatione communi, alii in officiis domesticis, infirmis et sanis ex iniuncta obedientia ministrantes, quidam, qui sciunt, artes aliquas mechanicas pro Fratribus et extraneis exercentes — sic mutuo cooperantur inter se formicae et apes — quidam per obedientiam missi diversas terras perambulant, cum nuntios alios idoneos non habeamus, et sic nullus impune permittitur otiosus [2].

Quaestio XII.

Quaeritur, si de quolibet Ordine et Religione possit quis transire ad Regulam et Ordinem beati Francisci, Fratrum scilicet Minorum.

Item quaero, si de quolibet [3] Ordine et Religione possit quis transire ad Regulam et Ordinem beati Francisci, scilicet Fratrum Minorum.

Ad hoc sine praeiudicio melioris sententiae respondeo, quod sic, ubi sine scandalo aliorum potest fieri. Propter quod maxime prohibetur nobis de quibusdam Religiosis non recipiendis, cum scandalum tale sit maius malum, quam illorum receptio sit bonum [4]. Cum enim tria illa principalia omnis Religionis, scilicet obedientia, castitas et paupertas, in Regula ista sint quasi altiora et strictiora quam in aliis Ordinibus et Religionibus, sicut patet in Regula ista; constat, quod secundum hoc Religio ista altior sit et strictior aliis Ordinibus. Et ideo de qualibet Religione possunt secure ad istam intrare, dummodo non ex levitate, sed ex Spiritu Dei ducti. Nam, etsi aliqua sit quibusdam corporalibus exercitationibus strictior, ut in abstinentia carnium et silentio et officio ecclesiastico et similibus, tamen ex sublimioribus obedientiae, paupertatis et castitatis virtute facile recompensatur, sicut modicum pondus auri in pretio praevalet magno ponderi argenti vel alterius metalli; et Apostolus ad Timotheum quarto [5]: *Corporalis enim exercitatio ad modicum utilis est.*

Quaestio XIII.

Quaeritur, si de ista Religione possit aliquis ire ad aliam post factam professionem in ea.

Item quaero, si de ista Religione possit aliquis ire ad aliam post factam in ea professionem.

Respondeo, salvo meliori iudicio: Non, nisi per dispensationem Sedis apostolicae, cum hoc expresse in ipsa Regula prohibeatur, ibi [6]: « Et nullo modo licebit eis de ista Religione exire iuxta mandatum domini Papae ». Nam, cum non inveniatur altior Regula vel strictior sive aequalis, patet, quod non licet cuiquam per se ipsum ad inferiorem Ordinem transire; dicitur enim Lucae decimo quarto: *Omnes, qui vident, incipient illudere ei, dicentes: Quia hic homo coepit aedificare et non potuit consummare.*

Quaestio XIV.

Quaeritur, si liceat Ordini isti eiicere aliquem pro meritis et egresso petenti [7] receptionem denuo denegare.

Item quaero, si liceat Ordini isti eiicere aliquem pro meritis [8], vel egresso et poenitenti et petenti

[1] Du Cange, Glossarium etc. duplicem significationem verbi *deservire* affert, scilicet *fungi aliquo munere* (deservire ecclesiam vel ecclesiae) et *mereri*. — Superius pro *victui meo* A B *victum meum*. Inferius pro *Alii autem* (ita B) edd. *Alias autem*.

[2] Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 12. n. 12-17; S. Thom., Opusc. superius cit. c. 5. — Superius pro *sic mutuo* edd. *sicut mutuo*, et pro *non habeamus* B *non habemus* (A C *habuerint*).

[3] Cod. A *si de aliquo et de quolibet*.

[4] Cfr. Innocent. IV., Breve *Quo vos in Christo* (an. 1244, 21 April. Sbaralea, Bullar. Franciscan. tom. I. n. 36. pag. 327), in quo inhibetur, ne Fratres Ord. Praedic. in Ordinem Fr. Minorum recipiantur, « cum ex hoc scissurae possit et scandali exoriri materia ». Vide etiam ibid. pag. 160 decisionem Gregor. IX., qua ex mandato Honorii III. interdicitur, ne ullus de Ordine Fr. Minorum in Ordinem Cisterciensium et viceversa sine speciali mandato summi Pontificis admittatur. — Superius pro *illorum* edd. *aliorum*.

[5] Epist. I. c. 4, 8. Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 3. n. 20. — Vide Caus. 20. q. 4. c. 1. et III. Decret. Gregor. IX. tit. 31. c. 18, ubi conceditur licentia transeundi in strictiorem, non laxiorem Ordinem. Vide notam seq. in fine. — Superius pro *tamen ex sublimioribus* (ita A B C) edd. *quae tamen ex sublimiorum*, et pro *recompensatur* Vat. *recompensantur*.

[6] Cap. 2. — Subinde allegatur Luc. 14, 29. seq. Cfr. quaest. praecedens. Martin. IV., Constitut. *Viam ambitiosae cupiditatis* (1.) Extrav. com. (libr. III. tit. 8.) prohibuit, ne Mendicantes Religiosi transeant ad alium Ordinem, Ordine Carthusiensi dumtaxat excepto, absque Sedis apostolicae licentia prius obtenta. Ex aliis postea emanatis decisionibus Summorum Pontificum constat, Regulares professos non posse ad alium Ordinem, etiam strictiorem, transire sine licentia Sedis apostolicae; cfr. Benedict. XIII. Constitut. *Licet sacra.*

[7] Vat. *pro demeritis, vel egresso poenitenti et petenti.*

[8] Edd. *pro demeritis.*

Obiectio prima. receptionem denuo denegare? Cum enim Ordo in professione versa vice se obligaverit, ut, sicut ille semper ligatus esset Ordini, ita etiam e converso; videtur, quod Ordo tenetur semper recipere, si exigit, ne promissum suum videatur irritare, si nollet eum tenere, quem spoponderat nunquam derelinquere. — Secunda. Videtur [1], quod Ordo non possit talem licentiare ad alium Ordinem, quia non inveniet alibi quod hic promisit, et ita faceret eum voti sui transgressorem Tertia. et sic peccaret. — Videtur etiam, quod cum iste non possit compelli ad alium Ordinem, cum nulli se Ordini obligaverit nisi isti, et non debeat cogi invitus ad quod se nullo voto strinxit [2], etiam si alium Ordinem inveniret isti aequalem; videtur Ordo iste esse in culpa, si talis vagetur in saeculo, cum nolit eum recipere petentem et ad alium Ordinem non debeat vel non possit eum compellere; et si punit eum vel excommunicat, quod iniurietur ei; immo, si non tenetur eum Ordo recipere nec vult, iam punit non suum subditum; et si punit eum corporaliter capiendo, vel castigando, videtur in canonem [3] incidere iam latae sententiae, cum sit clericus vel Re- Quarta. gularis. — Si autem Ordo non vult eum recipere, et non convenit, eum aliam Religionem intrare, vel alii nolunt eum recipere, ad quos licentiatus est transire, et per hoc a Fratribus ligatur excommunicatione, vel non absolvitur; ponitur in laqueum perplexitatis inextricabilis, ut quasi ex omni parte praeclusa sit ei via salutis; quod volenti salvari non potest vel non debet fieri, quia Lucae nono [4] dicitur: *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.*

Ut super his apertior pateat ratio, quid Ordini Principia generalia responsionis. vel egresso faciendum sit in istis, nota [5], quod cum aliquis ingressum petit istius Ordinis, si recipitur, fit ei magna gratia vel multiplex, quia de naufragio peccati eripitur et sociatur illorum collegio, qui ambulant in via Dei, tali conditione, ut et ipse gradiatur in eadem via cum eis, servando illa, propter quae Resolutio prima. Ordo est institutus. Quamdiu igitur sic graditur, postquam ad professionem receptus est, non potest eum Ordo abiicere, quia, sicut ipse iam ligatus est Ordini, ita et e converso, ut neutrum liceat alterum Secunda. relinquere ullo modo. — Si autem Frater aliter vivat, quam licet in Ordine, et saepius correctus, se non sufficienter correxerit; si excessus *occultus* sit, toleretur et cum cautela, propter scandalum, ne si abiiceretur, cum eius culpa non pateat, videretur iniuste punitus, aut peccatum iniuste propalaretur, quod utrumque illicitum videtur. — Si vero exces- Tertia. sus eius *graves* fuerint *et notorii*, quod alii eius exemplo possint infici, si retineatur in Ordine, et extranei scandalizentur, quod talis in Ordine sustineretur; tum propter auferendum scandalum tum propter corruptionem Ordinis praecavendam debet eiici praevaricator voti et pacti sui; quia iam Ordo non tenetur ei de promisso tenendi eum secum, qui promissum suum praevaricando pluries violavit, cum ideo sit vocatus *Ordo*, quod nil in se inordinatum patiatur [6]. — Quodsi, Deo permittente, talis se ipsum Quarta. eiiceret, gratiae sunt Deo referendae, non quia ille peccavit, sed quod oves suas a pestifera contagione liberat; ad Galatas quinto [7]: *Utinam abscindantur qui vos conturbant,* scilicet puritatem vestram, pacem et famam. — Si autem allegatur, quod misero Solutio 4. obiectionis. est miseratio adhibenda, ut iterum recipiatur in Ordinem; dici potest: crudelis est miseratio, unde plures et meliores graviter offenduntur — sicut qui furem liberaret [8], unde pauperes spoliarentur — maxime cum tales, longo usu tepefacti, rarissime vere et perseveranter emendentur, et facilis remissio aliis audaciam praebeat delinquendi. — Nec potest al- Ad obiectionem. legare, sibi fieri [9] iniuriam, si non recipitur, quia ipse talem se fecit ex culpa propria, quod recipi sit indignus, quin potius Ordo habet causam contra eum agendi, pro eo quod sic se dehonestavit; unde potest eum punire pro meritis, vel tradere cui servivit, nisi faciat quod tenetur. — Sedes enim aposto- Confirmatur. lica, quae ius suum unicuique servat et vult, Ordinem in sua puritate persistere, non cogit Ordinem tenere illos quorum conversatio nociva esset in Ordine, quia tunc puniret innocentes et reos foveret et occasionem daret Ordinis corruptioni per tales pestiferos, si eos recipi oporteret. Sed ne damnabi- Notandum. liter vagentur in saeculo, ex gratia Sedis apostolicae Ordo dat eis licentiam, quos iudicat non recipiendos esse, ad alium Ordinem determinatum transeundi, ubi salventur, ad quem etiam transire tenentur, si possint, alioquin non erunt in statu salutis; sicut Lot, non volens montem conscendere, concedente Angelo, in Segor parvula salvatur [10]. Propria auctoritate non possunt Ordinem deserere,

---

[1] Edd. *Videtur etiam.*

[2] Edd. *astrinxit*, et inferius Vat. *Videtur etiam* pro *videtur.*

[3] Qui exhibetur Causa 17. q. 4. c. 29: Si quis, suadente diabolo, huius sacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum vel monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat etc. Cfr. V. Decret. Gregor. IX. tit. n. 39. c. 1. — Inferius pro *non convenit, eum* C *non convenit ei.*

[4] Vers. 56. — Superius pro *inextricabilis* (ita B) ed. 1 *inexterminabilis*, Vat. *interminabilis*, A C *inexstinguibilis.*

[5] Cod. C *respondeo.* Inferius pro *quia de naufragio* edd. *et de naufragio.*

[6] Origen., in Num. homil. 2. n. 1: Agnoscat igitur unusquisque ordinem suum, et quid dignum sit eo ordine, quem suscepit, intelligat et ita libret actus suos, ita etiam sermonem, incessum quoque ipsum et habitum moderetur, ut cum ordinis sui professione conveniat, ne audiat dici ad se a Deo, quia *propter vos nomen meum blasphematur inter gentes* [Rom. 2, 24.]. — Superius pro *de promisso* A C *ad promissa.*

[7] Vers. 12. Pro *pacem et famam* A C *patenter infamando.* — Superius pro *peccavit* A B *peccat*, et pro *liberat* edd. *liberavit.*

[8] Codd. B C *liberat.* Inferius pro *perseveranter emendentur* C *perfecte emendentur.*

[9] Ex codd. supplevimus *fieri.*

[10] Gen. 19, 20-23.

quem voverunt, nec alium intrare sine Ordinis sui licentia vel summi Pontificis, quia, ut dictum est [1], ad inferiorem Regulam non licet eis transire, altiora professis. — Quod autem talis alium cogitur intrare Ordinem, si in isto non recipitur, cum tamen alium non voverit nisi istum, inde est, quia, cum vovit istum, sic obligavit se Religioni, quod secundum ius canonicum [2] nullatenus redire ad saeculum, vel ad laxiorem vitam transire ei liceret. Et ideo, si demeretur in Ordine, quem vovit, non retineri; cum ex peccato suo non sit conditio eius melior facta, ut iam possit esse liber, sed potius deterior, oportet, eum alium Ordinem intrare et illum servare, si vult salvari; et ad hoc cogit eum statutum universalis Ecclesiae [3], non Ordo iste, ex cuius etiam gratia permittitur ei ad inferiorem Ordinem transire, cum superiorem non invenit, ne aditus ei salutis praecludatur. — Si autem velit in saeculo vagari, ex quo Ordo non vult eum recipere, nec ad Religionem concessam sibi transierit in spatio temporis sibi determinato; licet iam videatur ab Ordinis iurisdictione exemptus, cum nolit eum amplius tenere, tamen ex auctoritate Summi Pontificis [4], cuius iurisdictioni non est subtractus, potest eum Ordo impetere et per censuram ecclesiasticam vel etiam ad alias poenas corporales potest coercere eum vice domini Papae, quamdiu non habuerit alium iudicem regularem, cui se subiecerit, Regulam et Ordinem illius stabiliter assumendo. Sponte etiam egressus Ordinem istum, si sine licentia eius intraverit alium Ordinem, ad quem licentiari posset; potest compelli, ut redeat, cum adhuc sit sub iurisdictione [5] Ordinis istius, a qua non potest semetipsum eximere, nisi Fratres dent ei licentiam ibi standi et nolint eum recipere vel tenere. Haec omnia iam statuta sunt, ne quis pedem ponat in lubrico [6], et ne levibus detur occasio recedendi ab Ordine, vel pro libitu ad alium transeundi, vel etiam inordinate vivendi.

A . obie-ctionem. A . obie-ctionem.

Quaestio XV.

Cur inutiles personae recipiantur ad Ordinem [7].

Item quaero: cum multitudo sit saepe occasio confusionis, eo quod regi non possit; cur multiplicatis numerum pauperum recipiendo [8] inutiles et oneratis vos ipsos et alios?

Respondeo. Inutiles omnino scienter non recipimus, sed praeter spem nostram aliquoties sic contingit. Quatuor enim de causis maxime [9] solemus recipere supervenientes: una est *compassio perditionis eorum* qui vix extra Ordinem in saeculo salvarentur, sicut qui de igne vel aqua periclitantem rapit vel de alio discrimine. — Secunda, propter *profectum Ordinis*, qui ex scientia et industria [10], morum honestate et reverentia quorundam futurus praesumitur. — Tertia, propter *aliorum aedificationem*, ut multi de talium conversione, qui aliquo modo sunt famosi in saeculo [11], emendentur et eorum incitentur exemplo. — Quarta, propter *precum instantiam*, quam ipsi faciunt pro se et alii pro eis, nimia importunitate obtinent, aliquos recipi, quibus denegari non potest. — Sicut autem agricola saepe seminat et plantat in spe, quod omnia convalescant, quod tamen plerumque in aliquibus deficit; ita contingit et in Religiosis ad Ordinem receptis; Lucae octavo [12]: *Aliud cecidit secus viam* etc. Seminat plures sulcos, ut, si aliqua pereant, alia pro illis convalescant; si tamen omnes convalescerent, seges copiosior proveniret.

Rationes quatuor pro receptione novitiorum.

Simile.

Quaestio XVI.

Quaeritur, cur aliqui Religiosi sint distorti moribus et rudes [13].

Item quaero: unde est, quod videmus aliquos Religiosos moribus ita distortos et rudes sicut aliquos saeculares, superbos, vanos, cupidos, invidos, detractores, iracundos, contumeliosos, desides, dissolutos, avaros, inverecundos, delicatos, gulosos, garrulos, lascivos, et quod ex his oritur, forsitan incontinentes?

Respondeo. Religio est schola virtutum, in qua, sicut in aliis disciplinis et artibus discendis, videmus [14], quod alius alio peritior est, alius rudior, alius diligentior, alius segnior. Haec autem differentia ex quinque causis contingit. Una causa est, quod alicubi boni *informatores habentur*, quorum eruditione boni discipuli nutriuntur; ubi autem non

Notandum.

Causa 1.

---

[1] Quaest. praecedente. — Inferius pro *altiora* C *altiorem*.

[2] Causa 20. q. 1. c. 3; q. 3. c. 1-3. et q. 4. c. 1. Vide supra pag. 345, notam 5. — Pro *obligavit* (ita B C) edd. *alligavit*, et subinde B C omittunt *transire*, edd. post *redire* addunt *potest*, et Vat. substituit *licet* pro *liceret*. Codd. prosequuntur: *Et ideo, si detineretur in Ordine, quem vovit retinere, cum* etc.

[3] Cfr. cap. *Super eo* (9.), X. de Regularibus etc. (III. Decret. Gregor. IX. tit. 31.), et Innocent. IV. diploma *Paci et tranquillitati* apud Sbaralea, Bullar. Franciscan. tom. I. n. 87. pag. 371. — Inferius pro *ex cuius etiam gratia* Vat. *et eius gratia*.

[4] Cap. *Ne Religiosi* (24.) X. de Regularibus etc. (III. Decret. Gregor. IX. tit. 31.). — Superius pro *concessam sibi transierit* edd. *concedatur sibi transire*. Inferius pro *Ordinem illius* B *Ordinem illum*.

[5] Codd. A C *de iurisdictione*.

[6] Ier. 38, 22: Seduxerunt te... demerserunt in coeno et in lubrico pedes tuos etc. — Edd. deinde prosequuntur: *et obscuratus offendat, sumtis levibus occasionibus recedendi ab Ordine vel ad alium prohibitum transeundi* etc.

[7] Vat.: *An omnes venientes ad Religionem S. Francisci sint recipiendi.*

[8] Edd. *numerum in recipiendo.*

[9] Fide codd. supplevimus *maxime*.

[10] Cod. A *ex sana industria*, B *ex fama, industria.*

[11] Gen. 6, 4: Isti sunt potentes a saeculo viri famosi. — Pro *conversione* (ita A C) edd. *conversatione*. Inferius pro *quam ipsi faciunt* C *qua ipsi*.

[12] Vers. 5. — Superius pro *deficit* edd. *non eveniet*.

[13] Vat.: *Cur aliqui in Religione sint moribus pravi.*

[14] Edd. *artibus discendis incumbitur. Videmus autem* et inferius *causatur* pro *causis contingit*.

habentur, aut rudes in spiritualibus erunt discipuli, aut erroribus variis sub specie boni per sensum proprium seducuntur, habentes quidem *zelum iustitiae, sed non secundum scientiam*[1], et sic a perfectione virtutum plurimi retardantur, vel ut malum aestiment bonum, aut minus bonum putent optimum, aut aliam viam, quam debeant, ad perfectionem teneant. — Causa 2. Secunda causa est *defectus,* seu inopia bonorum exemplorum, quia novi in Religione saepius tales fiunt, quales alios esse vident, sicuti in sigillis cera talem imaginem recipit, qualis fuit impressa, et sic fiunt sancti cum sanctis, boni cum bonis, perversi cum perversis[2]. — Causa 3. Tertia causa est *novitas in Religione,* quia incipientes non possunt vel non habent illa quae habent provecti vel perfecti. Et ignoscendum est eis in aliquibus et patienter exspectandum, donec crescant et addiscant quae nondum apprehendere valuerunt; ad Romanos decimo quinto[3]: *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere.* Qui a puero exigit labores viri et ab infirmo vires robusti, a scholari unius anni vires magistri, imprudens est; primae ad Corinthios decimo tertio: *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus* etc. Notandum. Ex hoc arguitur stoliditas saecularium quorundam, qui cum vident, aliquem Religiosum in aliquo offendere, omnes Religiosos despiciunt, quasi omnes tales sint, cum ipsis videretur iniustum, si quis eos propter aliena vitia deteriores haberet. — Causa 4. Quarta causa est *defectus gratiae;* non enim omnes omnia possunt[4]. Sicut enim multi vellent esse divites et non possunt, ita non omnibus datur aequalis gratia spiritualium donorum; ad Romanos septimo: *Velle mihi adiacet, perficere bonum non invenio.* — Causa 5. Quinta causa est *voluntas*[5] *propria.* — Etsi non omnia adsint praedicta, dum quis diu stetit in Religione et bonorum exempla despexit, doctrinam non curavit, gratiam abiecit, virtuti non studuit, vitiis se subdidit, sicut heu! plures sub Religionis habitu velut *dealbata sepulcra* in scandalum aliis conteguntur; Matthaei vigesimo tertio[6]: *Vae vobis, scribae et Pharisaei hypocritae* etc.

QUAESTIO XVII.

Quaeritur, quare dyscoli non eiiciantur, per quos Religionis puritas deformatur[7].

Item quaero: cum Religio deberet[8] esse sicut speculum in domo, in quo discant intrantes agnoscere deformitates suas, ut eas abstergant; quare non omnes dyscolos eiicitis, per quos Religionis puritas deformatur, si tamen non estis omnes tales, qui illos fovetis?

Respondeo. Bona Religio malos odit, non fovet, nec tamen omnes pravos eiicit, et hoc his de causis[9]: una, propter *spem correctionis,* sicut aegro- Causa
tans non eiicitur in mare, quamdiu spes vitae fuerit. Ita et in Ordine de lapsis intellige, cum multi lapsi per poenitentiam surgentes, postmodum sani perseverant et aliquoties meliores fiunt, quam qui lapsi non fuerunt, sicut David et alii plures. — Se- Causa
cunda causa, propter *defectum probationis,* quia, licet ex aliquibus coniecturis timeatur aliquis malus, tamen aperte non valet convinci[10]; sicut, si aliquis timeatur leprosus esse ex aliquibus signis, et non potest adhuc plene iudicari, sed latet morbus, et ideo inter sanos adhuc toleratur. — Tertia causa, Causa
propter *scandalum,* quando[11] Fratribus tantum notum est crimen illius, sed apud extraneos reputatur honestus, qui, si viderent eum eiici, et tamen nescirent causam, putarent ex invidia fieri, vel cogitarent, reliquos omnes esse tales, cum iste, de quo tantum praesumebant, occulte fuerit vitiosus. Dominus agnovit Iudam et in exemplum nobis toleravit eum, cum crimen eius aliis foret occultum, donec per apertam iniquitatem prodidit semetipsum[12].

QUAESTIO XVIII.

Quaeritur, in quibus signis bona Religio cognoscatur, et una melior altera iudicetur[13].

Item quaero: cum quaelibet Religio sibimet placeat et aliis se praeferat, quae sunt signa[14] maxime,

---

[1] Rom. 10, 2. seq.: Aemulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. Ignorantes enim iustitiam Dei et suam quaerentes statuere, iustitiae Dei non sunt subiecti. — Superius pro *alicubi boni* ed. 1 *alicubi,* Vat. *sicubi,* et voci *nutriuntur* C praefigit *erudiuntur et.* Inferius pro *teneant* edd. *tenendam.*

[2] Psalm. 17, 26. seq.: Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris... et cum perverso perverteris. — Superius pro *inopia* edd. perperam *copia,* et pro *qualis fuit* B C *qualis fuerit.*

[3] Vers. 1. — Subinde allegatur I. Cor. 13, 11. — Superius ex codd. supplevimus *provecti vel,* pro quo ed. 1 *profecti vel,* et post *exspectandum* C prosequitur: *ut addiscant quae nondum apprehendere valuerint.*

[4] Eccli. 37, 31: Non enim omnia omnibus expediunt. — Sequitur Rom. 7, 18.

[5] Edd. *voluptas.* Subinde pro *Etsi non omnia* A B C *Etsi omnia.*

[6] Vers. 27. seq. Cod. A *contra quos Dominus in Evangelio Matth. 23. dicit.*

[7] Vat.: *Cur non omnes dyscoli e Religione eiiciantur.*

[8] Codd. A B *debeat.*

[9] Cod. C addit *quae sequuntur,* et pro *una* substituit *prima causa.*

[10] Edd. *non videtur communitati.* Inferius pro *et non potest* A B *sed non potest.*

[11] Edd. contra A C *quoniam.*

[12] Cfr. tom. VI. pag. 413, nota 2. — Superius pro *Dominus agnovit Iudam* (ita A) B *Dominus agnovit, quendam esse vitiosum,* edd. *Nam Dominus cognovit, Iudam esse vitiosum.*

[13] Codd. hanc rubricam exhibent: *Quaeritur, quare omnes Religiosi deficiunt in vita religiosa.* Vide tamen quaest. seq., ad quam ipsa pertinet et ubi a codd. omittitur.

[14] Edd. omittunt *signa.*

in quibus bona Religio agnoscatur, et in quibus alia melior altera aestimetur?

Respondeo. Saepe in *uno* et in *aliquibus* praecellit unus Ordo alterum, ut iste in labore, alter in silentio, alius in abstinentia et in consimilibus; sed *generaliter* in *istis* agnoscitur, quis sit melior. Unde si in *studio omnis virtutis* ut communiter personae illius Ordinis ferventius et frequentius exercentur, maxime caritatis et humilitatis et internae devotionis, est bonum signum [1]. — Secundum, si *omnia vitia et scandala* odio habent et sollicite cavent et occasiones peccatorum amputant et exstirpant et munditiam diligunt et conservant. — Tertium est, si *boni* apud eos *diliguntur et foventur*, et despectis aliis, in regimine animarum soli assumuntur, et per eos maxime gubernatur Ordo; Ecclesiastici decimo nono [2]: *Qui negligit modica paulatim decidet.* — Quartum, si *a saeculari frequentia se subtrahunt* et honores fugiunt, divitias non ambiunt et *conformari huic saeculo* [3] tam in moribus quam in factis seu qualibet apparentia erubescunt. — Quintum, si *damnum et iniurias* illatas aut despectiones *tacite sufferunt* nec per querimonias vindicare se cupiunt, sed Deum omnium inspectorem attendunt, qui suos, cum vult, potest defendere, cum vero expedire eis noverit, permittit, eos pro altiori praemio tribulari, et patienter ferunt, donec placuerit Deo aliter ordinare. — Qui ista signa plenius habent Religiosi meliores sunt, et qui minus, sunt minus boni, et qui nihil, nihil sunt; qui etiam singulariter habet in se bonus est, etiamsi aliquando communiter non habentur [4].

QUAESTIO XIX.

Quas ob causas in vita religiosa Ordines deficiant, etsi in quibusdam caeremonialibus proficere videantur [5].

Item, videmus, omnes Ordines Religiosorum deficere in vita religiosa, etiamsi in temporalibus pro quibusdam [6] caeremonialibus videantur proficere. Causas huius defectus praecipuas vellem scire; aut enim non deberetis incipere quod non potestis perficere, aut in inceptis pro *posse* perseverare, alioquin praevaricatores voti merito reputabimini.

Respondeo. Omne, quod non habet *esse* suum a se, deficiendo tendit in *non-esse*, nisi sustentetur ab eo qui dat ei *esse* [7]; sic et omnis Ordo et omnis homo. Unde non solum Ordines Religiosorum, sed etiam episcoporum et clericorum et laicorum et universalis status multum deficit quantum ad communem statum ab eo quod in principio fuit, cum omnes fideles erant perfecti et sancti, quales nunc raro videmus; Actuum quarto [8]: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una* etc. Licet autem olim communiter omnes boni et sancti fuerint, tamen modo multo plures sunt Sancti in Ecclesia Dei; sed quia mali plures sunt, ideo non apparent Sancti respectu multitudinis aliorum. Sanctitas etiam vera non consistit in exercitatione corporali, sed in virtutibus mentis [9]; et quia istae non apparent exterius nisi modice ex quibusdam signis operum; et Sancti non quaerunt videri ab hominibus, ut laudentur, sed occultant bona, quae habent singulariter prae aliis: ideo pauci Sancti modo in Ecclesia vel Ordinibus esse videntur.

Causae autem, quare communitas in Religione deficit, sunt magis *communes* inter alias. Una est multitudo intrantium, quia multi non possunt tam facile flecti sicut pauci. Sicut navis magna difficilius gubernatur quam parva, et ubi multa capita, ibi multa cerebra, quae omnia non possunt ad unum sensum deflecti [10]. — Secunda, cum subtrahuntur qui primo tenuerunt Ordinem in suo vigore, vel cum debilitantur in corpore, non possunt iunioribus ardua rigoris dare exempla sicut prius, et novi, qui prima eorum opera [11] non viderunt, imitantur eos tantum in his quae nunc vident in eis, et fiunt remissi sub specie discretionis, ne se ipsos sicut antiqui destruant, parcentes corpori. Et quia internas virtutes, quas antiqui habuerunt, non agnoscunt, ubique neglecti sunt, quia nec exterius exercentur nec interius virtutes apprehendunt. Quia etiam antiqui modo non valent eos exemplo praeire, timent etiam eos in verbo corrigere, quia solent dicere iuniores: verba quidem bona sunt, quae dicunt nobis, sed opera non ostendunt [12]; et sic magis scandalizantur. — Tertia causa est, quia quod quilibet non didicit nescit docere; ideo, cum regimen Ordinis devolvitur ad istos iuvenes, tales nutriunt, quales ipsi

[1] Edd. addunt *praecellentiae et perfectionis.*

[2] Vers. 1: Qui spernit modica etc. — Post *Ordo* secunda manus in B addidit: *sed si hoc deficit, et mali et negligentes pro regimine ponuntur, ex tunc dissolvitur Religio.*

[3] Rom. 12, 2: Et nolite conformari huic saeculo. — Superius post *a saeculari* C addit *praesentia.*

[4] Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 3. n. 20. — In hac propositione secuti sumus codd., substituentes *Religiosi* pro *Religiones*, quod exhibent edd., quae consequenter pro *qui* ter exhibent *quae.* In fine edd. legunt *etiamsi alii communiter non habent.*

[5] Cfr. supra pag. 348, nota 13.

[6] Edd. *et quibusdam.* Inferius pro *merito* B C *bene.*

[7] Cfr. Gregor., XVI. Moral. c. 37. n. 45. — Superius pro *tendit* (Gregor.: Eorumque essentia rursum ad nihilum *tenderet*) edd. *decidit.*

[8] Vers. 32. — Superius pro *Unde non solum* A C *Pene non solum.*

[9] Epist. I. Tim. 4, 8: Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae. — Superius A B omittunt *Dei.*

[10] Cicero, I. de Finibus bonor. et malor. c. 5: Quot homines, tot sententiae.

[11] Edd. *qui propria opera*, et inferius *parcent* pro *parcentes.*

[12] Matth. 23, 3: Dicunt enim et non faciunt. — Superius pro *eos exemplo* C *eis exemplo.*

sunt, ita quod prior iam Fratrum in fabulam vertitur [1]; non trahunt in exemplum, immo se tantum reputant illis prioribus meliores, quo minus agnoscunt, quae sint perfectorum virtutes. Et dum externa [2] quaedam exteriori disciplina conservant in choro vel processionali ingressu et similibus, audent asserere, quod status Ordinis nunquam fuerit ita bonus. — Quarta causa est, quod paulatim subintrant non bonae consuetudines, quae statim ab aliis trahuntur in exemplum; et si aliqui zelum Dei habentes [3] illa redarguunt, audacter defendunt alii, quare sibi non liceat quod alii permittitur; et pro lege tenebitur, cum ex usu iam conveniens videatur, ita quod vix de cetero poterit exstirpari. Rectores quoque, etsi talia non diligunt, tamen, ne maius malum sequatur, dissimulant, ut pacifice cum Fratribus vivant. Cumque una consuetudo talis facta [4] fuerit tolerabilis, consequenter et introducitur alia, quasi cohaerens priori, ut, si illa admittatur, ista vetus toleretur. — Quinta causa est occupatio negotiorum frequenter emergentium, quae corda distrahit, affectum devotionis exstinguit, mores alterat, interius occasiones vitiorum inducit, et ne de sua correctione efficaciter cogitent, semper nova impedimenta Religiosis innectit, donec tandem consuescant sola exteriora cogitare, et obscurato conscientiae oculo, etiam cum desunt, occupationum causas imprudenter quaerere, sicut Samson caecatus in carcere molam traxit, Iudicum decimo sexto [5].

Quarta.

Quinta.

Sunt et aliae *speciales* causae quorundam Ordinum, ut *nimia inopia,* ex qua coguntur fieri proprietarii, dum sibimet videtur quisque providere, quia non providetur eis in communi. Item, *nimiae opes,* e quibus fiunt [6] carnales, superbi et multipliciter vitiosi. Item, *frequentia inter saeculares,* ex qua oritur multarum tentationum carnalium materia et teporis. Item, *frequens mutatio praelatorum,* quae, etsi pro parte bona sit, in quantum mali abiiciuntur; tamen in eo nociva est, quod boni, dum cito sperant absolvi, non praesumunt aggredi vel non proficiunt, ut reforment statum Ordinis, et rebelles subditi potius laborant, ut deponantur, quam status debite reformetur [7]. Item, si unus praelatus quandoque vult reformationi intendere, *ab aliis* quo modo *impeditur,* vel ad minus non iuvatur ab his quorum auxilio indigeret, ut prior non adiuvatur ab abbate, vel abbas ab episcopo et de similibus similiter [8]; unde rebelles subditi appellant ad illos quos sciunt sibi in sua rebellione favere. Item, si aliqui in uno loco diligenter student reformare statum in melius, mittuntur ad alium locum, ubi non inveniunt quod quaerebant. — Ex his atque aliis causis status Religionis deficit, ut non solum fiat deterior, sed etiam quasi desperabilis, quod vix unquam, nisi Deus aliter ordinet, reformetur.

Causae speciales sex.

Sed *quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* [9]; quod non fit in *communi* potest fieri in *particulari;* quia proficere volens convertit ad lucrum suum aliorum detrimentum et omnes vias alieni defectus ad profectum suum cum Dei gratia retorquet. Et sicut electorum gloria ex hoc maior est, quod reproborum societati admixti, eorum non imitantur exemplum, qui sunt ipsis tentationis et exercendae virtutis materia; ita et boni Religiosi nunquam tanti fierent meriti apud Deum, si non a tepidorum Fratrum defectibus ad multiplicem virtutis luctam assidue exercitarentur; tali autem gloria eos impedire nullatenus expediret. Unde Apostolus [10] inter cetera virtutum suarum merita, quibus se ministrum Christi excellenter gloriatur, enumerat etiam *pericula in falsis fratribus,* eo quod ei et aliis bonis multiplex sit occasio virtutis, scilicet primo eorum prava exempla sunt bonis *tentationis materia,* et sic victoriae causa. Item, *zelo iustitiae* circa eorum vitia accenduntur et uruntur scandalis infirmorum [11]. Item, eorum miseriis *compatiuntur,* sicut mater filio ad perditionem properanti. Item, *magis laborant* bonis exemplis eos corrigere et monitis et orationibus et beneficiis. Item, distortos mores [12] *patienter tolerant* et iniurias, quas eis pro iustitia referunt. Item, ex eorum contubernio *despectiones sustinent* ab extraneis, qui ipsos dicunt tales [13]. Item, *timidiores* ac per hoc *humiliores* fiunt, et ne cadant, *sollicitiores.* Item, Deo magis *referunt gratias,* quod eos, ne tales essent, benigne defendit. Item, ex malis iuxta se positis *virtutes iustorum* clarius elucent et pulcrius fulgent [14]. — Ista et alia bona sunt, quae Deus elicit ex consortio malorum cum

Notandum.

Exemplum Apostoli.

Datur occasio exercendi actus virtutis.

---

[1] Libr. III. Reg. 9, 7: Eritque Israel in proverbium et in fabulam cunctis populis. Cfr. Deut. 28, 37. et Tob. 3, 4. — Superius post *ita quod prior iam Fratrum* B addit *profecto.* Subinde pro *trahunt* (ita A B) edd. *trahitur.*

[2] Edd. *Et dum exempla.*

[3] Codd. B C *amantes.* Inferius post *defendunt alii* A addit *dicentes,* et pro *quod alii* B substituit *quod alicubi,* C *quod alibi.*

[4] Cod. B *talis iam facta.*

[5] Vers. 21. — Superius pro *Quinta causa est occupatio negotiorum* (ita A C) edd. *Quinta occupationum,* pro *occupationum causas* A C *occupationis causas,* et pro *imprudenter* (ita A B) edd. *impudenter.*

[6] Cod. C *efficiuntur.*

[7] Cfr. infra p. II. q. 5. — Edd. *quam ut status debitus reformetur.*

[8] In edd. additur *iudicetur,* quae etiam inferius pro *diligenter student reformare* (ita A C) substituunt *diligerent reformare.*

[9] Rom. 8, 28. — Inferius pro *quia* (ita A C) edd. *Quilibet.*

[10] Epist. II. Cor. 11, 26. Ibid. v. 23: Ministri Christi sunt (ut minus sapiens dico), plus ego: in laboribus plurimis etc. — Superius fide codd. supplevimus *tali autem... expediret.*

[11] Respicitur II. Cor. 11, 29: Quis scandalizatur, et ego non uror?

[12] Cod. A *moribus.* Inferius pro *referunt* edd. *inferunt.*

[13] Cod. B *qui ipsi sunt tales,* edd. *quasi ipsi sint tales,* quae etiam inferius post *sollicitiores* addunt *sunt.*

[14] Vide tom. I. pag. 495, nota 1. verba Aristotelis, et pag. 786, nota 7. verba Augustini (cfr. tom. IV. pag. 1049, nota 3.).

bonis. Sicut enim in caelis gaudium bonorum cumulatur visa poena damnatorum, sic etiam in Ecclesia quodam modo decorat rectitudinem iustorum deformitas iniquorum, disponente huiusmodi superna sapientia, quae nil inordinatum in omni regno dimittit [1].

Quaestio XX.

Quaeritur, quare inter Religiosos videantur dissensiones et invidiae.

Item quaero: cum nihil debeatis appetere terrenum, nec honores nec res, pro quibus solent homines inter se contendere et sibi mutuo inter se invidere; quae causa est, quod saepe videmus, inter Religiosos esse dissensiones et invidias, sicut etiam inter saeculares, vel aliquando acriores?

...ipium ...rale.

Respondeo. De his quae irrationabiliter fiunt, reddi non potest ratio congrua; unde si aliqui sub habitu Religionis tales aliquando videntur, non est alia ratio nisi eorum imperfectio, et quia *habitus mentis* non habet interius quod ostendit *habitus vestis* exterius et tonsura capitis. — Boni autem, si aliquando dissentire videntur, hoc his de causis fieri consuevit: una, cum non omnes agnoscant aequaliter veritatem in omnibus, contingit, quod aliquis intelligit, aliquid fore expediens pro una parte, et alius intelligit [2], illud pro alia parte non fore expediens, vel aliud magis fore expediens quam illud. Et dum uterque hoc quod ipse melius iudicat, vult promovere, et quod nocivum credit vult impedire; sic dissensio fit inter eos, id est *diversa sensio*, non perversa, cum uterque bene intendit; sicut inter Paulum et Barnabam [3] pro Ioanne discipulo, quem voluit Barnabas assumere in socium praedicationis suae, sed Paulus prohibuit, timens, ne non perseveraret in continuatione laboris, et sic per eum impediretur; et sic dissentiebant, et Barnabas Ioannem secum sumsit, ubi minores haberet labores, Paulus vero Silam sumsit pro fortioribus laboribus magis aptum, ut diversis partibus divisi, pluribus praedicando prodessent. — Sic in expositione beati Gregorii [4], orante Daniele Dominum pro populi liberatione de captivitate Babylonica, Angelus dixit, quod eius oratio dudum esset exaudita, sed *princeps Persarum*, id est Angelus gentis illius custodiae deputatus, *restitit* sibi *viginti uno diebus*, ne statim liberarentur, sed diutius afflicti plenius a peccato purgarentur. Quid ergo mirum, si boni quandoque pro bono dissentire videntur ratione diversarum considerationum, si Apostoli et Angeli eadem ratione dissentire inventi sunt? Nam iuxta hunc sensum Sancti quandoque rationabiliter et a *Deo* dissentiunt, ut, cum Deus vult, aliquem mori, quem ipsi diutius desiderant vivere pro aliorum profectu, vel cum ipsi optant citius mori, quos Deus vult pro aliorum salute adhuc diutius in corpore laborare; ad Philippenses primo [5]: *Desiderium habens dissolvi.*

(...tio 1. — ...plum. — exem...um. — Notandum.)

Altera causa est, quando unus non videt intentionem alterius, quae bona est, et putat, eum alia intentione aliquid facere, et displicet sibi et dissentit ab eo; qui si sciret, non displiceret sibi quod facit, et esset pacatus ad eum, sicut Moyses iratus est filiis Ruben et dimidiae tribui Manasse, cum peterent terram Basan et Hesebon in possessionem [6], et Iosue iratus est eisdem pro constructione altaris super ripam Iordanis, antequam agnoscerent, intentionem eorum utrobique fuisse bonam. Talis autem ignorantia non est semper culpabilis, dum tamen non sit iudicium nimis praeceps.

(Ratio 2. — Duo exempla.)

Quaestio XXI.

Quaeritur, cur Religiosi celent facta sua.

Item quaero: cum Religiosi tam studiose solent abscondere facta sua — suspectum est enim, apud eos esse aliqua indecentia — cur [7] sic celantur, cum bona non sit necesse celari?

Respondeo. Tria solent celari et abscondi: primum est *singularia bona*, ne de singulari gloria extollentia proveniat, et meritum depereat; Matthaei sexto [8]: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* — Item, *vitia et peccata*, ne percipientes scandalizentur; et qui

(Tria celanda. Primum. — Secundum.)

---

[1] Vide Bonav., I. Sent. d. 46. q. 5. seq. — Superius pro *in caelis gaudium* edd. *accidentale gaudium* (cfr. Bonav., IV. Sent. d. 50. p. II. a. 1. q. 3.), quae etiam pro *cumulatur* substituunt *cumulat* et *disponente hoc* pro *disponente huiusmodi.*

[2] Ex codd. supplevimus *aliquid fore... intelligit.* Superius pro *una* C *prima causa est,* Vat. *Nam.*

[3] Act. 15, 37. seqq.

[4] Libr. XVII. Moral. c. 12. n. 17. Cfr. Dan. 10, 12. seq.: Exaudita sunt verba tua... Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus. Verba Gregorii sunt: Ac si aperte dicat: Precum quidem tuarum merita exigunt, ut Israeliticus populus a iugo suae captivitatis exuatur, sed est adhuc quod in eodem populo Persarum dominio purgari debeat etc. Cfr. Hieron., in Dan. 10, 13, ubi etiam docet, principe Persarum intelligendum esse Angelum Persarum sive Angelum, cui Persis credita est, ipsumque alteri restitisse enumerando peccata populi Iudaeorum, quod iuste tenerentur captivi et dimitti non deberent.

[5] Vers. 23. Cfr. Bonav., I. Sent. d. 48. a. 2. q. 2. et dub. 4. — Superius pro *optant* (ita A C) edd. *putant* et *eorum salute* pro *aliorum salute* (ita B C).

[6] Num. 32, 10. seqq. — De seq. propositione cfr. Iosue 22, 10. seqq. — Superius pro *ad eum, sicut* edd. *cum eo. Sic,* quae etiam inferius pro *agnoscerent,* scilicet Moyses et Iosue, *agnosceretur;* post *intentionem* ex B C addidimus *eorum.*

[7] Edd. hic addunt *enim,* paulo superius omisso.

[8] Vers. 1. — Superius pro *extollentia* edd. *excellentia.* Secundum Du Cange, Glossarium etc. *extollentia* idem est ac elevatio, elatio.

peccando aliquem scandalizant duplici reatu obligantur; Matthaei decimo octavo[1]: *Vae homini illi, per quem scandalum venit.* — Item, *quaedam* solent abscondi a non intelligentibus, qui ea iudicarent mala esse ex sua stoliditate, cum tamen coram Deo licita sint, vel etiam meritoria[2], non propter hypocrisim, sed ne illi exinde infirmentur; ita non propter se tantum, sed magis propter illos occultant Religiosi facta sua, ne noceant illis; quia non possunt omnium corda videre et omnibus satisfacere, quare hoc fiat, cum saeculares rudes sint et proni de Religiosis sinistra saepius suspicari. Cum enim vident eos humiliter iucundos, iudicant eos dissolutos; cum ex necessitate vident, eos corporis[3] refectionem accipere, iudicant eos carnales; cum ex zelo iustitiae vident se ab eis pro vitio suo redargui, dicunt eos iracundos; cum vident, eos necessaria vitae hinc inde mendicare, cum aliunde non habeant, dicunt eos avaros, et sic de singulis, etiam quae bene faciunt, reprehendunt ea. Propter quod oportet, ut caveant alienae infirmitati et occultent quae possent ab aliis mala iudicari; primae ad Corinthios octavo[4]: *Videte, ne forte haec licentia vestra offendiculum fiat infirmis.*

Tertium.

Falsa saecularium iudicia.

Tribus modis[5] saeculares iudicant Religiosos: primo, opinando de ipsis quae sunt falsa, quae ipsi per se confingunt, vel aliis referentibus leviter credunt, ut vulgus rusticanum, quod dicit nos antichristi praenuntios[6], et quod omnes guerras terrarum et principum seminamus. — Secundo, quod illa quae ipsi solent non sine peccato facere[7], cum vident nos aliquando facere, aestimant, quod tali animo facimus ut ipsi, ut comedere delicata et videre feminas, esse hilares, alloqui homines; spatiosas areas, munda aedificia ratione sani aëris et ecclesias decentes, homines zelo disciplinae invicem accusare et punire et pro cautela de locis transmutare[8] et similia, quae a bonis bene, et a perversis perverso animo fieri solent. — Tertio, cum damus eis causam iudicandi et suspicandi de nobis non bona, talia exempla eis ostendentes[9], quae merito sunt reprehendenda. — In primo sumus omnino sine culpa; in secundo indigemus bona cautela; in tertio culpa non caremus, dantes eis scandali offensionem et ministerium Religionis vituperabile facientes[10], quibus debemus esse lumen sanae doctrinae et forma recte vivendi.

Triplici modo haec fiunt. Primus modus.

Secundus.

Tertius.

Notandum.

Cum autem despicimur ab aliis sine nostra culpa[11], ad profectum nostrum cedit multiplicem: primo, peccata nostra per hoc purgantur. Secundo, bona nostra magis tuta sunt a vana gloria laudis humanae. Tertio, humiliores reddimur coram hominibus. Quarto, cautiores sumus in verbis et factis, ne opinionem eorum confirmemus. Quinto, minus sumus eis familiares ac per hoc magis in cella quieti. Sexto, patientiam magis discimus ex tali despectione. Septimo, interna consolatio spiritus impenditur quaerentibus pro exteriori subtracta. Octavo, maius meritum ex his omnibus coram Deo accrescit. Haec et alia bona tanta sunt, quod, si non obessent aliis, libenter tolerare debemus despici ab aliis et reprehendi et persecutiones pati pro Christo sine culpa[12].

Octo de spectu[ili]tates [...]dae.

Quaestio XXII.

Quaeritur, cur Fratres magis frequentent mensas divitum quam pauperum[13].

Item quaero: cum deberetis sicut pauperes Christi pauperibus esse familiares[14] et eorum cibis esse contenti, quid est, quod magis frequentatis mensas divitum quam pauperum?

Respondeo. Tria nos specialiter invitant ad hoc: videlicet *nostra necessitas,* quia, cum, itinerando per terram, lassitudine et fame[15] fatigamur, apud illos promptius speramus obtinere refectionem, qui etiam pro honestate panem suum quibuslibet transeuntibus non negant, quam apud alios, quos nescimus. — Item, *pauperum inopia,* qui, si forte nos hilariter reciperent, expenderent nobiscum pro sua devotione in uno prandio, nobis etiam dolentibus, unde ipsi pluribus vicibus refici possent, cum non habeant, nisi quod quotidie propriis manibus elaborant[16]. — Item, ipsorum *divitum salus,* qui per occasionem

Ratio [...] pri[...].

Secun[...]

Terti[...]

---

[1] Vers. 7. — Superius pro *qui peccando aliquem scandalizant* edd. *qui peccantem scandalizant.*

[2] Vat. *meritorie* et inferius ipsa cum ed. 1 post *quare hoc* addit *vel hoc.*

[3] Edd. omittunt *ex necessitate* et *corporis,* transposita hac propositione ante praecedentem.

[4] Vers. 9. In fine B addit *vel generetur.* — Superius pro *Etiam quae* B *Et quae,* A *Et qui.*

[5] Cod. A *Nota, tripliciter.* Inferius vocibus *quae sunt* edd. interserunt *omnia* et pro *referentibus* substituunt *inferentibus.*

[6] Cfr. S. Thom., Opusc. superius allegatum, c. 24. seq., ubi signa et argumenta pro hoc afferuntur et refelluntur.

[7] Edd. *quae ipsi solent facere, non sunt peccata facere,* et inferius post *comedere delicata* prosequuntur: *et bibere, alloqui feminas, esse hilares, speciosas areas* etc.

[8] Cod. A *transmigrare.* Subinde pro *bene* edd. *bono.*

[9] Edd. *ostendendo.* Vocibus *talia exempla* B interserit *enim.* Inferius pro *In primo sumus omnino sine culpa* (ita B C) edd. perperam *In primo sumus non sine culpa.*

[10] Epist. II. Cor. 6, 3: Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum.

[11] Edd. *sine causa sive culpa nostra* et inferius *et laude humana* pro *laudis humanae.*

[12] Epist. II. Tim. 3, 12: Et omnes, qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur. — Edd. *propter Christum sine culpa.*

[13] Vat.: *Cur Religiosi Ordinis S. Francisci ad mensas divitum accedant.*

[14] Edd. *familiariores,* et subinde *contentari* pro *esse contenti.*

[15] Cod. C *per terram fame et siti et lassitudine.*

[16] Fide codd. supplevimus *cum... elaborant.*

concipiunt nostri familiarem notitiam, ut ad amorem Dei sic eos paulatim trahamus et salutis doctrinam eis ingeramus et per eleemosynae meritum[1] Deum eis propitium faciamus. Pauperes per se ingerunt se et salutis consilia studiose requirunt, qui non habent in hoc mundo consolationem suam[2]; divites autem, terrenis contenti, vel mundanis negotiis occupati, vel superbia inflati, raro humiliant se ad quaerendum salutis consilium, nisi per occasionem aliquam ad hoc a bonis et Religiosis trahantur prudenter, sicut Dominus traxit Zachaeum et alios publicanos et peccatores, manducando cum eis et docendo, licet non ignoraret, Pharisaeos et scribas inde murmurare et materiam quaerere detrahendi[3].

odum.

Quaestio XXIII.

Quaeritur, quare Religiosi plus honorent divites quam pauperes.

Item quaero: cum personarum acceptio sit apud Deum culpabilis et ab Apostolo Iacobo[4] prohibita, quare vos Religiosi magis honoratis divites quam pauperes et promptius eis servitis in confessionibus audiendis et aliis consiliis et obsequiis, sicut saepe videmus et scimus?

Respondeo. *Deus pusillum fecit aequaliter sicut et magnum, et aequaliter est illi cura de omnibus*[5], in quantum factura eius sunt ac ad salutem pertinent sempiternam. Ideo et nos omnes diligere debemus in Domino et tam divitum quam pauperum salutem desiderare et pro *posse* nostro promovere, sicut expedit his et illis; unde et, si pauper melior est divite, plus debemus eum honorare et diligere *in affectu*, divites autem plus honorare in *exteriori effectu*[6] quadruplici ratione: una, quia, cum Deus in hoc saeculo divites et potentes praetulit pauperibus quoad mundi gloriam, ubi est necesse, alios aliis subesse vel praeesse, nos honorando potentes eius ordinationi concordamus, quos et ipse Deus honoravit in hac parte[7]. — Alia ratio est, propter infirmitatem ipsorum divitum — qui, si non honorarentur, indignando magis infirmarentur et deteriores efficerentur et gravamen nobis et aliis pauperibus inferrent — ne quod offendiculum demus infirmis, ne per nos deteriores fiant, qui omnes debemus potius ad meliora provocare[8]. — Tertia, quia maior utilitas provenit ex correctione unius divitis quam plurium pauperum. Pauperis autem salus sibimet prodest, dives autem emendatus multis prodest tam propter exemplum aliorum, qui inde aedificantur et provocantur ad bonum, quam propter alia bona, quae per eum promoventur in aliis, et mala impediuntur; Ecclesiastici decimo[9]: *Qualis rector civitatis, tales inhabitantes in ea.* Conversio Constantini imperatoris ad fidem plus profuit Ecclesiae in pluribus quam multorum aliorum. — Quarta, cum a divitibus plus recipiamus de corporali subsidio, eo quod magis abundant in talibus; iustum est, ut et eis vicem rependamus et proniores simus eis ad obsequia specialia[10] impendenda; pauperes etiam facilius expediuntur, quia tantis perplexitatibus non ligantur, divites vero, pluribus laqueis irretiti, frequentioribus et diligentioribus indigent consiliis; ideo necesse est, nos circa illos studiosius occupari, ne profundius in peccato mergantur. Nam, ut dictum est iam, qui potentem[11] in bono promovet multos iuvat; sic e converso ipsius subversio multorum est detrimentum.

...tes ho-...di ra-...ima. — ...cunda. — Tertia. — Quarta.

Quaestio XXIV.

Quaeritur, quomodo Fratres habeant domos, areas, hortos.

Item quaero: cum Regula vestra[12] dicat, quod nihil proprium debeatis habere nec in speciali nec in communi; et vos habetis domos, areas, hortos, libros, vestes et alia victui necessaria pro tempore, quomodo potestis huiusmodi transgressionis culpam excusare bona conscientia?

Respondeo. Videmus in saeculo, famulos dominorum panem non suum comedere, tecto non suo contegi et rebus alienis uti, videlicet dominorum suorum. Sic et alii saepe concessis utuntur tam vestibus quam aliis rebus de illorum voluntate, quorum res sunt. Sic et nos *utimur* rebus necessariis pro corpore, quas tamen nec in speciali nec in communi nobis *appropriamus*. Regula[13] enim non dicit, nos nihil debere *habere*, sed nihil *nobis appropriare*. Unde *usum* rerum necessariarum habere possumus,

Simile. — Notandum.

---

[1] Edd. *et per tale meritum*, quae etiam subinde voci *Pauperes* praefigunt *quia*.

[2] Cfr. Luc. 6, 24, ubi econtra de divitibus dicitur: Habetis consolationem vestram.

[3] Vide Luc. 19, 5. seqq. de Zachaeo; ibid. 5, 27. seqq. et 15, 1. seq. de aliis publicanis. — Superius pro *a bonis* (ita C et ed. 1) Vat. *a nobis*.

[4] Cap. 2, 1. et 9.

[5] Sap. 6, 8. Edd. cum Vulgata omittunt *sicut*, quod codd. exhibent. — Inferius pro *Ideo et* edd. *Ideo igitur*.

[6] Edd.: *plus debemus eum diligere, tamen divitem plus honorare.*

[7] Cfr. Prov. 10, 22. et Rom. 13, 1. seqq. — Superius pro *nos* A *illos*.

[8] Edd. *trahere et provocare.*

[9] Vers. 2. Post *civitatis* codd. addunt *talis familia et.* Cfr. August., VIII. Confess. c. 4. n. 9, ubi ostendit, quare plus laetandum sit in conversione nobilium; S. Thom., Opusc. superius allegatum, c. 19.

[10] Cod. B *spiritualia.*

[11] Cod. C *divitem.*

[12] Respicitur c. 6. — Inferius ex codd. supplevimus *areas*, et fide A C substituimus *huiusmodi transgressionis culpam* pro *transgressiones huiusmodi.*

[13] Cap. 6: Fratres nihil sibi approprient, nec domum etc. Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 11. n. 5. et Opusc. XII. Epist. de tribus quaest. etc. n. 6.

non *proprietatem*, alioquin nec vestem nec cibum, nec aliquid aliud in usum recipere deberemus, quod esset contra omnem rationabilem intellectum. Praesul vero Sedis apostolicae [1], qui est generalis omnium pauperum Ecclesiae provisor, specialiter nostri Ordinis curam habens, omnium mobilium, quae Ordini conferuntur, proprietatem sibi assumsit, exceptis his quorum dominium sibi conferentes retinuerunt, et nobis *usum* earundem rerum solum concedit, ut semper alieno victu et vestitu et tecto et aliis utensilibus absque proprietatis iure ex ipsius concessione utamur, sicut familia patrisfamilias, quae rebus domini sui utitur tam in absentia quam in ipsius praesentia corporali secundum ipsius dispositionem. Et eleemosyna, quae nobis a fidelibus datur, transit in *usum nostrum* et in *illius dominium*, qui est principalis Ordinis nostri dispensator, cui parati sumus omnia, quae habemus, cum iusserit, tanquam domino, prout convenit, resignare. Nil iuxta hoc proprietatis habentes, Regulam nostram bona conscientia observamus.

Statutum S. Sedis.

Quaestio XXV.

Quaeritur, si Fratres debeant habere et recipere pecuniam [2].

Item quaero: cum iterum Regula [3] dicat, quod nec per vos nec per alios debeatis recipere denarios vel pecuniam, videmini semper contra hoc facere tam petendo pecuniam tam reponendo quam etiam dispensando, quia, etsi personaliter eam non contrectetis, tamen per alios eam servari et recipi facitis ac distribui, sicut vultis; et cum inhibitum sit per praeceptum, et non [4] habeatis super hoc potestatem dispensandi; nescio, quomodo hanc transgressionem excusare potestis. Si autem non posset hoc praeceptum servari, non deberetis vovere, et potius esset a Regula rescindendum, quam laqueus esset voventibus, cum servari non posset.

Respondeo. Multa putantur [5] mala, quamdiu non intelliguntur, quae intellecta rationabilia et iusta videntur; sic et in ista quaestione apparet. Regula prohibet, nec per nos nec per interpositam personam nos recipere pecuniam, ut nostra sit, et nos domini et possessores pecuniarum simus quasi rei propriae; sed concedit, ut per amicos spirituales, qui pro Deo nos spiritualiter diligunt, id est caste et iuste, necessaria procuremus; quae tali modo utraque congrue observantur [6], quod ea quae sine pecunia non possunt procurari, aut per ipsos procurentur, qui Fratribus dant eleemosynam, aut per eorum nuntios, ut cum aliquis procurat, Fratribus librum scribi vel vestem fieri vel domum vel aliud suis laboribus et expensis; aut si Fratres ista procurant, illi solvunt pecuniam illis qui Fratribus commodaverunt, unde ista sunt procuranda, ut cum Fratres faciunt, librum scribi, alius solvat expensas per se vel per nuntium suum; aut si aliqui volunt dare Fratribus eleemosynam pecuniae, possunt committere alicui, qui nomine suo eam servet, pro utilitate tamen Fratrum, ut vice illorum [7] qui sibi commiserunt pecuniam, procuret inde Fratribus, secundum quod voluerit et secundum quod a Fratribus instruitur, per se vel per alios, qui aptius ea promovent, quae sibi fuerant commissa. — Et per omnes istos Fratres non recipiunt pecuniam, sed illi per se pro illis qui sibi commiserunt pecuniam, convertunt eam in utilitatem Fratrum, vicem illorum gerentes in eo, quod servant et distribuunt ipsam pecuniam, quae adhuc illorum est, qui dederunt, etiam si nesciant, eam adhuc servari, gerentes autem vicem Fratrum in eo, quod eorum utilitatem promovent de pecunia aliorum. Fratres enim, quamdiu pecunia non est redacta in rem aliam, qua eis uti liceat [8], non habent eam pro sua, sed illius qui deposuit eam, licet sciant, eam pro sua utilitate ibi repositam; sicut, cum dominus committit pecuniam suam servo suo, ut mihi inde emat tunicam, pecunia interim [9] est domini, sed empta tunica mea erit. Secundum hanc viam et cautelam Fratres et per amicos spirituales, quoslibet procuratores et mediatores procurant necessaria, nec tamen recipiunt pecuniam per illos procuratores, sed illi servant illam nomine dantium et vice ipsorum vertunt eam in utilitatem Fratrum, ut dominium pecuniae non transeat in proprietatem Fratrum. — Unde conditor Regulae magis intendit Fratribus praecludere viam avaritiae in possessione pecuniae, per quam omnis Religio suffocatur, quam obstruere eis opportunitatem necessaria procurandi. Sedes etiam apostolica, cuius acta toti Ecclesiae diiudicanda exponuntur et veneranda, ipsam Regulam confirmando non approbasset, si in ea aliquid incongruum et inobservabile perspexisset [10]. Ideo voventibus eam non est laqueus perplexitatis, licet indigeant diligenti cautela, ut non offendant contra eam,

Generalis sententia.

Amici spirituales.

Notandum.

Intent. S. Franc.

[1] Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 11. n. 6. seqq. et Opusc. XII. Epist. de tribus quaest. etc. n. 3-5. et n. 8. — Edd. *Praesul enim Sedis apostolicae*.

[2] Vat.: *An Fratres Minores transgrediantur Regulam, cum pecuniae, quae sibi pro eleemosyna erogantur, per alios recipi et conservari faciant.*

[3] Cap. 4. — Inferius pro *semper contra* edd. *per contrarium*.

[4] Edd. *et tamen inhibetur sicut per praeceptum, ut non,* quae etiam inferius pro *rescindendum* substituunt *recedendum*.

[5] Cod. C *Multa sunt et putantur*.

[6] Cod. B, posito *qui* pro *quae*, cum A *observemus*. Inferius pro *procurentur* B *emantur*.

[7] Codd. A B *et vice illorum*.

[8] Vat. *quam eis ut licet*.

[9] Fide cod. B addidimus *pecunia* ante *interim*. Inferius pro *amicos spirituales* edd. *amicos speciales*.

[10] Vat. *prospexisset*.

qui debent aliqua necessaria per pecuniam procurare; quae tamen cautela magni est meriti, quamvis illi tutius ambulent, qui se subtrahunt a talibus negotiis, qui ad ea ex officio non coguntur.

Quaestio XXVI.

Quaeritur, cur Fratres recipiant vel petant eleemosynam ab illis qui iniusta lucra sectantur.

Item quaero: cum res male acquisitae Deo sint odibiles, Isaiae sexagesimo primo[1]: *Ego Dominus odio habens rapinam in holocausto;* cur recipitis vel petitis eleemosynam ab illis qui iniusta lucra sectantur?

Respondeo. Quidam sunt, qui solas habent res male acquisitas, et possunt certae personae inveniri, quibus competit recompensatio; ubi tales scimus, de cetero non debemus ab eis eleemosynam recipere, quia omnia, quae habent, sunt aliorum, quibus tenentur reddere. — Quidam habent bona iniusta, sed certae personae non possunt inveniri, quibus tenentur reddere[2], vel omnes, vel aliquae; vaga ergo restitutio *Deo* danda est et in *pias causas* eroganda. — Quidam habent iniusta bona, ita quod, si dant eleemosynam, tamen per hoc[3] non fiunt impotentes, quin adhuc habeant, unde possint restituere certis personis, quibus debent; unde possunt eleemosynam facere de residuo. — A primis non possumus recipere, nisi ignorantia, vel extrema indigentia, vel praesumtio, quod creditores velint, nos recipere, nos excuset. Unde quando non constat, de vero aliquem iniusta detinere bona — non tamen leviter credere debemus, eum tanti criminis esse reum, cum de quolibet teneamur praesumere meliora[4] — mendicitas nostrae professionis, et quia Deo debita pauperibus Christi largienda sunt, excusat nos in hac parte plenius, quam illos qui ex aliis rebus habent, unde sufficienter valeant sustentari. Ubi tamen publica fama clamat, aliquem esse de primis praedictis, etiam si aliter non constaret, propter scandalum non expedit ab eo recipere vel petere eleemosynam, nisi forte talibus, qui ex professione vel officio habent, quod debent raptores ad restitutionem inducere, quia utiliter gerunt in hoc negotium spoliatorum. Et *dignus est* tunc fidelis *operarius cibo suo*[5], cum nemo teneatur suis stipendiis militare. — Ad hoc autem, ut possimus peccatores ad emendationem monendo inducere, concedit nobis Sedes apostolica[6], etiam in terris excommunicatorum libere commorari et ab eis tunc eleemosynam accipere, maxime si aliunde non possemus sustentari. Si enim boni de medio malorum tollerentur, quis esset qui malos ad bonum verbo et exemplo moveret?

Quaestio XXVII.

Quaeritur, quae sit ratio, quod clerici magis oderunt vos et persequuntur quam laici et simplices saeculares[7].

Item quaero: quae est ratio, quod clerici magis oderunt vos et persequuntur quam laici et simplices saeculares[8]?

Respondeo. Sicut non omnes laici diligunt nos, sic nec omnes clerici oderunt nos. Si qui autem videntur nos odire, hoc quinque de causis potest esse: una, quod timent nos, quod ipsorum facta et excessus vel defectus plenius agnoscamus et severius arguamus, quo clarius videmus, quales esse deberent et non sunt, per quos sancta gubernatur Ecclesia. — Secunda causa est, quia invident nobis, quod simus hominibus gratiores, et ipsi comparatione eis[9] appareant in vita, vel in scientia viliores, vel etiam in doctrina. — Tertia, quia dolent, si per confessiones secreta eorum ab aliis, qui conscii[10] fuerint, percipimus, dum timent per illa magis vilescere, vel forte personas illas nostro consilio ab eis averti et ad meliora converti. — Quarta causa, quia timent, sibi aliqua per nos emolumenta subtrahi, dum eleemosynas, quae dantur nobis, arbitrantur sibi dandas fore, si nos non essemus. Et haec videtur potior esse causa pluribus, qui nos odiunt, scilicet si[11] plus inhiant lucris pecuniarum a suis subditis quam fructui animarum etc. — Potest etiam quinta esse causa, quia divina iustitia illos qui, quanto amplius cognoverunt et spreverunt, et quibus maiora beneficia contulit, et ingrati fuerunt et gravius ceteris offenderunt

[1] Vers. 8: Ego Dominus diligens iudicium et odio etc.

[2] Edd., perperam omisso *Quidam... reddere,* quae sequuntur *vel omnes... eroganda* coniungunt cum praecedenti membro. Inferius pro *Deo danda* B *de eo danda.*

[3] Codd. addunt *adhuc.* Inferius pro *quibus debent* B *quae eis debent.*

[4] Cfr. c. *Ex parte,* X. de Scrutinio etc. (I. Decret. Gregor. IX. tit. 12.) et c. *Dudum* (16.), X. de Praesumtionibus (II. tit. 23.). — Pro *teneamur* A C *debeat;* edd. legunt: *non tenemur leviter credere eum tanti criminis* etc. Superius A B omittunt *quando.* Inferius pro *unde sufficienter* B C *ut sufficienter.*

[5] Matth. 10, 10. — Deinde respicitur I. Cor. 9, 7: Quis militat suis stipendiis unquam?

[6] Gregor. IX. an. 1241, 20 Iunii, in suo diplomate: Vobis extremam patientibus pro Christi nomine paupertatem etc. Cfr. Sbaralea, Bullar. Franciscan. tom. I. n. 345. pag. 298. seq., ubi editor in nota adiungit: Innocentius vero IV. Ordini Minorum innovavit anno 1243, die 9 Octobris et 20 Novembris insequentique anno kalendis Augusti.

[7] Vat.: *Quare plures clerici Religiosos odio habent.*

[8] Edd. *sacerdotes.*

[9] Edd. *et ipsi comparati nobis,* quae etiam inferius post *vel etiam* addunt *indoctiores.*

[10] Edd. *consocii.*

[11] Cod. C *scilicet qui.* Inferius A B omittunt *etc.*

et frequentius eum indigne contrectant et percipiunt, tanto magis indurat et profundius cadere permittit, ut non solum ipsi sint[1] mali in se, sed etiam alios secum malos esse desiderent et bonos oderint et quos imitari nolunt optent non esse, et persequantur eos quos sibi dissimiles esse dolent; Salomon[2]: *Gravis est nobis ad videndum* etc.; ibidem plures de praedictis tanguntur. Laici vero, quia de praedictis causis etiam minus habent, etiam minus[3] nos oderunt, immo etiam diligunt qui sentiunt, nos salutem suam diligere, et sperant, per nos eam fideliter apud Deum esse promovendam oratione[4], meritis et doctrinis. Clerici etiam, qui sane sapiunt, eadem ratione nos fovent et diligunt quasi filios suos et adiutores et cooperatores tam suae salutis quam suae sollicitudinis sibi commissae in suis subditis necessarios adiutores et oneris sibi impositi fideles sublevatores. Et de his sufficiat[5].

Aliter sentiunt laici.

PARS II.

Quaestio I.

Cur Fratres a clericis accusentur, quod eis detrahant et alias praeiudicent[6].

Praeter hoc, quod surripitis clericis eleemosynas, quae ipsis darentur, si vos non essetis, conqueruntur, quod detrahatis eis in populo et confundatis eos in praedicationibus vestris, vitia eorum propalando. — Insuper, quod suadeatis hominibus, ne confiteantur eis et ne dent eis oblationes et alia quae deberent, cum ipsi sint potius quam vos qui *pro animabus* eorum sunt *rationem* Domino *reddituri*[7].

Conquestio prima. Secunda.

Respondeo ad ista secundum ordinem[8]. Omnia, quae ipsis iure debentur in *oblationibus et decimis* et aliis, vel de approbata eis consuetudine dari solent a populo, nos potius suademus eis dari, quam impediamus, immo hortamur populum eis ista non subtrahere nec in alios etiam pios usus erogare et ius suum cuique tribuere, etiam peccatori. Si autem quandoque quaerunt consilium, ubi secundum Deum melius sit dare *eleemosynam,* ad quam non tenentur ex debito; dicimus libere, quod ibi sit melius, ubi vel maior est indigentia, vel maior Deo honor exhibetur, et ipsis dantibus exinde efficaciora orationum suffragia provenire creduntur, vel quo ipsorum devotio ad benefaciendum pro Deo ferventius inclinatur.

Ad conquestionem secundam.

Quod autem plebanis suis *confiteantur,* ut debent, suademus etiam his qui nobis confessi fuerint, ut agnoscant eorum conscientias, quos regere debent, ut sciant, quibus exhibere vel negare debeant ecclesiastica Sacramenta[9], nisi forte tales sint aliqui, a quibus prohibeant canones, Sacramenta requiri, ut suspensi ab officio, vel irregulares, vel ius ligandi

Continuatur.

---

[1] Vat. *Unde non solum ipsi sunt* et subinde consequenter *desiderant... odiunt... optant... persequuntur* (ed. 1 ex parte est cum codd., ex parte cum Vat.).

[2] Sap. 2, 15. Pro *etc.* edd. *et tunc.*

[3] Edd. *ideo minus.*

[4] Edd. *ore.* Inferius pro *et adiutores* (ita B) A C *et directores*, edd. *et vocatores.*

[5] Ita A B; C *Et de his dicta sufficiant,* edd. *Et de istis satis etc.* Codd. A B addunt: Expliciunt determinationes quaestionum quarundam Bonaventurae [hucusque B], A vero: editae a doctore devoto, scilicet S. Bonaventura, de statu Ordinis Fratrum Minorum contra detractores Regulae S. Francisci (scriptus est cod. A an. 1490).

[6] Supra pag. 337 nota 1. iam observavimus, hanc secundam partem hucusque editam esse tanquam specialem libellum cum titulo: « Libellus apologeticus in eos qui Ordini Fratrum Minorum adversantur » (ita Vat.), vel, ut in prima editione Argentina et Venetiana (apud nos edd. 1 et 2): « Incipit libellus apologeticus, id est excusatorius S. Bonaventurae ». Verumtamen hic libellus ipse se patefacit esse continuationem alicuius alius opusculi, et hoc quidem iam ipso suo exordio, quod omnibus edd. est commune, scilicet verbis: *Praeter hoc, quod surripitis* etc. In fine enim huius primae partis (q. 27.) iam mentio fit de praeiudicio, quod Fratres faciant clericis quoad temporalia; unde haec verba *Praeter hoc* satis indicant quandam praecedentium quaestionum continuationem. Adhuc clarius idem sequitur infra ex responsione ad quaest. 14, ubi legitur: *Ut supra dixi, dum pauci eramus, paucis indigebamus* etc., quod manifeste respicit ad 8. quaestionem partis I. — Accedit, quod etiam *methodus* rem tractandi eadem est in utraque parte. Nec obstat, quod rubricae inscriptae singulis quaestionibus in edd. primis et in Vat. non habentur, sed a nobis adiunctae sunt propter conformitatem cum priori parte huius opusculi. Nam istae rubricae etiam quoad primam partem omissae erant in edd. 1 et 2, et in Vat. aliis verbis expressae, quibus ex nostris codd. substituimus alias. Frequentissimae in codd. solent esse differentiae similes quoad rubricas.

Quod etiam haec pars sive libellus apologeticus integre a S. Bonaventura sit scripta, duce Oudino admittunt alii editores omnes cum Sbaralea et Bonelli, nec nos habemus graves in contrarium rationes. Non tamen nobis deest suspicio, quosdam locos vel corruptos, vel ab aliis adiunctos, vel aliquatenus mutatos esse. Similes corruptiones vel insertiones in aliis opusculis, praesertim huius tomi, iam pluries experti sumus novumque exemplum habemus in sequenti opusculo XIV. Ultimis etiam verbis huius partis augetur haec suspicio, cum ibi dicatur: « Qui autem voluerint *possunt plura superaddere* et ista quae hic posita sunt, *melius explanare* » etc. — Ad hanc quaestionem melius enucleandam et textum purgandum defecit nobis auxilium antiquorum codicum, immo nullo codice uti potuimus. Unicus enim qui nobis innotuit cod. Romanus Collegii S. Isidori, quem meminit Bonelli, et citat (sed raro) auctor editionis 3, ibi nunc non invenitur (cfr. Prolegom. c. I. § 13.).

[7] Hebr. 13, 17. — Superius pro *cum ipsi sint* Vat. *cum ipsi sunt.*

[8] Vat. et ed. 3 *per ordinem,* quae insuper inferius post *in alios* omittunt *etiam.*

[9] Cfr. infra Opusc. XIV. n. 14. seqq.

et solvendi non habentes, vel per quos animae magis irretiuntur peccati laqueis, quam purgentur, de quibus non est nunc ulterius prosequendum.

:cunque- ...m pri-... Quod autem detrahamus eis et confundamus eos in *populo,* non oportet, quod nobis hoc imponant singulariter, cum ipsi non abscondant scelera sua, sed per facti evidentiam omnibus ea propalent, et nobis etiam tacentibus, omnibus ingerant inde materiam detrahendi. Utinam nos soli ea sciremus! Utinam ita essent occulta eorum peccata, quod nobis ea prodere volentibus non crederetur, et mendacii et detractionis a populo argueremur! Nunc autem tanti et tam aperti sunt multorum excessus, quod laici arguunt nos, cum aliorum vitia in praedicatione tangamus, quare tam enormia et aperta et multa et magis nociva clericorum scelera non reprehendamus, cum non debeat acceptio personarum esse apud veritatis doctorem [1], nec pro timore vel favore debeat apertam veritatem tacere et hoc gravius redarguere, quod est nocivius, et quo Deus magis offenditur in quocumque. (…tandum.) Inde est, quod propter hoc cogimur interdum aliquid de clericorum excessibus tangere, ne putemur ex timore tacere, vel ex privato favore, quasi cum ipsis contra laicos pariter conspiraverimus, et ut laici aequanimius ferant, si eos corripimus, videntes, quod nec clericis parcimus; et maxime, ut veritas Evangelii servetur, quae omnium peccata detestatur, ne aliter putarent simplices, quod peccata non essent Deo odibilia, quae non audirent in clericis reprehendi, et stultae mulierculae putarent, non esse illicitum cum ipsis peccare, sicut aliquibus earum notum est ab eis fuisse persuasum.

(…tinuator.) Quod autem non nitamur eos in *praedicatione* confundere nec populo eos [2] odibiles reddere, potest ex hoc patenter agnosci, quod multos eorum defectus scimus et dissimulamus nec populo propalamus expresse, parcentes eisdem, cum, etsi non in omnibus, tamen in pluribus eorum, plures reperiantur, per quos fierent despecti populo, si vellemus eos publice praedicare; et hos [3] caute tacemus his de causis: (…in, quare … hoc ta- …ant Fra- …es, pri- …a.) una, propter pacem et reverentiam cleri, ne laicos contra clericos provocemus ad *discordiam,* cum pro pace cleri et etiam aedificatione populi a Deo et a Sede apostolica specialiter missi simus [4]. — Secunda, quod non possemus tamen per hoc emendare eos nec haberemus alios meliores, qui eis mox substituerentur, si isti omnes, qui sunt reprehensibiles, abiicerentur; et est minus malum aliquo modo habere istos quam nullos, maxime cum episcopi et praelati non intenderent substituere meliores. — Tertia, quod deferimus in hoc bonis, qui sunt inter eos, etsi pauci sint, qui cum ceteris confunderentur, cum rudis populus sine discretione bonos et malos persequi inciperet et odire. — Quarta et quasi praecipua, ne, si populus perderet omnino fidem in clericis, haeretici insurgerent et attraherent sibi populum quasi oves destitutas pastoribus et facerent eos haereticos, gloriantes, quod nostro quasi testimonio tam viles essent clerici, quod nullus eis obedire deberet nec doctrinam eorum curare. Omnis enim haereticorum intentio ad hoc tendit, quod, spreto clero, eis credatur; et ad hoc non convenit, nos ipsorum esse cooperatores, qui potius debemus contra eos quasi lupos rapaces [5] clero et Ecclesiae esse propugnatores, contra eorum versutias populum praemuniendo, errores ipsorum veritatis testimoniis ex Scripturis authenticis confutando. — Quinta, quod lucra animarum, quae quaerimus, melius promovemus cum benevolentia cleri et assensu, quos si indiscrete agendo exacerbaremus, cum non possemus contra eos communiter praevalere, prohiberent nos animabus prodesse praedicando et confessiones audiendo. Et sic salus multarum animarum impediretur, et fieret quasi scissio in Ecclesia, dum clerici nos quasi reprobos persequi inciperent, et laici, aut nobis aut ipsis faventes, alteros despicerent et eis credere recusarent. Et cum non possemus eos qui nobis faverunt [6], defendere a clero, quin eos nobiscum persequerentur et excommunicarent, tandem omnes nos desererent, et ex odio nostri doctrinam nostram clerici infamarent, et sic haereticis, qui modo nos timent, aditus ad subversionem fidelium sine contradictione pateret, sicut lupis, ubi canes non metuunt, et pastores sunt desides, datur audacia oves invadendi. Nisi enim essent isti Ordines [7] in Ecclesia, qui ex officio praedicationis et confessionis fideles illuminant, cito plurimi efficerentur haeretici in his terris, ubi tam pauci inveniuntur clerici in sacra Scriptura periti, cum nescirent

Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Notandum.

---

[1] Cfr. Iac. 2, 1.

[2] Ed. 3 *nec populos eis,* quae etiam inferius pro *despecti* substituit *despectui.*

[3] Ita ed. 1, aliae *et hoc.*

[4] Vide Opusc. XIV. Quare Fratres Minores praedicent etc. — Superius post *pro pace* pro *cleri,* quod ed. 3 omittit, edd. 1, 2 *clerici.*

[5] Act. 20, 29: Ego scio, quoniam intrabunt... lupi rapaces in vos etc. — In hac propositione pro *clero*, quod bis occurrit, edd. 1, 2 bis *clerico* (quod primo loco, ut ed. 3 notat, etiam cod. habet), et pro *qui potius* (ita edd. 1, 2) Vat. et ed. 3 *quin potius.*

[6] Ed. 3 cum cod. *faverent.*

[7] Praedicatorum et Minorum, ut editor ed. 3 annotat, qui etiam ad huius propositionis verba *in his terris* observat: « Ex illis quae Opusculo proximo [Quare Fratres Min. praedicent etc.], § *Cum contritio,* leguntur, eruitur, neque in Gallia, neque in Anglia hunc libellum fuisse perscriptum ». Ibidem enim legitur: « Licet enim communiter clerici in quibusdam terris istis defectibus non valde sint impliciti, ut in *Anglia,* vel *Francia,* vel alibi, ubi clerici sunt litterati vel clericaliter vivunt et subditos suos bene regunt, tamen *in pluribus aliis terris* tanti defectus in clero reperiuntur » etc. Haec tamen verba docti editoris tantum valent in suppositione, partem illam citati opusculi: *Quare FF. Min. praedicent* etc., esse genuinam, quod nos gravissimis rationibus ducti negamus, suffulti etiam auctoritate nostri codicis. Pars ultima illius opusculi ab alio auctore et in Germania scripta fuisse omnino videtur, sed prima et genuina pars in Gallia et probabilius Parisiis. Vide infra Additament. n. 3. — Subinde ex edd. 1, 2 supplevimus *et confessionis.*

haereticorum versutiis obviare. Immo ipsi clerici cito ab haereticis subverterentur per callidas expositiones Scripturae, in quibus nescirent eorum deprehendere fallacias, vel per promissiones seducerent[1] eos, spondentes, quod magni fierent inter ipsos. Et cum laicos attraherent, clerici etiam potius adhaererent eis, quam soli relicti perirent inopia, cum nullus curaret eos nec daret eis oblationes vel decimas, aut certe persecutionibus eorum exterminarentur, cum iam haberent laicos adiutores contra clerum, sicut modo clerici haereticos persequuntur.

Sex mala clericorum utilius tacenda.

His ergo de causis et aliis, ut multa mala vitentur, utilius iudicamus tacere quaedam mala clericorum quam populo prodere, ubi sine scandalo possumus evitare, ut sunt ista: quandocumque quis habet plures ecclesias curam animarum habentes sine dispensatione apostolica, omnes vacant ipso iure[2] praeter ultimam, et nullum ius habet in aliis ligandi vel solvendi, nec eius vicarius, nec aliquos inde reditus percipiendi. — Item, illegitime natus nullum ius habet in beneficio curam animarum habente[3]. — Item, qui recipit ecclesiam per quamcumque simoniam[4]. — Item, qui recipit ecclesiam ab eo qui non habet verum ius conferendi eam[5]. — Omnis notorius fornicator, cuius criminis testis est populus, iure taxatus, sive in domo sua teneat fornicariam sive extra, vel unam habeat vel plures, est ipso iure suspensus ab officio, ita quod subditi non debent eius Missam audire nec confiteri ei nec alia ab eo Sacramenta recipere, nec potest eos excommunicare nec absolvere[6]. — Item, si suspensus celebrat et officiat ecclesiam, vel quacumque excommunicatione ligatus, seu recipit ordinem clericalem, aut in eo solemniter ministravit, factus est irregularis, et non potest exercere officium clericale, etiam si iam fornicari cessavit, vel ab excommunicatione absolutus fuerit, nisi cum eo super irregularitate contracta per Sedem apostolicam dispensetur, maxime si a iudice suspensionis sententia fuit lata[7]. Huiusmodi autem sententiae iam saepe feruntur in clericos ab officialibus et archidiaconis et iudicibus ordinariis vel delegatis et parum curantur a multis.

Idonei pauci ad regimen animarum.

Videmus, in terris istis tot esse imperitos iam clericos in his quae ad regimen pertinent animarum, licet in grammatica vel alia scientia sint instructi, quod ubi centum vel plures plebani et vicarii conveniunt, vix pauci sint, qui vere sciant animas suas vel alia, quae ad salutem sunt necessaria, in his per Scripturarum scientiam expedire. Et talibus imperitis non deberent eorum subditi confiteri propter periculum, ne forte ex ignorantia relinquant eos in statu damnationis docendo, non esse peccatum quod est mortale peccatum, aut non ostendendo formam debitam satisfactionis de peccato confesso, ubi certa forma satisfactionis est necessaria, ut de restitutionibus rerum illicite acquisitarum certis locis vel personis vel heredibus faciendis, ubi multi seducuntur.

De sacrilegiis eorum illicitis.

Scimus etiam, quod qui scienter in mortali peccato positus celebrat Missam qualibet vice mortaliter et graviter peccat, et quantum in ipso est, rursum Christum crucifigit[8], quem et pro denariis, quos sibi sperat offerri, et illicite et indigne contrectat. Qui ergo offert ei quem talem esse praesumit vel scit et rogat, eum Missam celebrare, facit eum Christo tantam inferre contumeliam, ut eum indigne contrectet et peccet[9] mortaliter. Sed qui facit aliquem peccare mortaliter, ipse peccat, ubi ignorantia non excusat; et secundum ista, si nullus offerret vel audiret Missas eorum qui illicite celebrant, cessarent a celebratione vel corrigerent vitam suam, et sic multa peccata omitterentur.

Continuatur.

Multi etiam inordinate excommunicantes incidunt in poenam suspensionis et irregularitatis[10] et per alios actus plures inobedientiae merentur suspendi ab officio, et inefficax fit eorum auctoritas in subditos suos. — Scimus etiam, quod qui est in peccato mortali, cum sibi Deus iratus sit, non placat eum pro alio peccatore. Ergo oratio clerici in peccato positi inefficax est sibi et aliis, qui offerunt ei eleemosynas, ut oret pro illis[11]. — Item, clericus lubricus vanus et male expendens res Ecclesiae, quo plura habuerit, plus peccat. Sed qui illi dant oblationes et alia promovent eum ad amplius peccandum, expedit ergo ei non dari. — Item, qui recipit pretium operis alicuius et non deservit male recipit; sed clericus habens curam animarum et non faciens quae debet eisdem in doctrina salutis et bono exemplo et efficaci oratione et debita

---

[1] Scilicet haeretici. — Inferius pro *nec daret eis* edd. 1, 2 *nec darent eis.*

[2] Cap. *De multa* (28.), X. de Praebendis et dignitatibus (III. Decret. Gregor. IX. tit. 5.). — Superius supplevimus *quis.*

[3] Cap. *Nimis* (18.), X. de Filiis presbyterorum ordinandis, vel non (I. Decret. tit. 17.). Cfr. Opusc. XIV, n. 16.

[4] Cap. *Insinuatum est* (13.), c. *Nobis fuit* (27.) et c. *Matthaeus* (23.), X. de Simonia (V. Decret. tit. 3.). Cfr. c. *Cum detestabile scelus* (2.), Extrav. com. (libr. V. tit. 1.).

[5] Cfr. c. *Praeterea* (4.), X. de Iure patronatus (III. Decret. tit. 38.), ubi de clericis, qui a laico patronatum habente in ecclesia instituuntur sine episcopi auctoritate.

[6] Cap. *Vestra duxit* (7.) seqq., X. de Cohabitatione clericorum etc. (III. Decret. tit. 2.).

[7] Cap. *Cum aeterni* (1.) de Sententia et re iudicata in VI. (II. tit. 14.); c. *Cum medicinalis* (1.), de Sententia excommunicationis etc. in VI. (V. tit. 11.) ab Innocent. IV. an. 1245. — Superius pro *absolutus* Vat. *solutus.*

[8] Hebr. 6, 6: Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei etc. — De denariis, propter quos Christus traditur, cfr. supra pag. 292, nota 3. in fine. — Subinde post *quem* Vat. omittit *et.*

[9] Ita ed. 3, aliae *peccat.*

[10] Cfr. c. *Cum medicinalis* (1.), de Sententia excommunicationis etc. in VI. (V. tit. 11.) ab Innocent. IV. an. 1245. — Edd. 1, 2 *incidunt poenam* etc.

[11] Quomodo haec propositio sit restringenda, explicatur a Bonav., IV. Sent. d. 13. a. 1. q. 4. et d. 45. a. 2. q. 2. praecipue respectu Missae celebrandae.

correctione et in aliis, peccat recipiendo stipendia Ecclesiae, quam non deservit[1], ut debet. Ergo non deberent ei dari, ne daretur occasio peccati. — Quam paucissimi autem in terris istis iam reperiantur, qui debito modo praesint animabus commissis, nimis est miserabile, qui aut ex defectu iuris, aut scientiae, aut vitae, aut diligentiae circa eas, aut liberae exsecutionis officii sui nihil habeant reprehensibile, et quod eos tali officio reddat indignos. Quomodo vero tota Ecclesia per mala exempla clericorum et avaritiam corrumpatur et negligentiam[2] deformetur et a statu debito elongetur, et quanta ex hoc quotidie peccata increscant, et quot bona negligantur per mundum, vix aliquis sufficit aestimare.

F... am de- p... indum.

Haec et plura alia cum vera esse scimus, et tamen ea populo non aperte praedicemus, non debemus a clero iudicari, quod confusioni eorum intendamus et eos populo studeamus odibiles facere, sed magis, si haberent intelligentiam, agnoscerent, quantum eos honoramus et deferimus talia subticendo propter causas supra notatas. Ideo tamen securius ista dissimulamus, quod nec clericorum nec laicorum cura nobis ita commissa est, ut de ipsis teneamur reddere rationem sicut praelati ipsorum, ad quos spectat eorum correctio, nisi in quantum ex libera caritate consideramus[3] eis prodesse. Unde possumus tacere et loqui quae secundum Deum et nobis et aliis expedire videmus, cum nihil a nobis amplius requiratur. — Vitia autem laicorum liberius arguimus, quia et patientius sustinent et nesciunt litteras, quibus instruantur, quid debeant cavere vel facere; et minus periculum sequitur, si eorum in publico propalentur excessus, et facilius emendantur. Clericis autem possumus in capitulis suis omnia pericula sua in sermonibus litteralibus seorsum ostendere cum reverentia caritatis et maturitate benigna; et sic magis proficimus apud eos[4].

...usantur ...atres.

...a laico- liberius ...utor.

Quaestio II.

Cur Fratres in praedicatione alicuius vitia corripiant.

Cum ergo non sitis iudices clericorum vel laicorum, nec ad vos spectet eos redarguere vel corrigere, sed ad suos tantum rectores; quid usurpatis vobis iuris, etiam si causae praedictae non essent, ut alicuius vitia publice reprehendatis, sicut saepe tangitis in praedicatione vitia quorumlibet laicorum, clericorum et Religiosorum, cum praedicator non debeat arguendo descendere ad species peccatorum, sed in genere solum ostendere vitia et virtutes[5] et nullum notabiliter confundere coram populo, peccata sua publice obiurgando aliis in scandalum?

Respondeo. Intelligentibus constat, quod multum differunt actio *iudicis* et *doctoris*. *Iudex* enim, ad quem spectat correctio delinquentium subditorum, debet investigare, excessus delinquentium audire, testes recipere, peccantem citare, crimina contra ipsum proposita ei obiicere, negantem convincere, convictum vel confessum punire, contumacem amplius, ut magis terreatur, arctare et cogere ad satisfactionem etiam invitum. Cum ergo formam istam omnino non teneamus in praedicando, non usurpamus nobis *iudicis* officium iudicantis super aliquem, sed imitamur tantum formam *doctoris*. *Doctor* enim seu praedicator, qui diversi generis auditores debet instruere, ut virtutes magis reddat commendabiles necessarias ad salutem, vitia his opposita quam sint nociva et detestabilia, ostendit. Et quibusdam generibus hominum quaedam vitia sunt magis usitata, ut mercatoribus fraus et mendacia, militibus rapina et incendia, et ita de aliis; necesse est, quod propter generalem instructionem quodlibet genus hominum specialiter arguat et moneat sibi specialius insidiantia vitia cavere, sicut medicus aegros diversis infirmitatibus laborantes docet a sibi magis noxiis cibis et aliis abstinere. Nihil enim prodesset infirmis, si diceret: cavete ab omnibus cibis nocivis generaliter, nisi specificaret in qualibet passione, quid illi specialius noxium esset aut proficuum sanitati.

Distinctio.

De iudice.

De doctore.

Quod autem dicitur, quod praedicator debeat in genere omnes arguere peccantes et non descendere ad species; hoc est intelligendum de notabili specificatione *personarum*, non *vitiorum* vel *statuum* vel *officiorum*, quae non possunt proprie describi sine expressione officii vel status illorum qui in hoc specialiter offendere consueverunt. Potest enim sic congrue generaliter dici: vos artifices peccatis frequenter in hoc, et vos milites in hoc, et vos Religiosi in isto, vos clerici in illo, et sic de aliis, si sunt

Explicatio.

---

[1] Du Cange, Glossarium etc.: *Deservire,* fungi aliquo munere; Gall. *Desservir.* Hinc locutiones illae in instrumentis frequentes: *Deservire ecclesiam* vel *ecclesiae, Deservire in divinis,* pro paroeciam administrare, vel ratione beneficii ecclesiastici debitum munus obire. Cfr. supra pag. 345, nota 1. — Vat. cum edd. 1, 2 contra cod. et ed. 3 *stipendia ecclesiastica, quae non deservit.* Inferius pro *ergo non deberent* ed. 3 cum cod. *ergo non deberet.*

[2] Cod. *negligentia.* Inferius pro *vix* edd. 1, 2 *quae vix.*

[3] Vat. *consideremus* (fortasse legendum *desideramus*), et inferius *requiramus* pro *requiratur.*

[4] Editor ed. 3 notat: « Ex his S. Bonaventurae verbis evincitur, sermones, in quibus ipse clericorum vitia redarguit et insectatur, non coram populo, sed in ecclesiasticorum *capitulis* ab eodem habitos fuisse, ut recte P. Bonellius in Praefatione ad tom. I. Supplementi opp. S. Bonaventurae ed. Sixtinae n. 29. animadvertit ». — Secundum Du Cange, Glossarium etc. *Littera* idem est ac Latina lingua, *Litteraliter* Latine (cfr. ibid. *Litterate,* Latine... Ciceroni *Litterate* est docte, eleganter. *Litteratorie,* Latine); ex quo deduci poterit, dictione S. Bonav. *in sermonibus litteralibus* idem significari ac *in sermonibus latinis.*

[5] Regula c. 9: Annuntiando eis vitia et virtutes, poenam et gloriam cum brevitate sermonis etc.

ibi plures de quolibet genere illorum, ad quos loquitur, sive nullus, ut quisque sibi conscius talis peccati compungatur et in se confundatur, et nullus specialiter notabilis de hoc reddatur, quem facti evidentia alias non facit notabilem, vel qui se ipsum non prodit esse reum, sibi ascribendo specialiter cum murmure quod generaliter dictum constat iuxta illud poetae [1]:

Conscius ipse sui de se putat omnia dici.

Notandum. Correctioni enim et aedificationi tantum debet intendere doctor fidelis, non confusioni vel infamationi alicuius praesentis vel absentis. Ubicumque ergo praesumitur, quod aliquis specialiter de peccato prius incognito aliis ex praedicatione reddatur notabilis, unde potest oriri gravamen vel scandalum; melius est tacere et alia aedificatoria magis loqui. Qui vero facere consuevit contrarium, aut contentiosum, aut invidum, aut imprudentem se demonstrat, aut vanae gloriae cupidum, qui, cum [2] non aliunde esset acceptus apud hominem, ex aliorum infamia gloriam sibi quaerit. Quem confundendo exasperas, hunc tardius aedificas et rancoris aculeo vulneras.

Quaestio III.

Cur Fratres ad officia praedicationis et confessionis tam iuvenes et immaturos promoveant.

Cum in praedicatione et confessione audienda multa sit discretio necessaria et peritia Scripturarum, quare ad haec officia tam iuvenes, ut videtur, et immaturos promovetis, qui et sibi et aliis aliquando minus prosunt et fortasse etiam obsunt, cum in clericis aliis hoc reprehendere soleatis animarum rectoribus?

Respondeo. Licet aliquando [3] iunior litteratior sit et magis discretus quam senior, et facies iuvenilis saepius maiorem celet aetatem, et morum maturitas aetatis defectum suppleat; in plerisque tamen etiam propter hoc aliquoties ad haec officia promovemus iuniores, ut interim discant per exercitium, quia, cum vident se ad haec officia assumtos, diligentius student, qui alias forte segniores essent in studendo et minus proficerent. Minus etiam obest, si minus adhuc perfecti sunt promoti [4], dum vivunt adhuc seniores, qui eos possunt informare et corrigere et defectus illorum in consiliis supplere, quam si illi deficerent penitus, et nemo eos tunc sciret instruere, si tunc primo exercitari deberent. Tot etiam sunt requirentes a nobis praedicationes et confessiones et consilia, quod seniores non sufficiunt omnibus satisfacere. Ideo oportet, nos de iunioribus aliquos, qui sperantur idonei, promovere, qui onus seniorum sublevent et petentibus satisfaciant, prout sciunt. Quamvis autem [5] nullum scienter promoveamus, quem non speremus idoneum, tamen aliquando aliquis praeter voluntatem nostram minus efficitur utilis, quia multa sunt, quae ad idoneitatem tanti officii requiruntur, et satis est difficile, haec omnia simul in omnibus reperiri.

(Margin: Variae rationes. — Notandum.)

Quaestio IV.

Quas qualitates habere debeat assumendus ad officium praedicationis et confessionis.

Quae sunt ergo necessaria illi qui ad praedicationis et confessionis officium est assumendus?

Respondeo. Ut ad hoc sit idoneus praeter habilitatem illam, quam confert gratia, quae etiam est efficacior omnibus, quae non in nostra potestate consistunt, sed in beneplacito Dei *singulis, prout vult, dona sua dividentis* [6], ista considerare in promovendis solemus ad haec officia: primo, quod sit competentis aetatis, non multum a tricesimo distans anno, quia quae fiunt a pueris puerilia reputantur [7]. — Secundo, quod non sit etiam facie et moribus puerilis, quia ista multum minuunt auctoritatem apud homines tam dictorum quam factorum. — Tertio, quod non sit valde notabiliter deformis in corpore, videlicet nimis brevis, vel crassus, vel gibbosus, vel aliter turpiter deformatus, ne per hoc eius praedicatio despectui et risui haberetur. — Quarto, quod non sit etiam valde debilis corpore, cum ex hoc labores huius officii exsequi viriliter non valeret. — Quinto, quod sit competentis facundiae, ut possit ea quae debet, proponere sine fastidio auditorum. — Sexto, quod sit saltem in grammatica et sacra Scriptura tam sufficienter instructus, quod sine errore vel confusione sciat coram populo et clero proponere veritatem et in consiliis competenter satisfacere requirentibus de causis necessariis et in confessione de poenitentiis iniungendis imponendis. — Septimo, quod sit talis in vita et in moribus, quod de ipso et Fratres interius et alii exterius nihil videant vel audiant, per quod doctrina praedicationis eius apud audientes quoquo modo vilescat. Nam [8] « cuius vita despicitur, restat, ut eius etiam praedicatio contemnatur ». —

(Margin: Necessariae qualitates: prima. — Secunda. — Tertia. — Quarta. — Quinta. — Sexta. — Septima.)

---

[1] Dionysii Catonis, l. Distich. de moribus ad filium, distich. 17. — Superius pro *et nullus* ed. 3 *ut nullus*.

[2] Vat. omittit *cum*.

[3] Ita ed. 3, aliae *Licet enim aliquando quod*, quae etiam post *discretus* repetunt *sit*.

[4] Edd. 1, 2 omittunt *promoti*. Inferius pro *instruere* ed. 3 *instituere*.

[5] Cum ed. 3 supplevimus *autem*.

[6] Epist. I. Cor. 12, 11: Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult. — Pro *dividentis* (ita ed. 3) aliae edd. *dividens*.

[7] Cfr. Gregor., l. Homil. in Ezech. homil. 2. n. 3. seqq.

[8] Ut ait Gregor., l. Homil. in Evang. homil. 12. n. 1. Cfr. supra pag. 142, nota 2.

Octava. Octavo, quod etiam naturali tantum polleat industria, quod per fatuam simplicitatem non reddat contemptibile quod per acquisitam scientiam apprehendit, ut sciat se honeste gerere inter homines et prudenter in omnibus se habere. — Nono, quod non sit minus ad hoc voluntarius, ut, si ad hoc motu proprio non trahitur, saltem propter obedientiae bonum proximorum saluti intendere praedicando, consulendo et confessiones audiendo et alios aedificando non contentiose recuset. Gregorius[1]: « Quod mens voluntarie non recipit congrue non disponit ». Sic multi Sanctorum officium, quo prodesse debebant proximis, humiliter refugiebant, et tamen, ad hoc tracti per obedientiam, sollicite adimplebant, ut Moyses, Ieremias et alii plures novi et veteris testamenti doctores.

Nona.

His donis ornato, si gratia affuerit, potest et debet imponi officium praedicationis et confessionis in Ordine, ubi fuerit necessarium. Qui vero alios non idoneos pro privata societate promovent Ordini confusionem et animabus nocumentum et ipsis promotis detrimentum et sibimet culpam non parvam procurant, cum negligentiae inutilium et imperitorum tam in consiliis incautis quam in absolutionibus inefficacibus et in aliis nocumentis animarum ab eis qui tales promovent, merito requirantur. Tales enim in multis saepe possunt offendere vel scandalizare, dum non dicenda populo praedicant, vel falsa docendo errorem inducunt, vel aliter forte minus composite se habendo. Item, in confessione forte nesciunt confitentes debito modo instruere nec inter peccata gravia et levia distinguere, et aut faciunt ex nimio rigore desperare, aut, cum adhuc in statu damnationis sunt, dant eis spem de salvatione et indulgent eis corpus Domini recipere. Et maxime circa rerum iniustarum acquisitionem vel restitutionem multi seducuntur, dum non informantur, quae sit iniusta conquisitio, vel qualiter pure restituant quibus debent. Ex moribus etiam quorundam et vita praedicantium vilescit saepe doctrina verborum, dum alta docent verbo praedicationis, sed minus aedificatoria ostendunt exemplo actionis. Unde ut[2] diligenti examinatione indiget qui debet esse doctor in medicina corporum, ita multa consideratione opus est, si sit idoneus qui debet esse doctor et medicus animarum, cum sint subtiliores et periculosiores et incurabiliores morbi peccatorum quam passiones corporalium infirmitatum.

[...] promo- [...] di insuf- [...]entes.

[...]es offen- [...] possunt.

Illi vero, qui se ad haec officia impudenter ingerunt, indignantes, si ad ea tardius promoventur, quam sint imprudentes, perpendere nolunt aut nesciunt, et eo ipso se ad hoc ostendunt et reddunt indignos. Nam si digni fuerint et idonei, non debent se ad hoc ingerere, sed modeste exspectare, quousque per inspirationem Dei a praelatis suis et Fratribus ad hoc suo tempore assumantur. — Si autem indigni vel nondum idonei, tunc, si se ingerunt, primo quidem *temerarii* sunt, quod antequam vocentur, ad tantum officium currere praesumunt; Ieremias[3]: *Ipsi currebant, cum ego non mitterem eos*, scilicet praedicare; ad Romanos: *Quomodo praedicabunt, nisi mittantur?* Ad Hebraeos: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron* etc.; et Christus dicit in Ioanne: *Neque enim a me ipso veni, sed ille me misit*, scilicet Pater. — Secundo, *superbi*, quia se ipsos reputant dignos et idoneos, ad quod forte nec Deus nec Fratres vel praelati sui iudicant eos idoneos, sicut Core, qui voluit sibi sacerdotium vindicare[4]. — Tertio, *stulti*, quia, cum talia officia sint occasio tentationis per inanem gloriam, avaritiam, luxuriam, noxiam libertatem et internae devotionis exstinctionem et alia plura pericula; quod ipsimet se talibus incaute ingerunt, nimis stulte se tantis periculis sine necessitate exponunt, cum fugere magis deberent a periculo quam illud appetere, nescientes, quo exitu bellum, quod sibi concitant, finiatur. — Quarto, *non carent rancore invidiae* vel contra eos qui ad haec officia eos promovere possunt et non faciunt, vel qui forte impediverunt, imputantes illorum malevolentiae magis quam suae insufficientiae, quod non promoventur, cum ipsi sibi videantur ad haec digniores quam illi[5], quos vident iam promotos esse, quibus in scientia et aliis se reputant aptiores.

De impudentia se ingerentium.

Rationes 4 contra tales et indignos.

Quaestio V.

Cur Fratres toties mutent praelatos Ordinis.

Cum prudentum sit non leviter retractare quae faciunt, sed ante diligenter deliberare facienda, ne postea oporteat revocare, et vos toties mutetis praelatos Ordinis; videmini aut inconsiderate constituere

---

[1] Libr. I. Epist. epist. 5, ubi pro *recipit* textus originalis *recepit*. Vide ibid. IV. epist. 43. (alias 41.): Apud nolentis animum, quamvis sit evidens ratio, haec ipsa obstaculum esse solet. Cfr. VII. Epist. epist. 4, ubi episc. Cyriaco quietem desideranti dicit: « Si desit qui praedicet, occupationis onus *libenti* necesse est humero subire »; pro quo adducit exemplum Ieremiae, qui se non idoneum reputabat ad officium et voluntati Dei se subiecit (Ier. 1, 6. seqq.). Idem exemplum adducit Regul. pastoral. p. I. c. 7. et adiungit exemplum Moysis [Exod. 3, 11. seqq. et 4, 10. seqq.), « qui praeesse tantae multitudini [populo Israelitico] et noluit et obedivit. Superbus enim fortasse esset, si ducatum plebis innumerae sine trepidatione susciperet; et rursum superbus existeret, si auctoris imperio obedire recusaret. Utrobique ergo humilis, utrobique subiectus, et praeesse populis semetipsum metiendo noluit, et tamen de imperantis viribus praesumendo consensit ». Cfr. XXXV. Moral. c. 14. n. 31.

[2] Edd. 1, 2 omittunt incongrue *ut*.

[3] Cap. 23, 21: Non mittebam prophetas, et ipsi currebant. — Tres seqq. loci sunt Rom. 10, 15; Hebr. 5, 4. et Ioan. 8, 42; cfr. 7, 28.

[4] Num. 16, 1. seqq.

[5] Edd. 1, 2 addunt *vel illi*.

inutiles ad tantum officium, aut sine ratione utiles deiicere, quod [1] est signum inconstantiae et impatientiae, quod non possitis pati rectores idoneos, quos iniuriose abiicitis; aut quod in officio ita perversi fiant, quod merito non debeant in eo diutius tolerari; aut quod tam paucos habeatis in Ordine pro officio regiminis idoneos, quod semper quaeritis meliores.

Ad officium praelatorum requiruntur 11 conditiones.

Respondeo. Sicut supra [2] de officiis praedicationis et confessionis dictum est, plures conditiones ad haec fore necessarias, ita de officio regiminis animarum est tenendum. Requiritur enim in praelato *aetatis maturitas, honesta* admodum *personalitas, vitae irreprehensibilitas.* Quarto, quod *non sit idiota* in litterarum scientia. Quinto, quod sit *discretus et providus* ex naturali industria. Sexto, quod sit *zelator iustitiae* et Ordinis disciplinae. Septimo, quod sit *tractabilis* per mansuetudinis lenitatem. Octavo, quod sit *compassivus* pietate fraterna. Nono, quod sit *devotus,* habens orationis usum et fiducialiter agens cum Deo. Decimo, ex gustu internae dulcedinis eius [3] et experimento crebro exauditionis qui semper in officio esse se doleat, et tamen, cum ad hoc compellitur, aequanimiter illud ferat nec propter hoc, ut citius absolvatur ab officio, negligentius in eo se gerat. Undecimo, quod corporis imbecillitate a communis vitae observantia non omnino impediatur [4].

Hinc pauci possunt esse stabiles praelati.

Istae conditiones simul omnes in paucis reperiuntur, ideo paucos stabiles in officio possumus habere praelatos, dum aut nimis [5] sunt corpore debiles pro talibus laboribus et sollicitudinibus sufferendis; aut nimis involuntarii pro timore conscientiae, dum semper timent minus, quam debeant, facere; aut in exterioribus provisionibus minus triti, aut mores eorum in aliquo Fratribus displicent vel minus placent; aut forte in alio loco vel officio utiliores sunt quidam; propter ista saepe mutantur praelati. Bonum est etiam propter hoc, ne fiant aliquando insolentes, si scirent, se in dominio permansuros diu, ut sic in humilitate serventur, et subditi, quibus forte gravis esset illorum alicuius praelatio, de spe facilis absolutionis eius consolentur. Sunt etiam quidam boni subditi, sed inutiles pro praelatis, ideo deponentur.

Quaestio VI.

Cur toties mutentur Fratres de loco ad locum.

Cur autem toties mutatis Fratres aliquos de loco ad locum? Suspectum enim videtur, quasi aliquod crimen ibi commiserint, unde mutantur, vel quasi ex impatientia sua vel aliorum non possint ibi manere, vel ex rancore non permittat eum praelatus ibi stare, ubi diligit et consolatur esse.

Notandi.

Respondeo. Vix aliquid fit tam pure, quin possit ab aliquo sinistre interpretari, quasi male fiat; sed bonum non ideo malum est, si illud mali seu stulti dicunt malum. Sunt autem plures causae, quare Fratres de loco ad locum mutantur: aliquando consolatio eius qui mutatur, quia sic petivit. — Aliquando consolatio ipsorum, ad quos mittitur, quia hoc petiverunt diligentes eum pro bona conversatione vel utilitate. — Aliquando forsitan, quia alibi magis necessarius est et utilis pro praedicatione et confessione vel alio officio domus illius. — Aliquando pro maiore spiritus eius quiete, quia ibi minus a parentibus et aliis requirentibus infestatur. — Aliquando pro communi recreatione, quia aër vel victualia plus ibi competunt ei, vel suppetunt pro indigentia sua. — Aliquando, quia in uno loco habet aliquis tentationis alicuius materiam, quam non habet in alio. — Posset etiam aliquando accidere, quod aliquis deliquisset in uno loco, quod pro sopiendo scandalo expediret, eum mutari in alium locum. — Similiter posset aliquis ita esse distortus moribus, vel ex aliqua corporis qualitate onerosus, quod pro partitione oneris aliis transmitteretur ad tempus, ut alii interim ab eo relevarentur, sicut onus ab uno humero in alium commutatur. — Valet etiam ad hoc maxime talis mutatio, ut Fratres secundum Regulam [6] agnoscant se peregrinos et advenas in hoc mundo, *non habentes hic manentem civitatem* et semper aeternam patriam inquirentes. Si enim in uno loco diu stare deberent, quidam nimias ibi contraherent cum extraneis, cum potentibus, cum feminis amicitias, corporis commoda procurarent, sumtuosa aedificia construerent; et cum ibi quasi notiores magis viderentur esse necessarii, tanto vellent esse super ceteros potentiores, ita ut nec praelati auderent sine ipsis in domo aliquid ordinare, et veluti quadam diuturnitatis praescriptione stabiliti, vix aequo animo ferrent, si vellent eos pro aliqua causa mutare, etiam si omnimodis [7] expediret. — Ut ergo puritas paupertatis et obedientiae melius observetur in Ordine, et mala plurima praecaveantur, expedit Fratribus aliquando a loco mutari.

Ratio prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima. Octava. Nona.

Quaestio VII.

Cur Fratres impediant, ne alii Religiosi sint vicini conventui proprio.

Cum potius deberetis diligere, si Religiosi et boni apud vos essent vicini quam saeculares et

---

[1] Vat. *et quod.*

[2] Quaest. 4. — Subinde pro *praedicationis et confessionis* (ita ed. 3) aliae edd. *et confessionibus.*

[3] Scilicet orationis. — Subinde pro *crebro* edd. 1, 2 *crebrae.*

[4] Cfr. supra Opusc. VIII. de Sex alis Seraphim, in quo proprietates boni praelati describuntur; Isidor., Regula monachor. c. 2. et Hugo a S. Vict., II. de Claustro animae, c. 11. et 13.

[5] Vat. perperam *minus,* quae etiam inferius cum ed. 3 pro *minus triti* (ita edd. 1, 2) exhibet *mitti.*

[6] Cap. 6: Tanquam peregrini et advenae in hoc saeculo. — Subinde respicitur Hebr. 13, 14: Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.

[7] Ita edd. 1, 2; Vat. et ed. 3 *omni modo.*

insolentes laici; quare impeditis aliquando etiam per privilegium papale [1], alios Religiosos circa vestram habitationem sibi mansionem construere, nisi quod videtur invidia esse in causa?

Respondeo. Non pro invidia, sed potius pro pace privilegium hoc a Sede apostolica datum agnoscitur, et ob eandem causam pacis eo utimur, cum non tam nobis quam etiam aliis possit aliter in posterum turbatio et materia scandali suboriri. Si enim aliquando necesse foret eis vel nobis areas nostras ampliare, non possemus, cum alii priores eas iam occupassent. Si autem aliquae areae inter nos et illos essent mediae, cum utrique eas certatim praeoccupare desiderarent, ex avaritia sua venditores earum vix pro triplicato pretio eas darent. Vel si forte pauperes essent possessores earum, aliquis dives avarus eas praeemeret, ut nobis eas postea carissime venderet, videns, nos ipsis necessario indigere. Item, forte conveniret eis vel nobis officinas nostras propter situm loci aliquando sic ordinare, quod essent aliis pro magno incommodo et frequenti cordium turbatione, ut si chorus ipsorum poneretur apud locum infirmorum nostrorum, vel aliter quolibet modo, videlicet latrina, coquina, dormitorium, refectorium, capitulum, domus hospitum, quod propter pacem infirmorum cordium magis expedit, nos esse longius segregatos. — Posset etiam quandoque divinum officium apud alterutros impediri, si oratoria nimis essent contigua, cantu suo mutuo se impedientibus. Idem posset fieri de praedicatione, cum utrobique forte pro causa aliqua praedicare contingeret. Si etiam aliquis quandoque confiteretur apud illos, et placeret ei etiam alicuius apud nos consilium requirere, aut non auderet facere hoc, timens, quod prior confessor indignaretur, quasi non sufficeret ei pro confessore, dum quaereret alium, aut forte putaretur velle explorare, quid ille vel ille consuleret, et inde quaerere materiam detrahendi. Si qui etiam magis frequentarent illos quam istos in officio divino vel in aliis, viderentur alios minus diligere, et fieret materia murmurandi. Infirmis enim cordibus ex levi occasione plus infirmandi materia ministratur; et ideo necesse est, ut praecaveantur talia, quae ipsis nocent et alios scandalizant, ne postea emendari non valeat, quod in principio facilius praecavetur. — Utilius [2] etiam est hominibus civitatis, ubi Fratres morantur, quod in diversis locis a se disiunctis Religiosi morentur, quam quod in uno angulo plures manerent, et alia pars inanis remaneat, per quorum vicinitatem possent spiritualiter consolari. — Quodsi forte tales forent Religiosi, qui apud nos habitare vellent, per quos non aedificarentur fideles, sed potius scandalizarentur; tunc omnino expedit, quod non sint nobis vicini, ne forte ipsorum insolentiae nobis aliquando ascriberentur, aut nesciretur, an ad eos vel ad nos latenter intrarent personae suspectae, aut certe ipsorum dissolutio fieret aliquando novitiis nostris tentationis occasio, vel etiam aliis causa inquietudinis et impedimentum in studio spirituali. — Si autem quidam infirmi aliquando dolerent, cum forte viderent, aliis Religiosis largiores eleemosynas dari quam sibi, et ex hoc invidia [3] torquerentur de vicinitate illorum; hoc nec probamus nec omnino negamus, sed non est nostra intentio propter hoc praedicto uti privilegio, sed potius propter causas ante positas, et si quae aliae possunt rationabiles inveniri.

Quaestio VIII.

Cur Fratres prohibeant, ne alii deferant vestes suis similes.

Cum unicuique liberum sit vestem suam formare, prout vult, et de panno seu colore quolibet; videmini valde iniuriari quibusdam religiosis viris vel feminis prohibendo, ne deferant vestes in colore vel forma habitui vestro conformes.

Respondeo. Multis de causis habitum nostrum alios ferre non sustinemus et per privilegium apostolicum [4] omnibus inhibemus: una causa, quia, cum simus ex professione Regulae mendicantes, si sub nostro habitu diversi hinc inde mendicarent, homines, qui iam illis eleemosynam dedissent, et nos vel alii in simili habitu iterum supervenirent, putarent, quod idem ex avaritia iterum peteret, et scandalizarentur de ipsis, vel de nobis, quod nimis eos petendo gravaremus. — Item, cum putarent nobis dedisse, quod aliis nobis similibus dederunt; qui inter habitus nescirent discernere, recusarent nobis iterum dare eleemosynam, et sic nihil acquirere possemus et periremus. — Item, cum multi intelligerent, quod homines magis diligerent nos et libentius nobis subvenirent quam aliis, sub habitu nostro per

---

[1] Alexand. IV. per litt. decretales *Paci et tranquillitati* (apud Sbaraleam, Bullar. Franciscan. tom. II. n. 212. pag. 142; n. 336. pag. 223 et n. 576. pag. 405) pro conventu Bononiensi, Maceratensi et Asculano statuit, ut nullum aedificium Regularium vel Religiosarum infra spatium 300 passuum (pro Asculano 300 cannarum) circa fines praedictorum conventuum aedificetur. Clemens IV. anno 1265 in diplomate *Ad consequendam gloriam*, hanc locorum distantiam generaliter ad 300 cannas extendit pro omnibus mendicantium Religiosorum locis, etsi anno 1268 per aliud *Quia plerumque* ad 140 retraxerit. Simile indultum concessum est FF. Praed.; cfr. Bullar. Ord. Praed. tom. I. pag. 353.

[2] Sola Vat. *Utilis*. Inferius post *a se disiunctis* edd. 1, 2 incongrue addunt *eis*.

[3] Vat. cum edd. 1, 2 *et ex hac invidia*.

[4] Gregor. IX. Constitut. *Quia confusio* habitus saepe confusionem inducit Ordinum et etiam etc. (apud Sbaraleam, Bullar. Franciscan. tom. I. n. 328. pag. 289), quam confirmavit Innocent. IV. anno 1243 die 29 Nov. et anno 1244 die 23 Iulii (Sbaralea, loc. cit. pag. 319 et 348). Cfr. Bullar. Ord. Praed. tom. I. n. 195.

terras discurrerent et quod nobis dandum esset ipsi praeriperent fraudulenter et peccarent, et nos fraudaremur, et homines gravarentur.

Quarta ratio. Alia causa, quia, cum pro aedificatione Ecclesiae specialiter missi simus[1], si sub nostro habitu alius aliquo peccato scandalizaret homines, vel nos taliter infamaret, vel suam sic nequitiam contegeret, cum, reiecto habitu nostro, non agnosceretur, sed Frater Ordinis nostri putaretur hoc fecisse; Ecclesia non haberet de nobis aedificationem, sed scandalum, et nos frequentes exinde confusiones pateremur, cum multa similia attentarent, sicut comperimus, aliquoties esse factum. — Quinta. Item, posset haereticus aliquis sub nostro habitu in locis opportunis docere haeresim, ut sic ei quasi probato Fratri Ordinis nostri crederetur, et nos[2] similiter infamaret. — Sexta. Item, si forte aliquando ex nostris aliqui in via minus honeste se gererent; cum super hoc corriperentur a nobis, possent excusare se, quod sub nostro habitu alii hoc fecissent, cum de personis esset dubium, quae fuissent. — Ne igitur tantus Ordo taliter[3] confundatur, et tot mala inde proveniant; expedit, ut Ordinis nostri habitum nullus alius permittatur deferre. Quid etiam mali sequeretur, si mulieres eum ferre permitterentur, quisque prudens per se potest perpendere; et ideo est studiosissime prohibendum.

Quaestio IX.

Cur Fratres recipiant domos vel areas non contiguas propriis domibus.

Cum asseratis, vos secundum Regulam[4] et professionem vestram nullos debere recipere proventus redituum seu possessiones, exceptis domibus, in quibus habitatis; videmini transgressores Regulae vestrae in eo, quod recipitis domos vel areas non contiguas vestris areis, in quibus habitatis. Eodem enim modo, si hoc licet, poteritis etiam vineas recipere et agros et mansos et similia quaeque recipere, immo grangias et villas[5] et castra et terras et oppida et quaecumque fuerint vobis data; et sic pristina paupertas et mendicitas, quam professi estis, paulatim evanesceret, et non eritis discipuli sancti Francisci, cum non sequamini vestigia eius nec eius Regulam teneatis. De domibus enim vobis contiguis potest esse excusabile, quod pro dilatanda area vestra illas quandoque recipiatis, sed de aliis non ita, in quibus homines alios pro censu locatis, quem procurator vester loco vestri exigit et in usus vestros convertit de voluntate vestra.

Notandum. Respondeo. Si qui in talibus incaute agunt, dolemus et contradicimus et prohibemus. Qualiter autem in hoc licite agere possimus, adverte, et tunc non iudicabis nos, si sane intelligis, transgressores. Protestamur, nos secundum Regulam nostram nil debere seu velle possessionis vel certorum redituum recipere vel habere. Quia vero mendici sumus et pauperes, ea quibus pro praesenti necessitate indigemus, ideo recipimus, prout licet, sive pro solvendis debitis vel aliis necessariis procurandis. — Casus primus. Cum ergo aliquis ex devotione vult nobis legare domum suam vel aream non contiguam nostrae mansioni, non recipimus eam, nec per nos nec per interpositam personam, ut nostram. Sed si ille eam disponit[6] per alium quemcumque, ut, ea vendita, de pretio eius provideatur nobis ex parte sui in his quibus tunc indigemus procurandis vel solvendis debitis, acceptamus. — Secundus. Si autem ille, timens, ne forte eius talis dispositio per heredes suos vel alios in posterum impediatur, propter hoc praeoccupat roborare illam sigillo alicuius iudicis vel civium vel alterius et committit sic alicui amico suo eam vel Fratrum, qui conservat quod ipse disposuit de domo tali vel area; nil ad nos, cum de rebus suis possit ordinare quod volet. Nec domum nec locum talem dicimus esse nostrum, cum nihil iuris nos ad ea[7] protestemur habere. — Tertius. Similiter, si aliquis disponeret per amicum vel alium, quod de pretio vel de proventibus illis vel illis darentur Fratribus tot panes quotidie vel tantum eleemosynae singulis septimanis aut annis; non essemus propter hoc praedii vel redituum possessores. Nam si, me petente eleemosynam, aliquis dives promittat, quod singulis annis velit dare Fratribus duas tunicas vel tantum unam, vel singulis hebdomadibus tot panes et hoc committat officialibus suis, ut vice sui ista dent, etiam eo absente, et hoc pro Fratribus recipiam vel etiam, si illi negligant dare, admonendo exigam; nunquid propterea certos reditus habere dicendi sumus, cum non ex iure, sed ex gratia solum talem eleemosynam recipiam vel exigam? — Quartus. Et si post obitum illius uxor eius vel alii amici pro anima illius

---

[1] Vat. et ed. 3 *quia pro aedificatione Ecclesiae missi sumus.* Inferius pro *vel nos* edd. 1, 2 *ut nos.*

[2] Edd. 1, 2 *vel nos.*

[3] Ed. 3 *totaliter.*

[4] Cfr. c. 4, ubi receptio pecuniae per se vel per interpositam personam inhibetur, et c. 6. dicitur: Fratres nihil sibi approprient, nec domum nec locum nec aliquam rem etc.

[5] Secundum Du Cange, Glossarium etc. *mansus* (vel mansa, vel mansum) significat vel villam aut locum familiae, vel fundum cum certo agri modo, vel villulam coloni unius habitationi propriam, vel quantitatem terrae, quae sufficit duobus bobus in anno ad laborandum, vel denique secundum Papiam mansus dicitur a manendo, quod integrum sit duodecim iugeribus. *Grangia* (granchia, grancia, grangua) denotat praedium, villam rusticam. *Villas* hodie, non quomodo Latini praedia rustica, sed complurium in agris mansionum vel aedium collectionem appellamus. — Superius pro *vineas* ed. 3 *vineam.*

[6] Edd. 1, 2 *eam vel disponit.* Inferius post *Si autem* ed. 3 omittit *ille,* et vocibus *propter hoc* Vat. cum edd. 1, 2 praefigit *et.*

[7] Edd. 1, 2 *in ea.* Inferius pro *vel tantum* ed. 3 *tantum.*

adhuc velint aliquo tempore talem nobis eleemosynam per se vel ex dispositione illius largiri; possumus similiter recipere ex eadem gratia, ita quod quandocumque nollent amplius ista dare, nil peteremus ab eis quasi ex debito, sed more mendicorum recurreremus ad domum clementis domini pro quotidiana eleemosyna, quamdiu illi placeret; sed quando plus nollet, abiremus vacui, gratias agentes de dato et non murmurantes de negato. Haec est vera et pura vita mendicorum quod datur ex *gratia* recipere, non ex *iure*[1].

De censibus vero domorum Fratribus legatarum nihil quaerimus, sicut nec de aliis reditibus. Si autem, antequam vendantur, aliquem inde censum recipiunt, in quorum tunc potestate sunt illae domus, nil iuris habere in eo protestamur, sed eleemosynam nobis sponte oblatam simpliciter recipimus sicut aliunde donatam. Quia vero Dominus docet[2] nos *cavere ab hominibus,* et Apostolus *ab omni specie mala abstinere;* ne putemur ab ignorantibus transgressores Regulae nostrae, debemus aperte protestari, nil nobis iuris in talibus donationibus velle habere, sicut tenetur suspectus de fornicatione omnia illa cavere, ex quibus posset ista suspicio probabilis iudicari.

[...nsibos.] [...udom.]

Quaestio X.

Cur Fratres recipiant domos vel in damnum plebanorum, vel sine licentia episcoporum, et inconsultis dominis locorum.

[Obiici...tur.] Cum nulli deberetis facere iniuriam vel damnum inferre, hoc non servatis, quia saepe contra voluntatem plebanorum recipitis domos in eorum parochiis, unde eis multum deperit de oblationibus et aliis proventibus, dum vos occupatis loca, in quibus alii habitarent, qui eis ista persolverent. — Item, saepe sine licentia episcoporum intratis eorum dioeceses. — Aliquando, inconsultis dominis terrae vel civitatis, domos recipitis in eisdem.

[...it inia... ...iericis.] Respondeo[3]. Non omnia, quae fiunt contra voluntatem alicuius, ad iniuriam eius fiunt. Cum ergo cives alicuius oppidi nos vocant et locant nos apud se in tali loco, ubi etiam possent Iudaeos locare vel aream pro ludis facere vel horrea seu stabula, de quibus nil proveniret plebano loci, etiam si nos ibi non essemus; non facimus eis iniuriam ullo modo. Sumus etiam non deterioris conditionis quam alii Christiani vel Religiosi, quibus conceditur domos recipere et loca, ubicumque dantur ab eis qui habent ius liberum dandi eis, maxime cum per Sedem apostolicam sit Ordo noster approbatus et in subsidium animarum in Ecclesia destinatus[4], et hoc bonum per aliorum malitiam non debeat impediri. Si enim nunquam deberemus morari nisi de voluntate clericorum, vix unquam in Ecclesia possemus diu morari, dum aut per se, aut incitati per alios, eiicerent nos de parochiis suis potius quam haereticos vel Iudaeos[5]. Notaodom.

Episcopis[6] etiam nullam facimus iniuriam, cum non gravemus eos in aliquo, sed iuvemus praedicando et consulendo eorum subditis, ut devotius obediant, et onus regiminis eorum tanto portabilius fiat eis, de quo in iudicio extremo oportet eos reddere rationem. Si autem movet eos, quod sumus exempti a iurisdictione ipsorum quoad nos ipsos; tunc e converso consolentur, quod liberiores sunt, quod pro nobis non tenentur reddere rationem, ut, sicut[7] de nostra gubernatione carent honore, ita sint liberi a sollicitudine et labore, excepta providentia pietatis et inter nos in[8] suae pacis unitate servanda. Nec episcopis.

Domino[9] etiam terrae vel villae non facimus iniuriam, si, eo inconsulto, quandoque vocati a civibus, *mansionem* recipimus in villa, ubi liberum esset eis, si vellent, theatrum facere vel locare Iudaeos vel locum relinquere vacuum, quia de ipsius fundi possessione nil ei subtrahimus nec aliquid proprietatis nobis de illo vindicamus, maxime cum cives amore nostrae commorationis ibidem domino refundant aliunde, si quid forte de area nostra deberet annui[10] census percipere, si nolit pro Deo carere. Nam si etiam contingeret, nos post haec a loco penitus discedere; nec venderemus aream nec alicui partem traderemus, sed, sicut concessum est nobis, eis, ad quos pertinet dominium, relinqueremus. — Ipsum quoque *oratorium* nostrum non fit parochiali Nec dominis terrae. De oratoriis.

---

[1] Cfr. supra Opusc. XII. Epist. de tribus quaest. etc. n. 3-5.

[2] Matth. 10, 17: Cavete autem ab hominibus. — Subinde I. Thess. 5, 22: Ab omni specie mala abstinete vos. — Cfr. Urbani VIII. Breve *Exponi Nobis fecit* dilectus filius Elias Petiot etc. an. 1637, die 27 Iulii (Luc. Ferraris, Prompta Bibliotheca, sub nomine *Legatarius, Legatum,* n. 102.), in quo decernitur « dictos conventus Fratresque Minorum respective licite, valide, tuta et salva conscientia tenere posse annua et perpetua legata vel certos aliquos reditus aut proventus annuos et perpetuos praefatae puritati nostrae Regulae consentaneos *per modum eleemosynae,* aut... pretii seu mercedis vice pro spirituali dictorum Fratrum nostrorum labore recipiendos... *facta prius* ex animo et optimo corde dictorum redituum aut proventuum simili vel efficaciori *protestatione et renuntiatione a Doctore nostro seraphico P. Bonaventura praescripta atque observata* etc.

[3] Edd. 1, 2: *Responsio primi quaesiti.*

[4] Cfr. infra Opusc. XIV. Quare Fratres Minores praedicent et confessiones audiant.

[5] Hanc propositionem non de omnibus clericis, sed tantum de quibusdam intelligendam esse, constat ex iis quae supra p. I. q. 27. exhibentur.

[6] Edd. 1, 2 praemittunt hanc rubricam: *Responsio secundi* (quaesiti). [7] Cum ed. 3 supplevimus *sicut.*

[8] *In* videtur esse expungendum et *excepta* coniungendum cum *unitate.*

[9] Edd. 1, 2 praefigunt rubricam: *Responsio tertii* (quaesiti).

[10] Sola Vat. *annue.* Inferius pro *partem* edd. 1, 2 *parium.*

ecclesiae praeiudicium, in quo nec oblationes eius ad Missam percipimus nec aliquos homines ab ipsa nobis attrahimus, quin omnia iura sua viventes et mortui ecclesiae parochiali persolvant. — De sepultura vero constat ex iure communi [1], quod si apud nos eligunt sepeliri, possent et alibi, si vellent, ubicumque sine praeiudicio parochialis ecclesiae hoc facere, nec ad hoc possent in aliquo impediri.

De sepultura.

Quaestio XI.

Cur Fratres aliquoties alios Religiosos vel clericos eiecerint ex propriis locis.

Quid ergo dicitis ad hoc, quod in pluribus locis dicuntur Fratres vestri alios Religiosos vel clericos eiecisse violenter de propriis ecclesiis, vel monasteriis et ibidem, eis invitis, sibi mansionem fecisse; quomodo potest hoc excusari ab iniuria et violentia [2]?

Non est culpa Fratrum.

Respondeo. Ubicumque hoc factum est, non est per Fratrum violentiam factum, sed vel per episcopum loci, vel ex iussu domini Papae, qui, intelligens, clericos illos vel Religiosos ibi minus honeste se gerere, vel ad tantam paupertatem redactos esse, quod divinum servitium ibi ita esset delapsum, quod per ipsos non erat spes restaurationis, auctoritate apostolica mandavit, illos alibi locari, assignatis sibi certis reditibus, unde possent congrue sustentari, et Fratres nostros ibi habitare et divina officia celebrare, cum ad ipsum spectat [3] de omnibus locis religiosis ordinare, ut sacra ibi religio instauretur, sive per illius Ordinis personas, sive per alias alterius Ordinis, sicut viderit expedire.

Quaestio XII.

Cur Fratres a Sede apostolica obtineant iudices et conservatores.

Cum deberetis omnia mala vobis illata patienter sustinere et nullam super his apud iudices querimoniam facere vel movere, quid est, quod non solum istud non facitis, sed etiam, non contenti episcoporum iudiciis, obtinetis a Sede apostolica iudices et conservatores [4], et ad illos quoslibet molestantes vos etiam leviter citatis et gravatis laboribus et expensis, donec satisfaciant vobis pro *velle* vestro, contra Apostolum primae ad Corinthios [5]: *Delictum est in vobis, quod iudicia habetis?*

Distinc.

Respondeo. Iniurias et molestias, ex quibus aliud malum non sequitur, nisi quod illa hora sentiri potest, ut sunt verba probrosa vel damna rerum seu verbera et similia, possunt viri religiosi aequanimiter sustinere, quia nil aliud afferunt nocumenti. Sed ubi possunt *graviora damna* subsequi, videlicet animarum gravia nocumenta, ibi non est expediens talia tolerare. Nam cum simus in Ecclesia Dei ad multarum animarum salutem a Sede apostolica destinati per officium docendi et extrahendi homines a peccato; si quis infamaret Ordinem nostrum, quod essemus seductores, aut haeretici, aut criminosi, aut non habentes auctoritatem praedicandi seu confessos nobis et contritos absolvendi, cum a domino Papa, vel etiam episcopis habeamus [6]; non solum laederet nos sic reddendo despicabiles hominibus, quod subtraherent *nobis* beneficia, sine quibus sustentari non possumus, sed etiam noceret *omnibus*, qui ex hoc inciperent nos persequi et graviter peccarent. Et qui crederent, nos tales esse, sicut ille [7] assereret, nec praedicationes nostras attenderent nec consilia salutis requirerent a nobis, et iam nullus Ordinem intrare curaret, immo debiles mente Ordinem tentarentur relinquere, quem viderent ab omnibus conculcari. — Insuper haeretici se detractoribus nostris libenter adiungerent sub specie amicitiae, ut nos amplius redderent odiosos ad hoc, ut doctrinam nostram hominibus redderent odibilem, et ita astute sibi attraherent corda eorum et paulatim ducerent in errorem, cum nos maxime timeant, modo in hoc sibi esse resistentes. Plura alia mala [8] suscitarent nobis veritatis adversarii, si non haberemus munimen per Sedem apostolicam, quae non tam nobis quam Ecclesiae et fidei catholicae valde nocerent, et haec in dedecus ipsius Sedis redundarent, quae Ordinem plantavit et confirmavit et ad profectum Ecclesiae destinavit. Nam et Apostolus Paulus, qui paratus erat omnia adversa subire pro Christo, videns, obesse fidei et Ecclesiae, si traditus fuisset a Felice vel Festo Iudaeis ipsum perimere cupientibus, Caesarem appellavit, Actuum vigesimo quinto [9]. Ut ergo parcamus eis a peccato iniquae persecutionis et nobis a frequenti vexatione et aliis a nocumento animarum, conservatores habemus a Sede apostolica nobis datos, qui privilegiorum nostrorum iura defendant et a calumniantibus tueantur.

Alia ra

---

[1] Cap. *Nos instituta* (1.), X. de Sepulturis (III. Decret. Gregor. IX. tit. 28.). Cfr. c. *Cum quis* (2.), de Sepulturis in VI. (III. tit. 12.).

[2] Edd. 1, 2 *iniuria etiam violenta.*

[3] In ed. 3 annotatur: Rectius *spectet.*

[4] Cfr. c. *Nimis iniqua* (16.) et c. *Nimis prava* (17.), X. de Excessibus praelatorum (V. Decret. Gregor. IX. tit. 31.). Vide etiam Sbaraleam, Bullar. Franciscan., ubi praeter praenotata Gregorii IX. diplomata afferuntur etiam alia tum ab eodem, tum ab Innocent. IV, Alexandro IV. etc.

[5] Epist. I. c. 6, 7.

[6] Cfr. infra Opusc. XIV. Quare Fratres Minores praedicent et confessiones audiant.

[7] Vat. et ed. 3 *sicut et ille.*

[8] Edd. 1, 2 *alia multa.*

[9] Vers. 11. Cfr. S. Thom., Opusc. supra allegatum, c. 15.

Quaestio XIII.

Quare Fratres recipiant aliqua, quae postea venduntur pro pecunia.

Cum denarios seu pecuniam nec per vos nec per interpositam personam ex Regulae vestrae [1] praecepto debeatis recipere, et tamen aliqua recipiatis, quae venduntur postea pro pecunia; non video, qualiter excusemini a transgressione huius praecepti; quia, vendita re illa, sicut prius vestra fuit res ipsa ante venditionem, ita etiam erit pecunia vestra, quae pro re data est, cum non habeat alium dominum nisi Fratres, quod illicitum est omnibus manifeste.

Respondeo. Tria eleemosynarum genera dantur nobis [2]. Aliqua enim recipimus, quibus uti volumus, ut victus et vestitus et libri nobis utiles et similia, quae non proponimus alienare ab Ordinis usu. — Quaedam [3] autem dantur nobis, quibus nunquam in illa specie uti volumus, ut vestes saeculares et libri non apti, vel etiam aliqua superflua victualia, quibus forte non indigemus ad praesens. Ista si nolunt Fratres recusare propter devotionem dantium, potest procurator ea vice illorum dantium [4] servare, sicut pecuniam pro Fratribus ei commissam, ut suo tempore inde provideat eis quibus indigent ex parte illorum. — Quaedam [5] vero dantur nobis pro usu nostro, et ea per nos recipimus, et postmodum aliquando contingit, quod ea volumus alienare. Si illa simpliciter vendimus, tunc fiet, sicut dicitis, quod illa pecunia nostra est, sicut res vendita fuerat ante nostra. — Sed ne transgressores Regulae nostrae simus recipiendo pecuniam per interpositam personam, tres vias pro hac cautela tenemus. Aut enim rem illam, quae vendi deberet, commutamus pro alia, qua indigemus, non interveniente pecunia, ut librum pro libro, oleum pro cera ad luminaria, et sic de similibus; aut rem illam damus pro solutione debitorum, quantum res illa valet; aut damus eam alicui, ut sua sit, et nobis pro ea de aliis, quibus indiguerimus, tantum acquirat, quantum res illa distracta valeret. Sive autem ille qui sic eam recipit, postea vendat, sive reservet ut suam, nil ad nos, cum iam non sit nostra, sed ipsius, et ita non erimus praecepti illius de non recipienda pecunia transgressores. Qui aliter facit, videat, quomodo conscientiam suam apud Deum iustificet et apud homines de scandalo se excuset [6].

[Margin: ...s eleemosynarum ...num. — ...ndum. — ...rtium. — ...iae pro ...tela.]

Quaestio XIV.

Cur Fratres mendicent plura quam olim, etiam necessaria pro futuro et ut commutentur.

Olim non mendicastis, nisi solum quo indiguistis, nunc autem non solum petitis pro futuro tempore necessaria, sed etiam de una specie tanto plus acquiritis, ut unum pro alio commutetis, ut oleum pro caseis, vel similia [7] pro aliis in hunc modum.

Respondeo. Ut supra [8] dixi, dum pauci eramus, paucis indigebamus; nunc autem plures facti, pluribus indigemus; et sicut aliquando mendicus per plateas discurrens, cui solum panis aridus hinc inde datur, quem communius habent homines et paratius quam alios cibos, dat aliquam partem panis pro buccella casei, vel ovo, vel pomo, eo quod non semper valet arido pane sustentari, cum sit inedia confectus; ita et nos, cum non inveniamus ubique singula, quibus indigemus, pro sufficientia ad mendicandum, eo quod in omnibus terris non omnia abundent aequaliter, et homines non habent nobis dare illa quae non habent; oportet [9], nos de talibus, quae in quolibet loco magis abundant, tanto plus petere, ut per illa et alia conquiramus, quae aliter ibidem non possemus habere et quibus similiter indigemus; et hoc non est avaritiae, sed indigentiae imputandum. Nota.

Quaestio XV.

Cur Fratres non habitent pauci in domibus pauperculis.

Si [10] multitudo est in causa, quod multis indigetis, quare ergo magnos conventus facitis, et non potius bini, vel quaterni, vel ad plus seni, vel octeni in domibus pauperculis habitatis, ut quietius et in maiori paupertate ibi viveretis et humilitate, quia pompositas quaedam videtur gloriari de multitudine?

Respondeo. His de causis magis diligimus magnos conventus quam parvos, videlicet, quia maior disciplina potest ibi servari, dum occupatio officiorum in plures divisa ordinatius et expeditius administratur, et coram pluribus quisque minus audet negligens aut insolens esse, et quilibet informatur ab altero moribus et scientia. Et ex his maior potest esse devotio et ordinatior vita et officium divinum pulcrius et maior cautela contra quaelibet tentamenta vitiorum, et novitii melius ibi informantur. Ratio 1.

---

[1] Cap. 4.

[2] Rubrica *Primum genus*, quae ab edd. 1, 2 huic propositioni praefigitur, melius hoc loco poneretur.

[3] Edd. 1, 2 praemittunt rubricam *Secundum genus*.

[4] Ex edd. 1, 2 supplevimus *dantium*. Inferius post *provideat* pro *eis* ed. 3 monet forte substituendum *de eis*, vel *ea*.

[5] In edd. 1, 2 praefigitur rubrica *Tertium genus*.

[6] Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 11. n. 6. et 12. seq.; Opusc. XII. Epist. de tribus quaest. etc. n. 6.

[7] Ed. 3 *ut similia*.

[8] Part. I. q. 8. Ex hoc deduci poterit, hanc secundam sicut et primam partem Determinationum pertinere ad idem Opusculum eundemque ipsarum esse auctorem. Cfr. supra pag. 356, nota 6.

[9] Vat. cum. edd. 1, 2 *et oportet*.

[10] Vat. et ed. 3 omittunt *Si*. Inferius pro *viveretis* ed. 3 in nota adiecta: Fortasse *vivatis*.

Ratio 2. — Item, quia maior provenit utilitas inde animarum, dum plures ibi stare possunt confessores et praedicatores; vel etiam potest ibi melius teneri studium theologiae, in quo habiles exerceantur ad eruditionem aliorum. In parvis autem domibus, dum alii sunt in terminis [1], alii in villa pro eleemosyna, alii forte debiles et infirmi, alii occupati officiis in domo; nec disciplina Religionis nec studium nec devotio in divinis valet, prout expedit, observari [2].

Quaestio XVI.

Cur Fratres non promoveant Ordinem Poenitentium.

Cum videamini [3] zelatores esse animarum et sancti Francisci deberetis in omnibus imitatores esse, cur Ordinem illum, qui dicitur *Poenitentium*, quem ipse instituit, non promovetis, ut ubique dilatetur in Ecclesia, et multi salventur in eo, cum laboratis convertere et fovere ad bonum qui vobis sunt minus ex paterna traditione annexi?

Respondeo. Quod in *aliis* laboramus, ut convertantur et proficiant in bono, ibi habemus fructum et conservamus libertatem nostram, ne plus, quam nobis expedit, occupemur per eos. Per *istos* autem poenitentes, si multiplicarentur, impediremur, quod aliis minus prodesse possemus, dum quasi ex iure exigerent a nobis, ut ad omnia, quae tangerent eos, essemus parati. Alioquin improperaretur nobis, quare ad hunc Ordinem eos induxerimus, si curam ipsorum nollemus. — Si contingeret, eos aliquando stare iudicio vel saeculari vel ecclesiastico, vocarent nos, ut eis assisteremus et pro eis intercederemus. — Si aliquis impeteret eos pro debitis vel offensa, obiurgarent nos, quare non faceremus, ei iustitiam fieri ab illo qui in nostro regimine et obedientia conversatur. Et sive iuste, sive iniuste moveretur, nobis imputaret, si pro voluntate sua ei non satisfaceret, maxime si iste diceret, se nil facere nisi de nostro consilio sive iussu. — Si aliquis eorum captivaretur, vel a domino suo vel alio molestaretur; vellet, quod Fratres causam eius agerent et hinc inde discurrerent, ut eum a tali molestia liberarent; sicut vidua ad Eliseum venit, ut eam a creditoris sui vexatione liberaret [4]. — Si aliquis inops esset nimis et non habens aliunde subsidium corporale, iustum videretur ei et aliis, quod nos sicut fratribus spiritualibus eis provideremus, et forte plures in illa spe Ordinem illum assumerent, ut eis in huiusmodi subveniremus, et maxime feminae vel beguinae [5]. — Si aliqua ipsarum de aliquo crimine infamaretur fornicationis vel adulterii, statim qui nos forte non diligerent divulgarent istud in nostram infamiam, dicentes: ecce sorores nudipedissae parvulos nudipedes procreant eis; sed a quo illos concipiunt, nisi ab eis qui toto die occupantur cum ipsis? Et lascivi clerici vel laici in odium nostri magis essent sororibus illis infesti, ut aut corrumperent eas, aut infamarent, cum ipsarum dedecus in nos plus quam in alios redundaret. — Si quando inter eas aliqua fieret disceptatio, oporteret, nos occupari in reformatione pacis inter eas propter cavendum scandalum aliorum. — Si civitas vel oppidum indigeret, non possemus eos tueri, quin oporteret, eos solvere quaestas et tallias [6] et observare vigilias nocturnas et exire cum aliis ad bella et habere arma et equos, vel pro se mittere bellatores, vel etiam dominis suis, a quibus haberent feuda, vel quibus aliter astricti, oporteret, eos in talibus deservire. — Clerici etiam, qui nos non diligunt, imponerent nobis, quod plebes suas nobis vellemus sub hoc colore attrahere et nostrae obedientiae subiugare, ut res eorum nobis cederent totaliter, et quae ipsis offerre deberent, nos eis praeriperemus; et quando nos non possent in personis nostris forte gravare, illos quacumque occasione quaererent perturbare. — Infamarent etiam nos, quando haberemus cum eis aliquando secreta capitula, quasi celebraremus conventicula

Rationes multiplices afferuntur. Prima. — Secunda. — Tertia. — Quarta. — Quinta. — Sexta. — Septima. — Octava. — Nona. — Decima.

[1] Du Cange, Glossarium etc.: « *Terminus*, pagus, regio terminis suis et limitibus circumscripta, districtus ». « *Terminarii* apud Ordines mendicantes dicuntur, qui habendis per agros cuique conventui addictos concionibus destinantur. Habent enim singuli Ordinum istorum conventus descriptos circumiecti territorii pagos, intra quos dumtaxat eleemosynas colligere liceat » etc. De villa cfr. supra pag. 364, nota 5.

[2] Cfr. supra p. I. q. 6.

[3] Ita ed. 3; aliae *videmini*. Inferius pro *Poenitentium* sola Vat. *poenitentia* (de institutione tertii Ordinis cfr. S. Bonav., Legenda S. Francisci, c. 2, ubi insinuatur, quod S. Franciscus, sicut tres ecclesias materiales instauravit, ita tres Ordines instituerit). Quoad argumenta huius quaestionis ratio habenda est gravissimae persecutionis tunc, praesertim Parisiis, contra Ordinem praevalentis.

[4] Libr. IV. Reg. 4, 1.

[5] Quibus non intelligitur secta illa Beguinarum a Clemente V. (cfr. III. Clementin. tit. 11. c. 1: *Cum de quibusdam mulieribus*) et Ioanne XXII. (cfr. Extrav. eiusdem tit. 7: *Sancta Romana*) damnata, sed notantur illae feminae, quae de fide recte sentientes pieque in communitate viventes tertium Ordinem profitebantur sandaliaque more Fratrum Minorum deferebant ac caelibem vitam ducebant, quarum aliae erant votis liberae, aliae ligatae. De istis dicitur in Chronico Normanniae inter scriptores antiquos Normannorum p. 1009 ad annum 1246: Circa haec tempora Ordo venit Parisius Saccorum... venerunt... et Beguinae... quibus omnibus Ludovicus rex Francorum loca contulit Parisius ad manendum Beguinasque in regno suo fere ubique seminavit. Cfr. ed. 3 Admonitio praevia § 13, ubi etiam alia afferuntur documenta. Vide Du Cange, Glossarium etc., ubi et de origine earum, quae vel ad *Beggam* Pipini filiam, vel ad *Lambertum le Begue* (1180) reducitur secundum opiniones inter historicos praecipue propugnatas. *Quomodo* et *quando* Beguinae in diversis regionibus relationem cum tertio Ordine S. Francisci, ut hic describitur, inierint, relinquimus historicis determinandum.

[6] Secundum Du Cange, Glossarium etc. *Quaesta* est tributum, quod exigitur, *quaeritur*, petitur; *tallia* vero praestatio, quae dominis fit a tenentibus seu vasallis in certis eorum necessitatibus etc. — In hac propositione cum ed. 3 bis substituimus *eos* pro *eas*.

haereticorum in latebris, cum ipsi potius Ecclesiae rectores deberent eos secundum morem Ecclesiae corrigere, si quando offenderent[1], et punire. Nam et ipsi eorum magistri, qui *provinciales* dicuntur, cum sint laici et aliquando uxorati, quandam habent similitudinem cum haereticorum magistris et si non pro invidiae pravitate, tamen in laicali habitu nomineque haereticorum in contemptum cleri laicos habent magistros et doctores. Et cum nos sub una forma vivendi et multiplici custodia vix conservemus Ordinem nostrum in suo vigore, ne dilabatur per negligentiam; quomodo possemus illum Ordinem in bono statu diu servare, ubi quisque vadit in domum suam et exercet negotium proprium et habet curam domus suae et uxoris et filiorum et versatur in saeculo et multis quatitur tentationibus mundi et carnis, et qui nobis non essent astricti obedire nisi pro *velle*, et quos non possemus, sicut expedit, coercere, quin cito dilaberetur sub manibus nostris disciplina et iustitia? Et sic melius fuerat non incepisse quam non posse perficere, et tanta negotia assumsisse, per quae dissipatur pax nostra et fama vilescit, et inter nos ipsos possunt plura scandala suboriri, praeter alias occupationes, quas in confessionibus eorum et consiliis tota die nos oporteret habere cum ipsis. — Et si soli divites admitterentur, inciperent nos homines habere suspectos, quod pro avaritia faceremus, ut res eorum sic nobis attraheremus; et clerici et alii Religiosi contra nos gravarentur, si familiares eorum eis per hoc abstraheremus, et inde lites et scandala inter nos et ipsos orirentur. Si autem omnes passim admitterentur, fieret confusio, cum non possemus omnes regere vel corrigere, et multa inconvenientia sequerentur. — De sancto autem Francisco alia fuit ratio, quia status illius *terrae*[2] et illius *temporis* circa Ordinem et homines alios in multis aliter se habebat, et ipsius sancti patris Francisci et primorum Fratrum eius diffamata sanctitas effecit, quod tunc habebatur pro bono quod modo et in aliis terris non talem haberet successum. Qui nostrae doctrinae volunt corrigi consilio possunt sub alia forma et colore ita utiliter in bono per nos informari, sicut congruit cuilibet, et tamen nos praedictis implicationibus vel aliis similibus non involvemur et ab aliis bonis vel melioribus non retardabimur.

[Margin: ...ndum. — ...a ratio. — ...ia ratio de S. ...ncisco.]

QUAESTIO XVII.

Cur tamen Fratres curam habeant Ordinis sanctae Clarae.

Quare ergo Ordinem sanctae Clarae in cura habetis, per quam libertas vestra similiter impeditur?

Respondeo. Ordo ille non est annexus Ordini serviliter, ut eis intendere teneamur; sed ex petitione domini cardinalis, qui utrique praeest Ordini[3], Ministri constituunt eis confessores, qui ecclesiastica interdum Sacramenta ministrent, et visitatores, qui eas corrigant. Alii Fratres non tenentur occupari pro ipsis nisi sicut pro aliis amicis Ordinis, quando volunt. Et quia clausae manent sub uniformi conversatione, hae facilius regi possunt. Quandocumque autem Ordo noster communiter videret non expedire sibi curam illarum gerere, potest se ab eis eximere, cum ex Regula nostra[4] non simus alicui ex debito nisi Ordini obligati et singulari libertate inter ceteros Ordines ex privilegio gaudeamus. Licet autem omnino non possimus impedire, quin aliqua fiant in terris istis praedicti Ordinis monasteria; tamen, si non studiose obsisteremus, cito multiplicarentur per concessionem domini Papae vel cardinalis; et per hoc ostenditur, quod non diligimus multum occupari cum ipsis.

[Margin: Notandum.]

QUAESTIO XVIII.

Cur Fratres permittant, ut plures praedictarum non recipiantur sine pecunia.

Cum ergo sitis informatores earum, quare permittitis, quod plures apud eas impure, id est per pecuniam, recipiuntur? Quae, si nihil secum ferrent, nullatenus reciperentur; et aperte simonia videtur.

Respondeo. Quodsi illud alii faciunt, de hoc non a nobis, sed ab illis est ratio exigenda. Sed tamen, ut satisfaciamus quaerentibus, sciendum, quod quantum spectat ad hanc materiam, quadruplex est forma recipiendi ad Ordinem qualemcumque: prima, quando aliquis recipitur nec *pro pecunia* nec *cum pecunia*, sed pure pro Deo; et ista est purissima coram Deo et hominibus. — Secunda, quando aliquis recipitur *non pro pecunia*, sed *cum pecunia*,

[Margin: Quadruplex forma receptionis. Prima. — Secunda.]

---

[1] Vat. cum edd. 1, 2 *offenderint*. Inferius pro *in contemptum cleri* sola Vat. *in contemptum clerici*.

[2] In ed. 3 annotatur: Hinc illud erui posse videtur, in Italia hoc Opus perscriptum non fuisse. Cfr. supra pag. 357, nota 7. in fine.

[3] Cfr. Chronica XXIV Generalium (Analecta Franciscana, Quaracchi 1897 tom. III. pag. 330), ubi refertur, quod propter difficultates, quae in re, de qua hic agitur, sunt exortae, sub Urbano IV. an. 1263, existente S. Bonav. generali Ministro, uni tantum cardinali uterque Ordo tanquam protectori fuit commissus, cui Clarissae immediate subiiciebantur, et quod ab Urbano IV. declaratum fuit, Fratres Minores ad ministeria praestanda Clarissis *ex debito* non teneri. Ibid. in nota adiecta allegantur litterae S. Bonav. *Dignum est et consonum* (an. 1264), quibus, ut hic paulo inferius insinuatur, conceditur, quod visitatores pro Clarissarum Conventibus eligantur ex Fratribus, Fratresque solita ipsis obsequia exhibeant, praemissis tamen cautionibus, nihil horum exhiberi ex iustitia, sed ex caritate. Cfr. ibid. pag. 359, ubi idem sub successore S. Bonav. generali Ministro Hieronymo inculcatur. Ex his constat, opusculum hoc ante an. 1264 non esse scriptum.

[4] Cap. 11. — Superius pro *hae* edd. 1, 2 *per hoc*.

ita ut si nihil afferret, tamen reciperetur pro Deo; et similiter hoc purum est coram Deo, sed est caute agendum coram hominibus, ne detur eis occasio scandali, et ne sit ibi affectus avaritiae infectus ex spe lucri. — Tertia, quando quis recipitur *non pro pecunia,* nec tamen reciperetur *sine pecunia,* eo quod non habent aliter ei qui eum recipiunt in necessitatibus corporis providere, cum tenues facultates domus vix sufficiant iam receptis, nec ad eos[1] audeant plures recipere et istos suis necessitatibus spoliare, ita quod talis persona, quae sic recipitur, si abundaret locus, sine pecuniis reciperetur. Similiter aliquis duxit uxorem propter divitias eius vel nobilitatem, quae habet nasum; nec tamen propter hoc duxit eam, quia nasum habet, quam tamen, si naso careret, nullatenus duxisset; et hoc non est impurum, licet non appareat forsitan pulcrum. — Quarta, cum aliquis recipitur *amore pecuniae,* ita quod, si possent illam pecuniam habere sine persona ista, non reciperent personam, sed ut habeant pecuniam, personam recipiunt; et hoc penitus impurum est et simoniacum, quia ibi pecunia causa est receptionis personae et non e converso. Ubi ergo recipitur persona propter pecuniam, simonia est, quia ibi venditur spirituale, id est consortium spiritualis societatis, pro temporali, scilicet pro pecunia. Et hoc plerique faciunt, etiam ex mera inopia optantes, aliquem venire cum pecunia, quem reciperent, ut eorum inopia repararetur, vel debita contracta solverentur, vel bona concupita emerentur, vel aedificia construerentur; Ecclesiastici vigesimo septimo[2]: *Propter inopiam multi deliquerunt.* Ubi vero pecunia recipitur propter personam, quam alias libenter reciperent, si haberent unde eam pascerent; non videtur esse simonia, dummodo forma cum intentione concordet. Et hoc modo sustinemus, quod Sorores sanctae Clarae recipiunt *pecuniam cum personis,* si quando oportet, eas plures personas recipere quam de facultatibus monasterii congrue valeant sustentari.

Tertia.

Quarta.

Quaestio XIX.

Cur Fratres frequentius praedicent in oppidis quam in abditis locis.

Cum doctrina salutis tam necessaria est[3] illis qui in rure et in abditis locis habitant, sicut illis qui morantur in bonis oppidis, et ita fructuosa esset in eis, et vos aequaliter vocati et missi sitis ad aedificationem omnium indifferenter; videmini non *digne ambulare* in tali *vocatione*[4], in eo quod in bonis civitatibus et oppidis et villis frequenter praedicatis, in aliis autem locis raro vel nunquam. Videtur enim, quod sitis in hoc personarum acceptores, quod pauperes contemnitis et ditioribus praedicatis[5]. Vel quia in civitatibus multa habetis bona hospitia et bene procuramini, quod non alibi, vel quia plura ibi dantur munera vobis in speciali seu communi; ideo ibi saepius praedicatis.

Respondeo. *Messis quidem multa* eorum qui doctrina indigerent salutis, sed *operarii pauci*[6] idonei et fideles; ideo non sufficimus omnibus, qui indigent, prout vellemus docendo prodesse, cum nos pauci simus respectu illorum. In locis etiam silvestribus vel desertis, si qui sunt habitantes, ita sunt dispersi, quod vix possent ad locum congruum praedicationi convocari. Sed nec[7] ad singula loca eorum possemus venire, ut eis praedicaremus ibidem. Raro etiam vacant ab occupationibus nisi in festo, ut praedicationi intendere valerent, et propter diem unum festivum non possemus tota hebdomada in villa[8] morari. Non enim permittuntur Fratres tamdiu extra domum suam morari, quod sic omnes villas singulariter possint visitare, nec haberent in pluribus locis, unde toto possent tempore congrue sustentari; et si aliquando forte unus Frater vellet et posset aliquamdiu pati penuriam, socius eius forsitan hoc non posset; et si aliqui aliunde vellent ad praedicationes nostras accedere, non invenirent ibi victualia ad emendum. In oppidis autem seu villis, ubi abundant victualia, plures possunt confluere et melius sustentari, et inter plures maior fructus speratur; et a quibus ministrantur nobis plura temporalia in eleemosynis, plus etiam requirunt, ut eis spiritualia rependamus; non quod omnino debeamus alios in locis desertis deserere, sed prout se opportunitas obtulerit, debemus etiam eis doctrinam salutis offerre. — Illos tamen praedicatores et confessores non excuso[9] a peccato negligentiae, qui magis pro commodo corporis frequentant loca illa, ubi sunt bona hospitia, et nolunt pro salute fraterna divertere ad villas pauperculas et ibi pro Christo paupertatem, quam illi homines ibidem semper sustinent, apud illos aliquandiu tolerare, cum ipsi professi sint extremam et perpetuam in Regula[10] paupertatem. Indignos enim se faciunt eisdem officiis, quae pro subveniendo omnibus susceperunt, si pro commodo temporali vel muneribus ea vendunt; Matthaei decimo[11]: *Gratis accepistis, gratis date,* non pro munere temporali. Dicetur enim talibus in fine, Matthaei sexto[12]: *Amen,*

Rationes ... riae.

Notaodu...

Non exc... tur negli... tia.

[1] Substituimus *eos* pro *eas,* quod ceterae edd. exhibent. Inferius pro *duxit eam* (ita ed. 3) Vat. cum edd. 1, 2 *ducit eam.*

[2] Vers. 1. Cfr. supra pag. 329, nota 9.

[3] Ed. 3 praeferret *sit.*

[4] Respicitur Eph. 4, 1.

[5] Cfr. Iac. 2, 1. seqq.

[6] Matth. 9, 37. et Luc. 10, 2.

[7] Edd. 1, 2 perperam omittunt *nec.*

[8] Cfr. supra pag. 364, nota 5. — Inferius pro *unde toto* edd. 1, 2 *unde tanto.*

[9] Sola Vat. *excusat.*

[10] Cap. 6.

[11] Vers. 8. — Superius pro *susceperunt* ed. 3 *susceperint.*

[12] Vers. 2. — Sequitur Thren. 1, 11. — Pro *Dicetur* Vat. et ed. 3 *Dicitur,* quae subinde post *Dicitur etiam* addunt *talibus.*

dico vobis, receperunt mercedem suam, quam principalius hic et studiosius quaesierunt. Dicitur etiam in Threnis: *Dederunt pretiosa quaeque pro cibo. Pretiosa* sunt verba Dei et auctoritas absolvendi a peccatis confessis, quae *dat pro cibo* qui pro corporis alimento ea principaliter impendit.

Quaestio XX.

Cur Fratres non habeant consuetudinem praecedentiae.

Cum in aliis Religionibus et collegiis ecclesiarum maior reverentia prioribus in ordine introitus soleat exhiberi — quod etiam inter Apostolos aliquo modo servatum videtur [1] — videlicet in stallo chori et capituli et mensae et aliis; magna rusticitas videtur, quod apud vos nulla in his differentia servatur, cum Apostolus dicat ad Romanos duodecimo: *Honore invicem praevenientes.*

...tandum ...nsilium. Respondeo. Sanctus pater noster Franciscus in summa voluit Ordinem puritate fundare, ut in nullo gloriarentur Fratres *nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi* [2], id est humilitatis et caritatis eius, qua pro nobis pati voluit, devota imitatione, cum in huiusmodi excellentiis, quo unus alteri praefertur, in aliquo soleat animus imperfectorum saepe pueriliter extolli. Quod autem Apostolus docet *honore invicem praevenire,* non tantum ad istas extrinsecas reverentias referendum est, qua unus alteri assurgit, vel facit eum se praecedere et in superiori loco stare vel sedere et similibus, sed magis ad hoc, ut quisque reputet, alium se meliorem esse, *in humilitate sibi invicem superiores arbitrantes* [3] etc.; ut non sit pronus ad interpretandum facta eius vel dicta in partem deteriorem, ad Romanos decimo quarto: *Non ergo amplius invicem iudicemus;* ut offensus ab eo facile ei ignoscat, *donantes invicem, si quis adversus aliquem habet querelam* [4]; ut studiose caveat, ne in aliquo eum despiciat vel offendat, Matthaei decimo octavo: *Videte, ne contemnatis* etc.; ut absenti non detrahat nec libenter derogationem eius audiat, Proverbiorum vigesimo quarto [5]: *Cum detractoribus ne commiscearis;* ut indigenti auxilium et promptum obsequium libenter impendat, ad Galatas quinto: *Per caritatem Spiritus sancti servite invicem;* ut eum pure diligat et apud Deum fideliter, in quibus valet, promoveat. — Qui, haec negligens, tantum illas extrinsecas reverentias, ut dixi, Fratri exhibet, quas plerique magis ad hoc sibi mutuo exhibent, ne incuriales [6] notentur, vel adulatorie, ut sibi ista vicissim reexhibeantur, verbum Apostoli debiliter de honoris praeventione implevit. — Inter illos igitur, qui aliquid exterioris gloriae vel officio dignitatis, vel ex alia intentione honesta cupiunt habere secundum hominem, possunt istae reverentiae observari. Nos autem extremam et altissimam paupertatem in Regula [7] professos decet etiam humilitatem summam in omnibus custodire. In aliis Ordinibus, ubi tempus et dies professionis cuiusque potest observari, quis prior altero intraverit, possunt etiam in locis istam prioritatis servare distinctionem; apud nos autem, ubi saepe de loco ad locum mutamur, sicut non possumus scire tempus introitus cuiuscumque, ita nec, in quo eum debeamus stallo locare, cum ex oblivione et ambitione seu ex humilitate plures dicerent, prius vel posterius se venisse, et aliquoties, cognita veritate, contingeret, aliquos postea de locis suis forte cum verecundia removeri. Et ista perplexitas frequens esset inter nos, quis videretur altero superior, propter frequentes mutationes, et pro appetitu praeeminentiae saepe conscientiae macularentur multorum. Et maius ex his omnibus detrimentum esset in Ordine quam utilitas huiusmodi observantiae de prioritatis honore, cum secundum multitudinem meritorum magis quam annorum quis sit acceptior apud Deum; Sapientiae quarto [8]: *Consummatus in brevi, explevit tempora multa; placita* etc.

(Margin notes: ...plicatur ...s Apo- ...i septem ...itis. — ...teriores ...erentiae ...n suffi- ciunt. — Aliis Ordinibus convenit, non Minoribus.)

Quaestio XXI.

Cur Fratres scripta sua tam difficulter aliis communicent.

Cum deceat bonos promovere et alios ad bonum pro *posse,* multum videmini ab hac forma declinare, qui scripta vestra in libris et quaternis [9] tam difficulter aliis praestando communicatis, qui ex eis possent proficere et aliis prodesse; et aut de profectu aliorum moveri ex invidia videmini, aut ex inani gloria, ut videamini scire quae nesciunt alii, aut alia intentione corrupta.

Respondeo. Quae possunt etiam bona intentione et inculpabiliter fieri aliquando, temerarium est ea in deteriorem partem interpretari, cum cordis occulta ignoremus; et ea quae in se indifferentia sunt, possunt saepe pro bono fieri et licite et bene. Scripta enim sua non communicare aliis, sicut potest Principium.

---

[1] Ed. 3 in nota adiecta: Veluti aliqua ratione educitur ex Matthaeo c. 10, 1. seqq. et aliis Evangelistarum locis, in quibus Apostolorum nomina recensentur. — Subinde allegatur Rom. 12, 10.

[2] Gal. 6, 14.

[3] Phil. 2, 3. — Sequitur Rom. 14, 13. — Superius pro *quisque* edd. 1, 2 *quisquis.*

[4] Col. 3, 13: Supportantes invicem et donantes vobismetipsis, si quis etc. — Subinde allegatur Matth. 18, 10: Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis etc.

[5] Vers. 21. — Sequitur Gal. 5, 13.

[6] Du Cange, Glossarium etc.: *Incurialis,* rusticus, inhumanus. — Inferius pro *exterioris* sola Vat. *exterioribus.*

[7] Cap. 6.

[8] Vers. 13. seq.

[9] Du Cange, Glossarium etc.: *Quaternio, Quaternus, Quaternunculus,* chartae invicem compactae, nostris *cahier... Quaternus,* Ioanni de Ianua: « ubi quatuor quartae [chartae] seu octo folia ».

fieri reprehensibiliter, ita potest etiam fieri *inculpabiliter et licite* et *prudenter. Prudenter,* quando scriptum nondum est bene correctum vel ordinatum, ita quod alius inde se nesciret expedire, et forte magis esset materia scandali vel erroris aliis, rescribenti vel legenti. Item, quando[1] non competit illi qui desiderat, magisque foret ei nocivum quam utile tale scriptum. Item, si ille continuo et frequenter indiget suo scripto, ut, si alteri concederet, ipse foret neglectus, cum nemo teneatur, se neglecto, alios in minus necessariis promovere. — *Inculpabiliter,* quando saepius, etsi non statim, indiget suo scripto et eo diu carere non potest. Item, sunt in petendo multi valde importuni, sed in reddendo tardi, quod saepius pulsati, vix tandem cum murmure concessa reddunt et pro beneficio ingratitudinis[2] verba impendunt. Item, saepe per scriptores polluuntur quaterni et libri et lacerantur vel aliter male tractantur sic concessi. Item, unus concedit ulterius alii, irrequisito eo qui ei scriptum concessit, et ille forsitan iterum alii, donec tandem ille nescit, a quo reposcere debeat, et sic elongatur ab eo, quod nullus directe ei inde respondet. Item, etiam saepe perditur quod ita conceditur, quia forte negligenter relictum alius, quasi nulli attineat, sibi illud similiter reservat. Aliquando etiam ille vel iste de loco mutatur, et tam longe unus ab altero disiungitur, quod non potest concessum per nuntios repetere, vel timet in via destrui, vel amitti per nuntium aut praedonem[3], aut aquam. Illi autem, quibus talia restituenda committuntur, quandoque volunt sibi rescribere, priusquam illi restituant, vel commodant aliis, vel alicubi relinquunt, donec oblivioni tradunt, et postea negant, sibi fuisse commissa; et sic plurima perduntur aliis commodata. Aliquando scriptum aliquod[4] est ligatum in volumine cum aliis operibus, et si illud Frater alicui concederet, oporteret, eum totum librum dissolvere, cum gravi damno expensarum et laborum in ligando factorum. Saepe etiam cum uni rescribendum conceditur, alii, nisi et sibi concedatur, indignantur, et per hoc aut diu cogitur ille scripto suo carere, aut per plures manus transiens sordidatur et perditur.

Hoc fieri potest prudenter triplici ratione.

Inculpabiliter multiplici ratione.

Cum ergo tot causae sint irreprehensibiles, propter quas contingit saepe, ut aliquis non communicet aliis scripturam suam; non oportet, ut iudicentur non habere caritatem ad proximum, vel ex invidia aut vana gloria vel rancore vel alia non bona intentione petentibus hoc negare, licet aliqui ab his non sint immunes. Ille tamen non est excusabilis in hac parte, qui, etsi non ex malitia, tamen ex quadam diffidentia non communicat aliis scripta sua, timens, ne, si per alium prius ea praedicarentur, ipse postea non habeat, cum necesse fuerit, aliqua alia, quae proponat, quasi fons caritatis et sapientiae Dei desiccatus sit, ut non alia pro his ei liberaliter restituat et refundat, si pro caritate, quae ab ipso acceperat, studeat aliis impartiri. Cum etiam libri et quaterni Fratrum sint tantum ad usum a superioribus suis concessi et ad custodiam commissi[5], qui cavet, commissum destrui vel amitti, quod non est eius proprium, propter hoc non debet malevolus iudicari.

Conclusio.

Cantela.

Quaestio XXII.

Quare Fratres populo non praedicent iura plebanorum.

Cum, sicut ipsi asseritis, missi sitis in adiutorium plebanorum, non in praeiudicium iuris ipsorum, quare non praedicatis populo ius plebanorum, scilicet quantum et qualiter debeant[6] eis subesse et obedire, et quantam habeant super eos potestatem? Videmini enim hoc tacite praeterire ideo, ut vobis magis adhaereant; et ea quae illis donarent, in usum vestrum callide retrahitis, et sic eos iure suo fraudatis.

Respondeo. Qui bene advertit saepe intelligit, quod etiam in praedicatione et consiliis hortamur subditos praelatis suis in omnibus, quibus de iure tenentur, fideliter obedire et iura sua illis persolvere et sententias eorum iuste latas reverenter observare et eos quasi Dei vicarios honorare, et quod in hoc meritum salutis eorum ex magna parte consistit. Sed quia non valde magnificamus eos in populo, videtur eis, quod parum pro ipsis faciamus.

Negatu[s] ... ctur

Quare autem hoc dimittimus, plures sunt causae: una, ne videamur hoc adulatorie potius facere, ut sic captemus eorum benevolentiam quam pro veritatis doctrina, cum praedicatio debeat esse aliena ab adulatione praesentium vel detractione absentium; primae ad Thessalonicenses secundo[7]: *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione avaritiae.* — Altera, cum ipsi per se saepe plus amplificent iura sua super subditos suos, quam oporteat, praecipiendo quod non debent, prohibendo quae non possunt, concedendo quae non licet, exigendo indebita, fulminando sententias duras et laqueos multiplicando animabus, quas solvere et expedire deberent; si nos adderemus terrendo populum et magnificando potestatem clericorum

Quare i[...] Fratres [...] ci sint, prima.

Secund[a]

---

[1] Ita ed. 1; aliae *quod.*

[2] Edd. 1, 2 *gratitudinis.*

[3] Ita edd. 1, 2; Vat. et ed. 3 *pedonem.*

[4] Vat. et ed. 3 omittunt *scriptum aliquod.* Inferius pro *factorum* edd. 1, 2 *factarum.*

[5] Cfr. supra Opusc. XII. Epist. de tribus quaest. etc. n. 7.

[6] Ex edd. 1, 2 supplevimus *debeant,* scil. subditi. Inferius pro *illis donarent* sola Vat. *illi donarent.*

[7] Vers. 5.

super ipsos, provocaremus amplius quorundam clericorum audaciam et aut faceremus simplices subditos pusillanimes, aut tumidos provocaremus ad proterviam maiorem, ut magis econtra[1] se erigerent contra clerum. — Tertia, cum plures clericorum tam aperte vivant iniuste, quod laici sumunt inde grave scandalum; si super hoc vellemus eos magnificare in populo, scandalum suscitaremus contra nos ipsos, quod tam vituperabiles laudaremus; Proverbiorum vigesimo octavo[2]: *Qui derelinquunt legem laudant impium, qui conservant succenduntur contra eum.* Et quia, cum plures in clero, ut nunc, vel male et contra formam canonum teneant regimen populi in Ecclesia, vel propter excessus suos suspensi sint ab exsecutione officii pastoralis; si omnes communiter magnificaremus, etiam illi qui non haberent ius, cogerent subditos in his quae non debent, sibi obedire quasi legitimis pastoribus. Si autem specificaremus, quibus essent digni ad obediendum, alii graviter ferrent, quod eos notabiles et contemptibiles redderemus; ideo quasi dissimulando transimus.

Tertia.

Quamvis autem nonnulli de clero plus oderint Religiosos quam Iudaeos, Christi adversarios[3]; tamen, si saperent, potius diligerent nos pluribus de causis, tam pro *temporali* utilitate quam etiam pro *spirituali* utilitate sua: una, quod per nostram doctrinam subditi eorum plenius solvunt eis iura sua et obediunt eis et reverentur eos amplius, licet ipsi clerici hoc non credant; ad Hebraeos decimo tertio[4]: *Obedite praelatis vestris.* — Altera, quod beneficia ecclesiastica, quae nos teneremus, si essemus cum eis in saeculo, venientes ad Religionem ipsis relinquimus obtinenda, quae, quantum diligunt se habere, tantum deberent diligere illos qui eis ea relinquunt, nisi potius vellent, nos mori, ut ea sic gaudentius possiderent. — Tertia, quod sumus testes eorum in doctrina fidei, ut melius credatur eis quod docent, obediendum sibi esse tanquam Christi vicariis, et non sicut[5] haeretici, qui dicunt, quod clerici pro suo quaestu seducant populum, ut sibi obediant et dent ipsis oblationes et decimas, ut inde sustententur et ditentur et delicientur et sine labore abundent, qui haec aliunde tam commode non haberent, et ideo confinxerint festa et officia divina, animarum remedia, peccatorum poenitentias, iudiciorum ecclesiasticorum sententias, Sacramentorum administrationes et alias solemnitates et institutiones sanctae Ecclesiae et praelationum dignitates, ut horum omnium occasione exhauriant marsupia laicorum. Sed

Nota. ...ones di... ...ndi Fra... Prima. ...ecunda. Tertia.

fideles, cum vident, Religiosos relinquere mundum et divitias mundi et ecclesiastica beneficia resignare et paupertatem voluntariam profiteri, et tamen haec eadem docere et credere, quae docent clerici, aufertur eis illa haereticorum suspicio, qua pro sola avaritia possent opinari praedicta omnia a clericis adinventa, cum vident, illos esse testes eorum doctrinae, qui haec temporalia pro doctrina fidei reliquerunt. — Quarta, quod habeant in nobis aliquem stimulum correctionis, ut minus audeant peccare et studiosius officium sibi commissum exerceant et instruantur in aliquibus, quae ignorant, et ad poenitentiam provocentur et in bono amplius roborentur. Quis alius argueret eorum vitia, cum in simili morbo laborans alium non praesumat curare? iuxta illud[6]: *Medice, cura te ipsum;* item: *Si caecus caeco ducatum praestet* etc. — Quinta, quod sumus eorum coadiutores in sublevando onere sibi imposito, ut sit eis hic portabilius, et *iudicium durissimum, quod fiet in his qui praesunt*[7], aliquo modo tolerabilius sentiant in futuro, supplendo eorum vices, praedicando, consulendo, confessiones audiendo, ubi aliqui eorum minus sufficiunt pro multitudine populi, vel pro perplexitate casuum minus ab aliquo imperito instrui possunt, vel parochiani minus faciunt, quam deberent, ut quando eorum subditi timent eis confiteri ex causa aliqua speciali. — Sexta, si quis inter eos timore periculi, in quo sunt, quaerit confugere ad statum tutiorem salutis, vel desiderio vitae melioris vult ea quae in mundo sunt, relinquere et statum perfectionis evangelicae comprehendere, apud viros religiosos potest quod desiderat invenire, qui sint Ordinis sui fideles observatores; sicut Lot, fugiens ab excidio Sodomorum, confugit ad parvulam Segor[8], id est humilem Religionem, salvandus. — Septima, quod, si immineret aliquando Ecclesiae necessitas, vel pugna contra haereticos vel alios oppressores fidelium, viri religiosi deberent se promptius exponere et quasi primi in acie se opponere inimicis, sicut filii Ruben et Gad et Manasse fuerunt fratrum suorum propugnatores ad obtinendam terram cum pace[9]. — Octava, quod sunt apud Deum intercessores per orationis studium et vitae meritum, et Dominum sibi et aliis placabilem facientes pro venia peccatorum, pro gratia meritorum, pro amotione quorumcumque malorum, pro gloria caelestium praemiorum facilius obtinenda; quae nobis praestare dignetur Iesus Christus. Amen. — Et haec ad praesens sufficiant pro excusatione nostra contra calumnias

Quarta. Quinta. Sexta. Septima. Octava. Notandum.

---

[1] Ed. 3 omittit *econtra*.

[2] Vers. 4. — Superius pro *sumunt* Vat. cum edd. 1, 2 *sumant*, et inferius *Quia* pro *et quia*.

[3] Cfr. supra quaest. 10.

[4] Vers. 17: Obedite praepositis vestris. Vat. et ed. 3: *dicimus enim illis dictum Apostoli: Obedite* etc. — Superius pro *una, quod* (ita cod. et ed. 1) Vat. cum ed. 3 *una, quoniam*.

[5] Ita ed 3; aliae edd. pro *et non sicut* substituunt *sicut* (Vat. in margine: *Videtur aliquid deesse*).

[6] Luc. 4, 23, post quem Matth. 15, 14. — Superius pro *alium* (ita ed. 3 cum cod.) Vat. cum edd. 1, 2 *alius*.

[7] Sap. 6, 6. Pro *fiet in his* ed. 3 *fit his* (Vulgata etiam *his*). Cfr. supra p. I. q. 2.

[8] Gen. 19, 20. seqq. Cfr. supra pag. 346, nota 10.

[9] Iosue 1, 12. seqq.

exprobrantium vel quaestiones ignorantium, qua forma vel intentione aliqua, quae videntur aliquando minus intelligentibus quoquo modo reprehensibilia, faciamus. Qui autem voluerint possunt plura superaddere [1] et ista quae hic posita sunt, melius explanare, quae sicut impraemeditate, ita et inordinate conscripsi, sicut tunc meae memoriae occurrerunt, modo hoc, modo illud, sicut advertere potest legens [2].

EXPLICIUNT DETERMINATIONES QUAESTIONUM CIRCA REGULAM.

---

[1] Cfr. supra pag. 356, nota 1.

[2] Edd. 1, 2 addunt *Explicit liber apologeticus, id est excusatorius.* Vide supra pag. 337, notam 1. et pag. 356, notam 1.



OPUSCULUM XIV.

QUARE FRATRES MINORES PRAEDICENT

ET CONFESSIONES AUDIANT[1]

1. Quia plerique dubitant et quaerunt [2], cum non habeamus curam animarum ordinarie nobis commissam, qua ratione, vel qua auctoritate, vel qua forma praedicemus vel confessiones audiamus in populo; quod ut plenius et planius intelligatur, rationis huius radicem altius inspiciamus, ab ipsa primaria Ecclesiae institutione originem breviter colligentes.

(...o scribendi.)

2. Dominus Iesus Christus, omnium creator et gubernator, sanctam Ecclesiam suam, ascensurus in caelum, Apostolis regendam et dilatandam commendavit, principaliter tamen beato Petro Apostolo, cui de universo grege fidelium specialiter dixit tertio: *Pasce oves meas*, Ioannis vigesimo primo [3]. Sed ut gubernaretur ordinatius universalis Ecclesia, distinxerunt eam sancti Apostoli per patriarchatus, primatus, archiepiscopatus, episcopatus, parochias et alias canonicas distinctiones [4], ut, quia per unum vel per paucos non poterat singulis fidelium in omnibus saluti necessariis congrue satisfieri, plures ad huius sollicitudinis partes per determinatos sibi limites pro utilitate animarum vocarentur; et secundum curae pastoralis amplitudinem etiam quilibet istorum accepit certam auctoritatis potestatem, residente plenitudine potestatis ecclesiasticae apud Sedem apostolicam Romanae Ecclesiae, cui Apostolus Petrus, princeps Apostolorum, specialiter praesedit et successoribus suis ibidem eandem potestatem reliquit.

(...stitutio ...lesiae.)

3. Triplex [5] est autem huius potestatis plenitudo, scilicet quod ipse Summus Pontifex *solus* habet totam plenitudinem auctoritatis, quam Christus Ecclesiae contulit — et quod *ubique* in omnibus ecclesiis habet illam sicut in sua speciali sede Romana — et quod *ab ipso manat* in omnes inferiores per universam Ecclesiam omnis auctoritas, prout singulis competit eam participari, sicut in caelo ab ipso fonte totius boni, Christo Iesu, fluit omnis gloria Sanctorum, licet eam differenter singuli participent pro captu suo.

(...primato ex ple... lo pote...s.)

4. Praedicta vero distinctio ecclesiarum et parochiarum triplici de causa est instituta, scilicet propter *rectorum sollicitudinem.* Quod enim unicuique specialius committitur diligentius exsequitur, nec exspectat, quod alter provideat his qui suae sollicitudini [6] sunt commissi. — Item, propter *subditorum utilitatem,* quia facilius reguntur, et singulis expeditius potest satisfieri, ut dictum est [7], per plures ministros quam per paucos; sicut Moyses, solus non valens onera multitudinis populi sustinere, partitus est onus tribunis et centurionibus, quinquagenariis ac decanis, ut maiores maiora, minores minora proportionaliter expedirent, retenta tamen sibi plenitudine potestatis in typo futurae dispositionis Ecclesiae militantis. — Item, propter [8] *deprehendendas fraudes haereticorum et latebras peccantium,* ut quisque pastor, super gregem suum vigilans, possit luporum deprehendere insidias et errantium ovium absentiam cognoscere et ad gregis unitatem eas quaerendo revocare.

(Rationes 3 pro distinctione ecclesiarum. Prima. — Secunda. — Tertia.)

---

[1] Cod. B et ed. 1: *Incipit tractatus sancti Bonaventurae determinantis, quare Fratres* etc.

[2] Cfr. supra Opusc. XIII. Determinationes quaest. etc. p. I. q. 2. — Superius pro *Quia plerique* A *Quoniam plerique,* qui etiam inferius *aut qua auctoritate* pro *vel qua auctoritate.* Subinde pro *quod ut plenius* ed. 2 *id ut plenius.*

[3] Vers. 17. — Superius ex A supplevimus *tamen.*

[4] Cfr. Gratian., Dist. 21. et 22, ubi etiam de primatu Romanae Ecclesiae. — Superius A omittit *universalis* et substituit *parochianatus* pro *parochias.* Subinde pro *ut, quia* A *ut, quod.*

[5] Cod. A *Duplex,* qui etiam consequenter inferius pro *et quod ab ipso manat* substituit *Et ab illo manat.*

[6] Edd., refragante A, addunt *specialiter.*

[7] Num. 2. — Subinde respicitur Exod. 18, 25. seq. (ubi ex A supplevimus *onus*). Cfr. supra Opusc. VIII. de Sex alis Seraphim, c. 6. n. 19.

[8] Cod. A *Item, ad.* Inferius pro *cognoscere* ed. 2 *agnoscere.*

Ministerium versatur circa septem.

5. Ministerium autem officii pastoralis circa ista septem praecipue versatur, maxime plebanorum, scilicet docere [1] populum, quid credere, quid facere, quid cavere, quid sperare et quid timere debeant; item, peccantes corrigere et iudicare, in confessione solvere et ligare pro qualitate meritorum; ecclesiam officiare, divina celebrare et indicere statuta Ecclesiae de feriis et de aliis; intercedere pro populo apud Deum orando et gratiam eis impetrando, quasi mediator inter Deum et populum [2]; Sacramenta ecclesiastica et sepulturam eis impendere et alia sacramentalia; indigentibus in parochia pro *posse* in corporeis necessitatibus de rebus ecclesiae subvenire; exemplum bene vivendi in omnibus se ipsum praebere secundum honestatem vitae clericalis [3].

Item, obedientia populi.

6. Obedientia vero populi ad plebanos in his [4] maxime consistit, ut doctrinam eorum et praedicationem statuto tempore et loco auscultent; ut de peccatis suis eorum correctioni subiaceant iuxta canonum instituta; ut semel in anno ad minus omnia peccata sua, quae tunc habent, eis confiteantur; ut in praecipuis festis secundum iura ad parochias conveniant, Missam audituri; ut Sacramenta ecclesiastica ab eis recipiant et sepulturam et huiusmodi; ut indicta feriarum, ieiuniorum et alia denuntianda ab eis servent; ut decimas, oblationes et alia debita eis persolvant secundum canonum instituta [5]. Nova vero statuta populo superaddere plebani non debent, ne fiat obedientia onerosa. Haec debent subditi plebanis suis, tamen cum exceptionibus iuris privilegiorum et consuetudinis approbatae et licentia superiorum.

Pro confessione paschali rationes sex. Prima.

7. Quod vero semel in anno quilibet confiteatur proprio sacerdoti omnia peccata sua [6], his sex de causis statutum est: primo, ut pastor cognoscat, in quo statu quilibet commissorum sibi sit, ut secundum hoc sciat ei medicinam competentem exhibere instructionis, correctionis, consolationis [7]. — Secundo, (Secunda.) ut noscat, quibus possit Christi corpus indulgere, vel quos a Sacramentis arcere. — Tertio, (Tertia.) ne per longam incuriam multorum conscientiae in peccato desperabiliter sordescant, expedit, ut aliquando se expurgent. Ipse enim pudor confitendi plerosque [8] a peccato deterret, et confitendo saepe discunt, hoc esse peccatum, quod se putabant innoxie perpetrare. — Quarto, (Quarta.) ut discernantur obedientes ab inobedientibus vel haereticis per observantiam talis statuti. — Quinto, (Quinta.) ut purgent se ad corpus dominicum digne percipiendum fideles per confessionis medelam. — Sexto, (Sexta.) pro merito gloriae, ut ex humilitate confessionis mereantur in caelo [9] exaltari et a peccatis citius expurgari.

Quis sit proprius sacerdos.

8. *Proprius sacerdos* dicitur, cui quisque specialiter gubernandus est commissus ab Ecclesia vice Dei [10]. Praetermissis igitur diversis distinctionibus, quatuor sunt cuiusque plebis parochialis *proprii sacerdotes.* Primus (Primus) et praecipuus est Summus Pontifex, cui tota ecclesiastici gregis cura singularissime commissa est, ita quod omnes inferiores Ecclesiae rectores curam et totam potestatem, quam habent super subditos, ab ipso accipiunt, mediate vel immediate. — Secundus (Secundus) est dioecesanus episcopus, qui est ordinarius pastor omnium ecclesiarum sub ipso constitutarum, et sui inferiores praelati curam animarum et auctoritatem regendi habent ab ipso [11]. — Tertius (Tertius) est specialis pastor cuiusque ecclesiae ibi canonice institutus. — Quartus (Quartus) est cui quisque praedictorum pro tempore vicem suam super commissos sibi ad ligandum et solvendum ex causa rationabili committit, cui tamen committere potest [12]. Superiores autem liberius et largius possunt vices suas committere quam inferiores. Unde cum plebanus possit aliquibus committere, ut vice sui plebi suae praedicent et eorum confessiones audiant et absolvant et poenitentias iniungant, ita quod sic absolutos non oporteat illo anno plebanis suis iterum confiteri, nisi velint [13];

---

[1] Edd., refragante A, addunt *praedicando.* Inferius A substituit *peccatores* pro *peccantes* et vocibus *in confessione* praefigit *item.*

[2] Cfr. Hebr. 5, 1. — Pro *populum* (ita A) edd. *eos.* Superius pro *apud Deum orando* A *ad Deum et gratias agendo.* Inferius pro *corporeis* (ita A) edd. *corporis.*

[3] Tit. 2, 7: In omnibus te ipsum praebe exemplum bonorum operum etc. I. Tim. 4, 12: Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione etc. Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 12. n. 3.

[4] Edd. contra A addunt *e converso.* Inferius A omittit *tunc* et pro *conveniant, Missam audituri* substituit *veniant, Missas audituri.*

[5] Cfr. c. *Revertimini* (65.) seqq. Causa 16. q. 1. et III. Decret. Gregor. IX. tit. 30. de Decimis, primitiis et oblationibus per totum. — Cod. A prosequitur: Nova vero in statuta plebani concedere non debent, ne fiat obedientia onerosa. Haec autem [ed. 1 *Haec vero*] plebanis suis subditi tenentur, salvis tamen exceptionibus iuris etc.

[6] Cap. *Omnis utriusque sexus fidelis,* postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti etc. (12.) X. de Poenitentiis et remissionibus (V. Decret. Gregor. IX. tit. 38.). Cfr. Bonav., IV. Sent. d. 17. p. III. a. 1. q. 2.

[7] Prov. 27, 23: Diligenter agnosce vultum pecoris tui tuosque greges considera. Cfr. c. *Omnis utriusque* in praecedente nota allegatum. — Superius pro *cognoscat* et *quilibet* A *agnoscat* et *quisque,* qui etiam inferius pro *noscat* et *Sacramentis* substituit *noverit* et *Sacramento.*

[8] Cod. A *plures.* Inferius pro *ab inobedientibus* (ita A) edd. *a negligentibus,* et pro *observantiam* A *observationem.*

[9] Cod. A *in caelum primo.*

[10] Cfr. Bonav., IV. Sent. d. 17. p. III. q. 2. in corp. — Superius cod. A *quilibet* pro *quisque* et inferius *cuiuslibet* pro *cuiusque.*

[11] Cod. A *curam animarum et potestatem ab ipso suscipiunt,* et inferius *cuiusque parochiae* pro *cuiusque ecclesiae.*

[12] Pro huius confirmatione ab ed. 2 in nota adiecta praeter alia affertur ex statutis ecclesiae Claromontensis an. 1268: Proprium autem sacerdotem dicimus duobus modis: *ex officio,* utpote Papam, episcopum, curatos; vel *ex commissione,* sicut Fratres Praedicatores et Minores, et quibus episcopus commisit vices suas.

[13] Licet haec disciplina in Ecclesia tempore S. Bonav. viguerit, concilium tamen Tridentinum (sess. 5. de Reformatione, c. 2. et sess. 23. de Reformatione, c. 15.) aliam servandam constituit. — Cod. A *illo anno plebano suo confiteri, nisi velint.* Inferius edd. contra A omittunt *a Domino.*

multo magis potest hoc episcopus et maxime Summus Pontifex, qui, sicut ubique habet potestatis plenitudinem, ita et sibi a Domino commissam gerit omnium ecclesiarum sollicitudinem, ita ut ea quae singulis necessaria probantur, illius providentia suppleantur. Alioquin vacua esset apud ipsum tanta potestas, quam exsecutionis efficacia non comitaretur. Committit autem aliis quandoque vices suas, cum [1] pro locorum distantia, vel causarum qualitate, vel pro aliorum magis urgentium negotiorum occupatione, vel pro multitudinis delinquentium frequentia et necessitatis festinatione, vel pro corporis imbecillitate, vel certe pro liberiori spiritus vacatione expedit, eum et alios secum ad oneris pastoralis sustinentiam invitare. — Nam cum Dominus solus omnia sine qualibet difficultate possit in omnibus operari, quae voluerit, sicut ex nihilo cuncta creavit; tamen dignatur in quibusdam operibus suis habere coadiutores [2] et vicarios, sicut in cura animarum et in operibus artificialis industriae. In hoc dat exemplum Ecclesiae rectoribus, onus sollicitudinis suae et aliis impartiendi, ne per ipsorum absentiam et insufficientiam salus fidelium negligatur.

9. Praedictis ergo de causis *in* his *novissimis temporibus* — de quibus praedixit Apostolus [3], quod *instabunt tempora periculosa* ex multiplicatione peccatorum et numerositate rudium populorum et seductione haereticorum et raritate bonorum et difficultate regendi et insufficientia praelatorum et perplexitate casuum emergentium et aliorum periculorum Ecclesiae imminentium ex variis eventibus — providit Sedes apostolica ad obviandum praefatis periculis aliquod remedium subventionis animabus pereuntibus, quod divina ordinatione quosdam Religiosorum Ordines instituit [4], qui officio praedicationis et confessionis sibi commisso subveniant indigentiae populorum et insufficientiae clericorum et obsistant versutiis haereticorum, et hoc in solatium et sublevamen oneris, *non in praeiudicium* plebanorum. Non enim *praeiudicat eis,* si dominus Papa vel episcopi eorum de officio suo solliciti, quod personaliter implere non valent, aliis loco suo implendum committunt; sicut nec hoc praeiudicaret eis, si vellent personaliter in parochiis eorum praedicare vel confessiones audire, ita quod et ipsi confessi non tenerentur tunc iterato [5] plebanis suis confiteri, cum ipsi plebani sint vicarii episcoporum in suis parochiis, sicut episcopi Summi Pontificis in officiis sibi commissis, quia non in diminutionem suae potestatis, sed in adiutorium sustentandi oneris sunt inferiores pastores superioribus subrogati.

Ratio 2.

10. Secundo, *non fit eis praeiudicium,* si pondus laboris, quod ipsi portare tenentur in cura animarum, allevietur eis per aliorum auxilium, ut animae salventur, pro quibus ipsi Deo rationem reddere debent in iudicio, si ex eorum negligentia vel ignorantia perirent, ita ut pro illarum perditione ipsi damnarentur; Ezechielis trigesimo quarto [6]: *Ecce, ego super pastores requiram gregem meum de manu eorum* etc.

Ratio 3.

11. Tertio, *non fit eis praeiudicium,* quia non minuitur iurisdictionis eorum potestas ex tali cooperatione aliorum, sed tantum pondus sollicitudinis et laboris. Temperatissime quippe sic disposuit divina sapientia, et instituit Sedes apostolica [7], ut per Ordines praenotatos in praedicatione et confessione defectus cleri suppleantur, et animae salventur, et neque in temporalibus neque in spiritualibus ius clericorum aliquatenus violetur, ne, per subtractionem illorum quae eis iure debentur, commoti, salutis profectum per Fratres promovendum in Ecclesia impedirent; cum vix etiam nunc sustineant quidam, eos pro animarum salute inter homines conversari. Nam nec decimas eorum nec primitias seu oblationes nec alia debita eis praeripimus nec populum ab obedientia eorum abstrahimus nec in debitis ministeriis suis eos ullatenus impedimus. — Quod autem quandoque Religiosi ad salvandos fideles in Ecclesia essent vocandi, ostenditur in Evangelio Lucae [8], cum Dominus dixit Petro: *Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam. Concluserunt* autem *piscium multitudinem copiosam. Rumpebatur autem rete eorum, et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent et adiuvarent eos, et impleverunt ambas naviculas. Mare* est saeculum, *navicula Petri* est Ecclesia fidelium populorum, *rete* est evangelica doctrina. Per *iussum Domini* tot piscium multitudo concluditur,

Notandum.

Confirmatur Scriptura.

[1] Ita ed. 2; aliae *tum.* Inferius pro *delinquentium* (ita A) edd. *requirentium,* et pro *expedit, eum* A *expedit tamen.*

[2] Epist. I. Cor. 3, 9: Dei enim sumus adiutores. — Superius pro *Nam cum* (ita B et ed. 2) Vat. et ed. 1 *Nam etsi.* Inferius A omittit *et insufficientiam.*

[3] Epist. II. Tim. 3, 1, ubi pro *temporibus* Vulgata *diebus* (cfr. ibid. I. c. 4, 1.). Vide supra pag. 338, notam 12.

[4] In ed. 2 notatur: Praedicatorum et Minorum. — Superius pro *aliquod* (ita A) edd. *quibuscumque.* Cod. A hic legit: *instituit Ecclesia, qui ex officio... subveniant populo et insufficientiae* etc.

[5] Cod. A omittit *tunc iterato* et inferius pro *quia non* substituit *quod non.*

[6] Vers. 10: Ecce, ego ipse super pastores requiram etc. — Pro *damnarentur* (Ita A B et ed. 2) Vat. cum ed. 1 *damnentur.*

[7] Cfr. Gregor. IX. Breve an. 1230 die 1 Febr. *Si Ordinis* (Sbaralea, Bullar. Franciscan. tom. I. n. 46. pag. 58), in quo ecclesiarum praelatos hortatur ad permissionem Fratribus dandam praedicandi verbum Dei in ipsorum parochiis et adiungit: Volumus tamen, quod non percipiant decimas, primitias et oblationes; cfr. infra pag. 380, nota 1. — Inferius A omittit *commoti* et *in Ecclesia.*

[8] Cap. 5, 4. et 6. seq.: Concluserunt piscium etc. Cfr. supra pag. 339, nota 4. — Superius A omittit *quandoque* et pro *essent vocandi* substituit *sunt vocati cum clero.*

quod *rete rumpitur,* quia tot ad fidem veniunt, quod eam etiam haeresibus scindunt [1]. Sed cum Petrus cum suis *trahere non valeret* [2], *annuerunt sociis in alia navi, ut venirent et adiuvarent eos;* quia praelati Ecclesiae cum clero, non sufficientes per se tantam plebium multitudinem trahere ad littus vitae perpetuae, *annuerunt,* admittendo sociis religiosis, scilicet Iacobo et Ioanni, *activis* et *contemplativis* [3], *ut venirent,* compatiendo animarum periculis, *et adiuvarent eos,* tam illos qui *trahunt,* quam illos qui *trahuntur,* et illorum insufficientiam et istorum indigentiam relevando. *Ambas* autem *naviculas implent,* cum prae multitudine populi nec clerici nec Religiosi plene sufficiant omnibus satisfacere.

Quare et praedicatio et confessio committantur Fratribus.

12. Cum autem praedicatio et confessio inter alia populo Dei exhibenda ampliori indigeant scientia Scripturarum, et maius periculum sit ista ei non ministrare, prout expedit, cum per *praedicationem* informentur, quid credere debeant et qualiter vivere, per *confessionem* vero lapsi extrahantur de luto peccati; ista duo Fratribus commissa sunt, ut in his subveniant fidelibus et suppleant defectum clericorum; in reliquis autem minus est periculum, qualiter fiant, aut facilior exsecutio, per quemcumque fiant. — Ex *praedicatione* ergo non fit eis praeiudicium, quia non praedicamus illa hora, qua in eorum ecclesiis ipsi solent in festis solemnibus divina solemniter celebrare seu praedicare nisi ipsorum permissu [4]; alia hora, si populus nos audire desiderat, nihil deperit eis exinde, sed accrescit, et hoc in *tribus,* videlicet, quia populus eis commissus proficit in scientia veritatis et bonis moribus. Item, cum ipsi eadem docent, quae et nos, testimonio nostro confirmamus, doctrinam eorum esse veram, *ut in ore duorum, vel trium stet omne verbum* [5]. Item, quia docemus populum pastoribus suis obedire et eos revereri et non recalcitrare et reddere eis sua. Super his potius debent [6], si sapiunt, gaudere et gratias agere quam dolere. Aliter enim cito vilescerent apud populum propter malam vitam multorum ex ipsis. — Ex *confessione* [7] similiter non praeiudicamus eis, quia nullum cogimus nobis confiteri de subditis suis, sed confessos remittimus ad plebanos suos, ut illis iterum se ostendant tempore suo secundum Ecclesiae mandatum, si ante non sunt eis eo anno confessi. Nam, si aegrotus vult et aliis medicis pro uberiori consilio sanitatis patefacere infirmitatem suam praeter suum medicum specialem, non fit praeiudicium in hoc illi medico, nisi forte infletur invidia vel cupiditate vel pudore turbetur.

Prima non facit istis praeiudicium.

Sed iuvat tripliciter.

Nec secunda.

Ratio, cur prius h[...] provisio sit facta.

13. Quod autem prioribus temporibus in Ecclesia non erant vocati [8] vel missi a Sede apostolica Religiosi aliqui ad praedicta officia praedicationis et confessionis, ut nunc sunt missi, ista fuit ratio. Cum morbus adhuc parvus est, paucioribus indiget remediis et levioribus, sed cum coepit invalescere et latius se diffundere, ne desperabiliter aeger periclitetur, necesse est plura et efficaciora remedia adhibere; ita etiam, cum status mundi modo valde deterior quam olim esse videatur, expedit, plures nunc esse sublevantes, iuxta illud Lucae decimo [9]: *Messis quidem multa, operarii autem pauci,* idonei et fideles. *Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam;* item ad Romanos quinto: *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Videmus, nunc messes plebium multiplicari, et silvis succisis, villas aedificari. Videmus, et adinventiones peccatorum succrescere et perplexiores casus quotidie emergere; item, ex consuetudine malos incorrigibiliores magis fieri et duriores in peccato; item, quod clerici plures malo exemplo infirmant laicos tam in moribus quam in fide; item, quod pauci sunt inter eos periti, qui sciant, vel quibus confidatur, quod doceant [10], ut deberent; item, quod negligenter praesunt animabus commissis, quia terrenis negotiis nimis instant; item, quod multi eorum sunt suspensi, excommunicati et in officio suo diversimode impediti; item, quod rari sunt *pastores* in ecclesiis, sed per leves *vicarios* animarum cura venalis exponitur; item, quod episcopi [11] temporalibus curis dediti, ista dissimulant, ita quod spes correctionis vix habetur; item, quod si qui aliquando vellent ista corrigere et inutiles removere, non habent quos loco illorum substituant meliores. Cum igitur iam sit Ecclesia quasi navis tempestate concussa, in qua remigantibus,

Nota.

Ratione

---

[1] Beda, II. in Luc. 5, 6: Prae multitudine piscium *rete rumpebatur,* quia nunc ad confessionem fidei etiam cum electis reprobi tanti intrant, qui ipsam quoque Ecclesiam haeresibus scindant. Rumpitur autem rete, sed non labitur piscis, quia suos Dominus etiam inter persequentium scandala servat. Cfr. Ambros., IV. in Luc. 5, 6. seq. n. 77. — Cod. A legit: *Per hanc iussionem Domini tot pisces concluduntur, quod* etc., omisso subinde *haeresibus.* Pro *rumpitur* ed. 1 *rumpatur.*

[2] Cfr. Ioan. 21, 6, ubi de altera piscium captura: Etiam non valebant illud trahere prae multitudine piscium. Vide supra pag. 339, notam 3.

[3] Cfr. Bonav., Comment. in Luc. 9, 28. n. 46. Ibid. in c. 6, 14. n. 36, Iacubus vi nominis sui (cfr. Gen. 32, 24: Et ecce, vir luctabatur cum eo etc.) insinuat virtutem *fortitudinis,* quae adversa aggreditur et contra vitia reluctatur, Ioannes vero *in quo est gratia.* — Inferius pro *Ambas* A *Alias.*

[4] Simili modo postea de ipsorum Fratrum consilio Clemens V. c. *Dudum* (2.), III. Clementin. tit. 7, sancivit. — Superius pro *fit eis* A *fit plebanis,* et subinde voces *in eorum ecclesiis* transposuimus post *qua* (aliae edd. *in eorum ecclesiis qua).*

[5] Matth. 18, 16; cfr. Deut. 19, 15.

[6] Cod. A *deberent,* omisso subinde *si sapiunt.* Inferius pro *Aliter enim* A *Aliter vero,* qui etiam voci *multorum* praefigit *clericorum.*

[7] Cod. A *In confessione* et inferius *utiliori* pro *uberiori.*

[8] Cod. A *advocati.* Subinde pro *aliqui* ed. 2 *aliique,* et inferius A omittit *sunt missi.*

[9] Vers. 2, ubi pro *in messem* (ita A cum Vulgata) edd. *in vineam.* — Sequitur Rom. 5, 20, quem versum A omittit.

[10] Edd. 1, 2 cum B *ut doceant.* Inferius pro *in ecclesiis* A *in parochiis.*

[11] Ita A; edd. *ipsi.*

pavore trementibus procellae tumentes pene operiunt navem [1], missi sunt Fratres a summo gubernatore, fulciti auctoritate Sedis apostolicae, ut, in naviculis suis discurrentes per mundum, quos ex naufragio peccati periclitantes invenerint rapiant ex undis et ad littus salutis reportent.

...ditiones ...ni ple-...

14. Nulla vero parochia invenitur, quin habeat aut *idoneum* plebanum, aut aliquo modo *insufficientem*, aut *nullum*. — *Bonus autem et idoneus* est qui secundum formam canonum *iusto titulo possidet* beneficium, cui adnexa est cura animarum illarum, et qui sufficientem pro regimine plebis suae *habet scientiam sacrae Scripturae,* et qui *nullum habet impedimentum* in omni officio clericali, et qui *debitam diligentiam adhibet* animabus sibi commissis in his quae sunt necessaria saluti. — Talium plebanorum *subditos* non oportet ad alios pro confessione [2] recurrere nisi in his sex casibus: *primus,* cum de voluntate ipsius vel licentia vel ratihabitione expressa vel tacita quis alteri confitetur. *Secundus,* cum alius habet ampliorem auctoritatem absolvendi in certis casibus quam plebanus. *Tertius,* si propter abundantiorem cautelam vult etiam aliis confiteri, nihilominus tamen confiteatur etiam plebano tempore suo. *Quartus,* si confitetur illis qui habent a domino Papa, vel ab episcopo loci generalem auctoritatem audiendi confessiones, ut poenitentiarii vel alii quidam ad hoc specialiter deputati. Et qui talibus confitentur, idem est, ac si episcopo suo personaliter confiterentur eosdem casus, de quibus eis contulit potestatem; unde non tenentur tunc plebanis suis iterum confiteri, nisi velint. *Quintus,* si aliquis est in peregrinatione positus [3] nec potest habere proprium sacerdotem. *Sextus,* in articulo necessitatis extremae; tunc quilibet est ei proprius sacerdos, si alium non habet.

...neu sub-... ad alios currere ...unt in 6 ...sibus.

15. *Insufficiens* plebanus dici potest tribus modis: aut cui ab Ecclesia pro tempore *sublata est exsecutio officii sui,* ut suspensus, excommunicatus et irregularis; aut cuius subditis propter aliquod nocumentum suum *non expedit* ei confiteri, ut idiota, proditor confessionis et confitentes sibi sollicitans ad peccatum quocumque modo [4]; aut qui confitentibus sibi *non debitam adhibet diligentiam,* sicut necesse foret; sicut qui non dat eis opportunitatem integre confitendi, vel non vult eos absolvere nisi pro pretio, vel non informat eos in discretione peccatorum seu satisfactionis qualitate, ut sciant, quid sit peccatum mortale, quid veniale, quid enorme, quid levius, vel qualiter Deo satisfaciant [5] et qualiter proximo et quando publice et occulte. Nam in talibus *negligens* tantum nocet aliis sicut *idiota,* qui nescit. Sicut enim idiota docet errare, ita negligens relinquit in errore; exemplum de *caeco* duce, et qui caecum *deviantem non reducit* ad viam [6]. — *Subditi* enim horum ipsa necessitate salutis coguntur alios confessores quaerere, in quibus insufficientiae praedictae non videntur, sicut qui scit medicum suum insufficientem ad curandum eum, alium necessarie quaerit, si vult mortis periculum effugere [7]. — Quodsi plebanus talis nolet subdito dare licentiam idoneum confessorem quaerendi, vel pro malitia, vel invidia, vel superbia sua, immo forte praecipit, ne vadat ad alium; ita tenetur ei in hoc obedire, sicut servus domino suo, qui nollet eum pascere et praeciperet ei, ne alibi [8] sibi cibum provideret. — Quod autem dicitur, quod subditus debet primo petere licentiam, ut vadat ad peritum confessorem [9]; propter cautelam factum est, scilicet ne ex contemptu quaerat alium, vel ne vadat ad minus idoneum, vel ne vadat ad haereticum, vel ne detur locus tergiversandi malignis, dum quaerunt ignotis confiteri, ut correctionem sui pastoris effugiant et ita liberius peccent, vel ne simulent, se aliis confessos esse, cum nulli sint confessi.

Insuffi-... ...te plebano. — Licentia subditorum. — De quodam casu. — Ad cautelam licentia petenda.

16. Plebanus autem *nullus* est qui tenet ecclesiam, cum sit inhabilis ad beneficium habens curam animarum, ut illegitimus filius, vel excommunicatus, vel laicus, vel qui, unam habens, recipit aliam. Item, qui recipit ecclesiam ab eo qui non habet ius conferendi, vel praesentandi ad eam, vel investiendi, vel ab excommunicato, vel quando ius est ad superiorem devolutum ex causa. Item, qui tenet ecclesiam non debita forma, ut simoniace, vel per fraudem, vel violenter, vel est vicarius alicuius istorum. Quod enim quisque non habet, nec potest alteri sua auctoritate conferre [10]. Omnes isti, sicut non habent ius in ecclesiis, quas tenent, ita et plebs in nullo tenetur eisdem.

De plebano nullo.

---

[1] Cfr. Matth. 8, 24: Et ecce, motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. — Inferius pro *fulciti* (ita A) edd. *fulti.*

[2] Cod. A *confessionibus,* et inferius *unus* pro *primus.*

[3] Cod. A omittit *positus,* et subinde pro *alium non habet* substituit *alium habere non potest.*

[4] Cfr. Bonav., IV. Sent. d. 17. p. III. a. 1. q. 2. in corp.: Vel quia sollicitat ad malum, vel quia timet [confitens] revelationem confessionis, vel quia simplex est et idiota. — Superius pro *sublata* A *ablata,* et voci *proditor* edd. contra A praefigunt *vel.*

[5] Vat. cum ed. 1 *satisfaciat.* Inferius pro *qui nescit. Sicut enim idiota* (ita A) edd. *qui.*

[6] Cfr. Matth. 15, 14. et Luc. 6, 39. — Inferius pro *quaerere* (ita A) edd. *requirere.*

[7] Cod. A *evadere.* Subinde ante *pro malitia* ed. 2 cum B omittit *vel.*

[8] Cod. A addit *iret et.*

[9] Cap. *Omnis utriusque sexus* (12.) X. de Poenitentiis et remissionibus (V. Decret. Gregor. IX. tit. 38.): Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote etc. — Pro *debet primo* (ita A) edd. *debet prius.* Inferius pro *idoneum* A substituit *peritum* et *occasio* pro *locus.*

[10] Sive, ut dicitur c. *Quod autem consulis* (5.) X. de Iure patronatus (III. Decret. Gregor. IX. tit. 38.): Quia pro non dato habetur quod ab illo datur, qui non potest de iure donare. De praenotatis cfr. supra pag. 358, nota 2. seqq., ubi eadem afferuntur. — Cod. A omittit seq. propositionem *Omnes isti... eisdem.*

Praedicta moverunt s. Sedem ad mittendum Fratres.

17. Cum ergo praedictorum omnium subditi possint et debeant aliis confiteri potius, quam illis qui videntur esse plebani eorum propter praemissos eorum defectus; et laici nesciant discernere, quos eligant meliores; et clerici potius vitiosi mitterent eos ad sibi similes quam ad idoneos; et satis rari sunt in clero iam, quos nulla praedictarum respergat macularum: missi sunt Fratres a Sede apostolica per mundum, muniti eius testimonio [1]; qui praedictos defectus clericorum, ubi necesse fuerit, suppleant et indigentiae fidelium subveniant et non tantum laicos, sed et ipsos clericos et Religiosos praedicationibus instruant, exhortationibus a malo retrahant et in bono confortent et in confessionibus poenitentes absolvant et ad vitam gratiae trahant, insuper exemplis aedificent et orationibus gratiam eis et veniam impetrent apud Deum. — (Confirmatur Scriptura.) Nos enim sumus illi pauperes, de quibus dicitur Deuteronomii vigesimo quarto [2]: *Qui remanentes manipulos segetum et spicas decidentes post messores et racemos relictos in vinea colligere debemus,* id est illas reliquias, quas plebani, qui habent officium in plebe sua docendi et corrigendi, relinquunt, ut eas ex area Ecclesiae ad horreum caelestis patriae referamus. — (Notandum.) Quia vero ad hoc non tenemur ex debito astringente, sed ex caritatis libertate; ideo similiter et illi non tenentur nobis in corporali provisione nisi ex libera pietate. Possunt enim nostris praedicationibus intendere, si voluerint, et nobis confiteri et [3] eleemosynas largiri possunt et dimittere. Econtra possumus et nos eis ista spiritualia beneficia impendere praedicationis, confessionis et orationis, licet ad ea ex debito non obligemur nisi debito caritatis.

Quaestio incidens solvitur.

18. Quaeritur autem, si illi qui nobis confessi sunt, teneantur plebanis suis iterum confiteri? Ad hoc dicendum, quod duplici ratione tenentur homines confiteri sacerdotibus habentibus claves in foro poenitentiae absolvendi et ligandi: scilicet ex *praecepto Dei* et ex *statuto Ecclesiae. Praeceptum Dei* est poenitentiam agere; nam dicitur: *Poenitentiam agite,* Matthaei quarto [4], cuius pars est *confessio* facta sacerdoti, primae Ioannis primo: *Si confiteamur* etc. Cum ergo poenitens confitetur nobis, et absolvimus eum auctoritate domini Papae vel episcopi, non tenetur iterum a plebano suo de eisdem absolvi, cum sit absolutus. Sed propter *statutum Ecclesiae,* quo quisque semel ad minus in anno iubetur confiteri omnia peccata sua proprio sacerdoti, quod plerique referunt ad plebanos *specialiter,* debet ei, si velit, iterum confiteri, ne scandalizetur et ut melius agnoscat eum, si dignus sit, cui corpus Christi debeat porrigere vel negare, nisi de licentia eius alteri sit confessus, vel ratum habeat, si est factum; et hoc de his plebanis intelligendum, qui boni et idonei videntur, ut supra [5] dictum est, non de aliis, qui ius non habent in ecclesiis, vel ad quos subditi pro confessione accedere prohibentur.

Compen[...] sus epilo[...]

19. Ut autem planius liqueat, in quibus casibus, et sub qua forma Fratres possint audire confessiones, quaedam eorum quae superius [6] posita sunt, sub compendio repetantur. Cum pro diversis causis aliquoties expediat, subditos plebanorum etiam aliis sacerdotibus confiteri, ut promptius inveniant, ad quos recurrant, missi sunt Fratres specialiter, ut in tali necessitate fidelibus succurrant, ad hoc a Sede apostolica destinati.

Licentia [...] fitendi [...] tribus i[...] sibus 17

Primus casus est, cum ex Regula nostra approbata et confirmata a Sede apostolica etiam iniunctum habeamus praedicationis officium [7]; ne fructus praedicationis inanis sit, possumus ex privilegio apostolico, ubi praedicamus, etiam confessiones requirentium tunc audire et absolvere ac poenitentias iniungere auctoritate domini Papae [8].

Secundus, cum ab episcopis similiter commissum habeamus confessionis officium, non solum de communibus, sed etiam de specialibus casibus ad ipsos spectantibus, possumus absolvere iuxta formam confessionis ipsorum, non tantum laicos, sed etiam clericos indigentes [9].

Tertius, cum plebanus licentiat subditum suum, ut nobis confiteatur, vel ratum habet quod factum est.

Quartus, cum pro superabundanti cautela vel meliori consilio etiam vult alteri confiteri, vel ex devotione quam suo plebano.

Quintus, cum quis vagatur per terras, potest interim aliis [10] confiteri, dum suum non habet sacerdotem.

---

[1] Praeter superius pag. 377, nota 7. allegata cfr. Decretum Honorii III. an. 1219 die 11 Iunii *Cum dilecti filii* (Sbaralea, Bullar. Franciscan. tom. I. n. 2. pag. 2), Gregorii IX. an. 1237 die 6 Aprilis *Quoniam abundavit* (Sbaralea, loc. cit. n. 224. pag. 214) et Alexandri IV. an. 1255 die 9 Aprilis *Patris aeterni benignitas* (Sbaralea, loc. cit. tom. II. n. 39. pag. 29).

[2] Vers. 19-21. — Superius ex A supplevimus *et in bono... trahant.*

[3] Cod. A omittit *confiteri et*, ac inferius *ad ea.*

[4] Vers. 17. Fide A supplevimus *nam dicitur... quarto.* — Sequitur I. Ioan. 1, 9.

[5] Num. 14. seqq. Cfr. Bonav., IV. Sent. d. 17. p. III. a. 1. q. 2. ad 5. et S. Thom., Opusc. contra Impugnantes Religionem etc. c. 4, § 14. ad 3. — Inferius A omittit *vel* et *pro confessione.*

[6] Num. 14-17. — Subinde pro *posita* A *dicta* et inferius *constituti* pro *destinati.*

[7] Cap. 9. Cfr. supra pag. 332, nota 13. De approbatione Regulae vide supra pag. 318, notam 12.

[8] Cfr. supra nota 1. allegata Constitut. Gregorii IX. *Quoniam abundavit.*

[9] Auctor ed. 2 hanc subiicit notam: Non enim clericis sua apud quemcumque confessarium peccata deponere fas erat, sed apud illos dumtaxat, quos episcopi ad sacerdotum et clericorum confessiones audiendas delegerant. In eorum autem numero, quibus episcopi sacc. XIII. clericorum confessiones audiendi potestatem facere consueverunt, fuisse potissimum Fratres Minores et Praedicatores, cum alia, tum praesertim synodi Nemausensis an. 1284 decreta *tit. de Poenitentia* (tom. XIV. Concil. col. 805) declarant.

[10] Cod. A *alteri.*

Sextus, in articulo necessitatis, dum timet mori et suum non habet sacerdotem.

Septimus, cum sacerdos alicuius est idiota nec scit in necessariis saluti eum congrue expedire.

Octavus, cum est notorius fornicator, tunc subditi non debent[1] ab eo Sacramenta requirere.

Nonus, cum consuevit revelare secreta confessionis, subditi non tenentur ei confiteri, qui hoc timent.

Decimus, cum in confessione solet aliquos ad peccatum inducere, illi non debent accedere ad eum propter periculum utriusque[2].

Undecimus, cum non dat subditis copiam integre confitendi et non informat eos in his quibus indigent ad salutem.

Duodecimus, si sacerdos est ab officio suspensus a iudice, vel a iure, tunc nec potest solvere nec ligare.

Decimus tertius, si est aliqua maiori excommunicatione ligatus, quia non debent tunc subditi communicare ei, qui sciunt[3].

Decimus quartus, si est aliqua irregularitate perplexus, tunc non potest exsequi officium pastorale.

Decimus quintus, si est perversor Sacramentorum, vendens ea pro muneribus, tunc est suspensus et infamis.

Decimus sextus, si tenet ecclesiam contra statuta canonum, tunc enim nullum ius habet in ea ut illegitimus, simoniacus et habens unam ecclesiam, si recipit alteram; tunc enim prior vacat; et qui per fraudem obtinet, vel violenter intrat, vel non recipit eam a quo recipere debuit[4].

Decimus septimus, si est vicarius illius qui non habet ius in ecclesia, quod possit alteri delegare.

20. Sunt et alii casus, pro quibus quandoque etiam honestae personae timent suis sacerdotibus confiteri, scilicet quia vicarii sunt instabiles et saepius[5] mutantur, ideo non audent eis sua revelare secreta, cum toties oporteret eos ignotos habere confessores. — Item, quia plerique ipsorum tam vitiosi sunt, quod honesta femina timet infamari, si secrete susurraverit cum eo. — Item, quia plures ipsorum ignoti sunt, et timetur, quod sint apostatae, vel in officio sacerdotali[6] impediti, vel forte non habentes ordinem sacerdotii. — Item, aliqui habent talia peccata in conscientia, quod potius volunt non confiteri quam plebanis suis ea pandere, qui semper vident eos, et coram quibus timent tota die confundi, sicut saepe percepimus. — His in tanto periculo ex compassione est succurrendum potius, quam in desperationem ponantur; hoc tali modo apte fit, ut confiteantur talibus, quos non timent, ubi consulitur ipsorum verecundiae et saluti. Non enim leviter est praecipitandus in interitum, pro quo Christus Dominus potius voluit mortem crucis subire, quam permitteret, eum perire[7], quia rigor iuris positivi, ubi expedit, servandus est, ubi autem salutem impedit, remittendus est. Cum enim potestas ecclesiastica data sit a Domino praelatis, teste Apostolo, secundae ad Corinthios decimo[8], *in aedificationem et non in destructionem* salutis animarum; ubicumque aperte quis ea utitur in destructionem, virtutem suam amittit. « Quod enim pro caritate institutum est non debet contra caritatem militare[9] ». Amen. Et sic est finis illius quaestionis.

Alii casus 4.

Notandum.

EXPLICIT.

ADDITAMENTUM.

Sicut medicina, non, sicut expedit, aegro porrecta, potius laedit eum, quam sanet, cum medicinae ad sanandum et reparandum et non ad sanciandum vel destruendum sint repertae. « Cessante enim causa, cessat et effectus »[1]; quia rigor pro utilitate animarum statutus, sicut servandus est, ubi illa utilitas inde provenit, pro qua

[1] Cod. A *tenentur.*

[2] Cod. A *propter peccatum utriusque vel periculum.*

[3] Ita A B et ed. 2, Vat. *quae sciunt.* Inferius pro *si est aliqua* (ita A) edd. *qui est aliqua.*

[4] Ita A; edd. *a quo debet.*

[5] Cod. A *et annue vel saepius.*

[6] Cod. A *et in officio sacerdotali aliquo modo.*

[7] Epist. I. Cor. 8, 11: Et peribit infirmus in tua scientia, frater, propter quem Christus mortuus est? — Subinde pro *quia rigor* (ita A) edd. *et rigor.*

[8] Vers. 8, post quem pro *salutis animarum* A *ecclesiarum.*

[9] Haec sententia tribuitur a S. Bonav. diversis in locis Bernardo, a quo insinuatur lib. de Praecepto et dispensatione, c. 2. n. 5. Cfr. tom. IV. pag. 453, nota 3; pag. 456, nota 5. et pag. 821, nota 9. — Hanc propositionem praebet A, qui hic Opusculum finit. Cod. A scriptus est an. 1457.

Pro loco S. Bernardi cod. B et omnes editiones habent quandam continuationem illius propositionis, deinde longum additamentum manifeste spurium. Haec assertio non tantum auctoritate illius codicis, sed etiam aliis argumentis gravibus comprobatur, quae hoc loco tantum obiter tangimus. Primo itaque genuinum opusculum rem tractatam ultima parte quasi epilogo apte concludit. Secundo, totum additamentum vix aliud habet nisi iam dictorum repetitionem, maiorem amplificationem et ad quosdam casus applicationem. Tertio, quae n. 3. dicuntur de clericis « in Anglia vel Francia » melioribus non conveniunt cum verbis S. Thomae et Bonaventurae alibi dictis et ostendunt, hoc scriptum esse in aliis terris. Quarto, in fine satis clare insinuatur, hoc additamentum scriptum esse in Germania, dum tanquam obligatorium profert quoddam statutum factum ab episcopo Portuensi pro *Theutonia.* Denique ipse stilus et indoles additamenti in pluribus locis non sapit ingenium S. Bonaventurae.

Notae ad additamentum.

[1] De hoc axiomate, quod per se est evidens, et quod c. *Cum cessante causa cesset effectus* (60.) X. de Appellationibus etc. (II. Decret. Gregor. IX. tit. 28.) affertur, vide Aristot., II. Phys. text. 37. (c. 3.); V. Metaph. text. 3. (IV. c. 2.) et Avicenna, Metaph. tr. 4. c. 1. Cfr. tom. IV. pag. 97, nota 2. et pag. 493, nota 6.

statuitur, ita laxandus est, ubi talis effectus non sequitur, sed potius contrarius aperte sentitur.

Quod prohibitio quaedam sit irrita, ratio 1.

1. Quodsi aliquis plebanus prohibet quoquo modo, ne subditi sui confiteantur talibus, qui ab episcopo, vel a domino Papa mediate, seu immediate habent auctoritatem generalem confessiones audiendi; talis prohibitio non valet, nec poena in prohibitione apposita est timenda, et hoc multiplici ratione, quarum tres tantum hic ponam: prima, quia non potest inferior sui superioris auctoritatem cassare, ut quod ille concessit, iste prohibeat. — Ratio 2. Secunda, quia, si aliquis supradictorum defectuum inest ipsi plebano, scilicet imperitiae, suspensionis, irregularitatis, criminis, negligentiae, vel alterius impotentiae, per quem subditi ab eo debito modo non expediuntur in confessione, debent etiam, eo invito, ad alios idoneos recurrere, si non velit sponte concedere; nec pro eius malevolentia se ipsos salutis remedio privare. — Ratio 3. Tertia, quia, etsi plebanus satis sit idoneus, tamen subditi, postquam ius suum ei reddiderunt confitendo et alia debita persolvendo, si volunt et alios de salutis suae remediis [1] consulere, non debet nec potest eos prohibere. Et si poenam aliquam propter hoc eis infligeret, tale esset, sicut qui punit omnino innocentem et damnat recte operantem; quod est error intolerabilis et iuri divino contrarius, et ideo non ferendus, immo graviter puniendus; et tenetur laeso de illata satisfacere iniuria, et propalavit propriam imperitiam, nesciens, quid debeat et quid possit, ac limites suae potestatis confundens.

Necessitas contritionis, confessionis et legitimi confessoris.

2. Cum *contritio*, *confessio* et *satisfactio* sint integrales partes poenitentiae et necessariae ad salutem omni poenitenti [2]; sicut non contrito non datur remissio peccatorum, ita nec non confitenti peccata sua, si potest habere catholicum sacerdotem, sicut sancta constituit Ecclesia Spiritus sancti auctoritate iuxta evangelicam doctrinam, cum Christus claves regni caelorum per Apostolos sacerdotibus tradiderit ad animas ligandas et solvendas [3]. Cum ergo necesse sit confiteri, necesse est etiam, aliquos esse, qui confitentes audiant et absolvant vice Christi. Aut ergo confitebuntur praelatis suis tantum, aut etiam aliis sacerdotibus. Sed si praelatus alicuius est suspensus ab officio suo quacumque ex causa per Ecclesiam, vel insufficiens est ad scientiam necessariam, vel aliter negligens, quod non impendit poenitentibus debitam diligentiam, vel quocumque alio modo praestat impedimentum, quod ab eo subditis non convenit requirere absolutionis gratiam; necesse est, alios institui, qui vicem illorum suppleant in hac parte. Alioquin aut Sacramentum poenitentiae per subtractionem debitae confessionis et absolutionis evacuatur, et claves Ecclesiae otiosae manebunt, aut iura canonica nullius vigoris erunt et auctoritatis, quae sententias suspensionis et irregularitatis et excommunicationis frustra contra aliquos ediderunt et absolutionis beneficium impendi contradixerunt, si ab ipsis tantum coguntur subditi istud requirere et eis solis peccata sua et non aliis confiteri.

Notan[...]

3. Licet enim communiter clerici in quibusdam terris istis defectibus non valde sint impliciti, ut in Anglia vel Francia vel alibi, ubi clerici sunt litterati et clericaliter vivunt et subditos suos bene regunt [4]; tamen in pluribus aliis terris tanti defectus in clero reperiuntur, per quos inhabiles et minus idonei sint ad animas poenitentium absolvendas, quod qui Fratribus Minoribus et Praedicatoribus prohibet, fideles eisdem confiteri peccata sua, videtur aut ignorare periculum, aut animarum invidere saluti et Dei beneplacitum impedire. Si aliquis teneretur alicui providere in necessariis et negligeret vel non posset, et alius vellet egenti ex compassione subvenire et illius vicem supplere, qui deberet, ne iste periret; nunquid ab aliquo prohibendus esset, ne proximo in necessitate subveniret? Et si hoc esset inconveniens prohibere, ne liberaret proximum a periculo corporis, quanto magis incongruum est et illicitum prohibere aliquem a liberatione animae fratris a periculo damnationis; immo videtur error omnino non ferendus prohibere, aliquem liberari a naufragii periculo, et potius permittere, eum perire, quam poenitentem a voragine peccati per confessionis tabulam [5] extrahere. Nulla lex servanda, nulli praecepto obediendum humano, quod contra praeceptum caritatis Dei et contra salutem proximi aperte agere invenitur. Adversus caritatem enim vel ceteras virtutes et fructus Spiritus, teste Apostolo [6], *non est lex.* Cum ergo pastor plebis alicuius praecipit subditis suis, ne alicui confiteantur alii quam sibi, subintelligendum est: in praeiudicium suum, ita quod, si alteri confessi fuerint, nihilominus confiteantur et sibi. Nam, si [7] non potest eos prohibere, quin de temporali utilitate loquantur cum quocumque voluerint; quanto magis de spirituali, et salutis consilium requirere, ubi sperant invenire! Verbi gratia, ubi decimae debentur sacerdoti tantum, si praecipit, quod nulli dentur decimae nisi sibi, intelligendum est hoc de decimis, quae sibi debentur. Sed si aliquis dederit ei debitas decimas et de residuo, quod suum est, vult etiam alteri cuicumque dare aliam decimam ratione eleemosynae, nunquam potest sacerdos suus eum prohibere, ne hoc faciat.

De d[...] bus pl[...] sacerd[...]

Aliter [...] ligiosi [...] tiendi

4. Aliud vero est de regularibus Religiosis, qui, sicut a suis superioribus prohiberi possunt, ne vadant quoquam vel loquantur cuiquam sine ipsorum licentia, ita possunt etiam prohiberi, ne confiteantur alicui nisi per licentiam eorum, dummodo tales eis confessores assignent, per quos non negligantur in his quae pertinent ad salutem. Alioquin, si praelatus Religiosi praecipit ei, ne confiteatur alicui praeter suam licentiam, et non assignat ei confessorem idoneum, et ille indiget confessione, potest et debet alium quaerere confessorem potius, quam salutem propriam negligat, quia praeceptum non tenet inferioris praelati, quod praeiudicat praecepto superioris. Omnis autem praelatus in Ecclesia est inferior Summo Pontifice, cuius praeceptum est vice Dei, ut fiat confessio peccatorum idoneo confessori suo tempore, cum potest haberi.

---

[1] Cod. B *remedio.* Subinde pro *nec potest* (ita ed. 2 cum B) Vat. cum ed. 1 *nec poterit.*

[2] Cfr. IV. Sent. d. XVI. lit. Magistri, c. 1.

[3] Matth. 16, 19; Ioan. 20, 23.

[4] Vide supra quae de hoc loco diximus pag. 357, nota 7. — Inferius substituimus *eisdem confiteri* pro *ibidem confiteri.*

[5] Respicitur Hieron., Epist. 130. (alias 8.) n. 9. et II. Comment. in Isai. 3, 9, ubi poenitentia nominatur secunda tabula post naufragium. Cfr. tom. IV. pag. 314, nota 1. ad lib. Sent. et pag. 584, nota 2.

[6] Gal. 5, 22. seq.: Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium... Adversus huiusmodi non est lex.

[7] Sola Vat. *Nam sicut,* quae etiam inferius cum ed. 1 pro *sperant* substituit *sperat.*

5. Quodsi subditus plebani confessus est alteri, etiam qui ab episcopo licentiatus est, ut possit audire confessiones requirentium, et plebanus ex pastorali sollicitudine vult agnoscere oves proprias, ut sciat, quibus Sacramenta divina ministret, vel qualia adhibeat infirmantibus remedia, et vult conscientias eorum etiam agnoscere per confessionem ipsorum, dummodo hoc calumniose non faciat vilipendendo auctoritatem alterius, cui ille confessus fuerat; non est propter hoc redarguendus, sed magis pro sua sollicitudine commendandus, cum de ipsis sit rationem Domino redditurus.

6. Si autem aliquando episcopus praecipit subditis suis in synodo, quod nulli confiteantur nisi plebanis suis, vel quibus ipsi licentiam dederint; non est intelligendum velle revocare, si quam auctoritatem Fratribus dedit confessiones audiendi per suam dioecesim, sed quod non confiteantur aliis in suorum praeiudicium plebanorum, iuxta quod supra [1] dictum est, cum ad hoc tantum debeant eis obedire.

7. Quodsi expresse revocaret omnem auctoritatem, quam Fratres habent ab ipso de confessionibus audiendis; nihilominus tamen Fratres, quamdiu non sunt a Summo Pontifice prohibiti vel a suis specialibus praelatis, quibus obedire tenentur, possunt audire confessiones sub hac forma, quod audita confessione eorum [2], si quis dignus est, absolvant eum sub spe ratihabitionis pastoris sui, si est *idoneus* pastor secundum praescriptam formam, vel si nolit habere ratam absolutionem illam, quod iterato confiteatur eidem, si prius non sit ei illa peccata confessus. Si autem habet ille confitens plebanum non *idoneum*, vel *nullum*, simpliciter absolvat eum et expediat in his quibus indiget ad salutem potius, quam nullo subveniente negligatur. Debemus enim praesumere, Summum Pontificem vel alium quemlibet bonum pastorem animarum huiusmodi esse discretionis et caritatis, quod potius velit, oves Christi per quemquam catholicum sacerdotem ad salutem aeternam expediri, quam negligi ab his qui ex officio curam eorum suscipiunt, sed exsecutionem officii circa eos non implent, alioquin, si hoc non vellet, indignus esset dignitate pontificalis officii, qui oves Christi magis perire vellet quam erui de ore luporum; et talis eius voluntas caret effectu pastoralis potestatis, quae solum *in aedificationem et non in destructionem* animarum data est ab ipso principe pastorum Domino Iesu Christo [3]. Hac enim ratione provide sancta Ecclesia instituit, quod in necessitatis articulo, cum proprius non habetur sacerdos, quilibet sacerdos absolvat quemlibet poenitentem ab omni vinculo peccati et excommunicationis etiam maioris potius, quam ex defectu proprii pastoris aliquis innodatus peccato decedat, licet vera contritio posset eum absolvere, cum non posset habere confessorem. A simili ergo cum proprius sacerdos non potest, aut non curat seu nescit confitentem debito modo expedire, potest et alium confessorem quaerere, qui eum expediat, cum periculosiora sint animae vulnera seu morbi quam corporis, si citius remediis debitis non curentur. Qui autem prohibet aegrotantem, ne accedat ad medicum, qui eum curet, mortem desiderare videtur, quia non vult vitam suam congruis remediis a morte tueri. Si vero sententiam contra eum ferret excommunicationis quasi pro inobedientia, nullam habet vim taliter lata sententia, quia poena talis inferri non debet, nisi gravi culpa praecedente. Culpa vero nulla est quaerere salutis suae remedium sine praeiudicio alicuius. Quod etiam quidam ferunt sententiam excommunicationis in omnes Fratrum benefactores, cum nihil habeamus, nisi quod offertur nobis a fidelibus unde vivamus; idem est, ac si prohiberetur aliquis per excommunicationem, ne fratrem suum et proximum a submersionis vel incendii seu quolibet mortis periculo liberaret. Prohibere enim cibo reficere indigentem est eum velle fame occidere; quod quam iniustum sit, nullus ignorat. Notandum.

8. Quod autem dicitur [4], quod « sententia excommunicationis sive iusta sit, sive iniusta, semper est timenda »; verum est, quia, sicut iusta timenda est promerenti, ita iniusta ferenti vel promoventi. — Sex enim modis sententia excommunicationis vim suam perdit et plus nocet ferenti quam patienti: si profertur *a quo* non debet, ut a non iudice vel excommunicato; *in quem* non debet, in non subditum, vel innocentem; *quando* non debet, ante cognitionem causae, vel post legitimam appellationem; *ubi* non debet, non in loco iudicii, vel non decenti; *quare* non debet, pro bono opere et non pro peccato et sine ratione iusta; *qualiter* non debet, iuris ordine non servato. — Ista et alia plura non prosequor ulterius, relinquens ea a viris peritis quaerenda [5]. Qui in eum qui peccavit, sed iam poenitet, fert excommunicationis pro eodem peccato sententiam, punit non reum, quem Deus iam a reatu peccati absolvit et restituit innocentiae poenitendo; unde debet sententiam retractare et aliam ei satisfactionem imponere pro peccato. Nam scriptum est [6]: *Quomodo maledicam quem Deus non maledixit* etc. — Melius tamen omnes adversantes nobis vincimus humilitate et patientia quam *rebellando* et allegando, quia *rebellando* scandalizamus alios de ipsa scientia et usurpatione potestatis quasi nostrae, *patiendo* autem ostendimus, nos quaerere non quae nostra sunt [7], sed quae salutis sunt aliorum; quosdam docendo, quosdam patiendo cupimus aedificare et Deo lucrari, et sic Deus, pro quo patimur, et alii patientiam nostram videntes pugnabunt pro nobis.

Obiectio. — Sex modis excommunicatio fit nulla. — Notandum.

9. Ut autem planius videatur, quam pauci sunt iam in istis partibus inter plebanos vel eorum vicarios, qui liberam habeant ligandi et solvendi potestatem, vel qui bene expediant animas in confessione; ac per hoc perpendatur, quam necessarii sint Fratres nostri, ut vicem eorum suppleant et animabus pereuntibus subveniant, ex his consideretur [8]. — Omnis suspensus ab officio, vel irregularis, vel excommunicatus, vel male intrans ad regimen animarum, non habet potestatem ligandi aut solvendi,

Pauci ibi sunt idonei plebani. — Ratio generalis.

[1] Num. 3.

[2] Auctor cd. 2 in nota adiecta monet, hoc valuisse pro aetate illa, nunc vero servandam esse disciplinam a Tridentinis Patribus (sess. 23. de reformatione, c. 15.) constitutam et pluribus Romanorum Pontificum decretis confirmatam, scilicet, nullum etiam Regularem posse confessiones saecularium neque sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab episcopis approbationem obtinuerit. Cfr. prop. 13. inter damnatas ab Alexandro VII.

[3] Epist. II. Cor. 10, 8. Cfr. supra pag. 381, nota 8.

[4] Gratian., causa 11. q. 3. c. 1: Sententia pastoris sive iusta etc. ex Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 6. Cfr. tom. IV. pag. 495, nota 3.

[5] Vide Bonav., IV. Sent. d. 18. p. II. dub. 2.

[6] Num. 23, 8: Quomodo maledicam cui non maledixit Deus?

[7] Phil. 2, 21: Omnes enim quae sua sunt quaerunt, non quae sunt Iesu Christi.

[8] Vide supra in ipso Opusc. n. 15. et Opusc. XIII. p. II. q. 1.

vel alia, quae iurisdictionis sunt, a quibus est ab Ecclesia prohibitus, exercendi; unde quod ligat vel solvit vel facit in huiusmodi nihil valet. — *Primo.* Videmus [1] ergo, plurimos nobilium et potentium, qui deberent beneficia ecclesiastica peragere, per bella et alios excessus frequenter incurrere excommunicationis sententiam a iure vel a iudice latam, vel aliter demereri ius conferendi ista beneficia, quia vel indignis conferunt, vel interveniente simonia, quocumque modo per ipsos vel mediatores, et si qua tunc vel taliter conferunt beneficia, nil iuris percipientes ea consequuntur, cum ille conferens ius non habeat conferendi. — *Secundo.* Videmus, episcopos similiter per bella vel alios excessus saepe incidere excommunicationis sententiam vel suspensionis, vel a domino Papa suspendi seu excommunicari. — *Tertio.* Item, quod aliqui vel per simoniam promoventur vel conferunt curam animarum; similiter, alii aliqui praelati promoventur et promovent alios per simoniae interventum; et omnes beneficiorum collationes per tales vel taliter factae nihil iuris conferunt recipienti. — *Quarto.* Videmus, pastores locare ecclesias suas vicariis suis sub certa pensione census, et unus saepe supplantat alium promittendo maiorem pensionem pastori, ut sibi ecclesia conferatur, et hoc saepe incaute geritur et cum periculo simoniae. — *Quinto.* Videmus, plurimos curam animarum suscipere contra statuta canonum, ut non-clericos et ante aetatem debitam, vel illegitime natos, vel aliqua excommunicatione vel irregularitate ligatos et inhabiles ad recipiendum tale beneficium. — *Sexto.* Item, quod multi habent plura beneficia curam animarum habentia, qui habent aliqua obstacula, propter quae iura prohibent, aliquem eligi vel institui, ut est pluralitas beneficiorum et similia. Nam, si aliqui habent dispensationem apostolicam, quod de proventibus ecclesiasticis possint recipere usque ad certam summam redituum annuorum, hoc non est accipiendum, Summum Pontificem intendere, quod concedat alicui simpliciter tot animarum curas colligere, quod de illarum proventibus famem suae cupiditatis possit utcumque mitigare, et animas illas sine pastore relinquere destitutas, sed de aliis ecclesiarum proventibus potius accipiendum est, ut praebendarum et aliorum beneficiorum curam non habentium animarum, sicut meliores et peritiores exponunt. — *Septimo.* Videmus, quod iudices causarum saepe mandant plebanis sub poena suspensionis vel excommunicationis iam latae aliquas denuntiare sententias vel exsequi, quas negligunt et poenam incurrunt. — *Octavo.* Videmus, quod multi recipiunt ordines contra episcoporum prohibitionem sub poena suspensionis promulgatam. — *Nono.* Videmus, quod scholares saepe manus iniiciunt in acolythos per iram et incidunt in canonem nec petunt absolutionem, et sic promoventur ad ordines vel beneficia ecclesiastica et solemniter officiant ecclesias et exsequuntur ordines clericales. — *Decimo.* Videmus, quod in clero plurimi sunt notorii fornicatores, in domo sua vel alia concubinas habentes, vel hinc inde cum pluribus notorie fornicantes. Notorius autem fornicator dicitur, cuius crimen nulla valet tergiversatione celari, vel cuius testis est populus, qui constat ex decem hominibus, secundum quosdam. Omnis autem notorius fornicator est ipso iure suspensus quoad se et quoad alios. — *Undecimo.* Contra aliquos etiam a suis episcopis vel praelatis domini Papae aliquoties fertur sententia excommunicationis. Regulare etiam est, quod suspensus a iure vel a iudice vel excommunicatus, si recipit ordinem sacrum, vel ministrat in eo solemniter, est iam *irregularis* factus, a quo [2] non potest absolvi, nisi per Sedem apostolicam, vel de eius speciali mandato. Quidam tamen volunt, quod si fuit suspensus a iure, non a iudice, quod tunc potest secum suus episcopus dispensare, quia mitius agit canon quam homo [3]. — *Duodecimo.* Videmus, quod saepe iudices ecclesiastici ferunt excommunicationis sententias contra formam decretalis illius Innocentii Papae quarti, *Cum sit medicinalis* [4], ubi dicitur: «Debent congruas praemittere admonitiones, priusquam aliquem excommunicent, et sententias ferre in scripto et causam conscribere et illi, contra quem fertur sententia, copiam scripti illius dare infra certum terminum; et qui aliter fert in aliquem excommunicationis sententiam praeter alias poenas est ipso facto suspensus ab ingressu ecclesiae per mensem, ita quod, si infra mensem ingerat se divinis, iam fit irregularis, quod non potest cum ipso super hoc nisi per Sedem apostolicam dispensari».

Conclu[sio]. 10. Sunt adhuc plurima impedimenta clericorum, quae prae nimietate non prosequor, sed ex his paucis adverti potest, quam multi sunt plebani in istis partibus vel *tales*, vel *a talibus*, vel *taliter* promoti seu instituti, qui nihil potestatis in ligando animas habent aut solvendo, ut cognoscatur, quam necessarii sint Fratres in Ecclesia Dei, qui vicem illorum suppleant et animabus subveniant, quae aliter possent perire, quibus, etsi nulla alia suppeteret auctoritas collata specialiter a Sede apostolica vel episcopis, ipsa *insufficientia cleri* et *indigentia populi* latam eis aperit audiendi confessiones populi facultatem, cum illi qui debent, aut nesciant, aut negligant, aut nequeant eos qui sibi commissi sunt, congrue, ut in pluribus salutis suae necessariis expedire; cum e tribus unum sit necessarium: quod aut poenitentes confiteantur *illis* qui sunt a iure prohibiti vel suspensi; aut *nobis*, quos Ecclesia ad hoc misit, ut clero simus in adiutorio, ubi ipsi minus sufficiunt; aut *nulli*.

De no[n con]fiten[do] [l]a[i]cis. 11. Nam laicis confiteri non licet, cum possunt haberi catholici sacerdotes. Quod enim dicitur [5], quod in extremis debeat homo laico confiteri, si sacerdotem non habeat, non est de necessitate, cum laicus non habeat auctoritatem aliquam absolvendi, sed est *signum* tantum contritionis, quo perpenditur, quod sacerdotem desideravit qui laico est confessus. — *Alii c[asus].* Item, cum dicat canon [6], quod qui habens unum beneficium, cui sit cura animarum annexa, recepit aliud, quod primum ipso iure iam vacet, et ad quem pertinet eiusdem beneficii collatio, nisi illud infra sex menses conferat alteri idoneo, quod collatio iam devolvatur ad alium; et nos iam videamus, plurimos plura huiusmodi contra canones tenere beneficia: liquet, quantae iam ecclesiae sint vacantes et carentes vero pastore, cum et ipsi qui iam tenent eas, non habeant ius in eis nec ipsorum vicarii; et quibus postmodum conferuntur ab illis qui iam ius conferendi propter praefatam negligentiam amiserunt, nihil iuris percipiunt, cum non habeant ius illa beneficia iam conferendi. — Item, cum animarum cura debeat ab episcopo committi vel,

---

[1] Ita ed. 2, aliae edd. cum B *Vide*.
[2] Ita ed. 2, aliae *a qua*.
[3] Auctor ed. 2 putat, quod «haec periodus ex nota marginali in textum irrepsit».
[4] In VI. Decret. lib. V. tit. 11. c. 1.
[5] Cfr. IV. Sent. d. XVII. lit. Magistri, c. 4; Comment. Bonav. p. III. a. 1. q. 1. et dub. 1.
[6] Supra pag. 358, nota 2. allegatus.

sicut in quibusdam ecclesiis consuevit, ab archidiaconis [1], ut sciant, quales sint, quibus animas gubernandas committunt, et illi qui iam videntur pastores, in pluribus terris per se constituunt pro se vicarios in ecclesiis, qui nec ab episcopis vel aliis auctoritate ipsius curam recipiunt animarum; tales patet vicarios ius non habere. Nam cum in cura animarum sit requirenda pastoris idoneitas, non debet hanc curam per alium gerere nisi pro causa rationali et de licentia speciali, cum ipse de animabus sibi commissis sit rationem Deo in iudicio redditurus.

...iale de-...tum pro ...ntonia.

12. Item, cum dominus C. [2], Portuensis episcopus cardinalis, quondam Legatus Theutoniae, generalem tulerit sententiam *suspensionis* ab officio et beneficio contra clericos sollicitantes moniales cuiuscumque habitus, et *excommunicationis* contra omnes carnaliter eas cognoscentes [3], et dominus Papa Gregorius nonus illam confirmaverit et paucis auctoritatem absolvendi tales concesserit; timendum est, multos huiusmodi sententiis ligari, qui nec cogitant super se absolutionis vel dispensationis gratia indigere, et tamen sic ministrant et tenent curam animarum et percipiunt beneficia ecclesiastica sic ligati. — Item, archiepiscopi in suis conciliis et episcopi in synodis saepe ferunt sententias contra diversos excessus, a quibus sunt plures clerici non immunes.

...decreta.

Formula petendi iurisdictionem ad confessiones audiendas.

13. Forma ergo petendi auctoritatem ab episcopis audiendi confessiones generaliter ista potest esse, vel alia aequipollens: Domine, vos estis pastor ovium Christi in hac dioecesi, et vobis incumbit providere animabus commissis vestrae sollicitudini, ne in aliquo negligantur. Cum igitur propter multitudinem plebium et incrementa peccatorum et perplexitatem casuum plebani non possint ad plenum omnibus expediendis sufficere, placeat vobis, ut Fratres, qui habent inter nos confessionis officium, auctoritate vestra sint adiutores eorum et subveniant, in quibus possunt, eorum insufficientiae populi et aliorum requirentium in confessionibus audiendis, salvo iure ipsorum vel quorumlibet praelatorum, cum specialiter ad hoc Ordo noster sit a Sede apostolica destinatus. Si vero dignamini nobis aliquid potestatis praeter communem cursum de aliquibus maioribus ad vos specialiter spectantibus superaddendo committere, propter illos maxime, quibus non facilis ad vos patet frequenter accessus, vel quibus propter alia negotia personaliter intendere non valetis, speramus, Deo esse placitum et proficuum animabus; insuper erit vestri oneris sublevamen. — Hoc videlicet et hoc expressis articulis in scripto, et si potest fieri, sub eiusdem episcopi sigillo omnia, quae concesserit, reserventur [4].

EXPLICIT ADDITAMENTUM.

---

[1] De officio archidiaconi cfr. Gratian., c. *Perlectis* (1.), dist. 25. et l. Decret. Gregor. IX. tit. 23, ubi c. *Cum satis sit absurdum* (4.) statuitur, quod archidiaconus sine licentia et mandato episcopi curam animarum committere alicui non praesumat. — Superius pro *debeat* ed. 2 *habeat*.

[2] In ed. 2 notatur: Conradus scilicet, de quo Ferdinandus Ughellius *in episcopis Portuensibus ac S. Rufinae*, n. 42. tom. I. Ital. Sacr. ed. Venet. an. 1717. col. 127 seqq.

[3] In ed. 2 additur haec nota: In concilio Germanico sub praesidio Conradi episcopi cardinalis Portuensis et S. Rufinae Sedisque apostolicae Legati contra simoniacos et concubinarios clericos celebrato anno Domini 1225, 4. idus Decembris, tempore Honorii Papae III, c. 13. tom. 13. concil. col. 1098 seq.

[4] Cod. B et ed. 1 addunt: Explicit tractatus determinans, quare Fratres Minores praedicent et confessiones audiant.

OPUSCULUM XV.

EPISTOLA DE SANDALIIS APOSTOLORUM

SIVE DE EO QUOD CHRISTUS ET APOSTOLI ET DISCIPULI EIUS

INCESSERUNT DISCALCEATI [1].

1. Talis lector tali lectori spiritum intelligentiae sanioris.

Praedicator quidam falsum asseruit.

Quoniam, secundum Apostolum Ioannem [2], *Deus veritas est,* qui contra veritatem offendit, maxime evangelicam, cuius Christus specialiter auctor est, contra Christum offendere comprobatur. Super eo igitur, quod Christum et suos sanctos Apostolos atque discipulos non discalceatos, sed calceatos incessisse coram peritorum multitudine praedicasti, quam temere contra veritatem evangelicam offenderis, perpendere poteris ex subscriptis.

Auctoritates Ss. Patrum.

2. Ait enim Chrysostomus super Matthaeum [3]: « Apostoli cum una tunica et discalceati circumibant totum mundum et superabant ». — Item, Hieronymus ad Ageruchiam [4]: « Apostoli, toto orbe peregrini, non aes in zona, non virgam in manu, non caligas habuere in pedibus ». Item, ad Rusticum monachum [5] ponit idem. Item, in epistola ad Eustochium [6] dicit sic: « Moyses et Iesus Nave nudis in terra sancta iubentur pedibus incedere, Apostoli sine vinculis pellium et onere calceamentorum ad praedicationem novi destinantur Evangelii. Milites, vestimentis Iesu sorte divisis, caligas non habuere, quas tollerent. Non enim habere Dominus poterat quod servos suos habere prohibuerat ». — In hac auctoritate perpendere potest tua prudentia, quod Dominus noster Iesus non tantum calceamenta tempore passionis non habuit, sed etiam habere primo non potuit; *coepit enim facere et docere,* Actuum primo [7]. — Item, Augustinus libro vigesimo secundo contra Faustum dicit sic: « Quod scribitur Lucae vigesimo secundo: *Quando misi vos sine sacculo, sine pera, sine calceamentis,* non transierunt Domini verba, sed et discipulorum obtemperantium facta secuta sunt ».

3. Item, in vita beati Martialis [8]: « Sanctus Domini Martialis, pergens ad praedicandum, non equo vehebatur aut asino, non quolibet iumento, nec calceamenta propriis induebat pedibus, sed iuxta Domini et magistri sui Iesu Christi sententiam, quam ipse sibi et aliis Apostolis inculcare solebat, ut, pergentes de civitate in civitatem, non sacculum neque peram secum tollerent nec calceamenta; nudis incedens pedibus, imitator Christi atque beati Petri Apostolorum principis, consanguinei sui, in omnibus, quae Contin[...]

---

[1] Ed. 2: Epistola S. Bonaventurae de eo, quod Christus et Apostoli et discipuli eius incesserunt discalceati. Vat. *Opusculum de eo quod* etc., et deinde addit *sive de sandaliis Apostolorum.* De eodem argumento S. Bonav. agit supra Opusc. XI, Apologia Pauperum, c. 10. n. 6. seqq., et infra Opusc. XVI, Expositio in Regulam, c. 2. n. 16. seqq. — Ratio scribendi de eadem re fuit falsa assertio cuiusdam praedicatoris (ut videtur Religiosi), quod patet ex n. 1. et n. 16. huius Epistolae.

[2] Epist. I. c. 5, 6: Christus est veritas.

[3] Homil. 90. (alias 91.) n. 3. Cfr. supra pag. 306, nota 4.

[4] Epist. 123. (alias 11.) n. 15. Cfr. supra pag. 306, nota 3. Respicitur Matth. 10, 9. seq. (cfr. Marc. 6, 8.).

[5] Epist. 125. (alias 4.) n. 8: Tunc [Apostoli] habentes patrem, rete, naviculam, secuti Dominum, protinus omnia reliquerunt, portantes quotidie crucem suam et ne virgam quidem in manu habentes. Cfr. supra pag. 293, nota 9, ubi ex eadem epist. n. 20. alia allata est sententia.

[6] Epist. 22. n. 19. Cfr. supra pag. 275, nota 1. et pag. 306, nota 2.

[7] Vers. 1. — Sententia August. habetur XXII. contra Faustum, c. 77: Neque enim in eo quod ex Evangelio [Luc. 22, 35.] commemoravimus, verba tantum Domini fuerunt, sed et obtemperantium quoque discipulorum facta secuta sunt. Pro *non transierunt* (ita A et edd. 1, 2) Vat. *non tantum fuerunt.*

[8] Aureliani Lemovicensium episcopi, divi Martialis auditoris, olim eius beneficio a mortuis excitati, in eiusdem sanctissimi Martialis Christi discipuli vitam historia (cfr. tom. VII. pag. 244, nota 2, ubi retulimus, quod Martialis fuerit secundum aliquos puer ille, quem Iesus advocans in medio discipulorum statuit, secundum alios vero puer ille, qui habebat quinque panes et duos pisces, de quibus Christus multitudinem satiavit). Vita ista addita est historiae certaminis apostolici tributae Abdiae Babyloniae primo episcopo. Parisiis 1571 fol. 154-182. Locus hic allegatus habetur fol. 176b seq.

ipse Dominus praecepit, existere curabat ». — Item, in vita beati Frontonis disciplui scribitur sic [1]: « Beatus Fronto castra, urbes et vicina loca calceatus tantum sandaliis peragrans, gentium catervis divini verbi semina erogabat ». — Item, in Marthae et Magdalenae vitis [2] legitur, quod vel sandaliis utebantur, vel nudis pedibus incedebant.

Scriptu- rae.

4. De sandaliis autem dicitur Marci sexto [3]: *Calceatos sandaliis;* Glossa: « Ut neque pes tectus sit neque nudus ad terram ». — Item ad Ephesios sexto et Matthaei decimo dicitur in Glossa [4], sandaliis vel soleis usos Apostolos fuisse.

Papias.

Papias [5] autem dicit: « Sandalia autem sunt calceamenta desuper corium non habentia ».

bius de gene.

— Item, Eusebius Caesareensis libro sexto ecclesiasticae Historiae, capitulo *De laudibus Origenis* [6], dicit sic: « Ante omnia Origenes praecepta evangelica et voces Salvatoris summo amore et studio implenda esse censebat, quibus praecipitur, duas tunicas non habendas, nec calceamentis utendum, nec de crastino cogitandum ». Et sequitur ita: « Denique per multos annos absque omni calceamento nudis traditur incessisse vestigiis ».

gorius Naz.

— Item, Gregorius Nazianzenus [7]: « Optabam homines videre, qui viverent ad exemplum, praedicatores Evangelii Christi, nudis pedibus incedentes, propter regnum pauperes, propter paupertatem reges ».

5. Cernis, puto, si proprie sapis, quod duo illustrissimi Graecorum doctores praeceptum evangelicum de non portandis calceamentis ad litteram censuerunt observandum [8]. Quodsi fortassis in hac sententia praesumseris dicere, praedictos duos doctores haeresim sapuisse; per praedictas et post dicendas auctoritates doctorum Latinorum catholicorum calumniari in hac parte praedictos doctores convinceris manifeste.

De more monachorum.

— Item, in vitis Patrum [9], in monachorum perfectorum laudibus legitur in pluribus locis, quod nudis vestigiis incedebant. — Item, Hieronymus in libro contra Iovinianum [10] reprehendit ipsum, quod cum prius tanquam perfectus monachus nudis pedibus incessit, postea, a perfectione apostatans monachali, calceamenta deaurata portabat.

Textus Scripturae explicantur.

6. Item, Actuum duodecimo [11]: *Calcea te caligas tuas;* ad haec est una Glossa: « Petrus propter rigorem carceris ligamenta ad horam laxabat, ut, tunica circa pedes demissa, frigus noctis utcumque temperaret, exemplum praebens infirmis, ut, cum molestia corporali vel iniuria tentantur humana, liceat aliquid laxare de rigore propositi ». Sicut ergo Petrus in eo, quod circa pedes tunicam demisit ad horam propter rigorem carceris, exemplum infirmis praebuit et rigorem laxavit, ita et in eo, quod ad horam tantum caligas habuit, si tamen habuit. In fine tamen praedictae Glossae *caligae* Petri spiritualiter exponuntur sic: « Quod dictum est: *Sint lumbi vestri praecincti,* Lucae duodecimo [12], *et calceati pedes in praeparationem Evangelii pacis,* ad Ephesios sexto, spiritualium virtutum verbique praedicandi resumere iubentur insignia ». — Textus etiam *Calcea te* ad litteram intellectus, non dissonat a praedictis auctoritatibus et inferius annotandis, sed omnino

---

[1] Prae manibus habemus *breviorem* solummodo vitam S. Frontonis (Bolland. tom. XI. 25 Octobris, pag. 497 seqq.), in cuius c. 1. n. 1. S. Fronto, iubente Christo, a Petro Apostolo baptizatus, inter 72 discipulos Christi ad praedicandum Evangelium exhibetur et a Petro Apostolo ad Secundam Aquitaniam, scilicet Petragoricos, destinatus (n. 2.), qui « multas urbes et castella, in quibus verbum Dei seminavit » (c. 2. n. 11; cfr. n. 12.) peragrans, « obiit... anno 42. post resurrectionem Domini nostri Iesu Christi ». Cfr. Raban., de Vita B. Mariae Magdalenae, c. 37. et 49, ubi ille vocatur Frontinus.

[2] Raban., de Vita B. Mariae Magdalenae, c. 41. dicit, quod Martha « semper nuda pedes ». Aliam vitam de Magdalena et Martha in istis saeculis conscriptam non invenimus.

[3] Vers. 9. — Glossa est *ordinaria* (ex Beda, qui sequitur August., II. de Consensu Evangelist. c. 30. n. 75.) in hunc loc.

[4] Glossa *ordinaria* in Eph. 6, 15: *Et calceati* etc. « Marcus [cfr. nota praecedens cum Glossa ibid. allegata] dicit Apostolos calceatos sandaliis vel soleis, ut neque pes sit tectus nec nudus ad terram ». De Glossa *ordinaria* in Matth. 10, 10. vide supra pag. 307, notam 6.

[5] De quo vide supra 306, notam 14.

[6] Cap. 3. Vide supra pag. 306, notam 6. In fine primi loci allegati respiciuntur Matth. 10, 10. et 6, 34.

[7] Orat. 6. (alias 12.) n. 2. Cfr. supra pag. 307, nota 8, ubi extensius exhibetur, omissis tamen *propter regnum pauperes* etc., quae verba in fine allegati n. 2. habentur. Pro *praedicatores Evangelii* (ita A et edd. 1, 2) Vat. *praedicatoris Evangelii.*

[8] Adiungimus monitionem viris, non feminis (quibus, sandaliis reiectis, usum calceorum insinuat), datam a Clemente Alexandr., II. Paedagogi, c. 11: Viro autem pulcre convenit nullos habere calceos, praeterquam si militet. Ὑποδεδέσθαι enim, hoc est *esse calceatum,* non parvam habet affinitatem cum δεδέσθαι, quod est *esse ligatum.* Optimum quidem est exercitationis genus nudis uti pedibus, et ad sanitatem et ad expeditam facilitatem conveniens, ubi non prohibeat necessitas. Quodsi iter non ingrediamur, nec nudis incedere pedibus pati possimus, soleis utendum est; eas autem Attici vocabant κονίποδας, quod *pedes,* quantum ego coniicio, *pulveri* appropinquare facerent etc.

[9] Cfr. lib. I. vita B. Antonii abbatis, c. 23; IV. c. 15, ubi ex Cassian., I. de Coenobior. institut. c. 10, affertur, quod Aegyptii monachi calceamenta, veluti interdicta evangelico praecepto, recusabant et caligis tantum utebantur tempore infirmitatis, hiemis etc. Isaias abbas, Orat. 3. n. 4, instituendo fratres iuniores, generaliter insinuat, quod « in itinere tantum, non autem in cella sandalium ferat » (Migne, Patrol. Graec. tom. 40. col. 1114). In vita S. Fructuosi c. 3. legitur, quod « nudus vestigiis penetrabat loca nemorosa », et c. 11: « Excalceatis nudisque pedibus » (Migne, Patrol. Lat. tom. 87. col. 462 et 464).

[10] Libr. I. n. 40: Nam cum monachum esse se iactitet et post sordidam tunicam et nudos pedes... ad candidas vestes et nitidam cutem... se conferat; manifestum est, quod terram caelo, vitia virtutibus, ventrem praeferat Christo etc. Ibid. II. n. 21: Ante nudus eras pede, modo non solum calceato, sed et ornato.

[11] Vers. 8. — Glossa est *ordinaria* apud Lyranum (ex Beda). Textum originalem secuti substituimus *circa pedes* pro *circum pedes,* et *utcumque temperaret* pro *ventumque temperaret* et *tentantur* pro *intentatur.*

[12] Vers. 35, post quem Eph. 6, 15, ubi pro *in praeparationem* Vulgata *in praeparatione.* Pro *Quod dictum est* Glossa et Beda *Et quia dictum est,* pro *spiritualium* Beda *spiritualiter,* pro *iubentur* Beda *iubetur,* Glossa *iubemur.*

etiam concordat. Nam ubi Latinus interpres dicit *caligas,* Graecus dicit *sandalia* [1]. Sunt autem *sandalia,* sicut dicit Magister in Historia [2], soleae vel perones; secundum Papiam vero *caligae* dicuntur *quasi caligulae,* quia super pedem colligantur, vel etiam, quia calce ligantur, sicut cernimus in solea sancti Petri, quae usque hodie Romae servatur, et etiam in picturis et in caelaturis antiquarum apostolicarum imaginum et novarum, in quibus omnibus vel cum soleis vel nudis pedibus exprimuntur.

Confirmatur imaginibus.

7. Non tibi blandiaris, cum audis, quia sandalia sunt caligae, quia secundum Papiam [3] « *sandalia* sunt caligae vel calceamenta desuper corium non habentia ». Ridiculosum igitur est valde, quod litteratus hoc neget, quod clamant lapides et testantur. *Interlineare* autem, quo dicitur super illo verbo [4]: « Exemplum datur non sine calceamentis ambulandi, Angelo iubente et Apostolo complente », solvitur per principium *Interlinearis,* ubi dicitur: « Caligae sunt calceamenti genus », et de illis intelligitur. Nec videtur authenticum, sed ponitur *magistrale,* vel spiritualiter intelligendum est, ut est illud ad Ephesios sexto [5]: *Calceati pedes* etc., Glossa: « Haec calceamenta virtutum debet habere praedicator, ne ille qui praedicat pede mentis terram tangat, id est, pro terrenis faciat. Hac significatione dicit Marcus, Apostolos sandaliis calceari vel soleis, scilicet ut neque pes sit tectus, neque nudus ad terram ». Hic, ut cernis, manifeste dicit Glossa, et est Augustini, quid sunt *sandalia*, quia soleae, et quod virtutum calceamentis debent veri Apostoli calceari.

Glossa explicatur.

8. Amplius, super illud Lucae vigesimo secundo [6]: *Quando misi vos sine sacculo et pera et calceamentis* etc., Glossa dicit sic: « Non eadem vivendi regula persecutionis, quae pacis tempore discipulos informat. Missis quidem discipulis ad praedicandum, *ne quid in via tollerent,* praecipit; instante autem mortis articulo, et tota illa gente Pastorem simul et gregem persequente, congruam tempori regulam decrevit, permittens, ut tollant victui necessaria ». Ex hac Glossa patet, quod ad regulam apostolicam pertinet nihil in via tollere et sine calceamentis incedere. Et licet persecutionis tempore aliquid in via tollere permittatur, de *calceamentis* tamen comportandis etiam persecutionis tempore nec textus innuit nec Glossa [7].

Alia Glo

9. Ex praedictis testimoniis clarius innotescit, quid de Domini nostri Iesu Christi et suorum Apostolorum atque discipulorum calceamentis iuxta veritatem evangelicam et Sanctorum expositiones docendum sit pariter et servandum. Sed his omnibus testificationibus firmissimis atque claris sancti Evangelii sanctiones sunt incomparabiliter clariores. Scribitur enim Matthaei decimo [8]: *Nolite possidere aurum neque argentum neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via neque duas tunicas neque calceamenta neque virgam.* Item, Marci sexto: *Praecepit eis, ne quid tollerent in via nisi virgam tantum, non peram, non panem neque in zonis aes, sed calceatos sandaliis.* Item, Lucae decimo: *Nolite portare sacculum neque peram neque calceamenta.*

Testimo Evangel rum.

---

[1] Cfr. supra pag. 306, nota 13. verba Bedae.

[2] Petr. Comestor (non Petr. Lombard. Magister Sententiarum), Historia scholastica, in Evang. c. 50. Verba ipsius vide infra n. 10. Isidor., XIX. Etymolog. c. 34. n. 13: *Perones* et *sculponeae* rustica calceamenta sunt. Du Cange, Glossarium etc.: *Perones* Latinis dicuntur calcei, qui tibiatim calceabantur. Vat. et edd. 1, 2 perperam *petones.* — De explicatione Papiae vide supra pag. 306, notam 14. Isidor. loc. cit. n. 12: *Caligae* vel a *callo* pedum dictae, vel quia *ligantur.* Nam *socci* non ligantur, sed tantum intromittuntur.

[3] Cfr. supra pag. 387, nota 5. — Inferius pro *quod litteratus* A et ed. 1 *quia litteratus.*

[4] Scilicet Glossa *interlinearis* in Act. 12, 8. De secundo loco vide supra pag. 306, nota 13. verba Bedae et Fulbert. Carnot. († 1028), Tractat. in Act. 12, 1. seqq. n. 14, ubi dicit, quod *caligae,* sive ut in Graeco habetur *sandalia,* sunt « genus calceamentorum, quae partem pedis inferiorem ex toto contegunt, superiorem autem intectam ostendunt ».

[5] Vers. 15. — Glossa integre habetur apud Petr. Lombard. in hunc locum; apud Lyranum ex prima parte, ut Glossa *interlinearis:* « ne tangat terram qui praedicat » occurrit, alia vero pars tanquam Glossa *ordinaria* exhibetur (cfr. supra pag. 387, nota 3. 4, ubi etiam notavimus, quod sit ex *Augustino* sumta).

[6] Vers. 35. — Glossa est *ordinaria* secundum Bedam supra pag. 285, nota 5. allegatum. Citatur Marc. 6, 8. Ex praeallegato loco Lucae arguit Chrysost., Homil. 9. in Epist. ad Phil. n. 6, Christum in coena ultima praeceptis de non portandis calceamentis etc. derogasse: « Praecepta enim illa ad tempus erant et non perpetua... *Quando misi vos sine sacculo...* Ergo posthac vobis comparate ». Ibid. n. 5. affertur exemplum Petri Act. 12, 8: *Praecingere et calcea te caligas tuas* (ubi in textu Graeco σανδάλια, sed in decursu sermonis utitur Chrysost. voce ὑποδημάτων, id est calceorum). Euthym., in Matth. 10, 10, dicit: « Quod *primum* quidem ita iusserit, sicut Matthaeus et Lucas dixerunt; *postmodum* autem permiserit eis [sicut narrat Marcus], ut calcearentur tantum sandaliis » etc. Communior vero sententia tenet, agi etiam in Marco de eodem praecepto, cum *sandalia* non comprehendantur sub *calceamentis.*

[7] De diversa explicatione *caligarum* cfr. S. P. Benedicti Regula commentata, c. 55. (Migne, Patrol. Lat. tom. 66. col. 778. seq.), ubi commentator fatetur: « In hac tanta varietate quid certo definire difficile est »; et Bened. Abbatis Anianensis Concordia Regularum (Migne, Patrol. Lat. tom. 103. col. 1252 seqq.), ubi in nota adiecta *caligae* diversae asseruntur a *sandaliis,* nisi utrumque in sensu minus stricto sumatur: « Nec nos moratur illud quod profertur ex c. 12. Act. Apostolorum: *Calcea te caligas tuas*, ubi in textu Graeco habetur σανδάλια. Cum enim caligae non sint sandalia, non est dubium, quin nomen caligae hoc loco improprie sumtum fuerit ab interprete, quemadmodum etiam a Papia et Glossis veteribus... Immo nec sandalium in textu Graeco Actuum citato proprie sumitur. Nam proprie sandalium est concinnum mulierum calceamentum... Quae quidem sandalia non erant Apostolorum, qui abhorrebant eiusmodi ornatum ». Qua expositione, ut patet, non impetitur nec laeditur sententia in hoc opusculo propugnata, secundum quam agitur de talibus sandaliis, quae insinuantur Marc. 6, 9: *Sed calceatos sandaliis*, quae certe non erant concinnum mulierum calceamentum.

[8] Vers. 9. seq. — Duo seqq. loci sunt Marc. 6, 8. seq. et Luc. 10, 4.

10. Quod autem Domini haec verba mandata non tantum spiritualiter, sed etiam ad litteram fuerint observata, patet ex auctoritatibus praedictis; patet etiam ex picturis et caelaturis antiquissimis laicorum; patet etiam ex ipsis sandaliis Apostolorum et Christi discipulorum, quae usque in hodiernum diem in plerisque locis ad huius veritatis adstipulationem et devotionem fidelium reservantur; patet etiam ex Glossa Marci superius[1] allegata; patet etiam ibidem ex alia Glossa: « Matthaeus et Lucas memorant, Dominum dixisse discipulis, ut *nec virgam* ferrent; Marcus, ne quid tollerent *nisi virgam tantum*. Sed illi accipiunt *realiter* virgam, Marcus per *virgam* potestatem accipiendi necessaria a subditis ». Ergo sicut et Matthaeus et Lucas virgam realiter accipiunt, sic et calceamenta. « Et Plato dicit[2], duas summitates corporis non esse velandas, neque assuetam fieri mollitiem debere capitis et pedum; cum haec habuerint firmitatem, cetera robustiora sunt ». Item, magister in Historia[3], qui dicit sic: « Non portabitis calceamenta neque virgam. Secundum Marcum sandaliis vel soleis, id est peronibus uti iussi sunt ». Item, Iosue quinto[4]: *Solve calceamentum tuum de pedibus tuis*, Glossa: « Hi sunt pedes, quos lavit Iesus ». Non autem ignorat prudentia tua, Dominum Iesum non tantum pedes Apostolorum spirituales, sed etiam corporales humiliter abluisse.

[Ec verba ad litteram intelligenda.]

11. Patet etiam postremo per gloriosum Christi signiferum Franciscum, qui, Spiritu sancto revelante, iuxta litteralem intellectum praedicti praecepti Ordinem suum et Regulam instituit, *Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis*[5], et etiam servavit; et iuxta hunc intellectum per se ad providentiam signis praecedentibus confirmationem meruit obtinere. — Ceterum, si praecepta evangelica de non portandis calceamentis spiritualiter tantum ab Apostolis intellecta fuerunt et servata, ergo illud quod ibidem[6] inseritur: *Gratis accepistis, gratis date*; et illud: *Infirmos curate, mortuos suscitate*; et illud: *Nolite possidere aurum neque argentum* etc. Quod quam perniciosum sit et evangelicae veritati adversum, tua peritia non ignorat. Ubi, quaeso, esset illud Petri Actuum tertio[7]: *Argentum et aurum non est mihi?* et illud Actuum octavo: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri?* et illud Actuum nono: *Dansque illi manum erexit eam*, in suscitatione Tabithae? Haec ergo si ab Apostolis fuerunt intellecta ad litteram et servata, ergo et illud de calceamentis ab Apostolis non portandis, quae praedictis sine medio connectuntur. — Praeterea, Graeci[8] praedicantes Evangelium, quos cernunt pecuniam non accipere nec calceatos incedere, sed sandaliis, vel soleis uti, *apostolicos* nuncupant et ut Christi discipulos venerantur. Monachi etiam Indiae, sicut ille retulit mihi, qui vidit, calceamentis non utuntur, nudis pedibus incedentes.

[Exemplum Francisci.] [Ad argumentum.] [Dictum Graecorum.] [Monachi Indiae.]

12. Haec autem scripsi tuae peritiae, ut de cetero contra tot et tanta testimonia Christum et eius perfectissimos discipulos non infames et evangelicae veritatis regulam ut lux clarissimam expositione tua mystica non obscures. Nam, secundum quandam Glossam super Matthaeum[9], « pravus est auditor, qui manifesta vult obscure intelligi ». Innuit etiam Gregorius in Moralibus in prooemio[10] trifariae Scripturae modum: « Sunt enim quae historice vel ad litteram intelligi nequeunt, ut illud Iob: *Suspendium elegit anima mea*; et illud: *Pereat dies, in qua natus sum*; quaedam historice, moraliter et allegorice intelliguntur; quaedam, in quibus qui sensum litterae negligit oblatum veritatis sibi lumen abscondit ». Certum est autem ex praedictis, trium Evangelistarum sententias superius[11] allegatas non in primo genere, sed in secundo et tertio contineri.

[Hortatio.] [De sensu mystico et litterali Scripturae.]

13. Ceterum, quod quatuor Evangelistae[12], Ioannis Baptistae humilitatem admirabilem praedicantes, introducunt ipsum dicentem, quod non sit *dignus solvere corrigiam calceamentorum* Christi, sive ipsius *calceamenta portare*; quod spiritualiter intelligendum sit, ex Glossis Sanctorum annotatis ibidem clarius innotescit. Dicitur Ioannis primo[13]: *Non sum dignus, ut solvam eius corrigiam calceamenti;*

[Locus Scripturae exponitur.]

---

[1] Num. 4. — Glossa seq. est *ordinaria* (secundum August., ll. de Consensu Evangelist. c. 30. n. 71-74, quem sequitur Beda, in Marc. 6, 8. seq.) in Marc. 6, 8. In fine textus originalis addit *intelligit*. Respiciuntur Matth. 10, 10. et Luc. 9, 3; cfr. supra pag. 275, nota 9.

[2] Secundum Glossam *ordinariam* (ex Hieron.) in Matth. 10, 10. supra pag. 307, nota 6. allegatam. Cfr. supra pag. 387, nota 8. verba Clementis Alexandrini.

[3] Cap. 50. Cfr. supra pag. 388, nota 2, ubi etiam de *peronibus* (edd. perperam *petonibus*). Finem textus originalis sic exhibet: Secundum Marcum [6, 9.] vero soleis vel sandaliis uti iussi sunt, id est peronibus.

[4] Vers. 16. — Glossa est *ordinaria* (ex Origene, in lib. Iesu Nave homil. 6. n. 3.): Nos vero si vita et meritis accedamus ad Deum et digni efficiamur, ut assistat nobis Deus, dicetur nobis, ut solvamus a pedibus animae nostrae, si quid in eis est mortalis vinculi. Hi sunt enim pedes, quos lavit Iesus, quos nisi laverit, non habebimus partem cum illo [Ioan. 13, 5. 8.].

[5] Marc. 16, 20. — In Regula c. 2. dicitur: Et qui necessitate coguntur possint portare calceamenta.

[6] Matth. 10, 8, ubi et seq. locus; tertius ibid. v. 9. — Vocibus *ergo illud* Vat. interserit *et*. Inferius pro *quam perniciosum* A et edd. 1, 2 *quantum perniciosum*.

[7] Vers. 6. — Duo seqq. loci sunt Act. 8, 20. et 9, 41.

[8] Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 10. n. 8. verba Gregorii Naz., ubi dicitur, quod desiderabat monachos, qui Evangelium taciti praedicantes, nudos pedes *apostolicis similes* habebant.

[9] Cap. 15, 15, in quem locum Glossa *ordinaria* (ex Hieron.): Vitiosus est auditor, qui vel obscura manifeste, vel manifeste dicta obscure vult intelligere.

[10] Cap. 3. et 4, ex quibus pauca tantum afferuntur. Allegantur Iob 7, 15. et 3, 3. Cod. A et ed. 1 omittunt *in prooemio* et inferius *intelliguntur* ac *oblatum*.

[11] Num. 9.

[12] Matth. 3, 11, ubi dicitur: Cuius non sum dignus calceamenta *portare*; Marc. 1, 7; Luc. 3, 16; Ioan. 1, 27.

[13] Vers. 27. — Glossa est *ordinaria*.

ubi Glossa: « Non ait: *non solvam;* solvit enim, quando ipsum manifestavit et de Divinitate et humanitate ipsius multa aperuit; sed: *non sum dignus,* scilicet ait, quia ad hoc agendum se indignum putavit». Item, Lucae tertio [1]: *Non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum eius;* Glossa: « *Non sum dignus* mysterium *solvere* incarnationis, vel nomen sponsi non mihi usurpo, nec sponsus credi, sed amicus sponsi volo». Item, Marci primo [2]: *Non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum eius;* Hieronymus: « Id est incarnationis mysterium, quando *Verbum caro factum est* ». Item, Matthaei tertio [3]: *Non sum dignus calceamenta eius portare;* Glossa: « Intendebat hic ostendere excellentiam Christi et sui humilitatem ». Et in eadem Glossa exponitur *allegorice,* ut prius.

Alia expositio. 14. Forte autem Ioannes Baptista in verbis propositis ad litteram intellectis non Christum calceatum dicere intendit, sed iuxta praedictam Glossam: « *Intendebat* » etc., maiestatem Christi magnificans et suam humilitatem praedicans, usitatum modum loquendi tenuit, sicut de homine valde nobili non lavante manus suas posset dicere pauper humilis: Non sum dignus aquam effundere super manus eius [4]. — Tertia. Nisi forte quispiam verba proposita volens exponere, dicat, quod Christus eo tempore, quo Ioannes Baptista sententias protulit ante dictas, nondum publice praedicabat, nondum regulam ediderat, nondum in deserto, exemplum dans poenitentiae, ieiunaverat — quod utique verum est [5] — et ideo vult dicere, quod calceamentis tunc temporis utebatur; quod utique videtur a Glossis omnibus et Sanctorum expositionibus alienum.

Conclusio. 15. Sive autem hoc fuerit, sive non; ex praedictis manifeste concluditur, quod post institutionem apostolicae regulae Christus suique discipuli sine calceamentis ad litteram incesserunt. Nam, secundum Hieronymum [6], Christus non habuit quod non habendum docuit, qui primo *coepit facere et docere.* Idcirco periculosum est valde, immo ridiculosum asserere, aliter Christum, aliter Apostolos vixisse, et Christum regulam non servasse, et Apostolos aliud quam Christum habuisse perfectionis exemplum, cum, *discipulum esse perfectum, si sit sicut magister* suus, et *servum non esse domino suo maiorem,* evangelica veritas contestetur [7], et ut *simus imitatores Domini, sicut et ipse Christi,* nos Paulus Apostolus exhortetur.

Hortatio. 16. Tu igitur, qui Evangelii doctor es et *sectator,* si huius evangelicae perfectionis apicem non attingis *usu,* attingas saltem *affectu* pio, *affatu* veridico et catholico *intellectu,* et noli Evangelii candidissimam margaritam tortis expositionibus conculcare, noli contra evangelicorum pedum nuditatem pelles mortuas [8] defensare. Si enim contra sententias Evangelii calceamenta defenderis, timendum est, ne *duas tunicas* et *cum pera pecuniam* defendere contendas [9]. Doceat ergo te unctio veritatem, ut, si quid incautius contra Evangelium praedicasti, studeas revocare. Ne contemptum te reputes, quod in hac epistola tecum singulariter sim locutus; hoc enim mihi amor caritatis privatae suasit, praesertim quia malui consuetudinem imitari doctorum illustrium et Sanctorum quam vulgarem facetiam populorum. Vale in Domino.

EXPLICIT EPISTOLA DE SANDALIIS APOSTOLORUM.

---

[1] Vers. 16. — De Glossa, quae est *ordinaria,* cfr. supra pag. 306, nota 11. Respicitur Ioan. 3, 29: Qui habet sponsam sponsus est; amicus autem sponsi etc.

[2] Vers. 7. — Sententia Hieron., quam etiam Glossa *ordinaria* in hunc loc. sub nomine Hieron. affert, habetur in Comment. in Evang. secundum Marcum (inter op. Hieron.). Allegatur Ioan. 1, 14.

[3] Vers. 11. — Glossa est *ordinaria* (ex August., II. de Consensu Evangelist. c. 12. n. 29.). Vide supra pag. 306, notam 12; ibid. nota 10. allegata est eadem Glossa, secundum allegoriam hunc locum explicans.

[4] Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 11. n. 7. — Superius pro *in verbis propositis* edd. 1, 2 *in verbis praepositis.*

[5] Vide Matth. c. 3. et 4.

[6] Supra n. 2. ex epist. ad Eustochium: « Non enim habere Dominus poterat quod servos suos habere prohibuerat ». Pro *non habuit* A et edd. 1, 2 *non potuit* (addendum: *habere).* — Deinde allegatur Act. 1, 1, in quo pro *et docere* A et ed. 1 *quam docere.*

[7] Matth. 10, 24. seq. — Sequitur I. Cor. 4, 16; cfr. 11, 1.

[8] Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 7. n. 3: Quis enim nesciat, quod calceamenta ex mortuis animalibus fiant?

[9] Sententiam Christi vide supra n. 9. — Dein respicitur I. Ioan. 2, 27: Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio eius docet vos de omnibus etc. — Inferius ex A et edd. 1, 2 supplevimus *contra.*

OPUSCULUM XVI.

EXPOSITIO SUPER REGULAM FF. MINORUM[1].

CONFIRMATIO REGULAE[2].

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Fratri Francisco et aliis Fratribus de Ordine Fratrum Minorum salutem et apostolicam benedictionem. Solet annuere Sedes apostolica piis votis et honestis petentium desideriis favorem benevolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris piis precibus inclinati, Ordinis vestri Regulam, a bonae memoriae Innocentio Papa, praedecessore nostro approbatam, annotatam praesentibus, auctoritate vobis apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus; quae talis est.

EXPOSITIO CONFIRMATIONIS REGULAE.

1. *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia*, ad Galatas sexto[3]; *hanc* plane *Regulam*, ab Innocentio Papa tertio approbatam, a sequenti Honorio confirmatam, a Gregorio nono declaratam, *ut funiculus triplex non facile dirumpatur. Nec* tamen *in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulae, qua mensus est nobis Deus*[4], ne *in aliena regula* gloriemur. Huius igitur Regulae rectitudinem, duce Domino, breviter declarabo, ut sit ei adhaerentibus declaratio solatium et adversantibus directio, qui obliquis et infectis eam intuentes oculis lumini attribuunt suarum vitium tenebrarum. — Regula igitur ipsa epistolari more[5] a *salutatione* oritur, in *narratione* deducitur et in *conclusione* terminatur. In *salutatione* enim refulget apostolica clementia, pie pauperibus condescendens; in *narratione* patet apostolica sapientia, perfectionis summam brevitate perstringens; in *conclusione* eius auctoritas refulget et potentia, servos Christi perpetua protegens[6] armatura.

[Margin: ...a approbatio. / ...itio auctoris. / Tres partes Regulae.]

2. Prima pars, scilicet *salutatio*, duas habet particulas, quia continet *salutationem* et sequentium *confirmationem*. Dicitur enim primo sic: *Honorius episcopus*, episcopus utique non alicuius partis solum, sed totius universitatis. In cuius figuram legitur Ioannis vigesimo primo[7], quod stante Iesu in littore maris, Petrus *succinxit se et misit se in mare, alii vero discipuli navigio venerunt*. Per *mare* intelligitur saeculum ipsum, quod suscepit Petrus a Domino gubernandum; per *navigium* autem intelliguntur variae sortes discipulorum, qui in variis mundi partibus pontificium susceperunt. Unde et *duae* fuerunt naves, propter *circumcisionem* et *praeputium*, secundum Augustini sententiam super illud[8]. Hinc Petrus, a petra dictus, a Domino

[Margin: Primae partis divisio. / Primo, de salutatione. / Figura primatus explicatur.]

[1] Inter codices solus B hanc expositionem attribuit Ioan. de Pethiano (Pecchamo), cuius tamen expositio diversa est a Bonaventuriana. Invenitur illa in eodem cod. D et in libro, cui titulus *Firmamenta trium Ordinum B. P. Francisci*, p. IV. fol. 94 b, et incipit: « Sed quia Regula FF. Minorum per Spiritum sanctum B. Francisco inspirata... a domino Papa Gregorio IX. declarata, ab omnibus sequentibus Apostolicis approbata, a iuristis » etc. Cod. C: *Incipit postilla Fratris Bonaventurae*, ut dicitur, *super Regulam*. Codd. D F G (A principium non exhibet) *Declaratio super Regulam*, eamque simpliciter Bonaventurae attribuunt, sicut et edd. De diversis codd. lectionibus, quae quasi in omnibus lineis occurrunt, eas tantum exhibemus, quae maioris sunt momenti.

[2] Textum Regulae non sumsimus vulgatum in editionibus infinitis, sed ex libro hoc anno a nostra typographia impresso cum titulo « Seraphicae legislationis textus originales ». Textus enim ibi publicatus sumtus est ex originali Bulla Honorii III, quae tanquam reliquiae conservatur Assisii et novissime arte photographica expressa est. Lectiones tamen variantes sunt paucae et minoris momenti, quas ad calcem indicavimus.

[3] Vers. 16. — Subinde allegatur Eccle. 4, 12. — De tribus Pontificibus, qui hanc Regulam approbarunt, confirmarunt et declararunt, cfr. supra pag. 318, nota 12. et pag. 332, nota 9. — Inferius post *plane* Vat. addit *puto*, sed F voci *declaratam* praefigit *legimus*.

[4] Epist. II. Cor. 10, 13; ibid. v. 16: Non in aliena regula in iis quae praeparata sunt gloriari. — Ex B C G et ed. 1 substituimus *in aliena regula* pro *in aliqua alia regula*. Subinde pro *breviter* G *brevibus verbis*, qui etiam voci *adhaerentibus* cum B C et ed. 1 addit *declaratio*, quod ab aliis omittitur. Pro *infectis* (ita B C F G et ed. 1) Vat. *reflexis*.

[5] Ita F G et ed. 1; Vat. *modo*. Inferius post *conclusione* B C F G et ed. 1 addunt *tertio*.

[6] Vat. *auctoritas refulget potentiae, qua servos Christi perpetua protegit.*

[7] Vers. 7. seq. Cfr. supra pag. 378, nota 2. — Superius pro *Dicitur enim primo sic* G *Pro primo dicit*. Inferius pro *Per mare* F G et ed. 1 *In mari*.

[8] In Ioan. Evang. tr. 122. n. 7: Quod autem illic duabus naviculis, propter circumcisionem et praeputium.

positus est Ecclesiae fundamentum, Matthaei decimo sexto[1]: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam,* ubi Rabanus: « Ut omnes per orbem credentes intelligant, quia, quicumque ab unitate fidei vel societate illius quolibet modo segregant se ipsos, nec a vinculis peccatorum absolvi nec ianuam possunt regni caelestis intrare ». Hinc Petro Dominus dedit super alios Apostolos ordinariam potestatem; Lucae vigesimo secundo[2]: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* — In huius rei figuram dicitur Sapientiae decimo octavo, quod *in veste poderis, quam habebat Aaron, totus erat orbis terrarum.* — Quodsi unus non esset, qui in omnes exercere iurisdictionem posset, nutaret status Ecclesiae. Si partibus discordantibus, non esset qui posset manum mittere in ambabus, fuisset synagoga felicior quam Ecclesia, quia illa habebat unum summum pontificem, qui omnes discordias poterat terminare, ut patet Deuteronomii decimo septimo[3].

Alia figura.

Ratio notabilis.

Tantae autem auctoritati recte[4] profundissima humilitas sociatur, cum dicitur: *Servus servorum Dei,* non istorum vel illorum, sed sapientium et insipientium, omnium et singulorum. Sic certe, ut legitur Ezechielis quadragesimo secundo[5]: *Gazophylacia* templi *fuerunt in superioribus humiliora.* In statu enim sublimi est ornamentum nobile humilitas profunda.

De titolo Papae.

Sequitur: *Dilectis filiis fratri Francisco et aliis fratribus de Ordine Fratrum Minorum salutem et apostolicam benedictionem.* Ecclesiastici tertio[6]: *Benedictio patris firmat domos filiorum.* In hierarchicis eloquiis optime sonat nomen *dilectionis,* quia, ut dicit Dionysius[7], « totius hierarchiae finis et consummatio est unitiva dilectio ».

Verba salutationis.

3. Sequitur secunda particula continens sequentium *confirmationem.* Unde dicit: *Solet annuere Sedes apostolica piis votis et honestis petentium desideriis favorem benevolum impertiri.* — *Pium* est quod ad Dei gloriam est directivum, quia pietas est cultus Dei; secundae ad Timotheum tertio[8]: *Qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* — *Honestum* est quod ad aedificationem proximi ordinatur; ad Romanos decimo tertio[9]: *Sicut in die honeste ambulemus.* Haec honestas a divinis est praecipue beneplacitis et non mundanis vanitatibus regulanda. Unde Hieronymus super Isaiae vigesimo[10]: « Non erubuit Isaias nudus incedere, nihil honestius iudicans, quam Domino obedire ».

Secundo, de confirmatione.

Quid pium.

Quid hon[e]stum.

Sequitur: *Eapropter dilecti in Domino filii, vestris piis precibus inclinati, Ordinis vestri Regulam a bonae memoriae Innocentio Papa, praedecessore nostro approbatam, annotatam praesentibus, auctoritate vobis apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, quae talis est.* — Cum ratione *pietatis* et *honestatis* dicat se Summus Pontifex hanc Regulam confirmasse, *impii* sunt, qui a Sede apostolica discordantes, Regulam istam dicant servari non posse, et per consequens aliquid impium continere. Tales enim haeretici sunt et schismatici, ut patet vigesima secunda distinctione, canone[11]: *Omnes sive patriarchici;* item, Deuteronomii decimo septimo: *Sequeris sententiam eorum nec declinabis ad dexteram, vel ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio et decreto iudicis, morietur homo ille.* — Ex praedictis etiam verbis patet, quod tota Regula Fratrum Minorum est mandatum apostolicum, et per consequens totum est authenticum, quidquid in eius serie continetur. — Sequitur textus[12].

Verba co[n]firmation[is]

Argum[entum] detracto[rum] Regula[e]

In nomine Domini incipit Vita Minorum Fratrum.

(CAPITULUM I.)

Regula et vita Minorum Fratrum haec est, scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate. Frater Franciscus promittit obedientiam et reverentiam domino Papae Honorio ac successoribus eius canonice intrantibus et Ecclesiae Romanae; et alii Fratres teneantur Fratri Francisco et eius successoribus obedire.

[1] Vers. 18. — Sententia Rabani habetur V. Comment. in Matth. 16, 19, ubi etiam exhibetur a Glossa *ordinaria.* Pro *societate illius* C et ed. 1 cum textu originali *societatis illius* (Glossa *societate eius*), et pro *intrare* G et ed. 1 cum textu originali et Glossa *ingredi.* — Vocibus *ubi Rabanus* G et ed. 1 interserunt *dicit.*

[2] Vers. 32. — Sequitur Sap. 18, 24. Vide Bonav. in hunc locum. — Inferius pro *figuram* D *figura,* et pro *nutaret* (ita B C G) ed. 1 *mutaretur,* Vat. *ubi maneret.*

[3] Vers. 8. seq.: Si difficile et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris... surge et ascende... veniesque ad sacerdotes levitici generis et ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quaeresque ab eis qui indicabunt tibi iudicii veritatem. Cfr. infra n. 3. — Superius respicitur Iob 9, 33: Non est qui utrumque valeat arguere et ponere manum suam in ambobus.

[4] Ita B C F G et ed. 1; Vat. *Tantae auctoritati nostrae.*

[5] Vers. 5. — De titulo *servus servorum Dei* cfr. supra pag. 121, nota 7. — Inferius pro *nobile* (ita F G et ed. 1) Vat. *notabile.*

[6] Vers. 11. Pro *firmat* Vat. *confirmat.*

[7] De Caelesti Hierarchia, c. 3. § 2: Scopus igitur hierarchiae est Dei, quanta fieri potest, assimilatio coniunctioque (recens versio); et de Ecclesiastica Hierarchia, c. 1. § 3: Universae autem hierarchiae finis et consummatio est dilectio etc. (versio Vercellensis).

[8] Vers. 12. — August., Enchirid. c. 2. n. 1: *Ecce, pietas est sapientia* [Iob 28, 28.]. Si autem quaeras, quam dixerit eo loco pietatem, distinctius in Graeco reperies θεοσέβειαν, qui est Dei cultus [Septuaginta: *Ecce, cultus Dei est sapientia*]. Cfr. XII. de Trin. c. 14. n. 22. et XIV. c. 1. n. 1.

[9] Vers. 13. Comment. in Epist. I. Cor. 14, 40, quod inter opera Ambrosii habetur: *Honeste* autem illud fit, quod cum pace et disciplina fit. Cfr. Bernard., Serm. 85. in Cant. n. 10. seq. — Superius pro *ordinatur* A G et ed. 1 *est ordinatum.*

[10] Vide supra pag. 307, notam 5.

[11] Can. 1. — Sequitur Deut. 17, 11. seq.

[12] Cod. D addit *Regulae. Primum capitulum,* B C F G et ed. 1 substituunt *Rubrica prima,* cui addit G *Primum capitulum.* Notandum est, ipsum originale non habere distinctionem *capitulorum,* et etiam Bonav. uti semper nomine *rubricarum.* Tamen secundum usum communem adhibuimus in superscriptione vocem *capituli* intra parenthesim.

EXPOSITIO.

1. *Regula et vita Minorum Fratrum haec est, scilicet Domini nostri Iesu.* Hic subditur *confirmatae veritatis narratio,* quae rubricis duodecim discernitur, quae sunt *duodecim durissimi lapides,* de quibus dicitur Iosue quarto [1], quod duodecim electi viri acceperunt *de alveo Iordanis, ubi steterunt sacerdotum pedes, duodecim lapides, ponentes in loco castrorum, ubi illa nocte deberent figere tentoria.* Hoc est dicere, quod Fratres Minores tanquam viri a Domino, vero Iosue, electi, volentes pertransire Iordanem et festinare ad terram promissionis, eligant sibi *duodecim durissimos lapides,* id est duodecim capitula Regulae evangelica et apostolica sententia confirmata, de loco, *ubi steterunt pedes sacerdotum,* hoc est ad imitationem duodecim Apostolorum. — Tres primae rubricae radios recipiunt orientis; tres aliae sequentes pericula excludunt aquilonis; tres tertio loco positae ruinae obviant ab occasu; tres ultimae australibus deliciis sunt refertae; ut sic haec *civitas in quadro posita* [2] in portisque duodecim ornata duodecim apostolicis margaritis non timeat potentis insultum, pauperum et sapientum industria communita.

Trium autem primo positarum et orientalium rubricarum prima summarie Religionem instituit; secunda ad eam venientes recipit; tertia receptos interius et exterius instruit disciplina.

Et quia, ut patet ex Dionysio [3], substantia hierarchiae in duobus consistit, scilicet in sanctis *perfectionibus* et in *ordine perficiendorum;* prima ad *perfectiones per obedientiam,* scilicet subditorum ad praelatos: idcirco prima rubrica duas habet partes, quarum prima summarie tangit huius hierarchiae, id est sacri ordinis, *perfectionem;* secunda describit *obedientialem ordinationem,* ibi: *Frater Franciscus* etc.

2. Dicit ergo primo: *Regula et vita. Regula* ex hoc dicitur, quia « recte ducit [4] ». « Rectum autem est, cuius medium non exit ab extremis »; et quia dicitur primae ad Timotheum sexto [5]: *Nihil intulimus in hunc mundum; haud dubium, quia nec auferre quid possumus.* Illa ergo verissima dicitur Regula, quae docet, ut est possibile in vita, paupertatem nudissimam observare. Haec Regula etiam est *vita,* ut tota Fratrum conversatio Regulae applicetur, iuxta id quod legitur tertii Regum sexto [6]: *Operuit omnia laminis aureis ad regulam.*

Minorum Fratrum, sic dictorum absolute, ut, de nullo dignitatis gradu contendentes nec sibi nomen honoris alicuius usurpantes, omnibus se humilitate, salvo Dei honore, subiiciant, ad nullam temporalem dignitatem seu magnitudinem, ut pauperrimi, purissimi et humilissimi aspirantes. Dicti sunt autem *Minores,* ad illorum imitationem, de quibus dicitur Matthaei vigesimo quinto [7]: *Quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.*

3. Eorum igitur Regula *haec est, scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum Evangelium observare.* Hoc idcirco dicitur, quia tota Regulae substantia de fonte trahitur evangelicae puritatis [8]. Non est ergo haec Regula aut vita *nova* res, sed procul dubio *renovata,* magnaque est huiusmodi Regulae professoribus materia solatii, qui soli in hoc mundo vitam illam ad litteram profitentur, quam Apostolis ad praedicandum missis Dominus commendavit [9].

Sed cum dicat: *Haec Regula est, sanctum scilicet Evangelium observare;* nunquid voventes hanc Regulam vovent per consequens omnem Evangelii perfectionem? — Dico, quod *non,* cum in ipsa Regula, quam vovent, quaedam monitorie et exhortatorie subiungantur. Cum ergo non omnem Regulae partem voveant observare, multo magis non vovent quod non exprimitur in eadem. Cui simile est, quod super illud Psalmi [10]: *Vovete et reddite,* dicit Glossa, quod « quaedam vota sunt *communia omnibus,* ut vovere fidem et abrenuntiare diabolo et pompis eiusdem, non superbire, non occidere et huiusmodi, et

Margin notes: Regulae capitula 12. — Rubricarum divisio generalis. — Subdivisio. — Capitulum 1. habet 2 partes. — De prima parte. — Explicatur nomen. — Perfectio Evangelii renovata. — Dubium. — Solvitur.

---

[1] Vers. 2. seq. — Codd. A B C F G et ed. 1 legunt: quae rubricis duodecim distinguitur, quod [ed. 1 omittit *quod*] Iordanis alveum transituri de loco, *ubi steterunt pedes sacerdotum,* hoc est ad imitationem Apostolorum, *duodecim lapides durissimos* evangelica et apostolica sententia confirmatos in locum castrorum portaverunt ad tentoria, in quibus Christi militia agonizans ad patriam festinat, nihil possidens in hoc mundo, Iosue 2. Tres primae rubricae etc. Inferius post *tanquam* D prosequitur: *viri a vero Iosue electi, id est a Christo Domino, volentes* etc.

[2] Apoc. 21, 16; ibid. v. 21: Et duodecim portae duodecim margaritae sunt per singulas, et singulae portae erant ex singulis margaritis. — Superius pro *ruinae* Vat. *malis,* et subinde A G et ed. 1 omittunt *sic.*

[3] De Caelesti Hierarchia, c. 3. § 2. seq. et de Ecclesiastica Hierarchia, c. 1. § 3. (cfr. supra pag. 251, nota 3.) et c. 5. § 1. seqq. — Inferius post *prima* Vat. (et ex parte codd. excepto C et ed. 1) prosequitur: *ad perfectos per obedientiam, secunda subditorum* etc. Locus hic est obscurus et, ut videtur, corruptus.

[4] Isidor., VI. Etymolog. c. 16. n. 1: *Regula* autem dicta, quod recte ducit nec aliquando aliorsum trahit. Alii dixerunt *regulam* dictam, vel quod regat, vel quod normam recte vivendi praebeat, vel quod distortum pravumque quid corrigat. — Sequitur definitio *recti* a Platone data (cfr. supra pag. 286, nota 1.). — Superius pro *Regula ex hoc* D *Regula enim.*

[5] Vers. 7. Cod. D *Unde Apostolus* pro *et quia dicitur,* cui Vat. addit *per Apostolum.* — Inferius A D G et ed. 1 omittunt *ergo,* pro *verissima* D G substituunt *verissime,* ab A G et ed. 1 omittitur *in vita.*

[6] Vers. 35, ubi post *aureis* Vulgata addit *opere quadro.*

[7] Vers. 45. — Superius pro *humilitate* Vat. *humilitatis amore,* et subinde ex D supplevimus *dignitatem seu.*

[8] Vide supra pag. 333, notam 3.

[9] Matth. 10, 9. seq.; Marc. 6, 8. seq.

[10] Psalm. 75, 12. — Glossa exhibetur a Petro Lombardo, in hunc loc., nonnullis adiunctis (secundum August. in hunc loc.). Glossa *ordinaria* brevior: « Alia sunt *communia* vota de his, sine quibus non est salus; alia *propria,* ut vovere ca-

de his praecipitur omnibus: *Vovete et reddite* ». Simile. Sicut ergo in hoc genere voti non intelligitur praeceptorie [1] voveri ab omnibus Christianis, nisi quod praeceptorie imponitur ex lege Dei; sic nec tota perfectio evangelica vovetur ab huiusmodi Regulae professoribus, sed tantum illa eius pars, quae ex Regulae intentione illis imponitur obligatorie observanda. Vovent igitur Fratres totam Regulam secundum intentionem mandatoris partim ad *observantiam*, ut praeceptorie imposita, partim ad *reverentiam* et approbationem illorum quae non tam praeceptorie imponuntur quam monitorie proponuntur tali statui specialiter aemulanda, ut est illud quod infra [2] dicitur: *Orare semper ad Deum puro corde, habere humilitatem et patientiam in persecutione et infirmitate.* Licet enim virtutum actus sint in praecepto, tanta tamen actuum praecellentia nulli imponitur praeceptorie, quanta in pluribus Regulae capitulis continetur. Vovent ergo Fratres eodem modo Evangelium, partim scilicet ad observantiam, partim ad reverentiam specialem, quam decet et congruit tanto statui aemulari.

Ex his ergo patet error dicentium, quod Corollarium. voventes hanc Regulam vovent etiam omnia praeceptorie, quae in ipsa Regula continentur; hoc enim est contra Regulam manifeste, quae expresse distinguit *monitiones* a *praeceptis* [3].

4. Sequitur: *Vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate.* Obedientia subditorum duplex. Circa quod sciendum, quod *obedientia* uno modo est *virtus* contraria inobedientiae, et sic omni convenit Christiano; primae Petri primo [4]: *Castificantes animas vestras in obedientia caritatis.* Alio modo *obedientia* dicit *statum* eminentem huius virtutis, quando aliquis non tantum obedit Deo, verum etiam homini propter Deum; item, Deo obedit non tantum in *necessariis*, verum etiam in *operibus supererogationis* et *divinis inspirationibus universis*, quantumcumque difficilibus et arduis, illius exemplo, qui *factus est obediens usque ad mortem*, ut dicitur ad Philippenses secundo [5], qui mori minime tenebatur. Haec obedientia ex verbo Domini descendit, qui dicit Matthaei decimo sexto: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum* etc.

5. Sed triplex est sui abnegatio: Abnegat[io] triplex. una est necessaria per modum *subcontrarietatis* [6], qua homo in quibusdam suae voluntati renuntiat, ut in peccatis, in aliis vero, ut in indifferentibus, sibi suam retinet voluntatem. — Alia est sui abnegatio per modum *contrarietatis*, in illis scilicet, qui in omnibus vel simpliciter, vel accommode suae renuntiant voluntati, nihil volentes vel agentes secundum nutum suae voluntatis. De qua dicit quidam [7]: « Nil ita fragrat Domino *in odorem suavitatis*, quam si mactetur Domino vitulus propriae voluntatis ». Nimirum altissimum est in homine voluntas rationalis; altissimum ergo est sacrificium eam totaliter Domino consecrare, non tantum ipsi Deo obediendo, sed etiam homini propter Deum, cum et ipse ad hoc docendum parentum suorum subditus fuerit voluntati, ut legitur Lucae secundo [8]. — Est etiam abnegatio tertia, quasi *contradictoria*, quae vitam propriam exponit pro gloria Conditoris.

6. Obedientia tamen, secundum quod dicit Obedien[tiae] gradus [...] *statum* eminentem virtutis obedientiae, plures habet gradus. Primus. Quidam enim in omnibus obediunt *absolute*, ut dictum est [9]; Secundu[s]. quidam vero in omnibus *accommode*, utpote ad mediocritatem status sui pertinentibus, propriae renuntiant voluntati; quia *clerici saeculares* in sacri ordinis susceptione renuntiant propriis voluntatibus, et ex tunc penitus debent subiici ecclesiasticae potestati, ut legitur Causa duodecima, quaestione prima, canone *Non dicatis* [10].

---

stitatem et huiusmodi (secundum August.) ». Dein ex Cassiodoro: Quaedam sunt, quae nec promittentes debemus solvere, ut non occides et huiusmodi; alia sunt, quae, nisi vovemus, non cogimur implere etc.

[1] Vat. *expresse,* subinde post *Christianis* addito *praeceptorie*, quae etiam inferius pro *imponitur ex lege Dei* substituit *in lege ponitur divina* et *vita* pro *perfectio.*

[2] Cap. 10. — Superius pro *mandatoris* Vat. *mandatorum,* pro *approbationem* A et ed. 1 *ad probationem,* et pro *monitorie* (ita A C et ed. 1) Vat. *meritorie.*

[3] Eodem modo declaravit Gregor. IX. in sua Constitut. *Quo elongati* (cfr. supra pag. 312, nota 3.) et postea Nicolaus III. in sua Constitut. *Exiit qui seminat* (cfr. supra pag. 321, nota 6.) a. 1. n. 1. et Clemens V. in sua Constitut. *Exivi de paradiso* (V. Clement. tit. 11.) c. 1. Cfr. Expositio quatuor Magistrorum (Alex. Halens., Ioan. de Rupella, Roberti de Bastia et Richardi) super Regulam, in c. 1, ubi idem proponitur.

[4] Vers. 22; ibid. v. 14. dicitur *quasi filii obedientiae.* Cfr. Bonav., II. Sent. d. 35. dub. 4.

[5] Vers. 8. — Sequitur Matth. 16, 24. — Superius pro *operibus* Vat. *omnibus.*

[6] Respicitur divisio propositionum oppositarum a logicis data, qua propositiones oppositae dividuntur in *contrarias,* v. g. omnis homo iustus est, nullus homo iustus est; *contradictorias,* v. g. omnis homo iustus est, quidam homo iustus non est; *subcontrarias,* v. g. quidam homo iustus est, quidam homo iustus non est. Cfr. Averroes et Boethius in Aristot., I. Periherm. c. 5. — Superius pro *Sed triplex* D *Sciendum, quod triplex.*

[7] Gregor., XXXV. Moral. c. 14. n. 28: Samuel [I. Reg. 15, 22.] ait: Melior est *obedientia quam victimae...* Obedientia quippe victimis iure praeponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur etc. Cfr. V. in I. Reg. c. 2. n. 22. seqq. Dictione *in odorem suavitatis* respicitur Exod. 29, 41; Lev. 2, 9. etc. — Superius post *contrarietatis* Vat. prosequitur: *ut in illis omnibus sive simpliciter sive accommode suae renuntiant voluntati, nihil volentes sive agentes secundum suam voluntatem vel secundum nutum suae voluntatis.* Pro *nutum suae voluntatis* D *motum propriae voluntatis.*

[8] Vers. 51: Et erat subditus illis. — Cfr. II. Sent. d. 25. p. I. q. 6. scholion, n. 2, ubi de controversia, utrum intellectus, an voluntas sit altior in homine. — Superius post *Nimirum* D addit *quia.* Inferius pro *Conditoris* D G et ed. 1 *Redemptoris.*

[9] Num. 5.

[10] Can. 11. Cfr. supra pag. 284, nota 8. — Superius pro *et ex tunc* D *quia ex tunc,* et pro *penitus* (ita F G et ed. 1 cum canone) Vat. *plene.*

Tertius. Amplius, sublimior est obedientia *monachorum* quam saecularium clericorum, ut patet Extra, de Officio ordinarii, capitulo *Quanto* [1]. Monachorum autem obedientia duobus constringitur: primo, quia obedientiam vovent, salva stabilitate ad locum; secundo, quia ad nihil obedire tenentur, quod Regulam suam transcendere demonstratur [2]. — Altior est ergo obedientia illorum qui nullum habent in hoc mundo *loci ius proprium*, quo sua obedientia restringatur. Item, altior est illorum obedientia, quorum altior et arctior est Regula, ex qua tenentur eiusdem Regulae professores nihil respuere, nisi sit Regulae ipsi contrarium vel saluti, directe vel aliqualiter [3]. Illi ergo soli *abnegationis contrariae*, secundo modo dictae gradus perfecte attingunt, qui in omnibus etiam indifferentibus subsunt beneplacitis alienis, qui nullum habent patrocinium loci stabilis vel regionis, ad quam eorum obedientia contrahatur, qui nihil sibi obedientialiter impositum possunt repellere quasi transcendens suam Regulam, nisi vergat in suae animae detrimentum. — Unde patet, quod errant qui dicunt, quod in omnibus Religionibus obedientia sit aequalis [4].

Probatur gradus primus.

7. Sequitur: *Sine proprio*. Et hoc etiam habet gradus. Nam secundum antiqua iura [5] clericis habere proprium non licebat. Sunt adhuc etiam bona ecclesiastica, non propria, sed communia, id est communi utilitati viventium deputata. Sed quia etiam praeter haec licebat clericis saecularibus habere peculiaria propria, patet, quod altior est status monachorum quoad hoc, quibus non licet habere proprium ullo modo *personale*, sed tantum *in communi*. Sed quia in bonis *communibus* est periculum, sicut in propriis, ut patet ex avaritiis et aliis malis affluentiae terrenae frequenter annexis tam Religiosorum quam saecularium clericorum [6]; ille status est sincerior et a periculis divitiarum remotior, qui non habet affluentiam propriam vel communem, mobilem vel immobilem, ut non sit ei ex divitiis materia superbiendi, vel occasio lasciviendi, vel avaritiae incentivum.

Paupertatis gradus tres. Primus. — Secundus. — Tertius.

Crescit enim amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit [7].

Nihil igitur habet proprium Ordo Minorum Fratrum, nec aliqua ipsius Ordinis persona, sed uti servi Christi et serviles pro Christo effecti, qui pro nobis *formam servi accepit* [8], in domibus vivunt alienis, illum imitantes, qui nullum habuit titulum proprii domicilii, *ubi caput suum* sanctissimum *reclinaret*. Et propter ipsum utuntur libris et aliarum necessitatum utensilibus, quae iuris sunt alieni. Nam et « Christus alieno vescebatur cibo », ut dicit Hieronymus ad Nepotianum [9]. Unde Gregorius nonus, hanc eandem Regulam elucidans et istam professionem ab omni alia distinguens, bene ait: « Dicimus, quod nec in communi nec in speciali debent proprietatem habere, sed utensilium et librorum et eorum mobilium, quae licet habere, Ordo usum habeat, salvo locorum et domorum dominio illis, ad quos noscitur pertinere. Nec vendi debent mobilia vel extra Ordinem commutari aut alienari quoquo modo, nisi Ecclesiae Romanae cardinalis, qui pro tempore fuerit Ordinis gubernator, generali seu provincialibus Ministris, auctoritatem super hoc praebuerit vel assensum ».

Est Ordinis Minorum. — Decretum Papae.

8. Ex quo patet, quod omnia mobilia, quibus Ordo utitur, sunt nullo medio [10] bona Romanae Ecclesiae, cuius auctoritate solus eiusdem Ecclesiae cardinalis et nullus eo inferior licentiam habet sine ipso eadem dispensandi. Cum igitur in aliis Religionibus bona sic sint *communia personis*, quod tamen sunt *propria communitati* [11], et sicut distinguuntur ecclesiae, sic et possessiones ecclesiis propriae; ista ecclesia, quae est Fratrum Minorum communitas, nihil potest sibi vindicare per modum possessionis vel dominii communitati suae proprium,

Confirmatur.

---

[1] Libr. I. Decret. Gregor. IX. tit. 31. De Officio iudicis ordinarii, c. *Quanto devotio Religiosorum* (7.), quod cum ed. 1 substituimus pro *cap. 5.* a Vat. allegato, in quo nihil hac de re occurrit. Pro nostra allegatione notentur propositiones illae, quae quidem in ipso capitulo non inveniuntur, sed ab editoribus Romanis adiunctae sunt, in quibus ex una parte insinuatur maior perfectio Religiosorum, ex altera parte inobedientia eorum deploratur.

[2] Cfr. Bernard., de Praecepto et dispensatione, c. 5. n. 11. — Codd. B C *transcendere dignoscatur*. Superius voci *obedientiam* Vat. praefigit *per*, et pro *ad locum* D substituit *loci*.

[3] Respicitur c. 10. Regulae. — Inferius pro *gradus* D *gradum*.

[4] Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 3. n. 20.

[5] Vide Gratian., Causa 12. q. 1. (ex qua supra pag. 251, nota 1; pag. 313, nota 1. et pag. 322, nota 8. quaedam occurrunt), q. 3-5. — Cfr. etiam Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 7. n. 21. seqq. — Inferius post *Sed quia* A et ed. 1 omittunt *etiam*, et pro *licebat* A G et ed. 1 substituunt *licet*, D *liceat*.

[6] Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 7. n. 24. seqq.; c. 8. n. 17; c. 9. n. 13. seqq. et c. 11. n. 4. seqq. — Superius pro *avaritiis* D et ed. 1 *avaritia*. Inferius pro *sincerior* ed. 1 *superior*.

[7] Iuvenal., Satyr. 14. v. 139. Cfr. supra pag. 211, nota 2.

[8] Phil. 2, 7. — Sequitur Matth. 8, 20; cfr. Luc. 9, 58. — Inferius pro *titulum* ed. 1 *locum*, B *ius*, et pro *proprii*, (ita B et ed. 1), quod Vat. omittit, A C D G *proprium*.

[9] Epist. 52. (alias 2.) n. 11; cfr. supra pag. 274, nota 2. — De declaratione Gregor. IX. in sua Constitut. *Quo elongati* cfr. supra pag. 312, nota 3; pag. 333, nota 4. et 11. — Superius pro *libris et aliarum necessitatum utensilibus* (ita A C G et ed. 1) D *libris, utensilibus et aliarum necessitatum rebus*, Vat. *librorum et aliarum utilitatum utensilibus*.

[10] Sive nullo mediante, id est immediate; cod. D omittit *nullo medio*. Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 11. n. 7. et Opusc. XII. Epistola de tribus quaest. etc. n. 6. seqq. — Vat. prosequitur: *bona Ecclesiae, ratione cuius et auctoritate* etc.

[11] Cod. G et ed. 1 *quod sunt propria communitatis*. Inferius post *possessiones* Vat. prosequitur *ecclesiarum, ita ecclesia* etc., et pro *vel dominii* A D G et ed. 1 *aut dominii*.

mobile, vel immobile, in hoc mundo. Posset quidem aestimari, quod in breviariis Ordo haberet ius dominii, quia nominatim in sequenti rubrica [1] conceduntur, nisi sexta rubrica omnis rei, nulla excepta, dominium ab Ordine excluderet manifeste.

Castitatis gradus duo. 9. Sequitur: *Et in castitate.* Cuius observantia, etsi omnibus Religiosis et clericis intra sacros existentibus est posita, tamen cum arctiori disciplina isti Ordini imponitur quam alicui aliorum, cum hic [2] praeceptorie interdicatur Fratribus omne suspectum consortium, et ne ingrediantur interiores officinas monialium nec etiam loca earum publica nisi ex speciali causa, maturitate debita praeexistente missarum ad talia personarum, ut sequentia amplius declarabunt. — Corollarium. Si quis ergo omnes Religiosos esse in his tribus votis pares asserit, obedientiae scilicet, expropriationis et castitatis, manifeste dicit falsum, ut in obedientia patuit, patet etiam et patebit quarta [3] et sexta rubrica de expropriatione et paupertate, patet etiam de castitatis inviolabili honestate. Etsi enim castitas ipsa Religiosorum gradus non habet, multi tamen sunt gradus disciplinae eius honestatem inviolabiliter observandi. Haec est igitur huius *perfectio summaria* hierarchiae.

10. Sed cum obedientia, paupertas et castitas partes sint evangelicae doctrinae, utpote consilia evangelica [4]; quare hic haec tria ab Evangelio distinguuntur, cum dicitur: *sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia* etc. — Dubium. Solvitur. Respondeo, quod duplex est perfectio: una *formalis,* quae consistit in habitibus et actibus virtutum; alia *materialis,* quae consistit in aggregatione consiliorum vel legum facientium seu ducentium ad statum perfectionis [5]. Prima intelligitur specialiter nomine *sancti Evangelii,* quia haec perfectio principaliter est intenta in sancto Evangelio; ad ipsam enim omnia consilia evangelica ordinantur. Haec etiam est, quae praecipue in sermone Domini in monte pertractatur, cum dicitur [6]: *Beati, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum* etc., et in aliis virtutum regulis, utpote de vitandis verbis otiosis et similibus. Alia vero perfectio, scilicet *materialis,* ab hac expresse distinguitur, cum dicitur: *Vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate,* utique consiliaria et celebri, de qua dicit Salvator Matthaei decimo nono [7]: *Qui potest capere capiat.*

De secunda parte. 11. Sequitur de *obedientiali* eiusdem status *ordinatione,* per quam tota Religio reducitur ad hierarchiam Ecclesiae principalem; pro quo dicit: De generali Ministro. *Frater Franciscus,* hoc Sancti nomen fuit adventitium, cum *Ioannes* nomine proprio in regeneratione imponi diceretur primo a matre [8]. — *Promittit obedientiam.* Etsi totus clerus et Religiosorum universitas teneatur firmiter apostolico Domino obedire, tamen Sanctus [9] huic debito votum adiicit speciale, sciens, voto superveniente fortificari sacri Ordinis vinculum, et meritum geminari. — *Et reverentiam.* Est autem reverentia exhibitio honoris procedens a timore filiali et humili affectu, Ecclesiastici trigesimo secundo [10]: *Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia.* Quia reverentia humilitatis est actus, Fratres Minores, sicut humilitatis profundissimae professores, debent inter omnes summe revereri Summum Pontificem et alios pro gradu suo in ecclesiasticis officiis constitutos. — *Domino Papae Honorio ac successoribus eius canonice intrantibus et Ecclesiae Romanae,* hoc est, qui succedunt non facto tantum, sed iure, secundum formam canonum sublimati. — De sub... *Et alii Fratres teneantur Fratri Francisco et eius successoribus obedire,* ut catenae aureae uncinis mediis disponuntur [11], ut sic inferiores a supremo vertice per gradus medios deducantur. Hic est enim *motus rectus* mentium divinarum, ut sanctus docet Dionysius [12]. Moto recto. Et sic *scala Iacob* ascendentibus et descendentibus adornatur; sic *ascensu purpureo filiae Ierusalem* pergunt in reclinatorium Salomonis.

---

[1] Scilicet c. 2. et dein c. 6.

[2] Cap. 11. — Superius post *sacros* D et ed. 1 addunt *ordines*, pro *est posita* A D G *est imposita* (ed. 1 *sit imposita*), et pro *cum arctiori* Vat. *altior.* Inferius post *talia* D F repetunt *loca.*

[3] Vat. cum pluribus codd. perperam *quinta.* D F et ed. 1 legunt: *ut patet in obedientia, patet* [D *patuit*] *etiam et patebit quarta* [F *quinta,* D *in quinta*]. Inferius vocibus *Etsi castitas* ex C G et ed. 1 interseruimus *enim,* et pro *inviolabiliter* Vat. substituit *inviolabilem.*

[4] Cfr. Matth. 16, 24; 19, 12. et 21.

[5] Vide supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 3. per totum. — Inferius pro *nomine* D et ed. 1 *in nomine,* et pro *consilia evangelica ordinantur* A C G et ed. 1 *consilia Christi ordinantur* [ed. 1 *ordinant*].

[6] Matth. 5, 3; ibid. 12, 36. de verbis otiosis vitandis.

[7] Vers. 12. — Superius pro *ab hac expresse* A G et ed. 1 *hic expresse,* D *hic expressa ab hac,* qui etiam subinde post *et in castitate* repetit *in castitate.*

[8] Cfr. Thom. a Celano, Vita II. S. Francisci, p. I. c. 1. et Legenda Trium Sociorum, c. 1. — Codd. A F G et ed. 1 omittunt *primo a matre.* Superius pro *status,* quod G et ed. 1 omittunt, D *Regulae.*

[9] Cod. D *tamen Frater Franciscus.* Inferius Vat. *voto supervenire et fortificari* pro *voto superveniente fortificari.*

[10] Vers. 9; cfr. v. 12. et 14. — De *reverentia* cfr. Bonav., III. Sent. d. 9. a. 1. q. 4. in corpore Cicer., II. Rhetor. c. 22, *observationem* describit, « per quam aetate, aut sapientia, aut honore, aut aliqua dignitate antecedentes veremur et colimus »; cfr. ibid. c. 54. Invenimus etiam ab aliquibus hanc Ciceroni attributam definitionem reverentiae: Reverentia est virtus aliqua praelatione sublimitatis debitae honorificationis cultum exhibens. — Inferius post *actus* Vat. addit *Fratris Minoris, unde,* D *nominis Fratrum Minorum, unde,* et pro *profundissimae* A G et ed. 1 substituunt *altissimae* (cfr. infra c. 6.).

[11] Cfr. Exod. 28, 13. seq. et 22.

[12] De Caelesti Hierarchia, c. 4. § 3. et c. 8. § 2, ubi docet, per suprema Deum ad se ipsum reducere media et inferiora per media. Libr. de Div. Nominib. c. 4. § 8, agens de tribus motibus mentium, scil. circulari, recto et obliquo, de *recto* dicit: Ipsi autem dicuntur moveri recte, in quantum superiores procedunt ad inferiorum providentiam, cunctos rectificantes, et per medios ad infimos recte transeuntes (versio Vercellensis). — Subinde respicitur Gen. 28, 12. (de scala Iacob) et Cant. 3, 10. Inferius pro *Et sic* ed. 1 *et sicut,* quae etiam pro *pergunt* cum C F substituit *pertingunt.*

(CAPITULUM II.)

De iis qui volunt vitam istam accipere et qualiter recipi debeant.

Si qui voluerint hanc vitam accipere et venerint ad Fratres nostros, mittant eos ad suos Ministros provinciales, quibus solummodo et non aliis recipiendi Fratres licentia concedatur. Ministri vero diligenter examinent eos de fide catholica et ecclesiasticis Sacramentis. Et si haec omnia credant et velint ea fideliter confiteri et usque in finem firmiter observare; et uxores non habent, vel si habent, et iam monasterium intraverint uxores, vel licentiam eis dederint auctoritate dioecesani episcopi, voto continentiae iam emisso, et illius sint aetatis uxores, quod non possit de eis oriri suspicio; dicant illis verbum sancti Evangelii; quod vadant et vendant omnia sua et ea studeant pauperibus erogare; quod si facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas. Et caveant Fratres et eorum Ministri, ne solliciti sint de rebus suis temporalibus, ut libere faciant de rebus suis, quidquid Dominus inspiraverit eis. Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant Ministri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur. Postea concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas sine caputio et cingulum et bracas et caparonem usque ad cingulum, nisi eisdem Ministris aliud secundum Deum aliquando videatur. Finito vero anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam semper et Regulam observare; et nullo modo licebit eis de ista Religione exire, iuxta mandatum domini Papae; quia, secundum sanctum Evangelium, *nemo mittens manum ad aratrum et aspiciens retro aptus est regno Dei.* Et illi qui iam promiserunt obedientiam, habeant unam tunicam cum caputio et aliam sine caputio qui voluerint habere. Et qui necessitate coguntur possint portare calceamenta. Et Fratres omnes vestimentis vilibus induantur, et possint ea repetiare de saccis et aliis petiis cum benedictione Dei; quos moneo et exhortor, ne despiciant neque iudicent homines, quos vident mollibus vestimentis et coloratis indutos, uti cibis et potibus delicatis; sed magis unusquisque iudicet et despiciat semetipsum.

EXPOSITIO.

1. *Si qui voluerint hanc vitam accipere.* Stratis huius aedificii fundamentis, restat providere de habitatoribus civitatis, ut scilicet recipiantur ad Ordinem venientes ad orientem, lucis radios suscepturi. Et haec pars quatuor habet. Primo agitur de ipsorum *receptione;* secundo, de *probatione*, ibi: *Postea concedant;* tertio, de *professione*, ibi: *Finito vero anno;* quarto, de professorum in *vestitu et victu descriptione* [1], ibi: *Et illi qui iam.*

Divisio principalis in membra quatuor.

Et quia circa *receptionem* tria concurrunt, scilicet *recipientis auctoritas, recipiendi idoneitas et humilitas* et *Religionis requisita puritas,* iuxta quod omne hierarchicum negotium dividitur in sanctas perfectiones et perfectores et perfectos, secundum Dionysium [2]; primo agitur de pertinentibus ad *recipientem;* secundo agitur de pertinentibus ad *recipiendi idoneitatem*, ibi: *Et si haec omnia;* tertio, de pertinentibus ad *Religionis puritatem*, ibi: *Dicant illis verbum sancti Evangelii.* — Circa *receptores* duo tangit iuxta duas Ecclesiae claves, iuxta quod in hierarchia est *ordo* et *scientia*, ex quibus sequitur *actio* [3]*;* tangit primo circa receptores *clavem auctoritatis* et *ordinem potestatis;* secundo, pertinentia ad *clavem scientiae et discretionis*, ibi: *Ministri vero diligenter.*

Subdivisio in tres partes.

De prima parte duo.

2. Dicit ergo: *Si qui voluerint hanc vitam accipere.* Loquendo *conditionate*, Dominum sequitur dicentem Matthaei decimo nono [4]: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus* etc. Religionis enim huius propositum, ut nullum terrenum exspectari possit emolumentum, nulli necessitate imponitur nec carne et sanguine suggeritur, sed ab illo inspiratur, de quo dicitur Ioannis tertio [5]: *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de caelo.* — *Et venerint ad Fratres nostros.* Non hoc dicitur, quasi non liceat Fratribus non venientes exhortationibus praevenire, cum et ipse Dominus, homines ad discipulatum suum recipiens, plures corporali vocatione praevenisse legatur [6], ut Andream, Petrum et similes; quidam ipsum praevenerunt, dico *corporaliter*, se eius consortio offerendo, quorum etiam unus repulsus est, sicut patet Matthaei octavo. Venientium igitur ad Fratres quidam sunt a Fratribus praeventi, quidam vero ipsos sua devotione praeveniunt. Et de omnibus hic dicitur: *Et venerint ad Fratres nostros.* — *Mittant eos ad suos Ministros provinciales, quibus*

De clave auctoritatis et ordine potestatis.

Notandum.

---

[1] Cod. A *discretione*, C *distinctione*, G et ed. 1 *districtione*, sicuti et infra n. 16. ponitur. *Districtio*, secundum Du Cange, Glossarium etc., idem est ac severitas, vel disciplina exacte servata.

[2] Locis supra pag. 393, nota 3. allegatis. Primum divisionis membrum *(sanctas perfectiones)* correspondet tertio a Bonav. positu *(Religionis requisita puritas)*, secundum *(perfectores*, τελεσιουργούς) primo, et tertium *(perfectos*, τελουμένους, id est *perficiendos*, sicut etiam supra c. 1. n. 1. ponitur, licet a Vercellensi substituatur *perfectos*) secundo. Vat. legit *dividitur in sanctis, perfectis et perfectioribus.* — Inferius pro *recipiendi idoneitatem* A B G et ed. 1 *recepti humilitatem* (B *habilitatem*).

[3] Dionys., de Caelesti Hierarchia, c. 3. § 1: Est quidem hierarchia secundum me ordo divinus et scientia et actio etc. Cfr. Bonav., II. Sent. d. 9. Praenotata, ubi tres definitiones hierarchiae a Dionysio datae exponuntur. Vide etiam IV. Sent. d. 18. p. I. a. 3. q. 2. in corp., ubi haec tria sub notione *clavium* considerantur.

[4] Vers. 21. — Vat.: *Loquitur conditionate Dominum sequendo dicentem* etc.

[5] Vers. 27. — Superius pro *nec carne et sanguine* ed. 1 *nec a carne nec a sanguine* (Matth. 16, 17: Quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater etc.).

[6] Matth. 4, 18. seq. — Subinde allegatur Matth. 8, 19. seq. — Superius pro *homines* Vat. *plures* et *vocali* pro *corporali*. Subinde pro *quidam* D *plures etiam priusquam vocaliter vocarentur*, qui etiam inferius pro *praeveniunt* substituit *praevenerunt*.

solummodo et non aliis recipiendi Fratres licentia concedatur. Ecce, *clavis auctoritatis* Ministris tantum reservatur.

Ratio duplex.

3. Ista autem missio et ordinatio duas habet praecipue rationes. Prima est, ut receptorum seu recipiendorum constantia probetur. Secunda est, quia de Ministri prudentia amplius praesumitur, quod arte sciat piscatoria *bonos in vasa sua eligere, malis vero,* non idoneis, *foras missis* [1]. Nomen autem *Ministri* sumitur Matthaei vigesimo, ubi dicitur: *Qui maior est vestrum erit minister vester.*

Dispensatio Papae.

Et quia plurimorum ad Ordinem venientium est devotio manifesta sufficiensque ad receptionem saecularium *discretio* in conventibus Fratrum, maxime in loco generalium studiorum; ideo dominus Papa, non relaxans hanc Regulae partem, sed ad mentem eius dispensando aspiciens, ordinavit, ut in talibus locis discretis Fratribus receptionis auctoritas concedatur, sciens, quod dicit lex ff. de Legibus [2], quia «*scire leges* non est verbum earum tenere, sed vim et potestatem»; et sexagesima prima distinctione, canone *Statuimus* [3], dicitur: «Ecclesiasticae prohibitiones proprias habent causas, quibus cessantibus, cessant et ipsae»; et Causa prima, quaestione prima, dicitur: «Quod pro necessitate temporis statutum est, cessante necessitate, cessare debet».

De clave scientiae et discretionis.

4. Sed pro *clave discretionis* dicit: *Ministri vero diligenter examinent eos de fide catholica et de* [4] *ecclesiasticis Sacramentis.* Hoc pro illis dicitur partibus, ubi contingit, aliquos haereticos inveniri. Ad *fidem catholicam* pertinent omnia, quae ipsi fidei obsequuntur. Unde quia Fratres ad fidei doctrinam ex intentione Regulae sunt vocati, ut sequentia manifestant, statutum est in Ordine, ne aliquis recipiatur ad Ordinem pro clerico, nisi fidei doctrinae [5] habeat conveniens fundamentum, vel saltem pro fundamenti penuria aedificatio multitudinis recompenset, ut quod in talibus lingua non sufficit, vita clamet; et sic de minoribus examinatio in maioribus implicatur: sicut ipse Dominus, Exodi vigesimo [6], inhibendo idololatriam inhibet omnem superstitionem, inhibendo haeresim inhibet omnis erroris perniciem, inhibendo homicidium inhibet omnem personae iniustam laesionem, inhibendo moechiam inhibet fornicationem; praecipiendo honorem parentum, omnem hominem pro gradus sui merito, cum innotuerit, praecipit honorari, ut sic minora in maioribus commendentur [7]. Sic etiam in praesenti minorum examinatio in maioribus implicatur.

De secunda parte.

5. *Et si haec omnia credant et velint ea fideliter confiteri.* Hic agit de pertinentibus ad *recipiendorum idoneitatem* [8], quae in duobus consistit: prima in ordine ad *Deum,* pro qua dicit: *Et si haec omnia credant,* utique corde, *et velint ea fideliter confiteri,* quia *ore fit confessio ad salutem,* ad Romanos decimo [9]. Ex quo vere patet, quod recipiendi ad Ordinem istum debent parati esse ad martyrium. *Et usque in finem firmiter observare,* quia praemium datur soli perseveranti [10].

Quoad Deum.

Quoad mundum.

Secunda est in ordine quoad *mundum,* pro qua subdit [11]: *Et uxores non habent, vel si habent, et iam monasterium intraverint uxores, vel licentiam eis dederint,* scilicet maritis, *auctoritate dioecesani episcopi, voto continentiae iam emisso.* Hoc dicitur, quia votum quoad hoc non solemnizatur, nisi vovens, mundo moriens, in spiritualis patris penitus transeat potestatem, quod praecipue convenit sponsae [12] Ecclesiae. — *Et illius sint aetatis uxores, quod non possit de eis oriri suspicio.* Aetas ista non minus stabilitate virtutis quam tractu temporis mensuranda videtur, quia dicitur Sapientiae quarto [13]: *Senectus venerabilis est, non diuturna nec annorum numero computata. Cani enim sunt sensus hominis, et aetas senectutis vita immaculata.*

Notandum.

— In isto autem impedimento omnia alia intelliguntur, quae possent ineptitudinem ad ingressum Ordinis generare; sicut modus est istius Regulae dare ex similibus similia intelligere et minora in maioribus

---

[1] Matth. 13, 48. et subinde 20, 26.

[2] Libr. I. Digest. tit. 3. leg. *Scire* (16.). — In Expositione quatuor Magistrorum super Regulam de hac re dicitur, quod per privilegium obtentum Ministris provincialibus conceditur, concurrentibus causis, potestas committendi hanc facultatem aliis, et quod secundum hoc privilegium hanc potestatem «per statutum generalis capituli possent Ministri sine offensa discretis Fratribus demandare». Praedicta ordinatio ab aliis Pontificibus revocata est, et nunc standum est ordinationi Pii IX. — Superius pro *saecularium* ed. 1 *scholarium*, G *scholarium, alias saecularium*, et pro *hanc Regulae partem* A G et ed. 1 *Regulam.*

[3] Can. 8; non quidem in ipso canone, sed in iis quae Gratianus ibid. p. II. § 2: Sed sciendum est, quod ecclesiasticae etc., adiungit. — Sequitur can. *Quod pro necessitate* (41.), Caus. 1. q. 1.

[4] In textu Regulae omittitur *de.* Inferius pro *aliquos* C *aliquando*, vocibus *fidem catholicam* C D interserunt *autem,* et pro *ipsi fidei obsequuntur* substituit ed. 1 *ipsam fidem consequuntur.*

[5] Codd. A G et ed. 1 *nisi ad doctrinam fidei,* subinde post *vel saltem* C et ed. 1 addunt *nisi,* et fide A D G et ed. 1 substituimus *aedificatio multitudinis* pro *aedificationis multitudo.*

[6] Vers. 3. seqq.

[7] Ed. 1: *et sic minora in maioribus implicantur,* omissa seq. propositione *Sic etiam.*

[8] Ed. 1 cum A G *recepti humilitatem* (cfr. supra pag. 397, nota 2.). Subinde pro *prima* D *primo,* Vat. omittit *in ordine*, et pro *qua* D *quo.*

[9] Vers. 10. — Inferius pro *vere patet* A G et ed. 1 *videtur.*

[10] Cfr. infra c. 10. Regulae in fine.

[11] Cod. D *Secundo consistit recipiendorum idoneitas in ordine ad mundum, pro quo subdit.* Inferius pro *Hoc dicitur, quia* G et ed. 1 *Hic dicitur, quod.*

[12] Ita G et ed. 1; in aliis *Sponso.*

[13] Vers. 8. seq., ubi pro *enim* Vulgata *autem.*

implicare. Quae autem hic dicuntur, colliguntur Extra, de Conversione coniugatorum, capitulo *Cum sis*[1], et aliis pluribus.

tertia e tria. 6. *Dicant illis verbum sancti Evangelii.* Hic agitur de tertio, scilicet de *Religionis puritate,* quae in tribus consistit: in venientium[2] *denudatione* perfecta, in *frugalitate recipientium* manifesta, ibi: *Et caveant Fratres et eorum Ministri, ne solliciti;* tertio, in *directione ad relevationem pauperum* discreta, ibi: *Si tamen consilium requiratur.*

rimum. Pro primo dicit: *Dicant illis verbum sancti Evangelii, quod vadant et vendant omnia sua et ea studeant pauperibus erogare.* Hoc enim sumitur de consilio Domini, Matthaei decimo nono[3]; ex gra- nudita- ut sint scilicet nudi non solum *corde,* ut sunt qui cor divitiis habitis non apponunt, nec nudati tantum *chlamyde* cum Ioseph Aegyptiam fugiente, Genesis trigesimo nono, quem imitantur, qui, relictis implicativis, sibi retinent operimentum sufficiens nuditati et suo modo nudi nudam crucem sequuntur; sed sint etiam adeo nudi, ut sint spoliati *sindone super nudo,* ut a propinquiori cum adolescente diligente Dominum prae ceteris, ut legitur Marci decimo quarto[4] in textu et in Glossa, omni abiecto pondere, in nuditatis termino statui viae possibili Christi vestigia imitentur. — *Quod si facere non potuerint,* propter loci distantiam, vel propter litium implicationem, *sufficit eis bona voluntas,* quia licite ceditur et omnia contemnuntur, iuxta illud Hieronymi ad Paulinum[5]: « Si habes res tuas, vende; si non habes, proiice. Nemo renuntiaturus saeculo potest bene vendere quae contempsit, ut venderet ».

andum. 7. Sequitur de *puritate a parte recipientium,* cum additur: *Et caveant Fratres.* Istud videtur dici *prohibitorie,* cum inhibeatur ut illicitum, quod colligitur ex hoc quod sequitur: *Si tamen consilium requiratur.* Ex quo enim licentia in hoc tantum datur, in alio denegatur. — *Et eorum Ministri, ne solliciti sint de rebus suis temporalibus, ut libere faciant de rebus suis, quidquid Dominus inspiraverit eis.* Hoc sumitur ex exemplo Domini dicentis Matthaei decimo nono[6]: *Vende omnia, quae habes, et da pauperibus.* Secus erat in Actibus Apostolorum quarto, ubi dicitur, quod propter multitudinem virorum ac mulierum simul existentium, inter quos nullus erat egens, Apostoli gerebant pecuniae pretii rerum venditarum ad tempus sollicitudinem, quam cito dimiserunt sicut impeditivam verbi Dei, sicut legitur Actuum sexto. Districtior enim et excellentior est regula ab ipso Domino constituta Apostolis, cum dixit eis Matthaei decimo[7]: *Nolite possidere aurum neque argentum,* quam illa quae constituta est sub Apostolis multitudini primitivae simul habitantium virorum et mulierum, ubi nullus eorum aliquid possidebat, *neque suum aliquid esse dicebat,* sed ipsum in communi cum aliis possidebat. Hanc regulam sub Apostolis constitutam instituit beatus Augustinus[8] sibi et clericis suis, statuens, ne quid proprii possiderent. Sed quia vidit Augustinus, eam a clericis non servari, mutavit decretum eos habere proprium sustinendo, ut patet Causa duodecima, quaestione prima, canone *Certe ego.* De norma data Apostolis. Alia est multitudinis primitivae.

8. Hanc eandem multitudinis regulam imitatus sanctus Benedictus[9] mandavit, bona ad Ordinem venientium, nisi darentur pauperibus, adiungi rebus ecclesiae monachorum, ut ipsi, viventes sine proprio personali, haberent possessiones monasteriis proprias; quibus ipse nullum praefixit limitem terrenae affluentiae acquirendae, unde *agrum agro* non cessant usque hodie eorum plurimi *copulare.* — Alia fuit forma antiquorum monachorum, iuxta quod narrat Gregorius tertio Dialogorum[10] de sancto Isaac monacho. Cui cum plurimi possessiones offerrent ad monasterium constituendum, ille omnia oblata respuens, « fortem tenebat sententiam, dicens: Monachus, qui in terra possessionem quaerit, monachus non est ». Et Hieronymus ad Paulinum[11]: « Habet unumquodque propositum principes suos; habemus et nos principes propositi nostri, Paulos et Antonios. Item, noster princeps Elias, noster Eliseus, nostri duces filii Prophetarum, De Regula S. Benedicti. De alia.

---

[1] Libr. III. Decret. Gregor. IX. tit. 32. c. 4. Cfr. ibid. c. 8. et 13.

[2] Cod. D addit *ad eam.* Inferius pro *discreta* A B C F G et ed. 1 *sincera.*

[3] Vers. 21: Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus. Vat. adiungit Luc. 9, 61. seq. — Subinde respiciuntur Ps. 61, 11: Divitiae si affluant, nolite cor apponere; Gen. 39, 12: Qui, relicto in manu eius pallio, fugit; Hieron. sententia: « Solamque crucem nuda sequaris » supra pag. 280, nota 4. allegata.

[4] Vers. 51. seq. Cfr. supra pag. 254, nota 10, ubi etiam de Glossa *ordinaria* ex Beda in hunc locum. — Pro *omni abiecto pondere* (ita D) alias *cum abiecto pondere.*

[5] Epist. 53. (alias 103.) n. 10: Nemo renuntiaturus saeculo bene potest vendere quae contempsit, ut venderet... Si habes in potestate rem tuam, vende; si non habes, proiice. — Cui sententiae A et ed. 1 addunt textum Luc. 9, 61. seq., quem Vat. nota 3. retulit: Simile quoque legitur Luc. 9, ubi dicitur: *Sequar te, Domine... aptus est regno Dei.* — Supra pro *licite* A B C D F G et ed. 1 *liti,* forte *licite liti.*

[6] Vers. 21. — Subinde allegantur Act. 4, 34. seq. et 6, 2. seqq. — Superius omittunt A G et ed. 1 *sumitur ex,* et inferius, substituto *curam* pro *pecuniae,* D omittit *sollicitudinem.*

[7] Vers. 9. — Subinde respicitur Act. 4, 32, ubi ed. 1 cum A F G *ubi nullus aliquid eorum quae possidebant, suum esse dicebat.* — Superius pro *Districtior enim* (ita A D G et ed. 1) Vat. *Discretior,* et pro *est regula* D *erat regula.*

[8] Cfr. supra pag. 284, nota 8. — Inferius allegatur can. 18. Caus. 12. q. 1, qui sumtus est ex August., Serm. 355. (alias 49. de Diversis) c. 4. n. 6.

[9] Regul. c. 58: Res, si quas habet, aut eroget prius pauperibus, aut facta solemniter donatione, conferat monasterio, nihil sibi reservans ex omnibus etc. Infra respicitur Isai. 5, 8.

[10] Cap. 14. Cfr. supra pag. 278, nota 3. — Superius vocibus *Alia fuit* D interserit *autem.*

[11] Epist. 58. (alias 13.) n. 5. Post *principes suos* textus originalis plura addit et subinde pauca interserit. Pro *Paulos et Antonios* (ita etiam textus originalis) Vat. *Paulum et Antonium,* quae etiam omittit *et solitudine* (textus originalis *et solitudinibus).*

qui habitabant in agris et solitudine et faciebant sibi tabernacula prope fluenta Iordanis». Idem etiam dicit in epitaphio Nepotiani [1]: «Alii nummum addant nummo, et marsupium suffodientes matronarum opes venentur obsequiis. Sint ditiores monachi, quam erant saeculares, possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete diabolo non habuerant, et suspiret eos Ecclesia divites, quos tenuit mundus ante mendicos». Haec Hieronymus. Et tamen sancta est vivendi forma, si servetur, quam sanctus instituit Benedictus, quam quidam in nigris, quidam vero in albis a longe imitantur [2].

Diversa S. Francisci Regula. 9. Beatus igitur Franciscus, videns pericula et sacrilegia affluentiae terrenae [3], quam multi possident in communi, elegit regulam ipsis Apostolis ad praedicandum missis a Domino constitutam, iniungens Fratribus, ne sollicitudinem habeant de rebus venientium ad Ordinem, ne sic vel Ordinis maculetur puritas, vel inquietudo aliqua generetur. — Sed ne res venientium inutiliter dispensentur, remedium conveniens adhibetur, cum subdit: *Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant Ministri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur.* — Haec licentia, sicut convenit Ministris, ita competit aliis, quibus ex privilegio apostolico recipiendi Fratres ad Ordinem est concessa, quoniam, concesso principali, accessoria etiam omnia conceduntur [4]. (Notandum.)

Secundi membri descriptio. 10. *Postea concedant eis pannos probationis.* Praemissa prima parte huius rubricae, in qua agitur de venientium *receptione;* hic subiungitur secunda pars de eorum *probatione* quantum ad *habitus* praecipue *qualitatem.* Dicit ergo: *Postea concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas sine caputio.* — Sed cum dicatur Matthaei decimo [5] in regula Apostolorum: *Neque duas tunicas,* qualiter hic sanctus Franciscus concedit duas tunicas, qui superius dixit: *Regula et vita Minorum Fratrum haec est, scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum Evangelium observare?* (Dubium.) — Respondeo: In Evangelio *unius tunicae* nomine vestitus designantur necessarii. (Solutio.) Unde *non habere duas tunicas* est non ferre superflua vestimenta [6]. Sed quia pro Religionis honestate necesse est, exteriorem tunicam in longitudine et latitudine ab alia vel aliis differre; necessarium vestimentum beatus Franciscus in duas divisit tunicas, in una intelligens exteriorem amictum, ut Fratres cappa [7] tegantur, in alia intelligens omne corpori manifeste necessarium vestimentum.

Continu. 11. *Et cingulum,* funem utique, quia dicitur Isaiae tertio [8]: *Erit pro zona funiculus,* et Isaiae vigesimo secundo: *Vocavit Dominus in die illa ad fletum et ad planctum et ad cingulum sacci.* Hoc cingulum funiculus est, quia sacci funibus cingi solent. Credo autem, sanctum Franciscum istud sibi cingulum elegisse, quia legitur Matthaei vigesimo septimo [9]: *Vinctum adduxerunt eum et tradiderunt Pontio Pilato.* Vel certe *ad litteram,* ut cinguli vilitas concordet habitus vilitati, ut hoc cinctorio armati, veritatis linea multis aspera ab Ecclesia nitantur disturbare simoniacos et alios scelerosos. Facto enim flagello de funiculis, Dominus vendentes et ementes de templi sui finibus noscitur eiecisse, ut patet Ioannis secundo [10]. — *Et bracas,* quarum est necessitas manifesta in casibus innumeris, propter humanae miseriae tegumentum. Istarum bracarum non tangitur qualitas, ut liceat Fratribus, si nolunt tangere lini delicias, bracis uti laneis vel etiam cilicinis. — *Et caparonem* [11] *usque ad cingulum,* ut more antiquorum Religiosorum distinguatur habitus novitiorum ab habitu professorum. — Ab ista autem generali lege excipiens addit: *Nisi eisdem Ministris*

---

[1] Epist. 60. (alias 3.) n. 11. Pro *suffodientes* textus originalis *suffocantes.* Cfr. supra pag. 289, nota 10, ubi ultima pars allegatur. Menda Vat. correximus secundum codd.

[2] Cfr. Bernard., Epist. 121. (scripta a Petro venerabili ad Bernard.) n. 20. seqq. — Post *albis* B F G et ed. 1 addunt *vestibus,* et D omittit *a longe.*

[3] Codd. A G et ed. 1 omittunt *terrenae,* et inferius pro *inquietudine aliqua gravetur* ex eis cum B substituimus *inquietudo aliqua generetur;* voci *Ordinis* D praefigit *in aliquo.*

[4] Cap. *Prudentiam* (21.), X. de Officio et potestate iudicis deleg. (I. Decret. tit. 29.), ubi dicitur, quod «delegatis iudicibus, quibus principale committitur, et accessorium committatur». Cfr. ibid. c. 5. — Superius pro *sicut convenit* et *ita competit* D *sicut competit solis* et *ita potest competere,* qui etiam subinde post *concessa* addit *auctoritas.*

[5] Vers. 10. Subinde allegantur verba c. 1. Regulae, pro quibus A G et ed. 1 substituunt *Fratrum esse Regulam Evangelium* [ed. 1 *evangelicam*] *observare.*

[6] Cfr. Hieron., I. Comment. in Matth. 10, 9. seq.; August., II. de Consensu Evangelist. c. 30. n. 73. et 75; Beda, in Marc. 6, 8. seq. et in Luc. 9, 3. — Superius pro *vestitus designantur necessarii* A B G *vestimentum* [B praemittit *omne*] *necessarium designatur,* ed. 1 *vestium necessitas designatur,* quae etiam subinde pro *non ferre* substituit *non habere.*

[7] Secundum Du Cange, Glossarium etc., *cappa (capa)* est vel vestis species, quae olim caracalla (cuculla; Isidor., XIX. Etymolog. c. 24. n. 17: *Casula* est vestis cucullata, dicta per diminutionem *a casa,* quod totum hominem tegat, quasi *minor casa;* unde et *cucutla* quasi *minor cetta* nominabatur), et sub cappae notione allegatur etiam inconsutilis tunica Christi, vel tunicae laxioris et talaris species, quae ceteris vestibus superaddebatur, pallii instar (dicitur *capa,* quia quasi totum hominem *capiat).* Capis praeterea assuta erant et cohaerebant *caputia.* Cfr. Regula S. Benedicti commentata (Migne, Patr. Lat. tom. 66. col. 774. seq.), ubi etiam insinuatur, quod cappa cum *melote* confundebatur, quae ab Isidor., XIX. Etymolog. c. 24. n. 19. describitur: *Melotes,* quae etiam *pera* vocatur, pellis est caprina, a collo pendens, praecincta usque ad lumbos. — Cod. D *ne Fratres cappis tegantur,* ed. 1 *ne Fratres capreis tegantur.*

[8] Vers. 24. et dein 22, 12. — Inferius pro *funibus* D *funiculis.*

[9] Vers. 2.

[10] Vers. 15. Pro *finibus* G et ed. 1 *foribus.* — Superius pro *nitantur* Vat. *videantur,* et pro *disturbare* ed. 1 *disrumpere.*

[11] Secundum Du Cange, Glossarium etc. *Caparo (capero, capiro)* est tegmen capitis, cuculla, ita dicta tanquam *brevior capa,* quae maiori capae substernitur.

aliud secundum Deum aliquando videatur. Ex hoc Sancti verbo consuetudo processit, ut istud novitiatus insigne paucissimis concedatur, quia, crescente vanitate hominum, non est mirum, si humilitas minuatur [1].

12. *Finito vero anno probationis.* Haec est tertia pars rubricae [2], in qua agitur de *professione,* primo quantum ad sui *obligationem votivam;* secundo, quantum ad *propositi stabilem perseverantiam,* ibi: *Et nullo modo licebit.* — Dicit ergo: *Finito vero anno probationis.* Nec enim ante annum completum, licet possint se Deo prius immobiliter astringere, licet eos ad professionem admittere faciendam; in quo anno possunt experiri afflictiones frigoris et caloris. In cuius figura sterilis ficulnea anno uno dimittitur, ne praecidatur, ut legitur Lucae decimo tertio [3], ut fructus ab ea agricolatus, adhibito fimo, exspectetur. — *Finito vero anno probationis, recipiantur ad obedientiam,* supple: si sint idonei [4], *promittentes vitam istam semper et Regulam observare.* In qua promissione sic vovent totam Regulam, ut supra [5] tactum est, ut non omni eius parti se obligatorie astringant. Vovent enim, se totam Regulam pro regula habituros secundum mandantis intentionem, ut quaedam ad *observandum omnimode,* quaedam ad *habendum pro salutaribus hortamentis.* Ergo illa ad *observantiam* inviolabilem sunt vovenda [6], ista ad *cautelam* ex voto perenniter sunt habenda.

e tertia e duo antur. — rimum. — Figura.

13. *Et nullo modo.* Hic tangit secundum, scilicet *voti stabilem perseverantiam,* dicens: *Et nullo modo licebit eis de ista Religione exire,* post professionem. *Exitur* autem de Religione aliqua dupliciter: vel *retrocedendo,* et hoc revertendo ad saeculum, seu Religionem laxiorem, quorum utrumque post professionem est *apostatare et retro aspicere* [7]; vel *procedendo,* ut ad altiorem gradum, frugem scilicet melioris vitae, ascendendo, sicut faciunt qui se a laxioribus statibus ad Religiones transferunt arctiores. Primus modus exeundi est in omni Religione damnabilis; secundus est laudabilis, ubi est possibilis. Sed professo hanc Religionem est impossibilis, quod nisi Papa supponeret, in Regula praemittens: *Et nullo modo licebit* etc., non subiungeret: *Iuxta mandatum domini Papae; quia secundum sanctum Evangelium* [8]*: Nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro aptus est regno Dei.* Si igitur non licet exire, quia non licet *retro aspicere:* ergo omnis alia Religio huic est *retro,* et apostatae sunt omnes ab hac Religione post professionem ad quamcumque aliam transeuntes.

ndum. — liciter potest.

14. Quodsi aliquos exire, vel pro peccatis suis ab hac Religione eiici contingat; si totis viribus instantes fuerint pro Religione hac recuperanda, nec gratiam invenire valentes; ex tunc in aliqua alia Religione rigida se salvare poterunt, si tamen, quantum in se est, maneant in desiderio ad statum suum pristinum revertendi. — Quodsi de licentia apostolica se glorientur aliqui aliter facientes, pro certissimo sciant, contra hanc Domini sententiam [9] Papam nihil facere: *Nemo mittens manum ad aratrum* etc. — Quodsi, mendaciis intervenientibus, aliquid contingat per tales a Sede apostolica impetrari, non est eis excusatio, sed accusationis duplicatio, dum, mendacio tantum Patrem circumvenientes, suae quaerunt apostasiae pallium, qui in votis non dispensat, nisi ubi suggerit pietas, et rationabilis aequitas recompensat. Et quia obligati ad eundem Ordinem voto vel iuramento tenentur Domino integre solvere quod voverunt; qua ratione non licet Fratribus de hac Religione exire, quia hoc est *retro aspicere,* nec licet obligatis ad istam Religionem quamcumque aliam profiteri vel ingredi ad manendum; immo peccant mortaliter tales in Religionibus aliis remanentes; peccant etiam recipientes et consentientes, sicut apostasiae facinus promoventes.

Varii casus determinantur.

15. Sed quid dicendum est de illis qui ad episcopale officium ex his Fratribus assumuntur? Respondeo. Si, coacti per Ecclesiam, inevitabili necessitate suscipiant regimen animarum, non sunt reputandi ab Ordine egredi, si, quantum in ipsis est, semper appetant in sinu Ordinis confoveri. Quodsi, vocati ad episcopalem gradum nec coacti, ad eundem aspirant, ut fugiant aerumnas pauperum et Ordinis

De promotis ad episcopatum.

---

[1] Cfr. Gregor. IX. Breve *Non solum,* an. 1236, die 13 Iulii, in quo statuit, quod « cum in quibusdam locis religiosis novitiorum habitus non distinguatur ab habitu professorum, professionis tempore benedicantur vestes, quae profitentibus conceduntur, ut novitiorum ac professorum habitus discernatur » (Sbaralea, Bullar. Franciscan. tom. I. n. 203. pag. 198). Idem innovavit Innocent. IV. an. 1244, die 17 Iunii.

[2] Codd. A G et ed. 1 *huius rubricae.*

[3] Vers. 8. seq. Pro *ut fructus* A G et ed. 1 *et fructus,* et pro *fimo* iidem cum D *officio.* — Cfr. Honorii III. Breve *Cum secundum,* an. 1220, die 22 Sept., in quo iubet Pontifex, ne novitii ante annum probationis finitum professionem emittant (Sbaralea, Bullar. Franciscan. tom. I. n. 5. pag. 6); Gregor. IX. Breve *Non solum,* an. 1236, die 13 Iulii, quod repetit Innocent. IV. an. 1244, die 17 Iunii (Sbaralea, loc. cit. n. 203. pag. 198 et n. 48. pag. 342).

[4] Sola Vat. omittit *supple: si sint idonei.*

[5] Cap. 1. n. 3. — Inferius pro *omni* D *cuilibet,* vocibus *totam Regulam* D G interserunt *illam,* A et ed. 1 vero addunt *istam,* a quibus etiam pro *ut quaedam* cum G substituitur *et quaedam.*

[6] Vat.: *Ergo illa, quae ad observantiam, inviolabiliter sunt vovenda.*

[7] Vide paulo inferius verba Evangelii allegata. — Superius pro *Exitur autem de Religione aliqua dupliciter* G *Exit autem de Religione aliquis dupliciter,* Vat. *Exitum autem de Religione aliqua dupliciter intelligere possumus, uno modo,* et hic prosequitur *alio modo procedendo, ad altiorem gradum fugere, scilicet* etc. Post *laxiorem* B addit *intrando.*

[8] Luc. 9, 62. Cfr. supra Opusc. XIII. Determinationes quaest. etc. p. I. q. 12-14, ubi etiam de seq. n. 14, de quo vide insuper Expositionem quatuor Magistrorum in c. 2. — Superius pro *Sed professo* D *Sed profitenti aut professo,* Vat. *Sed professio ad,* ed. 2 *Sed professo ad.*

[9] Luc. 9, 62. — Superius pro *valentes* ed. 1 *potuerint.*

disciplinam; credo, eos in illius partem cessuros, qui dixit[1]: *Sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis.* — Sed nunquid obligati ad Religionem istam excusabuntur ab ingressu per assumtionem sui ad curam pastoralem, vel aliam ecclesiasticam dignitatem? Certum est, quod non, ut patet Extra, de Voto, capitulo *Per tuas*[2], ubi Papa cuidam ad Religionem obligato et ante impletionem voti ad regimen ecclesiae assumto respondit in haec verba: « Si tuam desideras sanare conscientiam, regimen resignes ecclesiae memoratae ac reddas Domino votum, quod vovisti ».

Alia quaestio.

16. *Et illi qui iam* etc. Hic subditur quarta pars huius rubricae, in qua agitur de vestitus et victus districtione, primo, quantum ad *vestitum;* secundo quantum ad *victum*, ibi: *Quos moneo.* — In prima parte tangit vestitus *qualitatem* et *quantitatem;* primo, *quantitatem;* secundo, *vilitatem*, ibi: *Et Fratres;* et interponit pedum *nuditatem*, ut patet.

De quarta parte duo ponuntur.

Primi membri divisio.

Dicit ergo: *Et illi qui iam promiserunt obedientiam*, professi scilicet, *habeant unam tunicam cum caputio*, in qua habitus intelligitur, *et aliam sine caputio qui voluerint habere.* In alia tunica sine caputio intelligitur secundum statuta Ordinis[3] unica simplex, vel repetiata, nec debent plures inferius haberi, a professis praecipue, nisi de superiorum arbitrio, quibus Regula[4] committit talium sollicitudinem « secundum loca et tempora et frigidas regiones ». Dicit autem signanter: *qui voluerint habere*, quia varia sunt corporum robora et multum differentes diversarum intemperies regionum. — Sed pro calceamentis addit: *Et qui necessitate coguntur possint portare calceamenta;* ubi advertendum, quod Regula solum pro *necessitate cogente* concedit calceamenta portare; ubi ergo non *est* necessitas, sicut in corpore robusti, vel ubi necessitas non *cogit*, sicut in negotiis gerendis, quae etsi per debiles solos expediri valent, potest tamen sine periculo differri ipsorum expeditio, calceamentorum deportationem ipsa Regula indirecte interdicit[5].

De vestitus quantitate.

De pedum nuditate.

17. Et quia verbum illud sumitur de Evangelio, Matthaei decimo[6], ubi dicitur in regula Apostolorum: *Neque calceamenta;* patet, hic usum sandaliorum minime prohiberi, quoniam, sicut dicitur Matthaei decimo: *Neque calceamenta*, evangelico more hanc complens sententiam Marcus sexto capitulo: *Praecepit eis, ne quid tollerent, sed calceatos sandaliis* etc. Propter quod antiquae sculpturae pariter et picturae monstrant, Apostolos calceatos sandaliis incessisse. Unde Actuum duodecimo[7] super illud: *Calcea te caligas tuas*, dicit Beda: « Pro *caligis* vel *caligulis*, ut quidam habent, Graecus habet *sandalia.* Hoc enim genus calceamenti legitur in Evangelio Apostolis fuisse permissum ». Quae expositio extranea videretur, nisi diceret Papias[8], quod caligae sunt sandalia. — Quod autem dicit ibidem, scilicet Actuum duodecimo[9], Glossa interlinearis: « Angelo iubente, et Apostolo complente, datur exemplum non ambulandi sine calceamentis », non potest secundum litteram ad aliud genus calceamentorum retorqueri, quam ad illud, de quo loquitur textus ipse, scilicet sandalia. Verbum etiam ipsius Glossae[10] nullius est auctoritatis quoad hoc quod dicit: *Angelo iubente;* etsi ad personam Petri littera referatur, tamen *iussio* pro aliis mystice intelligitur referri, scilicet ad virtutes pedes spirituales munientes, quae ibi in *sandaliis* designantur; sicut ad Ephesios sexto[11] dicitur: *Calceati pedes in praeparationem Evangelii;* ibi vide Glossam. — Quod autem Christus alia calceamenta Apostolis inhibuerit, patet, quia super illud Matthaei decimo[12]: *Neque calceamenta*, dicit Hieronymus: « Et Plato duas corporis summitates dicit non esse velandas, nec assuetam fieri debere mollitiem capitis et pedum; cum enim haec firmitatem habuerint, cetera robustiora sunt ». Item, Hieronymus ad Eustochium[13]: « Discipuli sine calceamentorum onere et vinculis pellium ad praedicationem Evangelii destinantur. Milites, vestimentis Christi sorte divisis, caligas non habebant, quas tollerent. Nec enim poterat habere Dominus quod prohibuerat in servis ».

Non prohi[beri] usum s[an]daliorum probato[r].

Obiectio [sol]vitur.

Continu[atur] haec pr[oba]tio.

---

[1] Isai. 14, 13. Cfr. Innocent. IV. Breve *Petitio tua*, an. 1252, die 22 Aprilis, in quo statuitur, ne Fratrum quisquam assumatur ad episcopatum absque superiorum Ordinis licentia (Sbaralea, Bullar. Franciscan. tom. I. n. 154. pag. 605), quod innovavit Alexander IV. (Sbaralea, loc. cit. tom. II. n. 194. pag. 134 et n. 330. pag. 219). — Superius pro *vocati* (ita A D E et ed. 1) Vat. *non vocati*, pro *ad eundem aspirant* A E G et ed. 1 *ad hoc* [G *adhuc*] *aspiciunt*, et pro *disciplinam* Vat. *rigorem.*

[2] Libr. III. Decret. Gregor. IX. tit. 34. c. 10: Si tuam sanare [A *salvare*] desideras conscientiam, regimen resignes ecclesiae memoratae ac *reddas Altissimo vota tua* [Ps. 49, 14.]. In E, qui hic finit, additur *Hucusque frater Bonaventura.* — Superius pro *ab ingressu per assumtionem sui* Vat. *si assumantur*, et voci *Certum* A praefigit *Respondeo.*

[3] Cfr. infra Constitutiones Narbonenses an. 1260. Rubrica secunda.

[4] Cap. 4. — Superius pro *unica simplex* (ed. 1 cum A G *simpliciter*) D *tunica simplex.*

[5] Cfr. Expositio quatuor Magistrorum in hunc loc. — Superius Vat., pro *vel ubi* posito *ubi autem*, post *expeditio* addit *non licet* et *ergo* post *calceamentorum.*

[6] Vers. 10. — Sequitur Marc. 6, 8. seq. Cfr. Opusc. XI. Apologia pauperum c. 10. n. 6. et Opusc. XV. Epistola de sandaliis Apostolorum etc.

[7] Vers. 8. — Sententia Bedae habetur Retract. in Act. Apost. c. 12, 8, ubi post *quidam* additur *codices.* Cfr. supra pag. 306, nota 13.

[8] Vide supra pag. 306, notam 14. — Pro *extranea* D *vana.*

[9] Vers. 8. Cfr. Opusc. praecedens, n. 7. — Vat.: *Quae autem ibidem dicuntur, scilicet in Actibus, Glossa interlinearis exponit dicens, quod per hoc quod Angelo iubente, Petro et ipso complente* etc.

[10] Codd. A G et ed. 1 addunt *quod*, et subinde pro *referatur* ed. 1 substituit *referat.*

[11] Vers. 15. Pro *in praeparationem* D et ed. 1 cum Vulgata *in praeparatione;* cfr. supra pag. 387, nota 12. De Glossa in hunc locum cfr. supra pag. 388, nota 5.

[12] Vers. 10. Vide supra pag. 389, notam 2.

[13] Epist. 22. n. 19. Cfr. supra pag. 386, nota 6.

Ecce, quod Christus docuit sine calceamentis incedere, et quod ipse etiam hoc observavit. Hic tamen Hieronymus aliter utitur nomine caligarum, quam supra habitum est ex Beda et Papia. Item, Eusebius sexto Ecclesiasticae Historiae [1] dicit, quod Origenes multis annis nudis incessit vestigiis, quia ipse Dominus discipulis calceamenta inhibuit. Item, Gregorius Nazianzenus libro de Reconciliatione monachi [2] dicit: « Desiderabam videre sanctum illum et psallentem chorum, qui ad exemplum melioris vitae ceteris omnibus vivunt, legis Dei atque Evangelii taciti praedicatores, in quibus ipse habitus praefert virtutis insignia, hirsutum caput, pedes nudi, apostolicis similes ». Idem patet de Hieronymo et sui temporis monachis. Dicit enim in Vitis Patrum capitulo de sancto Ioanne [3]: « Ita omnia illa exasperantur loca, ut non solum nudos pedes, ut eramus nos, sed et calceamentis munitos terebrent et secent ». Haec Hieronymus. Item, obsecro, si Christus nudis pedibus minime incessisset, qualiter rationabiliter de Pharisaeo conquestus fuisset Dominus, Lucae septimo [4] dicens: *Aquam pedibus meis non dedisti* etc.

18. Sed hic quidam sensui suo innitentes et ipsum Christi sensui praeferentes dicunt, melius esse, pro doctrina veritatis calceatum esse quam discalceatum, ne impediatur verbum Dei. — Sed attendant illi, quod nulla forma aptior est Evangelii propagandi quam illa, in qua toti orbi fuit Evangelium praedicatum. Hoc autem factum est nudis pedibus. Unde Hieronymus in epistola ad Ageruchiam [5]: « Discipuli, toto orbe peregrini, non aes in zona, non caligas habuere in pedibus ». Fateor, poenam esse asperam pedum nuditatem, in hieme quidem asperiorem propter frigiditatem, in aestate autem graviorem [6] propter duritiem maiorem, quia calor plus comprimit terrae glebas quam frigus, et sole ascendente, cum gelu resolvitur in hieme, exsiccatur amplius in aestate; calor etiam findit et frangit graviter pedes nudos. Et tamen ipsi Fratres cum Apostolo [7] *in frigore et nuditate ibant gaudentes*, nec algoribus hiemis nec ardoribus aestatis hactenus dimiserunt, quin nudis pedibus adierint remotissimas partes mundi. Testes sunt Tartari et barbari, pagani et Saraceni, catholici et schismatici in multiplici parte mundi. Non est ergo eis pedum nuditas impedimento verbi Dei, maxime, cum et Regula manifeste dicit: *possint, necessitate cogente, calceamenta portare* [8].

(Margin: ...ia obiectio. — Solutio.)

19. Sed isti sententiae de pedum nuditate, spretis Sanctorum testimoniis praedictis, quidam obiiciunt in hunc modum. — Dicit Augustinus in libro de Haeresibus sexagesimo octavo capitulo [9]: « Est haeresis nudis pedibus ambulantium, pro eo quod dixerit Dominus ad Moysen: *Solve calceamentum de pedibus tuis;* et quod propheta Isaias nudis pedibus legatur ambulasse. Ideo ergo haeresis est, non quia propter corporis afflictionem sic ambulant, sed quia divina testimonia taliter intelligunt ». Haec Augustinus. Ergo haereticum videtur pro divinis testimoniis nudis pedibus ambulare. — Item, idem libro de Consensu Evangelistarum [10] exponens illud verbum Matthaei decimo dicit: « Calceamenta cum dicit Matthaeus non esse portanda, curam prohibet, qua ideo putantur portanda, ne desint. Hoc etiam de duabus tunicis intelligendum est ». Haec Augustinus. — Item, Ioannis primo [11] dicitur de Christo: *Cuius non sum dignus, ut solvam corrigiam calceamenti eius.*

(Margin: Tertio obicitor. — Obiectio prima. — Secunda. — Tertia.)

20. Ad primum dicendum, quod illi haeretici turpiter erraverunt, putantes pro lege communi dictum fuisse Exodi tertio [12] Moysi: *Solve calceamentum de pedibus tuis;* et Isaiae vigesimo: *Solve saccum de lumbis tuis et calceamenta tua tolle de pedibus tuis*, quasi haec eis ita dicerentur, ut etiam ab aliis litteratorie servarentur. Hoc enim falsum est, quia verba illa secundum litteram ad illas duas personas tantum pertinebant, ut futura Ecclesiae mysteria figurarentur [13]. Fratres autem Minores absit ne

(Margin: Solotio primi.)

---

[1] Cap. 3. Cfr. supra pag. 387, nota 6. Errorem plurium codd. et edd., secundum quem, omnibus quae de Origene dicuntur omissis, sententia Gregorii Naz. attribuitur Eusebio, fide B C eliminavimus.

[2] Orat. 6. (alias 12.), quae inscribitur: Prima de pace, ob monachorum reconciliationem, post silentium, praesente patre. Cfr. supra pag. 307, nota 8. et pag. 387, nota 7. Vocibus *ceteris omnibus* ed. 1 praefigit *prae*.

[3] Potius Rufinus (contemporaneus Hieronymi), Histor. monachorum, Epilogus, n. 2, cui praecedit c. 33: *De Ioanne*. Pro *exasperantur loca* Vat. *exasperante loco*, pro *ut eramus nos* textus originalis *ut habebamus nos*, qui etiam pro *terebrent et secent* (ita D) ponit *terebret et secet*, scilicet humor salsus ibi surgens.

[4] Vers. 44.

[5] Epist. 123. (alis 11.) n. 15. Plures codd. et ed. 1 sicut supra pag. 276, nota 3. et pag. 306, nota 3. pro *Ageruchiam* substituunt *Geruntiam*. Respicitur Matth. 10, 9. seqq. (cfr. Marc. 6, 8.).

[6] Vat., superius pro *asperiorem* posito *apparet*, hic substituit *gravior est*. Inferius pro *opprimit* posuimus ex G *comprimit*, pro *exsiccatur* (D *siccatur*) ed. 1 substituit *duratur*, et pro *calor etiam* D *calor enim*.

[7] Epist. II. Cor. 11, 27: In frigore et nuditate; Act. 5, 41: Et illi quidem [Apostoli] ibant gaudentes etc.; A et ed. 1 omittunt hic *ibant gaudentes*, posito tamen *gaudentes* post *Fratres*.

[8] Praecedentem propositionem *Testes sunt... portare* sicut et omnia, quae usque ad n. 24. sequuntur (uno argumento *Amplius, posito... docere* excepto, quod, ut infra dicemus, lacunam esse in Vat. testatur) supplevimus ex A B C F G et ed. 1.

[9] Sive Haeres. 68. Cfr. supra pag. 305, nota 1. Allegatur Exod. 3, 5. et respicitur Isai. 20, 2. Pro *legatur* (ita C) F *dicitur*, alii cum ed. 1 *legitur*.

[10] Libr. II. c. 30. n. 75, ubi textus originalis post *Matthaeus* [10, 10: Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta] addit *in via* et substituit *cogitantur* pro *putantur*.

[11] Vers. 27.

[12] Vers. 5. et deinde Isai. 20, 2.

[13] Isidor., Qq. in Exod. c. 7. n. 3. seqq.: Quod vero Dominus Moysi in eodem rubo apparuisse legitur, ostendit, non alibi quam in Ecclesia cum credentibus apparere; in qua

pro verbis illis careant calceamentis, sed in hoc ipsum Dominum imitantur et Apostolos suos, quia hoc docet Evangelium manifeste; et qui hunc Evangelii intellectum denegant haeretici sunt, cum in expositione textus Sanctorum sententiis Graecorum et Latinorum sint contrarii et etiam ipsi textui manifeste. Unde Lucae vigesimo secundo [1] dixit Dominus discipulis: *Quando misi vos sine sacculo et pera et calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil.*

21. Ad secundum dicendum, quod Dominus dicendo *neque calceamenta* curam prohibet, sed non tantum solam curam, sed actum etiam deferendi; unde dicit consequenter in praedicto verbo Lucae [2], se misisse eos *sine calceamentis* simpliciter. Sicut enim dicendo *neque duas tunicas* prohibet et curam superfluorum vestimentorum et actum etiam superflua deferendi, sic dicendo *neque calceamenta* curam prohibet non tantum superfluorum, sed etiam penitus ne ferantur. Quodsi tantum *superflua* calceamenta inhibuisset, sicut et tunicas inhibuit superfluas; sicut dixit *neque duas tunicas,* dixisset etiam *neque duo paria calceamentorum* et non simpliciter *neque calceamenta.* — Vel si, necessaria volens portari calceamenta, et curam prohibuit superfluorum, de illo calceamenti genere hoc intelligere est necesse, quod in Marco [3] eis legitur concessum, scilicet de sandaliis, ut supra visum est. — Vel forte ideo curam prohibet, ne Apostoli adhuc rudes suspicarentur, calceamenta sibi defutura, si pro infirmitate eos in via positos talibus contingeret indigere. — Hanc autem pedum nuditatem noluit Dominus omnibus imponere, sed Apostolis tantum et aliis, qui in hoc eos sponte elegerint [4] imitari.

Solutio secundi. — Aliter. — Aliter. — Notandum.

22. Ad tertium patet responsio per verbum Rabani [5] dicentis super Matthaeum, quod in illo verbo « Ioannes Baptista nihil intendit, cum de calceamentis Domini dicit, nisi excellentiam eius et humilitatem suam » etc. Non ergo per hoc ponitur, Dominum calceamenta habuisse, sed quadam figurativa locutione, quae Graece synaeresis [6] dicitur, Christi in hoc excellentia declaratur. Vulgariter etiam talia dici solent, absque eo quod in taliter comparatis extrema comparationis ad litteram supponantur. — Item, illud verbum Ioannis a Sanctis omnibus mystice exponitur, quod etiam faciendum esse ex adiunctis colligitur, ubi [7] de *arboribus excidendis*, de *securibus* et *ventilabris* facit eadem series mentionem. — Amplius, posito, quod Christus vel in pueritia, vel ante trigesimum annum calceamenta habuerit, non tamen ea habuit, postquam eorum usum discipulis inhibuit, qui *coepit facit et docere* [8].

Solutio tertii. — Aliter.

23. Sed dicunt quidam, se legisse in libro Octoginta trium Quaestionum, Augustinum ibi dixisse, Christum usum fuisse calceamentis; quod satis est ridiculosum, cum idem Augustinus primo Retractationum capitulo penultimo ponat nomina et numerum et ordinem quaestionum illarum, in quarum nulla tale aliquid continetur. Turpe est autem Sancto falsum imponere et pro defensione mendacii in apocryphis gloriari, quamquam, si sanctus Augustinus penitus [9] hoc sensisset, quod absit, plus staretur sententiae omnium aliorum doctorum Graecorum et Latinorum quam suo sensui adversanti; sicut etiam, sententia sua dimissa de altari thymiamatis, quae habetur Exodi trigesimo [10] in Glossa, aliorum sententiae adhaeret Ecclesia ponens, ipsum fuisse extra sancta sanctorum; sicut etiam in hoc

Ultima ... ctio sol...

nullus digne consistere vel Deum videre potest, nisi qui cuncta terrena et mortalia deposuerit vitia, quod significabant illa Moysi *calceamenta deposita* [cfr. supra pag. 307, nota 7.]. Habet quippe et aliam figuram id quod Moyses *discalceari* iubetur. Veterum namque consuetudo erat, ut, si sponsus sponsam repudiare vellet, discalcearetur ille, et hoc esset signum repudii [Deut. 25, 9.]. Proinde Moyses discalceari iubetur, ne ad Ecclesiam, quae in rubo significabatur, quasi sponsus calceatus accederet. Hoc enim Christo servabatur, qui verus sponsus erat [Ioan. 3, 29.], de quo dicit Ioannes: *Cuius non sum dignus solvere corrigiam calceamenti* [Ioan. 1, 27.]. De Isaia cfr. Hieron., V. et VII. Comment. in Isai. 20, 1. seqq.; in primo loco praeter alia commendatur obedientia Isaiae (vide supra pag. 307, notam 5.), in secundo insinuatur illa figura, quae in principio sententiae ex Isidoro allatae exhibetur. — Inferius pro *absit ne* A *absit ut.*

[1] Vers. 35. Cfr. supra pag. 388, nota 6.

[2] Cap. 22, 35: Quando misi vos etc.

[3] Cap. 6, 9: Sed calceatos sandaliis, et ne induerentur duabus tunicis. Cfr. supra n. 17.

[4] Codd. B C *eligerent.*

[5] Libr. I. Comment. in Matth. 3, 11, ubi sequitur August., II. de Consensu Evangelist. c. 12. n. 29; cfr. supra pag. 306, nota 12.

[6] Haec vox a grammaticis non in uno sensu explicatur. Hic neque contractionem duarum syllabarum in unam (cfr. Quinctilian., I. Institutionis oratoriae, c. 5. § 17, ubi de vitio, « quod συναίρεσιν et συναλοιφὴν Graeci vocant, nos *complexionem* dicimus »), neque longioris sententiae compendiosam expressionem significare videtur, sed locutionem generaliter dictam, non habita ratione ad huius vel illius singularem conditionem.

[7] Matth. 3, 10. et 12; Luc. 3, 17. Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 10. n. 7. et Opusc. XV. Epistola de sandaliis Apostolorum etc. n. 13, ubi secundum Glossas ex Sanctis sumtas mysticae huius verbi explicationes proponuntur. — Inferius pro *series* F *serie.*

[8] Act. 1, 1. De hoc argumento, in quo respicitur Matth. c. 3. (ubi de Ioannis dicto: *Cuius non sum dignus* etc., ac Christo baptizato) et c. 4. (ubi de Christi ieiunio in deserto et inceptione praedicationis ipsius), cfr. supra Opusc. XV. Epist. de sandaliis Apostolorum etc. n. 14. seq. Pro *trigesimum* Vat. *trigesimum tertium* (contra opinionem communem). Hoc solum argumentum, ut iam supra pag. 403, nota 8. diximus, Vat. ex iis quae fide codd. supplevimus, exhibet; ipsum tamen, ut patet inspicienti, nullam habet connexionem cum iis quae ibi (n. 18. circa finem post verba *adierint remotissimas partes mundi)* ponuntur, ubi Vat. illud ponit.

[9] Codd. A B omittunt *penitus.*

[10] Vers. 35, ubi Glossa *ordinaria* (ex August., Qq. in Exod. q. 136.): « Non debemus putari, unguentum fieri, sed thymiama vel incensum, quod apponitur illi altari incensi, ubi non licebat sacrificari, et erat intra *sancta sanctorum* ». Petr. Comestor, Histor. scholastica libr. Exodi, c. 67: Ceterum, utrum hoc altare esset intra *sancta sanctorum,* an in *sanctuario* cum candelabro et mensa, Sancti videntur dubitare. Nec est putandum in dubium venisse, quin esset in *sanctuario,* cum Hebraeus

quod ponit [1], omnia simul fuisse creata et per species distincta, et luciferum in primo *nunc* suae creationis fuisse a luce divisum, ut ipse non asserendo, sed inquirendo videtur innuere undecimo super Genesim [2], ut patet diligentius intuenti, cuius oppositum tenet Ecclesia; sicut etiam videtur dicere ad Dardanum [3], quod sanctificatio in utero Ioannis et Ieremiae tantum intelligitur « secundum praedestinationem ». Et multa alia similia. — Amplius, quamvis in elucidatione problematum plus stetur Augustino quam Hieronymo, in expositione tamen textus prae ceteris statur sententiae Hieronymi translatoris, qui in diversis linguis intellectum prae ceteris etiam doctoribus didicit Scripturarum. Ipsius autem de calceamentis supra [4] patet sententia.

...a ratio.

24. Sed pro vestimentorum *qualitate* subdit: *Et Fratres omnes vestimentis vilibus induantur.* Hoc quidem convenit altissimae paupertati; quaecumque enim sunt in usu verorum pauperum, sunt iuxta paupertatis regulam mensuranda. Haec vilitas in tribus attendenda est, scilicet in *pretio* et *colore* ac superadditis panni alterius *assumentis* [5]. In *pretio*, inquam, quia paupertas vera nihil pretiosum habet. *Color* etiam naturalis, non artificialis in veste haberi debet; aliter frustra monerentur Fratres in sequentibus, minime iudicare utentes vestimentis coloratis. *Tertium* additur, ut saeculi stultitia in Fratrum habitu ostendatur; unde subdit: *Et possint ea repetiare de saccis et aliis petiis cum benedictione Dei.*

...vestitus ...itate seu ...ito.

...plex vi...litas.

Saccus duplex est, scilicet *lineus* et *laneus*, secundum quod saccus dicitur omnis vestis vilis; et est saccus *cilicinus*, quo usi sunt Prophetae. Unde Isaiae vigesimo [6]: *Solve saccum de lumbis tuis*, ibi Hieronymus in Glossa: « Mira obedientia! solo cilicino induebatur, ut tradunt Hebraei ». Per *alias petias* [7] aliorum pannorum diversitas intelligitur in substantia pariter et colore. — Additur autem huic vestimento *benedictio Dei*, quoniam qui se stultum et despicabilem exhibet mundo Deo efficitur pretiosus. Haec est *benedictio eius qui apparuit in rubo*, de qua dicitur Deuteronomii trigesimo tertio [8]. Ipse enim Christus usus est vilissimis vestibus. Unde Chrysostomus super Ioannem homilia decima tertia [9]: « Antequam apparuisset Iesus, praedicabat eum Ioannes Baptista, ut facile susceptibile esset testimonium, ipso apparente, nihil vili indumento nocente ei. Ita enim vili circumamiciebatur forma et communi omnibus Christus, ut Samaritanae mulieres et meretrices et publicani cum magno ausu auderent ei appropinquare et loqui ». Haec Chrysostomus. Dicunt tamen quidam, quod tunica sua inconsutilis fuit de serico, vel purpura; quod nimis est absurdum, quoniam si quotidianum vestimentum eius purpureum extitisset, nunquam eum milites in purpura quasi in veste insolita illusissent [10]. Unde Chrysostomus super Ioannem, exponens quod dicitur de tunica Christi *inconsutili*,

De sacco.

De benedictione Dei.

De tunica Christi.

hoc dicat et Iosephus plane [III. Antiq. Iudaic. c. 6. n. 6. et V. de Bello Iudaico, c. 5. n. 5.], et prima positio tabernaculi facta a Moyse [cfr. Exod. c. 26. seqq.] innuit, nisi quia Paulus ad Hebraeos [9, 3. seq.] *thuribulum* ponit *aureum* intra *sancta sanctorum* solummodo. Potuit esse sane, quod in templo, ubi omnia ampliata fuerunt et multiplicata, praeter altare aureum, quod erat extra velum [quod distinguebat sancta sanctorum a sanctuario], ad quod bis in die necessarium erat ingredi, erat superadditum thuribulum in aditu, in quo summus sacerdos prunas et thymiama, quae secum ferebat, adoleret, quando ad interiora contingebat ipsum penetrare. Cfr. Beda, III. de Tabernaculo etc. c. 11, ubi dicit positum « apte hoc altare intus in vicinia veli et arcae ».

[1] Libr. I. de Gen. ad lit. c. 15. n. 29; IV. c. 33. n. 52. seqq.; V. c. 3. n. 5. seqq. et c. 23. n. 44. seqq.; VI. c. 1. seq. Cfr. Bonav., II. Sent. lit. Magistri, d. XII. c. 2. et Comment. a. 1. q. 2.

[2] Cap. 16. n. 21. et c. 19. n. 26. seq. Cfr. Bonav., II. Sent. lit. Magistri, d. III. c. 4. et Comment. p. II. a. 1. q. 2, ubi vera, non inquisitiva sententia Augustini proponitur.

[3] Epist. 187. (alias 57.) c. 12. n. 37, ubi de Ieremia haec sententia proponitur. Cfr. Bonav., IV. Sent. lit. Magistri, d. VI. c. 3, in quo tamen monetur, Augustinum *ambigue* super hoc locutum fuisse.

[4] Num. 17. et 18.

[5] Marc. 2, 21: Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri etc. — Expositio quatuor Magistrorum in c. 2: « Quaeritur, quid dicatur vestimentum vile. Et secundum intellectum Regulae vilitas attenditur in pretio pariter et colore secundum aestimationem hominum regionis, in qua Fratres morantur ». Quam responsionem postea approbavit Clemens V. in sua declaratione *Exivi de paradiso*, c. 3. n. 2.

[6] Vers. 2. De Glossa, quae est *ordinaria* (ex Hieron., V. Comment. in Isai. 20, 2.), cfr. supra pag. 307, nota 5. Pro *cilicino* G et ed. 1 cum Glossa *cilicio*; Hieron.: Simulque discimus obedientiam, quod vir nobilis... deposuerit saccum, quo abiecto, nudus fuerit, unam prius habens tunicam, et ipsam cilicinam. — Superius pro *duplex* B *triplex.*

[7] Du Cange, Glossarium etc.: *Pecia (petia)*, fragmentum, frustum, membrum, nostris *pièce. Repeciare (repetiare)*, veteri vesti segmenta assuere, Gallice *rapiécer*, a *petia*. — Vat. cum ed. 2 perperam *species.*

[8] Vers. 16: Benedictio illius qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph etc.

[9] Num. 2, ubi versio recens: Non praesentem modo ostendit, sed antequam appareat, praedicat... Cur ergo, antequam appareret, ita locutus est? Ut acceptum esset apparentis testimonium, iam auditorum animis ad hoc apparatis per Ioannis sermonem; neve Christi vile indumentum officeret ipsi. Nam si aliquid de Christo audissent, antequam illum viderent, nisi testimonium illud magnum et mirabile de illo accepissent, habitus humilitas statim dictorum magnitudini obstitisset. Christus enim tam trivio et vulgari habitu incedebat, ut et Samaritanae mulieres et meretrices et publicani cum magna libertate ac fiducia ad illum accederent ipsumque alloquerentur. — Post *ipso apparente* Vat. prosequitur: *in vili vestimento innotescente. Itaque enim in vili veste annuntiabatur forma communi* etc., G et ed. 1 *circumamictebatur forma in communi* [περιέκειτο σχῆμα καὶ κοινόν].

[10] Matth. 27, 27-29; Marc. 15, 16. seqq.; Ioan. 19, 2. seqq. — Chrysost., Homil. 85. (alias 84.) in Ioan. 19, 23. n. 2: Alii dicunt, illud vestis genus describere Evangelistam. Quia enim in Palaestina duos consuentes pannos sic vestimenta texunt, ut significet Ioannes, talem fuisse tunicam, dicit: *Desuper contexta.* Id vero dicere mihi videtur, ut vestium vilitatem subindicet, et sicut in aliis omnibus, sic in veste eum vilitati studuisse.

Ioannis decimo nono dicit, quod illa tunica fuit de viliori genere vestium Palaestinae; et Ioannes evangelista [1] dixit quibusdam arguendo: « Emite vobis vestes sericas, ut ad tempus fulgeatis ». Et sanctus Martinus in Legenda [2] sua dicit, Dominum Iesum non se exhibuisse purpuratum. — De vilitate dicit Hieronymus ad Rusticum [3]: « Sordidae vestes candidae mentis indicia sunt, vilis tunica contemptum saeculi probat ». Aliter tamen de vestibus hortatus est Nepotianum in epistola ad ipsum [4], aliter etiam Eustochium, ut intuenti patet. — Et nota, quod Fratribus nulla hic vestimenta pellicea conceduntur.

De victus districtione duo ponuntur.

25. *Quos moneo* etc. Hic agit de districtione quantum ad *victum*. Excludit quidem principaliter *iudicium temerarium* et aliorum contemptum ac praesumtionem propriorum factorum; secundo addit insinuantem *exhortationem de ciborum vilitate*, dicens: *Quos moneo et exhortor, ne despiciant*, in affectu, *neque iudicent*, contemnendo vel vilipendendo in cogitatu, *homines, quos viderint* [5] *mollibus vestimentis et coloratis indutos*. Unde Hieronymus ad Rusticum: « Vilis tunica contemptum saeculi probat, ita dumtaxat, ne animus tumeat, ne habitus sermoque dissentiant ». Et licet vitari non possit faciliter iudicium suspicionis vel haesitationis, cavendum est tamen penitus a iudicio definitionis, quo absolute utentes talibus contemnuntur.

De iudicio vitando.

De ciborum vilitate.

26. *Uti cibis et potibus delicatis*. Non est ergo Fratrum uti cibis et potibus delicatis, sicut nec uti vestibus coloratis. Hoc enim ad ius pertinet altissimae paupertatis, quae quanto est altior, tanto et arctior debet esse victus. Unde in comitiva Christi inventi sunt panes hordeacei, Ioannis sexto [6], et hoc in deserto; in civitate autem usus est pane triticeo, in quo et instituit Sacramentum. Similiter et in deserto ieiunavit quadraginta dierum spatio; inter homines autem existens, adeo se etiam peccatoribus in cibis et potibus conformabat, ut vorator et potator vini ab hominibus diceretur. Quid in hoc aliud tacite praedicat nisi damnationem hypocrisis, coram hominibus scilicet austere et in abscondito vivere delicate? Unde Matthaei duodecimo [7] legitur, quod Iesu abeunte *per sata, discipuli coeperunt vellere spicas*. Ubi Glossa dicit, quod in hoc docuerunt « austeram vitam et non praeparatos, sed simplices cibos quaerere ». Unde certum est, quod paupertatem et poenitentiam profitentibus carnes in domibus suis sunt vitandae extra casum necessitatis duplicis, scilicet vel infirmitatis vel debilitatis manifestae; iuxta quod beatus Benedictus [8] inhibet monachis « carnes quadrupedum, praeter illos qui sunt omnino debiles et aegroti ». Idcirco Ecclesia temporibus poenitentiae solet a carnibus abstinere. Qui ergo sunt poenitentiae perpetuae professores ab eis tritis et integris omni tempore debent abstinere, quantum patitur fragilitas humana. Nec hoc sufficit, nisi et a sumptuosis piscibus et marinis belluis studeant abstinere. Unde Gregorius ad Augustinum [9]: « Qui a carne abstinent nequaquam sumptuosiora marinarum belluarum convivia praeparent ». Ridiculosa igitur videtur abstinentia, maxime pauperibus, carnes non tangere et pisces quaerere cariores. Et Hieronymus ad Paulinum [10]: « Sit tibi vilis et vespertinus cibus; olera et legumina interdumque pisciculos paucos pro summis ducas deliciis ».

Ordinat. Bened.

Notand.

Sequitur: *Sed magis unusquisque iudicet et despiciat semetipsum*. Hoc enim verae humilitatis convenit professoribus se ipsos despicere et despicabiles reputare.

Homil. suadet

(CAPITULUM III.)

De divino officio et ieiunio, et quomodo Fratres debeant ire per mundum.

Clerici faciant divinum officium secundum ordinem sanctae Romanae Ecclesiae, excepto Psalterio, ex quo habere poterunt Breviaria. Laici vero dicant viginti quatuor Pater noster pro Matutino; pro Laude quinque; pro Prima, Tertia, Sexta, Nona, pro qualibet istarum septem; pro Vesperis autem duodecim; pro Completorio septem et orent

---

[1] Ut habetur V. Historiae certaminis Apostolorum, tributae Abdiae, primo Babyloniae episcopo (cfr. supra pag. 283, nota 7.), Paris. 1571, pag. 62 b: Emite vobis sericas vestes, ut pro tempore fulgeatis sicut rosa, quae, odorem et ruborem ostendens, repente marcescit.

[2] Sulpicius Severus, de Vita B. Martini, c. 24, narrat, diabolum luce purpurea circumiectum vesteque regia indutum Martino apparuisse et dixisse: « Christus ego sum », ipsique Martinum respondisse: Non se Iesus Dominus purpuratum et diademate renitentem venturum esse praedixit etc.

[3] Epist. 125. (alias 4.) n. 7: Sordidae vestes candidae mentis indicia sint, vilis tunica contemptum saeculi probet.

[4] Epist. 52. (alias 2.) n. 9: Vestes pullas aeque devita ut candidas. Ornatus ut sordes pari modo fugiendae sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet etc. Epist. 22. ad Eustochium, n. 27: Vestis nec satis munda nec sordida et nulla diversitate notabilis, ne ad te obviam praetereuntium turba consistat et digito monstreris. — Vat. cum D quae praecedunt *Dicunt tamen quidam... intuenti patet* omittit, exhibita tamen ab A B C F G et ed. 1.

[5] Textus originalis *vident*. — Sententia Hieron. habetur Epist. 125. (alias 4.) n. 7. paulo superius iam allegata. — Vat. cum D, hic omisso *Unde*, inferius pro *Et licet* substituit *Unde licet*. Subinde pro *haesitationis* G *existimationis*.

[6] Vers. 9. — Subinde respiciuntur Matth. 4, 1. seqq. (de ieiunio Christi) et 11, 19: Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicunt: Ecce, homo vorax et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus. Ibi Vat. legit: *adeo se hominibus et cibis et potibus... ab omnibus diceretur.*

[7] Vers. 1. Glossa est *interlinearis* (ex Hieron.), quae ut *ordinaria* exhibetur in Marc. 2, 23. et in Luc. 6, 1. Pro *praeparatos* Vat. *accuratos*.

[8] Regul. c. 39. Cfr. supra pag. 258, nota 7.

[9] Scilicet Anglorum episcopum; affertur a Gratiano, C. *Denique sacerdotes* (6.), § 3. *Ceterum*, dist. 4: Denique qui a carne abstinet... praeparet. — Superius pro *marinis belluis* Vat. *maxime belluis*.

[10] Epist. 58. (alias 13.) n. 6. Textus originalis omittit *tibi* et *paucos*.

pro defunctis. Et ieiunent a festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini. Sanctam vero Quadragesimam, quae incipit ab Epiphania usque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto ieiunio consecravit, qui voluntarie eam ieiunant benedicti sint a Domino, et qui nolunt non sint adstricti; sed aliam usque ad Resurrectionem Domini ieiunent. Aliis autem temporibus non teneantur nisi sexta feria ieiunare. Tempore vero manifestae necessitatis non teneantur Fratres ieiunio corporali. Consulo vero, moneo et exhortor Fratres meos in Domino Iesu Christo, ut, quando vadunt per mundum, non litigent neque contendant verbis nec alios iudicent; sed sint mites, pacifici et modesti, mansueti et humiles, honeste loquentes omnibus, sicut decet. Et non debeant equitare, nisi manifesta necessitate, vel infirmitate cogantur. In quamcumque domum intraverint, primum dicant: Pax huic domui. Et secundum sanctum Evangelium de omnibus cibis, qui apponuntur eis, liceat manducare.

EXPOSITIO.

[...isio in partes.] 1. *Clerici faciant divinum officium* etc. Haec tertia rubrica Fratres instruit disciplina [1]. Et haec pars habet tres, quia primo agit de disciplina ordinante ad *Deum laudandum et honorandum.* Secundo agit de disciplina ieiunii, quae ordinat hominem ad *se ipsum,* ibi: *Et ieiunent.* Tertio agit de ordinantibus ad *aedificationem proximorum,* et hoc quantum ad ambulantes per mundum, ibi: *Consulo vero.*

[...prima ...viditur.] In prima ergo parte primo informat *clericos,* deinde *laicos.*

[...imo, de ...ricorum ...cio.] 2. Dicit ergo: *Clerici faciant divinum officium secundum ordinem sanctae Romanae Ecclesiae.* Quod officium fuit in maiori parte a sancto Gregorio [2] et aliis Sanctis institutum. *Excepto Psalterio,* hoc dicitur, quia Ecclesia Romana utitur alia translatione psalterii, quam communiter habeatur, vel verius aliter emendata [3]. *Ex quo,* scilicet officio, *habere poterunt Breviaria.*

[...stio in...lens.] Sed quare sanctus Franciscus, ex quo volebat, Fratres suos in praedicatione [4] et studio per consequens exerceri, tam oneroso tamque prolixo eos [...sponsio.] officio oneravit? — Respondeo. Sanctus Franciscus optabat Romanae Ecclesiae vestigiis Religionem suam idcirco pro viribus copulare, quia sciebat, eam immediate subesse [5] caelesti curiae et ab ipso fuisse Domino institutam et a sanctis Patribus gubernatam, qui, habentes sapientiam et iudicia mittere toti mundo, secundum illud tamen prolixum officium laudaverunt Altissimum, sicut et laudat usque hodie Romana Ecclesia, regimini nihilominus intenta Ecclesiae universalis. Quibus etsi fuerit [6] maximae sollicitudinis inter homines necessitas, sciebant tamen, clarissimum esse laudum meritum divinarum, et per consequens brevitatem laudum brevitatem arguere meritorum. Cum ergo nulli incumbat tanta sollicitudo vacandi sapientiae pro regimine vel illustratione Ecclesiae universalis sicut Ecclesiae Romanae, nulli pro Ecclesiae [7] ministerio aut studio congruit illud officium abbreviare. Suspecta est ergo cuiuslibet nutricis pietas, quae affectum se putat transcendere tantae matris. — Praeterea, multum ad illuminationem proficit piarum mentium laudum frequentatio divinarum; Psalmus [8]: *Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei;* Gregorius super Ezechielem: « Vox psalmodiae, cum per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotenti Deo ad cor iter paratur, ut devotae menti vel prophetiae mysteria vel compunctionis gratia infundantur ». [Alia ratio.]

3. Pro informatione laicorum subdit: *Laici vero dicant viginti quatuor Pater noster pro Matutino.* Doceantur autem laici, quod haec tria vocabula *Pater noster, qui es in caelis,* pertinent ad animi praeparationem, quia, cum vult se nominari Deus patrem, dat fiduciam *impetrationis,* quia *pater* libenter filiis thesaurizat [9]. Cum vero dicitur *noster,* docet dilatationem *affectionis,* ut nullus orationem suam ad se solum contrahat. Cum dicitur: *qui es in caelis,* excitat puritatem *intentionis,* ut orans sola caelestia orando requirat. Cum autem subdit: *Sanctificetur* etc., oratio subiungitur, quae in septem petitionibus continetur, quarum tres primae pertinent directe ad *Dei honorem,* quatuor sequentes ad *petentium utilitatem.* Cum enim dicitur: *Sanctificetur nomen tuum,* petitur, ut fidei veritas sanctissima cognoscatur ab infidelibus [10]. Cum autem dicitur: *Adveniat regnum tuum,* petitur, ut eius legibus obediatur a credentibus. Cum dicitur: *Fiat* [Secunda, de officio laicorum cum expositione orationis dominicae.]

---

[1] Cfr. supra c. 1. n. 1. — Inferius pro *ordinante* D et ed. 1 *ordinata* et *ordinationibus* pro *ordinantibus.*

[2] Cfr. eius liber Responsalis sive antiphonarius.

[3] Vat. cum nonnullis codd. *emendato.*

[4] Cfr. infra c. 9. et supra pag. 332, nota 13.

[5] Codd. A D F G et ed. 1 *immediatam esse.* Inferius pro *sanctis* A et ed. 1 *sanctissimis.*

[6] Ita C et ed. 1, Vat. *quibus etiam fuit.*

[7] Cod. D *ecclesiastico,* qui etiam subinde pro *abbreviare* cum A G et ed. 1 *breviare.* Inferius pro *Suspecta est ergo cuiuslibet nutricis* F G et ed. 1 *Suspecta est enim nutricis.*

[8] Psalm. 49, 23. — Sententia Gregorii habetur l. Homil. in Ezech. homil. 1. n. 15, in cuius fine pro *gratia infundantur* textus originalis *gratiam infundat.* Cfr. de hac quaestione eiusque solutione Expositio quatuor Magistrorum in c. 3, ubi insinuatur, Fratres teneri ad recitandum officium Romanae Ecclesiae, ipsos, officio mutato, esse non posse securos (etiam per privilegium impetratum), nisi agatur de officio mutato secundum ordinem Romanae Ecclesiae; mutatione aliena argui posse « levitatis a constitutione Regulae, officio ter mutato »; illos autem, qui brevius expetant, magis otio quam spiritui orationis favere.

[9] Epist. II. Cor. 12, 14: Non enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. De expositione orationis dominicae cfr. Bonav., Comment. in Luc. 11, 2-4. n. 4. seqq. et ibid. in appendice Expositio orationis dominicae.

[10] Cod. D et Vat.: *veritas certissima, qua Deus est pater fidelium* [D *Deus pater christifidelium*], *et fideles filii Dei appellantur, ab infidelibus cognoscatur.*

voluntas tua sicut in caelo et in terra, petitur, ut eius bonitas diligatur et propter se colatur ab infirmis, sicut colitur a fortibus. — In quatuor autem petitionibus sequentibus primo petitur *collatio omnis boni* corpori et animae necessarii, cum dicitur: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie;* et petendo tantum pro *hodie,* excludit proterviam avaritiae, incertitudinem vitae insinuando. Secundo subditur petitio *amotionis omnis mali,* primo, quantum ad *praeterita,* cum dicit: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus,* ubi implicatur debitum innocentiae [1], ut sciat, se ad malum suum petere, qui in corde suo ad alterum retinet rancorem irae. Secundo, quantum ad *futura,* ut detur gratia omnia devitandi peccatorum vel tentationum pericula, cum dicitur: *Et ne nos inducas in tentationem,* id est, ne induci permittas. Tertio, quantum ad *praesentia* mala exsilii universa, ut, habentes vitam in patientia, mortem optemus vitam istam, cum Domino placuerit, terminantem, cum dicitur: *Sed libera nos a malo* [2]. Et haec omnia confirmantur, cum dicit: *Amen.* Ubi notandum, quod haec oratio inter omnes est praecipue veneranda, cum ab ipso Domino nullo medio fuerit [3] instituta.

De numeris in officio, primo laicorum.

4. Dicit autem beatus Franciscus signanter *viginti quatuor Pater noster pro Matutino,* quia officium nocturnale excubias repraesentat *civium supernorum,* et illo tempore est sacrificium laudis Deo et Angelis acceptissimum. Numerus autem vigesimus quartus est numerus Patrum utriusque testamenti. Duodecim enim fuerunt Patriarchae, per quos multiplicatus est populus credentium carnaliter; duodecim etiam Apostoli, per quos in novo testamento multiplicatus est populus credentium spiritualiter [4]. Petunt ergo Fratres, in mysterio huius numeri optantes in utriusque testamenti Patrum meritis exaudiri, quos non est dubium ad angelicum consortium pervenisse; vel cum viginti quatuor sint horae naturalis diei, oratio istius numeri petit remedium temporis universi. — Item, matutinae laudes, quae a clericis decantantur, novenario psalmorum, lectionum ac cantuum distinguuntur, ut angelicos novem ordines repraesentent. — Numerus autem vigesimus quartus generatur ex ductu ternarii in octonarium. In ternario autem numerus *credendorum,* in octonario iustitia intelligitur *agendorum;* est enim secundum Augustinum [5] numerus iustitiae unicuique sua tribuentis. Laici igitur, qui ad laudes angelicas vel intelligenda mysteria non assurgunt, simplicitatem suam in fide et iustitia in hoc numero profitentur, dum octonarius ad iustitiam, ternarius ad fidem pertinet Trinitatis.

Secundo, clericorum.

5. Sequitur: *Pro Laudibus* [6] *quinque.* Sicut matutinum officium laudes significat civium supernorum, sic officium Laudum cultum significat *Ecclesiae* a mane Ecclesiae primitivae usque ad lucem claram, quam in fine saeculi exspectamus. Incipiunt enim a regno Christi decorem induti [7] in populo Iudaeorum, per iubilum omnis terrae transeuntes, in populo gentium lucem pacis datam fatentur Ecclesiae, et duos Psalmos tertio copulando, duplicis populi concordiam repraesentant. Transeuntes autem per canticum trium puerorum in camino [8], laudes repraesentant Ecclesiae sub antichristo; et cum in tribus psalmis laudes iungunt ultimo, tempus post antichristum significant, quando cum Christianis qui usque tunc fuerunt Iudaei et pagani in una fide sociati Dominum collaudabunt. Propter has quinque petitiones laudum ecclesiasticarum puto sanctum Franciscum hunc quinarium laicis assignasse, nisi in hoc forte numero differentia assignetur laudum caelestium et terrestrium; iuxta quod in hoc differunt hierarchiae, quia *caelestis* laudat Deum intellectualiter, *subcaelestis* autem per sensibilia symbola [9], quae quidem omnia per quinque sensus cognoscuntur, dum *auditus* laudat in canticis, *visus* in ornamentis, *tactus* in obsequiis, *gustus* in sacrificio altaris, *olfactus* in fragrantia thuris, et si qua similia ad fragrantiam adhibentur.

6. Sequitur: *pro Prima,* in qua Dominus ad pontifices et tyrannos ductus est; *Tertia,* in qua accusatus et iudicatus est, in qua et descendit Spiritus

[1] August., de Mendacio, c. 19. n. 40: Innocentia est, qua nulli nocemus.

[2] Fide A B D supplevimus *cum dicitur: Sed libera nos a malo.*

[3] Codd. A G et ed. 1, superius omisso *cum* (pro quo D *quia),* hic omittunt *fuerit* (pro quo D *est).*

[4] Cfr. Almarii presbyteri Metensis, IV. de Ecclesiast. Officiis, c. 9. (Migne, Patrol. Lat. tom. 105, col. 1185 seq.); ibid. in praecedentibus capp. agitur etiam de aliis partibus officii. Vide etiam Isidor., I. de Ecclesiast. Officiis, c. 19. seqq.; Drogo cardinal., de Divinis Officiis; Honor. Augustodun., II. Gemma animae, c. 1. seqq.; Hugo a S. Vict., II. de Officiis ecclesiast. (inter opera Hugon.) c. 1. seqq. et Siccard. Cremonens. episc., IV. Mitrale, c. 1. seqq. (Migne, Patrol. Lat. tom. 213, col. 149 seqq.

[5] Enarrat. in Ps. 6. n. 2, ubi, praemisso, quod numerus quaternarius propter quatuor elementa ad corpus, et ternarius propter praeceptum dilectionis (ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente) ad animum pertineat, dicit: Quaternario in corpus, ternario in animum distributo, veniet *octavus* iudicii dies, qui meritis tribuens quod debetur, iam non ad opera temporalia, sed ad vitam aeternam Sanctos transferet, impios vero damnabit in aeternum.

[6] Textus originalis *Pro Laude.* Inferius pro *officium Laudum* A et ed. 1 *officium Laudis.* Du Cange, Glossarium etc.: *Laus, Laudes,* pars ultima officii nocturnalis etc.

[7] Respicitur primus Ps. Laudum *Dominus regnavit, decorem indutus est;* subinde secundus, *Iubilate Deo omnis terra,* et tertius, *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo,* cui copulatur Ps. *Deus misereatur* (post *tertio* supple *loco*).

[8] Quod in Laudibus quarto loco ponitur, cui quinto loco subiunguntur tres ultimi Psalmi 148-150: *Laudate Dominum de caelis* etc. — Inferius post *et cum* D prosequitur: *in tribus pueris laudem iungunt, ultimum tempus* etc.; pro *cum Christianis* (ita D) A G *a Christianis,* alii codd. et Vat. *Christianis.*

[9] Ut insinuat Dionys., de Caelesti Hierarchia, c. 1 § 2. seq.; de Ecclesiastica Hierarchia, c. 1. § 2. et 4.

sanctus[1]; *Sexta*, in qua crucifixus est; *Nona*, in qua mortuus est; *pro qualibet istarum horarum*[2] *septem*, ut septiformis gratia impetretur vel secundum septem dona Spiritus sancti, vel secundum septem Ecclesiae Sacramenta, quibus Deus suae indidit efficaciam passionis. — *Pro Vesperis autem duodecim;* hoc ideo forte, quia Vesperae pro hora habent duodecima celebrari[3], ut pro omnium horarum diei praeteritae offensis oratione duodenaria Christi misericordia imploretur; vel ideo, quia per laudes vespertinas repraesentatur mundi vespera, in qua ipse Dominus incarnatus dies factus est et sibi duodecim horas in duodecim Apostolis copulavit. Unde legitur Ioannis undecimo[4]: *Nonne duodecim horae sunt diei?* — Sequitur: *Pro Completorio septem,* in quo omnium consummatio insinuatur, ut sicut Spiritus septiformis incipit et dirigit, ita per ipsum etiam diei meritum consummetur. Haec autem in universo sunt septuaginta sex Pater noster, quibus si oratio pro defunctis adiiciatur, numerus producitur septuagesimus septimus, ut omnium peccatorum remissio impetretur, quae hoc numero significatur per ductum septenarii in undecimum, ex quibus duobus praedictus numerus generatur, sicut patet ex Glossa in Matthaei decimum octavum super illud: *Septuagies septies*[5].

secun- de ieiu-

7. *Et ieiunent.* Hic agitur de ordinantibus hominem ad *se ipsum*, scilicet de ieiunio. Et loquitur de triplici Quadragesima, duas praeceptorie imponens, tertiam ad devotionis excitationem suadens. Tres siquidem leguntur quadraginta diebus continue ieiunasse: Moyses, ut patet Exodi trigesimo quarto[6], et Elias, tertio Regum decimo nono, et ipse Dominus, Matthaei quarto.

ex ieiu- ium.

Duplex autem est ieiunium, scilicet *moeroris* et *gaudii*. Ieiunium *moeroris* est, quo carni placentia cibaria studio poenitentiae abscinduntur. Ieiunium vero *gaudii* est, cum ipsum cor tantis est inunctum spiritualibus deliciis, ut poena sit ei vacare mensis; et est per consequens delectabile ieiunare, cum ieiunatur, non ut corpus affligatur, sed ne devotio interrumpatur, qua spiritus recreatur[7].

Primum iterum duplex.

Ieiunium Moysi significat *moerorem pro deletione culpae*, ieiunium autem Eliae significat *moerorem pro amotione omnis miseriae*[8]. Primum significat Quadragesima hiemis, secundum significat Quadragesima veris; vel melius prima Quadragesima refertur ad peccata *praeterita* expianda, secunda ad *futura* imminentia praecavenda.

De ieiunio gaudii.

— Ieiunium autem Christi significat ieiunium *gaudii*, quo non tantum a cibis, sed ab omnibus terrenis delectationibus[9] abstinetur. Idcirco sanctus Franciscus duas Quadragesimas praecipiendo imposuit, tertiam vero *cum benedictione Dei* suasit, sciens, eam devotione sola et non coactione aliqua adimpleri.

Determinatio Regulae de his.

8. Dicit ergo: *Et ieiunent a festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini. Sanctam vero Quadragesimam, quae incipit ab Epiphania usque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto ieiunio consecravit, qui voluntarie eam ieiunant benedicti sint a Domino, et qui nolunt non sint adstricti; sed aliam usque ad Resurrectionem Domini ieiunent.* Nota, quod hic secundo fit mentio de benedictione, hic in victu et superius[10] in vestitu. *Aliis autem temporibus non teneantur nisi sexta feria ieiunare,* quia illa die voluit Dominus crucifigi. *Tempore vero manifestae necessitatis,* scilicet vel propter infirmitatem gravem, vel propter virtutem in labore inevitabili adeo deficientem, quod labor incumbens de necessitate aliter perfici non potest, *non teneantur Fratres ieiunio corporali.*

Notandum.

Nota, quod dicit: *non teneantur alio tempore*, ex hoc ad dicti temporis eos monstrans ieiunium obligari; tentio enim obligationem importat, ut patet in ordine proximi ad proximum; cum enim dicitur: iste

---

[1] Cfr. Act. 2, 15, ubi Petrus ait: « Cum sit hora diei tertia ». De hora sexta et nona cfr. Matth., 27, 45. seqq. — Superius Vat. omittit *et tyrannos* (ita A F et ed. 1), D ibi legit *Dominus noster Iesus Christus ad Pilatum.*

[2] Ed. 1 cum textu originali omittit *horarum.*

[3] Cod. D *post horam duodecimam habent celebrari,* Vat. *pro horis habent duodecim celebrari.*

[4] Vers. 9. August., in Ioan. Evang. tr. 49. n. 8: *Nonne duodecim horae sunt diei?* Quia, ut diem se esse ostenderet, duodecim discipulos elegit (cfr. tom. VI. pag. 400, nota 6. in fine et Comment. in Luc. 6, 12. n. 29.). De incarnatione Christi in mundi vespera vide August., 83 Qq. q. 64. n. 2, ubi docet, Christum incarnatum fuisse in sexta mundi aetate sive in eius senectute. — Pro *in duodecim Apostolis* G *id est duodecim Apostolos.*

[5] Vers. 22, ubi Glossa *ordinaria* apud Lyranum: *Undecim* per se transgressionem signat, quia iam est extra decalogum; cum vero multiplicatur per *septem*, iam omnis intelligitur transgressio propter septem vitia. Cfr. August., II. de Consensu Evangelist. c. 4. n. 14. seqq. (vide tom. VII. pag. 87, notam 2.); II. Qq. Evangeliorum, q. 6; Serm. 51. (alias 63. de Diversis) c. 21. n. 31. seqq. et Serm. 83. (alias 15. de Verbis Domini) c. 3. n. 3. seqq., ubi ostenditur, per numerum 77 non solum significari omnem transgressionem (sicut Glossa praenotata affert), sed etiam remissionem omnium peccatorum, quod Lucas (3, 21. seqq.) insinuat, in Iesu a Ioanne baptizati genealogia progenitores 77 adducens. — Contextu exigente, supplevimus *ex Glossa;* Vat., superius pro *septuagesimus septimus* substituto *octuagesimus primus*, subinde eum D omittit *quae hoc numero... septies.*

[6] Vers. 28. — Subinde allegantur III. Reg. 19, 8. et Matth. 4, 2.

[7] August., II. Qq. Evangeliorum, q. 18: Ieiunium aut in tribulatione est, aut in gaudio: in tribulatione, ad propitiandum Deum pro peccatis; in gaudio vero, cum tanto minus delectant carnalia, quanto spiritualium maior sagina est. Cfr. Zach. 8, 19. — Superius pro *studio poenitentiae abscinduntur* D *causa poenitentiae subtrahuntur*, et pro *mensis* ed. 1 *escis.*

[8] Propter idololatriam a Iudaeis factam Moyses de monte descendens tabulas Legis fregit et ad obtinendas alteras in monte quadraginta dierum ieiunium servavit; Elias vero in fortitudine cibi divinitus missi quadraginta diebus et noctibus ambulavit usque ad montem Dei Horeb. — Inferius A G et ed. 1 omittunt *futura.*

[9] Vat. addit *delectabiliter* et inferius post *adimpleri* contra A G et ed. 1 *debere.*

[10] Cap. 2. circa finem.

tenetur illi in centum, sensus est, quia obligatur ad solvendum ei centum; ergo eadem ratione tentio obligationem sonat in divinis [1].

Quaestio solvitur.

9. Quodsi quaeras, quare tam parum ieiunii imposuit Fratribus observandum? respondeo, quod non est parum, quia indispensabiliter interius et exterius ieiunatur, cum aliter in aliis quibusdam sit, qui, magnum sibi dimidii anni imponentes circulum ieiunii, multum de vacuo interponunt, sed in abditis, ne sciatur, semper tamen conventu synecdochice [2] ieiunante. — Praeterea, de ieiunio disciplinae parum reperit sanctus Franciscus in Evangelio expressum, quin potius ieiunantibus discipulis Ioannis ipse Dominus suos discipulos non ieiunantes de hoc legitur [3] excusasse, quia parum solius gulae acceptat Dominus refrenationem, nisi ab omni abstineatur iuxta status exigentiam sensibili voluptate. — Ad *gaudii* igitur ieiunium volens Fratres omni tempore suspirare, iuxta evangelicam regulam minus de ieiunio moeroris imponens, ad gaudii ieiunia informat in sequentibus, ut patebit.

Alia ratio.

De ieiunio gaudii.

10. *Consulo vero.* Hic agit de ordinantibus ad *aedificationem aliorum* [4], *per mundum*, scilicet a foris, tam *ambulando* quam in alienis domibus *quiescendo.* — Circa primum primo *informat itinerationem;* secundo *excludit equitationem*, ibi: *Et non debeant.* In prima parte informat itinerationem ad *vitandum malum*, secundo ad *tenendum bonum*, ibi: *Sed sint mites.*

Pars tertia dividitur.

De itinerantibus ponuntur duo.

Primum subdividitur.

11. Pro primo dicit: *Consulo vero,* ad instructionem *rationalis; moneo,* ad allectionem *concupiscibilis*, Proverbiorum duodecimo [5]: *Qui suavis est vivit in moderationibus, in suis monitionibus relinquit contumeliam; et exhortor Fratres meos in Domino Iesu Christo,* ad excitationem *irascibilis*, secundi Machabaeorum decimo quinto [6]: *Singulos illorum armavit non clypei et hastae munitione, sed sermonibus optimis et hortamentis; ut quando vadunt per mundum*, exemplo Christi et discipulorum suorum, *non litigent*, alicui inferendo contumeliam; *neque contendant verbis,* pertinaciter affirmando sententiam suam, vel iudicialiter litigando [7]; *nec alios iudicent,* dubia in peiorem partem interpretando, ut sic servetur innocentia exterior et interior.

Itinerantibus consulitur, ut viteut malum.

12. Sed pro *bono tenendo* subdit: *Sed sint mites*, cedendo improbitatibus; *pacifici*, minoritatis suae servando ordinem; *et modesti*, per disciplinam sensuum, operum et verborum; *mansueti*, moribus non impetuosi; *et humiles*, nullum honorem appetendo et omnem gloriam fugiendo. Nec hoc sufficere eis debet, nisi definitionem humilitatis in se studeant adimplere, quae talis est [8]: Humilitas est virtus, qua homo, vera cognitione sui sibi vilescens, appetit tractari vilius et non sublimius gubernari. Et pro speciali disciplina *verborum* addit: *Honeste loquentes omnibus, sicut decet,* omnem scilicet hominem pro sui status gradu reverendo. Haec est *informatio itinerationis.*

Item, o... ncant... num.

13. Sed quaeritur, an Fratres semper debeant improbitatibus cedere, praecipue cum in quibusdam locis vel civitatibus habitare minime permittuntur; et videtur, quod sic, quia dicitur Matthaei decimo [9]: *Cum persequentur vos in una civitate, fugite in aliam.* — Respondeo: Cum Fratres ex Regula [10] non quaerant nisi salutem animarum in civitatibus, non debent cedere pro quolibet resistente, quia nihil pretiosius salute animarum Christi sanguine redemptarum. Aut igitur opponit se Fratribus episcopus, aut persona inferior, vel collegium aut saecularium aut claustralium personarum. Si episcopus opponat se, credo, quod cedendum est ad tempus, donec morte vel gratia Fratribus consentiat admittendis, nisi Papa aliud duxerit ordinandum; et hoc patet ex nono capitulo huius Regulae infra. Si vero alii inferiores, vel collegia se opponant Fratribus, non credo, quod semper talium improbitatibus sit cedendum, nisi forte

Quaest...

Respo...

---

[1] Quae praecedunt *Nota... divinis,* sicut et ea quae in seq. n. 9. habentur usque ad *sensibili voluptate* supplevimus fide A B C F G et ed. 1.

[2] Isidor., I. Etymolog. c. 37. n. 13: *Synecdoche* est conceptio, cum a parte totum, vel a toto pars intelligitur. — Pro *ne sciatur* ed. 1 *nescitur.*

[3] Matth. 9, 14. seq.; Marc. 2, 18. seq.; Luc. 5, 33. seq.

[4] Ita A G et ed. 1, Vat. *proximorum*, quae etiam inferius post *primo informat itinerationem*, refragantibus A et ed. 1, addit *ad vitandum malum.*

[5] Vers. 11: *Qui suavis est in vini demorationibus in suis munitionibus relinquit contumeliam.* Haec pars versiculi, quae deest in Hebraeo, convenit, uti a Vulgata exhibetur, cum Septuaginta. Nostram lectionem recensent Correctores Bibliae Romani et exhibetur a Card. Hugone ac Lyrano, quorum prior eam sic explicat: *Qui suavis est*, id est sine asperitate reprehensionis, *vivit in moderationibus,* id est, propter moderatam et mansuetam correctionem vitam gratiae in praesenti et vitam gloriae in futuro sibi et subditis acquirit. Et talis *in suis monitionibus relinquit contumeliam*, id est, abiicit... malus autem et hypocrita cum iracundia increpat.

[6] Vers. 11, ubi haec de Iuda Machabaeo narrantur. Vat. legit: *Ita fecit Iudas Machabaeus, qui singulos* etc.

[7] Cod. A *iudicando.* Inferius post *ut sic* A G prosequuntur *servent innocentiam exteriorem et interiorem.*

[8] Bernard., de Gradibus humilitatis c. 1. n. 2: Humilitas est virtus, qua homo verissima sui agnitione sibi ipsi vilescit. Serm. 16. in Cant. n. 10: Verus humilis vilis vult reputari, non humilis praedicari. Gaudet contemptu sui etc. Serm. 60. de Diversis (alias 18. ex Parvis), ubi, recensito triplici descensu Christi, scilicet de caelo ad carnem, ad crucem et mortem, dicit n. 3: Descendamus per viam humilitatis, ponaturque primus eius gradus, id est primus profectus, nolle dominari; secundus, velle subiici; tertius, in ipsa subiectione quaslibet contumelias et iniurias illatas aequanimiter pati. Cfr. supra pag. 410, nota 2. et 5. Pro *tractari vilius* (ita A) D *tractari ut humilis* (ed. 1 *ut vilis*, Vat. *ut huiusmodi*), et pro *sublimius* (ita A D G) alias *sublimis.* — Superius post *gloriam* Vat. cum nonnullis codd. addit *humanam.*

[9] Vers. 23. — Superius pro *permittuntur* B *permittitur*, ed. 1 *permittantur.* — Quae hoc n. 13. continentur supplevimus ex A B C F G et ed. 1.

[10] Cfr. infra c. 9.

ad tempus, si scandalum immineat populo generale; unde Glossa[1] dicit super dicto verbo Matthaei decimo: « Non debetis resistere, sed ad tempus declinare, ut aliis possitis prodesse ».

14. Sed pro *seclusione equitationis* subdit: *Et non debeant equitare*, et per consequens nec bigare aut quadrigare, quae maioris sunt sumtus; *nisi manifesta necessitate*, prolixi vel impediti itineris, vel negotii urgentis, *vel infirmitate cogantur*. Dicit autem *non debeant equitare*, pro eo quod est *debeant non equitare*. — Sed illud videtur perfectioni contrarium[2], quoniam multum itinerans necesse habet cibis et potibus secundum laboris exigentiam plus quam equitans recreari, et per consequens plus dormire; hoc autem impedit exercitium spirituale, quia prolixae vigiliae summe sunt necessariae sanctitati: melius ergo esset equitare. — Respondeo. Exemplum Christi itinerantis et discipulorum suorum omnium est alteri praeferendum; et quamvis itineratio aliquem habeat defectum, longe tamen minorem quam equitatio, dum labor itineris vehementer corpus affligit et lasciviam excludit, ad quam equitatio plurimum disponit, non solum a corpore excludendo angustiam, quod non angustiatum mox in turpitudinem tendit, verum etiam calorem membrorum genitalium pluries inflammando. Unde equitantem fateor aliquando plus vigilare *extensive*, itinerantem autem amplius *intensive*. In itinerantium autem solatium Dominus ipse voluit usque ad sextam horam ambulans fatigare, ut legitur Ioannis quarto[3]. Praeterea itinerantes possunt longe melius somnolentiam vincere quam equitantes, et si sobrii sint, sufficientissime vigilare similiter et orare; unde Ecclesiastae decimo[4]: *Vidi servos in equis et principes quasi servos ambulantes super terram.*

15. Et *in quamcumque domum intraverint*, ad procurandum animarum scilicet salutem, Matthaei sexto[5]: *Primum quaerite regnum Dei* etc.; *primum dicant: Pax huic domui*, secundum doctrinam Christi, Matthaei decimo. Optando autem pacem optamus omnem liberationem a malo et promotionem in bono. Est enim « pax tranquillitas ordinis[6] ». — *Et secundum sanctum Evangelium de omnibus cibis, qui apponuntur eis, liceat manducare.* Signanter dicit *liceat*, non necessitatem imponendo, sed secundum indulgentiam permittendo, ut sciat, se contra Regulam non facere, si quis voluerit sublimius ambulare. — Adhuc notandum[7], quod dicit: *liceat de omnibus manducare*, non simpliciter, sed *secundum sanctum Evangelium*. Istud autem non conceditur nisi in praedicationis euntibus ministerio. Qui ergo pro animarum salute non circumeunt, in hac licentia ius non habent. — Item, dicendo *secundum sanctum Evangelium*, licentiam temperat, ut scilicet fiat secundum regulam evangelicae honestatis. Unde cum verbum praedictum trahatur de Lucae decimo capitulo[8], ubi dicitur: *Manducate quae apponuntur vobis;* notandum, quod ibi immediate subiungitur: *et curate infirmos, qui in illa sunt.* Certum est, illud intelligi spiritualiter secundum principalem intellectum vocabuli. Non est autem modus curandi animas[9] delicatioribus uti cibariis, quam illi utantur, in quorum mensis Fratres vescuntur. Hoc enim non est curare infirmos, sed a fortitudine ad infirmitatem revocare. — Quando ergo principales personae domus et familiae abstinent a carnibus, non est[10] *secundum sanctum Evangelium*, Fratres in esu carnium laxius ambulare. Item, ubi est ferculorum superfluitas, non est evangelicae sanctitatis superfluitatem usu suo, vel verius abusu approbare; sed magis, necessitate accepta, dissimulare prudenter quod nequit tunc sine scandalo reprehendi. Item, si aliqui Religiosi, receptores Fratrum, contra Regulam suam carnes comederent, non esset evangelicae sanctitatis participare cum praevaricatore in crimine, vel carnalitatem irregularem suo consortio confirmare[11].

De licentia quoad cibos.

Alia notanda.

Corollaria.

(CAPITULUM IV.)

QUOD FRATRES NON RECIPIANT PECUNIAM.

Praecipio firmiter Fratribus universis, ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam

[1] Scilicet *interlinearis*, quae tamen pro *resistere* substituit *desistere*. Beda in eundem loc. Matth. 10, 23: Non timendo passionem, sed declinando, ut tribulationis occasio seminarium fieret Evangelii.

[2] Hanc obiectionem et eius solutionem supplevimus ex A B C F G et ed. 1.

[3] Vers. 6: Iesus ergo, fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta. [4] Vers. 7.

[5] Vers. 33. et subinde 10, 12: Intrantes autem in domum salutate eam, dicentes: Pax huic domui.

[6] August., XIX. de Civ. Dei, c. 13. n. 1: Pax omnium rerum, tranquillitas ordinis. *Pro ordinis* (ita G) F *rationis*, ed. 1 *orationis*, Vat. *cordis*.

[7] Ed. 1 *Est etiam hic notandum.*

[8] Vers. 8, post quem v. 9. Beda, in Matth. 10, 8: *Infirmos curate* etc.: Hanc dedit eis potestatem regnum Dei pollicentibus, ut magnitudinem promissorum magnitudo probaret signorum; haec quotidie sancta facit Ecclesia, cum infirmos in bono opere curat exhortatione, mortuos in infidelitate vel peccatis per poenitentiam revocat etc. Cfr. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 29. n. 4, ubi docet, corporalia signa in principio Ecclesiae fuisse necessaria, sed nunc Ecclesiam quotidie spiritualiter operari quae Apostoli corporaliter faciebant.

[9] Pro *animas*, quod A G et ed. 1 omittunt, D *animarum*.

[10] Vat. *non licet.*

[11] Cfr. Expositio quatuor Magistrorum in c. 3, in cuius fine dicitur: « Unde habemus ex Regula quaedam concessionis [de omnibus cibis liceat manducare, qua concessione generaliter tantum tollitur in vet. testam. statuta inhibitio quorundam ciborum], quaedam instructionis, quaedam admonitionis [primum dicant: Pax huic domui, videtur secundum monitionem vel instructionem], quaedam praeceptionis ». Verba: *liceat de omnibus manducare* etc., non tollunt, ut iam ex his patet, praeceptum Regulae certo tempore ieiunandi. — Pro *irregularem* ed. 1 *in errorem*, Vat. legit: *vel carnalitati irregulariter suo consortio conformari.*

personam; tamen pro necessitatibus infirmorum et aliis Fratribus induendis per amicos spirituales Ministri tantum et Custodes sollicitam curam gerant secundum loca et tempora et frigidas regiones, sicut necessitati viderint expedire: eo semper salvo, ut, sicut dictum est, denarios vel pecuniam non recipiant.

EXPOSITIO.

Pars principalis secunda cum 3 portis.

1. *Praecipio firmiter*. Descriptis tribus portis dominicae civitatis, per quas illucescit claritas orientalis; sequitur pars secunda, in qua describuntur tres portae munitae contra insidias aquilonis [1]. Quarum prima excludit periculum *Iudae* pro pecunia Dominum tradentis; secunda tollit periculum *fictae religionis* in otio viventis; tertia aufert periculum *multitudinis* cleri in fine pro appropriatis communibus contendentis. Primum aufert homini *Deum;* secundum aufert homini *se ipsum,* quia otiosus in nullo est sibi fructuosus; tertium aufert homini *proximum.*

De prima porta, sive exclusione receptionis pecuniae, ponuntur duo.

Prima pars habet duas, quia primo excludit pecuniae receptionem [2]; secundo, providens subditorum quieti, imponit praelatis circa procurationem necessariorum sollicitudinem, ibi: *Tamen pro necessitatibus infirmorum.*

De primo.

2. Dicit ergo pro primo: *Praecipio firmiter Fratribus universis, ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam personam.* Circa quod sciendum, quod *pecunia* terrenum nomen est, magis redolens avaritiam quam nomen divitiarum, ut docet sanctus Augustinus septimo de Civitate Dei, capitulo duodecimo [3]. Dicitur autem pecunia uno modo *large* quidquid temporaliter possidetur. Unde Augustinus libro de Disciplina christiana [4] dicit: « Totum, quidquid homines in terra possident, omnia, quorum domini sunt, *pecunia* vocatur, sive sit servus, sive ager ». Alio modo dicitur pecunia *stricte,* quod est mensura commutationis rerum, et sic accipitur Actuum octavo [5], ubi dicitur: *Pecunia tua tecum sit in perditionem;* et Proverbiorum septimo dicitur: *Sacculum pecuniae tulit secum; in die plenae lunae reversurus est domum suam.* Hoc idem dicit Philosophus quarto Ethicorum. Volens igitur Dominus per servum Franciscum avaritiae radicem penitus excludere ab *horto concluso* et *fonte signato* [6], praecepit, ne recipiant Fratres denarios vel pecuniam vel ullam possessionem terrenam in pecoribus, sive generaliter in omnibus, quae paupertatem altissimam labefaciunt, et praecipue loquitur de pecunia numerata. Hoc autem praeceptum trahitur ex Evangelio Matthaei, decimo capitulo [7], ubi dicitur: *Nolite possidere aurum neque argentum neque pecuniam,* unde ibi dicit Glossa: « Duo sunt genera necessariorum: unum, quo emuntur necessaria, aliud ipsa necessaria; per *pecuniam in zonis* illud unde illa emuntur, per *peram,* quod emitur ».

Nomen pecuniae. Sensus la[rgus] ipsiu[s]. Strictus. Genera[lis] ratio pro[hi]bitionis.

3. Huius autem inhibitionis factae Apostolis septem sunt praecipuae rationes [8]. — Prima est *suspicionis exclusio* ad efficaciam praedicationis.

Speciale[s ra]tiones [se]ptem. Pr[ima].

Secunda est *terrenae sollicitudinis perfecta exstirpatio* ad commendationem caelestis providentiae circa illos qui divinis vacant obsequiis. Et has duas rationes tangit Hieronymus [9] in Glossa dicens: « Si

Secunda.

---

[1] Cfr. supra c. 1. n. 1. — Superius pro *orientalis* D *orientis.* Inferius pro *in fine* (infinite?) A C et ed. 1 *infirmae,* B *in funere,* et subinde pro *Primum, secundum, tertium* Vat. perperam *Prima, secunda, tertia.*

[2] Vat. cum nonnullis codd. *pecuniae omnimodam receptionem.*

[3] Ubi ostendit, Iovem, eo quod eius sint omnia, *Pecuniam* vilissime et contumeliosissime vocatum fuisse: Hoc avaritia Iovi nomen imposuit, ut, quisquis amat pecuniam, non quemlibet deum, sed ipsum regem omnium sibi amare videretur. Longe autem aliud esset, si *Divitiae* vocaretur. Aliud namque sunt divitiae, aliud pecunia. Nam dicimus divites, sapientes, iustos, bonos, quibus pecunia vel nulla, vel parva est... Et Deum ipsum verum recte dicimus divitem, non tamen pecunia, sed omnipotentem. Dicuntur itaque et divites pecuniosi, sed interius egeni, si cupidi... Qualis ergo ista theologia debet esse sapienti, ubi rex deorum eius rei nomen accepit, quam nemo sapiens concupivit etc. Pro *nomen divitiarum* Vat. *modum divitiarum.*

[4] Cap. 6. n. 6. In fine pro *sive sit servus, sive ager* A G et ed. 1 *sit servus, sit ager,* textus originalis: Servus sit, vas, ager, arbor, pecus; quidquid horum est, pecunia dicitur. — Superius pro *Dicitur autem pecunia uno modo* (ita A G et ed. 1) Vat. *Dicitur pecuniae vocabulo.*

[5] Vers. 20. — Subinde allegantur (a Vat. et D omittuntur) Prov. 7, 20. et Aristot., IV. Ethic. c. 1, ubi hanc pecuniae definitionem dat: « Pecunias autem omnia ea dicimus, quorum aestimationem nummus metitur », quam libr. V. c. 5. fusius explicat: Idcirco omnia ea quorum est permutatio, comparabilia esse quodam modo debent, ob quod nummus in usum venit, qui quodam modo medium efficitur; metitur enim omnia... nisi enim ita sit, nec permutatio, nec societas esse ullo modo poterit... ex pacto quasi substituitur nummus, unde etiam νόμισμα appellatur, eo quod non natura, sed νόμῳ, id est instituto et lege, constet. Cfr. I. Magn. Moral. c. 31. (c. 34.) et I. Politic. c. 6. (c. 3.).

[6] Cant. 4, 12: Hortus conclusus, fons signatus. — Superius pro *servum Franciscum* A G et ed. 1 *sanctum Franciscum.*

[7] Vers. 9. — Glossa est *ordinaria.* Cfr. Expositio quatuor Magistrorum in c. 4, ubi etiam differentia inter *denarium* (qui pertinet ad pecuniam numeratam sive stricte dictam) et *pecuniam* (large dictam) tangitur et dicitur: Sed secundum iura [lib. L. Digest. tit. 16. leg. 222; cfr. leg. 4. seq. et 178.] pecunia est quidquid appretiatur numerata pecunia, ut aliquid ematur; nam proprie quod emitur pretio numeratae pecuniae emitur; sed si species alicuius rei pro specie alterius rei datur, cummutatio est... Videtur ergo hic prohiberi receptio denariorum et quarumlibet rerum, quae acciperentur ad pretium rerum vendendarum.

[8] Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 9. n. 13, ubi 12 utilitates paupertatis afferuntur. — Inferius pro *efficaciam* D *aedificationem.*

[9] Libr. I. Comment. in Matth. 10, 9. seq. Glossa *ordinaria* exhibet primam sententiae partem, secundam Glossa *interlinearis.* Cfr. supra pag. 275, nota 6. Pro *propemodum* (ita C G et ed. 1 cum textu originali) Vat. *propterea.* — Superius pro *sollicitudinis* D *cupiditatis.*

haec haberent, viderentur non causa salutis hominum praedicare, sed lucri; propemodum vitae necessaria amputat, ut Apostoli, doctores verae religionis, qui instruebant, omnia divina providentia gubernari, se ipsos ostenderent nihil cogitare de crastino ». Haec Hieronymus.

Tertia huius mandati ratio est *declaratio virtutis ipsius Domini Salvatoris.* Unde pro istis tribus causis dicit Chrysostomus super Matthaeum ibidem [1]: « Multa per hoc unum emendabat: primum quidem, non suspectos faciens Apostolos; secundo, eruens eos ab omni sollicitudine, ut vacationem omnem Dei verbo tribuant; tertio, docens eos suam virtutem. Hoc nempe eis postea dicit: *Nunquid aliquid defuit vobis, quando misi vos nudos et discalceatos?*

Tertia.

Quarta ratio est perfecta omnis *amoris mundani exstirpatio,* quia maxima inter possessiones cupiditas solet haberi pecuniae, Ecclesiastae decimo [2]: *Pecuniae obediunt omnia;* item, quinto capitulo: *Avarus non implebitur pecunia.* Et Ambrosius dicit vigesimo quinto de Officiis [3]: « Dominus ad discipulos ait: *Nolite possidere aurum neque argentum,* quo velut falce pullulantem in pectore humano succidit avaritiam ». Chrysostomus etiam ait super idem [4]: « Radicem malorum confestim evellens ait: *Ne possideatis aurum neque argentum;* non dixit: Non accipite vobiscum, sed etiam, si aliunde possibile sit accipere, fugite perniciosam hanc aegritudinem ».

Quarta.

Quinta ratio est, ut *statum innocentiae perditae,* ut erat possibile, *renovaret;* in qua, si homo stetisset, omnia fuissent communia, et nulla proprietas contracta fuisset ad multitudinem aliquam vel personam. Unde Chrysostomus [5] dicit, quod hoc dixerit, ut doceret eos recurrere ad statum, in quo homo erat ante peccatum.

Quinta.

Sexta ratio est ad *doctrinam perfectissimae liberalitatis,* quia, ut dicit Hieronymus in Epistola [6], « nemo perfectius erogat, quam qui nihil sibi reservat ». Et si *beatius est dare quam accipere,* ut dicitur Actuum vigesimo, beatissimus est, qui sua omnia dedit et, ut est possibile, paucissima econtra recepit.

Sexta.

Septima ratio est *indivisa cordis intentio circa praedicationem* verbi Dei. Unde Chrysostomus super idem [7]: « Orbi terrarum doctores missurus erat, propter hoc angelos eos ex hominibus constituit, ab omni absolvens vitae huius sollicitudine, ut una sola detineantur cura, quae est cura doctrinae ».

Septima.

4. Hanc igitur vitam sancti Apostoli tenuerunt et ante passionem Domini et post. Unde Actuum tertio [8] pauperi eleemosynam petenti respondit Petrus: *Argentum et aurum non est mihi;* Glossa: « Memor praecepti Domini dicentis: *Nolite possidere aurum* » etc. Item, Ambrosius super Lucae decimo [9] ait: « Apostolus Petrus, primus exsecutor dominicae sententiae, ostendit, non in vacuum effusa Domini mandata. Cum enim a paupere posceretur, ut ei aliquid pecuniae largiretur, ait: *Argentum et aurum non est mihi.* Tamen non tam in hoc gloriatur Petrus, quod aurum et argentum non habeat, quam quod servet Domini mandatum dicentis: *Nolite possidere* etc., hoc est, vides me Christi discipulum, et aurum a me requiris »? Haec Ambrosius. Idem dicit Augustinus tertio de Mirabilibus sacrae Scripturae penultimo capitulo [10]. Hoc idem etiam servavit Paulus. Unde Chrysostomus de Laudibus Pauli [11]: « Paulus pecunias non possedit; nam et ipse dixit: *Usque in hanc horam et esurimus et sitimus* ». Idem patet de sancto Ioanne evangelista in Legenda sua [12], qua utitur Ecclesia Romana. Hoc idem legitur de Simone et Iuda in Legenda sua. Dixerunt enim:

Hanc vitam tenuerunt Apostoli.

---

[1] Scilicet c. 10, 9, qui exponitur a Chrysost., Homil. 32. (alias 33.) n. 4. In fine allegatur Luc. 22, 35. Cfr. supra pag. 275, nota 3. Pro *emendabat* (ita A G), B *emundabat*, ed. 1 *emendantur*, Vat. *commendavit* (καὶ γὰρ πολλὰ διὰ τούτου κατώρθου).

[2] Vers. 19, post quem 5, 9. — Superius Vat. legit: *quia maxime inter possessiones cupidas solent haberi pecuniae.*

[3] Libr. II. n. 128. Allegatur Matth. 10, 9. Cfr. supra pag. 281, nota 9.

[4] Scilicet Matth. 10, 9; homil. 32. (alias 33.) n. 4. Cfr. supra pag. 281, nota 10. Pro *perniciosam* (πονηρὸν) Vat. *periculosam.*

[5] Pro hac sententia allegatum invenimus Chrysost., Homil. 32. (alias 33.), in qua tamen non occurrit. S. Thom., Catena aurea in Matth. 10. n. 3, similem *Remigio* attribuit dicenti: Ostendit etiam Dominus his verbis, quia sancti praedicatores revocati sunt ad primi hominis dignitatem, qui, quamdiu caelestes possedit thesauros, ista non concupivit, sed mox ut peccando illa amisit, ista desiderare coepit. Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 9. n. 3. circa finem, ubi dicitur, « quod huiusmodi appropriatio descendit ex iniquitate primorum parentum, quia, nisi illi peccassent, huiusmodi appropriatio non fuisset ». — Superius pro *renovaret* A *revocaret* et pro *in qua* G *in quo.*

[6] Epist. 52. (alias 2.) n. 16: Aut divide statim quod acceperis, aut si timidus dispensator es, dimitte largitorem, ut sua ipse distribuat. Nolo sub occasione mea sacculus tuus plenus sit. Nemo me melius mea servare potest. Optimus dispensator est, qui sibi nihil reservat. Cfr. etiam supra pag. 280, nota 3. in fine. — Subinde allegatur Act. 20, 35, cuius explicationem vide supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 12. n. 30-33. — Superius pro *liberalitatis* Vat. *libertatis.*

[7] Scilicet Matth. 10, 9; homil. 32. (alias 33.) n. 4. Cfr. supra pag. 275, nota 3.

[8] Vers. 6. — Glossa est *ordinaria* (ex Beda), in qua allegatur Matth. 10, 9. Cfr. supra pag. 283, nota 6. — Pro *petenti* A et ed. 1 *poscenti.*

[9] Vers. 4. lib. VII. n. 55. Allegantur Act. 3, 6. et Matth. 10, 9. Cfr. supra pag. 275, nota 11. Pro *in vacuum* A G et ed. 1 *in vanum.*

[10] Notamus, quod hoc opus inter opera non genuina Augustini computatur. Cfr. supra pag. 276, nota 1.

[11] Homil. 4. de Laudibus Pauli. Cfr. supra pag. 276, nota 4. Allegatur I. Cor. 4, 11.

[12] Vide supra pag. 406, notam 1. et pag. 283, notam 7. — Ex B C supplevimus *qua utitur Ecclesia Romana,* et deinde *Hoc idem legitur de Simone et Iuda in Legenda sua,* eidem Abdiae attributa, libr. VI. de Historia certaminis Apostolorum, pag. 78[a]. Cfr. Euseb., I. Ecclesiast. Histor. c. 13. in fine (supra pag. 283, nota 8. allegatum), ubi simile de Iuda Thaddaeo insinuatur.

« Nulla ratione possumus accipere aurum, aut argentum, aut vestes, aut domos, aut praedia, aut servos, aut ancillas » etc. — Hic tamen advertendum est, quod *praeceptum* erat Apostolis nihil habere, ut supra[1] visum est; et hoc servavit Paulus cum aliis. *Permissum* autem erat vivere de cibis et impendiis alienis, et non *praeceptum*. Unde Chrysostomus, ubi supra[2]: « Omnibus eos denudans, omnia eis dedit, permittens, eos in domibus illorum qui docentur, manere et nihil habentes introire ». Hoc idcirco dixerim, quia Paulus praeceptum de non possidendo nec ferendo pecuniam servavit, sicut Chrysostomus docet expresse in libro de Laudibus Pauli[3]. Permissionem autem de accipiendis corpori necessariis ab auditoribus aliquando tenuit, utens iure suo; unde secundae ad Corinthios undecimo[4]: *Alias Ecclesias exspoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum.* Aliquando non tenuit sublimius ambulando; unde primae ad Thessalonicenses secundo: *Nocte et die laborantes, ne quem vestrum gravaremus, praedicavimus in vobis Evangelium Dei. Praeceptum* ergo fuit nihil habere, *permissum* vero, non praeceptum, in mensis et de mensis vivere alienis.

Quid fuerit praeceptum, quid permissum.

De S. Pauli more.

5. Sed praedictae sententiae de apostolica paupertate videtur esse contrarium, quod Dominus ipse legitur loculos habuisse, ut legitur Ioannis duodecimo et decimo tertio[5]. *Sufficit* autem *discipulo, si sit sicut magister eius*, ut dicitur in Matthaei decimo.

Obiectio prima. Confirmatio.

Item, si hoc verum esset, tunc episcopi et clerici alii a tempore Silvestri[6] essent in statu damnationis, ut etiam dicunt Manichaei; habent enim aurum et argentum.

Secunda.

Item, ex eadem ratione videtur, quod ista vita apostolica non sit aliis quam praelatis Ecclesiae Apostolis[7] succedentibus imitanda, et, si non illis, nec aliis.

Tertia.

Item, si est aliquibus imitanda, sufficit, ut videtur, eam imitari, eis in itinere constitutis et non in domo manentibus, ubi oportet per deposita futuris periculis obviare. Unde Augustinus secundo de Sermone Domini in monte[8] exponens illud: *Nolite solliciti esse* etc., dicit: « Satis apparet, Dominum nostrum non hoc improbare, si quis humano more ista procuret, sed si quis propter ista Deo militet ».

Quarta.

6. Ad primum respondet Chrysostomus super Ioannem homilia septuagesima prima[9], ubi agitur de loculis Domini, dicens: « Qualiter non virgam, non peram, non aes iubens deferre, marsupium ferebat? Ad inopum ministerium, ut discas, quoniam valde pauperem et crucifixum huiusmodi oportet facere multam procurationem. Multa enim ad nostram dispensans doctrinam agebat ». Haec Chrysostomus. Habuit ergo loculos pro aliis, et hoc dupliciter: pro *aliis perfectis*, Ecclesiae scilicet praelatis, ut doceat eos habere loculos pro necessitatibus pauperum relevandis. Unde Augustinus super Ioannem homilia sexagesima secunda[10]: « Habebat Dominus loculos et a fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus et aliis indigentibus tribuebat. Tunc primum ecclesiasticae pecuniae forma est instituta ». Haec Augustinus. Haec est autem forma, de qua dicit Prosper[11]: « Hoc est possidendo omnia contemnere, non sibi, sed aliis possidere ». In suos autem usus nunquam expresse legitur Dominus loculorum pecuniam convertisse, immo magis praetenditur contrarium super illud Matthaei decimo septimo[12]: *Solve didrachma*, ubi legitur, Dominum solvisse didrachma de pecunia miraculose in ore piscis reperta. Ibi enim dicit Hieronymus in Glossa[13]: « Dominus tantae fuit paupertatis, ut unde daret tributa non haberet. Iudas quidem communia in loculis habebat, sed res pauperum in usus suos convertere nefas duxit, id ipsum dans exemplum nobis ». Haec Hieronymus. — Item, habuit loculos pro *aliis infirmis et imperfectis*, qui habent loculos pro se ipsis, qui, etsi sint perfecti respectu habentium propria vel multa et magna, cum ipsi habeant pauca; sunt tamen in hoc imperfecti respectu illorum qui nihil habent penitus in hoc mundo. Quia nihil penitus habentes sunt in summo gradu in hac parte, ut est possibile statui humano, a mundi periculis et illecebris absoluti. Unde Hugo super Psalmum nonagesimum primum[14] dicit: « Habebat Iesus loculos, conformans se imperfectis. Christus in

Resp. ad primum de loculis Christi obiectum.

Habuit pro aliis primo pro perfectis.

Secundo imperfectis.

---

[1] Num. 3. seq. — Inferius pro *Paulus cum aliis* (ita A G et ed. 1; cfr. Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 7. n. 33.) Vat. *Petrus cum aliis.*

[2] Scilicet in Matth. 10, 9. homil. 32. (alias 33.) n. 5. circa finem. Cfr. supra pag. 275, nota 4. — Superius pro *impendiis* (ita B C G) Vat. *praediis.*

[3] Ex cuius homil. 4. paulo superius quaedam allata sunt; cfr. etiam homil. 1. supra pag. 283, nota 14. et pag. 323, nota 6. citata.

[4] Vers. 8. et subinde I. Thess. 2, 9.

[5] Cap. 12, 6. et 13, 29. — Sequitur Matth. 10, 25.

[6] Sub quo Ecclesia a Constantino libertate donata possessiones recepit.

[7] Codd. A G et ed. 1 *eis.*

[8] Cap. 17. n. 57, in fine, ubi exponit Matth. 6, 31. seqq. Cfr. de Opere monachor. c. 26. n. 34.

[9] Nunc 72. n. 2. Lectio nostra cum sua interpunctione, quae in se considerata videtur bona, probatur aperte ex Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 7. n. 38; textus originalis secundum recentem versionem: Cur porro... loculos ferebat ad pauperum ministerium? Ut discas etc. Respiciuntur Matth. 10, 9. seq.; Ioan. 12, 6.

[10] Num. 5. Cfr. supra pag. 284, nota 7.

[11] Vel potius Iulian. Pomerius (claruit circa an. 498), II. de Vita contemplativa, c. 9. n. 2. Cfr. supra pag. 285, nota 1. Hanc propositionem ex A B C F G et ed. 1 supplevimus.

[12] Vers. 23. seqq.: Magister vester non solvit didrachma etc. — Superius pro *contrarium* A G et ed. 1 *oppositum.*

[13] Scilicet *ordinaria* apud Lyranum; cfr. supra pag. 285, nota 8. Pro *communia in loculis* (ita A G et ed. 1 cum Glossa) Vat. *loculos in communi.*

[14] Libr. II. Miscellan. (Migne, Patrol. Lat. tom. 177. col. 626), in quo continentur *Adnotationes elucidariae in quosdam Psalmos David*, c. 64. Textus originalis hinc inde plura interserit; cfr. supra pag. 237, nota 7.

numero imperfectorum inveniri voluit, ne praesumerent non accipientes et confunderentur accipientes ». Haec verba Hugonis. Et super illud Psalmi [1]: *Producens foenum iumentis,* dicit Augustinus: « Habuit Dominus loculos, et dictum est de quibusdam religiosis feminis, quod ministrabant ei de substantia sua. Futurus erat Paulus nihil tale aliquando requirens. Sed quia multi infirmi ista quaesituri erant, magis infirmorum personam suscepit Christus. Sublimius Paulus, nunquid et Christo? Sublimius Christus, quia misericordius. Cum enim videret, Paulum ista non quaesiturum; providit, ne damnaret quaesiturum, et praebuit exemplum infirmo ». Haec Augustinus.

...os Au- expli-

7. Quod autem dicit, quod praevidit, Paulum non ista quaesiturum, intelligendum est *aliquando* et *non semper;* aliquando enim accepit et aliquando non, ut supra [2] patuit. — Qui igitur tantum pro *aliis* habent loculos, ad hoc auctoritate Ecclesiae compulsi, si, quantum in se est, optent pro se carere loculis, ad se autem servantes districtionem paupertatis, ut patitur infirmitas, in alios affluentes; si non habentur loculi in doctrinae praeiudicium vel impedimentum; eos habent sine omni imperfectione, quia conveniunt cum Christo in *habendo* et in *habendi ratione.* Qui autem habent loculos pro *se ipsis* habent eos ut infirmi, convenientes cum Christo in *habendo,* sed non in *habendi modo;* quia ipse non habuit loculos pro se ipso, ut visum est [3]; sed cum hac infirmitate tanto ad perfectionem appropinquant, quanto paucioribus sunt contenti.

...quae- ...olvitur.

8. Sed nunquid Christus semper loculos habuit? Dico, quod non; immo communiter legitur vixisse de cibis alienis et in aliorum mensis; et Lucae octavo [4] dicitur, quod sanctae mulieres comitabantur cum eo, ministrantes *ei de facultatibus suis;* et sine loculis et humana provisione, sicut Apostolos misit [5], sic ipse civitates et castella circuivit pluries; propter quod Chrysostomus super Matthaeum homilia vigesima secunda [6], tractans illud: *Sufficit diei malitia sua,* addit: « *Ne possideatis aurum neque argentum neque peram in via,* quia per opera, quae ostendit, legislationem, quae est a verbis, validiorem facit, quoniam facile est susceptibilis sermo operibus certificatus. Ubi ergo ostendit? Audi eum dicentem: *Filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet* ». Haec Chrysostomus.

Confirmatur.

9. Ecce, quod Christus legem datam Apostolis de loculis non habendis ipse implevit circumeundo per castra, in quibus *non habuit, ubi caput suum* sanctissimum *reclinaret* [7]. Et licet quodam modo infirmum videatur secundum genus suum respectu perfectionis Pauli necessaria recipere illo modo, quo Dominus recepit a mulieribus secum itinerantibus, et comedendo in mensis alienis; longe tamen est sublimius, sic de alienis vivere, quod nihil ex eis possessorie habeatur, quam depositum recipere et pecuniam cum refertis promptuariis possidere. Propter quod Dominus, modum illum in singularis perfectionis exemplum commendans, Apostolis habere loculos interdixit et ipse modum ipsum in maiori parte, ut ostensum est, custodivit. Unde nusquam in textu evangelico fit mentio de loculis nisi sexta die ante articulum passionis, ubi de Iuda dicitur, quod *fur erat, et loculos habens, ea quae mittebantur, portabat,* Ioannis duodecimo [8]. Et infra decimo tertio dicitur: *Quidam putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus: Eme ea quae nobis opus sunt ad diem festum, aut egenis ut aliquid daret.*

Notandum.

Quando Christus dispensaverit in hac lege.

10. Circa illud etiam tempus, immo ipsa vespera, qua voluit comprehendi, dispensavit cum Apostolis, ut possent habere loculos singuli, durante rabie persecutionis, mortuo Salvatore. Unde Lucae vigesimo secundo [9]: *Quando misi vos sine sacculo et pera et calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum tollat, similiter et peram, et qui non habet vendat tunicam suam et emat gladium;* ibi Glossa Bedae [10] dicit: « Non eadem vivendi regula persecutionis, qua pacis tempore discipulos informat. Missis enim ad praedicandum discipulis, *praecepit eis, ne quid tollerent in via, ordinans, ut qui Evangelium annuntiat de Evangelio vivat.* Instante vero mortis articulo, et tota illa gente pastorem simul et gregem persequente, congruam tempori regulam decrevit, permittens, ut tollant victui

---

[1] Psalm. 103, 14, serm. 3. n. 11. Cfr. supra pag. 236, nota 10. Textus originalis hinc inde plura interserit. Respiciuntur Ioan. 12, 6. et Luc. 8, 3.

[2] Num. 4. — Inferius pro *Ecclesiae* A et ed. 1 *ecclesiastica,* D *apostolica,* et subinde post *infirmitas* Vat. prosequitur: *dum sint in alios affluentes, sic non... vel impedimentum, sed eos habent* etc.

[3] Num. 6. — Subinde pro *sed cum hac infirmitate* A G *cum infirmitate,* ed. 1 *cum infirmantes,* quae subinde etiam pro *perfectionem* cum A G substituit *fortitudinem.*

[4] Vers. 2. seq. — Hieron., Epist. 52. (alias 2.) n. 11: Qui [Christus] cibo quoque vescebatur alieno. Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 7. n. 6; c. 11. n. 12. in fine et c. 12. n. 20. in fine.

[5] Luc. 22, 35: Quando misi vos sine sacculo et pera etc. Cfr. 8, 1. seqq., ubi dicitur, quod *iter faciebat per civitates et castella... et mulieres aliquae... quae ministrabant ei de facultatibus suis.*

[6] Alias 23. n. 4, ubi exponit Matth. 6, 34: *Sufficit diei malitia sua.* In principio allegatur Matth. 10, 9. seq. et in fine Matth. 8, 20. Cfr. supra pag. 273, nota 8. — Praenotatam quaestionem cum solutione supplevimus ex A B C F G et ed. 1.

[7] Matth. 8, 20. — Superius F omittit *ipse.* Inferius vocibus *necessaria recipere* D interserit *ab aliis.*

[8] Vers. 6. et deinde 13, 29.

[9] Vers. 35. seq.

[10] Scilicet *ordinaria.* Allegantur Marc. 6, 8. et I. Cor. 9, 14: Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Cfr. supra pag. 285, nota 5. et pag. 388, nota 6.

necessaria, donec, sopita persecutorum insania, tempus evangelizandi redeat ». Haec Glossa. — Igitur

Apostolorum triplex modus vivendi.

Apostoli missi ad praedicandum loculis caruerunt; tempore vero passionis et persecutionis dispensative loculos pro se ipsis habuerunt; tertio, bona multitudinis ad tempus dispensaverunt, et illam dispensationem tanquam impeditivam verbi Dei dimittentes, ad primariam reversi nuditatem, loculis caruerunt, ut supra[1] visum est. — Praeterea, licet Domino

Alia de loculis Christi determinatio.

volente portati fuerint loculi a Iuda proditore, non tamen videtur in eis aliquid *iuris possessorii* vindicasse. Unde Ioannis decimo quarto[2]: *Venit princeps mundi huius; et in me non habet quidquam.* Glossa: « Noluit Dominus habere quod perderet; venit pauper, ne haberet diabolus quod auferret.

11. Respondeo ergo breviter ad obiectum de lo-

Epilogus solutionis primi obiecti.

culis, quod Christus aliquando habuit loculos pro aliis, ut ad hoc informaret Ecclesiae praelatos; item, habuit loculos pro infirmis consolandis, qui habent loculos pro se ipsis; sic in eorum solatium fugit, cum quaereretur lapidandus[3], ne desperent, si aliquando fugiant persequentes. Sed in exemplum fortium se sponte obtulit passioni[4] et pro ipsis in paupertate informandis caruit loculis quasi semper nec habitos tenebat possessorie reconditos, ut qui habent pro se ipsis et non gratia dispensationis loculos sciant, se in hac parte perfectionis apicem non tenere.

12. Cum dicit: *Sufficit discipulo* etc., respon-

De confirmatione primi obiecti.

dendum est, quod cum magister unus diversos docet discipulos, singulis in suis gradibus condescendens, sicut Apostolus[5] *inter perfectos loquebatur sapientiam, lac parvulis dans escam;* non debet sufficere discipulo lactis capaci in lacte semper sistere, etiam si lac bibat magister ei condescendens, sed magis ad hoc tendere, ut sit *solidi cibi* capax. Ita in proposito non debet discipulo sufficere, ut sit sicut magister eius infirmis condescendens, nisi, ut est possibile, gradatim in artis apices se extendat. Unde illud verbum: *Sufficit discipulo* etc., pro solatio tribulationis dictum est specialiter, ut scilicet exemplo magistri in tribulationum sufferentia viriliter perseverent[6].

Resp. ad secundum.

13. Ad secundum dicendum, quod illa Manichaeorum calumnia processit ex insipientia manifesta. Praedicta enim paupertatis districtio non fuit imposita Apostolis ut *praelatis,* cum nondum illo tempore praelati essent nec etiam sacerdotes, sed tantum authentici *praedicatores* missi toti mundo in sanctitatis exemplum, ut superius[7] est ostensum. Unde illa paupertatis districtio nullos ligat alios, nisi illos qui ad hoc sponte se obligant propter Christum. Non

Notand.

solum ergo post Silvestri tempora, immo statim in Ecclesiae principio ipsi Christi discipuli instituerunt praelatos in curarum suarum custodiis residentes[8], quibus nunquam fuit interdictum habere bona Ecclesiae sibi necessaria ac suis subditis pauperibus eroganda. Succedunt ergo episcopi Apostolis in culmine auctoritatis, in obligatione et debito virtutis et sanctitatis, sed non in forma illius districtae disciplinae et paupertatis debito supradictae. Hoc reperies notatum et probatum Causa duodecima, quaestione prima, canone *Videntes*[9]. Et Bernardus dicit secundo de Consideratione[10]: « Nec est locus otio, ubi sedula urget *sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Nam quid tibi dimisit sanctus Apostolus? *Quod habeo,* inquit, *hoc tibi do.* Quid illud? Unum scio: neque aurum neque argentum, cum ipse dicat: *Argentum et aurum non est mihi.* Esto, ut alia quacumque ratione haec tibi vindices, sed non apostolico iure. Nec enim tibi dare quod non habuit potuit ». Haec Bernardus.

Resp. tertii.

14. Ad tertium dicendum, quod praelati ad vitam illam non tenentur, quia indifferenter omnibus proponitur eam volentibus imitari. Unde Hieronymus ad Hedibiam[11]: « Vis perfecta esse et in primo stare

---

[1] Num. 4. et c. 2. n. 7. Respiciuntur Act. 4, 32. seqq., ubi dicitur, quod multitudini credentium omnia erant communia, quodque Apostolis afferebantur pretia eorum quae vendebantur ad dividendum singulis, prout opus erat; et 6, 2. seqq., ubi haec dispensatio septem diaconibus committitur. Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 7. n. 32. — Pro *primariam* A et ed. 1 *permaximam.*

[2] Vers. 30. — Glossa est *ordinaria;* cfr. supra pag. 274, nota 12.

[3] Ioan. 8, 59. Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 4. per totum. — Superius pro *sic in eorum* D *sicut etiam in eorum.*

[4] Cfr. Ioan. 18, 4. seq. — Pro *Sed in exemplum* (ita A D G et ed. 1) Vat. *Sic in exemplum.*

[5] Epist. I. Cor. 2, 6: Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Ibid. 3, 2: Lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis etc. Hebr. 5, 12. seqq.: Facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo etc.

[6] Beda, II. in Matth. 10, 24. seq.: Ac si diceret: « Si ego Dominus et magister patior, necesse est, ut vos, discipuli et puri homines, hanc perfectionis regulam sequamini ». Simili modo explicat Glossa *ordinaria.* — Post *scilicet* D addit *discipuli Christi.* Pro *perseverent* Vat. *perseveret.*

[7] Num. 3. seqq. et c. 2. n. 7. Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 7. n. 20.

[8] Cfr. Act. 20, 28; I. Tim. 1, 3; Tit. 1, 5; Apoc. c. 2. et 3, ubi de angelis, id est episcopis septem ecclesiarum Asiae. — Inferius pro *bona Ecclesiae* ed. 1 *bona ecclesiastica,* et pro *ac suis subditis* Vat. *in se et suis subditis.*

[9] Can. 16, in quo, praemisso, quod propter maiorem utilitatem consequendam donationes a fidelibus ecclesiis matricibus sint factae (cfr. supra pag. 289, nota 6.), statuitur, quod res, quae sunt in ditione singularum parochiarum episcoporum, *qui locum tenent Apostolorum,* ab ipsis quidem ministrandae sint vitam communem degere volentibus, sed nullo modo alienandae (cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 12. n. 19. circa finem). — Superius post *auctoritatis* A B C G et ed. 1 prosequuntur: *in obligatione ad trinae* [B forsitan *doctrinae,* G *ad tuere*] *ministerium passionis, sed non in districtionis et paupertatis debito supradictae.*

[10] Cap. 6. n. 10. Allegantur II. Cor. 11, 28; Act. 3, 6. Pro *urget* D G et ed. 1 *viget.* Post *non est mihi* textus originalis plura addit. Cfr. supra pag. 276, nota 2.

[11] Epist. 120. (alias 150.) c. 1. Allegatur Matth. 19, 21. Circa finem, quem Vat. non allegat, textus originalis omittit *virtute.* Cfr. supra pag. 280, nota 4.

fastigio dignitatis, fac quod fecerunt Apostoli. *Vende omnia, quae habes, et da pauperibus et sequere* Salvatorem et nudam solamque crucem virtute nuda sequaris ».

15. Ad quartum dicendum, quod ista apostolica perfectio est non solum in itinere, sed domi etiam observanda, ut nullum depositum pecuniae habeatur ab his qui huius perfectionis regulam imitantur. Unde Chrysostomus super Matthaeum, homilia trigesima secunda [1], in fine expositionis litteralis de non possidendo aut portando aurum vel argentum dicit: « Si in aliena patria existentes et ad ignotos abeuntes nihil amplius oportet petere quotidiano cibo; multo magis domi manentes ». Item, vigesimo secundo Lucae [2] super illud: *Nunc qui habet sacculum,* dicit Glossa: « In hoc nobis datur exemplum, ut nonnunquam, causa instante, quaedam de nostri propositi rigore sine culpa possimus intermittere; verbi gratia, si per inhospitales regiones iter agimus, plura viatici causa licet portare, quam domi habeamus ». Et expresse etiam in Evangelio [3] aperte prohibet Apostolis possidere pecuniam et portare, ut patet ex Hieronymo super Matthaeum ibidem et Rabano. Haec fuit igitur paupertas apostolica ante passionem et post passionem ad tempus, tamen medio tempore paululum dispensatione Domini interrupta. Nec tamen omnes, ut dictum est [4], ad hoc tenentur. Et ideo verbum Augustini loquentis de communi statu hominum praecedentibus non repugnat.

Resp. ad quartum.

16. Sed istum Regulae articulum Fratres praevaricari videntur, dum recipiunt ut alii pauperes sibi pecunias erogatas. Si enim ille facit, cuius auctoritate fit; ipsorum autem auctoritate pro libitu eorum suis familiaribus pecunia pluries commendatur et aliquoties extra dantium [5] potestatem: ergo ipsi pecuniam recipiunt, ut videtur.

Obiectio.

Ad hoc patet responsio, quoniam *dare* et *recipere* opponuntur relative [6]. Igitur de necessitate, sicut *dare* se habet ad translationem dominii et privationem dantis, ita *recipere* se habet ad dominii acquisitionem; sed nullus *dat* aliquid, nisi intendat, se privari dominio eius quod dat et ipsum transferre in alium: nullus ergo *recipit* proprie, secundum quod receptio opponitur dationi, nisi qui intendit [7] sibi dominium rei acquirere. Unde versus:

Solutio.

Non tibi dat quisquam, nisi quo vult expropriari.
Nec tu quid recipis, si nolis ei dominari.
Namque recepta, data sibi sunt adversa relata.
Dans sua privatur, recipit qui post dominatur.

Argumentum autem factum ex *falsi suppositione* procedit, quia non Fratrum, sed mittentium auctoritate pecunia custoditur. Unde dominium apud mittentes semper remanet, donec sit pro Fratrum necessitatibus commutata; quod probatur, quia dicit lex ff. de Acquirendo rerum dominio [8]: « Rem in bonis nostris habere intelligimur, quoties possidentes exceptionem, aut amittentes ad recuperandum eam actionem habemus ». Cum igitur ille qui misit pecuniam, si vivit, possit eam repetere sicut suam, nunquam a dominio suo recessit nec in ius transiit alienum.

Falsa suppositio.

17. Forte dices, quod mittens pecuniam intendit se privare ipsius dominio. — Fateor, quod verum est, sed modo Fratribus licito et honesto. Cum enim intendat Fratres habere apud Deum intercessores, non intendit eos ob usum pecuniae suae [9] constituere praevaricatores. Manet ergo semper pecunia in bonis eius, donec sit pro Fratrum necessitatibus commutata. — Amplius, ponamus, quod intendat se privare dominio pecuniae, statim ut est alicui Fratribus familiari [10] commendata; dico, quod adhuc a Fratribus non recipitur, cum non intendant, quod aliqua pro eis recipiatur pecunia sicut sua, nec omnino consentiant, quod eis possessio acquiratur; sine consensu autem non acquiritur possessio; unde dicit lex ff. de Acquirenda rerum proprietate [11], quod « in amittenda possessione affectio eius qui possidet, est intuenda. Itaque si in fundo sis, et tamen nolueris eum possidere, protinus amittes possessionem ». Nec etiam sine voluntate *donatoris* transfertur dominium, ut patet ff. de Acquirendo rerum dominio [12]. Unde cum dator pecuniae intendat eam *dare* tantum, ut possit in Fratrum usum converti; nunquam vult, in eos dominium transferri, sed tantum pro ipsorum necessitatibus commutari. Item, ibidem [13] dicit alia lex,

Nova instantia solvitur. Resp. 1. Resp. 2.

---

[1] Alias 33. n. 5. in fine. Cfr. supra pag. 275, nota 4.

[2] Vers. 36. Glossa est *ordinaria* (ex Beda). Cfr. supra pag. 285, nota 4, ubi ultima pars allegatur.

[3] Matth. 10, 9; Marc. 6, 8; Luc. 9, 3. et 10, 4. Vide Hieron. et Raban., in Matth. 10, 9. Cfr. supra n. 3. et pag. 275, nota 6. — Pro *aperte prohibet* ed. 1 *a pari prohibetur,* et subinde D omittit *ibidem.*

[4] Num. 13. et 14. — Verbum Augustini habetur supra n. 5. — Pro *ad hoc* D *ad hanc* et pro *hominum* Vat. *omnium.*

[5] Ita A G; ed. 1 *dantis,* Vat. *domini.*

[6] De qua oppositione cfr. Aristot., de Praedicamentis, c. *de Oppositis,* ubi de relative oppositis dicitur, quod « ad invicem dicuntur ».

[7] Vat. hanc propositionem ita exhibet: *sicut ergo nullus dat aliquid... in alium; sic nec recipit proprie aliquid, secundum quod receptio opponitur dationi, nisi quod intendit.*

[8] Libr. XLI. Digest. tit. 1. lex 52.

[9] Cod. D *abusu* [ita et A G et ed. 1] *pecuniae suae Regulae.*

[10] Vat. *ut est alienis Fratribus famulari.*

[11] Libr. XLI. Digest. tit. 2: De acquirenda vel amittenda possessione, leg. *Possideri autem possunt* (3.) § *In amittenda.*

[12] Libr. XLI. Digest. tit. 1. leg. *Qua ratione* (9.) § *Litterae,* dicitur: Nihil enim tam conveniens est naturali aequitati, quam voluntatem domini volenti rem suam in alium transferri, ratam haberi. Ibid. leg. *Per servum* (37.) insinuatur, in potestate domini esse, quemadmodum servo pecuniam donet; nam si hoc egerit eo solum animo, ut pecunia in peculio servi sit, non animo donandi, « manebit eiusdem domini proprietas » etc. — Inferius pro *eam dare tantum* (ita D G) Vat. *eam dare, tamen,* et pro *nunquam* A *non, inquam.*

[13] Tit. 2: De acquirenda vel amittenda possessione, leg. *Possessio appellata est* (1.) § *Adipiscimur.* Cfr. supra pag. 313, nota 5. Pro *possidendi* textus originalis *tenendi.* Hanc rationem supplevimus ex A B C F G et ed. 1.

quod « furiosus non potest incipere possidere, quia affectionem possidendi non habet, licet rem corpore contingat »: ergo quamdiu manet Fratribus voluntas immobilis nullum ius possessorium sibi acquirendi, etiam si, quod absit, eorum manibus pro ipsorum necessitatibus pecunia inferatur, non tamen eam recipiunt, secundum quod receptio in eorum Regula inhibetur. Hoc pro tanto dixerim, quia non est eis inhibitum, quin possint recipere custodiam pecuniae alienae, sed ne consentiant in acquirendo sibi pecuniae ius proprium, vel commune.

18. Amplius, ponamus, quod pecunia tradatur per manus diversas usque ad centesimam personam datori penitus ignotam. Dico, quod adhuc manet in bonis eius. Eo enim modo, quo tenuit eam auctoritate sua primus, tenet et secundus et millesimus, quia dicit lex ff. de Acquirendo rerum dominio [1], quod « traditio nihil amplius transferre debet vel potest ad eum qui accipit, quam est apud eum qui tradidit ». Unde semper potest repetere huiusmodi pecuniam sicut suam qui ipsam pro Fratrum necessitatibus commendavit; potest enim mutare voluntatem suam et pro tanto [2]. — Aliter est in ultimis voluntatibus defunctorum, quia eorum voluntas est immobilis. Et ideo, si contingat, exsecutores repetere pecuniam malitiose pro Fratrum necessitatibus commendatam; non est restituenda, cum sint contrarii ipsius testatoris ultimae voluntati. Quodsi ipsi malitiose pecuniam detineant contra formam testamenti nec eam velint commendare alicui fideli pro Fratrum necessitatibus dispensandam; possunt Fratres Ordinariis denuntiare iniuriam defuncti et suam sine perfectionis suae aliquo detrimento, nec tamen possunt iudicialiter repetere sicut suam, quamvis sit eis debita quaecumque portio testamenti [3].

Resp. 3.

Notandum.

19. Quodsi quaeras, cuius sit pecunia legata; dico, quod manet in bonis defuncti, donec sit pro Fratrum necessitatibus commutata, in bonis, inquam, defuncti [4] erogandis, non heredibus reservandis. Unde si Fratres eam omnino respuant, debet aliis pauperibus erogari.

Quaestio incidens solvitur.

20. Fratres igitur nullo modo, nec in pecoribus [5] nec in quibuscumque aliis, recipiunt pecuniam, nec mutuo nec dono nec legato *nec per se nec per interpositam personam*, quia nec dominium nec possessionem sibi intendunt acquirere commune, vel proprium ullo modo. Nomen etiam *pecuniae* possessionem sonat, propter quod et Iovi nomen pecuniae impositum est, « cuius secundum fabulas omnia sunt », ut patet septimo de Civitate Dei, capitulo undecimo et duodecimo [6]. Unde cum sint divitiae caelestes et terrenae, pecuniae nomen tantummodo *terram* sonat, sicut docet sanctus Augustinus ibidem, et quod nomine *pecuniae* « vilissime et contumeliosissime deus nuncupatur », cum tamen idem *dives* dicatur. Recipere igitur pecuniam est recipere possessionem.

Conclusi

21. Haec est igitur summa praedictorum, scilicet quod Fratres *pecuniam non recipiunt* [7] *per se, vel per interpositam personam;* patet tam a parte pecuniam *mittentium* vel dominorum, quam a parte ipsam *recipientium* vel nuntiorum, quam etiam a parte *Fratrum ipsorum;* quoniam *mittentes* non intendunt Fratres facere praevaricatores, quos volunt habere pro se intercessores; *receptores* etiam pecuniae custodiunt eam non auctoritate Fratrum, sed mittentium, non, inquam, auctoritate Fratrum, licet custodiant eam voluntate eorum; *fratres* etiam non intendunt in pecunia sic missa vel custodita ius possessionis vel dominii sibi aliqualiter vindicare [8].

Epilogu

22. Sed pro secunda parte huius rubricae subdit: *Tamen pro necessitatibus infirmorum*, ne maneant desolati, *et aliis Fratribus induendis*, in quibus aliae necessitates maiores intelliguntur; *Ministri tantum,* quorum est ministrare et non ministrari exemplo Domini, Matthaei vigesimo [9]; *et Custodes sollicitam curam gerant,* quorum est curam gerere infirmorum. Nam Samaritanus *custos* interpretatur, qui curam habuit semivivi relicti [10]. Nomina autem *custodum* et *ministrorum*, etsi diversis approprientur, tamen circa easdem personas dicunt modum officii in hoc Ordine praelatorum. *Ministerium* dicit

De seci sive p rationa cessaric

De no bus C dum e nistror

[1] Libr. XLI. Digest. tit. 1. leg. 20: *Traditio*... quia accipit, quam est apud eum etc. Cfr. supra pag 314, nota 8, ubi simile allegatur. — Superius A et ed. 1 omittunt *personam*.

[2] Fortasse legendum *pro toto et pro tanto*.

[3] Cfr. Alexand. IV. Breve *Felicis recordationis* (Sbaralea, Bullar. Franciscan. tom. II. n. 371. pag. 250 seq.) et Nicol. III. Declarat. *Exiit*, a. 5. n. 4. seq.

[4] Fide A B F G et ed. 1 supplevimus *donec... defuncti.*

[5] Cod. A et ed. 1 addunt *nec in numeralibus*, id est pecunia numerata; cfr. infra c. 5. n. 3.

[6] Verba Augustini ex c. 12. vide supra pag. 412, nota 3, dum in c. 11. quaerit, cur Iupiter *Pecunia* et non *Pecunius* appellatus sit, cum tamen ipse sit generis masculini. — Superius pro *Nomen etiam* D *Nomen*, Vat. *Nomen enim.* Inferius vocibus *idem dives* D interserit *propriissime.*

[7] Codd. A D G *receperunt.*

[8] Cfr. supra Opusc. XII. Epist. de tribus quaest. etc. n. 3. seqq.; Opusc. XIII. Determinationes quaest. etc. p. I. q. 25. et p. II. q. 13. Vide etiam Expositionem quatuor Magistrorum in c. 4, ubi dicitur: « Dicendum ergo, quod receptio cuiuslibet rei prohibetur Fratri Minori *in proprietatem*, infra c. 6; receptio vero rerum aliquarum conceditur *ad usum;* receptio autem denariorum et pecuniarum *et quantum ad proprietatem et quantum ad usum* prohibetur omnino et per se et per interpositam personam ». Deinde, soluta quaestione, *quid sit recipere per se, vel per interpositam personam*, proponuntur dubitationes « de pecunia, quae ab aliquo confertur ad necessitates Fratrum, et de pecunia alicui commissa, et de pecunia a loco ad locum transmissa; et in his omnibus generaliter tenendum est, quod auctoritate Fratrum non potest pecunia committi nec recipi nec commissa sicut propria repeti vel expendi » etc.

[9] Vers. 28: Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare etc.

[10] Luc. 10, 33. seqq. — Cfr. Hieron., Homil. 34. Origenis in Lucam: Servabat quippe seminecem providentia ei qui fortior erat Lege et Prophetis, Samaritano scilicet, qui interpretatur *custos*. Vide etiam Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 18. n. 2. — Inferius pro *modum officii* A (G primitus) *nomen officii*.

humilitatem, *custodia* autem vigilantiam insinuat pastoralem, ne propter humilitatem sic diminuatur auctoritas et evigilantia, ut periclitetur Ordinis disciplina. Unde Isaiae vigesimo primo [1]: *Super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus.* Propter quod et ipse Minister generalis *custos* inferius in Regula [2] appellatur. Hic autem nomine *custodis* intelliguntur etiam Guardiani, qui habent *custodiae* immediate intendere pastorali. — Istis ergo tantum imponitur cura praedicta sollicita propter duo, scilicet ut nullus sui ipsius [3] sit sollicitus; et quia dispensatio est necessaria secundum status varios, de qua addit: *Secundum loca et tempora et frigidas regiones, sicut necessitati viderint expedire.* — Iuxta ergo has necessitates necesse est dispensative temperare rigorem; quod temperamentum a solis Ministris et Custodibus, in quibus Guardiani intelliguntur, debere fieri hic docetur. *Eo semper salvo, ut, sicut dictum est, denarios vel pecuniam non recipiant.* Hoc idcirco replicat, ne pro ullius necessitatis periculo sustineant, labefactari Ordinis puritatem, sciens, per receptionem talium sub falso praetextu necessitatis plures in clero et claustro Deo et hominibus viluisse, eo quod *radix iniquitatis,* Antiochus, qui interpretatur *silentium paupertatis,* templum Dei legitur in Machabaeorum historia [4] profanasse, et contenebrescente studio sapientiae quasi sole, luna scientiae et studii in sanguinem est commutata [5]. — Haec est radix sapientiae beato Francisco divinitus inspirata, *ne,* vepribus et spinis pene in universa terra existentibus, *terror spinarum et veprium veniat* horto suo, quia de spinis uvae minime colliguntur [6].

(CAPITULUM V.)

De modo laborandi.

Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter et devote, ita quod, excluso otio, animae inimico, sanctae orationis et devotionis spiritum non exstinguant, cui debent cetera temporalia deservire. De mercede vero laboris pro se et suis fratribus corporis necessaria recipiant praeter denarios vel pecuniam; et hoc humiliter, sicut decet servos Dei et paupertatis sanctissimae sectatores.

EXPOSITIO.

1. *Fratres illi, quibus dedit Dominus gratiam laborandi.* Post exclusum periculum *Iudae* hic excludit periculum *religionis fictae*, ne sponsa Christi panem comedat otiosa [7]. Primo *informat* labori habiles *ad laborem.* Secundo *subdit laborandi triplicem rationem*, ibi: *Ita quod, excluso otio.* Divisio.

Pro primo dicit: *Fratres illi,* non dicit *omnes*, sed *illi quibus gratiam dedit Dominus laborandi.* In hac *gratia* intellige vires corporis et habitum artis acquisitum ac habilitatem etiam artem acquirendi [8]; *laborent fideliter,* respectu sui et proximi, *et devote*, respectu Dei, ut scilicet labor ipse in Dei gloriam dirigatur. De cuiusmodi autem laboris genere loquatur, patet ex rationibus laboris, quae sunt tres, scilicet *exclusio otiositatis*, *inflammatio devotionis*, *adeptio* etiam *sustentationis* necessariae corporalis. Voluit ergo sanctus Franciscus summe, Fratribus imponi exercitium, quod perfectissime excludit otium, quod summe nutrit devotionis affectum, quod laudabiliori modo corpori necessaria subministrat. Labor autem *corporalis*, etsi excludat otium a *corpore*, tamen pro tanto *ad modicum utilis est* [9], quia a *corde* sordes et otium non excludit, sicut patet in mechanicis, qui inter labores solent turpissimos sermones eructare. Studium autem *sapientiae* cor ipsum occupat; Proverbiorum vigesimo tertio [10]: *Praebe, fili mi, cor tuum mihi;* et Sapientiae octavo: *Labores huius magnas habent virtutes.*

Pars 1, informatio ad laborem. — Rationes 3.

2. Ideo dicit: *Ita quod, excluso otio, animae inimico;* Ecclesiastici trigesimo tertio [11]: *Multam malitiam docuit otiositas.* — Item, labor ipse sapientiae excitat summae devotionis affectum; Sapientiae octavo [12]:

Pars 2, tres laborandi rationes praedictae.

---

[1] Vers. 8. cfr. infra c. 10. n. 5. — Superius pro *diminuatur* et *evigilantia, ut* Vat. *dimittatur* et *evigilantiam, ne.*

[2] Cap. 8, ubi dicitur, quod, si Minister sit insufficiens ad servitium, Provinciales et Custodes teneantur « alium sibi eligere in Custodem ». — Cfr. Expositio quatuor Magistrorum in c. 4: Ministri et Custodes debent sollicitam curam gerere *per auctoritatem*, alii vero non, sed debent sollicitam curam gerere *per ministerium*... Guardiani vero intelliguntur sicut Ministri et Custodes, quia sic solebant primitus nominari.

[3] Ita G; alii codd. et edd. *nullus sine ipsis.*

[4] Libr. I. c. 1, 11: Et exiit ex eis radix peccatrix, Antiochus etc.; v. 23. seq.: Et intravit in sanctificationem [templum Ierosol.] cum superbia et accepit altare aureum etc. Hieron., de Nominib. Hebraic. de Epist. Pauli ad Galatas: *Antiochiam*, paupertatis silentium. Cfr. Bonav., Comment. in Luc. 14, 33. n. 66: Et ideo Antiochus, qui interpretatur *silentium paupertatis,* subvertit fundamenta Ierusalem, quia non potest esse discipulus pauperis Crucifixi qui consilium paupertatis contemnit.

[5] Apoc. 6, 12: Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, et luna tota facta est sicut sanguis. Cfr. Eccle. 12, 2; Ioel 2, 31.

[6] Matth. 7, 16: Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Isai. 7, 24. seq.: Vepres enim et spinae erunt in universa terra... non veniet illuc terror spinarum et veprium etc.

[7] Prov. 31, 27: Et panem otiosa non comedit. Cfr. supra c. 4. n. 1. — Superius post *Iudae* D addit *pro pecunia Dominum tradentis*, Vat. omittit *fictae*, quae etiam inferius pro *labori habiles* substituit *laborabiles.*

[8] Expositio quatuor Magistrorum in c. 5: *Gratiam* vero *laborandi* dicit artem, vel idoneitatem, quam quilibet velut donum gratis datum habet a Deo.

[9] Epist. I. Tim. 4, 8: Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est etc.

[10] Vers. 26, post quem Sap. 8, 7.

[11] Vers. 29, cui Vat. contra A C G et ed. 1 subiungit: Hieronymus ad Eustochium [?]: Teneas firmissime, quod omnis concupiscentiae et immunditiae et peccati mater est otiositas.

[12] Vers. 17. seq.: Immortalitas est in cognatione sapientiae etc.; Vat. cum D: Immortalitatis mater est in cogitatione sapientia etc.; nostra lectio est codd. A C G et ed. 1, quibus consentit Lyranus; cfr. Bonav., Comment. in Sap. 8, 17: Immortalis est in cogitatione sapientiae etc., et Card. Hug., in hunc loc., ubi in margine nostra lectio annotatur.

Immortalis est in cogitatione sapientia, et in amicitia illius delectatio bona, et in operibus manuum illius honestas sine defectione. Ideo addit Regula: *Sanctae orationis et devotionis spiritum non exstinguant, cui debent cetera temporalia deservire.* — Modus autem laudabilissimus corpori necessaria acquirendi est in praedicationis [1] et doctrinae laboribus exerceri. Labor enim mechanicus condigne certo pretio compensatur, non autem est digna compensatio receptio corporalium spiritualia seminanti; primae ad Corinthios nono [2]: *Si vobis spiritualia seminamus, non est magnum, si carnalia vestra metamus.*

Notandum.

3. Ideo addit: *De mercede vero laboris pro se et suis fratribus corporis necessaria recipiant;* Lucae decimo [3]: *Dignus est enim operarius mercede sua.* Hoc Apostolis existentibus praedicatoribus dictum est, quia praelati nondum erant illo tempore, ut supra [4] patuit. Et ut sanctus docet Augustinus libro de Opere monachorum, quatuor generibus hominum licet de Evangelio vivere, scilicet ministris altaris, qui sacrificium offerunt pro populo, eidem divina cantica decantando; item, dispensatoribus Sacramentorum et evangelistis ac illis qui ante conversionem suam habebant sufficienter, unde vivere poterant, quod pauperibus erogaverunt. — *Praeter denarios vel pecuniam,* ne aliquo modo transeant in ius Ordinis, quod nomen tertio [5] inhibet propter triplex genus pecuniae, scilicet *numeralium, terrae nascentium* et *pecorum,* a quibus etiam est pecunia appellata [6]. Unde ipse Dominus, universae perfectionis exemplar, nunquam legitur aliquo laboris genere laborasse, sciens, quod, licet Paulus, qui habuit spiritum in plenitudine et sapientiam sine studii labore, stipendiarie laboraverit [7], non posset tamen hoc communiter fieri ab his qui circa procurandam salutem hominum sunt solliciti vita et verbo, sine huius sollicitudinis detrimento. — Praeterea, labor sapientiae simpliciter melior est corporeo labore, quamvis in casu possit labor stipendiarius esse necessarius praedicanti. Dominus igitur quod simpliciter est praedicanti melius eligens, non laboravit stipendiarie, ne doctores non laborantes arguerentur, vel labore tali impedirentur a studio verbi Dei; unde nec Paulus ubique, sed tantum alicubi laboravit [8]. Quia igitur quidam Fratrum gratiam habent laborandi *spiritualiter,* quidam vero tantum *corporaliter,* omnibus dans regulam generalem, dicit, ut unusquisque data sibi gratia utatur: *Fratres illi, quibus Dominus dedit gratiam.*

De mercede laboris.

Quatuor genera hominum.

Excluduntur denarii.

Notandum.

4. Sed ne mercedis exactio turbet debitores, aut extra modum mendicitatis degeneret, addit: *Et hoc humiliter, sicut decet servos Dei et paupertatis sanctissimae sectatores.* — Sciendum autem, quod omne genus hominum ad aliquod genus exercitii utilis pro loco et tempore obligatur; praeceptorie enim dicitur Genesis tertio [9]: *In sudore vultus tui vesceris pane.* Unde qui ad maiora apti non sunt praecepto Apostoli labore sunt corporeo exercendi; dicit enim secundae ad Thessalonicenses tertio: *Audivimus enim, inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes; his autem, qui eiusmodi sunt, denuntiamus* etc. Impium est autem illud quod otiosis et curiosis imponitur, velle ad alios extendere, qui sublimioribus et utilioribus sunt intenti.

Cautela exactio merced[is].

De praec[epto] laboran[di].

(CAPITULUM VI.)

Quod nihil approprient sibi Fratres, et de eleemosyna petenda et de Fratribus infirmis.

Fratres nihil sibi approprient, nec domum nec locum nec aliquam rem; et tanquam peregrini et advenae in hoc saeculo in paupertate et humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter; nec oportet, eos verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Haec est illa celsitudo altissimae paupertatis, quae vos, carissimos fratres meos, heredes et reges regni caelorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Haec sit portio vestra, quae perducit in terram viventium, cui, dilectissimi fratres, totaliter inhaerentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi in perpetuum sub caelo habere velitis. Et ubicumque sunt et se invenerint Fratres, ostendant se domesticos invicem inter se. Et secure manifestet unus alteri necessitatem suam, quia, si mater nutrit et diligit filium suum carnalem, quanto diligentius debet quis diligere et nutrire fratrem

---

[1] Vat. et D *praedicationibus,* et inferius pro *certo pretio* (ita B) *circa pretia.*

[2] Vers. 11.

[3] Vers. 7.

[4] Cap. 4. n. 13. — Sententia Augustini habetur de Opere monachorum, c. 21. n. 24. seq. Cfr. supra pag. 321, nota 4.

[5] Scilicet bis in c. 4. et tertio hic.

[6] Isidor., XVI. Etymolog. c. 18. n. 4: *Pecunia* prius de *pecudibus* et proprietatem habebat et nomen. De corio enim pecudum nummi incidebantur et signabantur. Postea a Saturno aereus nummus inventus; ipse enim signari nummos et inscribi constituit; propterea et aerarium Saturno a gentilibus consecratum est. Alii, ut superius *pecuniam* a *pecudibus* appellaverunt, sicut a *iuvando iumenta* dicta sunt. Omne enim patrimonium apud antiquos *peculium* dicebatur a *pecudibus,* in quibus eorum constabat universa substantia, unde et *pecuarius* vocabatur, qui erat dives, modo vero *pecuniosus.* Cfr. Hieron., Comment. in Eccle. 5, 9; August., de Disciplina christiana, c. 6. n. 6. et IV. de Civ. Dei, c. 21. Vide supra c. 4. n. 2. — Pro *numeralium* (ita A G et ed. 1), id est pecuniae numeratae (cfr. supra pag. 418, nota 5.) D *materialium,* Vat. *mineralium.*

[7] Cfr. supra c. 4. n. 4. in fine, ubi allegatur II. Cor. 11, 8. — Inferius pro *communiter* et *sine huius sollicitudinis* ed. 1 *convenienter* et *sine huiusmodi sollicitudinum;* D, superius pro *sciens* posito *unde et sciendum,* hic prosequitur: *non potest* [ita etiam Vat. contra A G et ed. 1] *ex hoc communiter inferri, quin circa salutem hominum procurandam solliciti vivere possint sine huiusmodi sollicitudinis detrimento.*

[8] Vide supra c. 4. n. 4. in fine et n. 6. 7. verba Augustini. — Superius ex A B G et ed. 1 supplevimus *a studio verbi Dei.*

[9] Vers. 19. — Subinde allegatur II. Thess. 3, 11. seq. Plura vide supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 12. n. 12-17; Opusc. XII. Epistola de tribus quaest. etc. n. 9; Opusc. XIII. Determinationes quaest. etc. p. I. q. 11.

suum spiritualem? Et si quis eorum in infirmitatem ceciderit, alii Fratres debent ei servire, sicut vellent sibi serviri.

EXPOSITIO.

1. *Fratres nihil sibi approprient.* Hic tertio excludit tertium periculum, quod scilicet de *appropriatis communibus* noscitur processisse [1]. Et haec pars habet quatuor. (Divisio.) Primo *inhibet appropriationem.* Secundo *imponit mendicationem*, ibi: *Vadant pro eleemosyna.* Tertio *excitat ad paupertatis inviolabilem amorem*, ibi: *Haec est illa celsitudo.* Quarto *informat Fratres ad mutuam consolationem*, ibi: *Et ubicumque sunt.*

Dicit ergo pro primo: *Fratres nihil sibi approprient.* (I, inhi... appro...tionis.) Quia supra [2] inhibuit receptionem pecuniae; ne credatur, quod alia liceat admittere, utpote immobilia, generali sermone excludit omnia, dicens: *Nihil sibi approprient,* supple: nec proprietate personali nec generali ipsius communitatis, sicut dicit Papa [3] Regulam declarando. Unde addit: *Nec domum nec locum nec aliquam rem.* Hoc quidem recte, quia, cum dicat Seneca [4]: « Tutissime viveretur, si haec duo verba tollerentur *meum* et *tuum* »; planum est, his temporibus summum facere in Ecclesia tumultum *nostrum* et *vestrum.* — *Et* [5] *tanquam peregrini et advenae in hoc saeculo, in paupertate et humilitate Domino famulantes.* Intentio plane est sancti Francisci, ut Fratres sicut servi utantur rebus in aliena positis potestate.

2. Sed quidam adversarii veritatis aliquando contra hoc obiecerunt, (...tio pri...ma.) quia Causa duodecima, quaestione prima dicit canon [6]: « Expedit, facultates Ecclesiae possideri et proprias perfectionis amore contemni ». Et consequenter eodem capitulo, ponens exemplum de sancto Paulino, qui, omnibus suis propriis distractis, factus est postea Ecclesiae episcopus, cuius facultates fidelissime dispensavit, subdit: (...ocus 2.) « Quo facto satis ostenditur, et propria debere propter perfectionem contemni, et tamen sine impedimento perfectionis posse Ecclesiae facultates, quae sunt profecto communes, possideri ». Haec Prosper. Ergo carere bonis communibus appropriatis nihil addit perfectioni.

3. Item, videtur ista forma vivendi falsum imponere Ecclesiae Dei. (Secunda.) Clerici et Religiosi, qui habent bona ecclesiarum, non sunt domini eorum, sed usum tantum habent, quia dicit lex ff. de Rerum divisione [7], quod « quae divini sunt iuris in nullius bonis sunt »: ergo clerici non habent dominium, sed usum tantum.

4. Item, res, quibus utuntur Fratres, aut sunt *alicuius* domini, aut *non.* (Tertia.) Si *nullius*, conceduntur occupanti [8]; si *sunt* in bonis *alicuius*, utpote Curiae Romanae, videtur ergo, quod Fratres, qui contemnunt propter servandam suam perfectionem, attribuendo illa Ecclesiae, imponunt ei imperfectionem; quod nefas est dicere, cum ipsa Ecclesia toti orbi sit posita in speculum et exemplum, ut patet decima nona distinctione, canone [9] *Enimvero.*

5. Item, res, quibus utuntur Fratres, aut sunt *propriae*, aut *communes.* (Quarta.) Si *propriae*, damnabiliter habentur; si sunt *communes*, ergo ipsi sunt de numero illorum, de quibus dicitur Actuum quarto [10]: *Erant illis omnia communia.*

6. Item, Fratres utuntur rebus, quae consumuntur ipso usu; (Quinta.) in talibus autem ab *usu* non differt *dominium;* dominium autem est appropriatio in summo [11]: ergo talia sibi appropriant, ut cibos et vestes et huiusmodi.

7. Ad primum dicendum, quod sicut communitas rerum prius instituta est in caritatis incentivum, (Resp. ad primum.) sic carentia omnis iuris proprii vel communis Apostolis imposita istis novissimis temporibus renovata est ad avaritiam exstirpandam, quae perniciosius hodie serpit in bonis Ecclesiae, quorum abusus est sacrilegium, quam in aliis quibuscumque. Cum ergo dicit, quia *expedit, facultates Ecclesiae possideri;* fateor, inquam, *expedit,* quia dicitur Ecclesiastici trigesimo septimo [12]: *Non omnia omnibus expediunt, et non omni animae omne genus placet.* Unde et Apostolus talia sibi minime expedire dicit primae ad Corinthios sexto: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Cuius causam addit dicens: *Sed ego sub nullius redigar potestate,* iudicis scilicet, repetendo aliquid tanquam *meum.* Expedit ergo absque dubio [13] habere communia pro sustentatione ministrorum et etiam

---

[1] Cfr. supra c. 4. n. 1. — Pro *communibus* (ita ed. 1), quod etiam supra c. 4. n. 1. et infra n. 2. exhibetur, Vat. *propriis,* quae etiam inferius pro *inviolabilem* (ita G et ed. 1) substituit *immobilem.* [2] Cap. 4. — Pro *supra* Vat. *Fratribus.*

[3] Gregor. IX; cfr. supra c. 1. n. 7. in fine.

[4] Libr. de Moribus (de Vita et moribus), qui perperam attribuitur Senecae (ed. op. Senecae, Basileae 1529, pag. 687-689): Quietissimam vitam agerent homines in terris, si haec duo verba a natura omnium rerum tollerent, *meum* et *tuum.*

[5] Ita A cum textu originali; alias *Sed.*

[6] Can. 13, sumtus ex Prosperi sive potius ex Iulian. Pomerii, II. de Vita contemplativa, c. 9. Cfr. supra pag. 322, nota 8. Inferius voci *Ecclesiae* A B D G et ed. 1 praefigunt *Arelatensis* (Arles), cum tamen revera fuerit episcopus Nolanus.

[7] Libr. I. Digest. tit. 8. leg. *Summa rerum divisio...* Quod autem divini iuris est, id nullius in bonis est (l.). Cfr. ibid. lex *In tantum* (6.) et II. Instit. tit. 1. Vat. perperam *de Rerum dominio.*

[8] Ita A B C et ed. 1; G *concedantur occupanti,* Vat. cum D *quare tunc occupant ipsi magis quam alii?*

[9] Can. 4: Enimvero, quia in speculum et exemplum sancta Romana Ecclesia... proposita est, ab omnibus quidquid statuit, quidquid ordinat perpetuo et irrefragabiliter observandum est. — Superius fere omnes codd. et ed. 1 omittunt *videtur* et *qui,* ac pro *illa* A G et ed. 1 substituunt *illi.*

[10] Vers. 32.

[11] Quia per dominium habetur plena in rem potestas; ipsum enim est ius sive legitima facultas de re corporali perfecte disponendi aut vindicandi, nisi lex vel conventio obsistat.

[12] Vers. 31, post quem 1. Cor. 6, 12.

[13] Codd. B C addunt *praelatis Ecclesiae.* Inferius pro *implicatione* (ita ed. 1) Vat. *multiplicatione.*

egenorum. Expedit etiam modus alius his qui nolunt possessionum implicatione sub terrena redigi potestate, nil habere in proprio vel communi. Unde Hieronymus ad Demetriadem [1]: « Apostolici est fastigii perfectaeque virtutis omnia vendere et pauperibus distribuere, et sic levem et expeditum cum Christo ad caelestia subvolare ». — Et quod additur ibidem [2], quod « sine impedimento perfectionis possunt communia dispensari »; fateor verum esse, quia, ut supra [3] tactum est, non repugnat perfectioni quantumcumque pauperis ecclesiastica bona, imperante Ecclesia, suscipere dispensanda, si, quantum in se est, dispensator semper eis carere optet, ad se, ut patitur fragilitas, districtionem minime relaxando. Sic enim dispensans loculos habet non pro se, sed pro aliis, et in *habendo* et in *habendi modo* conformis est Salvatori, ut supra [4] patuit.

Ad locum 2.

8. Ad secundum dicendum, quod licet illa quibus utitur Ecclesia, « in nullius sint bonis » proprietarie quoad personam, sunt tamen propria communitatibus ecclesiarum. Unde dicitur Actuum quarto [5]: *Nec quisquam eorum* ex his *quae possidebat, aliquid suum esse dicebat:* ergo possidebant in communi, sed non proprietarie, et pro tanto dicuntur talia in nullius bonis esse, iuxta quod dicit lex ff. de Rerum divisione [6], quod « res publicae in nullius sunt bonis; ipsius enim universitatis esse creduntur ». Non est tamen usquequaque simile de proprietatibus civitatum et ecclesiarum.

Ad secundum.

9. Ad tertium iam patet. Omnia enim mobilia, quibus Ordo utitur, sunt mere et immediate ipsius Ecclesiae Romanae [7]. Sic autem *habere pro aliorum necessitate* in eo qui ingreditur per ostium apostolico more, in nullo perfectioni repugnat, ut superius [8] est ostensum.

Ad tertium.

10. Ad quartum dicendum, quod res, quibus Fratres utuntur, sunt eis communes quantum ad *usum*, sed non tamen quantum ad *dominium*. De illis autem sanctis in Ierusalem constitutis dictum est, quod erant omnia communia quantum ad *possessionem*. Alii vero plurimi communem usum illarum rerum sine dominio habuerunt, sicut Apostoli, quando erant praesentes illi multitudini, ut patet Causa duodecima, quaestione prima, canone *Dilectissimi* [9].

Ad quartum.

11. Ad quintum concludendo dico, quod duplex est usus rerum. Quidam enim utuntur rebus auctoritate propria, ut domini; quidam aliena, ut servi, quia, ut dicit lex ff. de Peculio [10], « vestis, qua utitur servus, est de peculio domini ». Et alibi dicit lex, quod « res, quae servo acquiritur, domino acquiritur ». In usu ergo illorum qui sua auctoritate utuntur rebus, huiusmodi non differt usus a dominio, in usu autem aliorum differt. Quia ergo Fratres Minores pro Christo serviles effecti sunt, utuntur rebus, quas usu consumunt, nec tamen eis dominantur; et in hoc ipsum Dominum imitantur, « qui cibo vescebatur alieno [11] », in alienis domibus continue hospitando.

Ad quin[tum].

12. Sed quaeritur, ex quo Fratres habent tantum usum rerum, possuntne habere usum quarumcumque et quantarumcumque rerum?

Quaesti[o] ... cide[nter].

Et videtur, quod sic, quia, teste Gregorio [12], « census non est in culpa, sed affectus »: ergo sufficit habere affectionem liberam, nec est vis de rebus, sive sint magnae sive parvae.

Ratio p[rima].

13. Item, *vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona* [13]. Bonum autem adveniens bono auget ipsum: ergo carentia divitiarum nihil facit ad perfectionem.

Secund[a].

14. Item, nonne multi Sancti leguntur in utroque testamento divitiis abundasse [14]?

Tertia.

15. Respondeo ad quaestionem, quod cum Fratres sint professores altissimae paupertatis, oportet, ut omnia, quae in eorum usum veniunt, habeant, ut est possibile, parvitatem, vilitatem et asperitatem, quae tria paupertatem altissimam naturaliter consequuntur. Econtra enim divites habent affluentiam, gloriam et apparentiam et consolationem, quae

Resp. ... quae[stionem].
Notand[um].

---

[1] Epist. 130. (alias 8.) n. 14. Respicitur Matth. 19, 21: Si vis perfectus esse, vade et vende etc. Cfr. supra pag. 295, nota 14. Pro *levem et expeditum* A D *leve et expeditum est.*

[2] Scilicet in canone supra n. 2. allegato.

[3] Cap. 4. n. 7.

[4] Cap. 4. n. 7. — Cfr. etiam supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 7. seqq.

[5] Vers. 32.

[6] Libr. 1. Digest. tit. 8. leg. *Summa rerum divisio...* Quae [res] publicae sunt, nullius [Glossa ibid.: scilicet hominis privati, sed communitatis] in bonis esse creduntur (1.). Ibid. leg. *In tantum...* Universitatis sunt, non singulorum, veluti quae in civitatibus sunt theatra, stadia, et si qua alia sunt communia civitatum (6.). Cfr. II. Instit. tit. 1. Vat. perperam *de Rerum dominio.*

[7] Cfr. supra c. 1. n. 7. in fine verba Gregor. IX. et n. 8. et Innoc. IV. constitut. *Ordinem vestrum.*

[8] Num. 7. c. 1. n. 7. seq. et c. 4. n. 2. seqq. — Superius pro *Sic autem* (ita A D G) Vat. *Sic ergo ea*, ed. 1 *Sic auctoritate.*

[9] Can. 2, in quo ex Clemente dicitur, omnibus clericis, Apostolorum eorumque discipulorum imitatoribus communem esse vitam servandam, quam Ananias et Saphira violarunt et « nobis *praesentibus* in conspectu omnium circumstantium a conspectu Apostolorum propter peccatum eorum et mendacium, quod fecerunt, mortui elati sunt ambo ». Cfr. supra pag. 295, nota 8, ubi verba huius canonis « per iniquitatem alius dicit, hoc esse suum, alius illud » explicantur. Pro *praesentes* Vat. *praesidentes.*

[10] Libr. XV. Digest. tit. 1. leg. *Id vestimentum* peculii esse incipit etc. (26.). De seq. lege cfr. II. Institut. tit. 9, ubi in lege *Acquiritur vobis* (1.) § *Item vobis* dicitur: Item, vobis acquiritur quod servi vestri ex traditione nanciscuntur, sive quid stipulentur, sive ex donatione, vel ex legato, sive ex qualibet alia causa acquirant. Hoc enim vobis ignorantibus et invitis obvenit; ipse enim servus, qui in potestate alterius est, nihil suum habere potest etc.

[11] Ut dicit Hieron. supra pag. 415, nota 4. allegatus. Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 11. n. 7. seqq.

[12] Libr. X. Moral. c. 30. n. 49; cfr. supra pag. 280, nota 5.

[13] Gen. 1, 31. — Subinde pro *adveniens* (ita A G et ed. 1) Vat. *additum.*

[14] Cfr. Gen. 13, 14. (de Abraham) et 36, 7. (de Iacob).

possunt divitiis comparari. Quia ergo paupertas, in quantum est contraria divitiis, caret his tribus, sicut[1] caret divitiis; necesse est, ut paupertas altissima, ut est possibile, careat his tribus in summo. Non ergo competit veris pauperibus habere magnas areas vel sumtuosa aedificia, aut quaecumque alia similia, non vasa ornata, non cellaria, non vinaria, non promptuaria instaurata; sed ut omnia, quantum patitur fragilitas, ad paupertatis strictissimam regulam reducantur. Ideo addit: *Sed tanquam peregrini et advenae in hoc saeculo*[2].

...ratio primae. 16. Et ad dictum Gregorii dicendum: Fateor quidem, quod census non est in culpa *essentialiter,* vel *causaliter,* sed *occasionaliter,* quia affluentia habita illicit animum possidentis. Unde Bernardus[3]: « Haec est ratio non habendarum divitiarum praecipua, quia sine amore aut vix, aut nunquam haberi possunt ».

...ndae. 17. Et per hoc patet responsio ad secundum, quia omnia sunt bona *essentialiter,* sed *occasionaliter* mala sunt ex humana infirmitate. Unde Sapientiae decimo quarto[4]: *Creaturae Dei in odium factae sunt et in tentationem animabus hominum et in muscipulam pedibus insipientium;* et poeta dicit[5]:

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

...ertiae. 18. Ad tertium dicendum, quod aliqui Sancti fuerunt divites, sed paucissimi. Unde divites in *singulari* et cum conditione commendantur Ecclesiastici trigesimo primo[6], ubi dicitur: *Beatus dives, qui inventus est sine macula;* sed *pluraliter* damnantur Lucae sexto, ubi dicitur: *Vae vobis divitibus, qui habetis hic consolationem vestram!* Illis tamen omnibus Christus infinite praeponitur, qui se exhibuit doctorem paupertatis verbo pariter et exemplo. Quod autem melior elegit magis est eligendum[7].

...2, im...io mendicationis. 19. Sequitur secunda pars rubricae: *Vadant pro eleemosyna confidenter* etc. — Sed contra hoc videtur, quod de sanctis pauperibus in Ierusalem congregatis dicitur Actuum quarto[8]: *Nec quisquam egens erat inter illos.* Obiectio prima.

Sed ad hoc patet responsio ex praedictis in secunda rubrica[9], quia illi pauperes non omnino districtionem apostolicae paupertatis profitebantur, ut visum est; inter quos erant neophyti viri et mulieres, quibus subita egestas perniciosa forsitan exstitisset. Econtra Paulus dicit pro se et sibi conformibus primae ad Corinthios quarto[10]: *Usque in hanc horam esurimus et sitimus* etc.; et secundae ad Corinthios undecimo: *Et cum essem apud vos et egerem, nulli onerosus fui.* Responsio.

20. Item, obiicitur, quod licet Dominus pauper fuit, non tamen dicitur a quibusdam fuisse mendicus, ut videtur. Obiectio secunda.

Item, Fratres mendicando videntur gravare alios pauperes mendicos, penitus humano auxilio destitutos. Tertia.

Item, Actuum vigesimo[11]: *Beatius est magis dare quam accipere.* Quarta.

21. Respondeo: Cum summe honorificum sit dare, summa privatio honoris est constituere se in dandi impossibilitate et necessitate etiam mendicandi, quia dicit Seneca[12]: « Nil carius emitur, quam quod precibus constat ». Inter omnia autem petitionum genera verecundissima est mendicitas. « Est enim *mendicare* ad misericordiam hominum vivere », ut dicit Augustinus super illud Psalmi[13]. *Nutantes transferantur filii eius et mendicent.* Quid autem potest tam verecundum esse, quam in omnium Christianorum misericordia se ponere? Hoc sciens sanctus Franciscus, subdit: *Nec oportet, eos verecundari, quia Dominus* etc. Resp. ad primum.

22. Ipse enim Dominus mendicus fuit; unde Augustinus super illud Psalmi[14]: *Persecutus est hominem inopem et mendicum,* id est Christum Iudas, inquit; et addit: « Mendicum autem illum quomodo intelligere possumus, nisi forte, quia dixit Resp. ad secundum.

---

[1] Vat. *si* et inferius *viris* pro *veris.*

[2] Cfr. Expositio quatuor Magistrorum in c. 6: Haec [paupertas perfecta, quae cum voluntate spiritus nec superfluum nec necessarium vitae tanquam proprium retinet, sed ex Dei provisione pendet, quae paupertas dicitur mendicitatis] vero videtur paupertas Fratrum Minorum, quae hic determinatur. Unde attenditur in duobus: unum est, ut non recipiant aliquod fixum, sicut reditum, et hoc est *Quoniam tanquam peregrini et advenae in paupertate debent Domino famulari;* aliud, quod debent habere paupertatem quantum ad usum, ut taliter sint pauperes, quod etiam sint mendici, unde etiam additur: *Vadant pro eleemosyna confidenter.* — Superius pro *strictissimam* G *sanctissimam,* ed. 1 *sanctissimae.*

[3] Potius Gaufridus abbas, Declamation. de Colloquio Simonis cum Iesu ex S. Bernardi sermonibus collect. II. n. 2: Et haec fugiendarum causa divitiarum praecipua est, quod aut vix, aut nunquam sine amore valeant possideri. Cfr. supra pag. 272, nota 7. Ed. 1 cum G: *Quae est ratio non habendarum divitiarum praecipua?* Fusiorem expositionem verbi Gregorii vide supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 7. n. 24. seqq. — Superius pro *illicit* D et ed. 1 *allicit.*

[4] Vers. 11. — Superius post *omnia* D addit *creata.*

[5] Iuvenal. supra pag. 395, nota 7. iam allegatus.

[6] Vers. 8. — Subinde allegatur Luc. 6, 24, ubi pro *qui* Vulgata *quia.*

[7] Cfr. Aristot., III. Topic. c. 1, ubi docet, id magis eligendum, « quod magis eligit prudens, vel bonus vir, vel lex recta, vel studiosi circa singula delecti, quatenus tales sunt » etc.

[8] Vers. 34.

[9] Sive c. 2. n. 7; cfr. etiam supra n. 10. et Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 7. n. 32.

[10] Vers. 11; cfr. supra pag. 283, nota 9. — Sequitur II. Cor. 11, 9.

[11] Vers. 35.

[12] Libr. II. de Beneficiis, c. 1. § 4: Nulla res carius constat, quam quae precibus empta est.

[13] Enarrat. in Ps. 108, 10. n. 18: Quid est autem mendicare, nisi ad hominum misericordiam vivere etc.

[14] Enarrat. in Ps. 108, 17. n. 19: Potest quidem accipi de Iuda, quia non est dedignatus Dominus *pauper* fieri, *cum dives esset,* ut illius paupertate nos ditaremur [II. Cor. 8, 9.]. *Mendicum* autem quomodo intelligam, nisi forte, quia dixit mulieri Samaritanae: *Da mihi bibere* [Ioan. 4, 7.], et in cruce ait: *Sitio* [Ioan. 19, 28.].

mulieri Samaritanae: *Da mihi bibere*, et in cruce ait: *Sitio* ». — Amplius, quamvis eius omnia essent et ei ab omnibus deberentur, ipse tamen non est usus sua potestate talia exigendo. Nec enim exegit per imperium auctoritatis, sed per modum pauperis mendici, sicut dixit Zachaeo Lucae decimo nono [1]: *Festinans descende, quia hodie* etc.; ibi Glossa: « Non invitatus se invitat ». — In tali etiam forma Apostoli processerunt, quibus licet omnia deberentur, tamen ut pauperes receperunt ex misericordia sibi datum ad necessitatem. — Item, Bernardus [2] tractans illud verbum: *Cum factus esset Iesus annorum duodecim*, dicit: « Ut te, inquit, Domine, per omnia nostrae paupertati conformares et omnes vitae humanae calamitates susciperes, quasi unus in turba pauperum stipem per ostia mendicabas ». — Huic concordat quod sanctus Augustinus, super Psalmum centesimum quadragesimum sextum [3], super illud: *Qui producit in montibus foenum*, dicit in originali: « Loculi erant commissi Iudae proditori, et illi qui conferebant, in loculos Domini conferebant, nisi forte putatis, quod Dominus ibat et petebat, aut indigebat, cui Angeli serviebant. Quare egere voluit, nisi ut daret exemplum *montibus*, ut parerent *foenum* »? Haec Augustinus.

Alia ratio. Exemplum Apostolorum. Loci duorum Doctorum.

23. Ad tertium dicendum, sicut dicit Apostolus ad Romanos decimo quinto [4]: *Probaverunt Macedonia et Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Ierusalem. Placuit enim eis, et debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent et in carnalibus ministrare eis.* Ibi dicit Glossa, quod « erant *debitores*, quia illi pauperes miserant eis praedicatores ». Cum igitur isti pauperes Fratres toti mundo mittunt praedicatores, a toto mundo possunt accipere necessaria vitae suae. Nulli ergo iniuriantur in hoc, quia legis testimonio [5] docetur, quod « nulli facit iniuriam qui utitur iure suo »; nisi forte ideo faciunt iniuriam, quia quod possent accipere cum honore, accipiunt cum extrema confusione.

Resp. ad tertium.

Item, omnia bona Ecclesiae Christi et omnes superfluitates divitum sunt una res publica pauperum. In participatione autem huius rei publicae tanto unusquisque minus alios laedit, quanto paucioribus est contentus. Hoc faciunt Fratres isti, qui, cum possent vivere ut alii clerici in statibus honoris et affluentiae, vivunt in statu ignominiae et aerumnae, mendicantes pro se ipsis, sicut Paulus pro aliis mendicavit, ut patet in Epistolis suis [6], in collectis pro pauperibus faciendis.

Alia ra[tio].

24. Ad ultimum dicendum, quod si *beatius est magis dare quam accipere*, beatissimi sunt qui omnia dederunt. Unde Hieronymus [7]: « Nemo perfectius erogat, quam qui sibi nihil reservat ». — Item, si recipere diminuit de beatitudine, ergo qui magis recipiunt magis deficiunt, et qui minus recipiunt minus deficiunt. In hac parte tales sunt isti pauperes in toto clero ex sua professione. — Item, licet dare simpliciter sit beatius quam recipere, tamen cum circumstantia tantae humilitatis recipere est beatius quam dare. Unde ad receptionem discipulos suos Dominus informavit, quos nudos per saecula destinavit [8]. — *Vadant* ergo Fratres *pro eleemosyna confidenter; nec oportet, eos verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo;* sed glorientur, quia datum est eis *pro nomine Iesu contumeliam pati* [9], nihil habentibus in hoc mundo.

Resp. [a]d quartu[m] ... ple

Epilo[gus].

25. Sed pro tertio addit: *Haec est illa celsitudo altissimae paupertatis.* Quare *altissimae*, nisi quia a mundo remotissimae et per consequens caelorum regno [10] summe vicinae, illi etiam vitae aeternae, ut est possibile, simillimae, ubi nihil terrenum est proprium, vel commune? Unde subdit: *Quae vos, carissimos fratres meos, heredes et reges regni caelorum instituit;* ideo *heredes*, quia omnia dimittentibus pro regno caelorum promittitur gloriae margarita [11]; ideo *reges*, quia solutione facta

Pars ... tatio ... rem ... tatis.

---

[1] Vers. 5. — Glossa est *interlinearis* apud Lyranum, ex Ambros., VIII. in Luc. 9, 2. n. 82: « Apud alterum [scilicet Zachaeum] se non invitaturum invitat ». Ed. 1 cum A G et Glossa omittit *se*. — Superius post *et ei* D repetit *omnia*, pro *ab omnibus* B substituit *ab hominibus* et pro *auctoritatis* D *potestatis*.

[2] Vel potius Aelredus abbas Rievallis in Tract. de Iesu puero duodenni, in quo explicatur illud Luc. 2, 42: *Cum factus esset* etc. n. 6. Cfr. supra pag. 274, nota 3.

[3] Vers. 8. n. 17. Respicitur Matth. 4, 11: Angeli accesserunt et ministrabant ei. Textus originalis hinc inde nonnulla interserit. Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 12. n. 32. in fine. Vat. cum ed. 1 et pluribus codd. perperam allegat Ps. 103, 14: *Producens foenum iumentis*, in cuius expositione agitur quidem de loculis (cfr. supra pag. 415, nota 1.), sed dicta sententia non occurrit.

[4] Vers. 26. seq. — Glossa est *interlinearis*, quae a Petro Lombardo sic exhibetur: Et vere sunt *debitores, nam si gentiles facti sunt participes spiritualium*, id est praedicationis et Sacramentorum, *eorum*, id est Iudaeorum, qui miserunt eis praedicatores ab Ierosolymis, *debent* utique *et* ipsi *ministrare eis in carnalibus*, id est Iudaeis. Cfr. Lyranus, in hunc loc.

[5] Libr. L. Digest. tit. 17. de Regulis iuris, leg. 56: « Nullus videtur dolo facere, qui suo iure utitur »; et leg. 194: Nemo damnum facit, nisi qui id fecit, quod facere ius non habet. — Inferius pro *possunt* fide G et ed. 1 substituimus *possent*, pro *accipiunt* D *magis eligunt accipere*, et vocibus *cum extrema* A et ed. 1 interserunt *omni*.

[6] Cfr. supra pag. 342, nota 6.

[7] Vide supra pag. 413, notam 6.

[8] Cfr. supra c. 4. n. 3. seq. — Pro *saecula* D et ed. 1 *saeculum*.

[9] Act. 5, 41. — Subinde post *in hoc mundo* ed. 1 cum G addit verba superius posita *quia Dominus... in hoc mundo*, quae ibi etiam ab A D omittuntur.

[10] Pro *caelorum regno* G et ed. 1 *caelo*.

[11] Matth. 19, 29: Et omnis, qui reliquerit domum... centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit. Cfr. ibid. 13, 45. seq., ubi de margarita inventa, propter quam comparandam negotiator omnia sua vendit. — Vat. cum D *promittitur gloria aeterna*.

plenarie pro re, ius emptori acquisitum est in re empta. Idcirco dicitur Matthaei quinto[1]: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Sunt ergo domini caelorum qui cuncta dederunt propter Deum, quamvis nondum sint in eius possessione. Hunc autem modum regni acquirendi addit, dicens: *Pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit.* Ad hoc enim ordinatur paupertas ista, ut, resoluto per eam prohibente[2], virtutis sanctitas augeatur. Studeant ergo isti pauperes, sicut sunt ceteris arctiores paupertate, sic sint prae ceteris in virtutibus omnibus celsiores. — *Haec sit portio vestra, quae perducit in terram viventium*[3], eo ipso, quo in terra morientium nihil quaerunt. *Cui, dilectissimi fratres, totaliter inhaerentes*, ut omnia, quae in usu Fratrum sunt, hanc praedicent paupertatem; *nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi in perpetuum sub caelo habere velitis.* Ipse enim ita pauper exstitit, quod nihil habuit, quo posset eum diabolus spoliare, ut supra[4] patet.

26. Sed quia sic Fratribus depauperatis necessaria est fraterna consolatio[5], addit: *Et ubicumque sunt et se invenerint Fratres, ostendant* etc.; ostendens, qualiter se debent habere Fratres ad alios *sanos*[6], et consequenter ad *aegros.* — Circa primum informat eos ad veram et non fictam caritatem, et hoc in duobus: primo quoad familiarem et affabilem *socialitatem*[7]; secundo, quoad necessitatum omnium *relevationem.* — Dicit ergo: *Et ubicumque sunt*, in domo sive extra domum, *et se invenerint Fratres, ostendant se domesticos invicem*, non solum publice, sed familiariter et secrete; ideo addit: *inter se.* — Pro secundo addit: *Et secure manifestet unus alteri necessitatem suam. Secure*, inquit, sicut filius matri suae; unde addit: *Quia, si mater nutrit et diligit filium suum carnalem, quanto diligentius debet quis diligere,* affectu, *et nutrire*, effectu, *fratrem suum spiritualem?* Consequentia patet, quia amor gratuitus, scilicet caritatis, fortior est amore carnali, tum quia caritas superat mortis innatum horrorem[8], tum quia caritas fundamentum habet sui bonum infinitum, propter quod nihil finitum praevalet contra eam. — Haec autem exhortatio ex illa regula trahitur evangelica, Ioannis decimo tertio[9]: *In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem;* item, Lucae vigesimo secundo: *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* — Sed pro aegrotis subdit: *Et si quis eorum in infirmitatem ceciderit, alii Fratres debent ei servire, sicut vellent sibi serviri.* Et hoc etiam ad eandem caritatem pertinet; unde Ecclesiastici septimo[10]: *Non te pigeat visitare infirmos; ex his enim in dilectione firmaberis;* Matthaei septimo: *Omnia, quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis.*

Quoad aegrotos.

(CAPITULUM VII.)

De poenitentia Fratribus peccantibus imponenda.

Si qui Fratrum, instigante inimico, mortaliter peccaverint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, ut recurratur ad solos Ministros provinciales, teneantur praedicti Fratres ad eos recurrere, quam citius poterunt, sine mora. Ipsi vero Ministri, si presbyteri sunt, cum misericordia iniungant illis poenitentiam. Si vero presbyteri non sunt, iniungi faciant per alios, sacerdotes Ordinis, sicut eis secundum Deum melius videbitur expedire; et cavere debent, ne irascantur et conturbentur propter peccatum alicuius, quia ira et conturbatio in se et in aliis impediunt caritatem.

EXPOSITIO.

1. *Si qui Fratrum, instigante inimico, mortaliter peccaverint.* Stabilitis duobus civitatis lateribus et sex portis in sex capitulis figuratis, hic agitur de tertio latere *occidentali*[11]. Et haec pars habet tres partes, quia in prima agitur de *lapsorum relevatione* a casu fugientium. In secunda agitur de *principali*

De tertio latere et tribus portis et partibus.

---

[1] Vers. 3. Bernard., Serm. 4. in Adventu, n. 5: Magna quaedam penna est paupertatis, qua tam cito volatur in regnum caelorum. Nam in aliis virtutibus, quae sequuntur [Matth. 5, 4. seqq.], promissio futuro tempore indicatur, paupertati non tam promittitur, quam datur. Unde et praesenti tempore enuntiatum est: *Quoniam ipsorum est regnum caelorum*, cum in ceteris dicatur: *Hereditabunt, consolabuntur* et similia. Cfr. Epist. 103. et 207. — Superius pro *ius... empta* Vat. cum D *pro re emenda.*

[2] Scilicet possessione sive proprietate rerum (*prohibens* idem est ac impedimentum). — Subinde pro *virtutis* ed. 1 *vitae.*

[3] Psalm. 141, 6: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium. — Inferius pro *quo* ed. 1 *quod*, et pro *quaerunt* A G et ed. 1 *quaerit.*

[4] Cap. 4. n. 10. in fine. — Pro *patet* D *patuit.*

[5] Cod. G et ed. 1 *Fratribus de paupertatis necessitate est ferenda consolatio.*

[6] Ed. 1 *ad omnes sanos*, Vat. *ad alios et primo ad sanos.* Subinde pro *aegros* G *aegrotos.*

[7] Ita A G; B F et ed. 1 *societatem*, D *societatem vel socialitatem*, Vat. *et socialem dilectionem.*

[8] Cant. 8, 6: Fortis est ut mors dilectio etc. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 123. n. 5, ubi ostendit, Petrum vi amoris naturalem timorem mortis superasse etc. Cfr. supra pag. 255, nota 1. — Ed. 1 *mortis humanum terrorem.*

[9] Vers. 35, post quem Luc. 22, 32.

[10] Vers. 39, ubi Vulgata *infirmum* pro *infirmos.* — Sequitur Matth. 7, 12. Cfr. Expositio quatuor Magistrorum in c. 6: Hic evidenter ostenditur, quod perfecta caritas debet esse inter Fratres quantum ad *signum*, quantum ad *affectum* et quantum ad *effectum;* unde quantum ad signum dicit: *ostendant se domesticos invicem inter se;* quantum ad affectum dicit: *Quia, si mater* etc.; et quantum ad effectum subiungit: *Et si quis eorum in infirmitatem* etc.

[11] Cfr. supra c. 1. n. 1. — Superius pro *et sex portis in sex capitulis figuratis* (ita B; cfr. supra c. 4. n. 1.) A G et ed. 1 *et sex partibus in* [G *id est*] *sex capitulis* [A *lateribus*] *figuratis* [ed. 1 *peragratis*], Vat. *ex sex* [D *et in sex*] *partibus figuratis.*

Ordinis gubernatione et pertinentibus ad totius Ordinis immobilem statum. In tertia agitur de *erectione*[1] *aliorum a casu*, praedicando verbum divinum.

Primae partis divisio.

Prima pars habet tres. Primo enim tangitur peccatorum debita ponderatio. Secundo eorundem ordinata correctio, ibi: *Ipsi vero Ministri.* Tertio subditur Ministrorum propria informatio, ibi: *Et cavere debent.*

Primo, peccatorum ponderatio.

2. Dicit ergo: *Si qui Fratrum, instigante inimico;* quanto enim aliquis maius habet studium perfectum[2], tanto fortioribus contra eum machinatur insidiis; *mortaliter peccaverint,* quod fit in omni voluntaria transgressione praecepti legis divinae et disciplinae. *Pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, ut recurratur ad solos Ministros provinciales,* iuxta quod Dominus maiorum daemoniorum eiectionem suis miraculis reservavit, sicut patet Matthaei decimo septimo[3]. *Teneantur praedicti Fratres ad eos recurrere, quam citius poterunt, sine mora.* Hoc de notoriis tantum peccatis intelligitur, quia quae secreta sunt non sunt publicanda[4]. Gravius enim est peccatum, quod in scandalum aliorum publice perpetratur, quam occultum, ceteris paribus; et ideo puniendum est gravius.

Secundo, eorum correctio.

3. Sequitur secundum: *Ipsi vero Ministri, si presbyteri sunt;* quod regulariter est tenendum, cum habeant curam animarum, et per consequens debeant *vultus pecorum suorum cognoscere*[5] et in fide ac moribus ordinare. Istud autem dictum est pro Ordinis principio, in quo erat in ipso raritas sacerdotum, maxime quia sanctus Franciscus ex humilitate legitur[6] sacerdotium fugisse, sicut et sanctus Benedictus. *Cum misericordia iniungant illis poenitentiam. Cum misericordia,* inquit, ne eveniat quod dicitur Ezechielis trigesimo quarto[7]: *Cum austeritate imperabatis eis et cum potentia, et dispersae sunt oves meae, eo quod non esset pastor. — Si vero presbyteri non sunt, iniungi faciant per alios, sacerdotes Ordinis, sicut eis secundum Deum melius videbitur expedire.*

Tertio [illegible] formati[illegible]

4. Pro tertia parte subdit: *Et cavere debent,* Ministri, *ne irascantur.* Ira enim est habitus cum assensu liberi arbitrii in malevolentiam[8]. Hoc idcirco dixerim, quia vitare omnes *passiones surreptitias* irae non est in hominis potestate. Sufficit autem voluntatis rectitudinem custodire et motus huiusmodi irrationales citra consensum viriliter cohibere; Psalmus[9]: *Irascimini et nolite peccare. — Et conturbentur,* id est turbulenti et terribiles efficiantur subditis suis; *propter peccatum alicuius, quia ira et conturbatio in se et in aliis impediunt caritatem,* quae est vita cordis; primae Ioannis tertio[10]: *Qui odit fratrem suum homicida est.* Non autem prohibet iram per *zelum,* quae virtus est necessaria in peccatis corrigendis.

(CAPUT VIII.)

De electione Generalis Ministri huius Fraternitatis, et de Capitulo Pentecostes.

Universi Fratres unum de Fratribus istius Religionis teneantur semper habere generalem Ministrum et servum totius fraternitatis et ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente, electio successoris fiat a Ministris provincialibus et Custodibus in Capitulo Pentecostes, in quo provinciales Ministri teneantur semper insimul convenire, ubicumque a generali Ministro fuerit constitutum; et hoc semel in tribus annis, vel ad alium terminum majorem vel minorem, sicut a praedicto Ministro fuerit ordinatum. Et si aliquo tempore appareret universitati Ministrorum provincialium et Custodum, praedictum Ministrum non esse sufficientem ad servitium et communem utilitatem Fratrum, teneantur praedicti Fratres, quibus electio data est, in nomine Domini alium sibi eligere in Custodem. Post Capitulum vero Pentecostes Ministri et Custodes possint singuli, si voluerint et eis expedire videbitur, eodem anno in suis custodiis semel Fratres suos ad Capitulum convocare.

EXPOSITIO.

Tertii [illegible] porta[illegible]

1. *Universi Fratres unum de Fratribus istius Religionis.* Hic secundo[11] providetur adversus occasum

---

[1] Ed. 1 *correctione*, cui G addit *et retractione.*

[2] Cod. B *perfectionis*, D *ad profectum*, qui etiam subinde post *machinatur* addit *antiquus hostis.*

[3] Vers. 14. seqq., ubi narratur curatio pueri lunatici a Domino facta, quam discipuli ob modicam fidem non impetrarunt. — Vat. omittit *maiorum.*

[4] Gregor. IX. in Constitutione *Quo elongati* (cfr. supra pag. 395, nota 9.), ad quam etiam Expositio quatuor Magistrorum in c. 7. recurrit, declaravit: Praedictum capitulum ad *manifesta* tantum et *publica* pertinere. — Pro *intelligitur* ed. 1 *debet intelligi*, et inferius *perpetratum est* pro *perpetratur.*

[5] Prov. 27, 23: Diligenter agnosce vultum pecoris tui tuosque greges considera. — Expositio quatuor Magistrorum in c. 7: Ex hoc quod dicitur, quod *pro peccatis debeant recurrere ad Ministros*, volunt quidam astruere, quod ex Regula detur Ministris cura animarum Fratrum; ex hoc vero, quod sequitur: *iniungi faciant per alios, sacerdotes Ordinis*, arguunt, quod Ministri habent auctoritatem curam delegandi, sicut absolutiones.

[6] Cfr. Thom. a Celano, Vita I. p. 1. c. 30, ubi dicitur de S. Francisco, qui fecit praesepium pro celebratione Natalis Domini: Induitur Sanctus Dei leviticis ornamentis, quia *levita* erat etc.

[7] Vers. 4. seq.

[8] Ex verbis Rabani, II. in Matth. 5, 22: *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio*, quod his « aperuit Dominus, omnem iniquum motum ad nocendum fratri in homicidii genere computari » Alex. Hal., Sum. p. II. q. 140. m. 1, et Albert., Sum. p. II. q. 119. m. 1, iram definiunt: Ira est motus malus ad nocendum. Cfr. Gregor., V. Moral. c. 45. n. 78. seqq., ubi etiam distinguitur ira *ex impatientia* ab ira *ex zelo*, de quo paulo inferius. Vide etiam Bonav., III. Sent. d. 15. a. 2. q. 3.

[9] Psalm. 4, 5. — Superius pro *irrationales citra* (ita A D F et ed. 1) Vat. *rationabiles circa.*

[10] Vers. 15.

[11] Cfr. supra c. 7. n. 1. — Inferius pro *praefectionem* (ita D et ed. 1) Vat. *perfectionem.*

)ivisio. *principalis Ordinis gubernatio* quantum ad quatuor: primo, quantum ad generalis Ministri praefectionem et electionem. Secundo, quantum ad Capituli generalis celebrationem, ibi: *Quo decedente.* Tertio, quantum ad absolutionem Ministri inutilis, ibi: *Et si aliquo tempore.* Quarto, quantum ad celebrationem Capituli provincialis in singulis provinciis, ibi: *Post Capitulum vero Pentecostes.*

2. Dicit ergo pro primo: *Universi Fratres* icula 1. *unum de Fratribus istius Religionis teneantur semper habere generalem Ministrum et servum totius fraternitatis et ei teneantur firmiter obedire;* Ecclesiastici quinquagesimo [1]: *Circa illum corona fratrum quasi plantatio cedri in monte Libano.* In his autem verbis tangit eius *auctoritatem* in nomine generalitatis; tangit etiam eius *humilitatem,* cum dicit: ut sit *servus totius fraternitatis,* ut scilicet qui, dum subditus erat, obediebat uni, aut duobus, sciat, se, electum in generalem Ministrum, debere omnium necessitatibus obedire. Tangendo autem eius auctoritatem et humilitatem notat etiam *unitatem,* dicens: *unum de Fratribus istius Religionis,* quia sine uno capite nulla respublica stare bene potest. Unde unum Apostolum Dominus praefecit ceteris; Ezechielis trigesimo quarto [2]: *Suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David;* Matthaei duodecimo: *Omne enim regnum in se divisum desolabitur.*

3. Pro secunda particula addit: *Quo dece-* icula 2. *dente, electio successoris fiat a Ministris provincialibus et Custodibus in Capitulo Pentecostes, in quo provinciales Ministri teneantur semper insimul convenire, ubicumque a generali Ministro fuerit constitutum,* et dicit *teneantur,* ut ad hoc eos insinuet obligari [3]; *et hoc semel in tribus annis, vel ad alium terminum maiorem vel minorem, sicut a praedicto Ministro fuerit ordinatum,* quia pro diversis necessitatibus oportet temporis spatium variare. In Capituli huius exemplum congregati discipuli receperunt Spiritum sanctum, ut legitur Actuum secundo [4].

4. Et pro tertia parte addit: *Et si aliquo tem-* icula 3. *pore appareret universitati Ministrorum provincialium et Custodum, praedictum Ministrum non esse sufficientem ad servitium et communem utilitatem Fratrum, teneantur praedicti Fratres, quibus electio data est, in nomine Domini,* sine personarum acceptione ac nationum exceptione [5], *alium sibi eligere in Custodem.* Hoc nomen custodis actum dicit et non gradum, sicut nomen *seraphim* actum dicit, non ordinem — Isaiae sexto [6]: *Volavit ad me unus de Seraphim* — secundum Dionysium.

5. Pro quarta particula addit: *Post Capitulum* Particula 4. *vero Pentecostes Ministri et Custodes possint singuli, si voluerint et eis expedire videbitur, eodem anno in suis custodiis semel Fratres suos ad Capitulum convocare.* Non negat, quin possint etiam Capitula provincialia aliis annis celebrare, sed de isto fit specialiter mentio, quia est prae ceteris necessarium, ut ordinationes generalis Capituli per Capitula provincialia celeriter publicentur, et ut possit de absolutis Ministris provincialibus provideri.

(CAPITULUM IX.)

De praedicatoribus.

Fratres non praedicent in episcopatu alicujus episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum; et nullus Fratrum populo penitus audeat praedicare, nisi a Ministro generali huius fraternitatis fuerit examinatus et approbatus, et ab eo officium sibi praedicationis concessum. Moneo quoque et exhortor eosdem Fratres, ut in praedicatione, quam faciunt, sint examinata et casta eorum eloquia, ad utilitatem et aedificationem populi, annuntiando eis vitia et virtutes, poenam et gloriam cum brevitate sermonis, quia verbum abbreviatum fecit Dominus super terram.

EXPOSITIO.

1. *Fratres non praedicent in episcopatu ali-* Tertii lateris porta 3. *cuius episcopi.* Haec est tertia pars, in qua agitur de praedicatione Fratrum, pertinente ad leviathan exstirpandum, ut *stet mensa in latere aquilonis,* ut dicitur Exodi vigesimo sexto [7]. Et haec pars habet Divisio. duas, quia primo agit de pertinentibus ad *praedicantium auctoritatem;* secundo, de pertinentibus ad *praedicationis utilitatem et maturitatem,* ibi: *Moneo quoque et exhortor.*

---

[1] Vers. 13.

[2] Vers. 23, post quem Matth. 12, 25, ubi pro *in se* G cum Vulgata *contra se*, ed. 1 *in se ipsum,* ut habetur Luc. 11, 17.

[3] Hanc propositionem *Et dicit... obligari* supplevimus ex B.

[4] Vers. 1. seqq.

[5] Ita A; B *acceptatione*, ed. 1 omittit *ac nationum exceptione*, Vat. hanc propositionem transponit superius post *Custodum*, omisso *exceptione.*

[6] Vers. 6, quem Dionys., de Caelesti Hierarchia, c. 13. § 2. seq., ita explicat, ut Angelus ille, licet fuerit de infima hierarchia, vocetur *seraph* vel propter *effectum* in Isaia producendum, « propter igneam et caelestem dictorum ablationem peccatorum et purgati in divinam obedientiam resuscitationem », vel propter *exsecutionem mandati,* quod acceperat ab Angelo supremae hierarchiae Seraphim. Ibid. c. 7. § 1. docet, Seraphim interpretari *incensores*, vel *calefacientes.* Cfr. tom. II. pag. 262, nota 5. Vide Expositionem quatuor Magistrorum in c. 8, ubi praenotato, quod nomine *universitatis* intelligatur « maior pars », adiungitur: Nomen *custodis* se extendit ad generalem Ministrum et ad alios Ministros, sicut ex aliis locis Regulae [cfr. supra c. 4. n. 22.] potest constare. Nomen vero *guardiani* nunquam in Regula invenitur... propterea expediret, ut nomen *guardiani* tolleretur, et custodes sive ministri domus convenientius dicerentur [In testamento S. Franc. tamen nomen *guardiani* occurrit]. — Vat. omittit *secundum Dionysium.*

[7] Vers. 35: *Mensa enim stabit in parte aquilonis.* Gregor., XVII. Moral. c. 24. n. 34: *Aquilonis* nomine in sacro eloquio appellari diabolus [leviathan] solet, qui, ut torporis frigore gentium corda constringeret, dixit [Isai. 14, 13.]: *Sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis.* — Cfr. supra c. 7. n. 1, ubi hoc capitulum ut *tertia pars* insinuatur.

2. Fratres autem praedicaturi duplici egent[1] auctoritate, scilicet *praelatorum saecularium*, quibus sunt greges commissi, et *praelatorum Ordinis*, per quos habet de personis idoneis provideri. — Pro primo dicit sic: *Fratres non praedicent in episcopatu alicuius episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum.* Hoc ideo dicitur, quia Fratribus iste gradus licentiae sufficere debet, quia praesumitur, eum consentire, si non contradicat. Unde Gregorius vigesimo secundo Moralium[2]: « Pia pastorum mens, quia non propriam gloriam, sed auctoris sui quaerit, ab omnibus vult iuvari. Fidelis namque praedicator optat, si fieri valeat, ut veritatem, quam solus loqui non sufficit, ora cunctorum sonent ». Haec Gregorius. Unde in Lucae nono[3]: *Praeceptor, vidimus quendam in nomine tuo eiicientem daemonia et prohibuimus eum, quia non sequitur* te *nobiscum. Et ait ad illum Iesus: Nolite prohibere; qui enim non est adversum vos pro vobis est.* Simile legitur Numerorum undecimo[4]. Ne igitur impedimentum esse possit verbi Dei exspectatio licentiae expressae, ut ostendatur, praesumtam licentiam sufficere his dumtaxat, quorum praedicatio est per Sedem apostolicam[5] approbata; loquitur negative, in principio dicens: *Fratres non praedicent in episcopatu alicuius.*

Pars 1. De pertinentibus ad praedicantium auctoritatem duplicem. De prima.

Notandum.

3. Sed ponamus, quod, episcopo acceptante et approbante praedicationem Fratrum, aliquis inferior praelatus repellat in parochia sua; nunquid contra voluntatem eius debent[6] ibidem praedicare? — Videtur, quod non, quia omnis auctoritas concessa a quocumque iudice intelligitur concedi sine praeiudicio; sed praedicare in alienis parochiis, invito curam habente, est in praeiudicium proprii pastoris: ergo nullum Fratribus suffragatur privilegium ad praedicandum plebi, contradicente proprio pastore.

Quaestio incidens.

Pro negatione ratio prima.

Item, saltem nullus audire debet confessionem alicuius parochiani alterius, quia per hoc impeditur, ne possit agnoscere vultum pecorum suorum, contra illud Proverbiorum vigesimo septimo[7]: *Diligenter agnosce vultum pecoris tui.*

Secunda.

4. Respondeo. Cura pastoralis non est dominium, sed dispensatio et officium ecclesiasticae potestatis. Unde hierarchia, secundum Dionysium[8], est potestas ordinata ad disponendum sacrae omnia potestati subiecta. In potestatibus autem ordinatis quidquid potest inferior, potest etiam superior, et non e converso. Unde et ipse hierarcha habet totam potestatem in se adunatam, quae est in hierarchia per varios gradus distributa; unde « nominans hierarcham nominat omnem hierarchicam potestatem », ut docet Dionysius capitulo primo Ecclesiasticae Hierarchiae[9]. Licet igitur hierarcha aliis tradat sibi subditis potestatem, manet tamen apud eum ordinaria potestas ad agenda omnia, quaecumque per sibi subditos fieri possunt ad salutem fidelium procurandam. Et quia quidquid potest ex ordinaria potestate seu auctoritate potest alteri committere, et quod potest per se potest per alium[10]; potest in adiutorium sibi subditarum potestatum mittere opitulationes, quotiescumque sibi videtur expedire; alioquin nimis periclitaretur status Ecclesiae, si Papa vel inferior hierarcha, videns, sibi subditorum curae non sufficere, nec se ipsum posse omnibus adesse, non posset viros idoneos mittere vice sua. Unde si sacerdos curam habens nolit admittere Fratrem missum canonice, peccat mortaliter; ad Romanos decimo tertio[11]: *Qui potestati resistit Dei ordinationi resistit.* — Si igitur resistat sacerdos, nitatur Frater eum humilitate allicere; quod si non possit, nisi scandalum immineat, debet Frater praedicationis officium exercere. Quodsi omnino se sacerdos irrationabiliter opponat, vehemens est praesumtio contra ipsum; cedendum est ad tempus malitiae, ne scandalum suscitetur[12], et denuntiandum est hierarchae periculum animarum.

Respons[io].

De hier[ar]chia or[di]nata.

Notand[um].

Resoluti[o].

---

[1] Vat. *Et quoniam praedicaturi fulciuntur duplici auctoritate.* Inferius pro *et praelatorum* ed. 1 cum G *item praelatorum*, et pro *habet* A *habetur*.

[2] Cap. 23. n. 54. Post *vult* textus originalis prosequitur: *adiuvari quod agit. Fidelis* etc., A D G vero et ed. 1: *iuvari. Quod namque agit praedicator fidelis, optat, si fieri valeat,* [D addit *ut*] *veritatem* etc.

[3] Vers. 49. seq.

[4] Vers. 26. seqq., quos G ita refert: *de duobus viris* [Eldad et Medad], *super quos requievit spiritus, qui prophetaverunt in castris, et tamen non exierant ad tabernaculam* [quod indicavit Nun Moysi deprecans: *Prohibe eos. At ille: Quid, inquit, aemularis pro me? Quis tribuat, ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus spiritum suam?*].

[5] Ed. 1 addit *et praelatos Ordinis.*

[6] Ed. 1 et D addunt *Fratres.*

[7] Vers. 23. — Superius pro *agnoscere* A D G et ed. 1 *cognoscere.*

[8] De Ecclesiastica Hierarchia, c. 1. § 3: Est quidem hierarchia omnis, secundum honorabile nostrae sacrae traditionis, omnis subiectorum sacrorum ratio, aut universalissima huius fortassis hierarchiae aut huius sacrorum consummatio. Nostra igitur hierarchia dicitur et est continens omnium, quae iuxta eam sunt, sacrorum actio, secundum quam divinus hierarches perfectus omnium habebit, quae secundum ipsum sunt, sacratissimorum participationem, utpote hierarcha cognominatus. Sicut enim hierarchiam qui dicit, omnium simul comprehensam dicit sacrorum dispositionem, sic hierarchen dicens, declarat mirabilem et divinum virum, omnis sacrae eruditum scientiae, in quo pure sua hierarchia omnis perficitur et cognoscitur [versio Scoti Erigenae verbotenus secundum textum Graecum]. Pro *sacrae* D *sacra*, et pro *potestati* ed. 1 *potentiae.*

[9] Paragr. 3; cfr. nota praecedens et supra pag. 251, nota 3. Pro *hierarchicam* D et ed. 1 *hierarchiae.* Vat., superius pro *adunatam* contra F G et ed. 1 substituto *ordinatum*, hic, interpunctione perperam mutata, legit (refragantibus A D G et ed. 1): *nominat hierarchicam potestatem. Unde docet Dionysius 1. Ecclesiast. Hierarchiae, quod licet ille hierarcha aliis* etc. Fide B substituimus *hierarcham* pro *hierarchiam.*

[10] Cfr. Bonifac. VIII. (VI. Decret. libr. V. tit. 12. de Regulis iuris, regula 68.): Potest quis per alium quod potest facere per se ipsum. Cfr. ibid. Glossam, in qua indicantur loci ex iure civili; vide etiam ibid. regulam 72. — Inferius pro *quotiescumque* A D G *quotcumque*, ed. 1 *quomodocumque.*

[11] Vers. 2.

[12] Cfr. supra pag. 411, nota 1. — Voci *cedendum* D praefigit *unde.*

itio ra- t is pri- nae. 5. Cum ergo dicit, quod est in praeiudicium sacerdotis; dicendum, quod non, quia « nulli facit iniuriam qui utitur iure suo [1] ». Non ergo iniuriatur ei *episcopus* mittendo opitulationem, cum hoc facere possit de iure, ut supra [2] visum est. Nec iniuriatur *opitulans* illi quem iuvat in sarcina supportanda; pro tanto enim minuitur sacerdoti curam habenti pondus in districto iudicio Dei, quantum ab alio supportatur.

6. Et quod dico de praedicatione, intelligo etiam de confessionibus audiendis. Possunt enim Fratres apostolica ordinatione in privilegiis Ordinis [3] expressa audire cuiuscumque sacerdotis parochianos, ipso inconsulto, vel etiam contradicente, si auctoritatem habeant ab episcopo audiendi. Et quia curia Romana hoc determinat, haereticum est aliud pertinaciter affirmare; sicut patet vigesima secunda distinctione, canone *Omnes* [4]. Patet etiam, Papam posse talia in Ecclesia ordinare, quia certum est, quod distinctio curarum et collatio iurisdictionum ab auctoritate processit Ecclesiae Romanae. Ergo quandocumque videtur ei ad salutem fidelium aliud expedire, potest aliud ordinare, dicente Augustino ad Macedonium [5], quod « hoc solum recte agitur, ut vita hominum corrigatur ».

secun- dae. 7. Ad obiectum de agnitione [6] vultus respondeo, quod si sacerdos proprius sciret, posset et vellet sufficiens consilium super subditos impendere, nullus sanae mentis quaereret se immiscere confessionibus ad ipsum non pertinentibus audiendis. Certum est autem, quod quidam sacerdotes omnes suos subditos audire non possunt propter multitudinem subditorum. Unde cum ipsi soleant alios sibi adiungere sacerdotes commensales, vel extraneos ad tempus vocare pro illis audiendis, quos ipsi nolunt, vel nesciunt, vel non possunt audire; impium est dicere, ipsos hoc posse, et episcopum hoc non posse. — Potest (andum.) igitur episcopus aliquos mittere illis in adiutorium sacerdotibus [7] propter ipsorum *impotentiam, ignorantiam et accidiam*, qua tepidi sunt in discutiendis conscientiis subditorum. Nec propter hoc tantum, scilicet propter *insufficientiam sacerdotum* in aliquo praedictorum trium, immo etiam propter *maius bonum*, quia in maiorem fervorem poenitentiae excitantur multi ex praedicatione et exemplis Fratrum quam plurium aliorum.

8. Potest autem nihilominus sacerdos agnoscere [8] vultus pecorum suorum vel quantum ad exteriorem conversationem, vel quantum ad conscientias subditorum, scilicet si, postquam fuerint confessi Fratri, dicant in foro conscientiae sacerdoti, se confessos fuisse — quoniam in foro conscientiae cuilibet pro se et contra se est credendum — et aliqua etiam interim venialia emergentia dicere [9]. Quamquam non esset malum, immo certe plurimum expediens, omnium confessionem reiterare pro benedictione duplici acquirenda, nisi forte sacerdos ille esset ignarus plurimum, aut revelator confessionis, aut sollicitator ad peccandum, aut simoniacus, aut aliter scelerosus, quo pateat, ipsum ut malae conscientiae hominem non habere zelum Dei pro aliis dirigendis. Impium est autem non credere audito a Fratre, cum credat audito a saeculari alio sacerdote, vel dicere, quod Frater impediat agnitionem vultus, quam non impedit alius saecularis [10]. Continuator.

9. In omnibus autem confessionibus audiendis consulo, auditores Fratres [11] prius inquirere, qua de causa declinent auditorium proprii sacerdotis, et nisi eos inveniant pie motos et rationabili causa ductos, remittant eos ad proprios sacerdotes. Retrahuntur enim aliquando peccatores, saltem ad tempus, verecundia ab ausu peccandi in aspectu et praesentia proprii sacerdotis, si bonus est, eorum scelera cognoscentis. Sed quia hoc rarum est, non sunt propter hoc particulare et rarum bonum alia innumera dimittenda, quae per auditum Fratrum et aliorum Deum timentium procurantur [12]. Bonum consilium.

10. Pro auctoritate habenda a praelatis Ordinis subdit: *Et nullus Fratrum populo penitus audeat praedicare, nisi a Ministro generali huius fraternitatis fuerit examinatus et approbatus, et ab eo officium sibi praedicationis concessum.* Circa quod notandum est, quod, ut superius [13] dictum est, « cessante causa cessat effectus ». Certum est autem, quod nullus est examinandus, nisi de cuius sufficientia non constat. Idcirco Papa [14] Regulam De secunda auctoritate. Notandum.

---

[1] Vide supra pag. 424, notam 5.

[2] Num. 4. — Inferius pro *ab alio* Vat. *ab illo.*

[3] Cod. D *privilegiis concessis Ordini.*

[4] Can. 1. — Inferius pro *Ecclesiae Romanae* ed. 1 *curiae Romanae.*

[5] Epist. 153. (alias 54.) c. 6. n. 19: Quia et plectendo et ignoscendo hoc solum bene agitur, ut vita hominum corrigatur.

[6] Codd. A D G et ed. 1 *cognitione.* Inferius pro *ad ipsum non pertinentibus* A D G et ed. 1 *ad ipsum* [sacerdotem proprium] *pertinentibus.*

[7] Vat. *mittere in adiutorium sacerdotum,* D legit *in adiutorium propter sacerdotum ipsorum* etc.

[8] Codd. A D G et ed. 1 *cognoscere.*

[9] Excidisse videtur *possunt.*

[10] Cod. G *alius sacerdos saecularis.*

[11] Codd. A G et ed. 1 omittunt *Fratres.* Inferius pro *ausu peccandi* G et ed. 1 *usu peccandi,* et pro *aspectu* A *conspectu.*

[12] Plura de praecedentibus vide supra in Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 12. n. 2-11; Opusc. XIII. Determinationes quaest. etc., p. 1. q. 2; Opusc. XIV. Quare Fratres Minores praedicent et confessiones audiant. — Ed. 1 *timentium procedunt.*

[13] Cap. 2. n. 3. in fine. Cfr. supra pag. 381, nota 1. ad additamentum.

[14] Gregor. IX. in sua iam pluries allegata Constitutione *Quo elongati:* Certificari petistis, utrum pro laboribus Fratrum et periculosis decursibus evitandis generalis Minister dictam examinationem, approbationem et missionem officii praedicationis discretis aliquibus committere valeat pro examinandis generaliter illis qui in provincia sunt statuti, vel specialiter pro quibusdam. Ad quod damus tale responsum, quod hoc generalis Minister nulli potest absenti committere, sed qui

declarando definivit, quod qui examinatione non indigent non sunt ad generalem Ministrum mittendi pro officio praedicandi. Aliud etiam privilegium examinationem committit discretis Fratribus aliis [1], quod privilegium non discordat ab intentione Regulae, quae non intendit nisi periculis obviare, quod, Deo gratias, excludi potest per multiplicationem litteratorum per Ordinem ad talem examinationem sufficientium et melius sic pericula excludentium, quam alio modo fieret, quia discursus et viarum multiplicium pericula sic vitantur. Sic Dominus ipse christianae religionis institutor primo solus vocavit et informavit discipulos, secundo per alios Ecclesiam dilatavit [2].

Pars 2. De pertinentibus ad praedicationis utilitatem. Primo haec describitur per causam efficientem.

11. *Moneo quoque.* Hic secundo agit de pertinentibus ad praedicationis *utilitatem,* quam describit per quatuor causas praedicationis: primo, per causam *efficientem,* dicens [3]: *Moneo quoque et exhortor eosdem Fratres, ut in praedicatione, quam faciunt:* ergo nullus debet praedicare, nisi sciat ipse sermonem *facere* et sufficienter disponere. Unde subdit: *Sint examinata,* non temere ac sine deliberatione prolata, non sint nova aut suspecta, *et casta eorum eloquia;* Psalmus [4]: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum.* Haec autem *castitas* excludit corruptionem *falsitatis* et immixtionem non solum enormitatis, immo etiam omnis vanitatis seu verbi risum provocantis, seu fastum aut imperium praetendentis. Excludit etiam corruptionem *intentionis;* unde secundae ad Corinthios secundo [5]: *Non enim sumus, sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur. Ex Deo,* contra falsitatem; *coram Deo,* per maturitatem; *in Christo,* per intentionem puritatis.

Quid sit castitas eloquii.

Secundo, per causam finalem.

12. Secundo describit eam per causam *finalem.* Unde subdit: *Ad utilitatem et aedificationem populi: utilitatem,* in malo vitando; *aedificationem,* in bono faciendo; *populi* dicit, ne tantum praesumant, quod pauperibus et simplicibus praedicare contemnant. — Sed pro causa *materiali* subdit: *Annuntianda eis vitia et virtutes,* quantum ad vitam istam; *poenam et gloriam,* quantum ad vitam futuram; quod dicit, ne praedicent scilicet se ipsos, ut suam philosophiam ostendant et *fimbrias magnificent* [6]. — Pro causa *formali* subdit: *Cum brevitate sermonis.* Haec brevitas excludit verborum ambages et sententias involutas, verba etiam ardua supra capacitatem audientium; hoc patet per illud quod sequitur: *Quia verbum abbreviatum fecit Dominus super terram* [7]. Ista enim *abbreviatio* non excludit, cum expedit, sermonis prolixitatem, quia Dominus ipse aliquando prolixe praedicavit, sicut patet Ioannis decimo tertio [8] et Matthaei quinto. Sed *brevitas* dicitur ibi restrictio omnium legalium ad unum Christum; item, exclusio caeremonialium et commendatio moralium; item, brevitas est *caritas,* quae Legem continet in se totam [9]. Ad litteram etiam studendum est brevitati, quia prolixitas generando fastidium auditores retrahit pluries ab auditu.

Tertio, per causam materialem. Quarto, per causam formalem. De brevitate.

Epilogus.

13. Ex isto autem capitulo patet, quod Fratribus ex intentione beati Francisci incumbit *studere,* quia

examinatione indigere creduntur, mittantur ad ipsum, ut cum Ministris provincialibus conveniat super hoc in Capitulo generali; si qui vero examinari non egent, pro eo quod in theologica facultate et praedicationis officio sunt instructi, si aetatis maturitas et alia, quae requiruntur in talibus, conveniant in eisdem, possunt, nisi quibus Minister generalis contradixerit, eo modo, quo dictum est, populo praedicare. Cfr. eiusdem Breve *Prohibente Regula vestra,* ubi dicit: Nos devotionis vestrae precibus inclinati, ut singuli vestrum in suis provinciis cum Definitoribus in provincialibus Capitulis congregatis Fratres in sacra pagina eruditos examinare ac approbare et eis officium praedicationis, Deum habendo prae oculis, committere valeant, vobis auctoritate praesentium concedimus facultatem (Sbaralea, Bullar. Franciscan. tom. I. n. 325. pag. 287). Hoc Breve confirmatur ab Innocent. IV. an. 1243 die 30 Oct. et an. 1244 die 23 Iulii (Sbaralea, loc. cit. n. 13. pag. 312 et n. 60. pag. 347). — Inferius pro *officio praedicandi* ed. 1 *officii praedicandi approbatione.*

[1] Cod. D, omisso *Fratribus* (quod etiam A G et ed. 1 omittunt), *aliquibus.* Inferius pro *Deo gratias* ed. 1 *Dei gratia,* quae etiam subinde vocibus *alio modo fieret* cum D praefigit *si.*

[2] Cfr. Expositio quatuor Magistrorum in c. 9, ubi, tacto timore multorum (per alia impetranda privilegia perfectionem Ordinis posse relaxari), additur: Nec occurrit, propter quid privilegia impetrata circa articulum receptionis et praedicationis debeant tolerari, nisi quia per illam relaxationem nihil carnale aut temporale Religioni accrescit, sed solum quid pure et simpliciter spirituale.

[3] Quae in hoc numero praecedunt supplevimus ex ed. 1 et codd., quorum tamen plures pro *per quatuor causas* substituunt *penes quatuor causas.*

[4] Psalm. 11, 7. — Inferius pro *imperium* (ita ed. 1) Vat. *impetum,* et pro *praetendentis* ed. 1 *praedicantis.*

[5] Vers. 17. Glossa *interlinearis* apud Petr. Lombard. et Lyranum (cfr. Raban. et Haymo): *Sed loquimur* verbum Dei *ex sinceritate,* id est ex sincera intentione, non pro quaestu, et sine admixtione corruptionis, sicut didicimus, *ex Deo,* qui nos docuit; et hoc facimus *coram Deo,* id est causa eius solum, ut ei placeamus, et *in Christo,* nunquam eum excedentes, ut faciunt qui de Lege agunt legalia praedicantes.

[6] Matth. 23, 5, ubi de scribis et Pharisaeis dicitur: Dilatant enim phylacteria sua et magnificant fimbrias. — Codd. A G et ed. 1 *ne philosophiam ostentent, ne fimbrias magnificent.*

[7] Rom. 9, 28: Quia verbum breviatum faciet Dominus super terram. Cfr. Isai. 10, 23.

[8] Vers. 31. seqq. et quatuor seqq. cap., in quibus Christus post ultimam coenam discipulos varie instruit ipsosque Patri commendat; Matth. c. 5-7, ubi referuntur ea quae Christus in monte de beatitudinibus etc. docuit.

[9] Glossa *ordinaria* in Rom. 9, 28. (cfr. August., Expositio quarundam propositionum ex Epist. ad Romanos, prop. 67; I. de Diversis Qq. ad Simplician. q. 2. n. 19.): « Subdit Propheta [Isai. 10, 23.], per quid salvi fiant, scilicet per verbum Evangelii, ut gloria operum legalium excludatur. *Verbum enim* Evangelii, quod dicitur *consummans,* ad perfectionem ducit et omnia legalia in uno Christo abbreviat... *et abbrevians in aequitate,* ut compendio fidei per gratiam salvet, non per innumeras observationes ». Glossa *interlinearis* apud Lyranum (cfr. Petr. Lombard., qui ipsam tribuit Hieronymo): *Verbum enim consummans et abbrevians,* verbum breviatum est caritas, de qua *pendet Lex et Prophetae* [Matth. 22, 40.].

sine studio non possunt verba modo debito examinare. Patet etiam, quod Fratres ex sua professione habent *praedicare*, in quorum Regula inter omnes specialis tractatus de praedicationis officio continetur; unde certissime constat, quod nullis Religiosis aliis plus competit praedicare ex ratione status sui, quam his qui hanc Regulam profitentur [1].

(CAPITULUM X.)

DE ADMONITIONE ET CORRECTIONE FRATRUM.

Fratres, qui sunt Ministri et servi aliorum Fratrum, visitent et moneant Fratres suos et humiliter et caritative corrigant eos, non praecipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam et Regulam nostram. Fratres vero, qui sunt subditi, recordentur, quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. Unde firmiter praecipio eis, ut obediant suis Ministris in omnibus, quae promiserunt Domino observare, et non sunt contraria animae et Regulae nostrae. Et ubicumque sunt Fratres, qui scirent et cognoscerent, se non posse Regulam spiritualiter observare, ad suos Ministros debeant et possint recurrere. Ministri vero caritative et benigne eos recipiant et tantam familiaritatem habeant circa ipsos, ut dicere possint eis et facere sicut domini servis suis. Nam ita debet esse, quod Ministri sint servi omnium Fratrum. Moneo vero et exhortor in Domino Iesu Christo, ut caveant Fratres ab omni superbia, vana gloria, invidia, avaritia, cura et sollicitudine huius saeculi, detractione et murmuratione; et non curent nescientes litteras litteras discere; sed attendant, quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini et sanctam eius operationem, orare semper ad eum puro corde et habere humilitatem, patientiam in persecutione et infirmitate et diligere eos qui nos persequuntur et reprehendunt et arguunt, quia dicit Dominus: *Diligite inimicos vestros et orate pro persequentibus et calumniantibus vos. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

EXPOSITIO.

[...]ateris [...]rti tres [...]rtae et [...]artes.

1. *Fratres, qui sunt Ministri et servi aliorum Fratrum.* Descriptis tribus huius civitatis lateribus, hic describit latus quartum totum vergens ad *austrum* et etiam ad *interiora austri* [2]. Et haec pars habet tres, quia prima pars docet servare omnem *virtutum perfectionem*, praecipue caritatis. Secunda docet servare *famae sinceritatem* a maculis, praecipue foeditatis. Tertia *sitientibus martyrium aperit aditum*, docens infidelibus se iungere, domesticis abdicatis.

Partis primae particulae 8.

Prima pars habet octo, quia primo imponit Ministris provincialibus diligentiam curae. Secundo imponit subditis districtionem obedientiae, ibi: *Fratres vero, qui sunt subditi.* Tertio Fratribus gravatis dat remedium, ibi: *Et ubicumque sunt Fratres, qui scirent.* Quarto circa hoc subdit informationem Ministrorum, ibi: *Ministri vero caritative et benigne.* Quinto subdit informationem omnium Fratrum ad vitationem peccatorum, praecipue spiritualium, ibi: *Moneo vero.* Sexto informat eos ad devotionis spiritum et orationis exercitium, ibi: *Sed attendant.* Septimo, ad tolerantiam iniuriarum et aliorum gravaminum, ibi: *Et habere humilitatem.* Octavo, ad caritatis complementum, ibi: *Et diligere eos qui nos persequuntur.*

Particola prima.

2. Dicit ergo pro primo: *Fratres, qui sunt Ministri et servi aliorum Fratrum: Ministri* in spiritualibus et *servi* in temporalibus; *visitent*, socialiter et iudicialiter, Lucae vigesimo secundo [3]: *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Et moneant*, antequam praecipiant, *Fratres suos*, et hoc ad bene faciendum; *et humiliter*, non imperiose, *et caritative*, non contumeliose; econtra dicitur Ezechielis trigesimo quarto [4]: *Lateribus et humeris impingebatis et cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras. Humiliter* ergo *et caritative corrigant eos*, exemplo Domini dicentis Matthaei vigesimo tertio [5]: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas!* — Ipse tamen Dominus asperae correctionis dedit exemplum aliquando; *unde facto flagello de funiculis, expulit ementes et vendentes de templo*, Ioannis secundo; et qui Petro carnali sensu ducto dixit: *Vade retro, satana*, Matthaei decimo sexto, durissime etiam Pharisaeos hypocritas increpavit, ut patet Matthaei vigesimo tertio et Lucae undecimo. — *Non praecipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam*, utpote inhibitum lege divina, *et Regulam nostram*, inhibitum lege disciplinae [6].

Exemplum correctionis.

[1] Cfr. supra Opusc. XII. Epistola de tribus quaest. etc. n. 6.

[2] Iob 9, 9: Qui facit arcturum et oriona et hyadas et interiora austri. Cfr. Gregor., IX. Moral. c. 11. n. 12. seqq., ubi ostendit, *arcturo* significari Ecclesiam, *orionibus* Martyres, *hyadibus* doctores, *austro* fervorem Spiritus sancti, « quo dum repletus quisque fuerit, ad amorem patriae spiritualis ignescit », *interioribus austri* occultos Angelorum ordines et secretissimos patriae caelestis sinus, ubi « per diem, quasi in meridiano tempore, ardentius solis ignis accenditur... lumen intimae contemplationis sine interveniente cernitur umbra mutabilitatis » etc. — Cfr. supra c. 1. n. 1.

[3] Vers. 32. — Vat. cum D verba *Et moneant* inferius posita praefigit superius voci *iudicialiter.*

[4] Vers. 21. — Vat. *contumeliose contradicentes, unde in Ezechiele dicitur*, D *Ezechiele contradicente.*

[5] Vers. 37. — Subinde allegantur Ioan. 2, 15; Matth. 16, 23: Vade post me, satana (cfr. Marc. 8, 33: Vade retro me, satana); Matth. 23, 13. seqq.: Vae autem vobis! scribae et Pharisaei, hypocritae etc.; Luc. 11, 39. seqq.: Nunc vos Pharisaei, quod deforis est calicis etc.

[6] Cfr. Expositio quatuor Magistrorum in c. 10: Quaeritur: Quid dicitur *contra animam?* Nunquid contra animam dicitur solum quod est mortale peccatum? Et videtur, quod contra animam dicitur non solum peccatum, immo illud quod esset homini incentivum et proximum ad peccatum... *Contra Regulam* videtur esse non solum quod est contra praecepta Regulae, immo quod est contra statuta Ordinis ad servandam Regulae puritatem. — Codd. A G *inhibitum in lege disciplinae.*

Particula secunda.

3. Pro secunda parte rubricae subdit: *Fratres vero, qui sunt subditi, recordentur, quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates.* Et est propria voluntas omnis illa, quae divino imperio non ligatur, vel superiori regulae non adhaeret [1]. *Unde firmiter praecipio eis, ut obediant suis Ministris,* id est omnibus praelatis Ordinis; et dicit: *suis,* ut de Provincialibus et aliis praelatis immediatis se loqui ostendat, qui supra de obedientia ad generalem Ministrum in primo capitulo est locutus. *In omnibus, quae promiserunt Domino observare,* supple: explicite vel implicite. Unde subdit: *Et non sunt contraria animae suae* [2] *et Regulae nostrae,* hoc supra expositum est.

Tertia.

4. Sequitur pro tertia parte: *Et ubicumque sunt Fratres, qui scirent,* per experimentum, *et cognoscerent,* per rectum iudicium, *se non posse Regulam spiritualiter observare,* hoc est in his praecipue, quae spiritualia sunt, ut tranquillitas cordis et puritas conscientiae. *Non posse,* inquit, vel propter tentationum gravitatem periculosam, ut in consortio mulierum, vel *non posse* propter inquietudinem familiarum aut negotiorum, vel *non posse,* quantum ad corporis necessaria, si non possent habere alicubi, salva Ordinis puritate, vel propter similia [3]. *Ad suos Ministros debeant et possint recurrere,* qui debent esse refugium afflictorum vice Domini dicentis Matthaei undecimo [4]: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos; recurrere,* inquam, vel per se, vel per nuntium, forma statutorum Ordinis observata in eundo, quia istud debitum non est exemptum ab obedientia statutorum [5].

Quarta.

5. Sequitur pro quarta parte: *Ministri vero caritative,* in corde, *et benigne,* in vultu et sermone, *eos recipiant et tantam familiaritatem habeant circa ipsos,* hoc est, tam familiares se ipsis exhibeant, *ut dicere possint eis,* Fratres ad eos recurrentes, *et facere sicut domini servis suis.* In hoc verbo sic Ministri informantur ad humilitatem, ut se quasi servos esse imaginentur Fratrum aliorum, et omnia verba sileant resonantia imperium et facta penitus deserant dominatum praetendentia, exemplo illius qui dixit Lucae vigesimo secundo [6]: *Qui maior est in vobis fiat sicut minor, et qui praecessor est, sicut ministrator.* Cum igitur dicitur: *ut dicere possint eis et facere,* informatio est Ministrorum, ne facto, aut verbo praetendant fastum, qui possit repellere subditos a fiducia ad Ministros in necessitatibus recurrendi. — Non est autem intellectus verbi, quod subditis detur occasio superbiendi per nimiam Ministrorum humilitatem, ne, sicut dicit Gregorius [7], dum nimis servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Unde qui dixit: *Qui maior est vestrum fiat sicut minor,* non dixit, ut qui minor est fiat sicut maior. — *Nam ita debet esse, quod Ministri sint servi omnium Fratrum, servi* quidem in his praecipue, quae ad salutem pertinent animarum; Lucae vigesimo secundo [8]: *Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat.*

Restri[ctio] dictor[um].

Quinta.

6. Sequitur pro quinta parte, in qua tangit octo genera peccatorum, dicens: *Moneo vero et exhortor in Domino Iesu Christo, ut caveant Fratres ab omni superbia,* quia, ut dicit Augustinus super illud Psalmi [9]: *In ira consummationis,* « alia vitia in male factis timenda sunt, superbia in bene factis plus metuenda est ». *Ab omni,* inquam, *superbia,* cordis, conversationis, operis et sermonis. *Vana gloria,* quae oritur ex superbia; hoc est Fratribus necessarium; unde Hieronymus super Matthaeum [10]: « Eleganter in quodam volumine scriptum legimus: Ne quaeras gloriam, et non dolebis, cum inglorius fueris ». *Invidia,* quae infallibiliter superbiam comitatur; unde Augustinus super Psalmum quinquagesimum

---

[1] Bernard., Serm. 3. in tempore Resurrectionis, n. 3: Voluntatem dico propriam, quae non est communis cum Deo et hominibus, sed nostra tantum; quando quod volumus non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo et prodesse fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum. Huic contraria est recta fronte caritas, quae Deus est [cfr. I. Ioan. 4, 8.]. Haec enim adversus Deum inimicitias exercens est et pugnam crudelissimam. Quid enim odit aut punit Deus praeter propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, et infernus non erit etc.

[2] Textus originalis omittit *suae.* — Expositionem vide supra c. 1. n. 4-6.

[3] Expositio quatuor Magistrorum in c. 10: Quaeritur, quid sit Regulam *spiritualiter* observare. Et videtur observantia Regulae spiritualis, observantia secundum rigorem sive secundum puritatem suam sine occasione ad malum. Unde *spiritualiter non posse servari* potest intelligi: aut non posse servare Regulam secundum suum rigorem sive secundum suam puritatem, vel sine occasione proxima ad peccatum. Aliis vero videtur, quod illud referendum sit ad locum, cum scilicet Fratribus ratione loci praestatur impedimentum, ne pure possint Regulam observare, ut quia loco est annexa proprietas, vel cura aliquarum animarum, ad quam ratione loci Fratres necessario tenentur. — Secundam explicationem *vel non posse propter inquietudinem familiarum aut negotiorum* supplevimus ex B C.

[4] Vers. 28. — Superius pro *vice Domini* ed. 1 *voce Domini* et inferius *istud verbum* pro *istud debitum.*

[5] Cfr. supra pag. 431, nota 6. Expositio quatuor Magistrorum in fine.

[6] Vers. 26.

[7] Libr. XXVI. Moral. c. 26. n. 46: Servanda itaque est in corde humilitas et in opere disciplina. Atque inter haec solerter intuendum, ne, dum immoderatius custoditur virtus humilitatis, solvantur iura regiminis, et dum praelatus quisque plus se quam decet deiicit, subditorum vitam stringere sub disciplinae vinculo non possit. Teneamus ergo exterius quod pro aliorum utilitate suscipimus, teneamus interius quod de nostra aestimatione sentimus. Cfr. Regul. pastoral. p. II. c. 6. et l. Epist. epist. 25. (alias 24.). Pro *Gregorius* A B D F G et ed. 1 *Augustinus,* cfr. Regula ad servos Dei, n. 11, ubi de obedientia praeposito exhibenda et modo corripiendi subditos; Serm. 46. (alias 165. de Tempore) sive liber de Pastoribus, c. 6. n. 13. seqq.

[8] Vers. 27.

[9] Enarrat. in Ps. 58, 14. serm. 2. n. 5: Denique omnia vitia etc.

[10] Libr. I. Comment. in c. 5, 12.

octavum [1]: « Superbiae comes est invidentia, fieri enim non potest, ut superbus non invideat ». *Avaritia,* quae consistit in cupiditate rerum terrenarum non habitarum, item consistit in tenacitate rerum obtentarum quarumcumque in usum venientium; pro qua ulterius excludenda subdit: *Cura et sollicitudine huius saeculi,* quae ex avaritia proveniunt; Matthaei sexto [2]: *Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus* etc. Dicendo autem: *sollicitudine huius saeculi,* sic sollicitudinem *saecularem* perimit, ut *spiritualem sollicitudinem* non excludat, quae in procuranda animarum salute praecipue exercetur. Inhibendo etiam *sollicitudinem saeculi,* curiositatem percutit illorum qui immoderate student in sapientia saeculari. In culpam autem *avaritiae* et *sollicitudinis* nimiae incidunt omnes superfluitates librorum aut vestium aut arcarum aut aedificiorum aut similium. Quae avaritia tunc est damnabilis, cum in gravamen aliorum pauperum in talibus eleemosynae supervacuae consumuntur. *Detractione,* quae oritur praecipue ex invidia et odio; unde excludendo detractionem odium etiam excludit et iram. *Et murmuratione*, quae ex impatientia et iudiciorum temeritate procedit. Omnia vitia spiritualia, quae Religiosos fragiles comitari solent, hic excludit, excepta accidia, quam in suo consequenter opposito [3] dissuadet. — Curiositatem etiam laicorum cohibet, dicens: *Et non curent nescientes litteras,* id est laici, *litteras discere.* In quo verbo curiositatem cohibet, non tamen inhibet, quin ipsi teneantur litteras discere, si eis fuerit imperatum.

7. Sed cum ista sint mortalia peccata in lege Dei prohibita, qualiter [4] hic ea monitorie exhortatur? — Ad quod dicendum, quod in omni genere capitalium peccatorum aliquid est mortale et aliquid veniale. Mortale est omne peccatum, quo aliquid appetitur supra Deum. Hoc autem supra Deum appetitur, quando aliquis pro re temporali desiderata *obtinenda* vellet aliquod peccatum mortale committere, quando [5] eam aliter non posset obtinere, vel pro re iam obtenta *non amittenda* prius vellet peccatum mortale committere quam ipsa carere. Haec autem docet sanctus Augustinus de Civitate Dei vigesimo primo, capitulo vigesimo sexto [6]: « Hoc est enim habere Christum in fundamento, nihil Christo praeponere, sed in omnibus eius praeponere praeceptoriam voluntatem ». — Qui igitur *excellentiam* vel vanam [7] gloriam inordinate appetit, ita tamen quod Deum sibi in corde praeponit nec aliquid contra Deum faceret pro gloria assequenda, superbus est, sed non criminaliter; et istam hic deserere admonemur, omne etiam signum superbiae in gestu, habitu et sermone; et ita de aliis intellige consequenter. Qui ergo sollicitus est de saeculo contra Regulae honestatem, vel in tantum, ut illa dimittat [8], ad quae ex lege Dei vel voto Regulae tenetur, peccat mortaliter.

De vana gloria specialiter.

8. De *detractione* autem est difficilius explicare. Circa quod sciendum, quod detractor est qui verbo laedit alium, praecipue in absentia [9]. Talis ergo aut mentitur, ut laedat, et hoc est generaliter mortale peccatum, cum sit perniciosum mendacium; aut dicit verum, licet malum, et hoc potest esse tripliciter: aut enim homo dicit malum de alio *zelo iustitiae,* quando et ubi dicendum est; et hoc non est malum, sed bonum. Aut dicit malum *desiderio et libidine vindictae* vel odio personae, et hoc principali intentione; et talis peccat mortaliter. Aut dicit malum scitum ex *lubricitate linguae,* et hoc non est mortale, nisi ita contra prudentiam dicatur, ut possit in scandalum redundare. *Zelo* autem *iustitiae* potest quis dicere malum dupliciter: vel ut corrigatur, vel ut caveatur. — *Murmuratio* [10] etiam est peccatum mortale, cum impugnat scienter Dei iudicia,

De detractione.

De murmuratione.

---

[1] Serm. 2. n. 5: Et quoniam superbiae comes est invidentia, fieri non potest etc. Pro *fieri enim* (A et ed. 1 omittunt *enim*) G *et fieri.* — Superius pro *infallibiliter* ed. 1 *inseparabiliter.*

[2] Vers. 31. Cod. G etiam seqq. versus affert; D vero solum v. 34: Nolite solliciti esse in crastinum.

[3] Scilicet in sollicitudine praenotata.

[4] Ita A D G et ed. 1; Vat. *quare* et subinde *exhortantur* pro *exhortatur.* Deinde pronomen *ea* vel expungendum est, vel addendum *fugere.*

[5] Ita D et ed. 1; G *si,* Vat. *quasi.* Inferius pro *prius vellet* ed. 1 *potius vellet.*

[6] Num. 2: Quisquis itaque sic habet in corde Christum, ut ei [nec] terrena et temporalia, nec ea quae licita sunt atque concessa praeponat, fundamentum habet Christum. Si autem praeponit, etsi videatur habere fidem Christi, non est tamen in eo fundamentum Christus, cui talia praeponuntur; quanto magis, si salutaria praecepta contemnens, committat illicita, non praeposuisse Christum, sed postposuisse convincitur, quem posthabuit imperantem sive concedentem, dum contra eius imperata sive concessa suam per flagitia delegit explere libidinem?

[7] Codd. A G et ed. 1 omittunt *vanam.* Inferius pro *istam hic deserere* (ita A B C G) Vat. *propter istam distinctionem,* ed. 1 ibi legit: *istam hic cavendam hortatur, admonendo etiam cavere omne signum superbiae in gestu* etc.

[8] Vat. *amittat,* quae etiam dein omittit *Dei.*

[9] Eadmer., de Similitudinibus (inter opera Anselmi), c. 150: Detractio itaque est, quotiescumque quis aliquid ea intentione de aliquo dicit, unde ipse vel minus amari sive minus appretiari possit. Cfr. Alex. Hal., S. p. II. q. 130. m. 1: Definitur sic detractio: Est alienae famae per occulta verba denigratio [vide Hug. a S. Vict., de Fructibus carnis et spiritus, c. 5.]; vel sic: Detractio est mali seminatio occulte in iniuriam proximi. Alii vero definiunt sic: Detrahere est obloqui absenti et dolose mordere [cfr. Cassiod., in Ps. 43, 17: *Obloqui* est absenti detrahere et doloso aliquem sermone mordere. August., Serm. 353. alias 20. ex homil. 50. c. 1. n. 1: Quid est detractio, nisi mordacior quam veracior reprehensio?... detractio vulnerat famam].

[10] Ut notat Bonav., Comment. in Luc. 15, 2. n. 4, ex Hugutione vocabulum *murmurare* « dicitur a *mutio, mutis,* quasi *velle loqui* et *non audere* », et secundum Quintilian., VIII. Institut. orat. c. 6. § 31, *murmur* est nomen *fictitium,* id est ex vocis vel sonus alicuius imitatione formatum, sicut *mugitus* de sonu bovis, sic *murmur* de sonu aquae fluentis est effictum; B. Albert., in Luc. 19, 7, « qui murmurat murmur in auribus sonat sub silentio, et sunt murmuratores occulte sub susurrio

vel superioris anctoritatem, vel cum ordinatur ad scandalum suscitandum.

Particula sexta.

9. Pro sexta parte subdit: *Sed attendant, quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini,* quem supra [1] dixit *spiritum sanctae devotionis.* Ista « devotio est pius et humilis affectus in Deum », qui ex compunctione generatur. *Et sanctam eius operationem.* Oratio enim dicit *Spiritus operationem,* quia dicitur ad Romanos octavo [2]: *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* — *Orare semper ad Deum* [3] *puro corde;* Lucae decimo octavo: *Oportet semper orare et non deficere;* et primae ad Thessalonicenses quinto: *Sine intermissione orate.* Hoc autem triplicem habet sensum, quorum duo tanguntur in Glossa Lucae decimo octavo [4]: « Quia *semper orare* est canonicas horas quotidie debito modo dicere. Item, semper orat qui semper bene agit ». Tertio modo, semper orare est spiritum devotionis semper inviolabiliter observare, quae habita inter quascumque occupationes solet gemitibus et suspiriis inenarrabilibus Christi clementiam implorare imperceptibiliter [5]. Et ad hoc hic Regula, ut existimo, manuducit. Fratres igitur semper orantes accidiam a se excludunt et per *ieiunium gaudii* omne carnale solatium procul pellunt, ubi cavenda est haeresis Massalianorum, quae habetur libro de Haeresibus [6].

De continua oratione triplici.

Septima

10. Pro septima parte addit: *Et habere humilitatem et* [7] *patientiam.* Praemittit humilitatem patientiae, quia fundamentum eius est, sicut econtra superbia est fundamentum impatientiae; Proverbiorum decimo tertio: *Inter superbos semper iurgia sunt. In persecutione,* quae est adversitas *ab extra, et in* [8] *infirmitate,* quae est adversitas *ab intra.* Et dicit *in persecutione,* quia, secundae ad Timotheum tertio, *omnes, qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* Item, primae ad Corinthios quarto: *Usque in hanc horam esurimus et sitimus;* ibi Glossa [9]: « Libere et sine adulatione veritatem praedicantes et gesta pravae vitae arguentes gratiam non habent apud homines ». — Ad patientiam in *infirmitate* pertinet, paucis obsequiis paucisque remediis contentum esse, iuxta exigentiam paupertatis, ut memores sint Fratres, quomodo olim monachi languentes aqua frigida vix ad sufficientiam utebantur [10].

Octava.

11. In ultima parte subdit: *Et diligere eos qui nos persequuntur,* facto, *et reprehendunt,* irrationabiliter, *et arguunt,* rationabiliter. *Quia dicit Dominus,* Matthaei quinto [11]: *Diligite inimicos vestros,*

---

detrahentes ». August., Enarrat. in Ps. 132, n. 12, adducit Eccli. 33, 5: « Quid est: *Praecordia fatui sicut rota carri?* Foenum portat et murmurat. Non enim potest rota carri quiescere a murmure. Sic sunt multi fratres; non habitant in unum nisi corpore » etc. Cfr. tom. VII. pag. 382, nota 8. et 10. Bonav. loc. cit. sub hoc respectu murmurationem describit, quod sit « oblocutio, quae nec omnino exprimitur nec omnino reticetur ». Ibid. in c. 19, 7. n. 10. hanc insinuat descriptionem, quod ipsa sit susurrium verbi dolosi; de quo cfr. Hug. a S. Vict., de Fructibus carnis et spiritus, c. 5. Datur etiam haec murmurationis definitio: Murmuratio est iniusta querela contra superiores latenter multorum auribus inculcata.

[1] Cap. 5. — Devotionis definitio est ex libro de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 50: Compunctio est, quando ex consideratione malorum suorum cor interno dolore tangitur. Devotio est pius et humilis affectus in Deum: humilis ex conscientia infirmitatis propriae, pius ex consideratione divinae clementiae. Oratio est mentis devotio, id est conversio in Deum per pium et humilem affectum. Affectus est spontanea quaedam ac dulcis ipsius animi ad Deum inclinatio.

[2] Vers. 26, quem August., Epist. 130. (alias 121.) c. 15. n. 28, ita explicat: Dictum quippe est *interpellat pro Sanctis,* quia interpellare Sanctos facit, sicut dictum est [Deut. 13, 3.]: *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat, si diligatis eum,* hoc est, ut scire vos faciat. Interpellare itaque Sanctos facit *gemitibus inenarrabilibus,* inspirans eis desiderium etiam adhuc incognitae tantae rei, quam per patientiam exspectamus etc. Cfr. Epist. 194. (alias 105.) c. 4. n. 16.

[3] Textus originalis *ad eum.* — Duo seqq. loci sunt Luc. 18, 1. et I. Thess. 5, 17.

[4] Scilicet *ordinaria* in Luc. 18, 1. (apud Lyranum ex Beda): *Semper orare,* semper canonicis horis quotidie secundum morem Ecclesiae; vel quia iustus secundum Deum omnia gerit vel dicit. Semper orat qui semper agit bonà, nec desinit orare, nisi cum desinit iustus esse. Cfr. Glossa *ordinaria* in I. Thess. 5, 17. et Bonav., Comment. in Luc. 18, 1. n. 2.

[5] Vat., interpunctione variata: *implorare. Imperceptibiliter etiam ad hoc Regula* etc.

[6] Scilicet apud Augustinum; haeres. 57: Postremam ponit Epiphanius *Massalianorum* haeresim; quod nomen ex lingua Syra est; Graece autem dicuntur Εὐχίται, ab orando sic appellati. Tantum enim orant, ut eis qui hoc de illis audiunt, incredibile videatur. Nam cum Dominus dixerit [Luc. 18, 1.]: *Oportet semper orare et non deficere,* et Apostolus [I. Thess. 5, 17.]: *Sine intermissione orate,* quod sanissime sic accipitur, ut nullo die intermittantur certa tempora orandi; isti ita nimis hoc faciunt, ut hinc iudicarentur inter haereticos nominandi etc. Cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 12. n. 15, ubi de eorundem errore, quod « monachis non liceat sustentandae vitae suae causa aliquid operari ». Pro *Massalianorum* codd. et edd. perperam *Massilianorum,* quae lectio etiam in ed. Maurin. in nota affertur. Cfr. Damasc., de Haeresib., n. 80. — De *ieiunio gaudii* cfr. supra pag. 409, nota 7.

[7] Textus originalis omittit *et.* — Dein allegatur Prov. 13, 10.

[8] In textu originali deest *in.* — Duo seqq. loci allegati sunt II. Tim. 3, 12. et I. Cor. 4, 11.

[9] Glossa *ordinaria* in I. Cor. 4, 11. apud Lyranum: « Veritatem praedicantes gratiam non habent apud homines »; apud Petr. Lombard., in eundem loc., ipsa exhibetur, sicut a Bonav. profertur, et sumta est ex Comment. in I. Cor. 4, 11, quod habetur inter opera Ambrosii.

[10] De quibus cfr. supra Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 5. n. 2. seqq. — Vat. cum D, ceteris codd. et ed. 1 refragantibus, hic addit: In quo, sine gravi cordis gemitu non dico, magis reperiuntur vitiosi pauperes in saeculo ad Religionem venientes. De quibus Hieronymus [D addit *in regula ad Eustochium,* Vat. habet in margine *in Epistola ad Eustochium* (?)] ait: « Mirum de infelici conditione plurimorum [D addit *hominum*]. Sunt nonnulli viles et abiecti in saeculo, qui quotidianis laboribus se ultra vires affligentes pro victu captando, vilissime et vix raris fabis et rapis cum hordeaceo pane saturantur. Cum vero ad Christi mensam accedunt et Christi militiam suscipiunt, suae egestatis obliti, lautiora quaerunt quam milites, qui sunt assueti magnificis. Haec autem omnia in Christi et apostolica vita locum non habent » [D *habeant*]. Haec Hieronymus.

[11] Vers. 44.

quanto magis amicos, *et orate pro persequentibus,* in facto, *et calumniantibus vos,* in falsi criminis impositione. Cuius rationem subdit, dicens: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum* [1]. *Qui autem perseveraverit usque in finem hic salvus erit.*

(CAPITULUM XI.)

QUOD FRATRES NON INGREDIANTUR MONASTERIA MONACHARUM.

Praecipio firmiter Fratribus universis, ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum et ne ingrediantur monasteria monacharum, praeter illos quibus a Sede apostolica concessa est licentia specialis. Nec fiant compatres virorum vel mulierum, ne hac occasione inter Fratres vel de Fratribus scandalum oriatur.

EXPOSITIO.

1. *Praecipio firmiter.* Hic docet Fratres famae sinceritatem servare a labe praecipue turpitudinis [2]. Et haec pars habet tres. Primo, inhibet generaliter consortia suspecta omnium mulierum. Secundo, cautelam adhibet circa consortia monialium. Tertio, inhibet occasionem spiritualium cognationum.

Divisio.

2. Dicit ergo pro primo: *Praecipio firmiter Fratribus universis, ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum. Suspectum consortium* est non solum mulieris *suspectae,* immo cum *omni* muliere, ubi locus et tempus, gestus et aspectus et alia laudabilia indicia suspicionem probabiliter [3] non excludunt. Quodsi locus quaeratur pro mulierum colloquio solitarius, aut obscurus et tempus vel nocturnum, vel alias importunum, si gestus sit dissolutus, utpote ex nimia ad mulierem propinquitate, vel faciali ad eam conversione, fixis oculis, manibus iunctis; omne tale *consortium* est suspectum. Unde suspecta sunt consortia et colloquia, praedictis circumstantiis concurrentibus [4]; item, si solitaria sint, aliorum excluso auditu, licet non visu; ex intentione, sine causa pia, maxime si sint solitarie prolongata, aut cum eadem persona sine ratione evidenti frequentata, suspecta sunt *colloquia,* sicut credo [5]. Ad *suspicionem* autem mulierum facit aetas, vel conditio colloquentis. Illam autem suspicionem hic aestimo prohiberi, quae Fratri excitat enormis tentationis stimulum, vel quae crimini praestat fomentum, vel quae potest apud alios vel alium scandalum generare. Et hic aestimo omne suspectum prohiberi colloquium, quod ordinatur ad carnis immunditiam quamcumque, vel quod potest huius rei scandalum vel suspicionem probabiliter excitare; sicut Dominus [6] prohibendo moechiam prohibet non solum minorem lapsum, qui est fornicatio, sed et omnem maiorem turpitudinem, qua corpus seminaliter inquinatur [7].

[Primo], [de s]uspectis [con]sortiis [mu]lierum.

Notandum.

3. Sequitur pro secunda parte: *Et ne ingrediantur monasteria monacharum, praeter illos quibus a Sede apostolica concessa est licentia specialis.* Haec inhibitio de omnibus monialium domibus intelligitur. Ubi enim maius est periculum colloquii, ibi prudentius necesse est ut obvietur. — Illae autem moniales sancti Damiani [8] prae ceteris mulieribus ab humanis consortiis excluduntur; licet ergo in frequentatione earum posset oriri periculum propter quandam familiaritatem Fratrum maiorem, et propter hoc sit licentia adeundi talia loca Sedi apostolicae reservata; tamen, quia aliae moniales amplius se exponunt humanis colloquiis quam illae, necesse est, ut illud mandatum ad omnes monachas referatur, secundum expositionem domini Gregorii [9] et indulgentiam de talibus visitandis. Et sicut monachi sunt non solum collegiati, verum etiam solitarii; sic et monachae et moniales intelligendae sunt non solum *collegiatae,* verum etiam et quae *inclusae* dicuntur et solitariam vitam agunt. Et hae etiam sunt vitandae sicut collegiatae propter maius periculum solitudinis ex tenore praecepti, ut aestimo, praecedentis [10].

Secundo, de cautela adhibenda quoad moniales.

De Clarissis.

---

[1] Matth. 5, 10, post quem 10, 22. (cfr. 24, 13.).

[2] Cfr. supra c. 10. n. 1. — Inferius pro *consortia* Vat. cum D *consilia.*

[3] Vat. *laudabiliter,* et inferius *opportunum* pro *importunum.*

[4] Codd. A D G et ed. 1 *concurrentia.*

[5] Vat. omittit *sicut credo.*

[6] Matth. 5, 27. seq., de cuius expositione cfr. August., l. de Serm. Domini in monte, c. 12. n. 33. seqq. Vide etiam supra c. 2. n. 4.

[7] Cfr. Expositio quatuor Magistrorum in c. 11: Quaeritur, quid sit suspectum consortium; dicendum, quod suspectum consortium dicitur non ex una causa, sed ex pluribus, ut ex genere actus, ex circumstantiis loci, temporis, frequentiae, personae et huiusmodi; quae patent cuilibet intueuti.

[8] Scilicet Clarissae, quarum primum monasterium erat S. Damiani Assisii. — Inferius pro *familiaritatem Fratrum maiorem* (ita A C F et ed. 1) Vat. *familiaritatem Fratrum Minorum.*

[9] In sua iam pluries allegata Constitutione *Quo elongati:* Quamquam hoc [*Fratres non ingrediantur monasteria monacharum* etc.] de monasteriis pauperum monialium inclusarum Fratres hactenus intelligendum esse crediderint, cum earum Sedes apostolica curam habeat specialem... certificari nihilominus postulastis, an hoc de omnibus generaliter, cum Regula nullum excipiat, an de solis monasteriis monialium praedictarum intelligi debeat; Nos utique generaliter esse prohibitum de quarumlibet coenobiis monialium respondemus. Et nomine monasterii volumus, claustrum, domos et officinas interiores intelligi, pro eo quod ad alia loca, ubi etiam homines saeculares conveniunt, possunt Fratres illi causa praedicationis, vel eleemosynae petendae accedere, quibus id a superioribus suis pro sua fuerit maturitate, vel idoneitate concessum, exceptis semper praedictorum monasteriorum inclusarum locis, ad quae nulli datur accedendi facultas sine licentia Sedis apostolicae speciali. Cfr. Innocent. IV. Constitutio *Ordinem vestrum* (Sbaralea, Bullar. Franciscan. tom. I. n. 114. pag. 400). — Superius voci *referatur* ed. 1 praefigit *extendatur et.*

[10] Cfr. Expositio quatuor Magistrorum in c. 11, ubi etiam allegatur praenotata Gregorii IX. declaratio et proponitur dubitatio, utrum pro aliis causis honestis, ut pro audiendis confessionibus, vel consulendi in spiritualibus et huiusmodi, possint ire etc. « Unde super hoc esset apostolica expositio requirenda.

Tertio, de occasione spiritualium cognationum.

Sequitur pro tertia parte: *Nec fiant compatres virorum vel mulierum, ne hac occasione inter Fratres vel de Fratribus scandalum oriatur.* Hoc idem inhibetur monachis, Causa decima sexta, quaestione prima, canone *Placuit*[1]. Et quia de similibus est ratio similis, scito, hic prohiberi omne Fratrum ad mulieres commercium, de quo posset Fratribus scandalum generari.

(CAPITULUM XII.)

De euntibus inter Saracenos et alios infideles.

Quicumque Fratrum divina inspiratione voluerint ire inter Saracenos et alios infideles, petant inde licentiam a Ministris provincialibus; Ministri vero nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis quos viderint esse idoneos ad mittendum. Ad haec per obedientiam iniungo Ministris, ut petant a domino Papa unum de sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, qui sit gubernator, protector et corrector istius fraternitatis; ut semper subditi et subiecti pedibus eiusdem sanctae Ecclesiae, stabiles in fide catholica, paupertatem et humilitatem et sanctum Evangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus.

EXPOSITIO.

Divisio.

1\. *Quicumque Fratrum.* Hic tertio[2] docet in martyrio consummare; et quia martyrium nullum est, nisi fiat in ecclesiastica unitate, primo agit de primo; secundo, de secundo, ibi: *Ad haec per obedientiam.*

De desiderio martyrii.

2\. In prima parte tangit Fratrum hoc desiderio flagrantium *devotionem* et Ministrorum examinantium *discretionem*, dicens: *Quicumque Fratrum divina inspiratione*, non levitate, non impetuositate, non astutia subterfugiendae disciplinae, *voluerint ire inter Saracenos et alios infideles*, ut paganos vel haereticos, vel schismaticos; *petant inde licentiam a suis Ministris provincialibus*, signanter dicit *petant licentiam*[3], quia huius rei obedientia non est involuntariis imponenda. Unde subdit: *Ministri vero nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis quos viderint esse idoneos ad mittendum. Idonei* autem sunt robusti corpore et constantes in fide, probati virtute et semper irreprehensibiliter conversati.

De ecclesiastica uni...

3\. Sequitur pro secunda parte: *Ad haec per obedientiam iniungo Ministris, ut petant a domino Papa unum de sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, qui sit gubernator,* in bonis agendis, *protector,* ab oppressionibus alienis, *et corrector,* in delictis, *istius fraternitatis, ut semper subditi et subiecti pedibus eiusdem sanctae*[4] *Ecclesiae, stabiles in fide catholica,* sine qua illud martyrium nihil valeret, *paupertatem,* contra avaritiam, *et humilitatem,* contra superbiam, *et sanctum Evangelium Domini nostri Iesu Christi,* quantum ad virtutum perfectionem omnimodam, *quod firmiter promisimus,* id est, quatenus ipsum promisimus, *observemus;* ad Hebraeos secundo[5]: *Propterea abundantius oportet observare nos ea quae audivimus, ne forte pereffluamus.*

CONCLUSIO.

Quaestio...

1\. Quaeritur[6] de praeceptis Regulae, quae scilicet universaliter intelligenda sunt praeceptorie imponi, et in quibus possint praelati Ordinis dispensare.

Respon...

Ad hoc respondeo, quod Regula ista praeceptis est plena, et, ut puto, pene omnia in ea posita sunt *praecepta*, ubi aliquid expresse additum, ut monitionis vel exhortationis vocabulum vel consimile, aliud non declarat. Praeceptorum autem istorum tria sunt genera: in quibusdam enim ponitur *expresse praecipiendi verbum,* ut prae ceteris commendentur; et illa sic transeunt in votum, ut in nullo eorum Ordo valeat dispensare.

Tria ge... praecep... rum. I... mum

Secund...

2\. Aliud est genus praeceptorum, quibus additur *verbum tentionis* vel debiti vel aliquod simile, ex quo obligatio declaratur. Vocabulum autem *tentionis*, licet obligationem importet, non tamen sic districte sicut vocabulum *praecepti* ad illud faciendum ligat, cui tentionis vocabulum est adiunctum. Quod patet, quia, cum homo homini teneri dicitur in aliqua pecuniae quantitate; certum est, quod tentio obligationem importat vel ad solvendum, vel ad satisfaciendum alio modo, nisi debitum velit creditor remittere debitori. — Unde licet *tentio* obligationem sonet, potest tamen Ordo in particulari et in casu cum aliquo dispensare in sic dictis, exceptis illis, in quibus patet, intentionem Regulae omnino

De facul... dispensa...

Super his igitur et quae omissa restant vestra discretio [scil. Ministri generalis et definitorum generalium] provideat, qualiter ad conscientiarum securitatem et Ordinis utilitatem per Sedem apostolicam disponatur» (Sic finit ipsa expositio).

[1] Can. 8: Placuit communi nostro concilio, ut nullus monachorum pro lucro terreno de monasterio exire nefandissimo ausu praesumat... neque filium de baptismo accipere etc. Vat. allegationem huius canonis omittit. — Boethius, III. de Differentiis topicis: De similibus idem est indicium. — Inferius pro *de similibus* A C G et ed. 1 *de Fratribus,* et pro *commercium* B G *consortium vel commercium.*

[2] Cfr. supra c. 10. n. 1. — August., Epist. 173. (alias 204.) n. 6, explicans illud I. Cor. 13, 3: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest,* dicit: Foris autem ab Ecclesia constitutus et separatus a compage unitatis et vinculo caritatis, aeterno supplicio punireris, etiamsi pro Christi nomine vivus incendereris. Cfr. IV. de Baptismo contra Donatistas, c. 17. n. 24. et Sermo ad Caesareensis Ecclesiae plebem, n. 6. — Inferius pro *nullum* (ita A G) Vat. *nihil.*

[3] Vat. omittit *signanter dicit petant licentiam.*

[4] Ed. 1 cum G addit contra textum originalem *Romanae,* quod etiam habet A, omisso tamen *sanctae.* Inferius pro *illud martyrium* ed. 1 *aliquod martyrium.*

[5] Vers. 1. — Pro *ipsum promisimus* ed. 1 *ipsum promiserimus.*

[6] Cod. D *Quaeritur nunc consequenter,* qui etiam subinde post *imponi* addit *ut praecepta.*

praeceptorie obligare, vel quorum transgressio [1] scandalum, vel deordinationem notabilem generaret; verbi gratia, cum dicitur primo capitulo: *Alii Fratres teneantur Fratri Francisco et eius successoribus obedire;* patet, quod in hoc non potest Ordo aliquatenus dispensare. Sic etiam octavo capitulo, ubi dicitur: *Universi Fratres unum de Fratribus istius Religionis teneantur semper habere generalem Ministrum;* et infra eodem capitulo: *Teneantur praedicti Fratres, quibus electio data est, in nomine Domini alium sibi eligere in Custodem,* et sic in similibus [2]. — In aliis autem nonnullis, credo, quod Ordo potest dispensare in particulari et in casu; verbi gratia, cum dicitur tertio capitulo: *Non teneantur nisi sexta feria ieiunare,* credo, quod citra manifestam necessitatem subditus teneretur ieiunium solvere, si Superior imperaret, nisi esset solutio ieiunii in scandalum aliorum. Similiter intelligo in illo verbo septimi capituli: *Teneantur praedicti Fratres ad eos recurrere,* et in quibusdam aliis; nihil tamen horum potest Ordo generaliter immutare.

...do pos- ...dispeo- ...i.

3. Est etiam tertium genus, ubi nec additur *praecipere* nec *teneri,* sicut patet in secundo capitulo in pertinentibus ad receptionem ad Ordinem venientium, et in tertio in spectantibus ad divinum officium et in pluribus aliis consequenter, ubi multa exstant praecepta ex intentione mandatoris, ubi [3] eorum transgressio scandalum et deordinationem notabilem generaret. Circa quorum dispensationem in particulari [4] intelligo idem, quod circa praecepta secundi ordinis est praedictum; inter quae etiam alia, quae non praeceptorie inseruntur; nec in speciali amplius definio, nisi ut omnia Regulae verba cum reverentia recipiantur, et ipsorum transgressio penitus devitetur, cum certum sit, Regulam pro lege dari, nec aliquis a lege avertitur, quin ad tenebras convertatur [5].

...ium ge- ...nus.

CONFIRMATIO REGULAE.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani, tertio kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno octavo.

(Explicit Bulla Honorii III. et Regula Fratrum Minorum.)

EXPOSITIO.

1. *Nulli ergo.* Haec est pars tertia epistolae, aliarum conclusiva [6], ubi duo sunt notabilia, scilicet *Regulae stabilitio* et *temporis determinatio.* Duo notabilia.

Pro primo dicit: *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire.* Quod tamen faciunt detractores, Regulam ipsam et Regulae declarationem [7] et Fratrum conversationem trino ordine dentium lacerantes. Unde caveant ab eo quod sequitur: *Si quis autem hoc attentare praesumserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.* De primo

2. Pro tempore addit: *Datum Laterani,* id est in sede imperiali Christi nomini consecrata, *tertio kalendas Decembris* [8], die scilicet sancti Saturnini, quae est prima solemnitatum anni, secundum revolutionem Romani officii, ut pateat, hanc Regulam esse renovativam gaudii, quod *annus benignitatis Domini* introduxit; quae est etiam Vigilia sancti Andreae Apostoli, ut sciant omnes, huius Regulae observantiam esse vigiliam praeambulam ad thronum iudiciarium cum gloria possidendum [9]. *Pontificatus nostri anno octavo,* ut octava gratiae et gloriae commendetur [10]. Amen. De secundo.

---

[1] Cod. D *dispensatio.* Inferius pro *Sic etiam* D et ed. 1 *sicut etiam.*

[2] Codd. A G et ed. 1 *et similibus.*

[3] Scilicet, *quia ibi alias.* Secuti sumus D; ed. 1 *patet, ubi,* G *patet nisi,* Vat. *nisi,* quae etiam superius pro *exstant* (ita A) substituit *essent,* ed. 1 *erunt.*

[4] Codd. A G et ed. 1 *dispensationem particularem.* Inferius pro *alia, quae* ed. 1 *alia quaedam,* omisso subinde *nisi* (quod etiam A omittit et pro quo G substituit *quam*), D legit *etiam quaedam alia inseruntur, non tamen praeceptorie, nec in speciali* etc.

[5] Cfr. Clementis V. Declaratio *Exivi de paradiso,* c. 1. n. 3. seq., ubi de iis quae aequipollent praecepto. — Superius post *pro lege* et *a lege* G addit *vel luce.*

[6] Vide supra Expositionem confirmationis Regulae, n. 1. (pag. 391).

[7] Cod. D addit *papalem.*

[8] Id est 29 Nov., in quo recensetur martyrium S. Saturnini et Vigilia S. Andreae (cfr. Martyrolog. Romanum). Sicard. Cremonens. episc., IX. Mitralis, praefat. (Migne, Patrolog. Lat. tom. 213. col. 405): « Regula vero de Adventus initio haec est: Andreae festo propinquior esse memento; vel sic: Andreae festo quaecumque propinquior exstat ». Cum Adventu incipitur in Breviario Romano officium de Tempore, et cum Vigilia S. Andreae et festo S. Saturnini officium proprium de Sanctis. De *anno benignitatis* cfr. Ps. 64, 12. — Superius G et ed. 1 omittunt *id est,* et pro *Christi nomini* D et ed. 1 substituunt *Christi nomine.* Subinde pro *die scilicet* Vat. perperam *die quinto.*


[9] Matth. 19, 28: Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. — Ed. 1 *possidentium.*

[10] August., Enarrat. in Ps. 6. n. 2: Potest quidem etiam nulla annorum temeraria supputatione dies iudicii *octavus* intelligi, quod iam post finem huius saeculi, accepta aeterna vita, tunc non erunt animae iustorum obnoxiae temporibus; et quoniam omnia tempora septem dierum istorum repetitione volvuntur, *octavus* forte ille dictus est, qui varietatem istam non habebit. Cfr. supra pag. 408, nota 5. et Beda, de Temporum ratione, c. 71. — Codd. D G et ed. 1 addunt: *Explicit declaratio* [G *expositio*] *Bonaventurae* [ed. 1 *Domini Bonaventurae S. Romanae Ecclesiae cardinalis,* G scriptus 1458 in Amberga *secundum Bonaventuram*] *super Regulam FF. Minorum.* Cod. B: *Explicit expositio Fr. Ioannis super Regulam* [cfr. supra pag. 391, nota 1.].

OPUSCULUM XVII.

SERMO SUPER REGULAM

FRATRUM MINORUM[1].



1. *Idem sapiamus et in eadem permaneamus regula* [2]. Istud verbum dupliciter exponitur, vel potest exponi dupliciter: *litteraliter,* et sic est Apostoli Pauli loquentis ad Philippenses tertio; *moraliter,* et sic est verbum sancti Francisci, loquentis ad filios suos, id est ad Fratres Minores, quos hortatur ad duo: primo, ad *conformitatem contemplationis,* per hoc quod dicit: *Idem sapiamus,* identitate scilicet contemplationis, secundum illud ad Colossenses [3]: *Quae sursum sunt sapite, non quae super terram,* quoniam in terris est amaritudo, secundum illud Isaiae: *In pace amaritudo mea,* in caelestibus vero est dulcedo, secundum illud Petri: *Si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus.* Dulcedinem participat triplex potentia animae, scilicet *memoria, intelligentia* et *voluntas,* ita quod *memoria* informatur aeternitate, *intelligentia* veritate, *voluntas* caritate. Quod docet Augustinus duodecimo de Trinitate [4] dicens: « Contemplationi aeternorum quanto intendit mens et adhaeret, tanto ad imaginem Dei formatur, et quanto est contemplatio limpidior, tanto est imago Dei expressior ».

Francisci hortatio duplex. Prima.

2. Secundo hortatur ad *uniformitatem professionis*, cum dicit: *Et in eadem permaneamus regula,* quam scilicet accepi in monte contemplationis — sicut Moyses legem accepit in monte Sinai [5] — quam Papa Honorius confirmavit, secundum illud: « Eapropter, dilecti in Domino filii », et sequitur: « auctoritate apostolica confirmamus »; quam vobis tradidi, sicut Moyses legem acceptam filiis Israel; quam professi estis per obedientiam salutarem, secundum illud secundi capituli [6]: « Finito anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam et Regulam semper observare »; secundae ad Corinthios decimo: *Nos non in immensum gloriamur,* quia hoc solius Dei est, qui est immensus et infinitus, *sed* nos gloriamur *secundum mensuram regulae, quam mensus est nobis Deus.* Istud potest quilibet Frater dicere: « *Nos non in immensum gloriamur,* quia hoc solius Dei est, qui est immensus et infinitus, *sed* nos gloriamur *secundum mensuram Regulae, quam mensus est nobis Deus,* quam mensus est nobis beatus Franciscus, quam mensus est Papa Innocentius [7], qui eam approbavit, quam

Secunda.

---

[1] Textum huius Sermonis hucusque inediti publicamus secundum unicum, sed praestantem codicem. Quod S. Bonaventura eiusdem sit auctor, alio etiam testimonio et tota indole sermonis confirmatur. De hoc vide Prolegomena c. I. § 17.

[2] Phil. 3, 16. Cfr. supra pag. 391, nota 4, ubi allegatur II. Cor. 10, 16: Non in aliena regula in iis quae praeparata sunt, gloriari.

[3] Cap. 3, 2. — Duo seqq. loci sunt Isai. 38, 17. (cod. perperam *secundum illud Psalmi)* et I. Petr. 2, 3.

[4] Cap. 7. n. 10: Sicut de natura humanae mentis diximus, quia, et si tota contempletur veritatem, imago Dei est, et cum ex ea distribuitur aliquid et quadam intentione derivatur ad actionem rerum temporalium, nihilominus ex qua parte conspectam consulit veritatem, imago Dei est, ex qua vero intenditur in agenda inferiora, non est imago Dei. Et quoniam, quantumcumque se extenderit in id quod aeternum est, tanto magis inde formatur ad imaginem Dei, et propterea non est cohibenda, ut se inde contineat ac temperet; ideo *vir non debet velare caput* [I. Cor. 11, 7.]. Quia vero illi rationali actioni, quae in rebus corporalibus temporalibusque versatur, periculosa est nimia in inferiora progressio; *debet habere potestatem super caput* [I. Cor. 11, 10.], quod indicat velamentum, quo significatur esse cohibenda. Cfr. Bernard., Serm. 11. in Cant. n. 5: *Qui replet in bonis desiderium* animae [Ps. 102, 5.], ipse rationi futurus est plenitudo lucis, ipse voluntati multitudo pacis, ipse memoriae continuatio aeternitatis. O veritas, caritas, aeternitas! Vide Bonav., I. Sent. d. 3. p. II. a. 1. q. 1. ad 4, ubi explicatur, quomodo imago Dei in nobis tam in praesenti vita quam in futura reformatur.

[5] Cfr. Exod. 31, 18. et 34, 28. seq. — Confirmationem Regulae ab Honorio datam vide supra pag. 391.

[6] Scilicet Regulae; cfr. supra pag. 397. — Subinde allegatur II. Cor. 10, 13, de quo vide supra pag. 391, nota 4. Pro *quam mensus est* Vulgata *qua mensus est.*

[7] Scilicet Innocent. III. Cfr. Bonav., Legenda S. Francisci, c. 3. et 4. Vide supra pag. 318, notam 12. — Sequitur Matth.

mensus est Papa Honorius, qui eam confirmavit; quoniam qui *perseveraverit* in ea *usque in finem, hic salvus erit*, secundum quod dicitur in fine decimi capituli, secundum quod dicit Augustinus exponendo primum capitulum suae Regulae.

3. Regula idem est quod norma; et dicitur a *regulando*, quia per eam subiectus quilibet regulatur, scilicet quoad Deum [1]. Quilibet autem Frater per Regulam suam quadrupliciter regulatur, scilicet quoad *Deum*, quoad *mundum*, quoad *se ipsum* et quoad *fratrem suum* [2].

[Regulatio quadruplex.]

4. Quoad *Deum* quadrupliciter: primo quoad *exstirpationem omnium vitiorum*, quia Deus et Frater vitiosus non simul cohabitant, sicut lux et tenebra, quia *Deus lux est* [3], et tenebra vitium. Ideo dicit Apostolus: *Quae conventio lucis ad tenebras?* Ideo beatus Franciscus omne *vitium* relegavit ab Ordine capitulo decimo: « Admoneo et exhortor omnes Fratres meos in Domino Iesu Christo, ut caveant ab omni superbia »; et tangit ibi triplex vitium principale: quoad *Deum*, quoad *mundum* et quoad *proximum*. Quoad *Deum* tangit *matrem* et *prolem*, cum dicit: « Ab omni superbia », quae est mater, « vana gloria, invidia », quae sunt proles superbiae, secundum Gregorium [4]. Et signanter dicit: « Ab omni superbia », quia superbia est respectu *superioris, inferioris* et *paris*. Unde super illud Iob [5]: *Parvulum occidit invidia*, dicit Gregorius: « Superbus invidet *superioribus*, quia non aequatur eis, *paribus*, quia aequantur ei, *inferioribus*, ne aequentur ei ». Ideo dicit Augustinus libro octavo de Trinitate [6]: « Quanto sumus a tumore superbiae saniores, tanto sumus divina dilectione pleniores ».

[Primo, quoad Deum quadrupliciter. Primum, quoad exstirpationem trium vitii. Primo, quoad Deum dupliciter.]

5. Secundo tangit vitium principale quoad *mundum*, cum dicit [7]: « Avaritia, cura et sollicitudine huius saeculi ». Et tangit *matrem*, cum dicit: « avaritia »; *prolem*, cum dicit: « cura et sollicitudine », quia cura et sollicitudo huius saeculi surgit de avaritia; ideo dicitur primae ad Timotheum primo: *Radix omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes, erraverunt a fide*, quia fides dirigit ad invisibilia; secundum Augustinum [8], « fides est credere quod non vides ». Cupiditas et avaritia dirigit ad ista visibilia; unde dicit Augustinus libro nono de Trinitate: « Cupiditas est, quando creatura diligitur propter se, caritas, quando diligitur propter Deum ». Sequitur [9]: *Et inseruerunt se doloribus multis*, quia cupiditas et avaritia per curam et sollicitudinem saeculi multis doloribus affliguntur.

[Secundo, quoad mundum dupliciter.]

6. Tertio tangit vitium principale quoad *proximum*, cum dicit [10]: « Detractione et murmuratione ». Ideo dicitur Ecclesiastae decimo: *Si mordeat serpens in silentio, nihil minus habet eo, qui occulte detrahit.* Morsus iste multum virus infundit Ordini, quia turbat multos pacem habentes; et ideo *susurrones et detractores Deo sunt odibiles*, ad Romanos primo.

[Tertio, quoad proximum.]

7. Secundo quoad *plantationem omnium virtutum*. Sed duplex est virtus, scilicet ordinans in *Deum* per mentis elevationem, ordinans in *proximum* per pacificam conversationem. Ordinans in *Deum* est *devotio;* unde distinctione trigesima octava,

[Secundum, quoad duplicem virtutem.]

[De devotione.]

10, 22. (24, 13.), qui in fine c. 10. Regulae allegatur. August. in Regulae clericis traditae Fragmento (inter opera August.): « In Domino ergo iure observationis nos teneamus et in eo usque in finem permaneamus, quoniam in lege scriptum est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* ». In hoc Fragmento revera primum capitulum Regulae Augustini ad Servos Dei, quod nihil proprium habere debeant, explicatur. Cfr. supra pag. 284, nota 8.

[1] August., Enarrat. in Ps. 93. n. 18: Ne voluntatem Dei velis torquere ad voluntatem tuam, sed tuam corrige ad voluntatem Dei. Voluntas Dei sic est quomodo regula; ecce, puta, torsisti regulam, unde habes corrigi? Illa autem integra manet; regula est enim incommutabilis. Quamdiu integra est regula, habes quo te convertas et corrigas pravitatem tuam, habes unde corrigas quod in te tortum est. Cfr. supra pag. 393, nota 4.

[2] Vide supra Opusc. XVI. Expositio super Regulam FF. Min. c. 3. n. 1; c. 4. n. 1; c. 6. n. 26. et c. 10. n. 2. seqq.

[3] Epist. I. Ioan. 1, 5: Quoniam Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae. — Subinde allegatur II. Cor. 6, 14. seq.: Quae societas luci ad tenebras? Quae autem conventio Christi ad Belial?

[4] Libr. XXXI. Moral. c. 45. n. 87: Radix quippe cuncti mali superbia est, de qua, Scriptura [Eccli. 10, 15.] attestante, dicitur: *Initium omnis peccati est superbia.* Primae autem eius soboles, septem nimirum principalia vitia, de hac virulenta radice proferuntur, scilicet inanis gloria, invidia etc.

[5] Cap. 5, 2, quem exponit Gregor., V. Moral. c. 46. n. 84. seqq., et quidem ita, quod « invidere non possumus, nisi eis quos nobis in aliquo meliores putamus... Parvulus itaque est qui invidia occiditur, quia nisi ipse inferior existeret, de bono alterius non doleret ». August., XI. de Gen. ad lit. c. 14. n. 18: Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei coaequentur; vel inferioribus, ne sibi coaequentur; vel superioribus, quod eis non coaequetur. Superbiendo igitur invidus, non invidendo quisque superbus est.

[6] Cap. 8. n. 12.

[7] S. Franciscus in eodem c. 10. Regulae. — « De avaritia, secundum Gregor., XXXI. Moral. c. 45. n. 88, proditio, fraus, fallacia, periuria, inquietudo, violentiae et contra misericordiam obdurationes cordis oriuntur ». — Subinde allegatur I. Tim. 6, 10.

[8] In Ioan. Evang. tr. 40. n. 9: Quid est enim fides, nisi credere quod non vides? Cfr. Bonav., tom. III. pag. 501, nota 3. — Sequitur August., IX. de Trin. c. 8. n. 13: Si ad Creatorem refertur ille amor, non iam cupiditas, sed caritas erit; tunc enim est cupiditas, cum propter se amatur creatura.

[9] Scilicet in textu Apostoli I. Tim. 6, 10. superius allegato.

[10] S. Franciscus in c. 10. Regulae. — Duo seqq. loci sunt Eccle. 10, 11. et Rom. 1, 29, seq.: Susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos etc., ubi Glossa *ordinaria* (cfr. Comment. in hunc locum, quod habetur inter opera Ambrosii): *Detractores*, qui aliorum bona negant, vel invertunt. *Deo odibiles.* Ne levis putetur susurratio vel detractio, quia in verbis sunt, addit de eis: *Deo odibiles*, ut intelligant, se per solam susurrationem et detractionem aeternam incurrere posse damnationem.

canone *Sedulo*[1]: « Sicut oratori coram iudice necessaria est eloquentia, sic necessaria est oranti devotio ». Sed duplex est devotio: quaedam *determinata*, quaedam *indeterminata*. *Determinatam* tangit tripliciter: quoad *clericos* tertio capitulo: « Clerici faciant divinum officium »; ex quo est *divinum*, multam requirit devotionem, unde dicit Augustinus libro de Civitate Dei[2]: « Quanto quis sancti desiderii est plenior, tanto est eius oratio efficacior ». — Secundo, quoad *laicos*, cum dicit: « Laici vero dicant viginti quatuor Pater noster » etc. Et determinatur ibi devotio tam clericorum quam laicorum quoad divinum officium, id est ad septem Horas canonicas. — Tertio, quoad *defunctos*, cum dicit: « Et orent pro defunctis », tam clerici scilicet quam laici, quia *sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare*[3].

Devotio duplex.

Prima tangitur tripliciter.

8. Devotionem vero *indeterminatam* ad omne tempus tangit capitulo decimo tripliciter, scilicet quoad *excellentiam*, *effluentiam* et *permanentiam*. Quoad *excellentiam*, cum dicit: « Attendant, quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini », quia, sicut dicitur ad Romanos[4], *si quis habet spiritum Dei, hic est eius; qui non habet spiritum Dei non est eius.* — Quoad *effluentiam*, cum dicit: « Et sanctam eius operationem », quia, si spiritus Dei intrat, ostendit se protinus in operatione extra, quia secundum Isaiam[5]: *Omnia opera nostra operatus es*, et *in nobis* et per nos. — Quoad *permanentiam*, cum dicit: « Orare semper ad Deum puro corde ». Ille semper orat, cuius devotio non interrumpitur[6].

Secunda tangitur tripliciter.

9. Item, virtus ordinans in *proximum* est *pax*. Unde dicit Augustinus[7]: « Pax est hominum ordinata concordia ». Ideo dicit beatus Franciscus capitulo tertio: « Consulo, moneo et exhortor Fratres meos in Domino Iesu Christo, ut, quando vadunt per mundum, non litigent, sed sint mites et pacifici, modesti » etc. Sint *mites* quoad animum, *pacifici* quoad verbum, *modesti* quoad factum, *mansueti* quoad proximum, *humiles* quoad Deum; *honeste loquentes omnibus, sicut decet,* quoad exemplum. « *Mitis* est qui non patitur ab ira », secundum Philosophum quarto Topicorum[8]; « *pacifici* sunt, in quibus iam ordinata sunt omnia », secundum Augustinum in libro Retractationum. Ideo dicit: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur,* quia Deus est, in quo omnia ordinata sunt. « *Modestia*, secundum Augustinum, libro de Beata Vita[9], dicta est a modo, in quo nec plus nec minus est »; unde qui nec est superfluus neque diminutus vir est modestus. Super illud ad Galatas quinto[10]: *Fructus spiritus est modestia*, Glossa: « *Modestus* est qui modestum animum servat et qui modum in dictis et factis servat ». « *Mansuetus*, secundum Philosophum quarto Ethicorum[11], est qui irascitur, ex quibus oportet et ut oportet et quando oportet et ubi oportet ». *Iracundus* est qui non servat modum in his; quia facile est irasci, sed irasci cum debitis circumstantiis est difficile. « *Humilitas*, secundum Bernardum de duodecim Gradibus humilitatis[12], est virtus, qua homo sua verissima agnitione sibi ipsi vilescit ».

De pace conversatione.

De quinque virtutibus.

10. Tertio, quoad *zelum animarum*. Super illud[13]: *Sacrificate sacrificium iustitiae*, dicit Glossa:

Tertio quoad zelum animarum duplices.

---

[1] Can. 12, qui sumtus est ex August., de Catechizandis Rudibus, c. 9. n. 13, in quo docetur, quomodo erudiendi sunt grammatici et oratores conversi ad fidem: Sedulo monendi sunt scholastici, ut humilitate induti christiana, discant non contemnere quos cognoverint morum vitia quam verborum amplius devitare... ut ita malle debeant veriores quam disertiores audire sermones, sicut malle debent prudentiores quam formosiores habere amicos. Noverint etiam, non esse vocem ad aures Dei, nisi animi affectum etc.

[2] Libr. XX. c. 17: Quis vero tam sit absurdus... qui audeat affirmare in huius mortalitatis aerumnis... unumquemque Sanctorum, qui hanc vel ducat, vel ducturus sit, vel duxerit vitam, nullas habentem lacrymas et dolores; cum potius, quanto quisque est sanctior et desiderii sancti plenior, tanto sit eius in orando fletus uberior?

[3] Libr. II. Mach. 12, 46.

[4] Cap. 8, 9: Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius.

[5] Cap. 26, 12: Omnia enim opera nostra operatus es in nobis. Cfr. Ps. 67, 29.

[6] Cfr. supra Opusc. XVI. Expositio super Regulam FF. Min. c. 10. n. 9.

[7] Libr. XIX. de Civ. Dei, c. 13. n. 1: Pax hominum [est] ordinata concordia.

[8] Cap. 5, ubi tamen pro *mitis* [πρᾶος], quod in ed. Venet. an. 1496 c. 10. habetur, in aliis versionibus substituitur vel *mansuetus* vel *clemens*. — August., I. Retract. c. 19. n. 1: Sapientia, inquam, congruit pacificis, in quibus iam ordinata sunt omnia etc. Sequitur Matth. 5, 9.

[9] Num. 32: Modestia utique dicta est a modo, et a temperie temperantia. Ubi autem modus est atque temperies, nec plus est quidquam nec minus.

[10] Vers. 22. seq.: Fructus autem Spiritus est caritas... modestia etc. Glossa est *interlinearis* apud. Petr. Lombard. et Lyranum: *Modestia*, quod modum in dictis vel factis servat. Cfr. Hieron., in hunc locum.

[11] Cap. 5: Iam vero mansuetudo circa iram mediocritas [medium] est; nam cum nomine hac in re careat medium et fere etiam extrema, ad medium mansuetudinem ipsam referimus, licet ad defectum, qui nomen non habet, declinare magis videatur; at excessus iracundia quaedam dici potest, nam affectus [πάθος, passio] est ira, quam quae efficiunt sunt multa et diversa. Qui igitur ob quae oportet et quibus oportet irascitur, adde etiam quomodo et quando et quousque debet, laudatur esseque is mansuetus potest, quippe cum mansuetudo ipsa laude afficiatur. Mansuetus enim ille est, qui perturbatione vacat et ab affectu minime ducitur, sed quemadmodum ratio ipsa statuerit, ita et ob id et tamdiu succenset, peccareque potius videtur in defectu, quippe qui non ad ultionem, sed ad veniam dandam promptior sit.

[12] Cap. 1. n. 2, ubi pro *sua* textus originalis *sui;* cfr. supra pag. 410, nota 8.

[13] Psalm. 4, 6, in quem locum neque apud Strab. neque apud Petr. Lombard. atque Lyranum exhibetur Glossa inferius allegata, recensetur tamen tanquam *ordinaria* in Lev. 6, 21: « Nullum tale sacrificium est, quale zelus animarum », et in Ezech. 4, 3: « Nullum Deo maius sacrificium quam zelus animarum ». Ipsa sumta est ex Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 12. n. 30.

« Nullum sacrificium tantum placet Deo, quantum zelus animarum ». Sed duplex est zelus animarum, scilicet quoad *fideles* et quoad *infideles*. Zelum enim animarum quoad *fideles* tangit capitulo tertio dupliciter, scilicet quoad *temporalia* et quoad *spiritualia*, ita quod *spiritualia* praecedant *temporalia;* dicens: « In quamcumque domum intraverint », scilicet ad petendum aliquid temporale, « primum dicant: *Pax huic domui* »: pax *pectoris*, pax *temporis*, pax *aeternitatis;* de qua dicit Isaias[1]: *Sedebit populus meus in pulcritudine pacis.*

...os quoad ...les tangi- ... duplici-

11. Zelum animarum quoad *infideles* tangit capitulo duodecimo tripliciter: ex parte *principii* moventis, *medii* exsequentis et *termini* consummantis. Ex parte *principii moventis*, cum dicit: « Quicumque Fratrum divina inspiratione voluerint ire inter Saracenos et alios infideles ». Ex parte *medii exsequentis*, cum dicit: « Petant inde licentiam a suis Ministris ». Ex parte *termini consummantis*, cum dicit: « Ministri vero nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis quos viderint esse idoneos ad mittendum ».

...m, quoad ...ideles tri... ...citer.

12. Quarto, quoad *consummationem omnium bonorum*. Nihil enim valet incipere, nisi quis valeat consummare. Bonorum consummatio sola coronat, secundum illud[2]: *Consummatus in brevi, explevit tempora multa.* Haec consummatio tria requirit, scilicet *stabilem vitam*, *operationem rectam* et *intentionem continuatam*. — *Stabilem vitam* tangit, cum dicitur capitulo secundo: « Nullo modo licebit eis de ista Religione exire iuxta mandatum domini Papae », quia Papa mandat in fine[3], « quod nulli ausu temerario liceat huic Regulae contraire ». Spiritus sanctus causat *stabilitatem*, Sapientiae septimo[4]: *Est enim in illa spiritus intelligentiae subtilis, stabilis, mobilis: stabilis* in Deo, *mobilis* ad omne opus bonum. Spiritus malignus causat *instabilitatem;* unde dicitur in Osee[5], quod *spiritus ligavit eum in alis suis;* et Threnorum primo: *Peccatum peccavit Ierusalem, propterea instabilis facta est.*

...Quartum, ...oad con... ...ummatio... ...em bono... ...rum. ...ia ad hoc ...uiruntur. ...e primo.

13. *Operationem rectam* tangit, cum dicit[6]: « Nemo mittens manum ad aratrum ». *Aratrum* est Religio praescindens terram cordis nostri et eradicans spinas et tribulos vitiorum, ut inseratur semen gratiae. Semper ergo manus debet coniungi aratro, ut bona opera Religionis videantur in regulato, quia, si manum deponat, indirecte sulcat arator. Inde dicitur Ecclesiastici trigesimo octavo[7]: *Cor suum dabit ad versandos sulcos;* hoc fecerat Iob, qui dixit: *Si terra mea adversum me clamat, et sulci eius deflent. Sulci deflent,* quando Religiosus facit opera inordinata, quia tunc *seminat mala in sulcis iniustitiae et metet ea in septuplum*, Ecclesiastici septimo. De secundo.

14. *Intentionem continuatam* tangit, cum dicit[8]: « Aspiciens retro ». Unde Genesis decimo nono legitur, quod *uxor* Lot *aspiciens retro versa est in statuam salis*, quia *homines Sodomitae pessimi erant*, secundum quod scribitur ibi. Sic et mundani nunc pessimi sunt, quia secundum Ioannem[9] *totus mundus in maligno positus est.* Qui ergo educitur per gratiam divinam, ut salvetur in monte Religionis, et postea *aspiciens retro* per apostasiam, vertitur *in statuam salis*, id est condimentum stantium[10], quia permanentes in Ordine districtiores, cautiores et devotiores efficiuntur. Ideo dicit Apostolus: *Quae retro sunt obliviscens, ad anteriora me extendo.* De tertio.

15. Haec est *regula aurea*, quae sic ordinat Fratrem quoad *Deum;* quam *concupiscens Achor, abstulit*, Iosue septimo[11]; et bene *regula aurea*, quia, sicut aurum praevalet inter alia metalla, sic Regula beati Francisci inter omnes Regulas, eo quod perfectissime sit fundata super vitam evangelicam, secundum quod dicitur primo capitulo: « Regula Epilogus.

---

[1] Cap. 32, 18.

[2] Sap. 4, 13. Cfr. Bonav., Opusc. VI. de Perfectione vitae ad sorores, c. 8.

[3] Scilicet Regulae.

[4] Vers. 22. seq.: Est enim in illa spiritus intelligentiae, sanctus... subtilis, disertus, mobilis... stabilis, certus etc. Cfr. Bonav., Comment. in hunc loc.

[5] Cap. 4, 19, post quem Thren. 1, 8.

[6] Franciscus in c. 2; et est sumtum ex Luc. 9, 62, quem Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 3. n. 16. ita exponit: Manum quippe in aratrum mittere est quasi per quendam compunctionis vomerem ad proferendos fructus terram sui cordis aperire. Sed retro post aratrum aspicit qui post exordia boni operis ad mala revertitur, quae reliquit.

[7] Vers. 27. — Duo seqq. loci sunt Iob 31, 38, ubi post *et* Vulgata addit *cum ipsa*, et Eccli. 7, 3: Fili, non semines mala in sulcis iniustitiae et non metes ea in septuplum. Raban. in hunc loc.: Seminat ergo mala in sulcis iniustitiae qui in labore perversae doctrinae operando exempla inserit nequitiae, quorum fructus metet in septuplum, quando in fine praesentis vitae perfectam ultionem suscipiet in igne gehennae. Septenarius enim numerus in Scripturis [cfr. Isai. 11, 2. seq. et Luc. 11, 26.] aliquando in bono, aliquando in malo plenitudinem rei significat etc.

[6] Franciscus in c. 2. Regulae, sumtum ex Luc. 9, 62: *Respiciens* retro etc. Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 3. n. 16: *Aspiciens* retro. Cfr. etiam supra nota 6. — Subinde allegantur Gen. 19, 26: Respiciensque uxor eius post se, versa etc., et Gen. 13, 13.

[9] Epist. I. c. 5, 19.

[10] August., Serm. 105. (alias 29. de Verbis Domini) c. 5. n. 7, de uxore Lot dicit: *In salem* conversa est, ut prudentes condiret exemplo. Serm. de Cantico novo etc., c. 4. n. 4: Nec immerito in statuam salis repente conversa est, nisi ut fatuos suo etiam exemplo condiret. — Sequitur Phil. 3, 13, cuius finem Vulgata sic exhibet, *ad ea vero, quae sunt priora, extendens me ipsum.*

[11] Vers. 21, ubi Achan, furtum de anathemate confitens, dicit: « Vidi enim inter spolia pallium coccineum valde bonum... regulamque auream quinquaginta siclorum et concupiscens abstuli ». Pro *regulamque auream* in Hebraeo *et virgam auream unam*, Septuaginta *et linguam unam auream* (scil. virgam in forma linguae). *Achor* (pro *Achan*, quod Vulgata habet) recensetur ab Hieron., de Hebr. Nominib. ex libr. Iosue, et Petr. Comestor, Histor. scholast. libri Iosue c. 6; Septuaginta *Achar*. Glossa *interlinearis* in Ios. 7, 1: In Paralipomenon [I. c. 2, 7.] *Achar*, in Iosue *Achan* vel *Achor*. Cfr. Bonav., tom. IV. pag. 345, nota 1.

et vita Minorum Fratrum haec est, scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum Evangelium observare [1] ». Quamvis autem hoc quod de Achor dicitur, quod concupiscens regulam auream totaliter secundum *litteralem* sensum accipiatur in *malo*, scilicet de furto; secundum *moralem* vero intellectum accipitur in *bono*, quia *Achor fratris lumen* vel *altitudo* interpretatur [2], quia, quicumque concupiscit tenere Regulam, est lumen fratris sui et altitudo, quia de lumine conversationis sanctae ducit eum ad altitudinem caelestis patriae.

Secundo, Frater regulatur quoad mundum quadrupliciter. Primo per eius contemptum dupliciter. De rebus mobilibus tria.

16. Secundo, Frater regulatur per Regulam suam quoad *mundum* quadrupliciter: primo, per *contemptum omnium mundanorum*. Res autem mundanae aut sunt *mobiles*, aut *immobiles*. Res *mobiles* excludit quarto capitulo et tangit ibi tria, scilicet *prohibitionem* ipsam, *prohibitionis materiam, prohibitionis formam. Prohibitionem ipsam*, cum dicit: « Praecipio firmiter Fratribus universis »; *prohibitionis materiam:* « ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant »; *prohibitionis formam:* « per se vel per interpositam personam ». Quod exponit Gregorius [3], quod auctoritate propria hoc non faciant, sed dantis vel recipientis.

De immobilibus tangit primo meritum quadrupliciter.

17. Res *immobiles* excludit sexto capitulo, dicens: « Fratres nihil sibi approprient » etc., et tangit ibi duo: *meritum* et *praemium; meritum* ibi: « Fratres nihil sibi approprient » etc.; *praemium* ibi: « Haec est illa celsitudo » etc. — Meritum tangit quadrupliciter: quoad *habitationem*, cum dicit: « Nihil sibi approprient, nec domum nec locum nec aliquam rem », scilicet mobilem vel immobilem, quia vult, quod Fratres sint Rechabitae, de quibus dicitur Ieremiae trigesimo quinto [4]: *Pater noster praecepit nobis dicens, ut domus non aedificaremus* etc.

Quoad habitationem.

Quoad itinerationem.

— Secundo, quoad *itinerationem* dicit: « Sed tanquam peregrini et advenae in hoc saeculo in paupertate et humilitate Domino famulantes ». Hinc inolevit consuetudo, quod Fratres mittuntur de domo ad domum, ut cognoscant se peregrinos et advenas super terram, quia qui hoc dicunt significant, se patriam inquirere, secundum Apostolum ad Hebraeos [5]. — Tertio, quoad *possessionem* per hoc quod dicit: « Sed vadant pro eleemosyna confidenter ». Per hoc, quod iubet, eos ire pro eleemosyna, excludit possessiones ab Ordine, quia falso dicuntur *possessores*, eo quod possidentes ea relinquunt omnia in morte et nudi abscedant, secundum illud Apostoli [6]: *Nihil intulimus in hunc mundum* etc. — Quarto, quoad *assimilationem* dicit: « Non oportet, eos verecundari, quia Dominus pro nobis se pauperem fecit in hoc mundo », quasi diceret: si pro nobis se fecit pauperem, et nos pro ipso debemus esse pauperes, omnia mundana, sicut ipse, contemnendo; fugit enim, cum vellent ipsum facere regem [7].

Quoad possessionem. Quoad assimilationem.

Secundo tangit praemium quadrupliciter. Quoad coronationem.

18. Secundo, tangit *praemium* quadrupliciter: primo, quoad *coronationem regalem*, ibi: « Haec est illa celsitudo altissimae paupertatis, quae, vos carissimos Fratres, heredes et reges regni caelorum instituit ». Unde enim dicit: *altissima paupertas?* Quia transcendit cacumina omnium temporalium dignitatum, secundum Augustinum, libro de Civitate Dei [8]. Ideo dicit Apostolus, quod *altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis.* — Secundo, quoad *sublimationem virtualem*, ibi: « Pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit ». Haec est vera sublimitas, quae permanet, quia omnes huius mundi dignitates transeunt et cadunt, secundum illud [9]: *Est dives, cum nihil habeat, et est pauper, cum in multis divitiis sit.* — Tertio, quoad *exsultationem aeternalem*, ibi: « Haec est portio vestra, quae perducit in terram viventium »; illic, scilicet in terra viventium, est iucunditas et exsultatio aeternalis, hic momentanea et temporalis; ideo dicit Apostolus [10]: *Paulus, servus Iesu Christi, in spem vitae aeternae, quam promisit qui non mentitur Deus.* — Quarto, quoad *adhaesionem triumphalem*, ibi: « Cui, dilectissimi fratres, totaliter inhaerentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi in perpetuum sub caelo habere velitis ». Propterea dicitur Lucae decimo [11]: *Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea;* Glossa: « Optima pars et unum necessarium est soli Deo inhaerere ».

Quoad sublimationem. Quoad exsultationem. Quoad adhaesionem.

---

[1] Hoc ostenditur in decursu praecedentis Opusc.; cfr. ibid. c. 1. n. 3.

[2] In fine Bibliae impressae Brixiae an. 1496 adiunguntur « interpretationes Nominum Hebraicorum » (quae etiam in ed. Coloniensi an. 1688 opp. Bedae, tom. III. col. 371 seqq. habentur), et dicitur: *Achor*, turbatio vel tumultus [secundum Hieron.] seu pervertens, aut perversio. *Achor*, fratris lumen, vel fratris altitudo, seu fratris foramen, aut fratris iracundia. Cfr. ibid. *Achior*. De expositione huius facti cfr. Origen., Homil. 7. in libr. Iesu Nave, n. 7. et Isidor., Qq. in Iosue, c. 8, secundum quos Achar significat illos qui in Ecclesiam inferunt haereticorum dogmata etc.; Lyranus, in Iosue 7, 1. explicat illud de malis Religiosis.

[3] Scilicet Gregor. IX. in sua Constitut. *Quo elongati;* cfr. supra pag. 332, nota 10. Vide de hac re Opusc. praecedens c. 4. n. 21.

[4] Vers. 6. seq.: Pater noster praecepit nobis dicens... et domum non aedificabitis etc.

[5] Cap. 13, 14: Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Ibid. 11, 13: Confitentes, quia peregrini et hospites sunt super terram. Cfr. supra pag. 423, nota 2.

[6] Epist. I. Tim. 6, 7.

[7] Ioan. 6, 15.

[8] In Praefatione, loquens de humilitate sive de paupertate spiritus, ait: Nam scio, quibus viribus opus sit, ut persuadeatur superbis, quanta sit virtus humilitatis, qua fit, ut omnia terrena cacumina temporali mobilitate nutantia, non humano usurpata fastu, sed divina gratia donata celsitudo transcendat. — Subinde allegatur II. Cor. 8, 2.

[9] Prov. 13, 7: Est quasi dives, cum nihil habeat etc.

[10] Tit. 1, 1. seq.

[11] Vers. 42. Glossa *interlinearis* (ex Beda) apud Lyranum: *Porro unum est necessarium*, Deo iugiter inhaerere. Cfr. tom. VII. 274, nota 11.

ecundo, p sui diiu- d tionem, d ua quin- q

19. Secundo, *per sui diiudicationem* et non *aliorum*, capitulo secundo, et ponit ibi quinque: primo *suum hortamentum*, ibi: « Moneo et exhortor »; secundo, *removet contemptum*, ibi: « Ne despiciant neque iudicent homines »; tertio, describit *mundanorum vestitum*, ibi: « Quos viderint mollibus vestimentis et coloratis indutos »; quarto, *declarat ipsorum victum*, ibi: « Uti cibis et potibus delicatis »; quinto, *remittit ad conscientiae latibulum*, ibi: « Sed unusquisque iudicet et despiciat semetipsum », secundum illud Apostoli ad Corinthios [1]: *Si nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur;* et alibi ad Romanos: *Tu quis es, qui iudicas alienum servum?* « id est, cuius valentiae, aut auctoritatis es »? secundum Glossam. *Omnes enim iustitiae nostrae sunt ut pannus menstruatae,* secundum Isaiam [2]. Qui hoc intuetur trabem in oculo proprio considerat, non festucam in oculo fratris sui.

rtio, per leraotiam ssionum.

20. Tertio, per *tolerantiam passionum.* Mundus enim subministrat multiplicem passionem, secundum illud Ioannis [3]: *In mundo pressuram habebitis.* Sed duplex est passio: *extrinseca* et *intrinseca;* et utramque tangit beatus Franciscus capitulo decimo. Passio *intrinseca* causatur ab inaequalitate et corruptione humorum in corpore, passio *extrinseca* causatur ab hoste inimico; et utramque debemus sustinere patienter, secundum quod docet ibidem, quod « Fratres debent esse patientes in persecutione et in infirmitate »: in *persecutione,* ecce, passio *extrinseca;* in *infirmitate,* ecce, passio *intrinseca,* ut per pondus passionum et poenae veniamus ad *pondus gloriae.* Quanto enim magis opprimebantur filii Israel, tanto magis crescebant, secundum quod Exodi primo [4] dicitur; *crescebant,* inquam, per gratiam in praesenti et gloriam in futuro. Hoc tangit Apostolus dicens: *Id quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quae videntur, sed quae non videntur. Quae enim videntur temporalia sunt, quae autem non videntur aeterna sunt.* Ideo in alio loco [5] dicit, quod *non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.*

plex passio.

uarto, per listrictam nformationem hominum.

21. Quarto, per *distinctam informationem hominum,* nono capitulo: « Moneo » etc., ubi tangit tria: aliquid ex parte *praedicatoris,* aliquid ex parte *auditoris,* aliquid ex parte *sermonis.* Ex parte *praedicatoris* duo, cum dicit: « Moneo et exhortor, ut in praedicatione, quam faciunt Fratres, sint casta et examinata eorum eloquia »: *examinata* in devotione, *casta* in pronuntiatione; in devotione bene debent *examinari,* secundum quod dicitur Apocalypsis ultimo [6]: *Qui audit dicat: Veni; qui audit,* scilicet per *internam inspirationem, dicat: Veni,* per *apertam praedicationem,* quia *Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines,* secunda Petri. — Debent etiam esse *casta* in pronuntiatione, quia « res castae et iustae dicuntur, quando sunt tales, quales castus et iustus ageret », secundo Ethicorum [7]. — Ex parte *auditoris* etiam debent esse duo; ideo subiungit: « Ad utilitatem et aedificationem populi », ut sit *utilitas* respectu meriti, et *aedificatio* respectu praemii. Aliter nihil valet sermo, secundum Apostolum, qui dicit [8]: *Eratis in aëra loquentes.* — Ex parte *sermonis* duo: quoad statum *praesentem,* « annuntiando eis vitia et virtutes »; quoad statum *futurum,* « poenam et gloriam cum brevitate sermonis ».

Tanguntur tria. De primo duo.

De secundo duo.

De tertio duo.

22. De his quatuor simul dicitur Levitici decimo nono [9]: *Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura.* In *iudicio* quoad primum, quia iustum iudicium requirit, ut qui contempsit cuncta mundana non *rursum his implicetur.* In *regula* quoad secundum, quia recta regula hoc exigit, ut potius se quis iudicet et despiciat quam alterum. In *pondere* quoad tertium, quia vita praesens nunquam caret pondere persecutionum et tribulationum, ideo patienter sustineamus, ut ad pondus gloriae perveniamus. In *mensura* quoad quartum, quia verba nostra debent esse mensurata « ad utilitatem et ad aedificationem populi ».

Epilogus.

23. Tertio, regulatur Frater per Regulam suam quoad *se ipsum* et hoc quatuor modis: primo, per *humilitatem in habitu,* quam describit tripliciter: quoad *indumentum, calceamentum, viae vehiculum.* — *Indumentum* describit tripliciter capitulo secundo: primo, ratione *vilitatis,* ibi: « Fratres omnes vestimentis vilibus induantur », quia secundum Apostolum ad Hebraeos [10]: *Sancti circuierunt in melotis, in pellibus caprinis* etc. — Secundo, ratione

Tertio, Frater regulatur quoad se quadrupliciter. Primo, per humilitatem in habitu quoad tria. Primum describitur tum ratione vilitatis.

Tum, tenuitatis.

---

[1] Epist. I. c. 11, 31, post quem Rom. 14, 4, ubi Glossa *interlinearis* apud Petr. Lombard. et Lyranum: *Tu quis es*, id est, cuius valentiae es, *qui iudicas alienum servum?* id est, damnandum affirmas? Quod non debes, cum sit alterius servus.

[2] Cap. 64, 6. — Subinde respicitur Matth. 7, 3. seqq.: Quid autem vides festucam in oculo fratris tui et trabem in oculo tuo non vides etc. [3] Cap. 16, 33.

[4] Vers. 12: Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur et crescebant. Cfr. supra pag. 316, nota 10. — Subinde allegatur II. Cor 4, 17. seq. — Substituimus *per gratiam in praesenti* pro *per gloriam in praesenti*, quod cod. exhibet.

[5] Rom. 8, 18.

[6] Vers. 17, quem Beda ita explicat: Quisquis internum in mente fidei vel caritatis lumen percepit, ad hoc et alios convocet. — Sequitur II. Petr. 1, 21. — Contextu exigente, substituimus *in devotione bene debent examinari* pro *in pronuntiatione bene debet examinari*, quod in cod. exhibetur.

[7] Cap. 4. Cod. omittit *ageret* (πράξειεν), quod Aristoteles adiungit.

[8] Epist. I. Cor. 14, 9: « Ita [sicut tuba incertam vocem dans] et vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? Eritis enim in aëra loquentes », id est, sicut Petr. Lombard. in hunc loc. dicit, ad aures hominum inanis aëris ictu, non ad corda hominum intellectu.

[9] Vers. 35. Infra respicitur II. Petr. 2, 20. — Inferius pro *cuncta mundana* cod. *cetera mundana* (*cetera* pro *cuncta* etiam in aliis operibus Bonav. a pluribus codd. exhibetur).

[10] Cap. 11, 37.

tenuitatis, ibidem: « Qui promiserunt obedientiam habeant unam tunicam cum caputio et aliam sine caputio, qui voluerint habere ». Prima est in *iussione*, secunda in *permissione*; attendit enim hic Evangelium [1]: *Neque duas tunicas habeatis.* — Tertio, ratione *asperitatis*, ibi: « Et possint ea repetiare de saccis et aliis petiis cum benedictione Dei ». Conversi enim antiquitus induebantur sacco; sicut *rex Ninive descendit de solio suo, indutus est sacco* [2]; et Isaias indutus est sacco et discalceatus ivit per mediam civitatem. — *Calceamentum* describit dupliciter: ratione *arctationis*, ibidem secundo capitulo: « Qui necessitate coguntur »; ratione *concessionis*: « possint portare calceamenta ». Ideo arctat calceamentum, quia qui vult *clivum olivarum ascendere cum David* [3], id est gratiam fecundantem et illuminantem, oportet, ut *caput cooperiat* contemplatione divina et sit *discalceatus* quoad terrena. — *Viae vehiculum* describit dupliciter tertio capitulo: primo, quoad *inhibitionem*, ibi: « Non debeant equitare »; secundo, quoad *declarationem*, ibi: « Nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur ». Christus enim non legitur *equitasse*, sed *asinasse* semel, secundum Bernardum [4]. Unde dicit Salomon: *Vidi servos in equis et principes ambulare super terram.*

Tum, asperitatis.

Secundum describitur dupliciter.

Tertium, iterum dupliciter.

24. Secundo, regulatur quoad se ipsum per *sobrietatem in victu*, quam describit dupliciter, scilicet quoad *cibum* et quoad *ieiunium*. Quoad *cibum*, tertio capitulo quadrupliciter, scilicet ex parte *docentis*, *auctoritatem*, ibi: « Secundum sanctum Evangelium »; ex parte *cibi*, *varietatem*, ibi: « De omnibus cibis »; ex parte *ministrantis*, *liberalitatem*, ibi: « Qui apponuntur eis »; ex parte *manducantis* [5], *libertatem*, ibi: « Liceat eis manducare ». Hanc libertatem ideo concedit Fratribus, ut reficiant illos *spiritualiter*, qui reficiunt eos *carnaliter*, secundum illud [6]: *Transi hospes et orna mensam.* Unde Fratres hospites debent *ornare mensas* saecularium bonis exemplis et auctoritatibus devotis. Hoc intendebat Christus, super quo fundat se beatus Franciscus, quando dixit discipulis suis Lucae decimo [7]: *In quamcumque domum intraveritis... manducate quaecumque apponuntur vobis et curate infirmos, qui in ea sunt; curate infirmos* spiritualiter verbo et exemplo.

Secundo, per sobrietatem in victu dupliciter. Primo, quoad cibum quadrupliciter.

25. Secundo, tangit *sobrietatem quoad ieiunium.* Sed duplex est ieiunium, scilicet *necessitatis* et *voluntatis*. Ieiunium *necessitatis* describitur tripliciter: quoad *interpolationem*, tertio capitulo: « Teneantur sexta feria ieiunare »; quoad *continuationem*, ibidem: « Et ieiunent a festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini »; sequitur: « Et aliam usque ad Resurrectionem Domini ieiunent »; quoad *dispensationem*, ibidem: « Tempore vero manifestae necessitatis non teneantur Fratres ieiunio corporali ». Et bene est nunc ieiunandum, quia per cibum prostravit nos diabolus in paradiso; ideo dicit Christus Marci nono [8]: *Hoc genus daemoniorum non eiicitur nisi in ieiunio et oratione;* Glossa: « Ieiunio sanantur pestes corporis, oratione pestes mentis ». — Ieiunium *voluntatis* describitur quadrupliciter: ratione *temporis*, ibidem: « Sanctam Quadragesimam, quae incipit ab Epiphania Domini ». Item, ratione *exemplaris*, ibi: « Quam Dominus suo sancto ieiunio consecravit ». Item, ratione *operis*, ibi: « Qui voluntarie eam ieiunent ». Item, ratione *mercedis*, ibi: « Benedicti sint a Domino », benedictione *gratiae* et benedictione *gloriae*: benedictione *gratiae*: *Benedixit nos omni virtute* [9]; benedictione *gloriae*: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum.*

Secund[o] quoad ie[iu]nium d[u]plex. Primum [de]scribitur [tri]pliciter.

Item, sec[un]dum quad[ru]pliciter.

26. Tertio, quoad *exercitium in opere.* Frater enim nullo modo debet esse otiosus, quia *multa mala docuit otiositas*, Ecclesiastici trigesimo tertio [10]. Opus autem describit multipliciter quinto capitulo: primo, quoad *initium*, ibi: « Fratres illi, quibus dedit Dominus gratiam laborandi »; quoad *exercitium et actum*, ibi: « Laborent »; item, quoad *modum*, ibi: « Fideliter et devote »; item, quoad *statum et propositum*, ibi: « Ita quod, excluso otio animae inimico »; item, quoad *provocativum et conservativum*, ibi: « Sanctae orationis et devotionis spiritum non exstinguant »; item, quoad *pretium*, ibi: « De mercede vero » etc. Vult autem, Fratres laborare, quia, secundum Iob [11],

Tertio, exercitio[in] opere.

Multipl[ex] operis [de]scriptio.

---

[1] Luc. 9, 3; Matth. 10, 10; Marc. 6, 9.

[2] Ion. 3, 6: « Et pervenit verbum ad regem Ninive, et surrexit de solio suo et abiecit vestimentum suum a se et indutus est sacco et sedit in cinere ». Deinde respicitur Isai. 20, 2. seq., de quo vide supra pag. 405, notam 6.

[3] Libr. II. Reg. 15, 30: Porro David ascendebat clivum olivarum, scandens et flens, nudis pedibus incedens et operto capite etc. Cfr. supra pag. 307, nota 4.

[4] Serm. 2. in Dominica palmarum, n. 3, ubi humilitatem Christi commendans dicit: « Propter quod et ipse paratus est non in curribus et in equis nec in frenis argenteis, aut sellis auro tectis, sed humilis aselli tergo sedens, suppositis Apostolorum vestibus, quas ego de pretiosioribus regionis fuisse non credo ». Du Cange, Glossarium etc.: *Asinare*, asino vehi. — Subinde allegatur Eccle. 10, 7; cfr. supra pag. 411, nota 4.

[5] Verba *liberalitatem... manducantis*, quae in cod. desunt, supplevimus.

[6] Eccli. 29, 33.

[7] Vers. 5. 8. et 9: In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui... Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quae apponuntur vobis et curate infirmos, qui in illa sunt. Cfr. Opusc. praecedens, c. 3. n. 15.

[8] Vers. 28: Hoc genus in nullo potest exire nisi in oratione et ieiunio; cfr. Matth. 17, 20: Hoc autem genus non eiicitur nisi per ieiunium et orationem. Cod. allegat perperam *Lucae.* — Glossa est *ordinaria* in Marc. 9, 28. et sumta ex Comment. in Marc., quod est inter opera Hieron.; cfr. Bonav., tom. VII. pag. 449, nota 2.

[9] Iudith 13, 22: Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros. Eph. 1, 3: Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo. — Subinde allegatur Matth. 25, 34.

[10] Vers. 29: Multam enim malitiam docuit otiositas. Cfr. supra pag. 419, nota 11.

[11] Cap. 5, 7. — Duo seqq. loci sunt Apoc. 14, 13. et Eccle. 9, 10.

nascitur homo ad laborem, et cito requiescimus a laboribus nostris, ut dicitur in Apocalypsi: *Amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis.* Ideo secundum illud Sapientis: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus nec ratio nec scientia est apud inferos, quo tu properas.*

[Quarto, per continentiam in mente et corpore. Tria excluduntur.] 27. Quarto, per *continentiam in mente et corpore,* capitulo undecimo: « Praecipio firmiter Fratribus universis »; et excludit ibi tria, quoniam incontinentia vel est in *facto,* et hoc excludit ibi: « Nec habeant suspecta consortia »; vel est in *verbo,* et hoc excludit ibi: « Neque consilia mulierum »; vel in *occasione* et familiaritate, et hoc excludit ibi: « Nec ingrediantur monasteria monacharum ». Debet ergo Frater studere castitati et subiicere corpus suum ignobilius nobiliori, secundum illud Apostoli[1]: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo,* scilicet « rationis », secundum Glossam. Huic consonat Philosophus primo Ethicorum[2]: « Continens est qui concupiscibile repugnans rationi subiicit rationi ». Averroes super octavo Physicorum[3] dicit, quod « castitas generatur ex cognitione scientiarum speculativarum et per expulsionem eorum quae accidunt ex materia, per retentionem legum divinarum et obedientiam legum naturalium »; et tangit quatuor per ordinem necessaria castitati: [Tanguntur quatuor.] primo, quod castus versetur in illis *speculativis* caelestium, secundum illud Apostoli[4]: *Nostra conversatio in caelis est.* Secundo, quod expellat *formas materiales* de corde, secundum illud Iob: *Pepigi foedus cum oculis meis, ut non cogitarem de virgine.* Tertio, ut retineat *legem divinam: Non moechaberis.* Quarto, ut lex fomitis obediat *legi rationis,* quia etiam in sanctis et electis solet recalcitrare, secundum illud Apostoli[5]: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae.* — De his quatuor dicitur secundae ad Corinthios decimo: *Spem habemus non in aliena regula in his quae praeparata sunt, gloriari.* Vere spem habet Frater bene regulatus quoad *se ipsum* in his bonis operibus, quae ab ipso sunt praeparata ad vitam aeternam, gloriari, quia sic in propria regula et non in aliena gloriabitur. [Confirmatur.]

[Quarto, Frater regulatur quoad fratrem suum sec. duplicem statum.] 28. Quarto, regulatur Frater quoad *fratrem suum;* sed frater potest esse in duplici statu: vel est *superior,* vel *inferior.* Si est *inferior,* quatuor modis regulatur quoad superiorem. [Inferior regulatur quadrupliciter. Primo, obedientiae promptitudo duplex.] In subdito enim debet esse *obedientiae promptitudo;* sed duplex est obedientia, scilicet ad praelatos, qui sunt *extra Ordinem,* et ad praelatos, qui sunt *intra Ordinem.* [Quoad praelatos extra Ordinem tripliciter.] Ad praelatos, qui sunt *extra Ordinem,* omnes tenentur Fratres. Et hanc describit tripliciter: respectu *episcopi,* nono capitulo: « Fratres non praedicent in episcopatu alicuius episcopi » etc. Respectu *cardinalis,* duodecimo capitulo: « Ad haec per obedientiam iniungo Ministris, ut petant a domino Papa unum » etc. Respectu *Papae,* primo capitulo: « Frater Franciscus promittit obedientiam et reverentiam domino Papae Honorio ac successoribus eius canonice intrantibus et Ecclesiae Romanae ».

[Quoad praelatos intra Ordinem tanguntur quinque.] 29. Obedientiam ad praelatos *intra Ordinem* tangit decimo capitulo; ad hanc soli subditi teneantur; hanc describit quinque modis: primo, quoad *humilitatem,* ibi: « Fratres, qui sunt subditi ». Secundo, quoad *facilitatem,* ibi: « Recordentur, quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates ». Tertio, quoad *auctoritatem,* ibi: « Firmiter praecipio eis ». Quarto, quoad *generalitatem,* ibi: « Ut obediant suis Ministris in omnibus, quae promiserunt Domino observare ». Quinto, quoad *puritatem,* ibi: « Et non sunt contraria animae suae et Regulae nostrae ». *Anima* dupliciter potest considerari: primo, [Distinctio.]

---

[1] Epist. I. Cor. 9, 27. Glossa est *interlinearis* apud Petr. Lombard. et Lyranum: *Sed castigo corpus meum,* id est, reprimo illicitos motus corporis, *et in servitutem* rationis *redigo* illud, cum alio tenderet. Servituti enim subiicitur, dum non suam, sed spiritus perficit voluntatem. Cfr. Comment. in hunc loc., quod habetur inter opera Ambrosii.

[2] Cap. 13, ubi de partibus sive facultatibus animae disserens, docet, aliam, scilicet vegetativam non obedire rationi, aliam vero, nempe concupiscibilem, etsi resistentem obsequi rationi, sicuti patet in continente. Continentis enim rationi obtemperat... vegetabilis nullo modo cum ratione communicat, concupiscibilis autem et omnino appetibilis particeps rationis quodam modo est, quatenus ipsi obedit imperioque eius obtemperat.

[3] In edd. opp. Averrois Venet. an. 1489 et 1495 in fine libri VII. Physicorum exstat quoddam additamentum, quod ab aliis tanquam prologus libr. VIII. Physicorum consideratur et sic incipit: « Utilitas autem istius scientiae est pars utilitatis scientiae speculativae, et declaratum est in scientia morali, scilicet quae considerat de actionibus voluntariis, quod *esse* hominis in sua ultima perfectione est ipsum esse perfectum per scientias speculativas ». Subinde ostenditur influxus scientiarum speculativarum in vitam hominis moralem: Necesse est enim, cum artifices scientiarum speculativarum fuerint secundum cursum naturalem, ut sint virtuosi omnibus modis virtutum moralium, ut iustitia et castitate... et Alexander in prooemio istius libri declaravit, quomodo sequuntur istae virtutes ex cognitione istarum scientiarum. Nam cum aliquis sciverit parvitatem vitae suae in respectu istius *esse* aeterni et motus continui... non cupit vitam... Et manifestum est, quod deberent esse iusti et casti, quoniam, cum sciverint naturam iustitiae existentis in substantia entium, diligunt, se assimilari illi naturae; et similiter cum sciverint utilitatem appetituum, et quod non sunt de numero dispositionum necessariarum in permanentia hominis, nedum ut sint perfectiones, sed sunt accidentia de necessitate materiae, expellent eas a se omnino et odient eas maximo odio, et sic erunt casti retinentes leges divinas et obedientes legibus naturalibus etc.

[4] Epist. ad Phil. 3, 20. — Subinde allegantur Iob 31, 1. et Exod. 20, 14: Non moechaberis.

[5] Rom. 7, 23, post quem II. Cor. 10, 15. seq.: Spem autem habentes crescentis fidei vestrae, in vobis magnificari secundum regulam nostram in abundantiam, etiam in illa quae ultra vos sunt, evangelizare, non in aliena regula in iis quae praeparata sunt, gloriari.

quoad *esse primum*, scilicet *substantiale*, et sic non habet contrarium [1]; secundo, quantum ad *esse secundum*, scilicet *morale*, et sic peccatum est ei contrarium et Regulae. Et quia Christus fuit pro nobis *obediens usque ad mortem* [2], ideo Pater noster obedientiam posuit sub praecepto, quia *melior est quam victimae*, et quia *vir obediens loquitur victorias.*

Secundo, malae conscientiae poenitudo duplex.

30. Secundo, in subdito debet esse *malae conscientiae poenitudo.* Haec poenitudo duplex est: vel quoad peccatum *commissum*, vel quoad peccatum *committendum.* Quoad peccatum *commissum*, septimo capitulo: « Si qui Fratrum, instigante inimico » etc. Et tangit ibi peccatum commissum quadrupliciter: quoad *tentationem*, ibi: « Si qui Fratrum, instigante inimico ». — Secundo, quoad *transgressionem*, ibi: « Mortaliter peccaverint ». — Tertio, quoad *peccati expressionem*, ibi: « Pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, ut recurratur ad solos Ministros provinciales ». — Quarto, quoad *satisfactionem*, ibi: « Teneantur praedicti Fratres ad eos recurrere, quam citius poterunt, sine mora ». Unde dicitur Apocalypsis secundo [3]: *Memento, unde excideris, et age poenitentiam et prima opera fac.*

De prima, quatuor.

De secunda tanguntur tria.

31. Secundo, est malae conscientiae poenitudo quoad *peccatum committendum.* Et hoc tangitur tripliciter decimo capitulo: primo, quoad *distantiam loci*, ibi: « Ubicumque sunt Fratres ». Secundo, quoad *occasionem periculi*, ibi: « Qui scirent et cognoscerent, se non posse Regulam spiritualiter observare ». Tertio, quoad *accelerationem remedii*, ibi: « Ad suos Ministros debeant et possint recurrere ». Super illud Iacobi [4]: *Confitemini alterutrum peccata vestra*, dicit Glossa, « quod maiora maioribus, minora minoribus pandenda sunt ». Unde maiora iudicia referebantur ad Moysen, minores minora iudicabant, secundum quod dicitur Exodi decimo octavo.

Tertio, amoris plenitudo duplex. Quoad amicos tanguntur quatuor. Primum.

32. Tertio, debet esse *amoris plenitudo;* sed duplex est dilectio: quoad *amicos* et quoad *inimicos.* Quoad *amicos* describit sexto capitulo quadrupliciter: primo, quoad *familiaritatem*, ibi: « Ubicumque sunt et se invenerint Fratres, ostendant se domesticos invicem inter se ». — Secundo, quoad *communicabilitatem* [5], ibi: « Et secure manifestet unus alteri necessitatem suam ». Ad quid manifestaret, nisi alius necessaria communicaret? *Familiaritas* in proximo ostenditur, cum dicitur: « Domesticos »; ubicumque ergo venerint Fratres, debent recipi, acsi in eadem domo fuissent nutriti. — Tertio, quoad *pronitatem*, ibi: « Quodsi mater diligit et nutrit filium suum carnalem, quanto diligentius debet quis diligere » etc., quasi diceret: si illa efficitur prona ratione naturae in dilectione carnali, tu debes esse pronior ratione gratiae in dilectione spirituali. — Quarto, quoad *infatigabilitatem*, ibi: « Et si quis eorum in infirmitatem ceciderit, alii Fratres » etc. Ideo dicit Apostolus [6]: *Caritas fraternitatis maneat in vobis;* et Petrus: *Subministrate in fide virtutem;* sequitur: *In patientia fraternitatis amorem. Haec enim, si vobiscum adsint, non constituent vos sine fructu.*

33. Dilectionem quoad *inimicos* tangit decimo capitulo: « Fratres debent diligere eos qui nos persequuntur », scilicet odio, « reprehendunt », consilio, « arguunt », verbo. « Quia dicit Dominus [7]: *Diligite inimicos vestros et orate pro persequentibus* » etc. Tales enim fabricant nostram coronam, secundum illud: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Hic oportet tundi et dolari, quia *malleus et securis et omne ferramentum non audietur in domo Domini.* Ideo bene sequitur [8]: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.*

34. Quarto, debet esse *scandali sollicitudo.* Sed duplex est scandalum, scilicet quoad *contentionem* et quoad *cognationem.* Quoad *cognationem* facit duo: primo, *prohibet cognationem spiritualem*, undecimo capitulo: « Nec fiant compatres virorum vel mulierum ». Secundo, *subdit causam et rationem*, ibi: « Ne hac occasione inter Fratres vel de Fratribus scandalum oriatur », quia *vae illi, per quem scandalum venit* [9]! — Quoad *contentionem* facit duo, tertio capitulo: primo, *ponit suam informationem*, ibi: « Moneo et exhortor fratres meos in Domino Iesu Christo ». Secundo, ponit *exhortationis expressionem*, ibi: « Quando vadunt per mundum, non litigent neque contendant verbis », quia *in pace factus*

[1] Quia est spiritualis et incorruptibilis. Cfr. Aristot., I. de Anima, text. 35. (c. 2. in fine), ubi affert opinionem illorum, secundum quos anima vel ex contrariis constituitur, vel unum contrariorum, v. g. calidum etc., esse dicitur, quam opinionem ibid. in seqq. refutat. Libr. I. Ethic. c. 13. ipse loquitur de *morali* contrarietate, quae in anima reperitur, quatenus scilicet una pars animae, nempe rationalis, rationis praecepta proponit, altera vero pars, utpote concupiscibilis, ipsa impugnat resistitque rationi. Cfr. supra pag. 445, nota 2. et Bonav., II. Sent. d. 35. per totam.

[2] Phil. 2, 8. — Duo seqq. loci sunt I. Reg. 15, 22. et Prov. 21, 28: Vir obediens loquetur victoriam.

[3] Vers. 5: Memor esto itaque, unde etc.

[4] Cap. 5, 16. Glossa est *interlinearis* apud Lyranum, ubi ipsa verbis Bedae (in hunc locum) exhibetur. Cfr. Bonav., tom. IV. pag. 450, nota 5. — Subinde allegatur Exod. 18, 26. Qui [princeps, tribuni etc., quos Moyses ex consilio Iethro constituit] iudicabant plebem omni tempore, quidquid autem gravius erat referebant ad eum, faciliora tantummodo iudicantes. Vide ibid. v. 11. Cfr. supra pag. 375, nota 7.

[5] Du Cange, Glossarium etc.: *Communicabilis*, communis, sociabilis, apertus.

[6] Hebr. 13, 1, post quem II. Petr. 1, 5. et 7. seq.: Ministrate in fide vestra virtutem... In pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem. Haec enim si vobiscum adsint et superent, non vacuos nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione.

[7] Matth. 5, 44. — Duo seqq. loci sunt Ps. 128, 3. et III. Reg. 6, 7, ubi in fine Vulgata *non sunt audita in domo, cum aedificaretur.* August., Serm. 315. (alias 93. de Diversis) c. 6. n. 9: Talem pone tibi inimicum, qui saeviat usque ad mortem. Quid facturus est? Quod Iudaei Stephano: sibi poenam, illi coronam.

[8] In eodem c. 10. Regulae sumtum ex Matth. 5, 10.

[9] Matth. 18, 7; cfr. Luc. 17, 1.

est locus eius [1]; Iacobi quarto: *Unde bella et lites in vobis? Nonne quia carnales estis?*

35. Qui istis quatuor modis regulati fuerint, sunt sicut ministri Salomonis, quia operabantur *opere quadro ad regulam*, tertii Regum sexto [2]. Ibidem dicitur, quod Salomon *operiebat omnia laminis aureis opere quadro ad regulam.* Subditus enim quadratus in virtutibus stabilis est nec mobilis ad vitia, ad quodcumque latus ponatur, in adversitate sive in prosperitate, talis *operitur laminis aureis* a suo praelato, id est multis commendationibus; vel *operitur laminis aureis* a Deo, id est donis et virtutibus, et hoc *opere quadro* in resurrectione, id est quatuor dotibus corporis. Ad illam regulam aeternam, quae est rectificatio et directio omnium incurvatorum, nos perducat etc.

36. Si Frater est *superior,* quatuor modis regulatur quoad inferiorem: primo, quoad *receptionem;* hanc describit multipliciter capitulo secundo, scilicet quod soli Ministri Fratres recipiant. Item, quod de fide et ecclesiasticis Sacramentis eos examinent. Item, quod coniunctos matrimonialiter auctoritate dioecesani dissolvant. Item, quod de rebus venientium ad Ordinem se non intromittant. Item, quod habitum congruentem, scilicet probationis, eis imponant. Item, quod finito anno novitiatus, ad professionem eos recipiant. Haec potestas Ministrorum descendit ab uno capite, scilicet generali Ministro, qui semper debet Ordini praesidere, quia, secundum quod dicitur octavo capitulo, « universi Fratres unum de Fratribus istius Religionis debent semper habere generalem Ministrum ». Hunc, si *non est,* Ministri et Custodes debent eligere. Item, si *insufficiens est,* debent ipsum absolvere in Capitulo generali. Singuli etiam Ministri, « possint in suis custodiis Fratres suos ad Capitulum convocare singulis annis », ut, sicut ipsi recipiunt influentiam regiminis a Ministro generali, ita in suis Capitulis Custodes et Guardiani. Sicut ergo Moyses sollicitudinem generalem habuit de populo Israelitico et plures in partem sollicitudinis vocavit [3], sic Ministri generales de toto Ordine habent sollicitudinem generalem, et partialem Ministri provinciales et Custodes et Guardiani.

37. Secundo, quoad *correptionem,* decimo capitulo: « Fratres, qui sunt Ministri et servi aliorum Fratrum » etc. Haec correctio tria requirit: *sollicitudinem, aptitudinem* et *rectitudinem. Sollicitudinem* tangit ibidem, cum dicit: « Visitent et moneant Fratres suos »: *visitent,* corripiendo; *moneant,* exhortando. — *Aptitudinem* tangit, cum dicit: « Humiliter et caritative corrigant eos »; ita ut *humilitas* sit ex parte correcti, et *caritas* ex parte corrigentis, ut ex caritate corrigat delinquentem, non ex rancore. Unde utraque virtus respicere debet et correctum et corrigentem. — *Rectitudinem* tangit, cum dicit: « Non praecipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam et Regulam nostram »; Ecclesiastici decimo nono [4]: *Corripe amicum tuum, saepe enim fit commissio.* Multa enim est pronitas, secundum illud: *Sensus et humana cogitatio in malum prona sunt,* propter hoc *septies in die cadit iustus,* et ideo oportet, eum relevari per correctionem.

38. Tertio, per *compassionem.* Sed duplex est compassio: *veniae* et *providentiae.* Compassionem *veniae* tangit dupliciter: quoad *auctoritatem* et quoad *subauctoritatem* [5]. Quoad *auctoritatem,* septimo capitulo: « Ministri, si presbyteri sunt, cum misericordia iniungant illis poenitentiam ». *Subauctoritatem* tangit, cum dicit: « Si vero presbyteri non sint, iniungi faciant per alios, sacerdotes Ordinis » etc. — Compassionem *providentiae* insinuat tripliciter quarto capitulo: quoad personas *providentes,* ibi: « Ministri et Custodes sollicitam curam gerant »; quoad personas, *quibus debet fieri provisio,* ibi: « Pro necessitatibus infirmorum et aliis Fratribus induendis »; quoad *modum* providentiae, ibi: « Secundum loca et tempora et frigidas regiones ». Multi modica compassione moventur erga subditos, in quorum persona dixit Moyses [6]: *Nunquid ego concepi et genui hanc multitudinem, ut dicas mihi: Porta eos in sinu tuo, sicut nutrix gestare solet infantulum?* Huic consonat Apostolus dicens: *Tanquam si nutrix foveat parvulum suum, sic desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum Evangelium, sed et animas nostras.* Haec fuit vera compassio ad subditum.

39. Quarto, quoad *dilectionem et pacem.* Sed duplex est pax, scilicet quoad *praelatum corrigentem* et quoad *Fratrem peccantem.* Pacem quoad *praelatum corrigentem* describit tripliciter septimo capitulo: primo, *ponit monimentum,* ibi: « Cavere debent ». Secundo, *excludit impetum,* ibi: « Ne irascantur et conturbentur propter peccatum alicuius ». Tertio,

[Margin notes: ...ilogos. — ...ior re-...ator 4 ...dis. Primo, ...receptionem mol-...iter. — Secundo, ...d correptionem tria ...requirentem. — Primum. — Secundum. — Tertium. — Tertio, quoad compassionem duplicem. De prima, duo. — De secunda, tria. — Quarto, quoad dilectionem et duplicem pacem. Prima tangitur tripliciter.]

---

[1] Psalm. 75, 3. — Sequitur Iac. 4, 1: Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc? Ex concupiscentiis vestris, quae militant in membris vestris.

[2] Vers. 35, ubi seq. propositio exhibetur; cfr. supra pag. 393, nota 6.

[3] Respicitur Exod. 18, 24. seqq.; cfr. supra pag. 446, nota 4.

[4] Vers. 15. Vulgata omittit *tuum.* — Duo seqq. loci sunt Gen. 8, 21. et Prov. 24, 16: Septies enim cadet iustus et resurget.

[5] His duobus nominibus Scholastici utebantur in explicando mysterio Trinitatis, attribuentes Patri *auctoritatem,* Filio et Spiritui sancto *subauctoritatem.* Cfr. Bonav., I. Sent. d. 13. dub. 4: Auctoritas autem est in Patre, quia quod habet ab alio non habet... et ita patet, quod potest dici auctor omnium personarum, quae sunt ab ipso... Ex hoc patet, quod nunquam dicitur Filius auctor spirationis, quamvis spiret, quia non habet a se, sed ab alio etc. Cfr. ibid. d. 20. a. 1. q. 2. ad 4: « Auctoritas autem non dicit maioritatem, sed solum dicit originem, sicut *posse ab alio* et *non ab alio* non dicit minoritatem in potentia, sed solum subauctoritatem et originem » etc. *Auctoritas* igitur dicit fontalem plenitudinem potestatis, *subauctoritas* derivationem ipsius in alium.

[6] Num. 11, 12. — Sequitur I. Thess. 2, 7. seq., ubi pro *parvulum suum, sic* Vulgata *filios suos, ita.*

subiungit nocumentum, ibi: « Quia ira et conturbatio in se et in aliis impediunt caritatem ».

Secunda describitur quadrupliciter.

40. Pacem quoad *Fratrem peccantem* describit quadrupliciter: quoad *paternam affectionem*, decimo capitulo: « Ministri vero caritative et benigne eos recipiant ». Quoad *fraternam correctionem*, ibi: « Et tantam familiaritatem habeant circa ipsos ». Quoad *benevolentiam et firmam assecurationem*, ibi: « Ut dicere possint eis et facere sicut domini servis suis ». Quoad *perfectam humilitatem*, ibi: « Nam ita debet esse, quod Ministri sint servi omnium Fratrum ». Hanc humilitatem habuit Paulus apostolus, dicens [1]: *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus.* Perfectus enim praelatus indignum se debet reputare, ut praesit aliis, quia forte subditi meliores sunt ipso coram Deo. Ideo *noli velle fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere vitia*, Ecclesiastici septimo [2].

Epilogus.

41. Praelatus istis quatuor modis regulatus potest dicere illud secundae ad Corinthios decimo [3]: *Spem habeamus crescentis fidei vestrae, in vobis magnificari secundum regulam nostram in abundantia.* Sub tali praelato *crescunt* subditi in fide et aliis virtutibus. Et ipse praelatus secundum hanc regulam, quam habet ad subditos sibi, *magnificatur* in praesenti per gratiam et in futuro per gloriam, quia, secundum Apostolum [4], *qui bene praesunt duplici honore digni habebuntur.* Et hoc in maxima *abundantia*, quia *potens est Deus omnem gratiam et* gloriam in talibus *facere abundare*, ad Corinthios [5].

Conclusio.

Quicumque ergo *hanc regulam secuti fuerint*, *pax super illos* [6], pax scilicet *temporis*, quia in praesenti non aspere visitantur; pax etiam *aeternitatis*, de qua dicitur in Isaia: *Sedebit populus meus in pulcritudine pacis.* Ad quam pacem auctor pacis et amator nos perducat. Amen.

EXPLICIT SERMO SUPER REGULAM FRATRUM MINORUM.

---

[1] Epist. I. Cor. 15, 9.

[2] Vers. 6: Noli quaerere fieri iudex etc.

[3] Vers. 15.; cfr. supra pag. 445, nota 5.

[4] Epist. I. Tim. 5, 17: Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur. Cfr. Commentar. in hunc loc., quod habetur inter opera Ambrosii: Boni dispensatores ac fideles non solum honore sublimi debent digni iudicari, sed et terreno etc.

[5] Epist. II. c. 9, 8: Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.

[6] Gal. 6, 16. — Subinde allegatur Isai. 32, 18; cfr supra pag. 441, nota 1.

OPUSCULUM XVIII.

CONSTITUTIONES GENERALES

NARBONENSES [1].



Incipiunt Constitutiones generales Ordinis Fratrum Minorum editae et confirmatae in Capitulo generali apud Narbonam anno Domini 1260, decima Iunii, tempore R. Patris Fratris Bonaventurae, octavi Ministri generalis, qui [2] postea fuit cardinalis sanctae Romanae Ecclesiae et nunc canonizatus.

PROLOGUS.

Quoniam, ut ait Sapiens [3], *ubi non est sepes, diripietur possessio*, necessarium est volentibus caelestis regni possessionem praeclaram, in quam per spiritum paupertatis intratur, custodire illaesam, sepem illi circumdare disciplinae. Nequaquam igitur superfluunt morum observantiae regulares, quae non solum ad spiritualis vitae concordiam, decorem et custodiam suffragantur, verum etiam ut in pluribus intra perfectionis et puritatis Regulae promissae substantiam includuntur [4]. Et has potissime explicare oportet, ne per caliginem ignorantiae in transgressionis foveam incidatur. Nullus igitur de *possessione* virtutis glorietur in corde, si *dissipator* est *sepis* in

Utilitas Constitutionum.

---

[1] Quoad has Constitutiones notandum est, quod, cum Regula S. Francisci generalia tantum vitae Fratrum Minorum principia stabilierit, a Capitulis et Ministris generalibus processu temporis multae ordinationes emanaverunt ad regulandos casus resque particulares continuo emergentes. Ante Capitulum Narbonense ordinationes tum Ministrorum tum Capitulorum generalium communi nomine *constitutionum* vocari solebant. Teste Fr. Salimbene (Chronicon, ed. Parm. pag. 405), S. Bonaventura ex his constitutionibus anterioribus ordinatum Constitutionum codicem primus perfecit et auctoritate istius Capituli promulgavit. Ait enim Salimbene (loc. cit.) de Capitulo Romano anni 1239: « Et in illo Capitulo facta est maxima multitudo Constitutionum generalium, sed non erant ordinatae; quas processu temporis ordinavit Frater Bonaventura, generalis Minister, et parum addidit de suo, sed poenitentias taxavit in aliquibus locis ». — Has Constitutiones Narbonenses, alias nunquam integre editas, primus publicavit cl. P. Fr. Ehrle S. I. (Archiv für Litteratur-und Kirchengeschichte des Mittelalters, tom. VI.), in quo doctissimo labore primo luculenter et accurate tractatur de antiquioribus Ordinis Minorum Constitutionibus in genere (pag. 1-86), deinde (pag. 87-138) ipse textus Narbonensium Constitutionum exhibetur bene correctus. Insuper ad calcem in notis adiiciuntur lectiones variantes et plurimae longioresque additiones, quae, mortuo iam S. Bonaventura, in altera quadam recensione Constitutionum publicatae sunt a Capitulo Parisiensi anni 1292, ut videtur et satis probatur a P. Ehrle (loc. cit. pag. 84 seqq.). Plures in dicta recensione adiectae Constitutiones sumtae sunt ex Constitutionibus, quas S. Bonaventura in Capitulis Narbonensi et subsequentibus promulgavit. Alia nova recensio Narbonensium Constitutionum edita est in Capitulo Assisiensi anni 1316, et postea iterum in Assisiensi Capitulo anni 1354, quae, in multis auctae, sub nomine Ministri generalis Gulielmi Farinerii saepe typis expressae sunt.

Genuinae Constitutiones Narbonenses (cum certis *definitionibus* ibidem factis) conservatae sunt, quod scimus, in uno solo codice Vaticano (cod. 7339 pergam. fol. 93 r.-115 v.); quae, diu ab Ordine frustra quaesitae, tandem hoc saeculo in dicto cod. inventae sunt a Definitore generali P. Francisco Sorexina, Observ. Prov. Mediolanensis, qui, teste P. Ehrle (loc. cit. pag. 72. seq.), fidele harum apographum fecit, quod adhuc conservatur Cremonae in bibliotheca regia (cod. 15. 3. 22.). Aliud eiusdem codicis Vaticani apographum P. Fidelis a Fanna procuravit sibi fieri a D. Petro Antonio Uccelli, celebri editore *Summae contra Gent.* S. Thomae; quod apographum deinde ipse P. Fidelis iterum cum originali diligenter contulit eiusque non paucos errores correxit. In hac nostra editione secuti sumus hoc correctum apographum; sed quando textus noster recedit ab editione facta a P. Ehrle (quam signavimus littera E) differentias ad calcem annotavimus, quae reapse sunt levis momenti nec frequentes. — Quoad textum memoratae recensionis secundae anni 1292, cuius lectiones, ut diximus, P. Ehrle ad calcem addidit, adhibens plures codices, praesertim cod. Vaticanum Ottob. 15, apud nos habemus lectiones variantes sumtas ex cod. Canoniciano misc. 75. biblioth. Bodleianae, Oxonii, quem etiam P. Ehrle citat (loc. cit. pag. 76), cuius codicis textus revera pertinet ad secundam illam recensionem factam post Bonaventuram et convenit cum editis a P. Ehrle, salvis nonnullis variantibus.

Has Constitutiones esse genuinas et authenticas, iam constat ex frequentibus citationibus, quas faciunt posteriores auctores et Capitula, praesertim libelli scripti in famosa illa de paupertate lite, quae excitata est inter Communitatem Ordinis et Spirituales.

[2] E *et*. — Canonizatus fuit Bonaventura a Sixto IV. decima quarta Aprilis 1482.

[3] Eccli. 36, 27.

[4] Ita E fide aliorum codd. Cod. noster perperam *includunt*.

conversatione. *Si quis enim,* teste Scriptura[1], *putat, se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.* Oportet igitur, ori et ceteris sensibus et actibus et gestibus et moribus *sepem* circumdatam per honestatem regularium statutorum a viris perfectis non destrui, sed servari, ne, dum *dissipant sepem, mordeantur a colubro,* secundum sententiam Sapientis[2]. — Non enim absque periculo parvipendi potest quod cum tanta difficultate, tot laboribus et periculis, tot et tantis deliberationibus pro salute animarum a generali Capitulo statuitur, apud quod praecipua residet auctoritas Ordinis gubernandi. Si quis autem gravem reputat sarcinam huiusmodi statutorum, hoc cogitet apud se, quod, iuxta Apostolum[3], *omnis disciplina in praesenti non est gaudii, sed moeroris, fructum autem pacatissimum iustitiae exercitatis per eam afferet in futurum.*

Periculum in parvipendendo easdem.

Quia vero confusio est tam intelligentiae quam memoriae inimica, expedit, ut Constitutionum varietas ad certos titulos reducatur.

Index Rubricarum.

Et primo ordinentur quae spectant ad Religionis ingressum.

Secundo, quae ad habitus qualitatem.

Tertio, quae ad observantiam paupertatis.

Quarto, quae ad formam interius conversandi.

Quinto, quae ad modum exterius exeundi.

Sexto, quae ad occupationes Fratrum.

Septimo, quae ad correctiones delinquentium.

Octavo, quae ad visitationes Provinciarum.

Nono, quae ad electionem Ministrorum.

Decimo, quae ad Capitulum provinciale.

Undecimo, quae spectant ad Capitulum generale.

Duodecimo, quae ad suffragia defunctorum.

De religionis ingressu.

Rubrica I.

Statuimus in principio, quod nullus ad Ordinem recipiatur, nisi expropriatus omnino[4], cum, secundum Evangelii veritatem et nostrae Regulae professionem, paupertas sit totius spiritualis aedificii primarium fundamentum.

De qualitatibus recipiendorum.

Ordinamus etiam, ut nullus recipiatur citra decimum octavum annum, nisi per robur corporis, vel industriam sensus, seu per excellentem aedificationem a decimo quinto anno et supra aetas secundum prudentium iudicium suppleatur.

Et quia non solum propter nostram salutem vocavit nos Deus, verum etiam propter aliorum aedificationem per exempla, consilia et salubria hortamenta; ordinamus, quod nullus recipiatur in Ordine nostro, nisi sit talis clericus, qui sit competenter instructus in grammatica, vel logica[5]; aut nisi sit talis laicus, de cuius ingressu esset valde celebris et famosa aedificatio in populo et in clero. — Si quem vero praeter hanc formam recipi oporteat propter familiaria officia exercenda, non recipiatur absque urgente necessitate, et hoc de Ministri generalis licentia speciali. — A venientibus ad Ordinem nec ante receptionem nec post petatur res aliqua temporalis. Et si quid petitum fuerit acceptum, auferatur totaliter nec utatur. Et quicumque subditus vel praelatus, praeter id quod in Regula conceditur, de rebus venientium ad Ordinem se intromiserit quoquo modo, tribus diebus in pane tantum et aqua ieiunet.

Recipiendus ad Ordinem, postquam examinatus fuerit secundum Regulam de fide et ecclesiasticis Sacramentis, interrogetur nihilominus de subscriptis, videlicet si corpore sit sanus, si conditione liber, si matrimonio non obstrictus[6], si debitis expeditus, si excommunicationis gravis vinculo non ligatus, si Religionem aliam non egressus, si voluntate promptus ad Religionis onera perferenda; tandem sibi Regula et asperitas Ordinis exponantur. — Ut autem novitii melius valeant informari, volumus, quod[7] in qualibet Custodia a Ministro assignetur domus aliqua magis apta, vel duae, si una non sufficit, in qua, vel in quibus omnes novitii de Custodia collocentur usque ad tempus professionis suae. Ad quos informandos assignetur Frater religiosus et circumspectus, qui eos doceat pure et frequenter confiteri, ardenter orare, honeste conversari, humiliter obedire, servare cordis

De no[...] tiati[...]

---

[1] Iac. 1, 26.

[2] Eccle. 10, 8.

[3] Hebr. 12, 11. — Textus Scripturae post *moeroris* continuat: *postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiae.*

[4] In codice bibliothecae civitatis Trevirensis (cod. 1268. Num. loc. 579, olim 776, fol. 179 v.) est opusculum superscriptum: « Incipit explanatio quorundam articulorum ex Constitutionibus generalibus facta a domino Fratre Bonaventura, nostri Ordinis tunc generali Ministro ». Dubium esse putamus, has suarum Constitutionum explanationes ab ipso Bonaventura sive in Capitulo factas, sive modo privato esse alicui missas, cum quaedam cum aliis eiusdem definitionibus non perfecte cohaerere videantur. Tamen opportunum videtur in calce ponere quaestionem et responsionem ad eas ordinationes, quarum explanatio petebatur. Dicitur igitur ad hunc locum in cod. Trev.: « Imprimis circa illud quod dicitur in Constitutionibus generalibus, quod nullus recipiatur nisi *expropriatus omnino,* quaeritur, utrum hoc debeat intelligi de receptione ad Ordinem sive ad *probationem,* vel de receptione ad *professionem*... Respondetur, quod intelligitur de receptione ad Ordinem; debet enim expropriatus esse ab omnibus *habitis,* quamdiu est in Ordine, sed non oportet, eum expropriari ab omnibus *habendis,* si infra annum probationis vult exire ».

[5] Ad hunc articulum cod. Trev.: « Quaeritur, quantum de grammatica sufficiat ad illam competentem instructionem, utrum quod sciat loqui grammatice, expedite et intellective, vel etiam scire regulas grammaticae et artem grammaticae, cum multi expedite habeant usum loquendi, qui obliti sunt regularum et artis? Respondetur, quod sufficit, quod sit per grammaticam tantum habilitatus, quod possit fieri praedicator vel confessor vel lector, ita quod ad aliquid istorum assequendum non impediatur per defectum grammaticae ».

[6] E *adstrictus.*

[7] E *ut.*

et corporis puritatem, zelare sacratissimam paupertatem et ad omnis perfectionis apicem anhelare. Et ut vacent melius ad praedicta et ad divinum officium addiscendum, toto probationis tempore studio non intendant nec promoveantur ad ordines sacros nec confessiones audiant, si fuerint sacerdotes, nec libros studii habeant specialiter assignatos. Si quos vero de saeculo attulerint, reponant eos sub custodia Guardiani. In scripturis vero aedificationis liceat eis secundum dispositionem magistri sui pro tempore occupari. Tempore vero novitiatus non loquantur cum aliquo saeculari vel Religioso alterius Religionis [1] sine licentia et socio assignato nec litteras vel aliud recipiant vel mittant sine licentia speciali.

profes-sione.

Completo probationis tempore, si ad professionem digni fuerint indicati, professionem faciant in hunc modum: « Ego frater N. voveo et promitto Deo et beatae Mariae Virgini et beato Francisco et omnibus Sanctis et tibi, Pater, toto tempore vitae meae servare Regulam Fratrum Minorum per dominum Honorium Papam confirmatam, vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate ». — Et qui eum recipit, promittat ei, si haec observaverit, vitam aeternam.

De qualitate habitus.

Rubrica II.

vilitate -imento-rum.

Cum Regula dicat, quod « Fratres omnes vestimentis vilibus induantur »; statuimus, ut vestimentorum vilitas attendatur in *pretio* pariter et *colore*. Omnino nigrae, vel penitus albae tunicae desuper non portentur nec de panno cardato, ubi alius haberi poterit bono modo. Fiant autem tunicae aptae, sine deformitate, non habentes superfluitatem in longitudine, vel latitudine.

Item, cum Regula dicat, quod « de Fratribus induendis Ministri tantum et Custodes sollicitam curam gerant », sub *Custodum* nomine dans etiam intelligi Guardianos; ordinamus, quod pannus aptus secundum Regulam communiter ematur pro Fratribus pro dispositione Guardiani. Et de illo communi panno Ministri, Custodes, Guardiani, lectores, confessores, praedicatores [2], procuratores et ceteri Fratres sine distinctione aliqua aut specialitate tam inferius quam superius induantur, nisi pro manifesta et evidenti necessitate cum aliquo per praelatos fuerit dispensandum. Si vero pannus aptus secundum formam praehabitam alicui offeratur, Guardiano tradatur, qui de illo provideat ei, vel cui magis viderit expedire. Si quis vero contra fecerit, una die tantum in pane et aqua ieiunet, et Custos eidem tunicam auferat et non restituat, et ad hoc firmiter teneatur.

...nnus sit ...omnis ...mibus.

Contra superfluitatem vestimentorum.

Item, cum dicat Regula, quod « Fratres habeant unam tunicam cum caputio, et aliam sine caputio qui voluerint habere, et quod eas repetiare possint », nullus Frater inferiorem tunicam habeat nisi unam, vel simplicem repetiatam [3]; si quis autem pluribus indiguerit, non habeat nisi de licentia eorum qui secundum Regulam de Fratribus induendis « sollicitam curam debent gerere secundum loca et tempora et frigidas regiones ».

Item, contra superabundantiam vestium ordinamus, quod nullus Frater habeat duos habitus, et quod Guardiani non dent alicui Fratri habitum vel tunicam novam, nisi prius resignet, si quam habet superfluam. Et tunicae, quibus communiter Fratres non utuntur ad necessitatem, pro tempore in communi reserventur.

Contra calceamenta.

Item, cum ab institutione nostri Ordinis de forma habitus sit sine calceamentis incedere, et Regula calceamenta non concedat, « nisi his qui necessitate coguntur »; ordinamus, ut nullus Frater vadat calceatus, nisi cuius evidens necessitas Fratribus innotescit, vel per Guardianum suum est coram Fratribus sufficiens iudicata. Et quotiescumque quis contra ex deliberatione fecerit, toties dicat septem Psalmos poenitentiales et tot recipiat disciplinas. Si quis vero ex consuetudine inventus fuerit vitiosus, ultra septem Psalmos comedat in terra [4] coram Fratribus in conventu.

Aliae ordinationes.

Item, qui calceamentis indigent non portent stivallos, sed calceos corrigiatos et ante fixos. Et habeantur calceamenta pro celebrandis Missis in communi, et Fratres occasione Missarum illis tunc et non alias calceentur. — Cingulum habeatur chorda communis, et nihil portetur appensum ad chordam. Item, non dormiant Fratres sine habitu, cingulo et femoralibus, nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur. Sani Fratres in locis, in quibus morantur, culcitris et pulvinaribus de pluma non utantur. Excessus in tunicis, lectis et mantellis et calceamentis castigatione, qua convenit, reprimantur. Itaque [5] in omnibus, quae ad habitum Fratrum spectant, ad imitationem patrum nostrorum reluceat semper austeritas, vilitas et paupertas.

---

[1] E *Ordinis*.

[2] E addit *et*. Infra ante *manifesta* supplevimus *pro*.

[3] Cod. Trev.: « Quaeritur, utrum, salva hac constitutione, possint haberi duae integrae tunicae inferiores in una [unam] consutae, quarum una sit loco petiae; et si sic, utrum, eisdem post hiemem dimissis, semper possit uti alternatim, prout necesse fuerit, ita quod utramque reservat apud se, et si pro frigore autumnali possit petiam depositam, integram scilicet tunicam, induere cum tunica inferiori pro tempore et loco sine consutura? Respondetur, quod omnia, quae in communi proponuntur, licita sunt, quod possint duae tunicae integrae, scilicet nova et vetus, coniungi per suturam et postea dividi tempore aestivo, et petia divisa servari potest ab eodem habente usque ad necessitatem frigoris superinduenda pro tempore et loco, secundum quod frigus exigit; non hoc fiat continue, sed in autumno, quando frigus est continuum, sed interpolatim per paucos dies ».

[4] Cod. *terram*.

[5] E *ita quod*. — Deinde pro *spectant* cod. noster *exspectant*.

De observantia paupertatis.

Rubrica III.

De pecunia non recipienda. Cum Regula dicat, quod « Fratres non recipiant pecuniam per se, vel per interpositam personam »; statuimus, quod pecunia nec nomine oblationis nec alias recipiatur in locis Fratrum; et dicimus *pecuniam* non solum denarios, sed rem quamlibet, quae accipitur, ut vendatur. Et si forte aliqua ibi poneretur, nullo modo convertatur in usum Fratrum. Nihil tamen Fratres prorsus quoquo modo servare faciant vel deponi nisi propter necessitatem praesentem, vel de proximo imminentem[1]. Caveant autem Fratres, ne pecuniam a dantibus seu[2] offerentibus deputatam in aliquos certos usus ad alios nisi ex eorum voluntate commutent; nec auctoritate propria dent vel recipiant aliquid vel permutent sine suorum licentia praelatorum, quia hoc nullo modo fieri potest, salva Regulae puritate.

Item, altaria quaestuaria seu cippi vel similia ad recipiendam pecuniam nusquam pro Fratribus habeantur; nec patiantur Fratres in locis suis, aut in praedicationibus, quod cum bacinis, vel chirothecis vel similibus pecunia pro Fratribus colligatur.

Item, Fratres, qui morantur in locis, pecuniam a transeuntibus non petant nec peti faciant; licet tamen panem et vinum humiliter petere; nec pecuniam occasione panis vel vini prorsus recipi faciant ullo modo. A praelatis terram suam exeuntibus nihil petant. Et si quis scienter contra fecerit, pro qualibet vice una die tantum in pane et aqua ieiunet.

Item, in poenitentiis, quas imponunt, non faciant, sibi aliquid dari nec Fratribus nec personae nec alicui loco speciali. Et cum in testamentis interfuerint, non procurent, sibi vel cognatis suis aliquid erogari; et quicumque scienter contra fecerit, tribus diebus in pane tantum et aqua ieiunet et ipso facto a confessionis officio sit suspensus, donec post iniunctam sibi condignam poenitentiam a praelato fuerit absolutus.

Nullum depositum servandum. Item, nullum depositum servetur in locis Fratrum in auro et argento, gemmis, seu alia re pretiosa, solis libris exceptis, nisi aliquis necessitatis articulus emerserit, quem Fratres non possent absque gravi scandalo declinare; et tunc de Guardiani fiat licentia, vel Vicarii cum consilio Discretorum. Et si quis contra fecerit, tribus diebus in pane tantum et aqua ieiunet. Nullus Frater quacumque ex causa pecuniam apud aliquem deponi sustineat vel servari sine licentia praelatorum et semper cum conscientia Guardiani, et hoc nulli concedatur, nisi pro evidenti necessitate fuerit faciendum. Et quicumque in hoc inventus fuerit vitiosus, tanquam proprietarius puniatur, nisi eius innocentia per certa indicia excusetur. Eodem modo puniatur qui in contrahendis debitis pro se vel pro alio inventus fuerit vitiosus; et de hoc specialiter Ministri et Custodes inquirere teneantur, et de his quae huiusmodi expendentur, diligenter exigere rationem.

Nec mutuum contrahendum. Nullus mutuum contrahat vel debitum, in quo Fratres se obligent ad solvendum, cum nihil proprium secundum Regulam habeamus; dicere tamen possunt, quod ad solutionem fideliter laborabunt et eleemosynas eis assignabunt, quando Deus ministraverit. Ministri, Custodes, Guardiani, procuratores et alii officiales de collatis et expensis reddant debitam rationem: itaque Minister in Capitulo provinciali et Custos ibidem coram Fratribus suae Custodiae, Guardianus et procurator semel infra quindecim dies coram aliquibus Discretis ad hoc a Fratribus loci assignatis; nec se nec locum aliquem in obligationem onerosam inducant absque provincialis Capituli consilio et assensu; et de obligationibus huiusmodi in quolibet provinciali Capitulo perquiratur. Tamen pro aedificiis construendis, vel pro locis mutandis vel ampliandis, aut etiam pro libris scribendis vel emendis debitum vel mutuum fieri firmiter prohibemus, nisi ubi Minister provincialis ex causa necessaria viderit dispensandum. Si vero sine debito vel mutuo pecunia servata fuerit vel oblata, de provincialis Ministri licentia, ubi necesse fuerit, fiant aedificia iuxta dispositionem eius, limites non excedentia paupertatis.

Contra curiositatem. — Cum autem curiositas et superfluitas directe obvient[3] paupertati, ordinamus, quod aedificiorum *curiositas* in picturis, caelaturis, fenestris, columnis et huiusmodi, aut *superfluitas* in longitudine, latitudine et altitudine secundum loci conditionem arctius evitetur. Qui autem transgressores huius constitutionis fuerint graviter puniantur, et principales de locis irrevocabiliter expellantur, nisi per Ministrum generalem fuerint restituti. Et ad hoc firmiter teneantur Visitatores, si Ministri fuerint negligentes. — Ecclesiae autem nullo modo fiant testudinatae, excepta maiori capella. Campanile ecclesiae ad modum turris de cetero nusquam fiat. Item, fenestrae vitreae historiatae vel picturatae de cetero nusquam fiant, excepto quod in principali vitrea post maius altare

---

[1] Cod. Trev.: « Quaeritur, quantam habeat habitudinem hoc quod dicitur *de proximo,* utrum scilicet necessitas, quae praesumitur venire post annum vel duos, dicenda sit *de proximo imminere,* et utrum pro emendis libris necessariis, vel areis, vel aedificiis construendis possit tamdiu pecunia deponi pro Fratribus et servari deposita, donec tanta congregata sit, quae sufficiat ad consummationem vel emptionis vel aedificiorum; et utrum illa dicantur *de proximo imminere,* quae de proximo imperantur inchoanda et consummanda, quamvis de proximo non necessaria? Respondetur, quod ad ea quae spectant ad victum et sustentationem vitae, necessitas ipsorum imminet per eundem annum et non ultra; non enim de proximo oportet talia providere in annum sequentem. Sed quoad libros et aedificia necessitas eorum de proximo imminet tunc, cum Fratres eis indiguerint; si non possunt ea statim incipere nec statim consummare, tamdiu possunt congregare, donec sufficiat ad consummationem ».

[2] E *aut.*

[3] E *obviet.*

chori haberi possunt imagines Crucifixi, beatae Virginis, beati Ioannis, beati Francisci et beati Antonii tantum. Et si de cetero factae fuerint, per Visitatores amoveantur [1].

Fratres aurifrigiatos [2] vel sericos pannos non habeant [cingulis et stolis exceptis, nec talibus aliunde commodatis utantur [3]]. Et ubicumque inventi fuerint, per Visitatores Ordinis auferantur. Fratres in locis habentibus parochiale coemeterium aut baptisterium non morentur, si eos oporteat mortuos sepelire et pueros baptizare.

Si autem Fratres in locis habentibus proprietatem morari contigerit, nec per se nec per interpositam personam de illa [4] proprietate se aliquatenus intromittant, nec ex pacto fructus eiusdem recipiant.

Item, sepultura in locis Fratrum stricte servetur, ut nullum admittant, quem absque notabili scandalo potuerint declinare. Et quicumque scienter contra fecerit, duobus diebus tantum in pane et aqua ieiunet.

Item, nec pro Fratre aliquo nec pro loco animal aliquod ab Ordine, vel ab aliquo nomine Ordinis teneatur, exceptis murilegis et quibusdam avibus pro immunditiis amovendis. Item, cum secundum Regulam Fratres nihil sibi appropriare debeant, ordinamus, quod Fratres nec per se nec per alium conveniant aliquem in iudicio pro re aliqua, vel iniuria temporali, ut in omnibus servetur puritas altissimae paupertatis.

De forma interius conversandi.

Rubrica IV.

Cum secundum Regulam teneamur duas Quadragesimas ieiunare, et intermedia suadeatur cum benedictione divina; ex huiusmodi amore benedictionis statuimus, quod tali hora comedant Fratres, ut omnes, qui ieiunare volunt, non graventur, scilicet hora sexta [5]. Apostolorum Vigiliae ieiunentur intus et extra, beatorum Philippi et Iacobi et Ioannis Evangelistae et Barnabae tantum exceptis. Vigilia beati Bartholomaei ieiunetur, et festum secundum morem patriae fiat [6]. Vigilia beati Francisci ieiunetur. Ieiunia Regulae in cibo quadragesimali serventur; et quotiescumque quis contra fecerit, toties in pane tantum et aqua ieiunet, nisi in itinere positus pisces habere non poterit vel pulmentum. Quadragesimalis ieiunii observantia a Quinquagesima inchoetur.

In locis Fratrum Fratres carnes non comedant nullo tempore, exceptis debilibus et infirmis. Et nomine *debilium* nolumus intelligi hospites euntes intra suam provinciam, nisi pro necessitate vel utilitate communi contigerit eos prolixam viam ire; nec minutos ratione minutionis; et quicumque contra fecerit, uno die sine dispensatione in pane tantum et aqua ieiunet. Possit tamen Guardianus illis providere, quos pro debilitate iudicaverit rationabiliter indigere. Quodsi manus scienter laxaverit ad alios, ad consimilem poenitentiam sit astrictus. Comestiones etiam carnium extra domum Fratrum per Fratres nullatenus procurentur; et quicumque contra fecerint, tribus diebus in pane tantum et aqua ieiunent [7].

[Item, contra superfluitatem ciborum statuimus, quod Fratres tam in generali Capitulo quam in provinciali quam etiam in Conventu, sive in refectorio, sive in ostalaria [8], sive infirmeria, uno tantum ferculo pro pietantia sint contenti et caveant pro posse a sumptuosis cibariis. Nec bibant in civitate vel villa, ubi Fratres morantur, nec comedant nisi cum praelatis et dominis terrarum et viris religiosis; et quicumque scienter contra fecerit, ad bibendam aquam in uno prandio intra [9] hebdomadam obligetur. Item, in diebus Sabbatorum sagimine vel alia carnium pinguedine pulmenta [10] non condiant, et nunquam coquinae Conventus commisceant carnes tritas].

Item, cum dicatur in Regula, quod « Fratres desiderare debent habere spiritum Domini et sanctam eius operationem, orare semper ad Deum puro corde »; ne devotionis fervor per inquietudinem multiloquii exstinguatur, ordinamus, quod silentium a dicto Completorio usque post *Pretiosa* [11] servetur, exceptis hospitibus de novo venientibus et infirmis et eisdem ministrantibus vel assistentibus, usque ad horam congruam de Guardiani sui licentia speciali.

Sileatur etiam in claustro, dormitorio, choro, studio et refectorio, dum comeditur; et hoc tam a forensibus quam a residentibus observetur. Similiter

[1] Codex noster *admoveantur*.

[2] E *aurifigiatos*, et in alio cod. in nota citato *aurifrigiatos;* in *Firmament. trium Ord.* p. I. fol. 25 col. 2. legitur falso *aut fligiatos* (!) *vel sericos*. Ceterum hoc intelligitur de sacris vestibus.

[3] In codice est inter parenthesim; conferatur E pag. 95.

[4] E *ista*.

[5] Cod. Trev.: « Quaeritur, quae sit hora sexta, et utrum Fratres tunc cantabunt Nonam ante vel post comestionem? Respondetur, quod hora sexta vocatur hora media inter horam, qua comeditur sexta feria, et inter horam, qua comeditur die dominica; nec oportet, tunc Nonam ante comestionem cantari, nisi contigerit, omnes Fratres de Conventu ieiunare; tunc enim in comestione et in Nona potest servari hora consueta in die Veneris ».

[6] Scilicet vel 24, vel 25 die Augusti.

[7] Ea quae posita sunt intra parenthesim in codice habentur ad calcem, sed hoc loco inserenda. Deinde pro *superfluitatem* E *superfluitates*.

[8] In alio codice apud Ehrle *hospitaria*.

[9] E *infra*.

[10] E *pulmentum*.

[11] Cod. Trev.: « Quaeritur, utrum haec constitutio ita obliget foris sicut intus? Respondetur, quod non; bonum tamen et honestum est silere foris, quantum fieri potest. — Secundo quaeritur, utrum propter negotia occurrentia liceat loqui, maxime praelato, salva hac constitutione? Respondetur, quodsi negotia sint talia, quae non possunt bono modo differri, licite potest fieri; si autem bono modo possunt differri, non licet fieri ».

hora dormitionis a Pascha usque ad festum Exaltationis sanctae Crucis. [Quolibet [1] autem die post secundam mensam immediate pulsetur campana refectorii, et ex tunc sileatur usque ad Nonam. In diebus ieiuniorum simili modo a pulsata campanella sileatur, usquequo fiat signum ad surgendum secundum spatium a Guardiano provide ordinatum]. Liceat tamen breviter et submisse significare quod necesse est. Et quotiescumque aliquis scienter, leviter tamen, silentium fregerit, dicat pro qualibet vice unum *Miserere mei, Deus,* vel tribus vicibus *Pater noster;* si quis vero notabiliter contra fecerit per clamosam vel prolixam silentii fractionem, dicat in Capitulo culpam suam, has differentias [2], prout se deliquisse meminerit, exprimendo. — Dicimus autem *clamosam*, quae perturbare potest circumstantes, *prolixam*, quae protenditur ultra spatium *Miserere mei, Deus*, cui a Guardiano abstinentia a pulmento, vel a vino, vel ab utrisque secundum culpae exigentiam imponatur. Nullus Frater habeat cameram clausam [vel a dormitorio sequestratam, Ministris exceptis et lectoribus in generalibus studiis constitutis [3]].

De Capitulo culparum.

Item, nullus Frater a culparum Capitulo per praelatum [4] aliquando eximatur; hospites etiam in locis, ubi ultra tres dies moram contraxerint, dicant in Capitulo culpas suas, et dicta culpa et accepta poenitentia, egrediantur. Omnes Fratres, tam clerici quam laici et forenses, post recreationem acceptam secundum exigentiam itineris et laboris veniant ad Completorium, et nullus remaneat sine causa legitima, et hoc de praelati sui licentia speciali. Et quicumque contra fecerit, uno prandio vino careat, vel pulmento.

De hospitalitate.

Fratres omnes hospites suscipiantur in visceribus caritatis, maxime venientes de extraneis provinciis et longinquis. Et si quando Fratres Praedicatores ad loca nostra venerint, velut Fratres nostri Ordinis benigne et caritative suscipiantur, et seminantes inter nos et ipsos scandala graviter puniantur.

De tonsura.

Fratres quindecim vicibus radantur in anno temporibus consuetis, et sit rasura non modica, sicut decet Religiosos, sic ut inter ipsam et aurem non sint [5] plures, quam tres digiti. Tonsuram non [6] desuper aures tam clerici quam laici facere procurent, et fiat temporibus opportunis. Et eisdem diebus communicent Fratres, nisi remanserint de licentia speciali. [Et tunc fiat sermo Fratribus in communi [7]]. Ad illud altissimum Sacramentum diligenter se praeparent Fratres omnes. Et ut hoc melius fiat, statuimus, ut singuli determinatos de licentia Guardiani habeant confessores, quibus bis ad minus confiteantur in qualibet septimana. Et de hoc solliciti sint Guardiani, ut per utriusque Sacramenti frequentiam sanctae conversationis in utroque homine puritas observetur.

De modo exterius exeundi.

Rubrica V.

De eont... per m... dom.

Cum Regula Fratribus per mundum euntibus maxime suadeat honestatem, statuimus, ut nullus Frater mittatur, nisi sit maturus moribus, vel cum socio provido et securo. Teneantur autem Fratres exeuntes in reditu suo secreto Guardiano [8] excessus suos notabiles per obedientiam invicem intimare. Et si unus Frater velit alteri confiteri quod ipse alias sciverit, non recipiat nisi sub hac conditione, quod possit dicere Guardiano. Et ut discursus inutilis compescatur, ordinamus, quod Ministri extra Provinciam suam non mittant Fratres absque necessitate, vel evidenti utilitate, certum eis in litteris obedientialibus praefigentes terminum revertendi. Custos etiam extra Custodiam suam ad Ministrum, vel alias, et Guardianus extra terminum guardianiae suae Fratres non mittant, nisi pro urgenti necessitate, vel evidenti utilitate viderint faciendum, praefixo sibi brevi et certo termino revertendi. Et quotiescumque quis contrafecerit praedictorum [9], toties ieiunet in pane et aqua. Et super huius constitutionis observantia diligenter a Visitatoribus inquiratur. Nullus Frater vadat pedes nec eques sine Fratre, aut sine Fratre socio alicubi commoretur.

De pec... non po... da.

Nullus etiam Frater in via portet nec alibi pecuniam alicuius. Et quicumque contra fecerit, tribus diebus in pane tantum et aqua ieiunet. Inhibemus districte, ut nullus Frater bursarium secum ducat in via nec puerum saecularem, qui portet pecuniam propter ipsum. Et si quis contra fecerit, pro qualibet refectione ab ipso recepta semel ieiunet in pane tantum et aqua. Fratres cum in itinere fuerint et ad tempus comedendi vel hospitandi pervenerint, ad Fratres veniant, nisi manifesta necessitate impediantur; et si quis contra hoc fecerit, una die tantum in pane et aqua ieiunet. Fratres transeuntes per viam nihil acquirant in terris, in quibus morantur Fratres, per quos transitum fecerint, nisi de licentia Custodis, vel Guardiani, et obediant eis, quamdiu morantur ibidem, et de manifestis offensis, quas faciunt, eorundem correctioni subiaceant.

Poenae ... tra vagai...

Fratribus sine obedientia vel sine testimonialibus litteris sui provincialis Ministri extra suam administrationem, vel Custodis extra suam Custodiam euntibus caputia et omnia, quae portant, auferantur et non reddantur nisi in casu excusabili [10] de consilio

---

[1] In codice haec pars parenthesi inclusa posita est ad calcem.

[2] E *circumstantias,* sed contra codicem.

[3] Ita ad calcem, sed primitus legebatur: *cameram clausam specialem nisi pro urgenti necessitate vel utilitate communi,* sed verba post *clausam* expuncta sunt.

[4] E omittit *per praelatum.*

[5] E *sit.*

[6] E *vero,* omisso *non.*

[7] Haec in margine.

[8] E addit *suo.*

[9] Praefigendum videtur *quid.*

[10] Ita E, codex perperam *inexcusabili.*

Discretorum; caputium tamen post diem septimum possit reddi. Idem fiat Fratri eunti sine socio, sive eques iverit, sive pedes. Hoc idem fiat ei qui portat pecuniam alicuius, vel bursarium secum ducit. Quodsi Guardianus, vel eius Vicarius poenam istam sic euntibus non inferret, tribus diebus in pane tantum et aqua ieiunet.

Fratres nihil portent in verbis vel scriptis, quod possit redundare in scandalum aliquorum, et scienter contrarium facientes probationis caputio et poena alia puniantur arbitrio Ministrorum secundum qualitatem delicti.

Nullus Frater ad Curiam domini Papae vadat vel mittat Fratrem absque licentia generalis Ministri. Quodsi aliter iverint aliqui, statim per Procuratores Ordinis de Curia expellantur et de negotiis eorum se nullatenus intromittant.

Item, ad generalem Ministrum non mittatur [1] pro licentia impetranda, nisi ardua causa vel urgens necessitas hoc requirat.

Inhibemus districte, quod nullus Frater impetret per se vel per alium litteras a domino Papa pro loco aliquo obtinendo sine generalis Ministri licentia speciali. Si contingat, Fratres alicuius provinciae incurrere manifestam necessitatem exeundi a locis suis in tanta multitudine, quod in eadem Provincia non possent aliquatenus sustentari; teneantur vicini Ministri sic exeuntes in suis Provinciis collocare, dummodo ipsi per sui Ministri litteras transmittantur, facientes de eorundem Fratrum gravamine mentionem, salvo tamen remedio per proximum sequens generale Capitulum apponendo. Si autem huiusmodi constitutionis necessitas non affuerit, nullus mittat Fratres ad aliquem Ministrum, nisi sibi prius constiterit de voluntate illius Ministri, qui [2] velit eos sponte in sua provincia collocare. Et si quis aliter missus fuerit, non recipiatur.

Si contingat, aliquem Fratrem onerosum et periculosum transferri de una provincia ad aliam ad morandum, teneatur firmiter Minister, de cuius provincia egreditur, significare Ministro, ad quem mittitur, periculosas conditiones illius, ut eidem, sicut expedit, caveatur. Hoc idem faciat Generalis [3].

Item, cum Regula dicat, quod « Fratres non debeant equitare, nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur »; ordinamus, quod quotiescumque aliquis equitaverit, toties in pane tantum et aqua ieiunet sedens in terra coram Fratribus, nisi cuius causa et necessitas fuerit sufficiens [4] iudicata per praelatum cum consilio Discretorum. Idem dicimus de carrucis [5]. Et si praelati in hoc fuerint culpabiles, per Visitatores acrius puniantur. Et nihilominus ministratores et Ministri culpabiles per eosdem Visitatores denuntientur Capitulo generali.

De non equitando.

De occupationibus Fratrum.

Rubrica VI.

Cum Regula dicat, quod « Fratres, quibus dedit Dominus gratiam laborandi, laborent fideliter et devote »; ordinamus, quod Fratres tam clerici quam laici compellantur per suos Superiores in scribendo, studendo et aliis laboribus sibi competentibus exerceri. Et si quis notabiliter inventus fuerit otiosus, iuxta formam Apostoli [6] usque ad satisfactionem condignam ab aliis sequestretur. Et si Superiores in hoc negligentes fuerint, a Visitatoribus puniantur, qui diligenter inquirant, qualiter ista constitutio servetur.

De otio vitando.

Si Fratres alicubi indigent obsequiis puerorum saecularium, intra domos Fratrum non iaceant nec ad interiora obsequia admittantur, videlicet infirmariae, refectorii vel coquinae, sed magis ipsi Fratres pro Christo humilitatis officia non recusent. Et si quis Guardianus, vel vicarius, praeter evidentem necessitatis articulum aliter fieri permiserit, pro qualibet vice una refectione a pulmento abstineat, vel a vino.

---

[1] E *mittantur*.

[2] E *quod*. [3] E addit *Minister*.

[4] Ita E, cod. *sufficienter*.

[5] Cod. Trev.: « Quaeritur hic primo, utrum in hoc casu praelatus, qui non habet superiorem penes se, ita possit indicare de necessitate propria et excusari, sicut indicat de necessitate subditorum et iudicando excusat? Respondetur, quod potest, cum consensu tamen et iudicio Discretorum, vel statim, si sint praesentes, vel postea, cum ad Fratres pervenerit. — Secundo quaeritur, cum Fratres in itinere non habent praelatos penes se, qui de necessitatibus eorum iudicent, utrum ipsi possint de ea iudicare et secundum probabile indicium currum, quem in via invenerint, sine transgressione huius constitutionis ascendere, maxime in ipsa provincia [videtur esse in terris Germaniae], ubi frequenter currus haberi possunt sine scandalo, eo quod frequenter vadunt vacui nec redeunt onusti, et saepe Fratribus acquiescunt? Respondetur, quod possunt iudicare et possunt currum ascendere, si censuerint, se indigere; verumtamen non sufficit eorum iudicium, nisi postea accedat iudicium praelatorum et Discretorum consentiens eorum indicio. — Tertio quaeritur, utrum magna laxatio vel profunditas viae, vel intemperies aëris possit facere necessitatem; et utrum magna prolixitas viae sine interpolatione continuandae possit interpolatam carrucationem non praeordinatam, sed in via occurrentem et oblatam excusare? Haec enim omnia videntur esse rationabilia. Respondeo, quod sic. Idem dico de interpolata carrucatione non praeordinata, sed occurrente in via valde prolixa sine interpolatione continuanda, cum maxime prolixitas viae continuandae induxit indigentiam rarae et interpolatae requietionis in carrucatione occurrente, non praeordinata; secus enim esset de via non valde prolixa. — Quarto quaeritur, cum carrucatio est occulta aliis Fratribus, nunquid pro occulto excessu debet facere poenitentiam publicam? Respondetur, si credit Fratribus innotuisse, faciat, alioquin non faciat. — Sed quid, si unus duorum Fratrum socium suum in via volentem carrucare, de cuius necessitate dubitat, non vult relinquere eum nec solus potest remanere, et ideo invitus sociatur ei in curru? Respondeo: Non tenetur ad poenitentiam. — Nunquid poenitentia de curribus tangit praelatos? Respondeo, quod sic; et si non fecerint, debent per Visitatores puniri ».

[6] Epist. II. ad Thess. 3, 6. et deinde 10: Quoniam, si quis non vult operari, nec manducet.

Confessores audiant confessiones horis certis a provinciali Capitulo ad hoc statutis. Nullus sacerdos confessiones Religiosorum aut saecularium audiat absque licentia sui provincialis Ministri, et obtenta licentia dioecesani episcopi, vel proprii sacerdotis, et nullus hanc licentiam petat sine sui Ministri licentia, vel Custodis. Item, Minister nullos licentiet, nisi quos cum magna deliberatione discretos probaverit et securos; et hoc in provinciali Capitulo tantum fiat. Item, nullus Frater pro confessione audienda, seu quacumque alia de causa iuxta mulierem stet aut sedeat, nisi ubi ipse et eius socius libere possint mutuo se videre. Et caveant omnes Fratres a prolixis colloquiis mulierum. Et quicumque contra fecerit, a sociis accusetur.

De confessionibus audiendis.

Nullus Frater monasteria aliqua Monialium vel aliqua habitacula mulierum fieri aliqua ratione procuret. Nec a muliere votum continentiae requirat, seu oblatum recipiat, aut ad faciendum [1] sibi obedientiam inducat. Et quicumque contra fecerit, tribus diebus tantum in pane et aqua ieiunet.

Probibitiones variae.

Nullus Frater procuret per se, vel per alium quoquo modo, committi sibi vel alii Fratri aliqua negotia procuranda per reges, principes, vel praelatos, seu communitates, nec procuret, quod maneat vel equitet cum eisdem. Si quis contra fecerit, beneficiis Ordinis ipso facto indignus habeatur, et si sacerdos fuerit, ipso facto suspensus sit a confessionibus audiendis.

Item, quicumque Frater sine licentia Ministri generalis archiepiscopatum vel episcopatum receperit, nisi per talem obedientiam compellatur, quam transgrediendo peccaret mortaliter; ipsum statuto praesenti liberis suffragiis, societate et beneficiis Ordinis tam in vita quam in morte privamus. Idem de illis statuimus, qui promoti sunt, quorum vita infamis in scandalum Ordinis noscitur redundare.

Item, nullus Frater ordines recipiat sine licentia sui provincialis Ministri, vel Custodis, cui provincialis Minister licentiam dederit. Et quicumque contra fecerit, a suscepto ordine suspendatur, quousque a generali seu provinciali Ministro secum fuerit dispensatum.

Nullus praedicatorum [2] praedicet, quamvis secundum Regulam fuerit examinatus, cum prohibitus fuerit a suo Ministro provinciali.

Prohibemus, ut de cetero Fratres, qui nesciunt legere Psalterium, litteras non addiscant, nec alii eos doceant. Et si quis contra fecerit, a communione officii et mensae separetur usque ad satisfactionem condignam. Et de laicatu ad clericatum nullus ascendat absque licentia Capituli generalis.

De mittendis Parisios ad studium.

Item, mittendi Parisios [3] ad studendum primo exerceantur tribus, vel duobus annis post novitiatum in aliquo studio suae provinciae, vel vicinae, nisi adeo fuerint litterati, quod post novitiatum continuo possint mitti. Non mittantur nisi tantum de [4] auctoritate Ministri cum consilio et assensu Capituli provincialis. Taliter autem missi studeant quatuor annis ad minus, nisi adeo fuerint provecti, quod merito iudicentur idonei ad lectoris officium exsequendum.

Circa mittendos autem attendatur, quod sint ad proficiendum habiles, fortes corpore, eloquentiae bonae et conversationis honestae, non contentiosi, sed mites et pacifici inter Fratres. Teneantur autem Fratres mittere illos quos iudicaverint idoneos magis secundum conditiones praemissas. Si autem aliquem miserint, qui propter defectus notabiles sit indignus; tribus diebus tantum in pane et aqua ieiunent, illi scilicet, quorum consilio est transmissus [5]. [Idem modus teneatur circa alios, qui ad alia generalia studia transmittuntur, et eidem praecepto et poenae subiaceat [6] qui scienter consuluerit de aliquo, vel praesentaverit aliquem ad praedicationis vel confessionis officium, de cuius vita et spe proficiendi in exsecutione iniungendi talis sibi officii probabiliter dubitatur. Quodsi aliquis se, vel alium per saeculares personas procuraverit mitti ad studium generale; ipso facto omnibus officiis Ordinis sit privatus, quousque per Generalem secum fuerit dispensatum. Insuper quicumque procuraverit, se ad Ordinis officia promoveri, sicut indignus ab omnibus officiis repellatur].

Possit autem quaelibet provincia habere duos studentes Parisius sine aliqua provisione, quibus provideatur in libris secundum arbitrium provincialis Capituli et Ministri.

Teneantur studentes in suo reditu de tota provisione reddere rationem, et caveant, ne eleemosynas sibi missas pro libris in alios usus commutent [7], nec libros fieri faciant curiosos.

De scriptis publicandis.

Item inhibemus, ne de cetero aliquod scriptum novum extra Ordinem publicetur, nisi prius examinatum fuerit per generalem Ministrum, vel provincialem et Definitores in Capitulo provinciali. Et quicumque contra fecerit, tribus diebus tantum in pane et aqua ieiunet et careat illo scripto [8]. [Nullus Fratrum [9] audeat aliquam opinionem asserere vel approbare scienter, quae a magistris nostris communiter reprobatur; nec opinionem singularem cuiuscumque suspectam vel calumniabilem, maxime contra fidem vel [10] mores audeat defensare. Et qui contra fecerit, nisi admonitus per Ministrum resipuerit, ab omni doctrinae officio sit suspensus].

---

[1] E *faciendam*.
[2] E *praedicator*.
[3] E *Parisius*.
[4] E *tamen nisi de*.
[5] Quod sequitur intra parenthesim scriptum est ad calcem.
[6] E *subiaceant*.
[7] E *convertant*.
[8] Quod sequitur intra parenthesim scriptum est ad calcem.
[9] Pro *Fratrum* E *Frater*.
[10] E *et*.

Nullus Frater libros scribat vel scribi faciat ad vendendum, nec Minister provincialis audeat habere vel retinere aliquos libros sine licentia Ministri generalis; nec aliqui Fratres accipiant vel habeant absque licentia suorum provincialium Ministrorum; et nulla Biblia emenda pretium viginti librarum Turonensium excedat. Si contingat, aliquem Fratrem transferri de una Provincia ad aliam ad morandum, libros sibi concessos ad usum possit habere; post mortem vero suam [1] libri scripti vel empti de eleemosyna ad illam Provinciam revertantur, ad quam dicta eleemosyna pertinebat; et ad hoc fideliter faciendum Ministri firmiter, in quorum Provinciis decesserit, teneantur. Et ut hoc melius observetur, Fratres, qui transferuntur, relinquant in scripto nomina librorum valentium ultra quartam partem marchae Ministris illis, de quorum administrationibus transferuntur.

Nullus libros aliquos retineat sibi assignatos, nisi sint totaliter in Ordinis potestate, quod libere per Ministros dari valeant et auferri. Nullus Frater Bibliam, vel Testamentum de eleemosyna habeat, nisi sit ad studium aptus, vel ad praedicandum idoneus; et hoc de licentia suorum Ministrorum. Ministri, cum Fratres suos visitant, libros et res alias sibi faciant resignari, et si quem libros habere praeter necessarios invenerint, dispensent cum Definitoribus in Capitulo provinciali [2] non habentibus, volentibus de illis fructum facere animarum.

De correctionibus delinquentium.

Rubrica VII.

Cum secundum Regulam Fratrum delinquentium correctio pertineat ad Ministrum, ordinamus, quod Fratres pro lapsu carnis, pro inobedientia contumaci, pro receptione pecuniae per se vel per alium contra Regulam, pro enormi furto, pro iniectione manuum violenta in alium ad Ministrum provincialem accedere non postponant. Haec quinque supradicta Ministrorum discretioni et arbitrio relinquuntur secundum expositionem domini Gregorii Papae, ut inspecta qualitate et quantitate culpae, et considerato statu personae, Fratribus, prout melius viderint, poenitentiam iniungant [3]. [Ab excommunicatione vero pro iniectione manuum possit Custos absolvere, pro poenitentia ad Ministrum secundum Regulam transmittantur].

Nullus eiiciatur, vel incarceretur nisi pro manifesto et enormi excessu. *Enormem* dicimus excessum vel ratione generis peccati, ut est lapsus carnis aut perfidia haeresis; vel ratione circumstantiae, sicut est furtum rei notabilis, vel notorie factum, vel quia [4] frequentius iteratum. [Et de similibus idem iudicium habeatur].

Quicumque inventus fuerit proprietarius, libris omnibus et omni actu legitimo sit privatus; laici vero et clerici, qui libros vel officia non habent, probationis caputio puniantur. Et si quis talis in morte inventus fuerit, careat ecclesiastica sepultura.

Si Frater Fratri minabitur in persona, uno mense portare probationis caputium teneatur. Si autem [5] manum levaverit, vel aliquid acceperit contra Fratrem, ei caputium probationis tribus mensibus imponatur. Si autem non graviter percusserit, praedictam probationem portet per annum; si autem graviter percusserit, et levis persona fuerit, post macerationem in carcere [6] de Ordine expellatur; et si gravis persona fuerit, incarceretur. Eidem poenae subiaceat qui similia per alium procuraverit, vel ad huiusmodi facienda inventus fuerit machinari.

Si Frater aliquid fecerit, propter quod merito poenam carceris debeat sustinere, Guardianus vel Custos vel eorum Vicarii de consilio Discretorum possint ipsum detinere, sive sit eorum subditus sive non, donec per Ministrum, quid sit agendum de tali, fuerit definitum.

Personae notatae evidenter de colloquiis suspectis et consortiis mulierum, quae in Regula prohibentur, si admoniti et correcti sufficienter se non correxerint, si in officiis fuerint, absolvantur, nec taliter absoluti seu suspensi restituantur nisi in Capitulo provinciali. Officia Ordinis intelligimus non solum praelationis, sed praedicationis, confessionis, lectionis, visitationis, definitionis et electionis ad Capitulum pro Discretis, et ad hoc Ministri firmiter teneantur.

Si quis per conspirationem vel coniurationem vel malitiosam concordiam adversus aliquem superiorem Fratrem, et maxime praelatum se manifeste erexerit; omni officio Ordinis et actu legitimo privetur per Ministrum, quousque post condignam satisfactionem per Capitulum provinciale fuerit restitutus.

Appellatio in nostro Ordine sub interminatione anathematis nulla fiat, cum non venerimus contendere, sed delicta potius emendare. Et quicumque contra fecerit, ipso facto ab omni actu legitimo sit suspensus; et nisi infra diem naturalem resipuerit, a communione Fratrum separetur.

In virtute Spiritus sancti et obedientiae prohibemus districte, ne quis causam depositionis Ministri

[Margin notes: De libris vendendis et habendis. — De quinque peccatis Provinciali reservatis. — Excessus enormes. — De proprietariis. — Peccata contra proximum. — Facultas detinendi reum. — De suspectis consortiis. — De conspiratione. — De appellatione. — De secretis non publicandis.]

[1] Cod. primitus addidit: *omnes libri, quos tempore suae translationis;* quae verba postea expuncta sunt.
[2] In E deest *provinciali,* deinde substituit bene *valentibus* pro *volentibus.*
[3] Quod hic et infra sequitur intra parenthesim scriptum est in calce.
[4] E omittit *quia,* et infra sex verba habentur in calce.
[5] E omittit *autem.* [6] E *in carcerem.*

generalis, provincialis, Custodis seu Guardiani, vel eorum excessum seu correctionem, aut secretum Capituli, seu dissensionem Definitorum vel Fratrum, vel aliquid aliud, unde Ordo noster possit turbari, vel infamari, audeat scienter extra Ordinem publicare. Et si quis talium fuerit deprehensus, omni actu legitimo et officiis Ordinis privetur. Et cui haec poena non competit, probationis caputio puniatur, vel etiam gravius, secundum quod Ministro videbitur de consilio Discretorum.

Contra machinantes Ordinis divisionem. Item, sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis verbo vel facto aliquo modo ad divisionem nostri Ordinis laborare praesumat. Si quis autem ex deliberatione contra fecerit, tanquam excommunicatus et schismaticus ac destructor nostri Ordinis habeatur, et quousque satisfecerit, a communione omnium separetur.

De incorrigibilibus. Fratres incorrigibiles cum suis excessibus diligenter conscriptis et examinatis fideliter per Ministrum vel Custodem vel Visitatorem ad provinciale Capitulum transmittantur. Qui si adeo incorrigibiles fuerint, quod nec culpam humiliter cognoscere nec poenitentiam condignam subire voluerint, incarcerentur, vel de Ordine expellantur. Si vero poenitentiam recipiant et correctionem promittant, cum misericordia poenitentia imponatur; quam si portare contempserint, ad consueta vitia revertentes, in sequenti Capitulo poena consimili puniantur [1] [id est eiectionis vel carcerationis].

De eiectis et apostatis. Item, nullus eiectus vel per se egressus mittatur ad generalem Ministrum. Si tamen talis ad eum venerit, non eum recipiat, sed Ministro vel provinciali Capitulo remittatur. Huiusmodi autem apostatae misericordiam postulantes recipiantur, salva Ordinis disciplina, nisi praeterita vita eorum receptione ipsos iuste reddat indignos. Nec aliquis apostata ad officia Ordinis restituatur nisi per Ministrum in Capitulo provinciali cum Definitorum consilio et assensu; similiter nec ad habitum, nisi in casu excusabili [2] fuerit visum Ministro de consilio Discretorum. Habens in Ordine officium aliquod, si apostataverit cum notabili scandalo Ordinis, non restituatur in perpetuum absque dispensatione generalis Ministri.

Quilibet Minister provincialis habeat ordinariam iurisdictionem auctoritate generalis Ministri excommunicandi, capiendi et incarcerandi et alia poena puniendi super apostatas aliarum Provinciarum in Provinciis suis. Idem possint Custodes et Guardiani in casu necessitatis.

Caveant autem Ministri et Custodes, quod non permittant, apostatas sive [3] suae, sive alterius Provinciae in scandalum Ordinis evagari.

De capitulis domesticis. Quia vero *qui negligit modica paulatim labitur* [4] ad maiora, ordinamus, quod Guardianus, vel eius Vicarius teneat Capitulum ad minus semel in qualibet septimana, in quo Fratres de quotidianis excessibus et negligentiis se accusent; et ne aliquid reprehensibile abscondatur, solliciti sint Guardiani omni sero officinas Fratrum diligentius visitare. Custos etiam sollicitus sit corrigere, si qua fuerint in Fratribus suae Custodiae corrigenda. Et sufficiat ei semel in anno Fratres suos ordinarie visitare, nisi aliqua necessitas plus requirat. Et ne simplicioribus Fratribus ignorantia sit occasio delinquendi, Custos, cum visitat, illis Regulam et Constitutiones in vulgari diligenter exponat.

De poenis Superioribus impositis. Item, ne labor generalis Capituli sit inanis, et in contemptum veniat Ordinis disciplina, ordinamus, quod nullus simplex sacerdos nec confessor nec Guardianus nec Custos nec provincialis Minister seu Visitator absolvat aliquem Fratrem, qui transgressus fuerit constitutiones, in quibus sunt poenae taxatae, nisi eas quas meruerit poenas faciat vel facere sit paratus. Et qui contra scienter fecerit, eius absolutio irrita sit et cassa; possint tamen poenae taxatae in poenas aequivalentes commutari per praelatos vel sacerdotes discretos, vel etiam in poenas arbitrarias, cum fuerit haesitatio in conscientia, vel oblivio in memoria, vel in corpore impotentia faciendi.

Ordinamus, quod nullus Minister provincialis a poenitentia, quam posuerit Visitator, et nullus Custos a poenitentia, quam imposuerit Minister, nec Guardianus a poenitentia imposita a Custode, nec aliquis inferior a poenitentia Guardiani absolvat aliquem vel commutet absque licentia imponentis. Et si [5] contra factum fuerit, ipsa absolutio sit inanis.

Facultas Generalium Provincialium arctatur. Ordinamus insuper, quod Generalis nullum faciat generale statutum nisi in generali Capitulo cum Definitorum assensu, et quod nullum privilegium impetret, quod possit Regulae derogare, nec statutum aliquod aliter solvat vel laxet, nisi forte in speciali ex causa necessaria vel valde utili viderit dispensandum.

Caveant autem provinciales Ministri a multitudine provincialium constitutionum et etiam quorumlibet praeceptorum propter oblivionis et transgressionis periculum evitandum.

De visitationibus provinciarum.

Rubrica VIII.

Quoties mittendi sint Visitatores. Cum Regula dicat, quod « Fratres, qui sunt Ministri et servi aliorum Fratrum, visitent et moneant fratres suos et caritative corrigant ipsos »; ad praestandum eis adiutorium et ad negligentiam corrigendam ordinamus, quod a tertio anno in tertium per speciales Visitatores visitetur totus Ordo, ita quod

---

[1] Sequentia sunt ad marginem. E *carceris* pro *carcerationis*.

[2] Ita E, cod. videtur primitus habere *ita excusabili*, vel *inexcusabili*.

[3] E omittit *sive*.

[4] Eccli. 19, 1: Et qui spernit modica paulatim decidet.

[5] In codice perperam *qui*.

quaelibet Provincia per unum Visitatorem semel visitetur, cui detur socius unus discretus, qui succedat ei in officio visitationis tempore infirmitatis vel mortis, cum quo etiam habere possit collationem et consilium in dubiis, non expressis personis, de quibus agitur, si fieri potest. Teneantur autem Ministri et Definitores bona fide providere ei de uno alio Fratre idoneo ratione honestatis, discretionis et zeli ad tale officium exsequendum. Si autem alterum illorum mori vel infirmari contigerit, teneatur Custos illius Custodiae de Discretorum aliquorum consilio superstitem de idoneo socio providere. Assignentur autem in generali Capitulo de aliis Provinciis secundum dispositionem Capituli generalis, ita quod post secundum Capitulum provinciale a generali tali tempore incipiant visitare, quod expleta visitatione, provinciali Capitulo visitatae Provinciae valeant interesse, quod immediate praecedit sequens Capitulum generale. Isti visitent singula loca absque Constitutionum et personarum et aedificiorum mutatione, in locis conventualibus infra tres dies, in non conventualibus infra duos ad plus suum officium exsequentes. Qui postquam ad locum Fratrum pervenerint, exsequi incipiant infra tres dies, nisi manifesta et evidenti necessitate, aut communi Fratrum voluntate fuerit differendum.

[...]orum facultas.

Visitatores huiusmodi non intromittant se de occultis vel discrete correctis nec de discretione vel indiscretione correctionis discutiant, nisi talis indiscretio per Fratres fuerit accusata. Caveant etiam, ne super criminibus, de quibus infamia non processit, inquirant particulariter, antequam crimina huiusmodi in publico accusentur.

Procedatur ergo in hunc modum.

[...]dus procedendi.

Primo legatur Regula in communi, deinde Constitutiones, postea praecipiatur in virtute obedientiae, ut omnes, qui interrogabuntur ab eis, respondeant bona fide, si sciunt, vel fama est, Fratrem praesentem vel absentem, de quo fiet interrogatio, excessisse contra aliquem articulum praedictorum, ita quod factum vel fama probari possit.

Postea dicant Fratres singillatim culpas suas et egrediantur per ordinem, ita quod residui incusent egressum, de quo in publico fuerit accusandus.

Districte per obedientiam inhibemus, ne personae accusantes accusatis vel aliis modo aliquo scienter revelentur; quod maxime fieri de nominibus accusantium Ministrum prohibemus, nisi de crimine accusati in excusatione sua petierint a suo Superiori, sibi accusantis et testium nomina relevari. Interdicimus etiam accusatis, ne scienter de nominibus accusantium se inquirant, nisi cum quis de crimine accusatur et petiit, sibi accusantium nomina revelari. [Et quicumque contra fecerit, revelando scilicet vel inquirendo, non possit nisi per Ministrum absolvi; quodsi Minister in culpa fuerit, de suis videlicet accusatoribus inquirendo scienter, vel accusatores aliorum indebite revelando, tribus diebus in pane tantum et aqua ieiunet [1]]. Nullus Frater accuset aliquem de aliquo, cuius veritas vel fama probari non possit. Qui vero contra fecerit pro eo, quod Fratrem commisisse asseruerit, poenam sustineat, quae accusato infligi deberet, si de crimine illo convictus fuisset. Idem fiat de illo qui scienter aliquem de aliquo [accusaverit], de quo fuerit sufficienter correctus. Si vero in probatione infamiae, de qua tantum accusat, defecerit, pro culpae modo legitime puniatur. Accusationes, quae scribendae sunt, certis verbis iuxta approbationem Capituli conscribantur. Fratri etiam incusato, postquam revocatus fuerit, audientia non negetur. Teneantur autem Fratres Visitatoribus suis in his quae ad officium suum pertinent, et non in aliis, obedire. Et in nullo teneatur aliquis Visitatori obedire, quod non possit per duos alios Fratres probari.

Restringitur eorum facultas.

Visitatores ergo iuxta formam praemissam corrigant excessus Fratrum, quos visitabunt, hoc salvo, quod excessus Ministri provincialis, et si aliqua invenerint difficilia, Capitulo provinciali reportent. Et tunc cum Ministro et Definitoribus correctionem coram illis tantum, qui sciunt, exerceant de inventis, nisi sit talis excessus, qui sit poena publica puniendus. Aliis vero agendis Capituli non intersint. Quidquid autem portaverit Visitator ad Capitulum provinciale corrigendum, ibidem vel de loco ad locum deferat illud sub sigillo illius loci, in quo invenerit.

Si vero Visitator reputet, aliquid valde notabile in Provincia corrigendum, quod Minister et Definitores Capituli illius non possint vel nolint corrigere, seu corrigendum non reputent; casus instructus, cum rationibus opinionis utriusque [2] conscriptus communiter sub sigillo Ministri et Visitatoris per Discretum Provinciae electum iturum ad Capitulum de Provincia, mittatur Capitulo generali, vel ad minus Visitatores per se, si Capitulum non conveniret, vel non consentiret.

De secretis non manifestandis.

Teneantur autem Visitatores per obedientiam firmiter et districte et eorum socii, ne ea quae per visitationem cognoverint, scienter nescientibus revelent, vel extra Provinciam secum portent, sed datis poenitentiis sine mora omnia in publico destruant vel comburant. Socii tamen Visitatorum Capitulo non intersint. Excessus autem Visitatorum, examinati per provinciale Capitulum, transmittantur correctioni Capituli generalis, ita tamen, quod, si Visitator in Provincia illa fuerit, nuntietur eidem; si vero absens, significetur sibi per litteras speciales, ut se excusaturus compareat, si voluerit, Capitulo generali, alioquin de iis, in quibus accusatus fuerit, nihilominus puniatur. Caveant autem Visitatores a munusculis petendis vel accipiendis; quodsi culpabiles fuerint, accusentur Capitulo generali.

---

[1] Haec scripta sunt in calce.

[2] Ita E, codex *et opinionibus utriusque*.

De domo Parisiensi. Insuper ordinamus, quod singulis annis visitetur domus Parisiensis per specialem Visitatorem missum a generali Ministro, qui, si invenerit aliquem insolentem, possit cum Ministro provinciali ipsum remittere ad suam Provinciam.

Munuscula non recipiantur. Visitatores Dominarum pauperum et eorum socii et provinciales Ministri aliqua munuscula ab eis non recipiant ullo modo; nec aliis Fratribus quibuscumque liceat ibi comedere vel de nocte dormire.

De electionibus Ministrorum.

Rubrica IX.

Cum secundum Regulam generalis Minister sit a Ministris provincialibus et Custodibus eligendus, ordinamus, quod ad electiones procedatur hoc modo.

Modus eligendi Generalem. Electoribus congregatis die ad eligendum praefixa, primo invocata Spiritus sancti gratia, Disquisitores ad hoc assumti singulorum vota seorsum aliquantulum coram oculis omnium perquirant fideliter et conscribant; ita quod singuli, antequam recedant ab eis, audiant, qualiter conscripserint vota sua. Quibus per ordinem conscriptis, statim in eodem loco, antequam Fratres discedant vel colloquantur ad invicem, publicent in medium quae conscripserunt. Quodsi divina gratia inspirante in unum aliquem concordaverint, illius electio firma est absque aliqua quaestione. Si vero in partes aequales se diviserint, ille in quem plures medietate omnium eligentium consenserint, ex vi talis electionis et praesentis constitutionis verus electus habeatur. Surgat tamen ex electoribus unus ad hoc deputatus et dicat: « In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Ego, frater N., nomine meo et omnium nostrum eligo talem Fratrem in generalem Ministrum Ordinis nostri ». Quo facto statim incipiant: *Te Deum laudamus.*

Item, eligendi Provincialem. Circa provinciales Ministros eligendos similiter procedatur, excepto: *Te Deum laudamus.* Si vero, iterato huiusmodi scrutinio, quoties videbitur electoribus expedire, contigerit, quod nullus esset electus a maiori numero electorum, possint communiter compromittere in tres vel quinque Fratres idoneos et discretos, qui vice omnium de praeficiendo valeant providere.

De casu, quando moritur Generalis. Si vero generalem Ministrum mori contigerit ante festum S. Michaelis, Minister, in cuius ministratione moritur, vel Vicarius, teneatur significare sine dilatione Ministris omnibus, quibus poterit, bona fide, ut in Pentecoste sequenti fiat Capitulum generale. Si vero post dictum festum decesserit, nuntietur nihilominus, ut dictum est, non tamen fiat generale Capitulum anno illo, nisi alias eodem anno debuerit celebrari, sed celebrabitur in sequenti, et hoc in illo loco vel Provincia, ubi ordinatum fuerat per generalem Ministrum celebrari. Minister vero Provinciae, ubi fiet Capitulum generale, potestatem habeat super alios in Capitulo coercendi eos in iis quae ad expeditionem Capituli pertinent, quousque electus sit generalis Minister, si fuerit praesens electus, si vero absens, Minister Provinciae, ubi fiet Capitulum, assumtis secum duobus Ministris, uno transmontano et alio cismontano, de se ipsis vel aliis de uno provideant Ministro, qui super alios usque ad finem Capituli habeat potestatem. Quod etiam intelligimus, quandocumque alia de causa praedicto Capitulo Generalis non poterit interesse.

Ordinamus, quod Ministri provinciales, convocato provinciali Capitulo, a subditis eligantur, confirmandi per generalem Ministrum. Electores autem Ministrorum provincialium, postquam ad Capitulum convenerint, eligant praecise in die sequenti; ipsos tamen non oportet includi. Quodsi ipsa die non elegerint, ex tunc eis generalis Minister provideat de Ministro. Possit autem Minister provincialis eligi de toto Ordine. Quodsi, provinciali Capitulo congregato, Ministrum provincialem mori contigerit vel absolvi, possint Fratres in eodem provinciali Capitulo congregati alium sibi eligere in Ministrum, quamquam ad hoc missi non fuerint vel vocati. Si vero electores praefati in eligendo non convenerint, possint et debeant Provinciae de Vicario providere. Si autem, mortuo generali Ministro, aliquem provincialem Ministrum mori contigerit, et alium eligi; statuimus, ut per Ministrum Provinciae vicinioris loco Capituli, in quo electio celebrabitur, et per duos Custodes eiusdem Provinciae, similiter viciniores, electione et electo legitime examinatis et approbatis, electus confirmetur. Electus vero et Fratres, qui propter examinationem electionis et electi a praedictis Ministro et Custodibus fuerint vocati, eisdem in omnibus, quae ad examinationem et confirmationem pertinent, teneantur firmiter obedire. Electio [Pro]vinciali[um].

Custos vero, in cuius Custodia moritur Minister provincialis, postquam sibi de morte Ministri constiterit, certo die praefixo, in quo possit commode convenire Capitulum provinciale, teneatur, quanto citius[1] poterit, convocare, nisi propinquus fuerit terminus provincialis Capituli celebrandi. Custos vero illius Custodiae, in qua Capitulum celebrabitur, tenebit Capitulum, quousque Vicarius sit[2] electus. In quo Capitulo, facta electione provincialis Ministri, instituatur Vicarius de consensu maioris partis Capituli, quousque Minister in Provincia habeatur. Qui taliter institutus Fratres non mittat extra Provinciam ad manendum nec aliquos recipiat in sua Provincia moraturos. Item, Fratres non transeant de una Custodia in aliam ad manendum, nisi evidens necessitas vel communis utilitas hoc requirat; et hoc de conscientia Custodum illorum, si fieri potest bono modo. De c[asu] quando [mo]ritur [Pro]vinciali[s].

[1] E *quam citius.*

[2] E *fuerit.*

Item, non privet Custodiam vel locum vel Fratrem libris vel rebus aliis nisi ex [1] causa urgente cum Fratrum loci consilio Discretorum.

ctione tom et diano- m.

De Custodibus autem et Guardianis provideatur in hunc modum. Minister provincialis [2] in Capitulo provinciali cum consilio et assensu Definitorum, et requisito consilio Fratrum de Custodia in Capitulo existentium, Custodiae provideat de Custode. Quodsi ante provinciale Capitulum contigerit mori Custodem aliquem vel absolvi, Minister, requisito consilio sex Discretorum ad minus de Custodia, eidem Custodiae provideat de Custode.

Item, Minister in provinciali Capitulo cum consensu et consilio Definitorum, et requisito consilio Custodis et aliquorum Fratrum [3] locis conventualibus provideat de Guardianis. Quodsi ante Capitulum provinciale Guardianum aliquem conventualem [4] mori contigerit vel absolvi; si Minister ad locum illum commode accedere poterit, requisito aliquorum Discretorum de conventu eodem consilio, de Guardiano illi loco provideat. *Conventum* autem dicimus, ubi tredecim Fratres et supra possint continue commorari [5]. [Si vero Guardianum non conventualem mori post Capitulum provinciale contigerit, Custos, requisito consensu Ministri, si est in Custodia, provideat illi loco de Guardiano; ne tamen illum amoveat sine Ministri licentia speciali]. In locis autem non conventualibus Custos quilibet in sua Custodia Guardianos instituat, aliquorum loci consilio requisito; non tamen ipsos amoveat sine Ministri licentia.

ou se- vitam nuoem potest igi.

Nullus praeficiatur in officio Fratrum, nisi qui possit ducere communem vitam, quae tam a praelatis quam a subditis observetur, maxime in vestimentis, cibis et lectis.

De Capitulo provinciali.

Rubrica X.

d fiat i anno.

Cum Regula dicat, quod « Ministri et Custodes possint in singulis Provinciis Fratres ad Capitulum convocare »; ordinamus, ut singulis annis in singulis Provinciis provinciale Capitulum celebretur, iuxta quod magis congruerit cuilibet regioni, in qua locus et dies sequentis Capituli assignetur, ita quod redeuntes de Capitulo generali proximo praecedenti valeant interesse.

vocali- nos.

Ad istud Capitulum conveniant Custodes et Fratres de Provincia, secundum quod in provinciali Capitulo fuerit ordinatum, proviso tamen, quod multitudo venientium, quo melius poterit, evitetur.

In hoc Capitulo et in aliis electionibus vocem per se non habeant Fratres in Monasteriis commorantes. Admittantur tamen ad electionem Discreti ad Capitulum mittendi in locis, iuxta quae morantur, sicut Fratres ceteri de Conventu.

De Discretis.

Teneantur Fratres per obedientiam eligere Disquisitores zelum Dei et communis utilitatis habentes. Et quicumque contra fecerit scienter, tribus diebus in pane et aqua ieiunet. Hanc autem electionem faciant primo die, alioquin Custos eis provideat de Discreto.

Capitulum Guardiani.

Guardianus autem teneat Capitulum, quando de excessibus Ministri et Custodis et eorum insufficientia et de aliis transmittendis ad Capitulum provinciale inquiritur. Cum vero de Guardiani excessibus inquiritur, aliquis eorum institutus a Guardiano de consilio aliquorum Discretorum teneat Capitulum. Praedicti vero de excessibus et insufficientia praelatorum diligenter inquirere teneantur; et alii Fratres teneantur bona fide veritatem de omnibus respondere. Custos vero huiusmodi scrutinio non intersit. Istud autem scrutinium ultra unius diei spatio nolumus prolungari.

Quid portandum sit ad Capitulum.

Nihil portetur ad Capitulum, nisi quod fuerit discussum et examinatum, probatum legitime et approbatum a maiore parte Fratrum locorum suorum, fideliter conscriptum, lectum et sigillatum coram omnibus loci sigillo, ut ad provinciale Capitulum destinetur. Quicumque contra fecerit, repellatur a Capitulo, et nihilominus graviter puniatur. Quando autem discutiuntur mittenda ad provinciale Capitulum, diligenter examinentur gravia, quae proponuntur, et in speciali de facto, si vidit, de verbo, si audivit ab eo qui accusatur, et inquiratur de loco, tempore et modo. Et haec forma in visitatione qualibet observetur.

De excessibus Superiorum.

Excessus autem Ministri et Custodis, Guardiani et aliorum, qui corrigendi fuerint, coram illis tantum, qui noverunt [6] excessus, in provinciali Capitulo audiantur, et qui corrigendi fuerint corrigantur, nisi talis sit excessus, qui sit poena publica puniendus. Item, excessus Guardiani, qui mittentur ad provinciale Capitulum, recitentur ei in publico coram Conventu suo, si ad dictum Capitulum non fuerit profecturus. Et si aliquid grave accidisset in Provincia, vel contigisset in via, quod alias ad Capitulum missum non esset; debeant Fratres, quibus notum est, coram Definitoribus accusare.

Modus procedendi.

Isti in loco Capituli congregati ipsa die quiescant et deliberent usque mane diei sequentis. Et tunc, audita Missa, ingrediantur Capitulum, et invocata Spiritus sancti gratia, fiat sermo Fratribus in communi. Deinde eligant de se ipsis tantum quatuor Definitores per disquisitionem trium, quos Minister, Custos et Guardianus loci, vel duo ipsorum, si tertius defuerit, ad hoc duxerit eligendos.

In huius Capituli principio Custodes et Guardiani conventuales per se, si praesentes fuerint, vel

---

[1] *Ex* omittitur ab E. [2] E *Ministri provinciales.*
[3] Ita E, cod. *in locis.*
[4] E omittit *conventualem.*
[5] Hic in margine: *qui vocetur conventus.* Quae in parenthesi sequuntur scripta sunt in calce.
[6] E *noverint.*

per litteras, si absentes, semper renuntiare teneantur. Quorum renuntiatio a Ministro, vel ab eo qui tenet Capitulum loco eius, cum Definitoribus in fine Capituli, si videbitur, admittatur. Si autem Minister interesse non poterit, Vicarius eius, si fuerit, vel Custos, in cuius Custodia Capitulum celebratur, Capitulum teneat loco eius. — Praedicti vero Definitores possint corrigere provincialem Ministrum, definire et expedire cum ipso omnia, quae ad provinciale Capitulum pertinebunt, quae sunt haec: collatio super transmissis ad Capitulum, correctio eorum quae provinciali Capitulo corrigenda notificabuntur; ordinatio eorum quae ad necessitatem vel honestatem morum Provinciae videbuntur pertinere, cum diversae Provinciae diversis consuetudinibus varientur; nullas tamen faciant constitutiones aut ordinationes ibidem absque maioris partis Capituli consilio et assensu; divisio Custodiarum, ordinatio locorum, receptio, mutatio vel divisio [1] locorum, assignatio librorum notabilium Fratrum decedentium vel ab Ordine recedentium. Et dicimus *librum notabilem* valentem dimidiam marcham argenti et supra. Definitoribus vero tempore suae definitionis nihil de huiusmodi libris erogetur.

Subditi autem, qui fuerunt [2] Definitores in praecedenti generali seu provinciali Capitulo, in proximo sequenti Capitulo non sint Definitores. Et dicimus hic *subditos* omnes sub Ministris provincialibus constitutos. Praedicti etiam electores quintum ex se ipsis eligant, qui in hoc tantum possit articulo, videlicet, ut, si quatuor Definitores in correctione Ministri in partes aequales se diviserint, eorum sententia praevaleat, quam idem duxerit approbandam. Idem tamen quintus, qui sic eligitur in Capitulo provinciali, non intelligatur pro Definitore, unde potest sequenti anno eligi Definitor. Electis igitur Definitoribus, litterae, quae super facto provincialis Ministri a Fratribus locorum sunt transmissae, eisdem Definitoribus repraesententur; et si qui sint in eodem Capitulo, qui praeter illa quae scripta sunt, probabilia tamen, habeant dicere de Ministro, Definitoribus tantum dicant [3]. Qui super scriptis aut taliter relatis, habita seorsum diligenti deliberatione, Ministrum corrigant secundum formam superius praetaxatam.

Continuatio.

Et quandocumque Definitores voluerint aliquid in Capitulo de Ministro inquirere, teneatur ipse Minister de Capitulo exire; qui si incorrigibilis fuerit, ipsum ab officio ministerii suspendant et sine dilatione causam suspensionis sive incorrigibilitatis per Capitulum approbatam sub sigillo Vicarii et Custodis Ministro significent generali. Quo suspenso, Vicarium de consilio et assensu maioris partis Capituli Definitores constituant. Qui [4] si insufficiens reputatur, eidem similiter significent, ita tamen, quod neutrum horum fiat absque maioris partis Capituli consilio et assensu.

De mittendis ad Capitulum generale.

Nihil mittatur ad generale Capitulum, quod non fuerit prius per provinciale Capitulum discussum, examinatum, probatum legitime et approbatum a maiori parte Capituli provincialis, fideliter conscriptum, lectum et sigillatum coram omnibus sigillis Ministri et Custodis et Guardiani loci, in quo Capitulum celebratur, nisi, facto provinciali Capitulo, adeo grave emergat, quod sine gravi periculo usque ad sequens provinciale Capitulum differri non possit. Et si talis eventus non tangat provincialem Ministrum, vel eius Vicarium, praeter alterius eorum consilium non mittatur; si vero Ministrum tangat, per Custodem, Guardianum et Fratres loci, ubi contingit [5], primo discussum de consilio Vicarii destinetur. Si tangat Vicarium, ab eisdem discussum modo idoneo nuntietur Capitulo generali.

Teneantur autem Capitula provincialia per obedientiam scribere Capitulo generali de excessibus et insufficientia Ministri, de receptione inutilium per eundem et de statu et communi pace Provinciae sub eodem. Et si pax non fuerit, causam turbationis scribant; et sciant, quia secundum illa quae mittentur, procedetur in Capitulo generali.

Nihil autem scribatur Capitulo generali pro petendo Ministro vel commendando ipsum a Capitulo provinciali. Possunt tamen scribere, si quid habent dicere contra eum. Idem modus teneatur circa Custodes et Guardianos ad Capitulum provinciale.

De Capitulo generali.

Rubrica XI.

Cum Regula dicat, quod generale Capitulum fiat, ubicumque et quandocumque [6] a Ministro generali fuerit ordinatum, statuimus de voluntate generalis Ministri, ne ultra tres annos generale Capitulum differatur [7], nisi generalis Minister cum generali Capitulo in proximo praecedenti Capitulo pro manifesta necessitate duxerit prolongandum. Item, propter labores Fratrum compatiendos ordinamus, quod generale Capitulum alternatim citra montes et ultra de cetero celebretur, in quacumque Provincia vel loco generalis Minister duxerit ordinandum.

Quoties fiat.

De vocibus.

Ad generale Capitulum conveniant Minister quilibet cum uno tantum honesto socio et Custos electus a Custodibus et unus Discretus a provinciali Capitulo electus. Et si alterum istorum mori vel ita infirmari, quod non possit venire, contigerit, alius Custos a Custodibus et alius Discretus a Custodibus et Discretis aliquibus a Ministro vocatis eligatur. Si tamen contingat, aliquem ex praedictis vel aliquos

[1] E *dimissio,* sed simul notatur, codicem habere *divisio.*
[2] E *fuerint.*
[3] E *dicantur.*
[4] E *Quod.*
[5] E *continget,* et deinde recte *discussum* bis pro *discussus.*
[6] *Et quandocumque* est ad marginem.
[7] Et revera ita semper fecit sanctus Bonaventura.

non convenire, nihil eorum quae per Capitulum expedienda sunt, propter hoc omittatur. Si aliquem de venientibus ad Capitulum generale contigerit manifeste impediri, ne veniat; teneantur Fratres reliquum associare de loco ad locum, donec societas occurrerit opportuna. Idem fiat de Fratribus euntibus pro confirmatione provincialis Ministri.

Vicario provinciali. Minister autem provincialis, quando vadit ad Capitulum generale, [vel alias extra suam Provinciam, vel si infirmatur, quod non possit provinciali Capitulo interesse, instituat Vicarium de consilio Discretorum. Vicarius vero sic institutus a Ministro, si Minister in generali Capitulo absolutus fuerit, vel ipsum interim mori contigerit, remaneat Vicarius auctoritate generalis Ministri, usquequo provinciale Capitulum congregetur. Custos similiter, cum ad generale vadit Capitulum, instituat Vicarium in Custodia de aliquorum suae Custodiae [1]] consilio Discretorum.

Si vero tempore instantis Capituli usque ad finem eiusdem aliqui alii ad locum Capituli venerint, eis habitus per Guardianum loci vel eius Vicarium auferatur, et a loco Capituli statim cum probationis caputio emittantur, quod debeant per octo dies portare. Quodsi Guardianus vel eius Vicarius talibus sic non fecerint, una die tantum in pane et aqua ieiunent. Idem autem fiat venientibus ad provinciale Capitulum non vocatis. Si qui vero terminum constitutum praevenerint, una die tantum in pane et aqua ieiunent, sedentes in terra coram Fratribus.

Definitores generales. Ordinamus, quod generalis Capituli Definitores sint Ministri et unus subditus de qualibet Provincia in provinciali Capitulo ad hoc electus. Et dicimus hic *subditos* omnes sub Ministris provincialibus constitutos, salva tamen generalis Ministri correctione, absolutione, electione et confirmatione, quae secundum Regulam Ministris et Custodibus conceditur. In quo Capitulo Ministri semper per se, si praesentes fuerint, vel per litteras, si absentes, renuntiare teneantur. Quorum renuntiatio a Generali, vel ab eo qui tenet Capitulum loco eius, cum assensu Capituli, si videbitur, admittatur. In omnibus autem memorati Capituli definitionibus sententia plurium indistincte praevaleat et inviolabiliter observetur, excepto, quod in multiplicatione vel divisione Provinciarum sententia duarum partium habeatur; nec ab ea aliquis appellare praesumat.

Congregati igitur Ministri et dicti Custodes feria sexta proxima ante festum Pentecostes, et non prius, quiescant et deliberent usque mane diei sequentis; et tunc, audita Missa, ingressi Capitulum, cantent hymnum: *Veni, Creator Spiritus* etc., deinde versiculum: *Emitte Spiritum tuum;* Orationem: *Deus, qui corda,* usque *per Christum Dominum nostrum.* Respondetur *Amen.*

Postea tractent de statu et correctione generalis Ministri hoc modo. Minister generalis in primis coram omnibus se accuset; post haec egrediatur. Quo egresso, Guardianus loci, assumtis secum aliquot discretis Fratribus de conventu, dictos Ministros cum Custodibus in conclavi recludat, ita quod nullatenus exire valeant, nec ullo modo alimenta aliqua ministrentur, donec providerint, ut oportet, circa statum generalis Ministri. Et ad hoc tam includentes quam inclusi firmiter teneantur. Itaque si quis contra fecerit, excommunicatus sit ipso facto.

Processus inclusorum sit talis. Minister provincialis illius Provinciae, in qua Capitulum celebratur, vel si ipse defuerit, Custos eius requirat in publico a singulis per ordinem, si quid habent dicere de excessibus vel insufficientia generalis Ministri; qui etiam Minister, cum generalis Minister interesse nequiverit, Capitulum teneat loco eius, et singuli teneantur bona fide accusare ipsum, de quibus reputaverint incusandum. Quodsi aliquae accusationes notabiles proponantur, dictus provincialis Minister, vel Custos cum duobus Discretis, quos ex praesentibus sibi ad hoc assumet, diligenter conscribant. Quas postquam conscripserint et mox in medium recitaverint, eidem revocato audientia concedatur. Et eodem egresso, iterum super accusationibus et excusationibus communis collatio habeatur. Qua peracta, praedicti Disquisitores singulorum vota sicut in electione facienda publice perquirant, utrum eis appareat, dictum generalem Ministrum esse corrigendum tantum, vel etiam penitus amovendum. Quibus conscriptis et mox in medium recitatis, iuxta sententiam maioris partis [2] medietate omnium ad correctionem eius vel amotionem procedatur hoc modo. Si tantum corrigendus fuerit, per Ministros et Custodes ibidem continuo corrigatur. Si vero penitus fuerit amovendus, praedicti tres Disquisitores eidem revocato seorsum et secreto prius suadeant voluntariam cessionem, et si incontinenti non cesserit, habeatur nihilominus pro amoto; ac statim, ipso foras egresso et ostio, ut prius, firmiter obserato, ad electionem alterius procedatur, ita ut in mane diei sequentis habeat Ordo alium generalem Ministrum praesentem, vel absentem.

Feria secunda post Pentecostes mane cantatur Missa de Spiritu sancto; qua cantata, intrent Fratres locum Capituli, et fiat sermo Fratribus in communi. Quo completo, recitetur numerus Fratrum defunctorum a tempore generalis Capituli proximo praeteriti, pro quibus dicatur Psalmus *De profundis,* in fine *Requiem aeternam. Pater noster. Et ne nos. A porta inferi. Requiescant in pace. Domine exaudi. Dominus vobiscum.* Oratio: *Absolve.*

Numerus autem Fratrum ibidem recitatus ad singulas Provincias deferatur, ut in singulis provincialibus Capitulis modo simili absolvantur. Post hoc litterae praesentandae praesententur, et recommendatitiae in fine Capituli legantur, et respondeatur de

[1] Praecedentia scripta sunt in calce.

[2] Ita E; verba *maioris partis* deficiunt in cod.

quibus fuerit respondendum. Hinc omnes, qui non debent interesse Capitulo, exeant.

Extranei excludendi.

Nullus Religiosus alterius Religionis vel professionis nullusque saecularis cuiuscumque ordinis, dignitatis vel vitae tractatibus Capituli admittatur.

Missi ad excusandum Fratres, qui non venerint, audiantur. Deinde fiat collatio super iis quae de Provinciis ad Capitulum sunt transmissa, et provideatur per generalem Ministrum et Definitores de singulis, ut oportet, de correctione corrigendorum et [1] ordinatione ordinandorum. Et quaeratur diligenter, qualiter Regula et statuta generalis Capituli in singulis Provinciis fuerint custodita. Provideatur etiam de lectoribus, praedicatoribus, de mittendis inter Saracenos et alios infideles, de mittendis de una Provincia in [2] aliam ad manendum, de novis Provinciis capiendis et ministrationibus distinguendis et huiusmodi.

Finis Capituli.

In fine assignetur locus, in quo sequens Capitulum celebretur. Et fiat communis confessio et absolutio, perseverantibus benedictio, apostatis anathematizatio. Postea cantetur: *Te Deum laudamus*, versiculus: *Confirma hoc Deus*, Oratio: *Actiones nostras*, in fine: *per Christum*. Similis solemnitas in fine provincialis Capituli observetur.

De suffragiis defunctorum.

Rubrica XII.

Ordinationes variae.

Ordinamus, quod pro Fratribus nostris et familiaribus defunctis, quorum recommendatio facta fuerit in Capitulo generali, quilibet sacerdos annuatim celebret unam Missam de mortuis, quilibet Frater clericus quinquaginta Psalmos, quilibet Frater laicus centum *Pater noster*. Et pro vivis familiaribus Missae et Psalmi et Pater noster totidem persolvantur.

Ordinamus etiam, ut pro cardinali, qui in Ordinis regimine decesserit, a quolibet sacerdote Ordinis tres Missae de mortuis celebrentur et a quolibet clerico unum Psalterium et a quolibet laico tercentum *Pater noster*.

Pro generali Ministro in officio decedente dicantur a sacerdote quolibet tres Missae, a quolibet clerico unum Psalterium et a quolibet laico tercentum *Pater noster*. Et pro illis qui vadunt ad Capitulum generale, si tunc contigerit, eos mori, una Missa dicatur a quolibet sacerdote.

Officium pro defunctis Fratribus et benefactoribus ter in anno solemniter celebretur, scilicet proxima die ante festum beatae Mariae Magdalenae et proxima die ante festum beati Michaelis et feria secunda post dominicam Septuagesimae; clerici Vesperas et Vigiliam cum novem lectionibus et Missam cantent; laici dicant centum *Pater noster*. [Similiter officium fiat pro patribus et matribus omnium Fratrum ultima die ante Adventum [3]]. Obitus domini Innocentii Papae tertii 17. Kal. Augusti celebretur, obitus domini Gregorii noni 10. Kal. Septembris, similiter obitus domini Innocentii quarti 2. Idus Decembris celebretur, et in crastino domini Stephani cardinalis; similiter fiat pro Procuratore Ordinis in officio decedente.

DEFINITIONES.

Haec sunt definitiones factae in Capitulo generali Narbonae praedicto, quamvis in aliquo renovatae et modificatae sint [4].

Ordina quoad cede Consti ne

Quilibet Guardianus studeat sollicita diligentia in domo sua Constitutiones generales habere, quas ipse sub custodia reservet et caveat, quod ab [5] extraneis nullatenus communicentur. Ipsas etiam Constitutiones faciat semel in mense suis Fratribus legi, ubi et quando sibi videbitur expedire, maxime septem capitula prima, quae omnem tangunt communitatem [6]. Et istis publicatis veteres destruantur.

Quoad ram I riori Missa

Studeant Ministri, quod usque ad sequens Capitulum generale littera Breviariorum et Missalium corrigatur ad exemplar verius [7], quod habere poterunt, secundum Constitutiones Ordinis approbatas.

Quoad nii

Obsecrat generalis Minister cum generali Capitulo universo omnes Fratres, voluntarie in Quadragesima sancti Francisci in Conventu una refectione esse contentos ad amovendas [8] multas deordinationes et ad obtinendam benedictionem paternam, exceptis hospitibus, debilibus et infirmis.

Quoad visic bladi

Interdicimus, quod nullus de cetero capiatur locus, unde Fratres absque congregatione bladi et vini vivere non possint; et ubicumque locorum huiusmodi abusio pro viribus exstirpetur [9].

Quoad tii

Studeant Ministri Fratrum loquocitates restringere et Fratres ad silentium inducere in suis Capitulis, in mensis etiam [10] extra refectorium, cum Capitulum generale in hoc concordaverit.

Quoad ni

Pueri servitores [11] Fratrum non servent pecuniam datam pro Fratribus.

---

[1] E adiungit *de*.
[2] E *ad*.
[3] Ad calcem habetur.
[4] Praeter promulgationem praecedentium Constitutionum in eodem Capitulo factae sunt aliae ordinationes, quae etiam *memorabilia* illa aetate vocabantur. Lectio dicti codicis Vaticani pluries corrigi potuit textu impresso in opere *Firmamentum trium Ordinum S. Franc.* Paris. 1511 I. pars, fol. 24 v.-25 v., cum inscriptione: « Hic sunt quaedam notabiles definitiones factae in parte, in parte renovatae in Capitulo generali Narbonae celebrato ». Ibi autem quaedam constitutiones omittuntur, sed in fine plures aliae adiiciuntur. Hanc editionem significamus litteris Fir.
[5] *Ab* videtur expungendum. Verba *et caveat... communicentur* desunt in Fir.
[6] Fir. *utilitatem*.
[7] Fir. *unius;* deinde cod. habet *secundum consuetudinem... approbatam* pro *constitutiones... approbatas*.
[8] Ita Fir., cod. perperam *ad movendas*.
[9] Haec ordinatio deest in Fir.
[10] E habet *et*.
[11] Haec vox deficit in cod.

Collectiones pecuniarum pro Fratribus [1] in Fratrum praedicationibus nullatenus fieri permittantur.

Thuribula, cruces et ampullae de argento omnino amoveantur. Et de cetero calices simplices fiant in opere plano et pondus duarum marcharum et dimidiae non excedant; nec plures calices quam altaria habeantur, excepto uno pro Conventu.

...atioaes ...riae.

Definimus, quod Custodes et Guardiani habeantur pro praelatis, et Generalis eis curam animarum committit, et Guardiani in omnibus obediant Custodibus suis [2]. Caveant tamen, ne in suis officiis ad invicem se perturbent.

Generalis vult, quod Minister provincialis non committat alicui [3] receptionem Fratrum extra suam Provinciam nisi in studiis generalibus; et quod Ministri transeuntes per alienas Provincias in recipiendo stricte se habeant, et quos recipiunt secum ducant cum firmo proposito nullatenus remittendi.

Admodum [4] testitudinatae non fiant ecclesiae nisi super altare absque licentia generalis Ministri.

Quaelibet domus in terminis Provinciarum habebit loca sibi viciniora, sive sint de suo [5] episcopatu vel regno, sive non, nisi ex causa speciali Generalis aliter duxerit ordinandum.

...eclara- ...e Inno- ...ii IV.

Declaratio domini Papae Innocentii quarti [6] maneat suspensa, sicut fuit in Capitulo Metensi [7] determinatum, et inhibemus districte, ne aliquis utatur ea in his, in quibus expositioni domini Gregorii noni contradicit.

...catum ...rvatum.

Item, nullus confessor [8] possit absolvere de tactibus impudicis, nisi qui licentiam habuerit [9] absolvendi de lapsu carnis; et si qui consuetudinarie fuerint deprehensi, puniantur sicut de lapsu carnis. Idem dicimus de sollicitantibus [10] ex certa scientia ad peccatum.

...ae con- Capitu- ...rovincia- lia.

Capitulum generale punit Capitula provincialia, quae non scripserunt de statu Provinciarum suarum secundum generalem constitutionem positam sub praecepto, poena unius psalterii quemlibet de Capitulo et unius diei in pane et aqua et trium disciplinarum, et sciant, quod amplius, si neglexerint, gravius punientur.

...ae ordi- ...tiones.

Inhibeant Ministri provinciales Fratribus cingula cum cultellis et bursis et bursas inferius latentes in tunica habitus.

Revocat generalis Minister omnia praecepta et edicta praecedentium generalium Ministrorum, sive lata fuerint in litteris sive in verbis.

Quaedam rubricae.

Fiat officium duplex maius de beatissima Trinitate in octava Pentecostes. De quatuor Doctoribus, scilicet Augustino, Gregorio, Hieronymo et Ambrosio, fiat officium semiduplex. De sancto Bernardo fiat officium die suo, scilicet 13. Kalendas Septembris.

De sancta Clara fiat officium duplex, sicut Papa mandavit, et nomen eius ponatur in litania. Antiphona de sancta Maria semper dicatur post Completorium nisi triduo ante Pascha. Nomen beati Francisci in confessione ponatur. Cantetur interdum in Vesperis: *Caelorum candor* in commemoratione beati Francisci. In illa antiphona beati Francisci, quae sic incipit: *Hic vir in vanitatibus nutritus indecenter*, fiat talis mutatio, *divinis charismatibus praeventus est clementer* [11].

Carnes non comedantur.

Item sollicite servetur constitutio generalis, quae dicit, quod in locis Fratrum Fratres carnes non comedant ullo tempore, exceptis debilibus et infirmis, quibus Guardiani providere possint, secundum quod iudicaverint rationabiliter indigere; et illa etiam, quae dicit, quod Fratres in Capitulo generali vel provincialibus nullo modo carnes comedant.

Circa paupertatem.

Cingulum habeatur chorda communis et rudis, et nihil portetur appensum ad chordam. Nec cingula habeantur interius cum cultellis et bursis, nec etiam bursae inferius in tunica habitus habeantur laterales.

Caveant Fratres pro posse a sumtuosis cibariis et uno ferculo sint contenti. Et in mensis suis vasis aut cyathis vitreis seu etiam stanneis non utantur.

Cum autem curiositas et superfluitas directe obvient paupertati, ordinamus, quod aedificiorum curiositas in picturis, caelaturis, fenestris et columnis et huiusmodi, in longitudine, latitudine secundum loci consuetudinem arctius evitetur. Campanile etiam ad modum turris de cetero nusquam fiat. Vitrinae quoque historiatae vel picturatae de cetero nusquam fiant, excepto, quod in principali vitrea post maius altare possint habere imagines Crucifixi, beatae Virginis, beati Francisci et beati Antonii tantum.

Continuator.

Item, tabulae sumtuosae seu curiosae super altare vel alibi de cetero nullae fiant. Et si de cetero huiusmodi vitreae vel tabulae sic factae fuerint, per

---

[1] E omittit *pro Fratribus;* tota haec ordinatio deest in Fir. sicut et sequens.

[2] Hic ex Fir. addidimus *suis*, et supra *in* ante *omnibus*, et infra Fir. habet *conturbent* pro *perturbent*.

[3] Fir. *aliis*.

[4] Fir. *Amodo*.

[5] Pro *de suo* Fir. *in*.

[6] Fir. addit *supra relata*, et infra post *Metensi* ex eodem supplevimus *determinatum*.

[7] Anno 1249 a B. Ioanne Parmensi celebrato. Litterae dictae Innocentii IV. de 14. Nov. 1245 habentur apud Sbaraleam, Bullar. I. 400. Plura ibi dubia circa Regulam solvuntur, et quoad recursum ad amicos spirituales pro emendis rebus a Fratribus utendis quaedam ibi occurrunt loquendi formulae nimis vagae, praesertim quia, cum Gregorius IX. hunc recursum restringat ad *rem necessariam*, Innocentius addit *et utilem*, et verbis *pro necessitate* addit *vel commodo eorum*. Postea in declaratione Regulae Nicolai III. haec accuratius determinata sunt.

[8] Ita Fir.; cod. *Nullus sacerdos*.

[9] Ita Fir., cod. *habent;* deinde pro *de lapsu carnis* Fir. *a peccato carnis*, et continuo, omissis ceteris articulis, adiungit alios infra positos.

[10] E *sollicitationibus*.

[11] In *Firmamento* solo habentur sequentes ordinationes, dum supra quinque ultimas omisit; cum referantur sub eadem inscriptione, reputanda sunt esse Narbonenses.

Visitatores Provinciarum amoveantur etc. Qui autem fuerint transgressores constitutionis ipsius vel paragraphi graviter puniantur, et principales de locis irrevocabiliter expellantur, nisi per Ministrum generalem fuerint restituti. Et ad hoc firmiter teneantur Visitatores, si Ministri fuerint negligentes; qui nihilominus loca illarum Provinciarum, quas visitant, in huiusmodi vitiosa denuntiare debeant generali Capitulo per obedientiam salutarem. Et propter excessus iam factos circa huiusmodi, ne trahantur in consuetudinem, praecipimus Fratribus universis, ut nullus per se vel per alium, per quascumque personas in Ordine vel extra Ordinem ducere vel inducere faciat vel procuret, talia fieri, vel licentiam a praelatis Ordinis de cetero postulari. Et ad observantiam praedictorum Ministri, Custodes, Guardiani et eorum Vicarii ac Visitatores per obedientiam teneantur, transgressores acriter puniendo et attentata in contrarium de cetero destruendo.

Continuatur. Item, thuribula, cruces, ampullae et quaecumque vasa vel imagines de auro vel argento per obedientiam amoveantur et de cetero per eandem obedientiam nullatenus habeantur, nisi in crucibus vel aliis de praedictis essent aliquae reliquiae venerandae, vel nisi esset pyxis vel vasculum aliquod pro Christi corpore, ut moris est, reportando. Et de cetero calices simplices fiant in opere et pondus duarum marcharum et dimidiae non excedant. Nec plures calices quam altaria habeantur, excepto uno pro Conventu. Et ad haec Custodes et Guardiani per obedientiam teneantur. Nec auro frigiatos [1] vel sericosos pannos Fratres habeant absque licentia et dispositione Ministri et Definitorum in Capitulo provinciali, qui provideant, ut excessus in talibus evitetur.

De parochialibus coemeteriis. Fratres in locis suis habentes parochiale coemeterium aut baptisterium non morentur, si eos oporteat mortuos sepelire et pueros baptizare. Si autem in locis habentibus proprietatem morari contigerit, nec per se nec per interpositam personam de illa proprietate se aliquatenus intromittant nec ex pacto fructus eiusdem percipiant.

Contra eleemosynas perpetuas. Inhibemus etiam, ut nullus Frater inducat aliquam personam ad ordinandum eleemosynam perpetuam, annuatim vel certis temporibus Fratribus exhibendam. Et si aliqua taliter legata fuerit, nullo modo a Fratribus in iudicio exigatur.

Notandum. Item, nec pro Fratre aliquo nec pro loco animal aliquod ab Ordine vel ab aliquo nomine Ordinis teneatur, exceptis murilegis et quibusdam avibus pro immunditiis removendis, nisi ex evidenti necessitate cum aliquo loco fuerit dispensandum per Ministrum cum consilio Capituli provincialis.

RUBRICAE BREVIARII [2].

Quoad Adventum. Dominica prima de Adventu tres versus primi Responsorii dicantur a tribus alternatim incipiendo a parte hebdomadarii, et Gloria Patri ab eisdem dicatur in medio chori simul ad pulpitum.

Item, laudes feriales legendae in festo sanctae Luciae sine capitulo, hymno, versiculo et oratione dicantur.

Quoad Nativit. Nota, quod prima rubrica, si Nativitas Domini venerit die lunae, Sabbato sequenti fiat officium de Nativitate totaliter secundum primam rubricam, quae dicit: *In illo die* etc. Et in Missa dicatur totum officium maioris Missae Nativitatis praeter Epistolam: *Apparuit benignitas* etc., et Evangelium: *Pastores loquebantur.* Aliis autem temporibus dicantur omnia de Dominica secundum sequentem rubricam, quae incipit: *Si Nativitas Domini* etc. Tres Missae dicantur in Nativitate Domini solemniter, et in prima Missa dicatur Kyrie eleison et Gloria de Dominica; in secunda vero Kyrie eleison et Gloria de minoribus duplicibus; in tertia vero de maioribus. Rubricae, quae dicit, quod hymni in Nativitate Domini et per Octavam dicantur cum *Gloria tibi, Domine, qui natus es*, addatur: et usque ad Epiphaniam. Idem fiat in Responsoriis brevibus, in Prima scilicet, *Christe, Fili* etc. Si Epiphania, scilicet Octava eius, cadat in Sabbato, in secundis Vesperis a Capitulo in antea fit de Dominica, nec fiat commemoratio de Apostolis nec de beato Francisco nec de pace. In Coena Domini celebret quicumque vult, sed Sabbato sancto solus hebdomadarius. In ferialibus diebus infra Pascha et Pentecosten secundum Responsorium in Matutino et secundum Alleluia in Missa cantetur a duobus Fratribus. Semper cereus paschalis tollatur post diem Ascensionis et non ante, et accendatur in diebus solemnibus et dominicis ad minus in Missa.

Quoad Kalendas Septembris. Si Kalendae Septembris veniunt in die *dominica, Iob* et *Tobias* habent Dominicas debitas, *Iudith* vero unum diem infra hebdomadam, Esther alium diem. Vel die Lunae veniunt, *Iob* et *Tobias* et *Iudith* singulas habent Dominicas, Esther autem unum diem. Vel die Martis et Mercurii, singulae habent Dominicas singulas. Vel die Iovis, tres primae habent Dominicas debitas, Esther unum diem tantum. Vel si die Veneris vel Sabbati, tres primae historiae habent singulas Dominicas, Esther autem duos dies. Rubrica

---

[1] Fir. habet mendose *aut fligintos.*

[2] Hae rubricae in Capitulo Pisis an. 1263 a S. Bonaventura celebrato additae sunt antiquo Ordinis Caeremoniali, sub Ministro generali Haymone perfecto et 1242 in Capitulo Bononiensi publicato. Haec notitia innititur testimonio antiqui Breviarii, quod in bibliotheca Capituli Patavini (cod. B 51) asservatur, ubi (fol. 2. r.) legitur: « Incipiunt rubricae datae in Capitulo generali Pisis celebrato. — Dominica prima de Adventu tres versus primi » etc., ut supra in textu. Sed in Breviario illo sunt multo plures quam in cod. nostro Vaticano, nempe numero quadraginta. Plura de hoc habet cl. P. Ehrle, cit. Archiv, VI. pag. 37. 38.

vero de quinque Dominicis et de historia Esther ponenda in Quatuor Temporibus deleatur omnino. — Si Missa defunctorum solemniter celebretur in die feriali, sicut in tribus officiis in Constitutione positis [1], vel praesente funere, vel consimilibus; habeant se Fratres sicut in festo. Similiter se habeant in Missis peculiaribus de sancto Spiritu, de Cruce, de beata Virgine, in quibus dicantur omnia in cantu solemni; non in huiusmodi Missis dicatur *Gloria in excelsis* etc.

ADDITAMENTUM [2].

D rivilegio e: optionis.

Praecipit generalis Minister de voluntate generalis Capituli, quod Fratres illo privilegio, in quo videtur contineri exemptio, non utantur nec allegent in aliqua causa usque ad sequens Capitulum generale. Mandat etiam, quod caveant Fratres ab omni scandalo clericorum, maxime in sepulturis et testamentis; et quod Fratres servent interdictum in terris positum, videlicet non alte celebrando divina, sed iuxta quod iura exigunt, se matrici ecclesiae conformando.

...ela circa ...udum.

Item, iubet etiam Minister, ut nullum locum capiant Fratres sine eiusdem Ministri licentia speciali, nec locum de novo aedificare incipiant in aliquo fundo, nisi primo constet provinciali Capitulo, quod nullus possit in dicto fundo ius aliquod debite vindicare.

...tra receptionem pe...iae.

Praecipitur etiam [3] Ministris, quorum Provinciae de receptione pecuniae nomine oblationis hactenus vitiosae exstiterunt, ut, quod hoc non fiat, inhibeant firmiter et districte; similiter, quod amoveantur cippi et altaria quaestuaria; insuper, quod et pueri arceantur ab interiori officio infirmariae et coquinae; et quod constitutionem de clausis cameris non habendis diligenter faciant observari; et quod a studiis Fratrum moveantur clausurae tam ostiorum quam velaminum quorumcumque. Ne aliquatenus permittant, quod mulieres comedant in locis Fratrum. Et ista paragraphus tota ponatur sub praecepto.

...inquisitoribus.

Item, Ministri, in quorum Provinciis inquisitio fit per Fratres contra haereticam pravitatem, instituant inquisitores viros discretos et maturos, et eis ex parte domini Ioannis, qui praeest officio, districte iniungant, quod poenitentiam vel poenam pecuniariam non imponant; et iniungant eisdem, quod de acceptis et expensis reddant debitam rationem coram Discretis aliquibus a Ministro et Definitoribus in provinciali Capitulo ordinatis.

...neganda solutione.

Item, sollicitent confessores, quod non absolvant usurarios vel raptores nec alios ad restitutionem aliquam obligatos, nisi prius restituant, vel sufficienter caveant de restituendo iuxta canonicas sanctiones. — Reddant etiam eos cautos de sigillo confessionis stricte servando, scilicet quod nec directe vel indirecte, verbo vel signo aliquid dicant, de quo possit aliquis de peccato notari.

...e sigillo ...fessionis.

Item, districte praecipiant Fratribus, quod nullus in secreta collocutione aliquid dicat vel audiat sub sigillo confessionis, quod vergat in infamiam alicuius, vel quod possit inter Fratres dissensionem aliquam generare.

De silentio.

Item, Ministri ordinent, quod Fratres sileant in mensis extra refectorium, et maxime in mensis saecularium, ita quod unus tantum loquatur, nisi forte ex rationabili causa oporteat, eos ad interrogata breviter respondere.

De Vicariis.

Item, propter vitanda pericula volumus, quod non passim Vicarios Guardiani, cum de domo exeunt, instituant nisi certas personas discretas atque securas, et hoc de suorum Ministrorum consilio vel Custodum.

Quoad Clarissas.

Item, inhibet generalis Minister Fratribus, ut non dissuadeant Sororibus sanctae Clarae de receptione Regulae, immo contrarium suadeant, et vult, quod Minister habeat eas recommendatas ob reverentiam Dei et venerabilis Patris domini cardinalis.

Generalis monitio.

Iniungitur etiam Ministris ex parte generalis Capituli, quod tam per se quam per Custodes et Guardianos statuta Ordinis strictius solito faciant [4] observari, pro eo quod apud magnas personas Ordo in magnum dignoscitur devenire contemptum.

Responsiones ad consultationes.

Quoad reservata.

Vicarius Ministri potest absolvere ab illis quinque differentiis peccatorum, quae Ministris relinquuntur; non autem possunt Fratres ad sacros ordines facere promoveri, nec de loco ad locum Fratres mutare nisi ex causa necessaria, nec ad Ordinem recipere vel eiicere iam receptos; possunt tamen peccantes punire.

Item, Visitatores non possunt absolvere Custodes vel Guardianos ad monasteria ire [5], nisi habuerint licentiam specialem.

De festo S. Bernardi.

Festum sancti Bernardi fiat immediate post Octavam Assumtionis, nisi Dominica impediret. Et sancta Clara in litaniis in Sabbato sancto ponatur et in alia.

---

[1] Vide supra pag. 464, Rubr. XII.

[2] Sequuntur in cod. sine nova inscriptione alia decreta, quae attribuenda videntur non Narbonensi, sed posteriori alicui Capitulo. Auctoritate Chronicorum Nicolai Glassberger (Analecta Franc. II. pag. 86) cl. P. Ehrle S. I. (loc. cit. pag. 42 seqq.) putat, memoratum Capitulum fuisse Lugdunense an. 1274. Hinc quae sequuntur, utpote probabiliter alius auctoris, posuimus in Additamento.

[3] E *et*.

[4] E *faciat*.

[5] E *venire*.

OPUSCULUM XIX.

EPISTOLAE OFFICIALES [1].

EPISTOLA I.

S. Bonaventura, electus Minister generalis, ad omnes Ministros provinciales et Custodes Ordinis Fratrum Minorum [2].

1. In Christo sibi carissimis Ministris et Custodibus universis, Frater Bonaventura, Ordinis Minorum generalis Minister et servus, salutem et *pacem, quae exsuperat omnem sensum.*

Confessio insufficientiae. Licet insufficientiam meam ad ferendum onus impositum cognoscerem manifeste, propter debilitatem corporis, imperfectionem mentis, inexperientiam actionis et propter [3] repugnantiam voluntatis; quia tamen *durum est contra stimulum calcitrare* tantae congregationis et Summi Pontificis, ac per hoc et altissimi Dei voluntati pertinaciter resistendo; sarcinae gravi et quasi importabili humeros supposui imbecilles, sperans de adiutorio virtutis Omnipotentis et confidens de adminiculo vestrae sollicitudinis in id ipsum. **Rationes confidendi.** Nam etsi [4] sit impossibile homini quantumcumque forti, industrio et experto totam tanti oneris sarcinam suis humeris baiulare, si tamen, divisa in partes et humeris imposita diversorum, viriliter a quolibet comportetur [5], non est quantumcumque debili capiti horrore quodam rei insolitae desperandum. — **Praesum[ptio] de adiut[orio] Provinc[ia]lium.** Quoniam igitur de vestra praesumo industria, sollicitudine et zeli vivacitate, quod prompti sitis ad exstirpanda mala, promovenda bona, refovenda debilia et fortia confortanda [6]; videns me *speculatorem datum domui Israel*, ne *sanguis animarum de manibus meis requiratur*, cogitavi quaedam vobis breviter scribere, quae verbotenus, si in Capitulo generali fuissem, libentius enodassem. — **Ratio sc[ri]bendi.** Nunc autem, quia pericula temporum urgent et laesiones conscientiarum nec non et scandala mundanorum, quibus, cum [7] Ordo deberet esse sanctitatis totius speculum, in diversis orbis partibus in taedium vertitur et contemptum; quae mihi de consilio Discretorum visa sunt corrigenda, nec penitus tacens nec omnino exprimens nec nova statuens nec vincula superinducens nec onera gravia alligans aliis et imponens, sed tanquam annuntiator veritatis breviter exprimo [8], videns illa nullatenus reticenda.

Abusus cem re[cen]sentur. 2. Sane perquirenti mihi causas, cur splendor nostri Ordinis quodam modo obfuscatur [9], Ordo exterius inficitur, et nitor conscientiarum interius defoedatur; **Primus.** occurrit negotiorum multiplicitas, qua pecunia, nostri Ordinis paupertati super omnia inimica, avide petitur, incaute recipitur et incautius

---

[1] In opusculo XIX. cum titulo *Epistolae officiales* composuimus in unum locum illas Epistolas, quas S. Bonaventura ratione officii sui scripsit. Aliae, ut Epistola ad innominatum magistrum pluresque asceticae, privatum potius auctorem repraesentant. — Prima et secunda Epistola habentur etiam in Waddingo et ex eo sumtae in Chronologia historico-legali pag. 29 seqq. Prima invenitur apud Wadding., Annales II. pag. 159, secunda pag. 290. Textus in Waddingo magis est correctus quam in Vat. et fere convenit cum nostro textu ope codicum emendato.

[2] Inscriptio huius Epistolae in omnibus codd. et editis differt et in ed. 1 prorsus deest. Positis verbis: *Incipit Epistola sancti Bonaventurae* A addit *Ordinis Minorum ad Capitulum generale;* C *directa ad Capitulum generale, cur splendor nostri Ordinis offuscatur, Ordo exterius inficitur, et nitor conscientiarum interius defoedatur* [verba post *cur* sequentia occurrunt in ipsa Epistola]; B habet: *Epistola beati Bonaventurae, Generalis electi;* E *Litterae Domini Fratris Bonaventurae;* F *Epistola ad totum Ordinem.* Infra post *Ministris* Vat. et F addunt *provincialibus*, et pro *Minorum* (ita D) Vat. *eorundem,* A B C *eiusdem.* Textus Scripturae est Phil. 4, 7.

[3] Omittitur a Vat. contra A B C E; Vat. etiam supra habet *per* pro *propter*, refragantibus codd., ed. 1 et Wadd. — Infra respicitur Act. 9, 5. vel 26, 14.

[4] Codd. A C E *si*, porro A B C *importabilis* (E *importabile*) pro *impossibile*, et iidem cum E *tantam tanti* pro *totam tanti.*

[5] Ita A B C E et Wadd., in aliis et edd. *importetur.*

[6] Ita A B C E, in aliis et edd. *conservanda.* — Deinde respicitur Ezech. 3, 17. et 33, 6. — Denique pro *enodassem* A B C non bene *annotassem.*

[7] Codd. A B C *quatenus, dum,* et infra *omnia* pro *omnino;* post *exprimens* F omittit *nec nova* usque *imponens.*

[8] Ita A C E, in aliis et edd. *explico.*

[9] Ita A B C E, in aliis et edd. *obscuratur.* Infra pro *avide petitur* A C *incaute petitur.*

[Sec]undus. contrectatur. — Occurrit quorundam Fratrum otiositas, quae sentina est omnium vitiorum, qua plurimi consopiti, monstruosum quendam statum inter contemplativam et activam eligentes[1], non tam carnaliter quam crudeliter sanguinem comedunt animarum. **Tertius.** — Occurrit evagatio plurimorum, qui propter solatium suorum corporum, gravando eos, per quos transeunt, non exempla post se relinquunt vitae, sed **Quartus.** scandala potius animarum. — Occurrit importuna petitio, propter quam[2] omnes transeuntes per terras adeo abhorrent Fratrum occursum, ut eis timeant **Quintus.** quasi praedonibus obviare. — Occurrit aedificiorum constructio sumtuosa et curiosa, quae pacem Fratrum inquietat, amicos gravat et hominum perversis **Sextus.** iudiciis multipliciter nos exponit. — Occurrit multiplicatio familiaritatum, quam Regula nostra prohibet, ex qua suspiciones, infamationes et scandala **[S]eptimus.** plurima oriuntur. — Occurrit improvida commissio officiorum, qua Fratribus nondum usquequaque probatis nec carne maceratis nec spiritu roboratis im- **Octavus.** ponuntur officia vix portanda. — Occurrit etiam sepulturarum et testamentorum avida quaedam invasio, non sine magna turbatione[3] cleri et maxime **Nonus.** sacerdotum parochialium. — Occurrit mutatio locorum frequens et sumtuosa cum quadam violentia et perturbatione terrarum, cum nota inconstantiae, non **Decimus.** sine praeiudicio paupertatis. — Occurrit tandem sumtuositas expensarum. Nam cum Fratres nolint paucis esse contenti, et *caritas hominum refriguerit*[4], facti sumus omnibus onerosi, magisque fiemus in posterum, nisi remedium celeriter apponatur.

3. Licet autem plurimi reperiantur, qui non **[C]ulpabiles [s]unt etiam [n]on resi[s]tentes.** sunt culpabiles in aliquo praedictorum, tamen omnes involvit haec maledictio, nisi a non facientibus his qui faciunt, resistatur; cum luce clarius omnia supradicta in maximum et nullo modo dissimulandum[5] vergant nostri Ordinis detrimentum, licet tepidis et indevotis et *secundum carnem sapientibus*, considerantibus consuetudinem et allegantibus multitudinem quasi facilia et excusabilia ac[6] irremediabilia **Monitio.** videantur. — Excitetur ergo cordis nostri devotio et fervor ad zelum, et *eiectis negotiatoribus de domo Patris caelestis*, Fratres omnes ad orationis et devotionis studium accendatis, restringatis receptionem multitudinis, quia modis omnibus volo, quod constitutio de receptione stricte servetur[7]. Pravas praedictorum vitiorum consuetudines viriliter resecetis, quia, licet videatur Fratribus grave, requirit tamen hoc perfectio professionis nostrae, requirit tribulationis incursus, requirit mundus; clamat hoc[8] beatus Franciscus et sanguis Christi aspersus et Dominus de excelsis.

4. Otiosos stimuletis ad laborem; vagantes compescatis ad quietem; importune petentibus imponatis silentium; intentos exaltandis domibus profundius deprimatis; familiaritates quaerentes arceatis ad solitudinem; officia praedicationis et confessionis cum multo examine imponatis; constitutionem olim factam de testamentis et de novo de sepulturis[9] faciatis arctius observari; locorum vero mutationem nullatenus concedatis alicui ante Capitulum generale. Nam **Contra dictos abusus graviter monet.** **Notandum.** de consilio Discretorum propter scandala vitanda iuxta praedecessoris mei mandatum hoc mihi reservo, districte per obedientiam iubendo, ut nullus deinceps locum mutet sine mea licentia speciali[10]. Discant etiam Fratres modicis esse contenti, quia vehementer a sapientibus et rationabiliter formidatur, quod oportebit, eos modicis esse contentos, velint nolint.

5. Si igitur obedientes fueritis verbo per epi- **Allocutio.** stolam, et hoc per Visitatores intellexero, quos volo super praedictis corrigendis tam in capitibus quam in membris diligentius vigilare, gratias agam omnium Conditori et vobis. Quodsi aliter, quod absit, acciderit; indubitanter sciatis, quod nullatenus patietur conscientia mea praedicta sub silentio pertransire. Licet enim non sit mei propositi novis vos vinculis innodare, oportet me tamen, conscientia compellente, totis viribus exstirpationi intendere praedictorum, quatenus, vitatis scandalis, ut tenemur, Regulae, quam vovimus, sine cuius observatione salvari non possumus, et veritatem perspicaciter videamus et impleamus professionem et totis viribus puritatem custodiamus, quae impugnatur evidenter ex omnibus supradictis. Datum Parisius anno Domini 1257 in festo Georgii Martyris[11]. Hanc autem litteram legi in singulis Conventibus vestrae Provinciae faciatis.

---

[1] Codd. A B C *erigentes.*

[2] Ita A B C, in aliis et edd. *qua.*

[3] Codd. A B C *perturbatione.* Post *sacerdotum* ex Wadd. supplevimus *parochialium.*

[4] Respicitur Matth. 24, 12. — Infra pro *magisque* A B C E *maximeque.*

[5] Verba *et nullo modo dissimulandum* A B C hic omittunt et *post detrimentum* sic continuant: *unde nullo modo dissimulandum est, licet.* — Verba *secundum carnem sapientibus* respiciunt I. Cor. 1, 26.

[6] Ita A B C E, edd. *etiam;* deinde post *videantur* D adiungit *consistere* et prosequitur: *Ergo ferveat cordis vestri devotio.* Infra respicitur Ioan. 2, 16.

[7] Cfr. supra Opusc. XVIII. Constitutiones generales, Rubr. I. — Supra pro *devotionis studium* A B C *devotionis spiritum;* infra ante *resecetis* fide B F supplevimus *viriliter* (Wadd. *etiam*).

[8] Omittitur *hoc* ab A B C E, qui, excepto E, deinde habent *in excelsis* pro *de excelsis.*

[9] Cfr. Opusculum XVIII. Constitutiones etc., Rubr. 3.

[10] Supra post *laborem* A B C omnia omittunt usque ad *Discant*, et finita hac propositione, omissis sequentibus, concludunt *Datum Parisiis anno Domini 1277* (pro 1257). — Infra post *vehementer* fide A B C et ed. 1 substituimus *a* pro vitioso *et.*

[11] Haec supplevimus ex E et D (qui tamen scribit 1262 pro 1257), F et edd. post *Parisius* habent *etc.* Festus dies S. Georgii est 23 Aprilis.

EPISTOLA II.

Ad omnes Ordinis Ministros provinciales [1].

1. In Christo sibi carissimo Fratri B. Saucelis, Provinciae N. Ministro [2], Frater Bonaventura, Ordinis Fratrum Minorum Minister generalis et servus, salutem et pacem in Domino sempiternam.

Officium Superioris.

Quoniam ad hoc potissimum invigilare debet sollicita [3] cura rectoris, ut in commisso sibi grege meritum virtutis accrescat, claudatur via vitiis, et detur moribus disciplina; diligenti deliberatione praehabita, visum est tam mihi quam Definitoribus Capituli generalis, ut Ministris singulis aliqua ibidem examinata et discussa litteratorie demandarem ipsosque sollicitos redderem ad eos potissimum abusus tollendos de medio, quibus sinceritas Religionis inficitur, perfectionis celsitudo deprimitur, et sanctitatis claritas obfuscatur. — Sane cum evangelici culminis observata perfectio [4] hactenus spectabiles et amabiles nos mundo reddiderit omnique favore ac reverentia dignos; ecce, iam nunc multitudine in proclivia tendente, et remissius agentibus his qui praesunt, vitiorum quaedam sentes cernuntur succrescere, quae, dum sacrum hoc venerandumque collegium despicabile, onerosum et odibile reddunt plurimis, convertunt in scandalum quod cunctis esse debuerat in exemplum.

Antiquus Ordinis splendor, nunc scandala.

2. Nam frequentia discursus et importunitas quaestus viles nos et graves efficiunt, pro eo videlicet, quod dum paucis [5] nolumus esse contenti et aedificia sumtuosa conamur erigere, vilia summo studio quaeritantes, nobilia per incuriam perdimus, cum murorum curiosa constructio destructionem generet morum, et aedificiorum ad excelsa porrectio prostrationem pariat animarum. — Perhorreo quorundam procacium audaciam, qua contra Patris nostri doctrinam [6] coram laicis praedicando in Ecclesiae praelatos, ipsorum acta suggillando, consurgunt, non nisi scandala, iurgia et odia seminant et non solum ipsorum, verum etiam Dei provocant iram, cum divina constet lege sancitum, ne quis *maledicat surdo nec ponat offendiculum coram caeco* [7]. — Sed et sepulturarum ac testamentorum litigiosa et avida quaedam invasio cum exclusione illorum, ad quos animarum cura spectare dignoscitur, non modicum nos clero toti fecit exosos, sicut experientia docente percepimus, et ipse sanctissimus Pater Pontifex Summus, dominus Clemens [8], Fratres omnes ad cavendum huiusmodi pia providentia per me voluit commonere.

Recensentur abusus tres.

Notand.

3. Horum autem omnium hanc puto potissimam rationem et causam, quod ea quae provida cura per totius Ordinis providentiam in generali Capitulo statuuntur, parvipenduntur a Fratribus et habentur pro nihilo; nec tamen transgressores huiusmodi disciplina debita castigantur, sicque fit divini permissione iudicii, ut *spernentes modica in maxima decidant* [9]; quia, dum disciplina negligitur, insolentiae crescunt, ac per hoc interior negligentia circa exercitationem virtutum exterius procedit in scandalum per eorum patentem ruinam, qui stare videbantur in oculis aliorum. Ex quo fit, ut sanctae Religionis splendor praefulgidus in pallorem degeneret, sanctitatis pulcritudo sordescat, bonae opinionis odor computreat, et *nomen Domini blasphemetur* [10]. — Ne igitur *sanguis animarum* non solum nostrae sollicitudini commissarum, sed etiam omnium, quae ad lumen sanctae Religionis per viam salutis incedunt, *de nostris manibus requiratur*, caritatis tuae zelum, quantum possum, efficaciori mandato duxi praesentibus excitandum, adiurans te per aspersionem sanguinis Crucifixi et per stigmata passionis eius, quae in sacro Patris nostri corpore indubitabili claritate fulserunt, ut sicut Christi servus fidelis et prudens ad praefatarum exstirpationem pestium toto te animi vigore succingas, tota mentis attentione invigiles totoque fervore spiritus succendaris.

Causa praecipua eorum. Notand. Sequela pessima. Monitio urgens.

4. Et primum quidem ad sanctae orationis studium Fratres tuae curae commissos efficaciter incitans, ad Regulae promissae observantiam sinceram inducas pariter et compellas, pestiferos et insolentes, nullius verendo [11] faciem, *evellens et destruens, dissipans et disperdens*, vel carcerali mancipando custodiae, vel a communitate sacri collegii expellendo, iuxta quod pietatis simul [12] et iustitiae lex exposcit; ne, dum crudeli misericordia uni membro putrido parcitur, in totius corporis sospitatem putrens corruptio diffundatur. — Et quoniam paupertas est nostri

Inculcatur orationis studium et observantia. De paupertate.

---

[1] Haec Epistola scripta est post Capitulum generale Parisiis an. 1266 in festo Pentecostes celebratum (ut fide codicis 15 archivi Lucernae asserit P. Ehrle S. I., supra cit. Archiv VI. pag. 39), non vero die 23 Apr., quod dicit Wadding., Annales, ad an. 1266, n. 4.

[2] Ita cum Vat. B et Wadd.; A C pro *Fratri B. Saucelis, Provinciae N. Ministro* habent *Fratri G. Ministro Tusciae.* Ceterum Epistola haec directa fuit ad *omnes* Ministros provinciales, unicuique cum suo proprio titulo.

[3] Wadd. *sollicili;* deinde sola Vat. omittit *sibi.*

[4] Wadd. *professio* et C *professis* (professio?). Infra post *onerosum* cum A C et Wadd. supplevimus *et odibile*, deinde pro *plurimis* Vat. *populis.*

[5] Sola Vat. *parvis.* Infra post *destructionem* sola Vat. omittit *generet morum, et aedificiorum ad excelsa porrectio prostrationem*, ubi B C praefigunt *in* ante *destructionem* et B habet *degeneret* pro *generet* (ita C et Wadd.).

[6] Vide Testamentum S. Francisci.

[7] Levit. 19, 14.

[8] Quartus, qui mortuus est 1268; unde constat, ante hunc annum scriptam esse illam Epistolam, scil. 1266.

[9] Respicitur Eccli. 19, 1. — Supra pro *divini permissione* C et Wadd. *caelestis permissione.*

[10] Respicitur Rom. 2, 24, et inferius Ezech. 3, 18.

[11] Vat. perperam *ferendo;* infra pro *a communitate* A C et Wadd. *de unitate;* respicitur Ier. 1, 10.

[12] A sola Vat. omittitur *simul*, eadem etiam infra pro *nostri Ordinis* sola ponit *nostrae Religionis.*

Ordinis praerogativa sublimis, ne nobilis haec *margarita conculcanda porcis* [1] viliter exponatur, discursuum causam et quaestuum, sumtuositatem scilicet aedificiorum librorumque, vestium ac ciborum, sic studeas amputare, quod a professionis excellentia vitae observantia non discordet. Foedum est enim profanumque mendacium summae paupertatis voluntarium [2] se professorem asserere et rerum penuriam pati nolle, interius divitum instar affluere et exterius more pauperum mendicare. — Inhibeas etiam Fratribus firmiter et districte, quia tam divino quam canonico prohibetur imperio, ne praelatorum vitam coram populo carpant, sed potius reverentiam exhibeant non tantum *bonis et modestis, verum etiam dyscolis* [3], quia etiam hoc exigit sacrum mysterium christificae unctionis. — Mandes etiam Fratribus universis, ut pacem clericorum omnium tam in testamentis quam in sepulturis, quantum in eis est, sic studeant observare, ut nullam habeant contra nos occasionem iustae querelae, simulque saeculo [4] toti clarescat, quod non commoda rerum, sed lucra quaerimus animarum.

N carpant ...elatos.

P cum cle- r servan- d...

5. Denique, quia his et aliis deordinationibus innumeris per statuta Ordinis via praecluditur, volo, ut per loca Fratrum ea sic diligenter conscribi, legi facias et servari, ut qui [5] professione virtutum praecipui credimur, nequaquam morum incompositione postremi merito censeamur. His igitur, carissime Frater, tam efficaci studio non cesses intendere, quod et Deus gratum habeat, et ego tuae obedientiae promptitudinem et sollicitudinis vigilantiam zelumquè Ordinis sacri possim non immerito commendare. Et ut hoc melius fiat, volo, ut praesentium [6] series omnibus Fratribus tuae Provinciae per te, vel per Custodes, quoties opportunum fuerit, explicetur.

l Constitu- onibus.

EPISTOLA III.

Ad Fratres Custodem et Guardianum Pisarum [7].

In Christo sibi carissimis Fratribus Custodi et Guardiano Pisano Frater Bonaventura, Ordinis Fratrum Minorum generalis Minister et servus, salutem et pacem in Domino sempiternam.

Sororibus Monasterii de Pisis Ordinis sanctae Clarae ob animarum suarum salutem facere volens gratiam specialem, infrascripta per vos a Fratribus ad hoc idoneis exhiberi concedo: videlicet quod in festo Omnium Sanctorum nec non et sanctae Clarae, et quando aliqua Sororum dicti Monasterii de praesente luce migraverit, illuc sex Fratres idoneos, computato confessore ipsarum et socio, transmittatis causa praedicationis et officii celebrandi; ita dumtaxat, quod earum confessor et socius in praedictarum exsequiis defunctarum ingrediantur solummodo Monasterium memoratum. Quando etiam familiares seu conversos earum infirmari vel mori contigerit, praedicti confessor et socius illuc accedant pro exsequiis et Sacramentis necessariis [8] ministrandis. Concedo quoque, quod ab Adventu usque ad Nativitatem Domini confessor Dominarum et socius apud locum dicti Monasterii pro divinorum officiorum celebratione continue morentur. Sane in festo Nativitatis dominicae et in tota maiori Hebdomada duos Fratres idoneos confessori et socio adiungatis, ibidem praefatis temporibus et in Nativitatis Domini, Resurrectionis et Pentecostes solemniis et per eorum Octavas pro divinis celebrandis officiis moraturos. Concedo vero, ut, gravi periculo praefato Monasterio imminente, et pro necessariis consiliis exhibendis mittatis illuc Fratres providos et discretos; qui etiam morari possint ibidem ad necessarium subsidium et iuvamen tempore praefati periculi ipsis Sororibus impendendum. Fratres insuper, magistri lignorum et lapidum possint praedictum Monasterium ingredi pro designandis et faciendis operibus opportunis. Supradicta omnia, tu Custos, si praesens fueris, et tu Guardiane, absente Custode, secundum praelibatam formam per Fratres ad hoc idoneos faciatis memoratis Sororibus exhiberi. Valete in Domino et orate pro me. Datum Parisius XVII. Kalendas Iunii anno Domini MCCLXXII.

Commendat eis curam Sororum Pisis commorantium.

EPISTOLA IV.

Ad Fratrem Laurentium [9].

In Christo sibi carissimo Fratri Laurentio, in administratione Tusciae Visitatori pauperum Dominarum,

---

[1] Respicitur Matth. 7, 6.

[2] Wadd. omittit *voluntarium*, et Vat. *se*.

[3] Epist. I. Petr. 2, 18; cfr. etiam Act. 23, 5, ubi Paulus dicit: Scriptum est enim (Exod. 22, 28.): « Principem populi tui non maledices », et I. Tim. 5, 1: « Seniorem ne increpaveris »; qui locus allegatur C. *Paulus dicit* (28.) Caus. 2. q. 7. Expressius postea idem prohibetur V. Clement. tit. 7. c. 1.

[4] Wadd. subiungit *econtra*.

[5] Sola Vat. *sicut*, omisso *qui*, et infra *et* ante *Deus gratum*.

[6] Vat. *praesens*. Post *explicetur* A C habent *Datum Parisius tempore Capituli generalis;* B *Benedictum sit nomen Domini et beatissima Mater Dei;* Wadd. *Datum Parisius anno Domini* 1266 *in die S. Georgii Martyris* (id est 23 Aprilis); sed in hoc Wadd. errasse videtur; vide supra pag. 470, notam 1.

[7] Hanc Epistolam habet Benedictus Bonelli, *Supplementi* tom. III. col. 1152 (vide ibid. col. 1131 in *Admonitione*). Secuti sumus apographum arte photographica antiquum aetatis S. Bonaventurae documentum repraesentans, quod perfecte convenit cum edito a Bonelli textu, excepto uno alterove loco a nobis ad calcem notato. — Provincia Tusciae sub Bonaventura habuit octo Custodias: Pisanam, Lucanam, Florentinam, Senensem, Aretinam, Clusinam, Maritimam et Sardiniae (Bonelli, loc. cit. col. 1144, nota 1.).

[8] Bonelli omittit *necessariis*, et infra habet *pro eorum Octavis* loco *per eorum Octavas*.

[9] Hanc Epistolam primus publicavit Lucas Waddingus, Annales ad an. 1264, n. 3, et ex ipso Bened. Bonelli, Supplem. ad Opera omnia S. Bonav. tom. III. col. 1143 seqq.

Frater Bonaventura, Ordinis Fratrum Minorum generalis Minister et servus, salutem et pacem in Domino sempiternam.

Ratio scribendi. Dignum est et consonum rationi, quod spiritualium Ordo virorum ad ea se promptum exhibeat, quae divinum honorem respiciunt, animarum salutem procurant, naturali sunt consona pietati. Quia Ordo Sororum sanctae Clarae venerabili Patri nostro Ioanni, sancti Nicolai in carcere diacono cardinali [1], per Summum Pontificem est commissus, et quod idem dominus sub spe adiutorii nostri Ordinis et pro nostra pace et libertate servanda eundem in suam curam suscepit; conveniens est et decens, quod eidem domino prompto animo assistamus. De tua itaque providentia et probitate confisus, de Fratrum consilio Discretorum, mandamus tibi per obedientiam salutarem, quatenus visitationis officium circa Monasteria Ordinis supradicti intra administrationem Tusciae constituta, quae iuxta formam inferius annotatam, libertatis nostrae instrumenta publica sive patentes litteras dederunt, vel dederint, exsequaris. Hortatio. — Et quia opus istud ad salutem animarum respicit, pro quibus Iesus Christus sanguinem suum fudit, sic prudenter, sic modeste, sic iuste, sic misericorditer, sic constanter praedicti opus officii exsequaris, quod laus sit Christo, exstirpatio vitiorum, aedificatio Facultas. virtutum et devotarum consolatio animarum. — Et ut prosecutioni huius officii valeas intendere, ut oportet, Minister tuus teneatur tibi praesentium iussione de socio idoneo providere, et ad hoc ipsum Custos, in cuius Custodia visitationem feceris, si socium tuum impediri contigerit, sit astrictus. Cum autem accesseris ad aliquod Monasterium visitandum, in quo Fratres non resideant, Guardianus proximioris loci, vel eius Vicarius providere tibi de altero socio teneatur, et uterque istorum sociorum tibi specialiter assignatus ingrediatur tecum Monasterium, cum pro Modus visitandi. visitationis officio fuerit opportunum. — Formam autem super visitationis officio, quae tibi transmittitur per dictum dominum cardinalem, tam quoad Regulae susceptionem [2] quam alia in ipsa contenta, diligenter observes et efficaciter, secundum gratiam a Domino tibi datam, observare procures; cavens ab introductione Fratrum in ipsa Monasteria, exceptis duobus te associantibus ad tuum officium exsequendum [3]; ab omni etiam acceptatione munusculorum et a ceteris omnibus, quae mali speciem possunt praetendere quoquo modo. Neque pro huiusmodi absolutione officii ad me venias, sed quam citius poteris, illud exsequi studeas diligenter. Sic autem sollicite ac solemniter praemissis insistas, quod tuum officium esse possit in conspectu divinae Maiestatis acceptum ac fructuosum et consolatorium Monasteriis memoratis praefatoque domino cardinali — qui firmam gerit fiduciam, quod huiusmodi officium per te sollicite debeat exerceri — nec non et Ordini nostro, qui sibi ad supportandum hoc onus, quod humeris suis imposuit, in hac parte voluit offerri [4] iuvamen. Nihil ob tuum defectum quoad Deum vel homines valeat imputari; quinimo tam conscientia ipsius domini cardinalis, quam tua et Fratrum nostri Ordinis, qui sibi de speciali gratia in hoc humiliter condescendit, in tuto proinde conquiescat. — Forma vero instrumenti publici, seu litterarum nostrae libertatis haec est: Forma instrumenti faciendi. « Nos talis... Abbatissa et Sorores talis... Monasterii, pro nobis et Monasterio nostro dicimus et confitemur et etiam recognoscimus, quod Ordo Fratrum Minorum, vel Fratres eiusdem Ordinis nobis, seu Monasterio, seu personis in eo degentibus, ad obsequialia Monasterio exhibenda aliquatenus ex debito non tenentur. Et idcirco dicti Ordinis Fratibus praecavere volentes, ne per aliqua obsequia, vel ministeria, quae nobis dicti Fratres de facto, sua liberalitate vel mera gratia exhibebunt, ex quantacumque diuturnitate temporis possit eis praeiudicium generari; promittimus tibi Fratri N. nomine Ordinis et Fratrum recipienti et stipulanti, quod ministeria vel obsequia ab eis taliter exhibenda nullo unquam tempore occasione procurationis huiusmodi ex debito non petemus nec super eis movebimus contra eundem Ordinem vel Fratres ipsius Ordinis aliquam quaestionem. Et in huiusmodi testimonium volumus fieri hoc publicum instrumentum et sigilli Conventus nostri muniminе roborari [5] ».

Datum Assisii III. Non. Octobris anno Domini MCCLXIV. Pontificatus domini Urbani IV. anno III (?).

EPISTOLA V.

Ad Fratres universos [6].

Universis Fratribus praesentes litteras inspecturis Frater Bonaventura, Ordinis Fratrum Minorum generalis Minister et servus, salutem et pacem in Domino sempiternam.

---

[1] Scilicet Ioan. de Ursinis Caietano, qui fuit Ordini Minorum addictissimus et a Capitulo generali Pisis an. 1263 die 20 Maii, praesidente S. Bonaventura, in Protectorem Ordinis petitus. Factus Summus Pontifex sub nomine Nicolai III. fecit declarationem Regulae: *Exiit qui seminat*, libr. V. tit. 12. c. 3. in VI°. De eo cfr. Chronic. XXIV Generalium, Analecta Franc. t. III. pag. 329. 350. 359. Rogatu huius optime meriti viri S. Bonaventura quasi coactus fuit, ut reiectam harum Sororum curam reassumeret, ea tamen lege, ut istae Sorores confiterentur, obsequia Fratrum non ex debito, sed ex sola caritate praestari. Cfr. Wadd., Annales ad an. 1219, n. 45. et ad an. 1266, n. 16, et supra Opusculum XIII. Determinationes etc., p. II. q. 17. pag. 369.

[2] De hoc vide Wadding., Annales ad an. 1264, n. 7. et Chronic. XXIV Generalium in cit. Analectis pag. 330.

[3] Bonelli *exercendum*.

[4] Bonelli *afferri;* non liquet, utrum *qui* referatur ad Ordinem, an ad cardinalem.

[5] Wadd. loc. cit. n. 4. et 5. affert duo huiusmodi instrumenta cautionum originalia.

[6] Hanc Epistolam Bened. Bonelli primus, ut ipse putavit, edidit in Supplem. tom. III. col. 1148 seq. Idem in Prodromo ad opera omnia S. Bonav. col. 40, n. 8. de hac Epistola dicit: « Data (est) similiter Parisiis an. 1266 in gratiam Fratrum Minorum in deserto quodam loco iuxta lacum Benacensem in

...nfirmat ...andam ...ocessio- ...o quod ...rminos ...aerendi ...essaria.

Cum ego relatione perceperim fide digna, quod sanctissimus Pater noster Franciscus castrum Monzambani et alia loca, quae circa lacum Gardae [1] ex parte Veronensium habitantur, concesserit Fratribus commorantibus in loco quodam iuxta dictum lacum in Riparia Brixiensi, et ipsi eadem concessione per multa tempora iam sint usi, et considerem, fore dignum id quod voluit Pater noster, ab aliquo non infringi; mando Fratribus omnibus et iniungo in meritum obedientiae salutaris, quatenus memorata superius loca Fratribus supradicti eremitorii libere dimittant ad necessaria postulanda, nihil petentes in illis; non obstante constitutione Capituli generalis [2], per quam termini ad quaerendum locis vicinioribus conceduntur. Valete in Domino et orate pro me.

Datum Parisiis MCCLXVI, sexto Kalendas Iunii [3].

EPISTOLA VI.

Ad abbatem sanctae Mariae Blesensis [4].

Venerabili et religioso viro domino abbati sanctae Mariae de Burgo Medio Wesensis Ordinis sancti Augustini ceterisque Canonicis Conventus eiusdem, Frater Bonaventura, Ordinis Fratrum Minorum generalis Minister et servus, salutem et pacem in Domino sempiternam.

...nfirmat ...ndam ...ionem ...tam a ...sociali.

Desiderio multo desideravi atque desidero, quod omnis turbationis materia, propter quam de Fratribus nostris Blesensibus visi estis hactenus conqueri, de medio, quantum possit secundum Deum fieri, tolleretur, essentque vobis Fratres praedicti subiectibiles, quantum decet, omni humilitate, sicut olim, amicabiles et devoti; ut sic illibata omnino fraterna staret inter vos et illos caritas et illa Christi *pax, quae exsuperat omnem sensum* [5]. Cupiens igitur et volens id facere, quoad possum, concessionem illam domorum, arearum et platearum, seu rerum quarumlibet aliarum, quas Frater Petrus, nostri Ordinis Minister provincialis in Turonia, cum beneplacito et assensu Fratrum nostrorum Conventus Blesensis vobis libere fecit, prout manifeste apparet in litteris praefati Ministri provincialis expressam de iis omnibus facientibus mentionem, approbo et confirmo; et praedicta omnia, quae dominus comes Blesensis [6], seu quisque alius, nomine eleemosynae Fratribus contulit memoratis, volo et decerno, quod habeatis et libere teneatis; vobisque assero, quod nec ego per me faciam nec per Fratres nostros scienter fieri permittam aliquid contra concessionem praedictam, aut per quod dictarum rerum facta vobis concessio videatur quomodolibet impediri. Et ut teneatis et indubitanter credatis, quod vos tanquam patres in Christo amicos et dominos, sicut decet, habere intendimus et pacificationem perpetuam vobiscum desideramus; omnem assecurationem, quam possum, ex parte mea et Fratrum facio vobis auctoritate praesentium super omnibus superius memoratis.

Datum Parisius XIII. Kalendas Aprilis, anno Domini MCCLXXIII.

EPISTOLA VII.

Quam sanctus Bonaventura misit abbatissae et Sororibus sanctae Clarae Monasterii de Assisio [7].

In Christo Iesu filiabus dilectis, abbatissae Dominarum pauperum de Assisio Monasterii sanctae Clarae ac eiusdem Sororibus universis Frater Bonaventura, Ordinis Minorum Fratrum generalis Minister et servus, salutem et cum beatissimis virginibus paratis, *quocumque ierit Agnus* [8], sequi.

Intelligens nuper, dilectae in Domino filiae, per carissimum nostrum fratrem Leonem, quondam socium sancti Patris, quomodo velut sponsae Regis aeterni servire Christo pauperi crucifixo in omni Fr. Leo, socius S. Francisci.

---

littore Brixiano commorantium, in qua ipsis Fratribus ratum firmumque voluit quod S. Patrem Franciscum indulsisse accepit, videlicet ut in castro Monzambani sive Montis Albani et aliis locis Veronensis memorati lacus ostiatim mendicando sibi a piis Christifidelibus necessaria comparare possent ».

[1] Wadd., Annales, ad an. 1220, n. 6. memoriae prodidit, S. Franciscum cum socio transivisse in insulam Gardae et acquisivisse locum, seu eremitorium supra Garignanum (Gargnanum), ubi etiam fuit antiquissimus Conventus. Ita loc. cit. Supplementi Bonelli.

[2] Vide supra Opusculum XVII. Constitutiones etc., Definitiones, pag. 465. col. I. *Quaelibet domus.*

[3] Bonelli in nota dicit, hanc Epistolam confirmatam esse in authentica membrana a sequentibus Ordinis Superioribus:

« Frater Ioannes de Murro Ord. Fratr. Minor. generalis Minister et servus, uti patet ex eius litteris datis Lugduni pridie Idus Iunii an. Dom. 1299.

Frater Gherardus Odonis Ord. Fratr. Minor. generalis Minister et servus, ex litteris datis Avenione VII. die Septembris an. Dom. 1344.

Frater Henricus Ord. Minor. generalis Minister, ex litteris datis Brixiae XV. Octobris an. Dom. 1389.

Frater Angelus de Perusio, artium doctor et sacrae theologiae magister et totius Ord. Fratr. Minor. generalis Minister et servus, ex litteris datis Perusii tempore generalis Capituli, ubi subiungitur quoque: Datum an. Dom. 1454, Veronae die XXIII. Februarii etc.

Frater Franciscus Samson, generalis Minister.

Frater Ioannes de Ancona, Vicarius generalis apostolicus Ord. Min. » etc.

[4] Hanc Epistolam Bened. Bonelli inseruit in cit. Supplementi tom. III. col. 1154 seq., sumens eam ex tom. I. Thesauri novi anecdotorum Edmundi Martene, col. 1138 (edit. Parisiens. 1717). Ipsa testatur amorem pacis S. Bonaventurae, cum confirmet cessionem quorundam bonorum factam a Fratre Petro, Ministro provinciali, in gratiam memorati abbatis.

[5] Phil. 4, 7.

[6] Secundum continuatorem Annalium Waddingi, Antonium Melissanum de Macro, in Supplemento ad an. 1252, n. 5, comes Blesarum (Blois), Ioannes de Castilione, Conventum Fratrum Minorum in dicta civitate circa annum 1252 vel 1253 fundavit.

[7] Descripta est haec Epistola ex codice membr. in 8. saec. XIV. bibliothecae regiae Monacensis, sign. Cod. lat. 11354, olim Polling. 54.

[8] Apoc. 14, 4.

Gaudet de Sororum zelo paupertatis.

puritate studeatis, gavisus sum in Domino vehementer, devotionem vestram exhortans praesentibus et inducens, ut beatissimae Matris vestrae per pauperculum sanctum Franciscum a Spiritu sancto edoctae virtutum vestigia sollicite comitantes [1], « nihil aliud sub caelo in perpetuum habere velitis », nisi quod docuit ipsa Mater, videlicet *Iesum Christum et hunc crucifixum* [2], post cuius sanguinis odorem exemplo Matris, filiae dilectae, currentes [3], paupertatis speculum, humilitatis exemplum, patientiae scutum, obedientiae titulum viriliter apprehendatis, atque divini amoris igne succensae, cor vestrum totaliter illi detis, qui pro nobis in cruce suum obtulit Deo Patri, quatenus Matris exempli luce vestitae ac sempiternis suaviter inflammatae ardoribus omniumque virtutum fragrantia redolentes, Christi, Virginis Filii et prudentium virginum Sponsi, *bonus odor in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt* [4], existatis. Ita vigilanter continuatis affectibus, spiritu devotionis ferventes, ut, cum, *facto clamore, Sponsus advenerit*, plenis *lampadibus* mentium *oleo* caritatis et gaudii, sibi feliciter obviare possitis, cum ipso, fatuis exclusis virginibus, ad aeternae iucunditatis nuptias intraturae [5], ubi Christus sponsas suas *discumbere faciet* cum Angelis et electis et *transiens ministrabit illis*, panem scilicet vitae et carnes *Agni occisi* et *piscem assum* in cruce, coctum igne amoris, quo ferventissime vos dilexit, et *poculum dabit de vino condito* [6] humanitatis et Divinitatis suae, quo bibunt amici et sobrietate mirifica *inebriantur carissimi*, abscondita quandoque timentibus dulcedinis multitudine perfruentes, aspicientes semper in illum qui est *speciosus forma* non solum *prae filiis hominum* [7], verum etiam prae millibus Angelorum, immo in quem *Angeli desiderant prospicere*, quia *candor est lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis* et *splendor gloriae* paradisi. Huic ergo, carissimae filiae, tanquam bono nostro perpetuo iugiter adhaerentes, cum bene vobis fuerit, me peccatorem suae ineffabili clementiae commendate, assidue deprecantes, quatenus ad sui mirabilis nominis gloriam et honorem in [8] salutem pauperculi Christi gregis mihi commissi misericorditer *dirigere gressus meos* valeat. Datum in monte sancto Alvernae [9].

Exemplum S. Clarae.

Roga... oreo... ip...

[1] In cod. videtur scriptum *committantes*. Sequuntur verba ex c. 6. Regulae Minorum.

[2] Epist. I. ad Cor. 2, 2.

[3] Respicitur Cant. 1, 3: Curremus in odorem unguentorum tuorum.

[4] Epist. II. ad Cor. 2, 15: Quia Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt.

[5] Respicitur parabola fatuarum et prudentum virginum, Matth. 25, 1. seqq. Deinde Luc. 9, 14. et 12, 37; de pisce asso Luc. 24, 42.

[6] Respicitur Cant. 8, 2. et 5, 1: Bibite et inebriamini, carissimi, et deinde Ps. 30, 20.

[7] Respicitur Ps. 44, 2; deinde I. Petr. 1, 12; Sap. 7, 26; Hebr. 1, 3.

[8] Pro *in* in cod. legitur *inde* (!); infra respicitur Ps. 118, 133: Gressus meos dirige etc.

[9] Anno 1259 circa initium Octobris S. Bonaventura fuit in Monte Alvernae, testante ipso (Prolog. Itinerarii mentis in Deum, n. 2.). Tunc adhuc vivebant Fr. Leo, B. Aegidius aliique discipuli S. Francisci.



OPUSCULUM XX.

REGULA NOVITIORUM.

PRAEFATIUNCULA.

Reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quae sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta. Haec dicit Apostolus ad Romanos [1] in persona novitiorum, ut hi qui fuerunt per peccatum in saeculo deformati et erant tenebrosi, modo in Religione positi, per finalem poenitentiam reformentur et fiant luminosi, ut dicatur de eis: *Eratis enim aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino; ut filii lucis ambulate* [2]. Qui ergo desiderant in spiritu et moribus reformari studeant vitam suam subscriptis rationibus reformare. Cognoscent enim, quia *voluntas Dei* erit eis *bona,* quantum ad remissionem culpae deformantis, *beneplacens,* quantum ad infusionem gratiae reformantis, sed *perfecta* [3], quantum ad fruitionem gloriae praemiantis, in qua *recipient diadema decoris de manu Domini* Iesu, qui *retribuet unicuique iuxta opera sua; iustus est* enim *et iustitiam dilexit.*

Capitulum I.

De divino officio.

1. Cum spiritualia sint semper et ubique omnibus praeponenda, idcirco, quando fueris in ecclesia vel alibi ad divinum officium celebrandum, non sis ibi cum vagatione cordis, interponendo nociva, vel cogitando diversa, quia dicit Bernardus [4]: « Magna abusio est habere os in choro et cor in foro »; nam de talibus dicitur per Prophetam: *Ore suo benedicebant et corde suo maledicebant;* sed dicas illud cum profunda cordis humilitate et reverentia et timore. Nam, teste Scriptura [5], *timor Domini*

---

[1] Cap. 13, 2. Pro *Reformamini* (ita F I cum Vulgata) alias *Renovamini.* Cod. D, in principio textus posito *Dicit Apostolus*, hic legit *Hoc potest dici*, E *Verba ista dicit Apostolus*, omisso *ad Romanos* (quod etiam B G omittunt), pro quo F substituit *Religiosis*, continuans *et his praecipue qui fuerunt* etc., D *et eorum qui fuerunt* etc., alii codd. *et his qui fuerunt*, Vat. *his qui fuerunt*, praefigens *ut* ante *modo;* secuti sumus lectionem H.

[2] Eph. 5, 8. — Cod. I *ut de his dici possit aliud verbum Apostoli: Eratis* etc. — Superius Vat. pro *finalem poenitentiam* (ita A D E G H I) substituit *finalem sententiam*, F *novam conversationem.* Inferius pro *rationibus* D *virtutibus*, F *documentis*, G *rationibus et orationibus*, H *ordinationibus*, et post *Cognoscent* B I omittunt *enim.*

[3] Rom. 12, 2. — Tres seqq. loci sunt Sap. 5, 17: Ideo accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domini; Ps. 61, 13: Quia tu reddes unicuique iuxta opera sua (cfr. I. Reg. 26, 23; Matth. 16, 27. et Rom. 2, 6: Qui reddet unicuique secundum opera eius), et Ps. 10, 8: Quoniam iustus Dominus et iustitias dilexit. — Deinde B addit *Explicit prologus, incipiunt capitula*, quae singillatim (c. 16.) affert (sicut etiam D F et ed. 1).

[4] Cfr. Meditat. piissim. de cognitione humanae conditionis (inter opera Bernardi), c. 8. n. 22: In Monasterio namque saepe, dum oro, non attendo quod dico. Oro quidem ore, sed mente foris vagante, orationis fructu privor. Corpore sum interius, sed corde exterius, et ideo perdo quod dico. Parum enim prodest sola voce cantare sine cordis intentione. Propterea magna perversitas, immo magna insania est, quando cum Domino maiestatis loqui in oratione praesumimus, et insensati aurem avertimus et ad nescio quas ineptias convertimus cor etc. Cfr. Serm. 25. de Diversis, n. 7. seq.; Serm. 7. in Cant. n. 4. seq. et Serm. 47. n. 8. Vide etiam Libr. de Modo bene vivendi (inter opera Bernardi), c. 52. n. 122: Mens tua cum voce concordet, concordet cum lingua, non aliud cogites et aliud cantes. Si aliud cantes in mente et aliud cantes in voce, perdis fructum laboris tui. Si corpus tuum stat in ecclesia et foris vagatur mens tua, perdis mercedem tuam. Unde dicitur [Isai. 29, 13, qui exhibetur ut in Matth. 15, 8.]: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* etc. Libr. II. de Claustro animae (inter opera Hug. a S. Vict.), c. 22: In choro sunt corpore, sed in foro mente etc. — Subinde allegatur Ps. 61, 5, cui D G subiungunt praenotatum textum Isai. 29, 13: *Populus hic* etc. — Inferius pro *sed dicas illud* D I *sed dicas officium.*

[5] Eccli. 1, 12. et deinde 32, 9; cfr. supra pag. 396, nota 10. — Inferius pro *sis erectus* D *stes erectus*, et pro *hoc tantum excepto* H I *hoc tamen excepto.*

delectabit cor et dabit gaudium et laetitiam. Et stude intelligere ea quae dicis, si potes, si vero non potes intelligere, reverere, quia, sicut dicit Sapiens, *pro reverentia accedet tibi bona gratia.* Et semper ad totum officium sis erectus, tam in officio beatae Mariae Virginis quam in alio, hoc tantum excepto, quod in nocte, dicto Matutino beatae Virginis, liceat tibi appodiare [1].

Officium B. M. V. et reverentia externa.

2. Officium vero beatae Virginis in festis duplicibus non dimittas [2]; et quamdiu stas in officio, taliter sis honestus, ut nunquam respicias circumstantes nec cum aliquo loquaris ibidem, sed capite aliquantulum inclinato, oculis demissis, manus habeas ante te aut in modum crucis, aut manum in manu ante pectus positam, nunquam autem in sinu vel in inhonesto loco portes, cogitans, te esse non solum coram Fratribus, sed etiam coram Deo et Angelis eius. Nam, teste Propheta [3], *praevenerunt principes*, id est Angeli, *coniuncti psallentibus.*

Adhibeatur liber.

3. Et sis semper sollicitus ad librum, ne aliquando negligentia vel verecundia ductus, aliquod verbum officii praetermittas; et non dicas horas tuas solummodo prolatione vocis exterioris, sicut hypocritae versipelles, de quibus conqueritur Dominus per Prophetam [4], dicens: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* — Cave etiam tibi multum, ne aliquid facias vel dicas ibidem, quod alios provocet ad risum, quia, sicut dicit Isidorus [5], « nullum habebit accessum compunctio, ubi fuerit immoderatus iocus vel risus »; sed iucundatio tua et meditatio tua sit semper in Iesu, ut psallendo et meditando possis dicere cum Propheta [6]: *Et erunt, ut complaceant eloquia oris mei, et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* Et dicta qualibet hora, dicas: *Miserere mei, Deus*, et *Salve Regina* cum oratione: « Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosae Virginis Mariae Matris » etc.

Risus vitandus.

Capitulum II.

De oratione.

Semper orandum et devote.

1. Cum Dominus dicat in Evangelio [7], quia *oportet semper orare et non deficere;* stude semper expendere tempus tuum aut in oratione, aut in lectione, aut in bona meditatione, aut in servitiis; « non enim cessat orare qui non cessat bene facere [8] ». In oratione autem frequenter et morose permaneas cum profunda cordis *devotione et humilitate. Oratio* enim *humiliantis se nubes penetrat,* iuxta sententiam Sapientis [9]. Quidquid autem in oratione petieris, cum *fiducia* impetrandi petas; Veritas enim dicit: *Quidquid orantes petitis, credite, quia accipietis, et fiet vobis.* Sit autem oratio tua in excelsa *caritate* fundata; Gregorius [10] enim dicit: « Quia virtus perfectae orationis est celsitudo caritatis ». Sit etiam secreta, verecunda, iusta, lacrymosa et frequens; et quia oratio nihil aliud est quam « ascensus intellectus ad

Notandum.

---

[1] Du Cange, Glossarium etc. *Appodiare,* inniti; et sub vocabulo *Podium* dicit: *appodiare,* inniti in rem aliquam, incumbere.

[2] Nam in festis semiduplicibus erat recitandum. — Pro *in festis duplicibus non dimittas* Vat. et ed. 1 *nunquam dimittas,* quarum etiam lectionem incongruam in seqq. fide codd. correximus.

[3] Psalm. 67, 26. Cfr. Bernard., Epist. 78. n. 6; Serm. 7. in Cant. n. 4. et Meditat. piissim. de cognitione humanae conditionis (inter opera Bernardi), c. 6. n. 16, ubi recurrunt ea quae Bernard. in praeallegata Epist. affert. Vide supra pag. 61, notam 9.

[4] Isai. 29, 13, allegatus secundum Matth. 15, 8. Cfr. supra pag. 475, nota 4. — Superius pro *ad librum* (ita A B E H L) edd. *ad horam,* et pro *sicut hypocritae,* quod ed. 1 omittit, Vat. *ut Pharisaei.*

[5] In opp. Isidori non invenimus hanc sententiam, quae in libr. de Salutaribus Documentis (inter opera August., et dicitur esse Paulini Foroiuliensis seu Aquileiensis patriarchae), c. 43. sic exhibetur: « Parvuli est ludere, perfecti autem lugere... Omne autem, quidquid immoderatum est, dissolutionem efficit animae et negligentem erga Dei praecepta, nec delicta sua facile potest ad memoriam revocare, et obliviscens ea, non se instigat ad poenitentiam, et ita paulatim ab omnibus bonis cadit. Nullum habebit accessum cordis compunctio, ubi fuerint immoderata vitia et concupiscentiae malae. Ubi autem fuerint lacrymae, ibi spiritualis ignis accenditur, qui secreta mentis illuminet ». Pro *Nullum habebit accessum compunctio* (ita E H I) A B D L et Vat. cum ed. 1 *Nullus habebit accessum ad compunctionem* (Vat. cum ed. 1 *compositionem*). — Superius pro *ad risum* B H *ad ridendum.*

[6] Psalm. 18, 15. — Subinde allegantur Ps. 50. et antiphona Salve Regina (edd. omittunt) ex Completorio cum oratione, pro qua A B D E H substituunt hanc (in Missali et Breviar. Romano pro Dominica 13. post Pentec.): Omnipotens sempiterne Deus, da nobis fidei, spei et caritatis augmentum, et ut mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod praecipis. Per Christum Dominum etc.

[7] Luc. 18, 1. — Subinde pro *expendere tempus* E *bene expendere opus.*

[8] Secundum Glossam *ordinariam* in Luc. 18, 1. superius pag. 434, nota 4. allegatam. Cod. H *bene operari;* I legit: *servitiis communitatis utilibus et necessariis; nam secundum Apostolum* [cfr. I. Thess. 5, 17: *Sine intermissione orate,* quod Glossa *ordinaria* ita explicat] *non cessat orare* etc.

[9] Eccli. 35, 21, ubi pro *penetrat* Vulgata *penetrabit.* — Subinde allegatur Marc. 11, 24, ubi pro *Quidquid* et *fiat* Vulgata *Quaecumque* et *evenient.*

[10] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 27. n. 8: Virtus ergo verae orationis est celsitudo caritatis.

eparatio rationem iritur. Deum [1] », idcirco, antequam incipias orationem, praepara te ad internam devotionem, si vis attingere ad divinam praegustationem. Nam, teste Gregorio [2], « oratio est cordis, non labiorum; nec, inquit, verba deprecantis tantum Deus intendit, sed orantis cor aspicit »; et ideo dicit Sapiens: *Fili, ante orationem praepara animam tuam, et noli esse tanquam homo, qui tentat Deum.* Tunc enim orator dicitur tentare Deum, quando absque ulla cordis praeparatione currit ad vocalem orationem et petit sibi divinam speculationem; sed vix, aut nunquam poterit impetrare, quia talis non dicitur devotus orator, sed potius verborum latrator.

2. Si ergo vis affici in oratione, praepara cor
rmatur. tuum ad devotionem; nam de cordis praeparatione dicit Dominus per Prophetam [3]: *Praeparationem cordis eorum audivit auris tua;* unde legitur in Vitis Patrum: « Quales orantes volumus inveniri, tales debe-
ad hanc irruntur. imum. mus ante orationis tempus nos praeparare ». — Ad istam autem praeparationem tria concurrunt: primo, ut dicit Gregorius [4], *quinque sensuum revocatio*, scilicet ab exterioribus, ut ad nihil intendat nisi ad quietem mentis, ne forte anima, quae soli Deo vacare intendit, per eos ad plura diffundatur. Nam si invisibilis anima invisibili Deo conformis est; dum Deum orat, debet omnium visibilium oblivisci, ut impermixta terrenis ad caelestia cito tendat. Certum est enim, quod anima in modum arboris in altum cogitur elevari; unde dicit Gregorius [5]: « Tanto avidius gustum sapientiae orator intus acciperet, quanto saporem carnis pro eadem sapientia foris robustius repressisset »; propter quod dicebat Dominus [6]: *Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum.*

3. Sed quia nemo ascendit ad Dei contemplatio- Secundum.
nem, nisi prius descendat per sui humilitatem; ideo sequitur secundum, scilicet *propriae parvitatis consideratio* [7]. Si autem vis videre tuam parvitatem, tu qui oras, considera illius immensitatem, quem oras; nam nihil es respectu Dei viventis. Tu enim es vermiculus putridus, ipse vero Deus est aeternus; tu creatura mortalis et infirma, ipse vero Creator omnipotens; nec tamen, cum nihil sis, ipsum Deum honorasti tanquam creatura Creatorem suum et tanquam servus dominum suum; sed quod periculosius est, peccando *eum ad iracundiam provocasti* [8] et semper eum suis stipendiis impugnasti; et ideo non es dignus exaudiri, sed potius cruciari aeternaliter. Et sic mentaliter descende cum fletu ad infernum, cogitans scilicet gravia peccata, quae commisisti, et quantam gloriam perdidisti et quam dura supplicia incurristi, ut cogitando cognoscas tuam transgressionem, et quam iuste damnatus es, et dominicam passionem, qua redemptus es [9].

4. Nunc igitur sequitur tertium, scilicet *Christi* Tertium.
redemptoris ignita dilectio. Si autem vis perfecte diligere Christum, considera, quantum fueris dilectus a Christo. Nam *maiorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* [10]; sed Christus plus fecit, quia pro nobis inimicis suis

---

[1] Ut dicit Damasc., III. de Fide orthod. c. 24. Pro *ad Deum* (πρὸς Θεόν) E H *in Deum;* cfr. Bonav., tom. IV. pag. 368, nota 3. — Inferius pro *internam* (ita A E H) alias *intimam*, cui D addit *cordis*, et pro *praegustationem* I *degustationem*.

[2] Libr. XXII. Moral. c. 17. n. 43: Vera quippe postulatio non in oris est vocibus, sed in cogitationibus cordis. Valentiores namque voces apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria etc. Cfr. XXXIII. c. 23. n. 43. Verbotenus habetur apud Isidor., III. Sent. c. 7. n. 4, ubi textus originalis omittit *tantum*. — Sequitur Eccli. 18, 23, de cuius expositione cfr. Rabanus. Cfr. Ambros., Exhortatio virginitatis, c. 10. n. 70.

[3] Psalm. 9, 17. (Ps. 10. secundum Hebraeos). — Sententia ex Vitis Patrum allegata refertur a Cassiano, Collat. 9. c. 3. (alias 2.), ubi vocibus *ante tempus* cum I et textu originali interseruimus *orationis* (H L legunt *in oratione ante tempus*). — Deinde I addit: Nota, quod duo sunt necessaria oranti: primum est sensuum omnium diligens custodia; secundum, propriae vilitatis humilis consideratio.

[4] In Ps. 7. poenitentialem, n. 12; II. Homil. in Ezech. homil. 5. n. 8. seq. et XXVI. Moral. c. 44. n. 79. De ratione adiuncta cfr. XXI. Moral. c. 2. n. 4, ubi dicit, quod « cum sit *invisibilis* anima, nequaquam corporearum rerum delectatione tangitur, nisi quod inhaerens corpori quasi quaedam egrediendi foramina eiusdem corporis sensus habet. Visus quippe, auditus, gustus, odoratus et tactus, quasi quaedam viae mentis sunt, quibus foris veniat et ea quae extra eius sunt substantiam, concupiscat » etc. — Inferius pro *ad quietem* B E *ad quietudinem*, vocibus *quae soli* E H I interserunt *in oratione*, et pro *ut impermixta terrenis* E *ut dimissis terrenis.*

[5] Libr. XXX. Moral. c. 10. n. 39. In fine legunt edd. contra E et textum originalem *pro eodem sapientiae fonte robustius repressisset*, H *per eandem sapientiam foris robustius represserit.* — August., II. de Serm. Domini in monte, c. 24. n. 79, explicans illud Matth. 7, 18: *Non potest arbor bona malos fructus facere* etc., dicit: Arbor est quippe ipsa anima, id est ipse homo, fructus vero, opera hominis etc. Cfr. Gregor., XII. Moral. c. 47. n. 53. et XIV. c. 20. n. 24. Superius pro *in altum cogitur* Vat. *cogitatur.*

[6] Matth. 6, 6.

[7] Gregor., in Ps. 7. poenitentialem, n. 12, hanc secundam conditionem tanquam primam exhibet, dicens: Primum est, ut a te ipso deficias nec super te causa iactantiae rapiaris, sed omnibus inferiorem te sentias, et sic in te spiritum superbiae exstinguas. Non te generis nobilitas extollat, non erigat honor, non inflet prudentia. *Qui* enim *confidit in homine*, maledicto subiacet [Ier. 17, 5.]. Cfr. supra Opusc. VI. de Perfectione vitae ad Sorores, c. 5. n. 2. — Superius pro *humilitatem* A E I *humiliationem*, et pro *parvitatis* B *pravitatis*, qui etiam inferius pro *parvitatem* cum A substituit *pravitatem.*

[8] Deut. 9, 18. — Superius pro *creatura Creatorem suum* (ita A B E F H I) edd. *Creatorem tuum.* Inferius pro *cruciari aeternaliter* A B D *poenis cruciari aeternis*, E H *flammis cruciari aeternis*, F *cruciatibus aeternis deputari.*

[9] Cfr. supra Opusc. I. de Triplici Via, c. 2. § 1. et Opusc. II. Soliloq. c. 1. § 3. seq. — Cod. H *ut talia cogitando tuam orationem optata devotio consequatur.* Superius fide A B D E H L supplevimus *cum fletu.*

[10] Ioan. 15, 13. — Sequitur Rom. 5, 10, quod fide codd. supplevimus. Cfr. Bernard., Serm. 20. in Cant. n. 2. et Bonav., III. Sent. d. 30. q. 6. ad 2, et Comment. in Ioan. c. 15. n. 27,

mortuus est. Nam *cum inimici essemus*, teste Paulo, *reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius.* — Cogita ergo haec grandia beneficia Dei, quia, cum deberes meritis tuis in inferno aeternaliter cruciari, voluit tamen ipse Dei Filius pro te redimendo de muliere paupercula nasci et crudelissima supplicia pati et horribili morte mori, ut mortuus ad inferna descenderet et nos de inferni pelago liberaret et in caelesti collegio collocaret. Et sic ascende mentaliter ad illud collegium Beatorum, et tunc divina caritate ignitus, incipias orare ferventer, ut possis dicere cum Propheta [1]: *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.* Et quamdiu oras, semper speculare illam caelestem Ierusalem triumphantem, ut orando possis dicere cum Apostolo: *Nostra autem conversatio in caelis est.*

Notandum.

5. Orationes autem, quas facis, semper habeas sub certo numero terminatas, quas nunquam dimittas, nisi urgente necessitate vel infirmitate coactus, quae sunt hae [2]: primo ad laudem Dei et beatae Virginis quotidie inter diem et noctem dicas centum *Pater noster* cum *Gloria Patri* et totidem *Ave Maria* cum genuflexionibus; item dicas quotidie Psalmos poenitentiales cum litania [3] pro benefactoribus vivis, et Vigilias trium lectionum pro defunctis, et alia facias, sicut tibi Dominus ministrabit. Hoc tamen attende, ut in oratione, quam facis, magis studeas ad devotionem quam ad consummationem, ut statim, cum inveneris Christum, orationem ulterius non protendas, sed eo fruere, quem quaerebas, dicens cum sponsa [4]: *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam;* et subtrahente se Iesu, orationem perficias, quam incepisti; et consulo tibi, ut nunquam praedictam orationem dimittas; non enim qui incipit commendatur, sed qui finaliter perseverat [5].

De orationibus dicendis.

6. Ora ergo, carissime, et te in oratione exerce, quia pauperi non oranti aeterna supplicia promittuntur. Ait enim Bernardus [6]: « Ora, frater, instanter ora, quia ille dicitur habere tunicam mixtam sanguine, qui carnem suam nutrit de pauperum sudore. Cantando nobis, inquit, ista bona proveniunt; graves ergo pro eis effundite gemitus, alioquin quod hic in deliciis sumitis in tormentis evometis ». Studeas ergo tanto frequentius et morosius cum fervore devotionis orare, quanto plus ceteris maiora beneficia tibi conferuntur, quia, sicut dicit Gregorius [7], « tanto ergo humilior atque ad serviendum Deo promptior quisque debet esse ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione ». Et omnis oratio tua semper volvatur aut circa Dei beneficia collata cum gratiarum actione, aut circa tua et proximorum scelera perpetrata cum omni dolore et lacrymarum effusione.

Hortatio.

Notand.

7. Ista enim est scala, per quam *vidit* Iacob *Angelos ascendentes et descendentes* [8]. Et quotidie semel, a Fratrum consortio separatus, stude animum tuum ab omni sollicitudine revocare, et illicitis cogitationibus impermixtus, cum profunda cordis humilitate et devotione et gratiarum actione recogita cuncta beneficia Creatoris, et maxime, quoniam voluit pro te humiliter incarnari et acerbissima supplicia pati et morte turpissima mori. Quae autem de *passione* tunc debeas cogitare, dicit Bernardus [9]: « O homo, respice mentali oculo, quanto remunerationis debito Domino tuo sis astrictus. Respice sudorem sanguineum, alaparum contumeliam, flagellorum duritiam, coronam spineam, verborum blasphemiam, sputi ludibria, crucis angariam, suspendium patibuli, oculos languentes, oris pallorem, fellita [10] cibaria, acetosa pocula, caput inclinatum, mortis supplicium. Et quid plura? Vita pro nobis mortua est ».

Quid si[...] ditand[...]

8. Et cum haec prolixius cogitaveris [11], convertere protinus ad te ipsum et considera, quod Christus non solum supradicta, sed etiam alias multas sustinuit passiones, ut te de servitute diaboli liberaret.

Reflex[...] se ips[...]

---

ubi in nota allegatur etiam Bernard., de passione Domini, in feria IV. hebdomadae sanctae, n. 4. — Superius post *considera* H I addunt *primo*, et post *plus fecit* E prosequitur: *et maiorem caritatem habuit, quia non tantum pro amicis, sed etiam pro inimicis animam suam posuit et mortuus est* etc. Inferius pro *Cogita ergo haec* A B E L *Cogita ergo hic*, et pro *meritis tuis* F *pro demeritis tuis.*

[1] Psalm. 38, 4. — Subinde allegatur Phil. 3, 20. — Inferius pro *Et quamdiu oras* (ita D H I) edd. *et dum diu oras.*

[2] Cod. H addit *sex.*

[3] Codd. E H *litaniis.* Subinde pro *Vigilias trium lectionum pro defunctis* (ita A E H I) B D F et ed. 1 *Vigilias* [B *Vigiliam*] *defunctorum*, Vat. *Vesperis defunctorum*, subiungens *hoc est Placebo*, cui B L addunt *pro mortuis.*

[4] Cant. 3, 4. — Superius post *inveneris* H prosequitur: *desideratum Iesum; in oratione ulterius non procedas, sed* etc. Pro *dicens* A E H *dicendo*, B *dicasque.*

[5] Matth. 10, 22. et 24, 13: Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. — Pro *praedictam orationem* (ita A E H I) Vat. *praedicta*, quae etiam pro *commendatur* (ita A B E H I L) substituit *emendatur.*

[6] Serm. 4. in Ascensione Domini, n. 11: « Ora instanter, ora perseveranter »; libro de Modo bene vivendi (inter opera Bernardi), c. 49. n. 118: « Ora cum lacrymis indesinenter, ora iugiter »; sed quae hic annectuntur, in quibus respicitur Gen. 37, 31. (ubi de tunica Ioseph in sanguine hoedi tincta), in neutro cit. loco occurrunt.

[7] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 9. n. 1. — Superius pro *frequentius* edd. *ferventius.*

[8] Gen. 28, 12 — Inferius pro *impermixtus* Vat. *permixtus* et *circa beneficia* pro *cuncta beneficia* (ita A H I).

[9] Cfr. Serm. in feria IV. hebdomadae sanctae, n. 3. et 8; Serm. 22. de Diversis, n. 5; Tract. de caritate (inter opera Bernardi), c. 19. n. 62. seq.; Instructio sacerdotis (inter opera Bernardi), p. I. c. 6. n. 10. seq.; Serm. de Vita et passione Domini (inter opera Bernardi, est Anselmi Medit. 9.), n. 11. seqq. In his locis eadem sententia, sed non iisdem verbis affertur. Pro *Domino tuo sis astrictus* A D H I *constringeris* [E *astringeris*, H *restringaris*, I *astringaris*] *tuo Domino* [A *Domino Deo*, I *Domino Deo tuo pro te*] *patienti;* pro *sudorem sanguineum* edd. *sanguinem.*

[10] Du Cange, Glossarium etc.: *Fellitus*, felle mixtus.

[11] Codd. H I *prolixius et cum lacrymis cogitaveris.*

Et tu ingratus beneficia Creatoris tui non cognoscis, cum sis sua morte redemptus, et non solum eum ardentius non amasti, sed peccando potius impugnasti, sicut ipse conqueritur per Prophetam [1], dicens: *Retribuebant mihi mala pro bonis et odium pro dilectione mea.* — Et prolixa hora cogita cum dolore, quantum et qualiter Deum offendisti, et per consequens quantam gloriam amisisti et quanta supplicia acquisisti; et in hoc liquefiat anima tua dolendo et poenitendo in amaritudine lacrymeris, ut possis dicere cum Propheta [2]: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* — Ad ultimum vero surge sperando de misericordia Iesu Christi; *patiens* enim est *et multum misericors,* sicut dicitur in Psalmo [3]. Et ideo confidenter et humiliter roga eum, ut, qui sua morte te redemit et redemptum de mundo te vocavit, in Religione positum, immaculatum finaliter te conservet in Sanctorum collegio.

s dolo-ris.

s spei.

9. Deinde *pro Ecclesia Romana,* scilicet pro Papa ora et cardinalibus et ceteris praelatis Ecclesiae militantis, ut, debellato humani generis inimico, possint cum suo grege ad caeleste bravium ascendere cum triumpho; postea pro omnibus Religiosis, maxime pro Ordine nostro, ut qui prae ceteris omnibus ad perfectionis celsitudinem nos vocavit et paupertatis signaculo decoravit, ad regnum caelorum nos convocet coronandos, quod ipse perfectis omnibus repromisit. Deinde ora pro cuncto populo christiano et specialiter pro benefactoribus nostris, ut, qui opes suas indigentibus subministrant, mereantur accipere pro parvis magna, pro terrenis caelestia, pro temporalibus sempiterna. Postea ora pro defunctis et postea pro infidelibus, ut, qui diabolica fraude sunt decepti, ad lumen fidei divina misericordia revocentur. Nec debes de aliquo desperare, quia, teste Paulo [4], *non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.*

Pro quibus sit orandum.

Capitulum III.

De confessione.

1. Quia ad remissionem peccatorum requiritur *contritio amara, confessio pura* et *satisfactio condigna,* idcirco, antequam vadas ad confessionem, omnia peccata, quae post praecedentem [5] confessionem fecisti vel corde, vel ore, vel opere, aut omittendo bona, aut committendo contraria, cum profunda cordis contritione ad mentem revoca diligenter, ne ea in confessione praetermittas. Et cum singula peccata cum dolore ad animum revocaveris, verecunde vade ad sacerdotem, et deposito mantello, humiliter genuflecte, et cum [6] extracto caputio et iunctis manibus dicas: *Confiteor* usque *Ideo precor;* et hic incipias dicere illa peccata, quae superius cogitasti, et pro singulo peccato dicas tuam culpam. Quibus dictis, subiungas ultimo dicens: et de istis et de omnibus aliis peccatis meis mortalibus et venialibus, confessis et omissis [7], quibus offendi Creatorem meum visu, auditu, gustu, odoratu et tactu, dico meam culpam. Et ista sufficiunt ad confessionem frequentem.

requi- ad Sa- ntum iten- e.

2. Cum volueris prolixius confiteri, dicas de offensionibus [8] Regulae, maxime de obedientia, paupertate et castitate, et exprimas, si in aliquo istorum specialiter offendisti. — Item, de multa negligentia et irreverentia circa Horas, quia eas somnolenter et

Confessio prolixior.

[1] Psalm. 34, 12: Retribuebant mihi mala pro bonis; Ps. 108, 5: Et posuerunt adversum me mala pro bonis et odium pro dilectione mea.

[2] Psalm. 118, 136. — Superius pro *pralixa hora* H I *hic prolixe*, post *Deum* H addit *Creatorem tuum* et pro *acquisisti* cum I substituit *meruisti.* Subinde pro *lacrymeris* (ita A) B H *lacrymetur*, F *animae tuae*, edd. *lacrymarum.*

[3] Psalm. 144, 8.

[4] Rom. 9, 16, pro quo I Rom. 11, 29: *Sine poenitentia sunt dona et vocatio Dei* (in margine additur Rom. 9, 16: *Non est volentis* etc.; H substituit: *Sine fine sunt dona Dei*). Cod. L legit: Nec debes desperare, si tibi videbitur, non tam cito exaudiri iuxta desiderium tuum, dicens: « Ego quotidie oro, sed orationis meae nullum fructum video... et unum a duobus indubitanter sperare debemus, quoniam aut dabit nobis quod petimus, aut quod nobis noverit esse utilius [Meditat. piissimae de humana conditione, inter opera Bernardi, c. 6. n. 18, ubi auctor sequitur Bernard., Serm. 6. in Quadrag. n. 3.]. Unde Paulus ait: *Non est volentis* » etc. — Edd. de hoc n. 9, refragantibus A B C D E H I L, exhibent tantum *Deinde raga Deum pro Ecclesia Romana.* Cod. H adiungit paragraphum *de gratiarum actione*, in qua, commendata gratiarum actione ex verbis Apostoli [Phil. 4, 6.], Augustini, Bernardi [cfr. supra Opusc. VI. de Perfectione vitae ad Sorores, c. 5. n. 3.], proponitur, quod gratiae agendae sint specialiter pro septemplici beneficio, scilicet incarnationis, dominicae passionis, vocationis ad Religionem, promissionis factae finaliter in Religione perseveranti, angelicae protectionis, paternae miserationis custodientis a peccatis et inferno, singularis provisionis immittentis inspirationes bonas et procurantis corporalia dona. « Ista ergo septem beneficia sunt quasi *septem candelabra* [Apoc. 1, 12.] lucentia coram Deo in sanctuario cordis tui, si tamen pro singulis digna sequetur gratiarum actio ».

[5] Edd. perperam *praedictam.* Inferius pro *ne* et *praetermittas* B C H L *ut* et *praemittas.*

[6] Cod. I *et tunc.* Subinde post *dicas* B C L addunt: *Dirupisti, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hastiam laudis* [Ps. 115, 16. seq. vel 7. seq.]. *Deus, in adiutorium meum intende, Domine, ad adiuvandum me festina* [Ps. 69, 2.]; *deinde dicas.* Inferius pro *superius cogitasti* (ita A B C D E L) edd. *cogitasti saepius.*

[7] Codd. E H I *et oblitis.* Inferius post *culpam* E H addunt *Et ideo deprecor* etc.

[8] Codd. B H I *offensione.* Subinde post *maxime* H prosequitur: *de offensione obedientiae, paupertatis et castitatis* etc., et pro *specialiter* (ita A E H) I substituit *notabiliter*, B C L *Deum.*

indevote dicis et cum vagatione cordis et imperfecte, dimittendo quandoque versus et syllabas [1]. — Item, de multa ingratitudine, quam habes circa spiritualia et temporalia dona et beneficia Dei. Nam spiritualia non cognoscis, maxime beneficium redemptionis et Religionis, quae cum gratiarum actione frequenter ruminare deberes, et etiam de beneficiis corporalibus es ingratus, quia pro eleemosynis acceptis non reddis Deo debitas gratias, sicut deberes, et parum pro benefactoribus oras. — Item, de modica caritate, quam habes circa Deum et proximum, quia Deum non diligis, sicut debes, *toto corde* [2], nec obedis consiliis et praeceptis eius, sicut debes, sed quod periculosius est, voluntati eius resistis frequenter; nec etiam diligis proximum, sicut debes, quia nec congaudes ei in prosperitate sua nec in adversitate compateris, sicut debes. — Item, de perditione temporis, quia stas [3] otiosus in die dicendo et audiendo verba vana et otiosa et nociva et ad risum provocantia. — Item, de inhonestis et noxiis cogitationibus et morosis, quibus non resistis viriliter, sicut posses. Sed forte quod peius est, negligis principia motuum carnalium, qui insurgunt [4]. — Item, de multa superfluitate et aviditate in comedendo et bibendo et alia non necessaria faciendo. — Item, de bonis cogitationibus tibi a Deo inspiratis, quas non perficis opere, sed negligendo per dilationem frequenter repellis [5]. — Item, de falso et temerario iudicio aliorum. — Item, de vana laetitia et tristitia. — Item, quia tu es promptus ad malum et remissus ad bonum. — Item, de multa superbia, vana gloria, invidia, iactantia, avaritia, accidia, gula et luxuria. — Item, de modico dolore, quem habes de peccatis tuis, et non doles de offensis [6], sicut debes; et de aliis dicas, de quibus conscientia te reprehendit; et dum haec omnia dicis, descende ad specialia, quae fecisti, et semper, accepta poenitentia, osculare terram.

Continuatur accusatio.

Et sit confessio tua frequens, aperta et integra, verecunda et lacrymosa et cum contritione et sine excusatione. Et si potes confiteri quotidie, bene quidem, sin autem, de tertio in tertium diem saltem studeas confiteri et studeas generaliter confiteri annuatim [7].

Qualitas et frequentia confessionis.

Capitulum IV.

De communione.

Praeparatio ad eam remotior.

1. Cum Apostolus [8] dicat, quod qui illud incogitabile Sacramentum *manducat indigne, iudicium sibi manducat et bibit;* idcirco, quandocumque communicare proponis, studeas te per totam hebdomadam praecedentem ad hoc sollicite praeparare, et hoc per peccatorum contritionem continuam, confessionem et devotam orationem. Nam de hac praeparatione loquebatur Apostolus [9], cum dicebat: *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat.* Quodsi in die dominico proponis communicare, studeas te ante per triduum ad fervorem spiritus ordinare, ut sis in sexta feria praecedenti ab omni cogitatione immunda abstractus. Semper autem habeas mentales oculos ad Iesum crucifixum, spinis coronatum, aceto cum felle potatum, sputis et contumeliis saturatum [10], a peccatoribus blasphematum, pro flagellorum multitudine fatigatum, acerbissima morte consumtum, lancea perforatum, a mortalibus iam sepultum. Et haec cogita, sive comedas, sive bibas, sive aliquid aliud facias, ut cogitando Creatorem crucifixum dolorem in corde habeas tota die et in corpore ostendas tristitiam faciei, dicendo cum Apostolo [11]: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.*

Item proximior.

2. Die vero Sabbati propone penitus Fratrum consortia declinare et quietem mentis eligere; dies

---

[1] Hanc propositionem fide codd. supplevimus. Inferius pro *maxime* edd. *iuxta*, et pro *corporalibus* H I *temporalibus*.

[2] Respicitur Matth. 22, 37. — Subinde vocibus *nec obedis* A E H interserunt *recte*, qui etiam cum D F pro *praeceptis eius* [ita B] substituunt *praeceptis suis* [H *Dei*].

[3] Codd. E H *quia nimis stas*. Inferius edd. omittunt *dicendo et*, quae etiam pro *et* [L addit *forte*] *morosis* et *viriliter* [ita E H I] substituunt *luxuriosis et otiosis* et *humiliter*.

[4] Cod. A *negligis principia et motus carnales insurgunt*, H *negligendo principia motus carnales quandoque insurgunt*. Inferius edd. omittunt *et aviditate*, pro *non necessaria faciendo* [E *recipiendo*] A B C L *necessaria faciendo*, H *nociva faciendo vel recipiendo*.

[5] Hanc propositionem supplevimus fide A B C D E H L.

[6] Codd. E H *de offensa Dei*, Vat. *de confessis*. Inferius pro *ad specialia* (ita A G) B C L *ad sensualia*, F *ad singula*, edd. *ad similia*, et voci *terram* I praefigit *manum sacerdotis vel*.

[7] In E hic additamentum exhibetur longum, quo declaratur modus, secundum quem confessio in particulari fieri possit; attamen quia in ipso ea repetuntur, quae in praecedentibus iam sunt dicta, et nihil novi affertur, ideo illud integrum non attulimus. In G additur monitum, peccata venialia statim esse confitenda, quia ait August. [Serm. 9. alias 96. de Tempore, c. 11. n. 17; Enarrat. in Ps. 39. n. 22.]: « Cave, ne obruaris arena ». In confessione peccata lavantur et virtutes augentur et saepe non habenti gratiam per illud Sacramentum sanctissimum confertur.

[8] Epist. I. Cor. 11, 27. et 29. — Pro *incogitabile* (cfr. Du Cange, Glossarium etc.) B C L *incommutabile*, E I *inexcogitabile*, G *ineffabile*. Pro *confessionem* B C L *devotionem*.

[9] Epist. I. Cor. 11, 28. — Inferius pro *immunda abstractus* [G *segregatus*] H *mundana suspensus*.

[10] Quae sequuntur usque ad c. 5. n. 1: *Antequam comedam* desunt in E.

[11] Gal. 6, 14. — Edd. contra A B C D H L legunt: *tota die ostendas tristitiam in corde et in corpore, dicens cum Apostolo.*

enim *requietionis est*[1], et pone strictum ori tuo silentium, ut saltem illo die non solum otiosa verba succidas, sed etiam ipsa necessaria vix loquaris; nam, teste Ieremia[2], *bonum est praestolari cum silentio salutare Dei nostri.* Et usque ad Completorium exerceas te aut in lectione, aut in sancta meditatione. Post Completorium vade in ecclesiam et ibi revoca mentem tuam et quidquid contra Creatorem tuum fecisti, totum recogita cum dolore et amaritudine cordis, dicendo cum Propheta[3]: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae.* — Et semper, quando communicare proponis, die praecedenti ieiunes et post Matutinum non dormias, sed vigila in oratione, sciens, quod in vigilia post Matutinum Salvator noster potissime invenitur, ipso attestante, qui ait[4]: *Qui mane vigilaverit ad me inveniet me.*

3. Cum autem communicaveris, statim vade ad cellam tuam et cum gaudio magno cogita ipsius communicationis effectum, quem quidem ipsa Veritas exprimit, dicens[5]: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam;* et immediate dicas Psalmos poenitentiales cum litaniis, et cave, ne illo die egrediantur verba nociva, vel otiosa de ore tuo, per quod intravit Iesus refectio gloriosa; nam, teste Apostolo[6], *nemo potest* digne *calicem Domini bibere et calicem daemoniorum.*

Iudicium de quotidiana communione.

4. De frequentatione vero communionis non audeo suadere, nisi quod Augustinus[7] suadet; ait enim: « Quotidie eucharistiam recipere nec laudo nec vitupero; omnibus autem dominicis diebus communicandum hortor; si tamen mens in affectu peccandi est, magis dico gravari quam purificari. Et licet quis peccato mordeatur, si tamen peccandi de cetero non habeat voluntatem et satisfaciat lacrymis et orationibus, accedat securus; sed de illo dico, quem mortalia peccata non gravant ».

Capitulum V.

De comestione.

1. Cum pulsatur campanella ad mensam vel ad comedendum, stes in silentio et diligenter[8] examina te ipsum, quomodo illo die in oratione vel in lectione vel in servitiis laborasti, ut praeparatas eleemosynas possis secura conscientia manducare; nam peccatores ideo largiuntur tibi eleemosynas, non ut loquaris de partibus vel de guerris vel maneas otiosus, sed ut pro eis incessanter ad Dominum fundas preces. Quodsi te inveneris otiosum stetisse, aut dixisse illicita; timeas cum dolore cordis, sciens, quod de eleemosynis acceptis oportebit te *reddere rationem villicationis tuae*[9]; et usque ad secundam pulsationem cogita supra dicta, semper pro benefactoribus exorando. — Cum autem intraveris ad mensam, sede semper iuxta honestiores et maturiores, si fieri potest bono modo. Et antequam incipias manducare, dicas *Gloria in excelsis Deo*, vel tribus vicibus *Pater noster;* et invocato nomine Trinitatis, dicendo *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen;* tunc incipias manducare cum timore et dolore cordis, ut verificetur in te illud Iob[10]: *Antequam comedam, suspiro;* et sicut Bernardus dicit: « Cum comedis, non totus comedas, sed attendas lectioni, si fueris in loco, ubi legatur; si vero non legitur, ibidem cogita de Deo, ut uterque homo sit propria refectione refectus ».

Regulae pro comestione.

2. Sis ergo in mensa honestus, capite semper cooperto, oculis non diffusis, et nulli loquaris ibidem nisi necessitate coactus, nec cures scire, quid vel quantum vel qualiter alii manducent. Paulatim incidas panem et vinum moderate propina, ita ut,

---

[1] Levit. 16, 31: Sabbatum enim requietionis est; cfr. ibid. 23, 32.

[2] Thren. 3, 26. — Inferius pro *in lectione* D G *in oratione*, H *in oratione, aut in lectione.*

[3] Isai. 38, 15. — Superius vocibus *revoca mentem* A interserit *ad.*

[4] Prov. 8, 17: Qui mane vigilant ad me invenient me. — Superius pro *vigilia post Matutinum* G H *vigilia matutina.*

[5] Ioan. 6, 55. — Superius pro *cogita* [B C D L *recogita*] *ipsius communicationis* [C D L *communionis*] *effectum* Vat. *ipsius communicationis, affectes illum*, quae etiam pro *exprimit* substituit *promittit.*

[6] Epist. I. Cor. 10, 20: Non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum [G cum Vulgata omittit *digne*, et pro *bibere* B C L substituunt *accipere*, edd. *sumere*]. — Superius pro *et immediate* A *et tunc in meditatione.*

[7] Potius Gennadius in lib. de Ecclesiast. Dogmatibus, c. 23. (alias 53.). Pro *si tamen mens in affectu peccandi est* textus originalis *si tamen mens in affectu peccandi non sit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi*, qui etiam subinde vocibus *et satisfaciat* interserit *communicaturus* ac plures alias minoris momenti lectiones exhibet.

[8] Codd. H I *Statim cum pulsatur ad comedendum, stans in silentio, diligenter.* Inferius pro *eleemosynas* B *epulas*, et pro *de partibus* F *de partialitatibus.* Cod. G omittit hoc cap. et primam partem c. 6.

[9] Luc. 16, 2: Redde rationem etc. Cod. H addit *cum dicat Dominus: Redde rationem* etc. — Superius pro *Quodsi* B C L *Quia si*, post *stetisse* H subnectit *vel nihil vel parum utile fecisse*, et pro *sciens* B C H L substituunt *sciendo.*

[10] Cap. 3, 24. — Sententia Bernardi habetur in Epist. ad Fratres de Monte Dei (inter opera Bernardi; est Guigonis), lib. I. c. 11. n. 33: Et cum manducas, nequaquam totus manduces, sed corpore tuo suam refectionem procurante, mens suam non negligat, sed de memoria suavitatis Domini vel Scripturarum aliquid, quod eam pascat, meditando, vel saltem memorando secum ruminet et digerat.

cum comederis, nec panis incisus nec vinum in scypho supersit, nec sis primus in comedendo nec ultimus in finiendo. Et dum sanus es, nunquam panem eligas meliorem et deteriorem tantum dimittas, ne Deum offendas et proximum scandalizes, sed communiter manduca illum; et non comedas rapaciter, sicut faciunt gulosi, *quorum Deus venter est,* sicut dicit Apostolus [1], sed curialiter et honeste manduca, sicut decet Religiosum et honestatis sanctissimae sectatorem. Et cum biberis, dicto *Ave Maria,* cum ambabus manibus bibas et mitte intus satis aquam, ne quod datur tibi ad nutrimentum fiat tibi in detrimentum; habet enim ad libidinem provocare, sicut dicit Sapiens [2], quia *luxuriosa res est vinum.* Et ideo dicit Apostolus: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria;* et alibi: *Modico utere vino.* Appone igitur semper aquam in vino. Specialia tibi nunquam procures nec oblata recipias, si evitare poteris bono modo. Exenia non mittas per mensam, nisi forte illis qui iuxta te sedent. In fine vero micas diligenter collige et manduca, quia dicit Dominus [3]: *Colligite fragmenta, ne pereant.*

Capitulum VI.

De abstinentia.

Hortatio. 1. Cum Dominus dicat in Evangelio [4]: *Attendite vobis, ne forte graventur corpora vestra in crapula et ebrietate,* huiusmodi semper stude crapulam fugere et ebrietatem et sobrietatem eligere, quia dicit Sapiens: *Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinens est adiiciet vitam.* Cum autem fueris in comedendo, non sapor, sed fames provocet appetitum, ut dicit Bernardus [5], ut nunquam voluptate, sed necessitate pascaris, quia dicit Augustinus: « Mens lassata nimietate ciborum perdit orationis vigorem ».

Regulae abstinentiae. 2. Toto tempore vitae tuae modico et communi cibo utere, quia dicit Isidorus [6]: « Ubicumque satietas et ebrietas, ibi libido et furor dominatur ». Et ne modum excedas in comedendo et bibendo, sicut dicit Isidorus [7], tantum tibi ieiunii imponas, quantum ferre potes; « melius est enim quotidie parum quam multum raro sumere ». Augustinus [8]: « Nihil prodest tota die longum ieiunium ducere, si postea satietate vel nimietate anima subruatur ». Et cave, ne de cetero specialitatem vel singularitatem tibi procures; sed omni tempore, quando sanus es, his cibariis esto contentus, ut pane et vino et coquina tantum; et si tibi aliud apponatur, si indiges, accipias moderate, sicut « decet servum Dei et paupertatis sanctissimae sectatorem [9] ». Cibaria vero, quae magis provocant ad gulam quam ad sustentationem naturae, semper devita, sicut sunt cibaria inusitata vel delicata, scilicet speciebus composita et similia. Nam, sicut dicit Bernardus [10], « satis est ad omne condimentum sal cum pane et fame ». Nec tamen occasione cibi dimissi permittas, aliud tibi dari, quia

---

[1] Phil. 3, 19. — Superius D omittit *tantum*, pro *ne Deum* B C L substituunt *et sic Deum,* pro *sed communiter* (ita A B D et ed. 1) Vat. *sed comiter*. Inferius pro *honestatis*, edd. *paupertatis.*

[2] Prov. 20, 1. — Duo seqq. loci sunt Eph. 5, 18. et I. Tim. 5, 23, ubi edd. cum pluribus codd.: *Semper modico utere vino.* — Superius pro *Et cum biberis* A E H *Et quoties biberis* [E H *bibis*]. Subinde ex B C I L supplevimus *et mitte intus satis aquam,* pro quo E H *et cave, ne vinum forte de cetero bibas.*

[3] Ioan. 6, 12: Colligite quae superaverunt fragmenta, ne pereant. — Du Cange, Glossarium etc.: *Exenium,* exennium, idem quod *Xenium,* munus, donum, oblatio etc. — Post *Exenia* L addit *quoque.* — Cfr. Hugo a S. Vict., de Institut. novitior. c. 18-21.

[4] Luc. 21, 34. — Subinde allegatur Eccli. 37, 34.

[5] Epist. ad Fratres de Monte Dei (inter opera Bernardi), lib. I. c. 11. n. 33; Tract. de interiori domo (inter opera Bernardi), c. 17. n. 28; Serm. de Villico iniquitatis (inter opera Bernardi), n. 3, ubi insinuatur, in comedendo non voluptati, sed solum necessitati esse intendendum. Cod. H hanc sententiam attribuit *Gregorio,* qui eam insinuat XX. Moral. c. 14. n. 28. seq. et XXX. c. 18. n. 60. seqq. — De sententia August. cfr. Epist. 130. (alias 121.) c. 16. n. 31: In ieiuniis et vigiliis et omni castigatione corporis quamplurimum adiuvatur oratio. Libr. de Modo bene vivendi (inter opera Bernardi), c. 24. n. 70: Mens multitudine ciborum lassata perdit vigorem orationis. Codd. A B E H *perdit orationis et devotionis vigorem.*

[6] Libr. II. Sent. c. 42. n. 6. seq.: Nam gulae saturitas nimia aciem mentis obtundit... Libidinis ignes ciborum fomentis increscunt. Ibid. c. 43. n. 1: Ebrietas autem perturbationem gignit mentis, furorem cordis, flammam libidinis. Cfr. II. Synonymor. n. 14. — Praecedenti propositioni *Toto tempore* etc. A praefigit *Bernardus;* cfr. Epist. 405. (alias 346.) et Epist. iam in nota praecedenti allegata ad Fratres de Monte Dei, lib. I. c. 11. n. 33.

[7] Libr. II. Sent. c. 44. n. 13-16, ubi monetur, abstinentiam moderatam esse debere. Propositio seq. *Melius est* etc. exhibetur ab Hieron., Epist. 54. (alias 10.) n. 10: « Multo melius est quotidie parum quam raro satis sumere », ipsamque edd. contra H Isidoro tribuunt, addendo *inquit* post *Melius est enim.* — Superius pro *et bibendo* E H *vel abstinendo, immo.*

[8] Serm. 141. in Appendice (alias 56. de Tempore), n. 4: « Nihil prodest tota die longum duxisse ieiunium, si postea ciborum suavitate vel nimietate anima obruatur ». Pro *subruatur* (ita A) E *subvertatur*, H *subruat*, edd. legunt *Quid enim prodest... et postea... animam saturare?* — Cod. H *Augustinus enim dicit*, B C L *Et Augustinus.*

[9] S. Franciscus in c. 5. Regulae. Codd. E H *zelatorem.* — Superius voci *specialitatem* A H L praefigunt *aliquam.*

[10] Epist. 1. n. 11: Prudenter sobrieque conversanti satis est ad omne condimentum sal cum fame. — Du Cange, Glossarium etc.: *Species*, aromata vel res quaevis aromaticae.

tunc non esset abstinentia, sed simulatae sanctitatis apparentia [1]. Cave etiam, ut non manducando manducantes iudices, vel condemnes, quia, sicut ait Apostolus [2], *qui non manducat manducantes non spernat*, et e contrario; *qui* enim *manducat Domino manducat, et qui non manducat Domino non manducat.*

3. Extra refectorium nunquam comedas nisi necessitate vel infirmitate coactus, sed communem vitam semper in bono sequaris; et omni tempore, quando sanus es, Quadragesimam Epiphaniae et aliam Apostolorum, quae incipit ab Ascensione usque ad Pentecosten, et diem Sabbati semper ieiunare procures. — Et quando abstinentia tibi importabilis videretur, statim cogita de Iesu, qui, cum esset Dominus omnium, in anxietate patibuli est fatigatus, spinis coronatus, clavis perforatus, sitiens potatus est aceto cum felle mixto [3]. Tunc enim talia cogitando non solum ciborum abstinentias, sed quaslibet asperitates et passiones facile sustinere valebis. Ait enim Gregorius [4]: « Si passio Christi ad memoriam revocetur, nihil adeo durum, quod aequo animo non toleretur ».

Abstinendum a quibusdam cibis.

4. Abstineas igitur maxime, frater, a cibis delicatis et calidis [5], qui sunt incitativi ad nutrimentum luxuriae, et semper in omni cibo et potu superfluitatem et aviditatem devita, ut etiam post comestionem videaris esurire et famelicus esse, si vis in aeterno convivio saturari. Ait enim Hieronymus [6]: « Impossibile est, ut praesentibus et futuris quis fruatur bonis, ut hic ventrem et illic mentem impleat et de deliciis mundi ad delicias Angelorum transeat et in caelo et in terra appareat gloriosus ». Unde [7] *beati, qui esuriunt et sitiunt iustitiam* in praesenti, *quoniam ipsi saturabuntur* in futuro.

Capitulum VII.

De dormitione.

1. Semper, cum perveneris ad horam dormiendi, non praevento tempore, primo aspergas te aqua benedicta, et tunc vadens ad lectum aliquam orationem praemittas, et facto tibi signaculo crucis in lecto et te Domino humiliter commendato, honeste et composite iaceas in dextro, vel sinistro latere, nunquam tamen supinus vel aliter inhoneste. Nunquam dormias cum manibus in sinu positis, nec cruribus elevatis vel discoopertis, sed semper teneas tunicam inter crura, ut nullus te inveniat inhoneste iacentem. In lecto autem sic positus, donec somnus te occupet [8], dicas Psalmos, vel aliud utile meditare, vel quod utilius est, imaginare Iesum in cruce pendentem. Quod si sollicite cogitabis, vix aut nunquam poterit te diabolus molestare, quia per devotam meditationem passionis Iesu Christi omnis exercitus daemonum effugatur.

Item, in excitatione a somno.

2. Cum autem excitatus a somno exsurrexeris de lecto, statim recurre ad memoriam Crucifixi, ut cum Apostolo [9] nihil scias inter homines *nisi solum Iesum et hunc crucifixum.* Ait enim Bernardus: « Totus sit nobis fixus in corde qui pro nobis fuit fixus in cruce ». Et facto tibi signo crucis, vade ad ecclesiam festinanter et asperge te aqua benedicta, et ingrediens ecclesiam dicas: *Introibo, Domine, in domum tuam et adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. Domine, deduc me in iustitia tua; propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam* [10]. Cum autem perveneris ad altare, humiliter genuflecte et Deum adora et lacrymare, si potes, et facias orationem, quam Dominus ministrabit tibi [11], et recommenda te sibi cum profunda cordis humilitate, et semper sis in ecclesia, antequam officium inchoetur, ut, congregato animo tuo coram Deo, liberius possis intendere his quae dicis.

---

[1] Hic E finit. Superius pro *occasione cibi dimissi* edd. *ea occasione*, et post *tibi dari* E G addunt *quod carius reputetur.*

[2] Rom. 14, 3: Qui non manducat manducantem non iudicet; et deinde v. 6. — Superius pro *ut non manducando* A G H *ne abstinendo.*

[3] Matth. 27, 34: Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. Codd. A D G *cum felle myrrhato;* cfr. Marc. 15, 23: Et dabant ei bibere myrrhatum vinum.

[4] Regul. pastoral. p. III. c. 12. in fine: Cur itaque asperum creditur, ut a Deo homo toleret flagella pro malis, si tanta Deus ab hominibus pertulit mala pro bonis? Bernard., Serm. 22. de Diversis, n. 5: Quid tibi dirum vel durum esse poterit, cum recordatus fueris, quia ille *in forma Dei* [Phil. 2, 6.]... venit ad carcerem tuum, ad limum tuum, *infixus*, ut dicitur [Ps. 68, 3.], usque ad cubitos *in limo profundi?* Quid non suave tibi, cum tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui etc. Cfr. supra pag. 40, nota 10.

[5] Hieron., Epist. 54. (alias 10.) n. 10: Deinde in ipsis cibis calida quaeque devita etc. — Superius pro *Abstineas* A B L *Abstine*, et pro *maxime* B C G L *magis.*

[6] Epist. 118. (alias 34.) n. 6. Textus originalis pauca hinc inde interiicit.

[7] Matth. 5, 6.

[8] Fide A B C D G H L supplevimus *donec somnus te occupet,* B D tamen legunt *Cum autem in lecto sis positus, donec* etc., G *et sic in lecto sis positus, donec* etc. Subinde post *Psalmos* H addit *poenitentiales.* Inferius pro *cogitabis* (ita B C H L) G *cogitaveris*, F *agas*, edd. *agitabis*, quae etiam subinde omittunt *passionis.*

[9] Epist. I. Cor. 2, 2. — De sententia Bernardi cfr. Serm. in feria 4. hebdom. sanctae, n. 11; Serm. 43. in Cant. n. 5; Tract. de caritate (inter opera Bernardi), c. 19. n. 62. seq.; Serm. in verba Sap. 7, 30. (inter opera Bernardi) n. 5, ubi assidua meditatio passionis Christi commendatur.

[10] Psalm. 5, 8. seq. — Superius pro *asperge te* A B I *asperso te*, omisso subinde *et* ante *ingrediens.*

[11] Edd., refragantibus codd., *monstrabit.*

Capitulum VIII.

De servitiis [1].

Servitia facienda in caritate.

1. Omnia servitia, quae tu facis, semper radicentur in caritate, alioquin non exspectes inde meritum apud Deum, quia, sicut dicit Augustinus [2], « tanta est virtus caritatis, ut et prophetia et martyrium sine ipsa nihil esse credantur ». Celebrantibus autem Missas libentissime servias cum profunda cordis devotione et corporis reverentia, quia ad illud devotissimum Sacramentum nemo debet accedere indevote; nec exspectes, quod alius te invitet, sed potius tu sollicita sacerdotes et sis semper sollicitus circa omnia servitia facienda, ne forte tua negligentia, quod absit, aliquando impediatur devotio sacerdotis Missam celebrantis [3]. Et cave penitus, quod in serviendo nunquam respicias faciem sacerdotis.

Quomodo serviendum celebrantibus.

De [illegible]

2. Alia autem servitia, quae sunt necessitatis et utilitatis, libentius facias quam alia, sicut est lavare pannos, paropsides, tunicas et pedes infirmorum et aliorum et capita, cum oportebit, et similia. Cum fueris cum Fratribus pro aliquo servitio faciendo, cave, ne loquaris ibidem, nisi forte interrogatus, et tunc breviter et submisse; sed potius *audi tacens* [4], quia dicitur in Psalmo: *Vir linguosus non dirigetur in terra.* Infirmos vero debes frequenter et sollicite visitare, saltem bis vel ter in die cum exhibitione servitii, si oportet, sicut in Regula [5] continetur, quod « Fratres debent eis servire, sicut vellent sibi serviri »; et hoc fiat sine multiloquio, quia, teste Sapiente, *in multiloquio non deerit peccatum.*

Capitulum IX.

De otio fugiendo.

Contra otiositatem.

1. Cum otiositas multis sit occasio delinquendi, teste Sapiente, qui ait [6]: *Multa mala docuit otiositas;* stude semper in divinis laudibus vel caritatis operibus occupari. Nam otiosos divina Sapientia reprehendit, dicens: *Quid hic statis tota die otiosi?* Nec mirum, quia diabolus frequenter eos praecipitat ad peccata; unde Hieronymus [7]: « Semper aliquid operis facito, ut te semper diabolus inveniat occupatum ».

Tria facienda per totam vitam.

2. In his ergo maxime exerce te, scilicet in frequenti et ferventi oratione et lectione et in servitiis, et per ista tria tota vita tua decurrat, ut semper ores, aut legas, aut servias, et potissime senibus, forensibus et infirmis; et perfectis servitiis, non stes cum Fratribus otiosus, sed statim vade ad cellam, ut ibi ores vel legas, et sta in ea quotidie usque ad Tertiam et non exeas, nisi urgenti necessitate vel utilitate coactus, memorans illud Bernardi [8], quod « sancti Angeli Dei cellas habent pro caelis; et aeque delectantur in cellis ac in caelis a cella enim in caelum saepe ascenditur ».

---

[1] Edd., omisso hoc titulo, quae sequuntur coniungunt cum praecedenti cap., licet ed. I in principio huius Opusculi referens capitula hunc titulum recenseat. Cod. H substituit *Quod omnia radicentur in caritate.* Cod. G partem huius cap. et seq. et partem c. 10. omittit.

[2] Libr. II. de Diversis Quaest. ad Simplician. q. 1. n. 8. seq., ubi hoc ostendit respectu *prophetiae;* Serm. 138. (alias 50. de Verbis Domini) c. 2. n. 2, ubi idem probatur respectu *martyrii.* Cfr. de Unico Baptismo contra Petilian. c. 7. n. 11. Vide etiam Hieron., II. Apolog. adversus libros Rufini, n. 2. et III. Comment. in Gal. 5, 14, cui supra pag. 43, col. II. eadem sententia tribuitur.

[3] Edd. *impediatur sacerdos,* quae etiam contra B C D H L omittunt seq. propositionem.

[4] Eccli. 32, 9; deinde Ps. 139, 12. — Superius edd. cum nonnullis codd. omittunt *breviter et.*

[5] Cap. 6. Cod. L legit: *in Regula beati Patris nostri Francisci continetur, ubi dicitur, quod* etc. — Subinde allegatur Prov. 10, 19. — Inferius pro *et hoc* A B *et totum,* H *et hoc totum.*

[6] Eccli. 33, 29: Multam enim malitiam docuit otiositas. — Sequitur Matth. 20, 6.

[7] Epist. 125. (alias 4.) n. 11: Facito aliquid operis, ut etc. Pro *operis* edd. cum pluribus codd. *boni.* Cod. L addit: Et Isidorus [III. Sent. c. 19. n. 5.] ait: Dei servum sine intermissione legere, orare et operari oportet, ne forte mentem otio deditam spiritus fornicationis subripiat. Cedit enim labori voluptas, animum autem vacantem cito libido praeoccupat. Contuere Salomonem per otium multis fornicationibus involutum et per fornicationis vitium usque in idololatriam lapsum.

[8] Epist. ad Fratres de Monte Dei (inter opera Bernardi), lib. I. c. 4. n. 10: Cellae siquidem et caeli habitatio cognatae sunt; quia, sicut caelum et cella ad invicem videntur aliquam habere cognationem nominis, sic et pietatis. A *celando* enim caelum et cella nomen habere videntur... quod geritur in caelis, hoc et in cellis. Quidnam est hoc? Vacare Deo, frui Deo. Quod cum secundum ordinem pie et fideliter celebratur in cellis, audeo dicere, sancti Angeli Dei cellas habent pro caelis et aeque delectantur in cellis ac in caelis. Nam cum in cella iugiter caelestia actitantur, caelum cellae... proximum efficitur, nec iam spiritui oranti, vel etiam a corpore exeunti, a cella in caelum longa vel difficilis via invenitur. A cella enim in caelum saepe ascenditur; vix autem unquam a cella in infernum descenditur, nisi, sicut dicit Psalmista [Ps. 54, 16.], *descendant in infernum viventes,* videlicet, ne descendant morientes etc. Fide B D H supplevimus *et aeque... in caelis;* L post *saepe ascenditur* addit: *vix aut nunquam a cella in infernum descenditur* etc. (vide paulo superius).

Capitulum X.

De honestate servanda.

1. Cum honestas sensuum exteriorum sit ornativa virtutum, ideo in omni verbo et actu tuo semper honestatem cum dilectione et discretione praetendas. Ait enim Apostolus[1]: *Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis.* Si ergo desideras honestatem et felicitatem virtutum invenire et inventam facile retinere, ista semper stude habere. Primo habeas ferventem et frequentem orationem, de qua dicere poteris illud Sapientiae[2]: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa et innumerabilis honestas per manus illius.* Deinde stude semper omnia verba otiosa et inhonesta vitare, ut ea non proferas nec audias proferentes, quia, teste Paulo[3], *corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Cave ludum manuum, maxime cum iuvenibus, devita otiosorum et ludentium conventicula et adulatorum blandimenta deride et dona contemne. Colloquia susurronum et murmuratorum, bilinguium et detractorum semper abhorre. Nam, teste Scriptura[4], *murmuratores et detractores Deo odibiles sunt.*

ad bo- em et tem dam.

2. Nunquam loquaris cum aliquo nisi verbum praemeditatum, ordinatum, utile et honestum. Duplicitates et simulationes in loquendo semper devita, quia dicit Ambrosius[5]: « Omnis simulatio et omnis duplicitas mendacium est ». Et propterea dicit Augustinus: « Omnia verba ante veniant ad limam quam ad linguam ». — Ad lavandum paropsides quotidie vadas. — Insuper non sis murmurator nec iudicator aliorum nec aliquem de cetero reprehendas, nisi aperte fecerit contra Deum, sed potius tu reprehensus, statim dicas culpam tuam genuflectens, sive sis culpabilis sive non. Nam, teste Gregorio[6], « bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est ». Et quandocumque aliquis te offenderit, non respondeas ei, sed statim recurre ad patientiam, dicens: Dignum quippe est, ut omnes creaturae me offendant, quia ego superbus Creatorem omnium semper offendi et iniuste et frequenter offendo. — Et semper, quando vadis in ecclesiam, coram altari, si fieri potest congrue, ingrediendo vel egrediendo humiliter genuflecte; quia scriptum est[7]: *In nomine Iesu omne genu flectatur.* — Item, quando vadis per domum vel extra, semper habeas gressum mitem, manus continentes, oculos demissos, stabiles, non vagantes, quia dicit Augustinus[8]: « Impudicus oculus impudici cordis est nuntius ». — Et quando vides Fratres loquentes de aliquo, non de Deo, vel de divina Scriptura, statim recede, maxime si murmurant de aliquo, vel loquuntur de guerris. Nam, teste Scriptura[9], *lingua eorum gladius acutus.* Et ut melius te conserves, stude semper in corde et opere humilitatem habere, quia, sicut dicit Gregorius, « qui ceteras virtutes sine humilitate congregat quasi pulverem ante ventum portat ».

ie in ; ser- e.

De culpa dicenda.

Reverentia in ecclesia.

Aliae regulae.

---

[1] Epist. I. Cor. 14, 40, ubi Vulgata omittit *in vobis.* — Superius pro *ornativa* (ita edd.) H *ordinativum*, C I L *ordinativa;* deinde edd. omittunt *dilectione et*, quod ex B C L supplevimus, pro quo A *delectatione et;* H legit *honestatem custodias et discretionem praetendas.*

[2] Cap. 7, 11. — Superius pro *virtutum* H *virtutibus.*

[3] Epist. I. Cor. 15, 33; pro *mala* B F I *prava.* — Superius post *verba otiosa* fide A B D G addidimus *et inhonesta*, H legit *verba inhonesta et vitiosa.* Inferius pro *Cave ludum... conventicula* (ita A B C D G L) edd. *Postea inhonestorum et dissolutorum consortia cave.*

[4] Rom. 1, 29. seq.: Susurrones, detractores, Deo odibiles. Cfr. supra pag. 439, nota 10.

[5] Serm. 30. in Appendice, n. 3, et allegatur a Gratiano, Caus. 22. q. 5. c. *Cavete* (20.), ubi in additione editorum exhibetur sententia, sicut hic profertur. Pro *Ambrosius*, refragantibus A B D G, edd. *Augustinus*, secundum quas consequenter etiam subnexa sententia *Et propterea dicit ipse alibi: Omnia verba* etc. tribuenda erit *Augustino*, quod confirmant A B D, qui legunt *Et propterea* [B *praeterea*] *alibi Augustinus* [D addit *dicit*]; Serm. 3. ad Fratres in eremo (inter opera August.): Stultus enim valde est qui non prius verbum ducit ad linguam rationis, quam educat ad linguam oris. Cfr. Enarrat. in Ps. 38. n. 3. *Verba* autem, quibus haec sententia profertur, inveniuntur in Speculo monachorum Arnulphi monachi de Boeriis (inter opera Bernardi), quae L addit: Et Bernardus dicit: Pauca in loquendo et rationabilia sint verba tua, et antequam ea proferas, bis ad limam veniant quam semel ad linguam.

[6] Libr. XI. Epist. epist. 64. ad 10. interrogationem Augustini Anglorum episc.: Bonarum quippe mentium est etiam ibi aliquo modo culpas suas agnoscere, ubi culpa non est. — Superius pro *de cetero* A B *de choro*, D *de peccato.* Inferius pro *quandocumque* B I *quantumcumque*, et pro *ad patientiam* B *ad patriam*, F *ad poenitentiam.*

[7] Phil. 2, 10. — Superius pro *vel egrediendo* G I *et egrediendo.*

[8] In Regula ad servos Dei, n. 6. Edd. et codd., I excepto, allegant *Isidorum*, qui secundum G dicit: Impudicus oculus pudici cordis est inimicus; cfr. II. Synonymor. n. 16: Oculi quoque prima tela libidinis... mens enim per oculos capitur etc. — Superius pro *gressum mitem* B *gressum mansuetum*, D *gravem incessum*, H *gressus mites.*

[9] Psalm. 56, 5. — Sententia Gregorii habetur I. Homil. in Evang. homil. 7. n. 4, ubi pro *ante ventum portat* (ita A B D F G H; pro *portat* A *proiicit)* edd. cum textu originali *in ventum portat.* Cfr. supra pag. 110, nota 4.

Capitulum XI.

De tentationibus, et qualiter resistendum sit eis.

1. Quia humani generis adversator nititur incessanter per impulsationes tentationum fidelibus obviare latenter, testante Petro[1]: *Adversarius vester, diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret, cui resistite fortes in fide;* idcirco semper *custodi animam tuam sollicite,* iuxta consilium Sapientis. Et semper, quando senseris te huiusmodi tentationibus impugnari, statim recurre ad Christum. *Fidelis est enim, ut faciat cum tentatione proventum*[2]*;* et dicas immediate: *Adiuva me, Domine, Deus meus; ne discesseris a me; intende in adiutorium mihi, Domine Deus salutis meae. Libera me de inimicis meis fortissimis et ab his qui oderunt me, quoniam confortati sunt super me. Pone me, Domine, iuxta te, et cuiusvis manus pugnet contra me;* quia, *si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Et cogita statim, quia per peccatum privatur quis inaestimabili gloria Beatorum et condemnabitur ad horribilia et infinita supplicia damnatorum.

Recurrendum ad Christum.

Duo meditanda.

2. Nam ista duo, si bene habebis in mente tua impressa, expellent tentationes omnino; et si tentatio adhuc praevalet, cogita de acerbissima passione Iesu Christi. Nam, teste Scriptura[3], *cogitare de ea sensus est consummatus, et qui vigilaverit propter illam cito erit securus;* et hoc est quod, si bene imprimatur in mente passio Redemptoris, non habebit locum in carne tentatio deceptoris. Ipsa est enim armatura contra hostes, de qua dicebat Apostolus[4]: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli;* et merito, quia nulla est efficacior medicina, per quam citius inimicorum exercitus depelletur. Ideo dixit Petrus: *Christo in carne passo, et vos eadem cogitatione armamini.*

De passione Domini cogitandum.

Nota

3. Hoc ait etiam expressius Bernardus[5]: « Quoties te senseris turpibus cogitationibus impugnari et ad illicitas cogitationes affici; toties pone tibi ante oculos mentis tuae, quomodo Christus crucifixus est pro te. Intuere, quomodo a Iuda Iudaeis traditus est, quam viliter pertractatus, blasphematus et colaphizatus, iudicatus et condemnatus, exspoliatus et flagellatus; ad ultimum vero contumeliis et opprobriis affectus, inter duos latrones suspensus, clavis confixus, sputis derisus, spinis coronatus, felle potatus, lancea perforatus, ex omnibus partibus corporis sanguis emanavit, et *inclinato capite, emisit spiritum*[6]. Ita Redemptor tuus mortuus est pro te in cruce, et tu, nescio, cuiusmodi turpi cogitatione sordidaris in mente »!

Confi

Capitulum XII.

De modo conversandi cum saecularibus.

Regulae complures.

1. Toto tempore vitae tuae studeas, quantum poteris bono modo, familiaritates saecularium devitare; *generatio enim perversa est et infideles filii,* teste Scriptura[7]. Cum autem fueris cum eis, aliqua necessitate vel utilitate cogente, cave, ne unquam loquaris cum eis nisi verba utilia et honesta, et si ipsi loquantur de saeculo vel de guerris vel de aliis inutilibus, nunquam sequaris eos, etiam si scires,

---

[1] Epist. I. c. 5, 8. 9; deinde Deut. 4, 9: Custodi igitur temetipsum et animam tuam sollicite. Cfr. Prov. 4, 23: Omni custodia serva cor tuum.

[2] Epist. I. Cor. 10, 13. — Subinde allegantur Ps. 108, 26; 37, 22. seq.: Ne discesseris a me; intende etc.; 17, 18: Eripuit me de inimicis meis fortissimis etc.; Iob 17, 3: Pone me etc. et Ps. 26, 3: Si consistant etc. — Superius pro *tentationibus* A B *cogitationibus.*

[3] Sap. 6, 16, ubi pro *propter illam* B G H I *per illam*, F *ad eam.* — Seq. propositio ab I ita introducitur: *et hoc est, quod ait Bernardus* [cfr. Epist. 322, alias 351. n. 1. et Serm. 61. in Cant. n. 3. et quae paulo inferius afferuntur], *quod* etc. — Superius pro *et si tentatio* L *verumtamen si tentatio*, edd. *quia si tentator,* et pro *passione Iesu Christi* B *morte Iesu Christi Domini nostri.* Inferius pro *deceptoris* (ita A B C I L) F *daemonis*, edd. *detractoris.*

[4] Eph. 6, 11. — Subinde allegatur I. Petr. 4, 1. — Inferius pro *depelletur* (ita H) A B C L *depellatur*, edd. *debellatur.*

[5] Sive auctor Tractatus de interiori domo (inter opera Bernardi), c. 22. n. 44.

[6] Ioan. 19, 30, ubi pro *emisit* H cum Vulgata *tradidit.* — Inferius pro *sordidaris in mente* A B *sordescis in mente.* Cod. G exhibet ibi non breve additamentum, in quo, praemissa monitione Gregorii [cfr. XXXII. Moral. c. 19. n. 34. et XXXIII. c. 39. n. 68.], quod scilicet diabolus magis in morte homini insidiabitur, proponitur triplex ipsius tentatio, nempe de fide, de desperatione et apparitione diaboli sub forma Christi animam seducentis; pro qualibet tentatione datur medium adhibendum, et concluditur: Qui igitur ita resistit post tentationes habebit magnam consolationem et exspectet de victoria coronam.

[7] Deut. 32, 20. — Superius pro *familiaritates* B *familiaritatem.*

sed dic cum Propheta[1]: *Non loquatur os meum opera hominum;* et semper sis cum eis timidus, non securus, humilis, breviloquens et honestus, ut impleatur in te illud Evangelii: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est.*

2. Mulieres vero fugias, quantum potes, sicut serpentes, et nunquam loquaris cum aliqua, nisi urgens necessitas te compellat, nec unquam respicias in faciem alicuius mulieris, et si mulier tecum loquatur, verba sua citissime circumcide; nam, teste Propheta[2], *molliti sunt sermones eius super oleum, et ipsi sunt iacula.* Ideo dicit Augustinus[3]: « Asper sermo, brevis et rigidus cum mulieribus habendus est. Nec tamen quia sanctae sunt, ideo minus cavendae; quo enim sanctiores fuerint, eo magis alliciunt, et sub praetextu blandi sermonis immiscet se viscus impiissimae libidinis. Crede, inquit, mihi; episcopus sum, veritatem loquor in Christo, non mentior. Cedros Libani et gregum arietes sub hac specie corruisse reperi, de quorum casu non magis praesumebam quam Hieronymi et Ambrosii ». Fuge ergo laqueos mulierum, « quia non es David sanctior nec Samsone fortior nec sapientior Salomone[4] ».

Capitulum XIII.

De non iudicando alios.

1. Cum nulli commissum sit occulta cordis iudicare, sicut dicit Apostolus[5]: *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium;* idcirco nunquam te transferas ad aliorum iudicium vel contemptum, sed quandocumque videris, aliquid fieri, quod tibi displiceat, antequam iudices facientem, primo respicias temetipsum, utrum in te invenias aliquid reprehensibile; quodsi inveneris, tunc in illo, in quo alium iudicas, temetipsum condemna, dicendo cum Propheta[6]: *Ego sum qui peccavi, ego sum qui inique egi;* et non sis sicut hypocrita, quia nunquam respicit defectus suos, sed praesumens de se, omnes alios iudicat, detrahit et condemnat et vult videre festucam in oculis ceterorum, trabem autem, quae est in oculo suo, non considerat; quem Veritas reprehendit, dicens[7]: *Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo, et tunc prospicies et videre poteris festucam in oculo fratris tui.* Unde versus:

O qui festucam fratris concernis ocello,
Quae tua conturbat lumina tolle trabem.

2. Bernardus[8] dicit: « Cave alienae vitae esse **Confirmatur.** curiosus explorator, aut temerarius iudex; etiam si perpetraret actum, quem reprehendas, nec sic iudices proximum, magis autem excusa; excusa intentionem, si opus excusare non potes, puta ignorantiam, puta casum, puta surreptionem. Quodsi rei certitudo nullam excusationem recipit, suade nihilominus ipse tibi et dic apud temetipsum: O quam vehemens fuit illa tentatio! et quid de me illa fecisset, si accepisset in me similem potestatem »? Non sis ergo pronus ad iudicandum vel ad murmurandum, sed potius iudica et respice temetipsum, dicendo cum Propheta[9]: *Iniquitatem meam annuntiabo et cogitabo pro peccato meo.*

---

[1] Psalm. 16, 4. — Subinde allegatur Matth. 5, 16. — Superius pro *sequaris eos* H *respondeas,* cui I addit *eis;* post *etiam si scires* L prosequitur: *talia, de quibus ipsi loquuntur, sed potius dicens cum Propheta.*

[2] Psalm. 54, 22. — Pro *circumcide* edd. *occide.*

[3] Eadem sententia sub nomine *Augustini* exhibetur tam in Opusc. de Modo confitendi et puritate conscientiae, c. 14, quod et in operibus S. Thomae (Opusc. 57. alias 64.) et in operibus S. Bonav. invenitur, quam in Manipulo florum Thomae de Hibernia, qui allegat August., de Cohabitatione clericorum et mulierum (in ed. Maurin. non invenimus). In fine pro *Hieronymi* edd. *Gregorii Nazianzeni,* H *Gregorii, Hieronymi.*

[4] Regula Monachorum (inter opera Hieron.) c. 3, sumtum ex Epist. 52. (alias 2.) n. 5. Pro *non es* textus originalis *nec potes esse.* — Cod. A addit: Unde versus:

Adam, Samsonem, Petrum, David, si Salomonem
Femina decepit, quis bene tutus erit?

vel aliter:

Si Lot, si Samsonem, si David, si Salomonem
Femina decepit, quis bene tutus erit?

Codd. B C L addunt: Et ut breviter dicam: omne lapsum a muliere procedit. Reminiscere, quomodo primus homo per feminae suggestionem sit lapsus, et quomodo inquit Iob [cfr. 41, 24.]: *Non est potestas, quae resistat ei.* Unde fuge illas. — Cod. G in hoc textu finit opusculum.

[5] Epist. I. Cor. 4, 5.

[6] Libr. II. Reg. 24, 17. — Superius post *respicias temetipsum* A B I prosequuntur: *utrum te invenias reprehensibilem, quodsi inveneris te in illo, in quo alium iudicabas, temetipsum* etc. Post *tunc in illo* D addit *defectu.*

[7] Luc. 6, 42, ubi pro *et videre poteris festucam in oculo* Vulgata *ut educas festucam de oculo;* cfr. Matth. 7, 5. — Versus seqq. omittuntur a B H L.

[8] Serm. 40. in Cant. n. 5. Lectio nostra hinc inde a verbis textus originalis discedit, servata tamen integra sententia. Pro *perpetraret actum* A B L *properet* [B L *properat*] *in actum;* textus originalis legit *perperam actum quid deprehendas, nec sic iudices* etc.

[9] Psalm. 37, 19. — Cod. I hoc cap. transponit ad finem opusculi.

Capitulum XIV.

De humili obedientia [1].

Laus obedientiae.

1. Quoniam ad viam salutis nihil est tutius quam per humilem obedientiam abnegare se ipsum, idcirco sequentibus se Veritas dicit [2]: *Qui vult venire post me*, scilicet ad vitam aeternam, *abneget semetipsum*, per obedientiae subiectionem, *et tollat crucem suam*, per carnis macerationem, *et sequatur me*, per finalem consummationem. Et merito invitat eos ad obedientiae subiectionem, quia per eam habetur mira victoria contra hostes, teste Sapiente [3], qui ait: *Vir obediens loquetur victorias*. Et quod plus est, ipse Deus per obedientiam vinci potest. Dicit enim Gregorius [4]: « Si obedientes fuerimus praelatis nostris, Deus obediet orationibus nostris »; et Augustinus [5]: « Citius, inquit, exauditur una oratio obedientis quam decem millia contemptoris ».

Hortatio.

2. Item, toto tempore vitae tuae studeas omnibus secundum Deum subiacere et semper humiliter obedire, non solum praelatis, sed etiam subditis; et non cures dicere: quis est qui praecipit? sed laetare, quia praecipit. Ait enim Gregorius [6]: « Non licet subditis discernere, sed statim simpliciter obedire ». Item, Hieronymus [7] ait: « Non licet Monacho habere velle et nolle nisi in non peccando ». Et cave, ne unquam per te vel per alios obedientiam extorqueas publice vel occulte, quia talis non dicitur humiliter obedire, sed superbe propriam voluntatem facere. Ait Bernardus [8]: « Si quis aperte vel occulte satagit, ut quod habet in voluntate, hoc ei pater spiritualis iniungat; *ipse se seducit*, si forte sibi quasi de obedientia blandiatur; neque enim in ea re ipse praelato, sed magis ei praelatus obedit ». Caveat ergo talis, quia dicit idem Bernardus [9]: « Nihil ardet in inferno nisi propria voluntas. Tolle, inquit, propriam voluntatem, et non erit infernus ». Cave igitur, ut nunquam in beneplacitis tuis perficias voluntatem tuam, maxime discordem a voluntate praelati. Nam Bernardus [10] dicit: « Grande malum est propria voluntas, qua fit, ut bona tua bona non sint ».

Malu[m pro]priae [volun]tatis.

Chr[isti] exemp[lum].

3. Et quandocumque aliqua gravis obedientia te conturbat, citissime cogita de Iesu, qui, cum esset *Rex regum et Dominus dominantium* [11], *humiliavit semetipsum*, teste Paulo, *factus obediens usque ad mortem*. Dicebat enim: *Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me Patris*. Et tu ita dicas, si vis imitari Iesum: exivi de mundo, non ut faciam voluntatem meam, sed aliorum. — Qualis autem debeat esse perfectus obediens, Bernardus [12] describit, dicens: « Verus obediens nescit moram, mandatum non procrastinat, sed statim parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri et totum se interius recolligit, ut imperantis exterius perficiat voluntatem ».

Perf[ecti] obedi[entis] descr[iptio].

---

[1] Cod. H hoc loco exhibet cap. *De silentio* (c. 15. inferius positum).

[2] Matth. 16, 24. et Luc. 9, 23: Si quis vult etc. Edd. contra B H I L omittunt *scilicet ad vitam aeternam*.

[3] Prov. 21, 28, ubi pro *victorias* Vulgata *victoriam*. Cod. L addit: *Vir* quippe *obediens*, ait Gregorius [XXXV. Moral. c. 14. n. 28.] *victorias loquitur*, quia dum alienae voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus.

[4] Cfr. X. Moral. c. 15. n. 27, ubi docet, dignum esse, eius orationem non exaudiri, qui Dei iussionibus non obedit; XXXV. c. 14. n. 28, ubi obedientia diversimode commendatur. In Raynerii de Pisis pantheologia, sub nomine *Obedientia*, c. 6, eadem sententia Gregorio tribuitur; sed P. Ioan. Nicolai in ed. ab ipso procurata confitetur: « Ubi hoc dicat [Gregorius], non occurrit, etsi accurate quaesitum »; cui et nos consentimus; nam si verba attendantur, ipsa non in Gregorii operibus, sed in Serm. 61. ad Fratres in eremo (inter opera August.) occurrunt: Et sciendum, quod quanto modo erimus obedientes patribus nostris, tanto erit Deus obediens orationibus nostris. Codd. A B *Deus obediet nobis*.

[5] De Opere monachor. c. 17. n. 20. Voci *obedientis* Vat. cum ed. 1 et nonnullis codd. contra B H I et textum originalem praefigit *peccatoris*.

[6] Libr. II. in I. Reg. c. 4. n. 11: Vera namque obedientia nec praepositorum intentionem discutit nec praecepta discernit, quia qui omne vitae suae iudicium maiori subdidit in hoc solo gaudet, si quod sibi praecipitur operatur. Cfr. Epist. ad Fratres de Monte Dei (inter opera Bernardi), lib. I. c. 5. n. 14. — Superius ex A B C D H L supplevimus *sed laetare, quia* [H addit *tibi*] *praecipit*.

[7] Cfr. Regula monacharum (inter opera Hieron.), c. 8: « Subiicientes vos in omni obedientia..., ut iam omnino nihil aliud velle vel nolle alicui liceat, nisi quae abbatissa domus mandaverit facienda... Vere obediens et qui pro Christo caret omni arbitrio voluntatis nihil novit difficile, nihil iniustum ». Hanc Hieron. sententiam fide B C L supplevimus.

[8] Serm. 35. de Diversis, n. 4. Allegatur Gal. 6, 3. Post *satagit* A B D H prosequuntur: *ut ei praelatus* [A addit *suus*] *iniungat quod sibi placet, ipse se* [B D *eum*] *seducit, ut ei quasi de obedientia* etc.; finem exhibent A B sic: *neque enim in ea re obedit praelato, sed praelatus* [B addit *sibi*] *obedit*.

[9] Serm. 3. in tempore Resurrectionis, n. 3: Cesset voluntas propria, et infernus non erit. In quem enim ignis ille desaeviet nisi in propriam voluntatem? Cfr. supra pag. 432, nota 4.

[10] Serm. 71. in Cant. n. 14. Pro *qua fit* A D *quae facit*.

[11] Epist. I. Tim. 6, 15, post quem Phil. 2, 8. et Ioan. 6, 38. — Superius pro *te conturbat, citissime cogita* A B *contingat, cito cogita*, D *imponitur tibi, statim cogita*. Inferius post *aliorum* L addit *scilicet praelatorum*.

[12] Serm. 41. de Diversis, n. 7, ubi tamen in textu originali pauca interseruntur.

Capitulum XV.

De silentio.

1. Quia divina consolatio saepe per multiloquium denegatur, ideo toto tempore vitae tuae strictum silentium serva in locis et temporibus opportunis et ad hoc ordinatis. Nam, teste Scriptura[1], *in silentio et in spe erit fortitudo nostra.* Et semper sileas, ubicumque fueris: in divino officio celebrando, in comedendo et in quolibet servitio faciendo, et ubicumque fuerint ultra tres Fratres; et etiam a Completorio quotidie usque ad Tertiam non loquaris, nisi interrogatus, vel aliqua necessitate vel utilitate coactus. Nam, sicut dicit Gregorius[2], « mens, quae non habet murum silentii, de facili penetratur iaculis inimici »; et ideo dicit Augustinus[3]: « Mutum, inquit, debet esse os hominis nisi ad tria, scilicet ad laudem Dei, ad accusationem sui et ad utilitatem proximi ».

2. Sileas igitur, ita ut nunquam verba detractionis, vel murmurationis, vel dissolutionis, vel inhonesta loquaris, sciens, quod non solum de verbis otiosis, nocivis et periculosis oportebit reddere *rationem in die iudicii,* secundum sententiam Salvatoris[4], sed etiam de minima cogitatione. Ideo dicit Propheta: *Laetati sunt, quia siluerunt.* Unde si vis bene fugere verba nociva supradicta, primo reprimas otiosa. Ait enim Augustinus[5]: « Qui otiosa verba non reprimit ad noxia cito transit ». Ideo dicit Sapiens: *Fili, loquere in tua causa vix, et cum bis interrogatus fueris, responsum habeat caput tuum.* In hoc autem potissime sileas, ut nunquam loquaris de saeculo nec de guerris nec audias referentes, cum illud sit venenum mortiferum animarum; unde de talibus dicitur in Psalmo[6]: *Linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum.* Vitia linguae.

Capitulum XVI.

De paupertate[7].

1. Cum paupertas voluntaria sit totius spiritualis aedificii primarium fundamentum, idcirco toto tempore vitae tuae in omnibus transitoriis rebus strictam paupertatem observa, ut nihil sub caelo habeas, nisi ea quae necessitati tuae per Regulam conceduntur. Dicitur enim ibi[8], quod « Fratres nihil sibi approprient, nec domum nec locum nec aliquam rem »; et merito, quia, teste Ioanne, *omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitae.* Nam ista transitoria contraria sunt aeternis. Unde semper sis pauper in terra, si de caelo desideras non repelli. Ait enim Gregorius[9]: « Tanto enim unusquisque a superno amore disiungitur, quanto inferius

---

[1] Isai. 30, 15, ubi H cum Vulgata *vestra* pro *nostra.*

[2] Libr. VII. Moral. c. 17. n. 59, ubi, explicans Prov. 25, 28: *Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum,* dicit: Quia enim murum silentii non habet, patet [ita et H] inimici iaculis civitas mentis. — De silentio post Completorium usque ad Tertiam servando cfr. Regula monacharum (inter opera Hieron.) c. 22. et de Vita eremitica ad sororem (inter opera August.) c. 13.

[3] Haec sententia colligi potest ex iis quae August., Enarrat. in Ps. 140. n. 1. seqq., dicit. Cfr. card. Hugo et Bonav. in Luc. 11, 14, ubi uterque ad triplicem finem loquelam institutam esse ait, suppresso tamen nomine Augustini.

[4] Matth. 12, 36. — Sequitur Ps. 106, 30. — Superius pro *de verbis otiosis, nocivis* A B *de verbis noxiis.* Inferius pro *de minima cogitatione* (ita B D) A *de verbo quolibet otioso,* edd. *de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines.* Cod. L ex Gregor., VII. Moral. c. 17. n. 58, adiungit definitionem verbi otiosi; scilicet « quod aut ratione iustae necessitatis, aut intentione piae utilitatis caret » et quod qui verba otiosa non vitat transit ad noxia (cfr. nota seq.).

[5] Cfr. de Conflictu vitiorum et virtutum (inter opera August.), c. 22. et Serm. 3. ad Fratres in eremo (inter opera August.); verbotenus tamen invenitur apud Isidor. II. Synonymor. n. 46, qui sequitur Gregor., XVI. Moral. c. 3. n. 3. — Subinde allegatur Eccli. 32, 10. seq.: Adolescens, loquere in tua causa vix; si bis etc.

[6] Psalm. 13, 3. — Edd. cum nonnullis codd., refragantibus B C H L, hoc cap. 15. tanquam ultimum huius opusculi exhibent, sed incongrue, uti ex fine c. 16, quem tam isti codd. quam edd. exhibent, apparet. Ut tamen aliqua detur conclusio huius cap., A addit *Deo gratias;* D *Deo gratias. Amen;* F *Quicumque Religiosus haec omnia iam dicta observaverit, pax super illum et misericordia* [cfr. Gal. 6, 16.]. *Amen. Explicit directorium Religiosorum editum a doctore Seraphico S. Bonaventura Ordinis Minorum.*

[7] Cfr. supra Opusc. VI. de Perfectione vitae ad Sorores, c. 3; Opusc. XI. Apologia pauperum, c. 7-12; Qq. disput. de perfectione evangelica, q. 2. (tom. V. pag. 124. seqq.).

[8] Cap. 6. — Subinde allegatur I. Ioan. 2, 16.

[9] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 2. Cfr. supra pag. 44, nota 6. Vide etiam XVIII. Moral. c. 9. n. 16. — De loco argumentandi *a contrariis* cfr. Boethius, II. et III. de Differentiis topicis. Pro *per locum a contrariis* (ita A) B substituit *per argumentum contrarium,* D *per contrarium,* edd. *e contrario.*

delectatur »; ergo per locum *a contrariis,* quanto quis fastidit terrena, tanto Deo propinquius est. Propter quod dicebat Apostolus[1]: *Omnia reputavi ut stercora, ut Christum lucrifaciam.*

Hinc caelestia sunt meditanda.

2. Unde si vis terrena bene contemnere, semper caelestia meditare. Ait enim Gregorius[2]: « Si consideremus, quae et quanta sunt quae nobis promittuntur in caelis; vilescunt animo omnia, quae habentur in terris ». *Beati* igitur *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Igitur si per paupertatem terrenorum pervenitur ad gloriam Beatorum, stude semper strictissimam tenere paupertatem, maxime in libris et soleis et tunicis, ut eas non habeas, nisi sicut tuae necessitati stricte videris expedire. Neque superflua necessaria dicas, sed potius ipsa necessaria superflua timeas.

Notandum.

Aliae regulae.

3. Ait enim Gregorius[3]: « Quia, si solis necessariis utimur, probabimus multa superflua in nostris facultatibus habuisse ». Unde nihil habeas nec per te nec per interpositam personam, et attende semper, ut nihil habeas in cella nisi necessaria, et hoc dico etiam de minimis rebus, ne forte negligendo modica paulatim cadas ad maiora. Ait enim Augustinus[4]: « Vitasti grandia, cave, ne obruaris arena ». — Apprehende ergo totis viribus paupertatem, quia, teste Scriptura, *lignum vitae est his qui apprehenderint eam, et qui tenuerit eam, beatus.* Unde si sanctam paupertatem finaliter retinebis, ad regnum caelorum poteris pervenire, quia ipsa Veritas perfectis pauperibus repromisit dicens[5]: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum,* quod quidem regnum tanto est utilius, quanto fecundius; tanto securius, quanto sublimius; tanto iucundius, quanto lucidius; tanto nobilius, quanto a nobilioribus possidetur; ad quod nos perducat qui vivit et regnat in saecula saeculorum[6]. Amen.

Laus paupertatis.

Explicit Regula Novitiorum.

---

[1] Phil. 3, 8: Omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora etc. — Cod. B addit: Et alibi [cfr. VIII. Moral. c. 13, n. 28; XVIII. c. 38. n. 59; XXII. c. 2. n. 4.] Gregorius: Ceterae [cunctae?] creaturae vilescant, ut Creator in corde dulcescat. Cfr. supra pag. 48, nota 9, ubi eadem sententia Augustino et Bernardo tribuitur.

[2] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 37. n. 1. — Sequitur Matth. 5, 3. — Superius pro *terrena bona contemnere* ex A B H I substituimus *terrena bene contemnere.* Inferius pro *per paupertatem* H *per penuriam.*

[3] Cfr. XX. Moral. c. 14. n. 28. seq. et XXX. c. 18. n. 61. seqq., ubi docet, naturam et voluptatem multa superflua sub necessitatis specie quaerere. August., Enarrat. in Ps. 147. n. 12: « Multa autem superflua habemus, si non nisi necessaria teneamus; nam si inania quaeramus, nihil sufficit ». Textum in edd. corruptum fide codd. correximus.

[4] Enarrat. in Ps. 39. n. 22: Praecavisti magna... moles istae sunt peccatorum. Magna praecavisti, de minutis quid agis? An non times minuta? Proiecisti molem, vide, ne arena obruaris. Cfr. supra pag. 480, nota 7. Pro *Augustinus* A B D *Gregorius;* cfr. X. Moral. c. 11. n. 21. et Regul. pastoral. p. III. c. 33. Cfr. Eccli. 19, 1: Qui spernit modica paulatim decidet (pro *paulatim cadas* A *paulatim caderes,* B *paulatim ascendas,* D I *paulatim accedas,* H *paulatim labaris).* — Subinde allegatur Prov. 3, 18, ante quem ex A B D H supplevimus *Apprehende ergo totis viribus paupertatem.*

[5] Matth. 5, 3.

[6] Cod. B *nos perducat Iesus Christus, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.* — Vat. in fine opusculi hanc narrationem adiungit: In conventu Fratrum Minorum Parisiis, conversante bonae memoriae fratre Bonaventura, tunc generali Ministro et post cardinali, frater iuvenis studens ibidem bonae indolis et ei satis familiaris accessit ad eum semel et devote rogavit, ut sibi exponere dignaretur, quo iuventus sua posset in Ordine conservari sine macula et querela et ad vitam aeternam proficere. Qui magno cum quodam suspirio sic respondit: Fili mi iuvenis, si vis sine macula et sine labe infamiae conservari in Religione, sex tibi mandata recole et incessanter repone, quae documentis et exemplis sanctorum Patrum accepimus.

Primo, circa orationem et Sanctorum lectionem semper vigila, quae duo ut perficere possis et non perdere, ecclesiam valde frequenta, die et nocte cellam continua super omnia, ita quod extra eam vel ecclesiam nunquam inveniaris cum aliquo otiosus in via, vel in platea, sed semper, finito officio vel finita comestione vel servitio vel alterius obedientiae mandato, sine aliqua mora regrediaris ad cellam oculis inclinatis et ibi redigas te. — Secundo, circa honestatem cordis et omnium sensuum corporis tui super omnia stude; quae duo ut valeas adimplere, nunquam cum aliqua persona spiritualem familiaritatem habeas, sed omnibus sis communis, ita quod nullus possit advertere te nisi communem et nulli specialem, modo iam dicto. — Tertio, circa custodiam linguae studiosissimus esto, ita quod, quando stas cum aliis, nunquam loquaris nisi necessaria, et tunc non nisi requisitus. Nec laudes aliquem nec vituperes absentem vel praesentem, quantocumque audias alios similia dicentes. — Quarto, sis summe sollicitus, ut nunquam referas vel loquaris cum aliquo de his quae audis de aliis, nisi illa sint aedificatoria. — Quinto, versetur ad cor tuum frequenter memoria beneficiorum Dei et peccatorum tuorum et desideriorum paradisi et poenarum inferni, etiam omnium, qui sunt in tribulatione constituti, et etiam miseriarum mundi. — Sexto, sis sollicitus non iudicare in corde tuo vel ore nisi te ipsum. Haec faciens, salvaberis inter homines.

OPUSCULUM XXI.

EPISTOLA CONTINENS

VIGINTI QUINQUE MEMORIALIA [1].



PROLOGUS.

In Christo suo dilecto Fratri N. Frater Bonaventura, confrater eius in Domino, qualicumque *homine veteri iam exuto* [2], Christo vivere et mori mundo.

o scri- di. 1. Quoniam, dilecte mi frater in Domino, adhuc me in praesentia tibi posito, mihi instantissime supplicasti, ut te in posterum aliquibus spiritualis exhortationis litterulis visitarem; novi, frater, quod haec dicens ardentes *prunas congeris super caput* meum [3]. Verumtamen, quia affectuose instando duritiae meae superbiam tua supplici humilitate vicisti in tantum, ut hoc ipsum iam promitterem quod optabas — quamvis dignum magis foret, hoc me a te quidem suscipere, quam me tibi huiusmodi destinare — quia tamen instantia tuae devotionis me compellit, stultum fieri in parte ista [4]; sicut potero, qualitercumque experiar quod hortaris; non tibi tamen alia specialia scribens, nisi ea quae, quamvis adum. rudia et simplicia, mihi ipsi colligere proponebam, ex quibus iam plurima bene nosti. Sed interim, alloquens tuam dilectionem, carissime, cum nullus, sicut experientia certa docet [5], perfecte Deo servire possit, nisi omnino procuret dissolvere se a mundo; oportet, si sequi volumus Dominum Salvatorem, voci nos propheticae [6] obedire, ut, *impietatis colligationibus dissolutis, dissolvamus fasciculos deprimentes*, quatenus a terrenis actibus expediti, sequamur liberis gressibus Redemptorem, quia, iuxta Apostoli testimonium, *nemo militans Deo debet se negotiis saecularibus implicare.*

2. Nunquam ergo de aliqua re creata, nisi in quantum nostrum excitet divini amoris et dilectionis affectum [7], cor nostrum esse sollicitum permittamus, quia multiplex rerum labentium varietas, plus debito ruminata, non solum animum distrahendo pacatae mentis gratam interrumpit quietem, verum etiam, in animo gignendo phantasmata turbulentae quassationis molestia importune impellit [8] eandem. Sed potius, affectionum omnium terrenarum sarcina onerosa deposita, absque retardationis gravedine curramus ad illum qui nos invitat, in quo est animarum opulenta refectio et *pax summa, quae exsuperat omnem sensum* [9]. Custodiendum cor.

3. *Venite ad me*, inquit, *omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* [10]. O Domine, quo indiges? Quare vocas? Quid tibi commune Allocutio affectuosa ad Christum.

---

[1] Hoc vocabulum illa aetate usurpari solebat etiam de definitionibus Capitulorum generalium.

[2] Respicitur Eph. 4, 22. seqq. et Col. 3, 9. seq. Codd. hoc opusculum diversimode inscribunt: A *Prologus in Epistolam sequentem*; B *Incipit Epistola domini Bonaventurae perutilis ac devota*, et simili modo C D E et ed. 1; F *Epistola venerabilis Patris Fratris Bonaventurae.* Porro pro *confrater eius* A C F G habent *confratri eius.* Edd. post Bonaventuram addunt *de Balneoregio.*

[3] Prov. 25, 22. et Rom. 12, 20. Cod. E *carbones*, et A *congereris*, G *congeras.* — Superius pro *adhuc me* [E omittit *me*] G *a me*, omisso subinde *mihi*, et pro *spiritualis exhortationis litterulis* (ita E) F *spiritualis exercitationis litterulis*, G *spiritualis litterulis*, edd. *litteris exhortationis.* Inferius pro *quia affectuose instando* G *quia affectuosa instantia*, ubi edd. contra C E F G, omisso *quia*, pro *hoc ipsum tibi* substituunt *ipse.*

[4] Epist. II. Cor. 12, 11: Factus sum insipiens, vos me coegistis (cfr. I. Cor. 3, 18). — Pro *compellit* E F *compulit.* Inferius edd. omittunt *quamvis*, et pro *plurima* G substituit *plura.*

[5] Codd. C E *sicut tu melius nosti.*

[6] Isai. 58, 6: Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes. — Subinde allegatur II. Tim. 2, 4, ubi pro *saecularibus* E F G *terrenis.* — Inferius pro *expediti* (ita C E) edd. *dissoluti*, et pro *gressibus* E *mentibus.*

[7] Cod. E *nostri excitativa sit divini amoris et dilectionis affectus.*

[8] Secundum Forcellini, Lexicon etc., *impellere* sumitur etiam pro *expellere.* — Superius pro *in animo* B et ed. 1 *animi*, E F G *animum*, et pro *phantasmata* (ita E F G) edd. *phantasias.*

[9] Phil. 4, 7. — Superius voci *invitat* edd. contra B E F G praefigunt *salubriter.*

[10] Matth. 11, 28. — Inferius B omittit *o caritas ineffabilis*, cui C praefigit *o mansuetudo amabilis.*

nobiscum? O vere pietatis vox: *Venite ad me*, inquit, *et ego reficiam vos*. O Dei nostri dignatio admirabilis, o caritas ineffabilis! Quis enim aliquando fecit talia? *Quis unquam audivit*, quisve conspexit similia [1]? Ecce, invitat inimicos, hortatur reos, allicit ingratos. *Venite*, inquit, *ad me omnes et discite a me, tollite iugum meum super vos et invenietis requiem animabus vestris*. O verba dulcissima, o verba suavissima, o verba deifica et *penetrabiliora omni gladio ancipiti*, intima praecordiorum eviscerantia nimiaque repleta dulcedine, *usque ad divisionem animae et spiritus pertingentia* [2]! — Expergiscere nunc, o anima christiana, ad tantae benignitatis amorem, ad dulcedinis tantae saporem et ad tantae suavitatis odorem. Certe, qui ista non sentit infirmus est, alienatus est, iam proximat morti [3]. Inardesce, quaeso, o anima mea, pinguesce, dulcesce in misericordia Dei tui, in mansuetudine Dei tui, Sponsi tui in caritate, dilecti tui inardesce fervore, pinguesce amore et dulcesce sapore; nemo te prohibeat intrare, tenere, gustare.

Hortatio.

4. Quid amplius quaerimus, quid exspectamus, quid desideramus [4]? In hoc enim uno habemus omnia bona. Sed heu, o insania nostra mirabilis! O infirmitas miserabilis! O vesania detestabilis! Nam vocamur ad requiem, et sequimur laborem; invitamur ad solatium, et quaerimus dolorem; promittitur nobis gaudium, et appetimus moerorem. Miserabilis prorsus infirmitas miserrimaque perversitas! Iam enim quasi insensibiles facti sumus et quasi deteriores simulacris, habentes oculos, et non videntes; aures, et non audientes [5]; rationem, et non discernentes, *amarum in dulce et dulce in amarum ponentes*.

Continuatur.

5. O Deus, unde nobis [6] tantae perversitatis correctio; unde nobis tantae offensionis satisfactio? Certe nihil tale invenitur in nobis, nisi tuo munere tribuatur. Tu enim solus potes nos corrigere, tu solus pro nostris delictis satisfacere, qui solus nosti *figmentum nostrum* [7], salus et redemptio nostra, qui solum in illis hoc facis, qui se miseros conspicientes in imis, a te solum relevari se posse confidunt.

Remedium perversitatis.

6. Levemus ergo ad Deum mentis nostrae oculos in directum et videamus, ubi nunc prostrati sumus [8], quoniam qui proprium casum ignorat surgere minus curat. Cognoscentes vero *clamemus* in fortitudine *ad Dominum de profundis* [9], ut nobis adiutricem porrigat misericordiae suae manum, quae *abbreviari nunquam poterit ad salvandum*. Non, quaeso, *confidentiam* amittamus, *magnam remunerationem habentem* [10]. *Adeamus thronum gratiae eius cum fiducia*, *finem nostrae fidei reportantes*, *salutem* scilicet *animarum* nostrarum. Nulla nobis insit cunctatio. Iam enim vita nos vocat, salus exspectat, tribulatio compellit intrare. Quid ergo facimus? Quid pigritamus? Quid moras contrahimus? — *Festinemus ingredi in illam requiem* [11] iucunditatis aeternae, ubi sunt *magna et inscrutabilia et mirabilia, quorum non est numerus*. *Ascendat*, quaeso, *Ierusalem super cor nostrum* [12], suspiremus ad patriam nostram, tendamus sursum ad matrem nostram; *introeamus in potentias Domini* et intueamur Regem nostrum mansuetum super eam regnantem, et liquescant in miserationibus eius corda nostra.

Hortati[o]

7. Agamus illi gratias toto corde, qui defectum nostrae ingratitudinis non considerans, a nobis non abstulit suae misericordiae pietatem [13], desiderium nobis tribuens ipsius *viam currere mandatorum*, quam sine desiderio nullus currere potest. Quod quidem munus non est parvipendendum, sed grande reputandum, cum hoc Prophetarum ille eximius se asserat concupisse: *Concupivit*, inquit [14], *anima mea*

Gr[atiarum] age[ndarum]

---

[1] Isai. 66, 8: Quis audivit unquam tale, et quis vidit huic simile? — Subinde allegatur Matth. 11, 28. seq.

[2] Hebr. 4, 12. — Superius fide C E F G supplevimus *o verba suavissima*.

[3] Cfr. Lamentatio in passionem Christi (inter opera Bernardi): Novi, quod sis [*o bone Iesu*] lenis natura, *mitis et humilis corde* [Matth. 11, 29.], blandus aspectu, et quidem unctus *oleo laetitiae prae consortibus tuis* [Ps. 44, 8; cfr. Hebr. 1, 9.]. Qui non sentit odorem tuum, Christe, aut foetidus aut mortuus est. — Inferius ex E F G supplevimus *dulcesce... pinguesce*.

[4] Edd., refragantibus C E F G, prosequuntur: *in hac vita. Habemus in Christo omnia bona* etc. Inferius pro *mirabilis* B G *miserabilis* et pro *miserabilis* G *incurabilis*.

[5] Respicitur Ps. 113, 5. seq., ubi de simulacris gentium dicitur: Oculos habent, et non videbunt; aures habent, et non audient. — Sequitur Isai. 5, 20, ubi edd. contra Vulgatam et C F G bis omittunt *in*.

[6] Cod. G omittit *nobis*, pro quo C E F substituunt *tibi*. Inferius post *nisi* C addit *nobis*.

[7] Psalm. 102, 14: Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. — Pro *qui salus nosti* G *tu solus nosti*. Subinde pro *salus et redemptio nostra* (cfr. I. Cor. 1, 30.) C *solus es redemptio nostra*.

[8] Ier. 3, 2: Leva oculos tuos in directum et vide, ubi non prostrata sis. Pro *in directum* (ita E) edd. *in directa*.

[9] Psalm. 129, 1: De profundis clamavi ad te, Domine. — Subinde respicitur Isai. 59, 1: Ecce, non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat; cfr. ibid. 50, 2.

[10] Hebr. 10, 35, post quem 4, 16: Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae. Et dein I. Petr. 1, 9: Reportantes finem fidei vestrae, salutem animarum. Pro *finem* (ita B E F) edd. *fructum*.

[11] Hebr. 4, 11. — Subinde respicitur Iob 5, 9: Qui facit magna et inscrutabilia et mirabilia absque numero [Septuaginta: *quorum non est numerus*]. — Superius pro *nobis insit* G *nobis sit*. Inferius pro *iucunditatis aeternae* C F *felicitatis* [F *festivitatis*] *supernae, refectionis internae*.

[12] Ier. 51, 50, ubi pro *nostrum* Vulgata *vestrum*. — Subinde respicitur Gal. 4, 26: Illa autem quae sursum est Ierusalem, libera est, quae est mater nostra (cfr. supra pag. 62, nota 6.), et allegatur Ps. 70, 16: Introibo in potentias Domini.

[13] Gen. 24, 27: Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non abstulit misericordiam et veritatem suam a domino meo. Pro *a nobis non abstulit* G *nobis obtulit*. — Sequitur Ps. 118, 32: Viam mandatorum tuorum cucurri.

[14] Psalm. 118, 20. — Superius pro *grande* (ita E) G *gratia*, edd. *gratiae*.

desiderare iustificationes tuas in omni tempore. Sed quia hoc ipsum desiderium aliquando nimia tepiditate nostrae incuriae et negligentiae lassescit, cogitavi quaedam incitationis huius memorialia annotare, in quibus fugienda [1] pateant et sequenda, quae quidem cum effectu affectuose quotidie speculantes, pristino vigore resumto, tamdiu infatigabiliter virtutibus et gratiis in caritate divina crescamus, quoadusque perfectum *veniat desiderium collium aeternorum* [2]. — Ponuntur autem memorialium praedictorum prius quaedam generalia octo, aliis postmodum specialibus subsequentibus.

EXPLICIT PROLOGUS.

MEMORIALIA GENERALIA.

Sunt ergo haec virtutes quaedam probatae [3] in iuvenibus et scalae salutis, per quas sine dubio ad perfectionem virtutum et culmen gloriae possunt ascendere, fideliter exercitati per eas, videlicet sancta *verecundia* in cunctis verbis et actibus suis, *tarditas loquendi, promptitudo obediendi, frequentatio orationis, fugere otium et dissolutiones, pure et frequenter confiteri, libenter servire* et *infructuosum consortium devitare.* Hae namque sunt margaritae quaedam fulgentes, quae possessorem suum Deo et Angelis et hominibus faciunt gratiosum. *Cum autem placuit ei qui te segregavit ex utero matris tuae et vocavit per gratiam suam, ut in te revelaret imaginem Filii sui* [4], de miserabili Aegyptiaca servitute te transferens *in libertatem filiorum Dei,* iamque in viam novi hominis inceperis pedem ponere, quae inter timorem et amorem humilitatis est semita constituta; tunc per eandem humilitatis viam ad eminentiora conscendens, poteris te in altioribus exercere, ex quibus certa memorialia subscribuntur.

MEMORIALIA SPECIALIA.

1. *De concupiscentiis mortificandis* [5].

Primum ergo oportet ante omnia, te concupientem vestigia sequi Salvatoris, ut, spem tuam totam fixam habens in Domino, de omnibus mundi huius consolationibus penitus desperes [6].

2. *De vitiis exstirpandis.*

Secundum est, ut ab omnibus vitiis et concupiscentiis malis, in quantum sustinet humana conditio, te ipsum studeas penitus emundare, ut *fermento veteri* totius *malitiae et nequitiae expurgato* [7], *ambules in novitate vitae* post Christum, quia, nisi prius huiusmodi catenas iniquitatis confregeris, anima tua, in tenebris aggravata, ad caelestia non poterit elevari.

3. *De colligationibus resecandis.*

Tertium est, ut a te ipso dissolvas omnem colligationem extrinsecam, ut mente possis totaliter Domino colligari [8].

4. *De tribulationibus cum patientia tolerandis.*

Quartum, ut amore Altissimi [9] omnes mundi huius persecutiones aequanimiter feras, immo, si possibile est, cunctas pro voto suscipiens, solum in Christi passionibus delecteris, renuensque [10] temporalem laetitiam, in ipsis tribulationibus hilarescas, omnes reputans tibi esse ad purgationem peccaminum lucrumque animae tuae praeparatas.

5. *Ut de nulla re conquereris.*

Quintum, ut, cum Creatorem tuum et omnium te sentias offendisse [11], rationem tibi fieri non poscas ab aliqua creatura.

6. *De paupertate et despectu sui ipsius.*

Sextum, ut habens despectui temetipsum et cupiens ab omnibus te haberi [12], zelansque sacratissimam paupertatem, in omnibus, quae ad te spectant, asperitatem, vilitatem et parcitatem habeas, quantum potes; non tamen in aliis requiras [13], sed potius laetus et gaudens de omni consolatione fraterna, eis, si

[1] Cod. C addit *pariter.* Inferius pro *effectu* (ita E F) edd. *affectu*, pro *infatigabiliter virtutibus* G *in virtutibus*, et pro *in caritate* Vat. *caritate.*

[2] Gen. 49, 26. — Inferius ex C F supplevimus *octo* [quod habet etiam G] *aliis* [quod invenitur etiam in E].

[3] Sap. 1, 3: Probata autem virtus corripit insipientes. — Inferius pro *scalae salutis* E F G *scalae salubres*, et pro *in cunctis verbis* (ita E G) edd. *in cunctis rebus.*

[4] Gal. 1, 15. seq. — Subinde respicitur Rom. 8, 21: In libertatem gloriae filiorum Dei. — Inferius pro *certa memorialia* C *reliqua memorialia.*

[5] Hanc atque seqq. rubricas, omissas quandoque a fere omnibus codd., servavimus cum edd.

[6] Codd. C E F *penitus te desperes;* edd. *penitus desperans*, superius substituto *habeas* pro *habens.*

[7] Epist. I. Cor. 5, 7. seq., et dein Rom. 6, 4: Ita et nos in novitate vitae ambulemus. — Inferius pro *aggravata* (ita C E F) edd. *aggregata*, et pro *non poterit* E *nunquam poterit*, G legit: *animam tuam in tenebris aggravatam non poteris elevare.*

[8] Ita E G, quibus consentit F, qui *totaliter* omittit; edd. *ut sana et pura mente possis Deo colligari.*

[9] Edd., refragantibus B E F G, addunt *et sponsi tui Christi.*

[10] Edd., superius omisso *cunctas*, hic contra E F G addunt *omnem.* Subinde pro *temporalem* D *carnalem*, et pro *peccaminum* E *peccatorum.*

[11] Cod. G *cum sentias te tuo obnoxium Creatori.*

[12] Edd. cum paucis codd. *ut habeas despectui temetipsum, cupiens ab omnibus despici.*

[13] Cod. B C E F G *sic* [B *sed*] *tamen* [C addit *esse*] *in aliis non requirens* [B *requiras*]. Inferius pro *si oportet* (ita E F G) edd. *sicut oportet*, et pro *omni excusatione* C *omnino excusatione*, qui etiam post *de qua* addit *tamen.*

oportet, obsequendo et ministrando assistas, omni consolatione eos reputans esse dignos, nisi, quod absit, ita tibi in aliquo pateret divina offensa, quod omni excusatione careret; de qua compatiendo et timendo ex intimo corde doleas, quantum potes.

7. *De honoribus fugiendis.*

Septimum, ut, vivens omni tempore in timore [1], blanditias huius saeculi, honores, glorias vel favores aurasque vanae gloriae quasi mortiferas pestes omnino fugias toto *posse*, stansque continuo in te ipso, omni hora habeas te suspectum, quia, si tui ipsius perfecte [2] victoriam fueris assecutus, nullus hostis interior vel exterior ulterius tibi nocebit.

8. *De humilitate vera.*

Exemplum Christi imitandum ex amore.

Octavum, ut amore illius qui, cum sit Dominus omnium caelestium, terrestrium et infernorum, pro nobis assumsit vilissimi servi formam, in ea subiiciens se voluntarie hominum potestati [3]; humiliando te ipsum, omnem hominem reputes tuum dominum et te verissime reputes servum omnium et in omnibus circa hominem te reputes sicut servum. Sic enim tranquillitatem et pacem cum omnibus perpetuam obtinens, scandalum penitus ignorabis.

9. *De pace animae, et quomodo habeatur.*

Nonum, ut nihil eorum tangas, quae te spirituali utilitate non tangunt, hoc est, de nulla re cures vel implices te in aliquo exterius vel interius quoquo modo, ubi non invenis animae tuae lucrum, neque etiam in huiusmodi te ab aliquo implicari permittas; mirabile enim hic latet mysterium absconditum inexpertis [4].

10. *De custodia sensuum.*

Decimum, ut visui ac *ori* ceterisque corporis sensibus omnimodam *custodiam ponas* [5] ita, ut nihil prorsus velis videre, audire vel tangere nisi utilia animae tuae. Linguam etiam perfecte restringas, ut nihil loquaris nisi interrogatus, vel necessitate vel evidenti utilitate coactus, et tunc cum reverentia et timore animique dulcedine breviter et submisse, si potes, semper devitans prolixitatem verborum eorumque occasiones iuxta *posse* praecidens.

11. *De solitudine et vigiliis.*

Undecimum, ut gratam sanctamque solitudinem desiderans, omni tempore operationem vigiliarum habeas pretiosam, in ipsis semper offerens Deo orationes tuas cum attentione verborum, devotionis fervore, humilitate profunda.

12. *De divino officio.*

Duodecimum, ut, cum debes divinum officium celebrare, ita factus in te ipso quietus [6], ut obliviscaris omnium terrenorum, quatenus fixa mente caelestibus insistendo mysteriis, cum tanta illud devotione, reverentia, gaudio ac timore persolvas, quasi inter Angelorum agmina constitutus, divino conspectui laudes praesentialiter offeras cum eisdem [7].

13. *Quod super omnia habeas in devotione Virginem gloriosam.*

Tertiumdecimum, ut gloriosam Reginam, Domini nostri Matrem, in summo habeas omni tempore venerationis affectu et in cunctis ad eam necessitatum articulis [8] ac pressuris tanquam ad refugium tutissimum te convertas, ipsius tutelae praesidium flagitando, eamque in tuam suscipiens advocatam, devotissime ac secure tuam ei causam committas, quae Mater est misericordiae, quotidie studens ei specialem ac singularem reverentiam exhibere. Et ut tua devotio sit accepta et reverentia grata, ipsius puritatis munditiam, omni virtute mente et corpore illibatam in te ipso servando, toto conatu nitaris humilitatis ac mansuetudinis [9] eius vestigia imitari.

Notai

14. *Quod fugienda sint consortia mulierum.*

Quartumdecimum, ut ubique mulieres omnes iuvenesque imberbes [10] praeter necessitatis vel manifestae utilitatis causam devites. — Unum, ubicumque fueris, elige tibi patrem, virum quidem sanctum, discretum, mansuetum et pium, doctum potius experientia operis quam sublimitate sermonis, qui te verbis et exemplis efficacibus et ignitis ad divinum

Pate[r] tualis dus.

---

[1] Edd., refragantibus E F G, *ut omni tempore in timore stans.*

[2] Fide C E F supplevimus *perfecte.* Inferius pro *interior vel exterior ulterius* edd. cum paucis codd. *interius vel exterius.*

[3] Cfr. Phil. 2, 6. seqq. Pro *vilissimi* (ita E F G) edd. *vilissimam*, et pro *potestati* D *voluntati.* — Inferius G omittit *omnium... servum.*

[4] Ex B C E F G supplevimus *mirabile... inexpertis* (E *ut sciunt experti*).

[5] Psalm. 38, 2: Posui ori meo custodiam; cfr. Ps. 140, 3. — Inferius pro *perfecte restringas* C E F G *perfecte restringens*, edd. *diligentissime restringas*, quae etiam pro *et timore animique dulcedine* cum B D substituunt *animi et timoris dulcedine.*

[6] Codd. B E F G omittunt *quietus.*

[7] Cfr. supra pag. 476, nota 3.

[8] Ita C E F G; edd. *necessitatibus, periculis.* Inferius vocibus *ipsius tutelae* C praefigit *fiducialiter.*

[9] Edd. contra E F *humilitate et mansuetudine.*

[10] Ita E F G; edd. *ut ubicumque mulieres et virgines et iuvenes quoscumque.* Inferius pro *elige* E F G *eligens,* et pro *ignitis* (ita C E F G) edd. *probatis.*

amorem instruat et inflammet, ad quem in cunctis necessitatibus tuis possis habere recursum et spirituale solamen.

15. *De fuga accidiae et tristitiae.*

Quintumdecimum, ut omnem frigiditatem accidiae et tristitiae, in qua latet via confusionis, « quae ducit ad mortem [1] », a te ipso summo studio depellens, interius exteriusque serenus semper et tranquillus existas. Nulli ullo modo contradicas vel resistas in aliquo, sed potius omni modo per omnia omnibus acquiescas, dummodo divinae laudi vel saluti animae [2] non obsistat.

16. *Quod de omnibus habeas bonum exemplum.*

Sextumdecimum, ut affectiones tuas omnes ac voluntates conformes divinae voluntati. Omnia te aedificent neque te deaedificet aliquid in hoc mundo puritatis et innocentiae gratia divino tibi munere [3] elargitae. Nec aliorum plus debito defectibus perturbatus, iniquitati addendo iniquitatem, alienis sordibus polluaris, ne, dum cupis alios de pelago liberare, deterius ipse corruas in profundum. Potius igitur omnia, quibus non potes sine detrimento prodesse, operiens caritate benigna, illi summae sapientiae derelinquas, quae novit bona de malis elicere quibuscumque; sicque in bonis omnibus [4] pariter atque malis spiritualem, Domino concedente, poteris reperire profectum.

ndum.

17. *De custodia cordis.*

Decimum septimum, ut cor tuum servans omni custodia solisque spiritualibus exercitiis deditum, nullae ibi rerum visibilium imagines [5] imprimantur, ut, a creaturis omnibus alienum, libere possit vacare omnium Creatori.

18. *De caritate ad proximos.*

Decimum octavum, ut imaginem ac similitudinem Maiestatis divinae considerans in cunctis hominibus, ita omnes diligas intimae caritatis affectu omniumque, et maxime infirmorum et quorumcumque indigentium curam geras, dummodo circa spiritualia tibi non fiat nociva distractio; *sicut* bona *mater diligit* atque curat *unicum suum filium* praedilectum [6].

19. *De orationibus cum operibus sanctis.*

Decimum nonum, ut continue mentem tuam ita habeas ordinatam cum Deo, quod omne opus tuum atque exercitium [7] tam mentis quam corporis sit *oratio*, omniaque servitia, et maxime humiliora cum tanto facias caritatis fervore, ac si ea Christo corporaliter exhiberes. Quod certe debes et potes veraciter cogitare, quoniam ipse dixit in Evangelio [8]: *Quod uni ex minimis meis fecistis mihi fecistis.*

20. *De obedientia sancta.*

Vigesimum, ut honorem et reverentiam omnibus exhibeas tam debitam quam devotam, sanctissimae obedientiae normam non solum in magnis et dubiis, verum etiam in minimis *quasi pupillam oculi* studeas semper servare illaesam [9], obediens quidem non solum maioribus et praelatis, verum etiam minoribus omnibus, te subiiciens quibuscumque, abnegando te ipsum pro Christo. In bonis et indifferentibus semper alterius studeas facere voluntatem, in nullo praebens te alicui onerosum, sed potius in caritate Christi diligens universos, te ipsum omnibus communiter gratum reddens. — Affabilitates, amicitias et familiaritates fugias singulares; summopere caveas, ne unquam verbo, facto vel gestu alicuius rancoris, odii, clamoris, iniuriae, turbationis, murmurationis, detractionis, scandali, vel adulationis et quorumcumque similium aliqua ratione vel modo, per te vel per alium, causa vel occasio fias [10].

Singulares amicitiae fugiendae.

21. *Quod consolationes et tribulationes occulte teneas.*

Vigesimum primum, ut virtutes vel gratias spirituales, quas in te vel per te divina misericordia [11]

---

[1] Hieron., II. Comment. in Mich. 7, 14. seqq.: Intelligentes peccata pristina confundentur in vitiis suis et erubescent, et erunt in confusione, quae ducit ad vitam [cfr. Eccli. 4, 25.], quia est et alia confusio, quae ducit ad mortem, in qua habitavit quondam Og, rex Basan, siquidem *Basan* interpretatur *confusio*, de qua confusione pessima et Dominus repromittit liberaturum se populum suum [Ps. 67, 23.]: *Dixit Dominus: Ex Basan convertam, convertam de profundo maris.*

[2] Codd. E F addunt *tuae vel proximi;* superius pro *contradicas vel resistas in aliquo... acquiescas* posito cum G *contradicens in aliquo vel resistens... acquiescens;* pro *laudi* G *voluntati.*

[3] Ita E; edd. *divini tibi muneris.* Subinde pro *elargitae* G *studeas elargiri*, qui etiam post *Nec aliorum* cum C F addit *unquam.*

[4] Ita E F G; edd. *in bonis operibus.*

[5] Edd., refragantibus C E F G, *concupiscentiae.* Inferius post *possit* E addit *et attente.*

[6] Libr. II. Reg. 1, 26: Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam. — Superius pro *intimae caritatis affectu* G *intimo cordis affectu.*

[7] Codd. C E F addunt *semper.*

[8] Matth. 25, 40: Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

[9] Prov. 7, 2: Legem meam [serva] quasi pupillam oculi tui; cfr. Deut. 32, 10. — Superius pro *tam debitam* E *tam humilem* et pro *in magnis et dubiis, verum etiam in minimis* (ita C E F G) edd. *magnis, verum etiam minimis.*

[10] Cod. D *fiat.*

[11] Codd. E F G *divina largitio.*

operari dignatur, tribulationes quoque et proelia virtutisque propositum vel similia ab omnibus abscondere studeas, quantum potes; his tamen exceptis, quae proprio sacerdoti in propria debent accusatione detegi, nisi forte alicui tuo speciali ac probato amico ea spiritualis utilitatis gratia revelares, cuius consilium vel doctrinam in huiusmodi credas tibi posse valere. Sollicitus semper sis furari tempus ubique, ut possis solitae orationi et meditationi sanctae vacare, ut *sedendo solitarius elevatus* sis desiderio ad superna [1].

Notandum.

22. *Quod Deum semper et ubique habeas in memoria.*

Vigesimum secundum, ut, solutus ab omnibus nihilque terreni desiderans, iam contemptis omnibus [2] creaturis, tanto mentis conatu desideriique fervore circa tuum Creatorem intendas, ut quasi omnium inferiorum oblitus, quidquid agas, ubicumque steteris et quibuscumque negotiis impliceris, die ac nocte, omni momento et omni hora, Deum semper habeas in memoria [3], credens et cogitans, te esse verissime coram eo, et ipsum cogitans undique te conspicere. Haec autem cogita cum magna reverentia ac timore pariter ac tremore, cum summa quoque discretione et ardentissimo amore [4], nunc ante pedes immensae Maiestatis eius prostratus, corde amarissimo peccatorum veniam postulando; nunc sacratissimae passionis Filii Dei gladio compassionis confossus [5], coram eius cruce, vulneratus cum eo, lacrymosus et flebilis apparendo; nunc totius vitae illius decursum tuae obliquitati velut rectitudinis lineam proponendo; nunc innumerabilia et immensa eius beneficia mente pertractans, gratiarum actionibus insistendo; nunc stimulis ipsius amoris ardentissime [6] punctus, ipsum in creaturis omnibus intuendo; nunc potentiam, nunc sapientiam, nunc bonitatem et clementiam eius attendens, eum magnifice in cunctis suis operibus collaudando; nunc desiderio patriae caelestis attractus, ad ipsum gemebundis suspiriis anhelando; nunc circa nos viscera inaestimabilis caritatis eius aspiciens, laetabunda quadam et excessiva admiratione corde et animo in ipso deficiendo; nunc te praecipitem, nunc te fugientem [7], nunc Deum te tenentem, sublevantem et attrahentem, nunc te ingratum per omnia existentem considerans, ineffabilibus divinae misericordiae visceribus tibi patefactis, nimio in eo [8] caritatis ardore te conferens, totum te fletibus resolvendo; nunc vero occultissima, profundissima, admirabilissima et summe arcana nimiumque stupenda iudicia iustitiae eius diligenter attendens, eum in omnibus cum summo amore, ingenti quoque timore ac tremore fidelis et constans, discretus, supplex et humilis venerando, prae omnibus autem continuam et vivam memoriam ipsius sacratissimae passionis in anima et corpore tuo ferens [9].

Materia considerationis.

23. *De sollicita custodia sui ipsius.*

Vigesimum tertium, ut *super custodiam tuam* vigilans [10], omni tempore ab antiqui hostis fraudibus, qui, saepe *se in angelum lucis transfigurans,* in omni via hominum laqueos tendit et retia, ut animas nostras valeat captivare, sollicitudine te cautissima tuearis, venantium laqueos fugiens sicut passer, tantaeque puritatis humilitate sancta in oculis tuis fias, ut nec subtilissima eius retia te valeant continere; a quibus sane tunc poteris liberari illaesus, cum effectus fueris *Israel,* continue mentalibus oculis videns Deum, quia *non dormitabit neque dormiet* eius custos [11].

Notar[...]

24. *De pura confessione peccatorum.*

Vigesimum quartum, ut tenens indefessum instituti sancti rigorem, sacris ardoribus caelestium desideriorum succensus, mentis ac corporis munditiae pulcritudinem, innocentiae puritatem conscientiaeque teneritudinem illibate conservans, cura diligentissima caveas, ne unquam tependo in aliquo desipias [12]. Ad quod quidem diligentius et purius observandum quotidiana discussione septies in die examines vitam tuam, semper videlicet ante vel immediate post quamlibet horam canonicam, considerans et discutiens

Septi[...] mir[...] consc[...]

---

[1] Thren. 3, 28: Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit super se. Codd. C E F *ut possis solitariae* [ita et G] *orationi et meditationi sanctae* [E *vel meditationi*] *vacare, ut tacendo sedeas solitarius, elevatus* [E addit *mente ac*] *desiderio ad superna.* — Superius pro *valere* E F *conferre.*

[2] Fide C E F G supplevimus *nihilque... omnibus.*

[3] Cod. B *in mente et memoria.* Inferius pro *coram eo* E F G *coram Deo.*

[4] Ita C E F; edd. *timore pariter et amore et cum magna discretione.*

[5] Edd., refragantibus C E F G, omittunt *confossus* et inferius pro *proponendo* (ita E F) substituunt *praeponendo.*

[6] Codd. E G *ardentissimi.* Inferius pro *magnifice* edd. cum uno alteroque cod. *devotissime.*

[7] Edd. cum paucis codd. prosequuntur: nunc te ruentem, nunc Deum te timentem, sublevantem, retinentem et attrahentem, nunc Deum te ingratum per omnia concernentem considerans, ineffabilibus etc. Cfr. supra Opusc. II. Soliloq. c. 1. n. 42.

[8] Codd. E G *in eum.* Subinde pro *te fletibus* E F *te in fletibus.*

[9] Vat., refragantibus B E F G et ed. 1, *in animo et corde tuo ferens;* pro *ferens* B *gerens.*

[10] Isai. 21, 8: Super speculam Domini ego sum, stans iugiter per diem, et super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus. Cfr. Hab. 2, 1. Edd. contra F G *super custodia tua.* — Subinde respicitur II. Cor. 11, 14: Ipse enim satanas transfigurat se in angelum lucis. — Inferius pro *in omni via hominum laqueos tendit* edd. cum paucis codd. *omni tempore et in omni via homini laqueum tendit.*

[11] Psalm. 120, 4. Pro *eius custos* E cum Vulgata *qui custodit Israel.* — Hieron., de Nominib. Hebraic., de Exodo: *Israel,* est videre Deum, sive vir aut mens videns Deum. Et de hoc in libris Hebraicarum Quaestionum [in Gen., 32, 27. seq.] plenius diximus [ubi, hac communi interpretatione relicta, substituit hanc *princeps Dei,* sive *directus Dei*].

[12] Ita correximus; codd. et edd. *resipiscas.*

attentissime, qualiter de hora in horam ambulaveris *digne Deo* [1], sine macula in iustitiae semita. Et quia nemo est, qui sic disciplinam et iustitiam servet, ut nihil penitus negligat vel omittat; ideo necessarium est, ut ad poenitentiae lavacrum recurrens, cum dolore et gemitu saepissime tuae accusationi insistas. In qua quidem accusatione sive confessione integre, veraciter et pure, sine omni velamine excusationis vel occultationis seu palliationis per ordinem omnes tuos retexendo defectus sacerdoti proprio tanquam Deo debes intimare, narrando prius *omissiones*, quas in his quae sunt ad Deum, fecisti, et maxime in oratione quantum ad duplicem eius partem, mentalem scilicet et vocalem; deinde *defectus* in observatione iustitiae quoad [2] proximum; post haec *commissiones*, quas egisti ex mala custodia sensuum et sensibus adiacentium affectionum et cogitationum.

Hanc autem confessionem semper debet contritio et satisfactio comitari, ut doleas videlicet de offensis, non solum de magnis, sed etiam de modicis, et dolendo caveas iterare culpam, semper studens causas et occasiones peccati praecidere, quantumcumque per amorem videantur tibi coniunctae; quia tunc iuxta Salvatoris sententiam [3] eruendus est oculus scandalizans, id est occasiones peccati, quae quidem apparent nobis delectabiles nimium, etiam si multum nobis displiceant earum effectus. Unde fortissimum est in hac pugna certamen; et ideo oportet, servum Dei [4] esse caecum, surdum, mutum et insensibilem ad omnia, in quibus non invenit animae suae lucrum. — Ut autem ad divinorum praeceptorum eiusque disciplinae caelestis observantiam in supradictis et in ceteris aliis sollicitius intendas ac ferventius accendaris, studeas ista quinque semel ad minus inter diem et noctem affectuose et morose omni tempore sincera mente tractare, quam scilicet sit brevis *vita* nostra, quam lubrica *via*, quam *mors* incerta, quae *praemia* iustis [5], quae *supplicia* parantur iniustis, ut non sit servitium sine timore nec gaudium sine tremore.

25. *Quales esse debeamus in nostra reputatione, quamvis perfecti.*

Vigesimum quintum et ultimum est, ut, cum, divina gratia largiente, omnia bene feceris, te *servum inutilem* et peccatorem recognoscens [6], omni beneficio Dei reputes te indignum, semper tamen robustissimam fidem tenens, repletus caritate divina, fiducia magna sperans, ab ipso misericordissimo Patre misericordiae tibi viscera aperiri; ut — cum indefessus [7] profundae humilitatis firmissima ieceris fidei fundamenta erexerisque lucidissimos parietes continuae ac fervidae caritatis, decoratos omnium virtutum picturis, tectumque desideratae spei beatissimae posueris gloriosum — tandem, omnibus ordinate dispositis, summus ille caelestis inhabitator dulcisque hospes fidelium animarum, cuius *deliciae sunt esse cum filiis hominum* [8], tamdiu tecum dignetur habitare per gratiam in praesenti exsilio, quousque post terminum vitae huius in caelestis beatitudinis patria, gloriosa stola perpetuae immortalitatis indutus, claritatem vultus eius cum omnibus Sanctis cernere merearis in iubilo, ubi erit summa felicitas et aeterna beatitudo, finis et complementum omnium desideriorum nostrorum.

Virtutes theologicae exercendae.

Notandum.

CONCLUSIO.

Hoc verumtamen adhuc scias indubitanter, carissime frater, quod nisi perfecte abnegaveris temetipsum, sequi non poteris vestigia Salvatoris [9] et sine sollicitudine continua et labore eius gratiam adipisci nequibis, et nisi assidue pulsaveris portas eius, ingredi non poteris ad pacem mentis, et nisi te instanter in timore Dei tenueris, cito domus tua corruet in profundum. Et si fideliter et constanter exercitatus fueris [10] in praedictis, spero in misericordia Salvatoris, quod ipse te gratia sua dignum faciet in praesenti, secumque potieris gloria in futuro. Amen.

Orandum.

[1] Col. 1, 10: Ut ambuletis digne Deo per omnia placentes. Pro *diqne Deo* (ita B E F G et ed. 1) Vat. *digne coram Deo.* Epist. I. Tim. 6, 14: Ut serves mandatum sine macula. — Superius pro *conservandam* ex E F G substituimus *observandam.* Inferius pro *in iustitiae semita* E F *in iustitiae sanctitate,* G *in iustitia et sanctitate.*

[2] Codd. E F G *quantum ad.* Inferius post *affectionum* G addit *et delectationum.*

[3] Matth. 5, 29. et 18, 9; Marc. 9, 46. — Respicitur definitio *satisfactionis* a Gennadio, de Ecclesiastic. Dogmat. (inter opera August.) c. 24. (alias 54.): Satisfactio poenitentiae est causas peccatorum excidere nec earum suggestionibus aditum indulgere. Cfr. Bonav., IV. Sent. d. 15. p. II. a. 1. q. 1. — Inferius post *quae quidem* G prosequitur *apparet nobis ex eorum effectibus. Unde* etc.

[4] Ita E F G [E addit *perfectum*]; edd. *oportet secundum Dei praeceptum.* Inferius pro *animae suae* (ita F G) E *animae,* edd. *anima.*

[5] Cod. E *via praeceps et ruinosa, quam sit mors certa et hora eius incerta, quae praemia promittuntur iustis.* Inferius post *tremore* B addit *ut, cum omnia bene feceris, te servum peccatorem et inutilem cognoscas* [cfr. Luc. 17, 10.].

[6] Luc. 17, 10: Cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus; quod debuimus facere fecimus.

[7] Ita E; B F *ut, dum in defossum,* G *ut, cum defossum,* ed. 1 *ut, dum inde fossam,* Vat. *ut, dum in fossam.*

[8] Prov. 8, 31. — Inferius pro *habitare* (ita E) edd. *inhabitare.*

[9] Matth. 16, 24: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum. — Inferius respicitur Matth. 7, 7. seq.: Pulsate, et aperietur vobis... pulsanti aperietur. Codd. E F G legunt *gratiam non poteris adipisci, et nisi* [F addit *assidue*] *pulsaveris ianuas* [F *portas*] *eius... corruet in profundis.*

[10] Edd., refragantibus E F G, *constanter te tenueris et exercitatus fueris* (Eccli. 27, 4.). Inferius pro *potieris* B *poteris frui,* et post *in futuro* edd. contra C E F G legunt: *quod ipse tibi concedat, qui est trinus et unus in saecula saeculorum benedictus. Amen.*

Notandum circa scribentis vitam.

Haec autem, carissime, non ideo tibi scripsi, quia te crederem [1] talibus indigere, sed quia haec eadem collegeram pro me ipso, cernensque meae constantiae parvitatem, cogitavi ea tibi tanquam coadiutori fideli communicare, ut quod mea pusillanimitate negligentiaque teporis omittitur tua magnanimitate fervorisque sollicitudine restauretur, maxime cum te concordem quasi omnibus votis meis in huiusmodi simplicioribus plurimum delectari cognoscam [2]. Quapropter, carissime in Christo, haec ea, rogo, caritate suscipias, qua illa tibi me scio devotionis affectione misisse, ut videlicet his omnibus supra dictis, quorum quidem *disciplina in praesenti non videtur esse gaudii, sed moeroris,* ita per caelestium studiorum exercitia te studeas mancipare, *ut pacatissimum iustitiae fructum* afferant in futuro [3], et exspectationis eius dulci memoria etiam in praesenti anima tua gustu devotionis, adipe et pinguedine repleatur in Christo Iesu, Domino nostro, cui me aridum et verbosum potius quam devotum devotis tuis orationibus commendabis [4]; *cui* est *honor et gloria,* decus *et imperium per* infinita *saecula saeculorum. Amen* [5].

EXPLICIT EPISTOLA VIGINTI QUINQUE MEMORIALIUM.

---

[1] Cod. E *credebam,* F G *credam.* Inferius post *sed quia* edd. cum nonnullis codd. prosequuntur: *ante collegeram pro me ipso, cernensque meae inconstantiae pronitatem seu constantiae parvitatem, cogitavi* etc.

[2] Cod. E omittit *maxime cum... cognoscam.*

[3] Hebr. 12, 11: Omnis autem disciplina in praesenti quidem videtur non esse gaudii, sed moeroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiae. — Superius voci *affectione* ex C E F praefigimus *devotionis,* G habet *donationis.* Inferius pro *dulci* (ita E F) edd. *dulcis.*

[4] Cod. E omittit *cui me aridum et verbosum... commendabis.*

[5] Rom. 16, 27. et I. Petr. 4, 11. — Codd. C F addunt: *Vale, frater, in Domino Iesu Christo, sine quo omnia nihil valent. Expliciunt memorialia pauperis servuli Crucifixi. Amen.* Codd. A D: *Explicit epistola sancti Bonaventurae, quae est quaedam regula omnium pie et spiritualiter in Christo vivere volentium.* Cod. B: *Explicit vera forma vitae perfectae in hac miseria domini Bonaventurae cardinalis.*

OPUSCULUM XXII.

EPISTOLA DE IMITATIONE CHRISTI [1].

1. Frater, beatus Augustinus loquebatur sic ad Dominum Iesum Christum, dicens [2]: « Scio, Domine, quod ingratitudo tibi multum displicet, quae est radix totius mali spiritualis et est ventus desiccans et urens omne bonum et obstruens fontem divinae misericordiae super hominem, qua etiam multa mala oriuntur, et moriuntur viva opera et ultra non adipiscuntur ». Quia ergo ingratitudo est causa totius mali [3], oportet, quod homo regratiatur Deo de beneficiis, quae fecit ei Deus; et quanto sunt maiora beneficia, tanto oportet quod sint maiores gratiae. « Cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum », dicit Gregorius [4]. Ut autem homo cognoscat, quantum est obligatus ad regratiandum Deo, oportet, ut cogitet, quanta beneficia fecit sibi Deus.

...tanda ...itudo.

2. Vide igitur, quanta beneficia fecit tibi Deus. Considera, quomodo te creavit, redemit et vocavit [5]. Vide igitur primo, *a quo* te vocavit. Vocavit enim te de mundo pleno miseriis, pleno laqueis daemonum, ut trahant animas ad poenas damnationis aeternae. Vide secundo, *ad quid* te vocavit. Certe vocavit te, ut laudes eum [6] et diligas eum. Hoc est enim maximum donum, quia hoc est officium Angelorum. Nihil enim aliud faciunt Angeli in paradiso nisi laudare Deum. Vide ergo, quomodo oportet te vivere, qui vocatus es ad officium Angelorum. Vocavit te Deus de mundi miseriis et *posuit* te et *deduxit* te *in viam rectam* [7] et tutam eundi ad vitam aeternam. Maxima gratia haec est, quam fecit nobis Deus propter immensitatem bonitatis suae.

...enefi- ...a. ...icium ...ionis.

Vocatio ad officium Angelorum.

3. Sed si petunt ab eo qui vocati sunt ad habendum vitam aeternam et dicant ei: Domine, tu creasti nos et vocasti nos ad habendum vitam aeternam; quid est ergo nobis faciendum, ut eam possideamus? respondet [8]: *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.* Consideremus ergo, quomodo Pater disposuit ei regnum; consideremus, per quam viam ipse ambulavit; et si diligenter consideremus vitam Christi, qui *est speculum sine macula* [9], inveniemus, quod ipse primo ambulavit per viam *profundae humilitatis.* — Secundo, per viam *extremae paupertatis.* — Tertio, per viam *perfectae caritatis.* — Quarto, per viam *immensae patientiae.* — Quinto, per viam *admirabilis obedientiae.*

Christum imitare in quinque virtutibus.

---

[1] Hanc Epistolam primus publicavit P. Pened. Bonelli in suo Supplemento ad Opera omnia S. Bonaventurae tom. III. col. 1132.

[2] Soliloq. animae ad Deum (inter opera August.), c. 18. Pro *multum displicet* (ita A) textus originalis *displiceat*, B C et ed. 1 *displicet.* Subinde A plura omittit, in quo etiam superius desideratur *Frater* (B C *Fratres*, qui cum ed. 1 prosequuntur *loquitur beatus Augustinus* etc.). Cfr. Bernard., Serm. 41. in Cant. n. 6. supra pag. 118, nota 6. allegatus.

[3] Cod. A: *Quia ergo ingratitudo est ita mala et tantum Deo displicet*, qui subinde pro *fecit ei Deus* substituit *sibi fecit.*

[4] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 9. n. 1. — Inferius pro *ut cogitet* B C et ed. 1 *quod recogitet*, et pro *fecit sibi Deus* A C *fecit ei Deus.*

[5] Ita B C; A omittit *Considera... vocavit;* ed. 1 vero omittit *Vide igitur... vocavit.* Cod. A prosequitur: *et considera primo, quod vocavit te de mundo, secundo considera, ad quid te vocavit. Primo igitur considerabis, quod vocavit te de mundo pleno* etc.; ed. 1 vero: *Considera, unde te vocavit, ad quid te vocavit. Vocavit te de mundo pleno* etc. Inferius pro *animas* (ita C) B et ed. 1 *animam*, A *homines.*

[6] Codd. B C *laudares eum;* dein ed. 1 (et ex parte convenit C) prosequitur: *ut cogites eum, ut desideres eum, ut diligas eum. Hoc maximum donum. Quare hac? Quia est officium Angelorum; nihil enim aliud faciunt Angeli in paradiso. Vide, quamodo oportet* etc.

[7] Ioan. 15, 16: Ego elegi vos et posui vos, ut eatis etc.; Ps. 106, 7: Et deduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis. Cfr. Sap. 10, 10. — Superius pro *de mundi miseriis* (ita A) B C *de mundo misero*, ed. 1 *de mundo miseriae.* Subinde A omittit *et deduxit te.* Inferius vocibus *Maxima gratia* A interserit *enim*, et pro *bonitatis suae* ed. 1 substituit *amoris sui.*

[8] Luc. 22, 29. — Superius ed. 1 cum C pro *et dicant... possideamus* (ita A) substituit *Quid ergo faciendo vitam aeternam possidebimus* [C *possideba*]?

[9] Sap. 7, 26. Pro *qui est speculum* (ita C) A B et ed. 1 *quae est speculum.* — Superius vocibus *consideremus per* B C interserunt *tandem*, et subinde ed. 1 omittit *diligenter.* Inferius pro *perfectae caritatis* A *excellentissimae et perfectissimae caritatis.*

Per istam viam oportet nos ambulare, si volumus Christum sequi et invenire. Ut enim dicit beatus Ioannes[1]: *Qui dicit, se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare.* Oportet ergo, quod ipse ambulet per viam, in qua ambulavit Christus.

Primo, de via humilitatis.

4. Primo igitur dico, quod Christus ambulavit per viam *profundae humilitatis*, quia tantum se humiliavit, ut lavaret pedes suis discipulis[2]. Si ergo ipse Dei Filius, Rex Angelorum humiliavit se usque ad officium vilissimum in eo, quod inclinavit se ad pedes discipulorum suorum; considera, quantum nos oportet humiliare. Non est enim magnum se humiliare superiori vel aequali, sed humiliare se inferiori est maximum bonum et magnum meritum. Hic est modus, per quem homo potest cito acquirere magnam gratiam[3] et effici dives in amore Christi; et quantum se homo humiliat, tantum Deus illum exaltat. Crede mihi, carissime, quod si homo esset bene sollicitus humiliare se, plus gratiae acquireret in uno mense, quam alius in quadraginta annis.

Notandum.

Exemplum.

5. Invenitur in Vitis Patrum[4], quod quidam, multo tempore in cella reclusus, duxerat longo tempore arctissimam vitam; postea dubitavit de quadam quaestione et petivit a Deo, ut ei ostenderet illius quaestionis veritatem; et tenor illius erat[5]: si Beati orant pro caris suis? Et si orant, qualiter orant? Et cum diu peteret, et Dominus non sibi ostenderet, se ipsum humiliavit et dixit: Video, quod parum profeci in servitio Dei; ideo Dominus non ostendit mihi veritatem quaestionis, de qua dubitavi. Sed ibo ad confratrem meum[6] et petam ab eo, ut solvat mihi quaestionem, de qua dubito. Et cum vellet exire ostium cellulae suae, apparuit ei Angelus Domini et dixit ei: Scias, frater, quod tota vita tua et tota abstinentia tua non meruit, ut Dominus aperiret tibi quaestionem, de qua dubitasti. Sed ista humiliatio, qua te humiliasti[7] et voluisti petere a fratre tuo, meruit et tantum placuit Deo, quod misit me ad te, ut respondeam tibi de quaestione tua. Primo tu petisti: *si* Beati orant pro caris suis[8]? Scias, carissime, quod iusti orant pro his quos in Domino amaverunt, et pro his qui eos invocant, ut a malo serventur et a tentationibus mundi liberentur, et si in errore sunt, ut corrigantur et eis celerius associentur. Secundo petisti: si orant, *qualiter* orant? Et dico tibi, quod desiderium eorum est oratio ipsorum. Quidquid enim desiderant sine dilatione percipiunt. Illorum enim orare est cruciatus olim corporis vel bene gesta pro Christo Deo repraesentare. Non tamen aliud orant, nisi quod Deus ipse disposuit facere; alioquin incassum orarent[9].

Alia exempla.

6. Item, quidam Frater Minor[10], qui erat devotus Dominae nostrae, rogavit eam, ut ostenderet sibi viam; per quam magis posset placere Filio suo. Cui Domina dixit: « Omnia vilia officia de domo facias et humilia te ipsum[11] ».

Item, fuit petitum a quodam sancto Patre, quid esset humilitas; et respondit, quod humilitas est magnum bonum et donum Dei[12]. Et dixit, quod ad

---

[1] Epist. I. c. 2, 6. Cod. A hanc propositionem cum seq. coniungens legit: *Qui se dicunt in Christo manere, oportet, eos ambulare per viam, per quam ipse ambulavit.*

[2] Ioan. 13, 4. seqq. — Superius pro *quia tantum se humiliavit, ut lavaret* (ita A) B C et ed. 1 *et humiliavit se tantum, quod lavit.* Inferius post *humiliare* ed. 1 addit *cum tantum propter nostrum exemplum se humiliaverit Filius Dei.*

[3] Eccli. 3, 20: Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam. — Subinde respicitur Matth. 23, 12: Qui se humiliaverit exaltabitur (B C illam propositionem omittunt). — Superius pro *est maximum bonum et magnum meritum* (ita A) ed. 1 *hoc est maximum meritum.*

[4] In ed. Migne (Patrol. Lat. tom. 73.), libr. V. libello 15, in quo de commendatione humilitatis agitur, et n. 72. hoc affertur: Narraverunt de alio sene, quia perseveravit ieiunans septuaginta hebdomadas, semel in hebdomada reficiens. Hic postulavit a Deo de quodam sermone Scripturarum sanctarum, et non revelabat ei Deus. Dixit ergo in semetipso: Ecce, tantum laborem sumsi et nihil profeci, vadam ergo ad fratrem meum et requiro ab eo. Qui cum egressus clausisset ostium suum, ut abiret, missus est ad eum Angelus Domini dicens: Septuaginta hebdomadae, quas ieiunasti, non te fecerunt proximum Deo, nunc vero, quando humiliatus es, ut ad fratrem tuum pergeres, missus sum indicare tibi sermonem; aperiensque ei de re, quam quaerebat, discessit ab eo. — Ed. 1 cum B C: *Invenitur tale exemplum in Vitis Patrum, quod quidam multo tempore steterat reclusus in cella et fecerat longo tempore arctissimam vitam. Postea dubitavit de aliqua quaestione* etc.

[5] Ed. 1 cum B C *Et tenor quaestionis erat talis,* cum quibus verbis B finit.

[6] Ed. 1 *Sed ibo ad Thalem* [!] *fratrem meum*, et in nota adiecta: « Sic in apographo meo. Num forte hic Thalelaeus ille, de quo in Vitis Patrum lib. 10. c. 59. auctore Ioanne Moscho »? — Inferius pro *dubito* A C *dubitavi.*

[7] Ed. 1 et ex parte C contra A *quod pro tota vita tua et tota abstinentia nunquam Dominus aperiet quaestionem, de qua dubitasti, sed pro humiliatione; quae, quia tu humiliasti te.*

[8] Cod. A addit *amicis.* Inferius pro *et pro his* (ita A) C et ed. 1 *vel pro his*, pro *tentationibus* (ita A) ed. 1 cum C *tentamentis*, pro *et si in errore sunt* A *etiamsi sint in errore*, et pro *eis celerius associentur* (ita A C) ed. 1 *celerius sibi associentur.*

[9] Cfr. Bonav., IV. Sent. d. 45. a. 3. q. 1. seqq. — Superius A C omittunt *olim*, et pro *Non tamen aliud* (ita A) C et ed. 1 *Non tamen aliquid.*

[10] Ita A; ed. 1 cum C *frater noster.* Inferius A omittit *magis.*

[11] Ed. 1 in nota adiecta addit: Hic fuit forte Ioannes Firmanus, dictus quoque Avernicola, anno suae aetatis tertio decimo, cum esset ecclesiae cathedralis Firmanae canonicus, factus frater Minor, de quo Wadding. ad an. 1272. n. 23: Emissa solemni professione, missus est a Ministro generali, divo Bonaventura ad solitudinem montis Alvernae, ubi brevi *levavit se supra se* [Thren. 3, 28.], ad colloquium beatae admissus Virginis Mariae et sanctorum Angelorum. Officia fere omnia humilia monasterii in se assumsit etc.

[12] Libr. V. de Vitis Patrum, libell. 15. n. 82. (ed. Migne): « Interrogatus est quidam senex: Quid est humilitas? Et respondens dixit: Humilitas magnum opus est et divinum; via autem humilitatis haec est, ut labores corporales assumi debeant, et

humilitatem homo venit isto modo, « ut labores corporales assumere debeat et reputet se ipsum peccatorem, ut ponat se subiectum omnibus et non attendat aliena peccata, sed semper sua aspiciat et deprecetur Deum, ut ei parcat ». — Item, fuit petitum a quodam sancto Patre, quid esset proficere in Deum; qui respondit, quod proficere erat humiliare se ipsum [1].

[...]do, de [...]aoper[...]t

7. Secundo, fuit vita Domini nostri Iesu Christi *extremae paupertatis*. Unde Bernardus [2]: « Quaere, inquit, totam vitam Salvatoris a partu Virginis usque ad patibulum crucis, et non invenies in ea nisi maximam paupertatem »; et quanto quis est pauperior, tanto est magis Filio Dei similis et propinquior.

8. Fuit quaesitum a beato Francisco, quod esset illud quod magis duceret hominem ad perfectionem; et ipse respondit, quod erat paupertas [3].

[...]io, de [...]ritatis.

9. Tertio, fuit Dominus noster Iesus Christus *perfectae caritatis*. Caritas enim, qua dilexit nos, traxit eum de caelo in terram; caritas fuit funis, quae tenuit eum ligatum ad columnam, quando crudeliter verberabatur. Dilexit namque nos plus quam se ipsum, quia mori voluit, ut nos viveremus; vendi voluit, ut nos redimeret de potestate diaboli; animam suam et corpus suum dedit pro nobis. Caritas est id, per quod cognoscitur, utrum quis sit verus Christi discipulus; sic enim dixit [4]: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Caritas est, quae facit hominem filium et discipulum Christi.

Exemplum.

10. Fuit quaesitum a quodam sancto Patre, quae esset causa, quod nos die noctuque laboramus et non pervenimus ad perfectionem, sicut nostri Patres antiqui pervenerunt [5]. Qui respondit, quod antiqui Patres habebant hoc, quod unus magis diligebat consolationem alterius quam suam, et ideo pervenerunt ad magnam perfectionem. Sed nos tantum laboramus et non pervenimus [6] ad perfectionem, quia unusquisque quaerit suam propriam consolationem et utilitatem et non amat utilitatem et consolationem sui proximi. Si etiam cupias pervenire et acquirere magnam perfectionem in tempore parvo, studeas in omnibus, in quibus poteris, servire fratribus tuis, et plus ama consolationem et utilitatem alienam quam propriam [7].

Quarto, de via patientiae.

11. Quarto, fuit Dominus noster Iesus Christus *maximae patientiae* [8]. Vide, quanta passus est et quam iniuste; et nunquam invenies, quod murmuraverit; sed tanquam agnus innocens ducebatur ubique; *cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur* [9], sed sicut *agnus mansuetissimus* se permittebat tractari. Patientia est, quae frangit omnes insidias inimici. — Invenitur, quod quidam semel audivit daemones simul loquentes, et fuit petitum ab uno, quomodo praevalebant contra monachos; qui respondit et dixit: Ego non possum eos vincere, quia, quando provoco eos ad iracundiam et discordiam, unus dicit culpam suam coram alio, et ille frangit totum per suam patientiam [10]. — Hoc ergo, carissime, sit semper in ore tuo, scilicet quando tu

Exemplum.

---

ascribat se ipsum homo peccatorem et ponat se subiectum omnibus. Et dixit frater: Quid est esse subiectum omnibus? Respondit senex: Hoc est esse subiectum omnibus, ut non attendat quis aliena peccata, sed sua semper aspiciat et deprecetur sine intermissione Deum ». Cod. A: *Et dixit, quod per humilitatem homo venit ad perfectionem, et venit isto modo, scilicet ut labores corporis assumat*, omisso subinde *ut ponat se subiectum omnibus.*

[1] Libr. V. de Vitis Patrum, libell. 15. n. 77: « Frater quidam interrogavit senem, dicens: Quid est profectus hominis? Et respondit ei senex: Profectus hominis est humilitas. Quanto enim quis ad humilitatem inclinatus fuerit, tantum elevabitur ad profectum ». Cod. A hoc omittit.

[2] Sententialiter hoc exprimit Serm. 1. in Vigilia Nativit. Domini, n. 5. et Serm. 3. in tempore Resurrectionis, n. 1; Medit. in passion. et resurrect. Domini (inter opera) c. 6. n. 15. (cfr. supra pag. 113, nota 4. et 10.), licet verba ibi non occurrant. Eadem sententia fere iisdem verbis in Comment. Apocalypsis 1, 17. sub nomine Alex. Hal. (cfr. Bonelli, II. Supplem. c. 1. n. 84. nota c) attribuitur *Hieronymo*. Pro *invenies in ea* (ita A) ed. 1 *invenies in eo*. — Inferius post *pauperior* C et ed. 1 prosequuntur: *tanto magis est similis Christo, et quanto magis est similis Christo, tanto maioris* [ed. 1 *magis est maioris*] *perfectionis est.*

[3] Cfr. infra Opusc. XXIII. Legenda S. Francisci, c. 7. — Superius pro *Fuit quaesitum* A *Item, fuit semel quaesitum.*

[4] Ioan. 13, 35. — Pro *verus Christi discipulus; sic enim dixit* (ita A) C et ed. 1 *servus et discipulus Christi* [ed. 1 *servus Christi*]; *sicut enim ipse dixit.* Inferius post *hominem* ed. 1 cum C prosequitur: *servum, discipulum et filium Dei. Tantum homo habet de perfectione, quantum* [C addit *habet*] *de caritate.*

[5] Libr. III. de Vitis Patrum, n. 181: Quidam frater interrogavit senem, dicens: Dic mihi, Pater, quare nunc laborantes in conversationibus monachi non accipiunt gratiam, sicut antiqui Patres? Cui senex dixit: Tunc tanta caritas erat, ut unusquisque proximum suum sursum traheret, nunc vero, postquam caritas refrixit [cfr. Matth. 24, 12.], *et totus mundus in maligno positus est* [I. Ioan. 5, 19.], singuli proximos suos ad inferiora deducunt; et ideo sic gratiam non sortimur. Cfr. ibid. V. libell. 17. n. 19. et VII. c. 28. n. 4. — Superius pro *sancto Patre* A *fratre*, et pro *die noctuque* C et ed. 1 *tantum.*

[6] Ed. 1 cum C *sed nos licet tantum laboremus, non pervenimus*, quae etiam inferius post *sui proximi* addit *sicut debet*, et prosequitur: *Tu ergo, carissime, si vis placere Domino nostro Iesu Christo, ama consolationem et utilitatem proximi tui. Et si vis venire cito ad perfectionem magnam et acquirere magnam gratiam in parvo tempore, studeas* etc.

[7] Ed. 1 *et plus ama eorum consolationem temporalem quam tuam. Hoc intime tibi commendo, sicut animam tuam.*

[8] Ed. 1 *admirabilis patientiae.*

[9] Epist. I. Petr. 2, 23. — Isai. 53, 7: Oblatus est... et non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducetur et quasi agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum. Ier. 11, 19: Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam. — Superius ed. 1 cum C omittit *sed tanquam agnus innocens ducebatur ubique.* Inferius pro *omnes insidias inimici* (ita C et ed. 1) A *omnes inimicos.*

[10] Cfr. III. de Vitis Patrum, n. 18, ubi narratur, quod quidam diabolus, discordiam satagens inter duos monachos seminare, humilitate unius victus, abiit, « et pergens eadem nocte nuntiavit principi daemonum, dicens: Quoniam propter humilitatem illius monachi, qui prostratus in terram veniam postu-

reprehendaris ab aliquo, dicas: Est culpa mea, habeo voluntatem melius faciendi alia vice.

12. Quinto, fuit Dominus noster Iesus Christus *admirabilis obedientiae;* quapropter *factus est obediens usque ad mortem,* non qualemcumque mortem, sed usque ad *mortem crucis* [1], quae erat magis acerba et magis vituperosa et inhonesta omni morte communi; et quia fuit multum obediens, ideo fuit multum exaltatus [2]. Qui ergo vult exaltari studeat pure et perfecte obedire.

Quinto, de via obedientiae.

13. Invenitur in Vitis Patrum [3], quod « quidam sanctus Pater dixit, quod ille qui semper daret animam suam ad obediendum propter Deum, quod talis maius meritum haberet quam eremita, qui staret solitarius in deserto. Dicebat autem, quod narrabat quidam Pater sanctus, se vidisse quatuor ordines in caelo, quorum unus erat illorum qui portaverant infirmitatem suam propter Deum patienter; alius eorum qui receperant pauperes ad hospitium; alius illorum qui steterant in solitudine; et quartus eorum qui propter Deum fuerant in obedientia; et vidit, quod illi qui fuerant in obedientia, habebant unam coronam auream plus quam alii, et fuit ei dictum, quod ideo habebant maiorem gloriam, quia ea quae fecerant, fecerant per obedientiam; omnes autem alii habuerant aliquid propriae voluntatis ». Sacrificium obedientiae est maius sacrificium omnium aliorum, quia dat propriam voluntatem ad sacrificium [4]. Et ideo, carissime, sit tuum studium, si vis multum proficere et Deo placere, quod pure obedias in his quae tibi praecipiuntur.

Exemplum.

14. Et studeas, quod sis amicus orationis [5]. Oratio enim te faciet esse humilem, patientem et obedientem; oratio te faciet habere omnia bona; oratio, inquam, te faciet habere Deum in hac vita et in vita aeterna. Dicebat enim sanctus Franciscus [6], quod impossibile sibi videbatur, quod aliquis posset proficere in servitio Dei, nisi esset amicus orationis.

Am a ora

Notandum.

15. Si vis, carissime, habere orationem, oportet, quod habeas silentium; et si vis habere silentium, oportet, quod habeas solitudinem. Invenitur in Vitis Patrum [7] de quodam sancto Patre, qui veniens ad mortem, monachi dixerunt ei, quod diceret eis aliquod verbum salutis; et ipse dixit: « Fratres, nil melius video quam *tacere* ». In hoc ergo sit studium tuum, carissime, scilicet quod, quando est tempus servitiorum, opereris quantum potes et cum silentio [8]. Completo vero servitio, statim fugias ad solitudinem. Et caveas, ne in solitudine sis otiosus, quia otium in solitudine est valde periculosum. — Quidam petivit a quodam sancto Patre, quomodo posset placere Deo et hominibus. Cui respondit Pater sanctus: Loquere pauca et operare multa.

Amar m silento.

Exem m.

Aliod ar plt

Invenitur in Vitis Patrum [9], quod « abbas Arsenius, cum adhuc in palatio esset, oravit ad Dominum, dicens: Domine, dirige me ad salutem. Et venit ei vox dicens: Arseni, fuge homines, et salvus eris. Idem ipse, descendens ad monachalem vitam,

Tertio

labat a fratre suo, non praevalui in eis... Haec autem omnia verba audiens sacerdos idolorum, qui ibi commanebat, compunctus est in timore Domini... perrexit ad sanctos Patres ad Monasterium et retulit eis omnia, quae per malitiam daemones inter se loquebantur... addebat etiam dicens, quoniam frequenter audisset daemones inter se loquentes, quia, quando ad iracundiam succendimus corda hominum, si quis sustinuerit patienter convicia iniuriarum et conversus magis rogaverit ea quae ad pacem sunt, dicens: Quia peccavi, statim sentimus, omnem nostram virtutem marcere, quia approximat eis gratia divinae potentiae ». — Ed. 1 cum C: *quia, quando provoco eos ad aliquam discordiam, unus dicit suam culpam et frangit ista sua culpa totum, quod feceram.* Dein prosequuntur: *Hoc sit verbum tuum, carissime; quando reprehenderis de aliquo, dicas: Confiteor meam culpam et habeo voluntatem faciendi alia vice melius.*

[1] Phil. 2, 8. Cod. A C omittunt *non qualemcumque mortem, sed usque ad mortem crucis.* — Superius pro *admirabilis* sola ed. 1 *mirabilis*, quae subinde pro *quapropter* substituit *quia propter nos.* Inferius pro *vituperosa* (ita A C) ed. 1 *vituperabilis*, addens *mors, quae esset*, et omittens cum C *et inhonesta omni morte communi* (ita A).

[2] Sola ed. 1 addit: *Propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen* [Phil. 2, 9.].

[3] Libr. V. libell. 14. n. 19. Textus originalis hinc inde eandem rem aliis verbis exhibet et plura addit. Cfr. III. n. 141. Secuti sumus cod. A, a quo ed. 1 cum C, si verba attendantur, in pluribus minoris momenti discedit.

[4] Cfr. Gregor., XXXV. Moral. c. 14. n. 28, supra pag. 394, nota 7. allegatus. — Ed. 1 cum C: *Sacrificium obedientiae est maius, quam aliud sit* [C *maius sacrificium, quod sit*], *quia obedientia pro sacrificio offert propriam voluntatem, et hoc est quod magis placet Deo quam aliud* [C omittit *quam aliud*]. Dein ipsa cum C prosequitur: In hoc ergo sit studium tuum, carissime, si vis multum placere Deo. Studeas, quod pure obedias in his quae tibi praecipiuntur. Dicebat beatus Pater Franciscus, quod si quis esset bene obediens, una hora non transiret ei sine merito. Cfr. infra Opusc. XXIII. Legenda S. Francisci, c. 6.

[5] Ed. 1 *Si vis in te habere ea quae dixi, studeas, ut sis vir orationis;* C *Si vis ergo habere in te ea quae dixi, studeas semper orare; oratio faciet te habere Deum* etc.

[6] Cfr. infra Opusc. XXIII. Legenda S. Francisci, c. 10. Pro *Dicebat enim* (ita A) ed. 1 cum C *Dicebat etiam*, pro *videbatur* (ita A C) ed. 1 *videretur*, post *proficere* C addit *sive persistere*, et pro *nisi esset amicus* [ed. 1 *vir*] *orationis* C *sine oratione.*

[7] Libr. V. libell. 15. n. 9, ubi de moriente Arsenio agitur et dicitur: Ille autem sermo semper erat in ore Arsenii: Propter quid existi? Loqui me semper poenituit, tacere nunquam (cfr. supra pag. 117, nota 3.). Ibid. n. 18: Dixit abbas Pastor: Quia interrogavit abbas Moyses Fratrem Zachariam tempore, quo moriebatur, dicens: Quid vides? Et ille dixit ei: Nihil melius quam tacere, Pater. Et dixit ei: Verum est, fili, tace. — Ed. 1 cum C: *Invenitur in Vitis Patrum, quod quando Arsenius venit ad mortem, monachi* etc.

[8] Ed. 1 cum C *quidquid potes cum silentio.* Inferius pro *periculosum* sola ed. 1 *perniciosum.*

[9] Libr. III. n. 190. et V. libell. 2. n. 3. Ibid. V. libell. 15, n. 10. narratur, quod ipse fuit « *in palatio* divae memoriae Theodosii imperatoris maioris, qui fuit pater Arcadii et Honorii, annos quadraginta ». Pro *Et venit ei vox dicens* (ita A et V. libell. 2. n. 3.) ed. 1 cum C *Et audivit vocem dicentem sibi* (ita III. n. 190.) et *salvus esse poteris* pro *salvus eris.*

rursum oravit, eundem sermonem dicens [1]: Domine, dirige me ad salutem; audivitque vocem dicentem sibi: Arseni, fuge, tace et quiesce. Haec enim sunt radices non peccandi, haec sunt principia salutis ».

16. Item, invenitur in dictis Vitis sanctorum Patrum [2], quod « abbas Macarius dicebat fratribus suis: Post Missas ecclesiae fugite, fratres. Et dixit ei unus Fratrum: Pater, ubi habemus amplius fugere a solitudine ista? Et ipse abbas ponebat digitum super os suum, dicens: Istud est, quod fugiendum dico; et sic intrabat in cellam suam, et claudens ostium, sedebat solus, permanens in oratione [3] ».

Conclusio. Si ista servaveris, carissime, non dubito, quod in parvo tempore venies ad magnam perfectionem. Ista verba sint tibi loco mei [4]. Saepe ea lege, et quando legis, cogita, quod ego loquor tecum et dico tibi ista verba. Omni sero, quando tu vis ire ad lectum [5], examina te ipsum, utrum vixeris in illo die secundum ista quae tibi scripsi. Vale in Domino et ora Deum pro me.

EXPLICIT EPISTOLA DE IMITATIONE CHRISTI.

---

[1] Ed. 1 cum C *Item, dictus abbas Arsenius, descendens ad monachalem vitam, rursus oravit ad Deum dicens;* textus originalis (V. libell. 2. n. 3.) cum nostra lectione (ita A) convenit, substituens *discedens* pro *descendens*. Inferius C et ed. 1 omittunt *haec sunt principia salutis* (loc. cit. III. n. 190.).

[2] Libr. V. libell. 4. n. 27. Post *Macarius* ed. 1 cum textu originali addit *maior in Scithi* (C *maior in sanctitate*, quam lectionem ed. 1 in nota adiecta recenset).

[3] Textus originalis omittit *permanens in oratione*. Ed. 1 cum C *et claudebat ostium et solus* [C *semper*, lectio ab ed. 1 in nota recensita] *manebat in oratione* etc.

[4] Cod. C omittit *Ista verba sint tibi loco mei*, continuans: *Et saepe ista lege pro salute animae tuae. O miser, quando vadis ad lectum, examina te, utcumque vixeris in die secundum ista quae scripsi tibi. Amen.* Ed. 1 autem ita prosequitur: *Saepe ea legas et facias rationem, quando legis, quod ego loquar tecum et dicam tibi ista verba. Quando ergo vis loqui mecum, legas ista verba, quae tibi scribo pro salute animae tuae.*

[5] Ed. 1 *quando vadis ad lectum*, quae infra in fine legit *et ora pro me. Amen.*

OPUSCULUM XXIII.

LEGENDA SANCTI FRANCISCI [1].

PROLOGUS.

Laus generalis S. Francisci.

1. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri* [2] diebus istis novissimis in servo suo Francisco omnibus vere humilibus et sanctae paupertatis amicis, qui superaffluentem in eo Dei misericordiam venerantes, ipsius erudiuntur exemplo, *impietatem et saecularia desideria* funditus *abnegare*, Christo conformiter vivere et ad beatam spem desiderio indefesso sitire. In ipsum namque ut vere *pauperculum* et contritum tanta Deus excelsus benignitatis condescensione *respexit* [3], quod non solum de mundialis conversationis pulvere *suscitavit* egenum, verum etiam evangelicae perfectionis professorem, ducem atque praeconem effectum in lucem dedit credentium, *ut testimonium perhibendo de lumine* viam lucis et pacis ad corda fidelium Domino praepararet. Hic etenim *quasi stella matutina in medio nebulae* [4], claris vitae micans et doctrinae fulgoribus, *sedentes in tenebris et umbra mortis* irradiatione praefulgida direxit in lucem, et tanquam *arcus refulgens inter nebulas gloriae* [5], signum in se dominici foederis repraesentans, *pacem* et salutem *evangelizavit* hominibus, existens et ipse Angelus verae pacis, secundum imitatoriam quoque similitudinem Praecursoris destinatus a Deo, ut, *viam parans in deserto* [6] altissimae paupertatis, tam exemplo quam verbo poenitentiam praedicaret. Primum supernae gratiae praeventus donis, dehinc virtutis invictae adauctus meritis, prophetali quoque repletus spiritu nec non et angelico deputatus officio incendioque seraphico totus ignitus et ut vir hierarchicus *curru igneo* sursum vectus [7], sicut ex ipsius vitae decursu luculenter apparet, rationabiliter comprobatur venisse *in spiritu et virtute Eliae*. Ideoque alterius *amici Sponsi* [8], Apostoli et Evangelistae Ioannis vaticinatione veridica sub similitudine Angeli ascendentis ab ortu solis signumque Dei vivi habentis astruitur non immerito designatus. Sub apertione namque *sexti sigilli vidi*, ait Ioannes in Apocalypsi, *alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi.*

Con[...]

2. Hunc Dei nuntium amabilem Christo, imitabilem nobis et admirabilem mundo servum Dei fuisse Franciscum, indubitabili fide colligimus, si culmen in eo eximiae sanctitatis advertimus, qua [9], inter homines vivens, imitator fuit puritatis angelicae, qua et positus est perfectis Christi sectatoribus in exemplum. Ad quod quidem fideliter sentiendum et pie, non solum inducit officium, quod habuit, *vocandi ad fletum et planctum, calvitium et cingulum sacci* [10] *signandique thau super frontes virorum gementium et dolentium* signo poenitentialis crucis et habitus cruci conformis; verum etiam irrefragabili veritatis testificatione confirmat *signaculum*

---

[1] Pro *Legenda S. Francisci* cod. B a secunda manu *Legenda de Vita S. Francisci composita a divo Bonaventura;* C (item a 2. m.) *Vita beati Patris Francisci;* E *Haec est Legenda maior beati Francisci.* Deinde prosequitur prima manus in E *Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Cod. A annotat: Haec maior vita sive Legenda beati Francisci pro aedificatione Fratrum in loco quolibet habeatur et potest legi ad mensam per totam Octavam natalis beati Francisci. Minor autem vita, quae de hac excerpta est, poni debet in libris choralibus et legi secundum suas distinctiones in festivitatibus beati Francisci et per Octavam natalis eius, et in Breviariis portatilibus potest poni. Scriptores ergo compellantur tenere punctiones et litteram exemplaris; et eorum errores iuxta ipsum exemplar per Fratrum diligentiam corrigantur. Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit.

[2] Tit. 2, 11; deinde sequuntur verba ex v. 12.

[3] Respicitur Isai. 66, 2. et Ps. 112, 7. et infra Ioan. 1, 7.

[4] Eccli. 50, 6; deinde Luc. 1, 79.

[5] Eccli. 50, 8; deinde respicitur Gen. 9, 13. et Rom. 10, 15.

[6] Respicitur Marc. 1, 3. et Luc. 3, 4.

[7] Cfr. IV. Reg. 2, 11; deinde sequitur Luc. 1, 17.

[8] Cfr. Ioan. 3, 29; infra sequitur Apoc. 7, 2.

[9] Vat. perperam *quam inter.*

[10] Isai. 22, 12; deinde Ezech. 9, 4. et infra 28, 12.

similitudinis Dei viventis, Christi videlicet crucifixi, quod in corpore ipsius fuit impressum non per naturae virtutem vel ingenium artis, sed potius per admirandam potentiam Spiritus Dei vivi[1].

3. Ad huius tam venerabilis viri vitam omni imitatione dignissimam describendam indignum et insufficientem me sentiens, id nullatenus attentassem, nisi me Fratrum fervens incitasset affectus, generalis quoque Capituli[2] concors induxisset instantia, et ea quam ad sanctum Patrem habere teneor devotio compulisset, utpote qui per ipsius invocationem et merita in puerili aetate, sicut recenti memoria teneo, a mortis faucibus erutus, si praeconia laudis eius tacuero, timeo sceleris argui ut ingratus; et haec penes me causa praecipua hunc assumendi laborem, ut ego, qui vitam corporis et animae a Deo mihi conservatam recognosco per ipsum, et virtutem eius in me ipso expertus, agnovi vitae illius virtutes, actus et verba quasi fragmenta quaedam partim neglecta partimque dispersa, quamquam plene non possem, utcumque colligerem, ne, morientibus his qui cum famulo Dei convixerant, deperirent[3].

4. Ut igitur vitae ipsius veritas ad posteros transmittenda certius mihi constaret et clarius, adiens locum originis, conversationis et transitus viri sancti, cum familiaribus eius adhuc superviventibus collationem de his habui diligentem, et maxime cum quibusdam, qui sanctitatis eius et conscii fuerunt et sectatores praecipui, quibus propter agnitam veritatem probatamque virtutem fides est indubitabilis adhibenda. — In descriptione autem eorum quae per servum suum Deus dignanter effecit, curiosum stili ornatum negligendum esse putavi, cum legentis devotio plus simplici sermone quam phalerato[4] proficiat. Nec semper historiam secundum ordinem temporis texui propter confusionem vitandam, sed potius ordinem servare studui magis aptae iuncturae, secundum quod eodem peracta tempore diversis materiis, vel diversis patrata temporibus eidem materiae congruere videbantur.

5. Initium autem vitae ipsius, progressus et consummatio quindecim distincta capitulis describuntur inferius annotatis. *Divisio capitulorum.*

Agitur enim primo de conversatione ipsius in habitu saeculari.

Secundo, de perfecta conversione eius ad Deum et de reparatione trium ecclesiarum.

Tertio, de institutione Religionis et approbatione Regulae.

Quarto, de profectu Ordinis sub manu ipsius et confirmatione Regulae prius approbatae.

Quinto, de austeritate vitae, et quomodo creaturae praebebant ei solatium.

Sexto, de humilitate et obedientia et de condescensionibus divinis sibi factis ad nutum.

Septimo, de amore paupertatis et mira suppletione defectuum.

Octavo, de pietatis affectu, et quomodo ratione carentia affici videbantur ad ipsum.

Nono, de fervore caritatis et desiderio martyrii.

Decimo, de studio et virtute orationis.

Undecimo, de intelligentia Scripturarum et spiritu prophetiae.

Duodecimo, de efficacia praedicandi et gratia sanitatum.

Tertiodecimo, de stigmatibus sacris.

Quartodecimo, de patientia ipsius et transitu mortis.

Quintodecimo, de canonizatione et translatione ipsius.

Postremo de miraculis post transitum eius felicem ostensis aliqua subnectuntur.

EXPLICIT PROLOGUS.

INCIPIT VITA BEATI FRANCISCI.

CAPITULUM I.

De conversatione ipsius in habitu saeculari[5].

1. Vir erat in civitate Assisii, Franciscus nomine, *cuius memoria in benedictione est*[6], pro eo quod Deus ipsum in *benedictionibus dulcedinis* benigne *praeveniens*, et de praesentis vitae periculis *Inventus Francisci.*

[1] Cfr. infra c. 13.

[2] Celebrati an. 1260 Narbonae (Narbonne). Vide Wadding., Annal. Minor. tom. II. ad an. 1260 n. 18, ubi etiam insinuatur, S. Bonaventuram Legendam hanc compilasse Parisiis (ibidem morabatur S. Thomas, qui visitans S. Bonaventuram hoc labore occupatum et videns illum in contemplatione raptum dixit: « Sinamus Sanctum, quia laborat pro Sancto »), ipsamque ad preces cuiusdam episcopi Galli in compendium redegisse (Legenda minor) et tandem utramque obtulisse triennio post in comitiis Pisanis patribus Ordinis. Cfr. Analecta Franciscana, tom. III. pag. 328 (Quaracchi 1897). — Inferius I omittit *in puerili aetate, sicut recenti memoria teneo.* Quoad cod. I notamus, ipsum saepius et male discedere ab aliis codd., unde lectiones has erroneas, vel saltem improbabiles raro notamus.

[3] Ioan. 6, 12: Colligite quae superaverunt fragmenta, ne pereant.

[4] Sive ornato (comto, fucato); eodem sensu ait Terent., Phormionis actu 3, scena 2. 15: Ut phaleratis dictis ducas me.

[5] Cfr. Thom. a Celano (qui ex praecepto Gregorii IX. vitam Francisci scripsit), Vita I. p. I. c. 1-3; Vita II. p. I. c. 1-5. et Legenda trium Sociorum (Leo, Angelus et Rufinus, qui fuerunt discipuli S. Francisci, ex praecepto Ministri Generalis Crescentii hanc vitam scripserunt), c. 1-4.

[6] Eccli. 45, 1. — Subinde respicitur Ps. 20, 4: Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis. — Franciscus natus est an. 1182 Sept. 26. vel secundum alios 1181.

clementer eripuit et caelestis gratiae donis affluenter implevit. Etenim, cum inter vanos fuerit hominum filios iuvenili aetate nutritus in vanis, et post aliqualem litterarum notitiam lucrativis mercationum deputatus negotiis; superno sibi assistente praesidio, nec inter lascivos iuvenes, quamvis effusus ad gaudia, post carnis petulantiam abiit nec inter cupidos mercatores, quamvis intentus ad lucra, *speravit in*

Miseratio liberalis.

pecunia et thesauris [1]. Inerat namque iuvenis Francisci praecordiis divinitus indita quaedam ad pauperes miseratio liberalis, quae secum ab infantia crescens [2], tanta cor ipsius benignitate repleverat, ut, iam Evangelii non surdus auditor, omni proponeret se petenti tribuere, maxime si divinum allegaret

Defectum caritatis emendavit.

amorem. Cum autem semel, negotiationis intentus tumultibus, pauperem quendam pro amore Dei petentem eleemosynam praeter morem solitum vacuum repulisset; statim ad cor reversus, cucurrit post ipsum, et eleemosyna illi clementer impensa, promisit Domino Deo, quod nunquam ex tunc, dum adesset possibilitas, petentibus pro amore Domini se negaret; quod usque ad mortem indefessa pietate observans, copiosa in Deum dilectionis et gratiae in-

Notandum.

crementa promeruit. Aiebat enim post, cum iam perfecte Christum induerat [3], quod etiam existens in habitu saeculari vocem divini expressivam amoris audire vix unquam sine cordis immutatione valebat.

Praeludia futurae sanctitatis.

Porro mansuetudinis lenitas cum elegantia morum, patientia et tractabilitas supra humanum modum, munificentiae largitas ultra suppetentiam facultatum, quibus bonae indolis adolescens certis florere conspiciebatur indiciis, quaedam videbantur esse praeludia, quod copiosior super eum foret in posterum di-

Notandum.

vinae benedictionis abundantia diffundenda. Quidam sane vir de Assisio valde simplex, ut creditur, eruditus a Deo, cum aliquando per civitatem eunti obviaret Francisco [4], deponebat pallium, sternebat ipsius pedibus vestimentum, asserens, omni fore Franciscum reverentia dignum, utpote qui esset in proximo magna facturus et ob hoc ab universitate fidelium magnifice honorandus.

2. Ignorabat autem adhuc Franciscus circa se consilium Dei, pro eo quod, tam iussione patris ad exteriora distractus quam corruptione naturalis originis ad inferiora depressus, nondum didicerat contemplari caelestia nec assueverat degustare divina.

Probatio per morbum.

Et quia spirituali *auditui dat intellectum* inflicta *vexatio* [5], *facta est super eum manus Domini* et *immutatio dexterae Excelsi*, diutinis languoribus ipsius corpus affligens, ut coaptaret animam ad sancti Spiritus unctionem. Cumque, resumtis corporis viribus, sibi vestimenta decentia more solito praeparasset; obvium habuit militem quendam generosum quidem, sed pauperem et male vestitum, cuius pauperiem pio miseratus affectu, illum protinus, se exuto, vestivit, ut simul in uno geminum impleret pietatis officium, quo et nobilis militis verecundiam tegeret et pauperis hominis penuriam relevaret.

3. Nocte vero sequenti, cum se sopori dedisset, palatium speciosum et magnum cum militaribus armis crucis Christi signaculo insignitis [6] clementia sibi divina monstravit, ut misericordiam pro summi Regis amore pauperi exhibitam militi praeostenderet incomparabili compensandam esse mercede. Unde et cum quaereret, cuius essent; illa omnia sua fore militumque suorum, superna fuit assertione responsum. Evigilans itaque mane, cum nondum haberet exercitatum animum ad divina perscrutanda mysteria nesciretque per visibilium species transire ad contuendam invisibilium veritatem; magnae fore prosperitatis indicium aestimabat insolitam visionem. Disposuit itaque, divinae adhuc dispositionis ignarus, in Apuliam ad quendam liberalem comitem se conferre [7], in ipsius sperans obsequio decus adipisci militiae, ut ostensa sibi visio praetendebat. Cumque, paulo post iter aggressus, ivisset usque ad proximam civitatem [8]; audivit in nocte Dominum familiari sibi allocutione dicentem: « Francisce, quis potest melius facere tibi, dominus aut servus, dives aut pauper » ? Cui cum Franciscus respondisset, quod tam dominus quam dives facere melius potest; intulit statim: « Cur ergo relinquis pro servo Dominum et pro paupere homine divitem Deum » ? Et Franciscus: « *Quid me vis, Domine, facere* » ? *Et Dominus ad eum* [9]: « *Revertere in terram tuam*, quia visio, quam vidisti, spiritualem praefigurat effectum, non humana, sed divina in te dispositione complendum ». Mane itaque facto, cum festinatione revertitur versus Assisium securus et gaudens, et iam exemplar obedientiae factus, exspectabat Domini voluntatem.

4. Ex tunc a publicae negotiationis tumultu se subtrahens, supernam devote precabatur clementiam, ut, quid sibi foret agendum, ostendere dignaretur. Cum autem ex frequenti orationis usu flamma desiderii caelestis in eo vehementer succresceret, et iam pro amore supernae patriae terrena omnia despiceret

---

[1] Eccli. 31, 8: Beatus dives, qui inventus est sine macula et qui post aurum non abiit nec speravit etc. — Superius post *superno* edd., refragantibus multis codd., addunt *tamen*.

[2] Iob 31, 18: Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio. — Subinde respiciuntur Iac. 1, 22: Estote autem factores verbi et non auditores tantum etc.; Luc. 6, 30: Omni autem petenti te tribue.

[3] Gal. 3, 27: Christum induistis. Cfr. Rom. 13, 14.

[4] Vat. *Franciscus*.

[5] Isai. 28, 19, post quem Ezech. 1, 3. et Ps. 76, 11. — Inferius pro *corporis viribus* edd. *corporeis viribus*.

[6] Vat. *insignitum*.

[7] Cfr. Wadding., Apparatus ad Annales Minorum, § 4. n. 5, ubi ostendere nititur, comitem hunc non Gentilem, sed Gualterum a Brenna fuisse.

[8] Spoletum; cfr. Wadding., loc. cit. n. 6.

[9] Act. 9, 6. seq. ot deinde Gen. 32, 9.

quasi nihil; *thesaurum* sentiebat se reperisse *absconditum*, ac velut prudens negotiator *margaritam inventam* excogitabat venditis omnibus comparare [1]. Adhuc tamen, qualiter id ageret, ignorabat, nisi quia ipsius suggerebatur spiritui, quod spiritualis mercatio a mundi contemptu sumat initium, Christique militia sit a sui ipsius victoria inchoanda.

5. Quadam itaque die, dum equitaret per planitiem, quae subiacet civitati Assisii, leprosum quendam habuit obvium, cuius inopinatus occursus ei non parvum incussit horrorem. Recurrens autem ad perfectionis mente iam conceptae propositum et recolens, quod se ipsum oporteret primum devincere, si vellet effici Christi miles, ad deosculandum eum equo lapsus accurrit. Cui cum manum quasi aliquid accepturus leprosus protenderet, pecuniam cum osculo deportavit [2]. Statim autem equum ascendens et se circumquaque convertens, cum campus pateret undique liber, leprosum illum minime vidit. Admiratione itaque repletus et gaudio, laudes coepit Domino decantare devote, proponens ex hoc semper ad maiora conscendere. Solitaria proinde loca quaerebat, amica moeroribus, in quibus dum *gemitibus inenarrabilibus* [3] incessanter intenderet, post longam precum instantiam a Domino meruit exaudiri. Dum enim una dierum sic sequestratus oraret et prae nimietate fervoris totus esset absorptus in Deum; apparuit ei Christus Iesus veluti cruci confixus. Ad cuius conspectum *liquefacta est anima eius* [4], et memoria passionis Christi visceribus cordis ipsius adeo impressa medullitus, ut ab illa hora, cum Christi crucifixio veniret in mentem, vix posset a lacrymis et gemitibus exterius continere, sicut ipse postmodum familiariter retulit, cum appropinquaret ad finem. Intellexit per hoc nempe vir Dei, illud evangelicum [5] sibi dici: *Si vis venire post me, abnega temetipsum et tolle crucem tuam et sequaris me.*

6. Induit ex tunc spiritum paupertatis, humilitatis sensum et affectum intimae pietatis. Nam cum prius leprosorum non solum consortium, verum etiam longinquum contuitum vehementer horreret; iam propter Christum crucifixum, qui iuxta verbum propheticum [6] contemptibilis *ut leprosus* apparuit; ut semetipsum plene contemneret, humilitatis et humanitatis obsequia leprosis benefica pietate praestabat. Visitabat enim frequenter domos ipsorum, liberaliter eis eleemosynas erogabat et cum multo compassionis affectu manus eorum osculabatur et ora. [7] Pauperibus etiam mendicantibus non solum sua, verum etiam se ipsum cupiebat impendere, aliquando vestimenta exuens, aliquando dissuens, aliquando scindens ad largiendum eis, cum prae manibus alia non haberet. Sacerdotibus quoque pauperibus reverenter subveniebat et pie, praecipue in ornamentis altaris, quo et cultus divini particeps fieret et cultorum inopiae supplementa praeberet. — Cum autem religiosa devotione tunc temporis limina visitaret Apostoli Petri, conspecta multitudine pauperum ante fores ecclesiae, partim pietatis ductus dulcedine, partim paupertatis allectus amore, uni ex eis magis egenti propria largitus est vestes, et semicinctiis contectus illius, diem illum in medio pauperum cum insolita spiritus iucunditate transegit, ut et saecularem gloriam sperneret et ad perfectionem evangelicam gradatim conscendendo perveniret. Mortificationi carnis invigilabat attentius, ut Christi crucem, quam interius ferebat in corde, exterius etiam circumferret in corpore. Agebat autem haec omnia vir Dei Franciscus nondum habitu vel convictu sequestratus a mundo.

Renovatio interioris hominis.

Obsequia leprosis praestat et pauperibus.

Visitat limina S. Petri.

Notandum.

Capitulum II.

De perfecta conversione eius ad Deum et de reparatione trium ecclesiarum [8].

1. Quoniam autem servus Altissimi doctorem non habebat aliquem in huiusmodi nisi Christum, addidit adhuc ipsius clementia eum in gratiae visitare dulcedine. Dum enim die quadam, egressus ad meditandum in agro, deambularet iuxta ecclesiam sancti Damiani, quae minabatur prae nimia vetustate ruinam, et in eam, instigante se Spiritu, causa orationis intrasset; prostratus ante imaginem Crucifixi,

---

[1] Matth. 13, 44-46; ibid. 16, 24. seqq.: « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum » etc., ad quod in seq. propositione alluditur. [2] Edd. *reportavit.*

[3] Rom. 8, 26. Cod. I *cum gemitibus* pro *dum gemitibus*. August., VIII. Confess. c. 12. n. 28: Solitudo mihi ad negotium flendi aptior suggerebatur.

[4] Cant. 5, 6. — Infra Acta SS. (Bolland.) *contineri* pro *continere*.

[5] Matth. 16, 24: Si quis vult post me venire, abneget etc. Pro *sequaris me* (ita ABCDEFGI) K *sequeris me*, edd. *sequere me.*

[6] Isai. 53, 3. seq.: Despectum et novissimum virorum... et nos putavimus eum quasi leprosum etc. Pro *ut leprosus* IK *quasi leprosus*. — Infra cum BCDEFI pro *plenum* posuimus *plene*.

[7] Vide Testamentum S. Francisci: Cum essem in peccatis, nimis mihi videbatur amarum videre leprosos, et ipse Dominus conduxit me inter illos etc.

[8] Cfr. Thom. a Celano, Vita I. p. I. c. 4-9; Vita II. p. I. c. 6. seq.; p. III. c. 12. seq. et Legenda trium Sociorum, c. 5-7. Vitam istam Franciscus incepit an. 1207; cfr. Chronica XXIV Generalium (Analecta Franciscana, tom. III. pag. 2, nota 3. Quaracchi 1897).

non modica fuit in orando spiritus consolatione repletus. Cumque lacrymosis oculis intenderet in dominicam crucem, vocem de ipsa cruce dilapsam ad

Praeceptum Christi.

eum corporeis audivit auribus, ter dicentem: « Francisce, vade et repara domum meam, quae, ut cernis, tota destruitur ». Tremefactus Franciscus, cum esset in ecclesia solus, stupet ad tam mirandae vocis auditum, cordeque percipiens divini virtutem [1] eloquii, mentis alienatur excessu. In se tandem reversus, ad obediendum se parat; totum se recolligit ad mandatum de materiali ecclesia reparanda, licet principalior intentio verbi ad eam ferretur, quam *Christus suo sanguine acquisivit* [2], sicut eum Spiritus sanctus edocuit, et ipse postmodum Fratribus revelavit. Surrexit proinde signo crucis se muniens, et assum-

Proficiscitur Fulginium.

tis pannis venalibus, ad civitatem, quae Fulginium dicitur, festinus accessit, ibique venditis quae portaverat, equum, cui tunc insederat, felix mercator, assumto pretio, dereliquit, rediensque Assisium, ecclesiam, de cuius reparatione mandatum acceperat [3], reverenter intravit et invento illic sacerdoti pauperculo reverentiam decentem exhibuit, ad reparationem ecclesiae et pauperum usum pecuniam ob-

Moratur ad S. Damianum. Pecuniam vilipendit.

tulit, et ut secum se morari pateretur ad tempus, humiliter requisivit. Acquievit sacerdos de mora ipsius, sed timore parentum pecuniam recusavit [4]; quam verus pecuniarum contemptor in quandam fenestram proiiciens, abiectam velut pulverem vilipendit.

2. Moram autem faciente servo Dei cum sacer-

Ira patris.

dote praedicto, cum hoc intellexisset pater ipsius, perturbatus animo, cucurrit ad locum. At ipse, quia novus Christi erat athleta, cum audiret persequen-

Fr. se abscondit.

tium minas et eorum praesentiret adventum, dare *locum irae* volens [5], in quadam occulta fovea se abscondit; in qua diebus aliquibus latitando, rogabat Dominum incessanter, lacrymarum imbre perfusus, ut liberaret de manibus persequentium animam suam, et pia quae inspiraverat vota benigno favore compleret. Igitur excessiva quadam completus laetitia, coepit de pusillanimitatis ignavia semetipsum arguere, relictaque fovea et abiecto pavore, versus [6] civitatem

Redit Assisium.

Assisii viam aggressus est. Quem cum cives cernerent facie squalidum et mente mutatum, ac per hoc alienatum putarent a sensu, luto platearum et lapidibus impetebant et tanquam insano et dementi clamorosis vocibus insultabant. Famulus autem Domini, nulla fractus aut mutatus iniuria, ut surdus in omnibus pertransibat. Cumque clamorem huiusmodi pater audisset, statim accurrens, non ad liberandum eum, sed potius ad perdendum; omni [7] miseratione sub-

Patris ... delit

tracta, pertractum domi primo verbis, deinde verberibus et vinculis angit. Ipse autem ad exsequendum quod coeperat promptior ex hoc et validior reddebatur, recolens illud Evangelii verbum [8]: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum.*

3. Post modicum vero tempus, patre a patria discedente, mater eius factum mariti non approbans et inflexibilem filii constantiam emolliri posse non

Solvit ... mat

sperans, a vinculis absolutum abire permisit. At ipse, gratias omnipotenti Domino referens, ad locum, in quo prius fuerat, est reversus. Rediens autem pater et eum non inveniens domi, convitiis illatis uxori, fremens cucurrit ad locum, ut, si eum revocare non posset, saltem de provincia effugaret. Franciscus vero,

Fr. se ... pa

confortatus a Deo, obvium ultro se obtulit patri furenti, libera voce clamans, se pro nihilo ducere vincula et verbera eius, insuper et contestans, se pro Christi nomine gaudenter mala omnia subiturum [9]. Videns itaque pater, quod eum revocare non posset, ad extorquendam pecuniam se convertit; qua tandem inventa in fenestrula quadam, aliquantulum ipsius mitigatus est furor, avaritiae siti utcumque per haustum pecuniae temperata.

Ducit ... ram ... sc

4. Tentabat deinde pater carnis filium gratiae pecunia iam nudatum ducere coram episcopo civitatis, ut in ipsius manibus facultatibus renuntiaret paternis et omnia redderet, quae habebat. Ad quod faciendum se promptum exhibuit verus paupertatis amator, perveniensque coram episcopo, nec moras patitur nec cunctatur [10] de aliquo nec verba exspectat

Den ... per.

nec facit; sed continuo depositis omnibus vestimentis, restituit ea patri. Inventus est autem tunc vir Dei cilicium habere ad carnem sub vestibus delicatis. Insuper ex admirando fervore spiritu ebrius, reiectis etiam femoralibus, totus coram omnibus denudatur, dicens ad patrem: « Usque nunc vocavi te patrem in terris, amodo autem secure dicere possum: *Pater noster, qui es in caelis* [11], apud quem omnem thesaurum reposui et omnem spei fiduciam collocavi ».

Vesti ... epis

Hoc cernens episcopus et admirans tam excedentem in viro Dei fervorem, protinus exsurrexit et inter brachia sua illum cum fletu recolligens, uti erat vir pius et bonus, pallio, quo erat amictus, operuit, praecipiens suis, ut aliquid sibi darent ad membra corporis contegenda; oblatus est autem ei mantellus

---

[1] Vat. cum ed. 1 et pluribus codd. *virtute.*

[2] Act. 20, 28. — Superius Vat. cum ed. 1 contra A B C D E G I vocibus *ad mandatum* interserit *perficiendum.*

[3] Cod. K *se accepisse credebat.* Inferius post *invento illic* edd., refragantibus fere omnibus codd., prosequuntur *sacerdote pauperculo, ei reverentiam decentem exhibuit et ad* etc.

[4] Codd. BCDEGIK *pecuniam non recepit.*

[5] Rom. 12, 19: Non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum irae. — Subinde respicitur Ps. 141, 7: Libera me a persequentibus me; cfr. Ps. 108, 31: Quia astitit... ut salvam faceret a persequentibus animam meam.

[6] Codd. BCDEF *et versus.* Inferius pro *viam* edd. *iter.*

[7] Cod. I *et omni.*

[8] Matth. 5, 10. — Superius post *exsequendum* edd. addunt *Domino.*

[9] Cfr. Act. 5, 41, ubi simile de Apostolis dicitur. — Subinde pro *Videns* Vat. *Ardens.*

[10] Vat. *contatur.*

[11] Matth. 6, 9.

pauper et vilis cuiusdam agricolae servientis episcopi [1]. Quem ipse gratanter suscipiens, cum caemento, quod sibi occurrit, ad modum crucis manu propria consignavit, operimentum formans ex eo crucifixi hominis et pauperis seminudi. Sic igitur servus Regis altissimi nudus relictus est, ut nudum sequeretur crucifixum Dominum [2], quem amabat; sic utique cruce munitus, ut animam suam ligno salutis committeret, per quod de mundi naufragio salvus exiret.

5. Solutus exinde mundi contemptor a vinculis mundanarum cupidinum, civitate relicta, securus et liber [3] secretum solitudinis petiit, ut solus et silens supernae audiret allocutionis arcanum. Dumque per silvam quandam iter faciens, laudes Domino lingua Francorum vir Dei Franciscus decantaret cum iubilo; latrones super eum ex abditis irruerunt. Quibus ferali animo, quis esset, interrogantibus vir Dei, confidentia [4] plenus, prophetica voce respondit: « Praeco sum, inquiens, magni Regis ». At illi percutientes eum in defossum locum plenum nivibus proiecerunt, dicentes: « Iace, rustice, praeco Dei ». Ipse vero, illis recedentibus, exsilivit de fovea, magnoque exhilaratus gaudio, altiori coepit voce per nemora laudes Creatori omnium personare.

[…] in la-[…]es.

6. Et veniens ad quoddam vicinum coenobium, eleemosynam petiit ut mendicus et recepit ut incognitus et despectus. Inde vero progrediens devenit Eugubium, ubi a quodam amico pristino agnitus et susceptus, paupere tunicula ut Christi pauperculus contectus est. — Exinde totius humilitatis amator se transtulit ad leprosos eratque cum eis, diligentissime serviens omnibus propter Deum. Lavabat ipsorum pedes, ligabat ulcera; educebat plagarum putredinem et saniem abstergebat, osculabatur etiam ex miranda devotione ulcerosas plagas ipsorum, evangelicus medicus mox futurus. Propter quod tantam est a Domino consecutus virtutem, ut in spiritualibus et corporalibus morbis mirabiliter expurgandis mirabilem efficaciam obtineret. Referam unum de multis, quod accidit, viri Dei fama postmodum atiuls clarescente. Cum enim cuiusdam de comitatu Spoletano os pariter et maxillam morbus quidam horribilis depascendo corroderet, nec subveniri posset eidem aliquo medicinae remedio; contigit, ut propter Sanctorum exposcenda merita Apostolorum visitatis liminibus, de peregrinatione rediens, servo Dei occurreret; cumque prae devotione vellet ipsius osculari vestigia, vir humilis hoc non ferens, osculari volenti pedes osculum oris dedit. Dum autem leprosorum servus Franciscus mirabili pietate illam plagam horribilem ore sacro contingeret; omni fugato morbo, subito aeger ille sanitatem recuperavit optatam. Nescio, quod horum magis sit merito admirandum, an humilitatis profunditas in osculo tam benigno, an virtutis praeclaritas in miraculo tam stupendo.

[…] Eugu-[…]um.

[…] lepro-[…]is.

[…]prosum […]d oscu-[…]lo.

Reparat duas ecclesias.

7. Fundatus iam in Christi humilitate Franciscus ad memoriam reducit obedientiam sibi e cruce iniunctam de sancti Damiani ecclesia reparanda [5] et tanquam verus obediens Assisium rediit, ut saltem mendicando voci divinae pareret. Depositaque omni verecundia propter amorem pauperis Crucifixi, mendicabat apud eos, inter quos abundare solebat, debile corpus, attritum ieiuniis oneribus lapidum supponendo. Praedicta igitur ecclesia, iuvante se Domino et devotione civium assistente, refecta; ne post laborem corpus torperet ignavia, transtulit se ad reparandam ecclesiam quandam beati Petri longius a civitate distantem ob devotionem specialem, quam ad Apostolorum principem sincerae fidei puritate gerebat.

Item, Portiunculam.

8. Hac tandem ecclesia consummata, pervenit ad locum, qui *Portiuncula* dicitur, in quo ecclesia beatissimae Virginis, genitricis Dei, antiquitus fabricata exstiterat, sed deserta tunc a nemine curabatur. Quam cum vir Dei sic derelictam conspiceret, ob devotionem ferventem, quam habebat ad Dominam mundi, coepit illic assidue pro ipsius reparatione morari. Sentiens autem iuxta nomen ipsius ecclesiae, quo [6] ab antiquo *Sancta Maria de Angelis* vocabatur, angelicarum ibi visitationum frequentiam, pedem fixit ibidem propter reverentiam Angelorum amoremque praecipuum Matris Christi. Hunc locum vir sanctus amavit prae ceteris mundi locis; hic etenim humiliter coepit, hic virtuose profecit, hic feliciter consummavit, hunc in morte Fratribus tanquam Virgini carissimum commendavit [7]. — De hoc Frater quidam Deo devotus ante conversionem suam visionem viderat relatione condignam. Innumeros cernebat homines caecitate percussos, facie in caelum directa et genibus flexis, in huius ecclesiae stare circuitu; qui omnes, protensis manibus in altum, lacrymabiliter clamabant ad Deum, misericordiam postulantes et lumen. Et ecce, ingens de caelo splendor advenit se per omnes diffundens, qui lumen unicuique tribuit et salutem desideratam concessit. — Hic est locus, in quo Fratrum Minorum Ordo a sancto Francisco per divinae revelationis instinctum inchoatus est. Divinae namque providentiae nutu, qua Christi servus dirigebatur in omnibus, tres materiales erexit ecclesias, antequam, Ordinem inchoans, Evangelium praedicaret, ut non solum a sensibilibus ad intelligibilia, a minoribus ad maiora ordinato progressu conscenderet, verum etiam, ut, quid esset facturus

De eiusdem gloria.

[1] Acta SS. *episcopo* pro *episcopi*.

[2] Hieron., Epist. 125. (alias 4.) in fine: Si habes substantiam, *vende et da pauperibus* [Matth. 19, 21.]; si non habes, grandi onere liberatus es, nudum Christum nudus sequere. Cfr. supra pag. 114, nota 7. et pag. 277, nota 2. — Subinde respicitur Sap. 14, 5: Exiguo ligno credunt homines animas suas, et transeuntes mare, per ratem liberati sunt.

[3] Cod. B *libere*.

[4] Cod. A *cum fidentia*. Inferius fide codd. supplevimus *inquiens*.

[5] Vide supra n. 1. — Pro *e cruce* B *de cruce*, F *a cruce*, K legit: *obedientiam, ut pie probat, iniunctam*.

[6] Cod. B *quae*.

[7] Cfr. Wadding., Annales Minorum, tom. I. ad an. 1226, n. 31. seqq.

in posterum, sensibili foris opere mysterialiter praesignaret. Nam instar reparatae triplicis fabricae ipsius sancti viri ducatu secundum datam ab eo formam, Regulam et doctrinam Christi triformiter [1] renovanda erat Ecclesia trinaque triumphatura militia salvandorum, sicut et nunc cernimus esse completum.

Capitulum III.

De institutione Religionis et approbatione Regulae [2].

1. In ecclesia igitur Virginis Matris Dei moram faciente servo ipsius Francisco et apud eam quae concepit *Verbum plenum gratiae et veritatis* [3], continuis insistente gemitibus, ut fieri dignaretur advocata ipsius, meritis Matris misericordiae concepit ipse ac peperit spiritum evangelicae veritatis. Dum enim die quodam Missam de Apostolis devotus audiret, perlectum est Evangelium illud [4], in quo Christus discipulis ad praedicandum mittendis formam tribuit evangelicam in vivendo, ne videlicet possideant *aurum vel argentum nec in zonis pecuniam nec peram in via nec duas tunicas habeant nec calceamenta deferant neque virgam.* Quod audiens et intelligens ac memoriae commendans, apostolicae paupertatis amicus indicibili mox perfusus laetitia: « Hoc est, inquit, quod cupio, hoc quod totis praecordiis concupisco ». Solvit proinde calceamenta de pedibus, deponit baculum, peram [5] et pecuniam exsecratur, unaque contentus tunicula, reiecta corrigia, pro cingulo funem sumit, omnem sollicitudinem cordis apponens, qualiter audita perficiat et apostolicae rectitudinis regulae per omnia se coaptet [6].

Accipit regulam Apostolorum.

2. Coepit ex hoc vir Dei divino instinctu evangelicae perfectionis aemulator existere et ad poenitentiam ceteros invitare. Erant autem ipsius eloquia non inania nec risu digna, sed virtute Spiritus sancti plena, erant medullas cordis penetrantia, ut in vehementem stuporem audientes converterent [7]. In omni praedicatione sua pacem annuntians dicendo: « Dominus det vobis pacem », populum in sermonis exordio salutabat. Hanc quippe salutationem, Domino revelante, didicerat, sicut ipse postmodum testabatur [8]. Unde factum est, ut iuxta sermonem propheticum [9] et ipse spiritu Prophetarum afflatus, annuntiaret pacem, praedicaret salutem ac salutaribus monitis foederaret plurimos verae paci, qui discordes a Christo, prius exstiterant a salute longinqui.

Invitat ad poenitentiam.

3. Innotescente itaque apud multos viri Dei tam doctrinae simplicis veritate quam vitae, coeperunt ipsius exemplo viri quidam ad poenitentiam animari et eidem, reiectis omnibus, habitu vitaque coniungi; quorum primus exstitit venerabilis vir Bernardus, qui vocationis divinae particeps factus, Patris beati primogenitus esse promeruit, tam prioritate temporis quam privilegio sanctitatis. Hic enim, servi Christi sanctitate comperta, ipsius exemplo disponens perfecte contemnere mundum, ab eodem, qualiter id perficeret, consilium requisivit. Quo audito, Dei famulus pro primae prolis conceptu sancti Spiritus consolatione repletus: « A Deo est, inquit, hoc consilium requirendum ». Intraverunt proinde ecclesiam sancti Nicolai mane iam facto, et oratione praemissa, cultor Trinitatis Franciscus ter Evangeliorum librum aperuit, trino exposcens a Deo testimonio sanctum Bernardi propositum confirmari. In prima libri apertione illud [10] occurrit: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quae habes, et da pauperibus.* In secunda: *Nihil tuleritis in via.* In tertia vero: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me.* « Haec est, ait vir sanctus, vita et Regula nostra omniumque, qui nostrae voluerint societati coniungi. Vade igitur, si vis esse perfectus, et perfice quae audisti ».

Primus discipulus Francisci. *Notandum.*

4. Non multo post vocatis eodem spiritu quinque viris [11], filiorum Francisci senarius numerus completus est; inter quos tertium sortitus est locum sanctus pater Aegidius, vir utique Deo plenus et celebri memoria dignus. Hic etenim postmodum virtutum sublimium exercitatione praeclarus, sicut famulus Domini de ipso [12] praedixit, quamquam esset idiota et simplex, ad excelsae contemplationis sublimatus est verticem. Nam per multa curricula temporum sursumactionibus incessanter intentus, adeo crebris in Deum rapiebatur excessibus, quemadmodum et ego ipse oculata fide conspexi, ut magis censeretur inter homines vitam angelicam agere quam humanam.

Alii 5 discipuli. *B. Aegidius.*

5. Illo quoque tempore cuidam sacerdoti civitatis Assisii, nomine Silvestro, honestae conversationis

Silvester.

---

[1] Cod. I *conformiter.*

[2] Cfr. Thom. a Celano, Vita I. p. I. c. 9-13; Vita II. p. III. c. 52, et Legenda trium Sociorum, c. 8-12.

[3] Ioan. 1, 14.

[4] Matth. 10, 9. seq.

[5] Edd. addunt *reiicit.*

[6] Anno 1209; cfr. iam allegata Chronica XXIV Generalium pag. 2.

[7] In G secunda manus addidit: *et obstinatorum mentes efficacia virtuosa mollirent.*

[8] In Testamento.

[9] Isai. 52, 7: Quam pulcri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem, annuntiantis bonum, praedicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus!

[10] Matth. 19, 21; deinde Luc. 9, 3. et Matth. 16, 24.

[11] Scilicet Petro Cathanii, Aegidio, Sabbatino, Morico et Ioanne de Capella.

[12] Cod. K *Franciscus de ipso.*

viro, quaedam a Domino fuit ostensa visio non tacenda. Cum enim modum et viam Francisci Fratrumque suorum humano spiritu abhorreret; ne periclitaretur pro temeritate iudicii, respectu fuit supernae gratiae visitatus. Videbat namque in somnis, totam Assisii civitatem a dracone magno circumdari, prae cuius magnitudine nimia tota regio videbatur exterminio subiacere. Contuebatur post haec crucem quandam auream ex ore procedentem Francisci, cuius summitas caelos tangebat, cuiusque brachia protensa in latum usque ad mundi fines videbantur extendi; ad cuius etiam aspectum praefulgidum draco ille teter et horridus penitus fugabatur. Hoc dum sibi tertio monstraretur, divinum aestimans esse oraculum, viro Dei et Fratribus suis per ordinem enarravit, ac non multo post tempore mundum relinquens, vestigiis Christi sic perseveranter[1] adhaesit, quod vita ipsius in Ordine authenticam reddidit eam quam in saeculo habuerat visionem.

6. Ex huius visionis auditu vir Dei non in gloria est elatus humana, sed bonitatem Dei in suis beneficiis recognoscens, fortius animatus est ad hostis antiqui fugandam versutiam et crucis Christi gloriam praedicandam. — Quadam autem die, dum in quodam solitario loco *annos suos in amaritudine recogitans* deploraret[2], sancti Spiritus in eum su-

...et pro- ...etia.

perveniente laetitia, certificatus est de remissione plenaria omnium delictorum. Raptus deinde supra se ac in quoddam mirandum lumen totus absorptus, dilatato mentis sinu, quae circa se et filios suos futura erant luculenter aspexit. Post hoc reversus ad Fratres: « *Confortamini*, ait, carissimi, et *gaudete in Domino*[3], nec quia pauci estis, efficiamini tristes, neque vos terreat mea vel vestra simplicitas, quoniam, sicut mihi a Domino in veritate ostensum est, in magnam multitudinem faciet nos crescere Deus suaeque benedictionis gratia multipliciter dilatabit ».

7. Eodem quoque tempore quodam alio bono

...a missio- ...ipulo- ...om.

viro Religionem intrante[4], ad septenarium numerum viri Dei soboles benedicta pervenit. Tunc pius Pater omnes ad se filios convocavit et plura eis de regno Dei, de contemptu mundi, de abnegatione propriae voluntatis corporisque castigatione pronuntians, propositum suum de mittendo illos in quatuor partes orbis aperuit. Iam enim sterilis et paupercula simplicitas sancti Patris pepererat septem filios[5] et desiderabat universitatem fidelium ad poenitentiae lamenta vocatam Christo Domino parturire. « Ite, inquit dulcis Pater ad filios, annuntiantes hominibus pacem, praedicate poenitentiam in remissionem peccatorum[6]. Estote in tribulationibus patientes, in orationibus vigiles, in laboribus strenui, in sermonibus modesti, in moribus graves et in beneficiis grati, quia pro his omnibus regnum vobis praeparatur aeternum ». At illi coram servo Dei humiliter se prosternentes in terram, cum gaudio spiritus suscipiebant obedientiae sanctae mandatum. Ipse vero dicebat unicuique singillatim: *Iacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet*[7]. Hoc verbum dicere solitus erat, quotiescumque Fratrem aliquem ad obedientiam dirigebat. Tunc et ipse, sciens, se datum aliis in exemplum, ut prius faceret, quam doceret[8], cum uno sociorum versus unam orbis partem perrexit, reliquis sex ad modum crucis tribus aliis mundi partibus deputatis. — Modico autem elapso

Mirabiliter missi revertuntur.

post tempore, benignus Pater carae prolis exoptans praesentiam; cum in unum eos per se convocare non posset, per eum orabat hoc fieri, qui *dispersiones congregat Israelis*[9]. Sicque factum est, ut absque humana vocatione omnes ex insperato post modicum temporis iuxta eius desiderium, divina operante clementia, non sine ipsorum admiratione pariter convenirent. Illis quoque diebus quatuor sibi adhaerentibus viris honestis[10], ad duodenarium numerum excreverunt.

8. Cernens autem famulus Christi, paulatim accrescere numerum Fratrum, scripsit sibi et Fratri-

Prima Regula scripta.

bus suis simplicibus verbis formulam vitae, in qua, sancti Evangelii observantia pro fundamento indissolubili collocata, pauca quaedam alia inseruit, quae ad uniformem vivendi modum necessaria videbantur. Desiderans autem, per Summum Pontificem approbari quae scripserat, disposuit cum illo simplicium

Adiit Romam.

coetu apostolicae Sedis adire praesentiam, de sola confisus directione divina. Cuius desiderium Deus ex alto respiciens, sociorum animos simplicitatis suae consideratione perterritos ostensa viro Dei visione huiusmodi confortavit. Videbatur siquidem ei, quod

Visio.

per quandam viam incederet, iuxta quam stabat arbor

---

[1] Edd. *perfecte*, et paulo inferius *reddit* pro *reddidit*.

[2] Isai. 38, 15: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae. — Inferius pro *Raptus deinde* B *Raptus proinde*.

[3] Isai. 35, 4. et Phil. 4, 4. — Superius pro *Post hoc* A G *Post haec*, inferius pro *faciet nos crescere* A *faciat nos crescere* (respicitur Gen. 48, 15, ubi Iacob filiis Ioseph benedicens ait: Crescant in multitudinem super terram; cfr. ibid. 41, 52: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meae).

[4] Scilicet Philippo Longo, qui prior Silvestro intravit.

[5] Libr. I. Reg. 2, 5: Sterilis peperit plurimos. — Codd. A B C D E F G I omittunt *filios*.

[6] Cfr. Marc. 3, 14. et Luc. 3, 3, ubi de Ioanne dicitur, quod « fuit praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum »; Luc. 24, 47. refertur, quod oportebat « praedicari in nomine eius [Christi] poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes ». — Superius pro *annuntiantes* I *annuntiate*.

[7] Psalm. 54, 23: Iacta super Dominum curam tuam etc.; Hilar., Tract. in Ps. 54. n. 18: Iacta in Dominum cogitationem tuam etc.; Hieron., Div. Bibliotheca, in Romano Psalterio: Iacta in Deum cogitatum tuum etc.

[8] Act. 1, 1: Coepit Iesus facere et docere.

[9] Psalm. 146, 2.

[10] Nempe Ioanne de S. Constantio, Barbaro, Bernardo Vigilantis de Vida et Angelo Tancredi de Reate.

celsitudinis magnae. Ad quam cum [1] appropinquasset et sub ea stans, ipsius altitudinem miraretur; subito tantum divina virtute levabatur in altum, ut cacumen contingeret arboris eiusque summa facillime curvaret ad ima. Huius visionis praesagium vir Deo plenus intelligens referri ad condescensionem apostolicae dignitatis, exhilaratus est spiritu, Fratribusque suis in Domino confortatis, iter cum eis aggressus est.

Petitur confirmatio Regolae.

9. Cum autem ad Romanam curiam pervenisset et [2] introductus esset ante conspectum Summi Pontificis, exposuit suum propositum, petens humiliter et instanter, supradictam sibi vivendi regulam approbari. Videns autem Christi Vicarius, dominus Innocentius tertius, vir utique sapientia clarus, admirandam in viro Dei simplicis animi puritatem, propositi constantiam ignitumque voluntatis sanctae fervorem [3], inclinatus animo est, ut pium supplicanti praeberet assensum. Distulit tamen perficere quod Christi postulabat pauperculus, pro eo quod aliquibus de cardinalibus novum aliquid et supra vires humanas arduum videretur. Aderat autem inter cardinales vir venerandus, dominus Ioannes de sancto Paulo, episcopus Sabinensis, omnis sanctitatis amator et adiutor pauperum Christi. Qui divino Spiritu inflammatus, Summo Pontifici dixit et fratribus suis: « Si petitionem pauperis huius tanquam nimis arduam novamque refellimus, cum petat, confirmari sibi formam evangelicae vitae; cavendum est nobis, ne in Christi Evangelium offendamus. Nam si quis intra evangelicae perfectionis observantiam et votum ipsius dicat contineri aliquid novum aut irrationabile vel impossibile ad servandum [4]; contra Christum, Evangelii auctorem, blasphemare convincitur ». Quibus propositis, successor Apostoli Petri, conversus ad pauperem Christi, dixit: « Ora, fili, ad Christum, ut suam nobis per te voluntatem ostendat, qua certius cognita, tuis piis desideriis securius annuamus ».

Cardinalis Ioannes defendit Regulam.

10. Omnipotentis autem Dei famulus, totum se conferens ad orandum, precibus devotis obtinuit et quod [5] exterius ipse proferret, et quod interius Papa sentiret. Nam cum parabolam de divite rege cum muliere formosa et paupere contrahente gratanter et de prole suscepta praeferente generantis regis imaginem, ac per hoc educanda de mensa ipsius, sicut a Deo acceperat, retulisset; ex illius interpretatione subiunxit: « Non est formidandum, quod fame pereant aeterni Regis filii et heredes, qui ad imaginem Regis Christi per Spiritus sancti virtutem de paupere matre nati, et ipsi per spiritum paupertatis sunt in Religione paupercula generandi. Si enim Rex caelorum imitatoribus suis regnum promittit aeternum [6], quanto magis illa subministrabit, quae communiter largitur bonis et malis ». Hanc ergo parabolam et intellectum ipsius Christi Vicarius cum diligenter audisset, miratus est valde et indubitanter Christum locutum in homine recognovit. Sed et visionem, quam tunc temporis e caelo perceperat, in hoc viro fore complendam, Spiritu divino suggerente, firmavit. Videbat namque in somnis, ut retulit, Lateranensem basilicam fore proximam iam ruinae, quam quidam homo pauperculus, modicus et despectus, proprio dorso submisso, ne caderet, sustentabat. « Vere, inquit, hic ille est, qui opere et doctrina Christi sustentabit Ecclesiam [7] ». Inde praecipua devotione repletus petitioni eius se per omnia inclinavit ac Christi famulum speciali semper amore dilexit. Proinde postulata concessit et adhuc concedere plura promisit. Approbavit Regulam, dedit de poenitentia praedicanda mandatum et laicis Fratribus omnibus, qui servum Dei fuerant comitati, fecit coronas parvulas fieri, ut verbum Dei libere praedicarent [8].

---

[1] Cod. A *dum*.

[2] Refragantibus A B C D E F G, in edd. et nonnullis codd. additur: « adduceretur ante conspectum Summi Pontificis, essetque Christi Vicarius in palatio Lateranensi, in loco, qui dicitur *Speculum*, deambulans, altis occupatus meditationibus, Christi famulum tanquam ignotum repulit indignanter. Quo humiliter foras egresso, sequenti nocte huiusmodi revelatio facta est a Deo ipsi Summo Pontifici. Videbat namque, inter pedes suos palmam paulatim succrescere et in arborem pulcherrimam elevari. Et eo mirante, quid haec visio vellet ostendere, divina lux impressit menti ipsius Christi Vicarii, quod haec palma illum pauperem, quem in praecedenti die repulerat, designabat. Et mane sequenti mandavit per suos famulos per Urbem dictum pauperem quaeri. Quem inventum iuxta Lateranum in hospitali sancti Antonii, ante conspectum suum celeriter iussit adduci. Cumque ». Respectu huius additamenti, quod non est a Bonaventura, sed ab eius in generalatu successore, Hieronymo de Asculo (1274-1279), notentur quae in Chronicis XXIV Generalium Ord. Min. (Analecta Franciscana, tom. III. pag. 365, Quaracchi 1897) leguntur: *Hic* Generalis addidit Legendae beati Francisci per dominum Fratrem Bonaventuram compilatae illam visionem domini Papae Innocentii tertii, quando beatum Franciscum tanquam ignotum repulit indignanter ab illo loco: « Cum igitur esset Christi Vicarius in loco, qui dicitur *Speculum* » etc.; quam sibi dominus Richardus, tituli sancti Angeli diaconus Cardinalis, nepos eiusdem domini Papae, prout ab eodem avunculo suo receperat, devote revelavit. Cfr. Wadding., Annal. Minorum, tom. I. ad annum 1210, n. 8, ubi etiam insinuatur, miraculum illud insigne de caeco, effossis iam oculis, luce donato additum fuisse ad finem Legendae ab eodem Generali Hieronymo. Cfr. praenotata Chronica pag. 358, ubi solum dicitur, Generalem eundem certificasse capitulum de isto miraculo; adiungimus, quod in non paucis codd. et edd. Legendae miraculum illud non invenitur.

[3] Edd. contra A B C D E F G K addunt *Christi pauperem mentis amore complectens.*

[4] Edd. cum paucis codd. *observandum.*

[5] Multi codd. hic et paulo post *quid.*

[6] Matth. 19, 28. seq.

[7] Cfr. Wadding., loc. cit. ad an. 1210, n. 13. seq., ubi etiam similis quinto ab hoc anno visio Innocentio facta respectu S. Dominici refertur.

[8] Anno 1209; cfr. Analecta Franciscana, tom. III. pag. 6, nota 4. et in fine Additamentum 1.

Capitulum IV.

De profectu Ordinis sub manu ipsius et confirmatione Regulae prius approbatae [1].

1. Fretus exinde Franciscus superna gratia et auctoritate papali, cum fiducia multa versus vallem Spoletanam iter arripuit, ut Evangelium Christi *faceret et doceret* [2]. Dum autem in via conferret cum sociis, qualiter Regulam, quam susceperant, sincere servarent, qualiter *in* omni *sanctitate et iustitia coram Deo* incederent, qualiter in se ipsis proficerent et essent aliis in exemplum; diutius collatione protracta, hora pertransiit. Et cum iam lassati essent ex diuturnitate laboris, esurientes in quodam loco solitudinis substiterunt. Sane cum omnis via deesset, qua possent sibi de victu necessario providere, statim affuit providentia Dei. Nam subito apparuit homo afferens panem in manu, quem pauperculis Christi dedit, subitoque disparuit, incognitus, unde venerit vel quo iret. Cognoscentes autem per hoc pauperes Fratres, supernum sibi in comitatu viri Dei adesse praesidium, magis dono liberalitatis divinae quam cibo carnis propriae sunt refecti; insuper divina consolatione repleti, statuerunt firmiter et irrevocabiliter confirmaverunt, nullius inediae aut tribulationis impulsu a sanctae paupertatis resilire promisso [3].

2. Exinde in vallem Spoletanam cum sancto proposito redeuntes, tractare coeperunt, utrum inter homines conversari deberent, an ad loca solitaria se conferre. Sed Christi servus Franciscus, non de sua vel suorum confidens industria, per orationis instantiam divinae super hoc voluntatis beneplacitum requisivit. Supernae igitur revelationis illustratus oraculo, intellexit, se ad hoc missum a Domino, ut Christo lucraretur animas, quas diabolus conabatur auferre. Ideoque magis omnibus quam sibi soli vivere praeelegit, illius provocatus exemplo, qui unus pro omnibus mori dignatus est.

3. Recollegit itaque se vir Dei cum ceteris sociis in quodam tugurio derelicto [4] iuxta civitatem Assisii, in quo secundum sanctae paupertatis formam in labore multo et inopia victitabant, magis lacrymarum quam deliciarum panibus refici satagentes. Vacabant enim ibidem divinis precibus incessanter, mentaliter potius quam vocaliter studio intendentes orationis devotae, pro eo quod nondum ecclesiasticos libros habebant, in quibus possent horas canonicas decantare. Loco tamen illorum librum crucis Christi continuatis aspectibus diebus ac noctibus revolvebant, exemplo Patris et eloquio eruditi, qui iugiter faciebat eis de Christi cruce sermonem. Rogantibus autem Fratribus, ut eos doceret orare, dixit: « *Cum orabitis, dicite: Pater noster* [5], et: Adoramus te, Christe, ad omnes ecclesias tuas, quae sunt in toto mundo, et benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum ». Docuit insuper eos Deum laudare in omnibus et ex omnibus creaturis, honorare praecipua reverentia sacerdotes, fidei quoque veritatem, secundum quod sancta Romana tenet et docet Ecclesia, et firmiter credere et simpliciter confiteri. Servabant [6] illi Patris sancti documenta per omnia et ad omnes ecclesias et cruces, quas e longinquo videre poterant, iuxta datam sibi formam orantes, se humiliter prosternebant.

4. Contrahentibus autem Fratribus moram in loco praefato, vir sanctus die quadam Sabbati civitatem intravit Assisii, praedicaturus mane diei dominicae, ut moris erat, in ecclesia cathedrali. Cumque in quodam tugurio sito in horto canonicorum vir Deo devotus in oratione Dei more solito pernoctaret, corporaliter absentatus a filiis; ecce, fere media noctis hora, quibusdam ex Fratribus quiescentibus, quibusdam perseverantibus in orando, currus igneus mirandi splendoris, per ostium domus intrans, huc atque illuc per domicilium tertio se convertit, supra quem globus lucidus residebat, qui solis habens aspectum, noctem clarere [7] fecit. Obstupefacti sunt vigilantes, excitati simul et exterriti dormientes, et non minus senserunt cordis claritatem quam corporis, dum ex virtute mirandi luminis alterius alteri conscientia nuda fuit. Intellexerunt namque concorditer omnes, videntibus invicem universis in cordibus singulorum, sanctum Patrem absentem corpore, praesentem spiritu, tali transfiguratum effigie, supernis irradiatum fulgoribus et ardoribus inflammatum supernaturali virtute in curru splendente simul et igneo sibi demonstrari a Domino, ut tanquam veri Israelitae post illum incederent, qui virorum spiritualium, ut alter Elias, factus fuerat a Deo

[1] Cfr. Thom. a Celano, Vita I. p. I. c. 14-18; Legenda trium Sociorum, c. 13. seq.

[2] Respicitur Act. 1, 1; cfr. supra pag. 511, nota 8. — Subinde respicitur Luc. 1, 75.

[3] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1210, n. 20. seqq., sed probabilius fuit an. 1209; cfr. Analecta Franciscana, tom. III. pag. 713.

[4] Rivus tortus dicto. — Subinde respicitur Ps. 79, 6: Cibabis nos pane lacrymarum etc.

[5] Luc. 11, 2: Cum oratis, dicite: Pater. Cfr. Matth. 6, 9. — Breviar. Roman. in festo Inventionis S. Crucis (3 Maii) ant. III. Noct.: Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, quia per crucem tuam redemisti mundum.

[6] Cod. B addit *itaque*.

[7] Cod. B *clarescere*.

Apparet Fratribus.

currus et auriga [1]. Credendum sane, quod ille horum simplicium aperuit oculos ad preces Francisci, ut viderent magnalia Dei, qui oculos quondam aperuerat pueri ad videndum montem plenum *equorum et igneorum curruum in circuitu Elisei* [2]. Regressus autem vir sanctus ad Fratres, coepit conscientiarum ipsorum secreta rimari, confortare ipsos de visione illa mirabili et de profectu Ordinis multa futura praedicere. Cumque patefaceret plurima, quae sensum transcendebant humanum, vere cognoverunt Fratres, super servum suum Franciscum Spiritum Domini in tanta plenitudine quievisse [3], quod post ipsius doctrinam et vitam erat eis proficisci tutissimum.

Illuminatio ipsius.

5. Post haec pusilli gregis pastor Franciscus ad sanctam Mariam de Portiuncula duodenarium illum Fratrum numerum [4], superna gratia praeeunte, deduxit, ut, ubi meritis Matris Dei Minorum sumserat Ordo initium, ipsius illic susciperet auxiliis incrementum. Ibi quoque factus evangelicus praeco, civitates circuibat et castra, *non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in virtute Spiritus* [5] annuntians regnum Dei. Videbatur intuentibus homo alterius saeculi, quippe qui mente ac facie in caelum semper intentus, omnes sursum trahere conaretur. Coepit ex hoc Christi vinea germinare germen odoris Domini, et productis ex se floribus *suavitatis, honoris et honestatis*, uberes *fructus* afferre [6].

Moratur ad Mariam de Portiuncula.

6. Nam praedicationis ipsius fervore succensi, quam plurimi [7] secundum formam a Dei viro acceptam novis se poenitentiae legibus vinciebant, quorum vivendi modum idem Christi famulus Ordinem *Fratrum de poenitentia* nominari decrevit. Nimirum, sicut in caelum tendentibus poenitentiae viam omnibus constat esse communem, sic et hic status clericos et laicos, virgines et coniugatos in utroque sexu admittens, quanti sit apud Deum meriti, ex pluribus per aliquos ipsorum patratis miraculis innotescit [8]. — Convertebantur etiam virgines ad perpetuum coelibatum, inter quas virgo Deo [9] carissima Clara, ipsarum plantula prima, tanquam flos vernans et candidus odorem dedit et tanquam stella praefulgida radiavit. Haec nunc glorificata in caelis ab Ecclesia digne veneratur in terris, quae filia fuit in Christo sancti Patris Francisci pauperculi et mater Pauperum Dominarum.

Ordo de poenitentia.

Item, S. Clarae.

7. Multi etiam non solum devotione compuncti, sed et perfectionis Christi desiderio inflammati, omni mundanorum vanitate contempta, Francisci vestigia sequebantur, qui quotidianis succrescentes profectibus, usque ad fines orbis terrae celeriter pervenerunt. Faciebat namque sancta paupertas, quam solam deferebant pro sumtibus, ipsos ad omnem obedientiam promptos, robustos ad labores et ad itinera expeditos. Et quia nihil terrenum habebant, nihil amabant nihilque timebant amittere; securi erant ubique, nullo pavore suspensi, nulla cura distracti, tanquam qui absque mentis turbatione vivebant et sine sollicitudine diem crastinum [10] et serotinum hospitium exspectabant. Multa quidem eis in diversis partibus orbis inferebantur convicia tanquam personis despicabilibus et ignotis, verum amor Evangelii Christi adeo ipsos patientes effecerat, ut quaererent potius ibi esse, ubi persecutionem paterentur in corpore, quam ubi, cognita sanctitate ipsorum, mundano possent gloriari favore. Ipsa quoque rerum penuria superabundans eis videbatur ubertas, dum iuxta consilium Sapientis [11] *pro magno ipsis minimum complacebat.* — Sane cum ad infidelium partes aliqui ex Fratribus pervenissent, contigit, ut quidam Saracenus, pietate commotus, pecuniam eis offerret pro necessario victu. Illis autem recusantibus accipere, admiratus est homo, cernens, quod inopes essent. Intellecto tandem, quod amore Dei pauperes effecti, pecuniam possidere nolebant, tanta est eis affectione coniunctus, ut offerret se ad ministrandum necessaria omnia, quamdiu facultatum sibi aliquid superesset. O inaestimabilis pretiositas paupertatis, cuius miranda virtute mens feritatis barbaricae in tantam miserationis est immutata dulcedinem! Horrendum proinde ac nefarium scelus, ut hanc margaritam nobilem vir christianus conculcet [12], quam tanta veneratione extulit Saracenus.

Crevit ... rus Fr...

Effic... paupe...

Fratre... nunt... cia.

Factu... tab...

8. Eo tempore Religiosus quidam de Ordine Cruciferorum, Moricus nomine, in hospitali quodam prope Assisium languore tam gravi tamque prolixo laborans, ut iam morti foret adiudicatus a medicis, viro Dei supplex factus, per nuntium postulabat instanter, ut pro se ad Dominum intercedere dignaretur. Cui beatus Pater benigne assentiens, oratione praemissa, panis micas accepit et cum oleo accepto

De F... ri...

---

[1] Libr. IV. Reg. 2, 12. — Superius pro *supernaturali* (ita A G I K M et Acta SS.) ed. 1 et Val. *supernali.*

[2] Libr. IV. Reg. 6, 17. Eccli. 17, 11: Et magnalia honoris eius vidit oculus illorum.

[3] Isai. 11, 2: Et requiescet super eum Spiritus Domini.

[4] Multi codd. omittunt *numerum.*

[5] Epist. I. Cor. 2, 13, ubi pro *in virtute* Vulgata *in doctrina;* cfr. ibid. v. 5: Ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Matth. 9, 35: Et circuibat Iesus omnes civitates et castella, docens etc. Idem dicitur Luc. 9, 6. de Apostolis.

[6] Eccli. 24, 23: Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et honestatis.

[7] Edd., refragantibus A B C D E F G, addunt *utriusque sexus in coniugali pudicitia Domino famulantes.*

[8] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1221, n. 13. seqq.; ibid. ad an. 1212, n. 10. seqq. de S. Clara. [9] Codd. B C *Dei.*

[10] Matth. 6, 34: Nolite ergo solliciti esse in crastinum.

[11] Eccli. 29, 30: Minimum pro magno placeat tibi, et improperium peregrinationis non audies.

[12] Matth. 7, 6: Neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis etc. — Superius pro *O inaestimabilis* B *O ineffabilis.*

de lampade, quae coram Virginis ardebat altari, commiscens, quasi quoddam electuarium per manus Fratrum infirmanti transmisit, dicens: « Medicinam hanc fratri nostro deferte Morico, qua ipsum Christi virtus non solum plenae sanitati restituet, verum etiam robustum bellatorem effectum, aciei nostrae perseveranter adiunget ». Statim autem, ut antidotum illud sancti Spiritus adinventione confectum aeger homo gustavit, sanus exsurgens, tantum mentis et corporis a Deo vigorem obtinuit, ut paulo post viri sancti Religionem ingressus, et unica tantum operiretur tunicula, sub qua longo tempore loricam portabat ad carnem, et crudis dumtaxat cibariis, herbis videlicet, leguminibus fructibusque contentus, per plura temporum lustra nec panem gustaret nec vinum, fortis tamen et incolumis perseverans [1].

...Pa- ...uver-

9. Crescentibus quoque virtutum meritis in parvulis Christi, odor opinionis bonae circumquaque diffusus ad praesentiam sancti Patris videndam plurimos e diversis mundi partibus attrahebat. Inter quos quidam saecularium cantionum curiosus inventor, qui ab imperatore [2] propter hoc fuerat coronatus et inde « rex versuum » dictus, virum Dei contemptorem mundialium adire proposuit. Cumque apud castrum sancti Severini [3] eum praedicantem reperisset in Monasterio quodam, facta manu Domini super se, vidit eundem crucis Christi praedicatorem Franciscum duobus transversis ensibus valde fulgentibus in modum crucis signatum, quorum unus a capite ad pedes, alius a manu in manum per pectus transversaliter tendebatur. Non noverat facie servum Christi, sed tanto monstratum miraculo mox agnovit. Subito stupefactus ad visum, incipit [4] meliora proponere, tandemque verborum ipsius compunctus virtute, tanquam si esset gladio spiritus ex eius ore procedente transfixus, saecularibus pompis omnino contemptis, beato Patri professione cohaesit. Propter quod videns ipsum vir sanctus ab inquietudine saeculi ad Christi pacem perfecte conversum, fratrem Pacificum appellavit. Hic postmodum in omni sanctitate proficiens, antequam fieret Minister in Francia — siquidem primus ibidem ministerii gessit officium — meruit iterato magnum thau in fronte Francisci videre, quod colorum varietate distinctum, faciem ipsius miro venustabat ornatu. — Hoc quippe signum

...signo ...cis.

vir sanctus magno venerabatur affectu, frequenti commendabat eloquio et in eis quas dirigebat litteris manu propria subscribebat, tanquam si omne ipsius studium foret *signare thau* iuxta dictum propheticum [5] *super frontes virorum gementium et dolentium,* ad Christum Iesum veraciter conversorum.

Primum Capitulum generale.

10. Processu quoque temporis multiplicatis iam Fratribus, coepit eos pastor sollicitus in loco sanctae Mariae de Portiuncula ad generale Capitulum convocare, ut in *funiculo distributionis divinae* [6] *in terra paupertatis* eorum unicuique tribueret obedientiae portionem; ubi, licet omnium necessariorum esset penuria, Fratrumque multitudo ultra quinque millia conveniret aliquando, divina tamen opitulante clementia, et victus sufficientia suberat, et salus comitabatur corporea, et spiritualis iucunditas affluebat.

Quinque millia Fratrum.

Capitulis vero provincialibus, quia corporalem praesentiam exhibere non poterat, per sollicitam curam regiminis, instantiam precis et efficaciam benedictionis spiritu praesens erat, quamvis aliquando, mira Dei faciente virtute, visibiliter appareret. — Dum enim egregius praedicator, qui et nunc Christi praeclarus confessor, Antonius de titulo crucis: *Iesus Nazarenus, rex Iudaeorum* [7], in Arelatensi Capitulo Fratribus praedicaret, quidam Frater probatae virtutis, Monaldus nomine, ad ostium Capituli divina commonitione respiciens, vidit corporeis oculis beatum Franciscum in aëre sublevatum, extensis velut in cruce manibus, benedicentem Fratres. Tanta vero et tam insolita Fratres omnes consolatione spiritus repletos se fuisse senserunt, ut de vera sancti Patris praesentia certum eis intra se Spiritus testimonium perhiberet, licet postmodum id non solum per evidentia signa, verum etiam per eiusdem sancti Patris verba exteriori fuerit attestatione compertum. Credendum sane, quod omnipotens Dei virtus, quae Ambrosium, sacrum antistitem, tumulationi gloriosi concessit interesse Martini, ut pium pontificem pio veneraretur officio [8], etiam servum suum Franciscum praedicationi praesentavit veracis sui praeconis Antonii, ut approbaret veritatis eloquia, praecipue crucis Christi, cuius erat et baiulus et minister.

In Arelatensi Capitulo praedicat S. Antonius.

Praesentia Francisci.

11. Cum autem, dilatato iam Ordine, vivendi formam per dominum Innocentium approbatam [9] disponeret per successorem ipsius Honorium in perpetuum

Revelatio circa Regulam.

[1] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1209, n. 18.

[2] Scilicet Friderico II. Iste « rex versuum » erat poeta et vocabatur Gulielmus Divini. Cfr. Analecta Franciscana, tom. III. pag. 7 seq.; Wadding., loc. cit., ad an. 1212, n. 37. seq.

[3] In Marchia Anconitana. — Inferius respicitur Ezech. 1, 3: Et facta est super eum ibi manus Domini.

[4] Cod. B *incepit.*

[5] Ezech. 9, 4: Transi per mediam civitatem in medio Ierusalem et signa thau [T] super frontes virorum gementium et dolentium super cunctis abominationibus, quae fiunt in medio eius; cfr. ibid. v. 6.

[6] Psalm. 77, 54: Et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis (cfr. Iosue 13, 7. et 17, 5. 14.). Dictio *in terra paupertatis* occurrit Gen. 41, 52: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meae. Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1212, n. 45; ad an. 1216, n. 1. et ad an. 1219, n. 1. seqq.

[7] Ioan. 19, 19. — Capitulum Arelatense (Arles in Gallia) erat an. 1224; cfr. Analecta Franciscana, tom. III. pag. 23 seq. et Wadding., loc. cit., ad an. 1224, n. 42.

[8] Vide Gregor. Turon. (Migne, Patrol. Lat. tom. 71.), I. de Miraculis S. Martini, c. 5. — Superius pro *omnipotens* (ita A B C D G I M) Vat. et ed. 1 *omnipotentis,* quae etiam post *Ambrosium* addunt *pium.*

[9] Cfr. supra c. 3. n. 10. et Wadding., loc. cit., ad an. 1223, n. 9.

facere roborari, huiusmodi fuit a Deo revelatione commonitus. Videbatur quidem sibi de terra micas panum subtilissimas collegisse multisque famelicis Fratribus ipsum circumstantibus debere tribuere. Cumque micas tam tenues distribuere formidaret, ne forte inter manus exciderent; vox ei desuper ait: « Francisce, unam de micis omnibus hostiam facito et manducare volentibus tribue ». Quo id agente, quicumque illud non devote recipiebant, aut receptum contemnebant donum, mox lepra infecti, notabiles apparebant. Recitat mane vir sanctus haec omnia sociis, dolens, se non percipere mysterium visionis. Sequenti vero die, cum vigil in oratione persisteret, huiuscemodi vocem de caelo delapsam audivit: « Francisce, micae praeteritae noctis verba evangelica sunt, hostia Regula, lepra iniquitas ». — Volens igitur confirmandam Regulam ex verborum Evangelii aggregatione profusius traditam ad compendiosiorem formam, iuxta quod dictabat visio monstrata, redigere, in montem quendam[1] cum duobus sociis, Spiritu sancto ducente, conscendit, ubi pane tantum contentus et aqua, ieiunans conscribi eam fecit, secundum quod oranti sibi divinus Spiritus suggerebat. Quam cum, de monte descendens, servandam suo Vicario[2] commisisset, et ille, paucis elapsis diebus, assereret per incuriam perditam; iterato sanctus vir ad locum solitudinis rediit eamque instar prioris, ac si ex ore Dei verba susciperet, illico reparavit et per supradictum dominum Papam Honorium octavo pontificatus illius anno[3], sicut optaverat, obtinuit confirmari. Ad cuius observantiam Fratres ferventer inducens, dicebat, se nihil ibi posuisse secundum industriam propriam, sed omnia sic scribi fecisse, sicut sibi fuerant divinitus revelata. Quod ut certius constaret testimonio Dei, paucis admodum evolutis diebus, impressa sunt ei stigmata Domini Iesu digito Dei vivi tanquam bulla summi Pontificis Christi ad confirmationem omnimodam Regulae et commendationem auctoris, sicut post suarum enarrationem virtutum suo loco[4] inferius describetur.

Scribit bis Regulam. Eius n confirmatio

Capitulum V.

De austeritate vitae, et quomodo creaturae praebebant ei solatium[5].

Eius abstinentia in cibo.

1. Cum igitur cerneret vir Dei Franciscus, suo exemplo ad crucem Christi baiulandam ferventi spiritu plurimos animari; animabatur et ipse tanquam bonus dux exercitus Christi ad palmam victoriae per culmen invictae pervenire virtutis. Attendens enim illud Apostoli verbum[6]: *Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis;* ut crucis armaturam suo ferret in corpore, tanta disciplinae rigiditate sensuales appetitus arcebat, ut vix necessaria sumeret sustentationi naturae. Difficile namque fore dicebat necessitati corporis satisfacere, et pronitati sensuum non parere. Propter quod cocta cibaria sanitatis tempore vix admittebat et raro, admissa vero aut conficiebat cinere, aut condimenti saporem admixtione aquae ut plurimum reddebat insipidum. De potu vini[7] quid dicam, cum et de aqua, dum sitis aestuaret ardore, vix ad sufficientiam biberet? Modos adinveniebat abstinentiae potioris et quotidie exercitatione crescebat; licetque iam perfectionis culmen attingeret, tanquam semper incipiens, aliquid innovabat, afflictionibus carnis puniendo libidinem. — Egrediens autem exterius propter verbum Evangelii[8], conformabat se suscipientibus ipsum in qualitate ciborum, cum tamen, ad interiora regressus, districte servaret rigidam abstinentiae parcitatem. Sicque se ipsum austerum sibi, humanum proximo, subiectum Evangelio Christi per omnia reddens, non solum abstinendo, verum etiam manducando praebebat aedificationis exemplum. Nuda humus ut frequentius lectus erat lassato corpusculo, et saepius sedens, ligno vel lapide ad caput posito, dormiebat, unica paupere contectus tunicula, *in nuditate* Domino serviebat *et frigore*[9].

Notai m Le ipe De v t ips

2. Interrogatus aliquando, quomodo vestitu tam tenui se posset ab hiemalis algoris asperitate tueri, in spiritus fervore respondit: « Si supernae patriae flamma per desiderium contingeremur interius, frigus istud exterius facile portaremus ». Vestis horrebat mollitiem, asperitatem amabat, asserens, propter hoc Ioannem Baptistam ore divino fuisse laudatum[10]. Si quando vero in data sibi tunica lenitatem sentiret, chordulis eam contexebat interius, quia non in

---

[1] Raynerii sive Fontis Columbae prope urbem Reatinam (Rieti). Duo socii erant Fr. Leo et Fr. Bonitius. Cfr. Analecta Franciscana, tom. III. pag. 29, et Wadding., loc. cit., ad an. 1223, n. 9. seq. [2] Fr. Eliae.

[3] Scilicet an. 1223, 29. Nov. — Superius pro *instar* B C D E F *ad instar*, qui etiam pro *reparavit* substituunt *recuperavit*.

[4] Cap. 13. Impressio stigmatum facta fuit an. 1224 circa festum Exaltationis S. Crucis (14. Sept.). — Superius respicitur Exod. 31, 18. et Deut. 9, 10, ubi tabulae testimonii (decem praeceptorum) dicuntur scriptae *digito Dei*.

[5] Cfr. Thom. a Celano, Vita I. p. I. c. 19. et 21; Vita II. p. I. c. 15. et p. III. c. 55. 56. 59. 66. 95-98. 102.

[6] Gal. 5, 24. Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1210, n. 53.

[7] Fide multorum codd. addidimus *vini.* Subinde post *aqua* edd. contra A G I M subnectunt *frigida*.

[8] Luc. 10, 7: In eadem autem domo manete, edentes et bibentes quae apud illos sunt.

[9] Epist. II. Cor. 11, 27: In frigore et nuditate.

[10] Matth. 11, 8; Luc. 7, 25. — Superius Vat. et ed. 1 *contegeremur* pro *contingeremur*.

casulis pauperum, sed in *palatiis principum*, iuxta Veritatis verbum [1] vestimentorum dicebat requirendam esse mollitiem. Experientia enim certa didicerat, daemones asperitate terreri, deliciosis autem et mollibus ad tentandum fortius animari. — Unde cum nocte quadam propter infirmitatem capitis et oculorum praeter solitum morem cervical de pluma positum haberet ad caput, daemon in illud ingressus, ipsum usque ad horam matutinalem inquietatum multimode a sanctae orationis studio perturbavit, donec, vocato socio, pulvinar cum daemonio fecit extra cellulam longius exportari. Egressus autem cum pulvinari Frater de cella, membrorum omnium vires amisit et usum; quousque ad vocem sancti Patris hoc cognoscentis in spiritu vigor pristinus cordis et corporis sibi fuit plenarie restitutus.

3. Rigidus in disciplina super *custodiam suam stabat* [2], curam permaximam gerens de utriusque hominis puritate servanda; quapropter circa conversionis suae primordia tempore hiemali in foveam glacie plenam se ipsum plerumque mergebat, ut et domesticum sibi hostem perfecte subigeret et candidum vestimentum pudoris a voluptatis incendio praeservaret. Tolerabilius viro spirituali fore incomparabiliter asserebat magnum sustinere frigus in carne, quam ardorem carnalis libidinis vel modicum sentire in mente.

4. Cum autem apud eremum de Sarthiano [3] nocte quadam orationi vacaret in cellula, vocavit eum hostis antiquus, tertio dicens: « Francisce, Francisce, Francisce ». Cui cum, quid quaereret, respondisset; fallaciter ille subiunxit: « Nullus est in mundo peccator, cui, si conversus fuerit, non indulgeat Deus. Sed quicumque semetipsum poenitentia dura necaverit misericordiam non inveniet in aeternum ». Statim vir Dei per revelationem cognovit hostis fallaciam, quomodo nisus fuerit eum ad tepida revocare. Nam hoc sequens indicavit eventus. Continuo enim post hoc ad insufflationem illius, *cuius halitus prunas ardere facit* [4], gravis ipsum carnis tentatio apprehendit. Quam ut praesensit castitatis amator, deposita veste, chorda coepit se verberare fortissime: « Eia, inquiens, frater asine, sic te decet manere, sic subire flagellum. Tunica Religioni deservit, sanctitatis signaculum praefert, furari eam libidinoso non licet; si quo vis pergere, perge ». Insuper et mirando fervore spiritus animatus, aperta cella, foras exivit in hortum, et in magnam demergens nivem corpusculum iam nudatum, septem ex ea plenis manibus coepit compingere massas, quas sibi proponens, suo sic exteriori homini loquebatur: « Ecce, inquit, haec maior uxor tua est, quatuor istae duo filii et duae filiae, reliquae duae servus et ancilla, quos ad serviendum habere oportet. Festina igitur omnes induere, quoniam frigore moriuntur. Si vero eorum multiplex sollicitudo molestat, uni Domino sollicite servi ». Illico tentator victus abscessit, et vir sanctus in cellam cum victoria rediit, quia, dum bene poenaliter alsit [5] foris, ardorem interius sic exstinxit libidinis, ut deinceps tale aliquid minime sentiret. (Notandum.) Quidam autem Frater, qui tunc orationi vacabat, haec omnia, luna clarius incedente, prospexit. Comperto vir Dei, quod haec ille nocte vidisset, reserans ei tentationis processum, praecepit, ut, quamdiu ipse viveret, nulli viventi rem, quam viderat, propalaret.

Custodia sensuum.

5. Non solum autem mortificari debere docebat vitia carnis et eius incentiva frenari, verum etiam exteriores sensus, per quos *mors intrat* ad animam [6], summa vigilantia custodiri. Mulierum familiaritates, colloquia et aspectus, quae multis occasio sunt ruinae, sollicitius evitari iubebat, asserens, per huiusmodi debilem frangi et fortem saepe spiritum infirmari. (Notandum.) Harum contagionem evadere conversantem cum eis, nisi probatissimum virum, tam facile dixit, quam iuxta Scripturam [7] *in igne ambulare et non comburere plantas*. Siquidem ipse adeo averterat oculos suos, ne huiusmodi vanitatem viderent, quod, sicut aliquando socio dixit, quasi nullam recognoscebat in facie. Non enim securum esse putabat, earum formarum introrsus haurire imagines, quae possunt aut edomitae carnis resuscitare igniculum, aut pudicae mentis maculare nitorem. Asserebat etiam, frivolum esse mulieris colloquium, excepta sola confessione vel instructione brevissima, iuxta quod et saluti expedit et congruit honestati. « Quae sunt, inquit, Religioso cum muliere tractanda negotia, nisi cum sanctam poenitentiam vel melioris vitae consilium religiosa petitione deposcit? Ex nimia securitate minus cavetur hostis, et diabolus, si de suo capillum potest habere in homine, cito excrescere facit in trabem ».

Fuga otii.

6. Otium autem omnium malarum cogitationum sentinam docebat summopere fugiendum, exemplo demonstrans, rebellem carnem et pigram disciplinis continuis et fructuosis laboribus esse domandam.

---

[1] Locis in praecedente nota allegatis: Ecce, qui in mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.

[2] Isai. 21, 8: Super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus. Hab. 2, 1: Super custodiam meam stabo. Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1210, n. 52. — Inferius pro *subigeret* (ita A B C D E F G I M et Acta SS.) Vat. et ed. 1 *subiiceret*.

[3] Civitati Clusii (Chiusi) in Tuscia vicino. Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1212, n. 1. seqq. Plures codd. *Sarchiano*.

[4] Iob 41, 12.

[5] Ita A; Vat. et ed. 1 *alxit;* Acta SS. *arsit*.

[6] Ier. 9, 21: Quia ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras etc. Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1210, n. 52.

[7] Prov. 6, 27. seqq.: Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? Aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantae eius? — Subinde respicitur Ps. 118, 37: Averte oculos meos, ne videant vanitatem.

Verba ipsius. Unde corpus suum [1] fratrem asinum appellabat, tanquam laboriosis supponendum oneribus, crebris caedendum flagellis et vili pabulo sustentandum. Si quem vero cernebat otiosum et vagum aliorum velle manducare labores, fratrem muscam nominandum censebat, eo quod talis nihil boni faciens, sed benefacta inficiens, vilem et abominabilem se omnibus reddat. Propter quod dixit aliquando: « Volo, Fratres meos laborare et exercitari, ne otio dediti, per illicita corde aut lingua vagentur [2] ». — De silentio. Evangelicum siquidem volebat a Fratribus observari silentium, ut videlicet ab omni otioso verbo omni tempore abstinerent sollicite, tanquam reddituri *in die iudicii de huiusmodi rationem* [3]. Sed et si quem invenisset Fratrem verbis assuetum inanibus, acriter arguebat; taciturnitatem modestam et puri cordis affirmans custodiam et non modicam esse virtutem, pro eo quod *mors et vita* fore dicuntur [4] *in manibus linguae,* non tam ratione gustus quam ratione loquelae.

7. Licet autem pro viribus ad vitam austeram Fratres induceret, non tamen ei placebat districtionis severitas, quae pietatis non induit viscera [5] nec est discretionis sale condita. (Discretio ipsius. Exemplum.) Cum enim quadam nocte unus ex Fratribus prae nimietate abstinentiae admodum fame cruciatus, nullam posset habere quietem, intelligeretque pius pastor, ovi suae imminere periculum, vocavit Fratrem, apposuit panem, et ut ruborem illi tolleret, coepit ipse prior comedere eumque ad manducandum dulciter invitare. Deposuit Frater verecundiam, sumsit cibum, gavisus quam plurimum, quod per circumspectam condescensionem pastoris et corporis evasisset dispendium et non modicum accepisset aedificationis exemplum. (Notandum.) Mane facto, Fratribus convocatis in unum, vir Dei referens quod acciderat nocte, provida commonitione subiunxit: « Sit vobis, Fratres, non cibus, sed caritas in exemplum ». Docuit insuper eos discretionem sequi ut aurigam virtutum [6], non eam, quam caro suadet, sed quam edocuit Christus, cuius sacratissimam vitam expressum constat esse perfectionis exemplar.

8. Et quoniam Agnum sine macula crucifixum non est possibile homini carnis infirmitate circumdato sic perfecte sectari, quin [7] aliquas contrahat sordes; (Contriti[o] lacrym[...]) ideo documento certo firmabat, eos qui perfectioni vitae invigilant, quotidianis debere se lacrymarum emundare fluentis. Licet enim adeptus iam esset cordis et corporis puritatem mirabilem, non cessabat tamen lacrymarum imbribus iugiter oculos expiare mentales, corporeorum luminum non ponderando iacturam. Cum enim ex continuo fletu infirmitatem oculorum incurrisset gravissimam, suadente sibi medico, quod abstineret a lacrymis, si corporei visus caecitatem vellet effugere; vir sanctus respondit: (Dictum [...]tabil[e]) « Non est, frater medice, ob amorem luminis, quod habemus commune cum muscis, visitatio lucis aeternae repellenda vel modicum, quia non spiritus propter carnem, sed caro propter spiritum beneficium lucis accepit ». Malebat siquidem corporalis visus lumen amittere quam lacrymas, quibus oculus mundatur interior, ut Deum videre valeat, repressa devotione spiritus impedire [8].

9. (Patien[tia in] ustio[ne]) Cum autem semel daretur consilium a medicis, et instanter suaderetur a Fratribus, ut pateretur sibi per remedium subveniri cocturae [9], humiliter vir Dei assensit, quia salutiferum hoc simul et asperum esse cernebat. Vocatus itaque venit chirurgicus, instrumentum ferreum igni submittens ad faciendum cocturam. At Christi servus corpus iam horrore concussum confortans, sicut amicum coepit ignem alloqui, dicens: « Mi frater ignis, prae [10] ceteris rebus aemulandi decoris virtuosum, pulcrum et utilem te creavit Altissimus. Esto mihi in hac hora propitius, esto curialis. Precor magnum Dominum, qui te creavit, ut tuum mihi calorem temperet, quo suaviter urentem valeam sustinere ». Oratione finita, contra igne candescens ferreum instrumentum signum crucis edidit, ac deinceps intrepidus persistebat. Profundatum est crepitans ferrum in tenera carne, et ab aure usque ad supercilium coctura protracta. (Mirabi[le] [fa]ctu) Quantum irrogaverit ignis ille dolorem, vir ipse sanctus expressit: « Laudate, inquit ad Fratres, Altissimum, quia vere dico vobis, nec ignis ardorem sensi nec carnis ullum dolorem ». Et conversus ad medicum: « Si non est, inquit, caro bene decocta, imprime iterum ». Expertus medicus in invalida carne virtutem spiritus tam potentem miratus est, et divinum

---

[1] Cod. A omittit *suum.*

[2] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1210, n. 49.

[3] Matth. 12, 36.

[4] Prov. 18, 21: Mors et vita in manu linguae; qui diligunt eam comedent fructus eius.

[5] Col. 3, 12: Induite ergo vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem etc.

[6] Bernard., Serm. 49. in Cant. n. 5: Discretio quippe omni virtuti ordinem ponit; ordo modum tribuit et decorem etiam et perpetuitatem... Est ergo discretio non tam virtus quam quaedam moderatrix et auriga virtutum ordinatrixque affectuum et morum doctrix. Tolle hanc, et virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur exterminiumque naturae. Cfr. ibid. Serm. 23. n. 8; Serm. 3. in Circumcisione Domini, n. 11. et II. de Considerat. c. 11. n. 20. Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1210, n. 47. seq.

[7] Edd., refragantibus A B C D E F I M et Actis SS., addunt *aliquando,* et inferius pro *invigilant* (ita A B C D E I M et Acta SS.) G *vigilant,* edd. *vigilanter intendunt,* quae etiam seq. propositionem sic incipiunt: *Licet enim tam esset adeptus cordis* etc.

[8] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1225, n. 5.

[9] Du Cange, Glossarium etc.: *Cocteria,* ustio, quae fit calido ferro... Vox male compacta ex *cauteria,* vel *coctaria,* aut *coctura;* nam eiusmodi inustiones *carnem coquere* dicebantur.

[10] Codd. A B C D E F I M omittunt *prae.*

hoc miraculum extulit dicens: « Dico vobis, Fratres, vidi *mirabilia hodie*[1] ». Quia enim ad tantam pervenerat puritatem, ut caro spiritui et spiritus Deo harmonia mirabili concordarent, divina ordinatione fiebat, ut *creatura Factori suo deserviens* voluntati et imperio eius mirabiliter subiaceret[2].

...l mira- ...lom.

10. Alio enim tempore, apud eremum sancti Urbani[3] servo Dei aegritudine gravissima laborante, cum ipse naturae defectum sentiens, vini poculum postulasset, nihilque de vino, quod sibi dari posset, responderetur adesse; iussit, aquam afferri et allatam signo crucis edito benedixit. Mox vinum efficitur optimum quod fuerat aqua pura, et quod deserti loci paupertas non potuit viri sancti puritas impetravit. Ad eius gustum tanta protinus facilitate convaluit, ut saporis novitas et innovatio sanitatis, gustabile ac gustantem supernaturaliter innovantes, perfectam in ipso exspoliationem veteris hominis et induitionem novi[4] duplici attestatione firmarent.

Angeli ...equio ...olatio.

11. Non solum creatura servo Dei serviebat ad nutum, sed et Creatoris ubique providentia condescendebat ad placitum. Cum enim tempore quodam[5], ex multarum infirmitatum concursu aggravato corpore, ad iucunditatem spiritus excitandam alicuius audiendi soni harmonici desiderium habuisset, nec id honestatis decentia per ministerium fieri pateretur humanum; affuit Angelorum obsequium ad viri sancti placitum adimplendum. Nocte etenim quadam vigilante ipso et meditante de Domino, repente insonuit cithara quaedam harmoniae mirabilis et suavissimae melodiae. Non videbatur aliquis, sed transitum et reditum citharoedi ipsa hinc inde auditus volubilitas innuebat. Spiritu in Deum directo, tanta fuit in illo dulcisono carmine suavitate perfruitus, ut aliud se putaret saeculum commutasse. Hoc et Fratres sibi familiares non latuit, qui per certa frequenter conspiciebant indicia, eum tam excessivis et crebris consolationibus a Domino visitari, ut nec ipsas omnino occultare valeret.

Tenebrarum illuminatio.

12. Alio quoque tempore[6] viro Dei praedicationis causa inter Lombardiam et Marchiam Tarvisinam iter agente cum Fratre socio iuxta Padum, tenebrosa noctis supervenit obscuritas. Cumque via esset exposita periculis magnis et multis propter tenebras, fluvium et paludes, dixit socius ad virum sanctum: « Ora, Pater, ut de instantibus periculis liberemur ». Cui vir Dei cum fiducia multa respondit: « *Potens est Deus*[7], si placet suae dulcedini, tenebrarum effugata caligine, beneficium nobis impendere lucis ». Vix sermonem compleverat, et ecce, tanta lux illico coepit circa eos superna radiare virtute, ut nocte aliis existente obscura, ipsi luce clara viderent non solum viam, verum etiam plurima circumquaque. Cuius lucis ducatu corporaliter directi et spiritualiter confortati, usque ad locum hospitii per non modicum viae spatium, cum divinis hymnis et laudibus incolumes pervenerunt. — Perpende, quam mirandae[8] fuerit vir iste munditiae quantaeque virtutis, ad cuius nutum suum ignis ardorem contemperat, aqua saporem commutat, angelica praebet melodia solatium, et lux divina ducatum, ut sic sanctificatis viri sancti sensibus omnis probetur mundi machina deservire.

Epilogus.

Capitulum VI.

De humilitate et obedientia et de condescensionibus divinis sibi factis ad nutum[9].

1. Omnium virtutum custos et decor humilitas[10] copiosa virum Dei ubertate repleverat. In propria quidem reputatione nihil erat nisi peccator, cum in veritate speculum esset et splendor omnimodae sanctitatis. Super hanc studuit aedificare se ipsum, ut *sapiens architectus fundamentum praeiaciens*[11], quod a Christo didicerat. Dicebat, propter hoc Filium Dei de altitudine sinus paterni ad nostra despicabilia descendisse, ut tam exemplo quam verbo Dominus et Magister humilitatem doceret. Propter quod studebat tanquam Christi discipulus in oculis suis et aliorum vilescere, a summo dictum esse Magistro

[1] Luc. 5, 26, sanatione paralytico peracta, omnes dicebant: Quia vidimus mirabilia hodie. — Inferius pro *pervenerat* (ita A G I M) edd. *devenerat,* quae etiam substituunt *Creatori* pro *Factori.* Locus Scripturae est Sap. 16, 24.

[2] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1225, n. 3, ex quo patet, hoc factum esse in eremo Fontis Columbae, de quo supra pag. 516, nota 1.

[3] In comitatu Narniensi; cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1213, n. 14.

[4] Col. 3, 9: Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum etc.

[5] Anno 1225, in civitate Reatina (Rieti) in domo civis Thedaldi Saraceni, ut vult Wadding., loc. cit., ad an. 1225, n. 2. — Inferius pro *harmonici* (ita A G K M) edd. *harmoniaci.*

[6] Anno 1213, ut refert Wadding., loc. cit, ad an. 1213, n. 57. — Pro *Tarvisinam* A M et Acta SS. *Tervisinam*, B D E *Trevisanam*, F *Trivisanam*, edd. *Tervisanam.*

[7] Luc. 3, 8. — Infra pro *aliis* multi codd. *alias.*

[8] Edd., refragantibus A B C D E F G I M *Perpende, quantae.*

[9] Cfr. Thom. a Celano, Vita II. p. III. c. 50. 62. 73. 74. 79. 81. 83. 85. 88. 89. 91.

[10] Bernard., Serm. 1. in Nativ. Domini, n. 1: Studete humilitati, quae fundamentum est custosque virtutum.

[11] Epist. I. Cor. 3, 10. Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1210, n. 57.

commemorans [1]: *Quod altum est apud homines* Dictum notabile. *abominatio est apud Deum.* Sed et verbum hoc dicere solitus erat: « Quantum homo est in oculis Dei, tantum est et non plus ». Stultum proinde iudicans mundanis extolli favoribus, gaudebat de opprobriis et de laudibus tristabatur. Malebat quidem de se vituperium audire quam laudem, sciens, quod hoc ad se [2] emendandum induceret, illa vero impelleret ad Item, factum. cadendum. Et ideo saepe cum populi merita in eo sanctitatis extollerent, praecipiebat alicui Fratri, ut in contrarium verba ipsum vilificantia suis auribus inculcando proferret. Cumque Frater ille, licet invitus, eum rusticum et mercenarium imperitum et inutilem diceret; exhilaratus tam mente quam facie respondebat: « Benedicat tibi Dominus, fili carissime, quia tu verissima loqueris, et talia filium Petri Bernardonis decet audire ».

2. Ut autem se ceteris despicabilem redderet, non Aliud factum stupendum. parcebat rubori, quin in praedicatione coram omni populo proprios manifestaret defectus. Accidit semel [3], ut infirmitate gravatus, rigorem abstinentiae pro recuperanda sanitate modicum relaxasset. Viribus autem corporis utcumque resumtis, verus sui contemptor ad propriae carnis animatus opprobrium: « Non est, inquit, conveniens, ut populus abstinentem me credat, et ego e contrario carnaliter reficiar in occulto ». Surrexit propterea sanctae humilitatis spiritu inflammatus, et in platea civitatis Assisii populo convocato, solemniter cum Fratribus multis, quos secum adduxerat, maiorem introivit ecclesiam, funeque ad collum ligato, nudum cum femoralibus solis in oculis omnium se trahi praecepit usque ad lapidem, in quo malefactores puniendi consueverant collocari. Super quem conscendens, licet quartanarius [4] esset et debilis, acerbi frigoris tempore cum multo vigore animi praedicavit, audientibusque cunctis, asseruit, se non tanquam spiritualem honorandum fore, quin immo tanquam carnalem et glutonem ab omnibus contemnendum. Igitur qui convenerant, tam ingenti viso spectaculo, admirati sunt, et quia ipsius austeritatem iam noverant, devoto corde compuncti, humilitatem huiusmodi magis admirabilem Notandum. quam imitabilem proclamabant. Licet autem id magis videatur portentum fuisse instar prophetalis vaticinii [5] quam exemplum, tamen vere documentum exstitit humilitatis perfectae, quo Christi sectator instruitur transitoriae laudis praeconium debere contemnere, tumentis quoque iactantiae comprimere fastum et fraudulentae simulationis mendacium confutare.

3. Multa quidem in hunc modum saepius facie- Alia fa[cta et] dic[ta]. bat, ut exterius *tanquam vas perditum* fieret [6] et sanctificationis spiritum interius possideret. Studebat bona Domini sui arcano pectoris condere, nolens patere gloriae quod posset occasio esse ruinae. Nam saepe cum beatificaretur a pluribus, verbum huiuscemodi proferebat: « Filios et filias adhuc habere possem, nolite laudare securum. Nemo laudandus, cuius incertus est exitus [7] ». Ista quidem laudantibus, ad se autem sic: « Latroni si tanta contulisset Altissimus, gratior te foret, Francisce ». Dicebat Fratribus saepe: « De omni eo quod peccator potest, nemo sibi debet iniquo applausu blandiri. Peccator, ait, ieiunare potest, orare, plangere carnemque propriam macerare; hoc solum non potest, Domino scilicet suo esse fidelis. In hoc itaque gloriandum, si suam Domino gloriam reddimus, si fideliter servientes, ipsi quidquid donat, ascribimus ».

4. Ut autem pluribus modis negotiator hic evan- De a[more] obedie[ntiae]. gelicus lucraretur ac totum praesens tempus conflaret in meritum, non tam praeesse voluit quam subesse, nec tam praecipere quam parere. Idcirco generali cedens officio, Guardianum petiit, cuius voluntati per omnia subiaceret [8]. Tam enim uberem asserebat sanctae obedientiae fructum, ut eis qui iugo ipsius colla submitterent, nil temporis sine lucro transiret; unde et Fratri, cum quo erat solitus ire, semper obedientiam promittere consueverat et servare. Dixit aliquando sociis: « Inter alia, quae dignanter pietas mihi divina concessit, hanc gratiam contulit, quod ita diligenter novitio unius horae obedirem, si mihi Guardianus daretur, sicut antiquissimo et discretissimo Fratri [9]. Subditus, inquit, praelatum suum non hominem considerare debet, sed illum, pro cuius est amore subiectus. Quanto enim contemptibilior praesidet, tanto magis humilitas obedientis placet ». — Cum vero vice quadam Dictu[m] [me]morat[u dignum]. quaereretur ab eo, quis esset vere obediens iudicandus, corporis mortui similitudinem pro exemplo proposuit. « Tolle, inquit, corpus exanime, et ubi placuerit, pone. Videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum. Quod

---

[1] Luc. 16, 15: Quod hominibus altum est abominatio est ante Deum.

[2] Fide A G I M addidimus *se*, et inferius ex A supplevimus *vero*. In seq. propositione Vat. et ed. I omittunt *imperitum*.

[3] Ut refert Wadding., loc. cit., ad an. 1212, n. 53. — Inferius pro *relaxasset* edd. *relaxaret*.

[4] Du Cange, Glossarium etc.: « *Quartanarius*, quartana febri laborans ». Secundum ipsum *Gluto* (Glutto) idem est ac ambro, devorator, profusus, luxuriosus etc.

[5] Isai. 20, 3: Sicut ambulavit servus meus Isaias nudus et discalceatus, trium annorum signum et portentum erit super Aegyptum etc. — Superius pro *devoto corde compuncti* edd. *devotione compuncti*.

[6] Psalm. 30, 13: Factus sum tanquam vas perditum.

[7] Eccli. 11, 30: Ante mortem ne laudes hominem quemquam etc. Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1212, n. 7.

[8] Concessus est ei a Fr. Elia in Guardianum Angelus Reatinus (Angelus Tancredi de Reate), unus trium Sociorum, qui vitam Francisci scripserunt. Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1221, n. 27. — Superius pro *generali* Vat. *Generalis*.

[9] Similiter in Testamento suo dicit: Et firmiter volo obedire Ministro Generali huius Fraternitatis et illi Guardiano, quem sibi placuerit mihi dare etc. — Inferius pro *Quanto enim* A G I M *Quanto autem*, et pro *vere obediens* (ita A G I M) edd. *verus obediens*.

si statuatur in cathedra, non alta, sed ima respiciet. Si collocetur in purpura, duplo pallescet. Hic, ait, verus obediens est, qui, cur [1] moveatur, non diiudicat; ubi locetur, non curat; ut transmutetur, non instat; evectus ad officium, solitam tenet humilitatem; plus honoratus, plus reputat se indignum ».

ind di- :tom.

5. Dixit aliquando socio suo: « Non mihi videor Frater Minor, nisi fuero in statu, quem tibi descripsero. Ecce, praelatus existens Fratrum, vado ad Capitulum, praedico et commoneo Fratres, et in fine dicitur contra me: ,Non convenis nobis, quia illitteratus es [2], elinguis, idiota et simplex'; tandem eiicior cum opprobrio, vilipensus ab omnibus. Dico tibi, nisi eodem vultu, eadem mentis laetitia et eodem sanctitatis proposito haec verba audiero, Frater Minor nequaquam sum ». Et addebat: « In praelatione casus, in laude praecipitium, in humilitate subditi animae lucrum est. Cur ergo periculis plus quam lucris attendimus, cum acceperimus tempus ad lucrum »? — Hac igitur de causa humilitatis forma Franciscus Fratres suos voluit vocari *Minores* [3], et praelatos sui Ordinis dici *ministros*, ut et verbis uteretur Evangelii, quod observare promiserat, et ex ipso nomine discerent discipuli eius, quod ad discendam humilitatem ad scholas humilis Christi venissent. Magister siquidem humilitatis Christus Iesus, ut informaret discipulos ad humilitatem perfectam, dixit [4]: *Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, et quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* — Cum autem requireret ab eo dominus Ostiensis, Ordinis Minorum Fratrum protector et promotor praecipuus, qui postmodum, iuxta quod idem vir sanctus praedixerat [5], ad summi pontificatus sublimatus honorem, Gregorius nonus est dictus, utrum sibi placeret, quod Fratres sui promoverentur ad ecclesiasticas dignitates; respondit: « Domine, *minores* ideo vocati sunt Fratres mei, ut maiores fieri non praesumant. Si vultis, ait, ut fructum faciant in Ecclesia Dei, tenete illos et conservate in statu vocationis eorum, et ad praelationes ecclesiasticas nullatenus ascendere permittatis ».

neu Minorum.

ores non mantur dignitates.

altatur a Deo.

6. Et quoniam humilitatem tam in se quam in subditis cunctis praeferebat honoribus, amator humilium Deus [6] altioribus ipsum dignum iudicabat fastigiis, secundum quod uni Fratri, viro virtutis et devotionis praecipuae, visio caelitus ostensa monstravit. Cum enim esset in comitatu viri Dei et una cum ipso in quadam ecclesia deserta ferventi oraret affectu, in ecstasi factus, vidit inter multas in caelo sedes unam ceteris digniorem, pretiosis ornatam lapidibus et omni gloria refulgentem. Miratus intra se praecelsi refulgentiam throni, anxia coepit cogitatione perquirere, quis ad illum deberet assumi. Audivit inter haec vocem dicentem sibi: « Sedes ista unius de ruentibus [7] fuit et nunc humili servatur Francisco ». Reversus demum Frater ad se ab orationis excessu, virum beatum exterius prodeuntem solito fuit more secutus. Cumque incedentes per viam, de Deo invicem loquerentur, Frater ille, visionis suae non immemor, solerter ab eo quaesivit, quid de se ipso sentiret. Ad quem humilis [8] Christi servus: « Videor, ait, mihi maximus peccatorum ». Cui cum Frater diceret ex adverso, quod hoc nec posset sana conscientia dicere nec sentire, subiunxit: « Si quantumcumque sceleratum hominem tanta fuisset Christus misericordia prosecutus, arbitror sane, quod multo quam ego Deo gratior esset ». Confirmatus fuit Frater ex tam admirabilis humilitatis auditu de veritate visionis ostensae, Evangelio sacro testante [9] cognoscens, quod ad excellentiam gloriae, de qua superbus eiicitur, vere humilis exaltetur.

Humiliat se ipsum.

Factum notandum.

7. Alio quoque tempore, cum in deserta quadam oraret ecclesia in provincia Massae apud montem Casalem [10]; intellexit per spiritum, sacras ibidem remansisse reliquias. Quas cum longo iam tempore defraudatas honorificentia debita non sine moerore conspiceret, praecepit Fratribus, ut ea cum reverentia deferrent ad locum. Sed cum, poscente causa, discessisset ab eis, mandati Patris immemores filii obedientiae meritum neglexerunt. Die vero quadam, cum sacra celebrare vellent mysteria, superiori altaris operimento submoto, ossa pulcherrima et redolentia nimis non sine admiratione reperiunt, intuentes reliquias, quas non hominis manus, sed Dei virtus attulerat. Reversus paulo post, vir Deo devotus diligenter coepit exquirere, si quod de reliquiis mandaverat esset impletum. Verum neglectae obedientiae culpam Fratres confitentes humiliter, cum poena veniam meruerunt. Et ait vir sanctus: « Benedictus Dominus Deus meus, qui per se ipsum implevit quod vos facere debuistis ». Considera diligenter divinae providentiae curam circa pulverem nostrum, et humilis Francisci excellentem in oculis Dei perpende virtutem. Nam cuius iussis non paruit homo, votis obedivit Deus.

---

[1] Codd. BDE *cum*.

[2] Cod. A omittit *es*. Inferius pro *animae* Vat. *animi*.

[3] Matth. 25, 45: Quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis; cfr. ibid. v. 40.

[4] Matth. 20, 26. seq. Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1210, n. 57.

[5] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1217, n. 10; idem ad an. 1219, n. 1. responsum Francisci datum Hugolino cardinali et primo protectori Ordinis refert. — Pro *ad summi* ed. 1 et Vat. cum pluribus codd. *ad summum*.

[6] Psalm. 137, 6: Quoniam excelsus Dominus et humilia respicit etc. — Frater, cui visio ista ostensa fuit, erat Pacificus; cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1212, n. 40. — Inferius vocibus *unam ceteris* Vat. et ed. 1 interserunt *prae*.

[7] Id est angelis cadentibus.

[8] Vat. cum ed. 1 *humiliter* et infra *non posset* pro *nec posset*.

[9] Matth. 23, 12: Qui autem se exaltaverit humiliabitur; et qui se humiliaverit exaltabitur.

[10] Supra Burgum sancti Sepulcri, ut notat Wadding., loc. cit., ad an. 1215, n. 17. Cod. B *Quasalem*.

Episcopus Imolas humilitate victus.

8. Quodam tempore[1] deveniens Imolam, civitatis episcopum adiit humiliterque poposcit, ut cum ipsius beneplacito posset populum ad praedicationem vocare. Cui episcopus dure respondens: « Sufficit, inquit, Frater, quod ego praedicem populo meo ». Inclinavit caput verus humilis, et foras egressus, post modicam horam regreditur intro. A quo cum episcopus quasi turbatus requireret, quid iterato petere vellet; humili tam corde quam voce respondit: « Domine, si pater filium uno pepulerit[2] ostio, alio sibi reintrandum est ». Humilitate victus, episcopus alacri vultu eum amplexus est, dicens: « Tu et omnes Fratres tui de cetero in episcopatu meo generali mea licentia praedicetis, quia illud humilitas sancta promeruit ».

Fugantur daemones de Aretio.

9. Contigit, ipsum aliquando Aretium devenire, cum tota civitas intestino bello quassata propinquum sui minabatur excidium[3]. Hospitatus vero in suburbio, vidit supra civitatem exsultantes daemones ac perturbatos cives ad caedem mutuam succendentes. Ut autem seditiosas illas effugaret aëreas potestates, Fratrem Silvestrum, columbinae simplicitatis virum, quasi praeconem praemisit, dicens: « Vade ante portam civitatis et ex parte Dei omnipotentis daemonibus in virtute obedientiae praecipe, ut exeant festinanter ». Accelerat verus obediens Patris iussa perficere, et praeoccupans in laudibus faciem Domini[4], ante portam civitatis coepit clamare valenter: « Ex parte omnipotentis Dei et iussu servi eius Francisci procul hinc discedite, daemones universi ». Redit ad pacem continuo civitas et civilitatis[5] in se iura cives omnes cum magna tranquillitate reformant. Expulsa quippe daemonum furibunda superbia, quae civitatem illa velut obsidione vallaverat, superveniens sapientia pauperis, videlicet Francisci humilitas, pacem reddidit urbemque salvavit. Humilis enim obedientiae ardua promerente virtute, super spiritus illos rebelles atque protervos tam potestativum fuerat assecutus imperium, ut et ipsorum feroces protervias premeret et importunas violentias propulsaret.

Moram apud cardinalem non continuat.

10. Fugiunt quidem superbi daemones excelsas virtutes humilium, nisi cum interdum ad humilitatis custodiam divina eos clementia colaphizari permittit, sicut et Paulus Apostolus de se ipso scribit[6], et Franciscus experimento probavit. Rogatus enim a domino Leone cardinali sanctae Crucis, ut secum aliquantulum moraretur in Urbe, acquievit humiliter ob ipsius reverentiam et amorem. Prima igitur nocte, cum post orationem vellet quiescere, supervenerunt daemones in Christi militem atrociter insurgentes; quem cum diu verberassent ac dure, ad ultimum quasi seminecem reliquerunt. Discedentibus illis, socius vocatus advenit, cui cum vir Dei rei narrasset eventum, subiungens ait: « Credo, Frater, quod daemones, qui nihil possunt, nisi quantum providentia superna disponit, ideo in me nunc tam ferociter irruerunt, quia non bonam speciem[7] praefert mansio mea in curia magnatorum. Fratres mei, qui in locis pauperculis commorantur, audientes, me cum cardinalibus esse, suspicabuntur forsitan implicari mundanis, efferri honoribus et deliciis abundare. Ideo melius iudico, eum qui ponitur in exemplum, fugere curias et humiliter inter humiles in locis conversari humilibus, ut sustinentes penuriam fortes efficiat similia sustinendo ». Veniunt ergo mane, et humili excusatione proposita[8], vale faciunt cardinali.

Hom at poen nt accep t.

11. Abhorrebat nempe vir sanctus superbiam, omnium malorum originem, et inobedientiam, ipsius pessimam prolem, sed non minus humilitatem poenitentiae acceptabat. Accidit semel, ut eidem praesentaretur quidam Frater, qui contra legem obedientiae aliquid fecerat, disciplina iustitiae corrigendus. Videns autem vir Dei, Fratrem illum per signa evidentia veraciter esse compunctum, ad indulgendum ei amore fuit humilitatis inductus. Ne tamen facilitas veniae incentivum esset aliis delinquendi, iussit, ablatum Fratri caputium in medio[9] flammarum proiici, ut omnes adverterent, quanta qualique vindicta offensa sit inobedientiae percellenda. Cumque per moram caputium fuisset in medio ignis, praecepit, ipsum flammis detrahi reddique Fratri humiliter poenitenti. Mirabile dictu! Extrahitur caputium de medio flammarum, nullum habens adustionis vestigium. Sicque factum est, ut hoc uno Deus miraculo et sancti viri virtutem et humilitatem poenitentiae commendaret[10]. — Digne itaque sectanda est Francisci humilitas, quae tam miram in terris etiam dignitatem obtinuit, ut Deum inclinaret ad votum et hominis immutaret affectum, daemonum protervitatem suo iussu[11] propelleret et flammarum voracitatem solo nutu refrenaret. Re vera haec est, quae possessores suos exaltans; dum omnibus reverentiam exhibet, ab omnibus promeretur honorem.

Epilo

---

[1] Wadding., loc. cit., hoc refert ad an. 1213, n. 56.

[2] Cod. F *compulerit,* Vat. et ed. 1 *repulerit.* Inferius pro *amplexus* G I et Acta SS. *amplexatus.*

[3] Wadding., loc. cit., ad an. 1211, n. 14. — Inferius pro *succendentes* M *succedentes.*

[4] Psalm. 94, 2: Praeoccupemus faciem eius in confessione etc.

[5] Cod. I *civitatis;* Acta SS. omittunt *civilitatis.* Inferius pro *quae civitatem illa velut obsidione* (ita A) edd. cum aliis codd. *quae civitatem illam velut obsidione.*

[6] Epist. II. Cor. 12, 7: Datus est mihi stimulus carnis meae angelus satanae, qui me colaphizet. — De seq. facto cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1223, n. 18.

[7] Edd. *spem.* Inferius pro *magnatorum* Acta SS. *magnatum.*

[8] Codd. I K M addunt *et recitatis omnibus.*

[9] Codd. G I M *in medium.* Pro *caputium* Acta SS. hic et infra *capitium.*

[10] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1218, n. 6.

[11] Codd. I M *solo iussu.*

Capitulum VII.

De amore paupertatis et mira suppletione defectuum [1].

1. Inter cetera charismatum dona, quae a largo Datore Franciscus obtinuit, praerogativa quadam speciali promeruit in *divitias simplicitatis* [2] excrescere per altissimae paupertatis amorem. Hanc Filio Dei vir sanctus familiarem attendens et iam quasi toto orbe repulsam, *caritate* sic studuit desponsare *perpetua*, quod non solum pro ea patrem matremque reliquit, verum etiam quae habere potuit universa dispersit. Nemo tam auri quam ipse cupidus paupertatis, nec thesauri custodiendi sollicitior ullus quam iste huius evangelicae margaritae [3]. In hoc praecipue suus offendebatur aspectus, si quidquam videret in Fratribus, quod paupertati non per omnia consonaret. Re vera ipse a principio Religionis usque ad mortem tunica, chordula et femoralibus dives, iis contentus fuit. — Christi Iesu paupertatem et Matris frequenter cum lacrymis revocabat ad mentem; inde hanc virtutum asserens esse reginam, quia in *Rege regum* [4] et in regina Matre ipsius tam praestanter effulsit. Nam et Fratribus in conclavi quaerentibus, quae virtus magis amicum redderet Christo, quasi secretum sui cordis aperiens, respondebat: « Paupertatem noveritis, Fratres, specialem viam esse salutis tanquam humilitatis fomentum perfectionisque radicem, cuius est fructus multiplex, sed occultus. Haec enim est evangelici *agri thesaurus absconditus*, pro quo emendo vendenda sunt omnia [5], et quae vendi non possunt illius comparatione spernenda ».

2. « Ad huius, inquit, culmen qui cupit attingere non solum mundanae prudentiae, verum etiam litterarum peritiae renuntiare quodam modo debet, ut, tali expropriatus possessione, *introeat in potentias Domini* [6] et nudum se offerat brachiis Crucifixi. Nequaquam enim saeculo perfecte renuntiat qui proprii sensus loculos intra cordis arcana reservat ». Saepe vero de paupertate sermonem faciens, ingerebat Fratribus evangelicum illud [7]: *Vulpes foveas habent, et volucres caeli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Propter quod docebat Fratres, ut pauperum more pauperculas casas erigerent, quas non inhabitarent ut proprias, sed sicut peregrini et advenae alienas. Leges namque peregrinorum esse dicebat sub alieno colligi tecto, sitire ad patriam, pacifice pertransire. Mandabat, dirui aliquando domos erectas, aut Fratres exinde amoveri, si aliquid in eis perciperet, quod ratione appropriationis vel sumtuositatis contrarium esset evangelicae paupertati [8]. Hanc sui dicebat Ordinis fundamentum, cui substrato primarie sic omnis structura Religionis innititur, ut ipsius firmitate firmetur et eversione funditus evertatur. *Factum notabile.*

3. Docebat proinde, sicut revelatione didicerat, sacrae Religionis ingressum ab illo fore inchoandum evangelico verbo [9]: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quae habes, et da pauperibus;* ideoque nonnisi expropriatos et nihil penitus retinentes admittebat ad Ordinem, tum propter verbum sancti Evangelii, tum etiam ne forent in scandalum loculi reservati. Unde in Marchia Anconitana [10] cuidam petenti ad Ordinem recipi verus pauperum patriarcha respondit: « Si vis Christi pauperibus iungi, mundi pauperibus tua distribue ». Quo audito, perrexit homo, et ductus amore carnali, sua suis reliquit nilque pauperibus. Verum cum haec, illo referente, vir sanctus audisset; dura eum increpatione feriens, dixit: « Vade viam tuam, frater musca, quoniam nondum *existi de domo et cognatione tua* [11]. Consanguineis tuis tua dedisti et defraudasti pauperes, dignus non es pauperibus sanctis. Incepisti a carne, ruinosum fundamentum spiritnali fabricae collocasti ». Rediit animalis homo [12] ad suos et repetiit sua, quae pauperibus relinquere nolens, virtutis propositum citius dereliquit. *Circa ingredientes Ordinem.* *Frater musca.*

4. Alio quoque tempore, cum in loco sanctae Mariae de Portiuncula tanta esset inopia, quod non *Urgente inopia, paupertatem tenet.*

[1] Cfr. Thom. a Celano, Vita I. p. I. c. 15. et 20; Vita II. part. II. c. 13. et p. III. c. 1. 13. 14. 17. 18. 20. 21. 26. 37.

[2] Cfr. II. Cor. 8, 2.

[3] Matth. 13, 45. seq. assimilatur regnum caelorum « negotiatori, quaerenti bonas margaritas ». — Inferius vocibus *iis contentus* I K M interserunt *plene.*

[4] Epist. I. Tim. 6, 15: Rex regum et Dominus dominantium. — Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1210, n. 50.

[5] Matth. 13, 44. — Superius pro *perfectionisque* Vat. cum ed. 1 *profectionisque.*

[6] Psalm. 70, 15. seq.: Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini. — Quod *nudus* Christum sequi debeat, insinuat Hieron. supra pag. 509, nota 2. allegatus.

[7] Matth. 8, 20. — Inferius pro *pauperculas casas* edd. *pauperculas casulas.*

[8] Cfr. Testamentum S. Francisci et Wadding., loc. cit., ad an. 1220, n. 15. seq.

[9] Matth. 19, 21.

[10] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1219, n. 54. — Inferius edd. omittunt *mundi.*

[11] Gen. 12, 1: Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui etc. Gal. 3, 3: Sic stulti estis, ut, cum spiritu coeperitis, nunc carne consummemini? — Inferius post *dignus non es* B addit *sociari;* Acta SS. legunt *pauperibus sanctis sociari.*

[12] Epist. I. Cor. 2, 14: Animalis autem homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei etc.

posset hospitibus Fratribus supervenientibus secundum necessitatis exigentiam provideri; adiit virum Dei Vicarius suus [1], allegans penuriam Fratrum et petens, ut intrantium novitiorum res aliquas reservare liceret, ad quas expendendas recurrere possent Fratres tempore opportuno. Ad quem vir superni consilii non ignarus: « Absit, inquit, a nobis, Frater carissime, ut pro quovis homine impie agamus in Regulam. Malo, te altare Virginis gloriosae nudare, cum necessitas id requirit, quam contra paupertatis votum et observantiam Evangelii aliquid vel modicum attentare. Gratius enim habebit Virgo beata, sancti Evangelii perfecte servato consilio, suum altare detegi, quam, altari vestito [2], Filii sui promissum consilium praetermitti ».

Dictum notabile.

5. Transiens autem quodam tempore [3] vir Dei cum socio per Apuliam iuxta Barium, invenit in via bursam magnam, quasi plena esset denariis, tumescentem, quam usitato vocabulo *fundam* appellant. Monetur a socio pauper Christi et instanter inducitur, ut bursa tollatur e terra, et pecunia pauperibus erogetur. Renuit homo Dei, commentum affirmans fore diaboli in bursa inventa, et Fratrem non suadere rem meriti, sed peccati, aliena scilicet surripere ac donare. Recedunt de loco, festinant iter perficere coeptum. Sed nondum quiescit Frater vacua pietate delusus, virum Dei molestans, quasi qui de relevanda pauperum penuria non curaret. Acquievit tandem vir mitis redire ad locum, non ut Fratris voluntatem perficeret, sed ut detegeret diabolicam fraudem. Reversus [4] ergo ad fundam cum Fratre et iuvene quodam, qui erat in via, oratione praemissa, iubet socio illam levare. Tremefactus Frater obstupuit, diabolicum iam praesentiens monstrum; propter obedientiae tamen sanctae mandatum dubietatem abigens cordis, manum extendit ad bursam. Et ecce, serpens non modicus, de bursa exsiliens simulque cum ipsa subito evanescens, diabolicam deceptionem [5] monstravit. Hostilis itaque versutiae deprehensa fallacia, dixit vir sanctus ad socium: « Pecunia servis Dei, o Frater, nihil aliud est quam diabolus et coluber venenosus ».

De iuventa bursa pecuniae.

6. Accidit post haec quoddam mirabile viro sancto, dum se ad civitatem Senensem, causa exigente, transferret [6]. Tres quidem mulieres pauperculae, statura, aetate ac facie per omnia similes in quadam ei magna planitie inter Campilium et sanctum Quiricum occurrerunt, novum salutationis munusculum offerentes: « Bene veniat, inquiunt, domina paupertas »! Quo audito, verus paupertatis amator indicibili repletus est gaudio, utpote qui nihil in se salutandum hominibus [7] tam libenter haberet, quam quod illae decreverant. Subito disparentibus illis, considerantes Fratres socii, tam admirabilem in eis similitudinem, salutationis, occursus et disparentiae novitatem mysticum aliquid designari circa virum sanctum, non irrationabiliter perpenderunt. Sane per illas tres, ut videbatur, mulieres pauperculas sic uniformi facie occurrentes, sic salutantes insolite, sic subito disparentes evangelicae perfectionis formositas, quantum ad castitatem scilicet, obedientiam et paupertatem, satis convenienter ostenditur in viro Dei pari forma perfecte fulsisse, licet gloriari praeelegerit in privilegio paupertatis, quam modo *matrem*, modo *sponsam*, modo *dominam* nominare solebat. In hac ceteros cupiebat excedere, qui ex ipsa didicerat inferiorem se omnibus reputare. Si quando igitur [8] pauperiorem se quempiam secundum exteriorem habitum cerneret, semetipsum protinus arguens excitabat ad simile, tanquam si aemula paupertate concertans, vinci se timeret in illo. — Accidit enim, ut pauperculum quendam obvium haberet in via, cuius cum nuditatem aspiceret, compunctus corde, lamentabili voce dixit ad socium: « Magnam verecundiam intulit nobis huius inopia, quia nos pro magnis divitiis paupertatem elegimus, et ecce, magis relucet in isto ».

Salutatio mira trium mulierum.

Encom[ium] pauper[tatis].

Dictum [no]tabi[le].

7. Propter sanctae paupertatis amorem omnipotentis Dei famulus eleemosynis ostiatim quaesitis utebatur multo libentius quam oblatis. Si quando enim, invitatus a magnis personis, mensis esset profusioribus honorandus; prius per propinquas vicinorum domos panum fragmenta petebat ac deinde, sic ditatus inopia, discumbebat. Et cum aliquando id fecisset, invitatus a domino Ostiensi, qui pauperem Christi praecipuo complexabatur affectu, conquerenti episcopo, quod suo derogasset honori, utpote qui in eius comesturus hospitio [9] pro eleemosynis isset; servus Dei respondit: « Magnum, mi domine, vobis honorem exhibui, dum maiorem Dominum honoravi. Siquidem beneplacitum est Domino in paupertate, et ea maxime, quae voluntaria pro Christo mendicitas est. Hanc dignitatem regalem, quam pro nobis Dominus Iesus, *egenus factus*, assumsit, ut sua nos ditaret inopia [10] ac vere pauperes spiritu regni caelorum reges institueret et heredes, nolo relinquere pro feudo divitiarum falsarum vobis ad horam concesso ».

Exem[plum] paupe[rtatis].

---

[1] Petrus Cathanii; cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1220, n. 24. — Inferius post *Ad quem vir* edd. addunt *sanctus*.

[2] Edd. *altari suo ornato*.

[3] Vide Wadding., loc. cit. ad an. 1222, n. 16. — Vocibus *cum socio* edd. interserunt *suo*.

[4] Edd. *Reversus est*.

[5] Edd. cum aliis codd. (A excepto) addunt *Fratri*.

[6] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1216, n. 18. seq. — Inferius voci *offerentes* edd. praefigunt *ei*.

[7] Acta SS. *ab hominibus*.

[8] Vat. et ed. 1 omittunt *igitur*.

[9] Edd. *domo*.

[10] Epist. II. Cor. 8, 9: Quoniam propter vos egenus factus est [Christus], cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis. — Matth. 5, 3: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.

Di m no-ile.

8. Nonnunquam Fratres ad petendum eleemosynam hortans, verbis utebatur huiusmodi: « Ite, inquit, quoniam hac novissima hora Fratres Minores commodati sunt mundo, ut electi in eis impleant, unde a Iudice commendentur, illud audientes suavissimum verbum [1]: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis* ». Iucundum proinde dicebat sub Fratrum Minorum titulo mendicare, quem in retributione iustorum evangelicae veritatis Magister ore suo tam signanter expressit. —

N odum.

In festis quoque praecipuis, ubi opportunitas aderat, mendicare solitus erat, dicens, in sanctis pauperibus propheticum illud [2] impleri: *Panem Angelorum manducavit homo.* Illum sane panem angelicum esse dicebat, quem pro Dei petitum amore, et beatis suggerentibus Angelis, pro ipsius caritate largitum sancta paupertas colligit ostiatim.

bratio liei chae.

9. Unde cum semel die sancto Paschae moram faceret in eremitorio quodam adeo ab hominum habitatione remoto, quod commode mendicare non posset; memor illius qui discipulis euntibus in Emmaus ipso die in specie peregrini apparuit [3], ab ipsis Fratribus eleemosynam petiit ut peregrinus et pauper. Quam cum accepisset humiliter, sacris eos informavit eloquiis, quod transeuntes per mundi desertum tanquam peregrini et advenae verique Hebraei *Pascha Domini,* hoc est transitum *ex hoc mundo ad Patrem* [4], in paupertate spiritus continue celebrarent. Et quoniam in petendis eleemosynis non quaestus agebatur cupidine, sed spiritus libertate; Pater pauperum, Deus specialem de ipso curam gerere videbatur.

um no-bile.

10. Accidit enim semel [5], ut infirmitate gravatus Domini servus in loco Noceriae reduceretur Assisium per solemnes nuntios, ad hoc Assisinatis populi devotione transmissos. Qui Christi famulum deducentes, ad villam quandam devenerunt pauperculam, nomine Sathrianum [6], ubi, cum fames et hora cibum expeterent, euntes et nihil invenientes venale, vacui redierunt. Ad quos vir sanctus: « Ideo nihil invenistis, quia plus in muscis vestris quam in Deo confiditis » — muscas nempe denarios vocavit — « sed revertimini, ait, per domos, quas circuistis, et amorem Dei offerentes [7] pro pretio, humiliter eleemosynam postulate. Nec falsa id aestimatione verecundum putetis aut vile, quoniam universa in eleemosynam post peccatum dignis et indignis Eleemosynarius ille magnus largiflua pietate concessit ». Deponunt erubescentiam milites [8], et eleemosynam sponte petentes, plura pro Dei amore quam denariis emunt. Siquidem divino nutu corde compuncti, pauperes incolae non solum sua, sed et se ipsos liberaliter obtulerunt. Sicque factum est, ut inopiam, quam pecunia relevare non poterat, Francisci pauperies opulenta suppleret.

11. Tempore, quo infirmus iacebat in eremitorio prope Reate, medicus quidam opportuno eum frequentabat officio [9]. Animus Sancti gratus.

Cum autem Christi pauper impotens esset ad rependendam mercedem labori condignam, liberalissimus Deus, ne ipsum sine praesenti remuneratione dimitteret, pium eius obsequium hoc uno beneficio vice pauperis compensavit. Huius enim medici domus, quam tunc temporis ex omni lucro suo de novo construxerat, parietum patula scissione a summo usque deorsum adeo de proximo minabatur ruinam, quod non videbatur per humanae artis industriam possibile ipsius casui obviari [10]. Ipse vero de sancti viri meritis plene confidens, cum magnae fidei devotione petivit a sociis eius, aliquid sibi concedi, quod idem vir Dei manibus contrectasset. Cum igitur modicum de capillis ipsius multa precum obtentum instantia posuisset de sero intra muri scissuram; mane consurgens, tanta invenit aperturam illam soliditate conclusam, ut nec reliquias ibi positas posset extrahere, nec scissurae prioris vestigium aliquod invenire; factumque est, ut, qui ruinoso corpusculo servi Dei sedule ministrarat, ruiturae domus propriae periculo praecaveret.

12. Alio quoque tempore [11] vir Dei ad quandam eremum transferre se volens, ut ibi liberius contemplationi vacaret, quia debilis erat, cuiusdam viri pauperis vectabatur asello. Miraculo potum praebet.

Cumque diebus aestivis famulum Christi sequendo vir ille montana conscenderet, asperioris et longioris viae itinere fatigatus [12] nimioque sitis ardore deficiens, instanter coepit clamare post Sanctum: « En, morior, inquit, siti, nisi poculi alicuius beneficio continuo refociller ». Absque mora vir Dei prosilivit de asino, et fixis in terra genibus, palmas tetendit in caelum, orare non cessans, donec se intellexit auditum. Oratione tandem finita: « Festina, inquit viro, ad petram et illic aquam vivam invenies, quam tibi hac hora misericorditer

---

[1] Matth. 25, 40, post quem K addit: *Et post pauca* [v. 45.]: *Quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.* — Inferius post *dicebat* K addit *vir sanctus.*

[2] Psalm. 77, 25.

[3] Luc. 24, 15. seqq. — Superius post *Unde cum semel* A addit *secreto.*

[4] Exod. 12, 11: Est enim Phase, id est transitus Domini. Ioan. 13, 1: Ante diem festum Paschae, sciens Iesus, quia venit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem etc. Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1210, n. 46. — Inferius pro *libertate* B *ubertate.*

[5] Vide Wadding., loc. cit., ad an. 1225; n. 12.

[6] Ita A B D E F G I M multique codd. non collati; edd. *Sathianum* (cfr. supra pag. 517, nota 3; Wadd.: in comitatu Assisiensi ?). *Nunc* habentur duo *Satriano,* unum in Calabria-Ulteriore, ubi etiam est quoddam *Nocera* distinctum a Nocera apud Camerino et a Nocera dei Pagani.

[7] Vat. cum ed. 1 *offerentis.* Inferius pro *in eleemosynam* (ita A M) edd. *in eleemosyna.*

[8] Qui superius *solemnes nuntii* (viri nobiles) vocantur.

[9] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1225, n. 7. — Inferius pro *hoc uno beneficio* edd. *hoc novo beneficio.*

[10] Edd. *obviare.*

[11] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1215, n. 12.

[12] Ita A B C D E F G I M, quibus consentit ed. 1, omisso tantum *viae,* Vat. *asperiori et longiori itinere fatigatus.*

Christus de lapide bibendam produxit ». Stupenda Dei dignatio, quae servis suis tam facile se inclinat! Bibit sitiens homo aquam de petra orantis virtute productam et poculum hausit *de saxo durissimo* [1]. Aquae decursus ibidem ante non fuit nec, ut est diligenter quaesitum, deinceps potuit inveniri.

Cibos multiplicavit.

13. Qualiter autem per merita sui pauperis Christus multiplicaverit cibos in mari, cum suo loco sit inferius [2] annotandum; hoc tantum commemorasse sufficiat, quod de modica eleemosyna sibi collata nautas a famis et mortis periculo per dies plurimos liberavit, ut ex hoc liquido possit adverti, quod omnipotentis Dei famulus sicut in eductione aquae de petra conformis exstitit Moysi [3], sic in multiplicatione victualium Eliseo. — Procul igitur a pauperibus Christi diffidentia omnis abscedat. Si enim paupertas Francisci adeo copiosae sufficientiae fuit, ut subvenientium sibi defectus tam [4] mira virtute suppleret, quod nec cibus nec potus nec domus deesset, cum pecuniae et artis et naturae facultas defecerat; multo magis illa merebitur, quae usitato divinae providentiae ordine communiter conceduntur. Si, inquam, petrae siccitas ad pauperis vocem abundans poculum sitienti propinavit pauperculo, nil iam inter omnia suum denegabit obsequium his qui pro Auctore omnium omnia reliquerunt.

Capitulum VIII.

De pietatis affectu, et quomodo ratione carentia videbantur ad ipsum affici [5].

Quadruplex pietas.

1. *Pietas* vera, quae secundum Apostolum [6] *ad omnia valet,* adeo cor Francisci repleverat ac penetraverat viscera, ut totum videretur virum Dei in suum dominium vindicasse. Haec est, quae ipsum per *devotionem* sursum agebat in Deum, per *compassionem* transformabat in Christum, per *condescensionem* inclinabat ad proximum et per universalem *conciliationem ad singula* refigurabat ad innocentiae statum. Cumque per hanc pie moveretur ad omnia, specialiter tamen animas Christi Iesu sanguine pretioso redemptas cum cerneret inquinari aliqua sorde peccati, tanta miserationis teneritudine deplorabat, ut eas tanquam mater in Christo quotidie parturiret [7]. Et haec penes ipsum causa praecipua venerandi verbi Dei ministros, quod *semen fratri suo defuncto,* Christo videlicet pro peccatoribus crucifixo, per ipsorum conversionem et pia sollicitudine *suscitent* et sollicita pietate gubernent. Istiusmodi miserationis officium *Patri misericordiarum* [8] omni sacrificio firmabat acceptius, maxime si studio fuerit perfectae caritatis impensum, ut ad id laboretur magis exemplo quam verbo, magis lacrymosa prece quam loquaci sermone.

Contra praedicatores vanos.

2. Plangendum proinde dicebat praedicatorem tanquam vera pietate privatum, sive qui in praedicatione non animarum quaerit salutem, sed propriam laudem, sive qui pravitate destruit vitae quod aedificat veritate doctrinae. Praeferendum huic dicebat Fratrem simplicem et elinguem, qui bono exemplo alios provocaret ad bonum. Illud quoque verbum [9]: *Donec sterilis peperit plurimos,* taliter exponebat: « *Sterilis,* inquit, est Frater pauperculus, qui generandi in Ecclesia filios non habet officium. Hic *pariet* in iudicio plurimos, quia quos nunc privatis orationibus convertit ad Christum suae gloriae tunc Iudex ascribet. *Quae multos habet filios infirmabitur,* quia praedicator vanus et loquax, qui multis nunc quasi sua virtute genitis gaudet, cognoscet tunc, se nil proprii habere in eis ».

3. Cum igitur animarum salutem viscerosa pietate appeteret et fervida aemulatione zelaret, suavissimis se dicebat repleri odoribus et quasi unguento pretioso liniri, cum sanctorum Fratrum per orbem distantium odorifera fama multos audiret ad viam veritatis induci. Ex talium [10] auditu exsultabat in spiritu, benedictionibus omni acceptione dignissimis Fratres illos accumulans, qui verbo vel opere ad Christi amorem inducerent peccatores. Sic etiam qui Religionem sacram iniquis violarent operibus maledictionis eius gravissimam incurrebant sententiam: « A te, inquit, sanctissime Domine, et a tota caelesti curia et a me parvulo tuo sint maledicti, qui suo malo exemplo confundunt et destruunt quod per sanctos Fratres Ordinis huius aedificasti et aedificare

---

[1] Deut. 32, 13: Ut sugeret mel de petra oleumque de saxo durissimo. — Fide B E supplevimus *productam.* Superius pro *se inclinat* E *inclinatur.*

[2] Cap. 9. n. 4.

[3] Cfr. Exod. 17, 1. seqq.; de Eliseo vide IV. Reg. 4, 1. seqq.

[4] Vat. et ed. 1 *iam.*

[5] Cfr. Thom. a Celano, Vita I. p. I. c. 14. in fine, 21. et 28; Vita II. p. II. c. 5. et p. III. c. 29-36. 54. 92-94. 102. 103. 106-108. 115.

[6] Epist. I. Tim. 4, 8: Pietas autem ad omnia utilis est. — Inferius post *penetraverat* fide A G I K M addidimus *viscera,* et pro *virum Dei* Vat. et ed. 1 substituunt *servum Dei.*

[7] Gal. 4, 19: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. — Subinde respicitur Deut. 25, 5: Sed accipiet eam [uxorem defuncti] frater eius et suscitabit semen fratris sui.

[8] Epist. II. Cor. 1, 3.

[9] Libr. I. Reg. 2, 5. Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1220, n. 30. — Superius pro *provocaret* edd. *provocat.*

[10] Vat. et ed. 1 *Et talium.*

non cessas ». Tanta frequenter afficiebatur moestitia super scandalo [1] pusillorum, ut deficere se putaret, nisi divinae fuisset clementiae consolatione suffultus. Co rtatur ...eo. Cum autem semel malis turbatus exemplis, anxio spiritu misericordem Patrem precaretur pro filiis, responsum huiusmodi reportavit a Domino: « Cur tu, pauper homuncio, conturbaris? An ego te super Religionem meam sic pastorem institui, ut me principalem nescias esse patronum? Hominem simplicem ad hoc te constitui, ut quae in te fecero, non humanae industriae, sed supernae gratiae ascribantur. Ego vocavi, servabo et pascam, et aliis excidentibus alios subrogabo, ita ut, si nati non fuerint, faciam, illos nasci, et quantiscumque fuerit impulsibus paupercula haec concussa Religio, salva semper meo munere permanebit [2] ».

C...a de... ...ores. 4. Detractionis quoque vitium inimicum fonti pietatis et gratiae tanquam serpentinum abhorrebat morsum et atrocissimam pestem et piissimo Deo abominabile fore firmabat [3], pro eo quod detractor animarum sanguine pascitur, quas gladio linguae necat. Audiens semel, Fratrem quendam denigrare famam alterius, conversus ad Vicarium suum dixit: « Surge, surge, discute diligenter, et si accusatum Fratrem innocentem repereris, accusantem dura correctione cunctis redde notabilem ». Nonnunquam vero eum qui Fratrem suum famae gloria spoliaret, iudicabat habitu spoliandum, nec ad Deum oculos posse levare, nisi prius quod abstulerat reddere pro posse curaret. « Tanto maior est, aiebat, detractorum impietas quam latronum, quanto lex Christi, quae in observantia pietatis impletur, magis animarum quam corporum nos astringit optare salutem ».

...passio ...us. 5. Afflictis quoque qualicumque corporali molestia mira compassionis teneritudine condescendens, si quid penuriae, si quid defectus in aliquo cerneret, pii cordis dulcedine regerebat in Christum. Sane clementiam habebat ingenitam [4], quam superinfusa Christi pietas duplicabat. Itaque liquescebat animus eius ad pauperes et infirmos, et quibus non poterat manum, exbibebat affectum. ...im no... ...bile. Contigit semel, ut pauperi cuidam eleemosynam importune petenti unus e Fratribus durius responderet. Quod audiens pauperum pius amator, Fratri praecepit, ut ad illius pauperis pedes se nudatum prosterneret, proclamaret culpabilem, orationis suffragium postularet et veniam. Quod cum ille fecisset humiliter, dulciter Pater adiecit: « Dum pauperem vides, o Frater, speculum tibi proponitur Domini et pauperis Matris eius. In infirmis similiter infirmitates, quas assumsit, considera [5] ». Cumque in pauperibus cunctis et ipse christianissimus pauper effigiem Christi prospiceret, si qua etiam necessaria vitae sibi collata fuissent, eis occurrentibus non solum liberaliter conferebat, verum etiam, ac si illorum propria essent, iudicabat esse reddenda. — Accidit semel [6], ut eidem redeunti de Senis pauper Factum notabile. quidam occurreret, cum occasione infirmitatis super habitum palliolo quodam esset amictus. Cuius miseria oculo clementi conspecta: « Oportet, inquit ad socium, ut reddamus mantellum pauperculo isti; nam ipsius est. Mutuo enim ipsum accepimus, donec pauperiorem invenire contingeret ». Socius autem pii Patris necessitatem considerans, pertinaciter obsistebat, ne provideret alii, se neglecto. At ille: « Pro furto mihi, ait, reputo a magno Eleemosynario imputandum, si hoc quod fero, non dedero magis egenti ». Propterea de omnibus, quae sibi dabantur ad necessitatem corporis relevandam, solitus erat a dantibus licentiam petere, ut licite posset, si magis egenus occurreret, erogare. Nulli prorsus rei parcebat, nec mantellis nec tunicis nec libris nec etiam paramentis altaris, quin omnia haec, dum posset, ut pietatis impleret officium, indigentibus largiretur. Pluries, cum oneratis obviaret in via pauperibus, imbecilles humeros illorum oneribus supponebat.

6. Consideratione quoque primae originis omnium Pietas erga omnes creaturas. abundantiori pietate repletus, creaturas quantumlibet parvas *fratris* vel *sororis* appellabat nominibus, pro eo quod sciebat, eas unum secum habere principium. Illas tamen viscerosius complexabatur [7] et dulcius, quae Christi mansuetudinem piam similitudine naturali praetendunt et Scripturae significatione figurant. Redemit frequenter agnos, qui ducebantur ad mortem, illius memor Agni mitissimi, qui ad occisionem duci voluit pro peccatoribus redimendis [8]. Hospitato quadam vice servo Dei apud Monasterium sancti Verecundi de episcopatu Eugubii [9], ovicula quaedam agniculum peperit illa nocte. Aderat sus ferocissima, quae vitae innocentis non parcens, rapaci eum morsu necavit. Hoc audito, pius Pater mira compassione commotus et Agni sine macula recordatus, lamentabatur pro morte agniculi coram omnibus, dicens: « Heu me, frater agnicule, animal innocens, Christum hominibus repraesentans, maledicta sit impia, quae te interfecit, nullusque de ea comedat homo vel bestia ». Mirabile dictu! statim infirmari coepit porca malefica et tribus diebus corpoream poenam exsolvens, ultricem tandem pertulit

---

[1] Vat. et ed. 1 *scandala*. Inferius vocibus *turbatus exemplis* Vat. et ed. 1 interserunt *esset*, deindeque Vat. voci *anxio* praefigit *et*.

[2] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1221, n. 26. — Pro *semper meo* A B *semper in eo*.

[3] Rom. 1, 30: Detractores, Deo odibiles.

[4] Cfr. supra pag. 506, nota 2.

[5] Vide Wadding., loc. cit., ad an. 1215, n. 28.

[6] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1213, n. 25; vide ibid. ad an. 1211, n. 10. seq. et ad an. 1225, n. 11, ubi similia referuntur.

[7] Vat. cum ed. 1 *amplexabatur*.

[8] Isai. 53, 7: Oblatus est... et non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ducetur etc.

[9] Id est Gubbio in Umbria, a qua civitate praenotatum Monasterium Benedictinorum non multum distabat. — Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1222, n. 19.

necem. Proiecta autem in vallum [1] Monasterii ibique longo tempore iacens, in modum tabulae desiccata, nulli fuit esca famelico. Advertat igitur humana impietas, quali poena sit ferienda finaliter, si tam horrenda morte percussa est ferocitas bestialis; perpendat et fidelis devotio, quam in servo Dei pietas fuerit admirandae virtutis et copiosae dulcedinis, ut ei applauderet suo modo etiam natura brutorum.

7. Iter enim faciens iuxta civitatem Senensem, *Mirum factum.* invenit in pascuis magnum ovium gregem [2]. Quas cum benigne, ut erat solitus, salutasset, relicto pastu, cucurrerunt omnes ad eum, levantesque capita sua, erectis in eum luminibus intendebant. Tantum quidem ei fecerunt applausum, ut et pastores mirarentur et Fratres, cernentes circa ipsum tam ovium agnos quam ipsos arietes sic mirabiliter exsultantes. *Alterum.* — Alio quoque tempore [3] apud sanctam Mariam de Portiuncula quaedam viro Dei fuit ovis oblata, quam propter innocentiae ac simplicitatis amorem, quas ovis natura praetendit, gratanter suscepit. Monebat vir pius oviculam, ut et laudibus divinis intenderet et ab omni Fratrum offensa caveret; ovis autem, quasi viri Dei pietatem adverteret, informationem ipsius sollicite observabat. Nam audiens Fratres in choro cantare [4], et ipsa ecclesiam ingrediens, sine alicuius informatione flectebat genua, vocem balatus emittens ante altare Virginis, Matris Agni, ac si eam salutare gestiret. Insuper, et cum elevaretur sacratissimum Christi corpus inter Missarum solemnia, flexis curvabatur poplitibus, tanquam si reverens pecus de irreverentia indevotos argueret Christoque *Tertium.* devotos ad Sacramenti reverentiam invitaret. — Tempore quodam agniculum in Urbe [5] secum habuerat ob reverentiam illius mitissimi Agni, quem nobili matronae, dominae scilicet Iacobae de Septem-Soliis, in suo recessu conservandum commisit. Agnus vero, quasi in spiritualibus eruditus a Sancto, dominae ad ecclesiam eunti, stanti et revertenti societate inseparabili cohaerebat. Si matutinali hora domina tardaret exsurgere, agnus consurgens impellebat eam cornulis [6] et balatibus excitabat, gestibus adhortans et nutibus, ut ad ecclesiam properaret. Propter quod agnus, Francisci discipulus, devotionis iam magister effectus, ut mirabilis et amabilis a domina servabatur.

8. Alio quoque tempore [7] apud Graecium vivus *Quartum.* viro Dei oblatus fuit lepusculus, qui liber in terra positus, cum posset quo vellet effugere, vocante se Patre benigno, in sinum illius propero cursu saltavit. Quem ipse pio cordis affectu circumfovens, videbatur eidem compati quasi mater dulcique allocutione commonitum, ne se iterum capi permitteret, liberum abire permisit. Cumque pluries in terra positus, ut abscederet, semper in sinum Patris rediret, tanquam si sensu quodam occulto cordis ipsius perciperet pietatem; tandem iussu Patris a Fratribus delatus est ad loca solitudinis tutiora. — Modo quoque consi- *Quintum.* mili in insula lacus Perusini cuniculus quidam captus et viro Dei oblatus, cum ceteros fugeret, manibus eius et sinui se domestica securitate commisit. — Per lacum Reatinum eidem ad eremum de Graecio *Sextum.* properanti piscator unam ex devotione fluvialem obtulit avem, quam cum libenter susceptam apertis invitaret manibus ad recessum, nec illa vellet abire; erectis in caelum oculis, diu in oratione permansit, et quasi aliunde post longam horam ad se reversus, dulciter iterato mandavit aviculae, ut Dominum laudatura recederet. Suscepta itaque cum benedictione licentia, gestu corporis quoddam praetendens gaudium, avolavit [8]. — In eodem lacu similiter oblatus *Septimum.* fuit ei piscis magnus et vivus, quem more solito fraterno nomine vocans, in aquam reposuit iuxta navem. Piscis vero coram viro Dei in aqua ludebat, et quasi amore ipsius allectus, nullatenus recessit a navi, nisi prius ab eodem cum benedictione licentia sibi data.

9. Alio tempore [9] ambulans cum quodam Fratre *Octavum.* per paludes Venetiarum, invenit maximam avium multitudinem residentium et cantantium in virgultis. Quibus visis, dixit ad socium: « Sorores aves laudant Creatorem suum, nos itaque in medium ipsarum euntes, laudes et horas canonicas Domino decantemus ». Cumque in medium earum intrassent, non sunt aves motae de loco; et quia propter garritum ipsarum in dicendis horis se mutuo audire non poterant, conversus vir sanctus dixit ad aves: « Sorores aves, a cantu cessate, donec laudes Deo debitas persolvamus ». At illae continuo tacuerunt, tamdiu in silentio persistentes, quamdiu, dictis horis spatiose et laudibus persolutis, a sancto Dei cantandi licentiam receperunt. Dante autem eis viro Dei licentiam, statim cantum suum more solito resumserunt. — Apud sanctam Mariam de Portiuncula iuxta *Nonum.* cellam viri Dei super ficum cicada residens et decantans, cum servum Domini, qui etiam in parvis rebus magnificentiam Creatoris admirari didicerat, ad divinas laudes cantu suo frequentius excitaret,

---

[1] Du Cange, Glossarium etc.: « *Vallum*, vallus, ut *vallatum*, fossa ». In codd. I M secunda manus substituit *vallem*, quod etiam habetur in Actis SS. — Superius pro *malefica* B D E *maledicta*. Inferius pro *nulli fuit* Vat. *nulla fuit*.

[2] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1222, n. 20.

[3] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1221, n. 35.

[4] Cod. B *cantantes*, G *Fratres cantare in ecclesia*.

[5] Id est Roma. — De Iacoba vide Wadding., loc. cit., ad an. 1212, n. 34. (ubi de origine venerationis ipsius erga Franciscum); ad an. 1222, n. 4. (ubi de agniculo); ad an. 1226, n. 26. seqq. (ubi de praesentia ipsius ad mortem Francisci) et ad an. 1239, n. 14. (ubi de eius morte).

[6] Acta SS. *corniculis*.

[7] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1217, n. 15.

[8] De hoc et seq. facto cfr. Wadding. loco in praecedenti nota allegato. — Pro *avolavit* Vat. cum ed. 1 *advolavit*.

[9] Cfr. Wadding. ad an. 1220, n. 5. — Edd. *Alio quoque tempore*.

ab eodem quadam die vocata, velut edocta caelitus, super manum volavit ipsius. Cui cum dixisset: « Canta, soror mea cicada, et Dominum Creatorem tuo iubilo lauda »; sine mora obediens canere coepit nec destitit, donec iussu Patris ad locum proprium revolavit. Mansit autem per octo dies ibidem, quolibet die veniendo, cantando et recedendo eius iussa perficiens. Tandem vir Dei ait ad socios: « Demus iam sorori nostrae cicadae licentiam; satis enim nos suo cantu laetificans, ad laudes Dei octo dierum spatio excitavit ». Et statim ab eo licentiata recessit nec ultra ibidem apparuit, ac si mandatum ipsius non auderet aliquatenus praeterire [1].

10. Eidem Senis infirmo phasianus quidam de novo captus a nobili quodam transmissus est vivus. Qui continuo, ut virum sanctum audivit et vidit, tanta ei [2] amicabilitate cohaesit, ut nullo modo pateretur ab ipso seiungi. Nam pluribus vicibus extra locellum Fratrum in vinea positus, ut abiret, si vellet, rapido semper cursu redibat ad Patrem, tanquam si ab eodem omni fuisset tempore educatus. Deinde cuidam collatus viro, qui ex devotione servum Dei visitare solebat, velut sibi molestum foret a pii Patris absentari conspectu, escam recusavit omnino. Reportatus tandem ad famulum Dei, statim, ut conspexit eundem, quibusdam hilaritatis praetensis gestibus, avide manducavit. — Cum ad eremum pervenisset Alvernae propter Quadragesimam celebrandam in honorem Archangeli Michaelis [3], diversi generis aves circa ipsius cellulam volitantes, concentu sonoro et laetitiae gestibus, quasi de eius adventu gaudentes, Patrem pium invitare ac allicere videbantur ad moram. Quo viso, dixit ad socium: « Cerno, Frater, voluntatis esse divinae, quod hic aliquamdiu commoremur; tantum sorores aviculae de nostra videntur praesentia consolari ». Cum igitur contraheret ibi moram, falco ibidem nidificans magno se illi amicitiae foedere copulavit. Nam semper horam nocturno tempore, in qua vir sanctus ad divina officia surgere solitus erat, cantu suo praeveniebat et sono. Quod famulo Dei gratissimum erat, eo quod tanta sollicitudo, quam circa eum gerebat, omnem ab ipso desidiae torporem excuteret. Cum vero servus Christi infirmitate plus solito gravaretur, parcebat falco nec tam tempestivas indicebat vigilias. Siquidem, velut instructus a Deo, circa diluculum suae vocis campanam levi tactu pulsabat. Divinum certe videtur fuisse praesagium tam in exsultatione multimodi generis avium quam in cantu falconis, cum Dei laudator et cultor pennis contemplationis subvectus, tunc foret illic apparitione seraphica sublimandus [4].

Aliud mirum factum.

11. Moram eo faciente tempore quodam in eremitorio Graecii, loci illius indigenae malis multiplicibus vexabantur. Nam et luporum rapacium multitudo non solum bruta, sed et homines consumebat, et grando annua tempestate blada [5] et vineas devastabat. Dum igitur sic afflictis praeco sacri Evangelii praedicaret, dixit ad eos: « Ad honorem et laudem omnipotentis Dei fideiubeo vobis, quod pestilentia haec omnis abscedet, et respiciens vos Dominus multiplicabit in temporalibus bonis, si mihi credentes, misereamini vestri, ut, vera confessione praemissa, *dignos faciatis poenitentiae fructus* [6]. Iterum hoc annuntio vobis, quod si beneficiis ingrati *ad vomitum conversi fueritis*, innovabitur plaga, duplicabitur poena, et maior *in vos ira desaeviet* ». Ab illa itaque [7] hora, poenitentiam ad exhortationem ipsius agentibus illis, cessaverunt clades, periere pericula, nec molestiae quidquam lupi intulere vel grandines. Immo, quod maius est, si quando vicinorum arva grando pervaderet, istorum terminis appropinquans, terminabatur ibidem, aut in partem aliam divertebat. Servavit grando, servaverunt et lupi pactionem servi Dei, nec contra pietatis legem in homines ad pietatem conversos attentaverunt amplius desaevire, quamdiu iuxta condictum contra piissimas Dei leges impie non egerunt. — Pie igitur sentiendum de pietate viri beati, quae tam mirae dulcedinis et virtutis fuit, ut domaret ferocia, domesticaret silvestria, mansueta doceret et brutorum naturam homini iam lapso rebellem ad sui obedientiam inclinaret. Vere haec est, quae cunctas sibi creaturas confoederans, *valet ad omnia, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae* [8].

Epilogus.

---

[1] Vide Wadding., loc. cit., ad an. 1221, n. 35; ibid. ad an. 1226, n. 8. agitur de seq. facto (de phasiano).

[2] Cod. A *tanta et,* B C D E F G I M *tanta illi.*

[3] Vide infra c. 13. n. 1.

[4] Scilicet in impressione stigmatum, de qua infra c. 13. Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1224, n. 4. — Superius pro *videtur fuisse* F *videbatur fuisse.*

[5] Du Cange, Glossarium etc.: *Bladum*, Gall. *Blé;* sic autem appellabant quodvis triticum, etsi differret a frumento... Interdum [ponitur bladum] pro farre omnis generis, quando est in herba ante messem.

[6] Loc. 3, 8; cfr. Matth. 3, 8. — Subinde respiciuntur Prov. 26, 11: Sicut canis, qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam (cfr. II. Petr. 2, 22.); Iosue 22, 18: Et vos hodie reliquistis Dominum, et cras in universum Israel ira eius desaeviet. Vat. cum ed. 1 *et maiori in vos ira desaeviet.* — Vide Wadding., loc. cit., ad an. 1217, n. 13.

[7] Edd. *utique,* quae etiam aliquanto inferius pro *Servavit grando* substituunt *Cessavit grando.*

[8] Epist. I. Tim. 4, 8: Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem etc.

Capitulum IX.

De fervore caritatis et desiderio martyrii [1].

1. Caritatem ferventem, qua Sponsi amicus Franciscus ardebat, quis enarrare sufficiat? Totus namque quasi quidam carbo ignitus divini amoris flamma videbatur absorptus. Subito enim ad auditum amoris Domini excitabatur, afficiebatur, inflammabatur, quasi plectro vocis extrinsecae chorda cordis interior tangeretur. *Dictum notabile.* Talem pro eleemosynis censum offerre nobilem prodigalitatem dicebat, et eos qui minus ipsum quam denarios reputarent, esse stultissimos, pro eo quod solius divini amoris impretiabile pretium ad regnum caelorum sufficiat comparandum, et eius qui nos multum amavit, multum sit amor amandus. — *Contemplabatur in creaturis Deum.* Ut autem ex omnibus excitaretur ad amorem divinum, *exsultabat in cunctis operibus* [2] manuum Domini et per iucunditatis spectacula in vivificam consurgebat rationem et causam. Contuebatur in pulcris pulcherrimum et per impressa rebus vestigia prosequebatur ubique dilectum, de omnibus sibi scalam faciens, per quam conscenderet ad apprehendendum eum qui est *desiderabilis totus* [3]. Inauditae namque devotionis affectu fontalem illam bonitatem in creaturis singulis tanquam in rivulis degustabat, et quasi caelestem concentum perciperet in consonantia virtutum et actuum eis datorum a Deo, ipsas ad laudem Domini more Prophetae David [4] dulciter hortabatur.

2. Christus Iesus crucifixus *intra* suae mentis *ubera ut myrrhae fasciculus* iugiter *morabatur* [5], *Item, Christum passum.* in quem optabat per excessivi amoris incendium totaliter transformari. *Cum ieiunio.* Praerogativa quoque peculiaris devotionis ad ipsum ab Epiphaniae festo usque ad continuos quadraginta dies, eo scilicet tempore, quo Christus latuit in deserto [6], ad solitudinis loca declinans cellaque reclusus, quanta poterat arctitudine cibi et potus, ieiuniis, orationibus et laudibus Dei sine intermissione vacabat. Tam fervido quidem in Christum ferebatur affectu, sed et dilectus illi tam familiarem rependebat amorem, ut videretur ipsi famulo Dei quasi iugem prae oculis ipsius Salvatoris sentire praesentiam, sicut aliquando sociis familiariter revelavit. — Flagrabat erga Sacramentum dominici corporis fervore omnium medullarum, stupore admirans permaximo illam carissimam dignationem et dignantissimam [7] caritatem. Saepe communicabat et tam devote, ut alios devotos efficeret, dum ad immaculati Agni degustationem suavem, quasi spiritu ebrius, in mentis ut plurimum rapiebatur excessum.

3. Matrem Domini [8] Iesu Christi indicibili complectebatur amore, eo quod Dominum maiestatis fratrem nobis effecerit, et per eam simus misericordiam consecuti. In ipsa post Christum praecipue fidens, eam sui ac suorum advocatam constituit et ad honorem ipsius a festo Apostolorum Petri et Pauli usque ad festum Assumtionis devotissime ieiunabat [9]. Angelicis spiritibus ardentibus igne mirifico ad excedendum in Deum et electorum animas inflammandas inseparabilis erat amoris vinculo copulatus et ob devotionem ipsorum ab Assumtione Virginis gloriosae quadraginta diebus ieiunans orationi iugiter insistebat [10]. Beato autem Michaeli Archangelo, eo quod animarum repraesentandarum haberet officium, speciali erat amore devotior propter fervidum quem habebat zelum ad salutem omnium salvandorum. Ex recordatione Sanctorum omnium tanquam *lapidum ignitorum* [11] in deificum recalescebat incendium, Apostolos omnes, et praecipue Petrum et Paulum, propter fervidam caritatem, quam habuerunt ad Christum, summa devotione complexans; ob quorum reverentiam et amorem Quadragesimae specialis ieiunium Domino dedicabat [12]. Non habebat aliud Christi pauper

---

[1] Cfr. Thom. a Celano, Vita I. p. I. c. 20. et 29; Vita II. p. II. c. 2. et 9; p. III. c. 101. 108. 125-130.

[2] Psalm. 91, 5.

[3] Cant. 5, 16. — Pro *apprehendendum* A *comprehendendum*. Superius pro *spectacula* edd. *specula*.

[4] Psalm. 148, 1. seqq. — Vide Wadding., loc. cit., ad an. 1210, n. 54-56.

[5] Cant. 1, 12: Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

[6] Matth. 4, 1. seq. Cfr. Regula FF. Minorum, c. 3, ubi de hac Quadragesima (ab Epiphania) dicitur: « quam Dominus suo sancto ieiunio consecravit ».

[7] Cod. 1 *dignatissimam*.

[8] Edd. *Matrem Domini nostri*.

[9] Die 29. Iunii occurrit festum Apostolorum Petri et Pauli, festum vero Assumtionis B. M. Virg. die 15. Augusti. — Ps. 103, 4: Qui facis Angelos tuos spiritus... ignem urentem.

[10] Usque ad festum Dedicationis S. Michaelis Archangeli (29. Sept.), quae infra c. 13. n. 1. Quadragesima ad honorem S. Michaelis Archangeli vocatur. — In officio Breviarii Romani die 29. Sept. Resp. ad 5. lect. dicitur: « Cui [Michaeli] tradidit Deus animas Sanctorum, ut perducat eas in paradisum exsultationis »; et ant. 3. ad Laudes: « Archangele Michael, constitui te principem super omnes animas suscipiendas ».

[11] Ezech. 28, 14. et 16.

[12] Scilicet quadraginta dies, quae festum Apostolorum Petri et Pauli praecedunt. Utrum in hac propositione praeter Quadragesimam Apostolorum Petri et Pauli insinuetur adhuc alia, scilicet in honorem Omnium Sanctorum (incipiens a festo Dedicationis S. Michaelis Archangeli usque ad festum Omnium Sanctorum), quam Wadding., loc. cit., ad an. 1224, n. 6, refert, de hoc iudicium relinquimus lectori. Quatuor [non tribus, ut notant Acta SS.] in praedictis certo allatis Quadragesimis duae aliae adiungendae erunt, scilicet illa quae observanda est ab omnibus fidelibus (ante Pascha) et illa quae praecipitur in c. 4.

nisi *duo minuta* [1], corpus scilicet et animam, quae posset liberali caritate largiri. Sed haec per amorem Christi sic offerebat continue, ut quasi omni tempore per rigorem ieiunii corpus et per ardorem desiderii spiritum immolaret, exterius in atrio *sacrificans holocaustum* et interius in templo *concremans thymiama* [2].

4. Sic autem eum caritatis excessiva devotio sursum in divina ferebat, ut eiusdem affectuosa benignitas ad naturae consortes et gratiae dilataret. Quem enim creaturis ceteris germanum pietas cordis effecerat, mirum non est, si Creatoris insignitis [3] imagine et sanguine redemptis Auctoris germaniorem Christi caritas faciebat. Non se Christi reputabat amicum, nisi animas foveret, quas ille redemit. Saluti animarum nihil praeferendum esse dicebat, eo maxime probans, quod Unigenitus Dei pro animabus dignatus fuerit in cruce pendere. Hinc sibi in oratione luctamen, in praedicatione discursus et in exemplis dandis excessus. Unde quoties austeritas nimia reprehenderetur in ipso, respondebat, se datum aliis in exemplum. Licet enim innocens eius caro, quae iam se sponte subdebat spiritui, nullo propter offensas egeret flagello [4]; tamen exempli causa renovabat illi poenas et onera, *custodiens* propter alios *vias duras*. Dicebat enim: « *Si linguis hominum loquar et Angelorum, caritatem autem in me ipso non habeam* et proximis virtutum exempla non monstrem, parum prosum aliis, mihi nihil ».

5. Ferventi quoque caritatis incendio gloriosum sanctorum Martyrum aemulabatur triumphum, in quibus nec amoris flamma exstingui, nec fortitudo potuit infirmari. Desiderabat propterea et ipse, illa perfecta caritate succensus, *quae foras mittit timorem* [5], per martyrii flammam *hostiam* Domino se offerre *viventem*, ut et vicem Christo pro nobis morienti rependeret et ad divinum amorem ceteros provocaret. Sexto namque conversionis suae anno [6], desiderio martyrii flagrans, ad praedicandam fidem christianam et poenitentiam Saracenis et aliis infidelibus ad partes Syriae transfretare disposuit. Cumque navem quandam, ut illuc tenderet, conscendisset; ventis contrariis flantibus compulsus est in Sclavoniae partibus applicare. Cum igitur moram aliquamdiu contraxisset ibidem nec invenire posset navem tunc temporis transfretantem; fraudatum se a suo desiderio sentiens, nautas quosdam Anconam tendentes, ut amore Dei eum secum ducerent, exoravit. Verum illis propter expensarum defectum pertinaciter recusantibus, vir Dei plurimum de Domini bonitate confisus, navem cum socio latenter conscendit. Affuit quidam a Deo, ut creditur, pro paupere suo missus, qui secum ferens necessaria victus, quendam timentem Deum de navi ad se vocatum sic allocutus est: « Haec omnia [7] pro pauperibus Fratribus in navi latitantibus conserva fideliter ac necessitatis tempore amicabiliter subministra ». Sicque factum est, ut nautis propter vim ventorum per dies plurimos nusquam applicare valentibus, omnia ipsorum consumerentur cibaria, et sola pauperi Francisco collata desuper eleemosyna superesset. Quae cum esset permodica, tantum divina virtute suscepit augmentum, ut diebus pluribus in mari propter tempestatem continuam contrahentibus moram usque ad portum Anconae omnium necessitatibus plenarie subveniret. Videntes itaque nautae, per servum Dei multa se mortis evasisse discrimina, tanquam qui maris horrenda pericula senserant et miranda *opera Domini viderant in profundo* [8], gratias egerunt omnipotenti Deo, qui semper in suis amicis et servis mirabilem et amabilem se ostendit.

Factum memorandum.

6. Cum autem, relicto mari, terram perambulare coepisset, iactato in eam salutis semine, reportabat manipulos fructuosos. Verum quia martyrii fructus adeo cor eius allexerat, ut pretiosam pro Christo mortem super omnia virtutum merita peroptaret, versus Marrochium iter arripuit, ut Miramolino et genti eius Christi Evangelium praedicaret, si quo modo ad concupitam palmam valeret attingere [9]. Tanto namque desiderio ferebatur, ut, quamvis imbecillis esset corpore, peregrinationis suae praecurreret comitem et ad exsequendum propositum festinus, tanquam spiritu ebrius, advolaret. Sed cum

Iterum quaerit martyrium.

Regulae (a festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini). His adiungit Wadding., loc. cit., tres alias, nempe in honorem Spiritus sancti (a feria 4. Paschae usque ad Pentecosten), in honorem Omnium Sanctorum (de qua paulo superius) et in honorem Regum Magorum (a festo S. Stephani usque ad Epiphaniam).

[1] Respicitur Marc. 12, 42. et Luc. 21, 2, ubi de paupere vidua dicitur, quod in gazophylacium « misit duo minuta ». — Inferius pro *quae posset* edd. *quod posset*.

[2] Glossa *ordinaria* apud Lyranum in Luc. 11, 51: Duo erant altaria in templo: unum incensi interius, alterum holocaustorum exterius. Cfr. Exod. 30, 1. seqq. et 40, 5. seqq.

[3] Vat. cum ed. 1 perperam *insignitus*.

[4] Epist. I. Cor. 9, 27: Sed castigo corpus meum et in servitutem redigo; cfr. Gal. 5, 17. — Subinde allegantur Ps. 16, 4: Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras; I. Cor. 13, 1.

[5] Epist. I. Ioan. 4, 18, post quem Rom. 12, 1: Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem etc. Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1212, n. 32.

[6] Scilicet an. 1212 (vel 1213), prout ponitur annus conversionis vel 1206 vel 1207, de quo cfr. Analecta Franciscana, tom. III. pag. 9, ex quibus supra pag. 507, nota 8. unam tantum partem retulimus; Wadding., ad an. 1212, n. 36. Acta SS. ponunt an. 1213.

[7] Fide codd. supplevimus *omnia*. Inferius pro *permodica* Vat. cum ed. 1 *modica*, et pro *pluribus* Acta SS. *plurimis*.

[8] Psalm. 106, 24: Ipsi viderunt opera Domini et mirabilia eius in profundo.

[9] Cfr. Analecta Franciscana, tom. III. pag. 9 et Wadding., loc. cit., ad an. 1213, n. 6. et ad an. 1214, n. 4. — Inferius voci *tanquam* edd. cum uno alteroque cod. praefigunt *et*, ac pro *in Hispaniam* I M substituunt *ad Hispaniam*.

iam usque in Hispaniam perrexisset, divina dispositione, quae ipsum reservabat ad alia, gravissima ei supervenit infirmitas, qua praepeditus, quod cupiebat adimplere nequivit. Sentiens igitur vir Dei, quod necessaria erat adhuc proli, quam genuerat, ipsius vita in carne, quamvis mortem sibi lucrum [1] esse putaret, rediit ad pascendum oves suae sollicitudini commendatas.

Item, tertia vice.

7. Verum caritatis ardore spiritum ipsius ad martyrium perurgente, tertia adhuc vice pro fide Trinitatis effusione sui sanguinis dilatanda versus infideles proficisci tentavit.

Notandum.

Tertiodecimo namque conversionis suae anno [2] ad partes Syriae pergens, multis se periculis constanter exposuit, ut Soldani Babyloniae posset adire praesentiam. Inter Christianos enim ac Saracenos tunc guerra tam implacabilis erat, exercituum castris hinc inde in campo cominus ex adverso locatis [3], ut via mutui transitus sine mortis discrimine non pateret. Exierat siquidem a Soldano edictum crudele, ut quicumque caput alicuius Christiani afferret, Byzantium aureum [4] pro mercede reciperet. At intrepidus Christi miles Franciscus, sperans, in proximo suum adipisci posse propositum, definivit iter arripere, mortis pavore non territus, sed desiderio provocatus. Oratione namque praemissa, confortatus a Domino, confidenter illud propheticum [5] decantabat: *Nam et si ambulem in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

Venit ad Soldanum.

8. Assumto igitur socio Fratre, Illuminato nomine [6], viro utique luminis et virtutis, cum iter coepisset, obvias habuit oviculas duas; quibus visis exhilaratus, vir sanctus dixit ad socium: « *Confide*, Frater, *in Domino* [7], nam in nobis evangelicum illud impletur: *Ecce, ego mitto vos sicut oves in medio luporum* ». Cum autem processissent ulterius, occurrerunt ei satellites Saraceni, qui, tanquam lupi celerius accurrentes ad oves, servos Dei feraliter comprehensos crudeliter et contemptibiliter pertractarunt, afficientes conviciis, affligentes verberibus et vinculis alligantes. Tandem afflictos multipliciter et attritos ad Soldanum, divina disponente providentia, iuxta viri Dei [8] desiderium perduxerunt. Cum igitur princeps ille perquireret, a quibus et ad quid et qualiter missi essent et quomodo advenissent, intrepido corde respondit Christi servus Franciscus, non ab homine, sed a Deo altissimo se fuisse transmissum, ut ei et populo suo viam salutis ostenderet et annuntiaret Evangelium veritatis. Tanta vero mentis constantia, tanta virtute animi tantoque fervore spiritus praedicto Soldano praedicavit Deum trinum et unum et Salvatorem omnium Iesum Christum, ut evangelicum illud [9] in ipso claresceret veraciter esse completum: *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.*

Praedic[...] fidem c[...]stianam

Nam et Soldanus admirandum in viro Dei fervorem spiritus conspiciens et virtutem, libenter ipsum audiebat et ad moram contrahendam cum eo instantius invitabat.

Factum [...]rum.

Christi vero servus superno illustratus oraculo: « Si vis, inquit, converti tu cum populo tuo ad Christum, ob ipsius amorem vobiscum libentissime [10] commorabor. Quodsi haesitas propter fidem Christi legem Mahumeti dimittere; iube, ignem accendi permaximum, et ego cum sacerdotibus tuis ignem ingrediar, ut vel sic cognoscas, quae fides certior et sanctior non immerito tenenda sit ». Ad quem Soldanus: « Non credo, quod aliquis de sacerdotibus meis se vellet igni propter fidem suam defensandam exponere, vel genus aliquod subire tormenti ». Viderat enim, statim quendam de presbyteris suis, virum authenticum et longaevum, hoc audito verbo, de suis conspectibus aufugisse. Ad quem vir sanctus: « Si mihi velis promittere pro te et populo tuo, quod ad Christi cultum, si ignem illaesus exiero, veniatis; ignem solus intrabo; et si combustus fuero, imputetur peccatis meis; si autem divina me protexerit virtus, *Christum, Dei virtutem et sapientiam* [11], verum Deum et Dominum Salvatorem omnium agnoscatis ».

Notand[...]

Soldanus autem optionem hanc accipere se non audere respondit, quia seditionem populi formidabat. Obtulit tamen ei multa munera pretiosa, quae vir Dei, non mundanarum rerum, sed salutis animarum avidus, sprevit omnia quasi lutum. Soldanus [12], videns virum sanctum tam perfectum rerum mundialium contemptorem, admiratione permotus, maiorem erga ipsum devotionem concepit. Et quamvis ad fidem christianam transire nollet, vel forsitan non auderet; rogavit tamen devote famulum Christi, ut praedicta susciperet pro salute ipsius Christianis pauperibus vel ecclesiis

---

[1] Phil. 1, 21: Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum.

[2] Scilicet an. 1219; qui supra ponunt 1213 hic deberent ponere 1220; cfr. Analecta Franciscana, tom. III. pag. 22, Wadding., loc. cit., ad an. 1219, n. 54. et 58. seqq. — Soldanus *Babyloniae* idem est ac Soldanus *Aegypti*.

[3] Christiani cruce signati an. 1219 urbem Damiatam in Aegypto obsidebant; cfr. infra c. 11. n. 3. — Superius pro *guerra tam implacabilis* edd. *bellum tam implacabile*.

[4] Du Cange, Glossarium etc.: *Byzantius*, nummus aureus ab impp. Constantinopolitanis cusus Constantinopoli, quae olim *Byzantium*, unde monetae nomen.

[5] Psalm. 22, 4. Pro *ambulem* edd. et pauci codd. cum Vulgata *ambulavero*.

[6] *Reatino*; cfr. de ipso Wadding., loc. cit., ad an. 1210, n. 37.

[7] Eccli. 11, 22: Confide autem in Deo. — Subinde allegatur Matth. 10, 16.

[8] Vat. cum ed. 1 et nonnullis codd. omittit *Dei*.

[9] Luc. 21, 15. — Pro *in ipso claresceret* 1 M *in servo suo claresceret*.

[10] Edd. *ob illius amorem vobiscum libenter*.

[11] Epist. I. Cor. 1, 24. — Superius pro *intrabo* edd. *introibo*.

[12] Edd. *Soldanus autem*.

eroganda. Ipse vero, quia pondus fugiebat pecuniae et in animo Soldani verae pietatis non videbat radicem, nullatenus acquievit.

9. Videns etiam, se non proficere in conversione gentis illius nec assequi posse propositum[1], ad partes fidelium divina revelatione praemonitus remeavit. Sic itaque Dei ordinante clementia, et sancti viri promerente virtute, misericorditer et mirabiliter factum est, quod Christi amicus mortem pro ipso viribus totis exquireret, et tamen nullatenus inveniret, ut et merito non careret optati martyrii et insigniendus servaretur in posterum privilegio singulari[2]. Sic utique factum est, ut ignis ille divinus adhuc perfectius ipsius aestuaret in corde, ut post patentius evaporaret in carne. O vere beatum virum, cuius *caro*, etsi tyrannico ferro non caeditur, occisi tamen Agni similitudine non privatur! O, inquam, vere ac plene beatum, cuius animam « etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit[3] »!

Capitulum X.

De studio et virtute orationis[4].

1. Sentiens Christi servus Franciscus corpore se *peregrinum a Domino*[5], cum iam ad terrena foris desideria per Christi caritatem totus esset insensibilis factus; ne foret absque consolatione dilecti, *sine intermissione* orans, spiritum Deo contendebat exhibere praesentem. Erat quidem oratio contemplanti *solatium*, dum, supernarum circuitu mansionum Angelorum concivis iam factus, ferventi desiderio quaerebat dilectum[6], a quo solus eum carnis paries disiungebat. Erat et operanti *praesidium*, dum in omnibus, quae agebat, de sua diffidens industria et de superna pietate confidens, per ipsius instantiam totum in Domino cogitatum iactabat[7]. — Orationis gratiam viro religioso desiderandam super omnia firmiter asserebat, nullumque credens sine ipsa in Dei prosperari servitio, modis, quibus poterat, Fratres suos ad eius studium excitabat. Nam ambulans et sedens, intus et foris, laborans et vacans orationi adeo erat intentus, ut illi videretur non solum quidquid erat in eo cordis et corporis, verum etiam operis et temporis dedicasse.

2. Solitus erat nullam visitationem spiritus cum negligentia praeterire. Siquidem, cum offerebatur, sequebatur eam, et quamdiu Dominus concedebat, dulcedine perfruebatur oblata. Cum autem, intentus itineri, divini Spiritus aliquos sentiret afflatus; sociis praecedentibus, gradum figebat, novamque inspirationem ad fruitionem convertens, *gratiam non recipiebat in vacuum*[8]. Suspendebatur multoties tanto contemplationis excessu, ut supra semetipsum raptus et ultra humanum sensum aliquid sentiens, quid ageretur circa se exterius, ignoraret. — Transiens namque semel per Burgum sancti Sepulcri[9], castrum utique populosum, pro debilitate corporis subvectus asello, obvias habuit turbas in eum prae devotione ruentes. Tractus autem et detentus ab eis, compressus quoque ac multipliciter attrectatus, insensibilis videbatur ad omnia et velut exanime corpus de his quae fiebant circa ipsum, nihil penitus advertebat. Unde cum, iam diu transito castro turbisque relictis, pervenisset ad quoddam domicilium leprosorum; quasi aliunde rediens caelestium contemplator, sollicite requisivit, quando propinquarent ad Burgum. Mens quidem ipsius in caelestibus fixa splendoribus varietates non senserat locorum nec temporum nec occurrentium personarum. Quod ipsi accidisse frequentius, sociorum eius experientia multiplex comprobavit.

3. Et quia in oratione perceperat, sancti Spiritus desideratam praesentiam tanto familiarius se offerre precantibus, quanto plus invenit elongatos a strepitu mundanorum; ideo loca solitaria quaerens, ad solitudines et ecclesias derelictas oraturus nocte pergebat; ubi daemonum pugnas horribiles frequenter sustinuit, qui secum sensibiliter confligentes, nitebantur ipsum ab orationis studio perturbare. Ipse vero, armis munitus caelestibus, quanto vehementius impetebatur ab hostibus, tanto fortior in virtute et

...rtitur. ...os oratio...nis. ...im no...bile. ...odebat ei visi...es. Exemplum. Quaerit solitudines. Pugnae contra daemones.

---

[1] Scilicet martyrium. — Vocibus *nec assequi* edd. interserunt *suum*.

[2] Nempe stigmatibus sacris, de quibus infra c. 13. — Inferius pro *patentius* edd. *potentius*.

[3] Ut dicitur in festo S. Martini (11. Nov.), ant. ad Magnificat II. Vesp. (cfr. tom. IV. pag. 757, nota 9.): O sanctissima anima, quam etsi etc.

[4] Cfr. Thom. a Celano, Vita I. p. I. c. 30. et Vita II. p. III. c. 38-44.

[5] Epist. II. Cor. 5, 6: Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino. — Inferius respiciuntur I. Thess. 5, 17: Sine intermissione orate; II. Cor. 5, 8: Audemus autem et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore et praesentes esse ad Dominum.

[6] Cant. 3, 1: Quaesivi quem diligit anima mea etc.

[7] Respicitur Ps. 54, 23; cfr. supra pag. 511, nota 7. Vide Wadding., loc. cit., ad an. 1210, n. 51, ubi etiam de iis quae sequuntur.

[8] Epist. II. Cor. 6, 1: Adiuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.

[9] De quo etiam supra pag. 521, nota 10. Vide Wadding., loc. cit., ad an. 1224, n. 27. — Inferius pro *prae devotione* I substituit *pro devotione*.

ferventior reddebatur in prece, fidenter dicens ad Christum [1]: *Sub umbra alarum tuarum protege me a facie impiorum, qui me afflixerunt.* Ad daemones autem: « Facite quidquid in me valetis, maligni spiritus et fallaces. Non enim potestis, nisi quantum vos manus superna relaxat; et ego ad perferendum omnia, quae illa infligenda decreverit, cum omni iucunditate paratus assisto ». Quam mentis constantiam superbi daemones non ferentes, abscedebant confusi.

Modus orandi. 4. Vir autem Dei solitarius remanens et pacatus, nemora replebat gemitibus, loca spargebat lacrymis, pectora manu tundebat, et quasi occultius secretarium nactus, confabulabatur cum Domino suo. Ibi respondebat iudici, ibi supplicabat patri, ibi colloquebatur amico, ibi quoque a Fratribus ipsum pie observantibus aliquoties auditus est clamorosis gemitibus apud divinam pro peccatoribus interpellare clementiam, deplorare etiam alta voce quasi coram positam dominicam passionem [2]. Facta mira. Ibi visus est nocte orans, manibus ad modum crucis protensis, toto corpore sublevatus a terra et nubecula quadam fulgente circumdatus, ut illustrationis mirabilis intra mentem mira circa corpus perlustratio testis esset. Ibi etiam, sicut certis est comprobatum indiciis, *incerta sibi et occulta* divinae sapientiae pandebantur, quamvis illa non vulgaret exterius, nisi quantum Christi urgebat caritas, et proximorum utilitas exigebat. Dictum. Dicebat enim: « Levi mercede rem impretiabilem contingit amitti, et illum qui dedit, ad non dandum iterum facile provocari ». — Notanda. Quando a privatis redibat orationibus, quibus pene in virum alterum mutabatur, summopere studebat conformare se ceteris, ne forte quod foris ostenderet aura favoris intus a mercede vacuaret [3]. Cum in publico subito afficeretur, visitatus a Domino, semper aliquid obiiciebat astantibus, ne Sponsi familiares attactus forinsecus vulgarentur. Exscreationes [4], gemitus, duros anhelitus, extrinsecos nutus orans inter Fratres devitabat omnino, sive quia diligebat secretum, sive quia ad interiora reintrans, totus ferebatur in Deum. Saepe talia familiaribus dixit: « Quando servus Dei orans visitatur divinitus, dicere debet: Istam consolationem mihi peccatori et indigno de caelo misisti, Domine, et ego illam tuae committo custodiae, quia thesauri tui me sentio esse latronem. Cum autem ab oratione revertitur, sic debet se pauperculum et peccatorem ostendere, ac si nullam sit novam gratiam consecutus ».

Factum mirum. 5. Orante autem viro Dei in loco de Portiuncula, contigit, Assisinatem episcopum venire ad eum, ut erat solitus, visitandum. Qui mox, ut locum fuit ingressus, ad cellam, in qua Christi servus orabat, plus debito fidenter accessit, pulsoque ostiolo, intraturum se ingerens, dum caput immisit Sanctumque orantem conspexit, repentino tremore [5] concussus, obrigescentibus membris, etiam loquelam amisit, subitoque voluntate divina per vim foras propulsus, retrogrado pede procul abductus est. Stupefactus episcopus ad Fratres festinavit, ut potuit, Deoque sibi restituente loquelam, primo verbo confessus est culpam. — Aliud. Contigit tempore quodam, abbatem Monasterii sancti Iustini de episcopatu Perusii obviare famulo Christi [6]. Quo viso, abbas devotus celeriter de equo descendit, ut et viro Dei reverentiam faceret et de salute animae aliqua cum ipso conferret. Tandem, habita collatione suavi, abbas abscedens orari pro se humiliter petiit. Cui vir Deo carus respondit: « Orabo libenter ». Parum itaque discedente abbate, dixit fidelis Franciscus ad socium: « Exspecta, Frater, modicum, quia debitum volo solvere, quod promisi ». Orante autem illo, subito abbas insolitum calorem et dulcedinem hactenus inexpertam sensit in spiritu, ita quod in excessu mentis effectus, totus a se ipso in Deum defecit. Parva morula substitit, et in se reversus, virtutem orationis sancti Francisci cognovit. Maiori proinde circa Ordinem semper amore flagravit multisque factum pro miraculo retulit.

Quomodo persolverit officium. 6. Solitus erat vir sanctus Horas canonicas non minus timorate Deo persolvere quam devote. Nam licet oculorum, stomachi, splenis et hepatis aegritudine laboraret; nolebat tamen muro vel parieti inhaerere, dum psalleret, sed Horas semper erectus et sine caputio, non gyrovagis oculis, non cum aliqua syncopa [7] persolvebat. Si quando esset in itinere constitutus, figebat tunc temporis gressum, huiusmodi consuetudinem reverentem et sacram propter pluviarum inundantiam non omittens. Dictum. Dicebat enim: « Si quiete comedit corpus cibum suum futurum cum ipso vermium esca, cum quanta pace ac tranquillitate accipere debet anima cibum vitae »? Graviter etiam se putabat offendere, si quando orationi deditus, vanis phantasmatibus interius vagaretur. Cum aliquid tale accideret, non parcebat confessioni, quin illud protinus expiaret. Hoc studium sic in usum converterat, ut rarissime muscas huiuscemodi pateretur. — Factum. Fecerat in Quadragesima quadam

---

[1] Illud Ps. 16, 8. seq. Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1215, n. 9.

[2] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1208, n. 12. — Vocibus *coram positam* edd. interserunt *se*. — Infra cfr. Ps. 50, 8.

[3] Ita A B C D E I M; F *alienus existeret*, G *evacuaretur*, edd. *evacuaret*.

[4] Acta SS. *Exsecrationes* (secundum Du Cange, Glossarium etc. idem ac *Exscreationes*).

[5] Edd. *timore*. Inferius pro *restituente loquelam* Vat. et ed. 1 *restituente linguam*.

[6] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1218, n. 8.

[7] Id est sine interruptione, vel mutilatione; cfr. Du Cange, Glossarium etc.: Est autem *syncopare*, scindere, seu potius intersecare, Gallis *entrecouper*... *Syncopare*, verba non omnino pronuntiare, sed ea quasi secare, quomodo *couper les mots* dicimus.

vasculum unum, ut minutias temporis, ne omnino exciderent, occuparet. Quod cum dicenti Tertiam in memoriam veniens, paululum ipsius animum distraxisset; motus fervore spiritus, vasculum igne consumsit, dicens: « Sacrificabo illud Domino, cuius sacrificium impedivit ». Psalmos cum tanta mentis ac spiritus attentione dicebat, quasi Deum praesentem haberet; et cum nomen Domini in ipsis occurreret, prae suavitatis dulcedine labia sua lingere videbatur. — Ipsum quoque Domini nomen non solum cogitatum, verum etiam prolatum et scriptum, reverentia volens honorificare praecipua, Fratribus persuasit aliquando, ut omnes schedulas scriptas, ubicumque repertas colligerent mundoque loco reponerent, ne forte sacrum illud nomen ibi scriptum contingeret conculcari [1]. Nomen autem Iesu cum exprimeret vel audiret, iubilo quodam repletus interius, totus videbatur exterius alterari, ac si mellifluus sapor gustum, vel harmonicus sonus ipsius immutasset auditum [2].

7. Contigit autem anno tertio ante obitum suum [3], ut memoriam nativitatis pueri Iesu ad devotionem excitandam apud castrum Graecii disponeret agere, cum quanta maiori solemnitate valeret. Ne vero hoc novitati posset ascribi, a Summo Pontifice petita et obtenta licentia, fecit praeparari praesepium, apportari foenum, bovem et asinum ad locum adduci. Advocantur Fratres, adveniunt populi, personat silva voces, et venerabilis illa nox luminibus copiosis et claris laudibusque sonoris et consonis et splendens efficitur et solemnis. Stabat vir Dei coram praesepio pietate repletus, respersus lacrymis et gaudio superfusus. Celebrantur Missarum solemnia super praesepe, levita Christi Francisco sacrum Evangelium decantante. Praedicat deinde populo circumstanti de nativitate pauperis Regis, quem, cum nominare vellet, puerum de Bethlehem prae amoris teneritudine nuncupabat. — Miles autem quidam virtuosus et verax, qui, propter Christi amorem saeculari relicta militia, viro Dei magna fuit familiaritate coniunctus, dominus Ioannes de Graecio, se vidisse asseruit puerulum quendam valde formosum in illo praesepio dormientem, quem beatus pater Franciscus, ambobus complexans brachiis, excitare videbatur a somno. — Hanc quidem [4] devoti militis visionem non solum videntis sanctitas credibilem facit, sed et designata veritas comprobat, et miracula subsecuta confirmant. Nam exemplum Francisci consideratum a mundo excitativum est cordium in fide Christi torpentium, et foenum praesepii reservatum a populo mirabiliter sanativum fuit [5] brutorum languentium et aliarum repulsivum pestium diversarum, glorificante Deo per omnia servum suum sanctaeque orationis efficaciam evidentibus miraculorum prodigiis demonstrante.

Notandum.

Comprobatur miraculo.

Capitulum XI.

De intelligentia Scripturarum et spiritu prophetiae [6].

1. Ad tantam autem mentis serenitatem indefessum orationis studium cum continua exercitatione virtutum virum Dei perduxerat, ut, quamvis non habuerit sacrarum litterarum peritiam per doctrinam, aeternae tamen lucis irradiatus fulgoribus, Scripturarum profunda miro intellectus scrutaretur acumine. Penetrabat enim ab omni labe purum ingenium mysteriorum abscondita, et ubi magistralis scientia foris stat, affectus introibat amantis. Legebat quandoque in libris sacris, et quod animo semel iniecerat tenaciter imprimebat memoriae, quia non frustra mentalis attentionis percipiebat auditu quod continuae devotionis ruminabat affectu. Quaerentibus aliquando Fratribus, utrum sibi placeret, quod litterati iam recepti ad Ordinem intenderent studio sacrae Scripturae, respondit: « Mihi quidem placet, dum tamen exemplo Christi, qui magis orasse legitur quam legisse, orationis studium non omittant nec tantum [7] studeant, ut sciant, qualiter debeant loqui, sed ut audita faciant, et cum fecerint, aliis facienda proponant. Volo, inquit, Fratres meos discipulos evangelicos esse sicque in notitia veritatis proficere, quod in simplicitatis puritate concrescant, ut simplicitatem columbinam a prudentia serpentina non separent, quas Magister eximius ore suo benedicto coniunxit [8] ».

Commendat studium cum devotione.

[1] Cfr. Testamentum S. Francisci: Et sanctissima nomina eius et verba scripta, ubicumque invenero in locis illicitis, volo colligere et rogo, quod colligantur et in loco honesto collocentur. — Vat. et ed. 1 omittunt *ibi scriptum*. Superius pro *honorificare* edd. *honorare*, et pro *schedulas* codd. secundum antiquum scribendi modum substituunt *cedulas* (cfr. Du Cange, Glossarium etc.).

[2] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1223, n. 19. — Superius pro *harmonicus* Vat. et ed. 1 *harmoniacus*.

[3] Anno 1223; cfr. Wadding. ad hunc annum, n. 20. (vide etiam ad an. 1217, n. 16.). — Inferius pro *novitati* edd. *levitati*.

[4] Edd. *Hanc siquidem*.

[5] Codd. omittunt *fuit*.

[6] Cfr. Thom. a Celano, Vita I. p. I. c. 18. et p. II. c. 2-4. 7-10. 18; ac p. III. c. 45. et 64. In cod. H hoc capitulum dividitur in novem lectiones.

[7] Vat. cum ed. 1 *nec tamen*.

[8] Matth. 10, 16: Estote ergo prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae. Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1220, n. 26.

Scientia ei infusa.

2. Interrogatus Senis a quodam religioso viro, theologiae sacrae doctore, de quibusdam quaestionibus difficilibus intellectu, tanta claritate doctrinae divinae sapientiae patefaciebat arcana, ut vehementer stuperet vir ille peritus et cum admiratione referret: « Vere theologia sancti Patris istius, puritate ac contemplatione tanquam alis in altum subvecta, est aquila volans; nostra vero scientia ventre graditur super terram ». Licet enim esset imperitus sermone, scientia tamen plenus enodabat dubia quaestionum et *abscondita producebat in lucem* [1]. Nec absonum, si vir sanctus Scripturarum a Deo intellectum acceperat, cum per imitationem Christi perfectam veritatem ipsarum descriptam gestaret in opere et per sancti Spiritus unctionem plenariam doctorem earum apud se haberet in corde [2].

De secundo.

3. Adeo etiam in ipso claruit spiritus prophetiae, ut et praevideret futura et cordium contueretur occulta, absentia quoque velut praesentia cerneret et se praesentem absentibus mirabiliter exhiberet.

Exemplum primum.

Tempore namque, quo Damiatam Christianorum obsidebat exercitus, aderat vir Dei, non armis, sed fide munitus [3]. Cum igitur die belli Christiani pararentur ad pugnam, hoc audito, Christi servus vehementer ingemuit dixitque socio suo: « Si belli fuerit attentatus congressus, ostendit mihi Dominus non prospere cedere Christianis; verum, si hoc dixero, fatuus reputabor; si tacuero, conscientiam non evadam. Quid ergo tibi videtur » ? Respondit socius eius dicens: « Frater, pro minimo tibi sit, ut ab hominibus iudiceris [4], quia non modo incipis fatuus reputari. Exonera conscientiam tuam et Deum magis time quam homines ». Quo audito, exsiliens Christi praeco salutaribus monitis Christianos aggreditur, prohibet bellum, denuntiat casum. Fit veritas in fabulam, induraverunt cor suum et noluerunt reverti. Itur, committitur [5] et bellatur, totaque in fugam vertitur militia christiana, finem belli opprobrium regerens, non triumphum. Tanta vero strage Christianorum imminutus est numerus, ut circa sex millia fuerint inter mortuos et captivos. In quo evidenter innotuit, quod spernenda non erat sapientia pauperis; cum *anima viri iusti enuntiet aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum* [6].

Alterum exemplum.

4. Alio quoque tempore, cum post reversionem ipsius de ultra mare Celanum [7] praedicaturus accederet, miles quidam supplici eum devotione cum instantia magna invitavit ad prandium. Venit itaque ad militis domum, omnisque familia pauperum hospitum exsultavit ingressu [8]. Ante vero quam cibum sumerent, iuxta solitum morem vir mente devotus offerens Deo preces et laudes, oculis stabat elevatis in caelum. Oratione completa, benignum hospitem familiariter advocatum in partem sic allocutus est: « Ecce, frater hospes, tuis victus precibus; ut manducarem, domum tuam intravi. Meis nunc cito monitis acquiesce, quoniam non hic, sed alibi manducabis. Confitere nunc peccata tua, verae poenitentiae dolore contritus, nec in te remaneat quidquam, quod veridica confessione non pandas. Reddet tibi Dominus hodie vicem, quoniam tanta devotione suos pauperes suscepisti ». Acquievit continuo vir ille sermonibus Sancti, socioque ipsius universa peccata in confessione detegens, *disposuit domum suam* [9] et ad mortem suscipiendam se, quantum valuit, praeparavit. Intraverunt tandem ad mensam, et incipientibus aliis manducare, hospes subito spiritum exhalavit, iuxta verbum hominis Dei repentina morte sublatus. Sicque factum est, hospitalitatis misericordia promerente, ut iuxta verbum Veritatis [10] *Prophetam recipiens mercedem Prophetae acciperet;* dum per sancti viri praenuntiationem propheticam miles ille devotus sibi contra mortis subitationem providit, quatenus, armis poenitentiae praemunitus, perpetuam damnationem evaderet et in aeterna tabernacula introiret.

Tertium exemplum.

5. Tempore, quo vir sanctus Reate iacebat infirmus [11], praebendarius quidam nomine Gedeon, lubricus et mundanus, infirmitate gravi correptus et lectulo decubans, cum ad eum fuisset delatus, lacrymose rogabat cum simul astantibus, ut ab ipso crucis signaculo signaretur. Ad quem ille: « Cum vixeris olim secundum desideria carnis, non veritus iudicia Dei, quomodo te cruce signabo? Verum propter devotas intercedentium preces, signo te crucis signabo in nomine Domini. Tu tamen scito, te graviora passurum, si ad vomitum redieris [12] liberatus. Propter peccatum enim ingratitudinis semper peiora prioribus inferuntur ». Signo itaque crucis

---

[1] Iob 28, 11: Profunda quoque fluviorum scrutatus est et abscondita in lucem produxit. Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1226, n. 3.

[2] Epist. I. Ioan. 2, 20: Sed vos unctionem habetis a Sancto et nostis omnia; cfr. ibid. v. 27.

[3] Vide supra c. 9. n. 7. seq., ubi etiam nomen socii insinuatur, scil. Fr. Illuminati. Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1219, n. 56. seq. — Inferius pro *congressus* Vat. cum ed. 1 *ingressus.*

[4] Epist. I. Cor. 4, 3: Mihi autem pro minimo est, ut a vobis iudicer etc.

[5] Pro *Itur, committitur* Acta SS. *Igitur committitur.*

[6] Eccli. 37, 18: Anima viri sancti enuntiat etc. Vat. cum ed. 1 *annuntiet.*

[7] Inter Marsorum populos in Latio, ut vult Wadding., loc. cit., ad an. 1225, n. 10. Oppidum hoc est prope lacum *Fucinum* in Aprutio Ulteriori, in regno Neapolitano. — Nomine *militis* intelligi potest vir nobilis; cfr. supra pag. 525, nota 8.

[8] Vat. cum ed. 1 *in ingressu.*

[9] Isai. 38, 1: Dispone domui tuae, quia morieris tu, et non vives. — Superius pro *sermonibus Sancti* A *sermonibus sanctis.*

[10] Matth. 10, 41. — Superius pro *hospitalitatis misericordia* edd. *hospitalitatis gratia.* Inferius pro *praenuntiationem* Vat. cum ed. 1 *pronuntiationem.*

[11] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1225, n. 8. — Inferius pro *et lectulo* F *in lectulo,* edd. *lectulo.*

[12] Cfr. supra pag. 529, nota 6.

super eum facto, statim qui contractus iacuerat surrexit sanus, et in laudem Dei prorumpens: « Ego, inquit, sum liberatus ». Insonuerunt autem ossa renum eius, audientibus multis [1], veluti cum manu ligna sicca franguntur. Paucis autem interlapsis temporibus, Dei oblitus, corpus impudicitiae reddidit; cumque sero quodam coenasset in domo cuiusdam canonici nocteque illa dormiret ibidem, subito super omnes corruit tectum domus. Ceteris autem evadentibus mortem, solus miser ille interceptus atque interemptus est. Iusto igitur Dei iudicio facta sunt *novissima hominis illius peiora prioribus* [2] propter ingratitudinis vitium Deique contemptum, cum de accepta venia gratum esse oporteat, et duplo displiceat flagitium iteratum.

6. Alio quoque tempore mulier quaedam nobilis, Deo devota venit ad Sanctum, ut suum ei explicaret dolorem ac remedium postularet. Habebat quidem virum valde crudelem, quem adversarium patiebatur in servitio Christi; et ideo petebat a Sancto, quatenus oraret pro illo, ut sua Deus cor ipsius dignaretur emollire clementia. Ipse vero hoc audiens, ait illi: « Vade cum pace, indubitanter exspectans de viro tuo consolationem tibi de proximo affuturam ». Et adiecit: « Dices ei ex parte Dei et mea, quod nunc est tempus clementiae, postmodum aequitatis ». Benedictione accepta, revertitur mulier, invenit virum, denuntiat verbum. Cecidit super eum Spiritus sanctus et novum factum de veteri sic facit cum omni mansuetudine respondere: « Domina, serviamus Domino et salvemus animas nostras ». Suadente igitur sancta uxore, pluribus annis coelibem vitam agentes, eodem die ambo ad Dominum migraverunt [3]. — Miranda certe in viro Dei spiritus prophetici *virtus,* qua et membris iam arentibus restituebat vigorem et duris imprimebat cordibus pietatem, quamquam non minus eiusdem spiritus sit stupenda *limpiditas,* qua sic futurorum praecognoscebat eventum, ut etiam conscientiarum scrutaretur arcanum, quasi alter Eliseus duplicem Eliae spiritum assecutus [4].

(Qu)artum.

7. Nam cum Senis viro cuidam sibi familiari quaedam superventura finaliter praedixisset, et vir ille peritus, de quo supra [5] mentio facta est, quod de Scripturis cum eo conferebat aliquando, his auditis, ab eodem sancto Patre dubitando perquireret, an haec ipse dixisset, quae illius viri relatione cognoverat; non solum se illa dixisse asseruit, verum etiam quaerenti alienum eventum proprium exitum prophetando praedixit. Quod ut certius cordi eius imprimeret, quendam secretum conscientiae illius scrupulum, quem nulli viventi vir praefatus expresserat, et mirabiliter revelando explicuit et salubriter consulendo resecavit [6]. Ad quorum omnium firmitatem accedit, quod vir ille religiosus, sicut Christi famulus ei praedixit, sic finaliter consummavit.

(Qui)ntum.

8. Eo quoque tempore, quo revertebatur de ultra mare, socium habens fratrem Leonardum de Assisio, contigit, eum fatigatum et lassum parumper asellum conscendere. Subsequens autem socius, et ipse non modicum fessus, coepit dicere intra se, humanum aliquid passus: « Non de pari ludebant parentes huius [7] et mei. En, ipse equitat, et ego pedester asinum eius duco ». Haec illo cogitante, protinus de asino descendit vir sanctus et ait: « Non, Frater, convenit, ut ego equitem, tu venias pedes, quia nobilior et potentior in saeculo me fuisti [8] ». Obstupuit illico Frater et rubore suffusus, deprehensum se recognoscens, procidit ad pedes ipsius, et lacrymis irrigatus, nudum exposuit cogitatum veniamque poposcit.

Sextum.

9. Frater quidam [9] Deo devotus et famulo Christi frequenti cogitatione versabat in pectore, superna fore gratia dignum, quem vir sanctus familiari complecteretur affectu, quem vero tanquam extraneum reputaret extra numerum electorum reputandum a Deo. Cum igitur, cogitationis huiusmodi crebrius vexatus impulsu, viri Dei familiaritatem vehementer optaret, nec tamen cordis sui secretum revelaret alicui, advocans eum ad se dulciter Pater pius, sic allocutus est: « Nulla te turbet cogitatio, fili, quoniam te carissimum habens, inter praecipue mihi caros libenter tibi munus meae familiaritatis et dilectionis impendo ». Miratus exinde Frater factusque devotior ex devoto, non solum in amore [10] crevit hominis sancti, verum etiam per Spiritus sancti gratiae munus donis est maioribus cumulatus.

Septimum.

— Cum autem in Monte maneret Alvernae cella reclusus, unus e sociis [11] magno desiderio cupiebat habere de verbis Domini aliquod scriptum manu ipsius breviter annotatum. Gravem enim qua vexabatur tentationem non carnis, sed spiritus ex hoc credebat evadere, vel certe levius ferre. Tali desiderio languens, anxiabatur interius, quia, verecundia victus, reverendo Patri rem pandere non audebat. Sed cui homo non dixit, Spiritus revelavit. Portari namque sibi iussit a Fratre praedicto atramentum et chartam laudesque Domini iuxta Fratris desiderium propria manu scripsit et ultimo benedictionem ipsius [12], dicens: « Accipe

Octavum.

[1] Edd. *audientibus cunctis.*

[2] Matth. 12, 45.

[3] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1224, n. 2. — Superius fide codd. supplevimus *omni.*

[4] Cfr. IV. Reg. 2, 9. seqq.

[5] Num. 2. Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1226, n. 4.

[6] Edd. *reseravit.*

[7] Edd. *eius.* Inferius pro *Haec* Vat. cum ed. 1 *Hoc.*

[8] Edd. *tu me fuisti.*

[9] Ricerius sive Richerius, ut insinuat Thom. a Celano, Vita I. p. I. c. 18. — Inferius pro *huiusmodi* Acta SS. *huius.*

[10] Vat. cum nonnullis codd. et ed. 1 *in amorem.*

[11] Fr. Leo, ut refert Wadding., loc. cit., ad an. 1224, n. 7. — Inferius pro *aliquod scriptum* K *aliquid scriptum.*

[12] Num. 6, 24-26: « Benedicat tibi Dominus et custodiat te; ostendat Dominus faciem suam tibi et misereatur tui; convertat Dominus vultum suum ad te et det tibi pacem ». Huic benedictioni secundum Wadding., loc. cit., praemissa fuit littera T

tibi chartulam istam et usque ad diem mortis tuae custodias diligenter ». Accipit Frater donum illud optatum, et statim omnis illa tentatio effugatur. Servatur littera, et cum in posterum miranda effecerit, virtutum Francisci testimonium fuit.

10. Frater quidam erat, quantum a foris videbatur, sanctitate praeclarus, conversatione insignis, tamen admodum singularis. Omni tempore orationi vacans, tanta districtione silentium observabat, quod consueverat non verbis, sed nutibus confiteri. Accidit autem, sanctum Patrem venire ad locum videre Fratrem et de ipso cum aliis Fratribus habere sermonem. Commendantibus autem omnibus et magnificantibus illum respondit vir Dei: « Sinite, Fratres, ne mihi in eo diabolica figmenta laudetis. In veritate sciatis, quod diabolica tentatio est et deceptio fraudulenta ». Dure acceperunt hoc Fratres, tanquam impossibile iudicantes, quod tot perfectionis indiciis fraudis se commenta fucarent [1]. Verum non post multos dies, eo Religionem egresso, evidenter apparuit, quanta luculentia interioris contuitus vir Dei cordis eius secreta perspexit. — Multorum quoque per hunc modum, qui stare videbantur, ruinam, sed et plurium perversorum conversionem ad Christum immobili veritate praenuntians, appropinquasse videbatur ad aeternae lucis speculum contemplandum, cuius fulgore mirabili absentia corporaliter, tanquam si essent praesentia, mentis eius cernebat obtutus [2].

Nonum.

11. Quodam namque tempore Vicarius suus tenebat Capitulum, ipse vero in cella orans, *sequester* erat *et medius* inter Fratres et Deum [3]. Cum igitur unus ex ipsis, defensionis quodam contectus pallio, non se subderet disciplinae; videns hoc vir sanctus in spiritu, vocavit quendam de Fratribus et dixit ad eum: « Vidi, Frater, diabolum super illius Fratris inobedientis dorsum, collum eius tenentem astrictum, qui tali sessore subactus, obedientiae freno spreto, instinctus eius sequebatur habenas. Et cum rogarem Deum pro Fratre, subito daemon confusus abscessit. Vade igitur et dic Fratri, ut obedientiae sanctae iugo collum sine mora submittat ». Monitus per internuntium Frater statimque conversus ad Deum, ad pedes Vicarii humiliter se proiecit.

Decimum.

12. Alio quoque tempore contigit, duos Fratres ad eremitorium Graecii de remotis venire, ut virum Dei cernerent et benedictionem multo desideratam iam tempore reportarent. Venientes et non invenientes, quia de publico iam ad cellam redierat, desolati abibant. Et ecce, recedentibus illis, cum de ipsorum adventu vel recessu nihil secundum humanum sensum percipere potuisset, praeter solitum morem egressus e cella, clamavit post eos et ipsos [4], iuxta quod optaverant, signo crucis facto in Christi nomine benedixit.

Undecimum.

13. Duo Fratres venerunt aliquando de Terra Laboris [5], quorum antiquior nonnulla intulit scandala iuniori. Cum autem pervenissent ad Patrem, quaesivit ille a iuniore, qualiter erga ipsum se Frater socius habuisset in via. Quo respondente: « Utique satis bene », subiunxit: « Cave, Frater, ne sub humilitatis specie mentiaris; scio enim, scio; sed exspecta modicum et videbis ». Miratus est perplurimum Frater, quomodo tam absentia per spiritum cognovisset. Igitur non post multos dies, contempta Religione, foras egreditur qui scandalum fecerat Fratri et a Patre non petierat veniam nec correctionis debitam receperat disciplinam. Simulque duo in una illius claruere ruina: aequitas scilicet divinae iustitiae et perspicacitas spiritus prophetiae.

Duodecimum.

14. Qualiter autem absentibus se praesentem exhibuit, divina faciente virtute, evidenter ex superioribus [6] innotescit, si revocetur ad mentem, qualiter absens in curru igneo Fratribus transfiguratus apparuit, et quomodo se Arelatensi Capitulo in crucis effigie praesentavit. Quod factum esse divina dispositione credendum est, ut ex praesentiae corporalis apparitione mirabili patenter clioresceret, quam praesens et pervius spiritus eius luci sapientiae foret aeternae, quae *omnibus mobilibus mobilior est* et *ubique attingens propter sui munditiam per nationes in animas sanctas se transfert et Dei amicos et prophetas constituit* [7]. Simplicibus enim et parvulis sua pandere solet mysteria Doctor excelsus, sicut prius apparuit in David, Prophetarum eximio, et post in Apostolorum principe Petro et tandem in pauperculo Christi Francisco. Hi enim, cum essent litterarum imperitia simplices, facti sunt sancti Spiritus eruditione illustres: is quidem *pastor*, ut gregem pasceret Synagogae de Aegypto eductum [8]; iste *piscator*, ut sagenam repleret Ecclesiae multiformitate credentium; hic autem *negotiator*, ut *margaritam emeret* evangelicae vitae, venditis et dispersis omnibus propter Christum.

Ex ... ctis ... sio.

(thau; cfr. supra pag. 515, nota 5.) et in fine additum: Dominus benedicat Fratrem Leonem. — Cod. 1 *benedictionem suam*. Inferius pro *Accipit* edd. *Accepit*.

[1] Vat. cum ed. 1 *fuscarent*.

[2] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1220, n. 33; ibid. n. 32. de seq. facto, et insinuatur, Vicarium fuisse Petrum Cathanium.

[3] Deut. 5, 5, ubi Moyses ait: Ego sequester et medius fui inter Dominum et vos. — Inferius pro *pallio* edd. *palliolo*.

[4] Vat. cum ed. 1 omittit *ipsos*.

[5] Regni Neapolitani provincia in ora maris Tyrrheni. — Cfr. Wadding., loc. cit, ad an. 1218, n. 4.

[6] Cap. 4. n. 4. et 10.

[7] Sap. 7, 24. et 27. — Matth. 11, 25: Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis. — Post *Simplicibus* Vat. cum ed. 1 omittit *enim*.

[8] Libr. II. Reg. 5, 2: Tu pasces populum meum Israel etc. Matth. 13, 45-47. assimilatur regnum caelorum *negotiatori* quaerenti bonas margaritas etc., et *sagenae* missae in mare et ex omni genere piscium congreganti.

Capitulum XII.

De efficacia praedicandi et gratia sanitatum [1].

1. Fidelis re vera famulus et minister Christi Franciscus, ut cuncta fideliter et perfecte perageret, illis potissime virtutum exercitiis intendebat, quae, sacro dictante Spiritu, Deo suo magis placere cognoverat. Qua de re contigit, illum in magnam dubitationis cuiusdam agoniam incidere, quam multis diebus ab oratione rediens terminandam Fratribus sibi familiaribus proponebat. « Quid, inquit, Fratres, consulitis, quid laudatis? An quod orationi vacem, an quod praedicando discurram? Siquidem ego parvulus, simplex et *imperitus sermone* [2] maiorem orandi accepi gratiam quam loquendi. Videtur etiam in oratione lucrum et cumulatio gratiarum, in praedicatione distributio quaedam donorum caelitus acceptorum; in oratione etiam purificatio interiorum affectuum et unitio ad unum, verum et summum bonum cum vigoratione virtutis; in praedicatione spiritualium pulverizatio pedum, distractio circa [3] multa et relaxatio disciplinae. Tandem in oratione Deum alloquimur et audimus et quasi angelicam vitam agentes, inter Angelos conversamur; in praedicatione multa oportet condescensione uti ad homines et humane inter eos vivendo, humana cogitare, videre, dicere et audire. Sed unum est in contrarium, quod videtur praeponderare his omnibus ante Deum, quod videlicet unigenitus Dei Filius, qui est sapientia summa, propter animarum salutem de sinu Patris descendit, ut, suo mundum informans exemplo, verbum salutis hominibus loqueretur, quos sacri sanguinis et pretio redimeret et emundaret lavacro [4] et poculo sustentaret, nihil sibi omnino reservans, quod non in salutem nostram liberaliter erogaret. Et quia nos debemus omnia facere *secundum exemplar* eorum, quae videmus in ipso tanquam in monte sublimi; videtur magis Deo placitum, quod intermissa quiete, foras egrediar ad laborem ». Cumque per multos dies verba huiuscemodi ruminaret cum Fratribus, certitudinaliter nequibat percipere, quid horum sibi foret ut Christo vere acceptius eligendum. Cum enim miranda nosset per spiritum prophetiae, hanc per se ipsum quaestionem dissolvere non valebat ad liquidum, Deo melius providente, ut praedicationis meritum per supernum manifestaretur oraculum, et servi Christi humilitas servaretur [5].

2. Non erubescebat a minoribus parva quaerere verus minor, qui magna didicerat a Magistro supremo. *Continuatio.* Studio namque praecipuo solitus erat exquirere, quali via qualique modo Deo posset secundum ipsius beneplacitum perfectius deservire. Haec summa eius philosophia, hoc summum eius desiderium exstitit, quoad vixit, ut quaereret a sapientibus et simplicibus, perfectis et imperfectis, parvulis et grandaevis, qualiter ad perfectionis culmen virtuosius pervenire valeret. — Assumens itaque duos ex Fratribus, misit ad Fratrem Silvestrum, qui crucem egredientem viderat de ore ipsius [6] et tunc in monte supra Assisium ingiter orationi vacabat, ut divinum super dubitatione huiusmodi responsum perquireret, quod sibi ex parte Domini demandaret. Hoc ipsum mandavit [7] sacrae virgini Clarae, ut per aliquam puriorem et simpliciorem de virginibus sub ipsius disciplina degentibus, et ipsa cum Sororibus aliis orans, super hoc exquireret Domini voluntatem. Concordaverunt autem mirabiliter in id ipsum, superno eis revelante Spiritu, venerabilis sacerdos et virgo Deo dicata, beneplaciti scilicet esse divini, quod Christi praeco ad praedicandum exiret. — *Zelus eius in praedicando.* Revertentibus itaque Fratribus [8] et Dei, iuxta quod acceperant, indicantibus voluntatem, exsurgens continuo succinxit se, nullaque prorsus contracta mora, iter aggressus est. Ibat autem cum tanto fervore, ut divinum exsequeretur imperium, tamque celeriter percurrebat, ac si, facta manu Domini super eum, novam induisset e caelo virtutem [9].

3. Cum igitur appropinquaret Bevanio [10], ad quendam locum devenit, in quo diversi generis avium maxima multitudo convenerat. *Praedicat avibus.* Quas cum Sanctus Dei vidisset, alacriter cucurrit ad locum et eas velut rationis participes salutavit. Omnibus vero exspectantibus et convertentibus se ad eum, ita ut quae in arbustis erant, inclinatis capitibus, cum appropinquaret ad eas, insolito modo in ipsum intenderent,

---

[1] Cfr. Thom. a Celano, Vita I. p. I. c. 17. 21. 23-26.

[2] Epist. II. Cor. 11, 6.

[3] Cod. A *cura*. Inferius pro *Deum alloquimur* B C F *Dominum alloquimur*.

[4] Eph. 5, 26: Mundans lavacro aquae in verbo vitae. — Subinde respicitur Exod. 25, 40: Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Inferius vocibus *quia debemus* fide codd. interseruimus *nos*.

[5] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1212, n. 28. seqq., ubi etiam de iis quae infra usque ad n. 4. proponuntur.

[6] Vide supra c. 3. n. 5. — Inferius pro *supra Assisium* A G *super Assisium*.

[7] Edd. *demandavit*.

[8] Philippo et Massaeo, ut notat Wadding., loc. paulo superius cit.

[9] Ezech. 1, 3: Et facta est super eum ibi manus Domini. Luc. 24, 49: Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.

[10] Id est Bevagna, oppidum in Umbria; Vat. cum pluribus codd. et ed. 1 *Bevanium*.

usque ad eas accessit et omnes, ut verbum Dei audirent, sollicite admonuit, dicens: « Fratres mei volucres, multum debetis laudare Creatorem vestrum, qui plumis vos induit et pennas tribuit ad volandum, puritatem concessit aëris et sine vestra sollicitudine vos gubernat ». Cum autem eis haec et his similia loqueretur, aviculae modo mirabili gestientes coeperunt extendere colla, protendere alas, aperire rostra et in illum attente respicere. Ipse vero cum spiritus fervore mirando per medium ipsarum transiens, tunica contingebat easdem, nec tamen de loco aliqua mota est, donec, signo crucis facto et licentia data, cum benedictione viri Dei omnes insimul avolarunt [1]. Haec omnia contuebantur socii exspectantes in via. Ad quos reversus vir simplex et purus, pro eo quod non hactenus avibus praedicaverat, coepit se de negligentia inculpare.

Indicit hirundinibus silentium.

4. Exinde praedicando per loca vicina procedens, venit ad castrum quoddam nomine Alvianum [2], ubi, congregato populo et indicto silentio, propter hirundines nidificantes in eodem loco magnisque garritibus perstrepentes audiri vix poterat. Quas vir Dei, audientibus omnibus, allocutus est dicens: « Sorores meae hirundines, iam tempus est, ut loquar et ego, quia vos usque modo satis dixistis. Audite verbum Dei, tenentes silentium, donec sermo Domini compleatur ». At illae tanquam intellectus capaces subito tacuerunt nec fuerunt motae de loco, donec fuit omnis praedicatio consummata. Omnes igitur, qui viderunt, stupore repleti, glorificaverunt Deum. Istius miraculi fama circumquaque diffusa multos ad Sancti reverentiam et fidei devotionem accendit.

Miraculum simile.

5. In civitate namque Parmensi [3] scholaris quidam indolis bonae cum sociis aliis studio diligenter intentus, dum importuna garrulitate cuiusdam infestaretur hirundinis, dicere coepit ad socios: « Haec hirundo una de illis est, quae virum Dei Franciscum praedicantem aliquando, donec silentium eis imponeret, molestabant »; et conversus ad hirundinem fiducialiter ait: « In nomine servi Dei Francisci praecipio tibi, ut ad me veniens continuo conticescas ». At illa, Francisci audito nomine, quasi viri Dei disciplinis edocta, et statim conticuit et ipsius manibus tanquam tutae custodiae se commisit. Stupefactus scholaris, statim eam libertati restituit et eius garritum amplius non audivit.

Obedi[a] ...

6. Alio quoque tempore, cum famulus Dei Caietae [4] semel in maris littore praedicaret, turbis prae devotione irruentibus, ut eum contingerent; horrens Christi servus tantum populorum applausum, in unam haerentem littori naviculam prosilivit solus. Illa vero, tanquam si rationis participe [5] motore moveretur intrinseco sine aliquo remige, cernentibus et mirantibus cunctis, se longius a terra protraxit. Cum autem aliquanto spatio in maris altitudinem secessisset, stetit inter fluctus immobilis, quamdiu vir sanctus turbis exspectantibus in littore praedicavit. Cumque, audito sermone et viso miraculo ac benedictione accepta, multitudo cederet [6], ne ipsum amplius molestaret; navicula proprio ductu ad terram reversa est. — Quis igitur tam obstinatae mentis esset et impiae, quod praedicationem Francisci contemneret, cuius miranda fiebat virtute, ut non solum carentia ratione disciplinam susciperent, verum etiam inanimata corpora tanquam animata praedicanti servirent?

Pra... ipsiu... effica...

7. Aderat equidem servo suo Francisco, ad quaecumque pergeret, is qui eum *unxerat et miserat, Spiritus Domini* [7] et ipse *Dei virtus et sapientia Christus*, ut sanae doctrinae verbis afflueret et magnae potentiae miraculis coruscaret. Erat enim verbum eius velut ignis ardens [8], penetrans intima cordis, omniumque mentes admiratione replebat, cum non humanae inventionis ornatum praetenderet, sed divinae revelationis afflatum redoleret. Nam cum semel, praedicaturus coram Papa et cardinalibus, ad suggestionem domini Ostiensis sermonem quendam studiose compositum commendasset memoriae stetissetque in medio, ut aedificationis verba proponeret; sic oblivioni tradidit omnia, ut effari aliquid omnino nesciret. Verum, cum hoc veridica humilitate narrasset, conferens se ad sancti Spiritus gratiam invocandam, tam efficacibus subito coepit verbis effluere tamque potenti virtute illorum mentes virorum sublimium ad compunctionem inflectere, ut aperte clareret, quod non ipse, sed Spiritus Domini loquebatur [9].

Sin... ctu... prae...

8. Et quoniam sibi primo suaserat opere quod aliis suadebat sermone, reprehensorem non timens, veritatem fidentissime praedicabat. Nesciebat aliquorum culpas palpare, sed pungere, nec vitam fovere peccantium, sed aspera increpatione ferire. Eadem mentis constantia magnis loquebatur et parvis eademque spiritus iucunditate paucis loquebatur et multis.

---

[1] Vat. cum ed. 1 et nonnullis codd. perperam *advolarunt.*

[2] Albianum olim dictum, in modico colle haud procul amne Tiberi in Umbria exstructum, non longe a Tudertina [Todi] civitate, ut ait Wadding., loc. cit., ad an. 1212, n. 32, ubi etiam de iis quae infra n. 5. proponuntur.

[3] Edd. *Parisiensi.*

[4] Italice Gaëta. Plures codd. *Gaietae.* Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1222, n. 6. — Inferius pro *irruentibus* edd. *ruentibus.* [5] Edd. cum nonnullis codd. *particeps.*

[6] Edd. *recederet.* Inferius Vat. cum ed. 1 omittit *tam,* et subinde pro *quod* Vat. substituit *qui,* Acta SS. *ut.*

[7] Isai. 61, 1: Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me etc.; cfr. Luc. 4, 18. — Subinde allegatur I. Cor. 1, 24: Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.

[8] Eccli. 48, 1: Et surrexit Elias Propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat.

[9] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1217, n. 3. Editores Act. SS. insinuant, quod S. Franciscus hunc sermonem habuit coram Honorio III. Pontifice et sacro cardinalium collegio an. 1223. — Superius pro *effluere* (ita A) edd. cum aliis codd. *affluere.*

Omnis aetas omnisque sexus properabat virum novum mundo caelitus datum et cernere et audire [1]. Ipse vero per diversas regiones progrediens, evangelizabat ardenter, *Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis* [2]. In virtute namque nominis eius veritatis praeco Franciscus eiiciebat daemonia, sanabat infirmos, et quod maius est, sui sermonis efficacia obstinatorum mentes ad poenitentiam molliebat simulque sanitatem corporibus reddebat et cordibus, sicut aliqua comprobant operum eius exempli gratia inferius adnotanda.

9. In civitate Tuscanella [3] a milite quodam hospitio devote susceptus, filium eius unicum a nativitate contractum ad multam ipsius instantiam, manu allevans, sic subito incolumem reddidit, ut, videntibus cunctis, protinus consolidarentur omnia corporis membra, et puer, sanus effectus et fortis, confestim exsurgeret *ambulans et exsiliens et laudans Deum* [4].

...iator ...ractus.

In civitate Narniensi cum paralyticum quendam membrorum omnium destitutum officio, signo crucis a capite usque ad pedes ad instantiam signasset episcopi, perfecte restituit sanitati [5].

It. para-...icus.

In episcopatu Reatino puer quidam sic turgidus a quatuor annis, ut nullo modo propria crura cernere posset, a matre cum lacrymis praesentatus eidem, statim, ut vir sanctus tetigit eum manibus sacris, incolumis est effectus.

It. turgi-...us.

Apud civitatem Ortensem puer unus ita conglomeratus, ut caput pedibus portaret applicitum et haberet ossa nonnulla confracta, signo crucis ad parentum lacrymabiles preces ab eodem suscepto, subito extensus exstitit et illico liberatus [6].

It. conglo-...atus.

10. Mulier quaedam civitatis Eugubii ambas contractas et aridas habens manus adeo, ut nihil per illas operari valeret, signo crucis ab eodem in nomine Domini sibi facto tam perfectam obtinuit sospitatem, quod statim rediens domum, cibos in ministerium eius et pauperum quasi altera socrus Simonis [7] propriis manibus praepararet.

...i, con-...acta.

Puellae cuidam in castro Bevanii [8] oculorum privatae luminibus, cum in Trinitatis nomine sputo suo ter ipsius oculos linivisset, lumen concupitum restituit.

It., caeca.

Mulier quaedam civitatis Narnii oculorum caecitate percussa, signum crucis ab eodem suscipiens, lucem recuperavit optatam [9].

...ra caeca.

Bononiae puer quidam unum oculorum macula adeo habens obtectum, ut nihil prorsus videre posset, nec aliquo adiuvari remedio, post signum crucis a capite usque ad pedes per servum Domini sibi factum visum recuperavit tam limpidum, ut, postmodum Ordinem Fratrum Minorum ingressus, se longe clarius videre assereret de oculo prius infirmo quam de oculo semper sano.

Item, puer caecus.

In castro sancti Gemini [10] servus Dei a quodam devoto viro susceptus hospitio, cuius uxor a daemonio vexabatur, post orationem factam in virtute obedientiae imperavit daemoni, ut exiret, eumque potestate divina tam subito effugavit, ut vere clarescere, quod obedientiae sanctae virtuti pervicacia daemonum non obsistat.

Item, obsessa.

In civitate de Castello [11] quidam furibundus et nequam spiritus quandam obsidens mulierem, a viro sancto obedientiae accepto mandato, indignabundus discessit, mente simul et corpore liberam obsessam prius feminam derelinquens.

Altera obsessa.

11. Frater quidam infirmitate tam horribili gravabatur, ut magis esse vexatio daemonis quam naturalis infirmitas a pluribus firmaretur. Nam totus saepe allidebatur et *volutabatur spumans* [12], membris corporis nunc contractis, nunc extensis, nunc plicatis, nunc tortis, nunc rigidis effectis et duris. Quandoque totus extensus et rigidus, pedibus aequatis capiti levabatur in altum, horribiliter illico relapsurus. Hunc sic miserabiliter et irremediabiliter aegrotantem plenus misericordia Christi servus commiserans, buccellam sibi panis, de quo edebat, transmisit. Tantam vero gustatus panis contulit aegro virtutem, ut deinceps huius infirmitatis molestiam non sentiret [13].

Item, Frater horribiliter aegrotus.

In comitatu Aretii cum diebus pluribus mulier quaedam laborasset in partu essetque iam proxima morti, nullum omnino desperanti de vita supererat remedium nisi Dei. Cum autem equo vectus propter corporis infirmitatem Christi famulus per partes illas transitum habuisset, contigit, reduci animal per villam, in qua mulier torquebatur. Homines vero loci, viso equo, cui vir sanctus insederat, extraxerunt frenum, ut superponerent mulieri; ad cuius contactum mirificum, omni remoto periculo, mulier illico peperit cum salute.

Salvatur mulier in periculo partus.

Vir quidam de Castro Plebis [14] religiosus ac timens Deum chordam apud se, qua cinctus fuerat

Multa miracula adhibita chorda Sancti.

---

[1] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1211, n. 4.

[2] Marc. 16, 20. — Aliquanto inferius pro *annotanda* K M *annotata*.

[3] Urbs Phaliscorum Etruscorum ad dextram lacus Volsinii, ditionis pontificiae, ut notat Wadding., loc. cit., ad an. 1222, n. 1, ubi etiam pro *milite* substituit *equite;* cfr. supra pag. 525, nota 8.

[4] Act. 3, 8.

[5] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1213, n. 19. — Superius pro *In civitate* codd. *Civitale*. Cod. E quatuor sequentia miracula omittit.

[6] Cfr. Wadding., loc. cit.

[7] Vide Matth. 8, 14. seq.

[8] Cfr. supra pag. 539, nota 10. Codd. C D G H et Acta SS. *Mevanii* (F *Mevaniae*). Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1212, n. 31, ubi notat, quod *Bevanium* sit « Plinio et Propertio, qui hoc oppido natus est, *Mevania* ».

[9] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1213, n. 19.

[10] In episcopatu Narniensi (nunc Interamnae), ut refert Thom. a Celano, Vita I. p. I. c. 25. Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1213, n. 19. seq.

[11] In Umbria (Città di Castello).

[12] Simile refertur Marc. 9, 19.

[13] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1224, n. 28, ubi etiam n. 3. seq. miraculum narratur.

[14] In Umbria (Castello di Pieve). Secundum Thom. a Celano, Vita I. p. I. c. 22, vir ille vocabatur Gualfredutius.

sanctus Pater, habebat. Cumque multitudo virorum ac mulierum in castro illo variis infirmitatibus laboraret, ibat per infirmantium domus, et intincta chorda in aqua, dabat bibere patientibus, sicque per hunc modum plurimi sanabantur. Sed et de panibus a viro Dei contactis gustantes aegroti, divina operante virtute, consequebantur celeriter remedia sanitatum.

Ita praedicatio eius redditur authentica.

12. Cum his et aliis multis miraculorum prodigiis praeco Christi praedicans coruscaret, attendebatur his quae dicebantur ab eo, ac si Angelus Domini loqueretur. Excellens namque in ipso praerogativa virtutum, prophetiae spiritus, efficacia miraculorum, oraculum de praedicando caelitus datum, obedientia creaturarum ratione carentium, vehemens immutatio cordium ad verborum ipsius auditum, eruditio eius a Spiritu sancto praeter humanam doctrinam, praedicandi auctoritas a Summo Pontifice non sine revelatione concessa, insuper et Regula, in qua forma praedicandi exprimitur, ab eodem Christi Vicario confirmata [1], summi quoque Regis signacula per modum sigilli corpori eius impressa tanquam testimonia decem toti saeculo indubitanter affirmant, Christi praeconem Franciscum et venerandum officio et doctrina authenticum et admirabilem sanctitate, ac per hoc tanquam vere Dei nuntium Christi Evangelium praedicasse.

Capitulum XIII.

De stigmatibus sacris [2].

Sollicitudo in usu temporis.

1. Mos erat angelico viro Francisco nunquam otiari a bono, quin potius instar spirituum supernorum in scala Iacob aut ascendebat in Deum, aut descendebat ad proximum [3]. Nam tempus sibi concessum ad meritum dividere sic prudenter didicerat, ut aliud proximorum lucris laboriosis impenderet, aliud contemplationis tranquillis excessibus dedicaret. Unde cum secundum exigentiam locorum et temporum alienae condescendisset procurandae saluti, inquietationibus derelictis turbarum, solitudinis secreta petebat locumque quietis, quo liberius Domino vacans, extergeret, si quid pulveris sibi ex conversatione hominum adhaesisset. Biennio itaque, antequam spiritum redderet caelo [4], divina providentia duce, post labores multimodos perductus est in *locum excelsum seorsum*, qui dicitur Mons Alvernae. Cum igitur iuxta solitum morem Quadragesimam ibidem ad honorem sancti Archangeli Michaelis ieiunare coepisset [5], supernae contemplationis dulcedine abundantius solito superfusus ac caelestium desideriorum ardentiori flamma succensus, supernarum coepit immissionum cumulatius dona sentire. Ferebatur quidem in altum, non ut curiosus *maiestatis perscrutator opprimendus a gloria* [6], sed tanquam *servus fidelis et prudens*, investigans beneplacitum Dei, cui se conformare omnimode summo peroptabat ardore.

Ultimo accedit ad Montem Alvernae.

Revel[...] proxi[...] mili[...] cum [...] pa[...]

2. Immissum est igitur menti eius per divinum oraculum, quod in apertione libri evangelici revelaretur ei a Christo, quid [7] Deo in ipso et de ipso maxime foret acceptum. Oratione itaque cum multa devotione praemissa, sacrum Evangeliorum librum de altari sumtum in sanctae Trinitatis nomine aperiri fecit per socium [8], virum utique Deo devotum et sanctum. Sane cum in trina libri apertione Domini passio semper occurreret, intellexit vir Deo plenus, quod sicut Christum fuerat imitatus in actibus vitae, sic conformis ei esse deberet in afflictionibus et doloribus passionis, antequam ex hoc mundo transiret. Et licet propter multam austeritatem vitae praeteritae crucisque dominicae baiulationem continuam imbecillis esset iam corpore, nequaquam est territus, sed ad martyrii sustinentiam vigorosius animatus. Excreverat siquidem in eo insuperabile amoris incendium boni Iesu in *lampades ignis atque flammarum*, ut *aquae multae caritatem eius* tam validam *exstinguere non valerent* [9].

App[...] Serap[...] cifixo[...]

3. Cum igitur seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in Deum et compassiva dulcedine in eum transformaretur, qui ex caritate nimia voluit crucifigi; quodam mane circa festum Exaltationis sanctae Crucis [10], dum oraret in latere montis, vidit Seraph unum sex alas habentem tam ignitas quam

---

[1] Cfr. supra c. 3. n. 10. in fine.

[2] Cfr. Thom. a Celano, Vita I. p. I. c. 18, et p. II. c. 3; Vita II. p. II. c. 10. et p. III. c. 75-77; Legenda trium Sociorum, c. 17.

[3] Gen. 28, 12: Viditque [Iacob] in somnis scalam... Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam. Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1224, n. 2.

[4] Anno 1224. Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1224, n. 15. seqq. — Subinde respicitur Matth. 17, 1. seq., ubi Christus duxit Petrum, Iacobum et Ioannem « in montem excelsum seorsum et transfiguratus est ante illos ».

[5] Cfr. supra pag. 530, nota 10.

[6] Prov. 25, 27: Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum; sic qui scrutator est maiestatis opprimetur a gloria. — Matth. 24, 45: Quis, putas, est fidelis servus et prudens etc.

[7] Acta SS. *quod.*

[8] Fr. Leonem, ut notat Wadding., loc. cit., ad an. 1224, n. 9.

[9] Cant. 8, 6. seq. Cfr. Wadding., loc. cit., n. 34. seqq. — Superius pro *siquidem* (ita K) edd. cum aliis codd. *quidem.*

[10] Quod celebratur 14. Sept. — De Seraph sex alas habente cfr. Isai. 6, 2.

splendidas de caelorum sublimitate descendere. Cumque volatu celerrimo pervenisset ad aëris locum viro Dei propinquum, apparuit inter alas effigies hominis crucifixi, in modum crucis manus et pedes extensos habentis et cruci affixos. Duae alae super caput ipsius elevabantur, duae ad volandum extendebantur, duae vero totum velabant corpus. Hoc videns, vehementer obstupuit, mixtumque moerore gaudium cor eius incurrit. Laetabatur quidem in gratioso aspectu, quo a Christo sub specie Seraph cernebat se conspici, sed crucis affixio compassivi doloris gladio ipsius animam pertransibat[1]. Admirabatur quam plurimum in tam inscrutabilis visionis aspectu, sciens, quod passionis infirmitas cum immortalitate spiritus seraphici nullatenus conveniret. Intellexit tandem ex hoc, Domino revelante, quod ideo huiusmodi visio sic divina providentia suis fuerat praesentata conspectibus, ut amicus Christi praenosceret, se non per martyrium carnis[2], sed per incendium mentis totum in Christi crucifixi similitudinem transformandum. Disparens igitur visio mirabilem in corde ipsius reliquit ardorem, sed et in carne non minus mirabilem signorum impressit effigiem. Statim namque in manibus eius et pedibus apparere coeperunt signa clavorum, quemadmodum paulo ante in effigie illa viri crucifixi conspexerat. Manus enim et pedes in ipso medio clavis confixi[3] videbantur, clavorum capitibus in interiori parte manuum et superiori pedum apparentibus, et eorum acuminibus existentibus ex adverso; erantque clavorum capita in manibus et pedibus rotunda et nigra, ipsa vero acumina oblonga, retorta et quasi repercussa, quae de ipsa carne surgentia carnem reliquam excedebant. Dextrum quoque latus quasi lancea transfixum rubra cicatrice obductum erat, quod saepe sanguinem sacrum effundens, tunicam et femoralia respergebat.

4. Cernens autem Christi servus, quod stigmata carni tam luculenter impressa socios familiares latere non possent; timens nihilominus publicare Domini sacramentum[4], in magno positus fuit dubitationis agone, utrum videlicet quod viderat diceret, vel taceret. Vocavit proinde aliquos ex Fratribus, et generalibus verbis loquens, dubium coram eis proposuit et consilium requisivit. Quidam vero ex Fratribus, gratia illuminatus[5] et nomine, intelligens, quod aliqua miranda vidisset, pro eo quod videbatur admodum stupefactus, dixit ad virum sanctum: « Frater, non solum propter te, verum etiam propter alios, scias, tibi ostendi aliquando sacramenta divina. Timendum propterea iure videtur, ne, si quod pluribus profuturum accepisti celaveris, pro talento abscondito reprehensibilis iudiceris ». Ad cuius verbum motus vir sanctus, licet alias dicere solitus esset[6]: *Secretum meum mihi;* tunc tamen cum multo timore seriem retulit visionis praefatae, addens, quod is qui sibi apparuerat, aliqua dixerit, quae nunquam, dum viveret alicui hominum aperiret. Credendum sane, tam arcana illa fuisse sacri illius Seraph in cruce mirabiliter apparentis eloquia, quod forte non liceret *hominibus* ea *loqui*[7]. Miracolum sociis timide manifestat.

5. Postquam igitur verus Christi amor *in eandem imaginem transformavit* amantem, quadraginta dierum numero, iuxta quod decreverat, in solitudine consummato, superveniente quoque solemnitate Archangeli Michaelis[8], descendit angelicus vir Franciscus de monte, secum ferens Crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis vel ligneis manu figuratam artificis, sed in carneis membris descriptam *digito Dei vivi.* Et quoniam *sacramentum Regis abscondere bonum est*[9], ideo secreti regalis vir conscius signacula illa sacra pro viribus occultabat. Verum, quia Dei est ad gloriam suam magna revelare, quae facit, Dominus ipse, qui signacula illa secrete impresserat, miracula quaedam aperte per ipsa monstravit, ut illorum occulta et mira vis stigmatum manifesta pateret claritate signorum. Descendit de monte. Deus stigmata miraculis comprobat.

6. In provincia namque Reatina pestis invaluerat valde gravis, quae boves et oves omnes sic consumebat crudeliter, quod nullum poterat remedium adhiberi. Vir autem quidam timens Deum nocte fuit per visionem commonitus, ut ad eremitorium Fratrum festinanter accederet et loturam manuum ac pedum famuli Dei Francisci, qui tunc temporis morabatur ibidem, acceptam super animalia cuncta respergeret. Mane itaque surgens, venit ad locum, loturaque huiusmodi per socios sancti viri latenter obtenta, oves et boves languentes ex ea respersit. Mirabile dictu! Statim ut aspersio animalia languida et in terra iacentia quantumcumque paululum attingebat, pristino recuperato vigore, surgebant continuo, et tanquam nihil mali sensissent, ad pascua festinabant. Sicque factum est, ut per virtutem mirandam aquae illius, quae sacras plagas contigerat, omnis prorsus plaga cessaret, pestilensque morbus a gregibus fugaretur. Miraculum primum.

7. Circa praefatum Montem Alvernae, antequam vir sanctus ibi contraheret moram, nube ex ipso monte surgente, grandinis violenta tempestas fructus Secundum.

---

[1] Luc. 2, 35: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.

[2] Ad quod, ut supra n. 2. in fine dicitur, vigorosius erat animatus. — Superius pro *huiusmodi* A *huius.* Inferius pro *sed et in carne* B D E *sed in carnem.*

[3] Codd. I M *crucifixi*, edd. cum pluribus codd. *confixae.*

[4] Tob. 12, 7: Etenim sacramentum regis abscondere bonum est.

[5] Cfr. supra pag. 532, nota 6.

[6] Cum Isaia 24, 16.

[7] Epist. II. Cor. 12, 4: Et audivi arcana verba, quae non licet homini loqui. — Superius pro *sacri* A *sacra.*

[8] Cuius Dedicatio celebratur 29. Sept. — Supra respicitur II. Cor. 3, 18; et infra Exod. 31, 18: Deditque Dominus Moysi, completis huiuscemodi sermonibus in monte Sinai, duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei.

[9] Tob. 12, 7; cfr. supra nota 4. Vide Wadding., loc. cit., ad an. 1224, n. 21. seqq.

terrae consuetudinarie devastabat. Sed post illam apparitionem felicem non sine incolarum admiratione grando cessavit, ut caelestis illius visionis excellentiam et stigmatum ibidem impressorum virtutem serenata [1] praeter morem ipsa caeli facies declararet.

Tertium. Contigit quoque, eum tempore hiemali propter debilitatem corporis et asperitatem viarum hominis unius pauperis subvectum asello sub rupis cuiusdam prominentis pernoctare crepidine, ut nivis et noctis supervenientium quoquo modo declinaret incommoda, quibus praepeditus, ad hospitii locum non valuerat pervenire. Cum autem vir sanctus hominem illum querulosis submurmurantem gemitibus hinc inde se ipsum iactare sensisset, tanquam qui tenui operimento contectus, quiescere prae frigoris acerbitate nequibat; divini amoris fervore succensus, manu illum protensa palpavit. Mirabile certe! Repente ad illius sacrae manus contactum, quae seraphici calculi [2] gerebat incendium, omni fugato frigore, tantus in virum intus et extra calor advenit, ac si quaedam in eum vis flammea ex fornacis spiraculo processisset. Nam illico et mente confortatus et corpore, suavius inter saxa et nives usque mane dormivit, quam unquam in proprio lecto pausaverat, sicut ipse postmodum asserebat. — Epilogus. Certis itaque constat indiciis, sacra illa signacula illius impressa fuisse virtute, qui operatione seraphica purgat, illuminat et inflammat [3], cum ipsa forinsecus expurgando a peste salutem, serenitatem et calorem corporibus efficacia mira conferrent, sicut et post mortem evidentioribus est demonstratum prodigiis suo loco posterius [4] annotandis.

Testes pro stigmatibus manuum et pedum. 8. Ipse vero, licet *thesaurum inventum in agro* [5] multa diligentia studeret abscondere, latere tamen non potuit, quin aliqui stigmata manuum viderent ac pedum, quamquam manus quasi semper portaret contectas et pedibus ex tunc incederet calceatis. Viderunt enim, dum viveret, Fratres plurimi, qui, licet essent propter sanctitatem praecipuam viri per omnia fide digni, tamen ad omne dubium amovendum, sic esse ac se vidisse, tactis sacrosanctis, iuramento firmarunt. Viderunt etiam ex familiaritate, quam cum viro sancto habebant, aliqui cardinales [6], laudes sacrorum stigmatum prosis et hymnis ac antiphonis, quas ad ipsius ediderunt honorem, veraciter inserentes, qui tam verbo quam scripto perhibuerunt testimonium veritati. Summus etiam Pontifex dominus Alexander [7], cum populo praedicaret coram multis Fratribus et me ipso, affirmavit, se, dum Sanctus viveret, stigmata illa sacra suis oculis conspexisse. Viderunt in morte plus quam quinquaginta Fratres virgoque Deo devotissima Clara cum ceteris Sororibus suis et saeculares innumeri, ex quibus, quemadmodum suo loco dicetur [8], quam plurimi et osculati sunt ex devotionis affectu et contrectaverunt manibus ad testimonii firmitatem. — Item, e[...] ri[...] Vulnus autem lateris tam sollicite occultavit, ut illud nemo posset nisi furtim contueri, dum viveret. Unus etenim Frater [9], qui ei sedule ministrare solitus erat, cum pia eum cautela, ut ad excutiendum extraheret tunicam, induxisset, attente respiciens vidit plagam, cui etiam tres veloci contactu digitos applicans, tam visu quam tactu vulneris quantitatem agnovit. Consimili cautela vidit etiam Frater ille, qui tunc temporis erat Vicarius eius [10]. Frater vero socius mirandae simplicitatis, dum infirmitatis causa languentes scapulas contrectaret, manu per caputium missa et casualiter vulneri sacro illapsa, magnum ei dolorem inflixit. Proinde portabat ex tunc femoralia ita facta, ut usque ad ascellas [11] pertingerent ad vulnus lateris contegendum. Fratres quoque, qui illa lavabant vel tunicam excutiebant pro tempore, quia inveniebant ea sanguine rubricata, indubitanter per evidens signum in cognitionem sacri vulneris pervenerunt, quod postmodum in morte revelata facie et ipsi cum aliis plurimis contemplati simul et venerati sunt.

Alloc[...] Sanc[...] 9. Eia nunc, strenuissime miles Christi, ipsius fer *arma* invictissimi Ducis, quibus munitus et insignitus [12], omnes adversarios superabis. Fer *vexillum* Regis altissimi, ad cuius intuitum omnes pugnatores divini exercitus animentur. Fer nihilominus *sigillum*

---

[1] Vat. cum ed. 1 *serenati.*

[2] Respicitur Isai. 6, 6. seq., ubi de Seraphim, qui calculo de altari accepto labia Isaiae tangens ipsum mundabat.

[3] Respiciuntur tres actus hierarchici, qui a Dionysio referuntur; cfr. supra pag. 3, nota 4.

[4] Infra de miraculis § 1.

[5] Matth. 13, 44. Cfr. Wadding., ad an. 1224, n. 23. seq.

[6] Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1228, n. 78, ubi praeter Pontificem Gregor. IX. (qui composuit hymnum « Proles de caelo prodiit », antiphonas « Sancte Francisce, propera » et « Plange, turba paupercula »; prosam « Caput draconis »), adducuntur e cardinalibus Otho Candidus (qui fecit responsorium: « De paupertatis horreo »; hymnos: « In caelesti collegio » et « Decus morum, dux Minorum »), Thomas Capuanus (qui fecit responsorium: « Carnis spicam » et antiphonam: « Salve, sancte Pater »), Rainerius Capoccius (qui fecit hymnum: « Plaude, turba paupercula »), Stephanus de Casa nova (qui fecit antiphonam: « Caelorum candor splenduit »).

[7] Scilicet quartus; cfr. ipsius Bulla *Benigna operatio* (apud Wadding., Annal. tom. II. ad an. 1255, n. 9.), ad quam recurrit idem Pontifex in alio Brevi *Quia longum esset* (ibid. ad an. 1259, n. 2.).

[8] Infra c. 15. n. 3. seq.

[9] Ioannes de Laudibus; cfr. Analecta Franciscana, tom. III. pag. 225. seq. et Wadding., loc. cit., ad an. 1224, n. 23.

[10] Fr. Elias; cfr. Thom. a Celano, Vita I. p. II. c. 3, ubi simile ei, quod immediate post adducitur et secundum Wadding., loc. cit., Fr. Leoni accidit, narratur de Fr. Rufino. — Superius pro *Consimili cautela* Acta SS. *Cum simili cautela.*

[11] Du Cange, Glossarium etc. *Ascella,* ascilla, assellia, axella, *axilla* [Tullio], nostris *aisselle.* Cfr. Isidor., XI. Etymolog. c. 1. n. 65. Acta SS. *axillas,* quae etiam inferius pro *ea sanguine rubricata* substituunt *eam sanguine rubricatam.*

[12] Codd. A B C D E F G M *quibus munitus* [B *indutus*] *insigniter* [E *signifer*], 1 *quibus munitus, insignitus.*

summi pontificis Christi, quo verba et facta tua tanquam irreprehensibilia et authentica merito ab omnibus acceptentur. Iam enim propter *stigmata Domini Iesu, quae in corpore tuo portas, nemo tibi debet esse molestus* [1], quin potius quilibet Christi servus omni esse tenetur affectione devotus. Iam per haec signa certissima, non duobus aut tribus testibus ad sufficientiam [2], sed quam plurimis ad superabundantiam comprobata, *testimonia Dei* in te et per te *credibilia facta nimis* omne tollunt infidelibus excusationis velamen, dum credentes in fide stabiliunt, spei fiduciam sursum agunt et igne caritatis accendunt.

...ptem visiones crucis completae. Prima. ...e aliae.

10. Iam vere impleta est *prima visio,* quam vidisti, videlicet quod dux in militia Christi futurus, armis deberes caelestibus, signo quoque crucis insignibus decorari [3]. Iam in *principio* tuae conversionis Crucifixi *visio* compassivi doloris gladio mentaliter te transfigens, sed et *auditus* vocis de cruce tanquam de throno Christi sublimi et secreto propitiatorio procedentis, iuxta quod tuo sacro firmasti eloquio, vera indubitanter fuisse creduntur. Iam in tuae *conversationis progressu* et crucem, quam vidit Frater Silvester [4] ex ore tuo mirabiliter procedentem, et gladios in crucis modum tua viscera transfigentes, quos sacer vidit Pacificus, teque secundum crucis figuram in aëre sublevatum, cum de crucis titulo sanctus praedicabat Antonius, iuxta quod perspexit angelicus vir Monaldus, non phantastica visione, sed revelatione caelica fuisse conspecta, vere creditur et firmatur. Iam denique *circa finem,* quod simul tibi ostenditur et sublimis similitudo Seraph et humilis effigies Crucifixi, interius te incendens et exterius te consignans tanquam *alterum Angelum ascendentem ab ortu solis,* qui *signum* in te habeas *Dei vivi* [5], et praedictis dat firmitatem fidei et ab eis accipit testimonium veritatis. — Ecce, iam septem apparitionibus crucis Christi in te et circa te secundum ordinem temporum mirabiliter exhibitis et monstratis, quasi sex gradibus ad istam septimam, in qua finaliter requiesceres [6], pervenisti. Christi namque crux in tuae conversionis primordio tam proposita quam assumta et dehinc in conversationis progressu per vitam probatissimam baiulata in te ipso continue et in exemplum aliis demonstrata tanta certitudinis claritate ostendit, evangelicae perfectionis apicem te finaliter conclusisse, ut demonstrationem hanc christianae sapientiae in tuae carnis pulvere exaratam nullus vere devotus abiiciat, nullus vere fidelis impugnet, nullus vere humilis parvipendat, cum sit vere divinitus expressa et *omni acceptione* condigna [7].

...s aliae. Septima. Epilogus.

Capitulum XIV.

De patientia ipsius et transitu mortis [8].

...belabat apicem ...ectionis.

1. *Christo* igitur iam *cruci confixus* [9] Franciscus tam carne quam spiritu, non solum seraphico amore ardebat in Deum, verum etiam sitiebat cum Christo crucifixo multitudinem salvandorum. Faciebat proinde, quoniam propter excrescentes in pedibus clavos ambulare non poterat, corpus emortuum per civitates et castella circumvehi, ut ad crucem Christi ferendam ceteros animaret. Fratribus quoque dicebat: « Incipiamus, Fratres, servire Domino Deo nostro, quia usque nunc parum profecimus ». Flagrabat etiam desiderio magno ad humilitatis redire primordia, ut leprosis sicut a principio ministraret corpusque iam prae labore collapsum revocaret ad pristinam servitutem. Proponebat, Christo duce, se facturum ingentia, et fatiscentibus membris, spiritu fortis et fervidus novo sperabat certamine de hoste triumphum. Neque enim languor vel desidia locum habet, ubi amoris stimulus semper ad maiora perurget. Tanta autem in eo carnis ad spiritum erat concordia, tanta obedientiae promptitudo, quod cum ille ad omnem niteretur sanctitatem pertingere, ipsa non solum non repugnaret, sed et praecurrere niteretur [10].

Notandum.

Gravissimae infirmitates.

2. Ut autem viro Dei cumulus meritorum accresceret, quae omnia vere in patientia consummantur, coepit infirmitatibus multimodis laborare tam

[1] Gal. 6, 17: De cetero nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.

[2] Deut. 19, 15: In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. — Subinde allegatur Ps. 92, 5.

[3] Cfr. supra c. 1. n. 3; ibid. n. 5. et c. 2. n. 1. de seq. propositione. — Superius pro *signo quoque* (ita A) edd. cum aliis codd. *signoque.*

[4] Vide supra c. 3. n. 5; de visione Fr. Pacifici cfr. supra c. 4. n. 9; ibid. n. 10. de visione Fr. Monaldi. — Superius pro *conversationis* edd. *conversionis* (circa finem cap. tamen habent *conversationis*), quae etiam inferius pro *perspexit* substituunt *prospexit.*

[5] Apoc. 7, 2: Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi.

[6] Edd. *requiescis.* Inferius pro *assumta* Vat. cum ed. 1 perperam *absumta.*

[7] Respicitur I. Tim. 1, 15. et 4, 9: Fidelis sermo et omni acceptione dignus.

[8] Cfr. Thom. a Celano, Vita I. p. II. c. 9. et p. III; Legenda trium Sociorum, c. 18.

[9] Gal. 2, 19. Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1224, n. 30. — Inferius pro *castella* edd. *castra;* cfr. supra pag. 514, nota 5. in fine.

[10] Codd. B C D E I M *conaretur.*

graviter, ut vix in eo membrum aliquod remaneret absque ingenti passionis dolore. Ad hoc tandem per varias et diuturnas ac continuas[1] aegritudines deductus est, ut, consumtis iam carnibus, quasi sola cutis ossibus cohaereret. Cumque duris corporis angeretur doloribus, illas suas angustias non poenarum censebat nomine, sed sororum. Cum autem semel gravius solito dolorum urgeretur aculeis, quidam Frater simplex dixit ad eum: « Frater, ora Dominum, ut mitius tecum agat; manum enim suam plus debito super te gravare videtur ». Quo audito, vir sanctus cum eiulatu exclamans ait: « Nisi nossem[2] in te simplicem puritatem, tuum ex nunc abhorrerem consortium, qui ausus fueris circa me divina indicia reprehensibilia iudicare ». Et licet totus esset attritus gravis prolixitate languoris, proiiciens se in terram, ossa debilia duro casu collisit. Et deosculans humum: « Gratias, inquit, tibi ago, Domine Deus, de omnibus his doloribus meis teque, mi Domine, rogo, ut centuplum, si tibi placuerit, addas; quia hoc erit mihi acceptissimum, *ut affligens me dolore, non parcas*[3], cum tuae sanctae voluntatis adimpletio sit mihi consolatio superplena ». Videbatur propterea Fratribus, quod quasi alterum Iob viderent, cui, cum languor cresceret carnis, crescebat simul et vigor mentis. — Ipse autem obitum suum longe ante praescivit, dieque transitus imminente, dixit Fratribus, sui corporis tabernaculum deponendum in proximo, quemadmodum sibi fuerat revelatum a Christo[4].

Factum notabile.

Alter Iob.

Notandum.

3. Cum itaque per biennium ab impressione sacrorum stigmatum, anno videlicet a sua conversione vigesimo[5], multis fuisset angustiantium infirmitatum probativis tunsionibus conquadratus, tanquam lapis in supernae Ierusalem aedificio collocandus et tanquam ductile opus sub multiplicis tribulationis malleo ad perfectionem adductus; ad sanctam Mariam de Portiuncula se portari poposcit, quatenus, ubi acceperat spiritum gratiae, ibi redderet spiritum vitae. Quo cum fuisset perductus, ut veritatis exemplo monstraret, quod nihil erat illi commune cum mundo, in illa infirmitate tam gravi, quae omnem languorem conclusit, super nudam humum se totum nudatum in spiritus fervore prostravit, quatenus hora illa extrema, in qua poterat adhuc hostis irasci, nudus luctaretur cum nudo[6]. Decubans sic in terra, saccina veste deposita, faciem solito more levavit in caelum, et intendens illi gloriae totus, manu sinistra dextri lateris vulnus, ne videretur, obtexit et ait ad Fratres: « Ego quod meum est feci; quod vestrum est Christus edoceat ».

Notandum.

Mirum factum.

4. Illacrymantibus autem sociis Sancti, qui miro fuerant compassionis telo percussi, unus ex eis, quem vir Dei Guardianum suum esse dicebat, votum ipsius divina inspiratione cognoscens, festinus surrexit et acceptam cum chorda et femoralibus tunicam pauperculo Christi obtulit, dicens: « Haec tibi tanquam pauperi commodo, et tu illa suscipias obedientiae sanctae mandato ». Gaudet ex hoc vir sanctus et iubilat prae laetitia cordis, quoniam fidem tenuisse dominae paupertati usque in finem se vidit, palmasque levans ad caelum, Christum suum magnificat, pro eo quod, exoneratus ab omnibus, liber vadit ad ipsum. Fecerat enim haec omnia paupertatis zelo, ut nec habitum quidem vellet habere nisi ab alio commodatum. Voluit certe per omnia Christo crucifixo esse conformis, qui pauper et dolens et nudus in cruce pependit. Propter quod et in principio conversionis suae nudus remansit coram antistite[7] et in consummatione vitae nudus voluit de mundo exire, Fratribusque sibi assistentibus in obedientia caritatis iniunxit, ut, cum viderent, eum iam esse defunctum, per tam longum spatium nudum super humum iacere permitterent, quod unius milliarii tractum suaviter quis perficere posset. O vere christianissimum virum, qui et vivens Christo viventi et moriens morienti et mortuus mortuo perfecta esse studuit imitatione conformis et expressa promeruit similitudine decorari!

Amor [...] pertat[...]

Confor[...] Chris[...]

5. Hora denique sui transitus propinquante, fecit omnes Fratres existentes in loco ad se vocari, et eos consolatoriis verbis pro sua morte demulcens, paterno affectu ad divinum est hortatus amorem. De patientia et paupertate et sanctae Romanae Ecclesiae fide servandis sermonem protraxit, ceteris institutis sanctum Evangelium anteponens. Circumsedentibus vero omnibus Fratribus, extendit super eos manus in modum crucis brachiis cancellatis, pro eo quod hoc signum semper amabat, et omnibus Fratribus, tam praesentibus quam absentibus, in Crucifixi virtute ac nomine benedixit. Insuper et adiecit: « Valete, filii omnes, in timore Domini et permanete in eo semper. Et quoniam futura tentatio et tribulatio appropinquat, felices, qui perseverabunt in his quae coeperunt. Ego vero ad Deum propero, cuius gratiae vos omnes commendo ». Suavi huiusmodi admonitione

Conso[...] Fratr[...] bene[...]

---

[1] Cod. A omittit *ac continuas*. [2] Edd. *noscerem*.

[3] Iob 6, 10: Et haec mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat, nec contradicam sermonibus Sancti. Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1226, n. 20.

[4] Epist. II. Petr. 1, 14: Certus, quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod et Dominus noster Iesus Christus signavit mihi. Cfr. Thom. a Celano, Vita I. p. II. c. 7, ubi insinuatur, quod ante biennium Franciscus certior factus sit de hora mortis suae.

[5] Scilicet 1226. Vide de hoc Analecta Franciscana, tom. III. pag. 32.

[6] Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 32. n. 2: Nihil autem maligni spiritus in hoc mundo proprium possident; nudi ergo cum nudis luctari debemus etc. — Superius cum Wadding., loc. cit., ad an 1226, n. 34. et Act. SS. substituimus *quae omnem languorem conclusit* pro *quae omni languori conclusit*, quod habent omnes codd. hic et in Legenda minore.

[7] Cfr. supra c. 2. n. 4.

completa, iussit vir Deo carissimus, Evangeliorum sibi codicem apportari et Evangelium secundum Ioannem, quod incipit ab eo loco [1]: *Ante diem festum Paschae,* sibi legi poposcit. Ipse vero, prout potuit, in huius Psalmi vocem erupit: *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum,* et ad finem usque complevit: *Me,* inquit, *exspectant iusti, donec retribuas mihi.*

[margin: …enti le- …passio …sti.]

6. Tandem cunctis in eum completis mysteriis, anima illa sanctissima carne soluta et in abyssum divinae claritatis absorpta, beatus vir obdormivit in Domino. Unus autem ex Fratribus et discipulis eius [2] vidit animam illam beatam, sub specie stellae praefulgidae a candida subvectam nubecula super aquas multas in caelum recto tramite sursum ferri, tanquam sublimis sanctitatis candore praenitidam et caelestis sapientiae simul et gratiae ubertate repletam, quibus vir sanctus promeruit locum introire lucis et pacis, ubi cum Christo sine fine quiescit. — Minister quoque Fratrum in Terra Laboris tunc erat Frater Augustinus, vir utique sanctus et iustus, qui in hora ultima positus, cum diu iam pridem amisisset [3] loquelam, audientibus qui astabant, subito clamavit et dixit: « Exspecta me, Pater, exspecta, ecce, iam venio tecum ». Quaerentibus Fratribus et admirantibus multum, cui sic loqueretur audacter, respondit: « Nonne videtis Patrem nostrum Franciscum, qui vadit ad caelum » ? Et statim sancta ipsius anima, migrans a carne, Patrem est secuta sanctissimum. — Episcopus Assisinas ad oratorium sancti Michaelis in monte Gargano tunc temporis peregrinationis causa perrexerat, cui beatus Franciscus, apparens nocte transitus sui, dixit: « Ecce, relinquo mundum et vado ad caelum ». Mane igitur surgens episcopus sociis narravit quae vidit, et Assisium rediens, cum sollicite perquisisset, certitudinaliter comperit, quod ea hora, qua sibi per visionem innotuit, beatus Pater ex hoc mundo migravit. — Alaudae aves, lucis amicae et crepusculorum tenebras horrescentes, hora transitus sancti viri, cum iam esset noctis secuturae crepusculum, venerunt in multitudine magna super tectum domus et diu cum insolita quadam iubilatione rotantes, gloriae Sancti, qui eas ad divinam laudem invitare solitus erat, tam iucundum quam evidens testimonium perhibebant.

[margin: …ormivit …omino. / …paritio …rima. / …cunda. / Tertia. / Veniunt multae alaudae.]

Capitulum XV.

De canonizatione et translatione ipsius [4].

1. Franciscus igitur, servus et amicus Altissimi, Ordinis Minorum Fratrum institutor et dux, paupertatis professor, poenitentiae forma, veritatis praeco, sanctitatis speculum et totius evangelicae perfectionis exemplar, superna praeventus gratia, ordinato progressu ab infimis pervenit ad summa. Hunc virum mirabilem, utpote paupertate praedivitem, humilitate sublimem, mortificatione vividum, simplicitate prudentem omnique morum honestate conspicuum, quem in vita Dominus mirabiliter effecerat clarum, in morte fecit incomparabiliter clariorem. Beato namque viro migrante a saeculo, spiritus ille sacer domum aeternitatis ingrediens fontisque vitae haustu plenario gloriosus effectus, expressa quaedam in corpore futurae gloriae signa reliquit, ut caro illa sanctissima, quae *crucifixa cum vitiis* [5] *in novam iam creaturam transierat,* et passionis Christi effigiem privilegii singularitate praeferret et novitate miraculi resurrectionis speciem praemonstraret.

[margin: …oniam …ecti. / …arior in …orte.]

2. Cernebantur quidem in membris illis felicibus clavi ex eius carne virtute divina mirifice fabrefacti sicque carni eidem innati, quod dum a parte qualibet premerentur, protinus quasi nervi continui et duri ad partem oppositam resultabant. Inventa quoque fuit patentius in ipsius corpore non inflicta humanitus neque facta plaga vulneris lateralis, instar vulnerati lateris Salvatoris, quod redemptionis et regenerationis humanae in ipso Redemptore nostro protulit sacramentum. Erat autem similitudo clavorum nigra quasi ferrum, vulnus autem lateris rubeum et ad orbicularitatem quandam carnis contractione reductum rosa quaedam pulcherrima videbatur. Caro vero ipsius reliqua, quae prius tam ex infirmitate quam ex natura ad nigredinem declinabat, candore

[margin: Describuntur stigmata.]

---

[1] Cap. 13, 1. — Subinde allegatur Ps. 141, 2 seqq.

[2] Fr Iacobus; cfr. Analecta Franciscana, tom. III. pag. 226. — Superius B omittit *in eum.*

[3] Edd. *cum iam diu perdidisset.*

[4] Cfr. Thom. a Celano, Vita I. p. II c. 9. et p. III; Legenda trium Sociorum, c. 18. Plurimi codd., ut A B E G M (in M principium cap. deest), etiam non collati, hoc cap. in 9 lectiones dividunt. Bonelli post finem Legendae minoris hoc capitulum cum inscriptione: « Novem Lectiones de canonizatione et de translatione S. Francisci » tanquam speciale opusculum edidit (Supplement. etc col. 1117 seqq), licet ipse viderit, has lectiones verbotenus exhibere capitulum 15. Legendae maioris. Numeri novem huius capituli in nostra editione, in qua omnino secuti sumus nostros codd., respondent lectionibus istis apud Bonelli, exceptis quarta et quinta lectionibus, quae incipiunt a propositione praecedente.

[5] Gal. 5, 24: Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. II. Cor. 5, 17: Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt; ecce, facta sunt omnia nova.

nimio renitescens, illius secundae stolae[1] pulcritudinem praetendebat.

Mira pulcritudo corporis mortui.

3. Membra ipsius adeo mollia et tractabilia se praebebant palpantibus, ut conversa viderentur in teneritudinem puerilis aetatis et quibusdam cernerentur evidentibus signis innocentiae decorata. Cum igitur in candidissima carne clavi nigrescerent, plaga vero lateris[2] ut vernans roseus flos ruberet; mirandum non est, si tam formosa et miraculosa varietas iucunditatem et admirationem contuentibus ingerebat. Lacrymabantur filii pro subtractione tam amabilis Patris, sed et non modica perfundebantur laetitia, dum deosculabantur in eo signacula summi Regis. Miraculi novitas planctum vertebat in iubilum et intellectus rapiebat indaginem in stuporem. Erat quippe tam insolitum tamque insigne spectaculum contuentibus omnibus et firmamentum fidei et incitamentum amoris, audientibus vero admirationis materia et excitatio desiderii ad videndum.

Confluxus populi.

4. Audito siquidem transitu Patris beati[3], et fama diffusa miraculi, accelerans populus confluebat ad locum, ut id cerneret oculis carnis, quod a ratione dubium omne repelleret et affectioni gaudium cumularet. Admissi sunt itaque cives Assisinates quam plurimi ad stigmata illa sacra contemplanda oculis et labiis osculanda. Unus autem ex eis, miles quidam litteratus et prudens, Hieronymus nomine, vir utique famosus et celeber, cum de huiusmodi sacris signis dubitasset essetque incredulus quasi Thomas[4]; ferventius et audacius coram Fratribus et aliis civibus movebat clavos Sanctique manus, pedes et latus manibus propriis contrectabat, ut, dum vulnerum Christi veracia illa signa palpando contingeret, de sui et omnium cordibus omne dubietatis vulnus amputaret[5]. Propter quod et ipse inter alios huius veritatis tam certitudinaliter agnitae testis constans postmodum effectus est, et tactis sacrosanctis[6], iuramento firmavit.

Testimonium militis Hieronymi.

Mirae exsequiae.

5. Fratres autem et filii, qui vocati fuerant ad transitum Patris, cum omni multitudine populorum noctem illam, in qua Christi almus confessor decessit, sic divinis laudibus dedicarunt, ut non defunctorum exsequiae, sed Angelorum excubiae viderentur. Mane vero[7] facto, turbae, quae convenerant, acceptis arborum ramis et cereorum multiplicatis luminibus, cum hymnis et canticis sacrum corpus ad civitatem Assisii detulerunt. Transeuntes quoque per ecclesiam sancti Damiani, in qua virgo illa nobilis Clara, nunc gloriosa in caelis[8], tunc inclusa cum virginibus morabatur, ibique aliquantulum subsistentes sacrum corpus, margaritis caelestibus insignitum videndum et osculandum sacris illis virginibus obtulerunt. Pervenientes denique ad civitatem cum iubilo, pretiosum thesaurum, quem portabant, in ecclesia sancti Georgii cum omni reverentia condiderunt. In eo siquidem loco puerulus litteras didicit ibique postmodum primitus praedicavit, postremo ibidem locum primum quietis accepit.

S. Clarae corpus ostratur.

Depositio s. corpo.

Quando it mortu

6. Transiit autem venerabilis Pater ex huius mundi naufragio anno dominicae Incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo sexto, quarto nonas Octobris[9], die Sabbati in sero, sepultus in die dominico. — Coepit autem vir beatus continuo, divinae faciei superirradiante respectu, magnis et multis coruscare miraculis, ut sublimitas sanctitatis eius, quae, ipso vivente in carne, ad morum directionem per exempla perfectae iustitiae innotuerat mundo, illo iam regnante cum Christo, ad omnem fidei firmitatem per miracula divinae potentiae comprobaretur e caelo. Cumque in diversis orbis partibus gloriosa eius miracula largaque per ipsum impetrata beneficia plurimos ad Christi devotionem accenderent et ad ipsius Sancti reverentiam incitarent, acclamantibus tam linguis sermonum quam operum; ad aures Summi Pontificis, domini Gregorii noni[10], quae per servum suum Franciscum Deus operabatur magnalia pervenerunt.

Magna ra cula

Eor exam

7. Sane cum idem Pastor Ecclesiae non solum ex miraculis auditis post mortem, verum etiam experimentis in vita ipsius oculis visis et manibus contrectatis sanctitatem eius mirabilem plena fide certificatus agnosceret ac per hoc in caelis glorificatum a Domino nullatenus dubitaret; ut Christo, cuius erat Vicarius, concorditer ageret, hunc in terris reddere celebrem, tanquam omni veneratione dignissimum, pia consideratione disposuit. Ad omnem quoque certitudinem faciendam orbi terrarum de[11] glorificatione viri sanctissimi inventa miracula et conscripta et testibus idoneis approbata examinari fecit per illos qui minus inter cardinales favorabiles negotio videbantur. Quibus diligenter discussis et ab omnibus approbatis, de fratrum suorum et omnium

---

[1] Scilicet gloriae corporis. Cfr. Wadding., loc. cit., ad an. 1226, n. 41. seq.

[2] Vat. cum ed. 1 *lateralis.*

[3] Edd. omittunt *beati.* Inferius Vat. cum ed. 1 omittit *carnis,* et subinde pro *Admissi sunt itaque* edd. substituunt *Admissi sunt igitur.*

[4] Cfr. Ioan. 20, 24. seqq. — Superius pro *miles* (cfr. supra pag. 525, nota 8.) *quidam* Vat. cum ed. 1 et nonnullis codd. *miles quidem.*

[5] Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 29. n. 1. de Apostolo Thoma ait: Minus enim mihi Maria Magdalena praestitit, quae citius credidit, quam Thomas, qui diu dubitavit. Ille etenim dubitando vulnerum cicatrices tetigit et de nostro pectore dubietatis vulnus amputavit.

[6] Du Cange, Glossarium etc.: *Sacrosancta,* sancta Evangelia, sacrae reliquiae, crux etc. — Superius post *veritatis* I K M addunt *mirabilis.*

[7] Ita A G; edd. *Mane autem,* quae etiam inferius pro *Transeuntes quoque* (ita A G) substituunt *Transeuntes vero.*

[8] Mortua est an. 1253 et inter sanctas Virgines ascripta an. 1255; cfr. Wadding., tom. II. ad an. 1253, n. 9. et ad an. 1255, n. 5. seq.

[9] Sive die 4. Octobris.

[10] De quo vide supra c. 6. n. 5. in fine.

[11] Cod. A omittit *de.*

praelatorum, qui tunc erant in curia, concordi consilio et assensu canonizandum decrevit. Veniens itaque personaliter ad civitatem Assisii anno dominicae Incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo octavo, decimo septimo Kalendas Augusti [1], die dominico, cum maximis quae longum foret enarrare solemniis beatum Patrem catalogo Sanctorum ascripsit.

8. Anno vero Domini millesimo ducentesimo trigesimo convenientibus Fratribus ad Capitulum generale Assisii celebratum, ad basilicam in honorem ipsius constructam corpus illud Domino dedicatum octavo Kalendas Iunii [2] translatum est. Dum autem ille sacer transportaretur thesaurus, bulla Regis altissimi consignatus, miracula plurima ille cuius effigiem praeferebat, operari dignatus est, ut per odorem salvificum affectus traheretur fidelium *ad currendum post Christum* [3]. Erat re vera condignum, ut quem Deus in vita sibi placentem et dilectum effectum in paradisum per contemplationis gratiam transtulerat ut Henoch et ad caelum in curru igneo per caritatis zelum rapuerat ut Eliam, eius iam vernantes inter flores illos caelicos plantationis aeternae ossa illa felicia de loco suo pullulatione mirifica redolerent [4].

Miracula posteriora.

9. Porro, sicut vir iste beatus mirandis virtutum signis in vita claruerat, sic et a die transitus sui usque in praesens per diversas mundi partes praeclaris miraculorum prodigiis, divina se potentia glorificante, coruscat. Nam caecis et surdis, mutis et claudis, hydropicis et paralyticis, daemoniacis et leprosis, naufragis et captivis ipsius meritis remedia conferuntur, omnibusque morbis, necessitatibus et periculis subvenitur. Sed et multis mortuis per ipsum mirifice suscitatis, innotescit fidelibus *mirificans Sanctum suum* [5] magnificentia virtutis Altissimi, cui est honor et gloria per infinita saecula saeculorum. Amen.

EXPLICIT VITA BEATI FRANCISCI [6].

INCIPIUNT QUAEDAM DE MIRACULIS IPSIUS POST MORTEM OSTENSIS.

§ 1. *Et primo de virtutibus sacrorum stigmatum* [7].

1. Ad omnipotentis Dei honorem et gloriam. Beati Patris Francisci post glorificationem ipsius in caelis aliqua ex approbatis conscripturus miracula [8], ab illo praecipue censui sumendum fore initium, in quo crucis Iesu virtus ostenditur, et gloria innovatur. Novus igitur homo Franciscus novo et stupendo miraculo claruit, cum singulari privilegio retroactis saeculis non concesso, insignitus apparuit, sacris videlicet stigmatibus decoratus et configuratus in *corpore mortis huius* corpori Crucifixi [9]. De quo quidquid humana lingua dicatur, minus erit a laude condigna. Totum quidem viri Dei studium, tam publicum quam privatum, circa crucem Domini versabatur; et ut crucis signaculo *cordi* eius a principio suae conversionis impresso *corpus* consignaret exterius, in ipsa se cruce recludens, habitum poenitentiae sumsit crucis imaginem praeferentem [10], quatenus, sicut mens eius intus Dominum crucifixum induerat, sic et corpus eius indueret arma crucis, et in quo signo Deus potestates aëreas debellarat, in eodem suus exercitus Domino militaret. Sed et a principio temporis, quo Crucifixo militare coeperat, diversa circa eum crucis praefulsere mysteria, sicut vitae ipsius consideranti decursum clarius innotescit [11], qualiter apparitione crucis dominicae septiformi tam cogitatu quam affectu et actu totus fuit in Crucifixi effigiem per ipsius ecstaticum transformatus amorem. Digne igitur summi Regis clementia suis amatoribus ultra omnem aestimationem hominum condescendens, suae crucis vexillum ipsius corpori deferendum impressit, ut qui mirando fuerat crucis amore praeventus, mirando etiam fieret crucis honore mirificus.

Mysteria crucis in vita Sancti.

2. Ad huius stupendi miraculi irrefragabilem firmitatem non solum videntium et palpantium testimonia per omnem modum credibilia, verum etiam apparitiones mirabiles et virtutes post ipsius obitum coruscantes ad omne mentis effugandum nubilum

Apparitiones et virtutes stigmatum.

---

[1] Sive die 16. Iulii. — Superius pro *Veniens itaque* edd. *Veniensque* (de Perusio). [2] Sive die 25. Maii.

[3] Cant. 1, 3: Trahe me, post te curremus in odorem unguentorum tuorum. — Superius post *odorem* (Vat. cum ed. 1 *ardorem*) edd. cum codd., A excepto, addunt *ipsius*.

[4] Eccli. 46, 14: Ut sit memoria illorum in benedictione, et ossa eorum pullulent de loco suo. De Henoch cfr. Gen. 5, 24: Ambulavitque cum Deo et non apparuit, quia tulit eum Deus. De Elia vide IV. Reg. 2, 11. (cfr. supra c. 4. n. 4.). — Superius fide A substituimus *vernantes* pro *vernantis*.

[5] Psalm. 4, 4: Et scitote, quoniam mirificavit Dominus sanctum suum.

[6] Edd. contra A G I M omittunt *Explicit vita beati Francisci*. Cod. C hic desinit.

[7] Cfr. Wadding., loc. cit, ad an. 1228, n. 12. seqq. — Edd. *De virtute sacrorum stigmatum*.

[8] Edd., interpunctione variata, legunt: *Ad omnipotentis Dei honorem et gloriam beati Patris Francisci. Post glorificationem ipsius in caelis aliqua ex approbatis scripturus miracula*. Secuti sumus praecipue interpunctionem in A.

[9] Rom. 7, 24: Quis me liberabit de corpore mortis huius! Phil. 3, 21: Qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae etc. — Superius pro *configuratus* A *transfiguratus*. Inferius pro *erit a laude* edd. *erit laude*.

[10] Cfr. Thom. a Celano, Vita I. p. I. c. 9. in fine; vide etiam supra c. 2. n. 4. circa finem.

[11] Cfr. supra c. 13. n. 10. — Superius pro *praefulsere* Vat. *perfulsere*.

suffragantur. Felicis namque recordationis dominus Gregorius Papa nonus, de quo vir sanctus prophetando praedixerat, quod ad dignitatem foret apostolicam sublimandus[1], antequam crucis signiferum catalogo Sanctorum ascriberet, scrupulum quendam dubitationis in corde gerebat de vulnere laterali. Nocte vero quadam, sicut ipse felix antistes referebat cum lacrymis, beatus ei Franciscus, quadam faciei praetensa duritia, in somnis apparuit et haesitationem cordis ipsius redarguens, elevavit brachium dextrum, detexit vulnus phialamque poposcit ab ipso, ut scaturientem reciperet sanguinem, qui ex latere defluebat. Obtulit in visione Summus Pontifex[2] phialam postulatam, quae usque ad summum sanguine profluente de latere videbatur impleri. Ex tunc ad illud sacrum miraculum tanta coepit devotione affici et aemulatione fervere, ut nullo modo pati posset, quod aliquis praefulgentia illa signa superba praesumeret impugnatione fuscare, quin eum severa increpatione feriret[3].

Apparet Papae Gregorio.

3. Frater quidam Ordine Minor, officio praedicator, virtutis et famae praerogativa praepollens, cui firmiter erat de Sancti stigmatibus persuasum, dum humano sensu miraculi huius apud se rationem perquireret, dubitationis coepit cuiusdam scrupulo titillari. Cum igitur per dies plurimos, sensualitate sumente vigorem, luctam[4] huiusmodi pateretur; nocte dormienti sanctus Franciscus pedibus lutulentis apparuit, humiliter durus et patienter iratus. « Et quae sunt, ait, ista in te conflictationum certamina, quae dubitationum sordes? *Vide manus meas*[5] et pedes meos ». Cumque ille videret manus confixas, lutulentorum pedum stigmata non videbat. « Remove, inquit, lutum a pedibus meis et cognosce loca clavorum ». Quos cum ille apprehendisset devote, lutum sibi videbatur abstergere locaque clavorum manibus contrectare. Continuo, ut evigilat, lacrymis irrigatur et priores affectus quodam modo lutulentos tam lacrymarum profluvio quam publica confessione detersit.

Item, Fratri Minori.

4. In urbe Roma matrona quaedam, morum claritate ac parentum gloria nobilis, sanctum Franciscum in suum elegerat advocatum, ipsius habens depictam imaginem in secreto cubiculo, ubi *Patrem in abscondito exorabat*[6]. Die vero quadam cum orationi vacaret, considerans imaginem Sancti sacra illa signa stigmatum non habentem, dolere coepit non modicum et mirari. Sed non mirum, si in pictura non erat quod pictor omiserat. Cumque per plures dies, quid causae foret defectus huiusmodi mente sollicita pertractaret; ecce, subito die quadam apparuerunt signa illa mirifica in pictura, sicut in aliis ipsius Sancti imaginibus pingi solent. Tremefacta illa filiam suam Deo devotam protinus advocavit, requirens, si absque stigmatibus usque tunc imago fuisset. Affirmat illa et iurat, sic olim sine stigmatibus[7] exstitisse et nunc vere cum stigmatibus apparere. Verum, quia mens humana semetipsam frequenter impellit, ut cadat, et in dubium revocat veritatem; subintrat iterum cor mulieris dubitatio noxia, ne forte sic fuisset imago a principio consignata. At Dei virtus, ne primum contemneretur miraculum, addidit et secundum. Continuo namque disparentibus signis illis, nudata privilegiis imago remansit, ut per sequens signum fieret probatio praecedentis.

Factum mirum quoad imaginem Sancti.

5. In Catalaunia quoque apud Ilerdam[8] accidit, virum quendam nomine Ioannem beato Francisco devotum quodam sero per quandam incedere viam, in qua pro inferenda morte latitabant insidiae, non quidem ipsi, qui inimicitias non habebat, sed alteri cuidam, qui videbatur similis eius et tunc erat in comitatu ipsius. Exsurgens autem quidam de insidiis, cum hostem suum hunc esse putaret, tam letaliter eum plagis pluribus[9] gladiavit, ut nulla prorsus superesset spes recuperandae salutis. Siquidem primo inflicta percussio humerum cum brachio pene totum absciderat, et ictus alius sub mammilla tantam reliquerat aperturam, ut flatus inde procedens circa sex candelas simul iunctas exstingueret. Cum igitur iudicio[10] medicorum ipsius impossibilis esset curatio, pro eo quod, putrescentibus plagis, ex eis foetor tam intolerabilis exhalaret, ut etiam ipsa eius uxor vehementer horreret, nullisque iam humanis iuvari posset remediis; convertit se ad beati Patris Francisci patrocinium quanta poterat devotione poscendum, quem et inter ipsos ictus una cum beata Virgine fidentissime invocarat[11]. Et ecce, misero in lectulo calamitatis solitario decubanti, cum Francisci nomen vigilans et eiulans frequentius replicaret, astitit quidam in habitu Fratris Minoris, per fenestram, ut ei videbatur, ingressus. Qui vocans eum ex nomine, dixit: « Quia fiduciam habuisti in me, ecce, Dominus liberabit te ». A quo cum aeger, quis esset, inquireret[12], Franciscum ille se esse respondit et statim appropians vulnerum illius ligaturas resolvit et eum unguento per omnes plagas, ut videbatur, perunxit. Statim autem, ut sensit illarum sacrarum manuum stigmatum Salvatoris virtute sanare

Sanat gr vissim v ner.

[1] Cfr. supra pag. 521, nota 6. et c. 15. n. 7.

[2] In A secunda manus male substituit *Summo Pontifici*.

[3] De hac visione vide Wadding., loc. cit., ad an. 1228, n. 3, qui etiam ad an. 1237, n. 1. seqq. tria Brevia eiusdem Pontificis de stigmatibus S. Francisci affert, in quibus ipsa stigmata commendantur et defenduntur contra impugnantes. — Superius vocibus *illa signa* edd. interserunt *sacra*.

[4] Edd. *luctamen*. Cod. E hanc visionem omittit.

[5] Ioan. 20, 27.

[6] Matth. 6, 6. — Inferius pro *cum orationi vacaret* edd. *dum orationi vacaret*.

[7] Edd. *et iurat, olim sine illis sacris stigmatibus*. Inferius A omittit *iterum*, et pro *contemneretur* edd. substituunt *contemneret*.

[8] Nunc *Lerida* appellatur.

[9] Edd. cum paucis codd. *plurimis*.

[10] Edd. *consilio*.

[11] Vat. cum ed. 1 *invocaret*.

[12] Edd. *requireret*. Inferius pro *ille se esse* Acta SS. *illum se esse*.

valentium suavem contactum, expulsa putredine, restituta carne et vulneribus solidatis, restitutus est integre pristinae sospitati. Quo facto, beatus Pater abscessit. Et ipse sentiens se sanatum et in vocem divinae laudis et beati Francisci laetanter erumpens, vocavit uxorem. At illa celerius currens et stare iam videns quem sepeliendum credebat in crastino, cum esset stupore vehementer[1] perterrita, viciniam totam clamore complevit. Accurrentes autem sui, cum illum niterentur tanquam phreneticum in lecto reponere, et ille econtra renitens assereret et ostenderet se sanatum; tanto sunt stupore attoniti, ut quasi sine mente omnes effecti, phantasticum esse crederent quod videbant, quia quem paulo ante conspexerant plagis atrocissimis laniatum et totum iam marcidum plena cernebant incolumitate iucundum. Ad quos ille qui factus fuerat sanus: « Nolite timere, inquit, nolite credere inane quod cernitis, quia sanctus Franciscus modo a loco recessit et illarum sacrarum manuum tactu me integre ab omni plaga curavit ». Crebrescente tandem huius fama miraculi, accelerat populus omnis et videntes in tam aperto prodigio stigmatum beati Francisci virtutem, admiratione simul et gaudio replebantur Christique signiferum magnis laudum praeconiis extollebant. —
[Ep]ilogus. Digne quidem beatus Pater, carne iam mortuus et vivens cum Christo, praesentiae suae ostensione mirabili et manuum sacrarum palpatione suavi vulnerato letaliter viro sanitatem concessit, cum illius in se stigmata tulerit, qui, misericorditer moriens et mirabiliter surgens, vulneratum genus humanum et *semivivum relictum* plagarum suarum virtute sanavit[2].

6. Apud Potentiam, Apuliae civitatem, erat quidam clericus Rogerus[3] nomine, vir honorabilis et ecclesiae maioris canonicus. Hic, cum infirmitate quassatus, die quadam ecclesiam oraturus intrasset, in qua erat imago beati Francisci depicta, gloriosa stigmata repraesentans, coepit de illius sublimitate miraculi tanquam de re omnino insolita et impossibili dubitare. Subito igitur, dum mente plagatus, interius cogitaret inania, in palma sinistrae manus sub chirotheca graviter se sensit esse percussum, sonitum audiens percussurae, veluti cum spiculum prosilit de balista, moxque, tam vulnere saucius[4] quam sonitu stupefactus, chirothecam de manu traxit, ut visu dignosceret, quod tactu perceperat et auditu. Cumque nulla fuisset prius in palma percussio, conspexit in medio manus plagam quasi sagittae percussione inflictam, ex qua tanta vis procedebat ardoris, ut videretur ex illo deficere. Mirabile dictu! Nullum in chirotheca vestigium apparebat, ut latenti plagae cordis latenter inflicti poena vulneris responderet. Clamat exinde per duos dies et rugit, dolore gravissimo stimulatus, et increduli cordis velamen explicat universis. Credere se veraciter sacra stigmata in sancto fuisse Francisco fatetur et iurat, contestans omnis dubitationis abscessisse phantasmata. Orat suppliciter Sanctum Dei per sacra sibi stigmata subvenire et multas cordis preces multo impinguat profluvio lacrymarum. Mirum certe! Incredulitate proiecta, sanationem mentis sanatio sequitur corporalis. Omnis quiescit dolor, frigescit ardor, nullum remanet vestigium percussurae, sicque factum est, ut latens mentis infirmitas per patens carnis cauterium superna providente clementia curaretur, menteque sanata, et ipsa caro pariter sanaretur. Fit homo humilis, Deo devotus, Sancto et Fratrum Ordini perpetua familiaritate subiectus. Huius rei tam solemne miraculum iuramentis firmatum fuit, et litteris sigilli episcopi munimine roboratis ipsius ad nos notitia delata pervenit. — De sacris ergo stigmatibus nulli sit ambiguitati locus, nullius in hoc, quia Deus *bonus est, nequam sit oculus*[5], quasi huiusmodi doni largitio sempiternae bonitati non congruat. Si enim illo amore seraphico multa membra capiti cohaererent Christo, ut et in bello simili armatura invenirentur condigna et in regno ad similem forent gloriam subvehenda, nullus hoc sanae mentis nisi ad Christi gloriam diceret pertinere.

(Margin notes: [Mirac]ulo cle-[rico d]ubitan-[ti] ... aegro- ; Notandum. ; Epilogus.)

§ II. *De mortuis suscitatis*[6].

1. In castro montis Marani prope Beneventum mulier quaedam sancto Francisco peculiari devotione cohaerens viam universae carnis intravit. Convenientibus autem clericis nocte ad exsequias et vigilias cum Psalteriis decantandas, subito, cunctis cernentibus, erexit se mulier super lectum et unum de astantibus sacerdotem, patrinum videlicet suum, vocavit[7] dicens: « Volo confiteri, pater; audi peccatum meum. Ego enim mortua duro eram carceri mancipanda, quoniam peccatum, quod tibi pandam, necdum confessa fueram. Sed orante, inquit, pro me sancto Francisco, cui, dum viverem, devota mente servivi, redire nunc ad corpus indultum est mihi, ut, illo revelato peccato, sempiternam promerear vitam. Et ecce, vobis videntibus, postquam illud detexero, ad promissam requiem properabo ». Trementer ergo sacerdoti trementi confessa, post absolutionem receptam quiete se in lecto collegit et in Domino feliciter obdormivit. Miraculum primum.

[1] Edd. *cum esset stupore vehementi.*
[2] Respicitur parabola de Samaritano Luc. 10, 30. seqq. — Superius post *cum illius* edd. addunt *etiam.*
[3] Vat. cum ed. 1 *Rogerius.*
[4] Edd. *sauciatus.*
[5] Matth. 20, 15: An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? — Superius pro *nulli sit* edd. *nullus sit.*
[6] Nonnulli codd., ut D E F, hanc rubricam omittunt; idem occurrit in seqq.
[7] Edd. *advocavit,* quae et omittunt *audi peccatum meum.*

Miraculum secundum.

2. In castro Pomarico [1] in montanis Apuliae posito patri et matri unica erat filia in tenera aetate tenere praedilecta. Qua infirmitate gravi ad mortem perducta, parentes eius successionem aliam non sperantes, se in illa quasi mortuos reputabant. Convenientibus ergo consanguineis et amicis ad flebile nimis funus, iacebat mater infelix ineffabilibus completa doloribus et absorpta suprema tristitia, de his quae fiebant nihil penitus advertebat. Interim sanctus Franciscus, uno tantum socio comitatus, apparens desolatam visitare dignatus est feminam, quam sibi senserat esse devotam et piis eam affatus alloquiis: « *Noli flere* [2], inquit; nam lucernae tuae lumen, quod deploras exstinctum, mea tibi est intercessione reddendum ». Surrexit continuo mulier, et quae sibi dixerat Sanctus omnibus manifestans, non permisit, exstinctum corpus efferri, sed cum magna fide sancti Francisci nomen invocans et mortuam filiam apprehendens, vivam et incolumem, cunctis videntibus et mirantibus, allevavit.

Tertium.

3. Cum Fratres de Noceria [3] peterent quoddam plaustrum a quodam viro, Petro nomine, quo aliquantulum indigebant; stulte respondit eis pro petito subsidio irrogando convicium, et pro eleemosyna ad honorem sancti postulata Francisci in nomen ipsius blasphemiam iaculando. Poenituit hominem statim insipientiae suae, divino super eum irruente pavore, ne forte ultio Domini sequeretur, sicut et fuit protinus subsecuta. Nam infirmatus continuo primogenitus eius, parvo elapso spatio, spiritum exhalavit. Volutabatur per humum pater infelix et sanctum Dei Franciscum invocare [4] non cessans, cum lacrymis exclamabat: « Ego sum, qui peccavi, ego, qui inique locutus sum; me in persona propria flagellare debuisti. Redde, Sancte, iam poenitenti quod abstulisti impie blasphemanti. Tibi me reddo, tuis me obsequiis semper expono; nam et devotum sacrificium laudis pro tui honore nominis semper offeram Christo ». Mira res! Ad haec verba surrexit puer, et planctum prohibens, se morientem, eductum de corpore, per beatum Franciscum deductum asseruit et reductum.

Quartum.

4. Cuiusdam urbis Romae notarii puerulus vix septennis matrem ad ecclesiam sancti Marci euntem puerili more sequi desiderans, dum remanere domi compelleretur a matre, per fenestram palatii se proiecit, et ultima quassatione collisus, continuo spiravit [5]. Mater vero, quae nondum longe discesserat, ad sonitum corruentis praecipitium pignoris suspicata, celeriter rediit filiumque reperiens tam mirabili casu repente subtractum, protinus sibi ipsi manus iniecit ultrices ac dolorosis clamoribus totam excitavit viciniam ad lamentum. Frater vero quidam, nomine Raho de Ordine Minorum, illuc se ad praedicandum conferens, propinquavit ad puerum et fide plenus ait ad patrem: « Credisne, sanctum Dei Franciscum posse filium tuum a mortuis suscitare propter amorem, quem semper ad Christum habuit pro reddenda vita hominibus crucifixum » ? Quo respondente, se firmiter credere et fideliter confiteri servumque Sancti in perpetuum se esse futurum, si tantum a Deo munus per ipsius merita recipere mereretur; prostravit se Frater ille cum Fratre socio in oratione, ceteros, qui aderant, excitans ad orandum. Quo facto, coepit puer aliquantulum oscitare, et apertis oculis brachiisque elevatis [6], se ipsum erexit et statim coram omnibus ambulavit incolumis, per mirandam Sancti virtutem vitae simul redditus et saluti.

Quintum.

5. In civitate Capuae, dum puer quidam circa [7] ripam Vulturni fluminis cum pluribus iocaretur, incaute cecidit in profundum, quem fluminis impetus celeriter vorans, sub sabulo mortuum sepelivit. Proclamantibus autem pueris, qui cum eo luserant circa flumen, populosa illic multitudo convenit. Cumque universus populus suppliciter et devote beati Francisci merita invocaret, ut devotorum sibi parentum fidem aspiciens, prolem a mortis periculo dignaretur eripere, natator quidam procul astans, clamoribus auditis, accessit. Et post diutinam inquisitionem, invocato tandem beati Francisci subsidio, locum invenit, in quo limus in modum sepulcri pueri cadaver obtexerat; quem effodiens et extra deportans, dolens defunctum inspexit. Licet autem populus, qui astabat, videret iuvenem mortuum; nihilominus tamen flens et eiulans proclamabat: « Sancte Francisce, redde puerum patri suo ». Sed et Iudaei, qui venerant, naturali pietate commoti, dicebant: « Sancte Francisce, redde puerum patri suo ». Subito puer, laetantibus et mirantibus cunctis, exsurgens incolumis, duci se ad ecclesiam beati Francisci suppliciter postulavit, ut gratias illi devotus exsolveret, cuius se noverat virtute mirabiliter suscitatum.

Sextum.

6. In civitate Suessa [8] in vico, qui *Ad columnas* dicitur, repente quaedam corruens domus unum absorbuit iuvenem et subito interemit. Viri autem et mulieres ruinae sonitu excitati, undique accurrentes, elevaverunt hinc inde ligna et lapides et miserae matri mortuum filium reddiderunt. Illa vero amarissimis repleta singultibus, sicut poterat, dolorosis

---

[1] Locus huius nominis adhuc invenitur in regno Neapolitano, provincia Basilicatae. Secuti sumus B; alii codd. *Pomarco*, edd. *Pamarco*.

[2] Sicut dixit Iesus viduae in Naim, cuius filium suscitavit, Luc. 7, 13.

[3] Cfr. supra pag. 525, nota 6.

[4] Vat. cum ed. 1 *vocare*.

[5] Du Cange, Glossarium etc.: *Spirare*, Italis, animam efflare. Codd. I M et Acta SS. *exspiravit*.

[6] Plures codd., ut A G I M, *levatis*.

[7] Edd. *super*, quae etiam inferius pro *incaute* (ita A) cum aliis codd. substituunt *incautus* et *illuc* pro *illic* (ita A B D E I M).

[8] Nunc *Sessa*, in regno Neapolitano, in provincia Terrae Laboris.

vocibus exclamabat: « Sancte Francisce, sancte Francisce, redde mihi filium meum ». Non solum autem illa, sed et omnes, qui aderant, beati Patris praesidium flagitabant. Sed cum non esset neque vox neque sensus, cadaver posuerunt in lectulo, ad sepeliendum ipsum diem crastinum exspectantes. Mater vero fiduciam habens in Domino per merita Sancti eius, votum emisit, nova se sindone beati Francisci operturam altare, si filium suum sibi[1] revocaret ad vitam. Et ecce, circa mediam noctis horam coepit iuvenis oscitare, et calescentibus membris vivus exsurgens et sanus, in laudis verba prorumpit. Sed et clerum, qui convenerat, et populum universum excitavit ad laudes et gratias Deo et beato Francisco cum mentis laetitia persolvendas.

7. Iuvenis quidam, Gerlandinus nomine, de Ragusia[2] oriundus, vindemiarum tempore ad vineas exiens, cum in vase vinario, ut utres impleret, sub torculari se mitteret, repente praegrandes lapides, motis in se lignorum struibus, caput ipsius letali percussione quassarunt. Festinavit continuo pater ad filium et desperans obrutum non adiuvit, sed eum sub onere, sicut corruit, sic reliquit. Accurrerunt expeditius vinitores magni clamoris vocem lugubrem audientes multoque cum patre pueri dolore completi, extraxerunt iuvenem iam mortuum a ruina. Pater vero ipsius, Iesu pedibus provolutus, humiliter precabatur, ut filium suum unicum per sancti Francisci merita, cuius tunc imminebat solemnitas, sibi reddere dignaretur. Ingeminabat preces, vovebat officia pietatis, et sancti viri corpus se visitaturum cum filio, si suscitaretur a mortuis, promittebat[3]. Mirum certe! Continuo puer, qui toto fuerat corpore conquassatus, restitutus vitae et integrae sospitati, gaudens coram omnibus exsurrexit, plangentes obiurgans et sancti Francisci suffragiis vitae se redditum asseverans.

(Septimum.)

8. Quendam alium mortuum in Alemania suscitavit, de quo dominus Papa Gregorius tempore translationis ipsius Sancti Fratres omnes, qui ad translationem et Capitulum convenerant, per apostolicas litteras[4] certos reddidit et gaudentes. Miraculi huius seriem, quia ignoravi, non scripsi, credens, papale testimonium omnis assertionis excellere instrumentum.

(Octavum.)

§ III. *De his quos a mortis periculo liberavit.*

1. In confinibus Urbis vir quidam nobilis, Rodulphus[5] nomine, cum Deo devota uxore Fratres Minores suo recepit hospitio tam hospitalitatis gratia quam beati Francisci reverentia et amore. Nocte vero illa in summitate turris dormiens custos castri, cum iaceret super struem lignorum in ipsa muri positorum crepidine, ipsorum soluta compage, in tectum palatii corruit et exinde super terram. Excitata est ad sonitum casus tota familia, et custodis intellecta ruina, dominus castri et domina cum Fratribus accurrerunt. Is vero, qui ex alto corruerat, absorptus fuerat tam profundo sopore, ut nec ad casum evigilaret iteratae ruinae nec ad strepitum accurrentis familiae cum clamore. Trahentium tandem et impellentium manibus excitatus, conqueri coepit, quod dulci fuisset quiete privatus, inter beati Francisci brachia suaviter asserens se dormisse. Cum vero de casu proprio doceretur ab aliis et in imo se videret qui in alto iacuerat, stupens, esse factum quod fieri non perceperat, poenitentiam se facturum ob reverentiam Dei et beati Francisci coram omnibus repromisit.

(Miraculum primum.)

2. In[6] castro Pophis, quod in Campania positum est, sacerdos quidam, Thomas nomine, accessit ad reparandum ecclesiae molendinum. Deambulans autem incaute secus extrema canalis, quo gurges profundus copioso defluebat influxu, subito casu caviloso[7] ligno intrusus est, cuius impulsu volvitur molendinum. Cum igitur consertus iaceret in ligno, et super os ipsius, quia supinus erat, aquarum impetus inundaret, corde tantum, quia lingua non poterat, sanctum Franciscum flebiliter invocabat. Per magnum vero spatium sic illo iacente, ac de vita ipsius iam penitus sociis desperatis, in contrariam partem molam cum violentia revolverunt, et sic eiectus, sacerdos palpitans volutabatur in aquae meatu. Et ecce, quidam Frater Minor, indutus tunica candida et fune succinctus, cum magna suavitate arreptum per brachium extra flumen eduxit, dicens: « Ego sum Franciscus, quem invocasti ». Ille vero, sic liberatus, nimis obstupuit volensque pedum ipsius deosculari vestigia, huc atque illuc anxius discurrebat, quaerens a sociis: « Ubi est ille? Quo abiit

(Secundum.)

[1] Edd. omittunt *sibi*.

[2] Acta SS. *Ragusa* (vel *Ragusium* in Dalmatia).

[3] Edd. *repromisit*.

[4] Incipientes *Mirificans misericordias suas Dominus*, in quibus dicitur: « Nuper in Theutonia, ipsius Sancti celebri nomine invocato, mortuum mirifice suscitavit [Redemptor], sicut nobis est solemniter intimatum » etc. Litterae inveniuntur apud Wadding., loc. cit., ad an. 1230, n. 1, qui praemittit, quod « habet has litteras Petrus Rodulphius fol. 170. et Regestum Vaticanum hoc anno, n. 18 ». Acta SS. hic dicunt: « Ipsas tamen eiusdem Pontificis litteras non vidimus hactenus ». — Agitur de translatione corporis S. Francisci de ecclesia S. Georgii ad basilicam in honorem S. Francisci aedificatam (an. 1230); cfr. supra c. 15, n. 8.

[5] Plures codd., ut A B D E, *Radulfus*. Inferius vocibus *cum iaceret* Vat. interserit *iam*.

[6] Cod. A praemittit hanc rubricam: *De molendino*, B illam, quam supra omisit: *De his quos a mortis periculo liberavit*.

[7] Derivatur a *cavile*, quo etiam secundum Du Cange, Glossarium etc. designatur clavus ligneus aut ferreus, qui inseritur ad continendos asseres, aut alia quaevis, quasi *clavile*, a *clavus;* eadem notione sumitur *cavilla*, *cavillus* (Vat. cum ed. 1 et codd. *cavilloso ligno*). — Inferius pro *corde tantum* edd. *corde tamen*.

Sanctus? Qua via discessit»? Viri autem illi tremefacti, proni ceciderunt in terram, sublimis Dei gloriosa extollentes magnalia et virtuosa merita humilis servi eius.

Tertium. 3. Iuvenes quidam de Burgo Celani[1] pro metendis herbis exierant ad campestria quaedam, in quibus vetus latebat puteus, herbis in summo ore virentibus obumbratus, qui quasi per passus quatuor aquarum altitudinem continebat. Segregatim igitur per campum discurrentibus pueris, unus ex improviso decurrit in puteum. Absorbente autem profunda fovea corpus, spiritus mentis sursum recurrebat ad beati Francisci suffragium, clamans in ipso lapsu fideliter et fidenter: «Sancte Francisce, adiuva me». Ceteri huc et illuc se vertentes, dum *puer* alius *non compareret*[2], clamore, circuitu et lacrymis requirebant eundem. Comperto tandem, quod in puteum cecidisset, festinanter cum gemitibus redierunt ad Burgum, indicantes eventum, exposcentes auxilium. Redeuntibus autem illis cum multa hominum turba, demissus unus per funem in puteum, puerum respexit in aquarum superficie residentem, nihil passum penitus laesionis. Extractus vero de puteo puer dixit omnibus, qui astabant: «Quando subito cecidi, beati Francisci patrocinium invocavi, qui corruenti mihi statim praesentialiter affuit, et manum porrigens, leviter apprehendit nec unquam deseruit, donec una vobiscum de puteo me eduxit».

Quartum. 4. In ecclesia beati Francisci apud Assisium, dum, praesente Romana curia, praedicaret dominus episcopus Ostiensis, qui et postmodum Summus Pontifex exstitit Alexander[3], quidam lapis ponderosus et magnus incaute super pulpitum excelsum et lapideum derelictus, prae nimietate pressurae impulsus, super caput cuiusdam cecidit mulieris. Aestimantes igitur circumstantes, perfecte ipsam iam mortuam et caput eius totaliter conquassatum, cooperuerunt eam pallio, quo erat amicta, ut, sermone finito, educeretur extra ecclesiam lugubre funus. Ipsa vero se beato Francisco, ante cuius iacebat altare, fideliter commendavit. Et ecce, praedicatione finita, mulier coram omnibus adeo surrexit incolumis, ut nullius in ea laesionis vestigium appareret. Sed et[4], quod est amplius admirandum, cum per longa tempora usque ad horam illam dolorem capitis quasi continuum habuisset, plene fuit ex tunc ab omnis morbi molestia liberata, sicut ipsa postmodum testabatur.

Quintum. 5. Apud Cornetum[5], cum in loco Fratrum ad fusionem campanae viri quidam convenissent devoti, puerulus quidam octennis, Bartholomaeus nomine, exenium quoddam Fratribus pro laborantibus apportavit. Et ecce, subito ventus vehemens, concussa domo, ostium portae grave quidem et magnum super ipsum puerulum ita valido proiecit impulsu, ut quem tam ingens pondus oppresserat letali crederetur collisione quassatus. Sic enim totaliter iacebat tumulatus sub pondere, ut nihil exterius appareret. Accurrerunt omnes, qui aderant, beati Francisci virtuosam dexteram invocantes. Sed et pater ipsius, qui, rigescentibus membris, se movere non poterat prae dolore, votis et voce sancto Francisco filium offerebat. Levatum est denique funestum pondus desuper puerum, et ecce, quem credebant mortuum, quasi suscitatus a somno, laetus apparuit, nullam in se prorsus praeferens laesionem. Igitur cum quatuordecim esset annorum, factus est Frater Minor, vir postea litteratus et famosus in Ordine praedicator.

6. Homines de Lentino lapidem praegrandem Sextum absciderunt de monte, qui superponendus[6] erat altari cuiusdam ecclesiae beati Francisci iam proximo consecrandae. Cum autem fere quadraginta homines lapidem illum superponere vehiculo niterentur, repetitis saepius viribus, super quendam hominem lapis[7] cecidit et in modum sepulcri obtexit. Sed cum mente confusi, quid facerent, ignorarent; maior pars hominum desperata discessit. Porro viri decem, qui remanserant, lugubri voce sanctum invocantes Franciscum, ne in suo servitio sic horrende mori hominem pateretur, resumto tandem corde, tanta facilitate lapidem amoverunt, ut nullus dubitaret, virtutem affuisse Francisci. Surrexit homo incolumis[8] in omnibus membris, insuper et lumen recuperavit limpidum oculorum, quod prius habuerat obscuratum, ut sic omnibus daretur intelligi, quam in rebus desperatis beati Francisci merita validae sint virtutis.

7. Simile quiddam[9] accidit apud sanctum Se- Septim. verinum in Marchia de Ancona. Dum enim lapis praegrandis, de Constantinopoli apportatus ad basilicam beati Francisci multorum viribus traheretur, rapido lapsu est super quendam trahentium devolutus. Cumque ille non solum crederetur defunctus, sed etiam totaliter comminutus, assistente sibi beato Francisco et lapidem sublevante, absque omni laesione sanus et incolumis, lapidis proiecto pondere, prosilivit.

8. Bartholomaeus, Caietanus[10] civis, cum ad Octavu constructionem cuiusdam ecclesiae beati Francisci non modicum desudaret, ruente trabe quadam infirmiter posita eiusque opprimente cervicem, fuit graviter

---

[1] Cfr. supra pag. 536, nota 7. — Vat. cum ed. 1, posito *Iuvenis*, subinde substituit *exierat*.

[2] Gen. 37, 30. — Edd. *compareret*. Inferius pro *festinanter* Vat. cum ed. 1 *festinantes*.

[3] Scilicet quartus, an. 1254 Summus Pontifex constitutus.

[4] Cod. B omittit *et*. Inferius pro *omnis* Acta SS. *omni*.

[5] Analecta Franciscana, tom. III. pag. 201, nominant castrum Corneti Viterbiensis dioecesis. — Inferius pro *exenium* (munus) edd. eadem notione *xenium*, quae etiam subinde perperam omittunt *pro*.

[6] Vat. cum ed. 1 *supponendus*. Inferius vocibus *iam proximo* G I M interserunt *in*, edd. legunt tantum *in proximo*.

[7] Edd. *lapis ille*.

[8] Cod. A addit *et*. Inferius Vat. et ed. 1 omittunt *prius* et *sic*.

[9] Vat. *quoddam*.

[10] Cfr. supra pag. 540, nota 4, ubi urbs Gaëta occurrit; hic sicut ibi plures codd. *Gaietanus*.

conquassatus. Ipse vero mortem sibi sentiens imminentem, uti erat vir fidelis et pius, a quodam Fratre Viaticum postulavit. Quod Frater ille tam celeriter afferre non valens, quia mori subito credebatur, beati Augustini verbum [1] protulit, dicens ei: « Crede, et manducasti ». Sequenti vero nocte beatus Franciscus cum undecim Fratribus illi apparuit, et inter ubera portans agniculum, ad lectum eius accessit vocavitque illum ex nomine, dicens: « Bartholomaee, noli timere, quia non praevalebit adversum te inimicus, qui te in meo servitio voluit impedire. Hic est Agnus, quem tibi dari petebas, quem et propter bonum desiderium suscepisti, cuius etiam virtute consequeris utriusque hominis sospitatem ». Et sic per vulnera manum ducens, ad opus, quod coeperat, eum redire praecepit. Qui valde mane consurgens, et his qui eum seminecem reliquerant, incolumis et laetus apparens, admirationem intulit et stuporem, sed et ipsorum mentes ad beati Patris reverentiam et amorem tam exemplo sui quam Sancti miraculo excitavit.

9. Quidam de castro Ceperani [2], nomine Nicolaus, in manus inimicorum crudelium incidit die quadam. Qui crudelitate ferali vulneribus eum super vulnera concidentes, usque adeo super miserum saevierunt, donec vel exstinctum crederent, vel protinus exstinguendum. Clamaverat autem Nicolaus praedictus, cum primos ictus exciperet, alta voce: « Sancte Francisce, succurre mihi; sancte Francisce, adiuva me ». Hanc vocem a remotis audierunt quam plurimi, licet auxilium ferre non possent. Deportatus tandem domum, totus suo sanguine volutatus, fiducialiter asserebat, se mortem ex illis vulneribus non visurum nec etiam se tunc sentire dolores, quoniam sanctus Franciscus sibi succurrerat, et ut poenitentiam ageret, a Domino impetrarat [3]. Quod et sequens confirmavit eventus, nam lotus a sanguine, continuo contra humanam spem exstitit liberatus.

[N]onum.

10. Filius cuiusdam nobilis in castro sancti Geminiani [4], valido languore detentus omnique ulterius desperatus salute, ad extremum usque perductus est. Rivus etenim sanguinis emanabat ab oculis eius, sicut ex vena [5] brachii assolet ebullire, ceterisque propinquae mortis veris indiciis in reliquo corpore apparentibus, iudicabatur pro mortuo, sed et prae debilitate spiritus et virtutis sensus et motus usu privatus, visus est penitus emigrasse. Congregatis autem ex more ad planctum parentibus et amicis, ac de sola agentibus sepultura, pater ipsius, fiduciam habens in Domino, concito gressu ad ecclesiam cucurrit beati Francisci, quae in eodem erat castro constructa, et cingulo suspenso ad guttur, cum omni humilitate se prostravit in terram; sicque vota vovens et multiplicans preces, suspiriis et gemitibus meruit apud Christum sanctum Franciscum habere patronum. Reversus itaque statim pater ad filium et sanitati restitutum inveniens, luctum in gaudium commutavit.

[De]cimum.

11. Simile quiddam meritis Sancti operatus est Dominus circa puellam quandam in Catalaunia de villa, nomine Thamarit [6], et circa aliam de Ancona, quas, cum essent prae nimietate aegritudinis in ultimo spiritu constitutae, beatus Franciscus, fideliter a parentibus invocatus, perfectae continuo restituit sanitati.

Undecimum et duodecimum.

12. Clericus quidam de Vico Albo [7], nomine Matthaeus, veneno mortifero bibito, in tantum fuit gravatus, quod loqui aliquo modo non valens, solum finalem exitum exspectabat. Sacerdos quidam, ut sibi confiteretur, admonuit et verbum unum ab eo extorquere non valuit. Ipse vero in corde suo humiliter Christum orabat, ut per beati Francisci merita a mortis eum faucibus eripere dignaretur; moxque, ut confortatus a Domino, beati Francisci nomen fideli devotione deprompsit testibus, qui aderant, veneno evomito, liberatori suo gratias egit.

Decimum tertium.

§ IV. *De naufragis liberatis* [8].

1. In magno maris periculo positi quidam nautae, cum per milliaria decem a portu Barulitano [9] distarent, ingravescente nimium tempestate, iam de vita dubii ancoras submiserunt. Verum spiritu procellarum mari ferventius tumescente, fractis funibus et relictis ancoris, incerto et inaequali cursu per aequora vagabantur. Tandem nutu divino mari placato, ad resumendas anchoras, quarum funes superius enatabant, toto se conamine paraverunt. Cumque id perficere propriis viribus non valerent, plurimorum Sanctorum invocato subsidio multisque iam sudoribus liquescentes, nec unam per totam diem resumere potuerunt. Aderat autem nauta quidam, Perfectus [10] nomine, sed moribus imperfectus, qui cum irrisione quadam dixit ad socios: « Ecce, Sanctorum omnium invocastis auxilium, et, ut videtis, nullus est, qui succurrat. Invocemus istum Franciscum, qui novellus est Sanctus, si quo modo in mare se mergat [11] et ancoras perditas reddat ». Consenserunt ceteri, non irrisorie, sed veraciter suasioni Perfecti, et ipsius

Miraculum primum.

---

[1] In Ioan. Evang. tr. 25. n. 12.

[2] In Campania Romana ad fluvium Lirim.

[3] Edd. cum uno alteroque cod. *impetravit.*

[4] In Tuscia.

[5] Supple *secta.* Inferius pro *prae debilitate* Vat. cum ed. 1 *pro debilitate.*

[6] Ad oram maris Iberici. — Inferius pro *quas* edd. *quae.*

[7] Acta SS. *de vico Albo.*

[8] Edd. *De liberatis a naufragio.* Codd. D E F hanc rubricam omittunt.

[9] Est portus Baruli sive Baroli (Barletta) in regno Neapolitano, prov. Bari. Codd. B I *Barolitano.*

[10] Hic desinit cod. A.

[11] Vat. cum ed. 1 *emergat.* Inferius pro *suasioni Perfecti* B *suasioni non perfectae.*

obiurgantes irrisorium verbum, firmaverunt cum Sancto spontaneum votum; statimque in momento sine aliquo adminiculo nataverunt ancorae super aquas, quasi ferri natura versa foret in ligneam levitatem.

2. Peregrinus quidam, invalidus corpore propter Secundum. febris peracutae symptomata, quam fuerat ante perpessus, navi quadam subvectus, de ultramarinis partibus veniebat. Ferebatur autem et ipse ad beatum Franciscum praecipuo devotionis affectu et eum sibi apud caelestem Regem elegerat advocatum. Cum igitur necdum perfecte liber a morbo sitis angustiaretur ardoribus, deficiente iam aqua, coepit alta voce clamare: « Ite fidenter, haurite poculum mihi, quia beatus Franciscus vasculum meum aqua replevit ». Mirum certe! Invenerunt vas aqua repletum, quod fuerat ante vacuum derelictum. Alio vero die, cum tempestate suborta *operiretur navis fluctibus* [1] et procellis quateretur pervalidis, ita ut iam naufragium timerent, coepit idem infirmus subito clamore vociferari per navem: « Surgite omnes, inquit, et beato Francisco venienti occurrite. Ecce, ad salvandum nos adest ». Sicque cum voce magna et lacrymis in faciem procidens, adoravit. Statim ad Sancti visionem omnem sospitatem resumsit infirmus, et maris fuit tranquillitas subsecuta [2].

3. Frater Iacobus Reatinus, cum in navicula Tertium. parva fluvium quendam cum aliis Fratribus pertransiret, sociis primo super ripa [3] positis, postremo se ad exitum praeparabat. Sed modico illo ligno per infortunium revoluto, rectore natante, Frater mersus est in profundum. Invocabant Fratres extra positi affectuosis precibus beatum Franciscum, et ut filio succurreret, lacrymosis gemitibus supplicabant. Submersus etiam [4] Frater de ventre gurgitis nimis immensi, cum ore non posset, corde clamabat, ut poterat, implorans pii Patris subsidium. Et ecce, auxiliante sibi beati Patris praesentia, per profundum sicut per aridam ambulabat, et demersam naviculam capiens, cum ea pervenit ad littus. Mirabile dictu! Vestimenta eius madidata non sunt, nec aquae gutta proximavit ad tunicam.

4. Frater Bonaventura nomine, cum duobus viris Quartum, quintum, sextum. per lacum quendam navigans, confracta ex parte navicula propter aquae influentis impetum, demersus est cum navi et sociis in profundum. Cum autem *de lacu miseriae* [5] misericordem Patrem Franciscum invocarent cum multa fiducia, superenatavit subito aqua plena navicula, et cum eis, Sancto praebente ducatum, salubriter devenit ad portum. — Sic et quidam Frater de Esculo [6], submersus in flumine, sancti Francisci meritis exstitit liberatus. — Sed et in lacu Reatino cum quidam viri et mulieres in consimili essent periculo constituti, ad invocationem nominis sancti Francisci de aquarum multarum periculoso naufragio salubriter evaserunt.

5. Quidam nautae Anconitani, periculosa [7] tempestate iactati, submersionis periculum iam videbant. Septimum. Cumque sic desperati de vita sanctum Franciscum suppliciter invocarent, lumen in navi magnum apparuit, et cum ipso lumine tranquillitas concessa divinitus, ac si beatus vir sua miranda virtute et ventis imperare posset et mari [8]. — Quantis autem Epilog. miraculorum prodigiis beatus hic Pater in mari claruerit et clarescat, quoties ibidem opem tulerit desperatis, nullatenus credo possibile per singula enarrare. Nec mirum, si iam regnanti in caelis collatum est imperium super aquas, cui et in hac mortalitate degenti omnis corporea creatura ad suam refigurata originem mirabiliter serviebat [9].

§ V. *De liberatis a vinculis et carceribus.*

1. In Romania [10] Graecum cuiusdam domini ser- Miraculum primum. vientem contigit de furto fallaciter accusari, quem dominus terrae in arcto carcere mandavit includi et graviter vinculari. Domina vero domus, miserta servi, quem indubitanter credebat a culpa sibi imposita innocentem, pro liberatione ipsius apud virum precibus insistebat devotis. Verum non acquiescente viri sui duritia obstinata [11], recurrit domina supplex ad sanctum Franciscum et eius pietati voto commendavit insontem. Protinus affuit miserorum adiutor et virum in carcere positum misericorditer visitavit. Solvit vincula, carcerem fregit, innocentem manibus apprehensum foras eduxit et ait: « Ego sum ille cui domina tua te devote commisit ». Cumque ille timore magno corriperetur et pro descensu altissimae rupis voraginem circuiret, subito liberatoris sui virtute inveniens se in plano, rediit ad dominam suam, relataque per ordinem miraculi veritate, devotam dominam ad Christi amorem et reverentiam servi eius Francisci ferventius inflammavit.

---

[1] Matth. 8, 24: Navicula operiretur fluctibus. — Inferius pro *naufragium timerent* B I L M *naufragari* (F G *naufragare*) *timerent*.

[2] Matth. 8, 26: Et facta est tranquillitas magna. — Cod. E hoc factum omittit.

[3] Codd. I L M et Acta SS. *super ripam*.

[4] Edd. *autem*.

[5] Psalm. 39, 3. — Inferius pro *superenatavit* Acta SS. *supernatavit*; deinde B D E F omittunt *Sancto*, et pro *devenit* edd. substituunt *pervenit*.

[6] Hoc nomen idem est ac *Asculum* (Ascoli); cfr. Analecta Franciscana, tom. III. pag. 352 et 355, ubi Bonaventurae successor in Generalatu Ordinis Hieronymus dicitur fuisse de *Esculo* (Asculo in Piceno); invenitur etiam aliud *Asculum*, scilicet *Apulum* (Ascoli di Satriano) in regno Neapolitano.

[7] Codd. G I K M *procellosa*. Inferius pro *in navi* (ita B D F G L M) edd. *in mari*. Cod. E hoc factum omittit.

[8] Matth. 8, 26: Tunc surgens [Iesus] imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.

[9] Vide supra c. 8. n. 6. seqq.

[10] Quae alio nomine Thracia vocabatur; cfr. infra § 7. n. 2, ubi urbs *Thebae* in Romania exhibetur. Romania accipitur etiam pro provincia *Romandiola* (cfr. Du Cange, Glossarium etc.). — Post *Graecum* edd. addunt *quendam*.

[11] Cod. K *Verum non acquiescente marito, qui erat duritia obstinatus*.

2. In Massa sancti Petri cuidam militi [1] debebat pecuniae quantitatem pauperculus quidam. Cumque prae inopia facultas non suppeteret persolvendi, captus debitor a milite repetente, misereri sibi orabat suppliciter, dilationem quaerens amore beati Francisci. Sprevit superbus miles preces oblatas et Sancti amorem veluti inane quid inaniter vilipendit. Nam cervicose respondens: « Tali te, ait, loco recludam et tali recludam [2] carcere, quod nec Franciscus nec aliquis te poterit adiuvare ». Tentavit quod dixit. Carcerem adinvenit obscurum, in quo hominem vinculatum coniecit. Paulo post affuit beatus Franciscus, et fracto carcere ruptisque compedibus, illaesum hominem reduxit ad propria. Sic fortitudo Francisci, militem praedata superbum, captivum, qui se sibi subiecerat, liberavit a malo militisque proterviam mirando miraculo [3] in mansuetudinem commutavit. Se dum.

3. Albertus de Aretio, cum in vinculis arctissimis [4] teneretur pro debitis iniuste ab eo petitis, suam innocentiam sancto Francisco humiliter commendavit. Ordinem quidem Fratrum Minorum plurimum diligebat et sanctum Franciscum inter Sanctos speciali venerabatur affectu. Dixit autem creditor suus voce blasphema, quod nec Franciscus nec Deus posset eum de suis manibus liberare. Factum est itaque in vigilia sancti Francisci, cum vinctus ille nihil comedisset, sed ob Sancti amorem victum suum cuidam tribuisset egeno, nocte veniente apparuit ei vigilanti sanctus Franciscus. Ad cuius ingressum vincula de pedibus et *catenae de manibus ceciderunt* [5], sponte aperta sunt ostia, prosilierunt tabulae de solario, et liber abscessit homo, ad propria rediens. Implevit ex tunc votum, ieiunans vigiliam beati Francisci et cereo, quem annuatim consuevit offerre, in accrescentis devotionis indicium annuatim unam unciam superaddens. rtium.

4. Residente in sede beati Petri domino Gregorio nono, quidam Petrus nomine de civitate Alisia [6], de haeresi accusatus, Romae captus est et de mandato eiusdem Pontificis, ad custodiendum traditus episcopo Tiburtino. Quem sub poena episcopatus accipiens, compedibus alligavit obscuroque ipsum carcere, ne posset effugere, fecit includi, *panem ei praebens in pondere et poculum in mensura* [7]. Coepit autem homo ille beatum Franciscum ad sui miserendum multis precibus et fletibus invocare, eo quod audierat, solemnitatis eius iam adesse vigiliam. Et quoniam fidei puritate omnem abdicaverat haereticae pravitatis errorem totaque cordis devotione adhaeserat fidelissimo Christi servo Francisco, intercedentibus ipsius meritis, a Domino meruit exaudiri. Instante enim iam nocte suae festivitatis, circa crepusculum beatus Franciscus in carcerem miseratus descendit et illum suo nomine vocans, ut cito surgeret, imperavit. Qui timore perterritus, quisnam esset, interrogans, beatum Franciscum adesse audivit. Cumque virtute praesentiae viri sancti vincula pedum suorum confracta conspiceret cecidisse, et tabulas carceris clavis ultro prosilientibus aperiri, et apertum iter sibi ad exeundum praeberi; solutus tamen et obstupefactus fugere nesciebat, sed ad ianuam clamans, custodes omnes perterruit. Qui cum eum liberatum a vinculis episcopo nuntiassent, post intellectum ordinem rei ad carcerem pontifex devotus accessit, et manifeste Dei virtutem cognoscens, ibidem Dominum adoravit. Vincula quoque coram domino Papa et cardinalibus delata fuerunt, qui, videntes quod factum fuerat, admirati plurimum benedixerunt Deum. artum.

5. Guidolottus de sancto Geminiano [8] falso accusatus fuit, quod veneno interemerat quendam virum et quod eodem genere mortis filium eiusdem viri et universam eius familiam proposuerat enecare. Captus proinde a potestate [9] terrae, gravissimis vinculis aggravatus, in turri quadam reclusus est. Ipse vero fiduciam habens in Domino, pro sua innocentia, quam sciebat, causam commisit beati Francisci patrocinio defendendam. Excogitante igitur potestate, qualiter criminis obiecti confessionem eliceret per tormenta qualibusque [10] poenis confessum faceret interire, nocte illa, cum mane ad cruciatus deberet adduci, sancti Francisci praesentia exstitit visitatus et immenso luminis fulgore usque mane circumdatus repletusque gaudio et fiducia multa, securitatem evasionis accepit. Advenerunt mane tortores et eductum de carcere equuleo suspenderunt, aggravantes super eum multa pondera ferri. Depositus est pluries et iterum elevatus, ut, poena poenae succedente, citius ad confessionem criminis arceretur. Sed spiritu innocentiae laetabatur in vultu, nullam moestitiam praetendens in poenis. Deinde accensus est ignis sub ipso non modicus, nec propterea capillus est laesus, cum tamen capite dependeret ad terram. Tandem bulliente oleo superfusus, virtute patroni, cui se commiserat defensandum, haec omnia superavit et sic dimissus liber [11], salvus abscessit. Quintum.

---

[1] Designari videtur *vir nobilis;* cfr. supra pag. 525, nota 8.

[2] Edd. cum uno alteroque cod. *retrudam,* quod L M superius post *loco* substituunt pro *recludam.* Inferius pro *fracto* Vat. cum ed. 1 *confracto.*

[3] Vat. *militemque protervum admirando miraculo.*

[4] Edd. *atrocissimis.* Dein B *detineretur.* Cod. E hoc factum omittit.

[5] Act. 12, 7. idem de Petro dicitur.

[6] Invenitur *Alisia* (Alysia) in Graecia, in Epiro. Acta SS. verosimilius putant, per *Alisiam* indicari *Alexiam*, alias *Alesiam*, Gallice *Alise*, quae nunc vicus Burgundiae est. Codd. B I bene substituunt *Alifia* (*Allifa*, italice Alife, quae est civitas regni Neapolitani in provincia Terrae Laboris). Wadding., loc. cit., ad an. 1228, n. 45. legit *de civitate Assisia.*

[7] Ezech. 4, 16: Comedent panem in pondere et in sollicitudine et aquam in mensura et in angustia bibent.

[8] In Tuscia.

[9] Du Cange, Glossarium etc.: *Potestas*, rex, princeps, supremus loci magistratus.

[10] Vat. *qualibuscumque.* Inferius pro *accepit* L *recepit.*

[11] Cod. I addit *et.*

§ VI. *De liberatis a periculo partus.*

1. Comitissa quaedam in Sclavonia, sicut nobilitate illustris, sic et aemula probitatis erga sanctum Franciscum devotione flagrabat, erga Fratres vero sedula pietate. Tempore partus duris pervasa doloribus [1], tanta fuit molestata angustia, ut prolis futurus ortus praesens videretur matris occasus. Non videbatur infantem eniti posse ad vitam, nisi exspiraret e vita, nec tali nisu parere, sed perire. Subvenit cordi eius sancti Francisci fama, virtus et gloria, excitatur fides, inflammatur devotio. Convertit se ad auxilium efficax, ad fidum amicum, ad devotorum solatium, refugium afflictorum: « Sancte Francisce, inquit, pietati tuae supplicant omnia ossa mea, et mente voveo quod explicare non possum ». Mira celeritas pietatis! Finis dicendi finis fuit dolendi, parturiendi meta, pariendi principium. Statim enim omni cessante pressura, partum edidit cum salute. Non fuit immemor voti, non propositi refuga. Ecclesiam quandam pulcram construi fecit et constructam ad Sancti honorem Fratribus assignavit.

Miraculum primum.

2. In partibus Romanis mulier quaedam, Beatrix nomine, vicina partui, cum per dies quatuor fetum in ventre portaret exstinctum, multis infelix agitabatur angustiis et exitialibus doloribus urgebatur. Mortuus fetus matrem cogebat ad mortem, et nondum in lucem proditum abortivum publicum matris periculum pariebat. Tentabat medicorum auxilium, sed omne humanum remedium laborabat in vanum. Sic de primis maledictionibus [2] copiosius aliquid declinarat in miseram, ut, sepulcrum facta conceptus, sepulcrum pro certo proximum exspectaret. Fratribus tandem Minoribus per internuntios tota se devotione committens, suppliciter aliquid de sancti Francisci reliquiis fide plena poposcit. Contigit, nutu divino aliquantulum inveniri de chorda, qua fuerat Sanctus quandoque praecinctus. Mox, ut super dolentem posita chorda fuit, omnis facillime solutus est dolor, mortis causa mortuus fetus emissus, pristina sanitas restituta.

Secundum.

3. Cuiusdam de Carvio [3] nobilis viri uxor, Iuliana nomine, pro filiorum morte annos trahebat lugubres et continue infelices deplorabat eventus, pro eo quod omnes quos cum pressura portaverat filios, modico interiecto tempore, cum vehementiori dolore sepulturae tradiderat. Cum igitur quatuor mensium conceptum haberet in utero magisque propter eventus praeteritos de conceptae prolis sollicitaretur obitu quam de ortu; beatum Patrem Franciscum pro vita nondum nati fetus fideliter precabatur. Ecce autem, nocte quadam dormienti sibi mulier quaedam apparebat in somnis, formosum puerulum gestans in manibus, illumque laetissime offerebat eidem. Cum vero illa recipere recusaret, quem statim formidabat amittere, mulier illa subiunxit; « Secure suscipias, quia quem, tuo moerori compatiens, sacer mittit Franciscus, vita vivet et sospitate gaudebit ». Statim evigilans mulier, intellexit per ostensam sibi caelitus visionem, beati Francisci sibi adesse suffragium; et ex tunc abundantiori completa laetitia, pro suscipienda prole iuxta promissum multiplicavit preces et vota promisit. *Impletum est* denique *tempus pariendi, et peperit* [4] femina masculum, qui iuvenilis robore florens aetatis, tanquam per beati Francisci merita fomentum susciperet vitae, incitamentum parentibus praebuit ad Christum et Sanctum eius devotioris affectus. — Simile quiddam huic in Tiburis [5] civitate beatus Pater effecit. Cum enim mulier quaedam filias plurimas peperisset, desiderio prolis fatigata virilis, apud sanctum Franciscum preces ingeminavit et vota. Concepit igitur eius meritis mulier illa, et geminos ei parere dedit qui pro uno fuerat exoratus.

Tertium.

Quartum.

4. Apud Viterbium partui propinqua mulier morti propinquior censebatur, visceralibus tormentata doloribus et tota calamitosa infortuniis [6] mulierum. Cumque, naturae succumbente virtute, omnis deficeret artis industria, invocato beati Francisci nomine, liberata confestim mulier, partum salubriter terminavit; sed assecuta quod voluit et oblita beneficii, quod accepit, honori Sancti non deferens, die natalis ipsius ad opera servilia manus extendit. Et ecce, subito dextrum brachium ad laborem extensum inflexibile remansit et aridum. Quod cum studeret ad se revocare cum altero, ultione consimili et illud exaruit. Timore igitur divino correpta mulier, reintegravit [7] votum usumque membrorum, quem propter ingratitudinem amiserat et contemptum, per misericordis et humilis Sancti merita, cui se iterato devovit, recuperare promeruit.

Quintum.

5. Mulier quaedam de partibus Aretinis, cum per septem dies partus discrimina sustineret, et iam in nigredinem versa, desperata esset ab omnibus; votum fecit beato Francisco et eius coepit moriens auxilium invocare. Emisso autem voto, celeriter obdormivit viditque in somnis beatum Franciscum se dulciter alloquentem ac requirentem, utrum faciem

Sextum.

---

[1] Edd. *Tempore vero partus duros perpessa dolores.*

[2] Gen. 3, 16: Mulieri quoque dixit: Multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos, in dolore paries filios. — Vat. cum ed. 1 hic addit *Evae.* Superius pro *proditum* edd. *productum,* et pro *matris* Vat. cum ed. 1 *matri.*

[3] Datur *Carvico* (quod fortasse idem erit cum *Carvio*) in provincia Bergomi. Cod. B *Corvio.* Vat. et Acta SS. *Narnio.* — Inferius pro *conceptum* Acta SS. *conceptus.*

[4] Sicut Luc. 1, 57. de Elisabeth dicitur. — In fine propositionis L legit: *et ad Sanctum eius devotionis affectu* (B D F *devotionis affectus).*

[5] Italice *Tivoli.* Cod. E hoc et praecedens miraculum omittit.

[6] Vat. cum ed. 1 *in infortuniis.* Inferius pro *honori Sancti* edd. *honorem Sancto.*

[7] Du Cange, Glossarium etc.: *Reintegrare,* redintegrare, instaurare, in pristinum statum restituere. Cod. G et Acta SS. *redintegravit.*

ipsius agnosceret, et an antiphonam illam Virginis gloriosae[1]: « Salve, Regina misericordiae », sciret ad honorem eiusdem Virginis recitare. Qua respondente, se habere notitiam de utrisque: « Incipe, ait Sanctus, antiphonam sacram, et antequam compleas, paries cum salute ». Ad hanc vocem evigilavit mulier et cum timore coepit dicere: « Salve, Regina misericordiae ». Cumque illos misericordes oculos precaretur fructumque commemoraret uteri virginalis; continuo cunctis liberata pressuris, infantem peperit speciosum, gratias agens Reginae misericordiae, quae per beati Francisci merita ipsius dignata fuerat misereri.

§ VII. *De caecis illuminatis.*

1. In conventu Fratrum Minorum de[2] Neapoli, cum quidam Frater, Robertus nomine, caecus annis plurimis exstitisset, crevit in oculis eius caro superflua, motum et usum impediens palpebrarum. Cum igitur Fratres forenses, ad diversas mundi partes tendentes, ibidem plurimi convenissent; beatus Pater Franciscus speculum obedientiae sanctae, ut eos miraculi novitate hortaretur ad iter, praedictum Fratrem, ipsis praesentibus, tali modo curavit. Iacebat nocte quadam Frater Robertus praedictus aeger ad mortem, iamque sibi fuerat anima commendata, cum ecce, astitit ei beatus Pater cum tribus Fratribus omni sanctitate perfectis, videlicet sancto Antonio, Fratre Augustino[3] et Fratre Iacobo de Assisio, qui sicut eum perfecte fuerant secuti, dum viverent, ita et ipsum alacriter comitabantur post mortem. Accipiens cultellum, sanctus Franciscus carnem superfluam resecavit, lumen restituit pristinum et a mortis eum fauce reduxit dixitque illi: « Fili Roberte, gratia, quam tecum feci, signum est Fratribus ad remotas nationes euntibus, quod ego praecedam eos et ipsorum dirigam gressus. Vadant, inquit, gaudenter et iniunctam obedientiam alacri animo exsequantur ».

2. Apud Thebas in Romania[4] mulier caeca vigiliam sancti Francisci in pane tantum et aqua ieiunans, ad ecclesiam Fratrum Minorum summo mane festivitatis a viro suo perducta est. Quae, dum Missa celebraretur, in elevatione corporis Christi oculos aperuit, clare vidit, devotissime adoravit. In ipsa vero adoratione voce magna proclamans: « Gratias, inquit, Deo et Sancto eius, quia video corpus Christi », omnibus, qui aderant, in vocem[5] exsultationis conversis. Post sacrorum expletionem reversa est mulier in domum suam cum gaudio spiritus et lumine oculorum. Exsultabat quidem mulier, non solum quia lucis corporeae recuperarat aspectum, verum etiam, quia Sacramentum illud mirificum, quod est lumen animarum verum et vivum, respectu primario per beati Francisci merita, fidei suffragante virtute, meruerat intueri.

3. In Campania puer quidam quatuordecim annorum de castro Pophis[6] subita vexatus angustia, sinistrum oculum amisit ex toto. Passionis acerbitas sic de loco suo propulit oculum, quod per octo dies extra, nervo relaxato, longitudine digiti unius ad maxillas dependens, pene aridus est effectus. Sed cum sola superesset abscissio, et a medentibus foret penitus desperatus; pater eius ad auxilium beati Francisci tota se mente convertit. Non defuit ille indefessus miserorum adiutor precibus supplicantis. Nam oculum aridum mirabili virtute in locum suum pristinumque vigorem restituit et lucis optatae radiis illustravit. Tertium.

4. In eadem provincia apud Castrum magni ponderis lignum ex alto proruit[7], et cuiusdam sacerdotis caput gravissime quassans, sinistrum oculum excaecavit. Qui, humi deiectus, coepit alta voce sanctum Franciscum luctuose clamare, dicens: « Succurre, Pater sanctissime, ut ad festum tuum ire valeam, sicut Fratribus tuis ire promisi »; erat enim vigilia Sancti; qui statim exsurgens, peroptime liberatus, in vocem prorupit laudis et gaudii, et circumstantes omnes, qui eius miseriae condolebant, in stuporem convertit et iubilum. Ivit ad festum, narrans omnibus, quam in se expertus fuerat clementiam et virtutem. Quartum.

5. Vir quidam de monte Gargano, dum, in vinea sua laborans, lignum quoddam ferro succideret, proprium percussit oculum et sic divisit per medium, ut quasi media[8] pars ipsius exterius dependeret. Cumque in tam desperato periculo desperaret, sibi posse per hominem subveniri; ieiunaturum se in festo sancti Francisci, si ei succurreret, repromisit. Statim in loco debito viri oculum Sanctus Dei restituit sicque divisum reiunxit et lumine pristino decoravit, ut nullius laesionis vestigia remanerent. Quintum.

6. Filius cuiusdam nobilis viri a nativitate caecus meritis sancti Francisci lumen accepit optatum; qui, nomen ab eventu sortitus, *Illuminatus* vocatus Sextum.

[1] Echard., Scriptores Ord. Praedicat., tom. I. pag. 97 in nota: Notandum, quod antiphona illa alias diceretur, nempe: *Salve, Regina misericordiae* tantum, non addito *mater,* ut et in fine *O dulcis Maria* tantum; quod et diutius observatum, ut ex antiquis codd. Ms. expertus sum. — Mox pro *eiusdem* Vat. cum ed. 1 *huius.* Cod. E hoc miraculum omittit.

[2] Edd. omittunt *de.*

[3] De quo, ut videtur, supra c. 14. n. 6; cfr. etiam Analecta Franciscana, tom. III. pag. 226, ubi vocatur Augustinus de Assisio; ibid. pag. 498 dicitur: In provincia sancti Angeli requiescit Fogiae [Italice Foggia] frater Iacobus de Assisio, qui multos a periculosis infirmitatibus miraculose curavit. — Superius pro *cum ecce* Vat. et ed. 1 *et ecce,* Acta SS. *ecce.*

[4] Cfr. supra pag. 556, nota 10.

[5] Ita G I M; edd. *in voce* (cfr. Ps. 41, 5: Transibo in locum tabernaculi... in voce exsultationis et confessionis). — Superius B omittit *vero.*

[6] Iam supra § 3. n. 2. allato. — Cod. E hoc miraculum omittit.

[7] Cod. I et Acta SS. *prorupit.*

[8] Codd. G I M *dimidia.*

est. Assumsit postea, cum in aetate esset, Ordinem beati Francisci, accepti beneficii non ingratus, tantumque profecit in lumine gratiae et virtutis, ut verae lucis filius videretur. Tandem beati Patris promerentibus meritis, sanctum initium fine sanctiori conclusit.

Septimum. 7. In Zachanto[1], quod est castrum iuxta Anagniam, miles quidam, Girardus nomine, oculorum lumen ex toto perdiderat. Accidit autem, ut duo Fratres Minores ab exteris partibus venientes, ad domum ipsius hospitaturi diverterent. Suscepti itaque devote propter reverentiam sancti Francisci a familia tota et cum omni benignitate tractati, gratias agentes Deo et hospiti, ad locum Fratrum devenere vicinum. Nocte igitur quadam beatus Franciscus uni Fratrum illorum in somnis apparuit, dicens: « Surge, festina cum socio ad domum hospitis nostri[2], qui Christum et me suscepit in vobis. Volo enim ei officia rependere pietatis. Caecus quidem effectus est, suis promerentibus culpis, quas poenitentiali non studuit confessione purgare ». Disparente quoque Patre, Frater festinus surrexit, ut mandatum cum socio celeriter adimpleret, venientesque ad hospitis domum, cuncta, quae viderat alter, per ordinem narrarunt eidem. Stupuit vir ille non modicum, et universa, quae dicebantur, vera esse confirmans, compunctus ad lacrymas, confessus est libens. Tandem correctione promissa, interiorique homine taliter renovato[3], exteriorem continuo recuperavit aspectum. Huius miraculi fama circumquaque diffusa non solum ad reverentiam Sancti, verum etiam ad confessionem humilem peccatorum et hospitalitatis gratiam plurimos incitavit[4].

§ VIII. *De liberatis a variis morbis*[5].

Miraculum primum. 1. Apud Castrum Plebis[6] iuvenis quidam mendicus surdus erat et mutus a nativitate sua, qui linguam adeo curtam habebat ac tenuem, quod multoties exquisita a pluribus, praecisa penitus videretur. Vir quidam, Marcus nomine, ipsum propter Deum suscepit hospitio; qui, eum sibi benefacere sentiens, coepit cum ipso assiduus demorari. Sero quodam, cum praedictus vir coenaret cum coniuge, astante puero coram eis, dixit uxori: « Hoc ego maximum miraculum reputarem, si beatus Franciscus huic auditum redderet et loquelam ». Et adiecit: « Voveo Deo, quod si hoc sanctus Franciscus dignabitur operari, propter amorem suum huic puero expensas conferam, donec vivet. Mirum certe! Subito lingua crevit et locutus est, dicens: « Gloria Deo et sancto Francisco, qui mihi loquelam praebuit et auditum ».

Secundum. 2. Frater Iacobus de Iseo[7], cum puerulus esset in domo paterna, rupturam incurrit corporis valde gravem. Superno vero afflatus Spiritu, licet esset iuvenis et infirmus, Ordinem sancti Francisci devotus intravit, nulli tamen, qua urgebatur, infirmitatem detexit. Factum est autem, cum corpus beati Francisci transferretur ad locum, ubi pretiosus sacrorum ossium eius nunc thesaurus est conditus[8]; affuit et tunc dictus Frater translationis gaudiis, ut glorificati iam Patris sanctissimo corpori honorem debitum exhiberet. Et appropinquans tumbae, in qua ossa sacra fuerant collocata, prae devotione spiritus sacrum tumulum complexatus, subito, miro modo ad loca debita partibus revocatis, sanum se sensit, succinctorium deposuit et ex tunc ab omni dolore praeterito liber fuit. — Ab infirmitate quoque consimili Frater Bartholus de Eugubio, Frater Angelus de Tuderto, Nicolaus, sacerdos de Sucano[9], Ioannes de Fora, vir quidam de Pisis et alius de castro Cisternae, Petrus quoque de Sicilia et homo quidam de castro Spelli iuxta Assisium et quam plures alii per Dei misericordiam et beati Francisci merita exstiterunt mirabiliter liberati. Alia ira c.

---

[1] Codd. G I M *Zanchanto*, L *Zarchanto*. Mox pro *Anagniam* Vat. cum ed. 1 *Ananiam*.

[2] Codd. G I M *vestri*. Inferius pro *ei officia* (ita B D E F) G I L M *ei beneficia*, edd. *beneficia*.

[3] Cod. B *totaliter revocato*.

[4] Hic refertur a cod. K ad calcem paginae, a Waddingo, loc. cit., ad an. 1228, n. 59. et ab ed. Seduliana miraculum illud (de caeco, effossis iam oculis, luce donato), quod Generalis Hieronymus ab Asculo Legendae Bonaventurianae apposuit (cfr. supra pag. 512, nota 2. in fine): Quidam pro furti calumnia caecatus fuit rigore iustitiae saecularis apud Assisium, Othone milite per ministros publicos sententiam Octaviani iudicis de eruendis accusato oculis exsequente; qui taliter deformatus, effossis oculis, praecisis nervis opticis etiam cum cultello, ductus ad altare beati Francisci, implorata ipsius clementia, et sua in praedicti criminis impositione innocentia allegata, Sancti ipsius merito infra triduum novos recepit oculos, minores quidem illis quibus orbatus fuerat, sed non minus limpide visus officium exercentes. Huius autem stupendi miraculi testis fuit praenominatus miles Otho, iuramento ad hoc astrictus, coram domino Iacobo abbate sancti Clementis, auctoritate domini Iacobi episcopi Tiburtini de ipso miraculo inquirente. Testis etiam exstitit eiusdem miraculi Frater Guillelmus [Wadding. et ed. Sedul. *Guillermus*] Romanus a Fratre Hieronymo [Wadding. addit: Esculano], Generali Ministro Ordinis Minorum, ad veritatem dicendam, quam circa hoc noverat, praecepto et excommunicationis sententia obligatus; qui taliter astrictus coram pluribus Ministris Provincialibus eiusdem Ordinis et aliis magni meriti Fratribus affirmavit, se dudum, adhuc saecularem existentem, vidisse eum habentem oculos et postmodum actu executionis iniuriam patientem, ac se excaecati oculos in terram proiectos curiose cum baculo revolvisse, et postmodum virtute divina eundem, novae lucis receptis oculis, videntem clarissime conspexisse. Cfr. Analecta Franciscana, tom. III. pag. 358, nota 1, ubi documentum authenticum hac de re refertur.

[5] Vat. cum ed. 1 *a diversis infirmitatibus*, Acta SS. *a variis infirmitatibus;* codd. E F hanc rubricam omittunt.

[6] Vide supra pag. 541, notam 14. — Inferius pro *propter Deum* B F *propter Dominum*.

[7] In Lombardia iuxta lacum Isei (Iseo sive Sabino) in confinibus prov. Brixianae et Bergomi. Plures codd., ut B D E F M, *Yseo*. — Inferius pro *infirmitatem* edd. *infirmitate*.

[8] Cfr. supra pag. 553, nota 4. — Inferius edd. omittunt *sanctissimo*.

[9] In Umbria, ita D E G I K L M; B *Succano*, edd. *Stichano*.

3. In maritima mulier quaedam mentis aliena-
rtium. tionem per quinquennium passa, visu et auditu privata est, indumenta dilaniabat dentibus, ignis et aquae periculum non timebat et caduci morbi ad summum incurrerat horribilem passionem. Nocte vero quadam, cum disponeret sibi divina misericordia misereri, salutaris fulgore lucis superillustrata divinitus, vidit, beatum Franciscum super solium sedere sublime, ante quem prostrata, sanitatem suppliciter exposcebat. Illo vero nondum favente precibus, firmavit mulier votum, promittens pro Dei amore ac Sancti petentibus, donec haberet, eleemosynam non negare. Illico Sanctus pactum recognovit, quod olim cum Domino simile fecerat[1], et signans eam crucis signaculo, integram sibi restituit sanita-
mira-cula. tem. — A consimili passione puellam quandam de Nursia et filium cuiusdam nobilis viri et alios quosdam relatione veridica compertum est Sanctum Dei Franciscum misericorditer liberasse.

4. Petrus de Fulginio ad visitanda limina beati
artum. Michaelis[2] quodam tempore pergens, dum minus reverenter peregrinationem peregit, fontis cuiusdam aquam degustans, a daemonibus est invasus. Et exinde per tres annos obsessus, discerpebatur in corpore, pessima loquens et horrenda praetendens; habens tamen aliquando lucida intervalla, beati viri virtutem, quam efficacem audierat ad effugandas aëreas potestates, humiliter requisivit et ad sepulcrum pii Patris accedens, mox ut illud contigit manu, a daemonibus crudeliter eum discerpentibus mirifice libe-
intum. ratus fuit. — Simili etiam modo mulieri cuidam de Narnio habenti daemonium misericordia Francisci subvenit et aliis pluribus, quarum vexationum angustias et curationum modos longum esset per singula enarrare.

5. Vir quidam, nomine Bonus, homo de civi-
extum. tate Fani[3], paralyticus et leprosus, ad ecclesiam beati Francisci a parentibus deportatus, utriusque
imum. morbi plenam consecutus est sanitatem. — Sed et alius iuvenis quidam, Acto nomine, de sancto Severino[4], totus leprosus, voto emisso, et ad sepulcrum Sancti delatus, meritis ipsius lepra mundatus est. Habuit quidem Sanctus supra huiusmodi morbo curando praecellentem virtutem, pro eo quod humilitatis et pietatis amore leprosorum obsequiis semetipsum humiliter deputarat.

6. Nobilis quaedam mulier, Rogata nomine, in
tavum. episcopatu Sorano[5], per viginti tres annos fluxu fuit sanguinis fatigata, sed et a quam pluribus medicis quam plurima mala perpessa; prae nimietate quidem languoris saepius videbatur mulier exspirare; sed si quando fluxus huiusmodi stringebatur, tumescebat corpore toto. Audiens autem quendam puerum Romano sermone canentem miracula, quae Deus per beatum Franciscum fuerat operatus, nimio dolore commota, tota prorupit in lacrymas sicque intra se fide accensa dicere coepit: « O beate Pater Francisce, qui tantis coruscas miraculis, si me digneris ab hac aegritudine liberare, magna tibi accrescet gloria, quoniam adhuc tantum miraculum non fecisti ». Quid plura? His dictis, sensit se beati Francisci meritis liberatam. — Filium quoque ipsius, Nonum.
Marium[6] nomine, qui brachium habebat contractum, sanctus Franciscus, voto ad ipsum emisso, sanavit. — Decimum.
Feminam etiam quandam de Sicilia per septennium fluxu sanguinis fatigatam beatus Christi signifer sanam fecit[7].

7. In urbe Romana Praxedis quaedam nomine, Undecimum.
religiositate famosa, quae a tenella aetate propter aeterni Sponsi amorem arcto se carcere per quadraginta iam fere annos abdiderat, apud beatum Franciscum gratiam promeruit specialem[8]. Nam cum die quadam pro rebus opportunis solarium suae cellulae conscendisset, et impulsione phantastica corruens, confractum haberet pedem cum crure et humerum a positione debita sequestratum; apparuit ei benignissimus Pater, vestimentis gloriae candidatus, dulcibusque affatibus alloqui coepit eandem: « Surge, inquit, filia benedicta, surge, ne timeas », et apprehensa manu ipsius, allevans eam, disparuit. Ipsa vero per cellulam suam huc atque illuc se convertens, putabat, *se visum videre*[9]; usquequo ad clamorem ipsius apportato iam lumine, perfecte se sentiens per servum Dei Franciscum esse sanatam, cuncta, quae acciderant, per ordinem narravit.

§ IX. *De non observantibus festum et inhonorantibus Sanctum*[10].

1. In Pictaviae partibus, in villa, quae Symo[11] Miraculum primum.
dicitur, sacerdos quidam, Reginaldus nomine, beato Francisco devotus, festum ipsius parochianis suis indixerat solemniter celebrandum. Unus autem de populo, ignorans Sancti virtutem, sui parvipendit sacerdotis mandatum. Egressus autem foras in agrum, ut ligna succideret, cum se praeparasset ad opus, vocem audivit huiusmodi ter dicentem: « Festum est; operari non licet ». Verum, cum nec imperio

---

[1] Cfr. supra c. 1. n. 1. — Cod. E hoc et duo seqq. miracula omittit.

[2] In monte Gargano; cfr. supra c. 14. n. 6. — Pro *visitanda* edd. *visitandum*.

[3] *Fanum Fortunae* (Fano) in Marchia Anconitana, civitas ditionis Pontificiae, ducatus Urbinatis. Alterum *Fanum* est castrum regni Neapolitani, prov. Aprutii Ulterioris.

[4] Cfr. supra pag. 515, nota 3. — Inferius pro *lepra mundatus* edd. *a lepra mundatus*.

[5] *Sora* in regno Neapolitano, prov. Terrae Laboris. — Cod. E hoc et seqq. miracula usque ad § 9. omittit.

[6] Vat. cum ed. 1 *Marcum*. [7] Edd. *salvam fecit*.

[8] Vat. cum ed. 1 *spiritualem*. Inferius pro *confractum* edd. *cum fractum*.

[9] Act. 12, 9: Existimabat [Petrus] autem, se visum videre.

[10] Edd. *et non honorantibus Sanctum*. Cod. F hanc rubricam omittit.

[11] Ita codd., qui tamen ante *villa* omittunt *in*; edd. *Simo*.

sacerdotis nec supernae vocis oraculo servilis temeritas frenaretur, addidit divina virtus ad gloriam Sancti sui sine mora miraculum et flagellum. Mox enim, ut furcam una manu iam tenens, alteram cum ferreo instrumento levavit ad opus; sic divina virtute utraque manus utrique instrumento cohaesit, ut ad neutrius dimissionem digitos aliquatenus relaxare valeret. Ex quo stupefactus nimis, et quid ageret, nesciens, ad ecclesiam, multis undique ad videndum prodigium concurrentibus [1], properavit. Ubi mente compunctus ante altare, quodam ex assistentibus sacerdote monente — plures quippe ad festum vocati convenerant sacerdotes — beato Francisco humiliter se devovit, tria, sicut ter vocem audierat, vota vovens, quod scilicet festum ipsius coleret, quod ad illam in qua tunc erat ecclesiam in festo veniret et quod Sancti corpus personaliter visitaret. Mirum certe relatu! Uno emisso voto, unus de digitis [2] factus est liber, ad secundi emissionem solutus est alius, sed tertio facto voto, laxatus est tertius et postmodum tota manus nec non et altera subsequenter, populo, qui iam multus advenerat, Sancti clementiam devotissime implorante. Sic homo pristinae redditus libertati [3], per se ipsum instrumenta deposuit, cunctis laudantibus Deum virtutemque Sancti mirificam, qui tam mirabiliter percutere poterat et sanare. Ipsa vero instrumenta usque hodie coram altari ad honorem beati Francisci fabricato ibidem in memoriam facti [4] dependent. — Plura quoque illic et in locis vicinis patrata miracula et Sanctum in caelis ostendunt eximium et festum ipsius in terris venerabiliter excolendum.

Alia miracula.

2. In civitate quoque Cenomanensi, dum in solemnitate sancti Francisci mulier quaedam manus ad colum extenderet et digitis apprehenderet fusum, obrigescentibus manibus, coeperunt digiti magnis ardoribus cruciari. Igitur poena docente, Sancti recognoscens virtutem, corde compuncta cucurrit ad Fratres. Cumque pro salute ipsius devoti filii sancti Patris clementiam precarentur, incolumis effecta est statim, nec aliquid laesionis remansit in manibus, nisi ad facti memoriam solum vestigium combustu rae. — Simili etiam modo in Campania maiori mulier quaedam, et in villa Oletti [5] mulier altera, et in castro Pilei tertia, dum beati Patris festum celebrare contemnerent, praevaricantes primum mirabiliter sunt punitae, sed postmodum poenitentes per sancti Francisci merita sunt mirabilius liberatae.

Secundum. Alia tria.

3. Miles quidam de Burgo [6], in provincia Massae, beati Francisci operibus et miraculorum signis impudentissime detrahebat. Inferebat multa opprobria peregrinis ad ipsius memoriam venientibus et contra Fratres publica garriebat insania. Cum autem semel Sancti Dei gloriam impugnaret, addidit super peccata sua blasphemiam detestandam: « Si verum est, inquit, quod Franciscus iste sit sanctus, gladio cadat hodie corpus meum; si vero sanctus non est, evadam incolumis ». Non distulit ira Dei condignum inferre supplicium, cum iam facta fuisset *eius oratio in peccatum* [7]. Mora enim modica interiecta, dum blasphemus nepoti suo inferret iniuriam, accepit ille gladium et patrui visceribus cruentavit. Eodem die mortuus est sceleratus, inferni mancipium et filius tenebrarum, ut ceteri discerent miranda Francisci opera non blasphematoriis verbis impetere, sed devotis laudibus honorare.

Sextum.

4. Iudex quidam, nomine Alexander, dum a beati Francisci devotione, quos poterat, venenata lingua retraheret, divino iudicio lingua privatus, per sex annos obmutuit. Qui cum in eo quo peccaverat, torqueretur [8], alta poenitudine revocatus, dolebat, se contra Sancti miracula oblatrasse. Itaque non perstitit misericordis indignatio Sancti, sed poenitentem ac se humiliter invocantem, restituta loquela, recepit ad gratiam. Ex tunc linguam blasphemam consecravit laudibus Sancti, devotionem simul et disciplinam recipiens per flagellum.

Septimum.

§ X. *De quibusdam aliis miraculis diversimodi generis* [9].

1. In castro Galiani Valvensis dioecesis [10] mulier quaedam erat, Maria nomine, quae Christo Iesu et beato Francisco famulatu devoto subiecta, una dierum aestivo tempore exiit, ut manibus conquireret propriis necessarium victum. Cum igitur, fervente nimium aestu, sitis deficere coepisset ardoribus, omni privata beneficio poculi, pro eo quod in monte arido sola esset, quasi exanimis humi prostrata, patronum suum sanctum Franciscum invocabat pio mentis affectu. Dum autem perseveraret mulier in affectuosa et humili prece, labore, siti et aestu fatigata quam plurimum, paululum obdormivit. Et ecce, sanctus Franciscus adveniens et eam vocans ex nomine: « Surge, inquit, et bibe aquam, quae divino munere tibi ac pluribus exhibetur ». Ad huius vocis auditum surrexit mulier a somno, non modicum

Miraculum primum.

[1] Vat. cum ed. 1 *occurrentibus*. Inferius vocibus *ante altare* I L M interserunt *sacrum*.

[2] Edd. cum uno alteroque cod. *unus digitus*. Inferius pro *laxatus* L *relaxatus*.

[3] Cod. I *sanitati*.

[4] Vat. cum ed. 1 *in memoriam Sancti*.

[5] In codd. invenimus *Oleti*, sicut etiam subinde pro *Pilei* nonnulli codd. substituunt vel *Pillei* vel *Pyllei*. Cod. E ea quae in n. 2. narrantur, omittit.

[6] Codd. G H I M omittunt *de Burgo*.

[7] Psalm. 108, 7: Et oratio eius fiat in peccatum. Edd. omittunt *eius*.

[8] Sap. 11, 17: Quia per quae peccat quis, per haec et torquetur. Pro *in eo quo* Vat. cum ed. 1 *in eo, quod*.

[9] Edd. *diversorum generum*. Codd. E F L hanc rubricam omittunt.

[10] In Aprutio Citeriori regni Neapolitani.

confortata, et accipiens filicem [1], quae iuxta se erat, radicitus evulsit a terra, effodiensque ligno parvulo circumquaque, viventem reperit aquam, quae cum primo videretur parvula stilla, subito divina virtute crevit in fontem. Bibit itaque mulier et satiata oculos lavit, quos cum longa prius haberet aegritudine obumbratos, nova ex tunc sensit luce perfusos. Festinavit ad domum mulier, tam stupendum miraculum ad gloriam sancti Francisci denuntians universis. Concurrerunt undique multi ad miraculi famam, experientia magistra discentes mirabilem illius aquae virtutem, dum ad ipsius contactum, confessione praemissa, a variis morborum cladibus plurimi liberabantur. Perseverat usque hodie fons ibi perspicuus [2], et in honorem beati Francisci ibidem oratorium est constructum.

2. In Hispania apud sanctum Facundum [3] viri cuiusdam cerasum arefactam ad virorem frondium, florum et fructuum contra spem mirabiliter revocavit. — Incolas quoque terrae apud Vilesios [4] a vermium peste corrodentium vineas circumquaque miraculoso suffragio liberavit. — Sacerdotis cuiusdam iuxta Palentiam [5] horreum quoddam, quod vermibus frumentariis repleri quolibet anno solitum fuerat, sibi fideliter commendatum penitus expurgavit. — Terram quoque domini cuiusdam de Petramala in regno Apuliae sibi suppliciter commendatam ab odiosa peste bruchorum [6] penitus servavit indemnem, cum tamen in circuitu omnia essent praedicta pestilentia devorata.

S..undum. ... alia.

3. Vir quidam, Martinus nomine, cum longe a castro suo boves minasset ad pascua, crus unius bovis casu quodam sic fuit desperate confractum, ut nihil esset sibi de remedio aliquo cogitandum. Dum autem pro decoriatione foret sollicitus et instrumentum, cum quo id faceret, non haberet, domum reversus, beato Francisco bovis curam reliquit ipsumque fideli Sancti custodiae fiducialiter commendavit, ne ante suum reditum devoraretur a lupis. Summo itaque mane ad bovem in silva relictum cum excoriatore [7] reversus, pascentem ipsum ita reinvenit incolumem, quod nequaquam crus fractum ab altero discernebat. Gratias egit bono pastori, qui diligentem de bove suo curam habuit et medelam donavit. Succurrere novit humilis Sanctus omnibus invocantibus ipsum nec quantumcumque parvas necessitates hominum dedignatur. — Nam viro cuidam de Amiterno [8] iumentum restituit furto sublatum. Mulieri cuidam de Interduco catinum novum in multas partes casu divisum integre reparavit. Viro etiam cuidam de monte Ulmi in Marchia [9] consolidavit vomerem in frusta confractum.

...tium. ... alia.

4. In Sabinensi dioecesi [10] vetula quaedam octogenaria erat, cuius filia moriens lactentem infantulum dereliquit. Cum igitur anus paupercula plena esset inopia et vacua lacte, nullaque esset mulier, quae sitienti parvulo lactis stillicidium, iuxta quod exigebat necessitas, erogaret, quo se verteret, vetula penitus ignorabat. Debilitato vero infantulo, nocte quadam omni humano destituta subsidio, ad beati Patris Francisci auxilium implorandum, lacrymarum imbre perfusa, tota se mente convertit. Affuit statim innocentis amator aetatis: « Ego, inquiens, sum Franciscus, o mulier, quem cum tantis lacrymis invocasti. Pone, ait, mammas tuas in ore pueruli [11], quoniam abundanter tibi lac Dominus dabit ». Implevit anus Sancti mandatum, et statim octogenariae mammae lactis copiam effuderunt. Innotuit omnibus mirabile Sancti donum, multis tam viris quam mulieribus accelerantibus ad videndum. Et quia quod testabantur oculi lingua impugnare non poterat, excitabantur omnes ad laudandum Deum in Sancti sui virtute mirabili et amabili pietate. Decimum.

5. Apud Spoletum vir et uxor, unicum habentes filium, quotidie illum velut hereditarium opprobrium deplorabant. Brachiis siquidem collo connexis, iunctisque genibus pectori, et pedibus alligatis natibus [12], non hominis proles, sed monstrum quoddam potius videbatur. Vehementiori mulier ex hoc afflicta dolore, crebris gemitibus clamabat ad Christum sancti Francisci auxilium invocando, ut infelici sibi et in tali opprobrio constitutae succurrere dignaretur. Nocte igitur quadam, cum propter huiusmodi tristitiam tristis eam somnus arriperet; apparuit ei sanctus Franciscus, piis eam affatibus mulcens insuper et suadens, quod ad locum propinquum suo nomini dedicatum deferret puerum, ut ex aqua putei loci illius in nomine Domini superfusus, plenam reciperet sospitatem. Negligente autem illa Sancti adimplere mandatum, secundo replicavit id ipsum. Tertio quoque apparens, mulierem cum puero usque ad ianuam dicti loci praeambulo ducatu perduxit. Supervenientes autem nobiles quaedam matronae devotionis causa ad locum praedictum, eis a muliere praefata diligenter exposita visione, una cum ipsa puerum Fratribus praesentarunt, et haurientes aquam de puteo, earum nobilior propriis manibus lavit infantem. Statim puer, omnibus membris ad sua loca Undecimum.

[1] Ita Acta SS., I *felicem;* alii codd. et edd. *silicem*. Filix est herba quaedam.

[2] Cod. B *conspicuus.*

[3] Alias *Sahaguno,* in regno Legionensi.

[4] Codd. *Villesios.*

[5] In regno Legionensi in Hispania.

[6] Cod. L et Acta SS. *brutorum,* in aliis codd. legitur *brucorum;* cfr. du Cange, Glossarium etc.: *Brucus* pro bruchus, Gr. βροῦχος, Italice *Bruco,* vermis seu locustae species.

[7] Du Cange, Glossarium etc.: *Excoriator,* lanius.

[8] Erat urbs regni Neapolitani in Aprutio Ulteriori, in quo etiam habetur *Interducus* (Interdicus).

[9] Scilicet Anconitana ad fluvium Ufentem (Chienti).

[10] Sabina est antiqua provincia ditionis Pontificiae.

[11] Cod. M et Acta SS. *puerili.*

[12] Vat. perperam *naribus.*

perductis, sanus apparuit, et magnitudo miraculi omnibus admirationem induxit [1].

Duodecimum.

6. In castro Chore Ostiensis dioecesis vir quidam sic crus ex toto perdiderat, ut nullo modo progredi vel movere se posset. Positus itaque in angustia vehementi et auxilio desperatus humano, coepit nocte quadam, ac si praesentem cerneret beatum Franciscum, talem coram eo assumere materiam querelandi [2]: « Adiuva me, sancte Francisce, recolens meum servitium et devotionem tibi impensam. Nam in asino meo te portavi, sanctos pedes tuos et sanctas manus tuas osculatus fui, semper tibi devotus, semper benevolus exstiti, et ecce, morior doloris huius durissimo cruciatu ». His pulsatus querelis, statim affuit beneficiorum memor, devotioni [3] gratus et vigilanti viro cum uno Fratre apparuit. Ad vocationem eius se venisse dixit et tulisse remedia sanitatis. Tetigit locum doloris cum baculo parvulo, qui figuram *thau* [4] in se habebat, et fracto mox apostemate, perfectam tribuit sanitatem. Et, quod mirabilius est, sacrum signum *thau* impressum super locum sanati ulceris ad miraculi memoriam dereliquit.

De virtute Crucis in Sancto manifestata.

7. Hoc signo sanctus Franciscus suas consignabat litteras, quoties caritatis causa scriptum aliquod dirigebat [5]. Sed ecce, dum per diversa miracula gloriosi Patris Francisci mens narrationis varietate distracta decurrit, promerente ipso crucis glorioso signifero, in signum salutis *thau* non sine divina directione pervenit, ut ex hoc possimus advertere, quod sicut crux militanti post Christum fuit sublimitas meriti ad salutem, sic et triumphanti cum Christo facta est firmitas testimonii ad honorem.

A conversione per totam vitam.

8. Hoc quippe crucis mysterium magnum et mirum, in quo charismata gratiarum et merita virtutum et thesauri sapientiae et scientiae tam alta profunditate velantur, ut a *mundi sapientibus et prudentibus sit* occultum, tam plene fuit huic Christi parvulo revelatum [6], ut omnis vita ipsius non nisi crucis vestigia sequeretur, non nisi crucis dulcedinem saperet, non nisi crucis gloriam praedicaret. Vere namque in suae *conversionis principio* dicere cum Apostolo [7] potuit: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Non minus etiam vere in *conversationis progressu* addere valuit: *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia.* Verissime autem in *consummatione* potuit subinferre: *Stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Sed et illud nos quotidie desideramus ab ipso audire: *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro, Fratres. Amen.*

Alloc... a Sanc...

9. Gloriare igitur iam secure in crucis gloria, Christi signifer gloriose, quoniam a cruce incipiens, secundum crucis regulam processisti et tandem in cruce perficiens, per crucis testimonium, quantae gloriae sis in caelo, cunctis fidelibus innotescis. Secure iam te sequantur qui *exeunt ex Aegypto*, quia, per baculum crucis Christi *mari diviso, deserta transibunt, in repromissam viventium terram* [8], Iordane mortalitatis transmisso, per ipsius crucis mirandam potentiam ingressuri; quo nos introducat verus populi ductor et Salvator, Christus Iesus crucifixus, per merita servi sui Francisci, ad laudem et gloriam unius Dei et trini, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

EXPLICIUNT MIRACULA POST TRANSITUM BEATI FRANCISCI OSTENSA [9].

---

[1] Cod. 1, Wadding., loc. cit., ad an. 1228, n. 73. et Acta SS. hic addunt aliud miraculum: Apud Segusiam [Segusium sive Susa in Pedemontio] iuvenis quidam de Riparolio, Ubertinus nomine, Ordinem Fratrum Minorum ingressus, novitiatus sui tempore horridi cuiusdam perturbatione pavoris incurrit amentiam totiusque dextrae partis paralysis morbo gravissimo auditum et linguam cum motu amisit et sensu. Cum autem sic miserabilis non sine Fratrum multa moestitia per plures dies in lectulo decubasset, beati Francisci solemnitas supervenit, in cuius vigilia, concesso sibi aliquo lucido intervallo, pium Patrem, licet voce informi, corde tamen fideli, prout poterat, invocabat. Hora vero matutinali Fratribus omnibus in ecclesia laudibus divinis intentis, ecce beatus Pater, habitu Fratrum indutus, infirmariae loco praefato novitio astitit, lumenque non modicum in habitaculo illo refulsit. Et extensam manum super dextrum illius latus a capite usque pedes suaviter contingendo deducens, digitos in auriculas misit, quodamque in dextro humero impresso charactere: « Hoc tibi, ait, signum erit, quod Deus per me, cuius exemplo ductus Religionem intrasti, plene te restituit sanitati ». Chordaque illum succingens, quia sine chorda iacebat, dixit ad eum: « Surgens ecclesiam intra, ut laudes Deo debitas cum Fratribus devotus exsolvas ». Quibus dictis, cum puer ipsum manibus vellet contingere et pedum eius osculari vestigia, ut gratias ageret, ab eius aspectu beatus Pater abscessit. Et iuvenis, recuperata sanitate corporis cum rationis industria, vivacitate sensuum et loquela, ecclesiam ingressus cum multa Fratrum et saecularium admiratione, qui tunc aderant et iuvenem paralyticum viderant et amentem, laudibus divinis interfuit, et per ordinem narrato miraculo, multos ad Christi et beati Francisci devotionem accendit. — Allegavimus in praecedentibus Waddingum ad insinuandos locos, ubi ipse *verba Bonaventurae* inseruit Annalibus (in quibus magis convenit cum codd. quam in ed. Waddingiana, qua usi sunt Acta SS.); de ordine autem chronologico et quibusdam circumstantiis additis, in quibus errasse dicitur, non est hic disceptandi locus.

[2] Du Cange, Glossarium etc.: *Querelare*, queri. Eadem notione adhibetur *Querulare*, querelas effundere. Acta SS. *querulandi.*

[3] Vat. cum ed. 1 *et devotionis.*

[4] Cfr. supra pag. 515, nota 5.

[5] Vide supra c. 4. n. 9. in fine et pag. 537, notam 12.

[6] Matth. 11, 25: Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis. — Pro *occultum* Vat. cum ed. 1 *occulta*, quae etiam subinde cum ed. 1 omittit *huic.*

[7] Gal. 6, 14; et deinde v. 16. 17. et 18. Cfr. supra c. 13. n. 10.

[8] Cfr. Exod. 14, 22. seq.; Iosue 1, 2. et Ps. 141, 6: Portio mea in terra viventium. — Superius pro *innotescis* B et Acta SS. *innotescit.*

[9] Ita codd., licet unus alterque hinc vel inde aliquam vocem adiiciat, sic I voci *miracula* praefigit *quaedam*, M legit *quaedam de miraculis... ostensis*, F *Expliciunt miracula sancti Francisci.* Edd. hanc rubricam omittunt.

OPUSCULUM XXIV.

LEGENDA MINOR S. FRANCISCI.

INCIPIT MINOR VITA BEATI FRANCISCI [1].

Et primo de conversione ipsius.

Lectio prima [2].

Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri [3] diebus istis novissimis in servo suo Francisco, quem *Pater misericordiarum* et *luminum* in tam larga dulcedinis benedictione praevenit, quod, sicut ex vitae ipsius decursu luculenter apparet, non solum de mundialibus tenebris eduxit in lucem, sed et perfectis effecit virtutum praerogativis et meritis celebrem, nec non et praeclaris circa eum crucis ostensis mysteriis insigniter demonstravit illustrem. (igo S. ancisci.) Hic nimirum de vallis Spoletanae partibus, civitate Assisii trahens originem, primumque *Ioannes* vocatus a matre, dehinc *Franciscus* a patre [4], nominationis quidem paternae vocabulum tenuit, sed et rem materni nominis non reliquit. Licet enim inter vanos fuerit hominum filios iuvenili aetate nutritus in vanis et post aliqualem litterarum notitiam lucrativis mercationum deputatus negotiis, superno tamen sibi assistente praesidio, nec inter lascivos iuvenes post carnis petulantiam abiit nec inter cupidos mercatores *speravit in pecunia et thesauris* [5].

Lectio secunda [6].

(na indoles.) Inerat namque iuvenis Francisci praecordiis divinitus indita cum lenitate mansuetudinis quaedam ad pauperes miseratio liberalis, quae secum ab infantia crescens, tanta cor illius benignitate repleverat, ut, iam Evangelii non surdus auditor, omni proponeret se petenti tribuere, maxime si divinum allegaret amorem. In ipso quippe iuventutis flore firma se Domino sponsione constringens, quod nunquam, si possibilitas adforet, petentibus pro amore Domini se negaret, dum promissum tam nobile usque ad mortem servare non destitit, ad copiosiora in Deum dilectionis et gratiae incrementa pervenit. Verum, licet hic iugiter in corde ipsius divini amoris vigeret igniculus, ignorabat adhuc adolescens, curis terrenis implicitus, caelestis allocutionis arcanum, donec, facta manu Domini super eum, (Infirmitas.) et castigatus fuit exterius prolixi languoris gravedine et clarificatus interius sancti Spiritus unctione.

Lectio tertia [7].

(Liberalitas.) Corporeis postmodum viribus utcumque resumtis menteque mutata in melius, cum militem quendam nobilem quidem genere, sed inopem rebus obvium insperato habuisset occursu, generosi Regis et pauperis Christi memor effectus, tanta fuit erga virum pietate permotus, ut decentia, quae sibi de novo paraverat, indumenta deponeret illumque protinus, se nudato, vestiret. (Visio.) Nocte vero sequenti, cum se sopori dedisset, palatium speciosum et magnum cum militaribus armis crucis signaculo insignitis is, pro cuius amore militi egeno subvenerat, dignativa sibi revelatione monstravit, nec non visa omnia sua fore militumque suorum, si crucis Christi vexillum constanter assumeret, sub asseverationis certitudine repromisit. Ex tunc a publicae negotiationis tumultu se subtrahens, solitaria loca quaerebat, amica moeroribus; in quibus cum gemitibus inenarrabilibus incessanter intenderet, post longam precum instantiam, qua sibi perfectionis semitam a Domino postulabat ostendi, ad votum exaudiri promeruit.

---

[1] De hac Legenda minore ex praecedenti ab ipso Bonaventura mirabili stilo excerpta vide Prolegomena c. 2. § 13. et supra pag. 504, notam 1. et pag. 505, notam 2.

[2] Cfr. Legenda maior, Prolog. et c. 1. n. 1. — Cod. A praemittit *Prima die*.

[3] Tit. 2, 11. Deinde respiciuntur II. Cor. 1, 3. et Iac. 1, 17.

[4] Idem dicitur supra in Exposit. super Regulam c. 1. n. 11.

[5] Eccli. 31, 8.

[6] Cfr. eadem Legenda c. 1. n. 1. et 2.

[7] Ibid. c. 1. n. 2. 3. 4.

Lectio quarta [1].

Alia visio. Una quippe dierum, dum sic sequestratus oraret, apparuit ei Christus Iesus veluti cruci confixus, eidem tam efficaciter ingerens evangelicum illud [2]: *Qui vult venire post me abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me*, ut mentem ipsius intrinsecus et incendio dilectionis adureret et absinthio compassionis impleret. Nam et ad praemissae visionis contuitum liquefacta est anima eius, et memoria passionis Christi visceribus cordis ipsius adeo impressa medullitus, ut et crucifixi Domini plagas oculis mentis interius quasi iugiter cerneret et vix exterius a lacrymosis gemitibus continere valeret. Igitur cum iam pro dilectione Christi Iesu *omnem substantiam domus suae quasi nihil* reputando *despiceret, thesaurum* sentiebat se reperisse *absconditum* pretiosumque *margaritae* [3] fulgorem, quorum desiderio tractus, sua disponebat cuncta distrahere divoque mercandi modo negotiationem mundanam in evangelicam commutare.

Lectio quinta [4].

Mandatum divinum. Egressus itaque semel ad meditandum in agro, cum deambularet iuxta ecclesiam quandam sancti Damiani, quae minabatur prae nimia vetustate ruinam, et instigante se Spiritu, eandem causa orationis intrasset, prostratus ante imaginem Crucifixi, non modica fuit in orando consolationis suavitate repletus. Cumque lacrymosis oculis intenderet in dominicam crucem, vocem de ipsa cruce ad se miro quodam modo dilapsam corporeis audivit auribus ter dicentem: « Francisce, vade, repara domum meam, quae, ut cernis, tota destruitur ». Ad cuius stupendae vocis commonitionem mirificam vir Dei primum quidem perterritus, dehinc gaudio et admiratione repletus, protinus exsurrexit, totum se recolligens ad perficiendum mandatum de reparanda materialis ecclesiae domo; licet principalis intentio verbi ad eam ferretur [5], quam Christus sui sanguinis acquisivit pretioso commercio, sicut eum Spiritus sanctus edocuit, et ipse postmodum sibi familiaribus revelavit.

Lectio sexta [6].

Moratur ad S. Damianum. Mox cunctis, ut potuit, pro Christi amore distractis, ecclesiae praefatae sacerdoti pauperculo ad ipsius reparationem et pauperum usum pecuniam obtulit, et quod eum ad tempus secum morari permitteret, suppliciter requisivit. Acquiescente autem illo de mora, sed timore parentum recusante pecuniam, verus ille iam pecuniarum contemptor, in quandam fenestram pondus metalli proiiciens, abiectum velut pulverem vilipendit. Sentiens autem, ex hoc adversum se patris concitatum esse furorem, ut irae locum daret, diebus aliquibus in quadam occulta fovea ieiunans, orans et lacrymans latuit; tandemque spirituali quadam completus laetitia et *virtute indutus ex alto* [7], exterius fiducialiter prodiit et civitatem constanter intravit. Quem cum iuvenes cernerent facie squalidum et mente mutatum ac per hoc alienatum putarent a sensu lutoque platearum velut stultum impeterent et clamorosis ei vocibus insultarent; famulus Domini nulla prorsus fractus aut mutatus iniuria, ut surdus in omnibus pertransibat. Ira patri[s]. Fiduci[a] eius.

Lectio septima [8].

Perfect[a] abrenun[tia]tio. Prae omnibus autem pater ipsius furens et fremens, tanquam si naturalis esset miserationis oblitus, pertractum domi filium verberibus coepit et vinculis angere, ut, dum eius per molestias corpus attereret, ad mundi blanditias animum inclinaret. Experientia tandem certa cognoscens Domini famulum ad quaecumque aspera pro Christo perferenda promptissimum, cum liquido cerneret, quod eum revocare non posset, coepit eidem vehementer insistere, ut episcopum civitatis una secum adiret eiusque renuntiaret in manibus hereditario iuri paternarum omnium facultatum. Ad quod exsequendum Domini servus ultro se offerens, mox ut pervenit coram antistite, nec moras est passus nec cunctatus de aliquo nec exegit verba nec reddidit; quin potius vestimenta sic cuncta deposuit, quod et femoralia ipsa reiecit totusque coram astantibus, ut ebrius spiritu, amore illius nudari non horruit, qui nudus pro nobis in cruce pependit.

Lectio octava [9].

Occurrit [la]tronib[us]. Solutus exinde mundi contemptor a vinculis terrenarum cupidinum, dum, civitate relicta, securus et liber laudes Domino in medio nemorum Gallica lingua cantaret, occurrentibus sibi latronibus, magni Regis praeco non timuit nec a laude cessavit, utpote qui viator seminudus et vacuus erat et apostolico more [10] in tribulatione gaudebat. Exinde totius humilitatis amator ad obsequendum leprosis se transtulit, ut, dum miserabilibus et abiectis personis servitutis iugo se subderet, sui mundique contemptum Cura le[pro]sorum.

---

[1] Ibid. c. 1. n. 5.
[2] Matth. 16, 24.
[3] Respiciuntur Cant. 8, 7. et Matth. 13, 44-46.
[4] Ibid. c. 2. n. 1.
[5] Cod. A *referretur*.
[6] Ibid. c. 2. n. 1. 2.
[7] Respicitur Luc. 24, 49. — Superius pro *completus* A *repletus*.
[8] Ibid. c. 2. n. 3. 4.
[9] Ibid. c. 2. n. 5. et 6.
[10] Cfr. Act. 5, 41. — Inferius A, omisso *dum*, voci *sui* praefigit *et*.

perfecte prius disceret, quam doceret. Et quidem cum prius eos super omne hominum genus horrere soleret, diffusa in eum copiosius gratia, corde tam humili se illorum mancipavit obsequiis, quod et lavabat pedes et ligabat ulcera et educebat putredinem et saniem abstergebat. Inauditi quoque fervoris excessu ulcerosarum plagarum ruebat in oscula, os suum ponens in pulvere, ut, *saturatus opprobriis* [1], carnis supercilium *legi spiritus* potestative subiiceret suique dominium, hoste subacto domestico, pacifice possideret.

Lectio nona [2].

[Rep]arat ecclesias.

Igitur cum iam esset in Christi humilitate fundatus ac paupertate dives effectus, quamquam nil prorsus haberet, reparationi tamen ecclesiae iuxta datum sibi e cruce mandatum adeo sollicite coepit intendere, ut et corpus attritum ieiuniis oneribus lapidum subderet et eleemosynarum subsidia etiam ab illis non abhorreret deposcere, apud quos consueverat abundare. Devotione quoque sibi assistente fidelium, qui praeclaram in viro Dei iam coeperant nosse virtutem; non solum sancti Damiani, verum etiam principis Apostolorum et Virginis gloriosae ruinosas et derelictas resarcivit ecclesias, ut, quae per eum in posterum Dominus spiritualiter operari disponeret sensibili foris opere mysterialiter praesignaret. Nam instar reparatae triplicis fabricae ipsius sancti viri ducatu secundum datam ab eo formam, regulam et doctrinam Christi triformiter renovanda erat Ecclesia, sicut et vox ad eum facta de cruce, tertio replicans de domus Dei reparatione mandatum, praeambulum exstiterat signum, et nunc in tribus ab eo institutis Ordinibus cernimus esse completum.

De institutione Religionis et efficacia praedicandi [3].

Lectio prima [4].

Ecclesiarum itaque trium consummato iam opere, cum in ea quae Virginis erat, moraretur assiduus, illius suffragantibus meritis, quae pretium protulit nostrae salutis, viam perfectionis invenire promeruit per infusum sibi divinitus spiritum evangelicae veritatis. Nam cum una dierum inter Missarum solemnia legeretur Evangelium illud [5], in quo discipulis ad praedicandum missis evangelica norma in vivendo praescribitur, ne videlicet *possiderent aurum vel argentum nec in zonis pecuniam nec peram deferrent in via nec duas haberent tunicas nec calceamenta nec virgam;* mox in huiuscemodi verborum auditu tanta eum virtute Spiritus Christi perunxit et induit, ut in formam vivendi praefatam non solum notitia et affectu, verum etiam vita et habitu transformaret. Illico enim calceamenta deposuit, reiecit baculum, peram et pecuniam abdicavit, unaque contentus tunicula, dimissa corrigia, pro cingulo funem sumsit, omnem [6] sollicitudinem cordis apponens, qualiter audita perficeret et apostolicae rectitudinis regulae se ipsum per omnia coaptaret.

[Doc]tor ser[mon]is Evan[geli]orum.

Lectio secunda [7].

Praedicat poenitentiam.

Denique Spiritus Christi vi flammea totus accensus, coepit ut alter Elias veritatis aemulator existere, coepit et aliquos ad iustitiam perfectam inducere, coepit et ceteros ad poenitentiam invitare. Erant autem ipsius eloquia non inania nec risu digna, erant [8] virtute sancti Spiritus plena, erant medullas cordis penetrantia, ut et in vehementem stuporem audientes converterent et obstinatorum mentes efficacia virtuosa mollirent. Innotescente etenim apud multos sublimi eius sanctoque proposito tam ex doctrinae simplicis veritate [9] quam vitae, coeperunt ipsius exemplo viri quidam ad poenitentiam animari et eidem, relictis omnibus, habitu vitaque coniungi, quos et Fratres Minores vir humilis censuit appellari.

Lectio tertia [10].

Certificator de remissione peccatorum.

Sane iam Fratrum, Deo vocante, consummato senario, cum pius eorum Pater et pastor locum solitudinis nactus, in multa cordis amaritudine vitam deploraret adolescentiae non sine culpa transactam, sibique ac proli, quam in Christo genuerat, veniam postularet et gratiam; excessiva quadam in eum superveniente laetitia, certificatus est de remissione plenaria omnium delictorum, usque videlicet *ad quadrantem novissimum* [11]. Raptus deinde super se ac in quoddam lumen vivificum totus absorptus, quae circa se ac Fratres futura erant luculenter aspexit; sicut ipse postmodum, Ordinis profectum et dilatationem per Dei clementiam in proximo fieri debere praenuntians, ad confortationem pusilli gregis familiariter reseravit. Paucis admodum elapsis diebus, quibusdam sibi cohaerentibus aliis, cum iam ad duodenarium excrevissent, disposuit Domini famulus cum illo simplicium coetu apostolicae Sedis adire praesentiam, ut praeostensam sibi a Domino normam

Vadit Romam.

---

[1] Thren. 3, 30. et deinde Rom. 8, 2.
[2] Ibid. c. 2. n. 7. et 8.
[3] Cod. A *gratia praedicandi.*
[4] Ibid. c. 3. n. 1. — Cod. A praemittit *Secunda die.*
[5] Matth. 10, 9. seq. — Cod. A *evangelicum illud.*
[6] Cod. A *omnemque.*
[7] Ibid. c. 3. n. 2. et 3.
[8] Cod. A *sed erant,* omisso *erant* ante *medullas.*
[9] Cod. M non bene *virtute.* Cfr. Bonav., Comment. in Luc. c. 17. n. 3, ubi triplex veritas recensetur, scilicet vitae, doctrinae et iustitiae.
[10] Ibid. c. 3. n. 6. 7. 8.
[11] Matth. 5, 26.

vivendi, quam et brevi sermone conscripserat, suppliciter et instanter exposceret eiusdem sacratissimae Sedis auctoritate plenaria confirmari.

Lectio quarta [1].

Adiit Papam.

Properante itaque ipso cum sociis iuxta propositum comparere conspectui Summi Pontificis, domini scilicet Innocentii tertii, praevenit eum dignatione clementiae Dei virtus et sapientia Christus suum per visionem commonefaciendo Vicarium, ut supplicanti pauperculo et placidum daret auditum et benignum praeberet assensum. Vidit namque in somnis Pontifex ipse Romanus, Lateranensem basilicam ruinae fore iam proximam, quam quidam homo pauperculus, modicus et despectus, proprio dorso submisso, ne caderet, sustentabat. Cum igitur in famulo Dei suis comparente conspectibus [2] sapiens contemplaretur antistes simplicis animi puritatem, mundi contemptum, paupertatis amorem, propositi perfecti constantiam, animarum zelum ignitumque voluntatis sanctae fervorem; « vere, inquit, hic est ille, qui opere ac doctrina Christi sustentabit Ecclesiam ». Proinde ad ipsum praecipuam ex tunc devotionem concipiens ac petitioni eius per omnia se inclinans, approbavit Regulam, dedit de poenitentia praedicanda mandatum, postulata tunc cuncta concessit ac plura se concessurum in posterum liberaliter repromisit.

Lectio quinta [3].

Revertitur in vallem Spoletanam.

Fretus exinde gratia superna Franciscus Summique auctoritate Pontificis, cum fiducia multa versus vallem Spoletanam iter arripuit, ut perfectionis evangelicae veritatem, quam mente conceperat et professione devoverat, facto perficeret et verbo doceret. Mota quoque cum sociis quaestione huiusmodi, utrum inter homines conversari, an ad loca solitaria se conferre deberent [4], cum per orationis instantiam divinum super hoc beneplacitum requisisset, supernae revelationis illustratus oraculo, intellexit se ad hoc missum a Domino, ut Christo lucraretur animas, quas diabolus conaretur auferre, ideoque magis omnibus quam sibi soli vivere praeeligendum esse decernens, recollegit se in quodam tugurio derelicto secus Assisium, ut ibi secundum sanctae paupertatis normam in omni Religionis districtione cum Fratribus viveret et verbum Dei pro loco et tempore populis praedicaret. Factus igitur evangelicus praeco, civitates circuibat et castra, non in *doctis humanae sapientiae verbis, sed in virtute Spiritus* [5] annuntians regnum Dei, Domino dirigente loquentem revelationibus praeviis et *sermonem confirmante sequentibus signis.*

Lectio sexta [6].

Appar. Fr. tril.

Cum enim [7] semel, ut sibi moris erat, pervigil in oratione persisteret, corporaliter absentatus a filiis, circa mediam noctis horam, quibusdam e Fratribus quiescentibus, quibusdam orantibus, currus igneus miri splendoris, super quem residebat et globus ad modum solaris aspectus praelucidus, per ostiolum habitaculi Fratrum ipsorum ingrediens, huc atque illuc per domicilium tertio se convertit; ad cuius mirabilem et praeclarum contuitum stupefacti sunt vigilantes, excitati simul et exterriti dormientes nec minus senserunt cordis claritatem quam corporis, dum ex virtute mirandi luminis alterius alteri conscientia nuda fuit. Intellexerunt namque concorditer omnes, videntibus invicem universis in cordibus singulorum, sanctum Patrem Franciscum in tali transfiguratum effigie sibi demonstratum a Domino, tanquam qui *in spiritu veniens et virtute Eliae* [8], spiritualis esset militiae princeps effectus, ut *currus Israel et auriga eius.* Reversus nempe vir sanctus ad Fratres, coepit confortare illos de ostensa eis caelitus visione coepit et conscientiarum ipsorum secreta rimari nec non et futura praedicere, adeoque coruscare miraculis, ut patenter claresceret, duplicem Eliae spiritum in tanta [9] super eum plenitudine quievisse, quod post ipsius doctrinam et vitam erat omnibus proficisci tutissimum.

Lectio septima [10].

Sana. Fr. Mor.

Religiosus quidam tunc temporis de Ordine Cruciferorum, Moricus nomine, in hospitali quodam prope Assisium languore tam gravi tamque prolixo laborans, ut crederetur morti iam proximus, viro Dei supplex factus per nuntium, postulabat instanter, ut pro se ad Deum intercedere vellet. Cui vir pius benigne assentiens, oratione praemissa, panis micas accepit, et cum oleo sumto de lampade, quae coram Virginis ardebat altari, commiscens, quasi quoddam electuarium per manus Fratrum infirmanti transmisit, dicens: « Medicinam hanc fratri nostro deferte Morico, qua ipsum Christi virtus non solum plenae sanitati restituet, verum etiam robustum bellatorem effectum aciei nostrae perseveranter adiunget ». Statim autem, ut antidotum illud sancti Spiritus adinventione confectum aeger homo gustavit; sanus exsurgens, tantum mentis et corporis adeo vigorem

---

[1] Ibid. c. 3. n. 9. 10.
[2] In ed. absunt verba codd. A M *suis comparente conspectibus*.
[3] Ibid. c. 4. n. 1. 2. 3. 5.
[4] Cod. M *deberet*, et paulo inferius cum A non male *diabolus conabatur* pro *diabolus conaretur*.
[5] Epist. I. ad Cor. 2, 13; deinde Marc. 16, 20.
[6] Ibid. c. 4. n. 4.
[7] Cod. A *Cum autem*.
[8] Luc. 1, 17; deinde respicitur IV. Reg. 2, 12.
[9] Cod. A *Eliae habere spiritum et in tanta*. Inferius voci *omnibus* M praefigit *in*.
[10] Ibid. c. 4. n. 8.

obtinuit, ut paulo post viri sancti Religionem ingressus, longo tempore loricam portaret ad carnem, et crudis dumtaxat contentus cibariis, nec vini poculum sumeret nec coctum aliquid gustaret.

Lectio octava [1].

...o et conversio Fr. ...vestri.

Illo quoque [2] tempore sacerdos quidam de civitate Assisii, Silvester nomine, vir utique conversationis honestae ac simplicitatis columbinae, vidit in somnis, regionem illam totam a dracone immenso circumdari, pro cuius teterrima horridaque effigie diversis, ut videbatur, mundi climatibus propinquum imminebat excidium. Contuebatur post haec crucem auream atque fulgentem procedentem ex ore Francisci, cuius summitas caelos tangebat, et brachia protensa in latum usque ad mundi fines videbantur extendi, cuiusque aspectus praefulgidus draconem illum tetrum et horridum penitus effugabat. Hoc dum sibi tertio monstraretur, intellexit vir pius et Deo devotus, ad hoc Franciscum destinatum a Domino, ut, gloriosae crucis assumto vexillo, draconis maligni robur elideret praeclarisque veritatis fulgoribus tam doctrinae quam vitae mentes fidelium illustraret. Quod cum viro Dei et Patribus narrasset per ordinem, non multo post tempore mundum relinquens, vestigiis Christi beati Patris exemplo sic perseveranter adhaesit, quod ipsius vita in Ordine authenticam reddidit eam quam in saeculo habuerat visionem.

Lectio nona [3].

...Fr. Pacifici.

Frater quidam, Pacificus nomine, cum adhuc saeculariter vivens famulum Domini reperisset apud castrum sancti Severini praedicantem in Monasterio quodam, facta manu Domini super se, vidit eundem quasi duobus transversis ensibus valde fulgentibus in modum crucis signatum, quorum unus a capite usque ad pedes, alius a manu in manum per pectus transversaliter tendebatur. Non noverat facie virum, sed tanto monstratum miraculo mox cognoscens, vehementer obstupuit, verborumque ipsius virtute compunctus et territus, tanquam si esset gladio spiritus ex eius ore procedente transfixus, saecularibus pompis omnino contemptis, beato Patri professione cohaesit. Hic postmodum in omni Religionis sanctitate proficiens, antequam fieret Minister in Francia, siquidem primus ibidem ministerii gessit officium, meruit magnum *thau* in fronte Francisci videre, quod colorum varietate distinctum faciem ipsius miro venustabat [4] ornatu. Hoc quippe signum vir Dei magno venerabatur affectu, frequenti commendabat eloquio, actionum praemittebat initiis, et in eis quas dirigebat ex caritate litterulis manu propria subscribebat, tanquam si omne ipsius studium foret iuxta propheticum dictum [5] signare *thau super frontes virorum gementium et dolentium,* ad Christum Iesum veraciter conversorum.

...lia visio ...rucis.

Amor signi crucis.

De praerogativa virtutum.

Lectio prima [6].

Vita Francisci austerissima.

Insignis sectator crucifixi Iesu, vir Dei Franciscus a suae conversionis primordiis tanta disciplinae rigiditate carnem crucifigebat cum vitiis motusque sensuales tam stricta frenabat modestiae lege, ut vix necessaria sumeret sustentationi naturae. Nam cocta cibaria sanitatis tempore vix admittebat et raro, admissa vero aut commixtione cineris interdum faciebat amara aut aquei superinfusione [7] liquoris ut plurimum reddebat insipida. Quam vero districtam in potu parcitatem servaverit, carnem suam a vino abstrahens, ut transferret animum ad sapientiae lucem; hinc liquido valemus advertere, quod et de aqua frigida, cum sitis aestuabat ardore, vix audebat ad sufficientiam bibere. Nuda humus ut saepius lectus erat lassato corpusculo, cervical lapis vel lignum, vestisque simplex, rugosa et hispida tegumentum, pro eo quod experientia certa didicerat, hostes malignos duris et asperis in fugam converti, delicatis autem et mollibus ad tentandum [8] fortius animari.

Lectio secunda [9].

Custodia castitatis.

Rigidus in disciplina super *custodiam suam* invigilabat [10] attentius, curam gerens praecipuam de impretiabilis custoditione thesauri, castitatis videlicet, in fictili vase [11], quod et possidere studebat in sanctitudinis honore per utriusque hominis integerrimam puritatem. Quapropter circa suae conversionis principia tempore hiemalis algoris, spiritu fortis et fervidus, in foveam glacie aut nive repletam se ipsum plerumque mergebat, ut et domesticum hostem sibi perfecte subigeret [12] et candidum vestimentum munditiae a voluptatis incendio praeservaret. Tanta quoque per exercitationes huiusmodi fulgere coepit in

---

[1] Ibid. c. 3. n. 5.

[2] Cod. M *Alio quoque.*

[3] Ibid. c. 4. n. 9.

[4] Ita codd.; ed. *monstrabat miro ornatu.*

[5] Ezech. 9, 4. — Bonelli in hac lectione ex Ubertino etc. monet, non *Pacificum*, ut dicit Wadding. (cfr. supra pag. 521, nota 6.), sed *Massaeum* fuisse, qui viderit sedem in caelis S. Francisco reservatam.

[6] Ibid. c. 5. n. 1. 2. — Cod. A praemittit *Tertia die.*

[7] Cod. M *superfusione.* Inferius pro *abstrahens* A *subtrahens* et *lectulus* pro *lectus.*

[8] Ed. omittit verba codd. *ad tentandum.*

[9] Ibid. c. 5. n. 3. 4. 5.

[10] Cfr. Isai. 21, 8. et Hab. 2, 1. — Cod. A *vigilabat.*

[11] Cfr. II. Cor. 4, 7. et I. Thess. 4, 4. — Inferius M omittit *suae.*

[12] Cod. M *subiiceret.*

sensibus venustate pudoris, ut, plenum iam carnis assecutus dominium, *foedus cum oculis pepigisse* [1] videretur, quod non solum carnalem aspectum procul refugeret, sed et curiosum vanitatis cuiuscumque contuitum omnino caveret.

Lectio tertia [2].

Donum lacrymarum.

Verum, licet cordis et corporis puritatem adeptus, sanctificationis quodam modo proximaret ad apicem; non cessabat tamen lacrymarum imbribus iugiter oculos expiare mentales caelestium claritatum concupiscendo munditiam et corporeorum luminum parvipendendo iacturam. Cum enim ex continuo fletu infirmitatem oculorum incurrisset gravissimam, suadente medico, quod abstineret a lacrymis, si corporei visus caecitatem vellet effugere, nequaquam assensit; malle se asserens corporalis visus lumen amittere, quam lacrymas, quibus oculus emundatur interior, ut Deum videre praevaleat, repressa devotione spiritus impedire. Erat quoque vir Deo devotus inter lacrymarum irrigua caelesti quadam iucunditate serenus tam mente quam facie, utpote qui pro conscientiae sanctae nitore tanta perfusus erat unctione laetitiae, ut et mente in Deum incessanter excederet et in cunctis operibus manuum eius iugiter exsultaret.

Mentis serenitas.

Lectio quarta [3].

Humilitas.

Omnium virtutum custos et decor humilitas adeo virum Dei sui iuris effecerat, ut, quamvis multiplex in eo fulgeret praerogativa virtutum, haec tamen in ipso tanquam in Minorum minimo praecipuum videretur assecuta dominium. In propria quidem reputatione, qua se fatebatur maximum peccatorum, prorsus nil erat nisi fictile quoddam et sordidum vasculum, cum in veritate vas esset sanctificationis electum, multiformis virtutis et gratiae adornatione praefulgidum et sanctitudine dedicatum. Studebat quidem summopere in oculis suis aliorumque vilescere, defectus in se latentes publica confessione detegere donaque Datoris pectoris arcano celare, ut nequaquam pateret gloriae quod occasio poterat esse ruinae. Sane, ut perfectae humilitatis omnem impleret iustitiam [4], se ipsum adeo studuit non solum superioribus, verum etiam inferioribus subdere, quod et socio itineris, quantumlibet simplici, obedientiam promittere solitus erat, ut non tanquam praelatus ex auctoritate praeciperet, sed tanquam minister et servus etiam subditis ex humilitate pareret.

Omnibus se subiecit.

Lectio quinta [5].

Pauperi...

Sociam quoque sanctae humilitatis paupertatem excelsam perfectus Christi sectator caritate sibi studuit sic desponsare perpetua, quod non solum pro ea patrem matremque reliquit, verum etiam quae habere potuit universa dispersit. Nemo tam auri, quam iste cupidus paupertatis, nec thesauri custodiendi sollicitior ullus, quam iste huius evangelicae [6] margaritae; cum et a principio Religionis usque ad mortem tunica, chorda et femoralibus dives, in sola videretur gloriari penuria et egestate gaudere. Si quando enim pauperiorem se quempiam secundum exteriorem habitum cerneret, semetipsum protinus arguens excitabat ad simile, tanquam si aemula paupertate concertans, vinci se in illo spiritus quadam nobilitate timeret. Etenim, quia ipsam ut arrham hereditatis aeternae omnibus caducis praetulerat, fallaces divitias velut feudum ad horam concessum nil reputans, hanc prae opibus magnis amabat et in ea cunctos optabat excedere, qui ex eadem didicerat inferiorem se omnibus reputare.

Lectio sexta [7].

Ditiss... in D...

Excrevit propterea [8] vir Dei per altissimae paupertatis amorem in sanctae simplicitatis tam opulentas divitias, ut, cum nihil prorsus haberet inter mundialia proprium, in ipso tamen mundi huius Auctore omnium possessor videretur esse bonorum. Dum enim oculorum acie columbina, simplici videlicet mentis intentione [9], puroque speculationis contuitu omnia in summum referebat Opificem ipsumque Factorem recognoscebat, amabat et laudabat in omnibus; superna fiebat largitione clementiae, ut omnia in Deo et Deum in omnibus possideret. Consideratione quoque primae originis omnium creaturas, quantumlibet modicas, *fratris* vel *sororis* appellabat nominibus, tanquam ab uno secum exeuntes principio, quamquam illas viscerosius complecteretur [10] et dulcius, quae Christi mansuetudinem piam similitudine naturali praetendunt et Scripturae significatione figurant. Quamobrem supernaturali fiebat influente virtute, ut natura brutorum pio quodam modo moveretur ad ipsum, sed et sensu carentia parerent ad placitum, ac si idem vir sanctus ut

Omnia e... ta in I... fratres a... vit.

[1] Cfr. Iob 31, 1.
[2] Ibid. c. 5. n. 8.
[3] Ibid. c. 6. n. 1. 2. 3. 4.
[4] Cfr. Matth. 3, 15. Bernard., Serm. in Octava Epiphaniae, n. 4, docet, tertium gradum iustitiae esse « se inferiorem exhibere etiam ipsi inferiori ».
[5] Ibid. c. 7. n. 1. 6.
[6] Cod. A *huius impretiabilis.*
[7] Ibid. c. 9. n. 1. et c. 8. n. 6.
[8] Cod. A *Excrevit praeterea.*
[9] Cod. M *interiore.*
[10] Cod. M *complexaretur.*

simplex et rectus ad statum iam foret innocentiae reformatus.

Lectio septima [1].

Pietatis quoque dulcedo tanta plenitudinis copia in Domini famulum a misericordiae fonte manaverat, ut ad miserabilium personarum relevandas miserias viscera videretur gestare materna, cum et clementiam haberet ingenitam, quam superinfusa Christi pietas duplicabat. Itaque liquescebat animus eius ad infirmos et pauperes, et quibus non poterat manum, exhibebat affectum; pro eo quod quidquid penuriae, quidquid defectus cernebat in aliquo, pii cordis dulcedine regerebat [2] in Christum. Cumque in pauperibus cunctis effigiem Christi prospiceret, si qua etiam necessaria vitae sibi collata fuissent, eis occurrentibus non solum liberaliter conferebat, verum etiam, ac si illorum propria essent, iudicabat esse reddenda. Nulli prorsus rei parcebat, nec mantellis nec tunicis nec libris nec etiam paramentis altaris, quin omnia haec, dum posset, largiretur egentibus, cupiens, ut perfectae pietatis impleret officium, etiam *superimpendere semetipsum* [3].

Lectio octava [4].

Zelus fraternae salutis, ex caritatis fornace procedens, ut gladius acutus et flammeus adeo Francisci pertransiit intima, ut vir iste zelotes totus videretur et aemulationis ardore succensus et compassionis moerore plagatus. Siquidem animas Christi Iesu sanguine pretioso redemptas cum cerneret inquinari aliqua sorde peccati, miro doloris confossus aculeo, tanta miserationis [5] teneritudine deplorabat, ut eas tanquam mater in Christo quotidie parturiret. Hinc sibi in oratione luctamen, in praedicatione discursus, in exemplis dandis excessus, pro eo quod non se Christi putaret amicum, nisi animas foveret, quas ille redemit. Propter quod, licet innocens eius caro, quae se iam sponte subdebat spiritui, nullo propter offensas egeret flagello; tamen exempli causa poenas illi renovabat et onera, *custodiens* propter alios *vias duras* [6], ut illius perfecte subsequeretur vestigia, qui pro aliorum salute *tradidit in mortem animam suam*.

Lectio nona [7].

Caritatis quoque perfectae fervorem, quo Sponsi amicus ferebatur in Deum, ex hoc potissimum quis valet advertere, quod per martyrii flammam se ipsum ut *hostiam vivam* [8] Domino peroptabat offerre. Tribus namque vicibus ob hoc versus partes infidelium iter aggressus, sed bis divina dispositione prohibitus, tertia tandem vice post multa opprobria, vincula, verbera et labores innumeros ad conspectum Soldani Babyloniae, Domino deducente, perductus, in tam efficaci *ostensione spiritus et virtutis* [9] evangelizavit Iesum, ut admiraretur ipse Soldanus et nutu divino in mansuetudinem versus, benignum ei praeberet auditum. Cernens quidem in eo fervorem spiritus, constantiam animi, contemptum vitae praesentis efficaciamque divini sermonis, devotionem tantam concepit ad ipsum, ut magno eum honore dignum duceret, munera pretiosa offerret et ad secum trahendum moram instanter invitaret. At verus mundi suique contemptor, oblata omnia spernens ut lutum seque conspiciens assequi suum non posse propositum, postquam ad id obtinendum sine fictione peregit quod potuit, ad partes fidelium, revelatione praemonitus, remeavit. Sicque factum est, ut Christi amicus mortem pro ipso viribus totis exquireret et tamen nullatenus inveniret, quo et merito non careret optati martyrii et insigniendus servaretur in posterum privilegio singulari.

De studio orationis et spiritu prophetiae.

Lectio prima [10].

Sentiens Christi servus corpore se *peregrinum a Domino* [11], cum ad terrena foris desideria per Christi amorem totus insensibilis esset effectus, ne foret absque consolatione Dilecti, sine intermissione orando spiritum Deo contendebat exhibere praesentem. Nam ambulans et sedens, intus et foris, laborans et vacans adeo erat orationi vi mentis intentus, ut illi videretur quidquid erat in eo non solum cordis et corporis, verum etiam operis et temporis dedicasse. Suspendebatur multoties tanto devotionis excessu, ut supra semetipsum raptus et ultra humanum sensum aliquid sentiens, quid circa se ageretur exterius, omnino nesciret.

Lectio secunda [12].

Ut autem quietius spiritualium consolationum immissiones susciperet, ad solitudines et ecclesias derelictas oraturus nocte pergebat; quamvis et ibi pugnas daemonum horribiles senserit, qui secum confligentes quasi manu ad manum, nitebantur ipsum

Marginalia: [...]entia [...]tatis. — [...]ipue in [...]peres. — [...]s ani[...]rum. — [...]dit vias [...]ras. — [...]r cari[...]atis. — Quaerit ter martyrium. — Oratio continua. — Mentis excessus. — Amor solitudinis.

[1] Ibid. c. 8. n. 5.
[2] Cod. A *referebat*.
[3] Epist. II. ad Cor. 12, 15.
[4] Ibid. c. 8. n. 1. et c. 9. n. 4.
[5] Ita M; ed. *devotionis;* inferius contra codd. eadem omittit *quotidie*, et perperam ponit *luctus* pro *luctamen*.
[6] Psalm. 16, 4, deinde respicitur Isai. 53, 12.
[7] Ibid. c. 9. n. 5-9.
[8] Cfr. Rom. 12, 1.
[9] Epist. I. Cor. 2, 4.
[10] Ibid. c. 10. n. 1. 2. — Cod. A praemittit *Quarta die*.
[11] Cfr. Epist. II. Cor. 5, 6. et I. Petr. 2, 11.
[12] Ibid. c. 10. n. 3. 4.

ab orationis studio perturbare. Verum illis ferventium precum infatigabili virtute fugatis, vir Dei, solitarius remanens et pacatus, nemora replebat gemitibus, loca spargebat lacrymis, pectora manu tundebat et quasi occultius secretarium nactus, nunc respondebat Iudici, nunc supplicabat Patri, nunc colludebat Sponso, nunc colloquebatur Amico. Ibi visus est nocte orans, manibus et brachiis ad modum crucis protensis, toto corpore sublevatus a terra et nubecula quadam fulgente circumdatus, ut illustrationis et elevationis [1] mirabilis intra mentem mira circa corpus cum elevatione facta perlustratio testis esset.

Sublevatur a terra.

Lectio tertia [2].

Huiusmodi quoque sursum-actionum supernaturali virtute, sicut certis est comprobatum indiciis, *incerta* sibi *et occulta* divinae *Sapientiae* [3] pandebantur, quamvis illa non vulgaret exterius, nisi quantum fraternae salutis urgebat zelus, et supernae revelationis dictabat instinctus. Ad tantam quippe mentis serenitatem indefessum orationis studium cum continua exercitatione virtutum virum Dei perduxerat, ut, quamvis sacrarum litterarum peritiam non habuerit per studium eruditionis humanae, lucis tamen aeternae irradiatus fulgoribus, Scripturarum profunda limpido intellectus scrutaretur acumine [4]. Prophetarum etiam spiritus multiplex in tam multiformis plenitudine gratiae requievit in eo, ut ipsius virtute mirifica se vir Dei praesentem aliquando [5] aliis exhiberet absentibus notitiamque certam haberet longe distantium, secreta quoque prospiceret cordium nec non et futurorum praenuntiaret eventus, sicut multiplicium exemplorum evidentia comprobat, ex quibus aliqua subscribuntur.

Scientia infusa.

Spiritus prophetiae.

Lectio quarta [6].

Cum enim tempore quodam vir sacer Antonius, tunc quidem praedicator egregius, nunc autem Confessor Christi praeclarus, de titulo crucis: *Iesus Nazarenus, rex Iudaeorum* [7], eructans melliflua, in quodam provinciali Capitulo apud Arelatem Fratribus praedicaret, vir Dei Franciscus, qui tunc in remotis agebat, ad ostium [8] Capituli in aëre sublevatus apparuit, qui et extensis velut in cruce manibus Fratribus benedicens, tam multimoda illos spiritus consolatione replevit, ut certa eis intra semetipsos spiritus testificatione constaret, apparitionem illam mirabilem caelesti praeditam fuisse virtute. Porro, quia id beatum Patrem non latuit, patenter ex hoc ipso clarescit, quam pervius spiritus eius luci Sapientiae foret aeternae, quae *omnibus mobilibus mobilior est, et attingens ubique propter sui munditiam, in animas sanctas se transfert et Dei amicos et prophetas constituit* [9].

Apparet Fratribus.

Lectio quinta [10].

Apud sanctam Mariam de Portiuncula, intrantibus Fratribus semel ex more Capitulum, cum unus ex eis defensionis cuiusdam tectus palliolo, se disciplinae non subderet; videns hoc vir sanctus in spiritu, qui in cella tunc orans *sequester et medius* erat inter eosdem Fratres et Deum [11], vocari ad se fecit unum ex ipsis, cui et dixit: « Vidi, Frater, diabolum super illius Fratris inobedientis dorsum, collum eius tenentem astrictum, qui tali sessore subactus, obedientiae freno spreto, instinctus illius sequebatur habenas. Vade igitur et dic Fratri, ut obedientiae sanctae collum sine mora submittat, cum et ille hoc suggerat fieri, ad cuius precum instantiam daemon ille confusus abscessit ». Monitus per internuntium Frater, compunctionis concepto spiritu ac veritatis luce percepta, coram viri sancti Vicario in faciem procidit, se ipsum culpabilem recognovit, veniam petiit, disciplinam suscepit et pertulit ac deinceps per omnia humiliter obedivit.

Cognos[c]... longinq[ua] et secr[eta] cordiu[m]

Lectio sexta [12].

Cum autem in Monte maneret Alvernae cella reclusus, unus ex sociis magno desiderio cupiebat habere de verbis Domini aliquod scriptum manu ipsius breviter annotatum. Gravem enim qua vexabatur tentationem non carnis, sed spiritus, ex hoc credebat evadere vel certe levius ferre. Tali desiderio languens, anxiabatur interius; quia, cum esset humilis, pudoratus et simplex, verecundia victus, reverendo Patri rem pandere non audebat. Sed cui homo non dixit Spiritus revelavit. Portari namque sibi iussit a Fratre praedicto atramentum et chartam laudesque Domini iuxta Fratris desiderium cum ipsius benedictione propria manu conscribens, eidem quod scripserat liberaliter obtulit, et omnis illa tentatio prorsus abscessit. Ipsa quoque litterula reservata in posterum remedia sanitatis quam plurimis contulit, ut ex hoc claresceret omnibus, quanti meriti coram Deo scriptor ipsius exstiterit, qui tantae virtutis efficaciam in schedula conscripta reliquit.

Aliud m... plo

---

[1] Cod. M *illuminationis*.
[2] Ibid. c. 10. n. 4. et c. 11. n. 1. 3.
[3] Psalm. 50, 8.
[4] Cfr. Iob 28, 11.
[5] Deest in ed. *aliquando*.
[6] Ibid. c. 4. n. 10. et c. 11. n. 14.
[7] Ioan. 19, 19.
[8] Cod. A *ostiolum*. Inferius ante *consolatione* M omittit *spiritus*.
[9] Sap. 7, 24. et 27.
[10] Ibid. c. 11. n. 11.
[11] Respicitur Deut. 5, 5.
[12] Ibid. c. 11. n. 9.

Lectio septima [1].

Conversio cuiusdam mirabilis. Alio quoque tempore mulier quaedam nobilis, Deo devota, virum sanctum fiducialiter adiens, postulabat obnixe, ut pro viro suo sibi valde crudeli, quem adversarium patiebatur in servitio Christi, apud Dominum intercedere vellet, ut [2] ipsius cor durum larga suae gratiae infusione molliret. Quo audito, vir sacer et pius sacris eam in bono roboravit eloquiis, consolationem, quam optabat, sibi de proximo affuturam asseruit finaliterque mandavit, quod viro illi ex parte Dei denuntiaret et sui, nunc tempus esse clementiae, postmodum aequitatis. Credidit mulier sermoni, quem ei dixerat Domini servus, et benedictione accepta, domum cum festinatione revertens, occurrenti sibi viro praefatum narravit eloquium, indubitanter exspectans, optatum impleri promissum. Confestim autem, ut auribus illius sermo insonuit, cecidit super eum spiritus gratiae, adeo cor ipsius emolliens, ut et devotam coniugem libere Deo ex tunc famulari permitteret et se una cum ipsa Domino serviturum offerret. Suadente igitur sancta uxore, pluribus annis coelibem vitam agentes, eodem die, mulier mane, vir vespere, migraverunt ad Dominum, haec quidem ut *matutinum*, ille vero ut *sacrificium vespertinum* [3].

Lectio octava [4].

Castigatio cuiusdam impudici. Tempore, quo vir sanctus [5] Reate iacebat infirmus, praebendarius quidam, nomine Gedeon, lubricus et mundanus, infirmitate gravi correptus et lectulo decubans, cum ad eum fuisset delatus, lacrymose rogabat cum simul astantibus, ut ab ipso crucis signaculo signaretur. Ad quem ille: « Cum olim vixeris secundum desideria carnis, non veritus iudicia Dei, non propter te, sed propter devotas intercedentium preces, signo te crucis hoc modo signabo, ut tibi ex nunc pro certo insinuem, quod sis graviora passurus, si ad vomitum redieris liberatus ». Signo itaque crucis super eum facto a capite usque ad pedes, insonuerunt ossa renum eius, audientibus cunctis, veluti cum manu ligna sicca franguntur, statimque is qui contractus iacuerat, surrexit sanus et in laudem Dei prorumpens: « Ego, inquit, sum liberatus ». Paucis autem interlapsis temporibus, cum, Dei oblitus, corpus impudicitiae reddidisset, et sero quodam coenasset in hospitio cuiusdam canonici nocteque illa dormiret, ibidem tectum domus super omnes subito corruit et illum solum, ceteris mortem [6] evadentibus, interemit; sicque factum est, ut simul in hoc uno eventu patesceret, quam sit severus ingratis zelus divinae iustitiae, quamque verax et certus in dubiis fuerit qui Franciscum repleverat spiritus prophetiae.

Lectio nona [7].

Eo quoque tempore, quo post reversionem suam de ultra mare Celanum praedicaturus accessit, miles quidam supplici eum devotione cum instantia magna invitavit ad prandium et quasi coegit invitum. Ante vero quam cibum sumerent, vir mente devotus iuxta solitum morem offerens Deo preces et laudes, vidit in spiritu, viro illi mortis de proximo imminere iudicium, menteque suspensus oculis stabat elevatis in caelum. Oratione tandem completa, benignum hospitem traxit in partem mortemque illi vicinam praedixit, ut confiteretur, admonuit et ad bonum, quantum valuit, animavit. Acquievit homo continuo beati viri sermonibus socioque illius universa peccata in confessione detexit, *domum disposuit* [8], divinae se miserationi commisit et ad suscipiendam mortem se, quantum potuit, praeparavit. Igitur dum alii refectionem corporis sumerent, miles, qui sanus videbatur et fortis, subito spiritum exhalavit iuxta verbum hominis Dei, repentina quidem morte sublatus, armis tamen poenitentiae per eiusdem spiritum propheticum praemunitus, ut et perpetuam damnationem evaderet et in aeterna tabernacula iuxta promissionem evangelicam introiret. Prophetia et conversio.

De obedientia creaturarum et condescensione divina.

Lectio prima [9].

Aderat quidem servo suo Francisco is qui eum unxerat Spiritus Domini et ipse *Dei virtus et sapientia Christus* [10], cuius virtute fiebat et gratia, ut sibi non solum *incerta et occulta* patescerent, verum etiam mundi huius elementa parerent. Quodam namque tempore, cum consilium daretur a medicis et instanter suaderetur a Fratribus, ut contra infirmitatem oculorum pateretur sibi per cocturae subveniri remedium, humiliter vir Dei assensit, pro eo quod id non solum medela contra aegritudinem corporis, verum etiam materia foret exercendae virtutis. Sensu vero carnis ipsius ad conspectum instrumenti ferrei iam igne candentis naturali quodam horrore concusso, vir sanctus ignem alloqui coepit ut fratrem, in Creatoris nomine ac virtute praecipiens, ut suum ei contemperaret ardorem, quo suaviter urentem sustinere valeret. Profundato autem Ignis violentiam non sensit.

---

[1] Ibid. c. 11. n. 6.
[2] Codd. *quod.*
[3] Cfr. Num. 28, 8. 23.
[4] Ibid. c. 11. n. 5.
[5] Cod. A *quo Domini famulus.*
[6] Cod. M omittit *mortem.*
[7] Ibid. c. 11. n. 4.
[8] Cfr. Isai. 38, 1. — Superius pro *valuit* A *potuit.*
[9] Ibid. c. 5. n. 9. — Cod. A praemittit *Quinta die.*
[10] Respicitur I. Cor. 1, 24, et dein Ps. 50, 8.

crepitante ferro in tenera carne, et ab aure usque ad supercilium coctura protracta, vir Deo plenus exsultans in spiritu: « Laudate, inquit ad Fratres, Altissimum, quia, ut verum fatear, nec ignis ardor molestiam intulit nec carnis dolor me afflixit ».

Lectio secunda [1].

Aqua convertitur in vinum.

Apud eremum sancti Urbani servo Dei aegritudine gravissima laborante, cum ipse naturae defectum sentiens, vini poculum peteret, nihilque de vino, quod sibi dari possit, responderetur adesse; iussit, aquam afferri et allatam signo crucis edito benedixit. Mox vinum efficitur optimum quod fuerat aqua pura, et quod deserti loci paupertas non potuit sancti viri puritas impetravit. Ad eius [2] gustum protinus tanta facilitate convaluit, ut evidenter claresceret, quod optatum poculum illud a largo sibi fuit Datore concessum, non tam ut afficiens ad saporem quam ut efficax ad salutem.

Lectio tertia [3].

Aliud miraculum.

Alio quoque tempore vir Dei, ad quandam eremum transferre se volens, ut ibi liberius contemplationi vacaret, quia debilis erat, cuiusdam pauperis hominis vectabatur asello. Cumque diebus aestivis famulum Dei sequendo vir ille montana conscenderet, asperioris et longioris viae itinere fatigatus nimioque sitis ardore deficiens, instanter coepit clamare ac dicere, quod nisi paululum biberet, confestim spiritum exhalaret. Absque mora vir Dei prosilivit de asino, et fixis in terra poplitibus, palmas tetendit ad caelum, orare non cessans, donec se intellexit auditum. Oratione tandem finita: « Festina, inquit viro, ad petram, et illic aquam vivam reperies, quam tibi hac hora misericorditer Christus de lapide bibendam produxit ». Cucurrit sitiens homo ad locum ostensum bibitque aquam de petra orantis virtute productam et poculum hausit a Deo sibi de saxo durissimo propinatum.

Lectio quarta [4].

Tertium.

Tempore quodam, quo famulus Domini secus mare praedicabat [5] Caietae, cum turbarum in eum prae devotione ruentium declinare vellet applausum, in unam littori haerentem naviculam prosiliit solus. Illa vero, tanquam si motoris vi gubernaretur intrinseca, cernentibus et mirantibus cunctis, qui aderant, sine aliquo remige longius se protraxit a terra. Cum autem aliquanto spatio maris secessisset in altum, stetit inter fluctus immobilis, quamdiu, exspectantibus turbis in littore, viro Dei praedicare complacuit. Cumque, audito sermone visoque miraculo ac benedictione accepta, ipso rogante, multitudo recederet, non alterius quam caelestis iussionis impulsu navis applicuit; tanquam si *creatura Factori deserviens* [6], Creatoris perfecto cultori et sine rebellione se subderet et sine retardatione pareret.

Lectio quinta [7].

Quartum.

Moram eo faciente tempore quodam in eremitorio Graecii, loci illius indigenae malis adeo multiplicibus gravabantur, quod et grando annua tempestate blada vastabat [8] et vineas, et luporum multitudo rapacium non solum bruta, sed et homines consumebat. Sic igitur vehementer afflictis omnipotentis Domini famulus benigne compatiens, in publica illis praedicatione promisit seque fideiussorem eis instituit, quod pestilentia illa omnis abscederet, si, confessione praemissa, dignos poenitentiae fructus facere vellent. Ab illa itaque hora, poenitentiam ad exhortationem ipsius agentibus illis, cessaverunt clades, periere pericula, nec molestiae quidquam intulere lupi vel grandines; immo, quod maius est, si quando vicinorum arva grando pervaderet, istorum terminis appropinquans aut terminabatur ibidem, aut in partem aliam divertebatur [9].

Lectio sexta [10].

Praed[icat] avib[us].

Alio quoque tempore, cum praedicationis causa vir Dei vallem Spoletanam circumiens, appropinquasset Bevanio [11], ad quendam locum devenit, in quo diversi generis avium maxima multitudo convenerat. Quas oculo pio conspiciens, irruente in se Spiritu Domini, velociter cucurrit ad locum, illisque salutatis alacriter, ut verbum Dei attente audirent, silentium imperavit. Cum autem plura de beneficiis Dei creaturis collatis et laudibus ei ab ipsis reddendis loqueretur aviculis, illae modo mirabili gestientes coeperunt extendere colla, protendere alas, aperire rostra et in ipsum attente respicere, tanquam si eloquiorum eius admirabilem conarentur sentire virtutem. Iuste quidem vir Deo plenus ad creaturas huiusmodi ratione carentes pio ferebatur humanitatis affectu, cum et illae versa vice tam miro modo inclinarentur ad ipsum, ut instruenti attenderent et praecipienti parerent et ad suscipientem cum securitate confugerent et apud retinentem sine difficultate manerent.

---

[1] Ibid. c. 5. n. 10.
[2] Cod. M *cuius*. Inferius pro *fuit* (ita M) ed. *fuerit*.
[3] Ibid. c. 7. n. 12.
[4] Ibid. c. 12. n. 6.
[5] Cod. A *praedicaret*.
[6] Sap. 16, 24.
[7] Ibid. c. 8. n. 11.
[8] Ed. *vastaret*.
[9] Cod. A *divertebat*.
[10] Ibid. c. 12. n. 3.
[11] Codd. *Bevanium*.

Lectio septima [1].

Sancto ... provi-

Tempore vero, quo ob palmam consequendam [2] martyrii ad partes ultra marinas transire tentaverat nec tamen id consummare valuerat, maris tempestatibus praepeditus, adeo sibi astitit Gubernatoris omnium dignativa provisio, ut eum cum plurimis aliis a periculis mortis erueret et mirabilia opera sua circa ipsum in profundo monstraret. Nam cum de Sclavonia in Italiam redire proponeret et navem quandam absque ullis omnino stipendiis conscendisset; affuit quidam in ipso ingressu pro Christi pauperculo missus a Deo, qui et secum ferret necessaria victui [3] et cuidam timenti Deum de navi ad se vocato tribueret, ut nil prorsus habentibus opportuno tempore ministraret. Verum, nautis propter vim ventorum nusquam applicare valentibus, omnia ipsorum sunt consumta cibaria, sola beato viro collatae desuper eleemosynae portione modica remanente. Quae ad ipsius preces et merita, superna faciente virtute, in tantum succrevit augmentum, ut diebus pluribus, continua maris tempestate durante, usque ad portum optatum, Anconae videlicet, necessitatibus omnium plenarie subveniret.

Lectio octava [4].

in alia ...ssitate.

Alio quoque tempore, eodem viro Dei praedicationis causa inter Lombardiam et Marchiam Tarvisinam iter agente cum Fratre socio, iuxta Padum tenebrosa noctis supervenit obscuritas. Cumque periculis magnis et multis via foret exposita propter fluvium, paludes et tenebras, instante socio, quod in tanta necessitate supernum imploraret auxilium; vir Dei cum confidentia multa respondit: « Potens est Deus, si suae dulcedini complacet, tenebrarum effugata caligine, sui nos beneficio luminis illustrare ». Mirum certe! Vix sermonem compleverat [5], et ecce, tanta lux circa eos superna coepit radiare virtute, ut, nocte aliis existente obscura, ipsi luce clara viderent non solum viam, verum etiam ex altera parte fluminis plurima circumquaque.

Lectio nona [6].

...ilogos.

Recte quidem inter densas noctis tenebras fulgor praeibat claritatis caelestis, ut ex hoc ipso pateret, involvi eos non posse mortis caligine, qui directo sequuntur tramite lumen vitae. Nam et lucis huiusmodi splendore mirabili corporaliter directi et spiritualiter confortati, usque ad locum hospitii per non modicum viae spatium cum divinis hymnis et laudibus pervenerunt. — O vere praeclarum et admirabilem virum! cui suum ignis ardorem contemperat, aqua saporem commutat, abundans poculum petra propinat, inanimata deserviunt, mansuescunt immitia, et irrationabilia studiose intendunt; ipse quoque Dominus omnium sua benignitate obedit ad votum, dum et liberalitate praeparat cibum et [7] lucis praebet claritate ducatum, ut sic ei tanquam viro sanctitatis eximiae et omnis creatura subserviat, et ipse Creator omnium condescendat.

De stigmatibus sacris.

Lectio prima [8].

Fidelis revera famulus et minister Christi Franciscus biennio, antequam spiritum redderet caelo, cum in loco excelso seorsum, qui *Mons Alvernae* dicitur, quadragenarium ad honorem Archangeli Michaelis ieiunium inchoasset, supernae contemplationis dulcedine abundantius solito superfusus ac caelestium desideriorum ardentiori flamma succensus, supernarum coepit immissionum cumulatius dona sentire. Dum igitur seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in Deum, et affectus compassiva teneritudine in eum transformaretur, cui ex caritate nimia crucifigi complacuit; quodam mane circa festum Exaltationis sanctae Crucis in latere montis orans, vidit quasi speciem unius Seraph sex alas tam fulgidas quam ignitas habentem [9] de caelorum sublimitate descendere, qui volatu celerrimo ad aëris locum viro Dei propinquum perveniens, non solum alatus, sed et crucifixus apparuit, manus quidem et pedes habens extensos et cruci affixos, alas vero sic miro modo hinc inde dispositas, ut duas supra caput erigeret, duas ad volandum extenderet, duabus vero reliquis totum corpus circumplectendo velaret.

Quadragesimam facit in Monte Alvernae.

Apparitio Seraph crucifixi.

Lectio secunda [10].

Hoc videns, vehementer obstupuit mixtumque dolori gaudium mens eius incurrit, dum et in gratioso Christi aspectu sibi tam mirabiliter quam familiariter apparentis excessivam quandam concipiebat laetitiam, et dira conspecta crucis affixio ipsius animam compassivi doloris gladio pertransibat. Intellexit quidem, illo docente interius, qui et apparebat exterius, quod licet passionis infirmitas cum immortalitate spiritus seraphici nullatenus conveniret, ideo

Impressio stigmatum.

---

[1] Ibid. c. 9. n. 5.

[2] Codd. *quo pro palma consequenda* (A tamen omittit *consequenda*). [3] Cod. A *victus*.

[4] Ibid. c. 5. n. 12.

[5] Ed. *impleverat*, refragante M. Inferius posuimus *aliis* pro *alias*; cfr. supra pag. 519, nota 7.

[6] Ibid., loc. cit.

[7] Ed. omittit *et*; quae etiam paulo inferius ponit *subveniat* pro *subserviat* (ita M).

[8] Ibid. c. 13. n. 1. 3. — Cod. A praemittit *Sexta die*.

[9] Cfr. Isai. 6, 2.

[10] Ibid. c. 13. n. 3.

tamen huiusmodi visio suis fuerat praesentata conspectibus, ut amicus ipse Christi praenosceret, se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis totum in Christi Iesu crucifixi expressam similitudinem transformandum. Disparens igitur visio post arcanum ac familiare colloquium mentem ipsius seraphico interius[1] inflammavit ardore, carnem vero Crucifixo conformi exterius insignivit effigie, tanquam si ad ignis liquefactivam virtutem praeambulam sigillativa quaedam esset impressio subsecuta.

Lectio tertia[2].

Statim namque in manibus eius et pedibus apparere coeperunt signa clavorum, ipsorum capitibus in interiore parte manuum et superiore pedum apparentibus, et eorum acuminibus existentibus ex adverso. Erantque clavorum capita in manibus et pedibus rotunda et nigra, ipsa vero acumina oblonga, retorta et repercussa, quae de ipsa carne surgentia, carnem reliquam excedebant. Siquidem repercussio ipsa clavorum sub pedibus adeo prominens erat et extra protensa, ut non solum plantas solo libere applicari non sineret, verum etiam intra curvationem arcualem ipsorum cacuminum faciliter immitti valeret digitus manus, sicut[3] ab eis ipse accepi, qui oculis propriis conspexerunt. Dextrum quoque latus quasi lancea transfixum rubra cicatrice obductum erat, quod saepe sanguinem sacrum effundens, tunicam et femoralia in tanta copia respergebat, ut postmodum Fratres socii ea lavantes pro tempore indubitanter adverterent, quod sicut in manibus et pedibus, sic et in latere famulus Domini expresse haberet impressam similitudinem Crucifixi.

Ipsorum descriptio.

Lectio quarta[4].

Cernens autem vir Deo plenus, quod stigmata carni tam luculenter impressa socios familiares latere non possent; timens nihilominus publicare Domini sacramentum, in magno positus fuit dubitationis agone, utrum quod viderat diceret, vel taceret. Compulsus tandem conscientiae stimulo, quibusdam ex Fratribus intimioribus sibi cum multo timore seriem retulit visionis praefatae; addens, quod is qui sibi apparuerat aliqua dixerit, quae nunquam, dum viveret, alicui hominum aperiret. Postquam igitur verus Christi amor in *eandem imaginem transformavit*[5] amantem, quadraginta dierum numero, iuxta quod decreverat, in monte illo solitudinis consummato, superveniente quoque solemnitate Archangeli Michaelis, descendit angelicus vir Franciscus de monte, secum ferens Crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis vel ligneis manu figuratam artificis, sed in carneis membris *descriptam digito Dei vivi*[6].

Timet huius mysterii revelationem.

Descen... mo...

Lectio quinta[7].

Porro, licet vir sanctus et humilis sacra illa signacula omni diligentia studeret abscondere, Domino tamen complacuit ad gloriam suam mirabilia quaedam aperta per illa monstrare, ut, dum illorum vis occulta per signa[8] clara patesceret, inter densas caliginosi saeculi tenebras ut sidus praefulgidum radiaret. Nam et circa Montem Alvernae praefatum, antequam vir sanctus ibidem moram traxisset, nube obscura ex ipso monte surgente, grandinis violenta tempestas fructus terrae consuetudinarie devastabat. Verum post illam apparitionem felicem non sine incolarum admiratione ac gaudio grando consueta cessavit, ut caelestis illius visionis excellentiam et stigmatum ibidem impressorum virtutem serenata praeter morem ipsa caeli facies declararet.

Deo... parat... tionem

Miracu...

Lectio sexta[9].

Alio[10] quoque tempore in provincia Reatina pestis valde gravis invaluit, quae oves et boves in tantum coepit invadere, ut viderentur pene omnes irremediabili morbo languere. Vir autem quidam timens Deum nocte fuit per visionem commonitus, ut ad eremitorium Fratrum, in quo beatus Pater tunc moram trahebat, festinanter accederet loturamque manuum et pedum ipsius impetraret a sociis ac super animalia languida spargeret, et sic pestis omnis illa cessaret. Quod cum vir ille diligenter implesset, tantam illi, quae sacras contigerat plagas, contulit Deus aquae virtutem, ut, dum ipsius aspersio languentes greges vel modicum attigisset, omnem illam pestilentiae plagam repelleret, pristinoque recuperato vigore, ad pastum animalia currerent, tanquam si nil mali penitus ante sensissent.

Aliud

Lectio septima[11].

Denique tam miram ex tunc consecutae sunt manus illae virtutem, ut suo contactu salvifico et validam redderent sospitatem aegrotis et vivacem[12] sensum paralyticis iam membris et aridis, et quod

Con... salv...

---

[1] Omittitur in M *interius*.

[2] Ibid. c. 13. n. 3. 8.

[3] Cod. M addit *et*. Verba: *Siquidem repercussio* usque ad *Dextrum* desiderantur in Legenda maiore; ea quae post *copia respergebat* sequuntur usque ad finem lectionis tertiae insinuantur c. 13. n. 8.

[4] Ibid. c. 13. n. 4. 5.

[5] Epist. II. Cor. 3, 18.

[6] Exod. 31, 18.

[7] Ibid. c. 13. n. 5. 7.

[8] Cod. A *signacula*.

[9] Ibid. c. 13. n. 6.

[10] Ed. *Illo*. Inferius ante *tantum* A omittit *in*.

[11] Ibid., De miraculis post mortem S. Francisci (in fine Legendae), § 1. n. 5.

[12] Ita codd., ed. *veracem*.

maius his omnibus est, vitam incolumem letaliter sauciatis. Nam ut de pluribus eius prodigiis duo quaedam anticipando simul et perstringendo commemorem, cum apud Ilerdam[1] vir quidam, Ioannes nomine, beato Francisco devotus, adeo sero quodam fuisset vulnerum atrocitate concisus, ut vix crederetur supervicturus in crastinum; apparente sibi mirabiliter Patre sanctissimo et vulnera illa sacris manibus contingente, hora eadem sic integrae sospitati redditus est, ut mirabilem crucis signiferum omni veneratione dignissimum omnis illa regio proclamaret. Quis enim posset sine admiratione[2] conspicere hominem non ignotum sub eodem quasi momento temporis nunc plagis laniatum saevissimis, nunc incolumitate gaudentem? Quis sine gratiarum actione recolere? Quis denique sine devotione tam pium, virtuosum praeclarumque miraculum fideli valeat mente pensare?

probatur ... iraculo.

Lectio octava[3].

Apud Potentiam, civitatem Apuliae, clericus quidam, nomine Rogerus[4], cum de sacris beati Patris stigmatibus cogitaret inania, subito fuit in manu sinistra sub chirotheca percussus, ac si prosilisset spiculum de balista, ipsa tamen chirotheca omnino manente intacta. Cum vero per triduum vehementis fuisset doloris cruciatus aculeo et iam mente compunctus beatum invocaret et adiuraret Franciscum per gloriosa illa sibi stigmata subvenire; salutem adeo[5] perfectam obtinuit, ut omnis dolor abscederet, nullumque remaneret omnino vestigium percussurae. Ex quo luculenter apparet, quod sacra illa signacula illius fuerunt impressa potentia et praedita sunt virtute, cuius est vulnera infligere, medelas afferre, obstinatos percutere *contritosque sanare*[6].

...m, alio ...raculo.

Lectio nona[7].

Digne quidem vir iste beatus singulari hoc privilegio insignitus apparuit, cum omne ipsius studium, tam publicum quam privatum, circa crucem Domini versaretur. Nam et mira mansuetudinis lenitas austeritasque vivendi, humilitas illa profunda, obedientia prompta, paupertas eximia, castitas illibata, amara compunctio, lacrymarum profluvium, pietas viscerosa, aemulationis ardor, martyrii desiderium, caritatis excessus, multiplex denique christiformium praerogativa virtutum, quid aliud in eo praetendunt quam assimilationes ad Christum et praeparationes quasdam ad stigmata sacra ipsius? Propter quod a sua conversione toto ipsius vitae decursu praeclaris crucis Christi adornato mysteriis, tandem ad conspectum sublimis Seraph et humilis Crucifixi totus fuit in visae formae effigiem vi quadam deiformi et ignea transformatus, quemadmodum attestati sunt qui viderunt, palpaverunt, osculati sunt et, tactis sacrosanctis, sic fuisse et se vidisse iurantes, abundantiori certitudine firmaverunt.

...enientia ...natom.

Mysterium crucis in tota vita Francisci.

De transitu mortis.

Lectio prima[8].

Christo igitur iam cruci vir Dei confixus tam carne quam spiritu, non solum seraphici amoris incendio sursum agebatur in Deum, verum etiam prae fervido animarum zelo transfixus, cum crucifixo Domino salutem sitiebat omnium salvandorum. Et quia propter excrescentes in pedibus clavos ambulare non poterat, faciebat, corpus emortuum per civitates et castella circumvehi, ut tanquam *alter Angelus ab ortu solis ascendens*[9] servorum Dei corda ignis divini flamma succenderet; pedes quoque in viam pacis dirigeret frontesque ipsorum Dei vivi signaculo consignaret. Flagrabat quoque desiderio magno ad humilitatis redire primordia, ut leprosis, sicut a principio, ministraret, corpusque[10] iam prae labore collapsum revocaret ad pristinam servitutem.

Fervor et zelus Sancti.

Lectio secunda[11].

Proponebat, Christo duce, se facturum ingentia, et fatiscentibus membris, spiritu fortis et fervidus, novo sperabat certamine de hoste triumphum. Sane ut parvulo Christi cumulus meritorum accresceret, quae omnia vere patientia perfecta consummat[12]; coepit infirmitatibus variis laborare tam graviter, ut dolorosis passionum molestiis per singula membra diffusis, consumtisque iam carnibus, quasi sola cutis ossibus cohaereret. Cumque duris corporis angeretur doloribus, poenales illas[13] angustias non *poenas*, sed *sorores suas* esse dicebat tantasque in ipsarum tolerantia laeta Domino laudes referebat et gratias, ut videretur assistentibus sibi Fratribus, quod pro gloriatione iucunda et humili quasi Paulum aspicerent et pro vigoratione imperturbabilis animi alterum Iob viderent.

Spiritu fortissimus, morbis opprimitur.

---

[1] Sive Lerida in Catalaunia. — Inferius pro *sero quodam* (ita A M, quibus consentit Legenda, loc. cit.) ed. *ferro quodam*.
[2] Cod. M omittit *sine admiratione*.
[3] Ibid., loc. cit. n. 6.
[4] Cod. M *Rogerius*.
[5] Ita codd.; ed. *a Deo*.
[6] Luc. 4, 18: Sanare contritos corde. — Superius pro *fuerunt* A *fuerint*.
[7] Ibid., loc. cit. n. 1. et c. 13. n. 3. 8. 10.
[8] Ibid. c. 14. n. 1. — Cod. A praemittit *Septima die*.
[9] Apoc. 7, 2.
[10] Ed. *corpus quoque*.
[11] Ibid. c. 14. n. 1. 2.
[12] Iac. 1, 4: Patientia autem opus perfectum habet.
[13] Cod. M omittit *illas*.

Lectio tertia [1].

Ipse vero transitum suum longe ante praescivit, dieque obitus imminente, dixit Fratribus, sui corporis tabernaculum deponendum in proximo, quemadmodum sibi fuerat demonstratum a Christo. Biennio [2] itaque ab impressione sacrorum stigmatum, anno videlicet a sua conversione vigesimo, ad sanctam Mariam de Portiuncula se deferri poposcit, ut ubi per Virginem Matrem Dei spiritum conceperat perfectionis et gratiae, ibidem mortis soluto debito, ad bravium perveniret retributionis aeternae. Perductus autem ad locum praefatum, ut veritatis exemplo monstraret, quod nihil erat ei commune cum mundo, in illa infirmitate tam gravi, quae omnem languorem conclusit [3], super nudam humum se totum nudatum deposuit; quatenus hora illa extrema, in qua poterat adhuc hostis irasci, nudus luctaretur cum nudo. Decubans sic in terra et pulvere nudatus athleta, manu sinistra dextri lateris vulnus, ne videretur, obtexit, facieque serena solito more levata in caelum, intendens illi gloriae totus, magnificare coepit Altissimum, pro eo quod expeditus ab omnibus, liber iam transiret ad ipsum.

Praescivit suam mortem.

Revertitur ad S. Mariam Angelorum.

Notandum.

Lectio quarta [4].

Hora denique sui transitus iam instante, fecit omnes Fratres existentes in loco ad se vocari et eos consolatoriis verbis pro sua morte demulcens, paterno affectu ad divinum est hortatus amorem. Possessionem quoque paupertatis et pacis hereditaria ipsis successione relinquens et legans, ut se ad aeterna protenderent ac contra mundi huius munirent pericula, vigilanter admonuit et ad crucifixi Iesu perfecte sectanda vestigia, omni qua potuit efficacia sermonis induxit. Circumsedentibus vero filiis coram pauperum patriarcha, cuius iam caligaverant oculi, non senectute, sed lacrymis [5], vir sanctus caecutiens et morti iam proximus extendit super eos manus in modum crucis, brachiis cancellatis, pro eo quod hoc signum semper amabat, et omnibus Fratribus tam praesentibus quam absentibus in Crucifixi virtute ac nomine benedixit.

Convocat Fratres.

Eis benedicit.

Lectio quinta [6].

Post haec Evangelium secundum Ioannem ab illo loco [7]: *Ante diem festum Paschae*, sibi legi poposcit, ut in eo vocem Dilecti pulsantis audiret, a quo solus eum iam carnis paries disiungebat. Tandem cunctis in eum completis mysteriis, orans et psallens, vir beatus obdormivit in Domino, et anima illa sanctissima, carne soluta in aeternae claritatis abyssum absorpta est. Ipsa tunc hora unus ex Fratribus et discipulis eius, vir utique sanctitate famosus [8], animam illam felicem conspexit sub specie stellae praefulgidae, a candida subvectam nubecula, super aquas multas in caelum recto tramite conscendere, utpote quae conscientiae candore nitescens et meritorum praerogativa refulgens, tam efficaciter sursum ferebatur affluentia gratiarum et deiformitate virtutum, ut a visione caelestis lucis et gloriae nec modicum retardari valeret.

Vult, sibi legi passionem Christi.

Obdormit.

Visio cuiusdam Fratris.

Lectio sexta [9].

Minister quoque Fratrum tunc temporis in Terra Laboris, Augustinus nomine, vir utique Deo carus, in hora ultima positus, cum iam diu perdidisset loquelam, audientibus qui astabant, subito clamavit et dixit: « Exspecta me, Pater, exspecta; ecce, iam venio tecum ». Quaerentibus autem Fratribus et mirantibus, cui sic loqueretur, beatum Franciscum euntem in caelum se videre asseruit, statimque, hoc dicto, et ipse feliciter requievit. — Iisdem quoque temporibus episcopus Assisinas ad oratorium sancti Michaelis in monte Gargano perrexerat, cui beatus Franciscus transitus sui hora iucundus apparens, mundum se dixit relinquere et ad caelum cum exsultatione transire. Mane surgens episcopus sociis narravit quae vidit, et Assisium rediens, cum perquisisset sollicite, certitudinaliter comperit, quod ea hora, qua sibi per visionem innotuit, beatus Pater ex hac vita migravit.

Alia visio.

Tertia.

Lectio septima [10].

Quam vero vir iste praeclarus eximiae sanctitatis exstiterit, post ipsius etiam transitum multis miraculorum prodigiis supernae bonitatis immensitas dignanter ostendit. Nam [11] ad eius invocationem et merita omnipotens Dei virtus caecis visum, surdis auditum, mutis verbum, claudis gressum ac paralyticis sensum restauravit et motum, aridis insuper et contractis et ruptis salutem integram reddidit, inclusos carceribus potenter eripuit, naufragantibus portum salutis indulsit, periclitantibus in partu facilitatem pariendi concessit et ab obsessis corporibus daemones effugavit, tandem sanguifluos et leprosos

Post mortem multis miraculis claret.

---

[1] Ibid. c. 14. n. 2. 3.

[2] Scilicet 1226.

[3] Ita Breviar. Romano-Seraphic. lect. 4. in Octava S. P. Francisci (11 Oct.); codd. et ed. *omni languori;* cfr. supra pag. 546, nota 6. — Superius pro *quae* M *quod*, qui etiam inferius omittit *adhuc*.

[4] Ibid. c. 14. n. 5.

[5] Gen. 48, 10: Oculi enim Israel caligabant prae nimia senectute. Ibid. v. 14. de extensione manuum per modum crucis.

[6] Ibid. c. 14. n. 5. 6.

[7] Cap. 13, 1.

[8] Cfr. pag. 547, nota 2.

[9] Ibid. c. 14. n. 6.

[10] Ibid. c. 15. n. 9.

[11] Codd. *dum*.

ad salutarem munditiam, letaliter vulneratos ad incolumitatem perfectam, et quod maius est omnibus, mortuos revocavit ad vitam.

Lectio octava [1].

Innumera quoque per ipsum in diversis partibus orbis [2] exuberare non cessant beneficia Dei, sicut et ego ipse, qui superiora descripsi, experientia teste, in me ipso probavi. Voto enim pro me languente gravissime ad beatum Patrem Franciscum emisso a matre, cum adhuc essem puerulus, ab ipsis sum mortis faucibus erutus et in robur vitae incolumis restitutus. Quod cum viva memoria teneam, vera nunc confessione profiteor, ne tantum beneficium reticens, sceleris arguar ut ingratus. — Accipe igitur, Pater beate, quascumque exiles meritisque tuis ac beneficiis impares gratiarum actiones; et cum susceperis vota, culpas nostras sic orando excusa, ut fideliter tibi devotos et a malis praesentibus eruas et ad bona sempiterna perducas.

Lectio nona [3].

Igitur ut summaria quadam praescriptorum omnium epilogatione sermo claudatur, quisquis [4] superiora perlegerit, finali consideratione perpendat, quod ipsius beati Patris Francisci mirabiliter facta conversio, efficacia in verbo divino, sublimium praerogativa virtutum, prophetiae spiritus cum intelligentia Scripturarum, obedientia creaturarum ratione carentium, sacrorum impressio stigmatum et celeber transitus ex hoc mundo ad caelum tanquam testimonia septem saeculo toti luculenter ostendunt et astruunt, ipsum velut praeclarum Christi praeconem, *signum Dei vivi in se ipso habentem* [5], et venerandum esse officio et doctrina authenticum et admirabilem sanctitate. Secure itaque hunc sequantur qui *ex Aegypto exeunt*, quia, per baculum crucis Christi *mari diviso, deserta transibunt, in repromissam viventium terram* [6], Iordane mortalitatis transmisso, per ipsius crucis mirandam potentiam ingressuri, quo nos introducat per beati Patris suffragia inclytus ille Salvator et ductor Iesus, cui cum Patre et Spiritu sancto in Trinitate perfecta omnis sit laus, honor et gloria in saecula saeculorum. Amen [7].

EXPLICIT MINOR VITA SANCTI FRANCISCI.

---

[1] Ibid. Prolog. n. 3.
[2] Omittitur in cod. M *orbis*.
[3] Ibid. c. 12. n. 12. et in fine Legendae maioris, § 10. n. 9.
[4] Cod. M *qui*.
[5] Apoc. 7, 2.
[6] Respiciuntur Exod. 14, 22. seq.; Iosue c. 1, 2. et 3, 1. seqq.; Ps. 141, 6.
[7] Cod. A pro *translatione corporis S. Francisci* et pro *octava die* adiungit novem lectiones, quae correspondent numeris c. 15. Legendae maioris; cfr. supra pag. 547, nota 4.

APPENDIX

PLURIUM OPUSCULORUM QUAE SUNT DUBIA

OPUSCULUM I.

SPECULUM DISCIPLINAE[1].

PROLOGUS[2].

1. Speculum disciplinae ad honesta tendentes imprimis necessarium habent, ut per exercitium cognitae disciplinae virtutis titulum citius apprehendere possint. Nam, ut ait Hugo de sancto Victore[3], « usus disciplinae ad virtutem animum dirigit, virtus autem ad beatitudinem perducit; ac per hoc, inquit, *exercitium disciplinae* esse debet inchoatio, *virtus* perfectio, *praemium virtutis* aeterna beatitudo ». Verum qui disciplinam in novae conversationis initio negligit ad eam postmodum difficile applicatur, et formam, quam primo quis recipit, vix deponit. *Adolescens* namque[4] *iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Optima vivendi forma eligenda est, quam reddet assuetudo iucundam. (N ssitas i linae.)

2. Primus autem ad profectum[5] gradus est *defectus cognitio*, magnaque omnino prudenti securitas vivendi modum novisse congruum pro varia rerum et accidentium qualitate, nec minimum est contemnere minima, quae non minimam moribus maculam eo turpius, neglectui habita, ingerunt, quo vitari facilius cognita valuerunt. Proinde, qui *Spiritu Dei aguntur*[6] moralibus documentis intendunt; quae tamen superbi et fatui contemnentes nunc *superstitiones*, nunc *caeremonias* vocant aut certe calumniis fucatis impugnant; *nec enim stultus verba prudentiae recipit, nisi ea dixeris, quae versantur in corde eius.* (dus 1.)

3. Hic ergo tractatulus per superioris[7] impositionem exactus, rudi quidem iuxta scribentis ruditatem et intenti exigentiam stilo, ex diminutis quoque ac nudis ob brevitatem incompactisque interdum, sed congruis pro morum traditione sententiis editus, novis Christi discipulis pro aliquali speculo inspiciendus proponitur, ut per pauca sibi proposita occasionaliter fiant in pluribus cautiores. *Da sapienti occasionem*, ait Salomon[8], *et addetur ei sapientia.* Attendant tamen, quaedam hic accipienda fore communiter et magis ac minus pro loco et tempore observanda, licet non semper pro singulis conditionum modificatio replicetur. « Prudens, ut rerum varietas exigit, ita se accommodat tempori, non se in aliquibus mutans, sed potius aptans, sicut manus, quae eadem est, cum in palmam extenditur et cum in pugillum constringitur[9] ». Nec moveat, si qua pro iunioribus impertinentia videantur. Proinde iunior in his saepe, quae ipsum excedunt, instruitur, ut seniorum se proposito applicans, sit, quantum congruit, promptior ad agenda, cautior ad cavenda. (asio et s scri- i.) (Notandum.)

4. Prolixitatem forte tetricus, si quis fuerit, inspector causabitur, sed necessariam inexpertis dicendorum expressionem advertat, nec facile rudes, pro quibus est opera, generalibus posse commatibus, id est brevibus et incompletis sententiis[10], erudiri, aut concisis passim proficere paradoxis; unoque nihilominus noverit titulo multa quandoque perstringi, quae specialem requirerent explicanda tractatum. (Excusatio prolixitatis.)

5. Duas autem particulas, *principalem* videlicet et *secundariam*[11], huius operis series habet. *Principalis* in duas dividitur, in quarum prima de *praeparatoriis* ad disciplinam et aliquibus eius effectibus incidenter, in secunda de ipsa plenius *disciplina* tractatur. (Divisio duplex.)

---

[1] Certum est, hoc notissimum opusculum non esse scriptum a S. Bonaventura, sed valde verisimile est, auctorem eiusdem esse Fr. Bernardum a Bessa, socium sive a secretis S. Doctoris. Aliquo tamen sensu vero libellus S. Bonaventurae tribui potest, cum ille Bernardus secundum doctrinam scriptis et ore a suo superiore traditam libri substantiam collegerit et stilo non ineleganti composuerit. Plura de hoc dicta sunt in Prolegomenis c. III. § 1.

[2] Codd. A B et ed. 2: In nomine sanctae et individuae Trinitatis beatissimaeque Virginis Mariae et omnium Sanctorum incipit liber, qui dicitur Speculum disciplinae editum a beato Bonaventura [B *editus a Fratre Bonaventura*] Ordinis Minorum; C: Speculum disciplinae novitiorum Bonaventurae; D: Incipit praefatio in Speculum disciplinae sancti Bonaventurae; ed. 1: Incipit prologus in Speculum disciplinae seu libellum de minimis ad novitios sancti Bonaventurae episcopi et cardinalis Ordinis Minorum.

[3] De Institutione novitiorum, Prolog., ubi voci *inchoatio* textus originalis praemittit *vestra*, Vat. cum ed. 1 contra A C D et ed. 2 *nostra*. — Superius pro *Speculum disciplinae ad honesta tendentes* ed. 1 et Vat. *Ad honestatem tendentes*, quae etiam subinde omittunt *cognitae* (ita A B et ed. 2).

[4] Ut dicitur Prov. 22, 6. — Superius pro *applicatur* D *applicabit*. Inferius pro *reddet* (ita C D E) Vat. cum ed. 1 *reddat*, ed. 2 *reddit*.

[5] Cod. D *perfectionem* et mox *defectum* pro *defectus*.

[6] Rom. 8, 14. — Subinde allegatur Prov. 18, 2.

[7] Vat. et ed. 1 *superiorum*.

[8] Prov. 9, 9.

[9] Ut insinuat Auctor libri de Quatuor Virtutibus (inter opera spuria Senecae, ed. Basil. 1529 pag. 684 seqq.), c. de Prudentia: Si prudentiam amplecteris, ubique idem eris, et prout rerum ac temporum varietas exigit, ita te accommodes tempori nec te in aliquibus mutes, sed potius aptes, sicut manus, quae eadem est, cum in palmam extenditur et cum in pugnum astringitur. — Inferius pro *promptior* (ita C E et ed. 2) Vat. cum ed. 1 *aptior*.

[10] Codd. A B et ed. 2 omittunt *id est brevibus et incompletis sententiis*.

[11] Vat. cum ed. 1 *incidentalem*, refragantibus A B C D E et ed. 2, qui tamen deinde *huius operis* omittunt.

Praeparatoria sunt per modum principii, medii et postremi *depositio vetustatis, stabilitas mentis* adversus tentationes diaboli et *subiectionis humilitas.* Primum praeparationem inchoat, secundum continuat, tertium vero consummat. Servanda erit ubique maiorum et minorum paragraphorum distinctio ad seriei et ordinis evidentiam ampliorem [1].

PARS PRIMA.

Primo de praeparatoriis ad disciplinam [2].

Capitulum I.

De vetustatis depositione.

Transitoria abdicanda.

1. *Deponendus est,* secundum Apostolum [3], *vetus homo, et induendus est novus;* quod perfecte implent qui, transitoriis abdicatis, non solum peccata, verum etiam occasiones fugiunt peccatorum, *veterique fermento* per puram confessionem plenius expurgato, *in vitae novitate* perfecta soli praeeligunt Domino militare. In *odorem* igitur *unguentorum* Christi per compendiosam et tutam sacrae Religionis semitam *currere* cupientes [4] prius rerum temporalium fasciculos deprimentes abiiciant, ut, ab omni tam possessione quam cura penitus expediti, Christum Dominum expedite sequantur, et non sit eis tentationis occasio vel ruinae. Quod si ante Religionis ingressum non fuerint expediti, post ingressum saltem expeditionem huiusmodi per alias personas, vel per litteras iuxta superioris arbitrium, quanta possunt acceleratione procurent, non exspectatis opportunitatibus aut utilitatibus deceptoriis, quas frequenter diabolus sub specie pietatis ostentat [5].

Utilitas renuntiationis.

2. Summa sit eis utilitas utilitates huius mundi contemnere propter Christum, iuxta verbum sancti Hieronymi [6]: « Nemo renuntiaturus saeculo bene potest vendere quae contempsit, ut venderet. Si habes, inquit, in potestate rem tuam, vende; si non habes, proiice; totum Deo dedit qui se ipsum obtulit ».

Confessio generalis.

Post Religionis ingressum continuo debent confessioni faciendae vacare et de omnibus, quae in saeculo a pueritia commiserunt, ad memoriam, quantum poterunt, studiosa sollicitudine revocatis generaliter et integre confiteri. « Malorum namque confessio initium est bonorum [7] ». Ordinis ergo status reiicit res atque reatus.

Capitulum II.

De constantia mentis [8] *et cautela contra tentationes diabolicas.*

Praeparent se ad tentationem.

1. Quoniam autem Pharao persequitur Israelem fugientem [9], et contemptus surgit in scandala nunc aperte, nunc occulte sub specie boni periculosius tentans; faciant quod scriptum est: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in iustitia et timore et praepara animam tuam ad tentationem.* Solent praecipue vires tentationi praebere *fluctuatio mentis circa propositum* ingressurae vel ingressae Religionis, *tarda tepidaque repulsio* et *deiectio spiritus desolati.* Eapropter imprimis in proposito sancto cor suum omnino stabiliant et confirment, ne velut arundo diversis ventorum flatibus agitati vacillent. *Optimum est,* inquit Apostolus [10], *gratia stabilire cor.* Et Prosper ait: « Quemlibet hominem, donec se in eo quod elegerit, certa definitione confirmet, velut in quodam deliberationis incertae bivio constitutum, discerpit ipsa diversitas voluntatum. Virtus, inquit, hortatur et provocat, ut, definitionis ambiguitate deposita, propositum spirituale suscipiat, perseveraturum se in suscepti labore propositi, non sua possibilitate, sed Domini miseratione confidat. Cogitet, quanti et quantae potuerunt et possunt quod se posse desperat. Unde illi potuerunt, inde se posse firmiter credat ». Meminerit illud Apostoli [11]: *Fidelis Deus, qui vocavit vos, qui etiam faciet. Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.*

2. Ad haec tentationum et cogitationum malarum viriliter principiis [12] et absque morae dispendio est obstandum. Quodsi earum insultus spiritum inquietent, non solum familiaris confessor, verum etiam Fratres alii seniores sunt in adiutorium advocandi, ut unius debilitas multorum adiutorio sustentetur: *Frater, qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma* [13]. Qui autem vulnus detegere, vel auxilium petere negligit sua non immerito negligentia perit.

3. Denique, cum diabolus servi Dei spiritum per tristitiam deiicere studeat, ipsam, si quando irrepserit, citius repellentes, Christo Domino, qui *datorem hilarem diligit* [14], in cordis laetitia famulentur, attendentes sollicite, ne de sua unquam vocatione ingrati aut tepidi regratiatores appareant coram Deo; ubi sol gratiae radiat, nubilum turbationis abscedit. Solet in aqua turbida latere piscaturus animam coluber tortuosus. Maximum inhabitantis gratiae signum, spiritualis laetitia. Porro, qui vocantis gratiam non agnoscit indignum se vocationis fructu

---

[1] Cod. D addit *Explicit. Incipit speculum disciplinae sancti Bonaventurae.*

[2] Codd. C D E et ed. 1 hanc rubricam omittunt.

[3] Eph. 4, 22. et 24. — Subinde respiciuntur I. Cor. 5, 7. seq.: Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio etc., et Rom. 6, 4: Ita et nos in novitate vitae ambulemus.

[4] Cant. 1, 3: Curremus in odorem unguentorum tuorum. — Inferius pro *non sit* (ita A et ed. 2) in aliis *non sint.*

[5] Ita codd. et ed. 2; ed. 1 *assumit*, Vat. *suggerit.*

[6] Epist. 53. (alias 103.) n. 10. (cfr. supra pag. 399, nota 5.). Textus originalis hinc inde plura interserit.

[7] August., in Ioan. Evang. tr. 12. n. 13: Initium operum bonorum confessio est operum malorum. — Superius fide A B et ed. 2 supplevimus *et integre.*

[8] Cod. D *De stabilitate mentis.*

[9] Exod. 14, 5. seqq. — Subinde allegatur Eccli. 2, 1.

[10] Hebr. 13, 9. Cfr. Matth. 11, 7, ubi Iesus de Ioanne dicit: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? — Sententia Prosperi (vel potius Iuliani Pomerii, qui claruit circa an. 498) habetur in III. de Vita contemplativa, c. 16. n. 2. seq. Textus originalis hinc inde plura interserit. Pro *elegerit* (ita C D E cum textu originali) edd. *elegit,* et pro *incertae* A et ed. 2 *incerto.*

[11] Epist. I. Thess. 5, 24, post quem Isai. 40, 31.

[12] Cod. A et ed. 2 *principia viriliter.*

[13] Prov. 18, 19.

[14] Epist. II. Cor. 9, 7.

constituit. Beneficiis ingratus exhibitis ineptus efficitur exhibendis [1]. — « Valet quoque interdum conversis pro animae salute mutatio loci. Plerumque enim, dum mutatur locus, mutatur et mentis affectus [2] ». Valet pro mentis tentationibus impulsae praesidio, valet pro morum citius ac perfectius assequendo peculio extra cognationem et patriam vel ad tempus secedere.

4. Verum, quia per se nullo modo sufficerent ad machinamenta diaboli repellenda, ad Christum, propter quem omnia contempserunt, qui est tentatorum refugium et debilium fortitudo, qui se fideliter invocantibus *facit cum tentatione proventum, ut possint sustinere* [3], crebris supplicationibus et devotis recurrant, ut, qui eos dignatus est de fornace Babylonis eripere, *bonum* in eis *perficiat, quod incepit.* Frequens et fervens oratio dissipat omne malum. Ollae ferventi muscae non insident [4].

…andum.

Capitulum III.

Quomodo necessaria sit ad disciplinae susceptionem humilitas.

1. Denique, « quoniam, ut ait Hugo [5], sicut cera, nisi prius emollita fuerit, formam non recipit, sic et homo quidem ad formam virtutis non flectitur, nisi ab omni elationis et contradictionis rigore per humilitatem molliatur »; necesse habent qui disciplinae cupiunt moribus informari, ut humilitatis radicem in corde figere studeant et *tumorem propriae voluntatis, praesumtionis et irreverentiae vitia,* quae a superbia procedere solent, tam *in re* quam *in signo* vigilantius caveant, ut humilitas ancillae more locum praeparet disciplinae.

…tandum.

Capitulum IV.

De captivatione propriae voluntatis.

1. *Voluntatem* itaque *propriam* ingenti curent studio captivare. « Quid enim prodest sub unius ordinatione viventibus, quod facultates suas abiiciunt, si proprias voluntates non relinquunt, cum sit longe praestantius voluntatibus renuntiare quam rebus [6] »? Tota Religionis perfectio in voluntatis propriae abdicatione consistit, quare potissimum perfectionis et disciplinae industrius appetitor voluntatibus propriis edomandis et praesidentium nutui subiugandis invigilat. Profecto in duobus erit subiectae probatio voluntatis, videlicet si *in iniunctis* [7] devote obediant et *in agendis* suis semper habere auctoritatem obedientiae non omittant.

…tandum. …duplici-ter.

2. Primi, hoc est obedientiae *in iniunctis,* patet *necessitas,* patet et *meriti magnitudo.* Nam « quidquid vice Dei praecipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quasi praecipiat Deus [8] ». Ad *meritum* etiam *melior est obedientia quam victimae* [9], sanctaeque obedientiae holocausto nihil Deo gratius exhibetur. Nemo ad perfectionis semitam currendam magis expeditus quam verus obediens. Quamobrem obedientiae filii se totos ad obediendum exponant, « moxque ut praelati vocem audierint, quasi divinitus imperetur, moram pati nesciant, sed relictis omnibus, ad iniuncta quaeque fideliter exsequenda prompta devotione consurgant, ut vicino obedientiae pede velut uno momento iubentis vocem facti exhibitione sequantur [10] ». Perfecta obedientia sua imperfecta relinquit; quin immo nec bonus obediens verbum exspectat, ubi de superioris sibi constiterit voluntate.

De primi necessitate. Et merito.

3. « Illum autem optimum dixerim obedientiae gradum, cum eo animo opus iniunctum recipitur, quo et praecipitur, cum ex voluntate iubentis pendet intentio exsequentis [11] ». « Nunquam de maiorum sententia iudicent quorum officii est obedire et implere quae iussa sunt [12] ». Deinde, si ad profectum volunt obedientiae pervenire, constanti secum deliberatione proponant devote semper ad omnia obedire. « Si quid igitur grave vel impossibile forte iniungitur, suscipiant quidem cum omni mansuetudine iubentis imperium. Quodsi omnino suarum mensuram virium pondus excedat, impossibilitatis suae causas ei qui praeest, patienter et opportune insinuent, non superbiendo, vel contradicendo, vel alias levi murmure resistendo. Si adhuc superior in sua manserit sententia, ita sibi noverint expedire et ex caritate, de adiutorio Dei confisi, obediant [13] ». *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis;* qui licet ad Patrem pro calicis translatione clamaverit, continuo tamen adiunxit: *Verumtamen, non mea voluntas, sed tua fiat.* — Non solum maioribus, sed « sibi etiam invicem obedientiam certatim impendant [14] »; incumbit enim Christi discipulo, ut *omni petenti se tribuat.* Exemplo Apostoli voluntarios se *omnium servos* constituant sintque, ut scriptum est, *subiecti invicem in timore Christi.*

Qualitates perfectae obedientiae.

4. Secundi necessitas, hoc est obedientiae *in agendis,* ne quid videlicet sine obedientia praesumatur, quia simplicioribus forte aliquibus minus patet, aliquanta videtur prosecutione tangenda. Habenda est plane in agendis

De obedientia in agendis.

[1] Bernard., Serm. 4. in Ps. *Qui habitat,* n. 1: Accipiendis indignus est qui fuerit de acceptis ingratus. Cfr. Serm. 2. Dominica 6. post Pent. n. 1. seq. et Serm. 27. in Cant. n. 6. seqq.

[2] Isidor., II. Sent. c. 10. n. 7. Cfr. Liber de Modo bene vivendi (inter opera Bernardi), c. 6. n. 16.

[3] Epist. I. Cor. 10, 13. Pro *ut possint* (ita A et ed. 2) Vat. cum ed. 1 *ut valeant.* — Subinde allegatur Phil. 1, 6.

[4] Ita C D E et edd. 1, 2; Vat. *incident.*

[5] De Institut. novitior. c. 7. Cum textu originali substituimus *virtutis* (ita etiam C D E et edd. 1, 2) et *molliatur* (ita et A et ed. 2) pro *virtutum* et *humilietur* (ita Vat. et ed. 1, C D E *humiliatur*).

[6] Prosper, vel potius Pomerius, II. de Vita contempl. c. 17. n. 2. Vat. et ed. 1 cum C D E, refragantibus textu originali et A B cum ed. 2, omittunt *longe.*

[7] Vat. cum ed. 1 *in sibi iniunctis,* quae etiam subinde substituunt *obediat* et *omittat* pro *obediant* et *omittant.*

[8] Bernard., de Praecepto et dispensatione, c. 9. n. 21. Pro *haud secus* (ita A cum ed. 2 et textu originali) C E *hoc autem sic,* Vat. et ed. 1 *hoc.*

[9] Libr. I. Reg. 15, 22, quem locum explicat Gregor., XXXV. Moral. c. 14. n. 28. et V. in I. Reg. c. 2. n. 22. seqq.; cfr. supra pag. 394, nota 7.

[10] Benedict., Regul. c. 5. Cfr. Bernard., Serm. 41. de Diversis, n. 7. supra pag. 488, nota 12. allegatus.

[11] Bernard., de Praecepto et dispensatione, c. 7. n. 16.

[12] Hieron., Epist. 125. (alias 4.) n. 15. Pro *maiorum* C D E et ed. 2 *maioris.* — Inferius pro *profectum* ed. 2 *perfectum.*

[13] Benedict., Regul. c. 68. In principio sententiae C D E et ed. 2 omittunt *igitur;* deinde fide A et ed. 2, qui conveniunt cum textu originali, supplevimus *mensuram,* demum pro *manserit* A et ed. 2 substituunt *perdurat,* textus originalis *perduraverit.* — Duo seqq. loci sunt Phil. 2, 8. et Luc. 22, 42. Pro *calicis* A B et ed. 2 *mortis.*

[14] Benedict., Regul. c. 72. — Subinde allegantur Luc. 6, 30; I. Cor. 9, 19. et Eph. 5, 21. — Post *incumbit* C D E et ed. 2 omittunt *enim.*

obedientiae sanctae auctoritas, sine qua nec ipsa etiam bona sunt bona; voluntas siquidem propria boni virtutem infirmat. Sanctus Bernardus super Cantica [1] ait: « Grande malum propria voluntas, qua fit, inquit, ut bona tua bona non sint. Etenim, si in die ieiunii mei inveniatur voluntas mea, non tale ieiunium elegit Dominus; nec sapit illi ieiunium meum, quod non obedientiam, sed vitium voluntatis propriae sapit ». Et subdit: « Ego autem non solum de ieiunio, sed de silentio, de vigiliis, de oratione, de lectione, de opere manuum, postremo de omni observantia monachi, ubi invenitur voluntas sua in eo [2] et non obedientia magistri sui, id ipsum sentio, minime prorsus observantias illas, etsi bonas in se, tamen inter virtutes censuerim deputandas ». Itaque novi Christi discipuli, semetipsos penitus abnegantes, in agendis suis, id est in operationibus, locutionibus et in rerum quarumlibet usu, non propriam voluntatem, sed superiorum in omnibus dispositionem [3] sequantur.

De licentia petenda. Distinctio.

5. Pro quibus tamen sit specialis eorum licentia vel assensus habendus, considerari oportet; et primo circa *operationes* videndum, quod earum quaedam *communes* seu conventuales, quaedam *speciales* seu personales esse noscuntur. *Specialium* etiam [4] quaedam *ad proximum*, quaedam *ad personam* pertinent *operantis*.

Subdistinctio.

De communibus.

Pro *conventualibus*, quae commune simul attingunt collegium, exsequendi [5] non est licentia requirenda, cum ad huiusmodi sit eatenus superiorum licentia, immo impositio generalis, ut ea quae sive in choro, sive in refectorio, sive alibi modo praedicto ad vitae conventualis consuetudinem pertinent, nullus conventualis propria auctoritate praeter evidentem necessitatem licite praetermittat. Inde est, quod ab officio chori, ab aliqua videlicet hora canonica, vel a communi [6] conventus refectione, aut a conventualibus aliis quemquam absque licentia remanere vel assistentem recedere his necdum in collegio consummatis non licet.

De specialibus ad proximum spectantibus.

6. Pro *specialibus ad proximi*, alterius videlicet Fratris, *necessitatem* spectantibus, nullum communis seu conventualis vitae consuetudini aut exsecutioni specialiter iniunctorum impedimentum praestantibus, nequaquam ad superiores, sicut nec pro communibus, pro licentia dixerim recurrendum, cum, secundum Apostolum [7], *alter alterius onera portare* et *per caritatem spiritus servire invicem* debeamus. Verumtamen tempore, quo conventualia, vel alias iniuncta fieri debent, non sunt praeter licentiam specialia seu gratuita huiusmodi facienda. Illa quoque, quae ad quotidiana communium officiorum obsequia vel ad proximi necessitatem non pertinent corporalem, quale est scribere in quaterno [8] et alia huiusmodi, maxime si occupationem prolixiorem inducunt, agenda sunt de superiorum assensu.

Item, a ro priam iso nam sp an tibus.

7. Pro *specialibus ad personam operantis spectantibus*, sive *ad carnis mortificationem* pertineant, ut sunt vigiliae nimis longae, vel abstinentiae singulares, sive ad *exercitium spectent operis manualis* per se vel per alium faciendi, licentia quaeratur, sine qua Religiosus suas singularitates facere non debet, « quippe cui nec corpus suum habere licet in propria voluntate [9] ». Et « quod sine permissione patris spiritualis fit praesumtioni deputabitur et vanae gloriae, non mercedi ». Nec potest sibi operari pro volito, sive scribendo [10], sive aliud faciendo, sive in rebus suo usui deputatis, ut sunt libri, vestes, lecti et alia huiusmodi, aliquid immutando. Incongrue quoque pro uno res pluribus servitura mutatur. Fit res frequenter ex mutatione deterior, et quod mihi studiose coapto aliis disapto. Haec de operibus. Nec tamen negaverim, ad minima seu exilia quaedam et vix alicuius reputanda momenti, solam sufficere conniventiam praelatorum.

Circa u- tion

8. Circa *locutionem* hoc teneant, ut coram superiore, maxime in Capitulo, sine assensu eius praehabito non loquantur. Alias de necessariis et honestis loco et tempore debitis loqui, prout eis ordinatum fuerit, poterunt inter *Fratres*. Locutio vero cum *extraneis*, sive saeculares, licet Fratribus obsequentes, sive Religiosi quilibet fuerint, Fratribus novitiis est probationis tempore penitus interdicta sine Fratre professo, qui omnia loquentis verba et respondentis audiat et intelligat; et sine licentia speciali nec ad portam [11] nec ad extraneos ipsis indulgetur accessus. Personis tamen huiusmodi, si occurrerint, poterunt inclinare [12], vel si locus, aut tempus loquendi fuerit, et non potuerint subterfugere, bono modo eos breviter salutare. Si de loquendo secum requiratur ab eis, respondere humiliter debent, se loquendi aut morandi licentiam non habere. Nulla prorsus alia eorum audiant verba nec cum eis aliquatenus sedeant, vel ulterius commorentur; sed si locutionem necessitas exigit vel honestas, dicant, se ad eos, obtenta, si poterunt, licentia, reversuros, valeque recedendo potius faciant quam morando. — De licentia tamen huiusmodi praelato est cautius providendum, ut [13] ab ipso tantum vel ab eorum tantum instructore, qui est eis ab ipso Religionis ingressu specialiter assignandus, semper, cum praesens in domo fuerit, requiratur, ne a diversis non absque confusionis periculo minus provide concedatur [14].

Quoa x- tran .

Circ e duplic .

9. Circa *receptionem rerum*, *distributionem* et *usum*, quoniam a superiorum [15] auctoritate dependent, duo praecipue subditis attendenda videntur: primum, ut qui dat

---

[1] Serm. 71. n. 14, ubi tamen in textu originali secunda propositio (*Etenim*) primae praemittitur, pluribus additis, inter quae est sententia paulo inferius allegata (*Ego autem*). Pro *elegit* D *approbat*.

[2] Textus originalis *in ea*.

[3] Codd. C D E *dispensationem*.

[4] In C D E deest *etiam*.

[5] Ed. 2 *exsequendis*, ed. 1 cum C D E *exsequentis*.

[6] Codd. C D E et edd. 1, 2 *a prima*. Inferius pro *quemquam* (ita D E et ed. 2) in aliis *quemque*.

[7] Gal. 6, 2. et 5, 13. — Superius pro *videlicet* (ita A B et ed. 2), quod Vat. et ed. 1 omittunt, C D E *scilicet*. Inferius pro *alias iniuncta* (ita C D E et edd. 1, 2) Vat. *alia iniuncta*.

[8] Du Cange, Glossarium etc.: *Quaternio, Quaternus, Quaternunculus*, chartae invicem compactae, nostris *cahier* etc. — Inferius post *huiusmodi* Vat. et ed. 1 contra C D E et ed. 2 addunt *similia*. Subinde pro *superiorum* C D E et ed. 2 *superioris*.

[9] Benedict., Regul. c. 33: Quippe quibus [monachis] nec corpora sua nec voluntates licet habere in propria potestate [in alia lectione *voluntate*]. Ibid. c. 49. insinuatur seq. sententia.

[10] Vat. et ed. 1 cum nonnullis codd. *sive pro scribendo*. Inferius pro *aliquid immutando* Vat. *aliter immutando*, quae etiam subinde pro *disopto* (ita B et ed. 2) substituit *discoapto*.

[11] Ita A et ed. 2; Vat. cum ed. 1 *audiat, sine licentia speciali, sine qua nec ad portam*. Codd. A C D E et ed. 2 prosequuntur *nec ad ipsos extraneos eis indulgetur accessus*.

[12] Du Cange, Glossarium etc.: *Inclinare*, capite seu corpore inclinato salutare. — Inferius pro *salutare* A et ed. 2 *salutent*.

[13] Edd. (excepta ed. 2) *vel*, quae etiam ante *instructore* omittunt *tantum* et vocibus *absque confusionis* contra A interserunt *vitandae*.

[14] Cod. D addit: Ad extraneos si quando procedunt, in eorum verbis, in incessu et habitu modestia fulgeat disciplinae; breviter et pauca loquantur, caput decenter operiant, manus abscondant, mulieris omnis quantumlibet propinquae osculum et nudae manus contactum penitus vitent.

[15] Codd. C D E *superioris*.

aliquid, illud *ex officio* possit dare; secundum vero, ut det non quidem secundum *proprium voluntatem*, sed prout sibi a superiore fuerit constitutum. Nec superflue dixerim *ad officium attendendum;* qui enim non habet officium administrationis nihil aliis debet dare, commutare [1] vel in fraudem horum dimittere potest. Rursus ipsorum officialium officia sunt distincta. Aliis namque necessariarum rerum *procuratio*, non tamen procuratarum est *distributio* commissa; ab illis autem non est absque licentia recipiendum aliquid speciale. Aliis autem iuxta diversa rerum officia communis *distributio* rerum committitur. Ab his communia ipsa, si *ordinarie*, quando scilicet et ubi vel quomodo iuxta sui limitationem officii distribuere debent, distribuunt, licite recipi possunt; qui vero *extraordinarie* postulat ad licentiam superioris recurrat.

…ia distincta.

10. Praeter communia supradicta quicumque rem aliquam occulte, sine superiorum [2] assensu, recipit, habet vel utitur, a Religionis delirat linea et quidquid habet taliter, male habet. Porro cum id *proprium* esse dicatur, de quo disponere licet iuxta propriam voluntatem, omni assensu alio circumscripto; non pauper, sed dominus reputandus videtur qui rem quamcumque aliis distribuendo, ut libet, sine superiorum auctoritate dispensat. Res sunt quidem *communes*, sed usus dispositio pertinet ad praelatos, ut per eorum curam singulis iuxta modum et regulam sibi a sanctis Apostolis constitutam [3], *prout unicuique opus fuerit, dividantur.* Usurpatus autem sine licentia rerum usus culpabiliter temereque praesumitur et prorsus illicite vindicatur. Statum [4] quoque religiosae mancipationis evadit qui ausu proprio rem sibi aliquam sive a parentibus, sive a quibusdam aliis recipit, aut, quod maioris est culpae, receptam occultans, superiorum iudicio non exponit. Qui rem sibi collatam celaverit, sanctus Augustinus [5] eum furti censet in iudicio condemnandum. Nulla enim res, quam superior non dederit aut permiserit, est licita proprium abdicanti.

…d cum …ia vo…

11. Sunt, qui oblata sibi [6], sed praelato mox deferenda recipere licitum aestimant, sed Regulari privato receptionem occultam non dixerim esse tutam. In commodandis pro cohabitantium indigentia rebus *non est lex posita* caritati [7]. Possum rem Fratri petenti exponere concedendam, non tamen impendere vindicandam. — Proinde Fratres novitii nullatenus sine licentia neque a se invicem neque a Fratre neque a quocumque homine rem aliquam, sive tabulas, sive acum, sive aliquid quodlibet accipere, aut dare attentent aliqua ratione. Sic nec litteras ad se missas [8] recipiant, aut aliquo casu receptas aperiant, quae a portitore, vel eo qui receperit eas, prius debent ad superiorem, vel si superior ordinaverit, ad eorum instructorem deferri.

…o quae… …n non …ta.

12. Sic nec [9] rem alterius Fratris usui deputatam praeter ipsius Fratris licentiam occupare licebit. Genus est furti et plerumque turbationis occasio rem Fratris usui deditam, eo, si adsit, inscio, detinere. — Potest fidelis servus et prudens nonnulla pro loco et tempore facere de tacito vel probabiliter praesumto superiorum [10] assensu, ad ipsum denique finaliter acta quaeque per ausum huiusmodi relaturus. — De cetero, quidquid Religiosus boni facit aut dicit, quod suo non noverit displicere praelato, a verae obedientiae merito non fraudatur. Felix haec servitus, immo gloriosa libertas, qua quis, sponte in regiam venditus servitutem, Deum et eius vicarios potius quam se ipsum super se regnare constituens, suae prorsus renuntiat voluntati. Notandum.

Capitulum V.

De praesumtione tam in re quam in signo vitanda [11].

1. *Praesumtionem interiorem* et *exteriorem* summopere fugiant: *interiorem*, ut sensum suum sensui non praeferant aliorum nec de bonis a Deo sibi collatis inaniter extollantur, immo in tantum ceteris se inferiores et viliores ex intimo cordis credant affectu, ut nec se aliquid etiam esse existiment. Nempe, secundum Apostolum [12], qui *se existimat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* Neminem spernant, neminem iudicent, cum frequenter humanum fallatur iudicium, et beato Augustino [13] teste, « saepe species facti se aliter habet, aliter animus facientis »; pie de omnibus, quae occurrerint, sentiant, licet rei non intelligant rationem. Sinistre interpretari depravatae mentis est proprium: Distinctio. De interiori praesumtione.

Omnia perversae possunt pervertere mentes [14].

2. *Exterioris* praesumtionis et superbiae notam in omni *actione* sua, *gestu* et *verbo* summo studio fugiant, quae humilitatis sunt in omnibus amplexantes. — Respectu *actionis* praesumtionem in officiis et in locis evitent. In De exteriori.

---

[1] Ita C D E et ed. 2, quibus consentiunt A B et ed. 1, qui tamen omittunt *dare*, quod et Vat. omittit et pro *commutare* substituit *communicare*. Inferius C D E et ed. 1 omittunt *procuratio*, et pro *communis distributio rerum* A B et ed. 2 substituunt *communium distributio rerum*.

[2] Codd. D E *superioris;* ed. 2 legit *occulte, id est sine superioris tacito vel expresso assensu*. Inferius pro *delirat* [D *declinat*] *linea* Vat. cum ed. 1 *delirat licentia*, et *taliter* ex A B ac ed. 2 supplevimus, qui etiam cum C D et ed. 1 subinde pro *disponere* substituunt *dispensare*.

[3] Act. 4, 35: Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat. Pro *sibi a sanctis* ed. 2 *sub sanctis*, quae etiam superius pro *superiorum* substituit *superioris* et *dispensatio* pro *dispositio*.

[4] Ita A C E et ed. 2; Vat. et ed. 1 *Statutum*, quae etiam inferius pro *qui ausu* [ed. 2 *nisu*] *proprio rem sibi aliquam* (ita A B et ed. 2) substituunt *qui in usu proprio rem aliquam*. Subinde pro *superiorum* D *superioris*.

[5] In Regula ad servos Dei, n. 8: Quod si aliquis rem sibi collatam celaverit, furti iudicio condemnetur. Codd. C D E omittunt *furti*, ed. 2 *in* ante *iudicio*.

[6] Codd. et edd. 1, 2 *non sibi*. Inferius post *privato* ed. 2 prosequitur: subdito, non habenti officium recipiendi, receptionem sine licentia generali vel speciali occultam non dixerim esse licitam.

[7] Epist. I. Tim. 1, 9. — Inferius pro *petenti* ed. 2 *praesenti*, A *praesentem*, qui etiam cum B et ed. 2 pro *concedendam* substituit *committendam* (E istam propositionem omittit).

[8] Cod. A et ed. 2 *litteras sibi missas;* subinde pro *receptas* ed. 2 *repertas*, et inferius A substituit *portarario* (B *portatario*) pro *portitore*, ed. 2 *portunario* (iuxta Du Cange idem ac *portario*, ianitore).

[9] Cod. A et ed. 2 *Sed nec*. Inferius pro *licentiam* (ita A B et ed. 2) Vat. cum ed. 1 *conscientiam*.

[10] Cod. D et ed. 2 *superioris*. Mox C D E omittunt *finaliter*, quibus consentit ed. 2, substituto *deinde* pro *denique*.

[11] Vat. cum ed. 1 omittit *vitanda*.

[12] Gal. 6, 3. — Superius fide A B E et edd. 1, 2 supplevimus *cordis*.

[13] Libr. III. Conf. c. 9. n. 17. Ed. 2: *Augustino testante, cum saepe species facti aliter se habeant* etc. — Subinde supplevimus ex codd. et ed. 2 *Sinistre... est proprium*.

[14] Ovid., II. Tristium, v. 301. In ed. Taurin. 1823 legitur *perversas* pro *perversae*.

Regulae circa vitanda.

officiis praelationis vel Ordinis, aut in aliis, quae aliquam videntur superioritatem habere, nihil sibi usurpent. Liber a culpa non est qui alienum usurpat officium. Praesente superiore vel alio Fratre in maiori [1], quam ipsi fuerint, ordine constituto, ad incipiendum extraordinarie officium, ad benedicendum cibum vel potum, ad dandum Fratribus aquam benedictam, vel ad alia huiusmodi, se nullatenus ingerant. Ad divinum quoque officium nequaquam post seniores vel alios maioris ordinis gradu promotos proprio legant iniectu, quoniam quidem nullus omnino in minori ordine constitutus post alium maioris ordinis permittendus est legere, nisi necessitate cogente, vel legentium ordine permutato, ut in aliquibus festis fieri solet, praeterquam in homilia quantum ad primam lectionem, quam ratione Evangelii diaconus legere solet [2]. Lectiones autem, quae de homilia supersunt, non sunt ab aliis quam a sacerdotibus facile praesumendae.

Continuatur.

3. In choro pro dissonantia forte cantantium, vel ob aliam huiusmodi causam manum ad formam [3] percutere, in mensa ictu cultelli, vel quomodolibet aliter signum cum sono facere, ab eis tantummodo fiat, quorum super defectibus chori vel mensae intendere spectat, nec huiusmodi facile debent ab aliis usurpari. Multa enim [4] sunt superioribus licita, quae reprehensibiliter ab aliis praesumuntur. — Ad haec, quia novissimum eligi locum Magister ipse humilitatis hortatur [5], locis semper novissimis novitii gaudeant. Et nunquam in choro, vel mensa, vel alibi ad prima se ingerant loca, sed ea potius adeo caute sedula, si valuerint, provisione declinent, ut vix ab aliis perpendatur.

Alia vitanda.

4. Alias omnino caveant, ne congregationis ordinem turbent et fiant inter alios pro tumultus occasione notabiles. Cavendum proinde [6], ne, dum nimis vitatur praesumtio, inordinationis accedat confusio. Vitanda est ubique disconvenientiae nota, maxime in congregatione. Locus vero superior, ad quem necessitas vel superiorum trahit inductio, praesumtionis vitium non inducit. Porro molesta est humilitas, quae contentioni [7] deservit. Si quando iuxta superiorem vel alios seniores necessario sederint, non se nimis applicent iuxta eos; iuniori siquidem aliquam a seniore distantiam reverentiae ritus indicit. Antiquior autem Frater in Ordine, vel alius in officio praeeminens, licet aetate sit iunior, *senior* appellatur; *aetas senectutis vita immaculata* [8].

Praesumtio in gestu.

5. Praesumtionem *in gestu* elatum caput, sublimes oculi, facies vultuosa declarant. Nam, ut ait Prosper [9], « erecta cervix et truces oculi et sermo terribilis nudam superbiam clamant ». Sed quantum per membrorum ministerium potest deprehendi, *prima* superbiae ostensio in *oculis* esse solet. *Qui inclinaverit oculos suos, ipse salvabitur* [10]. Praesumtio etiam gestus in *signis et nutibus* frequenter agnoscitur, ut exempli gratia, si quis in choro, vel alibi pro Fratrum defectibus [11] satyrice nubilum vultuositatis assumat, vel levi cachinno, id est risu, vel motu capitis, oculorum circumlustratione, narium contractione, labiorum compressione, vel alio quovis modo defectum Fratris tacite arguat vel subsannet; si, errante in choro vel in mensa lectore, submussitet aut circumspiciat, quasi eum defectus legentis non lateat; quod frequenter solent facere etiam minus docti.

Item, i[...] cutione a[...]

6. In *locutione* etiam [12] notatur praesumtio, si quod dicitur non pertinet ad *dicentem*, aut *dicendi modus* aliquem superbiae typhum praetendat, aut pro *loco*, *tempore* et *personis* fuerit a locutione cessandum. — Propter *primum* humilis Frater de alienis factis curiose [13] inquirendis se nullatenus intromittat. Alios Fratres docere, regere, arguere, vel eis aliquid imponere non praesumat, quia hoc esset seniorum vel superiorum officium usurpare. « Superbus autem, ut ait sanctus Bernardus [14], prima die, qua ingreditur habitare, incipit leges dare ». Potest tamen Frater, si super aliquo cum instantia requiratur, petentibus super interrogata [15] humiliter respondere vel insinuare quod sentit; ita tamen, ut contra resistentes dicta sua pertinaciter nulla ratione defendat. Qui etiam alii superioris mandatum insinuat super aliquo faciendo mandantis auctoritatem cum humilitate proponat, ne quod denuntiat ipse imponere videatur. Si proprium cogatur recommendare officium, nequaquam imperium imponentis usurpet, sed id suppleri a sociis obsecratione humili obtineat. Praesumtionem ergo evitat prudens humilitas; praesumit tamen interdum humiliter viscerosa et provida caritas.

Item, [...] do lo[...]

7. In *modo loquendi* vitium praesumtionis innuitur, si id quod dicitur, iactanter, impetuose, clamorose, contentiose, despective, vel nimis rigide proponatur. Suaviter enim et humiliter est loquendum.

Quoad [...] pus lo[...] co[...]

Rursus qui *tempore* vel *loco* silentii, aut in *superiorum*, seniorum, aut conventus *praesentia* non comprimit linguam suam praesumtuosus et intemperans merito iudicatur. *Loqui in medio magnatorum non praesumas,* ait Sapiens [16]; et iterum: *In medio seniorum non adiicias loqui.* Hoc praecipue intemperantiae et praesumtionis est

---

[1] Ita D et ed. 2, alias tantum *maiori.*

[2] Cod A et ed. 2 *consuevit.* Inferius pro *facile* A et ed. 2 *faciliter.*

[3] Du Cange, Glossarium etc.: *Forma,* sella, solium canentium in choro etc. — Inferius pro *aliter* ed. 2 *aliud;* subinde post *facere* C D et ed. 2 prosequuntur: *ad eos quorum est super defectibus chori vel mensae intendere, pertinet* (consentit ex parte E).

[4] Codd. C D et edd. 1, 2 *tamen,* subinde pro *superioribus* ed. 2 substituit *senioribus.*

[5] Luc. 14, 10: Recumbe in novissimo loco. — Seq. propositionem codd. et edd. 1, 2 ita incipiunt: Superstitione [C D E et ed. 1 Superstitiose] his salva, quae [C D E et edd. 1, 2 qui] quasi pro communitatis zelo aliud dogmatizant, nunquam in choro etc. Secundum Du Cange, Glossarium etc.: *Superstitiosus* sumitur etiam pro ambitiosus, extraordinarius. Inferius pro *sed ea* (ita C E et ed. 2) Vat. et ed. 1 *sed ad ea.*

[6] Codd. C D E *deinde,* qui etiam inferius pro *in congregatione* cum edd. 1, 2 substituunt *in conventu.*

[7] Ed. 2 *confusioni.*

[8] Sap. 4, 9.

[9] Libr. III. de Vita contemplativa, c. 8. n. 1. Cfr. etiam infra c. 19. — Superius pro *sublimes* Vat. cum ed. 1 *sublimiores.* Inferius vocibus *Sed quantum* C D E et edd. 1, 2 interserunt *et.*

[10] Iob 22, 29, post quem Vat. cum ed. 1 addit: Secundum namque Evangelium [Matth. 6, 22. seq.], *si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit;* econtra, *si nequam, totum tenebrosum.* — Superius pro *ostensio* C D E et ed. 1 *ostentatio.*

[11] Cod. A et ed. 2 addunt *vel offensis,* et inferius omittunt *id est risu.*

[12] Cfr. Hugo a S. Vict., de Institut. novit. c. 13. seqq., ex quibus infra c. 20. quaedam allegantur. — Codd. C D E et edd. 1, 2 omittunt *etiam.*

[13] Vat. cum ed. 1 omittit *curiose.*

[14] Vel potius Guigo Carthusiensis, Epist. ad Fratres de Monte Dei (inter opera Bernardi), lib. I. c. 12. n. 35.

[15] Codd. C E et ed. 2 *interrogatis.* Inferius pro *Qui etiam alii* A et ed. 2 *Quando etiam,* et *denuntiat* (ita et B) pro *insinuat.* Subinde fide A et ed. 2 substituimus *mandantis* pro *mandati.*

[16] Eccli. 32, 13; sequitur 11, 8; ubi pro *In medio seniorum* (ita etiam card. Hugo et Lyranus) Vulgata *In medio sermonum,* quae lectio a correctoribus Romanis Bibliae vocatur « egregia correctio ».

nota, si novus Frater in Ordine vel iunior quispiam, seniore praesente, sine ipsius nutu, maxime coram extraneis, loqui aut respondere praesumit, nisi ex officio vel commisso habeat prius loqui. « Temperantiae est, ait Prosper [1], quod praestamus loquenti seniori silentium, quod ipsius ad loquendum praestolamur imperium ». — In praesentia vero conventus nullum convenit loqui sine requisito superioris assensu, nisi tantum se accusando, vel ad interrogata superiori vel corrigenti ad mensam breviter et humiliter respondendo.

8. Et ut breviter voce sancti Bernardi [2] praesumtuosum agnoscas, « primus, ait, in conventibus residet, in consiliis primus respondet, non vocatus accedit, non iussus se intromittit; reordinat ordinata, reficit facta », vilem se, si non emineat, aestimans et humilem esse inter alios erubescens. In locis et ceteris, quae honorem redolent, se quibuslibet aliis parificare contendit. Audax ipse ad quaelibet fit frontuosus et impudens, quod est maximum vitium in neophyto et iuvene. Religionis confusio, iuvenis praesumtuosus et effrons. Reprehensibilis maxime in iuvene praesumtio, quem magis humilitas stabilit, verecundia ornat, venustat simplicitas, timor insignit et aptum efficit disciplinae, cuius initium est. *Qui sine timore est non poterit iustificari* [3].

Capitulum VI.

De vitio irreverentiae fugiendo [4].

1. *Irreverentiae* denique vitium est humili Dei servo vitandum, cum scriptum sit [5]: *Cui honorem, honorem;* et: *Honore invicem praevenientes.* Attenditur irreverentia respectu *personarum, loci sacri* et *temporis, officii divini* et *rerum eidem officio specialiter ordinatarum.* — De reverentia praelatis, aut aliis Fratribus aetatis aut prioritatis aut diuturnitatis in Ordine gratia, vel ob sacri ordinis gradum [6] vel pro vitae merito exhibenda sanctorum dicta Patrum et vera humilitas, quae non solum praelatis et senioribus, verum etiam aequalibus et inferioribus se spontanea subiicit voluntate, plenius docent et eius oppositum detestantur. Non senioribus tantum, immo et omnibus honorem Petrus Apostolus [7] sententiat exhibendum. Deferre humiliter sociis honorem caritatis est fraternae fomentum, conscientiae bonae illustrisque animi evidens argumentum. Vix, nisi socio deferas, cum ipso proficies.

2. Est praecipue *conventui* et *superioribus* deferendum. *Conventus* quidem venerabilis est, immo *terribilis ut castrorum acies* Christi *ordinata* [8]. De *superiore* Sapiens ait: *In medio fratrum rector eorum in honore.* Istis quanto maior est reverentia exhibenda, tanto etiam maioris offensae arguitur irreverentia circa ipsos. Sane *committendo* et *omittendo* irreverentiae ad ipsos nota contrahitur: *committendo*, si coram eis inordinatum quippiam deliberate attentetur. Unde non decet coram conventu in claustro vel alibi residente sine debita maturitate et honestate quantum ad membrorum et habitus dispositionem transire, vel eidem transeunti occurrere, si ab eo valeat commode declinari [9], aut tumultum facere coram eo. Magnus utique reverentiae cultus conventuali congregationi debetur, quem qui mussitationibus seu cachinnis, aliave clamoris vel dissolutionis lascivia solvere non veretur, aut attritae frontis [10] superbus, qui arctari silentio dedignatur, aut honestatis et religionis ignarus liquido comprobatur. Duplex modus irreverentiae, primo, committendo.

3. Quod autem, *superiore* praesente, agitur minus religiose vel dicitur, quid eo [11] turpius? Propter hoc qui mala in eius praesentia committere non veretur ipsum irrevereri et inhonorare convincitur, magis autem, si eum scienter per alicuius insolentiam facti, vel importunitatem verbi temerario ausu molestat. Immo de necessariis docet beatus Benedictus [12], quod « si qua requirenda sunt a maiore, cum omni humilitate et subiectione reverentiae requirantur ». Cum ipso autem praelato contendere nefas est et exsecranda in subdito irreverentiae turpitudo. Denique tam circa praelatos quam circa alios seniores cavendum, ne in attrectatione, locutione, officiorum recommendatione ac similibus aliquod ad eos vel signum vilificationis appareat. Nunquam iunior Frater ad senioris Fratris caput, aures, vel faciem, quasi applaudendo, vel ob aliam quamlibet nisi necessariam causam manum apponat, vel aliter cum eo facto vel verbo minus reverenter iocetur. Continuator.

4. Quando seniores sibi praesentes alloquitur, et si forte aliquando eorum nomen proprium, ipsis quidem ex reverentia supprimendum necessario nominat, semper tamen cognomen subticeat, nisi propter astantes aequivocum specificare cogatur. Senioris [13] auribus nomen eius proprium vel cognomen, nisi ex causa, iunior irreverenter inculcat. Verum licet in vilitatis notam nomen proprium exprimi, ex amore vel reverentia supprimi, Scriptura innuente [14], noverimus; sine vitio tamen palam senioribus ipsis exprimitur, quando irreverentiae notam mos, modus et congruentia redimunt. Saepe quod erat incongruum necessitas, gratia vel consuetudo convertit. Sapit et [15] vitium, si ad te verbo vel nutibus superiorem accersis, ad quem Quoad alloquia.

[1] Libr. III. de Vita contemplativa, c. 19. n. 2.
[2] De Gradibus humilitatis, p. II. (de gradibus superbiae) c. 16. n. 44. Pro *primus*, quod bis occurrit, Vat. cum ed. 1 *prius*, et pro *non iussus* Vat. *non missus.*
[3] Eccli. 1, 28. — Superius post *in iuvene* A et ed. 2 addunt *vel minore.*
[4] Ita A B et ed. 2; Vat. cum C D E et ed. 1 *De irreverentia.*
[5] Rom. 13, 7. et deinde 12, 10. — Inferius pro *ordinatarum* A B et ed. 2 *additarum.*
[6] Vat. *vel sacri ordinis.* Cod. A et ed. 2 prosequuntur: *vel alias pro vitae* etc.
[7] Epist. II. c. 2, 17: Omnes honorate. — Pro *sententiat* (ita C D E et ed. 2) alias *sentiebat.* Inferius post *sociis* C D E et ed. 2 omittunt *honorem.*
[8] Cant. 6, 3. — Subinde allegatur Eccli. 10, 24. — Inferius pro *etiam maioris* A et ed. 2 *esse amplioris.*
[9] Ita C D E et ed. 2; Vat. et ed. 1 *declinare.* Subinde post *tumultum* A B et ed. 2 addunt *aliquem.*
[10] Vat. cum ed. 1 *attrita fronte.* Inferius pro *et religionis* C D E et edd. 1, 2 *aut religionis.*
[11] Codd. C D E et edd. 1, 2 *id sibi.* Inferius pro *mala* B et ed. 2 *talia*, et pro *molestat* C E et edd. 1, 2 *molestet.*
[12] Regul. c. 6.
[13] Ita ed. 2; in aliis *Seniorum.* Subinde Vat. omittit *eius*, et pro *inculcat* C substituit *inclinat*, D *inclamat.*
[14] Cfr. Matth. 9, 9, ubi Matthaeus proprio nomine se nominat, dum Marc. 2, 14. et Luc. 5, 27. nominatur Levi, quod explicans Hieron., I. Comment. in Matth. 9, 9, dicit: Ceteri Evangelistae propter verecundiam et honorem Matthaei noluerunt eum nomine appellare vulgato, sed dixerunt Levi... Ipse autem Matthaeus secundum illud quod a Salomone [Prov. 18, 17.] praecipitur: *Iustus accusator est sui in principio sermonis*... Matthaeum se et publicanum nominat etc. — Superius fide C D E et edd. 1, 2 substituimus *vilitatis* pro *utilitatis.* Inferius Vat. omittit *mos.*
[15] Auctoritate C D E et edd. 1, 2 posuimus *et* pro *autem.*

est tibi facilis aut liber accessus; honestius enim ad eum cui reverentiam debes, tu accedis, quam ipsum accedere ad te facis. Nullus etiam Frater est puro nomine appellandus [1], sed proprio nomini apponendum est semper religiosae praenominationis insigne; sed nec solo cognomine vel nomine patriae, puta Lombardus vel Gallicus, Frater est aliquis nuncupandus.

Qooad officia.

5. Ad haec [2], humilia et laboriosa officia recommendari coaequalibus et iunioribus maxime convenit. Quod autem suum quisque officium suo dumtaxat compari, ut acolythus acolytho, subdiaconus subdiacono, et sic de aliis, recommendet, in officio divino specialiter locum habet, ubi personarum non quidem acceptio vitiosa, sed ordinata discretio iuxta cuiuslibet statum et ordinem est habenda, ne ordinum sancita [3] Patrum auctoritate distinctio confundatur.

In choro.

Propter hoc, etsi cantoris officium ad Fratres novitios nullo modo pertineat; si quando tamen ad hoc per superiorem cogantur, caute provideant, quod lectiones, responsoria et antiphonas distribuant ordinate, ordinum gradibus observatis, primas antiphonas maioribus, videlicet praelato, vel hebdomadario, vel seniori alicui sacerdoti, vel quando mos habet, minoribus in Vesperis, Nocturno et Laudibus offerrentes, deinde, post unum vel duos, si oportuerit, Fratres gradus eiusdem, ad alios ordinate secundum gradus ordinum processuri. Nec facile diversorum in ordinibus graduum Fratres combinent, aut minora officia in maiori ordine constitutis imponant. Prius quoque ordinatos aliis praeferendos iura decernunt. Si *praeordinationi* rarius deferunt, *ordini* tamen semper [4]; nunquam ordinum confusionem in choro religionem putent, cum id magis abusionem irreverentiaeque obnoxium esse constet. *Omnia*, inquit Apostolus [5], *honeste et ordinate fiant in vobis;* et in Paralipomenon de ministris Domini dicitur, quod *stabant secundum ordinem suum in ministerio.* Si quis sedilium chori dumtaxat ordinem sine alio personarum delectu in huiusmodi aestimat observandum, penset, si a carpentariis constructus lignorum ordo in sedilibus sit ordini praeferendus ecclesiastico. In personis servandum in ecclesia Ecclesiae ordinem decrevit auctoritas, aequitas et honestas.

Irreverentia in omissione.

6. *Omittendo* [6] notam irreverentiae quis incurrit, quando senioribus et maxime praelatis *honorem* vel *obsequium* debitum, aut in obsequio ipso *reverentiam* negligit exhibere. Aliqua de hoc potius expressione patebunt. *Honori* quis detrahit, si eis humiliter non assurgit, vel eis stantibus [7], ipse sedet; si deficientibus in choro vel alibi sedibus, locum eis non offert; si eis in choro, in mensa, in sedendo, eundo et huiusmodi, si commode potest, non cedit.

In ob...

7. *Obsequio* detrahit, si *haec* eorum personis, quando palam egent, non exhibet; si eis in aliquo humili vel laborioso officio in sui praesentia occupatis se ad id faciendum vel coadiuvandum non exhibet [8]; si quod ad se ex officio pertinet eis faciendum dimittit. Expedit itaque, ut iuniores Fratres, senioribus Fratribus humiliter deferentes, eos in his quae pure sunt oneris, non honoris agendis, sive ad officium divinum sive ad alia pertineant humilitatis officia, studeant praevenire: ad providendum de lumine ac libris in choro, ad tenendam candelam ad librum, ad dicendum in choro [9] et extra Officium beatae Mariae Virginis quantum ad Invitatorium et Lectiones, cum plane dicuntur, Officium quoque mortuorum quantum ad primas Lectiones nec non et Horarum versiculos, ubi ad haec dicenda praesens non fuerit aliquis specialiter assignatus, ad offerendum aquam pro manibus abluendis, ad levandum mensas, finitis gratiis, et ad ministrandum celebrantibus in altari [10]; quoties necessarium fuerit, ex officio suo, sive in minoribus sive in sacris fuerint ordinibus constituti, solliciti sint et prompti, nec ista aut similia senioribus facienda derelinquant. Erubescat diaconus vel subdiaconus vacans et obtendens officium, quod apte potest dimittere vel differre, sacerdote ad Missam vice diaconi vel diacono pro subdiacono ministrante. Nec magnum est, si hebdomadas casu continuet; graviora passim continuantur officia. Debetur cuilibet ordini gradus suus, nec de gradatioribus [11] est agendum, nisi forte aliud congrua interdum causa deposcat.

In si... ver...

8. In obsequiis eorum maxime qui vice Christi nostrarum sunt animarum custodes, non est *reverentia* omittenda, quae [12] per caputii abstractionem, dum eis ministramus aut loquimur, per humilem corporis inclinationem pro loco et tempore, vel alias per humilem obsequendi modum ostenditur. « Superbus autem, ut ait Prosper [13], non observat in obsequiis reverentiam ». Stolidis quibusdam decretum est nulli deferre, discretionem personarum et graduum non curare, curantibus nunc adulationis, nunc acceptionis personarum crimen impingere. Namque [14] ad modum confusionis amici, ut superioribus de superbia caveant, sibi non cavent. Foedum enim irreverentiae vitium pro religione defendunt; humilitatem maioribus exhibendam Evangelii sanctio et professio nostra commendat, nusquam tamen, ut recolo, superbiam aliis seu temerariam paritatis usurpationem indulget. — Seniorum est utique, ut humiliter sentiant, venerationem non appetant, humiles se aliis ac sociales exhibeant. Sapientis [15] est *consilium: Quanto magnus es, humilia te in omnibus;* Sapientiae vero *praeceptum: Qui maior est vestrum fiat sicut minor;* et Petrus, cum dixisset: *Adolescentes, subditi estote senioribus;* pro utrisque intulit: *Omnes invicem humilitatem insinuate.*

Nota ...

---

[1] Ut insinuat etiam Bened., Regul. c. 63: In ipsa appellatione nominum nulli liceat alium puro nomine appellare etc. — Superius pro *accedere* ed. 2 *accersire*, quae etiam inferius omittit *sed nec... nuncupandus.* [2] Vat. omittit *Ad haec.*

[3] Codd. C D E *sanctitas*, et subinde pro *distinctio* D E *distincta*. Inferius ex A B et ed. 2 supplevimus *quando.*

[4] Hanc propositionem ex A B et edd. 1, 2 supplevimus, ed. 1 tamen addit *deferre non omittant.*

[5] Epist. I. Cor. 14, 40, ubi in fine Vulgata *et secundum ordinem fiant.* — Sequitur II. Paral. 30, 16.

[6] Cod. B praemittit hanc rubricam: *De disciplina circa confessionem publicam* (cfr. tamen infra c. 10.).

[7] Ita C D E et ed. 2; alias *astantibus.*

[8] Cod. A et ed. 2 *non offert.* Inferius pro *agendis* (ita C D E et ed. 2) Vat. cum ed. 1 *agenda;* subinde Vat. omittit *sive ad officium divinum* et *pertineant.*

[9] Fide A B et ed. 2 supplevimus *ad tenendam... in choro,* et subinde ante *officium* delevimus *ad.* Inferius A et ed. 2 omittunt *cum plane... primas Lectiones* et cum eis substituimus *nec non et* pro *nec non ad.*

[10] Ita A et ed. 2; alias *et altari.* Inferius pro *Erubescat* Vat. *Erubescit.*

[11] Codd. C D E *gradationibus*, ed. 2 *gradibus.*

[12] Ita ed. 1, in aliis *quae* transponitur post *loquitur.*

[13] Libr. III. de Vita contemplativa, c. 8. n. 2. Pro *in obsequiis* ed. 2 cum textu originali *in obsequio.* — Inferius pro *discretionem* B et ed. 2 *distinctionem.*

[14] Ita C D E et ed. 1; B et ed. 2 *vanique*, Vat. *et.* Inferius pro *defendunt* (ita A B et ed. 2) C D E *offendit*, Vat. cum ed. 1 *ostendunt.*

[15] Eccli. 3, 20. — Subinde allegatur Luc. 22, 26. et I. Petr. 5, 5.

« Ceterum, cum omni indifferenter personae humilitas sit quaedam *turris fortitudinis a facie inimici;* nescio, quo pacto tamen vis eius maior est in maioribus et in clarioribus clarior comprobatur [1] ».

9. Porro non solum respectu personarum, ut dictum est [2], verum etiam respectu *loci*, ut est ecclesia, maxime circa *altare*, irreverentia est vitanda: circa *altare*, ut, cum ad ipsum acceditur, maturior et humilior gestus accedentis, et maxime ministrantis devotionem ostendat, nec aliquis cum impetu vel alias inhoneste accedat. In *ecclesia* vero cavendum, ne, quamvis extra canonici tempus officii, loquendo vel ridendo, vel aliquo quovis modo minus honeste aliquid fiat. « In aulam regiam ingressurus, ait sanctus Chrysostomus [3], oculis, incessu et habitu te componis; et in ecclesiam ingressurus, quae vere est aula regia, rides »?

10. Est etiam sacro *tempori*, hoc est dominicis diebus et solemnioribus, deferendum, ut in eis a communi operum occupatione cessetur, et divinis officiis attentius insistatur. Nam, ut ait Hugo [4], « festi dies aliud studium et alium conversandi modum exigunt, atque alium hi, in quibus licet operari, exposcunt. In illis, inquit, nos oportet ad celebranda mysteria divina devotius intendere atque in orationibus diutius perseverare; omnem denique actum et omnem motum cordis pariter et corporis divino ministerio mancipare atque, ut ita dicam, quadam conversationis novitate festos dies honorare. In ceteris vero diebus, in quibus [5] operari licet, nullus omnino otiosus apparere debet ». — De irreverentia in divinis *officiis* et rebus ad ea spectantibus evitanda infra [6] per reverentiae positionem agetur.

Item, temporis.

Secundo, de ipsa disciplina [7].

Capitulum VII.

De disciplina in generali.

1. Dicto de praeparatoriis ad disciplinam et aliquibus eius effectibus incidenter, sequitur, ut, de ipsa plenius exprimentes [8], quae, vetustate deposita animoque contra hostis insidias stabilito, super radices humilitatis consurgit, primo, *in generali, quid sit, quae* sit *eius utilitas, qualiter* ad eius *perveniatur notitiam* et de *ipsius custodia*, deinde *in speciali* dicamus.

« *Disciplina est*, ut ait Hugo [9], conversatio bona et honesta, cui parum est mala non agere, sed studet etiam in his quae bene agit, per cuncta irreprehensibilis apparere. Item, disciplina est omnium membrorum motus ordinatus et dispositio decens in omni habitu et actione. Audistis, inquit, disciplina quid sit, nunc attendite, quam *utilis et necessaria sit.* Disciplina est malorum desideriorum carcer, frenum lasciviae, elationis iugum, quae domat intemperantiam, levitatem ligat et omnes inordinatos motus mentis suffocat. Sicut enim de inconstantia mentis nascitur inordinata motio corporis, ita quoque, dum corpus per disciplinam stringitur, animus ad constantiam solidatur, et paulatim intrinsecus mens ad quietem componitur, cum per disciplinae custodiam mali motus foras fluere non sinuntur ». Sed « qui statum mentis perdit subsequenter foris in inconstantiam motionis defluit atque in exteriori mobilitate indicat, quod nulla interius radice subsistat [10] ». Unde per Salomonem dicitur: *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur.*

2. « Scientiam, quae ad institutionem recte et honeste vivendi pertinet, multis modis hominem colligere et comparare sibi oportet: partim ratione, partim doctrina, partim exemplo, partim meditatione sanctarum Scripturarum, partim assidua inspectione operum et morum suorum [11] ». « Hoc novissimum maxime fortassis prae ceteris necessarium, ut sit scilicet homo in omnibus operibus suis circumspectus et providus et quotidiana discussione cogitationes, locutiones pariter et facta sua apud semetipsum examinet. Sapientes quippe semper agendo discunt et per exercitium bonorum operum quotidianis profectibus in maiorem virtutis agnitionem excrescunt. Per experientiam namque eorum quae faciunt, ad ea quae postmodum agenda fuerint, cautiores fiunt [12] ». « Et quamvis in nullo loco disciplinam suam homo deserere debeat, diligentius tamen et magis sollicite ibi est conservanda, ubi neglecta generat scandalum, vel custodita bonae imitationis exemplum. Hinc discernendum erit [13], quae sint illa quae in *disciplina custodienda nunquam intermitti*, et quae rursum illa sint, quae pro loco et tempore, *nunc intermitti, nunc exerceri* volunt. Saepe tamen etiam illa quae in publico necessaria sunt, prius in secreto exercitationis usum exposcunt, quia, si prorsus ea in occulto negligimus, uti postmodum eis, dum opus est, in publico non valemus; et tunc aut prorsus a disciplina deficientes, intuentibus scandalum facimus, aut inepte id quod in nobis non est, simulare conantes, irrisionem excitamus ».

De custodia ipsius.

Capitulum VIII.

De disciplina in speciali circa spiritualia inter Fratres et primo, respectu amotionis mali [14].

1. Iam de disciplina in speciali inter *Fratres* et *extraneos* servanda videndum: inter *Fratres* primo de disciplina circa *spiritualia* quaedam, deinde circa *corporalia.* Circa *spiritualia* vero primo quantum ad *amotionem mali*, secundo [15] quantum ad *positionem boni.* Quoad *amotionem*

Divisiones plures.

---

[1] Bernard., II. de Considerat. c. 6. n. 13. Allegatur Ps. 60, 4.
[2] Supra n. 1. — Inferius ex A B et ed. 2 supplevimus *alias.*
[3] Homil. 15. in Epist. ad Hebr. n. 4.
[4] De Institut. novit. c. 4. Textus originalis hinc inde plura interserit. — Superius pro *dominicis diebus et solemnioribus* C D E et ed. 2 *diebus solemnioribus.*
[5] Cod. A et ed. 2 *quando.*
[6] Cap. 15-17.
[7] Codd. et Vat. cum ed. 1 hanc rubricam omittunt, ed. 2 substituit: *Pars secunda huius operis;* cfr. Prolog. n. 5.
[8] Ita A C D E et ed. 2; ed. 1 *exprimemus*, Vat. *exprimamus.*
[9] De Institut. novit. c. 10.
[10] Gregor., Regul. pastor. p. III. c. 23. — Sequitur Prov. 6, 12. seq., quem Gregor., loc. cit., sententiae allegatae praemittit.
[11] Hugo, de Institut. novit. c. 1.
[12] Hug., loc. cit., c. 9. Ibid. c. 3. habetur seq. sententia.
[13] Codd. C D E et ed. 2 *Discernendum*, textus originalis *Discernendum est igitur.*
[14] Ita A B et ed. 2, in aliis omittitur: *circa spiritualia inter Fratres, et primo respectu amotionis mali.*
[15] Fide B et ed. 2 substituimus *secundo* pro *et.*

mali erit primo de disciplina circa *confessionem privatam*, deinde circa *publicam* attendendum. Et cum disciplina per Hugonem, ut dictum est [1], « bona et honesta conversatio » describatur; in dicendis de ea ad *bonitatem* simul et *honestatem* considerationis est oculus dirigendus.

CAPITULUM IX.

De disciplina circa confessionem privatam.

Divisio. 1. De quotidianis offensis, sine quibus haec vita non ducitur, facienda est confessio, de *privatis* privata, de *publicis* publica et nihilominus quandoque privata.

De confessione privata quinque attendenda. Attendendum est de confessione *privata*, *quibus*, *quoties*, *quando* et *ubi* fieri debeat, et quae sit circa eam novis Fratribus *disciplina* servanda. — Debent *superiori*, vel, si ipse ordinaverit, instructori suo et non alii, nisi in eius absentia ei tantum, quem superior vel instructor de superiorum [2] assensu eis duxerit assignandum, *tribus vicibus* in qualibet hebdomada, vel pluries, secundum quod necesse habuerint, indicto sibi *tempore* et *loco* pro Sacramenti reverentia congruo, cum diligentia confiteri. Nunquam eis placeat vicaria [3] confessoris mutatio, ut nunc uni confiteantur, nunc alteri, quin potius, si quando id cogat necessitas, notabilia deinde ad principalem referant confessorem. Causa tamen devotionis eadem pluribus possunt confiteri; aliter non est conscientiae ordinatae seu purae varios quaerere confessores. Fit tamen salubriter, ut, cui de peccatis praeteritis semel quis generaliter est confessus, de quotidianis etiam confiteatur eidem; vel novo si haeserit curatori, suorum denuo vulnerum perfecte aperiat corruptelam.

Servanda primo discretio. 2. Disciplinam circa confessionem *discretio*, *puritas* et *reverentia* probant. Habeant *discretionis* cautelam, ut, antequam ad confessionem accedant, diligenti super confitendis consideratione praehabita, offensas prius suas speciales, deinde alias, seriatim et breviter, sine culparum et verborum replicatione inutili prosequentes, confessionem suam sub prima et ultima culpae nominatione concludant. Aliqua tamen interdum devotioni vel conscientiae replicatio indulgetur.

Secundo, puritas. 3. Sit etiam *pura* confessio, ut confiteantur simpliciter et devote, sine excusatione, sine accusatione sive nominatione alterius, de quibus conscientiam habuerint remordentem. Nec specialia passim sub generalitate pertranseant. Tentationes suas et cogitationes malas nulla ratione occultent; non *contemnant modica*, *ne paulatim defluant ad maiora* [4]. In domo namque, quam subintrans radius solis illuminat, quantumcumque fuerit praemundata, atomi nihilominus diligentius intuenti apparent. Sic et cor radiis gratiae illustratum etiam minima videt ac vitiorum laqueos subtili examinatione discernit. Quanto quis fuerit mente purgatior, tanto se sordidiorem videbit et maiores causas humilitatis inveniet. Deponendae tamen sunt scrupulositates quaedam superfluae, quae conscientiam in erroris confusionem inducunt.

Tertio, reverentia. 4. *Reverentiam* non solum interiorem, verum etiam exteriorem decet confitentem habere, ut, suo deferens confessori, se illi sive in elatione capitis, sive in alia corporis dispositione, si commode vitare poterit, non coaequet, sed flexis genibus, dum confitetur, nudato ac demisso capite, sit humiliter coram eo.

CAPITULUM X.

De disciplina circa confessionem publicam.

Attendenda tria. 1. Offensae publicae *publicam*, ut dictum est [5], *confessionem* requirunt. Circa quam attendendum est eis, *ubi*, *de quibus* et *qualiter* fieri debeat. — Confessionem huiusmodi facere debent aut coram superiore in Capitulo professorum, si adesse liceat et sit moris; aut coram instructore suo, quando tenet eis capitulum separatim; aut alibi privata coram aliquo vel aliquibus, si private offenderint coram eis. Ante omnia, si perceperint, se facto vel verbo aliquem vel leviter offendisse, ante comestionem vel dormitionem [6] eum humili studeant satisfactione placare et in petitione veniae praevenire, ne alius praeveniens de manibus eorum humilitatis mercedem subripiat. (Ubi.)

De quibus. 2. In Capitulo professorum statim post *Pretiosa*, recommendationibus factis, se de maioribus et manifestis offensis accusent, ipsum deinde Capitulum iusimul exituri et ad locum sibi determinatum, ad quem non sit saecularium accessus, ituri. Mos tamen iam apud multos provide abnuit, Fratres novos in Capitulo satisfacere professorum, sed pro eorum offensis suus ibidem proclamatur seu praemonetur instructor. In secundo Capitulo, videlicet instructoris, quod debet eis tenere duabus vicibus, vel pluries, si superiori videbitur, in qualibet septimana, super praedictis satisfaciant, si in primo Capitulo non fuerit satisfactum. Alioquin super notabilibus et apertis iuxta eiusdem instructoris monitiones offensis et negligentiis se accusent; qui super his, de quibus sibi expedire videbitur, eos caritative corripiens, prout cuiusque moribus videbitur expedire, salutaribus debet instruere documentis, considerans diligenter, utrum Deum quaerant ex animo, si sint ad orationem et [7] divinum officium solliciti, si ad iniuncta faciles et devoti, si ad correctionem et opprobria patientes, ut sic de moribus eorum et proposito habeatur plenior certitudo. Matrem se illis in lenitatis dulcedine, patrem in correctionis censura exhibeat. Sit severior iudicio quam sermone; *qui dulcis est eloquio maiora recipiet* [8]. Nec oportet, quod eis poenitentiam coram toto conventu publice faciendam sine conscientia superioris imponat.

Qualiter. 3. Postremo, ut *disciplinato et debito modo* fiat huiusmodi confessio, debent circa eam *honestatem*, *cautelam* et *humilitatem* servare: *honestatem*, ut culpae narrationem nudato capite, non ridendo, non circumspiciendo, aut cum manu aliquid faciendo, sed iunctis manibus potius, vel aliter honeste dispositis, exsequantur. — De *cautela* dictum est in capitulo praecedenti [9], quam in hoc praecipue habeant, ut se paucis verbis expediant et in culpa sua

---

[1] Cap. 7. n. 1.
[2] Codd. C D E et edd. 1, 2 *superioris*. Inferius Vat. et ed. 1 omittunt *congruo*, et vocibus *cum diligentia* E interserit *omni*.
[3] Codd. C D E et ed. 1 addunt *in confessione*.
[4] Eccli. 19, 1: Qui spernit modica paulatim decidet. — Inferius C D E et edd. 1, 2 omittunt *namque*.
[5] Cap. 9. n. 1.
[6] Codd. C D et edd. 1, 2 *vel somnum*.
[7] Ita C D E et ed. 2; Vat. cum ed. 1 *ad orationem vigiles et ad*. Inferius vocibus *et opprobria* C D E et ed. 2 interserunt *etiam*.
[8] Prov. 16, 21. Pro *recipiet* (ita A et ed. 2) Vulgata *percipiet*, Vat. cum ed. 1 *reperiet*.
[9] Num. 2. et 3.

nullum alium quam se ipsos involvant, quod et cautelam et puritatem concernit. — *Humilitatem* habere debent in *gestu corporis* et in *verbis:* in *gestu* quidem, ut ad terram iuxta Fratrum consuetudinem se prosternant humiliter; in *verbis* autem, ut verba sint subiectionis et poenitentiae, nullam omnino superbiae vel impatientiae notam continentia. Quando in Capitulo vel extra nimis austere, vel minus iusto suo iudicio super aliquo arguuntur, non turbentur animo, sed potius pro Fratrum diligentia circa ipsos, qui *quos amant arguunt et castigant*[1], et exercitio virtutis oblato, in Domino gaudeant et exsultent, ad verba et verbera propter Christum gratanter et humiliter parati sustinenda. Et licet Fratres professi aliquando propter infirmos provide duxerint abstinendum, ne pro qualibet offensa reprehendant eos indifferenter, aut nimis improbe[2], quamvis pie, ut, si quid in eis reprehensibile viderint, suo consultius denuntient instructori; ipsi tamen Fratres novitii ab omnibus corripi et ab omnibus erudiri affectent. « Qui non vult corripi non vult corrigi », ait quidam[3]. « Admoneberis, inquit alius, libenter, reprehenderis patienter ». Probata siquidem patientiae virtus reddet eos Deo et Fratribus gratiosos. Culpam suam nullo modo defendant. Nimirum, ut ait beatus Gregorius[4], « quae defenditur culpa geminatur ». Sed si sentiunt se immunes, satisfactione semper, quantumcumque fuerint innocentes, humiliter praeoblata, possunt innocentiam suam, cum reverentia tamen, corripienti ostendere, si requisiti fuerint, aut permissi. Unde sanctus Franciscus[5]: « Beatus servus, qui non est velox ad se excusandum et humiliter sustinet verecundiam et reprehensionem de peccato, ubi non commisit culpam ».

humili-
te.

Capitulum XI.

De disciplina quoad positionem boni[6].

1. Congruit iam de disciplina quoad *positionem boni*[7] aliquid tangere, et primo de disciplina circa *informationem cordis,* ad quam est *lectio* illuminans intellectum et *oratio* accendens affectum. Secundo, circa *corporis exercitationem*, ad quam divinum spectat officium. Tertio, circa *exercitationem operis*, ad quam altaris pertinet ministerium.

iones.

Capitulum XII.

De disciplina circa cordis informationem et primo de oratione[8].

1. Instent *orationi*[9] ferventer non solum in oratorio, verum etiam ubicumque fuerint, cum ipsi sint *templum Dei*, aut certe in lectis suis occulte ac sine perceptibili sibilo. Quippe tanto securior, quanto secretior existit oratio. Et quasi Capitulum sibimetipsis tenentes, in quo proficiant vel deficiant, quotidiana secum discussione perquirant[10]. De vocatione sua et innumeris beneficiis Salvatoris gratias ei debitas tota mentis devotione solventes, « quod inchoaverunt bonum ab eo perfici instantissima oratione deposcant[11] ». Nec solum pro se, verum etiam pro aliis tam vivis quam mortuis orent et quasi quoddam *memento* sibi constituant. Poterit oraturus primo de laude Dei incipere, hinc impensa sibi beneficia memorare, deinde necessitates, quas patitur et defectus exponere, postremo humiliter postulare[12]. Ordo tamen et modus, quem Spiritus sanctus suggerit et affectui magis sapit, est servandus in oratione.

Notandum.

2. Ad orandi studium *meditatio* provocat et informat. Hugo[13] dicit: « Sic orationi sancta meditatio necessaria est, ut omnino perfecta esse oratio nequeat, si eam meditatio non comitetur, aut praecedat. Nam et hi qui mala sua considerare negligunt, aut nihil petendo, aut aliud petendo, quam debet, facile per ignorantiam falluntur, aut certe minus, quam oportet, digne petendo, per desidiam tepescunt. Quanto homo magis mala sua intelligit, tanto amplius suspirat et gemit. Primum igitur necesse est, ut, si prudenter et utiliter Deum orare volumus, animum nostrum iugi meditatione exerceamus et in consideratione *miseriae* nostrae discamus, quid nobis necesse sit petere, et in consideratione *misericordiae* Dei nostri, quo desiderio debeamus postulare. Istis duabus alis, scilicet miseria hominis et misericordia Dei Redemptoris, oratio sublevatur ».

Meditationis necessitas.

Duae alae orationis.

3. Sit autem ipsa semper *devota*, quae opportunitate iuvetur, *frequentia* foveatur[14]. *Devotionem intentio, diligentia, puritas* et *affectio* probant. Tota mentis *intentio*, a curis exterioribus revocata, orationis vigilantiae est applicanda, ne aliquid aliud praeter id solum, quod precatur, animus cogitet. Unde Isidorus[15]: « Non est labiorum, sed

Sit devota et frequens. Primo de devotione quatuor. Primum.

---

[1] Apoc. 3, 19: Ego quos amo arguo et castigo. Cfr. Prov. 3, 12. et Hebr. 12, 6. Pro *qui quos* C D E et ed. 1 *qui suos.*

[2] Vat. cum ed. 1 *superbe.*

[3] Haec sententia colligi potest ex August., de Correptione et gratia, c. 5. n. 7. seq. — Sequitur sententia ex libro de Quatuor Virtutibus (cfr. supra pag. 583, nota 9.), c. de Continentia. Post *inquit* addidimus *alius,* quod codd. et edd. omittunt.

[4] Libr. IV. Moral. c. 27. n. 48; XXII. c. 15. n. 30; XXXIII. c. 4. n. 10. et c. 28. n. 50, ubi docet, culpam defensione augeri et multiplicari.

[5] Allegatur etiam in libro *Firmamenta trium Ordinum B. P. N. Francisci,* p. I. Verba admonitionis S. Franc. fol. 20, col. 2. et in *Operibus S. Francisci,* ed. Ioan. de la Haye, pag. 15, c. 22.

[6] Codd. A B et ed. 2 *respectu positionis boni.*

[7] Cfr. supra c. 8. — Inferius fide A B et ed. 2 supplevimus *corporis.*

[8] Cod. A hanc rubricam omittit, pro qua B *De disciplina respectu orationis*, ed. 2 *De disciplina circa orationem.*

[9] Rom. 12, 12: Orationi instantes. — Subinde respicitur I. Cor. 3, 16: Nescitis, quia templum Dei estis etc.

[10] Arnulphus monachus de Boeriis in Speculo monachorum (inter opera Bernardi) ait: Post Completorium singulis diebus Capitulum sibi teneat, et convocatis cogitationibus suis, ponat rationem diligenter, quid ipso die cogitatione, locutione, vel opere deliquerit etc.

[11] Benedict., in Prologo Regul.: Inprimis, ut quidquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici instantissima oratione deposcas. — Superius pro *devotione* A et ed. 2 *intentione.* Inferius pro *quoddam memento* C D *quandam memoriam.*

[12] Basil., Constitut. monastic. c. 1. n. 2. seqq., hunc orandi modum insinuat. Cfr. etiam Hug. a S. Vict., de Modo orandi, c. 5. seqq. — Superius pro *de laude Dei* C D et ed. 2 *a Dei laude.*

[13] De Modo orandi, c. 1. Textus originalis hinc inde plura interserit et aliquas propositiones alio exhibet ordine.

[14] Cfr. Hug., loc. cit., ubi ostendit, quomodo devotio ex meditatione assidua gignitur et orationem perficit.

[15] Libr. III. Sent. c. 7. n. 4. (cfr. supra pag. 477, nota 2.). Ibid. n. 8-11. quae praecedunt insinuantur.

cordis oratio ». Dum orant, sic semetipsos considerent tanquam praesentatos Domino maiestatis. — Secundum. « *Negligentes* autem orationes nec ab ipso homine impetrare valent quod volunt[1] ». — Tertium. « Et non in multiloquio, sed in *puritate* cordis et compunctione lacrymarum nos exaudiri sciamus. Et ideo brevis debet esse et pura oratio, nisi forte ex affectu inspirationis divinae gratiae protendatur ».

4. Quanto vero *fervore, timore* et *reverentia* sit Domino supplicandum, Quartum. insinuavit qui docuit[2], nunquam sine gemitu esse orandum. Opportunitas loci et temporis, quietis, motuum internorum, dispositae affectionis et otii ad orandum non transeat otiosa. Qui opportunitatem deserit, opportunitas eum fugit. Isidorus[3]: « Oratio privatis locis opportunius funditur, cum Deo tantum teste depromitur ». « Proderit ergo aliquando ad obtinendam compunctionem, si ita semoti fuerint, ut *puras manus* ad caelum *levando*, etiam suam interdum audiant vocem. Nonnunquam etiam ad sublevandam intentionem in caelum suspiciant, ut corpus pariter et animus tendatur ad Dominum, et ibi sit *cor, ubi est thesaurus suus*, Dominus Iesus Christus[4] ». — De tempore orandi. Ceterum mane et vespere tempus est orationis opportunum, quod penitus peculiari vacuum oratione, si vacat, culpabiliter praetermittitur. « Maxime autem, cum profundum nocturnus sopor indicit silentium, tunc plane liberior erit puriorque oratio, nullo tunc turbata clamore, nulla aspicientis laude tentata[5] ». Sic mentis tranquillitas et quaedam spontanea quandoque animi promptitudo, immo inspiratio, quae se offert, otiique libertas non innoxie negliguntur; quae, etiam si desierint, labore sunt quodam ac studio comparanda; genuflexionum, psalmorum, hymnorum, sanctarum meditationum et instantia devotionis est spiritus excitandus.

5. Otium, si desit, sicut ad cibum corporis, ita quoque ad refectionem animae est vindicandum. Notandum. « Sicut enim carnalibus cibis alitur homo exterior, sic devotis orationibus homo interior pascitur et nutritur[6] ». Porro devotus quisque vix opportunitate fraudatur; Deum enim, quem ex animo quaerit, ubique invocans invenit; ignavus autem et tepidus nec in ipso valet oratorio orandi affectum invenire. Plorat in convivio Magdalena, nec etiam praesentia eam impedit convivarum[7]; in ipso autem templo desipit Pharisaeus.

6. Est autem *frequenter* orandum, quia oratio est hostis flagellum, peccatoris subsidium, proximi solatium, Dei sacrificium. Secun[do] frequ[enter] orati[onis] ... « Frequens oratio vitiorum impugnationem exstinguit[8] »; in oratione datur voluntas bona; oratio grandis est munitio animae. Quamobrem post Horas canonicas, antequam oratorium exeant, aliquid orationis vel laudis gratuitum Deo munusculum offerant, quem frequenter per negligentiam in officii debiti exhibitione[9] offenderunt. Assuescant huic consuetudini sanctae frequenter insistere et constanter motusque animi refugos discant Deo vel paululum applicare.

Capitulum XIII.

De disciplina in lectione[10].

1. *Lectionibus* quoque divinis est anima nutrienda; Notan[dum]. idcirco illis qui primo circa divinum officium addiscendum, prout infra[11] dicetur, exstiterint diligenter per instructorem imbuendi, scriptura est aliqua ex sacra Pagina ad morum informationem conveniens providenda, potius spiritualis consolationis habendae quam studii gratia. Novorum studium Fratrum in orationis instantia, in divini exercitio officii et Fratrum obsequiis maxime debet esse. In lectione itaque, si qua sibi permitti contigerit, non magis quaerant quod sensum acuat, quam quod mores instruat, « non magis quaerant scientiam quam saporem[12] ».

2. « Hauriendus est saepe de lectionis serie affectus, De do... fine ... pore ... et formanda inde oratio, quae lectionem nonnunquam interrumpat[13] »; « hoc modo lecta divina lectio confert intelligentiam salutarem. Et scientia ipsa, quae pro virtute despicitur, per virtutem postmodum melius invenitur ». « Certis autem horis certae lectioni vaçandum est. Fortuita lectio et quasi casu reperta non aedificat, sed reddit instabilem animam. Certis est ingeniis immorandum, et assuefaciendus est animus[14] ». Fastidientis est stomachi multa degustare. « De quotidiana lectione aliquid quotidie in ventrem memoriae dimittendum est, quod fidelius digeratur et sursum revocatum crebrius ruminetur, quod proposito conveniat, quod intentioni proficiat, quod detineat animum, ut aliena cogitare non libeat[15] ».

---

[1] Isidor., loc. cit., n. 2. — Sententia seq. est Benedict., Regul. c. 20.

[2] Isidor., III. Sent. c. 7. n. 5: Nunquam est sine gemitu orandum. Cfr. August., Epist. 130. (alias 121.) c. 10. n. 20.

[3] Loc. cit., n. 27; post *funditur* textus originalis addit *maiusque obtentum impetrat*.

[4] Sententia haec habetur in *Formula honestae vitae* (inter opera Bernardi), n. 5.; allegatur I. Tim. 2, 8: « Volo ergo, viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione »; et Matth. 6, 21. — Inferius ed. 2 voci *peculiari* praefigit *a*, et fide A et ed. 2 substituimus *praetermittitur* pro *praeteritur*.

[5] Bernard., Serm. 86. n. 3. Textus originalis hinc inde plura interserit.

[6] Paulin. Aquileiensis patriarch., in lib. de Salutaribus Documentis (inter opera August.), c. 28. et Serm. 302. (alias 112. de Tempore) in Appendice August. n. 2. Cfr. etiam dictum S. Francisci in eius Legenda, c. 10. n. 6.

[7] Luc. 7, 38.; ibid. 18, 11. seqq. de Pharisaeo. Voci *templo* A et ed. 2 praefigunt *Domini*. — Superius pro *ignavus* A C D E et ed. 2 *ingratus*.

[8] Isidor., III. Sent. c. 7. n. 1. — Inferius pro *grandis* Vat. *frequentata*, et pro *munitio* A et ed. 2 *intentio*.

[9] Cod. D *quem frequenter per negligentem officii debiti exhibitionem;* ed. 2 haec omittit. Inferius pro *frequenter* C D E et ed. 2 *constanter*, subinde omisso *et constanter*.

[10] Ita A B et ed. 2 (cfr. supra c. 11.); C E *De disciplina circa divinum officium addiscendum* (cfr. c. 14.), D *De disciplina in studio lectionum habenda*, ed. 1 *De divino officio addiscendo*, Vat. *De lectione*.

[11] Cap. 14. — Cod. A et ed. 2 prosequuntur: *tangetur, exstiterint diligentes, per instructorem scriptura* [in seqq. consentiunt etiam C D] *est aliqua morum informationi conveniens providenda, spiritualis potius ex sacra Pagina consolationis habendae* [C D *habendi*] etc.

[12] Arnulphus monachus de Boeriis in Speculo monach. — Superius fide A B et ed. 2 supplevimus *non magis... instruat*.

[13] Guigo, Epist. ad Fratres de Monte Dei (inter opera Bernardi), lib. I. c. 10. n. 31. Pro *nonnunquam*, quod textus originalis omittit, C D E *aliquoties*, edd. 1, 2 *aliquando*. — Sententia seq. est Hug., de Institut. novit. c. 8: « Hoc modo lecta Scriptura intelligentiam confert salutarem, et hanc ipsam sapientiam, quam pro virtute libenter despicitis, melius postmodum per virtutem invenitis ».

[14] Guigo, loc. cit. Pro *Certis est ingeniis* (ita textus originalis) Vat. et ed. 1 *Coeptis est ingeniis;* ed. 2 cum A hanc propositionem omittit.

[15] Guigo, loc. cit.

Capitulum XIV.

De disciplina circa divinum officium addiscendum[1].

1. Restat de officio, prout est in *addiscendo*, deinde prout est in *exsequendo*, videre. *Addiscendum* est divinum officium, maxime in principio, diligenter. Et licet de totali officio et ordinis eius usu seu forma notitiam habere oporteat, sunt tamen quaedam communia, scilicet Officium beatae Mariae Virginis et mortuorum, Commune de Sanctis cum psalmis, hymnis et ceteris omnibus ad illud spectantibus, lectionibus tantum exceptis, Prima, Completorium et *Pretiosa*, capitula, versiculi, Preces, Suffragia Horarum ferialium, Absolutiones et Benedictiones, quae in Matutinis dicuntur, hymni feriae Laudumque psalmi et cantica, benedictio quoque mensae cum gratiis, nec non et psalmi Primae dominicalis, omnes etiam psalmi a centesimo nono[2] usque ad ultimum, nisi totum, quod magis expedit, addiscatur Psalterium, quae sunt cordetenus addiscenda et menti per exercitium arctius imprimenda.

2. In Sabbatis quoque et praecipuarum solemnitatum Vigiliis praevidendum est divinum officium tam in littera quam in nota. Quoties autem extra chorum cantatur, propter honestatem, et ne orantibus vel studentibus Fratribus impedimentum praestetur, vocem in cantu deprimi decet, quod praecipue post refectionem, sicut et in verbis modestiam, congruit observare. « Ante sumtum cibum, ut ait Hugo[3], magis hilares esse convenit, ne ipsa nostra abstinentia gravis et molesta videatur; post vero magis modestos et tacitos, ne per gulae vitium crapula nos inflasse videatur ».

Capitulum XV.

De disciplina circa divinum officium in choro[4].

1. Ad disciplinam in divino officio, cum in ecclesia dicitur, observandam *reverentia* specialis, *diligentia* quoque et *honestas* praecipue requiruntur. — *Reverentia* quidem tam *interior* quam *exterior* est habenda: *interior*, ut cum timore et humilitate, tanquam Deo visibiliter praesente, psallamus. De hoc ait beatus Benedictus[5]: « Ubique, inquit, credimus divinam esse praesentiam, maxime tamen hoc sine dubitatione aliqua credimus, cum ad opus divinum assistimus. Ideo semper memores simus quod ait Propheta: *Servite Domino in timore*. Consideremus, qualiter oporteat nos in conspectu Divinitatis et Angelorum eius assistere, et sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostrae ». — Reverentia *exterior* in hoc attenditur, ut devote inclinetur, et quando standum fuerit, stetur; fiat etiam prostratio, quando fuerit facienda, de quorum disciplina infra[6] tangetur. Est et reverentiae, ut in officio ad ea quae more agente singulariter unus dicit, puta collectas, versiculos et alia quaeque huiusmodi, caput nudet; nempe quae ab uno duntaxat in ecclesia de more dicuntur, nudato capite etiam habent dici extra chorum. Orandum est, secundum Apostolum[7], capite non velato, saltem ubi aliquid solemni distinctione profertur. Nudi quoque reverentia capitis vel verticis devota quaedam in officio veneramur. Verum irreverens quisque nec solemnia nec alia devota discernit.

Secundo, de exteriore.

2. *Diligentiam* in officio probat *strenuitas* quaedam prudensque sollicitudo, habens circa necessaria *providentiam* et contra impedimenta *cautelam*. *Strenuitas* corporis inertiam fugat torporis, dormitationes, quas pigredo immittit, non patitur; quippe[8]

De diligentia; sit strenua duplici ter.

Intenta supplicatio
Dormire cor mundum vetat.

Dormitatio in officio tunc maxime imputatur et omissi dicitur restitutione officii redimenda, quando manum in sinu tenendo, vel segniter appodiando[9] ei occasionem quis praestat, aut surrepentem eam viriliter non repellit.

3. *Providentia* respectu rerum providendarum et dicendarum attenditur, ut videlicet libri et alia ad officium necessaria praeparentur tempore opportuno; legenda quoque et cantanda, studiose ante praevisa, quando et quomodo sint dicenda, dicantur. Debitus legendi et cantandi modus est, ut nec nimium festinetur nec nimia fiat[10] aut inaequalis protractio, sed cum pausantibus statim pausetur, ut vox unius vix inter alios discerni possit.

Cum providentia.

4. *Cautela* denique est necessaria, ut eorum quae divinum impediunt officium, occasiones vitentur. Eapropter, dum officium quis dicit, non debet studere, aut per alios[11] libros respicere, aut alicui quae vitari possit occupationi vacare sive in lampadibus praeparandis, sive in quibusdam aliis, quae usque post officium commode differri possunt. Indignum quoque in divino officio venandis vermiculis et mactandis intendere, quibus palam in oratorio digitos aut ligna foedare frons inverecunda non metuit.

Cum cautela.

5. *Honestas* in choro in *exteriorum actuum gravitate*, in *corporis decenti et uniformi dispositione* accipi potest. — Sane *in populo gravi laudatur* Deus[12]. *Gravitas* autem *inquietudinem*, *dissolutionem* et *tumultum* excludit. — *Inquietudo* in motu membrorum inordinato[13] consistit

De honestate dupliciter.

De gravitate tria excludente. Inquietudinem.

---

[1] Ita A B D et ed. 2; Vat. cum C E et ed. 1 *De divino officio in generali.*

[2] Codd. A B *a nono*, ed. 2 *a undecimo*. Inferius pro *addiscatur* (ita C D E) edd. *discatur*, et vocibus *sunt cordetenus* fide C D E et ed. 2 praefiximus *quae*.

[3] De Institut. novit. c. 4. Pro *inflasse* ed. 2 cum textu originali *inflammasse*, ex qua etiam cum C superius pro *Et post refectionem praecipue* substituimus *quod praecipue post refectionem, sicut et*.

[4] Ita A et ed. 2, quibus consentit B, omisso tamen *in choro;* C D E *De disciplina* [D addit *divini*] *officii;* ita etiam Vat. cum ed. 1, addito *in choro*.

[5] Regul. c. 19. Textus originalis hinc inde plura interserit. Allegatur Ps. 2, 11. — Superius C D E et ed. 2 omittunt *visibiliter*.

[6] Num. 10-12. — Inferius pro *alia quaeque* Vat. *alia quoque*.

[7] Epist. I. Cor. 11, 4: Omnis vir orans aut prophetans velato capite deturpat caput suum; cfr. v. 7.

[8] Ut dicit Prudent., Hymn. fer. 3. ad Laudes in Breviario Romano, strepha 3. — Superius B et ed. 2 legunt: *Strenuitas torporis et teporis fugat inertiam, dormitationes* etc.; pro *pigredo immittit* Vat. *pigritia nutrit*.

[9] Cfr. supra pag. 476, nota 1.

[10] Cod. B addit *cauda*.

[11] Fide A et ed. 2 supplevimus *alios*, et inferius substituimus ex C D E et ed. 2 *quae vitari* pro *si vitari*. Subinde pro *in divino officio* C D E et ed. 2 *in officio Dei*.

[12] Psalm. 34, 18: In populo gravi laudabo te.

[13] Fide A B et ed. 2 supplevimus *inordinato*. Inferius post *alibi* Vat., refragantibus C D E et edd. 1, 2, prosequitur: *ubi potius ad librum pro psalmis vel aliis veraciter decantandis, vel ad terram* etc. Subinde pro *urgendi sunt* C E *urgendis*, ed. 1 *urgendum*, ed. 2 *urgendorum*.

sive capitis in circumagendo, sive oculorum in circumspiciendo per chorum vel alibi — ad librum potius pro psalmis etiam usitatis tenendi, vel ad terram pro vagis arcendis respectibus mentis non mediocriter vagationem causantibus urgendi sunt — sive manuum in fricando, vel volvendo librorum folia curiose, vel aliud superflue faciendo; sive pedum in discurrendo, ut si quis oratorium frequenter exeat, aut per chorum frivolis occasionibus inventis discurrat. Tunc enim etiam utilia sunt aliquoties differenda propter vitationem discursus.

Item, dissolutionem.

6. *Dissolutio* vero non solum in *verbis* aut *risu*, quibus in choro vanissimum est dissolvi, verum etiam *in cantu* considerari potest, ut si quis, punctos in nota nunc diminuens, nunc pro suo libitu addens, vocem muliebriter frangat, aut in falsetum [1] extollat, quod est cunctis et maxime novis Fratribus omnino impertinens. Nunquam in choro altius ceteris cantent, sed communem psallentium vocem teneant. Ridiculum etiam, si altiori ceteris voce quis cantans, post dictionem vel syllabam ab illa vocis altitudine recidens, vel eam per interpolationes resumens, non continuet quod incepit.

Item, tumultum.

7. *Tumultus* in choro per vocis *susurrium*, per *importunitatem spuendi* seu *exscreandi* et per *impetuosam elevationem* vel *depositionem sedilium* fieri solet. Quam turpe sit in choro *susurrium*, palam est; nescit tamen indisciplinatus et levis lubricam linguam a sibilis vel mussitationibus cohibere. Vitanda quoque est in conventu seu congregatione oratio sibilosa. Inepta namque oratio, quae una plures, et saepe deterior impedit meliores. — Est etiam caute vitandum, ne, dum singulariter aliqua dicuntur in choro, ut sunt collectae, capitula, lectiones, notabilis *spuendo vel exscreando* sonitus fiat, usque dum capitula ipsa, collectae vel lectionis periodus compleatur. Circa hoc etiam, dum praedicatur aut legitur, similis est opportunitas observanda. — *Sedilia* vero debent non passim cum pede, sed cum manu elevari et caute deponi, ne aliquis ex hoc sonitus in domo Dei audiatur. Congrue tamen lectionem vel epistolam incepturus exspectet, quousque, consedentibus Fratribus, sedilium, si quis fuerit, tumultus quieverit.

De decente et uniformi corporis dispositione. Sit decens, non vaga.

8. Ad [2] haec, honesti Fratres in *corporis dispositione decenter* et *uniformiter* sint in choro: *decenter* quidem sine *vaga* dispositione vel *turpi: vaga*, ut, quando chorum ingressi, intrante vel astante conventu, nunc segniter resident, nunc stantes quidem hac et illac membrorum ut languentium incongrua quadam exagitatione se gyrant, nunc statuae instar stallo affixi tantum [3] e regione dispositi, velut sui obliti, nec ad altare demissis, ut decet, luminibus, ante inceptum officium oraturi se vertunt, vel alias religiose disponunt, sed, nudato etiam aliquando capite, circumquaque, ut cervus in saltu, vel ruralis in theatro, inordinate [4] gyrovagando respectibus, oculos in advenientium vel coastantium vultus infigunt suoque indisciplinato intuitu collateralium orationem, quam ipsi negligunt, etiam impediunt.

Nec tu[rpis].

9. *Turpis* autem erit, si sint ibi molliter aut remisse se in stallis suis, brachiis tibiisque resolutis, notabiliter incurvando, aut in partem unam penitus, ut possunt, protenso, in alteram corpore accubando, ita [5] ut lecti mollitiem quaerere videantur; aut dum, ad altare versi, super lignum, quod stalla dividit, se inclinent, extensione scapularum vel capitis anterioris stalli spatium occupando et tergum ad retro stantem socium protendendo; aut dum sedent, pedes suos usque ad scabellum formae [6] contignum licentius extendendo. Notabilis tibiarum extensio vel dilatatio, dum sedetur, minus honesta est. Indecens ergo, quae vaga et turpis est dispositio, immo deformitas, utrobique, sed maxime in Dei [7] officio, conventu assistente, vitanda. Honestos enim per omnia exigit mores conventualis honestas.

De uni[formi]tate i[n pro]stratio[ne].

10. *Uniformitas* [8] est in *prostratione* et *inclinatione* specialiter, quamquam et in aliis generaliter, observanda: in *prostratione*, ut non alius subtus formam chori, et alius super sedile, sed omnes supra dictam formam uniformiter se prosternant, et operto capite silenter orent, ne impediant circumstantes, manu ad genas accubitando nunquam applicata, aut brachiis extra eandem formam extentis, sed super istam honeste et humiliter dispositis.

In [inc]li[na]tione [sit tempe]stiva.

11. In *inclinatione*, ut uniformiter apud omnes sit *tempestiva, devota, sufficiens* et *honesta*. *Tempestiva* quidem, ut inclinaturus surgendo et elevando sedile, tempus vel paululum inclinationis praeveniat, ut verbi causa, quando post psalmum fuerit inclinandum, versus ultimi fine iam accedente, surgatur, quatenus deinde libere inclinetur, vel certe inclinationem sedis aptatio subsequatur. — In inclinatione vero debet *devotio* apparere, ut fiat humiliter et profunde. Non est devoti, sed pigri [9], rigido stante corpore, tenui motu capitis inclinare. Est enim corpus, depressis aliquantulum renibus, ne capiti coaequetur, adeo demittendum, ut ipsum fere super genua, brachiis interpositis, reclinetur; alioquin inclina, si nosti, facilius, humiliter tamen et profunde. Extra chorum tamen et aliquando forte in choro, in officio plane et sine cantu dicto [10], minor sufficere poterit inclinationis profunditas. Sunt qui, culpabili admodum remissione traducti, hunc reverentiae cultum Domino subtrahentes, evacuant, dum aut resident prorsus usque post factam memoriam Trinitatis, aut tunc etiam surgunt et sedili elevando intendunt, quando fuerat inclinandum, aut ex negligentiae vitio non inclinant. Quanti tamen sit haec noxa detrimenti, beata Dei Genitrix seniori cuidam in choro psallentium Fratrum indicasse refertur, quae inclinantibus ad

Item v[...]

---

[1] Du Cange, Glossarium etc.: *Falsetum*, tonus acutus, Gall. *Fausset*. — Superius ex C D E et ed. 2 supplevimus *vocem*.

[2] Codd. A B hanc rubricam praemittunt: *De dispositione duo*; cfr. supra n. 5.

[3] Ita C D E et edd. 1, 2 (ed. 2 *affixae tantum*); Vat. *et*, quae etiam cum ed. 1 substituit *irreligiose* pro *religiose*; ibi ed. 2 transponit *ut decet*.

[4] Fide A B et ed. 2 supplevimus *inordinate*, pro quo C D E *inordinatis*; deinde pro *gyrovagando* A B et ed. 2 *gyrovagantes*, D *gyrovagisque*.

[5] Codd. C D et ed. 1 omittunt *ita*; E substituit *ut si*. Inferius pro *vel capitis* Vat. *vel capite*.

[6] Cfr. supra pag. 588, nota 3.

[7] Vat. omittit *Dei*, et inferius C D E et edd. 1, 2 omittunt *enim*.

[8] Codd. A B hanc rubricam praemittunt: *Secundum, de hoc duo*; cfr. n. 8. Inferius Vat. omittit *uniformiter*, pro *accubitando* D substituit *cubitando*, et pro *super istam* C D E et edd. 1, 2 *super ipsam*.

[9] Codd. D E et ed. 2 *et impigri*. Inferius fide A et ed. 2 substituimus *capitis* pro *corporis*. Subinde pro *coaequetur* edd. 1, 2 *coaequentur*.

[10] Codd. C D *quando officium plane dicitur*, E et edd. 1, 2 *ad officium plane dictum*. Subinde pro *poterit*, D *potest*, ed. 1 *possit*, Vat. *videtur*.

sanctae memoriam Trinitatis suum ipsa Filium singulis offerebat, quendam vero minime inclinantem, verso ab eo vultu, velut hac gratia indignum pertransibat.

...m, sufficiente. ...em, honesta.

12. *Sufficiens* etiam seu perfecta debet esse inclinatio, ut ab ea citius debito non surgatur. Honor enim, qui Patri et Filio, est et Spiritui sancto exhibendus [1]. — *Honestas* quidem *in corporis*, *manuum* et *habitus* decenti dispositione consistit; et quantum ad *habitum*, maxime ut caputio caveatur, ne operta fronte super oculos defluat inclinatis. Proderit ad uniformitatem servandam de communi officio notitiam habere. Pulcra valde uniformitas in congregatione et [2] conventu Fratrum, ubi debent et mores et animi convenire. Unanimes uniformitas decet, quae in moribus plurium unitiva uniformes ordinat et decorat.

Capitulum XVI.

De disciplina circa divinum officium extra chorum [3].

1. Si quando extra chorum officium dixerint, diligentiam nihilominus et honestatem praedictam debent, in quibus poterunt, studiose servare, ut, dimissis omnibus, quaecumque in manibus fuerint, stantes cum reverentia iuxta traditionem ecclesiasticae disciplinae, praeterquam ad lectiones in Matutinis, vel quando alias ex communi ordinatione sedetur [4], Creatori suo debitas cum devotione laudes exsolvant, flectentes genua, vel inclinantes pro tempore cum timore Dei. Si quando eos ad sedendum debilitas evidens vel nimia lassitudo compellat, saltem ad inceptionem officii, ad invitatorium, hymnos et orationem dominicam et a capitulo in ante surgere non omittant. Si etiam in lecto aegritudinis decumbant, reverentiam nihilominus aliquam faciant, prout possunt.

...andum.

2. Sanctus Hieronymus, qui « tanta legitur [5] lassitudine fatigatus, ut etiam, iu strato suo iacens, funiculo trabe suspenso manibus apprehenso, supinus erigeretur, ut scilicet officium Monasterii, prout poterat, exhiberet », dum exhaustis viribus senex nec senectuti parcit nec debilitati blanditur, desidem iuniorum, quibus corporis vires utcumque sufficiunt, irreverentiam, immo dignam derisione desidiam signis arguit et confundit. Alius, pro lentarum taedio febrium Completorium in lecto exsolvere assuetus, fertur per Angelum reprehensus audiisse: « Completorium sub cotto [6], nec fructus nec utilitas ».

...mplum.

Sane in officio Dei curanda ubique magnopere reverentia et honestas, cum ubique sit eadem eius cui tunc loquimur et astamus Deitas et maiestas. Tanto enim amplius reverentiae et diligentiae studium divino debetur officio, quanto id Deo immediatius exhibetur. Cura officii diligens, maxima status integritas; neglectus officii, maxima vitae corruptio, maxima Religionis deformitas. Nemo Dei se aestimet servum, si Dei potissimam negligat servitutem, quae appropriato vocabulo *Dei servitium* nuncupatur.

3. Debent officium dicere *distincte*, *continue*, *integre* et *ordinate*: *distincte*, ne, verbum masticando, vel exiliter proferendo, vel nimium festinando, dicenda confundant. — *Continue*, ut interruptiones in eo non faciant [7] aut *interloquendo*, nisi necessitate cogente, et hoc psalmo vel oratione vel quocumque alio, quod tunc fuerit dicendum, completis, nisi psalmus vel oratio, quem interrumpi contigerit, continuo a capite resumatur; aut inter psalmum et psalmum *moram notabilem faciendo*. Parisius, ut fertur, cum quidam theologus unius Horae canonicae incepisset officium, superveniente [8] episcopo ad loquendum cum eo, caput sine locutione inclinans, Horam inceptam, episcopo exspectante, finivit; quem deinde, dilationem colloquii ne moleste ferret, admonuit, causam subinferens, quod maiori Domino loquebatur. Quidam propter interruptiones in officio factas gravissimo afflictus purgatorio memoratur.

Officium dicendum distincte.

Continue.

4. Tertio *integre* dicant, ut de dicendis nihil omittant. Proinde, si plures fuerint, qui simul officium dicant, et unus vel duo iuxta laudabilem [9] consuetudinem psalmos, antiphonas, hymnos et responsoria ad vitandam confusionem voce pronuntient altiori; non putent sibi sufficere quod ab aliis dicitur, sed omnia, quae ad suam pertinent partem, ac si essent in choro, sub silentio integre dicant, cum officium extra eandem quam intra integritatem requirat.

Integre.

5. *Ordinate* denique officium in *substantia*, *tempore*, *modo* et *omnibus* exsequi studeant. Postpositiones, implicationes, variationes facile non admittant. Honeste tamen *Pretiosa* vel aliud extraordinarie aliquando dicitur, dum tamen id ipsum suo tempore minime negligatur [10]. Quis autem sine grandi conscientiae scrupulo proprium officii ordinem sibique Religionis sanctione impositum pro alienis quibuslibet praetermittat, aut qualibet variatione deformet? Quis nisi vanissimus et imprudens pro certis dubia,

Ordinate quoad substantiam.

---

[1] Ita C D E; Vat. cum ed. 1: *Honor quidem Patri et Filio et Spiritui sancto sine differentia exhibendus est*, convenit ed. 2, excepto quod pro *quidem* substituat *idem qui*. Inferius pro *inclinatis*, quod D omittit, E *inclinantis*, Vat. *cum inclinatur*, quae etiam pro *uniformitatem* substituit *unitatem*.

[2] Codd. C D E et edd. 1, 2 omittunt *in congregatione et*. Inferius post *uniformitas* ed. 1 addit *in conventu*, Vat. *in Fratrum conventu*.

[3] Ita A B et ed. 2; Vat. cum C D E et ed. 1 *De disciplina officii extra chorum*.

[4] Fide A B et ed. 2 supplevimus *ex communi ordinatione sedetur*.

[5] In vita S. Hieronymi, secundo loco posita (Migne, Patrol. Lat. tom. 22. col. 175 seqq.), circa finem, ubi pro *manibus apprehenso supinus erigeretur* (ita etiam vita tertio loco posita) textus originalis *supinisque manibus apprehenso erigeretur* (consentit vita quarto loco posita, in qua tamen pro *funiculo trabe suspensa* substituitur *funiculo ad trabem suspenso*). — Inferius pro *desidem* A et ed. 2 *residentium segniter*.

[6] Du Cange, Glossarium etc.: *Cottum*, culcitra, ex Gallico *coite*. Cfr. Petr. Damian., Opusc. 34. c. 6, ubi peregrinus (utrum Angelus fuerit, an homo, Dei ducimus relinquendum esse iudicio, ait Petr. Damian.) monacho, qui pridie lassus de via Horas canonicas in lecto compleverat, dixit: « Completorium in lecto, nec salus est nec profectus ». Ibid. refertur de Priore, nomine Ioannes, qui propter imbecillem corporis tenuitatem in lecto saepe Completorium decurrebat, et cui daemon, quem ex obsesso expellere nitebatur, dixit: Tune ille es, qui sub cotto quotidie Completorium insusurras, et modo me quasi Sanctus eiicere et iuris mei vasculum de meo vis dominio liberare? — Inferius pro *Tanto enim* ed. 2 *Tanto etiam*.

[7] Fide A et ed. 2 substituimus *faciant* pro *fiant*. Inferius Vat. substituit *urgente* pro *cogente*, *oportuit* pro *contigerit* et *mora notabilis fortasse fiat* pro *moram notabilem faciendo*; codd. C D E et edd. 1, 2 substituunt *in dicendo* pro *dicendum*, et *nisi psalmum vel orationem... resumturi* pro *nisi psalmus vel oratio... resumatur*.

[8] Ed. 2 *supervenienti*. Inferius fide ed. 2 substituimus *quem deinde* pro *quam deinde*.

[9] Cod. A et ed. 2 addunt *quorundam*. Inferius Vat. omittit *ad vitandam confusionem*.

[10] Vat. *negligant*. Inferius pro *vana* fide C D E et edd. 1, 2 substituimus *vaga*.

pro authenticis vaga, pro necessariis curiosa inducat? Sint igitur sanctorum officii conditorum devota et stabili ordinatione contenti, nihil eorum vel communi Ordinis institutioni praeponant, quantumlibet serium et devotum, nec desipientium more stultorum Graecas glorias aemulentur [1]. Seneca: « Nisi sapienti sua non placent; omnis stultitia laborat fastidio sui ».

Quoad tempus. 6. *Tempus* quoque congruum servent nec facile praeter necessitatem diurnas Horas, sive Primam sive Completorium saltem canonicum sive alias, in nocturnas convertant. Fuerunt qui hoc quarundam obtentu traditionum defenderent, ordinationem ecclesiasticam officii confusione temporis irritam facientes. — Quoad modum. Quando fuerint duo vel plures, quasi chorum sibi constituant et psalmos atque hymnos incipiant [2] alternatim, ut est consuetudinis in conventu. — Quoad omnia. Congruus ordo est *in omnibus* ubique provide disciplinate servandus. Ordinatum animum ordinis decor et condecet et condelectat. Inordinati vero est animi etiam in exterioribus ordinem non curare; tamen ordinationis exterioris religio attentionem excitat et affectum.

Capitulum XVII.

De disciplina circa altaris ministerium [3].

Requiruntur quinque. 1. Altaris ministerium ob reverentiam corporalis praesentiae Salvatoris *munditiae, reverentiae, diligentiae, honestatis* et *circumspectionis* studium speciale requirit. — De munditia. *Mundamini*, ait Propheta [4], *qui fertis vasa Domini.* Haud dubium, hoc de ministris altaris convenienter intelligi, quibus *spiritualis* et *corporalis* munditia est habenda: *spiritualis*, ut nullus de peccato conscientiam habens laesam, vel somno pollutus nocturno ad tangendum sacra vasa, vel ad ministrandum, antequam fuerit confessus, accedat. Nec debet celebraturus confessionem privatam, quae ante celebrationem de quotidianis offensis fieri consuevit, usque ad altare differre. *Corporalem* quoque munditiam, Moyse [5] sancto attestante, diligit Deus. Corporalem omnino munditiam requirit corporalis praesentia Salvatoris. Idcirco ministri altaris non solum antequam se ad ministrandum induant, verum etiam postquam fuerint omnino parati, expeditis communibus, ad calicis ministerium accessuri, suas lavent iterum manus. Hoc enim semper debent cavere cautissime [6], ne communibus manibus aut cum manicis suis vel post immediatum rerum contactum calicem, aut qui ad ipsum pertinent pannos vel corporalia tangant; sed si lineam tunicam, quam *rochetum* vocant vel *superpellicium*, cum strictis manicis, vel aptum alind non habuerint indumentum, calicem praeparandum et in fine Missae plicandum [7] sacerdoti relinquant.

De reverentia quoad sacerdotem. 2. *Reverentiam* debent ministri altaris tam ad *sacerdotem* quam ad *ministerium* et *res* etiam *de propinquo* [8] *ad ipsum ministerium pertinentes* habere. Circa *sacerdotem*, ut quando secum altari assistunt, per aliquantulam capitis inclinationem et sui elongationem ab eo ac per humilem debiti exhibitionem officii reverentiae signum ostendant. Si vero sederit, et ipsi tantum in superpelliciis fuerint, nequaquam iuxta ipsum in sedilibus, videlicet coaequalibus sedi eius, sed ad scabellum eius potius, si aptus fuerit locus, vel alibi sedeant. Venerentur eum decore, ut convenit, comitatu, et maxime, quando se vertit ad populum, ei adsint, quem ubique, ut in officio, sic et, eo expleto, ad vestiarium revertentem deducant, *ut acies ordinata* [9], ad altare *deinde*, si opus fuerit, reversuri.

Quoad ministerium. 3. *Ministerio* reverentiam exhibent, si modo [10] debito et habitu ipsi ministerio convenienti assistant et ministrent. Aliter enim non sine nota irreverentiae ministratur, ut si quis, quamvis diaconus, vel sacerdos in superpellicio ad Missam ministrans, corporalia super altare, praesente sacerdote vestibus sacris induto, replicet aut componat; si quis non habens superpellicium cum strictis manicis, vel aliud idoneum indumentum, corporalia et calicem tractare aut panem et vinum in communi habitu ministrare praesumat; si quis hostiam in communi eligat loco vel electam reponat, quae in pyxide manu sua mundissima est potius eligenda et electa super patenam ipsam, vel super corporalia decentius reponenda. Nec audiendi sunt illi qui ad mensam Domini non aliam quam ad mensam corporis curant munditiam, super pannos, qui libris ad secretarum vel [11] pallarum custodiam supponuntur, calicem passim vel consecrandam hostiam reponentes. Singularem hostiae cultum singularis decet munditia.

Quoad res sacras. 4. Ad *res quoque necessarias*, ut sunt corporalia, panni calicis, ipse calix et missale, est reverentia adhibenda, quam munditiae studium maxime probat. Huius intuitu pannus omnis suspectus, aut quem color impedit ablui, a corporalibus arcetur et calice. In pyxidibus hostiarum mundissimus sacculus [12] lineus hostias continet. In repositoriis calicum sacculus quoque operiendis calicis mappulis adhibetur. Quisquis ergo ad altaris utensilia sacra reverentiam munditiae curat, circa ipsa operosius studeat. De communibus libris, si quos aliquando propter officium, inevitabili forte necessitate cogente, poni super altare contingit, omnino caveant, ne corporalia vel pannos calicis aliquo modo tangant. Cum corporalibus vel calicis ipsius mappula nunquam labia vel oculos tangant, devotionis alicuius obtentu. Calix cum summa tractetur munditia, quando de loco ad locum defertur, non super librum aut vestimentum, sed alte in manu mundissima,

---

[1] Libr. II. Mach. 4, 15: Et patrios quidem honores nihil habentes, Graecas glorias optimas arbitrabantur. — Sententia Senecae habetur Epist. 9. in fine, quam secundum textum originalem posuimus, cum lectio codd. et edd. minus congrua videretur; sic A et edd. 1, 2 *Nonnisi sapienti sua placent* etc.; C D E *Non sapienti sua placent* etc.; Vat. *Insipienti enim non nisi sua placent* etc. — Superius pro *serium* C D *sanctum*, ed. 2 *deliberatione ordinatum.*

[2] Vat. cum ed. 1 *accipiant* et subinde *conventui* pro *in conventu.*

[3] Codd. C E addunt *curanda*, D *servanda;* Vat. cum ed. 1 legit *De altaris ministerio curando.*

[4] Isai. 52, 11.

[5] Cfr. Exod. 40, 12. seq. et 29. seq.; Lev. 8, 6, seq. (ubi de lotione filiorum Aaron ante introitum tabernaculi) et passim, ubi diversae lotiones et purificationes a Deo praescribuntur. Fide ed. 1 supplevimus *Moyse*, quod codd. et ed. 2 omittunt, in Vat. tota haec propositio desideratur.

[6] Cod. A et ed. 2 *attentissime.* Inferius pro *rerum* C D E et ed. 1 *eorum*, ed. 2 *earum.*

[7] Cfr. infra pag. 599, nota 7.

[8] Codd. C D E et edd. 1, 2 *etiam propinque.*

[9] Cant. 6, 3.

[10] Vat. *motu.*

[11] Ed. 2 *seu.*

[12] Cfr. Gregor., Ordo Romanus II. n. 43. et VIII. n. 1, ubi acolythus sacculum portat ad recipiendas oblationes consecratas et ad deferendam eucharistiam. Pro *sacculus* C D E *saccus.* Subinde fide C D et ed. 2 substituimus *continet* pro *contineat.* Inferius pro *sacculus* A D E et edd. 1, 2 *saccellus*, quod secundum Du Cange idem est ac *sacculus.* Vat. loco istius propositionis hanc exhibet: *Similiter et calices mundis sacculis lineis involvantur.*

vel in repositorio suo portetur, nec extra repositorium ipsum, praeterquam super altare, vel in alio loco mundissimo teneatur. Missale in loco reponatur honesto, et si nonnunquam illud extra ecclesiam vel alias quam ad Missam teneri contingat, panno aliquo mundo praeter suam camisiam[1] involvatur. — Denique reverentiam in ministerio *habitus decens, cura munditiae* et in exsecutione *maturitas* attestantur. Reverentia simul et cautela munditiae *communes corporis vestes* prohibent ab altari. Si in his plurium opponas ineptias[2], habet aemulos plurimos vitium, rarissimos disciplina. Non a pluribus, sed ab honestioribus forma sumenda est.

(m quoad ... tria.)

5. Ad hoc[3], tam *celebrans* quam *minister* circa officium suum magnam debent *diligentiam* adhibere. *Sacerdos* quidem circa praevisionem dicendorum et agendorum in Missa, ne defectum faciat in dicendis, aut formam seu modum ordinis in celebrando postponens, auctoritate sua modum alium introducat. Oblationi calicis aquam ipse infundat, quod a nullo alio sine ipsius iussione[4] est praesumendum. Debet etiam circa custodiam munditiae *manuum* et *pannorum* esse intentus: *manuum*, ut eas ad tangendum communia, vel carnem nudam, sive in facie sive alibi, non apponat, nisi eas continuo lavaturus. *Pannorum* autem, ut nunquam ad indumenta sacerdotalia, maxime ad infulam[5], nares emungat vel aliter ea quoquo modo deturpet.

(iligentia ...imo, ce... ...ntis.)

6. *Ministris* vero diligentia debet esse circa ea quae necessaria sunt celebranti, et circa munditiae custodiam ac conservationis vasorum et pannorum pertinentium ad altare. Ministrorum est, ut praeinduti celebraturum cum diligentia praeparent eiusque indumenta post officium plicent et quae ipsi sacrum ministerium exsequenti fuerint opportuna hora et loco congruis offerant. — Nunquam ad Missam privatam legendi vel orandi gratia solo vel sedibus totaliter se prosternant nec latitent post cortinas, sed palam coram altari, non tamen a latere celebrantis assistant, versus eum, circa quem tunc oculus debet esse, aspectum quasi continue directuri, non tamen in faciem eius, maxime post Canonis inceptionem, intendant. Nec ei, praesertim a parte libri, nimis appropient, aut tumultum aliquem faciant circa ipsum. Summa quietis tranquillitas est necessaria celebranti. Vasa et pannos munde tractent apud eos[6] et teneant. Si pannus calicis ad terram ceciderit, nullo modo, antequam lotus fuerit, iterum calici apponatur. Circa finem Missae calicem plicaturi[7], ipsum cum aqua post vinum recensiant, ne pannos inficiat adhaerentes. Nunquam super altare vinum et aquam ad mundationem vel alias, si vitare potuerint, ministrent. Si tamen ob incuriam sacerdotis oporteat, subtus ampullas, quae vinum et aquam continent, manum ad retinendum guttas, ne super altaris pannos cadere possint, apponant, super quos etiam pannos nec ipsae sunt reponendae ampullae.

(...ondo, ...nistri.)

7. Ad hoc[8], debet qui ministrat ad Missam superpellicium, si habuerit, conservare, ne cum eo aliquatenus nares emungat vel sudores a facie vel alias undecumque detergat, nec ipsius manicas maxime ad pulverem super ligna, lapides vel super terram exponat. Quod tamen si nonnunquam per aliquorum negligentiam accidit, cavere debent, ne corporalia, calicem aut pannos eius cum ipsius superpellicii manicis tangant. De aliis indumentis, quoties ea plicant, sollicite caveant, ne unquam manicae terram tangant, vel usque ad ipsorum vestimentorum fimbrias descendere permittantur, sed sive tunicae lineae sive quaecumque alia indumenta plicantur, manicae semper longe a fimbriis collocentur. Debent iterum ministri altaris propter vasorum et vestium, ut dictum est[9], conservationem attendere, ne calicem, quando reponunt, stricte ligent, quia saepe per hoc deterioratur non modicum et paulatim obrutus, conquassatur. Vasa quoque altaris et utensilia in locis suis diligenter, ut convenit, praeparata reponant. Vestimenta etiam plicare non negligant et aptare, nisi pro aliquo celebraturo ea quis dimitti requireret[10]. Sed quid horum expressionibus immoror? In omnibus enim, quae ministerium Dei contingunt, speciali nimirum diligentia opus est. Si agendis ministeriis terreni regis studiosissimam homines curam impendunt, quantam, putas, aeterni Regis ministeriis impendendam?

(Continuator.)

8. Ceterum, si ministri altaris intendere debent *honestati*, multo amplius tamen per omnem modum sacerdotes, qui celebrant. Postquam igitur fuerint vestibus sacris induti, cum magna debent maturitate incedere et praecipue, cum altari assistunt, gravitatem in motu et gestibus laudabili curiositate servare, nunquam genuflexuri, quamdiu sacerdotali casula sunt induti, nisi tantum temporibus ab Ecclesia institutis. Super altare quoque se non appodient inhoneste nec manus suas hac et illac inordinate deducant. Quando se vertunt ad populum, non erigant oculos, ut videant[11] assistentes.

(De honestate quoad celebrantem.)

9. Denique *circumspectos* decet[12] eos esse, specialiter circa *corporalium dispositionem et custodiam*, circa *calicis collocationem*, circa *dominici corporis consecrationem*, *sanguinis sumtionem* et *mundationis industriam*. Circa *corporalia*, ut ab ipsis[13] super altare replicatis usque ad anteriorem ipsius altaris oram sit spatium competens, ne super eadem manus suas aut manicas indumenti teneant. — *Calicem* ante oblationem super corporalia nunquam ponant[14], sicut post oblationem fieri consuevit, sed ipsum usque ad oblationis tempus ad corporalium teneant latus.

(De circumspectione multiplici.) (Circa corporalia.) (Circa calicem.)

[1] Du Cange, Glossarium etc.: *Camisia*, involucrum ex quovis panno. — Superius pro *nonnunquam* C D E et edd. 1, 2 *quando*, et post *ecclesiam* B et ed. 2 addunt *portari*.

[2] Codd. C D E et edd. 1, 2, omisso *in his*, addunt *in praemissis*.

[3] Cod. D *Ad haec*. Subinde pro *adhibere* C D E *habere*. Inferius pro *praevisionem* (ita codd.) edd. 1, 2 *provisionem*, Vat. *pronuntiationem*, quae etiam pro *auctoritate sua modum alium introducat* substituit *alia auctoritate sua introducat*.

[4] Codd. C D E et edd. 1, 2 *conscientia*, a quibus etiam inferius pro *apponat* substituitur *exponat*.

[5] Hug. a S. Vict., Speculum de mysteriis Ecclesiae (inter opera Hug.), c. 6: « Casula... quae alio nom'ne planeta vel infula dicitur ». Secundum Vat. autem in nota ad marginem est « infula filamentum sacerdotis, quod nobis dicitur *amictus* ».

[6] Ed. 2 omittit *apud eos*.

[7] Secundum Du Cange, Glossarium etc.: *Plica* idem est ac plicatura vel involutio; *plicatura* sumitur etiam pro involucro. Vox *recensire* secundum ipsum adhibetur pro lavare, eluere. Fide ed. 1 substituimus *recensiant* pro *recenseant*. Pro *post vinum* A et ed. 2 *post vini munditiones* (ed. 2 *munditionem*), pro *alias* ed. 2 *aliter*.

[8] Cod. C et ed. 1 *Adhuc*, D *Ad haec*. Inferius pro *si nonnunquam* C D et edd. 1, 2 *quia nonnunquam*.

[9] Num. 6. — Inferius pro *obrutus* A et ed. 2 *ruptus*.

[10] Fide C D et ed. 2 substituimus *requireret* pro *requirat*. Inferius C D et edd. 1, 2 omittunt *terreni*.

[11] Cod. A et ed. 2 *respiciant*.

[12] Ed. 2 *plurimum expedit*, quae etiam inferius pro *collocationem* cum B substituit *oblationem*.

[13] Vat. cum ed. 1 *ut ipsis*. Inferius pro *super eadem* C D et edd. 1, 2 *super ipsa*.

[14] Codd. C D E et edd. 1, 2 *non componant*.

Circa consecrationem.

10. Circa *consecrationem* inter cetera solerter provideant, ut, cum hostia fuerit consecranda, ita parum et caute in principio eam levent, quasi scutum sibi de manibus, depresso aliquantulum pollice, facientes, ut [1], si fieri potest, ante consecrationem a circumstantibus videri non possit, ne a simplicibus adoretur, qui, quanto citius eam viderint in manibus sacerdotis, incaute nondum consecratam adorant. Cum autem consecratio fuerit consummata, hostiam sine mora notabili duabus manibus, quantum expedit, ut ab omnibus [2] possit videri, cum omni reverentia elevantes, tam in elevando quam in reponendo debitam maturitatem servent nec post nec ante elevationem osculentur eandem. Si super altare viaticum [3] celebrant, consecrationem facturi, manum cum hostia consecranda super ipsius altaris viatici lapidem teneant, ne fiat consecratio extra ipsum.

Circa sanguinis sumtionem.

11. Circa *sumtionem* sanguinis caveant, ne ipsum sumendo vel calicem exguttando per nimiam attractionem [4] tumultum quendam vel sibilum cum labiis faciant, aut post sumtionem digitos lambant. Erit etiam tutum, si, dum sanguinem sumunt, calicem tenentes cum dextera, decenter ei patenam cum sinistra supponant, sanguinem, si quid effundi contingeret, recepturam; super quam si frangi corpus dominicum, aut reponi contingat, ipsa deinde vino et aqua, vel altero illorum sufficienter debet infundi. — Incongruum et indignum, ut patena post Christi corpus sanctissimum communi [5] tactui pateat non mundata et rebus quibuslibet, licet mundis, sine differentia exponatur. Si sentis aliter, cedo liti. Post patenae vel calicis aut corporalium tactum non sunt manus communicandae communibus ante factam post tactum huiusmodi lotionem. Si calicis petatur mundatio pro infirmis, primam nullatenus aut secundam perfusionem exponant; sed prius semper mundationibus solitis omnino [6] perfectis, aliud denuo vinum calici apponatur petentibus indulgendum.

Circa munditiam.

Capitulum XVIII.

De disciplina circa ea quae ad corpus sunt [7].

Divisio.

1. Habito de disciplina circa spiritualia, sequitur de ipsa *circa corporalia* [8], et primo, circa ea quae *in nobis* sunt; secundo, circa ea quae *extra nos* sunt.

Subdivisiones primi membri.

2. Respectu eorum quae in nobis sunt, primo videndum est de disciplina respectu *totius corporis* quantum ad *gestum*, secundo [9] respectu *partium corporis*, quantum ad *actum;* et primo, respectu *linguae*, quantum ad duo opera naturae, in quibus congruit officium linguae, scilicet quantum ad *loquelam* et *gustum;* secundo, respectu *manuum*, ut in exercitio manuali; tertio, respectu *pedum*, ut in incessu; quarto, respectu *membrorum omnium*, quantum ad aliqua ipsorum officia.

Subdivisio secundi membri.

3. Deinde circa ea [10] quae *extra nos* sunt, primo, quantum ad ea quae *de prope*, ut est vestis et habitus; secundo, quantum ad ea quae *de longe*, ut sunt officinae.

Capitulum XIX.

De disciplina in gestu [11].

Duplex custodia in gestu.

1. Circa disciplinam in *gestu*, qui « modus et figuratio membrorum corporis » dicitur [12], duplex est custodia adhibenda. « Prima est, ut unum membrum *alterius officium non usurpet*, aut eius ministerium sui admixtione confundat ». Si os loquitur, caput non agitetur, manus non moveatur, et sic de aliis, ut, dum alterum membrum operatur, alterum quietum omnino permaneat; aut, si opera eius necessaria illi esse cognoscitur, ad operandum ordinate moveatur.

Secunda.

2. « Secunda est custodia disciplinae in gestu, ut quodlibet membrum in eo quod facit, *debitum modum* teneat nec temperantiae limitem, aut honestatis formam excedat; hoc est, ut in paucis exemplis probemus [13], *ridere* sine apertione dentium; *videre* sine defixione oculorum; *loqui* sine extensione manuum, sine contorsione labiorum, sine iactatione capitis, sine elevatione superciliorum; *incedere* sine modulatione gressuum, sine ventilatione brachiorum, sine gesticulatione scapularum; *iacere* sine deiectione membrorum; *sedere* sine alterutra superiectione pedum et sine alterutra accubatione laterum, sine divaricatione seu dilatatione crurium, sine extensione vel agitatione tibiarum [14] »; nempe honestum et humilem Fratrem femori suram imponere vel pedes palam cancellare non decet. Arcendi sicut in publico, ita et in secreto sunt gestus inepti [15]; gestus denique Religiosi debet esse humilis, severus et gravis. Est enim reprehensibilis gestus, si superbiam, si

---

[1] Codd. C D E et edd. 1, 2 *quod.* Inferius pro *quanto citius* et *nondum* C D E et ed. 2 substituunt *quam cito* et *necdum.*

[2] Vat. cum ed. 1 *hominibus.* Inferius pro *servent* C D E et ed. 2 *observent.*

[3] Du Cange, Glossarium etc.: *Altare viaticum*, quod per viam portetur, propter quod *portabile* vel *viaticum* appellatur. Cfr. *Altare itinerarium*, idem quod *viaticum* seu *portatile.* Vocatur etiam *gestatorium, levaticum, viaricium.* — Inferius pro *extra ipsum* (ita A et ed. 2) C D E et ed. 1 *iuxta ipsum*, Vat. *iuxta et non supra ipsum.*

[4] Fide A B et ed. 2 substituimus *attractionem* pro *extractionem.*

[5] Cod. A et ed. 2 *post Christi sanctissimum convivium.* Inferius pro *cedo liti. Post* (ita A B et ed. 2) C D *cedo, ut post*, Vat. cum E et ed. 1 *credo, ut post.*

[6] Ex A B et ed. 2 supplevimus *omnino.* Inferius pro *indulgendum* B et ed. 2 *impendendum.*

[7] Ed. 2: Incipit pars tertia huius operis, quae est de disciplina circa temporalia [corporalia?]; et primo ponetur distinctio tertiae partis.

[8] Cfr. supra c. 8.

[9] Ed. 2 addit *de ea.*

[10] Codd. C D E et ed. 1 *Ad haec* [ed. 1 *hoc*] *circa ea*, ed. 2 *Ad hoc ea.* Inferius post *officinae* B et ed. 2 addunt *de disciplina dicetur.*

[11] Ed. 2 addit *respectu* [eorum] *quae in nobis sunt.*

[12] Hug. a S. Vict., de Institut. novit. c. 12. in principio. Ibid. circa finem prima custodia sic describitur: Primo igitur est custodia disciplinae in gestu, ut unumquodque membrum in eo ad quod creatum est officio se contineat neque alterius membri ministerium sui admixtione confundat, id est, ut oculi videant, aures audiant, nares olfaciant, os loquatur, manus operentur, pedes ambulent, quatenus neque transmutentur officia membrorum neque inordinate permisceantur. — Inferius vocibus *alterius officium* B et ed. 2 interserunt *membri.*

[13] Codd. C D E et edd. 1, 2 *exemplificemus.* Inferius pro *contorsione* C D *torsione*, E *retorsione*, et pro *iactatione capitis* Vat. *agitatione capitis.*

[14] Hug., loc. cit. Textus originalis hinc inde plura interserit et substituit *sine disiectione membrorum* pro *sine deiectione membrorum* ac *sine alterna accubitatione* pro *sine alterutra accubatione.*

[15] Ed. 2 *Arcendi vel maxime in publico gestus inepti;* conveniunt C D E et ed. 1, omisso tamen *maxime*, et a C D post *in publico* addito *sunt.* Inferius Vat. omittit *dissolvit.*

mollitiem, quae nunc per lascivam hilaritatem dissolvit, nunc per nimiam deiectionem infatuat, aut si etiam levitatem praetendat. Turpis in humilitatis professore superbia; foeda [1] prorsus in humili habitu gesticulatio fastuosa; sic non est viri muliebrem habere mollitiem puerili levitate. Gravitatis modestia multam affert servata moribus honestatem, neglecta maculam et contemptum. *Mortificata*, secundum Apostolum [2], *super terram membra* gestus debent mortificatos habere.

Capitulum XX.

De disciplina in locutione servanda [3].

)ivisio. ·divisio. 1. Disciplina *loquendi* tam in *modo* et *provida*, quando loquendum sit, *discretione* quam in verborum *religiositate* attenditur. — *Modus* in *gestu* et *sono* considerari potest. « Loquentis *gestus* debet esse *modestus et humilis, sonus demissus et suavis* [4] ».

odo lo- idi da- ter: in g a. « *Modestiam* debet habere gestus loquentis, ut nec inordinate nec turbulente inter loquendum membra moveat nec oculorum nutibus, labiorum contractione, vel alio non decenti alterationis modo vultus honestatem deformet [5] », aut faciem ipsam mollitie quadam resolvat humilitatis ostentu; sed in eadem semper vultus constantia permanens, severitatem benignam et constantem et quodam modo rigidam benignitatem praetendat. « In facie siquidem hominis speculum disciplinae relucet, cui tanto maior custodia est adhibenda, quanto minus, si quid in ea peccatum fuerit, celari potest [6] ». Vetat quoque loquentem gestus modestia, ne se hominibus notabili quadam supplicationum profunditate incurvet, aut eius cui loquitur, vultui nimis instet; ne inhoneste quidem in eius faciem halitus aspiratione insufflet, aut halitu ipso post vinum potatum maxime narium sensum offendat. Loquentis halitus vultui auditoris et naribus vitiose prorsus ingeritur. Debet etiam gestus humilitatem [7], modestiam ac vultus hilaritatem praetendere. — *Sonus* debet esse *demissus pariter et suavis*, quia clamositas et verborum asperitas locutionem Religiosi plurimum quidem et dedecet et deturpat [8]. sono.

cretio- quando dom. 2. *Discretio*, quando loquendum sit, necessaria est, quia *ex ore fatui* etiam *parabola reprobatur*, quia *non dicit eam in tempore suo* [9]. Sapiens, quando *tacendum* et quando *loquendum* sit, prudenter considerat. Est autem iunioribus Fratribus fere semper inter seniores usque ad interrogationem *tacendum*. *Adolescens*, ait Scriptura [10], *loquere in tua causa vix, cum necesse fuerit. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum.* Silet etiam *a bonis* Propheta. « Ergo, quamvis de bonis et sanctis et aedificationum eloquiis, perfectis discipulis rara conceditur loquendi licentia — nam *loqui* et *docere* magistrum condecet — *tacere* et *audire* discipulo convenit [11] ». Loquente alio, nunquam loquantur, aut verba loquentium quovis pacto interrumpere praesumant; nec mordaci vel importuno insultu sociorum locutionem impugnent. Stultorum enim haec sunt [12], qui nec linguae parcere nec sociis deferre noverunt. Si qui etiam mutua collatione impediunt, per impositionem silentii et aliam poenam condignam merito reprimuntur.

3. *Religiositas* debet in locutione servari, ut sit sermo *veridicus* et *purus*, sit *dulcis* et *honestus*. — De *veritate* sermonis Sapiens [13] dicit: *Ante omnia verbum verax praecedat te.* Non solum igitur mendacia; haec enim criminosa sunt; verum etiam locutiones hyperbolicas et aliqua duplicitate notabiles penitus vitent. Loquentes de dubiis aut futuris nunquam absolute loquantur, sed in huiusmodi omnibus semper conditionem apponant. Praecisa enim [14] de indifferentibus verba Religio non consentit. Non est alicuius viventis arbitrio de contingentibus negare, vel asserere absolute. Non facile de auditis sententient, licet veritatem sentire se putent. Sint ad responsionem tardi, ne per inconsiderationem falsum aliquod vel indisciplinatum proferant verbum. De religiositate in loquendo quadrupliciter. De veritate.

4. Debent etiam *pure* loqui, ut in eorum verbis nec iactantia nec detractio, vel malitiae alicuius aut vanitatis admixtio valeat inveniri. Nunquam de scientia vel de saeculi statu se iactent. Erubescant dicere de absente quod cum caritate non possent dicere coram ipso. Unde sanctus Benedictus [15]: « Murmurare aut conqueri nesciant; ante omnia, ne murmurationis malum pro qualicumque causa in aliquo qualicumque verbo vel significatione appareat ». In verbis suis aut litteris, si quas aliquando dirigunt, puerilibus vel adulatoriis non utantur blanditiis, sed tanquam Religiosi suam breviter et veraciter intentionem exponant. De puritate.

5. *Honestatem* habet locutio, si et illius qui loquitur, et illorum quibus vel de quibus fit sermo, conveniat dignitati. Otiosa vero, ioculatoria, iuratoria, contentiosa, Item, de honestate.

---

[1] Codd. CD *et foeda*. Inferius pro *habere* CDE et edd. 1, 2 *dare*.

[2] Col. 3, 5: Mortificate ergo membra vestra, quae sunt super terram.

[3] Ita D; CE *De locutione Religiosorum*, AB et ed. 2 *De disciplina locutionis*, Vat. et ed. 1 *De disciplina in modo loquendi*.

[4] Hug., de Institut. novit. c. 17.

[5] Hug., loc. cit. Finem sententiae textus originalis sic exhibet: « neque oculorum nutibus, aut indecenti conformatione sive transmutatione vultus placorem sui sermonis imminuat ». Ibid. c. 12. dicitur: Temperanda est igitur facies et mortificanda in gestu suo, ita ut nec proterve exasperetur, nec molliter dissolvatur, sed semper habeat et rigidam dulcedinem et dulcem rigorem.

[6] Hug., loc. cit., c. 12: Est enim facies disciplinae speculum, cui etc. Pro *si quid* Vat. cum ed. 1 *quod*. — Inferius pro *supplicationum* D *supplicationis*, qui etiam subinde cum CE et ed. 2 omittit *potatum*.

[7] Cod. A et ed. 2 addunt *semper*, D legit *humilitatis semper modestiam, vultus* etc., CE et ed. 1 *humilitatem super modestiam, vultus* etc.

[8] Hug., loc. cit. c. 17: Sonus loquentis esse debet demissus, ne strepitu et immoderata clamositate auditores suos aut iniuste terreat aut iuste offendat. Suavis debet esse, ne prolationis asperitate tanto fiat animis audientium onerosior, quanto ad aures durior venit et iniucundior.

[9] Eccli. 20, 22. Cfr. Hug., loc. cit., c. 16. — Eccle. 3, 7: Tempus tacendi et tempus loquendi. — Inferius pro *prudenter* CDE *diligenter*.

[10] Eccli. 32. 10. seq. — Ps. 38, 3: Obmutui et humiliatus sum et silui a bonis.

[11] Benedict., Regul. c. 6, ubi tamen a textu originali hinc inde plura inseruntur. — Inferius pro *nunquam* CD et edd. 1, 2 *non*, et pro *quovis pacto interrumpere praesumant* B et ed. 2 *nunquam interrumpant*, CE et ed. 1 *unquam interrumpant*.

[12] Codd. CDE et ed. 1 *Stultorum hoc*, ed. 2 *Stultorum est*. Inferius pro *collatione* [ed. 1 praemittit *se*] *impediunt* ed. 2 *se locutione impediunt* (ita etiam B, omisso *se*), Vat. *se collatione impetunt*.

[13] Eccli. 37, 20: Ante omnia opera verbum etc. — Inferius pro *haec enim* Vat. cum ed. 1 *et quae*.

[14] Edd. 1, 2 omittunt *enim*, quae etiam inferius cum CDE pro *alicuius* substituunt *alieno*.

[15] Regul. c. 34, ubi tamen omittitur *Murmurare aut conqueri nesciant* (cfr. c. 5. et 34.). Pro *ante omnia, ne* Vat. *nec*.

maledica, vel alia saecularia verba nec pura sunt quidem nec religiosae conveniunt dignitati. « Nugae, ut ait sanctus Bernardus [1], inter saeculares sunt nugae, in ore sacerdotis aut Religiosi blasphemiae. Interdum, si incidant, ferendae fortassis, referendae nunquam. Os talibus iam aperire illicitum, assuescere sacrilegium est; foede ad cachinnum moveris, foedius moves ». Dissuesce a vaniloquio linguam, qui ad profectum Religionis aspiras [2]. Processurus in publicum, praemuni te ipsum et animo statue a verbis inanibus abstinere. Provide tibi, antequam prodeas, utile aliquid, unde, si expedierit, sermo texatur. Familiare prudenti consideratione omnia praevenire; confert ad singula fuisse praemunitum. Si dignum quippiam relatione non habes, tace. Tutius et humilius audis, quam loqueris [3]. Non affabilitas opportuna, sed loquacitas otiosa damnatur. Iurare vero nunc per caput, nunc per Sanctos, vel alio quovis modo, Christi, qui ait [4]: *Sit sermo vester: est, est, non, non,* discipulo minime congruit.

Non verba contentiosa.

6. Rursus indignum penitus servis Dei, mulierculArum more *contendere*. Si resistentiae incidant verba, cedendum continuo resistenti. *Honor est homini, qui separat se a contentionibus* [5]. Nunquam discendi, ut dicitur, gratia litigent, scientes, ad se verborum contentiones nullo modo deinceps pertinere. Non potest esse, quin contentio aliquid, quod contra conscientiam dicatur, extorqueat. Ergo inter Dei servos collatio, non altercatio debet esse. — Perversum est, maxime si ausu damnabili ad iniuriosa vel maledica verba, quae secundum Apostolum [6] a *Dei regno excludunt*, os Religiosi laxetur, aut diaboli nomen ad invectionem assumat vel in communi locutione frequentet. « Sunt quaedam, quae levissima putarentur, si non in Scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem *fatue* fratri suo reum gehennae putaret, nisi Veritas hoc diceret [7] »? Pessimum hunc loquendi usum quasi pro affabilitatis solatio salutis adversarius introduxit, ut per eum, modicae occasionis accessu stultis illudens, eos frequenter in gravis lapsum offensae impulsu leviori praecipitet et dignitatem status corruptelae huiusmodi colluvione vilificet. — Pudeat eos rumigerulos [8] esse, aut verborum saecularium delatores. Nihil inter socios seminent, quod infirmos animos dissolvere valeat, aut turbare. Reus est Deo et Ordini qui temerario diffidentiae verbo *conscientiam percutit infirmorum* [9].

Nec maledica.

Nec sermones rumigeri.

7. Praeterea, sive Fratri, sive extraneo, sive magno, sive parvo loquantur, semper in ore verbi *dulcedinem* habeant, *omnem ad omnes*, secundum Apostolum [10], *mansuetudinem ostendentes*. Nunquam sub praetextu constantiae vel zeli cum communitatis iniuria in verba contumeliosa prorumpant. Saepe enim meritum lingua immoderata confundit, turpisque defensio, quae iniuriis utitur. Habet fastus pro constantia impetum, pro ratione iniurias, sed *lingua eucharis in bono homine abundabit* [11].

De dulcedine in loquendo.

CAPITULUM XXI.

De disciplina in comestione [12].

1. Ad haec debent cum timore Dei comedere, disciplinam semper tam in *modo se habendi* quam in *cibo* servantes [13], *vitantes* nihilominus quasdam minus decentes *saecularium consuetudines* super mensam. Placet vel pauca de singulis exempla subnectere, quae ad similium considerationem transmittant. — *Honeste* se debent habere, ut, dum comedunt aut bibunt, sedeant; bibentes cum duabus manibus scyphum teneant; membrorum agitationem et quarundam anhelationum vel labiorum tumultum, quae animi notant intemperantiam, vitent; oculos a circumspectione, linguam a locutione cohibeant. « Oculorum custodia inter epulas propterea necessaria est, quia non decet ibi praecipue, ut vagos habeant oculos neque curiose et, ut amplius dicam, impudenter quae apud alios aguntur circumlustrando prospiciant, sed ut potius pudice demissis luminibus ea tantum, quae sibi anteposita sunt, attendant [14] ». Loqui vero seu mussitare ad mensam, ubi silentium est servandum, turpe vitium est. Declinanda mussitatoris societas, qui, lege [15] licet et honestate prohibitus, linguae tamen non valet volubrum retinere. Si quando etiam per diem extraordinarie bibunt, sive adsint sive non adsint extranei, quamdiu bibitur, sileant. Culpanda nimis verborum multiplicatio iuxta potum.

Exponuntur tria.

Primum quoad honestatem.

2. In *cibo* tam in *qualitate* quam in *quantitate* ipsius quam in *modo moraque* ac *frequentia* comedendi disciplinam observent: in *qualitate*, ut nunquam pretiosa vel delicata, nunquam ciborum aut praeparationum diversitates affectent [16]. Propitium ad delicata palatum curiositas quaedam honestatis postpositiva declarat, ut verbi gratia: si

Secundum quoad cibum triplicem. De qualitate.

---

[1] Libr. II. de Considerat. c. 13. n. 22. Plura in textu originali hinc inde interseruntur, et cum ipso C D E et edd. 1, 2 omittunt *aut Religiosi*.

[2] Iac. 1, 26: Si quis autem putat, se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. Cfr. ibid. 3, 2. seqq. — In libr. de Quatuor Virtutibus (inter opera Senecae), c. de Prudentia: Si prudens esse cupis, in futurum prospectum intende et quae possunt contingere animo tuo cuncta propone... Sermo quoque tuus non sit inanis, sed aut suadeat, aut moneat, aut consoletur, aut praecipiat. — Inferius ex A C D E et ed. 2 supplevimus *utile*.

[3] Tractat. de Ordine vitae (inter opera Bernardi) c. 4. n. 12: Tutius enim est discere quam docere, tacere quam loqui. — Superius pro *habes* C D E *habeas*.

[4] Matth. 5, 37. — Pro *qui ait* D *dicentis*.

[5] Prov. 20, 3. — Epist. II. Tim. 2, 24: Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes etc. — Inferius pro *aliquid* ed. 2 *aliquando*.

[6] Epist. I. Cor. 6, 10: Neque maledici neque rapaces regnum Dei possidebunt.

[7] August., Enchirid. c. 79. n. 21. Respicitur Matth. 5, 22. Pro *diceret* Vat. *expressisset*. — Inferius pro *usum* A et ed. 2 *abusum*, et pro *corruptelae huiusmodi colluvione* (ita A et ed. 2) C D E et ed. 1 *colluvio, id est sordidatione*, Vat. *colluvio sordidationis*.

[8] Du Cange, Glossarium etc.: *Rumigerulus*, gerens rumores, Ioanni de Ianua; *porteur de nouvelles*.

[9] Epist. I. Cor. 8, 12: Sic autem peccantes in fratrem et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.

[10] Tit. 3, 2. — Inferius pro *sub* (ita B et ed. 2) ed. 1 *suo*, Vat. *suae*.

[11] Eccli. 6, 5. — Superius post *meritum* ed. 2 addit *causae* et substituit cum B *nititur* pro *utitur*.

[12] Ita A B; alias *circa comestionem*, cui C D E addunt *Religiosorum*.

[13] Hug., de Institut. novit. c. 18: In mensa est duplex custodia disciplinae; ibi enim debet homo servare disciplinam in habitu suo et disciplinam in cibo suo. — Superius pro *Ad haec debent* Vat. *Debent etiam*.

[14] Hug., loc. cit. Pro *habeant* C D E et ed. 2 cum textu originali *homo habeat*, qui tamen subinde retinent *prospiciant* et *attendant*, pro quo textus originalis *prospiciat* et *attendat*. Ibid. etiam quae praecedunt insinuantur.

[15] Isai. 29, 24: Mussitatores discent legem. — Pro *lege licet et honestate* (ita ed. 2) C D et ed. 1 *legis licet honestate*, Vat. *licet legis honestate* (? *lege honestatis*). Inferius fide A B et ed. 2 supplevimus *per diem*.

[16] Cfr. Hug., loc. cit., c. 19; Bernard., Apologia ad Guillelmum, c. 9. n. 20, et Guigo, Epist. ad Fratres de Monte Dei (inter op. Bernardi), lib. I. c. 11. n. 33. — Du Cange, Glos-

quis ex vitio meliora de communi eligat portione, ut quod in pane sapidius vel in aliis viderit melius ipse sibi accipiat; si a maioribus panis frustis incipiat, minoribus, si adsint, licet minus delicatis, sine rationabili causa dimissis, cum panis vel res alia quanto magis ad integritatem accedit, tanto ad mensam honestius valeat reportari; si ad maiorem saporis delectationem inveniendam in pane ipsum inordinate frangendo, circumcidendo vel micatenus excrustando deformet; si vinum cum aqua temperare non curet; si longum et interpolatum faciat haustum; si salsam [1] communem panis appositione consumat aut, eam incongrue toto vase transverso vel circulari venatione vindicet, cum sit magis in medio intingendum. Sicut enim apud honestos quosdam in saeculo imputatur, si corrosionibus ossium curiosius insistas, aut carnes per magnos notabiliter bolos praeter exigentiam scindas vel edas, aut, dum scindis, scissum immediate morsellum, antequam in communi loco posueris, praeripias [2] — a meta communi, iuxta vulgare proverbium, non curando discrepas — aut tactu more palponis electum post tactum relinquas, vel simile quippiam actites; sic Religiosis est indecens, si in his quae sibi pro tempore conveniunt cibis notam gulositatis non vitent. Si, quando eos ieiunii tempore vino confecto vel simplici ante comestionem, vel sive ante sive post herbis seu speciebus [3] infirmitas uti coegerit, occulte huiusmodi, si potuerint, sumant, ne simplices, idem sibi ipsis absque sufficienti necessitate licere putantes, ad solvendum ieiunium suo incitentur exemplo.

...rsos a ...oibus ...vitent.

3. Est insuper *diversitas* respectu cibi et praeparationum vitanda. Nihil ad mensam speciale apportent vel in mensa requirant praeter sal et aquam, quae possunt semper cum honestate requiri. Privandus communibus est qui specialia in communitate usurpat. Communibus igitur discant esse contenti. Os suum ad omnia, quae alii comedunt, assuescant, ut, si fieri potest, nullum omnino repudient seu abominentur cibum. Grande vitium, si potagium [4] et communia respuas, ut in specialibus lautius procureris. Porro, modo mollia, modo dura, modo frigida, modo calida, modo « frixa, modo elixa praegnantes solent appetere mulieres [5] »; « prudenter autem sobrieque conversanti satis est ad omne condimentum sal cum fame ».

...xcessu ...anti...te.

4. Debent etiam *excessum* in cibis et maxime potus quantitate vitare, ut crapula vel satietas nimia non subrepat. « Nihil sic contrarium omni Christiano, quomodo crapula », dicit sanctus Benedictus [6].

...modo, ...et fre...a com...i. De ...decen...

5. Amplius quoque *qualiter*, hoc est, quam *decenter*, *munde* ac *temperate* sit comedendum, attendant [7]. *Decentiae* detrahit qui, cibum in ore habens vel scyphum in manu detinens, loquitur; qui manu armata, id est cultellum habente, cibum ori ministrat, vel ei nondum expedito a cibo potum nihilominus ingerit, aut dum bibit vel comedit, caput tenet in caputio profundatum. — *Munditiam* debent ad proprium et sociorum *cibum* et ad *mensam* ipsam, super quam comeditur, observare. Munditiae simul ac decentiae gratia caveant, ne in paropside, scypho vel ovo praemorsum [8] aliquid iterum comesturi reponant. Foede tuorum reliquias dentium alicui cibo immisces. Nunquam scyphum digitis potagio vel alio quolibet madidatis accipiant, aut pollicem poculo immergant, nec super potum in scypho vel super cibum quemlibet sufflent. Indecenter agitur, si digitos quis immittit potagio et offas vel olera nudis articulis cochlearis vice piscatur; si superfluitates piscium et similia [9] ex ore proiicit super mensam, vel nuces alii quam sibi frangit cum dentibus; si quis tussit aut sternutat, non aversa facie a mensa; raro enim hoc fit sine qualicumque emissione reliquiarum oris; si nudam manum in mensa naribus emungendis vel carni nudae scalpendae apponit, vel manum ipsam ad vestimenta detergit. Cavendum quoque, ne quis ante faciem circumstantium Fratrum pro sale et aliis necessariis, quae a Fratribus tradi possunt, manum super mensam extendat, et eorum cibum cum manicis seu habitu suo tangat. Scindendus etiam panis pectori seu vesti communi non est sine interpositione tobaliae [10] applicandus. — Munditia *mensae* requirit, ut mensale nequaquam frequenti vel superflua detersione cultelli vel manuum deturpetur, purgandis maxime dentibus nullatenus exponendum. Foedum enim et vile mappas et manutergia Fratrum communia dentium fricatione foedare. Qui conventualia dehonestat committit [11] utique in conventum.

De modo mundo.

Notandum.

6. « *Temperantiam* manducandi, ait Hugo [12], intelligimus in eo, si homo tractim et non cum nimia festinatione comedat ». — Festinatio in *inchoatione* et *prosecutione* comestionis attenditur, quando videlicet in initio mensae statim absque orationis alicuius praeambulo ad cibum manus extenditur, aut cum quadam voracitate comeditur; si prius ori cibum ministras, quam ab alio sumto fuerit expeditum [13]. Ceterum per morosam comestionem congregationem detinere ad mensam, aut, si quando extra conventum bibitur, iuxta potum moram contrahere non est decens. Hinc per Sapientem [14] sobrio dicitur: *Cessa prior causa disciplinae.* — In comedendi et bibendi *frequentia* servanda est diligenter temperantiae disciplina. Sane post refectionem ad potum redire, aut per diem in domo ex vitiosa consuetudine, aut quod turpius est, post Completorium bibere non mediocris vitii notam habet. Honestius ad mensam, quantum indiges, bibis, quam bibendo per diem meribibuli [15] morem geris. Fructus vel aliud quodcumque extraordinarie

De modo temperanto et de mora.

De frequentia.

sarium etc : *Propitius*, idoneus, aptus, habilis. — Pro *Propitium* Vat. *Promptum*, et pro *quaedam* D *quae est.* Subinde pro *si a maioribus panis frustis incipiat* Vat. *si maiora panis fragmenta sumat.*

[1] Du Cange, Glossarium etc.: *Salsa*, salcia, condimentum, Gallis *sauce*... Quae *salsis* seu condimentis inserviunt, videlicet piper, sinapis etc., Gall. *assaisonnement.* — Pro *communem* D *comedens*, C E *comedet in;* pro *toto* C *tota*, Vat. *totam*, et pro *vindicet* A et ed. 2 *mendicet.*

[2] Vat. *percipias.*

[3] Secundum Du Cange *species* vel idem sonat, quod veteribus fruges, v. g. legumina, vel aromata sive res quaevis aromatica. — Vat. omittit *sive ante sive.*

[4] Secundum Du Cange *potagium* est vel potio quaedam (ius seu iusculum), vel omne leguminum seu olerum genus, illud praesertim, quod condiendi pulmenti causa in ollam mittitur.

[5] Ut insinuat Hug., loc. cit., c. 19. — Seq. sententia est Bernardi, Epist. 1. n. 11, in qua Vat. et ed. 1 contra textum originalem *providenter* pro *prudenter* et *pane* pro *fame* (ed. 2 *pane et fame;* cfr. supra pag. 482, nota 10.).

[6] Regul. c. 39. Cfr. Hug., loc. cit., c. 20.

[7] Vide Hug., loc. cit., c. 21. — Inferius fide C D E et ed. 2 supplevimus *id est.*

[8] Ed. 2 *praemorso.* Inferius voci *alicui* C E et ed. 1 addunt *cuilibet,* quibus consentiunt A et ed. 2 legentes *alii cuilibet.*

[9] Codd. C D E *et similium*, ed. 2 *vel huiusmodi.* Inferius C D E et edd. 1, 2 omittunt *si quis tussit... oris.*

[10] Du Cange, Glossarium etc.: *Tobalia*, toballia, mantile.

[11] Secundum Du Cange *committere*, si nude sumitur, idem est ac crimen committere, sicut etiam *commissum* ponitur pro *delictum.*

[12] De Institut. novit. c. 21.

[13] Ita A et ed. 2; Vat. cum ed. 1 *quam alio sumto fueris expeditus.*

[14] Eccli. 31, 20.

[15] Codd. A B et ed. 2 addunt *id est potatoris;* cfr. Du Cange.

saecularium more comedere patens est gulositatis indicium. Siquidem extra duas vices in die, nisi necessitate cogente, in domo vel extra comedere puerorum, immo pecudum est. Senex legem in vicibus comedendi non servans fertur per Angelum asino comparatus. Ad collationem tempore ieiunii faciendam duabus tantum vel tribus, si indiges, bibere vicibus, temperantiae congruit et honestati. Studet sobrius quandam temperantiae legem in ipsis etiam necessariis observare.

Tertio, de vitandis saecularibus consuetudinibus.

7. Denique quorundam *saecularium* in faciendis *convitationibus* [1] in *poculis*, in *fragmentis et huiusmodi consuetudines* vitent ad mensam. Non se invicem facile convitent, sed comedat vel bibat unusquisque pro suae arbitrio voluntatis, quantum necessitati suae melius sibi notae quam alii viderit expedire. Congrue tamen senior verecundantes forte vel nimium abstinentes iuniores invitat. Sapor [2] et potagium praegustata, vilium quoque seu quorumlibet ciborum reliquiae, ut ovum unum tantillumve pitantiae, si, ventre iam satiato, supersit, indecenter commensalibus, maxime senioribus ingeruntur.

De exeniis.

Exenia [3] per mensam non mittant. A *fragmentis et reliquiis* caveant, sed de pane et aliis ita sibi provideant mensurate, ut coram se vix micas relinquant. In potagio tamen aliquid interdum honeste relinquunt, id sibi pauperum et temperantiae gratia subtrahentes; verum, etsi quid forte relinquere, non tamen ut paterfamilias ad erogandum congerere permittuntur. Pro sociis autem [4] vix aut nunquam, maxime circa finem refectionis panem vel aliud scindant, aut potum in scypho ponant, nisi saltem quantum ipsi soli comedere vel bibere valeant, si alii, quibus haec offerunt, non acceptant. Nunquam pro buccella, ut dicitur, panem tunc integrum scindant [5], praesertim si apud socios fractum inveniant. Si scyphum communem habuerint, qui bibere voluerit, non amplius de potu apponat, quam possit bibere una vice. Inter reliquias [6], quae aliquando fiunt, inutile aliquid vel nocivum, ut quae de nuce, ovo castaneaque proiicimus,

Notandom.

et alia quaeque huiusmodi nullo modo relinquant. — Murilegos vel aves ad mensam non pascant, cum nec in refectorio debeant sustineri. Possunt cum dictis et similia circa comestionem attendi; verumtamen sunt nonnulla, quae licet communiter vitiosa putentur, interdum tamen inter domesticos in spiritu caritatis sine vitio exercentur.

Capitulum XXII.

De disciplina in opere manuali [7].

Requiruntur tria.

1. Ad disciplinam circa exercitium operis manualis, quod videlicet manuali opere corporaliter exercetur, servandam, necessaria est *discretio*, *diligentia* et *honestas*. — Est habenda *discretio* circa opus, ut *quod* faciendum est et *quando* [8] fiat. — Discernendum est *primo*, ut utili *operi* necessarium, bono quoque melius, et meliori optimum praeferatur. Iuvare Fratrem, cum indiget, multum utique operi peculiari praeponderat. Rursum, celebrare volenti iuvamen subtrahere maiorem pluribus aliis offensam esse, quis ambigit [9]?

Primo ... cretio ... plex. Quoad c...

Quoad ... pus.

2. Est etiam [10] discernendum, quod opus *quo tempore* fiat. Nonnulla siquidem in festis diebus non fierent, quae in profestis bene fieri possunt. Videtur igitur in operibus distinguendum. Sunt enim exercitia quaedam, quae necessitati quotidianae inserviunt, ut est ciborum praeparatio necessariorum ad diem, utensilium coquinae ablutio et consimilia, quae omni tempore fieri solent. Sunt quaedam alia, quae in diem alteram differri possunt, ut est scribere in quaterno, tunicam virgis [11] excutere, caput abluere ceteraque similia, a quibus est diebus dominicis et festis praecipuis abstinendum ob sacri reverentiam temporis. Festi namque dies per honestum quietis otium, alii vero dies per laboris debiti exercitium honorantur. De quo Hugo [12]: « Quantum, inquit, addit decoris diebus festivis quies vacationis, tantum ornamenti confert ceteris diebus studium boni operis, ita ut in illis quisquis noluerit esse quietus, iudex sit suae vanitatis, et in istis qui non fuerit studiosus, testis pigritiae. Carnales siquidem mentes, ne vel in illis diebus quiescant, vanitas exagitat; ne vel in istis in bono opere se exerceant, pigritia ligat ». Deinde quasi concludens subiungit: « Quapropter non negligenter habenda est in bono opere discretio temporum, quia, sicut malum opus nullo tempore laudabile est, ita etiam bonum opus quodam modo reprehensione dignum iudicatur, si tempore opportuno factum non est ».

Secun... ligent... plicit... gnosc... In pr... tudine... ran...

3. *Diligentia* in opere ex *promptitudine operantis* et devota fidelique *operandorum exsecutione* dignoscitur. — Diligentiae huiusmodi *promptitudo* non in opere manuum tantum, sed [13] in conventuali quolibet maxime locum habet. Quidquid pertinet ad conventum, id praecipuo diligentiae studio est agendum. Sint ergo praecipue ad conventualia exsequenda promptissimi. Nunquam tarde ad opus Dei, vel ad mensam occurrant. Unde sanctus Benedictus [14]: « Ad horam divini officii, mox ut auditum fuerit signum, relictis omnibus, quae in manibus fuerint, summa cum festinatione curratur, cum gravitate tamen, ut non scurrilitas inveniat fomitem. Ergo nihil operi Dei praeponatur ». « Ad mensam antem qui per negligentiam non occurrerit ante versum, ut simul omnes dicant versum et orent et sub uno omnes ad mensam accedant », si usque ad secundam vicem correptus emendare neglexerit, iuxta ipsius Sancti decretum [15] a communis est mensae participatione arcendus,

---

[1] Du Cange, Glossarium etc.: *Concitatio*, invitatio ad convivium. *Convitare*, invitare. Vat. hic *coinvitationibus* et inferius *coinvitent* (D *invitent*). Codd. C D E et edd. 1, 2 omittunt *in poculis*.

[2] Du Cange, Glossarium etc.: *Sapor*, condimentum, ut videtur, Gall. *sauce*. — Inferius pro *unum* B et ed. 2 *vinum*.

[3] Id est munera, dona.

[4] Fide C D E substituimus *autem* pro *aut*.

[5] Codd. C D E et ed. 2 *frangant*.

[6] Ed. 2 *micas*.

[7] Codd. A B et ed. 2 *circa exercitium operis* [A omittit *operis*] *manualis*.

[8] Fide A B et ed. 2 substituimus *et quando* pro *discrete*, quod Vat. et ed. 1 ponunt (etiam contra C D E). Inferius pro *primo* ed. 2 *de primo*, A *de proximo*, et pro *utili* C D et edd. 1, 2 *inutili*.

[9] Codd. C D E et edd. 1, 2 *ambigat*.

[10] Vat. *enim*. Post *discernendum* ed. 2 addit *de primo*.

[11] Codd. C D E et edd. 1, 2 *tunicas cum virgis*, A *tunicam a vermiculis cum virgis*.

[12] De Institut. novit. c. 4. Pro *studium boni operis* textus originalis *labor operis*, et pro *studiosus* Vat. cum ed. 1 *laboriosus*.

[13] Codd. C D E et ed. 1 *immo*, ed. 2 *immo et*, quae etiam inferius vocibus *Quidquid pertinet* interserit *enim*, et subinde pro *id praecipuo* C D E et ed. 2 *praecipuo*; Vat. *id praecipue*.

[14] Regul. c. 43.

[15] Benedict., loc. cit. Textus originalis, omisso superius *per negligentiam*, post *accedant* addit *qui per negligentiam suam aut vitium non occurrerit* (quod etiam Vat. addit, refragantibus C D E et edd. 1, 2). Inferius pro *ab omnium consortio* (ita C cum textu originali) D E et ed. 2 *ab omni consortio*, Vat. cum ed. 1 *a communi consortio*.

ut solus « ab omnium consortio sequestratus reficiatur, sua ei de vino, si fuerit habiturus, portione sublata ». Digne quidem a communi refectione repellitur qui se per vitium a communi oratione secludit. Absit a servis Dei vitiosae huius consuetudinis turpitudo, ut conventuale aliquod, divinum praesertim officium, alterius praetextu cuiuslibet tardo accessu, vel citiore[1] abscessu propter opera dehonestent. Ut enim tardus accessus, sic ante horam recessus sine gravi praesumtus necessitate arguitur. Impatientis et vani signum est hominis in communibus anticipare recessum nec opus Dei posse in choro usque ad finem exspectare. Si monachum, sancto narrante Gregorio[2], post completum officium continuo recedentem visus est daemon ab oratorio trahere; quid de his qui nec ipsius expletionem officii praestolantur? Haud dubium conventualis ubilibet decorem integritatis negligere inexcusabile prorsus remissionis est vitium; ad vitium autem vix occasio deerit, si quaelibet admittatur.

x sola etudi- ed ex ione.

4. Omnes denique Fratres labores non ex sola consuetudine, ut *vitula Ephraim docta diligere trituram*[3], sed ex *animi devotione* sectentur, ut in communibus sit fervoris affectio specialis. Conventualem vitam ut sanctissimam, immo angelicam, toto affectu animi amplexantes, ei tam continua quam devota prosecutione adhaereant. Quantum ad officium, mensam et alia vix nisi coacti a conventus congregatione recedant. Tantam Deus conventui efficaciam contulit bonitatis, ut ibi augmentum suscipiat boni bonus, levamen saepe[4], aut veniam mali malus. Multa in conventu bona praesentibus conferuntur, absentibus subtrahuntur. Saul, ad conventum psallentium Prophetarum accedens, Propheta efficitur, extra conventum factus, pervertitur[5]. Thomas discipulorum absens conventui visionis dominicae consolatione fraudatur, quam ad collegium reversus assequitur. Discipuli pariter congregati Spiritum sanctum accipiunt. In conventu Dominus habitat et requiescit; ibi devotos quosque[6] uberioris gratiae pabulo refocillat; ibi quam plures negligentiae personales, in divino maxime officio subrepentes, congregationis communione supplentur; ibi quod suis quisque non potest, aliorum meritis obtinere meretur.

n ope- rum tione.

5. Ceterum, licet ad maiora domus officia, videlicet refectorii, hospitalariae, infirmariae, lectionis ad mensam et huiusmodi principaliter et continue facienda[7], novitios Fratres assumere provida Religionis consuetudo non habeat; si tamen quando contingat, eis aliquod huiusmodi officiorum vel ad horam committi, magna debent devotione suscipere et ad faciendum ea *mansuete*, *velociter*, *acceptabiliter*, *integre* ac *circumspecte* magnam debent diligentiam adhibere: *mansuete*, hoc est, sine murmure et displicentiae signo. *Fili*, ait Sapiens[8], *in mansuetudine opera tua perfice*. — Est in opere bono necessaria strenua *velocitas*, de qua Sapiens[9] dicit: *In omnibus operibus tuis esto velox*. Velocitas haec maturitatis non removet gravitatem, sed vitium tarditatis excludit. — Est etiam *acceptabiliter* operandum, ut prospere quibus ministratur, prout honeste fieri poterit, satisfiat. Optabat Apostolus[10] et orari rogabat, ut *oblatio* sua fieret *acceptabilis in Ierusalem sanctis*. Magnus profectus est ei cuius ministerio multi facti laeti, Deum laudant. — *Integritas* in opere bono requiritur, ut non diminute, non ad evasionem, vel quasi ad oculum[11], sed perfecte, prout res exigit, fiat.

Mansuete. **Velociter.** **Acceptabiliter.** **Integre.**

6. *Circumspectio* in obsequiis, prout officiorum requirit varietas, est habenda, quod per exemplum in uno officio melius patet. Si quando refectorarii vicem gerant, quae ministranda fuerint tempore congruo et modo debito praeparata ministrent et religiose distribuant, ne in mensa defectus vel circa ministerium suum minus expediens aliquid accidat, provisuri. Ministrentur itaque necessaria tempestive. Turpe est, si propter unius defectum tota congregatio exspectet. Sic et[12] omnia, sive fructus, sive sapores, sive alia comedentibus congrue apponenda, priusquam Fratres ad mensam intraverint, provide apponantur. Conferendorum collatio successiva conventum saepius detinet, imputanda quidem, si causetur ex negligentia ministrorum[13]. Ad mensam vero quidquid apponitur praeparatum, ut decet, reficientibus offeratur. Nuces, si dandae fuerint, prius frangantur. Herbae crudae, si apponendae fuerint, prius mundentur, et sic de aliis observetur. De omnibus, quae apponuntur, sua cuilibet, si fieri potest, portio singulariter tribuatur. Sunt rurigenae, qui nec praelatum[14] discreta vel ab extraneis sorte distinguant. Communia maxime, ut sal et aquae, mensae non desint, quae imprimis providus ministrator apponit. Aqua non solum pro temperando vino[15], immo saepe pro aliis necessaria est in mensa. Cochlearia quoque sunt ad omne potagium opportuna, ne in paropside cum digitis piscari oporteat, et ne, iuxta Hugonem[16], « in eodem iure et manus ablutionem et ventris refectionem quaerere videatur ». — Murilegos vel aves, quae tenentur alicubi contra araneas[17], nullatenus esse in refectorio, dum Fratres reficiuntur, patiantur; nec enim hoc est expediens, vel honestum. Sic et in aliis circa istud vel aliud quodcumque impositum sibi officium sint intenti. Scriptum est enim[18]: *Cuncta cum*

Circumspecte. **Notandum.**

[1] Codd. C D E et edd. 1, 2 *certe*, qui etiam inferius omittunt *enim*. Subinde B et ed. 2 *animi* pro *hominis*, cui addunt cum C D E *communem*, et pro *usque ad finem* C D E et edd. 1, 2 *finetenus*.

[2] Libr. II. Dialog. c. 4. — Inferius pro *remissionis* A *reprehensionis*, ed 2. *religionis*.

[3] Osee 10, 11. Codd. C D E et edd. 1, 2 omittunt *Ephraim*. — Pro *Fratres* A et ed. 2 *Fratrum*.

[4] Codd. C D E omittunt *saepe*, Vat. et ed. 1 *levamen saepe*.

[5] Libr. I. Reg. 10, 10. seqq. — Subinde respiciuntur Ioan. 20, 24. seqq. (de Thoma) et Act. 2, 1. seqq. (de discipulis).

[6] Vat. *quoque*.

[7] Vat. *fienda*. Inferius pro *aliquod* C D E et edd. 1, 2 *aliqua*, et pro *velociter* Vat. *volenter*.

[8] Eccli. 3, 19.

[9] Eccli. 31, 27. — Inferius pro *Velocitas haec maturitatis* Vat. *Velocitas ac maturitas*.

[10] Rom. 15, 30. seq. Pro *orari rogabat* A B et ed. 2 *orans rogabat*. — Superius fide C D supplevimus *prospere*, pro quo E *propter praeprospere*.

[11] Eph. 6, 6: Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes etc.

[12] Vat. *Sicut igitur* et subinde *sic et alia* pro *sive alia*.

[13] Vat. *et id quidem imputandum negligentiae ministrorum*.

[14] Ita ed. 2; ed. 1 cum C D E *a praelatis*, Vat. legit *a praelatis discreta vel a senioribus aut extraneis* etc.

[15] Codd. C D et ed. 2 *vinum*, qui etiam subinde cum E et ed. 1 vocibus *immo saepe* interserunt *et*.

[16] De Institut. novit. c. 21. Pro *ventris* textus originalis *venter*, C D E *ventri*.

[17] Codd. C D E et edd. 1, 2 *ranas* et inferius *comedunt* pro *reficiuntur*. Subinde pro *vel honestum* Vat. *vel bene factum* (cfr. c. 21. n. 7. in fine).

[18] Libr. II. Paral. 19, 7. 11. et 9, ubi C D et ed. 1: *Sic agetis in timore Dei* [etiam ed. 2] *fideliter in corde perfecto*.

diligentia facite; et iterum: *Agite diligenter, et erit Dominus vobiscum in bonis. Sic agetis in timore Domini, fideliter et corde perfecto.*

Tertio, honestas.

7. *Honestas* in operatione servatur, si omnia, quae aguntur, cum maturitate ac religiositate quadam exerceantur, et in omnibus nitor inveniatur munditiae, hoc enim Religiosum maxime decet.

Capitulum XXIII.

De disciplina in incessu[1].

Quoad modum.

1. Disciplinam circa incessum penes *modum* et *discretionem* in ambulando considerent. Honestus eundi *modus* requirit, « ut non impetuosis et fractis gressibus ambulent, nec erecta cervice, non prominenti pectore, seu etiam inclinato super humerum capite, aut vagabunde pendentibus manibus, quae omnia vel levitatem, vel superbiam, vel remissionem, vel hypocrisim sapiunt[2] ». — Debent etiam in eundo *discretionem* habere, ne de illorum numero censeantur, de quibus dicitur per Prophetam[3]: *Non est iudicium in gressibus eorum.* In eorum gressibus non invenitur iudicium, qui eundo *necessitatem*, vel *ordinem* non attendunt. *Necessitas* discursum inutilem, *ordo* inordinationis confusionem excludit.

Quoad discretionem duplicem.

De non necessario incesso. In domo.

2. Discursum igitur per *domum*, per *hortum* et *extra domum,* qui magnum est instabilis mentis indicium, caute vitent. — In *domo*, ne scilicet per officinas de loco ad locum, de Fratre ad Fratrem inutiliter evagentur, aut loca rumoribus audiendis vel collocutionibus[4] apta frequentent, sed in locis sibi concessis, ut sunt ecclesia, cellae, capitulum, si extranei non affuerint, vel in aliis locis, si qua sibi fuerint specialiter deputata, cum silentio residentes. Officinis privatis, puta, ubi cibaria praeparantur, infirmi vel hospites recreantur, aut Fratrum congregationi, vel comedentibus et[5] bibentibus se nullatenus ingerant, non vocati. Erubescant praecipue ad reficientium mensam accedere, vel eis nisi pro evidenti ministerii necessitate assistere. Effrontis est hominis non erubescere comedentes. Verumtamen, si quando eos loca sibi non concessa necessitas adire compulerit, ad ostium pulsare aliquantulum possunt, ut vel aliquis egrediatur ad eos, vel ipsi vocati securius et honestius intrent.

In horto.

3. In *hortum* non vadant absque licentia, nisi eos ab aliquo professo mitti contigerit aut vocari, ad loca sua, postquam ab eo recesserint, vel eius negotium fecerint, quam citius reversuri. Verumtamen eorum instructor iuxta superiorum dispositionem nunc hos, nunc illos, aut etiam omnes simul ad spatiandum in horto causa recreationis vel alicuius bonae collationis[6] poterit per se vel per alium Fratrem professum, cum expedire viderit, vocare.

Ad ext...

4. Tempore probationis *domum exire* vel propinquos suos visitare non curent; nec enim *inter cognatos et notos* Dominus invenitur[7]; unde Bernardus: « Quomodo te, bone Iesu, inter cognatos meos inveniam, qui inter tuos minime es inventus »? Si quando domum, quamvis de superioris licentia, exeunt, nihilominus tamen id ipsum significent suo instructori; quod et de suis aliis notabilibus factis observent.

Quoad ... ner...

5. *Ordo* circa incessum est in conventu[8] specialiter Religioso servandus, ut in processionibus Fratrem sibi collateralem attendat, ut chori sui partem in refectorio et in claustro, cum pro gratiis ad ecclesiam itur, in omni teneat loco nec se ad chorum alium vel in refectorio vel in claustro seu alibi transferat, nisi causa rationabili perurgente. In ecclesia vero inter pulpitum in medio chori positum et altare, maxime dum ibi aliquid dicitur, non facile transeat, nisi forte alibi liber non pateat transitus, et tunc ab ipso pulpito transiens et inclinans, ne ipsum pulpitum videatur venerari[9], non ante ipsum directe, sed a latere decentius inclinabit.

Ordo ... rentia ... decen...

6. Est et ordo *reverentiae et decentiae* in incessu, ut non passim seniorem iunior antecedat, aut, quando vitari[10] facile potest, frequentes et nimis propinquos ei transitus faciat ante ipsum. In ecclesia quoque inter ministros altaris, subdiaconum videlicet, diaconum et sacerdotem, in officio suo solemniter celebrantes, nec non et ante Fratres infra[11] deambulatorium sedilium et formarum minus honeste praeter necessitatem transitur; sed illud deambulatorium intraturi, ad vacua debent sedilia per introitum sedilibus ipsis propinquiorem accedere, nisi ob aliquarum reverentiam personarum, si forte intermediae fuerint, sit aliter faciendum.

Capitulum XXIV.

De disciplina in gestu membrorum[12].

Tri... membr... disci...

1. Est et in aliis membrorum corporis, sive *oculorum*, sive *oris*, sive *brachiorum manuumque* officiis, disciplinae studendum, de quibus adhuc aliqua breviter supponentur. — Amatores igitur honestatis *oculos* ab inordinata evagatione et exaltatione in mensa et in choro praecipue diligenter custodiant. Scriptum est enim[13]: *Oculi stultorum in finibus terrae;* et: *Exaltatio oculorum est dilatatio cordis.* « Levat quidem Propheta oculos, ut petat auxilium, Dominus, ut impendat. Tu quoque, si locum, tempus et causam considerans, tua vel Fratris necessitate oculos levas, non solum non culpo, sed etiam plurimum laudo; hoc enim excusat miseria, illud commendat misericordia. Sin alias, non Prophetae, non Domini, sed Dinae, aut Evae, immo ipsius satanae te imitatorem dixerim[14] ».

Quoa... l...

---

[1] Codd. A B et ed. 2 *circa incessum.*

[2] Formula honestae vitae (inter opera Bernardi), n. 4. — Superius fide A et ed. 2 substituimus *Honestus eundi modus* pro *Honestus enim modus.*

[3] Isai. 59, 8.

[4] Cod. D *collationibus,* et pro *apta* C E *aperta.* Inferius pro *non affuerint* (ita A et ed. 2) Vat. cum C D E et ed. 1 *affuerint.*

[5] Codd. C D E *vel*, ed. 2 *aut.*

[6] Cod. A et ed. 2 *collocutionis.*

[7] Luc. 2, 44. seq. — Bernard., Epist. 107. n. 13: Puer Iesus *inter cognatos et notos* a parentibus quaeritur, nec tamen invenitur. Fuge fratres tuos et tu, si tuam vis invenire salutem. Cfr. Epist. 412. n. 1. — Codd. C D E et ed. 2 omittunt *unde Bernardus.*

[8] Cod. A et ed. 2 *comitatu.* Subinde A substituit *et religiose* pro *Religioso.*

[9] Codd. A B et ed. 2 *nisi* [A *si*] *forte liber pateat transitus ab ipso pulpito multum distans, ne tamen inter pulpitum transiens et inclinans, ipsum videatur pulpitum honorari* [ed. 2 *honorare*].

[10] Codd. C D E *vitare.*

[11] Du Cange, Glossarium etc.: *Infra* passim pro *intra,* unde Italicum *fra.* — Ed. 2 *intra.* Inferius pro *aliquarum* Vat. cum ed. 1 *aliquam*, et pro *intermediae* ed. 2 *in medio.*

[12] Codd. A B et ed. 2 *De disciplina circa quaedam membrorum officia.*

[13] Prov. 17, 24, post quem 21, 4.

[14] Bernard., de Gradibus humilitatis, c. 10. n. 29: Levavit oculos David in montes, ut peteret [Ps. 120, 1.]; levavit et

2. Non sint in *risu* faciles nec in *voce* clamosi. Cachinnus praecipue gravitatem Religiosi plurimum dehonestat. Vile prorsus est, religiosum virum ut puerum cachinnare. Non licet, religiosum virum dissolutis labiis risum proferre, sed hilari vultu cordis hilaritatem praetendere. In datione pacis labia semper claudant, quibus apertis, turpiter exhibetur. Nares non in aliorum aspectu, sed ad partem cum duorum tantum aut trium appositione digitorum emungant. Seorsum etiam spuendum est, maxime in conventu Fratrum, ne loca publica, sive in choro, sive alibi, sputo foedentur, et astantium oculi offendantur. Pudet quidem [1] in ipso chori deambulatorio ad pedes suos palam Fratribus spuere nec pudere.

3. A notabilibus *corporis* seu *membrorum* extensionibus, quae cum oscitationibus vel alias non sine quadam inhonestate fieri solent, omnino abstineant. Tunc enim sunt corpus et brachia comprimenda, ne cum huiusmodi pigritia extendantur. Honesto incongruum viro, pigra membra [2] distensione resolvi. Dissolutiones fugiant manuales; grandia namque causant pericula, soletque luctus ludo accidere corporali. Et post comestionem praecipue se a iocositate notabili et multiloquio studeant temperare. Siquidem, licet omni tempore dissolutionis levitas sit vitanda, post refectionem tamen, vel alias cum solo Fratre et iterum coram conventu turpius agitur [3]. Turpissima est dissolutio in conventu. — Ad haec alium quempiam praeter necessitatem ad cingulum vel manum accipere, flores, fructus, vel baculum in manu otiose gestare, cingulum inter digitos volvendo rotare, honestati non consonat, immo lasciviae signum quodammodo [4] praetendit. — In lotione manuum, quando de vase mobili aqua recipitur, vas ipsum nunquam a parte superiori, praecipue manibus distillantibus, sed per ansam potius, vel a latere, vel a fundo accipiant, ne guttis manuum aqua residua sordidetur. — « In lecto se honestissime iacendo componant; nec supini iaceant nec genua levando calcaneos iungant ad tibias [5] ». Haec et similia non sunt ut minima temere aspernanda. Clara nonnunquam conversationis insignia quaedam in minimis obfuscant ineptiae. Plerumque, modicis paulatim per incuriam subrepentibus maculis, tota morum congeries inquinatur.

CAPITULUM XXV.

De disciplina circa habitum [6].

1. Disciplina in habitu potest tam circa *pannum* quam circa *formationem*, *coaptationem*, *usus* eius *continuationem* et *munditiae* conversationem attendi [7].

Circa pannum tripliciter.

Circa *pannum*, ut non sit *pretiositate*, *mollitie* vel *subtilitate* notabilis. Vestis pretiositatem etiam mulieribus Petrus [8] interdicit; porro, *qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt*. Inter divites palatii et pauperes claustri debet esse differentia. « Mollia vestimenta animi mollitiem indicant [9] ». « Molles, ait quidam, mollia quaerunt ». Subtilitas et nitor reprehenditur in bysso divitis epulonis. Nimia panni subtilitas, etsi non pretiosa, nihilominus tamen in proposito poenitentiae vitiosa. Sit curae novitiis pannorum pretiositatem, subtilitatem et incongruam Religioni mollitiem non curare. Vereantur et renitantur, ut possunt, mutari ipsorum Sanctorum de vestium vilitate censuram, et consuetudinem vitiosam in suarum animarum periculum induci. « In signum sunt panni tui, Domine Iesu, sed *in signum, cui a multis* usque hodie *contradicitur* [10] ».

Circa formationem.

2. Honesta exigit vestimentorum *formatio*, ut non sint nimis lata [11] vel stricta. Amplitudo vel longitudo vestimenti superflua, sive in manicis sive in caputio, sive in collario caputii, est admodum fugienda. Sed nec aperturis quibusdam circa cingulum vel alibi, aut curiositatibus aliis quibuscumque est habitus deformandus.

Circa coaptationem dupliciter.

3. *Coaptatio* quaedam est Religioso *decens*, quaedam *indecens*. *Indecens* est, si praeter morem Religionis fuerit curiosa, ut verbi gratia si caputii collarium quadam in gyro replicatione iuxta mundanorum consuetudinem coaptetur, aut curiose ipsum replicetur caputium circa genas. *Decens* est, quando [12] non curiositati, sed honestati deservit, ut videlicet vestis honeste portetur et honeste pro loco et tempore disponatur; ut honeste portetur, succingenda est aequaliter et decenter. Si enim ex una parte notabiliter pendere permittatur, vel in aliis praeparatio debita omittatur; fatuitatem, vel negligentiam, vel hypocrisim sapit [13]. Aptanda est vestis maxime circa pectus per applicationem ad collum, ne collum ipsum usque ad pectus, vel interiores panni hominum aspectui exponantur, quod irreligiosum est valde. Cavendum est circa portandi modum, ne quis pereffluat, ut si os sub caputio vel mentum abscondat, si dominarum more tunicam a lateribus tenendo incedat, aut manum in sinu tenens, tunicae manicam exterius pendere permittat. Quando enim manum in sinu vel ad horam ponere cogit necessitas, a manu altera praesumta tunica cautius est tenenda, ne pendeat indecenter, ut manum in sinu teneri vix a proxime astantibus percipi valeat. Ambas autem manus in sinu tenere quam irreligiosum sit, palam omnibus est, cum unam vel diu teneri vix excusat ipsa necessitas. Emortui [14] est corporis membrorumque officia exsequi non valentis manicas

Dominus super turbas, ut impenderet [Ioan. 6, 5.]. Alter miserabiliter, alter misericorditer, ambo inculpabiliter. Tu quoque etc. De Dina cfr. Gen. 34, 1. seq. et de Eva ibid. 3, 6.

[1] Fide A B et ed. 2 substituimus *Pudet quidem* pro *Patet, quosdam* (ita Vat. et ed. 1), D legit: *Spuunt quidam in chori deambulatorio ad pedes suos, qui nec coram Fratribus spuere verentur.*

[2] Ed. 2 *membrorum*, quae etiam subinde pro *namque* substituit *nempe*.

[3] Cfr. supra c. 14. n. 2. in fine.

[4] Ed. 2 *immo quoddam lasciviae signum*. Inferius pro *de vase mobili* A B et ed. 2 *in vase mobili*, Vat. cum ed. 1 *de vase manuali*, et pro *recipitur* ed. 2 *reperitur*.

[5] Formula honestae vitae (inter opera Bernardi), n. 9.

[6] Vat. cum ed. 1 addit *servanda*, A B et ed. 2 legunt *De disciplina in habitu.*

[7] Cfr. Hug., de Institut. novit. c. 11. — Vat. omittit *coaptationem, usus eius continuationem.*

[8] Epist. I. c. 3, 3: Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus. — Sequitur Matth. 11, 8, ubi pro *vestiuntur* C D E et ed. 1 *induuntur*.

[9] Bernard., Apologia ad Guillelmum, c. 10. n. 26: Mollia indumenta animi etc. Cfr. De Modo bene vivendi (inter opera Bernardi), c. 9. n. 25: Mollia dicuntur vestimenta, quia mollem faciunt animum. Mollibus vestimentis delectatur regis curia, asperis vero et humilibus delectatur Christi Ecclesia etc. — Subinde respicitur Luc. 16, 19. seqq. (de epulone).

[10] Bernard., Serm. 4. in Nativ. Domini, n. 1: In signum positi sunt etc. Respicitur Luc. 2, 34. — Superius pro *mutari ipsorum* A *recitari pro ipsis*, B et ed. 2 *irritari pro ipsis*, et ex A B et ed. 2 supplevimus *in suarum animarum periculum*.

[11] Codd. C D E et ed. 1 *laxa*, ed. 2 *larga*.

[12] Ed. 2 *quae*.

[13] Cfr. supra c. 23. n. 1, ubi simile ex Hug. de incessu notatur. — Superius C D E omittunt *debita*. Inferius pro *Cavendum est* C D E *Attendendum est*, ed. 2 *Attendendum etiam*.

[14] Codd. C D E et edd. 1, 2 *Damnati*.

non regere defluentes. Et quidem, cum interius a sua custodia solvitur mens, et membra foris ad omnem actum inordinate moventur, et tam in vestibus quam in aliis disciplinae cura negligitur; incompositio corporis qualitatem indicat mentis.

Alia vitanda. 4. Sunt et alia circa modum portandi secundum Hugonem [1] vitanda. « Sunt, inquit, quidam stulti, qui quodam artificio vestimenta sua circa se componunt. Alii iactando et ventilando pannos suos levitatem mentis suae ex ipsa sui habitus mobilitate ostendunt. Alii, incedentes sinuoso syrmate [2], terram verrunt, et limbis dependentibus, immo retro consequentibus caudis, in similitudinem vulpium vestigia sua obducunt, et quocumque perrexerint, quasi turbo tempestatis pulverem concitant ».

Interdum variari potest. 5. Dispositio habitus aliquando ratione *operis*, aliquando ratione *consortii* variatur, respectu quorum habenda est consideratio disciplinae. Ad exercitium *operis* tam propter expeditionem quam propter custodiam munditiae honesta, prout res exigit, praeparatio vestis requiritur, ut scilicet, quantum necesse fuerit, succingatur. Manicae vero retrahantur, et prout expedierit, componantur, ne super manus, vel super rem ipsam, quae tractatur, recidant indecenter, praecipue ad privatas [3] custodiendae sunt manicae diligenter. — *Non in publico.* Dispositio huiusmodi tolerabilis, immo commendabilis est in *privato*, quae tamen in *publico*, maxime coram extraneis, non est decens. Quando ergo coram extraneis aut coram conventu proceditur, quantum res patitur [4], ad dispositionem communem est habitus tam in manicis quam in aliis revocandus. Caput, si nudum fuerit, caputio congruit amiciri. In omni siquidem publico loco, sive chorus, sive refectorium, sive alius fuerit locus, Fratrum congregatione praesente, et multo magis inter extraneos, operto decenter capite Religiosus incedat [5], nisi ob reverentiam alicuius ministerii vel personae aliter sit agendum. Non est tamen caputium, sive coram Fratribus sive coram extraneis, nimis in capite sine rationabili causa profundandum. Operta sub caputio facies quandam hypocrisis notam infert et aliorum in se oculos sua singularitate convertit. Decet ergo, caput in publico, non faciem operiri.

De modo lavandi pedes aliis. 6. In lotione quoque pedum, ille cui pro Christo tale [6] ministerium exhibetur, operto, si commode potest, capite, humiliter et sine multiloquio debet esse et caritatis obsequium cum timore ac devotione suscipere. Nec debet quis ibi vel alibi tibias nimis exponere, sed magis tunica circumcingere diligenter. Turpe est enim religiosis personis carnium nuditate occurrere. Cavet omnis honestus, ne eius unquam appareat caro nuda, nisi quantum compulerit necessitas manifesta. De sancto Antonio legitur [7], quod « cum necesse haberet fluvium transvadare, rogavit socium suum, ut paululum a suo separaretur aspectu, ne suam invicem corporis nuditatem uterque conspiceret. Recessit socius; nihilominus tamen ille, se ipsum cum se nudare vellet, erubuit. Ipsum tamen haec cogitantem in alteram fluvii ripam virtus divina transportavit ». Hanc [8] haud dubium honestatem Dominus acceptavit. Pannos quoque interiores et quae ultra communem seu regularem formam, sive in vestibus, sive in aliis, indulgentur, quantum necessitas patitur, occultari oportet. Unde nec almutia [9] palam extra caputium religiose portantur.

7. Restat de *usus habitus continuatione* et *munditiae* in eo *conservatione* videre. *Usus* habitus, prout habitus pro speciali signo Religionis accipitur, continuus debet esse, ut religiosus Frater non sit vel modicum sine ipso, nisi necessitas evidens eum cogat. Saecularis personae nuditas et Religiosus sine habitu comparantur. Cavendum etiam, ne habitus, dum sedetur, aut genuflectitur, *aliquam inquinamenti maculam* contrahat; et si quam propter aliquam causam aliquando contraxerit vel propter sudorem, mundificari citius debet, maxime si in loco fuerit apparenti. Propter hoc immunditia illa, quae in oris caputii circa genas contrahitur ex sudore, debet cum diligentia removeri. Foeda est Religio, quae innititur foeditati; culpatur quidem et cultus munditiae nimius [10] et neglectus.

Capitulum XXVI.

De disciplina in officinis [11].

1. Denique in officinis, maxime in *oratorio*, in *refectorio*, *dormitorio* ceterisque, quas [12] consuevit frequentare conventus, etiam ad *latrinas* disciplinate se habeant et quiete. Nunquam per susurrium et tumultum occasione operis alicuius Fratres orantes, studentes aut quiescentes impediant. — « In *oratorio* nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, unde et nomen accepit; ut si forte aliqui etiam praeter horas statutas, si eis vacat, orare voluerint; non eis sint impedimento, qui ibi aliquid agendum putaverint [13] ». — Cum per *dormitorium*, Fratribus quiescentibus, vadunt, plane [14], immo quasi furtive incedant. Parando lectum vel alio quovis modo quiescentes strepitu

---

[1] Loc. cit. c. 11. Textus originalis hinc inde plura interserit. Vat. cum ed. 1 omittit *secundum Hugonem*. Inferius vocibus *quodam artificio* Vat. et ed. 1 interserunt *officioso*.

[2] Du Cange, Glossarium etc.: *Syrma* a Graeco Σύρμα, genus vestis tragicorum, vel cauda seu tractus vestis feminarum. — Pro *limbis* Vat. *lumbis*, ed. 2 *in lumbis*.

[3] Du Cange, Glossarium etc.: *Privata*, secessus.

[4] Cod. B et ed. 2 transponunt verba *quantum res patitur* inferius post *quam in aliis*. Subinde fide C D E et edd. 1, 2 substituimus *amiciri* pro *operiri*.

[5] Codd. B C D E et edd. 1, 2 *Religiosus est admodum vir honestus*.

[6] Cod. B C D E et ed. 2 *huiusmodi*. Inferius vocibus *circumcingere diligenter* A B et ed. 2 praefigunt *cum manibus*; deinde prosequitur ed. 2 *turpique religiosis personis crurium nuditati occurrere*.

[7] Apud Athanas., Vita S. Antonii (Migne Patrol. Graec. tom. 26. col. 930), n. 60. et l. de Vitis Patrum, c. 32. (Patrol. Lat. tom. 73. col. 153). Socius vocabatur Theodorus, et fluvius nominabatur Lycus. Codd. C D E et edd. 1, 2 omittunt *Antonio*, et fide A B et ed. 2 substituimus *transportavit* pro *transposuit*.

[8] Edd. 1, 2 omittunt *Hanc*.

[9] Secundum Du Cange, Glossarium etc.: *Almutium* (almucium) erat amiculum seu amictus, quo caput collumque sive humeri tegebantur.

[10] Vat. *nimis*.

[11] Vat. cum C D E et ed. 1 addit *inter Fratres*.

[12] Vat. *quae*.

[13] August., Regul. ad servos Dei, n. 3. Cfr. Epist. 211. (alias 109.) n. 7. Pro *ut si forte aliqui* Vat. *unde si forte aliquid*, et pro *horas statutas* B et ed. 2 *horas canonicas vel constitutas*, D *horas consuetas*, textus originalis *horas constitutas*.

[14] Du Cange, Glossarium etc.: *Plane*, lente, pedetentim, Italis *piano*. — Vat. *non plane*. Inferius pro *strepitu reprehensibili* (ita D, conveniunt C E, omisso *strepitu*) alias *reprehensibiliter*; ed. 2 tamen legit: *ne parando lectum... reprehensibiliter inquietent*; B et ed. 1: *Tunc parando lectum... reprehensibiliter inquietant*.

reprehensibili inquietant. Surgentes a lecto, ipsum decenter operiant, ne velut irrationabilium cubile remaneat imparatus. — De *privatis* [1] loqui, si cui turpe videtur, turpius noverit turpe aliquid ibi committi. Ibi non congruit, ut, quasi mox gelicidio perituri, amictus accessorii sarcinam deferant; ibi Religiosus cum summo silentio et operto profunde capite debet esse; ibi confabulari et praeter necessitatem hac et illac capite discooperto respicere Religiosorum esse non dixerim, sed scurrarum; ibi servanda in manuum et vestis dispositione honestas; ibi honestus quisque diligenti [2] opera cavet, ne per ipsum, aut per eius incuriam aliquis offendatur; ibi eis cavendum est, ne stantes urinent, vel a loco minus honeste recedant. Sed nec per hortum est facile urinandum, vel alibi, ubi sive a sociis, sive ab aliis possint videri, quia, ut ait quidam: « Multa possunt honeste fieri, quae non possunt honeste videri ».

2. De singulis ad disciplinam per singulas officinas et loca spectantibus vix aut nunquam singulariter posset edisseri; ad multa tamen haberi potest disciplinae consideratio ex praedictis. — In ostiis aut officinarum, aut ubi Fratrum communis est transitus, maxime circa privatarum introitum, unde ad necessaria euntes et redeuntes respici possunt, nunquam honesti Fratres faciant stationem. Quando etiam intrant et exeunt, officinarum secretiorum ostia post se claudant, ne supervenientes extranei et intrantes Fratres inveniant imparatos. Nunquam extraneos, licet familiares, ad visitandum officinas invitent. Si quando tamen ad aliquorum instantiam eas ostendere permittantur, domos tantum communiores, non intra per singula loca seu angulos peragrando, sed ab ostiis expedite, quantum honestas permiserit, ostendentes; quidquid eorum aspectui subtrahere poterunt, subtrahant et furentur. Non est Religio, ubi omnibus omnia patent. In locis communibus [3], ubi Fratrum occurrerit frequentia, nullo modo detineant adventantes. Infirma haec parvulis exprimens, grandium oscilla non vito, sed ubi humilis proficit, parviducendus est illusor.

Capitulum XXVII.

De disciplina inter extraneos, et primo de disciplina in villa [4].

1. Nunc videndum est, qualiter in *villa, itinere, ecclesia, domo,* in *locutione* et *comestione* sit novis Fratribus inter *extraneos* conversandum [5]. — Si quando exeunt domum, habenda est eis custodia disciplinae respectu *societatis* et *sui.* Societatis solatium et honestas religiosae convenit dignitati. Propter hoc in *villa* praecipue senioris, cum quo fuerint, vestigiis semper inhaerentes, se ab eo etiam sub uno tecto nullatenus separent, quin ad minus videri semper ab ipso libere possint.

Secundo, quoad se ipsos.

2. *Se ipsos* autem quantum ad circumspectionem, locutionem, habitus et membrorum dispositionem in disciplina contineant. *Non circumspiciant in vicis civitatis*, ut Sapiens [6] docet; *avertant oculos suos, ne hauriant vanitates.* A saecularium collocutionibus prudenter abstineant. Manus suas religiose componant. Nunquam inter homines discooperto capite, vel almutiati [7] vel alias indisciplinate incedant. Sed nec saecularium vel Religiosorum domos subito, ignorantibus eis, introeant, sed vocando ab ostio, vel pulsando, seu alias quoquo modo propositum seu voluntatem ingrediendi pronuntient. *Vir eruditus*, ait Sapiens [8], *foris stabit.* Sed nec sine ductore per saecularium domos vel per Religiosorum officinas est vagandum.

Capitulum XXVIII.

De disciplina in itinere [9].

Divisio.

1. Si fuerint extra domum [10] in *itinere* constituti, et quantum ad *societatem* et quantum ad *se ipsos* caute se debent et religiose habere. — Quantum ad *societatem* debent sibi a mulieribus, a scurris et ratione periculi a personis de maleficio notatis attendere. Talium personarum [11] societas singularis religiosis viris, nisi forte ad horam pro salutis animae causa, non convenit; debent se tamen prudenter a consortiis huiusmodi segregare. Ipsi autem Fratres in itinere se ab invicem non debent nimis disiungere, quin ad minus mutuo se videre et audire facile possint. Non est tutum aut decens Religiosis, quos congruit binos ire [12], alterum ab altero longius separari, talisque separatio eis in periculum et occurrentibus cedit in scandalum.

Quoad societatem.

2. Quantum ad *se ipsos* debent in *factis* et *verbis* disciplinate se gerere. — In *factis* debet *honestas, devotio* et *discretio* apparere. Propter *honestatem* dissolutiones tam manuales quam alias, quae cursitando vel aliter quomodolibet fieri possunt, penitus vitent. Multa enim ex hoc, ut expertum est, inconvenientia possunt sequi, hominibus frequenter, de quibus non advertitur, videntibus quae aguntur. Non sunt brachia notabiliter denudanda, nec vestes nimium succingendae, vel aliter irreligiose tenendae. — Ceterum ad *devotos* pertinet Fratres ecclesiis, quando transeunt iuxta ipsas, nec non et crucibus devotis inclinationibus reverentiam exhibere, coemeteria vero absque oratione pro defunctis nullatenus pertransire. — *Discretionis* est, agenda quaeque praevia deliberatione metiri et non agenda cavere, quia « qui de futuro nihil praemeditatur in omnia incautus incidit [13] ». Moderandus est per senioris consilium labor itineris, ne spiritum devotionis

Quoad se ipsos dupliciter. In factis.

[1] Cfr. supra pag. 608, nota 3.

[2] Codd. C D E et edd. 1, 2 addunt *aliis;* subinde pro *ne per ipsum, aut* ed. 2 *ne post ipsum.*

[3] Ed. 2 *omnibus.* Inferius Vat. cum ed. 1 omittit *humitis.*

[4] Ita A B, quibus consentit ed. 2, praemittens tamen *Quarta pars huius operis.* Vat. cum C D E et ed. 1 *De modo conversandi in omni loco saecularium.*

[5] Cfr. supra c. 8. — Inferius pro *Societas, solatium* ex B et ed. 2 substituimus *Societatis solatium.*

[6] Eccli. 9, 7: Noli circumspicere in vicis civitatis. — Sequitur Ps. 118, 37: Averte oculos meos, ne videant vanitatem.

[7] Cfr. supra pag. 608, nota 9.

[8] Eccli. 21, 26. — Superius pro *seu alias* edd. 1, 2 *vel alio.*

[9] Ita A B et ed. 2; Vat. cum C D E et ed. 1 *De modo conversandi in itinere constitutis* (C D *constituti*).

[10] Edd. 1, 2 *villas.*

[11] Codd. C D E et ed. 2 omittunt *personarum.* Subinde A substituit *singulis* pro *singularis*, C D E et edd. 1, 2 omittunt *salutis.*

[12] Marc. 6, 7: Et vocavit duodecim et coepit eos mittere binos etc. Cfr. Luc. 10, 1, ubi idem dicitur de septuaginta duobus discipulis.

[13] Ut dicitur in libro de Quatuor virtutibus (inter opera Senecae, cfr. supra pag. 583, nota 9.), c. de Prudentia. — Subinde respicitur Regulae Fr. Minor. c. 5, ubi Fratribus iniungitur, quod ita laborent, ut « sanctae orationis et devotionis spiritum non exstinguant ». Pro *exstinguat* C D E *exstinguant.*

exstinguat. Audienda est Missa sanctaeque exhortationis pro populo, si affuerit, sermo fiendus. Et ante omnia semper imprimis [1] divini pensum Officii devote solvendum, ne Fratres se magis cursores quam Religiosos exhibeant et contra Religionis propositum de accessorio principale facere convincantur. In solemnioribus festis est ab itineratione cessandum. Cavenda est per vias dormitio tanquam periculosa et indecens, nec est tarde, vel apud infames hospitandum personas.

In verbis, dupliciter. Quoad materiam.

3. Disciplinam *verborum* debent attendere tam in *materia* quam in *sono*. Si occurrerint homines, debent eos humiliter salutare. Seniorum erit coitinerantibus et his, cum quibus aliquando loqui contigerit, aliquid ad aedificationem vel consolationem proponere, peccantes in eorum praesentia non rigide, sed cum modestia et humilitate corripere et ad bonum per rationes et dulcem allocutionem inducere, et sic quodam modo *omni creaturae* sanctum *Evangelium praedicare* [2]. Sanctus Philippus eunuchum in itinere baptizavit; beatus Martinus latronem secum itinerantem convertit. Si vero non affuerint homines, de Deo verba Fratrum convenit esse; ipse namque itinerantibus et loquentibus de se discipulis itinerationis factus est comes [3]. Tunc exempla Patrum, vel alia quaevis bona, quae vel accendant affectum, vel saltem instruant intellectum, sunt ad laboris alleviationem narranda. Turpissimum est nescire tempus nisi frivolis et fabulosis narrationibus detinere. « Vae tacentibus de te, Domine! quoniam loquaces muti sunt [4] ». Solent Fratres litanias, psalmos poenitentiales, canticum graduum et similia, aut simul, aut quilibet singulariter frequentare, et maxime ante Tertiam, aut certe in sanctis meditationibus occupari.

Quoad sonum.

4. Denique, quoties mutuae collationis interveniunt [5] verba, *sonum* omnino decet esse demissum. Proinde clamosam locutionem, quae nunquam religiosam decet personam, penitus vitent, maxime inter fruteta et nemora existentes; siquidem, iuxta vulgare proverbium [6], nemus aures, et campus seu planities oculos habere dicuntur. Ab omnibus ergo, quae coram saecularibus dicere nolunt, in locis dumosis et nemorosis omnino abstineant, nisi forte aliquid quasi sub silentio et Latinis verbis dicere velint. Miserabiles confusiones quibusdam minus cautis pluries ex hoc accidisse feruntur. Non cantent in itinere, maxime in cantu saecularium cantionum aliqua, licet bona, cum laici non intelligant nisi sonum. Et praeter haec Religiosum non decet [7] in cantu extraordinarie vocem efferre. Si qui forte dissolutiones, aut clamosas disputationes, verborum altercationes vel alia, quae offensionis materiam extraneis dare possunt, vitare inter homines negligunt; nequaquam eos timoratos dixerim, aut zelum Religionis habere. Qui Religionis suae scandalo non occurrit honori proprio detrahit et saluti. Qui fidelis Religionis est filius nequaquam eius scandalum parvi ducit.

CAPITULUM XXIX.

De disciplina in ecclesiis [8].

Faci... ingre... clesi...

1. Pervenientes ad Religiosorum vel saecularium loca, cum ad ecclesiam, si in loco fuerit, veniunt, in ingressu ecclesiae illum secum versiculum memorantes [9]: *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo*, et nudato capite, signum crucis super se cum reverentia facientes, ante altare vel in alio loco orationi congruo, ad quem declinaverit senior, prosternere se humiliter debent; ubi, quantum Deus dederit, devote orantes, pariter [10] ab oratione surgentes, procedere poterunt ad ea quae necesse habuerint iuxta propositum exsequenda. Ecclesiam namque sicut evangelici et ecclesiastici viri, semper prius, si commode possumus, visitare debemus, sanctorum Patrum, qui nos in Ordine praecesserunt, immo ipsius Salvatoris exemplo, quem beatus Evangelista Matthaeus [11] Ierusalem civitatem ingressum refert templum Domini adiisse. Super quem locum dicit expositor, quod « ingressus urbem primo templum adiit, dans formam Religiosis, ut, quoquo imus, primo domum orationis, si ibi est, adeamus ».

Assis... ficiis... hum... devo...

2. Missarum etiam [12] solemniis vel alias divino Officio cum extraneis assistentes, gerant se *humiliter* et *honeste*. Non stent in sedibus suis velut magnates, aut quasi laici lassi, de officio non curantes, sed ad librum, si necesse fuerit et honeste potuerint accedere, officiantes, cum maturitate tamen ac modestia tam in voce quam in gestibus observata humiliter iuvent. Quodsi propter evitandum discursum ad librum non duxerint accedendum, nihilominus tamen communia, quae noverint, poterunt cum aliis honeste sine nimia vocis exaltatione cantare. Ad cantandum autem aliquid sequestratum [13], sicut est *alleluia*, responsorium, vel aliud quodlibet, nequaquam cum saecularibus se combinent, si vitare poterunt bono modo.

Cum ... plic... s...

3. Tunc etiam, non solum in praedictis, verum etiam in honesto se habendi modo quantum ad disciplinam *aspiciendi*, *loquendi*, *habitus*, *uniformitatis* honestatis custodia est habenda. Reprehensibile est ibi vagis *circumspicere oculis*, *aut collocutionibus*, dum Missae officium celebratur, intendere, quod tunc etiam saecularibus clericis ius canonicum [14] interdicit, aut aliquam respectu *habitus*

[1] Ed. 2 omittit *imprimis*, substituit subinde *nec* pro *ne* et vocibus *Religionis propositum* praefigit *carius*.

[2] Marc. 16, 15: Praedicate Evangelium omni creaturae. Pro *sanctum Evangelium* A et ed. 2 *secundum Evangelium*. — Subinde respicitur Act. 8, 38. (de baptismo eunuchi); de Martino vide Sulpicii Severi Vitam B. Martini, n. 5, ubi narratur, S. Martinum incidisse in latrones illumque latronem, cuius custodiae traditus erat, colloquio suo et verbi Dei praedicatione convertisse. — Superius post *rigide* B et ed. 2 addunt *semper*.

[3] Luc. 24, 13. seqq. — Inferius pro *quaevis* C D et ed. 2 *quaelibet*, E *quomodolibet*.

[4] August., l. Confess. c. 4. n. 4. — Inferius post *ante Tertiam* ed. 2 addit *in talibus*.

[5] Ed. 2 *collocutionis intervenerint*, et inferius *nusquam* pro *nunquam*.

[6] Bernard., de Moribus et officio episcoporum (alias Epist. 42.), c. 6. n. 21, de humili dicit, quod « iuxta vulgare proverbium et oculos campi metuere et silvarum aures soleat semper habere suspectas ».

[7] Ed. 2 *et praeter hoc Religiosum non deceat*.

[8] Ita A B et ed. 2; Vat. cum C D E et ed. 1 substituit *De modo conversandi in ecclesiis saecularium*.

[9] Psalm. 5, 8.

[10] Codd. A B D E et ed. 2 *et* [D E *ac*] *deinde pariter*.

[11] Cap. 21, 12. Expositio huius loci est secundum Rabanum (in hunc loc.), qui sequitur Bedam (III. in Marc. 11, 11.), et exhibetur verbis Glossae *ordinariae* apud Lyranum. Pro *Religiosis* (ita B C D E et edd. 1, 2) textus originalis et Vat. *Religionis*.

[12] Ed. 2 *autem*, C D E et ed. 1 *enim*. Inferius pro *honeste poterunt* ex C D E et ed. 2 substituimus *et honeste potuerint*; pro *observata* ed. 2 *observanda*.

[13] Ed. 2 *sequestratim*, quod secundum Du Cange idem est ac *separatim*. Inferius ed. 2 *potuerint* pro *poterunt*.

[14] Cap. *Dolentes* (9.), X. de Celebratione Missarum (lib. III. Decret. Gregor. tit. 41). Pro *quod tunc* C D E et ed. 2 *quas tunc*. Inferius fide A B et ed. 2 substituimus *aut aliquam respectu habitus singularitatem* pro *aut per aliquam rem habitus saecularitatem*.

singularitatem praetendere. Unde ibi non decet, caputium inter homines extrahi, nisi ad Evangelium, vel ad alia, pro quibus ex approbata consuetudine communiter fieri consuevit. — Denique propter *uniformitatem*, dum intersunt Officio, solliciti sint circa duo. *Unum* est, ne diversitate sua in his quae ab honestate non discrepant, alios scandalizent, ut videlicet ad *Magnificat* in Vesperis, ad *Quicumque vult* in Prima, vel ad alia huiusmodi, ceteris cum reverentia stantibus, ipsi non sedeant, licet illud Officium tunc ipsi non dicant. *Aliud* est, ut in stando, sedendo et se prosternendo sint invicem uniformes, ut pariter stent, pariter sedeant, pariter se prosternant. Qui cor unum et animam unam debent habere [1], difformes exterius esse non debent. Uniformitas morum unitatem iuvat et indicat animorum. Senioris autem consuetudini debet se socius humiliter conformare.

4. Religiosorum morem, cum eis officiantes, servamus cum aliis inclinationum ritus ignaris; festivo tempore ad omnes collectas vultu ad altare verso cum reverentia stantes, ad beatae Virginis et Sanctorum dumtaxat, qui speciali ex more veneratione coluntur, nomina inclinamus. In feria vero ad omnes simus orationes prostrati. Ad *Praefationem* semper, et quando dicitur *Agnus Dei*, moris est stare. — Verumtamen, si quando apud extraneos duxerint celebrandum, modum Ordinis sui in celebrando uniformitatis occasione non varient nec ipsum dimittant, nisi aliter facere cogat necessitas, ne, velut instabiles et modum proprium non habentes, cum variis ecclesiarum consuetudinibus temerarie varientur. Possunt tamen in benedictionibus post Missam iuxta morem patriae faciendis et in omnibus [2] huiusmodi, quae modo non praeiudicant regulari, ecclesiarum, in quibus fuerint, consuetudines observare.

Capitulum XXX.

De disciplina in hospitio [3].

1. In hospitii domo cum fuerint, studeant se in omnibus gerere *humiliter* ac *prudenter* circa custodiam disciplinae. — *Humilitatem* erga *personas* in conversatione ostendant, personis maioribus humiliter deferant, personis humilioribus et pauperibus tanquam confratribus suis socialiter et benigne loquantur. *Conversatio* quoque signum aliquod superbiae non praetendat. Nunquam ad prima se ingerant loca, nec tamen, ad ea vocati, nimis [4] refugiant, senioris tamen Fratris, quem praeponere debent, in omnibus semper honore servato. Quod honori vel certe deliciis deservire videtur humiliter utique declinatur et honesta modestia recusatur. Ubi autem senioris aut sociorum accedit instantia, cedere magis quam diutius repugnare oportet. Parendo potius quam obstinatius repugnando servatur humilitas. Reprehensibilis difficultas, ubi palam nutui obviatur [5] senioris. Lectos saecularium non ascendant indifferenter per diem nec familiam hospitii obsequiorum exactione molestent. Decet pauperes paucis esse contentos, ipsique necessitati est pro loco et tempore detrahendum. Nunquam hospitum familiaritas vel alicuius affinitatis propinquitas praesumtionem inducat, ut in domo praecipere, curiosa quaerere, aut de factis domus vel familiae indagandis vel disponendis se iterum intromittere velint, qui propriae rei familiaris curam, ut Deo servirent liberius, abiecerunt.

2. *Prudentiam* quidem necessariam habent, ut sint in sui custodia circumspecti; unde Apostolus [6]: *In sapientia*, inquit, *ambulate ad eos qui foris sunt;* et Dominus: *Cavete*, ait, *ab hominibus*. Caute igitur in disciplinae censura non solum in publico, verum etiam in privato se habeant. « Nullum, ait quidam [7], putaveris locum sine teste ». Narrabat quidam Frater, se in quibusdam saecularium domibus occultas deprehendisse fenestras, per quas ea quae in domibus illis existentes agebant, ipsis non percipientibus, poterant aperte videri. In aestate meridiano [8] tempore dormitionis iacentes, aliquod, si possunt, super habitum operimentum, saltem usque ad cingulum habeant, ne, quando dormiunt, eos indecenter quidem inter homines discooperiri contingat. Erubescenda nimis quibusdam ex hoc accidisse feruntur.

Item, prudentiam.

Exemplum.

3. Habenda ubique prudentiae circumspectio et cautela circa *personas*, *loca*, *negotia* et *res*, si quas habuerint reponendas. — Circa *personas*, ut se nimis hominibus non committant, quantumcumque familiares fuerint aut propinqui. Attendant sibi in omnibus, quae dicunt aut faciunt. « *Spiritualis* ille, qui *omnia diiudicat*, ut *ipse a nemine iudicetur,* omne opus suum trina quadam consideratione praeveniet: primum quidem, an *liceat;* deinde, an *deceat;* postremo, an *expediat* [9] ». *In omnibus semetipsos sicut Dei ministros exhibeant.* Sint in aspectu, gestu et in omni actione sua serii, religiosi et modesti, *sicut decet sanctos.* Verumtamen modus quidam est religionis; superstitiosum [10] esse nimis non oportet. Dabit congruum inter homines modum discretio personarum. Status et qualitas hominum differens differentiam exigit conversandi. Habet se prudens cum differentibus differenter, cum omnibus tamen caute. Erit simplex, non stolidus; humilis, non deiectus; mansuetus, non blandus; hilaris, non lascivus; affabilis non vaniloquus, aut scurrilis. Quin immo interest sapientis, sic, si res exigat, a rigore interdum disciplinae remitti, ut modum tamen modestiae nec in ipsa remissione dimittat. Potest gravitatis censura remitti pro tempore, non dimitti [11]. Imputanda tamen remissio, ubi nulla decentiae vel utilitatis intentio. Prudens Domini servus utilitatis fructum ex sua novit remissione afferre. Ad haec, quoniam attendenda est honestis congrua personarum honestas, honestioribus semper adhaereant.

Prudentia quoad quatuor.

Circa personas.

[1] Act. 4, 32: Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una. — Inferius ex C D E et ed. 2 substituimus *unitatem* pro *uniformitatem*.
[2] Ed. 2 *et in aliis*.
[3] Vat. cum C D E et ed. 1 addit *servanda*.
[4] Ed. 1 et Vat. *prorsus*. Inferius ed. 2 omittit *in omnibus* et pro *honesta modestia* substituit *honeste cum modestia*.
[5] Codd. C D E et edd. 1, 2 *obviat*.
[6] Col. 4, 5, post quem Matth. 10, 17, cui praemittitur (v. 16.): Estote ergo prudentes sicut serpentes etc.
[7] Auctor Libri de Moribus (inter opera Senecae, ed. Basil. 1529, pag. 688).
[8] Ed. 2 *meridianae* et inferius *ne, dum* pro *ne, quando*.
[9] Bernard., III. de Considerat. c. 4. n. 15. In principio allegatur I. Cor. 2, 15. Vocibus *an liceat* Vat. cum ed. 1 interserit *quod possit*. — Subinde allegantur II. Cor. 6, 4. et Eph. 5, 3.
[10] Id est extraordinarium; cfr. supra pag. 588, nota 5. Secundum Petr. Lombard. et Glossam *interlinearem* apud Lyranum in Col. 2, 23. *superstitione* significatur religio, quae supra modum est. — Subinde pro *nimis* C D E et ed. 2 *nimium*, et inferius pro *conversandi* Vat. *conservari*.
[11] Auctor libri de Quatuor Virtutibus (inter opera Senecae), c. de Prudentia: Habet autem [prudens] aliquando remissum animum, nunquam solutum. — Superius Vat. cum ed. 1 omittit *disciplinae*.

Specialiter quoad mulieres.

4. Mulierum tam propinquarum quam aliarum caute, prout poterunt, societatem declinent earumque familiare nimis obsequium et tactum omnino refugiant. Nulla ratione sustineant, quod pedes sibi a muliere laventur. Nudam autem mulieris manum tangere, aut ad eius caput vel corpus ubilibet absque necessaria et evidenti causa manum extendere, ab omni prorsus Religionis honestate quis dubitat alienum? Quando Religiosus cum muliere sedet aut loquitur, manus suas occultare et ad se retrahere debet, quas etiam, quandocumque cum personis extraneis loquitur, simul iunctas et velut invicem colligatas, vel alias religiose haberi, locutionis disciplina requirit [1]. Nunquam mulierem, quantumcumque sibi affinitate coniunctam, sive sororem, sive neptem, quantumcumque pueriles, sed nec facile matrem propriam osculentur. Fugiant omnino feminea oscula milites Christi, cum osculum etiam viris offerri non deceat, nisi forte ubi de proprio patre vel aliis honestis personis moris exactu sine scandalo vitari non potest. Religiosam [2] personam Religionis honestas os indifferenter osculis communicare non patitur. Denique periculo animae mulierum habetur societas. Igitur, ut docet sanctus Augustinus [3], « ubique gustanda est cum mulieribus, non continuanda praesentia, sed quasi transeunter feminis exhibenda est accessio quodam modo fugitiva ». « Tutius est non posse perire quam iuxta periculum non perisse [4] ». Illum autem nec castum dixerim nec honestum, qui mulierem aut tangere, aut tactum eius admittere non abhorret. Quomodo tangere liceat quod intueri non licet?

Circa loca.

5. Ad custodiendam cordis munditiam exterior quoque sensuum disciplina servanda est. *Loca* igitur [5], quae periculi vel suspicionis materiam dare possunt, caute declinent, nec soli cum muliere in locis huiusmodi, vel ad modicum morentur. Domina quaedam, ut fertur, dum duo Religiosi ad domum eius divertissent, alterum seorsum vocavit in cameram, quasi secreto sibi aliquid locutura; quem ingressum mox ad turpitudinem provocans, asseruit firmiter, se continuo contra ipsum, quasi ei violentiam inferentem, nisi statim sibi acquiesceret, clamaturam. Tunc doctus a Domino Frater, antequam mulier in vocem clamoris prorumperet, ad Fratrem consocium, qui cum pluribus personis in atrio domus erat, alta voce clamavit, librum sibi continuo afferri requirens, sicque adveniente Fratre, necesse habuit mulier ab huiusmodi nefaria sollicitatione cessare, et Frater hominum confusionem evasit. Nonnulli ob causam similem confusi turpiter et graviter fuisse verberati dicuntur. *Qui autem cavet laqueos securus erit* [6]; qui autem non cavet est aut stultissimus, aut perversus; nec est eius excusatio admittenda. De nocte, si per domos hospitum ad necessaria exeunt, simul quidem et cum lumine *ut filii lucis* eant.

Circa negotia.

6. Ceterum de mundanis saecularium *negotiis* expediendis Religiosus temerarie se non debet impedire [7]. Si de animae negotio agitur, apponendum est quidem consilium ab his qui habent officium et peritiam consulendi. Alias non est *militantis Deo, se* iterum occasione propinquorum vel amicorum *saecularibus implicare negotiis* [8], quae mundo moriens abdicavit. Impius est qui animae suae pro parentibus suis est crudelis. Sed nec saecularium litterae ad portandum vel praesentandum alicui recipi [9] debent, nisi de ipsarum tenore opus forsitan aliquod pietatis habente constiterit. Nec religiosis viris expedit, quod verborum etiam sine litteris pro negotiis huiusmodi baiuli fiant, vel internuntii. Sed si super talibus requirantur, hoc per alios, quos deceat, fieri rogent.

Circa rerum custodiam.

7. Circa *rerum* custodiam, sive libros sive alia secum detulerint, nequaquam negligentes existant, sed omnia, libros praecipue, antequam illa [10] deponant de manibus, vel de sinu, certae fidelique personae commendent, quae a muribus [11] et canibus, qui libros, ut experientia docuit, destruunt, et coopertura corio non obstante, corrodunt, custodiat diligenter. Ipsae quoque personae, quibus res huiusmodi committuntur, sunt super his instruendae. Noctibus tamen consultius propter pericula in loco certo et propinquo habentur. Quidam quos recommendaverat libros repentino superveniente incendio perdidit.

Capitulum XXXI.

De disciplina locutionis [12].

Observanda triplex...

1. Disciplina in verbo est iunioribus et novis praecipue inter extraneos observanda, ut *tarde, caute* ac *demissa voce* loquantur. *Tarde*, ut usque ad interrogationem taceant, interrogati responsionem seniori relinquant, nisi forte in speciali super levibus, maxime ad propriam necessitatem spectantibus, ut de cibo et potu et consimilibus, requirantur. De talibus potest quisque pro se, non tamen pro socio sine ipsius assensu respondere. Communem requirit assensum responsio, quae de communi necessitate profertur.

Loquantur...

Item...

2. *Caute*, ut cum praemeditatione loquantur, ut primo « bis ad limam quam semel ad linguam veniat sermo [13] », maxime si, seniore forte occupato, de Ordine, de personis absentibus, de rumoribus vel de notabilibus aliis requirantur. De factis Ordinis, ut de modo ieiunandi, de silentio vel de aliis requisiti, se novos in Ordine dicant, seniorem

---

[1] Ita A et ed. 2; aliae edd. et codd. *vel alias religiose decet haberi. Locutio disciplinam requirit.* Inferius pro *pueriles* ed. 2 *puerulas*, quae etiam cum C D E et ed. 1 pro *sed nec* substituit *nunquam etiam*. Subinde pro *feminea* C *feminarum*.

[2] Vat. cum ed. 1 *Religionis*.

[3] Libr. de Singularitate clericorum (inter opera Cypriani, Migne Patrol. Lat. tom. 4. col. 835-870, cuius principio praemittitur: « Tractatus Cypriano perperam adscriptus nec non Augustino et Origeni iuxta quosdam »), circa finem. Pro *ut docet sanctus Augustinus* (ita B et ed. 2) alias *ut docet quidam Sanctus*.

[4] Hieron., Epist. 117. (alias 47.) n. 3. — Sententiam S. Francisci hac de re vide supra Opusc. XXIII. Legenda, c. 5. n. 5. Cfr. etiam Opusc. XX. Regula novit. c. 12. n. 2.

[5] Codd. C D E et edd. 1, 2 omittunt *igitur*.

[6] Prov. 11, 15. — Subinde respicitur Eph. 5, 8: Ut filii lucis ambulate. — Inferius vocibus *et cum* B et ed. 2 interserunt *si fieri potest*.

[7] Du Cange, Glossarium etc.: *Impedire se,* curare, sollicitudinem habere, Gall. *s'embarrasser*. Vat. cum ed. 1 *intromittere*. — Inferius post *quidem* Vat. addit *et tenendum*.

[8] Epist. II. Tim. 2, 4.

[9] Vat. *praecipi*, quae etiam inferius cum edd. 1, 2 pro *viris* (ita C D E) substituit *veris*. Subinde pro *rogent* (ita A B et ed. 2) alias *replicent*.

[10] Ed. 2 *eos*.

[11] Vat. *suibus* et inferius *coopertura* pro *coperturae corio*.

[12] Ita A B et ed. 2; Vat. cum C D E et ed. 1 *De disciplina verborum inter saeculares*.

[13] Arnulphus monachus de Boeriis in Speculo monach. n. 1. Eadem sententia reperitur etiam in Opusculo, cui titulus: Octo puncta perfectionis assequendae (inter opera Bernardi), n. 5; et in Serm. 3. ad Fratres in eremo (inter opera August.) sic profertur: Stultus enim valde est qui non prius verbum ducit ad linguam rationis, quam educat ad linguam oris; cfr. supra pag. 485, nota 5.

requirendum praetendant, ne forte, dum sapienter et bene respondere se putant, stultum aliquid et quod omnino dici non oporteat, dicant. Secreta Ordinis nulli, quantumcumque religioso vel familiari revelent nec statutum aliquod publicent, nisi quod forte commode celari non potest. Id ipsum autem non *statutum*, non *praeceptum*, sed tantum Ordinis intra[1] domum *consuetudinem* vocent, ut per eorum responsum tentionis debitum excludatur extra domum, ne saeculares, si quando contrarium viderint, reputent Fratres sui Ordinis transgressores, cum tamen multa licite possint ex Ordinis vel superiorum dispensatione mutari.

3. Ordinem nostrum nunquam ad particularia descendendo, sed si necesse fuerit, in generali solum[2], absque aliorum Ordinum collatione vel obtrectatione commendent. Pessimus laudandi modus, se ipsum cum aliorum iniuria praedicare. Pessima vitii corruptela, detractio, quae animam maculat, Deum offendit, proximum scandalizat. Et quia, ut scriptum est[3], *sermo obscurus in vacuum non ibit, et tumultus murmurationum non abscondetur,* his, coram quibus detrahitur, scandalum excitatur. « Constat autem, ut sanctus Bernardus loquitur[4], ubi veritas et veritas necessaria in causa non est, nec licite scandalum quodlibet posse a quolibet committi nec iuste praecipi nec innoxie consentiri ». Si de personis absentibus, praesertim Religiosis, sinistre[5] aliquid suggeratur; semper pro absentium parte loquentes, nullo modo ad favendum detractoribus inclinentur. Accidit aliquando, quosdam magis ad tentandum quam ex animo de his obloqui. Narrabat, ut fertur, senior quidam fide dignissimus, ad se quandoque quendam saecularem venisse, qui adversus quosdam Religiosos[6] plurimum invehi videbatur. Cui Frater viriliter se opponens, eum, quoties advenit, eadem semper constantia repulit et incusatos pro viribus excusavit. Miratus oblocutor benevolam senioris constantiam, aperuit tandem, se id ad probandum de mutua illorum Ordinum caritate fecisse, adiiciens, se de Ordine senioris istius, qui pro aliis advocabat[7], cum quodam prius incusati Ordinis Fratre ob causam similem oblocutum fuisse; Fratrem autem illum oblocutionis verba imprimis aliquantulum, deinde vero remissius refellentem tandem obloquenti cessisse; super quo idem saecularis non modicum offensus, apud illos non esse caritatis veritatem asseruit, qui ad invicem[8] detractionem admittere non curassent. Denique Religiosus non est qui detractionibus pascit aut pascitur alienis.

4. Caveant etiam, ne sint *rumorum*, licet bonorum et verisimilium, delatores. Religiosos viros passim rumigerulos[9] esse non decet. Falsitas, quae frequentissime rumoribus inest, vel quae per secundarios relatores apponitur, primis eorum auctoribus imputatur. Hinc est illud[10]:

Rumores fuge, ne incipias novus auctor haberi.

Sint in locutione *honesti* et *serii* nec se in saecularibus et ad risum moventibus verbis saeculares ostendant. Servum Dei de Deo loqui decet, ut fiat quod scriptum est[11]: *Si quis loquitur, quasi sermones Dei;* alioquin verba vana mentis aperiunt vanitatem. *Ex abundantia cordis os loquitur.*

5. Circa *vocis sonum* in locutione attendant, ut, prout tactum est alibi[12], sit *demissus* pariter et *suavis*. Vitiosissimus plane Religioso modus loquendi, si notabiliter suam in loquela communi vocem exaltat. Sufficiat ei, quod proxime ei astantes possint loquentis intelligere verbum. Sapientis est loqui suaviter et demisse. Nox autem amplioris vocis depressionem requirit. Nox est tempus silentii et quietis. In nocte, maxime post Completorium, in alta, ut prius, verba erumpere, silentii gravitate neglecta, saecularium est, Religionis non curantium honestatem. Proinde honesti Fratres, ubicumque fuerint, religiose semper, in quibus poterunt, ac si essent in Fratrum collegio, cum silentii sui observatione conversentur[13].

Capitulum XXXII.

De disciplina in comestione[14].

1. Praecipue decet, ut, cum extraneis comedentes, honeste se habeant, ut nec in *cibo* nec in *modo comedendi*, vel *mora*, aut in *aliis*, quae disconveniunt super mensam, ut est verborum multiplicatio, aut exterior corporis vel habitus dispositio inhonesta, de aliqua possint irreligiositate[15] notari. — Circa *cibum* attendant, quod propter *quantitatem*, vel *qualitatem* de gulae vitio iudicari non possint. — De *primo* Sapiens[16] ait: *Utere quasi homo frugi his quae tibi apponuntur, ne, dum multum manducas, odio habearis.* Unde inter saeculares non expedit appositam semper portionem totam comedere aut penitus evacuare scutellam, ne forte id homines voracitati magis quam necessitati attribuant.

2. Inter cetera Religioso[17] habenda est semper temperantia circa *potum*. Turpissimum enim est, si de nimia potatione notentur. Religionis quivis insignia praeferens meribibuli nomen ignominiose sortitur. Hoc vitium hominem coram Deo et hominibus vilem reddit. Ad notam huius vitii fugiendam cavere debent, ne post refectionem, etiamsi vinum saepius offeratur[18], frequenter bibant, aut postquam in communi potatum est, seorsim sine urgente necessitate potum in privato requirant, nec omnino, quod potus, ubi dormitur, remaneat, patiantur. Post coenam non sunt ad verba et pocula vigiliae protrahendae. Vigilare ad ignem sitim provocat et bibitare compellit, gravat corpus, exhaurit spiritum, tempus in verbis pene imperceptibili subductione consumit, tempestive ad orationem surgere, officii debitum devote, ut expedit, solvere non permittit.

[Marginalia: ...modom. | ...ant de-/...ionem. | ..., rumo-/...deferre. | Item, demissa voce. | Divisio. | Circa cibum attendant duo. | Primo, quantitatem. | Quoad potum.]

[1] Codd. C D E et ed. 2 *infra;* cfr. supra pag. 606, nota 11. Inferius pro *extra domum* C D E et ed. 2 *etiam infra domum.*
[2] Codd. C D E et ed. 2 *dumtaxat.*
[3] Sap. 1, 11. et 10: Et tumultus etc.
[4] Epist. 7. n. 9.
[5] Ed. 2 *suspiciosum,* quae etiam inferius cum A *de aliis loqui* pro *de his obloqui.*
[6] Cod. A addit *super multis*, ed. 2 *semper multis.*
[7] Du Cange, Glossarium etc.: *Advocare,* advocatum agere, causam alicuius defendere. — Inferius pro *similem* C D E et edd. 1, 2 *consimilem.*
[8] Codd. C E et ed. 2 omittunt *ad invicem.*
[9] Cfr. supra pag. 602, nota 8. Vat. *rumigeros.*
[10] Dionys. Caton., I. Distich. 12, ubi pro *Rumores* ed. Amsteladam. 1754, *Rumorem.*
[11] Epist. I. Petr. 4, 11. — Subinde allegatur Matth. 12, 34.
[12] Supra c. 20. n. 1. et 7. — Inferius ed. 2 omittit *loquela* et substituit cum C D E et ed. 1 *exaltet* pro *exaltat.* Subinde pro *ei astantes* C E et ed. 1 *sibi astantes*, ed. 2 *ibi astantes.*
[13] Fide A B et ed. 2 substituimus *conversentur* pro *permanebunt.*
[14] Vat. cum C D E et ed. 1 *comedendi inter saeculares.*
[15] Vat. cum E et ed. 1 *possint de irregularitate.*
[16] Eccli. 31, 19, ubi pro *dum* Vulgata *cum.*
[17] Vat. et ed. 1 omittunt *Religioso.*
[18] Ed. 2 *etiamsi potus offeratur* et inferius *patiatur* pro *patiantur.*

Et qui sero sobrietatis non observat sententiam mane frequenter suspenditur a divinis.

Continuatur. 3. Usitatum est hosti homines ad prunas seducere. Ad prunas Dominum spernit rex Ioakim [1], negat Petrus. Et ne nobis de nocturna praedicatione ad prunas propter fructum vel interrogationes hominum blandiamur; ad prunas Ioakim audit quidem sermones Domini, sed contemnit, ad prunas Petrus de Christo interrogatus offendit. O quoties est serotinis necessaria verbis correptio matutina! Mane praedicant docti, sero concionantur indocti; et in his omnibus honestius alibi quam ad ignem et pocula praedicatur. Si hominum instet devotio, pro exemplis senioris intererit providere, ut narratione una, paucis vel aliis, si expedit, verbis, instantiae satisfiat. Verumtamen mutat interdum causa consilium, nec lex imponitur unctioni. Vitanda tamen vigilia, quae occasionem verbis, aut potationi ministrat. Qui vitium cavere desiderat, vitii occasionem praecaveat. Studeant ergo in cibo et potu sobrietatem servare, sicut servi Dei et religiose viventes. « Sicut omnes cupiditates carnis abstinentia resecantur, ita omnes virtutes edacitatis vitio destruuntur [2] ». « Immundi spiritus ibi se iniiciunt, ubi amplius vident cibum et potum ».

Secundo, quoad qualitatem. 4. Circa *secundum* multum attendere sibi debent, ne videlicet cibos appetant *delicatos. Qui vinum et pinguia diligit nunquam* in virtutum possessione *ditabitur* [3]. Horum quidem permittitur usus, abusus et concupiscentia prohibetur. Semper itaque placeat eis lautioribus parcere cibis. De grossioribus cibis et facili vel valde temperato potu necessitati utcumque satisfieri potest, quamquam et ipsa necessitas inter homines sit arctanda. Qui de Religione censetur modestiam debet Religionis habere, ut sit in temperantia speculum aliorum. *Spectaculum facti sumus mundo et Angelis et hominibus* [4]. Felix abstinentia, quae palato imperat delicato. Debet vas caelesti gratiae mancipatum a saeculi illecebris abstinere. Non erubescant aquam petere pro vino, si habuerint, temperando, quin potius erubescere debent, si vinum biberint nimis forte. Aquam requirere et minus lymphato vino vel modicum semper pro bibentis necessitate apponere Deo placet, proximum aedificat, Religiosum honestat, animae simul et corpori est salubre. Verum quam turpe sit pauperibus hominibus cibaria quaerere lautiora et appositis non esse contentos, de modo praeparandi cibum disponere, aut quomodo praeparetur, requirere potum vel cibum aliquem in special laudare, ut de eisdem amplius apponatur, aut suas inter extraneos medicinas ostendere, quis sanae mentis ignorat?

Circa modum comedendi. 5. *Modus* quoque *honestus* est in comedendo habendus, ut non [5] ardenter, aut cum nimia festinatione comedatur, vel alias indecenter. — Circa moram. *Moram* in mensa facere [6] religiosum non est. Caveant, ne, aliis a comestione cessantibus, ipsi comedendo vel loquendo mensam detineant, cum non sit hominum, sed magis pecudum, super mensam ruminando diutius immorari. Possunt tamen qui necesse habent, caute sibi cum modestia in principio mensae, aliis communiter comedentibus, providere.

Circa primo linguam frenandam quoad superfluitatem. 6. Ad haec « ubique, ut ait Sanctus [7], frenanda est lingua praeceps, maxime in convivio », ne scilicet ad loquendum *superflue*, vel *indiscrete* relaxetur. « Taciturnitas, ait Hugo [8], inter epulas idcirco necessaria est, quoniam lingua, quae in omni tempore ad peccatum prona labitur, periculosius tamen, cum per crapulam inflammata fuerit, ad loquendum relaxatur ». — Item, discretionem. *Discretionem* in verbis eadem ibi ratio persuadet. Super mensam autem cum socio loqui [9], aut coram illitteratis Latinis ibidem vel alibi verbis uti, dominum quoque domus, vel alios quoscumque ad comedendum vel bibendum frequentius invitare non decet. Subit animo, quod quaedam matrona cuidam eam frequenter invitanti dixisse fertur: « Fuistine, inquit, asinarius »? ruralium et imperitorum, qui asinos saepius provocare novissent, esse proprium innuens invitationes in mensa personis discretionem habentibus inculcare [10].

Secundo, corporis et habitus dispositionem. 7. Oportet etiam disciplinam in *corporis et habitus dispositione* servare, ut comedentes se non appodient super mensam, vel accubitando vel alio quocumque modo inordinate [11] se gerant. Dum comedunt, caput in caputio nulla ratione profundent, sed aperta comedant facie. Ceterum Religiosos et pauperes de mensa aliena viventes de portione sibi apposita exenia familiae faciendo patrisfamilias in domo gerere vices, canes vel murilegos de mensa pascere benedicta, a quo nonnulli etiam abstinent saeculares, non congruit. — Notandum. Principalis hucusque incisio [12], nil his notae impingens, qui sub institutionibus aliis militant, aut pro diversis locis et diversitate causarum diversa ordinant instituta. Honesta quidem et sancta omnis traditio, quae per prudentiam [13] seniorum in timore Dei communiter traditur, communiter observatur. Profecto, ex communi surgit institutione Religio, honestas ex ordinatione causatur. Omne ordinatum decorum esse necesse est [14].

EXPLICIT PRIMA HUIUS OPUSCULI PARTICULA [15].

---

[1] Ier. 36, 22. seqq.; Ioan. 18, 18. et 25. seqq. de Petro. — Inferius pro *praedicatione* ed. 2 *praemeditatione*.
[2] Isidor., II. Sent. c. 42. n. 10. Textus originalis substituit *carnales* pro *carnis* et vocibus *omnes virtutes* interserit *animae*. Ibid. c. 44. n. 3. habetur seq. sententia, in quo textus originalis post *ibi se* addit *magis* et pro *amplius vident cibum* substituit *plus viderint escam*.
[3] Prov. 21, 17.
[4] Epist. I. Cor. 4, 9. — Ed. 2 prosequitur: *Felix abstinentia, quae gulam regulat in exemplar. Felix abstinentia* etc.
[5] Cod. B et ed. 2 *non nimis*.
[6] Ed. 2 *protrahere*, quae etiam subinde verbo *Caveant* praefigit *propterea*.
[7] Bernard., IV. de Considerat. c. 6. n. 22.
[8] De Institut. novit. c. 18.
[9] Ed. 2 *Super mensam in aure socio loqui*.
[10] Vat. cum ed. 1: Fuisti... asinarius ruralium... provocare novissent? esse proprium innuens his qui invitationes personis discretionem habentibus inculcare solent.
[11] Vat. et ed. 1 *inordinato*.
[12] Secundum Du Cange, Glossarium etc.: *Incisio* idem est ac sectio, capitulum in libris. Post *principalis* supple *est*.
[13] Ed. 2 *providentiam*.
[14] August., de Vera Relig. c. 41. n. 77: Nihil enim est ordinatum, quod non sit pulcrum. Et sicut ait Apostolus [Rom. 13, 1.]: *Omnis ordo a Deo est*. Cfr. Ambros., I. de Officiis ministrorum, c. 45. n. 228. seq., ubi ostendit, quod decorum « ita cum honesto iungitur, ut separari non queat, siquidem et quod decet honestum est, et quod honestum est decet » etc.
[15] Ita A B et ed. 2; C D E et ed. 1 *Explicit prima pars principalis*, Vat. *Explicit prima pars Speculi disciplinae*.

PARS SECUNDA.

Incipit secunda, quae de generali exhortatione loquitur [1].

Principali huius opusculi particula expedita, *secundaria* [2] haec pauca epilogat et supplet quaedam, ut novi discipuli Christi, qualiter *ad Deum*, *ad se*, *ad proximum* et *ad res* etiam, quas aliquando servare vel tractare contingit, se habeant; quibus *differentiarum indiciis* de sua conversione discernant; qualiter denique ipsi ad *professionem* recepti se gerere debeant, vel breviter in aliquibus instruantur.

Capitulum I.

De ordinatione respectu Dei [3].

1. Ante omnia cor suum per puram confessionem mundatum dignum Deo habitaculum praeparent, illud excolant, illud exornent, nihil ibi sordidum vel obscurum, nihil ibi vel ad horam residere, quod Dilecti sui oculos offendere valeat, patiantur. Tentationes et cogitationes malas humiliter et pure confiteri non differant. Veretur hostis consilium suum ingerere non celanti. — Providendum est eis, ut, qui iam sunt superni Regis militiae annotati, secum omnino firment et statuant, se usque in finem ei fideliter servituros, nec ullis ab eo tentationibus, tribulationibus et angustiis deinceps recessuros. *Iuravi*, ait Propheta [4], *et statui custodire iudicia iustitiae tuae*.

2. Religionem sanctam, ad quam eos Dominus sua miseratione vocavit, ferventissimo ac fidelissimo studeant amore diligere et ei tanquam speciosissimae ac Deo [5] dilectissimae sponsae fide inviolabili adhaerere. — Quaecumque sibi, sive prospera sive adversa, contigerint, Deum semper devotis efferant laudibus, ut, sive cespitent sive cadant sive aliam quamcumque molestiam seu laesionem incurrant, semper in ipsorum ore resonet laus divina, semper vel *Benedictus Deus*, vel *Ave Maria*, vel aliquid, quod ad laudem Dei pertineat, dicant [6]. Et hoc in consuetudinem ducere studeant nulla unquam negligentia omittendum. — Quidquid speciositatis vel delectabilitatis in creaturis invenerint, quidquid circa statum humanae conditionis vel dispositionis acciderit, totum semper assumant in materiam laudis Dei, et de omnibus, quae occurrerint, devote studeant cogitare. In ipso suarum omnium operationum initio Dominum invocare et suam ad ipsum intentionem dirigere assuescant.

3. Instent orationi frequenter [7], quae novam in horto Domini plantulam fovet, provehit et confirmat. Discant ergo una saltem diei vel noctis hora tempus et otium vindicare, quando, ad se reversi mentisque cubiculum ingressi, *orent Patrem suum in abscondito* [8] et in *corde contrito et humiliato* universorum Domino familiariter astent. *Mane* autem astabat Propheta Domino, quia *qui mane vigilaverit ad Deum inveniet eum*. Subripienda erit carni, et si forte non semper, saepe tamen somni requies matutini, cum Christus resurrexerit illa hora [9]. Tunc est tempus *allidendis ad petram parvulis*, mortificandae carni et recreando spiritui opportunum. Tunc spirituales aviculae dulcem Deo in cordis organo exhibent melodiam [10]. Ad haec et aliae temporis et quietis opportunitates, quae occurrunt, minime negligendae sunt.

4. Post horas canonicas non statim oratorium exeant, sed in oratione aliquantulum subsistentes, qualiter opus Dei peregerint, cogitent, an tepide, vel ferventer; defectus, si quos ibi commiserint, tunc emendent gratiaeque devotionis se offerant infundendae, quam, si Dominus dederit, non repellant. — Hoc autem in omni oratione observent, vel quod orantes dicunt ex animo semper dicant; non enim vocibus, sed rebus agitur apud Deum [11]. Porro, qui ad orationem est negligens suae nimirum ingratitudinis et tepiditatis est testis. Frustra profectus virtutum sine oratione speratur.

5. Ad ea igitur, quae ad cultum Dei pertinent, *magno corde* [12] et prompto corpore accingantur. Ad divinum Officium, audito signo, statim omnibus occupationibus omissis, accelerent. Si in lectis fuerint, statim surgant nec ultimum aliquatenus signum exspectent. Oratione namque aliqua utiliter praevenitur Officium. Qui sic ex studio praevenit *in benedictionibus* meretur *dulcedinis*, id est maioris devotionis et gratiae, ad ipsius exsecutionem *praeveniri* [13]. Ecclesiam intraturi, manus, si necesse habuerint, lavent. Vestes, maxime in die, religiose componant, ne irreverenter aut indecenter introeant aulam Dei. In ecclesia Deo psallentes, Creatorem suum totis viribus cum reverentia debita laudent.

[Margin notes: ...isiones. | ...puritate ...ordis. | ...positum ...severandi. | ...al Religionem. | ...mper ...m laudent. | ...creata ...eom re...ot. | De oratione frequentanda. | Continuatur. | Prompti sint ad actus devotos.]

---

[1] Codd. C D E et ed. 1 *est*, Vat. legit: *S. Bonav. eximii Ecclesiae Doctoris Speculi ad novitios pars secunda.*

[2] Cfr. supra Prolog. n. 5. — Ed. 2 voci *Principoli* hanc rubricam praemittit *De partis ipsius distinctione.*

[3] Codd. C D E *De primo, scilicet de ordinatione respectu Dei.*

[4] Psalm. 118, 106. — Superius voci *superni* A addit *et aeterni*, ed. 2 legit *summi et aeterni*, pro *militiae* Vat. cum ed. 1 *milites.*

[5] Ed. 2 *Domini.*

[6] In opusculo, cui titulus: Varia et brevia documenta pie seu religiose vivendi (inter opera Bernardi) n. 1: Quidquid contingat tibi vel alii quantumcunque coniuncto, non cures, et si est adversum, non tristeris; si est prosperum, non laeteris, sed totum nihil puta et lauda Deum. — Superius pro *cespitent* A et ed. 2 *tepescant.*

[7] Cod. B et edd. 1, 2 *ferventer* (cfr. supra c. 12. n. 1.).

[8] Matth. 6, 6. — Subinde allegantur Ps. 50, 19: Cor contritum etc.; 5, 5: Mane astabo tibi et videbo; Prov. 8, 17: Qui mane vigilant ad me invenient me. — Pro *et in corde* C D E et edd. 1, 2 *quando in corde.*

[9] Cfr. Marc. 16, 2. — Subinde respicitur Ps. 136, 9: Beatus, qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram. — Vat. *resurrexit.*

[10] Cfr. Ambros., V. Hexaëm. c. 12. n. 36. et in antiqua ed. op. Ambrosii Serm. 43, qui in ed. Maurin. omittitur.

[11] Matth. 7, 21: Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei etc. — Inferius pro *sine oratione* ed. 2 *sine amore.*

[12] Libr. II. Mach. c. 1, 3: Et det vobis cor omnibus, ut colatis eum et faciatis eius voluntatem corde magno et animo volenti. — Vat. legit: *magno et prompto corde accingantur.* Inferius pro *in lectis* et *ultimum aliquatenus signum* ed. 2 *in tecto* et *ultimam aliquatenus pulsationem.*

[13] Psalm. 20, 4: Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Post *exsecutionem* B et ed. 2 addunt *officii.*

Praesertim ad Officium.

6. Officium suum in choro et extra non perfunctorie quidem, aut summis, ut dicitur, labiis [1], sed devote semper et integre dicere studeant nec aliam ei occupationem admisceant. Cessent manus, oculorum evagatio reprimatur, ut mens ab exteriori cura penitus libera soli valeat Deo vacare. Dies vel hora, quae negligenter officiata pertransierit [2], nequaquam ulterius poterit revocari, cum praesertim temporis sequentis officium suam nihilominus diligentiam et devotionem requirat. Nec sibi de gratuitis orationibus blandiantur, si circa necessarias, quae primo loco habendae sunt, desidiosi exstiterint.

Assistant pure et strenue.

7. Denique iuxta Sancti [3] verbum, « *pure* semper ac *strenue* debent laudibus divinis intendere: *pure* quidem, ut, dum psallunt, nihil aliud cogitent, quam quod psallunt; *strenue* vero, ut, sicut reverenter, ita et alacriter Deo assistant, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non praescindentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis et remissis vocibus muliebre quiddam, balba de nare sonantes, sed virili, ut dignum est, sonitu et affectu Spiritus verba depromentes ». Reverentiam [4] in Officio honesta corporis dispositio, quae mentis devotionem non mediocriter promovet, attestatur. In choro non stent in stallis suis molliter, aut quasi fractis renibus resoluti. — Quando post psalmum, vel hymnum sanctae Trinitati reverentia exhibetur, humiliter et decenter inclinent. Tunc enim *tardius* surgere, *segniter* aut certe *difformiter* inclinare, ut, quando corpore quidem sufficienter demisso, vultus tamen indecenter erigitur, oculis erratice circumlatis, imperfecte quoque ad memoriam Trinitatis inclinationis venerationem exsolvere, quasi sit honoris differentia in personis, irreverentiae arguit et teporis.

Quomodo inclinandum.

Stando dicant Officium.

8. Etiam extra chorum stent ad Officium, praeterquam ad lectiones et specialiter excepta dumtaxat [5]. Irreverentes et pigros se noverint, si debitas Deo laudes sedendo vel iacendo exsolvant, nisi necessitas evidens cogat. Si quando per viam Officium dixerint, etsi non vacat continue, dum illud dicunt, ab itineratione quiescere, saltem ad collectam praecedentium collectivam, quando omnino tota est in Deum intentio colligenda, in uno sistant loco, immo, si tempus exegerit et locus permiserit, cum reverentia genuflectant, ut in oratione communi totum Officium venerentur.

Dispositio corporis sit honesta.

9. Dispositio corporalis honesta devotionis provocat affectum et designat. Non frustra sanctus Martinus « oculis ac manibus in caelum semper intentus » orasse describitur [6]. Intrinsecos motus gestus exterior attestatur. Quamvis extra conventum conventualis in omnibus disciplinae non servetur districtio, in omnibus tamen Religiosi operibus religionis debet vestigium relucere. Debent ergo [7] ad opus Dei corpus honeste disponere, ad collectam et Trinitatis memoriam vel modicum inclinare, ordinem in prosequendo servare, occupationem et interruptionem vitare.

Quomod[o] Missas [...]

10. Ad Missas, postpositis omnibus, tanto maiori promptitudine ac devotione ministrent, quanto ibi familiarius Deo servitur. Calicem et corporalia, si tetigerint, reverenter et mundissime tractent manusque post tactum huiusmodi, antequam apponant communibus, lavent. Corpus dominicum recepturi, ante, ut decet, ampliori confessionis, orationis et tam a cibis quam verbis temperantiae studio acceptum Deo satagant hospitium praeparare. Infusam autem ob tanti reverentiam hospitis [8] gratiam in gratiarum actione attendant.

Non minor est virtus quam quaerere parta tueri [9].

Capitulum II.

De ordinatione respectu sui [10].

Virtut[i] insist[en]dum

1. Ceterum fervorem sanctum et quandam debent magnanimitatem assumere, ut ad virtutum exercitia strenui ac devoti, opera bona frequenter supererogare contendant. « Tunc enim vitia fideliter exstirpata discedunt, si virtutibus cedant. Alioquin vel subsidunt ad tempus eiecta, vel redeunt; nisi virtutes in locis vitiorum, quae fuerint depulsa, successerint [11] ». Non multum proderit omnia reliquisse, nisi virtutum passibus tota Christum intentione sequamur. Quid iuvat, expeditum esse ad cursum, nec currere; exisse ad opus, et operis oblivisci? Non intrantibus vineam, sed operantibus merces datur [12]. Et cum in usu virtutum omnium perfecti esse non valent, in aliqua saltem se studeant specialiter exercere et illam, quanta possunt perfectione, observare.

Non [...] rantor [...] pensat[...]

2. « Fervorem novitiorum non decent illae misericordes in se ipsum discretiones et discretionum dispensationes faciles, quia indulgentiae suo iudicio non sunt admittendae, nec tamen recusandae sunt alieno. A se ipso in se ipsum rigida debet esse censura et districta severitas; ad regentem vel consulentem lenis et obediens in omnibus humilitas. Si alterum desit, vel in deside et tepido non spero cursus perseverantiam, vel in praecipiti timeo ruinam [13] ». « Sint occultatores virtutum, sicut alii vitiorum ».

---

[1] Cfr. Seneca, Epist. 10. Pro *summis* ed. 2 *summissis*, ed. 1 *asininis*, Vat. *simiaticis*.

[2] Codd. C D E et ed. 2 *transierit*.

[3] Bernard., Serm. 47. in Cant. n. 8: Unde vos moneo, dilectissimi, pure semper ac strenue divinis interesse laudibus etc. Textus originalis deinde propositiones transponens primam (*pure quidem*) in fine exhibet: « Strenue quidem; ut sicut reverenter, ita et alacriter assistatis, non pigri... et affectu voces sancti Spiritus depromentes. Pure vero, ut nil aliud, dum psallitis, quam quod psallitis cogitetis ». Pro *balba* A *blanda*, D E et ed. 1 *blanda verba*.

[4] Codd. A C E et ed. 2 *Reverentiae*.

[5] Vat. et ed. 1 *ad lectiones et officium mortuorum. Specialiter tamen lectionibus plane dictis, de Domina tantum exceptis, irreverentes* etc.

[6] Sulpicii Severi Epist. 3. ad Bassulam. — Codd. C D E et edd. 1, 2 prosequuntur *Internis* [ed. 1 *Intrinsecis*] *motibus gestus* etc.

[7] Codd. B C D E *Erit hinc*, ed. 2 *Erint hinc*.

[8] Codd. C D E *autem obtentu hospitis*. Vat. cum ed. 1 *reverentiam* transponit post *gratiam*.

[9] Ovid., II. Artis amatoriae, v. 13.

[10] Codd. A B *De ordinatione sui ipsius*.

[11] Prosper., III. de Vita contemplativa, c. 3. n. 1. Pro *exstirpata* textus originalis *expulsa*, ed. 2 *expectorata*. Post *Alioquin* C D prosequuntur *vero, si cedunt ad tempus eiecta, non recedent* (C *redeunt*), *nisi* etc.; ed. 1 cum E *vae, si cedunt* [E *cedant*] *ad tempus eiecta. Nam redeunt nisi* etc.

[12] Cfr. Matth. 20, 8. Pro *operantibus* C E *morantibus*. — Inferius pro *observare* C D E et ed. 2 *servare*.

[13] Guillelm. abbas S. Theodorici, de Natura et dignitate amoris (inter opera Bernardi), c. 3. n. 7, sed nonnullis mutatis. — Seq. sententia est auctoris libri de Quatuor virtutibus (cfr. supra pag. 583, nota 9.), c. de Continentia, ubi de continenti dicitur: Ad iram tardus... occultator virtutum, sicut alii vitiorum. — Inferius vocibus *notabile attentent* ed. 2 interserit *prorsus* et pro *ascendant* substituit cum C D E et ed. 1 et 2 *conscendant*.

Non tamen in principio ardua sive multa praesumant nec sine licentia aliquid notabile attentent, sed a minoribus virtutibus paulatim ad maiores ascendant. *Hereditas, ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit* [1].

...mmonis ...ervantia ...enda.

3. Communem Ordinis observantiam sequantur, perfectioni [2] in silentio et in aliis institutis plenius obtinendis insistant, a qua nec exemplari levium vel negligentium aliquorum dissolutione divertant. Optima Religiosi perfectio, perfecte communia quaeque conventualia servare. Porro hic Religionem offendit, qui Religionis violat instituta. « Turpis omnis pars universo suo non congruens [3] ». Cavet vir constans et honestus, ne consuetudinum Ordinis temerarius violator existat. In victu et moribus novitatis nota et singularitatis erit diversitas fugienda. Ante omnia caveant, ne pro inchoato iam bono subrepat superbia, ut se aliis praeferant et *se aliquid esse* putent [4]. Perit omne, quod agitur, si non sollicite in humilitate custoditur.

...rior di... ...ina non ...genda.

4. Exteriorum gestuum disciplinam non negligant. « Disciplina cervicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, frenat gulam, iram sedat, format incessum [5] ». Sit igitur aspectus verecundus et simplex, « risus sine cachinno, vox sine clamore, incessus sine tumultu ». Erecto vel discooperto passim capite, manibus dissolutis vel habitu non incedant. Sit eis grata quaedam, non scurrilis seu curiosa urbanitas [6], quibus sancta quaedam rusticitas bene sedet, salva semper modestia honestatis. Sint ad loquendum tardi et in voce demissi et in congregationibus aut seniorum praesentia vix nisi pro praesenti necessitate vel interrogati loquantur. Non sint disputatores nec facile de auditis, praesertim seniore praesente, sententient. Stulti, sicut sunt in sensu leves, ita et in verbo praecipites.

...otia ad ...a quae...

5. Infra tempus probationis cum extraneis, sive Religiosi sive alii fuerint, absque licentia et dato sibi socio non loquantur. Religionis initium est linguae frenum. *Si quis putat, se religiosum esse, non refrenans linguam suam, huius vana est religio* [7]. — Rem aliquam, licet parvam, sicut acum sive aliud, occulte, hoc est sine licentia, recipere vel habere quasi furtum abhorreant.

...ertas et ...tas am...enda.

6. Superfluitatem in cibis et vestibus et in aliis quibuscumque constanter despiciant, paupertatem semper et parcitatem quandam in omnibus, quae ad corpus pertinent, amplexantes. Vitiosae consuetudini viriliter et ferventer resistant nec eam in his [8] quae gulae vitium sapiunt, succrescere patiantur. Extra communem refectionem ad comedendum et bibendum vix eos inflectat ipsa necessitas. Saepe quod necessitatis esse videtur est vitii. Ultra duas vices in die puerorum seu pecudum more comedere, potum extraordinarie frequentare Religionis temperantiam et decorem evidenter offendit. Quae, rogo, Religio, quae paupertas, si mox ut esuris, mox ut sitis, volito pares, satias appetitum nec eum usque ad statutam horam scis compescere? Si quando tamen extra horam exactus necessitate quis bibit, sedendo et socio praesente id faciat. Non decet, ut stando, aut sine teste bibas. Si plures fuerint, omnes, dum bibitur, sileant statimque ut biberint, surgant cum aliqua laude Dei. Reprehensibilis admodum confabulatio, vel mora superflua iuxta potum.

Otium fugiendum.

7. Nunquam otio torpeant, sed semper aut lectioni, aut orationi, vel officio addiscendo, aut aliis, non quae ipsi elegerint, sed quae iniuncta fuerint, faciendis [9] intendant. Spiritum tamen devotionis exteriores non exhauriant actiones. Devotus Frater nunquam totus comedat, totus dormiat, aut totus in exterioribus occupetur, sed sive comedat sive aliud faciat, sanctum aliquid in animo semper volvat, unde spiritus recreetur [10]. — « In somnum quoque iturus, semper aliquid in memoria secum deferat, in quo placide quidem obdormiat, quod nonnunquam iuvat somniare, et evigilantem excipiens, in statum hesternae intentionis restituat [11] ». Lectum intraturus, pro diurnis offensis orationem semper aliquam faciat, veniam petat, pectus percutiat, crucisque munitus signaculo, suum Deo spiritum humiliter recommendet, cui a somno surgens [12], cum aliquanta se denuo laude consignet. « Quodsi forte eum luxuriae pompa concusserit, recordetur dilectum suum positum *super lectum doloris, et universum stratum eius in carnis infirmitate versatum*, haec dicens in corde suo: Dominus meus pendet in patibulo, et ego voluptati operam dabo? Sicque, invocato nomine Salvatoris et ingeminando saepe nomen salutis, cessabit quassatio [13] ».

Regulae pro dormitione.

Capitulum III.

De ordinatione respectu proximi [14].

Notandum.

1. Ad haec, qualiter se habere ad proximum debeant, Hugo [15] docet: « Superioribus, inquit, obedientiam, timorem, obsequium et venerationem exhibere debemus, cum aequalibus pacem et concordiam custodire, invicem obsequio, beneficio et honore praevenire, in omni actione et verbo superiorem eis locum tribuere; et si quando fortassis in aliquo negotio eos praeire cogamur, cum omni

---

[1] Prov. 20, 21.

[2] Ed. 2 addit *cuius* et subinde substituit *obtinendae* pro *obtinendis*.

[3] August., III. Confess. c. 8. n. 15. — Superius pro *hic Religionem offendit* DE et ed. 2 *in* [C *ante*] *Religionem* [D *Religione*] *offendit*. Inferius vocibus *In victu* ACE et edd. 1, 2 praefigunt *alias*.

[4] Gal. 6, 3: Nam si quis existimat, se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. — Pro *ut se* ed. 2 *ne se*.

[5] Bernard., Epist. 113. n. 5. Pro *ponit* CD et edd. 1, 2 *deponit*, E *componit*. — Sententia seq. invenitur in libro de Quatuor Virtutibus (paulo superius iam allegato), c. de Continentia.

[6] Auctor libri de Quatuor Virtutibus, c. de Continentia: « Non erit tibi scurrilitas, sed grata urbanitas ». De *sancta rusticitate* ait Hieron., Epist. 53. (alias 103.) n. 3: Sancta quippe rusticitas solum sibi prodest, et quantum aedificat ex vitae merito Ecclesiam Christi, tantum nocet, si destruentibus non resistat. Cfr. supra pag. 339, nota 9. Vat. legit: *Sit eis grata non scurrilitas seu curiosa urbanitas, sed sancta quaedam rusticitas, salva* etc.

[7] Iac. 1, 26.

[8] Ed. 2 *ex his praecipue* et inferius *vel ad bibendum* pro *et bibendum*.

[9] Vat. cum ed. 1 *facienda*. Inferius pro *actiones* ed. 2 *curas* (*curae?*).

[10] Guigo, Epist. ad Fratres de Monte Dei, lib. I. c. 11. n. 33: Et cum manducas, nequaquam totus manduces, sed corpore tuo suam refectionem procurante, mens non omnino suam negligat etc. Cfr. supra pag. 481, nota 10. Vide etiam Arnulphi monachi de Boeriis Speculum monachorum, n. 1.

[11] Guigo, loc. cit., n. 34. Pro *hesternae* CE *aeternae*, D *internae*.

[12] Codd. CDE et ed. 2 *consurgens*.

[13] Ita in Formula honestae vitae (inter opera Bernardi), n. 9. Allegatur Ps. 40, 4.

[14] Vat. cum CDE et ed. 1 *circa proximum*.

[15] De Institut. novit. c. 5.

humilitate et reverentia quae facienda sunt non praecipere, sed demonstrare, et si eos praecedere contingat, cum alacritate et devotione, quasi ex necessitate subiecti, obedire; inferioribus semper beneficium et auxilium impendere, venerationem non exigere, societatem atque aequalitatem amare. *Maioribus*, ait, debemus per timorem subdi, *aequalibus* per caritatem obsequi, *minoribus* per aequalitatem [1] coaequari ».

Reverentia senibus debita.

2. Igitur devoti Fratres *seniores* suos revereantur ut dominos, diligant ut parentes. *Qui praesunt in Domino* sunt, secundum Apostolum [2], amplius in caritate habendi. Sane, iuxta Hugonem, « reverentia sine amore magis servilis est, et amor sine reverentia puerilis iudicari debet ». Propterea docet Sanctus [3], ut, « transeunte maiore, minor surgat et det ei locum sedendi. Non praesumat, inquit, iunior consedere, nisi praecipiat ei senior suus ». Prior hic ponit *conversio* vel *gradus officii* seniorem, quamquam et *aetas* sit iuxta legem Domini honoranda; sic enim scriptum est [4]: *Coram cano capite consurge et honora personam senis.* — Discretio tamen caute pro loco et tempore ac sine reverentiae congruae detrimento venerationem modificat. Habendus est modus in omnibus, nec vitiosam quidem superstitionem [5] admittens nec superstitionis evitandae praetextu humilitatis aut morum sanctionem evacuans.

Obedientia in omnibus.

3. *Obedientiae* se totos subiiciant. Sit homo interior totus Deo, sit exterior totus praelato subiectus. Quidquid superior vel praepositus eis vel instructor iniunxerit, quasi divinitus imperatum, statim ut veri *obedientiae filii* [6] devote adimpleant. Quidquid statuerit, inviolabiliter servent scienterque aliquid transgredi sacrilegium putent, credant salutare quidquid ille praeceperit. « Perfecta obedientia est in incipiente maxime indiscreta, id est, non discernere, quid vel quare praecipiatur, sed tantum ad hoc niti, ut fideliter et humiliter fiat quod a maiore praecipitur. Novitium prudentem, incipientem sapientem in cella diu posse consistere, in congregatione durare, impossibile est. *Stultus fiat, ut sit sapiens* [7] ». Secure per omnia obeditur, ubi contra Deum nihil praecipitur. Discant ergo voluntates proprias frangere alienoque iudicio et imperio ambulare.

Magistrum sequantur.

4. « Nulla ars, ait Sanctus [8], absque magistro discitur. Ad illud, inquit, tendit oratio, ut tuo doceam te arbitrio non vivendum, sed vivere debere in monasterio sub unius disciplina patris consortioque multorum, ut ab alio discas humilitatem, ab alio patientiam; hic te silentium doceat, ille mansuetudinem. Non facias quod vis, subiiciaris cui non vis. Lassus ad stratum venias ambulansque dormites, et necdum expleto somno, surgere compellaris ». Nihil absque instructoris conscientia faciant vel quocumque eant, cui ab aliis etiam superioribus demandata sibi significent. In quibus sufficit ipse, semper eius licentia sint contenti; pro his quae inferioris sunt, non passim recurritur ad maiorem.

Honor e[t] obsequiu[m] erga omn[es]

5. Fratres omnes et se *invicem honore* et obsequio *praevenire* [9] et eorum defectum in officiis humilioribus implere contendant. Seniores fratres versiculos dicere, de lumine servire, librum ad officium tenere, vel huiusmodi humilia in choro et extra, quantum in se fuerit, non permittant. Omnibus se subiicientes, humiliter propter Deum non quod sibi utile putant, sed quod aliis, amplexantes, omnibus libenter obediant, omnibus satisfaciant, prout possunt, « ut in omnibus, quibus utitur transitoria necessitas, superemineat quae permanet caritas [10] ». Quidquid agunt fidelissime cum diligentia faciant, et tanquam *Deo*, non *quasi hominibus servientes*. Non aestiment, alios Fratres, qui diutius in Ordine laboraverunt, secum ex aequo laboribus occupandos, praesertim cum, de *se humiliter sentientes* [11], pie debeant credere, quod sancti viri plus Deo placeant quiescentes quam ipsi quantumlibet laborantes.

Continu[...]

6. Erubescant, se nescire quod in obsequiis Religionis [12] est sciendum. Quod igitur nesciunt statim, exercitio magistrante, addiscant. Sint praecipue ad serviendum communitati promptissimi. Si lumen in ecclesia vel in officinis, aut aqua in Fratrum lavatorio desit, continuo de his et similibus necessitati provideant. Ad obsequium advenientium Fratrum, qui sicut Angeli [13], immo sicut Christus in eis veniens suscipiendi sunt, cum omni devotione festinent. Et quia Fratribus hospitibus, secundum quod Religionis honestas et consuetudo requirit, prius orandum est, quam Fratribus socientur in pace [14]; quam cito ab oratione surrexerint, ad eorum deosculandas manus, maxime si fuerint sacerdotes, devote occurrant et humiliter genuflectant. Nullum Fratrem puro appellent nomine [15] nec, nisi patriae fuerit consuetudo, tuizent.

Carita[t...] paci s[tu]dean[t]

7. Nulli prorsus, quantum in eis est, materiam praestent molestiae alicuius, sed omnia, quae necessaria et utilia aestimant, bono caritatis et pacis postponant. Quid

---

[1] Textus originalis melius *per humilitatem.* Codd. C D E *sociari seu coaequari.* Cod B et ed. 2 ultimam sententiam tribuunt Hieronymo, addentes *Hieronymus* post *ait.*

[2] Epist. I. Tim. 5, 17: Qui bene praesunt presbyteri duplici honore digni habeantur. Pro *amplius* C D E et ed. 2 *abundantius.* — Sententia Hugonis habetur loc. cit. Vat. cum nonnullis codd. et ed. 1 omittit *magis.*

[3] Benedict., Regul. c. 63.

[4] Lev. 19, 32. Aristot., IX. Ethic. c. 2: Omni item seniori honor pro aetate reddendus est assurgendo etc. — *Conversio* idem valet ac introitus in Ordinem; cfr. Isidor., Regula monachor. c. 4. (de Conversis), ubi etiam n. 3. dicitur: Qui in monasterio prior ingreditur primus erit in cunctis gradu vel ordine etc.

[5] Cfr. supra pag. 611, nota 10.

[6] Epist. I. Petr. 1, 14. — Superius C D E et ed. 2 omittunt *subiectus.*

[7] Guigo, Epist. ad Fratres de Monte Dei (inter opera Bernardi), lib. I. c. 5. n. 14. Post *praecipitur* textus originalis non pauca addit. Allegatur I. Cor. 3, 18.

[8] Hieron., Epist. 125. (alias 4.) n. 15. Post primam propositionem textus originalis plura addit et deinde prosequitur: Et ne plura replicando fastidium legenti faciam, per haec omnia ad illud tendit oratio, ut doceam te, non tuo arbitrio dimittendum, sed vivere etc. Ed. 2 *sanctus Hieronymus.*

[9] Rom. 12, 10: Honore invicem praevenientes.

[10] August., Regula ad servos Dei, n. 8. et Epist. 211. (alias 109.) n. 12. Respicitur I. Cor. 13, 8: Caritas nunquam excidit etc. — Subinde alluditur ad Rom. 12, 11: Domino servientes; et Eph. 6, 6: Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi etc.

[11] Psalm. 130, 2: Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam etc.

[12] Ita C D; edd. 1, 2 *Religioso*, Vat. *religiose.*

[13] Cod. B et ed. 2 addunt *Dei.*

[14] Benedict., Regula c. 53: Omnes supervenientes hospites tanquam Christus suscipiantur, quia ipse dicturus est: *Hospes fui, et suscepistis me* [Matth. 25, 35.]. Et omnibus congruus honor exhibeatur, maxime domesticis fidei [cfr. Gal. 6, 10.] et peregrinis. Ut ergo nuntiatus fuerit hospes, occurratur ei a Priore vel a Fratribus cum omni officio caritatis, et primitus orent pariter et sic sibi socientur in pace etc.

[15] Cfr. supra pag. 590, nota 1. — Du Cange, Glossarium etc.: *Tuisare*, vocare aliquem *Tu.* — Pro *tuizent* (ita C D) Vat. cum ed. 1 *tuisent.*

pace honestius, quid unitate iucundius, aut commodius socialitate [1]? Quid caritate melius, aut pretiosius invenitur? Gloriosissimum quidem et potissimum liberalis animae et conscientiae bonae indicium, pacem proximi custodire, omnem, quantum possibile est, Fratrum scandali occasionem vitare, verecundari, si socium vel per surreptionem offendis [2]. Si quem adversum se Fratrem motum vel leviter senserint, quiescere nesciant, quousque ipsum humili studuerint satisfactione placare.

...plina ad ...raneos.

8. Ad extraneos si quando procedunt, in eorum verbis, incessu et habitu modestia fulgeat disciplinae, breviter et pauca [3] loquantur, caput decenter operiant, manus abscondant, mulieris omnino quantumlibet propinquae osculum et nudae manus contactum penitus vitent. Pro personis, quae in domo vel in via Fratrum se orationibus recommendant, statim post earum abscessum orationem faciant specialem. Defunctis Fratribus [4], audito eorum transitu, quam citius possunt, subveniant et debitum saltem obsequium solvere nulla occasione postponant. Talia siquidem non absque pertimescendae offensae periculo negliguntur.

CAPITULUM IV.

De custodia rerum.

...golae ...ditiae.

1. Res, quas tenent, praecipue libros, munde teneant et honeste. A tactu libri nudam cohibeant manum, quae, licet munda, quia tamen porosa, ipsum facile inficit et deturpat. Turpe est nudos paginarum marginibus imprimere digitos, vel ipsos, aut certe laternam super librum legendo deducere. Semper pannus, si adsit, digito supponatur; alioquin ita caute tangant et leviter, ut tangentes quasi non tangere videantur. Librum superflue apertum non teneant vel incaute relinquant. Firmacula [5] libro paululum stricto sine violentia laxent et ponant; violentiam sonitus probat. Indignus est libro qui negligit custodire. Solent incurii quidam [6] libros digitis, et vestes, praecipue in manicis munde servandas, sordibus et pulveribus vel rebus, quas tractant, pene indifferenter exponere, ipsas vero extremae frequenter vilitati expositas vix valent a sociorum cibo, vix ab altari, vix ab ipsis calicis mappulis prohibere. Qui ipsis placere sordibus cupiunt [7] custodiae curam curiositatis condemnant infamia suaeque vitium incuriae virtutis specie colorare nituntur. Gravia haec homini erudito; qui munditia gaudet honestatis pulcritudine delectatur.

CAPITULUM V.

De differentia conversorum [8].

De bonis conversis.

1. Accedit hinc [9] neophytorum *conversio differens* intuenda. Sunt enim quidam tractabiles, simplices, devoti, timorosi, qui nihil sibi Christo carius aestimantes, voluntates proprias ei sacrificant, voluntate prompti ad nutum nutu citius obedire. Ad difficilia quaelibet propter Christum aequanimiter perferenda parati, suae quoque integritatis solliciti, cor suum per puram confessionem et assiduam orationem mundare non negligunt. Sunt in exteriori conversatione disciplinati et humiles, student se in omnibus officiosos et amabiles exhibere. Siquidem « studere propter Deum amari caritati servire est [10] ». Hi vero sunt Altissimi filii, fideles sanctae Religionis propagines, Fratrum laetitia, consociorum solatium, sui gloria instructoris. Nam gloria patris est filius sapiens [11].

Item, de malis.

2. Sunt et alii durae cervicis, disciplinae insusceptibiles, mansuescere nescientes, tepidi, curiosi, superbi, qui, quam *suavis est Dominus* [12], non gustantes, saeculari dumtaxat deposito habitu, non affectu, adhuc in moribus, in verbis, in gestibus et propriarum pertinacia voluntatum saeculo fidem servant, ut monstro mirabilius sub religiosa veste hominem videas saecularem. Hi sunt *filii diffidentiae* [13], adulterina plantatio, fructus inutiles et acerbi, sociorum onus et scandalum, sui afflictio et confusio instructoris, iuxta illud [14]: *Ira patris filius stultus, et confusio patris de filio indisciplinato.*

Signa malorum conversorum.

3. Ponenda sunt pauca *teporis, curiositatis* et *superbiae* praedictorum indicia, ut cognita devitentur. « Cautior in bonis ambulas, si et mala non lateant [15] ». — « *Tepidus* in conversione otiosa verba et vanas cogitationes noxias esse non conspicit ». Vitatis grandibus, reliqua omnia vix reputat imputanda; hebetati cordis ipse ad conscientiam de offensis, ut timoris filialis ignarus, timoratos et conscientiae puritatem amantes fatuos et superstitiosos sententiat. « Quodsi a torpore mentis evigilaverit ea quae levia existimabat, quasi horrenda atque atrocia pertimescit [16] ». Vacuus gratia et tepidus, quod est gratiae seu minus necessariae tentionis, quod disciplinae, quod morum, quod virtutis perfectio conciliat negligens, illud difficile, vel certe superfluum arbitratur, aegre doctrinam ad talia patitur, doctorem nimis perfectum ironica irrisione pronuntians. Nempe *stultus sui patris disciplinam irridet* [17],

Signa teporis.

[1] Psalm. 132, 1: Ecce, quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum! Cfr. Serm. 2. ad Fratres in eremo (inter opera August.). Pro *socialitate* C D E et ed. 2 *saciali*, ed. 1 *socialitali*. — Superius pro *et pacis* C D E *et pietatis*, Vat. cum ed. 1 legit *bono pietatis et caritatis componant*.

[2] Serm. 61. in Appendice August. (alias 169. de Tempore et post 57. in Appendice) n. 1: Pax dilectionis mater est, concordiae vinculum ac purae mentis indicium manifestum. — Superius pro *liberalis animae* ed. 2 *liberalis animi* et cum A *fraterni scandali* pro *Fratrum scandali*.

[3] Ed. 2 *breviter et caute*.

[4] Ed. 2 addit *statim* et inferius omittit *solvere*.

[5] Secundum Du Cange, Glossarium etc.: *Firmaculum* idem est quod *firmatorium*, quo quid firmatur, Gallis *fermail*, fibula, retinaculum. — Vat. et ed. 1: *Firmacula... si violentia laxentur, apponent, violentiam* etc. Inferius vocibus *qui negligit* ed. 2 interserit *eum*.

[6] Ed. 2 *quidem* et subinde *saltem* pro *praecipue* ac *quandoque* pro *frequenter*. Pro *calicis* B *calicum*.

[7] Cod. B et ed. 2 *Qui ex ipsis placere sordibus cupientes*.

[8] Vat. cum ed. 1 *De profectu et defectu novitiorum sive differentia conversorum*.

[9] Codd. C D E et ed. 2 *hic*. Inferius fide C D substituimus *voluntate* pro *voluntarie*.

[10] Bernard., Epist. 90. n. 1. — Superius pro *student se in omnibus* ed. 2 *student se omnibus*.

[11] Prov. 10, 1: Filius sapiens laetificat patrem.

[12] Psalm. 33, 9: Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus. Cfr. Sap. 12, 1: O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus! — Superius C D E et ed. 2 omittunt *insusceptibiles*.

[13] Eph. 2, 2. et 5, 6. — Superius voci *adhuc* Vat. et ed. 1 praefigunt *quoniam*.

[14] Prov. 17, 25, post quem Eccli. 22, 3.

[15] Bernard., II. de Considerat. c. 7. n. 14. — Seq. sententia est Isidor., II. Sent. c. 10. n. 2, ubi pro *conversione* A C D E et edd. 1, 2 contra textum originalem et Vat. *conversatione*. — Superius pro *teporis* (ita D et ed. 2) Vat. et ed. 1 *torporis*, E *teposi* (a C E ea quae n. 3-7 continentur transponuntur in seq. cap. n. 5. post verba Apostoli *Nemo militans*).

[16] Isidor., II. Sent. c. 10. n. 2. Post *existimabat* textus originalis addit *confestim*. — Inferius post *Vacuus gratia* ed. 2 omittit *et*.

[17] Prov. 15, 5. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 21, 22. et I. Cor. 2, 14.

ut pateat quod iuxta Sapientem dicitur: *Compedes in pedibus stulto doctrina. Animalis homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei.* — Tepidus, in conversione[1] remissus publicos mores et doctoris monita negligit, ea quae Dei sunt languide operatur. Si quod inchoat bonum, vix perficit, tarde ad divinum officium et quaeque conventualia occurrit. Otio gaudet, labore vel modico laeditur, et facile se infirmum vel admodum fatigatum praetendit; sed et amore privato se diligens, *quae carnis sunt sapit*[2] et prosequitur ex affectu. Aliorum quoque defectibus, non virtutibus haerens, si quid minus vel negligenter actum inspexerit, illud in exemplum ad suae velamen tepiditatis assumit. Ficta ei et indevota confessio, rara et brevis compunctio, insipida et sine attentione oratio, incircumspecta et sine aedificatione lectio, obedientiae morosa et sine devotionis affectu vix aliqualis impletio. « Multos enim remissa conversio in pristinos errores reducit ac vivendi tepore resolvit[3] », ut nonnunquam *ex ore Domini evomantur.*

Continuatur.

4. Curiosus non curanda curat, necessaria negligit, et sui oblitus, aliena considerat, notat et explorat. Si quod insonuerit verbum, anhelat sollicitus ad sciendum, et honestate postposita, id ab invitis et celare forsan volentibus inverecunde requirit. Locis sibi non concessis, congregationi et collocutionibus Fratrum se ingerit non vocatus. Cum eum abesse putaveris, adest impudens lateri, adest auri, ut nec secretum valeas occultare sermonem. Observat angulos, vagis circumspicit oculis, haeret ad singula, quae occurrunt, communes obsidet transitus, supervenientium et forensium gaudet occursu. Rumoribus et saecularibus verbis hauriendis et referendis intendit. Res sibi non deputatas curiose revolvere non quiescit. Litteras etiam alienas, si casu apertas inveniat, inspicere non veretur, quas tamen, licet apertas, quomodolibet inventas vix aliquis nisi superior licite inspicit, vel aliis inspiciendas exponit. Rerum quoque apparatus cura superflua curiositatis vitium clamat[4].

Item, curiositatis.

5. Signa vero superbiae Prosper[5] enumerans, « illos, inquit, dolendos ostendo, quos iam conversos superbia occulte captivat. Hi, ait, seniorum suorum non observant imperata, sed iudicant; de suis negligentiis obiurgati, aut rebellant insolenter, aut murmurant. Simplicitatem spiritualium Fratrum irridenter exagitant, praeferri se etiam melioribus impudenter affectant. Obsequia delata fastidiunt, negata pertinaciter quaerunt. Natales moribus anteponunt, iuniores suos elati despiciunt, conferri sibi aliquos posse non credunt. Non servant in obsequio reverentiam, in sermone modestiam, in moribus disciplinam; habent in intentione pertinaciam, in corde duritiam, in sermocinatione iactantiam; sunt in humilitate fallaces, in locutione[6] mordaces, subiectionis impatientes, temerarii in audendo, clamorosi in loquendo, fastidiosi in audiendo, praesumtuosi in docendo, effrenati deformiter in cachinnando; haec sunt, infert, superbiae grassantis indicia ».

Item, superbiae.

6. Superbus[7] se ad omnes propriae voluntatis impulsus accommodat nec se aliis, sed alios sibi applicare contendit; facile sibi fieri contumeliam iudicat, ad quam irrogandam est validus, ad tolerandam infirmus; et se grande aliquid esse putans, deferre sociis dedignatur. Legibus subdi[8] et propriam recognoscere culpam erubescit. Et licet iuxta Ordinis mores se regere nesciat, in suis tamen oculis sapiens et perfectus, ad aliorum instructionem, suae praesertim opinioni contrariam, stomachatur. Reprehensus offenditur, nunc causam ut insufficientem vel frivolam, nunc monitoris modum calumnians, ut, si persuadere aliquid velis, instabit, quod modus artem, monitio studium exigat; quo fit, ut, huiusmodi allegationum obsitus spinis sicut hericius, vel irrefragabili ratione, vel auctoritate non[9] capiatur. Fit igitur ad obtemperandum difficilis et ad correctionem impatiens, adeo interdum, ut se discipulum abnuens, ipsum etiam deputatum sibi refugiat instructorem.

Continu[atur].

7. Haec omnia servi Dei quasi pestem mortiferam detestantes, perfecte ad Dominum convertantur, iuxta illud Deuteronomii[10]: *Perfectus eris et sine macula cum Domino Deo tuo. Vae duplici corde et peccatori terram ingredienti duabus viis!* Si quis vero sufficienter exspectatus et monitus, mores corrigere ac Religionis formam induere negligit, praesertim si rebellis, aut contentiosus exstiterit; non est proficientium numero aggregandus. *Infidelis, si discedit, discedat*[11], ne una ovis morbida contagione mortifera totum gregem contaminet. Perversus et insolens in onus Religionis et dissolutionem admittitur.

Admo[nitio].

Capitulum VI.

De novis professis[12].

1. Ad professionem admissis sit quam maxima cura, ne defluant. Perfecti quique magna se discretionis subtilitate conspiciunt, ne ad deteriora unquam vel in opere, vel in cogitatione delabantur[13]. « Si curare parva negligimus, insensibiliter seducti, audenter etiam maiora perpetramus ». Susceptam etiam examinis tempore disciplinam prudens non abiicit, immo nec suum continuo quasi iam sibi sufficiens deserit instructorem. Eget rectore novitius, eget novus directore professus. Vanus et fictus, ut instructoris curam evaserit, insolescit, assumit cornua, fit

Ad[moneantur ne] fluan[t].

Egen[t] i[l]... rec[tore].

[1] Ita Vat., in aliis *in conversatione.* Inferius pro *Si quod* ed. 2 *siquidem.*

[2] Rom. 8, 5. — Superius pro *admodum* Vat. *ad modicum.*

[3] Isidor., II. Sent. c. 10. n. 1. Pro *conversio* C D E et ed. 1 *conversatio*, et pro *tepore* Vat. cum ed. 1 *torpore*, textus originalis *tempore.* — Subinde respicitur Apoc. 3, 16: Sed quia tepidus es et nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. — Superius pro *sine attentione* C D E et edd. 1, 2 *sine intentione*, pro *lectio* B et ed. 2 *locutio.*

[4] Cfr. Eadmer., de S. Anselmi Similitudinibus (inter opera Anselmi), c. 26-36, ubi 44 genera curiositatis afferuntur. Vide etiam Bernard., Tractat. de Gradibus humilitatis, p. II. (de gradibus superbiae) c. 10. n. 28. seqq. — Superius pro *quomodolibet* ed. 2 *ubilibet*, quae etiam voci *apparatus* praefigit *vel.*

[6] Libr. III. de Vita contemplativa, c. 8. n. 1-3, ubi tamen textus originalis plura hinc inde interserit. In principio Vat. *hos, inquit, dolens enuntio, quos* etc.

[6] Ita D E et ed. 1, Vat. et ed. 2 *iocatione*, textus originalis legit *in odio pertinaces.* Inferius pro *audendo* et *audiendo* Vat. cum ed. 1 *audiendo* et *advertendo.* Subinde pro *infert* B et ed. 2 *inquit.*

[7] Ed. 2 addit *denique.*

[8] Cod. A et ed. 2 annectunt *communibus.*

[9] Ita Vat., in aliis *non dubia.*

[10] Cap. 18, 13, post quem Eccli. 2, 14.

[11] Epist. I. Cor. 7, 15. — Inferius pro *mortifera* C D E et ed. 2 *pestifera*, et vocibus *in onus* Vat. praefigit *nonnisi*, ed. 2 legit *in onus et Religionis dissolutionem.*

[12] Ita A B C D; ed. 2 *De noviter professis*, cui Vat. cum ed. 1 addit *in Ordine.*

[13] Cfr. Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 8. n. 2. et II. homil. 9. n. 15. Seq. sententia est ipsius Gregor., X. Moral. c. 11. n. 21, in qua pro *insensibiliter* Vat. cum ed. 1 perperam *sensibiliter.*

praesumtuosus et audax et quasi vacca lasciviens a prima informatione declinat. Cessat oratio, tepet devotio, confessio peccatorum negligitur, ut putes eum aut sui oblitum, aut non habere peccatum. Facit quidem dilata confessio, ut negligens mundus appareat, licet non existat; dum culpas absorbet oblivio, non [1] absolvit. Multiplicantur, dum non curantur, offensae; multiplicatae, ne discernantur et corrigantur, impediunt. Multitudo peccatorum impedit, ne videantur. Unde piger tunc est maxime vitiosus, cum vitia non agnoscit. Sic *filia fatua in deminoratione erit* [2]. *Iustorum autem semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectam diem.*

...ia perseverantiae.

2. Professi ergo profiteantur profectum, praesumtionem proscribant. Dabit ad hoc *humilitatis* et *paupertatis* constantia perseverans, *affectuum* et *curarum abiectio terrenarum, exercitatio caritatis* et quae complectitur omnia, *considerationis attentio.* — « Summa Religiosi virtus *humilitas* [3] » quae ipsum curat, perficit et conservat. Sine humilitate nulla virtus, nulla perfectio aut acquiritur, aut servatur. Virtutum siquidem bonum quoddam ac stabile fundamentum est humilitas. Nempe, si nutet illa, virtutum aggregatio non est nisi ruina. Et quoniam « ad humilitatem humiliatio via est [4] », non erubescant humilia nec humilitatis officia facile respuant ac imposita recommendent. Omnis ab eis praesumtionis audacia proscribatur. Antiquioribus in Ordine Fratribus deferant, ac semper eorum respectu se iuniores et novitios reputent. Ad exteriora vel honoris alicuius officia provehi non affectent. Multos praepropera nimis promotio a virtutum iam incipiente profectu per vitium elationis deiecit. « Qui mundum deserunt, ait Sanctus [5], ad exteriora officia provehi non debent, nisi per humilitatem diutius in eiusdem mundi contemptu solidentur ». Et quia novorum et iuniorum tentatio solet esse facile superbire, nescire modum humilitatis servare, et si forte in aliquo praesint, officii metas excedere ac de minimis grandia iactare; attendant sibi super his vigilanter. « Non potest intimo conscientiae testimonio gloriari veraciter, nisi qui extrinsecas gloriolas perfecte respuerit [6] ».

...meoda... i humili...

...modum.

3. *Paupertas* in omnibus placeat, nec iterum sive in libris, sive in aliis rerum se velint sarcinulis onustare. Perfecta rerum abiectio a cura expedit mentem, ab infectione affectum. Nemo in Christi expeditione liberior nil habente. Si aliquibus egent, studeant parcitati. Super omnes divitias divitem facit paupertas. Haec quoque in victu et in his quae carnis sunt, maxime amplectenda. Non est evangelici pauperis gaudere superfluis, luxibus indulgere, et quod nec divites semper possunt, velle *in omnibus abundare* nec *penuriam scire pati* [7].

...n, paupertas.

4. Familiaritates superfluas fugiant. « Esto, ait quidam [8], cunctis benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus aequus ». Et Sanctus [9]: « Tria, inquit, Religiosum quemlibet decent: pauca loqui, paucos habere familiares et multum orare ». Ubi multi familiares, ibi multae locutiones et sibili singulares. Si familiarem admittis, sit quem aetas, mores, discretio et honestas insigniat et commendet. Familiaritas si fuerit ordinata, non erit blanda, improba, puerilis. Est modesta quaedam in sancta familiaritate severitas, est et iustitiae rectitudo, ut nullatenus vitium foveatur, nec pro amico proximus offendatur. *Noli*, ait Sapiens [10], *pro amico inimicus fieri proximo.* Saecularium denique familiaritas indiscreta Religiosi quietem multipliciter inquietat. Nullius gratiam munusculis comparent. Si quid forte alicui vel causa [11] exacti, necessaria prorsus Religionis lege licentia praeobtenta, obtulerint, honestas rei et vilitas pretii Religiosorum et pauperum exenium esse probent.

Item, affectuum abiectio.

5. Non frequentent propinquos nec exterioribus se implicent curis, sed salutis propriae memores, agendae potius poenitentiae vacent. Non cadat a mente professio, sed semper, ad quid venerint, cogitent [12]. Pensent quod de quibusdam ait sanctus Gregorius: « Saepe, inquit, nonnulli apertae pravitatis vias deserunt, sanctitatis habitum sumunt; moxque, ut prima limina bene vivendi contigerint, obliti, qui fuerint, affligi iam per poenitentiam de consummatis nequitiis nolunt, laudari autem de inchoata iustitia appetunt, praeesse ceteris etiam melioribus concupiscunt ». Et post pauca: « In rebus, ait, multiplicibus occupati atque ipsa occupatione confusi, non solum perpetrata minime deplorant, sed adhuc quae deplorentur exaggerant ». Secundum Apostolum [13]: *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* De Sancto legitur [14], quod « quanto magis se ab humanis curis et colloquiis sequestrabat, tanto illi vicinior et propinquior Deus erat ». Vitanda maxime colloquia mulierum. Non potest toto corde habitare cum Domino qui mulierum accessibus copulatur.

Item, curarum abiectio.

6. *Caritatis* obsequia libenter impendant. Caritas semper reddita semper detinet debitorem. Haec autem quomodo negetur amicis, quae etiam debetur inimicis [15]? Postquam vel orationi vacaverint, vel ad studium se dederint, ad serviendum Fratribus surgant; et si necesse fuerit, officiales nunc hunc, nunc illum, discrete tamen et prout oportuerit, iuvent, ut, secundum apostolicam doctrinam et vitam [16], *manibus* suis *laborantes* quod bonum est, aliorum Fratrum etiam corporaliter, si fieri potest, participantes laboribus, in caritatis semper exerceantur operibus

Item, caritas.

---

[1] Fide A B et ed. 2 supplevimus *non.*

[2] Eccli. 22, 3. et deinde Prov. 4, 18.

[3] Isidor., III. Sent. c. 19. n. 1. — Deinde ed. 2 prosequitur *quae ipsum creat, reficit et conservat*, pro *perficit et conservat* B legit *reficit et consummat.*

[4] Bernard., Epist. 87. n. 11. — Inferius pro *ac imposita* (ita C D E et ed. 1) ed. 2 *vel imposita*, Vat. *nec imposita.* Subinde pro *Antiquioribus* ed. 2 *Primioribus*, quae etiam omittit *ac semper eorum respectu.*

[5] Gregor., VIII. Moral. c. 47. n. 78. — Superius Vat. cum ed. 1 omittit *incipiente.*

[6] Bernard., Tractat. de moribus et officio episcoporum (alias Epist. 42.), c. 3. n. 11. — Superius pro *iactare* edd. 1, 2 *iactitare.*

[7] Phil. 4, 12: Scio et abundare, ubique et in omnibus institutus sum, et abundare et penuriam pati. — Superius Vat. et ed. 1 legunt *nec divites possunt, semper velle.*

[8] Auctor libri iam pluries allegati de Quatuor Virtutibus, c. de Continentia.

[9] Codd. A B et ed. 2 *sanctus Bernardus.*

[10] Eccli. 6, 1.

[11] Ed. 2 *casu.* Subinde pro *prorsus* Vat. *prius.*

[12] Guill. abbas S. Theodorici, in Vita S. Bernardi, lib. I. c. 4. n. 19, refert: Ipse vero nil tale de se aestimans aut cogitans, potius ad custodiam sui cordis et propositi constantiam, hoc semper in corde, saepe etiam in ore habebat: « Bernarde, Bernarde, ad quid venisti »? — Duae sententiae Gregorii habentur VIII. Moral. c. 47. n. 77.

[13] Epist. II. Tim. 2, 4.

[14] Apud Rufinum, Histor. monachor. c. 1. de S. Ioanne abbate.

[15] Cfr. Matth. 5, 44. seqq.

[16] Epist. I. Cor. 4, 12: Et laboramus, operantes manibus nostris. Cfr. Act. 20, 34; I. Thess. 2, 9. et II. c. 3, 8: Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore et in fatigatione, nocte et die operantes etc. — Superius ed. 2 omittit *officiales* et inferius substituit cum C D E *exercitentur* pro *exerceantur.*

Communitati inserviant. et cibum corporis *non absque labore comedant* corporali, ut haec sancta consuetudo ipsos in humilitate custodiat, in fraterna dilectione et omni perfectione confirmet. Qui communibus instant suisque obsequiis alios portant sunt corporali simul et spirituali [1] suffragio supportandi. Merito singuli pro his orant, qui pro communitate laborant. In spiritualibus bonis Martha participet cum Maria, quae utique sunt sorores, et *aequa sit pars descendentis ad proelium et remanentis ad sarcinas, et similiter dividant* [2]. Qui nobis corporaliter obsequuntur, iuste sortem in nostris spiritualibus assequuntur. Rursum, communitatis operibus familiaria nemo praeponet. « Caritas, de qua scriptum est: *Non quaerit quae sua sunt*, sic intelligitur, quia *communia* propriis, non *propria* communibus anteponit [3] ».

7. *Considerationi* denique ante omnia et in omnibus vigilandum, quae *finem* et *directionem* attendit. *Finis*, ad quem nostra tendit professio, regnum Dei vel potius ipse Deus; *directio* seu via, qua tenditur [4], mentis est puritas, ad ipsum principaliter directiva. Haerendum iugiter his duobus. — Necesse est enim, mentem considerare, quo recurrat cuique principaliter inhaereat; non haerentem [5] per singulas horas atque momenta pro incursuum varietate mutari atque ex his quae extrinsecus accidunt, in illum statum continuo transformari, qui primus occurrerit. Hinc est, quod multos pro Christi amore maxima contemnentes, pristinum tamen affectum in minimis retentantes [6] posthac videmus pro graphio, pro acu, pro calamo commoveri. Irascuntur mobiliter et inflantur, veluti qui non habent apostolicam caritatem. Qui si contemplationem mundi cordis fixam tenerent, nunquam utique pro parvis rebus admitterent quod ne pro magnis ac pretiosis incurrerent opibus, easdem penitus abiicere maluerunt. — Unde liquet, perfectionem non statim facultatum seu dignitatum abiectione contingi, nisi fuerit caritas illa, cuius Apostolus membra describit [7], quae in sola *cordis puritate* consistit. Nam quid est *non aemulari, non inflari, non irritari* et reliqua, nisi cor perfectum atque mundissimum Deo offerre et intactum a cunctis perturbationibus custodire?

(Margin notes: Item, considerationis attentio. — De fine. — Notandum. — De directione.)

8. Quidquid ergo nos ad hanc puritatem potest dirigere, tota virtute sectandum est; quidquid autem ab hac potest retrahere, quamvis necessarium et utile videatur, ut perniciosum et noxium devitandum. Sine via tendentibus labor est itineris, non profectus. Operantur et servant quam maxime puritatem perfecta humilitas et expeditio mentis a terrenis. Erit denique, ut purus animus pura Deum oratione frequentet, frequentando gustet, gustando probet, *quam suavis est Dominus* [8]. Erit denique, ut divino inebriatus amore, totam in Deum considerationem inflectat, toto in ipsum desiderio pergat, nihil ei sit dulcius, nihil iucundius in hac vita quam vacare et videre, *quoniam ipse est Deus* [9], quod est in partibus considerationis potissimum. Affecta sic anima comprehendit, complectitur et stringit et tenet, dicens [10]: *Tenui eum nec dimittam.*

(Margin note: Puritas cordis quaerenda.)

9. Puritas itaque via est regia, per quam ad Sponsi amplexus, per quam tandem ad patriam pervenitur. Per hanc tandem veri Israelitae *de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion* [11], desiderii gressu indeclinabili gradiantur, Christum super omnia diligant, nihil eius amori praeponant in via, quem habituri sunt mercedem in patria. — Et nunc ego, qui, licet admodum imperfectus et rudis, per obedientiam tamen erudiendis simplicibus aliqua haec [12] documenta congessi, pulcrum depingens hominem, pictor foedus, eos supplex per Dominum obsecro, ut me sibi, etsi minus proficuum, tamen benevolum attendentes, in orationibus suis mei meminerint peccatoris, quatenus, orantibus eis, meorum veniam peccatorum assecutus, *in potentias Domini* una cum eis merear *introire* [13], ipso misericordiarum Domino id praestante, *cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

(Margin notes: Haec via ad Deum. — Epilog.)

EXPLICIT SPECULUM DISCIPLINAE.

---

[1] Cod. A addit *maxime*.
[2] Libr. I. Reg. 30, 24; cfr. supra pag. 321, nota 6. — De Martha et Maria vide Luc. 10, 38. seqq. — Inferius pro *sortem* ed. 2 *partem* et *nostris* (quam lectionem recepimus) pro *necessariis;* Vat. *spiritualiter* pro *spiritualibus.*
[3] August., Regula ad servos Dei, n. 8. et Epist. 211. (alias 109.) n. 12. Allegatur I. Cor. 13, 5.
[4] Ita A B et ed. 2; pro *seu via* C *seu illa*, E *ceu illa*, ed. 1 *scilicet illa*, D *illa*, Vat. legit: *Directio, qua illic tenditur.*
[5] Secuti sumus C D E et edd. 1, 2, coniungentes hanc propositionem cum praecedente; Vat. vero hic addit *enim* et inferius post *occurrerit* addit *necesse est.*
[6] Du Cange, Glossarium etc.: *Retentare*, retinere. — Vat. *retinentes*, quae etiam omittit *posthac,* pro quo ed. 1 *postremo.*
[7] Epist. I. Cor. 13, 4. seqq. — Superius pro *nisi* Vat. *ubi non*, ed. 1 perperam *ubi.*
[8] Psalm. 33, 9; cfr. supra pag. 619, nota 12.
[9] Psalm. 45, 12.
[10] Cant. 3, 4. — Superius pro *complectitur* edd. 1, 2 *amplectitur.*
[11] Psalm. 83, 8: Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus etc. Ed. 2 *donec videant Deum* etc. — August., Enarrat. in Ps. 75. n. 2: Quis enim dicitur Israel? Videns Deum... Vis esse Israel? Illum attende, de quo Dominus ait [Ioan. 1. 47.]: *Ecce, vere Israelita, in quo dolus non est.* Si verus Israelita, in quo dolus non est, dolosi et mendaces non sunt veri Israelitae. — Inferius pro *gradiantur... diligant... praeponant* Vat. cum ed. 1 *gradiuntur... diligunt... praeponunt.*
[12] Codd. C D et ed. 2 *hic.*
[13] Psalm. 70, 16: Introibo in potentias Domini. — In fine allegatur Rom. 16, 27. — Pro *peccatorum* C D E et ed. 2 *criminum.*

OPUSCULUM II.

SPECULUM CONSCIENTIAE

ALIAS

SPECULUM ANIMAE [1].

PROOEMIUM.

1. *Arbor mala fructus malos facit,* dicit Dominus Matthaei septimo [2]. Secundum Glossam interlinealem, ibidem: « Haec *mala arbor* mala voluntas est », ex qua secundum aliam Glossam *fructus* malae operationis procedit. Huius autem arboris *folia* mala verba sunt, secundum Glossam in principio Psalmorum super illud [3]: *Et folium eius non defluet.* Per *folia* enim verba signantur; folia siquidem vanitatem et fluxibilitatem habent, quod etiam est de natura verborum. — Huius arboris *rami* sunt affectiones diversae, quae ex voluntate procedunt et secundum eius conditionem pensantur. Si enim voluntas mala est, ramis suis suam corruptionem immittit, secundum illud ad Romanos [4]: *Si radix sancta, et rami.* — *Truncus* autem istius arboris est voluntatis consensus, quoniam, sicut radix ramos suos nisi mediante trunco non potest expandere; sic nec radix malae voluntatis ramos vitiorum non potest emittere, nisi mediante consensu. Siquidem secundum Gregorium [5] *suggestione, delectatione* et *consensu* peccatum perficitur. — *Radix* autem istius arboris secundum Apostolum [6] est cupiditas: *Radix,* inquit, *omnium malorum est cupiditas.* — Licet autem radix arbori praestet originem, tamen a *fructu* incipimus, per *folia, ramos* et *truncum* descendentes per ordinem ad *radicem,* ut, iterum incipientes ab ipsa, qualiter ex ipsa procedant, ascendendo demonstremus.

De radice.

2. Sciendum igitur, quod haec *radix*, quae *cupiditas* vel concupiscentia nominatur, secundum Bedam [7] ex corruptione seminis transfusa per primos parentes ad posteros ortum habet. Sicut antem materialis radix humorem trahit et germinat, sic radix concupiscentiae, secundum Gregorium, ab imaginatione suggesta ab extrinseco, vel formata ab intrinseco sumit materiam, qua mediante germinat, cum delectatio ab imaginatione procedat. Tunc autem *ramum* emittit vitii, cum ex delectatione consensus oritur, quia secundum Augustinum [8] est duplex consensus, scilicet in *delectatione* et *opere.* Cum enim ex imaginatione et delectatione morosa cum adversione periculi consensus in delectationem sequitur, etiam si opere non complendum decernat, mortale est. Et propter hoc secundum Augustinum [9] totus homo damnabitur. — Licet autem iste progressus peccati, qui dictus est, potissime in peccato *carnali* locum habeat et manifestius ibidem appareat; tamen et in *omnibus* aliis mortalibus locum habet. Si enim quodcumque peccatum mortale mente per cogitationem tenueris, et delectationem consensus in ipsum sequatur absque consensu etiam in opus, si facultas adesset; nihilominus est mortale.

De emissione ramorum.

Notandum.

Actuum quadruplex differentia.

3. Ut autem de *radice* ista notitiam pleniorem habeamus, et quomodo ex ipsa *fructus* malae operationis procedat, quadruplicem [10] actuum differentiam assignamus. Sunt

---

[1] Valde dubium est, hoc opusculum, saltem in ea quam nunc habet forma, compositum esse a S. Bonaventura. Titulo *Speculum animae,* quem illud habet in ed. Vaticana aliisque substituimus fide codicum *Speculum conscientiae,* qui libello convenientius inscribitur. Plura de utraque propositione vide supra Prolegomena c. III. § 2. — Textus eiusdem in ed Vaticana multis scatet vitiis, quorum non pauca emendavimus ope codicis Basileensis (vide Prolegomena loc. cit.), qui praebuit saepe bonas lectiones, sed etiam non raro falsas et prorsus improbabiles, quarum exempla in principio nonnulla ad calcem notavimus, maiorem vero partem omisimus. Adhibuimus etiam editionem Brixiensem an. 1495, quae, cum quoad textum cum Vaticana fere conveniat, parum nobis profuit, interdum tamen lectiones bonas codicis confirmavit, ut ad calcem notavimus. Non raro eadem manifestis erroribus maculata est, quos referre superfluum visum est. Hoc tantum notamus, in illa quae frequenter occurrit locutione: *habet rationem mortalis* (peccati), ed. 1 constanter hanc ponere *habet rationem mortalem,* et etiam cod. plerumque eandem lectionem habere.

[2] Vers. 17. Vulgata: Mala arbor malos etc. Secunda Glossa est *ordinaria* ibid. Vat. ante *arbor mala* omittit *Haec.*

[3] Psalm. 1, 3. Glossa est *interlinearis.*

[4] Cap. 11, 16. Cod. post *rami* addit *sancti.*

[5] Libr. IV. Moral. c. 27. n. 44. et XXXII. c. 19. n. 33, et in Regest. XI. Epist 64. interrog. 11.

[6] Epist. I. ad Tim. 6, 10, qui locus hic in Vat. omittitur.

[7] Beda in Rom. 5, 12. (inter opera). Sequens locus Gregorii est Regest. XI. Epist. 64. interrog. 10. — Vat. omittit verba *vel formata ab intrinseco*, et perperam ponit *naturam* pro *materiam*, deinde *ex* pro *ab*, et *procedit* pro *procedat.*

[8] Libr. II. de Genes. contra Manich. c. 14. n. 21. — Supra Vat. pro *ramum emittit vitii* habet *emittit virus.*

[9] Ibid. et XII. de Trin. c. 12. n. 17. seq., ubi etiam de seq. sententia. — Deinde post *Licet* Vat. omittit *autem* et infra *etiam* ante *in opus.* — De his cfr. Bonav., II. Sent. d. 41. a. 2, et de seq. num. a. 1. q. 3.

[10] Cod. *triplicem*, qui perperam omittit verba *bonum dicunt* usque ad *sui esse.*

enim quidam actus, qui de natura sui *bonum* dicunt. Sunt alii, qui quantum de natura *sui esse indifferentiam* habent nec boni nec mali in genere moris dicuntur, ut levare festucam et huiusmodi. Sunt alii, qui de natura sui *malum* dicunt, et tamen aliqua de causa vel fine bonitatem moris sortiri possunt, ut occidere hominem, quod quidem, existente iustitia, bono modo fieri potest, licet de sui genere malum dicat. Sunt autem secundum Augustinum[1] alii, qui ita habent deformitatem annexam, quod nullo bono fine vel intentione possunt fieri nec facientem excusare, ut fornicari vel iniustitiam facere, vel adulterium committere, vel huiusmodi.

De intentione.

Hoc igitur circa istam materiam est sciendum, quod secundum Ambrosium[2] «affectus nomen operi imponit», et ex intentione opera iudicantur. Quod quidem de duobus primis generibus actuum intelligit Ambrosius, scilicet quando opus *bonum* est, vel *indifferens*. Si enim aliquis intentione inanis gloriae pascat pauperem, vel ex contemptu festucam erigat; ex mala intentione procedit et rationem radicis sortitur. In alio autem genere actuum sola iusta intentio opus bonum facere potest. In quarto autem genere actuum nulla intentio vel finis potest facere bonum actum; quacumque enim intentione quis fornicationem vel actum adulterii committat, nullatenus excusatur.

De circumstantiis.

4. Hoc etiam circa istam arborem est sciendum, quod *truncus* istius arboris, *rami* et *fructus* cum *foliis* ex quibusdam *circumstantiis* quantitatem assumunt, sicut materialis arbor ex sterquilinii et corruptionis intensione in fructibus et aliis recipit incrementum, secundum quod dicit colonus ille Lucae decimo tertio[3]. Hae autem circumstantiae in isto versiculo continentur:

Quo, quis, ubi, cum quo, quoties, cur, quomodo, quando.

Hae explicantur.

Quo, motivo[4] supple, utrum ex tentatione gravi, vel levi, vel nulla, si malitia, infirmitate, vel ignorantia. *Quis*, in *persona* praelatus, clericus, vel aliis in exemplum positus, Religiosus, vel huiusmodi, in quibus peccatum aggravari potest ratione personae. *Ubi*, scilicet in *loco* sacro, vel communi, ita quod malum possit aliis esse in exemplum. *Cum quo*, scilicet si multos ad simile malum traxit. *Quoties*, si habuit consuetudinem. *Cur*, scilicet quo fine vel intentione; licet enim malum facere *bona* intentione non excuset a *toto*, tamen excusat a *tanto;* similiter etiam et *perversa* intentione, aggravat peccatum. *Quomodo*, scilicet si forte modum novum vel[5] effrenatum peccati invenit. *Quando*, ut si forte tempus sacrum vel orationi deputatum in peccato expendit. Sunt autem aliae circumstantiae, quae specialem speciem dant peccato, ut cognoscere uxorem alterius et similia, quae nullatenus a confitente omitti debent et plenius in arboris prosecutione patebunt.

Quomodo iudicatur r..x.

5. Quod autem, ut iam supra dictum est, secundum Apostolum[6] rami et fructus ex *radice* pensantur, satis de facili potest quisque perpendere, si peccatum eius radicem mortalem habeat; et ponatur in exemplum: videre enim mulierem de se non habet rationem peccati nec etiam[7] tangere; et tamen, si de radice luxuriae procedat directe, cuius malus habitus latet interius, est mortale. Quando autem *radix* rationem mortalis habeat, in prosecutione et formatione arboris poterit plenius pertractari. Hoc autem adde, quod illud mortale ex suo *genere* dicitur, quod *directe* est contra Deum, vel proximum. *Directe* autem dico, quia, sicut in materiali arbore ex trunco vel ramis quaedam pullulationes *indirecte* procedunt, quas *adulterinas* vocamus; ita ex radice malae voluntatis, quam *concupiscentiam* nominamus, multa semina prodeunt, quae *directe* contra Deum vel proximum non faciunt, sed aliqualiter *indirecte;* et talia *venialia* nuncupantur. Unde etiam advertendum, quod multa talia ponuntur in formatione istius arboris, quae, licet in se et in suo genere mortalia non dicantur, tamen, ad suam radicem relata et eidem coniuncta, possunt habere rationem mortalis.

Distin... mortaln..

Nota... quoa... e script... arbo...

6. Licet autem contingat interdum, quod unum opus et idem ex diversis peccatis[8] trahat originem, ut *percutere* ex superbia et invidia et ira potest procedere; tamen idem actus in arbore nullatenus iteratur. Sed vere poenitens arboris inspector diligenter advertat, quibus ex *causis et radicibus* actus ille inveniatur in ipso; digna etiam deliberatione consideret *progressum peccati*, quomodo radix concupiscentiae germinaverit in ipso et de circumstantiis, de quibus superius est expressum. Et si de *fructu*, de *foliis* vel *ramis* arboris se comedisse advertat, per confessionem evomat, ut animae recuperet sanitatem. Haec est enim arbor, de cuius fructu mortifero protoplasti parentes contra praeceptum summi Medici gustaverunt[9] et mortem experti sunt, quam ad posteros transmiserunt. Et haec est *arbor, quae*, secundum testimonium Matthaei[10], *excidetur et in ignem mittetur*.

Item, ... conf... ne...

Imag... ris ...

7. His igitur praelibatis, arborem imaginariam describamus, in cuius radice sit illa Apostoli auctoritas: *Radix omnium malorum cupiditas*[11]. — *Truncus* autem istius arboris taliter describatur, quod ab imaginatione *incipiat* et in delectatione morosa cum adversione periculi sit eius *medium*, et in consensu duplici *terminetur*, scilicet in consensu in delectationem et in opus, secundum quod progressus peccati superius est expressus. Quia autem omne peccatum vel cogitatione, vel locutione, vel opere perpetratur, et, sicut supra probatum est, in *ramo* mala voluntas significatur, in *verbo* autem folium et fructus in *opere;* ideo omnia peccata, quae in progressu occurrunt, quae ad cogitationem pertinent, per modum *rami*, quae vero ad locutionem per modum *foliorum*, quae autem ad opus per modum *fructuum* in arbore describantur. — Sed

---

[1] De Serm. Dom. in monte, c. 18. n. 59. et de Lib. Arb. c. 3. n. 6. — Superius pro *bono modo* Vat. *bonum*.

[2] Lib. I. de Officiis, c. 30. n. 147. De *intentione* cfr. Bonav., II. Sent. d. 40. a. 1. et d. 38. — Infra post *scilicet quando* Vat. omittit *opus*.

[3] Vers. 8.

[4] Vat. *modo*, et infra omittens *in* ante *persona*, post *praelatus* addit *vel ordinatus*, atque post *aliis* incongrue *vel alii*. Cfr. tom. IV. pag. 400, nota 1.

[5] Vat. repetit *modum* pro *vel*. Post *expendit* cod. quae sequuntur omittit et etiam prima verba numeri 5. usque ad *secundum Apostolum*.

[6] Rom. 11, 16. Cfr. supra pag. 23, nota 4.

[7] In Vat. deest *etiam*, quae supra ponit *habet* pro *habeat*, et *ponitur* pro *ponatur*, refragantibus cod. et ed. 1.

[8] Vat., omittens *peccatis*, ponit *a diversis* pro *ex diversis*.

[9] Vide Gen. 3, 6.

[10] Cap. 7, 19. — Vat. addit *et ardebit*, quod ibi in Scriptura deest.

[11] Loc. cit. I. Tim. 6, 10. — Infra pro *taliter describatur* cod. *est mala voluntas, taliter procedit*, qui etiam omittit *in* ante *delectatione*, et deinde Vat. ponit *consensum in delectationem et in opere* pro *consensu in delectationem et in opus*.

D io principalis.

hos ramos, fructus et folia huius arboris describamus, siquidem, secundum Ioannis testimonium [1], tres rami principales ex radice concupiscentiae prodeunt, *quoniam omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitae*, quae concupiscentia honoris nominatur. Et de hoc ultimo ramo primo est dicendum tanquam de grossiori, et a quo plures rami onusti fructu et foliis mortiferis oriuntur.

Capitulum I.

De superbia.

... nere suo e mortale.

1. Hic igitur ramus, qui *superbia* nominatur, in genere suo mortale peccatum dicitur, quoniam est directe contra Deum et eius reverentiam, cum scilicet creatura ultra quod a factore accepit extollitur et quasi usurpare praesumit. Unde et Gregorius in trigesimo quarto Moralium [2] dicit: « Evidentissimum signum reproborum est superbia ». Per hoc igitur patet, quod illa superbia est mortalis, qua quis ultra merita se extollere appetit et se melioribus anteponit, et hoc, si ex deliberatione procedit. Sicut enim alia peccata mortalia motus habent, qui praeveniunt rationem, quibus ratio non consentit; sic et superbiae motus quam plurimi in homine rationem praeveniunt, quos ratio advertens reprimit, vel saltem non consentit. — Hic autem ramus superbiae tres praecipue ramos habet, scilicet *praesumtionem, contemptum* et *inanem gloriam*.

...divisio.

2. *Praesumtio* in hoc consistit praecipue, *quod homo praesumit*, gratiam se habere vel *ex se*, vel *pro meritis suis*, vel *falso*, vel *plus aliis*; unde versus:

...mo, de ...somtio... quadru...

Ex se, pro meritis, falso, plus omnibus inflat.

Et secundum hoc praesumtio *quatuor ramos* habet secundum Gregorium in Moralibus [3]. Hi autem *rami* cum suis *fructibus* et foliis habent rationem mortalis eo modo, quo de superbia est praedictum. — Ex hoc autem ultimo ramo, scilicet *plus omnibus*, duplex ramus oritur: hoc enim vel in *gratuitis*, sicut in virtutibus, vel in *gratis datis*, scilicet in gratiis exterioribus, potest intelligi. Ex quorum ramorum *medio* oritur *elatio* cordis inordinata et *confidentia de se* et *inepta audacia*. — Ex ramo autem, qui est praesumtio de *donis gratuitis*, oritur folium *divinae tentationis* et fructus *discriminis*. Appellatur autem *Dei tentatio*, quando quis experimentum divinae potentiae quaerit, ut signa [4] petere absque necessitate. *Discrimen* autem dicitur, quando quis se exponit periculo, et sola divina virtute confidens, contempto humano adiutorio, absque necessitate fidei vel Ecclesiae; et habet rationem mortalis. Unde de hoc dicitur in Deuteronomii sexto [5]: *Non tentabis Dominum Deum tuum;* Glossa: « Deum tentat qui, habens quod faciat, sine ratione se committit periculo ».

...limo ra... duo ...rior.

...is alii.

...m, ten... o Dei.

...ctus, ...rimen.

Secundo, de contemptu duplici.

3. Secundus ramus superbiae [6] est *contemptus;* eo enim, quo quis alios se praesumit supergredi, Deum contemnit et hominem, et secundum hoc hic ramus in duos dividitur, videlicet in contemptum *Dei* et *proximi*, qui plane habent rationem mortalis, quia contra caritatem Dei et proximi directe sunt. Ex ramorum istorum *medio* procedit ramus *inobedientiae*, per quam a potestate et subiectione alterius se eximit, nulli volens subesse. — Ex *primo* autem ramo, qui est *contemnere proximum*, procedunt isti *fructus*, scilicet se a societate et verbo subtrahere et gestu indignationem vel contemptum ostendere. *Folia* etiam ex ipso procedunt, quae sunt *verborum indignatio, irreverentia in verbo, ironia, derisio, subsannatio* [7], quae omnia sunt contra caritatem ad proximum et mortalia sunt, secundum quod ex superbia et contemptu nascuntur. Est autem *ironia* alterius detestatio per contrarium. *Derisio* autem et *subsannatio* differunt, quoniam *derisio* fit in voce, sed *subsannatio* fit in gestu vel trahendo lingnam, vel faciendo nutus et similia, *irreverentia* autem in modo loquendi; cum hoc autem folio est irreverentia in *facto*.

Fructus duo ex contemptu proximi.

Folia quinque.

Fructus irreverentiae.

4. Ex quorum *medio* procedunt isti *fructus*, scilicet irreverentia facta parentibus, praelatis, principibus, maioribus, senioribus, patribus spiritualibus et sanctis viris, locis et rebus sacris et temporibus, ut in violatione festorum contingit, et praecipue Sacramentis, maxime Sacramento altaris. Qui enim excommunicatus, suspensus vel interdictus, vel in mortali peccato solemniter in ecclesia [8] officiat, vel Sacramentum administrat, vel recipit in mortali, vel irregularis, vel inconfessus post mortale cum copia sacerdotis celebrat, vel notorius peccator officium correctionis exercet, vel excommunicato scienter participat in divinis, si hoc scienter faciat et gnarus iuris existat, irreverentiam divinis exhibet et mortaliter peccat. Hoc etiam sciendum est, quod excommunicati vel interdicti, qui se ingerunt divinis, si hoc scienter faciant contra praeceptum Ecclesiae, mortaliter peccant. Alia etiam supra posita rationem mortalis peccati habere possunt, secundum quod ex *ramo contemptus* procedunt.

Inobedientia.

5. Secundus ramus, qui ex *contemptu Dei et proximi* oritur, est *inobedientia* [9], quae quidem respectu Dei manifeste mortale est, respectu etiam maiorum, quibus obedire debemus, sive parentibus, sive praelatis rationem mortalis habet, si praecipiantur licita et honesta; unde Apostolus ad Romanos [10]: *Qui potestati resistit Dei ordinationi resistit.* Parentibus non obedire ab eodem Apostolo inter mortalia computatur.

Ramus impatientiae duplex.

6. Ex *medio* autem ramorum *inobedientiae* respectu Dei et proximi procedit *ramus impatientiae*, similiter bipartitus contra *Deum* et *proximum;* et ista quidem impatientia ex inobedientia oriri dicitur, quia, cum a superiori aliquid faciendum imponitur, quod perversae displicet voluntati, in ipsa impatientia excitatur; quod nihil aliud est quam immoderata animi perturbatio ex dicto vel facto alterius, quod personam ipsius tangit, in quo reputat, se

---

[1] Epist. I. Ioan. 2, 16. — Supra pro *Sed hos* cod. *sic igitur,* et infra pro *ultimo ramo* habet *ulteriori ramo.*

[2] Cap. 23. n. 56.

[3] Libr. XXIII. c. 6. n. 13. Vide etiam de hoc Libr. XXXI. c. 45. n. 87 seqq. — Infra post *Ex hoc autem* cod. omittit *ultimo ramo, scilicet plus omnibus.*

[4] Vat. inepte *sicut.* — Cfr. Comment. in Luc. c. 4. n. 21.

[5] Vers. 16. Glossa sequens est *ordinaria;* cfr. August., XXII. contra Faust. c. 36. et Quaestion. in Gen. q. 102.

[6] Cod. omittit *superbiae.*

[7] Ad marginem Vat. annotatur, haec tria dein explicata verba: *ironia, derisio, subsannatio*, suppleta esse ex Epilogo infra post c. IV. posito. Desunt etiam in cod. et ed. 1. — De ironia cfr. Isidor., I. Etymolog. c. 37. n. 23: Ironia est sententia per pronuntiationem contrarium habens intellectum; cfr. ibid. II. c. 21. n. 42.

[8] Cod. et ed. 1 *ecclesiam officiat* pro *in ecclesia officiat.* Inferius pro *si hoc scienter* Vat. *et hoc scienter.*

[9] Vat. perperam substituit *superbia* pro *inobedientia.*

[10] Cap. 13, 2. et deinde 1, 30. In cod. desiderantur verba: *unde Apostolus* usque ad *resistit*, et deinde post *obedire* verba *ab eodem Apostolo.*

gravari; unde laborat hoc vitio qui infirmitates, vel infortunium, vel onus impositum non sustinet patienter; et habet rationem mortalis, cum usque ad odium Dei et proximi se extendit. Et secundum hoc ex hoc ramo impatientiae procedit aliud, scilicet *odium Dei*, qui, licet in se odio haberi non possit, tamen in effectibus suis odiri potest [1]. — Ex hoc ramo *folium blasphemiae* et *murmuris* nascitur et manifeste rationem habet mortalis.

Odium Dei. Folia duo.

7. Ex ramo autem impatientiae ad *praelatum* oritur *murmurationis folium*, scilicet vento superbiae agitatum. Est autem *murmuratio* iniusta querela contra superiores, latenter multorum auribus inculcata [2]; et habet rationem mortalis, secundum quod ad alterius diffamationem anhelat. — Cum hoc autem folio est *fructus obstinationis* et *pertinaciae*.

De ambobus. Fructus duo.

Est autem *pertinacia* perseverantia in malo proposito contra voluntatem superioris, ex qua oritur folium *rebellionis* apertae, et fructum *transgressionis* secum habet, quae omnia habent rationem mortalis, secundum quod ex inobedientia oriuntur. Cum fructu autem *transgressionis* sunt excommunicationis, interdicti et suspensionis sententiae, quas sustinere procedit ex inobedientia, si debite infligantur.

De pertinacia.

8. Item ex ramo *inobedientiae* ramus *infidelitatis* procedit, secundum quam aliquis se ab obedientia Romanae Ecclesiae alienat; et quidem hic ramus in hos ramos se dividit, scilicet in *haesitationem*, *dubitationem* et *errorem*, et hos *fructus* habet: *haeresim*, *schisma*, *sortilegium* et *divinationis superstitionisque folia*, quae etiam *fructus apostasiae* et *idololatriae* secum habent. Et de singulis, quid sint, per ordinem exprimamus.

Ramus infidelitatis multiplex.

9. Est autem *haesitatio* mentis titillatio contra [3] fidem, cum scilicet intellectus non perfecte consentit his quae sunt fidei. — Est autem *dubitatio*, cum intellectus iam non acquiescit his quae sunt fidei, sed dubitat; quod etiam de suo genere est mortale. — Est autem *error*, quando iam tenet contrarium fidei sive scienter, sive ignoranter. Sed tamen multum interest; qui enim credenda novit per fidem Ecclesiae et tenet contrarium peccat mortaliter; qui autem ex simplicitate ignorat, si tamen intentionem et voluntatem habeat generaliter credendi quod credit Ecclesia, nullatenus iudicandum est mortale. Si quis ex simplicitate veritatem videre oculis corporalibus credat, non propter hoc contemnendus est, cum paratus sit credere, quod credit Ecclesia indistincte. Unde dicit Augustinus [4]: « Errare potero, sed haereticus non ero ».

Haesitatio. Dubitatio. Error.

10. Est autem *haeresis* obstinata affirmatio contra fidem. *Schisma* autem a scissione dictum est; unde ille *schismaticus* dicitur, qui ab unitate Ecclesiae se separare intendit, licet eadem sentiat, quae tenet Ecclesia et fides catholica, secundum Augustinum contra Faustum [5].

Haeresis et schisma.

Sortilegium est, cum id quod futurum est, inquiritur, et habet multas species, quae per *folia* in arbore designantur, scilicet *divinationes* per astra, per incantationes, per daemonum consultationes, per garritum avium, quod dicitur augurium, per ligaturas nominum, observationes temporum et etiam [6] somniorum, quae omnia prohibentur ab Ecclesia tanquam mala et habent rationem mortalis, quia quod soli Deo competit attribuitur creaturae. Hoc tamen circa observantiam temporum et orationes debes advertere, quod sortiuntur sortilegii rationem, quando scilicet creditur, quod magis valeant ad unum effectum quam ad alium, vel quando quis confidit in determinato orationum numero, vel effectum optatum, ut [7] qui sic fecerit, infallibiliter consequi putat.

Sortilegium.

Quid autem sit *apostasia a fide*, vel *idololatria*, plane patet.

11. Tertius ramus superbiae est *inanis gloria*, qua quis appetit suam excellentiam ostendere; quae habet rationem mortalis, in quantum quis gloriam sibi appetit, quae soli Deo debetur, *quoniam ipse fecit nos, et non ipsi nos* [8]. Unde qui gloriam non refert in Deum, vel sic gloriam affectat acquirere, quod, si ex hoc assequatur, offensam Dei non metuit, mortaliter peccat. Unde Augustinus in libro de Civitate Dei [9]: « Hoc vitium inimicum est piae fidei, si maior sit in corde cupiditas gloriae, quam Dei timor sit et amor ». Si autem in bono proprio quis inaniter glorietur, ita tamen, quod ibidem non sistat, sed actu vel habitu in Deum referat, nec ut hoc acquireret, aliquo modo vellet Deum offendere, nullatenus est iudicandum mortale.

12. Ex hoc inanis gloriae ramo quatuor rami oriuntur, scilicet *ambitio honoris*, *favoris humani appetitus*, *confusionis timor* et *laudis amor*. — Ex primo autem ramo inanis gloriae, qui est *ambitio*, oritur fructus pompae, quae *tres fructus* habet et *unum folium*, scilicet fastum in superfluo *comitatu* et *apparatu* et fastuoso *gestu* et *affatu*, quae, licet mortalia non sint ex suo genere, tamen, prout oriuntur ex ramo superbiae, mortalia esse possunt.

13. Ex secundo ramo, qui est *appetitus humani favoris*, est *adulationis folium*, quae quandoque mortalis et quandoque venialis. Qui enim ad malum alium excitat malum factum eius laudando per adulationem, vel alii occasionem praebet, ut in peccato remaneat, vel ut ultra merita sua efferat se ipsum, scilicet false laudando, in tali adulatio est mortalis; si autem sola intentione placendi et de gratia, quae in veritate habetur [10], ipsum commendat, *nullatenus* mortalis iudicatur; et hoc Augustinus in Sermone de Purgatorio iudicat veniale [11]. Secundum autem hoc *folium adulationis* in tria dividitur, quia adulatio est de bono habito, vel non habito, vel de malo.

14. Item, ex ramo *appetitus favoris humani* oritur *prodigalitatis fructus*. Fit enim homo prodigus, ut humanum favorem acquirat. Habet autem prodigalitas rationem mortalis, secundum quod bona, quae in usus utiles et [12] in pauperes fundi debent, inutiliter expenduntur et personis

[1] Cfr. Bonav., II. Sent. d. 5. dub. I; et de infra tacta murmuratione supra pag. 433, nota 10.
[2] Ita ed. 1, Vat. *conculcata*.
[3] Cod. *circa*, sed infra post *sunt fidei* supplet verba omissa in Vat.: *Est autem dubitatio* usque ad *sunt fidei*.
[4] Secundum sensum haec sententia invenitur August., I. de Trin. c. 3. n. 5. Vide IV. Sent. d. 13. dub. 4.
[5] Libr. XX. c. 3.
[6] Vat. omittit *etiam*. Infra cod. pro *observantiam temporum* perperam ponit *observantiam patrum*.
[7] Vat. omittit *ut*, refragantibus cod. et ed. 1, et superius habet *confidat* pro *confidit*.
[8] Psalm. 99, 3.
[9] Libr. V. c. 14.
[10] Pro *quae in veritate habetur, ipsum* Vat. *quam in veritate ipse*, et superius pro *de gratia* eadem habet *Dei gratia*.
[11] Serm. 104. in Append. (alias 41. de Sanctis) n. 3.
[12] Vat. *utiliter* pro *in usus utiles et* atque *debebant* pro *debent;* deinde fide cod. et ed. 1 post *vitium hoc* omisimus *malum est*.

inhonestis, non servando modum vel tempus; et quidem vitium hoc in personis ecclesiasticis, quorum bona ultra sustentationem personae et status debent pauperibus erogari. Secundum hoc autem prodigalitas *quatuor fructus* habet, quia nec *personam*, cui dat, nec *modum* nec *tempus* considerat et *incuriam* secum habet. Est autem *incuria*, cum quis sic curam de bonis suis abiicit, quod bona eius depereunt, quae a Deo collata sunt, ut exinde sustententur pauperes Christi. Haec autem incuria non iudicatur mortalis, nisi secundum quod ex aliqua *radice mortali* procedit; quandoque enim ex *contemptu temporalium* procedit; tamen semper ad indiscretionem [1] pertinet et ex tanta negligentia procedere potest, quod mortalis esse posset, ut si forte indigentiam manifestam pauperum viderit, et bona, quibus eos iuvare posset, deperire permittit.

Q uor fructus.

15. Item, ex tertio ramo *inanis gloriae*, qui est *timor confusionis*, hi procedunt *fructus*, *mala* scilicet *verecundia* et *falsa humilitas*. *Verecundia* autem hos habet *fructus* secum, scilicet *erubescentiam divinorum*, ut cum quis erubescit bona facere vel dicere [2] vel orare; item, *verecundiam paupertatis* seu pauperum amicorum; item, in *confessione*, secundum quod aliquis confessionem dimittit vel non confitetur veritatem propter confusionis timorem. *Falsa* autem *humilitas* est, cum aliquis se ipsum humiliat, ne propter superbiam minus reputetur ab aliis. — Item, ex illo ramo, qui est timor confusionis, haec *folia* oriuntur, videlicet *veritatis negatio* in iudicio vel extra iudicium, *veritatis impugnatio*, *falsa excusatio* et *peccati defensio*. Ista autem, quae ad timorem confusionis pertinent, habent rationem mortalis non ex suo genere, sed secundum quod amor favoris humani amori Dei praefertur, et eligit hoc magis contra Deum facere quam confusionem humanam incurrere. Hoc tamen circa *negationem veritatis* in iudicio sciendum et [3] advertendum est, quod ex suo genere mortale est, et quia superiorum iudicio obedire tenemur, et iustitiae opponitur. Si autem superior aliquid interroget, quod secundum iuris ordinem interrogare non debet, potest appellari, sed nullo modo licet mentiri.

...e tertio. ...e foliis.

16. Ex quarto autem ramo *inanis gloriae*, qui est *amor humanae laudis*, oriuntur tres *fructus*, scilicet *hypocrisis*, *ostentatio*, *singularitas*, et *iactantiae folium*, quod in quatuor est divisum. Aut enim est de *bono* habito, vel non habito, aut de *malo* facto, vel non facto, et de his per ordinem videamus. — Est autem *hypocrisis*, secundum Isidorum [4], simulatio boni non existentis; unde est mendacium in *signo*. Sicut enim mendacium oris non semper est mortale, sed quando est in detrimentum proximi, vel contra veritatem fidei vel morum; sic nec hypocrisis semper est mortalis, nisi quando fit intentione decipiendi sub specie bonitatis, sicut illi qui simulant sanctitatem, ut bona Ecclesiae habeant, quae habere digni non sunt, et Ecclesiam per suam simulationem decipiunt. Quando autem fit intentione laudis, tunc de ea sicut de inani gloria iudicandum est, sicut superius est expressum.

...quarto. ...pocrisis.

17. *Ostentatio* est, quando bonum, quod quis habet vel habere se putat, exterius ostendere nititur, ut laudem humanam exinde consequatur; nec est mortale ex suo genere, nisi secundum quod inanis gloria iudicatur mortalis. — *Singularitas* est, cum quis vult singulariter apparere, et secum habet *fructus* diversos, secundum quod in diversis materiis reperitur [5], cum scilicet communia quis non dignatur facere vel docere, vel modum singularem in factis satagit ostendere; et hoc quandoque rationem mortalis dicitur habere secundum rationem [6] radicis, eo modo, quo inanis gloria, quae propter hoc dicitur esse mortalis. — *Iactantia* quandoque est mortalis, quandoque venialis. Cum enim quis se iactat de bono, quod *habet*, vel se habere putat, ut inanem gloriam consequatur; tunc iudicandum est de tali iactantia sicut de radice ipsius; cum autem de bono, quod *non habet*, tunc est ibi mendacium, et tunc, si tale est mendacium, quod sit contra Dei *reverentiam*, vel *proximi caritatem*, habet rationem mortalis. Contra *Dei reverentiam* se iactabat Pharisaeus: *Velut hic publicanus* [7]. Cum autem quis de *peccato mortali*, quod non fecit, vel quod fecit, se iactat; mortale est, quoniam in peccato facto sibi complacet, et unde confusionem meruit, quaerit gloriam et factum suum in alios extendit.

Ostentatio. Singularitas. Iactantia.

18. Item nota, quod *fructus singularitatis*, qui procedit ex inani gloria, de qua supra [8] diximus, non solum per modum *fructus* in opere, sed etiam per modum *rami* debet describi in arbore, ad significandum voluntatem singularem apparendi. Ex hoc autem ramo procedit ramus *invidiae*. Sic autem ex voluntate singulari apparendi procedit, quia, dum quis videri singulariter appetit, si aliquem videt in gratia praeeminere, qui eius offuscet gloriam [9], eidem invidet, et est peccatum mortale.

Fructus singularitatis.

19. Est autem *invidia* tristitia de bono alterius, secundum Damascenum [10]. Circa quod nota hic, quod hoc quatuor modis potest contingere: uno quidem modo, cum quis bonum alterius sibi esse damnosum advertit, et cum quis de promotione inimicorum tristatur; et hoc rationem mortalis non habet. Item, secundum quod quis bonum videt in alio, in quo defectum patitur, et ex hoc [11] dolet, non quidem, quia alius bonum habeat, sed quia ipse non habet, et non habet rationem peccati. Item, alio modo dolet quis de bono alterius, in quantum ipsum indignum videt bonis, quae habet, et hoc etiam non habet rationem peccati in bonis temporalibus, quae homini quandoque proficiunt ad ruinam. Alio modo quis dolet de bono alterius, secundum quod per bonum alterius gloriam suam putat diminui, et haec est invidia, quae iudicatur mortalis, et quia ex ramo procedit superbiae et quia directe opponitur caritati, in qua vita animae conservatur. Sicut autem de superbia dictum est [12], quod quidam motus praeveniunt rationem, quibus ratio non *consentit*, nec habet rationem mortalis; ita et de invidia est dicendum.

Invidia quadruplex.

---

[1] Cod. *discretionem*. S. Bonav. secundum sua de omnimoda temporalium abrenuntiatione principia illud: *semper ad indiscretionem pertinet*, sic vage vix scripsisse videtur.
[2] Vat. pro *bona facere vel dicere* habet *vel facere Missam*.
[3] Vat. omittit *sciendum et*.
[4] Libr. III. Sent. c. 24. n. 2. 3. secundum sensum.
[5] Vat. *invenitur*; inferius post *communia* cod. omittit *quis* et deinde *vel modum singularem in factis satagit*.
[6] Vat. *conditionem* et inferius male *intenditur* pro *dicitur*.
[7] Luc. 18, 11. Fide cod. et ed. 1 supplevimus *Velut hic publicanus*.
[8] Num. 15. — Vat. *ut iam* pro *de qua*.
[9] Vat. *gratiam*.
[10] Libr. II. de Fide orthod. c. 14.
[11] Vat. *quo*; inferius cod. omittit *sed quia ipse non habet*.
[12] Supra n. 1.

Duo invidiae rami.

20. Ex *ramo* autem *invidiae* praecipue exeunt duo rami, scilicet *exsultatio in adversis* et *dolor in prosperis*, qui, sicut dictum est de invidia, rationem habent mortalis.

De primo.

De primo autem *ramo*, scilicet de *gaudio in adversis*, oriuntur hi *fructus: machinatio*, *scandalum*, *insidiae*, *proditio*, *suspicio* et *iudicium*. Inde haec *folia: discordiarum seminatio*, *secretorum* et *confessionis revelatio*, signo vel verbo vel circumstantia, *falsum testimonium*, de quibus singulariter [1] est dicendum.

Machinatio et scandalum.

21. *Machinatio* est mali occulta et studiosa procuratio. — *Scandalum*, secundum Augustinum [2], est dictum vel factum minus rectum, praebens aliis occasionem ruinae, cum scilicet aliquis alium in malum inducit, et est mortalis, cum aliquis per consilium vel exemplum ex intentione inducitur in mortale.

Insidiae.

— *Insidiae* sunt, prout hic de insidiis loquimur, investigatio et consideratio factorum alterius, ut accusari possit deprehensus in malo.

Proditio.

— *Proditio* est, cum aliquis amicitiam ad alium simulat, ut ipsum decipiat, de quo dicit Boethius [3], quod « nulla pestis efficacior est ad nocendum quam familiaris inimicus ».

Suspicio.

— *Suspicio* est, cum quis facilis est, ut malum de alio suspicetur; unde Tullius: « Suspicio est mala opinio ex levibus causis », et hoc ex mala affectione invidiae procedit, et tunc habet rationem mortalis, alias autem non iudicatur mortalis.

Iudicium perversum.

— *Iudicium perversum* est, cum quis ad alium male affectus non solum malum suspicatur de ipso ex levibus causis, verum etiam definit in corde vel ore sententialiter, peccatum mortale committi ab aliquo [4], et hoc de suo genere est mortale, ex quacumque radice procedat. Unde Glossa super illud ad Corinthios quarto: *Nolite ante tempus iudicare:* « *Suspiciones* vitare non possumus, quia homines sumus; *iudicia* tamen, id est sententias definitivas, cavere debemus ». Hoc autem iudicium usque ad grave peccatum procedit [5], cum quis ex sola suspicione condemnatur ex causis levibus.

Folium primum.

22. Item, *folia*, quae ex hoc ramo procedunt, sicut dictum est, sunt *discordiarum seminatio*. Cum enim quis adversitati alterius congaudet, alios concitat contra ipsum, quod est mortale peccatum. Unde Proverbiorum sexto [6] dicitur: *Sex sunt quae odit Dominus*, et ultimum tanquam peius ponitur: *Qui seminat inter fratres discordias*.

Secundum.

— Item, *secretorum revelatio* tunc est peccatum mortale, cum tale secretum est, quod in illius qui secretum commisit potest vergere [7] detrimentum; tunc autem maximum est peccatum, cum usque ad revelationem *confessionis* verbo vel signo vel circumstantia aliqua quis procedit.

De secundo invidiae ramo.

23. Secundus ramus *invidiae* principalis est *dolor in prosperitate proximi*, quod, ut superius dictum est de invidia, habet rationem mortalis. Ex hoc ramo procedit *detractionis folium*, quo proximi prosperitas impeditur.

Divisio.

Hoc autem folium in duo principaliter dividitur, quia qui detrahit aut hoc est eius *bonum diminuendo*, aut *malum* eidem *imponendo*. Primum folium quatuor folia secum habet, scilicet bonum proximi *tacere*, *diminuere*, *pervertere* et *negare*.

Folia ...ptem

Ex secundo ramo haec folia procedunt: malum libenter *audire, dissimulare*, *confirmare*, *aggravare*, *addere*, *revelare*, *imponere*, de quibus videamus, quando [8] habeant rationem mortalis.

Quid d... grati...

— Sciendum igitur, quod *denigratio* est famae alterius per verba occulta, unde Ecclesiastae decimo [9]: *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit;* habet autem ex suo genere rationem mortalis. Cum enim, secundum Sapientem, *melius est nomen bonum quam divitiae multae;* sicut mortale est alienam rem invito domino pertractare, et qui hoc facit ad restitutionem tenetur; sic etiam alterius famam auferre mortale est, et qui hoc facit ad restitutionem tenetur.

Notand...

24. Hoc tamen circa istam materiam est advertendum, quod quodlibet verbum breve, quod in derogationem vergit alterius, non est iudicandum mortale, maxime cum ex habitu invidiae non procedit.

Tacere

— Ad detractionem autem spectat, ut dictum est, bonum proximi *tacere*, quod quidem mortale est, cum aliquis iniuste famam alterius videt deperire. Sicut enim in arcta necessitate tenemur proximo in rebus temporalibus providere, sic etiam et in necessitate famam eius servare.

Diminu... bonu...

— *Diminuere* bonum alterius est, cum aliquis commendationem alterius audire non potest, sed eam diminuit, quod caritati opponitur; et si ex ramo invidiae procedat, mortale est; quandoque tamen absque mortali contingit, ut cum quis audit, commendari indignum vel [10] ultra merita, et ex hoc potest oriri aliqua deceptio; tunc non habet rationem peccati.

Item, ...verte

— *Pervertere* bonum alterius est bonum, quod negari non potest, mala intentione factum asserere; unde de tali dicitur: *Bona in mala convertens insidiatur et in electis ponit maculam* [11]. Quod manifeste habet rationem mortalis, cum procedit ex invidia; cum tamen hoc ex falso procedit iudicio, de hoc quandoque iudicari debet, sicut de malo iudicio dictum est. Cum autem quis bonum pervertit alterius cum mendacio, tale mendacium, cum sit perniciosum, rationem mortalis sortitur.

Item, ...re

— Item, *negare bonum* alterius, quod scitur inesse, pertinet ad detractionem mortalem.

Audir... Dissim...

25. Item, de alio malum libenter *audire,* vel occasionem detractionis praestare, vel *dissimulare*, cum possit corrigere, est mortale; ad Romanos primo [12]: *Detractores Deo odibiles esse* commemorat, *dignos morte* iudicat, *non solum* autem *facientes, sed consentientes.* Tamen circa hoc debemus dicere, quod si aliquis detractionem alterius audiat et non ex invidia, sed ex verecundia, vel aliquo timore humano, ne offendat aliquem, hoc dimittat [13], non est iudicandum mortale, nisi sit talis persona, quae ex officio corrigere debeat, cui posset cedere in mortale.

Confi... aggrav... addere

— Item, *malum auditum* de aliquo *confirmare* et additis circumstantiis *aggravare,* vel dicto alterius *addere* mendaciter, vel veraciter ad diffamationem intendendo, est mortale. Multum tamen interest, utrum hoc procedat

---

[1] Vat. *singulatim aliquid* pro *singulariter*.

[2] Verbotenus in Glossa *interlineari* in Matth. 18, 8. Cfr. August., Serm. 81. (alias 33. ex Sirmond.) n. 2.

[3] Libr. III. de Consolat. prosa 5. Locus seq. Tullii est II. Rhetor. c. 8. seqq.; cfr. II. ad Heren. c. 2. seqq.

[4] Pro *aliquo* cod. incpte *ipso vel aliis*. — Seq. Glossa apud Lyranum est *ordinaria* super I. Cor. 4, 3, sumta ex August., Tract. 90. in Ioan. n. 2.

[5] Vat. post *iudicium* ita prosequitur: *semper est nimis grave peccatum et procedit.*

[6] Vers. 16. et 19. — De *foliis* ex ramo invidiae vide supra n. 20.

[7] Vat. *verti*, et infra pro *usque ad revelationem* habet *videlicet ad revelationem.*

[8] Vat. *qualiter*.

[9] Cap. 10, 11. Seq. locus est Prov. 22, 1. — Infra ante *rem* Vat. omittit *alienam*, et in fine huius num. in cod. desiderantur verba: *sic etiam* usque *tenetur*.

[10] Cod. omittit *vel*. Infra pro *pervertere* Vat. habet *convertere*.

[11] Eccli. 11, 33. De *malo iudicio* vide n. 21.

[12] Cap. 1, 30. 32.

[13] Vat. perperam omittit *hoc dimittat;* et deinde pro *persona, quae* habet *persona, quod.*

ex invidia, vel indiscreto zelo iustitiae. Quandoque enim contingit, mala aliorum facta ex quadam indignatione vel levitate loquendi nec intentione diffamandi contra aliquem malum recitari, vel etiam aggravari, quod esset durum iudicare mortale. Hoc tamen a plerisque magis dicitur, quod crimen alterius etiam verum extra correctionis ordinem *revelare* mortale est. Ordo correctionis fraternae est a Domino, Matthaei decimo octavo [1]: *Si peccaverit in te frater tuus, in te*, id est te sciente, *vade et corripe eum* etc. Hic etiam circa istam materiam est notandum, quod crimen alterius detegere, ubi non potest prodesse nisi ad diffamationem, est contra ordinem correctionis fraternae.

26. Item, ex *medio* duorum ramorum invidiae descriptorum procedit *ramus rancoris.* Cum enim invidus bonum proximi non potest diminuere nec eidem malum inferre, prorumpit in *cordis rancorem.* Est autem *rancor* motus cordis gravis ex mala affectione procedens in proximum et habet rationem mortalis, si ex invidia procedat [2], vel *libera voluntate.* Ex *libera* autem *voluntate* dico, quia contingit interdum, quod aliquis homo propter suam ineptitudinem, vel illatam iniuriam sine motu displicentiae videri non potest; quod quidem in multis magis habet rationem *passionis* quam *peccati*, dum voluntas libera non consentit. — Ex hoc autem *ramo rancoris* procedit *ramus odii*, qui manifeste habet rationem mortalis, quia rectae caritati opponitur, in qua vita animae conservatur. Hoc etiam advertendum est, quod non solum secundum praeceptum tenemur diligere *amicos*, sed etiam *inimicos* et *malos*, *vitium* tamen in aliquo non tenemur diligere. Unde et si quis contra alium moveatur propter eius *vitium*, quandoque non est vitium, sed virtus, licet quandoque zelus indiscretus circa hoc possit contingere; et sic oditur vitium, quod aliquando redundat in personam. Debent autem, secundum Augustinum in Speculo [3], corrigi vitia hominum « cum dilectione personarum et odio vitiorum ».

27. Ex ramo autem *odii* oritur *ramus irae.* Est autem ira, prout hic accipitur, inordinatus animi motus ad nocendum proximo sine causa, et cum sit contra caritatem, habet manifeste rationem mortalis. Hoc tamen notandum est, quod quaelibet ira non debet iudicari mortalis. Secundum enim Gregorium [4] est *ira per zelum* et *ira per vitium.* Est autem *ira per zelum*, cum quis multum intense contra malum movetur et in punitionem tendit, quod quidem virtutis est, nisi zeli indiscretio interveniat, sicut de odio immediate est dictum. *Ira* autem *per vitium* est, cum quis contra proximum movetur iniuste et ad eius poenam intendit; et quandoque, sicut de aliis vitiis est dictum, talis motus praevenit iudicium rationis ex complexione, vel ex causa alia, et tunc non habet rationem mortalis.

28. Ex hoc autem *ramo irae* procedit *ramus appetitus vindictae* et *fructus crudelitatis* et *folium discordiae*, quae consistit in verbis. — Circa *appetitum vindictae* intellige, quod aliquis vindictam de aliquo dupliciter potest appetere: aut in quantum est *in proximi nocumentum* et procedit ex odio; aut in quantum per poenam potest *corripi proximus*, ne de cetero ad peccatum declinet; et hoc modo vindictam appetere non est malum [5]. Hoc autem vere puniens debet advertere, quod quandoque sibimet mens mentitur et quod facit ex odio ex bona intentione fieri sibi ipsi simulat, et in hoc conscientiam suam mendaciter informat.

29. Ex *ramo appetitus vindictae* oriuntur hi *fructus*: *calumnia*, *vexatio* et *damnificatio.* — *Calumnia* est falsa criminis impositio et est manifeste mortale, quia est perniciosum mendacium, quia procedit ex odio, et quia iniustitia invenitur ibidem. **Tres fructus. Calumnia.**

Est autem *vexatio*, cum quis alium trahit ad iudicium sine causa et ipsum in persona sua vexat et in expensis damnificat, quod fit quandoque per falsas litteras, vel falso impetratas, vel non suas, sed alterius, vel iuris ordine praetermisso, vel ad impossibilia obligando, ut citando coram diversis iudicibus ad loca distantia iniuste, in quibus casibus [6] non solum quis peccat mortaliter, verum etiam ad restitutionem omnium damnorum et expensarum tenetur. **Vexatio.**

Item, *damnificatio* est, cum quis in temporalibus bonis damnificat, quod etiam est [7] mortale. Hoc etiam potest fieri dupliciter: aut *impediendo bonum* habitum, vel habendum, aut *malum inferendo;* quod etiam fit pluribus modis, qui per modum *fructus* in arbore describuntur. Unde circa hoc est notandum, quod quinque modis est reus quis in damnificatione proximi, scilicet *faciendo*, *praecipiendo*, *iuvando*, *consulendo* et *dissimulando*, cum prohiberi potest vel impediri damnum proximi et voluntarie sustinetur; et quatuor casibus primo dictis qui sic reus est ad restitutionem tenetur; et in omnibus istis est peccatum mortale, quoniam haec omnia directe caritati proximi opponuntur. Hoc autem circa *dissimulationem* damni alterius est advertendum, quod alterius damnum dissimulare non semper est iudicandum mortale, puta, cum quis ex timore magis quam ex ira vel odio dissimulat, timens, ne forte malefactores contra ipsum moveantur, et in damnum proprium possit aliqualiter redundare; etiam in casu, ubi probabiliter credit, quod sua correctio non prodesset. Unde Augustinus primo de Civitate Dei [8]: « Si quisque propterea obiurgandis et corripiendis mala agentibus parcit, ne deteriores efficiantur, non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium caritatis ». **Damnificatio duplex. Quinque modi damnificandi.**

30. Secundus *ramus irae* est *crudelitas*, ex qua oriuntur hi *fructus*: *incarceratio*, *percussio*, *verberatio*, *duellum*, *bellum*, *mutilatio*, *occisio*, de quibus aliquid videamus. — Est autem *crudelitas*, secundum Senecam [9], « atrocitas animi in exigendis poenis ». Ex hoc etiam *ramus feritatis* procedit. Est autem *feritas*, cum quis saevit in proximum absque aliqua culpa praecedente in ipso, et in hoc a *crudelitate* differt, quia *crudelitas* est excessus in infligendo poenam pro peccato commisso. Habet autem utrumque rationem mortalis, quia opponitur caritati. **Crudelitas et eius fructus. Definitiones duae.**

---

[1] Vers. 15. Cfr. tom. VII. pag. 428, nota 5.
[2] In cod. desiderantur verba: *et habet rationem* usque *procedat.*
[3] Sive Regula ad Servos Dei, n. 7. et Epist. 211. (alias 109.) n. 11. Vide infra n. 40. [4] Libr. V. Moral. c. 45. n. 82.
[5] Cod. pro *malum* habet *peccatum, alias malus,* in qua lectione aliquid excidisse patet. Deinde pro *Hoc autem* Vat. *licet autem.*
[6] Vat. perperam *causis* pro *casibus*, et supra addit *et* ante *iniuste.*
[7] Vat. *et est* pro *quod etiam est*, et inferius post *modis* perperam *quae* pro *qui*, omittens *in* ante *damnificatione* et deinde verba *scilicet faciendo, praecipiendo.*
[8] Cap. 9. n. 2.
[9] Libr. II. de Clementia, c. 4.

Si tamen excessus in puniendo ex zelo iustitiae quandoque contingat, ut alii terreantur, nisi sit excessus notabilis, non esset de facili iudicandum mortale. Punire autem *absque omni culpa* et *causa* semper habet rationem mortalis; *absque* autem *causa* dico, quia sine *culpa* quandoque quis punitur, nec tamen sine *causa*, sicut patet in crimine laesae maiestatis; et quandoque etiam illi de terra alicuius, in quantum sunt res domini offendentis, absque culpa propria in temporalibus puniuntur.

Crudelitatis quinque fructus.

31. De *incarceratione* autem et *verberatione* vel *percussione* vel *mutilatione* vel *occisione* proximi clarum est, quod habent rationem mortalis, nisi fiant per iustitiae auctoritatem, iuris ordine et moderamine observato, vel vim vi repellendo cum moderamine inculpatae tutelae. Haec enim opponuntur caritati proximi, et licet de suo genere mala sint, tamen multum aggravantur secundum radicem, si ex radice odii oriuntur. — Hoc tamen de *percussione* notandum, quod percussio parentum specialius est peccatum, a quo simplex sacerdos non potest absolvere, et est contra praeceptum divinum de honore parentum. Percussio autem clerici gravior est quam alia, et si gravis est, ad solum Papam pertinet absolutio [1].

Sextus est bellum.

32. De *bello* autem notare debemus, quod ad iustum bellum specialiter requiruntur tria, sine quibus habet rationem mortalis, videlicet *principis auctoritas;* unde Augustinus contra Faustum [2]: « Suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes principes sit ». Item, *iusta causa;* unde Augustinus: « Iusta bella debent esse, quae ulciscuntur *iniurias* ». Tertio, requiritur *intentio recta*, unde idem etiam Augustinus de Verbis Domini: « Apud veros Dei cultores bella non crudelitate, aut cupiditate geruntur ».

Septimus, duellum.

33. De *duello* [3] autem nota, quod secundum iura est prohibitum et secundum rationem habet rationem mortalis et in appellatione et in domino, cuius auctoritate fit, et procuratoribus et in pugilibus propter pecuniam. Et hoc patet, cum manifeste habeat rationem tentationis divinae, et a forti debilis per naturam vincatur. Dicunt tamen quidam, quod consuetudo excusat in hoc facto, cuius contrarium tenent communiter theologi et iuris periti [4].

Folium discordiae multiplex sub genere contentionis.

34. Tertium, quod ex ramo irae procedit, est *discordiae folium*, secundum quod consistit in verbis. Ex discordia enim animorum etiam discordia verborum procedit. Hoc autem folium in huiusmodi folia est divisum, quae sunt: *irritatio*, *comminatio*, *contumelia*, *improperium*, *convicium*, *maledictio*, *procacitas*, *clamor* et *irreconciliatio*. — Circa materiam istam in generali notandum est, quod discordia in verbis *contentio* dicitur, qua quis verbis alterius procaciter contradicit, unde *contentio duorum* dicitur; dicit enim modum inordinatum et contradictionem. Potest igitur *inordinate* aliquis contradicere proximo malum et falsum dicenti, et tunc ratione *contradictionis* peccatum non habet, sed in *modo* potest esse excessus, scilicet cum extendit modum negotii, vel personae, et potest esse mortale, cum quis ad confusionem anhelat alterius ex ira forti, vel odio, vel fit tanta contentio, quod exinde scandalum oriatur. Cum autem quis contendit cum aliquo et etiam veritati contradicit, vel veritatem impugnat ex invidia, ira vel odio; tunc est mortalis contentio, et haec est contentio, quae inter *opera carnis* ab Apostolo numeratur, ad Galatas quinto [5]: *Qui talia agunt regnum Dei non possidebunt.*

Irritatio.

35. Huiusmodi contentionis species est, ut dictum est, *irritatio*. Est autem irritatio [6], quando aliquis proximo loquitur pungitive, secundum quod quandoque contingit, quod homo ex odio, quod habet ad alterum, libenter eum verbis stimulat et irritat, sicut de fratribus Ioseph dicitur Genesis trigesimo septimo [7]: *Oderant eum nec poterant ei quidquam pacifice loqui.* Et sic est mortale peccatum, secundum quod ex odio vel ira mortali procedit; unde de hoc iudicandum est secundum rationem radicis.

Comminatio.

36. Item, cum hoc folio est *comminatio*, cum scilicet aliquis alicui se malum facturum promittit. Et sicut laedere proximum est mortale, sicut dictum est superius, sic malum comminari, quod, si fieret, mortale esset, peccatum mortale est, si sit deliberatio, et proponat facere quod minatur. Unde Ecclesiastici vigesimo secundo [8]: *Ante sanguinem maledicta et contumeliae et minae.*

Contumelia. Improperium. Convicium.

37. Sequitur videre de *contumelia*, *improperio* et *convicio;* et notandum, quod *contumelia* est obiectio criminis perpetrati. — *Improperium* autem est proprie, cum quis iniuriose reducit ad memoriam auxilium, quod contulit necessitatem patienti; Ecclesiastici vigesimo [9]: *Exigua dabit tibi et multa improperabit.* — *Convicium* autem est, cum defectus corporalis, vel aliud quodcumque crimen obiicitur ad confusionem personae; et de his videamus, quomodo habeant rationem peccati. Hoc igitur circa istam materiam est notandum, quod cum, secundum Philosophum [10], « voces sint signa intellectuum », multum considerandum est, *quo animo* verba dicantur. Contingit autem quandoque, talia verba dici ex *indiscreto zelo*, vel zelo iustitiae aut amoris, vel ex quadam *surreptione* et subito motu irae, et tunc non esset iudicandum mortale, nisi tantus esset excessus, et verba sic inordinata, quod aliquis per talem contumeliam in diffamationem incurreret manifeste. Tunc enim zelus iustitiae nullatenus excusaret, quin peccaret mortaliter, sicut si quis aliquem interficeret ludendo per incautelam [11], tamen posset peccare mortaliter. Cum autem quis alteri convitium vel contumeliam vel improperium dicit, motus ad proximi confusionem et dehonorationem intendens; tunc agit contra caritatem proximi et peccat mortaliter; et sic intelligitur verbum Domini Matthaei quinto [12]: *Qui dixerit fratri suo: Fatue, reus erit gehennae ignis.*

Maledictio.

38. Item, folium discordiae, ut dictum est superius [13], est *maledictio*, ut cum aliquis malum alii imprecatur optative; et manifeste habet rationem mortalis, quia est contra proximi caritatem, si tamen mente ita teneatur, sicut ore profertur. Et hoc modo loquitur Apostolus primae ad Corinthios sexto [14]: *Maledici regnum Dei non possidebunt.*

---

[1] In cod. desideratur *absolutio*.
[2] Libr. XXII. c. 75. — Seq. locus est August., Quaest. in Iosue, q. 10. Tertius locus ex August. refertur a Gratiano, Caus. 23. q. 1. c. 6.
[3] Pro *De duello* Vat. *Duellum*.
[4] De hoc cfr. Gratian., Caus. 2. q. 5. c. 22: *Monomachiam*.
[5] Vers. 19. et 21. — Superius ante *est contentio* Vat. omittit *haec*, refragante etiam ed. 1.
[6] Vat. omittit: *ut dictum est. Est autem irritatio*. Etiam ed. 1 omittit solum *ut dictum est*.
[7] Vers. 4.
[8] Vers. 30. — De laesione proximi vide supra n. 29-31.
[9] Vers. 15. Superius post *Improprium autem est* Vat. omittit *proprie*.
[10] Aristot., Periherm. c. 1.
[11] Vat. pro *incautelam* perperam *cautelam*, deinde ante *ad proximi* omittit *motus* contra cod. et ed. 1.
[12] Vers. 22.
[13] Num. 34.
[14] Vers. 10. — Sequens locus August. est Serm. 104. in Append. (alias 41. de Sanctis) n. 3; vide supra pag. 626, notam 11.

Contingit tamen, verbum maledictionis esse veniale vel propter parvitatem mali optati, vel quia ludo, vel surreptione, vel zelo iustitiae, vel non malo affectu verba dicuntur. Et hoc modo Augustinus in Sermone de Purgatorio hoc iudicat veniale.

39. De *clamore* autem verborum et *procacitate* sciendum, quod quandoque contingit, quod licet intentione verborum convicia gravia non dicantur, tamen tantus clamor et procacitas potest esse, quod scandalum sequitur, vel etiam ex intentione proximus provocatur; et tunc habet rationem mortalis eo modo, quo dictum est de contentione, si tamen ex deliberatione procedit et ex ramo odii vel irae procedit; alias autem non iudicaretur mortale.

40. Item, ad discordiam pertinet *irreconciliatio*, cum scilicet quis proximum per contumeliam, vel alio modo laesit et ipsum pacificare contemnit. Sicut enim quis rem alterius ablatam vel famam tenetur restituere proximo, sic et pacem petendo veniam. Unde convenienter dicit Augustinus in Speculo [1], quod « melior est ille qui, quamvis saepe ira tentetur, tamen ad impetrandum festinat, ut ei dimittat, cui se fecisse agnoscit iniuriam, quam qui tardius irascitur et ad impetrandum veniam tardius inclinatur. Unde non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, per quod facta sunt vulnera ». Quod si quis contemnat facere, peccatum committit, sicut patet per verbum Veritatis Matthaei quinto [2]: *Si offers* etc., secundum Glossam, « munus nequaquam acceptatur talis offerentis ante reconciliationem fratris ». Et per hoc manifeste probatur, quod est ibi peccatum mortale; non enim nisi per peccatum mortale amittit acceptationem divinam. Hoc tamen sane debet intelligi, cum scilicet talis fuit offensa, quod rationem mortalis habuerit. Qualiter autem *contumelia* rationem mortalis habeat, iam dictum est [3].

Capitulum II.

De radice concupiscentiae.

1. Secundus *ramus*, qui ex radice concupiscentiae et ex *trunco* mali consensus procedit, est *concupiscentia oculorum*, qui aliter *avaritia* nominatur. Dicitur autem *avaritia*, secundum quod est aviditas aeris, id est pecuniae, ita quod per *pecuniam* quaelibet [4] temporalia designantur. Unde avaritia est inordinatio animi circa temporalia habita vel habenda. Quod duobus modis potest contingere: vel *inordinate amando vel appetendo*, vel *iniuste acquirendo*. Circa hoc tamen advertendum est, quod utroque modo potest esse mortale, cum scilicet aliquis *amorem divitiarum praefert* caritati Dei et proximi, vel cum *iniuste praefertur*, vel per rapinam temporalia acquiruntur, et sic *avaritia* ab Apostolo inter mortalia computatur ad Romanos primo [5]. Sicut autem de aliis vitiis dictum est, quod sua venialia habent, dum scilicet rationem praeveniunt; sic etiam avaritia quaelibet non iudicatur mortalis, ut cum quis ad temporalia inordinate afficitur, tamen citra [6] caritatem Dei et proximi, vel proximus in tam modico laeditur, quod nullo modo iudicaretur mortale. Secundum hoc igitur ex *primo ramo* avaritiae *tres rami principales* procedunt, qui dicuntur inordinatum *desiderium habendi*, inordinatus *amor habiti* et inordinatus *dolor amissi;* et eo modo, quo dictum est de avaritia, est iudicandum de ipsis.

2. Item, ex primo ramo, qui est inordinatum *desiderium habendi*, procedunt haec: *sollicitudo in mente* et *iniustitia in opere*. — Haec autem *sollicitudo* potest habere rationem mortalis, scilicet cum propter sollicitudinem rerum temporalium dimittuntur necessaria ad salutem. Unde ex hoc ramo *Sabbati violatio* oritur, cum scilicet contra praeceptum divinum vel Ecclesiae tempora non servantur. Per hoc autem *Sabbatum* in lege nostra *Dominica* intelligitur et festa alia ab Ecclesia instituta. Observatio siquidem diei dominicae est de iure divino, scilicet praeceptum divinum, Exodi vigesimo [7]: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices.* Ex constitutione Ecclesiae et Spiritus sancti familiari consilio propter solemnitatem resurrectionis dominicae et propter requiem et [8] quietem, quae octavae aetati respondet, succedit Dominica Sabbato, et in ipsa cessare a servili opere debemus et vacare divinis. Hoc autem circa istam materiam est notandum, quod observatio ista quantum ad aliquid est *moralis* et de iure *divino*, quantum autem ad aliquid *caeremonialis* et ad ius *positivum* pertinet. Quod enim homo habeat aliquod *tempus* ad vacandum divinis, hoc pertinet ad *morale* praeceptum, sed quod tali vel tali die, vel ab isto opere cessetur vel illo, hoc ad ius *positivum* pertinet. Igitur mandatum divinum transgreditur qui sic temporalibus negotiis occupatur, quod nunquam vacat divinis.

3. Praecipue etiam festum vel Dominicam violat qui *peccato* operam dat; hoc enim est opus servile, quia *qui facit peccatum servus est peccati* [9]. Unde Augustinus de Decem Chordis: « Melius faceret Iudaeus in agro suo aliquid utile quam in theatro seditiosus existeret, et melius feminae eorum die Sabbati lanam facerent, quam tota die in neomeniis suis impudice saltarent »; quod tamen intelligendum est de ludis, qui fiunt cum peccato mortali. Non enim intelligo, Sabbatum violari per peccatum veniale, quia secum compatitur observantia mandatorum. — De operibus autem *mechanicis*, quae *servilia* dicuntur, sicut iam dictum est, ad Ecclesiam pertinet iudicare, qualiter sit abstinendum. Unde Ecclesia ista liberius [10] pro tempore necessitatis, quae legem non habet, dispensat; unde in hoc casu praeceptum universalis Ecclesiae particulariter, vel consuetudo generaliter approbata ab omnibus est observanda. Unde de mercatis et quadrigatione et negotiatione et nundinis et talibus, quae quandoque fiunt in multis locis diebus dominicis et festivis, utrum sit mortale, vel non, a legislatoris interpretatione dependere videtur. Si enim hoc Ecclesia prohibeat sub virtute obedientiae, constat, *transgredi* esse mortale peccatum.

Marginalia: [Clamor et procacitas.] [Irreconciliatio.] [Divisio avaritiae.] [Duplici[ter].] [Primi rami divisio principalis.] [Subdivisio.] [Primo, de sollicitudine mentis.] [Violatio dierum festorum.] [Continuatur.]

---

[1] Sive Regula ad Servos Dei, n. 10; Epist. 211. n. 14; cfr. supra pag. 629, nota 3.
[2] Vers. 23. Glossa ibi est *ordinaria* ex August., l. de Serm. Dom. in mont. c. 9. n. 25. seq. Cfr. Hieron. in Matth. 5, 23.
[3] Supra n. 37.
[4] Vat. *omnia*, et superius fide cod. et ed. 1 substituimus *aliter* pro *alio nomine*.
[5] Vers. 29. seqq. — Supra *praefertur* expungendum videtur.
[6] Vat. contra cod. et ed. 1 *salva;* cod. infra habet *qui sunt* pro *qui dicuntur*.
[7] Vers. 8.
[8] In Vat. deest *requiem et*, et inferius in cod. *et vacare divinis*, et deinde etiam verba *observatio ista quantum*.
[9] Ioan. 8, 34. Locus August. est in Libr. de Decem Chordis, qui nunc Serm. 9. c. 3. n. 3.
[10] Vat. omittit *ista liberius*.

4. Secundum, quod ex ramo inordinati appetitus temporalium procedit, ut dictum est [1], est *iniustitia in opere*, quae in duos *fructus principales* distinguitur, quia aut est *aperta iniustitia*, aut *occulta*, quae *fraus* alio nomine nuncupatur. *Iniustitia* antem *aperta* hos *fructus* secum habet, qui sunt: *furtum, usura, rapina* et *iniqua sententia*, de quibus aliquid videamus.

Secundo, de duplici iniustitia. **Primae sunt fructus quatuor.**

5. Circa *furtum* nota, quod furtum est occulta rei alienae contrectatio, invito domino, et habet rationem mortalis, in quantum est contra *iustitiam* et opponitur *caritati* proximi. Unde lex divina dicit [2]: *Non facies furtum.* Hoc tamen advertendum, quod tam modica res possit esse, vel tam modici valoris, quod non haberet rationem mortalis, nisi forte adesset voluntas maius accipiendi, si facultas adesset, vel in illo modico esset alterius notabilis damnificatio; plus enim quandoque damnificatur pauper in parvo quam dives in magno; vel nisi forte esset tanta necessitas, quod accipere rem alterius cogeretur; tunc enim potest aliquis rem alterius pro extrema vel urgenti necessitate corporis accipere, quia in necessitate omnia sunt communia, et tunc *furtum* dici non debet, quia suum est quod in necessitate accipit, vel etiam pro necessitate alterius. Unde Ambrosius [3]: « Esurientium panis est, quem tu detines »; loquitur de avaro. Huiusmodi autem furti quatuor sunt species, scilicet *rei occulta acceptio, rei inventae detentio, sacrilegium* et *proprietas in Religiosis.*

Furtum. **Quatuor eius species.**

6. Circa *rei inventionem* nota, quod quaedam inveniuntur, quae nunquam inveniuntur in bonis alterius [4], sicut lapides, qui inveniuntur in littore maris, vel aquae communis, talia enim cedunt in proprietatem invenientis. Similiter et *thesauri*, qui inveniuntur in terra, qui non fuerunt a tempore, a quo sit memoria, in bonis alicuius; tamen secundum leges dominus terrae debet habere medietatem, ut dicitur in Matthaeo [5] de *inventione thesauri absconditi*, quod *emit eum.* Illa autem, quae inveniuntur, quae probabiliter fuerunt in bonis alterius, retinere est furtum. Unde Augustinus: « Si quid invenisti et non reddidisti, rapuisti ». Si autem possessor inveniri non possit, consuetudo terrae est servanda.

De re inventa.

7. Circa *sacrilegium* nota, quod *sacrilegium* est ratione acceptionis sacrae rei, vel in loco sacro, et secundum hoc triplex est species sacrilegii [6], ut quando aufertur *sacrum de sacro*, vel *non sacrum de sacro*, vel *sacrum de non sacro.*

De sacrilegio.

8. Circa *furtum Religiosorum* in retentione proprii notandum est quod dicit Augustinus [7] de Religiosis, « quod si quis rem sibi collatam celaverit, furti iudicio condemnetur ». Tunc autem hoc intelligo *celari* et habere *proprii* rationem, quando sic celatur, quod si etiam praelatus in virtute sanctae obedientiae praeciperet, quod revelaretur, etiam celaretur. Nec aliter intelligo proprietatem [8] mortale, nisi quando contra voluntatem praelati praeceptoriam detineretur. Hoc etiam notandum de Religiosis et dispensatoribus et filiisfamilias et uxoribus, quod furtum possunt committere, si notabiliter dominos rerum in dispensando damnificant contra voluntatem et intentionem dominorum; cum autem intuitu pietatis et ratione [9] commune bonum procurandi nec mala intentione dant aliqua vel dispensant, non est iudicandum mortale.

De furto Religiosorum.

9. Sequitur de *rapina.* Est autem *rapina*, cum quis rem alterius manifeste per violentiam accipit et iniuste; et habet manifeste rationem mortalis, sicut et de furto dictum est [10]. Unde Isaiae sexagesimo primo [11]: *Ego Dominus diligens iudicium et odio habens rapinam.* Potest tamen esse veniale, vel etiam nullum peccatum, eo modo, quo de furto dictum est, vel etiam in bello iusto, quando bona inimicorum rapiuntur. Quid autem requiratur ad bellum iustum, dictum est supra [12]. Cum rapina autem sunt *fructus* alii, scilicet *inductio novae taliae* vel *consuetudinis, exactio, extorsio, munerum acceptio* et *ludus alearum.*

De rap... **Rapina... ctu...**

10. Circa primum notandum, quod novas *talias*, vel consuetudines [13] constituere ad extorquendum pecuniam absque iusta causa, habet rationem rapinae. Item, *exactio* est, cum quis debitum inordinate exigit, et potest habere rationem rapinae, cum scilicet creditor videt damnum notabile debitoris nec necessitatem patitur, sed commode potest exspectare; tunc enim posset laedi caritas, et tanta [14] posset esse necessitas, quod exactio haberet rationem mortalis. Unde domini, qui a subditis talias et servitia isto modo exigunt nec necessitati eorum, quantumcumque sint pauperes, compatiuntur, recte *raptores* dicuntur. Unde haec, quae de exactione dicta sunt, contra illud praeceptum morale sunt, scilicet Exodi vigesimo secundo [15]: *Si pecuniam dederis mutuo populo meo pauperi, non urgebis eum quasi exactor.*

De pri... **De sec...**

11. Tertius *fructus rapinae* est *extorsio*, quod quidem est, cum quis terrendo, vel adulando, vel violentis precibus extorquet ab aliquo servitium, vel aliquod temporale; et tunc quidem potest habere rationem mortalis, cum tollitur ratio voluntarii arbitrii ab illo cui infertur talis extorsio, ut cum [16] talis est qui minatur, vel rogat ab eo qui potest nocere, et cuius offensa probabiliter timetur, nisi habeat quod petit; et hoc modo extorsio violenta est et sic est contra praeceptum Levitici sexto, ubi inhibetur, aliquid extorqueri.

De te...

12. Quartus *fructus rapinae* est *munerum acceptio*, quae quandoque habet [17] rationem peccati, scilicet cum pauper dat diviti et reus iudici, creditori debitor. Suspecta est talis munerum collatio et receptio; ex intentione dantis vel recipientis cito posset inveniri ratio mortalis peccati. Unde cum *dives* a paupere recipit, ut ipsum secundum iustitiam tueatur, cum alias hoc facere teneatur [18],

De q...

---

[1] Supra n. 2.
[2] Exod. 20, 15. — Supra post *rei* cod. omittit *alienae.*
[3] In Dom. 8. post Pentec., serm. 64. circa finem (ed. Romana). Praecedentem sententiam vide de Consecr. d. 5. c. 26: *Discipulos.*
[4] In Vat. exciderunt verba: *quae nunquam* usque ad *in littore.*
[5] Matth. 13, 44. — Seq. locus August. est Serm. 178. (alias de Verbis Apost. serm. 19.) c. 8. n. 9.
[6] In cod. desunt verba *vel in loco sacro* usque ad *sacrilegii.*
[7] Regula ad Servos Dei, n. 8. — Supra Vat. habet *Quarto* ante *Circa.*
[8] *Proprietatem* desideratur in Vat. — Etiam haec doctrina eget restrictione (cfr. supra pag. 627, nota 1.).
[9] Pro *et ratione* Vat. *etiam.*
[10] Supra n. 5. — Superius in Vat. deest *et* tum ante *iniuste,* tum ante *de furto.*
[11] Vers. 8.
[12] Cap. I. n. 32.
[13] Vat. verbo *consuetudines* praefigit *leges vel.*
[14] *Tanta* deest in Vat. contra cod. et ed. 1, atque etiam *domini* post *Unde.*
[15] Vers. 25.
[16] Pro *ut cum* Vat. *et.* — Infra locus Scripturae est Levit. 6, 2. — Pro *inhibetur* Vat. *iubetur non.*
[17] Pro *habet* Vat. perperam *non habent,* infra vero pro *creditori debitor* cod. perperam *creditor debitori.* Deinde post *Suspecta* Vat. inepte addit *tamen.*
[18] Cod. omittit *cum alias hoc facere teneatur.*

et *iudex*, cui datur aliquid, ut pervertat iudicium, vel ut iustitiam consequatur, cum munus recipit, aut iudicium pervertit, aut iustitiam vendit, manifeste habet rationem mortalis. *Creditori*[1] etiam, qui a debitore recipit munus, ratione debiti videtur dari quod accipit, et si hac ratione accipiat, iam habet rationem *usurae*. Quandoque tamen non habet rationem peccati, ut cum quis simpliciter accipit munus absque mala intentione neque habet rationem, quare possit suspicari, quod mala intentione donetur.

13. Quintus *fructus rapinae* est *ludus alearum* seu taxillorum, qui prohibitus est tam a iure canonico quam civili. Unde et de hoc dicunt quidam[2], quod sit peccatum mortale, eo quod sit contra ius canonicum et civile; et quod ex ludo habetur nullo bono titulo possidetur nec potest retineri, sed debet pauperibus erogari. Quia enim qui in ludo lucratur *iniuste lucratur*, et qui amittit *iuste amittit;* ideo qui lucratur eidem, a quo lucratur, restituere non tenetur, nisi forte ipsum[3] induxerit ad ludendum. Cum antem ludus satis videatur ex radice rationem habere mortalis peccati, quia ex avaritia videtur procedere, et quia ludum multa comitantur peccata, scilicet *fraus, mendacium, periurium, blasphemia, scandalum, amissio temporis* et *ira* frequenter, et haec causa prohibitionis ludi esse videtur: cum ludit aliquis causa recreationis, peccatis supradictis exclusis, non videtur habere rationem mortalis.

[margin: ...quinto. ...peccata.]

14. Tertius *fructus principalis* iniustitiae ad proximum, qui ex ramo avaritiae procedit, est *usura*. Dicitur autem usura ab *usu aeris*. Sunt autem[4] quaedam res, quarum usus est rei consumtio, et quarum dominium in accipientem transfertur, ut pecunia, bladum et vinum; unde qui talium usum vendit *usurarius* dicitur, et habet rationem mortalis, et in quantum contra praeceptum morale iustitiae est, quia vendit alii quod suum non est, cum iam transitum sit dominium, Levitici vigesimo quinto[5] et in Psalmo: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* — Usura in praesens in has species dividitur. Est enim *usura in spe*, cum quis non expresse contractum usurarium facit, licet speret, se pro mutuo aliquid accepturum, et hac intentione dat mutuum, alias non daturus; constat, quod talis quantum ad Deum, qui cor intuetur, usurarius iudicatur; unde Lucae sexto[6]: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Item, est usura non solum *intentione*, sed etiam *opere*, cum quis debitorem ad amplius obligat quoquo modo, vel *tacite*, vel *expresse: tacite* quidem mutuando speciem pro specie, ut bladum pro blado et huiusmodi, ut ea recipiat tempore, quo carius venduntur, vel pretium, quando cresceret tempore[7] cariori, vel dando antiquum pro novo, ut melius recipiat innovatum; in quibus casibus usura committitur, cum proprium commodum, non necessitas proximi ibidem attendatur. Tunc autem potest manifeste sciri corrupta intentio, cum solummodo praecluditur infra tempus, quo talia[8] carius venduntur; cum quis autem huiusmodi intendit servare usque ad tempus, quo vendentur carius, licet debitor in se periculum suscipiat, non tamen in creditore iudicatur usura, si hoc facit, ut proximo subveniat. Item, *tacita* est usura, cum quis ratione dilationis plus iusto vendit et accipit, et cum quis ratione mutui servitium vel munus accipit, ut superius est expressum. Item, est usura *tacita*, cum quis aliquid commune habet cum aliquo, quidquid sit illud, et periculum vel damnum non sit commune. — Item, est usura *manifesta*, cum promissum ex pacto intervenit accipiendi amplius, vel etiam obligatio ex pacto ad simile mutuum faciendum.

[margin: Usura. ...a in spe. ...in opere... duplex.]

15. Secundus *fructus*[9] *principalis* avaritiae est iniustitia *occulta* in *contractibus*, quae multis modis contingit, videlicet *vendendo, emendo, commutando*, et hoc potest esse aliquando circa *temporalia*, vel *spiritualia*. *Vendendo temporalia*[10] fit *fraus* in numero, pondere, mensura, in valore seu in qualitate, in defectus taciturnitate, cum scilicet notabilis est defectus et occultus rei venditae, et tacetur et ita care venditur, ac si non esset ibi defectus aliquis. Item, notabiliter care vendendo vel propter necessitatem ementis, vel propter dilationem solutionis, vel propter simplicitatem ementis, qui rei valorem non novit. Item, in venditione suspecta locutionis peccata, scilicet rei falsa *commendatio, periurium, exsecratio, verborum duplicitas* seu falsitas, quae omnino, secundum quod ad nocumentum proximi vel deceptionem ordinantur, contra proximi caritatem sunt. Hic tamen advertendum, quod, sicut supra[11] de furto dictum est, ita posset esse proximi tam modicum nocumentum, quod quantum esset de ratione contractus, non iudicaretur mortale.

[margin: De occulta iniustitia in contractibus. Fit tripliciter; primo, vendendo et circa temporalia. Peccata locutionis.]

16. Hic etiam[12] circa *mendacium* est notandum, quod, sicut habetur super illud Psalmi: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*, triplex est mendacium: *iocosum, officiosum*, quod fit propter bonum proprium vel proximi, et *perniciosum*, quod fit in nocumentum proximi, vel fidei detrimentum, et hoc ultimum de suo genere est mortale; unde cum mendacium fit in proximi nocumentum in contractibus, patet, quod habet rationem mortalis.

[margin: Triplex mendacium.]

17. Hic etiam circa *periurium* et *iuramentum* est notandum, quod iuramentum, secundum Hieronymum[13], tres comites habere debet, scilicet *veritatem, iudicium* et *iustitiam*. *Iudicio* caret iuramentum absque discretione et deliberatione factum: *iustitia* caret iuramentum illicitum, quod est in detrimentum salutis aeternae; *veritate* autem caret, cum falsum iuratur.

[margin: Periurium et iuramentum.]

18. Circa iuramentum etiam est sciendum, quod duplex est iuramentum, scilicet *assertorium* et *promissorium*. Iuramentum *assertorium*, cum falsum iuratur, vel quod creditur esse falsum, ex suo genere est mortale et contra praeceptum divinum de non *assumendo nomen Dei*

[margin: Iuramentum duplex.]

---

[1] Vat. ed. 1 et cod. incongrue *Creditor;* postea pro *ratione* Vat. *in rationem*, deinde post *videtur* eadem omittit *dari*, porro habet *non accipit, tunc* pro *accipiat, iam.*

[2] Cfr. Gratian., d. 35. c. 1: *Episcopus*, cum Glossa.

[3] *Ipsum* desideratur in Vat., dein pro *Cum autem* cod. *Cum falsus.* Infra pro *comitantur peccata* Vat. inepte *communicantur;* deinde ipsa *ideo haec* pro *et haec* (ita cod. et ed. 1).

[4] Vat. *enim* pro *autem.*

[5] Vers. 36. 37. et Ps. 14, 5. — Post *Usura* pro *enim* substituimus cum cod. *in praesens* [id est, ut breviter de hoc me expediam]. Infra post *speret* in Vat. deest *se.*

[6] Vers. 35. — Post *Item* cod. omittit *est.*

[7] In Vat. desiderantur verba: *quo carius venduntur, vel pretium, quando cresceret tempore.*

[8] In Vat. desideratur *talia.*

[9] Vat. *ramus* pro *fructus*, vide supra n. 4.

[10] Ex cod. subiunximus *Vendendo temporalia;* porro pro *quantitate* fide codicis substituimus *qualitate.*

[11] Num. 5.

[12] Vat. *Hoc tamen* pro *Hic etiam;* deinde cod. omittit *quod* ante *sicut.* — Citatus Ps. 5, 7. cum Glossa *ordinaria.* — De triplici genere mendacii cfr. Bonav., III. Sent. d. 38. praecipue q. 5.

[13] Libr. I. Comment. in Ierem. 4, 2. Vide tom. III. pag. 857 col. II, notam 1.

in vanum [1]: hoc autem sic intelligendum videtur, cum quis ex deliberatione iurat et se peierare advertit.

Iuramentum promissorium.

19. Circa iuramentum *promissorium* notandum, quod cum quis promittit per iuramentum, aliquid se facturum, et deliberative, tenetur illud adimplere; aliter est transgressor praecepti, nisi forte ad implendum reddatur impotens, vel nisi iuramentum vergat aliquo modo contra Dei vel proximi caritatem. Dicit enim Isidorus [2]: « In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum ». — De *verborum* autem *duplicitate et falsitate*, quando fit in proximi deceptionem et nocumentum, sicut de mendacio iudicandum videtur. Unde dicit Isidorus: « Quacumque arte quis iuraverit, Deus, qui conscientiae testis est, illud accipit, sicut ille cui iuratur, intelligit ».

Secundo, emendo.

20. Circa *fraudes*, quae in *emendo* fiunt, notandum, quod quandoque in *venditore* est simplicitas, vel necessitas, et hoc modo contingit fraus in *emptore*, scilicet cum res emit vilius vel ratione simplicitatis illius qui [3] vendit, necessitatis, vel ignorantiae. — Item, peccata *locutionis in emptoribus* frequenter inveniuntur, cum scilicet res mendaciter vilipenduntur. — Et rationes, quae circa venditores sunt dictae, et eo modo, quo dictum est de venditore, sic etiam de fraude in *commutationibus* est similiter iudicandum.

Peccata locutionis.

Item, circa spiritualia dupliciter.

21. Item, ut dictum est [4], non solum consistit iniustitia et fraus in contractu temporalium rerum, sed etiam *spiritualium*. Et hoc quidem potest fieri vel circa *iudicia*, et sic est *fructus iniquae sententiae*, vel circa *beneficia*, et sic est *simonia*. — Est autem *simonia*, secundum quod communiter definitur, studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquod spirituale, vel spirituali annexum, et habet rationem mortalis, quia manifeste est ibi iniustitia contra Deum, cum spiritualia non possint cadere sub pretio temporali, et quia non potest quis vendere vel emere id cuius non potest habere dominium; spiritualium autem non sumus domini, sed ministri, primae ad Corinthios quarto [5]: *Sic nos existimet homo* etc.; item, quia gratis accipiuntur, gratis conferri debent, iuxta illud Matthaei: *Gratis accepistis* etc.

Simonia.

Fit tripliciter.

22. *Simonia* autem tribus modis committitur, et secundum hoc tres *fructus* habet in arbore. Committitur enim *munere* [6] *a manu*, ut munera corporalia conferendo pro spiritualibus obtinendis; item, *munere a lingua*, per preces carnales et iniustas spiritualia obtinendo; item, *munere ab obsequio*, ut cum quis per servitium humanum iniustum vel inhonestum spiritualia obtinet. — Item, nota alias species simoniae, quia *permutando* et *transigendo* spiritualia beneficia absque superioris auctoritate contrahitur simonia secundum iura. Appellatur *permutatio*, cum fit mutatio dignitatum vel quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum; *transactio* autem est de quacumque re spirituali non gratuita pactio. Hic autem circa istam materiam generaliter est advertendum, quod spirituale dare vel accipere pro temporali, ita quod spirituale cadat sub pretio, est vitium simoniae; licet autem pro labore et sustentatione secundum bonas consuetudines accipere seu dare.

Aliae 2 species.

Iniusta sententia cu[m] fructibus.

23. Item, ut dictum est, alius *fructus* iniustitiae seu fraudis est *ad proximum*, scilicet *iniusta sententia*, et multos fructus mortiferos habet, qui sunt: *iustitiae perversio* sive dilatio, *ordinis iuris mutatio*, *falsum testimonium*, *iniusta advocatio*, *litterarum abusio*; quae omnia habent rationem mortalis, secundum quod cedunt [7] *in proximi nocumentum* et ex *radice avaritiae* procedunt, ut pecunia emergatur.

De qua[rto].

24. Circa quartum, scilicet de *iniusta advocatione*, nota peccata, quae ibi inveniuntur frequenter, scilicet *iniustum patrocinium*, *litis prolongatio*, *iuris sophistica allegatio*, *iniustum consilium*, scilicet de mendacio vel periurio in iudicio faciendo, quae manifeste rationem mortalis habent, cum fiunt [8] in proximi nocumentum.

De qu[into] pluribus [mo]dis.

25. Circa quintum, scilicet *litterarum abusionem*, nota etiam multa peccata, quae committuntur hoc facto, scilicet *iniusta impetratio*, ut cum, veritate tacita, vel falsitate suggesta, litterae ad vexationem proximi impetrantur; *iniusta extensio*, ut cum, quis habet litteram ad aliquas personas specialiter, vel ad certum numerum personarum, vel ad certum negotium, et ultra litterae virtutem seu tenorem extenditur ad negotia vel personas. Item, *additio* vel *diminutio* per rasuram, vel *fictio*, cum quis bullam subtiliter raserit, vel bullam falsam facit, in quo ultimo casu, ipso iure maiorem [9] excommunicationem incurrit.

Ramus [prin]cipali[s se]cund[us]. Quinqu[e fru]ctu[s].

26. Secundus *ramus principalis*, qui ex avaritia procedit, est *inordinatus amor habiti* [10]; et ex hoc ramo hi *fructus* procedunt: *iniusta congregatio*, *immisericordia* seu incompassio, *restitutionis dilatio*, *irrecompensatio*, *illiberalitas*, de quibus est videndum, quomodo habent rationem peccati.

De pr[imo].

27. Circa primum, scilicet de *iniusta congregatione*, est notandum, quod iniusta congregatio est, cum quis bona sua seu fructus terrae suae [11] congregat solo ardore habendi, vel ut caristia procuretur, et res servatae postmodum carius vendantur, et iterum pretium reponatur. Et hoc quidem rationem mortalis habere potest, dum ibi intentio est ista congregandi nec dispergendi loco et tempore, sed solo ardore habendi et luxuriandi in eis. Et hoc exemplum patet in illo divite, de quo dicitur Lucae duodecimo [12], quod dicebat: *Anima mea, habes multa bona* etc.; cui responsum est: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam*, scilicet daemones etc.: ergo manifestum est, quod ibi faciebat peccatum mortale.

De se[cun]d[o].

28. Secundus *fructus* est *immisericordia in effectu*, cum scilicet proximus in arcta necessitate videtur, et scitur hoc, et non subvenitur ei, cum tamen omnia in necessitate debeant esse communia; et tunc potest esse mortale, et secundum hoc mali de defectu misericordiae iudicabuntur, sicut patet in Matthaeo [13]. Unde sic intelligit Ambrosius,

---

[1] Exod. 20, 7. Cfr. Bonav., III. Sent. d. 39. a. 1. q. 1. — Infra Vat. pro *iurat* habet *peccat*, et *peccare* pro *peierare*.

[2] Libr. II. Synonym. n. 58; postea alter locus est II. Sent. c. 31. n. 8, in quo textu fide originalis, cod. et ed. 1 supplevimus *intelligit*.

[3] In Vat. excidit *qui*, ed. 1 pro *illius qui vendit* habet perperam *vilius vendit*.

[4] Supra n. 15. — Pro *spiritualium* Vat. *circa spiritualia*, quae immediate post omittit *hoc*.

[5] Vers. 1: Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Seq. locus Scripturae est Matth. 10, 8.

[6] Ex cod. supplevimus *munere*.

[7] Pro *cedunt* cod. *procedunt*, qui deinde omittit *procedunt*.

[8] Cod. *fuerint*.

[9] In cod. deest *maiorem*.

[10] Vide supra n. 1. in fine.

[11] Fide cod. et ed. 1 supplevimus *suae*.

[12] Vers. 19. seqq.

[13] Hic et infra cap. 25, 42. seqq. Seq. locus Ambrosii refertur a Gratiano, d. 86. C. *Pasce* (c. 21.).

ubi dicit: « Pasce fame morientem; si non pavisti, occidisti ». — Non solum autem est in praecepto proximum iuvare in datione temporalium, sed etiam in aliis actibus misericordiae, sicut patet in Matthaei vigesimo quinto.

29. Tertius *fructus* est *restitutionis dilatio*. In illis enim casibus, in quibus non transfertur dominium, sicut in furto, usura, rapina et similibus, semper est detentor in mora et peccat mortaliter *retinendo*, licet poeniteat *accepisse*, si tamen adsit reddendi possibilitas vel opportunitas. Unde et Augustinus dicit[1]: « Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum ». In his autem, in quibus dominium transit in accipientem, sicut in mutuo, non est quis in mora nisi secundum conditiones appositas, et sic posset esse tantae conditionis transgressio in proximi laesionem, quod posset habere rationem mortalis.

De tertio.

30. Quartus *fructus* inordinati amoris temporalium est *irrecompensatio*, cum scilicet quis multa bona accipit ab alio et ex inordinato amore temporalium aliquid recompensare dimittit, quod manifeste est contra ius naturale. De hoc tamen secundum *radicem* iudicandum est, scilicet utrum hoc ex avaritia procedat, quae habeat rationem mortalis; qualis autem avaritia habeat rationem[2] mortalis, dictum est. — Sicut autem de irrecompensatione, ita et de *illiberalitate* dicendum est, cum quis non est liberalis in dando.

De quarto. De quinto.

CAPITULUM III.

Tertius ramus principalis est concupiscentia carnis.

1. Tertius principalis ramus, qui ex *radice* concupiscentiae et *trunco* malae voluntatis procedit, est carnis concupiscentia, secundum Ioannem in Canonica sua[3], scilicet in *quaerendo delectationem* et *vitando molestiam*. Et secundum hoc in duos ramos principales iste ramus dividitur. Primus autem ramus, qui in *quaestu delectationum* consistit, in duos ramos dividitur, quia quaedam est delectatio pertinens ad conservationem *individui* per actum refectionis, alia est pertinens ad conservationem *speciei* per propagationem seminis.

Divisio. Subdivisio.

2. Quantum autem ad primum specialiter peccatum *gulae* consistit. Est autem *gula*, secundum quod habet rationem peccati mortalis, inordinatus appetitus vel usus *nutrimenti*, rationem subvertens et avertens a Deo; et hoc patet in gula praecipue, qua quis praecepta Dei non timet praetergredi, ut delectamenta ciborum sequatur, et illa etiam, qua ratio subvertitur, cum ex deliberatione seu adversione rationis procedit, ut cum quis scienter se inebriat, vel naturam propriam gravat. Unde Gregorius trigesimo Moralium[4] sic loquitur de gula dicens, quod, dominante gulae vitio, « omne, quod egerint homines fortiter, perdunt ». Sicut autem alia vitia sua venialia habent, ita in gula, ut cum[5] circa actum nutritionis et desiderium non est inordinatio contra Deum nec aversio rationis, quia tales actus quandoque non sunt in potestate hominis. — Ex hoc autem ramo praecipue *tres rami* exeunt principales, scilicet *incontinentia gulae, immodestia* et *delectatio*.

De gula. Habet 3 ramos.

3. Circa primum, scilicet de *incontinentia gulae*, notandum est, quod istos fructus habet secum: *anticipationem, frequentationem* et *ieiunii fractionem*. — *Anticipatio* est, cum quis horam comedendi anticipat, quod potest fieri tempore *ieiunii*, vel *alio* tempore. Si autem tempore *ieiunii*, quod est in praecepto, cum hora comedendi secundum iura et consuetudinem assignetur post meridiem, qui horam notabiliter anticipat sine causa iusta[6], sola comedendi libidine, fraudem facit, nec tale ieiunium reputatur, ut si quis forte hora tertia comederet et sic se impleret, quod postmodum illa die non esuriret. Qui autem fraudem facit legi committit in legem; unde Chalcedonense Concilium[7]: « Nullatenus iudicandi sunt ieiunare qui ante comedunt, quam vespertinum celebretur Officium, quod tempore quadragesimali dicitur, alias autem post Nonam ». — Item, ista anticipatio fit etiam *alio* tempore, ut multi, qui volunt comedere statim, quando de lecto exeunt, sicut bruta animalia; etiam quandoque absque aliquo appetitu ex prava consuetudine, quod est grave peccatum et vix potest contingere, quin a *radice* mortali procedat.

Primus habet 3 fructus. De primo.

4. Secundus *fructus* est *frequentia cibi vel potus*, quod, nisi cogat aetas vel infirmitas vel iusta necessitas, manifeste contra rationem est peccatum; quam prohibet Apostolus ad Galatas quinto[8], quod ponit comessationem inter *opera carnis*, de quibus dicit, quod *qui talia agunt regnum Dei non possidebunt*. Per quod patet manifeste, quod aliqua comessatio habet rationem mortalis, cum scilicet procedit ex gula eo modo, quo habet rationem mortalis. Quando autem habeat rationem hanc, dictum est superius[9].

De secundo.

5. Tertius *fructus* incontinentiae gulae est *fractio ieiunii* ab Ecclesia instituti vel secundum Ecclesiae consuetudinem obtenti[10], quod fit in *numero* et *qualitate*: in *numero comestionum*, pluries comedendo; in *qualitate cibi*, cibum vetitum comedendo, ut comedendo carnes, vel lacticinia et huiusmodi in Quadragesima. Et de hoc ieiunio est sciendum, quod quicumque hoc ieiunium non observat absque dispensatione superioris, vel iusta necessitate laboris necessarii, vel paupertatis notabilis, vel aetatis, vel infirmitatis, est transgressor praecepti, et sic peccatum mortale committit. Unde Hieronymus ad Lucinium[11], loquens de ieiunio, dicit: « Unaquaeque provincia abundet in suo sensu et praecepta maiorum leges apostolicas arbitretur »; per quod patet, ieiunium esse in praecepto.

De tertio.

6. Secundus *ramus principalis* gulae est *immodestia*, scilicet cum in nutriendo corpus modus debitus non servatur; et duos *fructus* habet, scilicet *aviditatem* et *nimietatem*. Est autem *aviditas* inordinata in comedendo gulositas et est peccatum, cum motus brutales et inordinatos debeat refrenare; et potest quandoque sine peccato

Secundus ramus habet 2 fructus. De primo.

---

[1] Epist. 153. (alias 54.) ad Maced. c. 8. n. 20. — Supra post *furto* in Vat. deest *usura*.
[2] Vat. inepte *radicem* pro *rationem*. — De hoc dictum est supra n. 1.
[3] Epist. I. Ioan. 2, 16. — Infra pro *in quaestu* Vat. *ex quaestu*.
[4] Cap. 18. n. 59.
[5] Vat. diffusius sic: *ita etiam gula venialia habet. Ubi.* Infra pro *aversio rationis* substituendum videtur *subversio rationis*.
[6] In Vat. deest *iusta*.
[7] Fortasse legendum *Cabilonense*; cfr. Gratian., de Consecrat. d. I. C. *Solent* (50). — Infra post *bruta* Vat. omittit *animalia*.
[8] Vers. 21.
[9] Supra n. 2.
[10] Verba *vel secundum* usque ad *obtenti* desunt in Vat. Ed. 1 pro *obtenti*, *quod* habet *instituti, quod*.
[11] Epist. 71. (alias 28.) n. 6.

esse, ut cum homo non subiacet suae potestati; et quandoque est veniale, ut cum non ita reprimit, sicut decet; et potest esse mortale, si ex radice mortali procedat, sicut de *frequentia* dictum est.

De secundo cum aliis fructibus.

7. Secundus autem *fructus* immodestiae in cibo est *nimietas*, ut cum quis comedit in nimia quantitate, vel bibit. Ex hoc fructu nascitur *corporis gravitas et infirmitas, mentis hebetudo et caecitas, iudicii praecipitatio, incircumspectio, ebrietas* [1], *loquacitas, inepta laetitia et dissolutio.* — Circa materiam istam notandum in generali, quod ille *nimis* dicitur comedere, qui ultra commoditatem naturae comedit et est contra rationem, et per consequens peccatum, cum actus nutritionis sit ad conservationem individui, et per talem culpam fiat naturae subversio; unde patet, quod ibi est abusio et peccatum. Et tantum in gravamen naturae procedere potest, si *ex deliberatione* fiat, quod habebit rationem mortalis. *Ex deliberatione* autem dico, quia quandoque ex passione famis vel praetextu aestimatae necessitatis hoc potest fieri, quod de facili non esset iudicandum mortale.

De primis.

8. Cum hoc [2] autem fructu, ut dictum est, est *corporis gravitas et infirmitas*, quae ex nimia cibi sumtione procedit, et *hebetudo mentis et caecitas*, quae, licet magis rationem *poenae* quam *culpae* habeant, tamen causa peccati esse possunt, cum quis ratione infirmitatis vel gravitatis corporis iam non *potest facere* id, ad quod a natura ex praecepto tenebatur, vel ex nimia sumtione cibi vel potus in talem hebetudinem vel caecitatem mentis incidit, quod necessaria ad salutem *non cogitat* nec diiudicat et transgreditur, vel sententiam vel verbum *praecipitat* in proximi nocumentum. Et tunc manifeste non excusatur, quin talibus possit peccare mortaliter in talium omissione, cum factus sit ineptus ad talia exercenda dando operam rei illicitae. Et haec intelligo, nisi amisisset totaliter rationem, vel forte corporis potestatem eo modo, quo de ebrietate dicitur.

De ebrietate.

9. De *ebrietate* autem notandum, quod, si quis sciens [3] vini vel liquoris fortitudinem, advertens, quod ex eius nimia sumtione potest ebrietatem incurrere, nimis sumendo peccat mortaliter, quia scilicet usu rationis se privat et omnium peccatorum periculis se exponit. Unde Ambrosius in libro de Patriarchis [4]: « Vitandam discimus ebrietatem, per quam crimina vitare non possumus. Nam quae sobrii cavemus per ebrietatem ignorantes committimus »; et Apostolus ad Galatas [5] inter opera mortalia ebrietatem connumerat. Potest tamen ebrietas contingere absque mortali peccato et etiam veniali, ut cum quis liquoris fortitudinem non cognoscit, vel liquorem inebriantem pro alio bibit, vel siti ducitur non advertens. Unde Augustinus contra Faustum [6] Lot de ebrietate excusat. Cum autem quis ratione ebrietatis vel occasione peccatum mortale ignoranter postmodum committit, si mortalis fuit ebrietas, non *totaliter* excusatur; tamen, secundum quod ratio voluntarii diminuitur, sic peccatum excusatur a *tanto*, licet non a *toto*. Si autem ebrietas absque peccato contingit, tunc a peccato mortali excusari potest. Unde Augustinus Lot ebrium ab incestu excusat, dicens contra Faustum: « Lot culpandus, non quantum incestus, sed quantum ebrietas meruit ». Tamen, cum quis ad se redierit, debet de illo peccato dolere, ut credo, et etiam confiteri, quia ad superiorem pertinet iudicare, utrum talis fuerit ebrietas, quae peccatum valeat excusare.

De loqu[acitate multi]plici

10. Item, *folium* istius immodestiae est *loquacitas*, quae multa folia secum habet, scilicet *multiloquium, vaniloquium, stultiloquium, turpiloquium,* de quibus [7], cum « voces sint signa intellectuum », iudicandum videtur secundum rationem *radicis*.

De ine[pta] laetitia [et] dissolut[ione]

11. Ultimus *fructus* nimiae comestionis est *inepta laetitia* et *dissolutio*, quae sortiuntur rationem peccati secundum *radicem* et in aliquibus secundum *scandalum*, ut cum ratione status vel officii scandalum [8] vel occasio scandali datur, quod tantum esse poterit, quod habebit rationem mortalis.

Ramus [principal]is 3. cum [fru]ctibus.

12. Tertius *ramus principalis*, qui ex *gula* procedit, est inordinata *delectatio* et hos *fructus* etiam secum habet, scilicet *sollicitudinem* in quaerendo, *studiositatem* in praeparando, *multiplicitatem* in diversificando, *carestiam* in emendo, *voracitatem* in sumendo, quae rationem peccati sortiuntur secundum rationem *radicis* et *personarum* et *statuum*, vel secundum quod in talibus fit ita notabilis *superfluitas atque sumtus*, quod pauperum indigentia et necessitas hoc faciat habere rationem mortalis, eo modo, quo superius de prodigalitate est dictum.

Secund[us ra]mus [princi]palis [con]cupisce[ntiae] est lu[xuria]

13. Secundus *ramus principalis*, qui ex radice *carnalis concupiscentiae* procedit, est delectatio inordinata circa actum, qui pertinet ad conservationem *speciei*, ut dictum est supra, quae *luxuria* appellatur, quae quidem habet rationem peccati, in quantum repugnat rationi vel naturae, et habet rationem mortalis, sicut patet quinto [9] ad Galatas, ubi inter *carnis opera* computatur. Hic autem ramus cum praecedenti ramo convenienter inseritur, quia ex gula procedit et gula ei materiam administrat, quia semen, secundum Philosophum, est « superfluum alimenti ». Sicut autem dictum est de aliis peccatis, quod motus proprios habent et diversos [10], qui praeveniunt rationem, nec adhibetur consensus, nec habent rationem mortalis; sic etiam de luxuria est dicendum.

Rami [spe]ciales

Inhon[est]as quadr[...]

14. Ex hoc autem ramo *tres rami speciales* procedunt, qui sunt: *inhonestas, carnalis affectio* et *incontinentia.* — *Inhonestas* hos fructus emittit, quia est inverecunda in *verbo*, in *gestu*, in *facto*, in *habitu*. Circa *inverecundiam* hoc est advertendum, quod, licet sit passio, tamen ex vitio oritur. Cum enim inverecundia sit de turpi proprie, quia qui inverecundus est turpia videtur diligere; unde de ipsa iudicandum est secundum rationem *radicis*. Neque enim quandoque est in potestate hominis, quando voluerit verecundari, quia huiusmodi passiones ut frequenter complexionem sequuntur.

---

[1] In cod. additur *ebriositas;* infra vero post *naturae comedit* Vat. subiungit *et bibit.*
[2] Vat. *Ex hoc* pro *Cum hoc*, et infra *gravitatis carnis* pro *gravitatis corporis*, et deinde post *facere* superflue addit *nec implere.*
[3] Cod. pro *sciens* habet *scienter*, addens *et* post *fortitudinem.* [4] Cap. 6. n. 57. Pro *discimus* ed. 1 *dicimus.*
[5] Cap. 5, 21.
[6] Libr. XXII. c. 44. Ibid. est etiam seq. locus eiusdem.
[7] Pro *de quibus* cod. *unde;* cfr. supra pag. 630, nota 10.
[8] In Vat. exciderunt verba *ut cum* usque *scandalum*, et deinde habet *seu occasionem scandali, quod,* omittens *datur.*
[9] Vers. 19. Hic in cod. ad marginem legitur *De luxuria et eius ramis.* Seq. locus est Aristot., l. de Generat. animal. c. 18; cfr. tom. II. pag. 479, nota 5.
[10] Vat. omittens *habent* legit *proprii et diversi.*

15. Circa inhonestatem in *gestu*, vel *facto*, vel *verbo* sciendum, quod multum ex *affectu* pensantur, vel secundum quod ex hoc ratione temporis vel loci vel personae potest oriri *scandalum;* et tunc ex aliqua circumstantia posset tantam praestare occasionem scandali [1], quod posset habere rationem mortalis, ut si forte persona religiosa vel posita in exemplum choreas vel tripudia duceret, vel si forte a quocumque in Parasceve talia exercerentur. Inhonestas autem in *verbo*, quae *scurrilitas* dicitur, de qua dicit Apostolus [2]: *Nec nominetur in vobis*, ex *affectu* pensatur, vel secundum *scandalum* ratione personae, vel secundum quod verba talia alios ad malum incitant, cum et tali intentione dicuntur, et sic posset habere rationem mortalis. Et sic etiam de choreis et cantilenis et lusibus intelligendum est. Per haec igitur, quae dicta sunt, patet, quomodo histriones, saltatrices et tales ioculatores, qui inhonestis verbis et factis homines faciunt delectari, non pensantes, quae verba vel facta proferant, dum tamen possint pecuniam extorquere, non sunt in statu salutis. *Dare* etiam talibus est in peccato fovere; unde Augustinus super Ioannem [3]: « Dare res suas histrionibus vitiosum est ». Qui autem talia exercent officia absque inhonestate ad recreationem hominum, cum quandoque talis recreatio sit laetitia et virtus, etiam secundum Philosophum, quae *eutrapelia* nominatur, non tales damnandi, nec talibus *dare* iudicatur peccatum.

16. Circa inhonestatem *habitus* notandum, quod iste *fructus* quatuor secum habet, scilicet *superfluitatem*, *pretiositatem*, *curiositatem*, *inhonestatem*. — *Superfluitas* autem consistit in duobus, scilicet in [4] *numero* et *mensura*, ut cum habentur vestes plures, vel nimis latae vel defluentes. — Item, *curiositas* in veste duobus modis invenitur, scilicet in *colore* et *modo* facturae. — *Inhonestas* autem est, cum modus facturae vestium impudicitiam praetendit et ad malum provocat, ut pretiosarum vestium vel circa collum et guttur tale quid [5]. — Huiusmodi autem inhonestatis *fructus* sunt *unctio*, *lotio*, *deceptio*, *compositio*, *multiplicatio*, *adinventio*, ut cum fiunt unctiones vel lotiones ad acquirendum colorem, vel deceptiones in mutando capillos vel fucando caput et huiusmodi. Item, *compositio*, ut cum nimis stricti sotulares [6], vel singularis modus in compositione servatur. Item *multiplicatio iocalium*, et *adinventio novi modi* in talibus, quae omnia, quomodo rationem peccati habeant, videamus.

17. Circa igitur hanc materiam est notandum, quod ista quatuor possunt habere rationem peccati vel ratione *perversae intentionis*, vel *contrariae consuetudinis*, vel *conditionis personae*, vel *temporis;* vel ratione *radicis* possunt habere rationem peccati, ut cum ista ex superbia oriuntur et ad inanem gloriam ordinantur, vel cum ista fiunt intentione placendi et ad luxuriam provocandi; et si *radix* mortalis sit, et *ramus* mortalis erit. Dicit enim Augustinus [7], quod non solum *appetere*, sed etiam *appeti velle* criminosum est.

18. Haec etiam ratione *consuetudinis contrariae* possunt habere rationem peccati, ut cum quis quaerit habitum, qui consuetudini terrae non congruit, vel unguentis utitur, vel modo ornatus cedit [8] in scandalum proximorum, ut si vir veste muliebri uteretur et e converso et huiusmodi. Et ita talibus tanta posset dari occasio scandali, quod posset iudicari mortale. Unde Augustinus tertio libro Confessionum [9]: « Consuetudo vel lex terrae nulla civis vel peregrini libidine violetur ». — Item, ratione *conditionis personae*, quia alius habitus decet clericum vel personas ecclesiasticas, alius personas laicas, alius divitem, alius pauperem, alius viduam, alius coniugatam. In hoc igitur potest contingere ratio peccati, secundum quod quaelibet persona suum statum in aliquo praedictorum excedit, ut si forte tot paria vestium velit habere burgensis aliqua, quot regina, et sic de aliis. Unde sic potest in talibus excedere statum suum, quod oportet concludi, quod ex aliqua mala radice procedat et quod vergat in scandalum proximorum.

19. Quarto, ratione *temporis*, ut cum quis utitur talibus et talia multiplicat tempore necessitatis pauperum, ut cum tanta est caristia, quod pauperes arctam indigentiam patiantur, quod deberent pauperibus erogari quae in talibus superfluitatibus expenduntur; et tanta posset esse ex una parte superfluitas, et ex alia tanta indigentia, quod posset habere rationem mortalis eo modo, quo dictum est de prodigalitate.

20. Secundus *ramus* luxuriae *principalis* est *carnalis affectio*, quae duobus modis contingit: vel secundum quod aliquis ad carnem *suam* seu corpus inordinate afficitur, vel etiam ad *alium*. Primum autem istorum *cura carnis* vocatur, de qua dicit Apostolus ad Romanos [10]: *Curam carnis ne feceritis in desideriis*. Huius autem *rami* sunt multi *fructus*, secundum diversa opera, in quibus consistit carnalis delectatio, et secundum hoc est mollities in *vestibus*, in *culcitris*, in *lineis;* in *sedilibus* et in *lectis* quies corporis; item, sollicita *cautio adversitatis*, vel frigoris, caloris, famis et huiusmodi; et ista, licet de se non habeant rationem mortalis, tamen circa ista tanta potest esse sollicitudo, quod ista praeponuntur amori divino, vel aliquod divinorum praeceptorum omittitur, vel aliquid contra Deum fit, ut talia habeantur.

21. Item, *carnalis affectio* quandoque habetur, ut cum quis ratione eorum quae ad carnem pertinent, inordinate diligit; potest *carnalis affectio* nuncupari. In hoc autem potest esse duplex excessus, scilicet in *affectu* et *effectu*. In *affectu* autem potest esse duplex: vel secundum quod *caro* sonat in naturam, secundum illud Apostoli ad Ephesios [11]: *Carnem suam nemo odio habuit;* vel secundum quod sonat in *vitium*, secundum illud: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*. Primo modo, quando est excessus in diligendo filios vel parentes, ut cum amor Creatori praeferatur, ut si quis Deum offendere magis eligeret, quam amorem talium amittere, vel eorum quodcumque detrimentum videre, quod esset peccatum mortale

[1] Cod. *scandalo*. Deinde pro *a quocumque* Vat. perperam *quaecumque*.
[2] Eph. 5, 3. — Supra post *Inhonestas* pro *autem* cod. *etiam*.
[3] Tract. 100. n. 2. — Sententia illa est in Aristot., Ethic. II. c. 7. et IV. c. 8. — Vat. ante *eutrapelia* omittit *quae*.
[4] Vat. omittit *scilicet in*. — De *pretiositate* habitus textus tacet.
[5] Vat. *quod* pro *quid*, ac *Huius* pro *Huiusmodi*.
[6] Du Cange, Glossarium: *Sotulares*... genus calceamentorum.
[7] Regula ad servos Dei, n. 6; Epist. 211. (alias 109.) n. 10.
[8] Vat. *ornat et incedit* pro *ornatus cedit*.
[9] Cap. 8. n. 15. — Infra Vat. pro *alius habitus* ponit *aliud*, et post *ecclesiasticas* prosequitur *vel praelatum et Religiosum, aliud personas laicas*, deinde post *In hoc* habet *etiam* pro *igitur*.
[10] Cap. 13, 14.
[11] Cap. 5, 29. Seq. locus est I. Cor. 15, 50.

secundum verbum Domini dicentis [1]: *Qui amat patrem, aut matrem, aut filios plus quam me, non est me dignus.*

22. Est autem alius *amor carnalis*, secundum quod Secundum. *caro* sonat in *vitium*, qui ex corruptione carnis nascitur, ut cum quis ad aliam personam sic quandoque afficitur, quod, licet in actu peccati consensus non interveniat, tamen ad actum illum talis affectio aliqualiter ordinatur; quod ex eius *fructibus* comprobatur, cum scilicet ex mutua collocutione vel societate vel aspectu vel visu carnis stimuli oriuntur. Constat autem secundum Apostolum ad Romanos [2], quod *si rami sint mali, et radix etiam mala erit.* Hoc etiam patet, quod habet rationem peccati, quia ex tali affectione ratio amittit dominium, et voluntas etiam rationem quandoque sequi non potest, tali affectione ligata, cum scilicet affectus trahatur ad cogitandum de re amata, nec sit in potestate eius cogitationem dimittere; insuper et ad Dei dilectionem [3] elevari non potest, tali affectione depressa; insuper et quandoque corporis detrimentum incurrit. Cum igitur aliquis se scienter inebrians, quia usum et potestatem rationis voluntarie amittit et in corpus proprium peccat, quia ex hoc deterioratur in corpore; multo amplius videtur, quod qui in talem affectionis servitutem se scienter iniicit [4], cum non ita cito sicut ebrietas transeat, peccat mortaliter. Unde et hoc videtur dicere Augustinus in Speculo, cum de talibus dicit: « Secundum concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, et intactis etiam ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus ».

23. Sicut autem supra [5] dictum est, quod quandoque Notandum. ebrietas rationem mortalis non habet, cum aliquis fortitudine vini vel conditione decipitur non advertens; sic et si quis per contubernium personae alicuius in talem affectionem incidat non advertens, non iudicarem peccatum, sed potius passionem. Si tamen advertens affectionis periculum fovet et affectionem nutrit, iam in talem affectionem consentit. Si autem aliquis talem affectionem sentiret, et semper displiceret eidem, aut si esset urgens necessitas, vel magna utilitas convivendi vel colloquendi vel consolandi personas huiusmodi; non crederem iudicandum mortale, nisi per talem affectionem sentiret in se notabile detrimentum spiritualium. Et si forte talis esset persona, quam oporteret actus spirituales exercere, et per hoc impediretur, ne posset implere officium competenter; tunc, licet in societate personae illius posset sequi utilitas, tamen ex ordine caritatis tenetur occasionem vitare, cum damnum suum magis quam alterius vitare teneatur.

24. Item, ex affectione carnali in *effectu* oritur *acceptio personarum* et *perversio ordinis caritatis* et *favor mali*. — Circa primum, scilicet de *acceptione personarum*, est notandum, quod *acceptio personarum* est, cum alicui personae aliquid utilitatis impenditur, cum tamen illud idem faciendi alteri maior ratio inveniatur; et hoc quidem ex affectione inordinata oritur et contra Legem, iuxta illud Deuteronomii primo [6]: *Non accipietis cuiusquam personam.* Haec autem *acceptio personarum* quadruplicem *fructum* habet, quia in *beneficiis, electionibus, honoribus* et *iudiciis.* — In *beneficiis* est dupliciter, ut cum dantur *beneficia ecclesiastica* et *temporalia.* Circa collationem *beneficiorum ecclesiasticorum* tunc intelligo acceptionem personarum habere rationem mortalis, cum beneficium ecclesiasticum alicui indigno confertur, scienter dignis postpositis, sive sit intuitu consanguinitatis, vel etiam beneficii temporalis, vel affectionis specialis; similiter autem et indignum [7] *eligere* ad dignitatem Ecclesiae, contempto paupere instructiore. Unde Augustinus super illud Iacobi secundo: *Nolite in personarum acceptione* etc.: « Quis, inquit, ferat, si quis divitem eligat ad sedem honoris Ecclesiae, contempto paupere instructiore et sanctiore » ?

Secundum, in effectu. De hoc tria. Primum principale.

Fructus quadruplex. Primum; secundum duplici; primo

25. Si autem sint *temporalia beneficia*, sic in eis potest esse personarum acceptio mortale peccatum in *necessitatis articulo*, quando quis tenetur beneficium conferre ex praecepto, ut cum datur beneficium illi qui non indiget, ratione alicuius particularis amoris, et ille qui est in arcta necessitate, contemnitur. In his autem, in quibus non tenetur quis dare, non cadit acceptio personarum, secundum illud Matthaei [8]: *Aut non licet mihi quod volo facere?*

Secundo

26. Circa tertium, scilicet de acceptione *in honoribus*, est notandum, quod cum quis solum ratione divitiarum honoratur absque ratione virtutis vel status, peccatum est, secundum illud Glossae [9]: « Quicumque divitem propter divitias honorat, peccat ». In hoc autem posset habere rationem mortalis, ut si quis pauperes sanctos contemneret nec eis ratione sanctitatis honorem praestaret nec aliquem nisi divitem vel potentem honorare vellet, cum secundum Philosophum [10], « honor non sit aliud nisi testimonium virtutis ».

Tertio

27. Circa quartum hoc notandum videtur, quod qui sic personam in *iudicio* accipit a vero iudicio deviando, manifeste facit contra iustitiam et proximi caritatem, et ita non est dubium, quin peccet mortaliter; unde et contra Legem est, quae dicit [11]: *Non accipies personam nec munera, ut a vero* iudicio *devies.*

Quarto

28. Circa secundum principale, quod ex affectione carnali oritur, scilicet de *perversione ordinis caritatis*, hoc primo notandum est, quod caritas ordinata esse debet, secundum illud Cantici [12]: *Ordinavit in me caritatem.* Quatuor autem sunt secundum caritatem diligenda per ordinem: *Deus, nos, proximus* et *corpus nostrum.* Hic autem ordo est necessarius ad salutem respectu bonorum spiritualium, scilicet quod amor alicuius creaturae Deo nullatenus praeferatur; item, quod non faciat aliquis peccatum propter dilectionem proximi; item, quod corpus proprium non tantum diligat, quod ex hoc aliquod [13] peccatum vellet committere; item, quod salutem proximi proprii corporis dilectioni praeponat.

Secundum principale. Quatuor diligenda.

29. Tertius *fructus* affectionis carnalis est *favor mali*, et hoc fit multis modis; quandoque enim ex familiari

Tertium principale.

---

[1] Matth. 10, 37.
[2] Cap. 11, 16.
[3] Vat. *delectationem* pro *dilectionem.*
[4] Cod. *immiscet* pro *iniicit.* Porro locus August. est in Regula ad servos Dei, n. 6. et Epist. 211. (alias 109.) n. 10.
[5] Num. 9. — Infra pro *sed potius* Vat. *immo potius*, et deinde *Si inde* pro *Si tamen.*
[6] Vers. 17.
[7] Vat. *divitem*, melius legeretur *divitem indignum.* Seq. locus August. super Iac. 2, 1. est in Epist. 167. (alias 29.) c. 5. n. 18.
[8] Cap. 20, 15. — Supra ante *particularis* Vat. omittit *alicuius.*
[9] Glossa *interlinearis* in Iac. 2, 1.
[10] Aristot., I. Rhetor. c. 15. et 29. (c. 5. et 13.), IV. Ethic. c. 3. et VIII. c. 14.
[11] Deut. 16, 19; cfr. Exod. 23, 2.
[12] Cap. 2, 4. — De illis quatuor cfr. Bonav., III. Sent. d. 28. q. 6. et d. 29. q. 1. seq.
[13] Vat. pro *aliquod* habet *aliquo modo.*

affectu [1] contingit, quod peccatum alterius dissimulatur, et secundum hoc est *incorrectio, consensus, procuratio* seu adiutorium et *communicatio in casu illicito.* — Circa primum notandum, quod *correctio* proximi est omnibus in praecepto, cum tamen scitur, vel creditur, quod correctio peccatum impediat, quod alias fieret. Et licet sit omnibus in praecepto, illis tamen praecipue, quibus incumbit ex officio, ut sunt domini, principes, praelati, qui [2] magis in hoc peccare possunt. Quod autem correctio sit omnibus in praecepto, patet per Augustinum de Verbis Domini: «Si negligis corrigere, peior factus es eo qui peccavit».

30. Item, *procuratio peccati* et *consensus* in peccatum et *adiutorium* quodcumque et *participatio*, si sint respectu peccati mortalis, erunt eiusdem generis, secundum Apostolum ad Romanos [3] dicentem: *Qui talia agunt digni sunt morte, et non solum qui talia agunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

31. Tertius *ramus* carnalis concupiscentiae est, ut dictum est [4], *incontinentia*, quae praecipue circa actus venereos consistit. Ex hoc ramo procedit *turpis imaginatio, motus carnalis, delectatio simplex et morosa, adversio periculi, consensus in delectationem* et *consensus in opus* et deinde *fructus operis malus.* — Circa materiam istam notandum est, quod in *consensu in delectationem* primo mortalis ratio invenitur. Sicut enim dicit Augustinus [5]: Si mente delectatio teneatur et voluntate cum adversione periculi; et in delectationem huiusmodi consentit, etiam si in opus extrinsecum non interveniat consensus; nihilominus est mortale peccatum, et propter hoc totus homo damnabitur. — De *consensu* autem in *opus mortale,* quin habeat rationem mortalis, non est dubium; *fructus* autem operis per quinque sensus distinguitur, scilicet in *auditu, visu, odoratu, loquela et tactu.*

32. In *auditu* autem multiplex contingit peccatum luxuriae, prout luxuria in inordinatam delectationem ducit, scilicet in curioso auditu *rumorum, instrumentorum musicorum, cantilenarum scurrilium* et *verborum inhonestorum;* quae omnia videntur iudicanda secundum habitum, quo quis movetur ad audiendum talia, scilicet secundum *conditionem radicis.* — *Visus* etiam inordinatus pestiferos fructus habet. Aspectus *pulcritudinum* et visus *delectabilium* cum inordinatione delectationis et curiosus aspectus *mulierum;* item, aspectus, signa et nutus; item, aspectus *factorum impudicorum et motuum* seu carnalium peccatorum, de quibus Augustinus in Speculo [6]: «Nec dicatis, vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius. Et cum sibi mutuo aspectu corda nuntiant impudica, etiam alterutro delectantur ardore, intactis ab immunda violatione corporibus, fugit ipsa castitas de moribus». Secundum hoc igitur satis potest patere, quoniam inordinati aspectus possunt habere rationem mortalis, cum scilicet ex malo consensu periculum grave et probabile peccati mortalis in se vel in alio advertitur ex aspectu, quoniam, secundum Salomonem [7], *qui amat periculum in illo peribit.* — De *odoratu* autem iudicandum est secundum conditionem *radicis.* — De *loquela* autem, secundum quod ex carnali concupiscentia oriri videtur, multi prodeunt fructus, scilicet *scurrilitas,* de qua iam dictum est [8], cum de inhonestate verborum fecimus mentionem; item, *incitatio* vel *provocatio* ad peccatum verbo vel scripto vel nuntio; item, *attractio* per verba dulcia, quae affectu pensantur.

De tactu.

33. Circa *tactum* hoc advertendum videtur, quod in tactibus multiplex peccatum invenitur, secundum quod loca, circa quae tactus contingit, habent maiorem inhonestatem et magis possunt ad luxuriam provocare. Unde hoc circa istam materiam est tenendum, quod libidinosi tactus et oscula absque etiam consensu in opus carnale habent rationem peccati mortalis, secundum quod in eis quaeritur [9] delectatio carnalis voluntarie et deliberative. Unde super illud ad Ephesios: *Fornicatio et omnis immunditia* etc., dicit Glossa: «In osculis et amplexibus»; de quibus dicit Apostolus ibidem, quod *non habent hereditatem in regno Christi et Dei.* Hic autem tactus distinguitur, quia vel fit in personam *propriam,* vel in *aliam,* et eodem modo habet rationem peccati.

Corruptio carnis duplex.

34. Cum tactu autem ponitur *corruptio carnis,* quae *pollutio* dicitur, quae duobus *modis* contingit: aut per *actum tactus* seu *imaginationem* delectationis morosae, aut per *actum carnalem.* Si primo modo per *tactum* vel *imaginationem,* hoc contingere potest dupliciter: aut *dormiendo,* aut *vigilando.* Circa pollutionem in *somno* hoc breviter est notandum, quod talis pollutio secundum se non habet rationem peccati, eo quod tunc liberum arbitrium vinctum sit, scilicet per comparationem ad *causam* [10]. Potest autem contingere ex superfluitate cibi vel potus vel ex turpi imaginatione in vigilia praecedente. Quodsi causa mortalis fuit, puta, quia vigilando consensit, vel actum gulae mortalem exercuit, secundum hoc pollutio est signum gravioris, et tunc dictae circumstantiae sunt in confessione dicendae. Cum autem talis pollutio illusione diaboli, vel debilitate retentivae, vel virtute exclusivae contingit, nec adest complacentia; non habet rationem peccati. De pollutione autem *vigilando* sic distinguitur, quod si est procurata per tactum, vel imaginationem voluntariam quoquo modo, vel per auditum, vel visum, vel motum, omnis enim talis resolutio, si sit procurata, vel si consensus interveniat, est mortalis quocumque modo. Et si semen extra vas naturale voluntarie emittatur, habet rationem mortalis peccati, quae *mollities* dicitur [11], quod etiam contra naturam est. — Si autem in tactu sit *sexus mutatio,* etiam gravissimum est peccatum, et talia peccata nec nominari debent et *ignominiosa* dicuntur.

De secundo dupliciter.

35. Potest etiam huiusmodi pollutio contingere per *actum carnalem,* et hoc dupliciter: quia vel per actum *matrimonialem,* vel per actum *moechiae.* In actu autem *matrimoniali* potest contingere deordinatio in *modo,* in *tempore* et in *causa.* In *modo* quidem peccatum est, cum

Circa primum triplex deordinatio.

---

[1] Vat. *amore* pro *affectu.*

[2] Vat. *et* pro *qui.* — Seq. locus est August., Serm. 82. (alias 16. de Verbis Dom.) c. 4. n. 7.

[3] Cap. 1, 32. — Supra pro *et consensus* Vat. perperam *est consensus.*

[4] Supra n. 14.

[5] De Genes. contra Manich. II. c. 14. secundum sensum.

[6] Sive Regula ad servos Dei, n. 6. et Epist. 211. (alias 109.) n. 10; cfr. supra pag. 637, nota 7.

[7] Eccli. 3, 27.

[8] Supra n. 15.

[9] Vat. *oritur* pro *quaeritur.* Sequitur Glossa *interlinearis* super Eph. 5, 5. et Scriptura citatur ibid. v. 3.

[10] In Vat. excidit *ad causam.* Infra post *in confessione* eadem addit *notandae vel.*

[11] In Vat. deest *quae mollities dicitur.*

modus, qui naturae non congruit, invenitur; in *tempore* autem, cum tempore menstruorum debitum exigitur, quod est contra Legem; si scienter fiat, est peccatum mortale. Item, cum tempora orationi, honestati et festivitatibus Sanctorum deputata non observantur, quod tamen mortale non dico. — Item, in *causa*, cum in actu huiusmodi non proles, sed carnis delectatio quaeritur, quod licet excusetur per matrimonium, tamen posset habere rationem mortalis, si usque ad hoc inordinatio extendatur, quod imaginando alienam mulierem cognoscat propriam, vel si eo affectu cognoscatur, quod, etiam si uxor propria non esset, vellet nihilominus delectationem complere.

36. Si autem per actum *moechiae* talis inordinatio compleatur, secundum hoc huiusmodi peccati sex species distinguuntur, scilicet simplex *fornicatio*, solutus cum soluta; *adulterium*, ligatus cum ligata, vel altero ipsorum ligato; *stuprum*, in defloratione virginum; *raptus*, qui consistit in violenta mulieris cognitione; *incestus*, qui est, cum cognoscitur consanguinea, vel affinis; *sacrilegium*, cum scilicet Deo dicatae virgines vel viduae cognoscuntur, vel in sacro loco talia exercentur. Haec omnia habent [1] rationem mortalis.

Moechiae 6 species.

37. Secundus ramus principalis concupiscentiae [2], qui ex carnis corruptione contingit, ut dictum est supra, est *inordinatio in evitandis adversis*, et ex hoc ramo procedit vitium capitale, quod *accidia* nominatur. Est autem *accidia* [3], prout est vitium capitale et speciale, tristitia quaedam aggravans, quae ita deprimit animum hominis, ut eidem nihil agere libeat et maxime bonum aliquod spirituale. Habet autem rationem peccati mortalis, in quantum quis per talem tristitiam bona spiritualia devitat deliberative, nec placent ei; quod frequenter ex carnis corruptione procedit, in quantum scilicet aliquis curam carnis agens spiritualia refugit, carne contra spiritum dominante. Unde a Gregorio trigesimo primo Moralium [4] inter capitalia vitia computatur. Sicut autem de aliis est praedictum, non quaelibet accidia nec quilibet motus accidiae habet rationem mortalis, sed oportet, quod ex deliberatione procedat. Ex hoc ramo procedunt, secundum Isidorum de Summo Bono [5] et secundum Gregorium trigesimo primo Moralium, alia vitia, quae sunt *pusillanimitas, torpor, evagatio mentis, instabilitas corporis, tristitia cordis* et *desperatio*.

Divisionis primae membrum 2, seu accidia.

Inde sex vitia.

38. Circa primum, de *pusillanimitate*, sciendum, quod ille *pusillanimis* dicitur, qui animum pusillum habet ad exsequendum bona opera, quae faciliter operari posset. Unde sicut *praesumtio* habet rationem peccati, quia per eam tendit homo ad ea quae eius potestatem excedunt; ita et *pusillanimitas* est peccatum, dum recusat tendere in illud bonum, quod commensuratum est suae potentiae [6]. Et inde est, quod *servus*, qui *accepit pecuniam domini sui et fodit in terram* nec operatus est ex ea propter quendam pusillanimitatis timorem, punitur a domino, ut patet Matthaei vigesimo quinto et Lucae decimo nono. Habet autem pusillanimitas rationem mortalis, cum pusillanimitate dimittuntur necessaria ad salutem, ut divina praecepta. Posset nihilominus habere rationem mortalis in casu, ut si quis detrimentum fidei, vel damnum proximi spirituale, vel etiam temporale ex pusillanimitate defensionis, praedicationis vel correctionis dissimularet. Unde Gregorius in Pastorali [7] dicit, quod illi qui prodesse utilitati proximorum refugiunt, « si districte iudicentur, ex tantis rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt ».

De primo.

39. Ex *ramo* autem *pusillanimitatis* procedit *timor servilis, mundanus* et *humanus*, qui eodem modo, sicut de pusillanimitate dictum est, sortiuntur rationem peccati. Est autem timor *servilis*, cum quis ut servus dimittit malum facere, non propter dilectionem, sed propter poenae timorem. Timor autem *humanus* dicitur, cum quis, parcens carni suae, spiritualia bona refugit, quae carnis delectationibus adversantur. Est autem timor *mundanus*, cum quis propter timorem mundi, personae scilicet alicuius, dimittit bonum facere [8]. Primus timor est cum mortali peccato, scilicet cum quis peccatum dimittit facere *solummodo ratione poenae*. Secundus autem timor et tertius habent rationem mortalis, cum propter huiusmodi necessaria ad salutem dimittuntur.

Inde 3 [...] re[...]

40. Circa secundum de *torpore* notandum est, quod tunc quis *torpere* dicitur, cum ad bene operandum invenitur inefficax, sicut aqua tepere seu tepida esse dicitur, cum non est ita efficacis caloris; unde de tali in Apocalypsi dicitur [9]: *Utinam tu calidus, vel frigidus esses, sed quia tepidus es, incipiam te evomere de ore meo;* et talis torpor ex displicentia boni videtur procedere, quae tanta esse poterit, quod erit cum peccato mortali, ut cum quis palatum animae sic corruptum habet, quod in nullo bono spirituali complacentiam invenit, et propter hoc quidquid boni facit tepide et indevote facit. Unde ex hoc ramo procedit *negligentia*, cum quis negligit facere quod debet, vel si forte id fecerit, absque [10] diligentia facit. Et secundum hoc dupliciter potest habere rationem mortalis: uno modo, si dimittantur per negligentiam necessaria ad salutem; alio modo, ut si forte talia fiant, sic cum contemptu fiunt, quod quoquo modo fiant, non curat omnino; et sic intelligitur illud Proverbiorum [11]: *Qui negligit viam suam mortificabitur.*

De to[...]

41. Ex hoc autem ramo negligentiae multi *fructus* oriuntur, scilicet *omissio, ignorantia, oblivio*. — Circa *omissionem* sciendum est, quod multiplex est omissio, quae multipliciter habet rationem peccati. Est enim omissio *boni propositi, voti promissi, iuramenti, iniuncti* [12], *debiti, utilium saluti*. — Circa omissionem *boni propositi* notandum, quod habet rationem peccati secundum rationem *radicis* seu causae, nec enim de se habet rationem mortalis, nisi fuerit propositum boni necessarii ad salutem.

Fruct 3 [...]
De [...] si[...]
Omis[...] [...]

---

[1] Pro *Haec omnia habent* Vat. *de quibus omnibus pertranseundum iudico, cum absque haesitatione habeant.*
[2] Vat. omittit *concupiscentiae.* — Infra *dictum est supra,* id est n. 1. in divisione principali.
[3] Vat. ita prosequitur: *secundum actum proprie, ut est vitium principale et capitale, tristitia.*
[4] Cap. 45. n. 87.
[5] Potius Quaestion. in Deuteronomium, c. 16. n. 3. Locus Gregorii est loc. cit. n. 88.
[6] Vat. *personae* pro *potentiae.* — Deinde respiciuntur Matth. 25, 25-29. et Luc. 19, 20-26.
[7] Pars 1. c. 5. — Contra originale et cod. Vat. *venientibus ad se* pro *venientes ad publicum.*
[8] Vat. addit *solummodo,* et in fine n. 39. pro *ad salutem dimittuntur* habet *saluti dimittunt.*
[9] Vers. 3, 15. seq. — Supra et n. 37. in fine pro *torpore* et *torpere* intellige *tepore* et *tepere;* dein Vat. perperam *aquam* pro *aqua,* omittens *ita* ante *efficacis,* et ponit *unde tibi* pro *unde de tali.*
[10] Vat. *illud facit quod absque* pro *id fecerit, absque.*
[11] Cap. 19, 16.
[12] In Vat. et cod. excidit *iniuncti;* vide infra n. 45.

42. Circa secundum, scilicet de omissione *voti*, sciendum, quod *votum* est conceptio melioris propositi cum [1] deliberatione firmata; et talem promissionem absque causa vel dispensatione debita omittere habet rationem mortalis, unde David [2]: *Vovete et reddite;* Glossa: « Vovere est voluntatis, sed reddere necessitatis ».

[Secunda.]

43. Circa tertium, scilicet de omissione *promissi*, notandum, quod promissum non complere, quando est simplex promissio, nisi compleatur, peccatum est, nisi adsit impedimentum legitimum vel iusta causa dimittendi promissum; habet autem rationem peccati eo modo, quo et mendacium. Tunc enim impletur mendacium, cum non impletur promissum. Patet igitur, quomodo potest habere rationem mortalis, quoniam, sicut mendacium, quod in damnum vergit alterius, habet rationem mortalis, sic et frustrare promisssum cum damnificatione alterius, ut si quis forte promittat adiutorium alicui in prosecutione alicuius negotii, et postmodum ille succumbit, vel notabiliter damnificatur in negotio propter defectum promissi. Item, circa hoc sciendum est, quod secundum iura est promissio, secundum quam competit actio in iure illi cui fit promissio, ut cum quis facto, vel verbo, vel fide praestita coram bonis se obligat ad implendum promissum; et tunc secundum iustitiam promissum tenetur implere, aliter directe faciendo contra iustitiam peccatum mortale committeret. In promissis autem, quae vergunt in detrimentum salutis, non obligatur quis. Unde Isidorus [3]: « In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum ».

[Tertia.]

44. De omissione *iuramenti* hoc idem dicendum, quod, sicut qui in iuramento *assertorio* peierat, peccat mortaliter, si hoc deliberative faciat et se iurare advertat; ita etiam qui iuramentum *promissorium* frangit sine causa idem genus culpae incurrit.

[Quarta.]

45. Circa omissionem vero *iniuncti* notandum est, quod poenitentiam iniunctam a discreto confessore contemnere et sine causa aliqua dimittere absque dispensatione videtur habere rationem mortalis. Unde Augustinus in Epistola [4]: « Nihil aliud agit qui vere poenitet, nisi ut id quod male fecerat, impunitum non sinat ».

[Quinta.]

46. Circa omissionem *debiti* hoc est notandum, quod homo debet aliqua de *iure naturali* agere, ut facere alii quod sibi vult fieri; aliqua de *iure divino*, ut praecepta decalogi; aliqua de *iure positivo* ex praecepto, ut semel in anno confiteri proprio sacerdoti [5] et in Pascha communicare, nisi ex causa legitima dimittatur; et ille qui est in sacris ordinibus constitutus, vel beneficium habet ecclesiasticum, tunc tenetur ad Horas canonicas ex praecepto. — Circa primum autem et secundum, scilicet de omissione iuris *naturalis* vel *divini*, in prosecutione praedictorum dictum est. — De transgressione seu omissione eorum quae ad ius *positivum* pertinent, hoc sciendum est, quod qui ius positivum scienter omittit, si istud [6] sit praeceptorium, inobediens est et peccat mortaliter; unde illa quae immediate supra dicta sunt, quae ad ius positivum pertinent et habent rationem *praecepti*, dimittere peccatum mortale iudicatur. De his vero, quae ad *Officium divinum* specialiter pertinent, est notandum, quod in hoc multipliciter peccatur, scilicet dicendo Officium divinum [7] *inattente, indevote, extra horam, corrupte et diminute.* In his autem non facile est iudicandum mortale, nisi hoc proveniat ex contemptu. Simpliciter autem *dimittere Officium* in ordinato in sacris, in religioso clerico et professo, in beneficiato in ecclesia mortale communiter iudicatur.

[...ta. Dis... o iuris.] [...ssio iu... ...aturalis ...ivini.] [...o, positivi.]

47. Circa omissionem *utilium ad salutem* hoc notare possumus, quod quilibet utilia saluti tenetur quaerere, et maxime illa, sine quibus non potest quis habere cognitionem illorum quae sunt necessaria ad salutem. Unde maximum est, quod ille qui sermones et monitiones et societatem bonorum evitat hac intentione, ne scilicet hac occasione moveatur ad bonum, vel ut cognitionem [8] eorum non habeat, quae necessaria sunt saluti vel utilia, resistit Spiritui sancto et gratiae Dei et ex hoc mortaliter peccat, utpote qui suam salutem contemnit. [Septima.]

48. Secundus ramus, qui ex negligentia procedit, ut dictum est [9], est *ignorantia*, secundum quod potest habere rationem peccati. Illa enim ignorantia potest habere rationem peccati, quae ex negligentia oriatur. Unde Augustinus de Natura et gratia [10]: « Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quaerere quod ignoras ». Unde qui de salute sua diligens est per ignorantiam damnari non potest, quia, si in eo ignorantia esset, invincibilis esset, quae excusat omnino. Ignorantia igitur, quae peccatum est, ex negligentia oritur; quae multiplex potest esse, scilicet ignorantia *facti* et *iuris*. [De ignorantia.] [Est duplex.]

49. Circa ignorantiam *facti* nota, quod tunc dicitur esse *facti ignorantia*, quando aliquis facit factum malum ex genere et ignorat, quod tale factum faciat, de quo tamen novit, quod peccatum est, ut si quis credat interficere feram et interficiat hominem, vel credit cognoscere suam et cognoscit non suam, et in hoc casu secundum modum negligentiae potest ibi esse peccatum. Si enim in hoc casu non apponit aliquam diligentiam, quam debet; ita poterit esse *crassa* negligentia, quod non excusabit a peccato. Unde Lamech, qui putavit occidere feram et occidit Cain [11], non excusatur. [Ignorantia facti.]

50. Circa ignorantiam *iuris* nota, quod est ius *naturale, divinum* et *positivum.* Circa ignorantiam iuris *naturalis* nota, quod nullus excusatur, quin peccet faciendo contra legem naturalem. Hic autem ius naturale seu legem naturalem appello illud, ad cuius cognitionem potest homo per naturalia attingere. Constat enim, quod qui tale quid ignorat, hoc ei ex negligentia contingit. — Circa ignorantiam iuris *divini*, scilicet mandatorum decalogi et articulorum fidei, notandum est, quod haec ignorantia est [Item, iuris triplicis. Prima.] [Secunda.]

---

[1] Vat. *animi* pro *cum.*
[2] Psalm. 75, 12. Glossa illa est Petri Lombardi in hunc locum sumta ex August., Epist. 127. (alias 45.) n. 8. Cfr. tom. IV. pag. 816, nota 5.
[3] Libr. II. Synonymorum, n. 58. (cfr. supra pag. 634, nota 2.
[4] Epist. 153. (alias 54.) c. 3. n. 6.
[5] In Vat. additur: *id est, illi qui potest absolvere et semel in anno, scilicet,* et omittitur *et.*
[6] Vat. *id ius* pro *istud,* et deinde omittit *immediate supra dicta sunt, quae.* De diversis *iuribus* vide infra n. 50.
[7] Vat. omittit *divinum,* et paulo post pro *In his autem* habet *Inde tamen.*
[8] Vat. perperam *cogitationem* pro *cognitionem.*
[9] Supra n. 41. — Inferius pro *Illa enim ignorantia... quae* Vat. *Nulla ignorantia... nisi.*
[10] Cap. 67. n. 81, ubi cod. et ed. 1 pro *invitus ignoras* habent *invitus vadis ad culpam,* et deinde *salutem* pro *quod ignoras.*
[11] Gen. 4, 23. Cfr. Glossa *ordinaria* apud Lyranum, quae refert illam Hebraeorum traditionem.

mortalis, quia in potestate cuiuslibet est hoc scire et a lege naturali derivatur. — Circa ignorantiam iuris *positivi* notandum, quod quilibet illa quae pertinent ad officium suum et de iure positivo sunt, scire tenetur, et talium ignorantia est mortalis. Hic distinguendum videtur. Quaedam enim sunt iura *praeceptoria*, quaedam *monitoria*, quaedam *consultatoria*. Unde de iure *praeceptorio* hoc intelligo, sicut dictum est supra de iure positivo, ubi de omissione diximus [1]. Licet autem, ut dictum est, naturalis iuris ignorantia, seu etiam iuris alterius non excuset; tamen, si contingat, aliquem multa peccata commisisse [2], quorum non potest in modico tempore habere notitiam, in modico tempore possunt per contritionem generalem dimitti, sicut alibi diffusius tractari habetur.

Tertia.

Distinctio.

51. Item, ex ramo ignorantiae procedit *error conscientiae* et *eius transgressio* et *perplexitas* et *discrimen*. Est autem *error conscientiae*, cum conscientia dictat aliquid faciendum, ad quod non tenetur quis, vel quod facere est peccatum. « Qui enim facit contra conscientiam, secundum Gregorium [3], aedificat ad gehennam ». Et si sit conscientiae iudicium, quod omissio aliqua vel transgressio sit mortalis, *peccat mortaliter dimittendo*. Cum autem conscientia dictat aliquid faciendum necessario, quod tamen peccatum mortale est, mortaliter peccat *dimittendo* et nihilominus *faciendo;* et tunc *perplexitas* est, manente conscientia, quae tamen dimitti potest et debet. Tunc autem *discrimini* se quis exponere dicitur, cum aliquid timet et dubitat esse mortale, et tamen id facit; et tunc etiam mortaliter peccat qui discrimini se exponit. Haec autem, quae [4] dicta sunt, ut frequenter ex negligenti discussione conscientiae procedunt, quae negligentia tanta esse poterit, quod mortalis erit, sicut de ignorantia iam dictum est.

Quatuor inde orta.

52. Tertius ramus, qui ex negligentia [5] procedit, est *oblivio*, quae in duos ramos dividitur. Est enim *oblivio peccatorum* et *beneficiorum* Dei et hominis, ex qua *ingratitudo* oritur et *indevotio*. — Circa *oblivionem peccatorum* est notandum, quod peccata propria oblivisci ex negligentia est peccatum, cum quis teneatur conteri et confiteri de peccatis suis, quod non potest facere, si oblivioni tradantur; et tanta circa hoc poterit esse negligentia, quod habebit rationem mortalis, sicut de ignorantia est praedictum. — Item, *beneficia Dei* oblivisci nec considerare, et sic Deo esse ingratum, mortale est. Unde bene in quodam Sermone de talibus dicit Bernardus [6]: « Quantos videmus, quasi oblitos sui et peccatorum suorum, Dei quoque et beneficiorum eius immemores, sic non *redimere*, sed amittere *tempus*, ut de moribus et affectionibus suis ultima apud ipsos vix mentio fiat »?

De oblivione duplici.

Prima.

Secunda.

53. Ultimus ramus, qui ex accidia procedit, est omnium pessimus, scilicet *desperatio*, qua quis, peccatorum suorum immanitatem considerans et de Dei misericordia diffidens, laxat frenum peccatis. Et hoc quidem gravissimum est peccatum, quod dicitur in *Spiritum sanctum*, de quo dicit Dominus [7]: *Non remittetur in hoc saeculo neque in futuro;* non quod non possit dimitti, sed quia *vix* dimitti potest, vel quia ibi non est color excusationis, qui locum praestet divinae misericordiae. Hoc autem peccatum convenienter ex accidia oriri dicitur, quia, ut dictum est [8], accidiosus complacentiam aliquam in bono non invenit, et ideo a bono opere se subtrahit; spes autem ex merito operis provenit.

De ultimo vitio desperationis.

54. Hic circa peccatum in Spiritum sanctum notandum est, quod huiusmodi peccati sex species a Sanctis assignantur, scilicet *desperatio*, de qua iam dictum est. — Item, *praesumtio*, cum quis in tantam prorumpit insaniam, quod non cogitat, iustitiam in Deo esse, sed quidquid faciat ad gloriam sui provenire credit. — *Impoenitentia*, cum quis proponit, quod nunquam poenitebit de peccatis suis. Et iuxta hunc ramum est alius, qui, licet non dicatur peccatum in Spiritum sanctum, tamen peccatum mortale est, scilicet cum quis se cogitat esse in mortali peccato et in offensa divina, et non statim poenitet, sed adhuc remanere in peccato intendit. — Quarta species peccati in Spiritum sanctum est *obstinatio*, cum quis sic malo adhaerere intendit, quod nulla persuasione vel timore redire ad bonum intendit. — Quinta est *impugnatio* veritatis agnitae, scilicet cum quis impugnat fidei veritatem, ut licentius peccet. — Sexta est *invidentia* gratiae, cum quis in tantam prorumpit malitiam, quod gratiam Dei multiplicari in mundo et fidem crescere videre non potest.

Peccati in Spiritum s. sex species.

55. Haec autem peccata in *Spiritum sanctum* dicuntur, quoniam, licet contra totam Trinitatem sint, tamen sunt praecipue contra *bonitatem* divinam, quae Spiritui sancto appropriatur, sicut potentia Patri, sapientia Filio. Dicitur enim quis peccare in *Patrem,* cum peccat ex *infirmitate;* in *Filium*, cum peccat ex ignorantia; in *Spiritum sanctum*, cum peccat ex malitia, quod habet magis rationem peccati [9]. Soli peccant in Spiritum sanctum qui impoenitentes existunt usque ad mortem. Spiritus enim sanctus caritas est Divinitatis, est amor Genitoris et genitae Veritatis, qui suam gratiam nobis tribuit, sui ipsius arrham. Qui igitur peccat et gratiam suam recuperare non amat et nunquam curat ab eo diligi, qui totus est amor et caritas, nec ad illud tendit, unde sumsit arrham, in Spiritum sanctum peccat et nunquam post mortem, sicut neque vivens, consequetur veniam; sicque nullus peccat in Spiritum sanctum, qui fugit ad ipsum.

Nomen explicat

56. Ecce, *radicem* arboris malae, *truncum*, *ramos* cum *foliis* et *fructibus* plenis veneno mortifero secundum intellectus mei parvitatem descripsi; sed, sicut David [10], *delicta quis intelligit?* Neque enim peccatorum gravitatem et conditionem me scire suppono; unde et si quid in hoc opusculo scriptum lector inveniat, quod ei scrupulum dubitationis ingerat, peritiores medicos consulat, qui securius sibi arboris fructum et ipsius periculum valeant indagare. Neque intentionis meae est hic aliquid temere asserere vel alicui praeiudicium generare. Ut autem ea quae dicta sunt, planius innotescant, ipsa breviter recapitulo eo modo et ordine, quo sunt in arbore describenda.

Conclu.

---

[1] Num. 46.
[2] Vat. praefigit *per ignorantiam*. — De illa in fine n. 50 tacta sententia communiter theologi agunt, Bonav., IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 2. q. 3. ad 4. 2.
[3] Potius est Innocentii III. *Litteras tuas;* 13. de Restitutione spoliatorum, tit. 13. lib. 2. (Decretal. Gregorii). Cfr. tom. II. pag. 907, nota 2.
[4] Cum ed. 1 interseruimus *quae*.
[5] Vat. *accidia* (cfr. n. 41.).
[6] Serm. 27. de Diversis contra ingratitudinem, n. 5.
[7] Matth. 12, 32. — De peccatis in Spiritu S. cfr. Bonav., II. Sent. d. 43. per totam.
[8] Num. 37.
[9] In cod. sequitur: *Et sic est finis huius tractatus, qui dicitur Speculum conscientiae;* cetera cum Epilogo desunt.
[10] Psalm. 18, 13. — Cum ed. 1 post *David* expunximus *cum dicebat.*

EPILOGUS PRAEDICTORUM.

pilogus rooemii.

Radix malae arboris *est cupiditas*, secundum Apostolum [1], ex qua *truncus* malae voluntatis procedit, qui incipit in *imaginatione* mala et procedit in mala et morosa *delectatione* et consummatur in malo *consensu*, qui duplex est, scilicet consensus in *delectationem* et in *opus*.

Sunt aliquae circumstantiae, quibus aggravatur peccatum, quae in hoc versiculo continentur:

Quid, quis, ubi, cum quo, quoties, cur, quomodo, quando.

Ex praemissa *radice* concupiscentiae triplex ramus procedit, scilicet concupiscentia *honoris*, concupiscentia *oculorum* et concupiscentia *carnis*.

ogus pri- capituli. mo, de esumtione.

Ex primo *ramo* hi rami procedunt, scilicet *praesumtio*, *inanis gloria*, *contemptus*.

Praesumtio hos habet *ramusculos:*

Ex se, pro meritis, falso, plus omnibus.

Et hos ramos habet praeeminentia in *gratuitis* et *gratis datis*.

Ex primo ramo procedit *folium tentationis divinae* cum *fructu discriminis*.

Ex praeeminentia ex *gratis datis* sunt hi *rami: elatio mentis*, *confidentia de se*, de qua procedit *fructus* inordinatae *audaciae*.

iodo, de tempto.

Ex *ramo contemptus* est ramus duplex: contemptus *Dei* et contemptus *proximi*, et horum medius est *inobedientia* ad *Deum* et ad *proximum*.

Ex *contemptu Dei* procedunt hi *fructus: irreverentia* rebus divinis exhibita, locis, personis, temporibus, Sacramentis, sustinere interdictum, suspensionem, excommunicationem, recipere quodcumque Sacramentum in mortali peccato, quodcumque Sacramentum ministrare, vel ecclesiam officiare, officium correctionis exercere, inconfessus Sacramentum recipere, habita copia sacerdotis, in statu suspensionis, vel interdicti, vel excommunicationis, vel irregularitatis celebrare; item, in excommunicatione se divinis ingerere, vel interesse; item, cum excommunicato in divinis participare.

Ex *contemptu proximi* hi *fructus* procedunt: *subtractio* a verbo, a societate, gestu vel modo indignationem ostendere. Haec sunt folia: *indignatio verborum*, *ironia*, *derisio*, *subsannatio*, *irreverentia in verbo*.

Ex *inobedientia* procedit *ramus impatientiae*, cum *fructu murmurationis*, *blasphemiae*, *pertinaciae*, *rebellionis* et *transgressionis*, et haec possunt esse contra *Deum* et contra *proximum*.

Item, ex ramo *inobedientiae infidelitatis ramus* procedit, et hi rami ex ea exeunt: *divinatio*, *apostasia*, *idololatria;* item, haec folia praedicta, prout in verbis existunt, scilicet *perversum dogma* seu praedicatio.

rtio, de i gloria.

Secundus ramus *superbiae* est *inanis gloria*, ex qua quatuor rami oriuntur: *honoris ambitio*, *favoris humani appetitus*, *confusionis timor* et *laudis amor*.

Ex ramo *ambitionis* oriuntur hi *fructus*, scilicet *pompa*, quae in tres fructus dividitur, scilicet *fastum* in superbo apparatu et comitatu et gestu ex cordis affectu, et *folium* fastus in verbo.

Ex appetitu *favoris* procedit *folium adulationis*, quod tripartitum est, quod aut est de *bono habito*, aut *non habito*, vel de *malo facto*.

Item, ex *appetitu favoris* oritur *fructus prodigalitatis* quadripartitus, quia non considerat tempus nec personam nec modum et incuriam secum habet.

Ex ramo *timoris confusionis* hi *fructus* procedunt: mala verecundia et falsa humilitas in verbo vel in facto.

Verecundia mala dividitur, quia aut est de bono opere, vel de paupertate parentum, vel de naturali defectu, vel carentia gratiae gratis datae. Item, in confessione haec *folia* secum habet, nempe excusationem, defensionem, veritatis negationem in iudicio, vel extra iudicium, veritatis impugnationem.

Ex *amore humanae* laudis hi *fructus* oriuntur: simulatio seu hypocrisis, ostentatio, singularitas. Item, *iactantiae* est *folium*, quod quadripartitum est, quia aut est de bono habito, vel non habito, vel de malo facto, vel non facto.

Ex *singularitate* procedit *ramus invidiae*, quae est secundum vitium capitale. Invidia vero in duos ramos dividitur principales, qui sunt *exsultatio in adversis proximi* et *dolor in prosperis*.

De *exsultatione in adversis* oriuntur hi *fructus:* machinatio, insidiae, scandalum, proditio, suspicio, iudicium. Item, habet *folia:* discordiarum seminatio, secretorum revelatio et maxime confessionis, verbo, signo, vel circumstantia; item, falsum testimonium.

Ex secundo ramo, scilicet de *dolore prosperitatis* proximi, procedit *detractionis folium* et *ramus rancoris*. Detractio autem dividitur, quia aut fit bonum alterius diminuendo vel destruendo, vel malum imponendo.

Primum folium alia quatuor secum habet, scilicet bonum proximi tacere, diminuere, pervertere et negare.

Secundum folium haec etiam secum habet: malum libenter audire, dissimulare, confirmare, aggravare, addere, revelare, imponere.

Ex *ramo rancoris* procedit *odium*.

Ex *ramo odii* procedit *ira*, quae est tertium capitale.

Ex *ira* procedit *fructus* crudelitatis et hi fructus: percussio, verberatio, incarceratio, duellum, bellum, mutilatio, occisio.

Ex *folio discordiae* hi filii oriuntur: irritatio, comminatio, contumelia [2], improperium, convicium, maledictio, procacitas, clamor, irreconciliatio.

Ex ramo *appetitus vindictae* oriuntur: calumnia, vexatio, damnificatio.

Vexatio hos fructus secum habet, quia fit per falsas litteras, vel falso impetratas, tacita veritate, vel suggesta falsitate, vel per non suas, vel non ad hoc impetratas, vel coram diversis iudicibus ad impossibilia obligando.

Damnificatio in duos fructus dividitur, quia fit aut *bonum impediendo* habitum, vel habendum, aut *malum inferendo*, quod etiam multis modis fit, scilicet faciendo, praecipiendo, consulendo, iuvando, dissimulando.

---

[1] Epist. I. ad Tim. 6, 10.

[2] Cum ed. I substituimus *contumelia* pro *contumacia*.

Epilogus secundi capituli.

Secundus ramus principalis, qui ex radice concupiscentiae procedit, est *concupiscentia oculorum*, quae *avaritia* nominatur et est quartum vitium capitale.

Ex avaritia autem tres rami principales procedunt: inordinatum *desiderium habendi*, vel inordinatus *amor habiti* et inordinatus *dolor amissi*.

Primo, de inordinato desiderio habendi.

Ex inordinato *desiderio habendi* procedunt duo fructus, scilicet *sollicitudo* et *iniustitia*. Ex *sollicitudine* autem procedit festorum violatio.

Iniustitia autem dividitur, quia aut est *manifesta*, aut *occulta*, quae *fraus* nuncupatur. Iniustitia *aperta* hos fructus habet secum, scilicet furtum, rapinam, usuram et iniquam sententiam.

Furtum in quinque dividitur, qui sunt: occulta rei acceptio, rei inventae detentio, sacrilegium et proprietas in Religiosis et mala dispensatio.

Rapina hos etiam fructus habet, qui sunt novae taliae, vel consuetudinis inductio, exactio, extorsio, munerum acceptio et ludus alearum.

Usura dividitur, quia quaedam est in *spe*, quaedam in *rei contractu*.

In *contractu* autem est multiplex usura, scilicet in venditione, emptione, mutua commutatione, ratione temporis, vel rei, vel periculi, vel obligationis, vel corruptae intentionis.

Item, contingit *fraus* in contractibus, in emptione et venditione, in numero, pondere et mensura, in valore, in qualitate, in taciturnitate defectus.

Item, notabiliter care vendendo pro necessitate ementis, vel debitorum solutionis, vel per simplicitatem ementis[1].

Item, in fraude plurima mala locutionis folia contingunt: mendacium, periurium, duplicitas.

Ex *ramo* autem *mali contractus* oritur *fructus simoniae*.

Item, ex *iniustitia ad proximum*, ut dictum est, oritur *iniqua sententia* et secum habet hos *fructus*, qui sunt: iustitiae perversio, ordinis iuris immutatio, sententiae dilatio, iniusta advocatio, litterarum abusio.

Mala autem advocatio haec *folia* secum habet: iniustum patrocinium, iniustum consilium, litis prolongatio, iuris sophistica allegatio, litterarum abusio.

Fit his modis: iniusta impetratio, tacita veritate vel suggesta falsitate, iniusta extorsio, additio, vel diminutio, sive quaeque falsificatio.

Secundo, de inordinato amore habiti.

Secundus ramus principalis avaritiae est *inordinatus amor habiti*, et ex hoc ramo hi *fructus* procedunt: iniusta congregatio, ad proximum incompassio, restitutionis dilatio, beneficii irrecompensatio.

Epilogus tertii capituli.

Tertius ramus principalis, qui ex radice cupiditatis procedit, est *concupiscentia carnis*, quae in duos ramos dividitur: in *quaerendo inordinate delectationem* et *vitando molestiam*.

Primo, de inordinato modo quaerendi delectationem.

Primus ramus dividitur, quia aut est circa delectationem actus, qui pertinet ad conservationem *individui*, scilicet circa actum nutritionis, aut est circa actum, qui pertinet ad conservationem *speciei*, scilicet circa actum generationis.

Primus igitur ramus, qui ex concupiscentia carnis oritur, est inordinata delectatio circa *actum nutritionis* et quintum vitium capitale, quod *gastrimargia* dicitur.

Ex vitio autem *gulae* tres rami principales procedunt, scilicet incontinentia gulae, immodestia et inordinata delectatio.

Ex *incontinentia gulae* hi *fructus* procedunt: anticipatio horae, nimia frequentia, fractio ieiunii.

Ex *immodestia* hi *fructus* procedunt: aviditas et nimietas.

Cum fructu autem isto, qui est *nimis sumere*, sunt hi fructus: corporis gravitas, infirmitas, mentis hebetudo, caecitas, praecipitatio iudicii, incircumspectio, loquacitas, inepta laetitia, dissolutio, ebrietas.

Loquacitas autem haec *folia* secum habet: multiloquium, vaniloquium, stultiloquium, turpiloquium.

Tertius ramus gulae est *inordinata delectatio* circa cibum et hos *fructus* secum habet, scilicet sollicitudinem in procurando, studiositatem in praeparando, multiplicitatem in diversificando, caristiam in emendo.

Secundus ramus, qui ex *carnali concupiscentia* procedit, est inordinatio circa actum generativum, qui *luxuria* dicitur, et est sextum vitium capitale. Luxuria

Ex luxuria tres rami principales procedunt: *inhonestas*, *affectio*, *incontinentia*. Tres ra[mi] eius

Inhonestas hos fructus habet: inverecundia in verbo, in gestu, in habitu. Primus

Inhonestas in *gestu* habet choreas et tripudia et corporis motus.

Item, inhonestas in *verbo* habet scurrilitatem et histrionatum.

Item, inhonestas in *habitu* hos fructus secum habet, scilicet superfluitatem, pretiositatem, multiplicitatem, curiositatem.

Superfluitas in duobus consistit: in numero et mensura.

Curiositas consistit in colore et modo facturae et compositione corporis.

Huius *compositionis* fructus sunt: adinventio novi modi, novorum iocalium; item, unctiones, lotiones, fucatio, suppletio capillorum ex alienis.

Secundus ramus luxuriae principalis est *carnalis affectio*, et iste est duplex, quia potest esse respectu *sui* vel *proximi*. Secun[dus]

Si respectu *sui* sit, hos *fructus* habet, primo curam carnis, quae habet hos *fructus*: mollitiem in vestibus, in culcitris et talibus; item, nimiam sollicitudinem in evitando poenam, frigus, calorem, sitim, famem et huiusmodi.

Carnalis affectio ad *proximum* duplex potest esse: vel ad parentes, vel ad alios, potest etiam esse in affectu, vel in effectu.

Ex ramo carnalis *affectionis* oritur acceptio personarum, perversio ordinis caritatis et favor mali.

Personarum acceptio est in beneficiis, electionibus, honoribus et iudiciis.

Favor mali hos fructus secum habet: dissimulationem, incorrectionem, consensum, adiutorium et communicationem.

Tertius ramus principalis concupiscentiae carnalis, est *incontinentia*, quae per hos *ramusculos* procedit, qui sunt: turpis imaginatio, morosa delectatio, consensus in delectatione et consensus in opere. Item, hos *fructus* secum habet, id est quinque sensus, in auditu, visu, odoratu, gustu et tactu. Tertius

In *auditu* curioso, scilicet rumorum, canticorum, instrumentorum, verborum dissolutorum et scurrilium.

---

[1] Vat. *pro simpliciter ementis* loco *per simplicitatem ementis* (ita ed. 1).

In *visu*, in aspectu oculorum, pulcritudinum hominum et mulierum, inhonestorum membrorum, gestuum, spectaculorum.

In *verbo*, scurrilia dicendo, ad malum incitando verbo, vel in attrahendo.

In *tactu* multipliciter: in osculis et tactibus libidinosis sui vel alterius, et ex hoc sequitur pollutio dormiendo, per naturalem actum in vase debito, vel contra naturam, per actum naturalem matrimonii active; item, ex hoc per actum *matrimonii*, vel *moechiae*. Per actum *matrimonii* modo inordinato, vel tempore illicito, vel intentione non recta.

Moechiae autem sex fructus ponuntur: fornicatio, adulterium, stuprum, raptus, incestus et sacrilegium.

Secundus ramus principalis concupiscentiae carnalis, est *inordinatio in poenis evitandis*, ex qua oritur ultimum vitium capitale, quod *accidia* nominatur.

...odo, de ...dinato ... vitandi ...estiam.

Ex *accidia* procedunt hi fructus: pusillanimitas, torpor, evagatio mentis, instabilitas corporis, tristitia cordis et desperatio.

Ex *pusillanimitate* procedit timor servilis, humanus, mundanus.

Ex *torpore* procedit negligentia, cuius fructus sunt: omissio, ignorantia et oblivio.

Omissio multiplex est, scilicet boni propositi, voti promissi, iuramenti, iniuncti, debiti, utilium saluti, pertinentium ad ius naturale, vel divinum, vel positivum.

Ignorantia est multiplex, scilicet iuris naturalis, divini et positivi; item, facti; item, affectata, crassa et supina et invincibilis.

Ex *ignorantia* procedit error conscientiae et eius transgressio.

Oblivio est duplex: peccatorum et beneficiorum Dei et hominis.

Ex his oritur ingratitudo et indevotio.

Ultimus *fructus* est *desperatio*, peccatum in Spiritum sanctum.

Peccati in *Spiritum sanctum* sex species distinguuntur, scilicet desperatio, praesumtio, impoenitentia, obstinatio, impugnatio agnitae veritatis et invidentia fraternae gratiae. Si quis autem plenius de singulis velit habere notitiam, ad tractatum superiorem recurrat [1].

EXPLICIT SPECULUM CONSCIENTIAE.

---

[1] Hic Epilogus non perfecte exhibet omnia membra divisionum in opusculo contentarum; visum est superfluum hunc defectum supplere.

OPUSCULUM III.

SUMMA DE GRADIBUS VIRTUTUM

PROLOGUS [1].

1. *Accedite ad Dominum et illuminamini, et facies vestrae non confundentur*, Psalmus [2]. Ius hominis est ad Deum accedere; ius Dei, accedentem ad ipsum illuminare. Notandum. Ad Deum spiritualiter accedit qui affectiones suas ad Deum dirigit, qui sperat Dei laudem, qui timet Dei contumeliam, qui laetatur de omnibus, quae Deo placent, qui tristatur de omnibus, quae Deo displicent, qui diligit virtutes et opera virtutum, qui odit vitia et opera vitiorum, qui erubescit iniqua et opera iniquitatum et occasiones iniquitatum. Deus, *lux vera illuminat* [3] accedentem ad cognoscendum virtutes et gradus virtutum, quae sunt certissima via ad regnum caelorum. Si aliquis calumniatur gradus, qui ponuntur, et scit meliores gradus ponere, quam hic ponuntur, non est contra me, nec propter hoc volo litem subire. Et sciendum, quod gradus in plerisque ordinantur secundum raritatem, vel secundum perfectionem, tamen diversis respectibus se excedunt [4].

CAPITULUM I.

Gradus caritatis [5].

Primum autem notandum est de gradibus caritatis. Distinc Nam dicit sponsa in Canticis [6]: *Ordinavit in me caritatem.* Infimus gradus caritatis est diligere amicum, a quo homo diligitur, honoratur, fovetur et in omnibus adiuvatur; qui hoc non facit contra naturam nititur: « Diligere enim amicum naturae est », ut dicit Chrysostomus [7]. Altior gradus est diligere inimicum ex corde propter Deum, quia ad imaginem Dei factus est et sanguine Christi redemptus, quia, secundum Chrysostomum, « amare non amantem gratiae est »; qui hoc non facit non est filius Dei, *qui solem suum oriri facit super bonos et malos* [8]. Altissimus gradus est inimicos beneficiis ad amorem trahere; Matthaei quinto [9]: *Benefacite his qui oderunt vos.* In primo gradu stant ethnici et publicani [10], in secundo perfecti Christiani, in tertio perfectissimi.

---

[1] Haec *Summa* in non paucis codicibus, sed sequioris aetatis, attribuitur S. Bonaventurae; nihilominus eam inter dubia opera reiiciendam censemus ob rationes supra in Prolegomenis c. III. art. 1. § 3. allegatas. Porro, non est dubium, sed certissimum, editiones hucusque publicatas textum praebere insertionibus magnis et parvis continuo et foede corruptum, ita ut Oudinus et editores Veneti hanc Summam irriserint tanquam librum prorsus insulsum. Fide codicum expunximus ea quae istos viros speciali modo offenderunt et haec ad calcem posuimus. Sed omnes insertiones, praesertim verborum et phrasium ad calcem ponere, id lectoribus et nobis nimis fuisset taediosum et prorsus inutile. In maiori enim parte opusculi vix aliqua linea editionis Vaticanae est, in qua non fuerint tollenda saltem plura verba. Solummodo in principio operis speciminis gratia ista ad calcem notavimus. Praeter unum cod. A, qui fere convenit cum editis, alii quatuor B C D E constanter conveniunt in omittendis dictis insertionibus.

[2] Psalm. 33, 6. — Pro *Psalmus* Vat. cum ed. 2 *dicebat David.*

[3] Ioan. 1, 9: Erat lux vera, quae illuminat etc.

[4] Cod. A duas ultimas propositiones *(Si aliquis... excedunt)* omittit, in B C D E totus prologus desideratur.

[5] Cod. A et edd. 1, 2 *De gradibus caritatis*, alii codd. *De caritate.*

[6] Cap. 2, 4. — Codd. B C D E hanc propositionem omittunt.

[7] Homil. 27. in II. Cor. n. 3, ubi haec et seq. sententia insinuatur. Cfr. homil. 1. in Col. n. 3. Glossa *ordinaria* in Matth. 7, 12: Quia amare amantem naturae est; non amantem vero cogi beneficiis ad amorem perfectionis Christi est (secundum Raban., I. in Matth. 7, 11, qui sequitur Bedam, II. in Luc. 7, 31). Cfr. Hilar., in Matth. c. 4. n. 27; Ambros., V. in Luc. n. 75. Pro *amicum* (ita C D E) edd. *amantem.* — Superius pro *non facit* (ita B C D E) edd. *non curat facere*, quae etiam post *nititur* addunt *laborare.*

[8] Matth. 5, 45. — Edd., refragantibus B C D E, legunt: *qui eum ad imaginem suam creavit et corpore suo refecit et sanguine suo redemit, quia diligere non amantem gratiae est, ut dicit Chrysostomus; qui hoc facere non curat, filius Dei esse recusat, qui facit solem suum oriri super bonos et malos.*

[9] Vers. 44. — Edd. cum A, refragantibus B C D E, addunt: Unde super illud Matthaei quinto [v. 45.]: *Ut sitis filii Patris vestri*, dicit Glossa [scilicet *ordinaria* in v. 48.]: « Cumulus perfectionis est, inimicos diligere et pro ipsis diligenter orare, sicut fecit Christus »; et alia Glossa super illud Lucae sexto [v. 27.]: *Benefacite* etc. dicit: « Non tantum ad amicos, sed etiam ad inimicos extendite opera caritatis, ut amici esse incipiant » [Glossa *ordinaria* in Luc. 6, 31.].

[10] Cfr. Matth. 5, 46. — Edd. cum A addunt: *qui diligunt eos qui se diligunt.* Duo seqq. membra edd. cum A sic proponunt: In secundo stant perfecti Christiani, qui *maledicentibus benedicunt* [cfr. Luc. 6, 28.]; in tertio stant perfectissimi Religiosi, immo Christus, qui Iudam ad amorem suum traxit benignissime osculando, pedes lavando, sua carne cibando et in cruce pro persecutoribus orando.

Item, altus gradus [1] est, cum quis utilitatem amici (Dist. II.) cum proprio lucro quaerit; altior, cum commodum amici cum damno suo quaerit; altissimus, cum bonum amici cum propria morte quaerit; quod Christus fecit; Apostolus [2]: *Cum dives esset* in gloria sua etc.; Ioannes: *Maiorem hac dilectionem nemo habet* etc.

Item [3], altus gradus est, cum quis diligit auferentem (Dist. III.) sibi res; altior, cum diligit auferentem sibi corpus, vel membra corporis; altissimus, cum diligit auferentem sibi per infamiam virtutes et spiritualia dona et ipsum Deum [4] quacumque occasione.

Capitulum II.

Gradus obedientiae.

Altus gradus obedientiae est obedire Creatori, Redem- (Dist. I.) ptori et Remuneratori in omnibus praeceptis et prohibitionibus, quia nihil praecipit, nisi quod ducit [5] nos ad summum bonum; et nihil prohibet, nisi quod abducit nos a summo bono. Altior est, cum obedimus homini, discreto praelato, in persona Dei. Altissimus, cum obedimus indiscreto et dyscolo; Petrus [6]: *Obedite dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis*; Matthaei vigesimo tertio: *Omnia, quaecumque dixerint vobis, facite* etc.

Item, altus [7] gradus est obedientiae in eo quod ho- (Dist. II.) mini suave est et leve; altior est obedire in eo quod grave est et ad breve tempus; altissimus, obedire in eo quod grave est ad longum tempus, vel usque ad mortem. In hoc gradu stetit Christus, cum obedivit Patri suo *usque ad mortem* [8], a principio vitae turpissima sustinendo.

Item, aliqualis gradus est obedire Deo vel homini (Dist. III.) ob timorem poenae; altior, propter spem gratiae in praesenti et gloriae in futuro; altissimus, propter neutrum istorum, sed pure propter Deum, quia Dominus noster est, et nos servi eius; nam *caritas non quaerit quae sua sunt* [9].

Capitulum III.

Gradus humilitatis.

Altus gradus humilitatis est se subdere maiori; al- (Dist. I.) tior, se sponte subiicere pari, quia abundans est; altissimus, se subiicere minori, et haec est superabundans; hunc ostendit Christus recipiens baptismum a Ioanne [10].

Item, altus gradus est, cum quis se humiliat in ver- (Dist. II.) bis; altior, in factis; altissimus, cum vero humilis sit in corde, quia virtus est in corde, non in *verbis* nec tantum in *factis* quandoque. Nam dicit Ecclesiasticus decimo nono [11]: *Est qui nequiter humiliat se, et interiora eius plena sunt dolo.* Hunc gradum Christus ostendit et docuit Matthaei undecimo: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.*

Item, altus gradus, humiliare se propter multitudi- (Dist. III.) nem delictorum [12]; altior, propter abundantiam virtutum, sicut arbor nobilis inclinatur propter abundantiam fructuum; altissimus, propter imitationem exempli humilitatis Christi [13].

Item, altus gradus est humiliare se de omnibus ma- (Dist. IV.) lis commissis; altior, de omnibus bonis omissis et de bonis gratiae deturpatis; altissimus, de omnibus bonis in vanum perceptis [14].

Capitulum IV.

Gradus castitatis.

Altus gradus castitatis est castitas coniugalis; altior, (Dist. I.) vidualis; altissimus, virginalis. Hoc patet per fructus his statibus debitos, scilicet trigesimum, sexagesimum, centesimum [15]. In ultimo gradu fuit Christus et Virgo Mater eius. Damascenus etiam dicit: « A nuptiis abstinentia est Angelorum imitatio ».

Item, altus gradus est detestari gestus et actus impu- (Dist. II.) dicos; altior, detestari verba impudica; altissimus, detestari voluntatem et concupiscentiam impudicam, sicut Sara dixit Tobiae tertio [16]: *Nunquam concupivi virum et mundam servavi animam meam;* superaltissimus est detestari cogitationes impudicas; unde Iob: *Pepigi foedus cum oculis meis, ut non cogitarem de virgine.*

Item, periclitatur castitas ex auditu lubrico; amplius (Dist. III.) ex visu, ut patet in David [17] et duobus senibus Danielis decimo tertio; maxime ex attactu.

Item, multum adiuvatur castitas, cum quis vitat (Dist. IV.) loca suspecta; magis, cum vitat homines suspectos; maxime, cum vitat familiaritates malas, quae secundum

---

[1] Cod. B *Item alio modo, primus gradus.* Inferius pro *cum damno suo* edd. cum A B *cum damno rerum suarum.*

[2] Epist. II. Cor. 8, 9. — Sequitur Ioan. 15, 13. — Cod. B hos locos omittit, edd. cum A eosdem invertunt, et illi ex II. Cor. 8, 9. sumto addunt: cum per suam contumeliam nobis obtinuit aeternam gloriam, cum per sua vulnera nobis exhibuit medicinam, cum per suam mortem turpissimam nobis comparavit vitam aeternam.

[3] Cod. A *Item aliter.* Inferius post *res* edd. addunt *temporales*, et dein prosequuntur: *altior, cum diligit auferentem sibi honorem; adhuc altior* etc., omisso subinde *per infamiam.*

[4] Edd. cum A legunt: *sive ipsum Deum, ad peccatum quacumque occasione inducendo, vel a virtuosis operibus retrahendo.*

[5] Edd. cum A *nisi ducat* et inferius *nisi abducat* pro *nisi quod abducit.*

[6] Epist. I. c. 2, 18. — Sequitur Matth. 23, 3. Edd. cum A hunc loc. omittunt.

[7] Edd. cum A *Item, aliqualis.*

[8] Phil. 2, 8.

[9] Epist. I. Cor. 13, 5. Cfr. Ps. 115, 16. (vel 6.): O Domine, quia ego servus tuus. — Superius pro *pure* D E *simpliciter.*

[10] Matth. 3, 15, ubi Christus Ioanni ipsum baptizare recusanti respondit: *Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* Hic triplex gradus insinuatur a Glossa *ordinaria* apud Lyranum in Matth. 3, 15; cfr. tom. VII. pag. 82, nota 3.

[11] Vers. 23. — Sequitur Matth. 11, 29. Cfr. Raban., IV. in Eccli. 19, 23, ubi verbis Christi *Discite a me* etc. adductis subiungit: Si ergo volumus Veritatis esse discipuli, a cordis radice verae humilitatis bonum primum sumendum est, et sic per ipsum bonorum operum exempla forinsecus praeparanda.

[12] Cod. B *peccatorum*, edd. cum A *defectuum*, quae etiam pro hoc gradu allegant Mich. 6, 14: *Humiliatio tua in medio tui*, et pro secundo gradu Eccli. 3, 20: *Quanto maior es, humilia te in omnibus.*

[13] Ioan. 13, 15, ubi post lotionem pedum discipulorum dixit: Exemplum enim dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.

[14] Epist. II. Cor. 6, 1: Adiuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Cfr. supra Opusc. I. de Triplici via, c. 1. § 2. et c. 2. § 1.

[15] Respicitur Matth. 13, 23, qui ab Hieronymo de his tribus statibus exponitur. Cfr. supra pag. 196, nota 3. — Sententia Damasceni habetur IV. de Fide orthod. c. 14.

[16] Vers. 16. — Subinde allegatur Iob 31, 1.

[17] Libr. II. Reg. 11, 2; deinde Dan. 13, 8. seqq.

Hieronymum [1] sunt dulces litterae, dulces salutationes, blanda verba, crebra munuscula et cibi praegustati; haec omnia sanctus amor nescit.

Item, altus gradus est esse castum per munditiam
Dist. V. carnis, quia, secundum Apostolum [2], *qui fornicatur in corpus suum peccat;* altior, propter puritatem mentis; altissimus, per imitationem exempli castitatis Christi.

Capitulum V.

Gradus patientiae.

Altus gradus patientiae est patienter sustinere amis-
Dist. I. sionem rerum, ut Iob [3]; altior, patienter sustinere infamationem, ut David a Semei; altissimus, sustinere amissionem membrorum vel corporalis vitae, quod Christus fecit.

Item, altus gradus, cum quis patienter sustinet affli-
Dist. II. ctionem, quam propter peccata meruit; unde Petrus in Canonica [4]: *Si peccantes et colaphizati suffertis* etc.; altior, tolerare afflictionem innocenter pro iustitia; unde Apostolus: *Si quid patimini propter iustitiam, beati;* altissimus est ferventer appetere afflictionem. In hoc gradu fuit Christus, unde: *Improperium exspectavit cor meum et miseriam.*

Item, altus gradus patientiae, non vindicare iniu-
Dist. III. riam facto; altior, non vindicare verbo; altissimus est non habere vindictam in desiderio [5].

Item, altus, cum quis non vindicat iniuriam suam,
Dist. IV. quando vindicare potest, licet non sine damno; altior, cum non vindicat, quando vindicare potest sine damno; altissimus, cum Deo gratias agit pro afflictione, ut Tobias, qui dixit [6]: *Gratias ago tibi, Domine, quia castigasti me.*

Item, altus gradus, cum quis sustinet adversitates,
Dist. V. ut a peccatis purgetur; altior, ut in caelis remuneretur, Matthaei quinto [7]: *Beati eritis, cum vos oderint homines* etc.; altissimus, ut Christo vicem rependat; Hieronymus: « Felix est anima, quae pro Christo tanta voluerit sustinere, quanta ille pro nobis sustinuit ».

Item, altus gradus est de iniuria nunquam querimo-
Dist. VI. niam facere; altior, nulli iniuriam significare; altissimus, iniuriam propriam excusare [8].

Capitulum VI.

Gradus misericordiae.

Misericordiae altus gradus est misereri proximi, iuxta
Dist. I. illud [9]: *Estote misericordes;* et Iob: *Si negavi quod volebant pauperes;* et iterum: *Oculus fui caeco et pes claudo;* altior, misereri sui, secundum illud: *Miserere animae tuae, placens Deo;* altissimus, misereri Dei per compassionem passionis suae; Iob: *Misereminі mei, miseremini mei, saltem vos* etc.

Item, altus est misereri consanguineis afflictis; altior, Dist. II.
misereri alienis afflictis; altissimus, misereri inimicis afflictis, quod Christus fecit, dicens [10]: *Misereor super turbam,* et iterum: *Pater, ignosce illis* etc.

Item, altus, misereri vivis in afflictione corporis; Dist. III.
altior, misereri eis in afflictione spiritus; altissimus, misereri mortuis in purgatorio.

Item, altus gradus, misereri sanis in afflictione [11]; al- Dist. IV.
tior, misereri infirmis non decumbentibus in necessitate; altissimus, decumbentibus in necessitate.

Item, altus gradus in dando temporalia, ut Abra- Dist. V.
ham, nulli negans hospitium [12]; altior, in condonando iniurias, ut David Sauli; altissimus, pro iniuriantibus fideliter exorare, ut Christus et Stephanus.

In alto gradu est, quem inducit ad miserandum na- Dist. V
tura [13]; in altiori, quem inducit Scriptura; in altissimo, quem inducit Deus inspirando.

Capitulum VII.

Gradus veritatis.

Veritatis altus gradus est libenter cogitare veritatem Dist. I.
et de veritate; altior, loqui eam et de ea; altissimus, libenter vivere secundum eam et alios ad hoc inducere.

Item, altus gradus, cognoscere veritatem; altior, amare Dist. II
eam; altissimus, se et alios iudicare secundum eam.

Item, altus gradus, plane et sine adulatione pronun- Dist. II
tiare veritatem; altior, libere eam defendere — sed qui hoc faciunt saepe amaritudinibus replentur — altissimus, eam defendere coram inimicis.

Item, altus, propter veritatem res temporales in pe- Dist. I
riculo ponere; altior, res et amicos propter veritatem abnegare; altissimus, res, amicos et corpus impendere [14].

Capitulum VIII.

Gradus paupertatis.

Altus gradus paupertatis est relinquere res tempora- Dist. I.
les; altior, relinquere amicos saeculares et spirituales; altissimus, relinquere se ipsum, quia talis amore proprio et voluntate propria se privat. In omnibus his fuit Christus.

---

[1] Epist. 52. (alias 2.) n. 5: Crebra munuscula... et oblatos ac degustatos cibos blandasque et dulces litterulas sanctus amor non habet.

[2] Epist. I. Cor. 6, 18. Cfr. August., Serm. 162. (alias Fragmentum 3.), ubi haec verba Apostoli explicantur.

[3] Iob 1, 21. — De David cfr. II. Reg. 16, 10. — Inferius post *infamationem* B E addunt *honoris*.

[4] Epist. I. c. 2, 20. — Duo seqq. loci sunt I. Petr. 3, 14. et Ps. 68, 21. Ibi voci *unde* E addit *Psalmus*, B legit *de quo in Psalmo*, edd. *cum dicebat*.

[5] Codd. D E hunc triplicem gradum omittunt.

[6] Tob. 11, 17: Benedico te, Domine Deus Israel, quia tu castigasti me. — Superius pro *licet non* B C D *sed non*.

[7] Vers. 11: Beati estis, cum maledixerint vobis etc.; cfr. Luc. 6, 22. — De sententia Hieronymi vide Breviarium in Psalmos (inter opera Hieron.), in Ps. 115, 13. (vel 4.): Grandis res est martyrium... Christus pro ipso passus est, et ille pro nomine ipsius patitur. Edd. *Felix est anima, quae pro Christi nomine... pro nobis passus est.*

[8] Edd., superius pro *nulli iniuriam significare* substituto *nunquam iniuriam propriam excusare*, hic pro *excusare* ponunt *nunquam alicui ad vindicandum significare*.

[9] Luc. 6, 36. — Subinde allegantur Iob 31, 16. (ubi pro *pauperes* Vulgata *pauperibus*) et 29, 15; Eccli. 30, 24. et Iob 19, 21. — Edd. omittunt *per compassionem passionis suae* (scil. Christi).

[10] Marc. 8, 2; deinde Luc. 23, 34: Pater, dimitte illis etc.

[11] Edd. *in necessitate*. Inferius pro *non decumbentibus in necessitate* B C E *decumbentibus non in* [B *ex*] *necessitate*.

[12] Gen. 18, 3. seqq. — De David cfr. I. Reg. 24, 11. seqq. et 26, 9. seqq.; de Christo vide Luc. 23, 34. et de Stephano Act. 7, 59.

[13] Edd. addunt *suadendo* et inferius pro *Scriptura* substituunt *homo praecipiendo vel admonendo;* subinde pro *Deus inspirando* B *inspiratio divina*.

[14] Epist. II. Cor. 12, 15: Ego autem libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris, licet plus vos diligens minus diligar.

Dist. II. Item, altus est pro transitoriis non sollicitari; altior, ea non appetere; altissimus, oblata respuere. In secundo gradu fuit Apostolus, qui nullius *aurum et argentum aut vestem concupivit* [1]. In tertio fuit Daniel, qui dixit regi Baltassar: *Munera tua sint tibi* etc.

Dist. III. Item, altus, nolle habere certum hospitium, sicut Christus *non habebat, ubi caput suum reclinaret* [2]; altior, nolle habere certum locum nec vestimentum nec victum tempore sanitatis; altissimus, nolle habere certum victum et vestitum tempore infirmitatis vel mortis. In ultimo gradu fuit Christus in hora mortis.

Dist. IV. Item, in alto gradu est qui propter hoc eligit paupertatem, ut a transitoriis sollicitudinibus exuatur; in altiori est, qui propter hoc eligit paupertatem, ut virtutibus et donis spiritualibus ditetur; in altissimo, qui eligit paupertatem, ut in sessione sua caput suum, scilicet Christus, in iudicio glorificetur [3].

Dist. V. Item, in alto est qui nihil proprii habet in speciali; in altiori, qui nihil proprii habet in communi ad annum, vel ad longum tempus; in altissimo est, qui nihil proprii habet in communi nec ad unum diem.

Capitulum IX.

Gradus prudentiae.

Dist. I. Altus gradus prudentiae est cognoscere Deum per creaturas, ad Romanos primo [4]: *Invisibilia Dei per ea quae facta sunt, a creatura mundi intellecta conspiciuntur;* altior, per Scripturas; altissimus, per se ipsum.

Dist. II. Item, altus est ordinare mores exteriores; altior, ordinare affectiones interiores a malo; altissimus, ordinare vires animae secundum beneplacitum Dei [5].

Dist. III. Item, altus est ordinare vitam interius et exterius secundum exempla Sanctorum; altior, secundum exempla Christi; altissimus, secundum mores Christi.

Dist. IV. Item, in alto gradu est qui considerat amaritudinem animae, cum separatur a corpore; in altiori, qui considerat amaritudinem animae, cum separatur a familiaritate Dei ad tempus breve, scilicet in purgatorio; in altissimo, qui considerat amaritudinem animae, cum aeternaliter separatur a Deo.

Dist. V. Item, in alto est qui considerat iucunditatem animae, cum in contritione se sentit percipere peccatorum remissionem; in altiori, qui considerat iucunditatem animae, cum unitur Deo ad tempus breve; in altissimo, qui considerat iucunditatem animae, cum unitur Deo aeternaliter.

Dist. VI. Item, in alto est qui considerat, quomodo se Deus dat in bonis temporalibus; in altiori, quomodo se Deus dat in bonis spiritualibus; in altissimo, quomodo se Deus dat totum in gloria, tam in divina quam in humana natura.

Capitulum X.

Gradus fortitudinis.

Dist. I. Altus gradus fortitudinis est vincere mundum et eius delicias contemnendo, ut Apostolus dicit [6]: *Omnia arbitratus sum ut stercora* etc.; altior, vincere carnem a noxiis restringendo; Apostolus: *Castigo corpus meum* etc.; altissimus, vincere se ipsum simpliciter et sponte se tradere in mortem propter Christum.

Item, altus est resistere peccatis corporalibus, scilicet gulae etc.; altior, resistere peccatis spiritualibus, ut hypocrisi, complacentiae propriae, displicentiae alienae, personarum acceptioni; altissimus, vitare occasiones tam corporalium quam spiritualium peccatorum, ut munuscula, familiaritates etc. [7]. Dist. II.

Item, altus, non consentire peccatis operationis; altior, non consentire peccatis locutionis; altissimus, non consentire peccatis cogitationis. Dist. III.

Item, altus est fortiter laborare in hoc mundo pro sancta vita, quae consistit in bona conscientia et moribus bonis; altior, laborare pro societate angelica; altissimus, pro unione Dei in vita aeterna. Dist. IV.

Capitulum XI.

Gradus iustitiae.

Altus gradus iustitiae est reddere proximo quod suum est, scilicet [8] *gaudere cum gaudentibus* etc.; altior, reddere sibimet ius suum, scilicet dolorem de commissis, iuxta illud: *Dole quasi parturiens*, et cautelam contra committenda, iuxta illud Apostoli: *Ab omni specie mala abstinete vos;* altissimus, reddere Deo quod suum est, scilicet timorem, quia Dominus; honorem, quia Pater; Malachias: *Si ego Pater sum, ubi est honor meus? Si ego Dominus, ubi timor meus?* amorem, quia Sponsus. Dist. I.

Item, altus, reddere unicuique bonum pro bono; altior, reddere bonum pro malo; altissimus, reddere optimum pro pessimo. Hoc Christus fecit, dans corpus suum Iudae traditori. Dist. II.

Item, altus, iustificare omnes operationes, ut Deo placeant; altior, iustificare locutiones; altissimus, iustificare cogitationes, voluntates et intentiones. Dist. III.

Item, altus, exhibere naturalem iustitiam omnibus vivis, scilicet *quod tibi non vis fieri* [9] etc.; altior, exhibere iustitiam omnibus mortuis consanguineis per suffragia orationum et eleemosynarum; altissimus, eadem exhibere extraneis defunctis. Dist. IV.

Capitulum XII.

Gradus temperantiae.

Altus gradus temperantiae est moderare se in omnibus exterioribus, scilicet in victu, habitu, somno, incessu, verbis, factis et moribus, ut *omnia ordinate fiant* secundum Deum [10]; altior est temperare se in motibus et affectionibus interioribus, ne nimis circa transitoria occupentur; altissimus, temperare cogitationes, ne extra Deum evagentur. Dist. I.

Item, altus est restringere se ab illicitis exterioribus; altior, refrenare se a licitis [11] exterioribus et interioribus Dist. II.

[1] Act. 20, 33. — Subinde allegatur Dan. 5, 17.

[2] Matth. 8, 20. et Luc. 9, 58. [3] Cfr. Matth. 19, 28.

[4] Vers. 20. — Inferius pro *per se ipsum*, edd. *per fidem.*

[5] Eph. 5, 10: Probantes, quid sit beneplacitum Deo.

[6] Phil. 3, 8. — Subinde allegatur II. Cor. 9, 27. — Inferius pro *propter Christum* C *propter proximum et ipsum Christum*, D *propter Deum.*

[7] Cod. B *munuscula, cohabitationem et huiusmodi.*

[8] Ut dicit Apostolus Rom. 12, 15. — Tres seqq. loci sunt Mich. 4, 10; I. Thess. 5, 22. et Malach. 1, 6.

[9] Tob. 4, 16; cfr. Matth. 7, 12. et Luc. 6, 31.

[10] Epist. I. Cor. 14, 40: Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant. — Superius pro *in victu* B C D E *in visu.*

[11] Cod. C omittit *licitis,* pro quo B D E *illicitis.*

ad tempus; altissimus est restringere se a talibus usque ad mortem.

Item, altus, moderate loqui de defectibus hominum [Dist. III.] in praesentia ipsorum; altior, non loqui de excessibus hominum vivorum et mortuorum in absentia, tanquam si essent praesentes; altissimus, defectus tam vivorum quam mortuorum excusare in casibus, qui excusationem habent.

Item, secundum Chrysostomum [1] altus gradus tem- [Dist. IV.] perantiae est cibi et potus, ut quis aegritudinem fugiat; altior, ut sanitatem conservet; altissimus, qui temperantia cibi et potus acumen intellectus operatur.

Capitulum XIII.

Gradus pacis.

Altus gradus pacis est, cum caro subiicitur spiritui, [Dist. I.] ita ut difficilem se exhibeat ad omnia mala perpetranda; altior, cum subiicitur caro spiritui, ut promptam se exhibeat ad omnia bona facienda [2]; altissimus, cum spiritus Deo subiicitur, omnem ordinationem eius tam in exterioribus motibus quam in interioribus viribus animae observando. Hic ultimus gradus servatur in caelo.

Item, altus est inferioribus parcere, si in aliquo exces- [Dist. II.] serint, eosque benigne consolari, si afflicti fuerint; altior, cum paribus benigne conversari, ita quod faciat eis bonum, quod sibi iuste vult fieri, nec inferat malum aliquod, quod sibi iuste non vult fieri [3]; altissimus, voluntatem suam voluntati superiorum in omnibus conformare.

Item, altus est nullum turbare factis; altior, nul- [Dist. III.] lum turbare verbis in facie vel post tergum; altissimus, nulli dare occasionem turbationis signo vel nutu. In omnibus his fuit Christus, qui dicit [4]: *Non veni faeere voluntatem meam, sed eius qui misit me.*

Item, altus est proximorum mala non publicare; al- [Dist. IV.] tior, bona eorum non diminuere nec denigrare, sed extollere; altissimus, defectibus proximorum compati et profectibus eorum ex corde gratulari.

Capitulum XIV.

Gradus constantiae.

Altus gradus constantiae est, cum homo tantum uni- [Dist. I.] tur Deo, quod non potest induci ad aliquod malum, quod Deo displiceat, nec abduci ab aliquo bono, quod Deo placeat, pro amissione rerum temporalium, sicut Iob [5], Tobias et Mathathias; altior, cum non potest cogi per mutilationem membrorum, sicut septem fratres, secundi Machabaeorum septimo; altissimus, cum non potest cogi per ablationem vitae temporalis, ut Paulus, qui dixit: *Non solum alligari, sed et mori paratus sum propter nomen Domini Iesu Christi.*

Item, in altum ascendit qui non recedit a Deo in [Dist. II.] prosperitate, sicut David; in altiorem, qui non recedit a Deo in adversitate illata ab inimicis, ut Stephanus [6]; in altissimum, qui non recedit a Deo in adversitate illata ab amicis, ut Iob, qui dixit amicis: *Iustificationem, quam coepi tenere, non deseram.*

Item, in alto est qui non consentit tentationibus car- [Dist. III.] nalibus, sed tamen [7] suffert; in altiori, qui non consentit tentationibus spiritualibus, sed tamen suffert; in altissimo, qui non consentit, sed et exstirpat a se occasiones tentationum carnalium et spiritualium peccatorum.

Item, in altum ascendit qui non movetur a bona et [Dist. IV.] sancta conversatione derisione vel vituperio, ut David, cum Michol derideret eum [8]; in altiorem, qui non movetur adulatione vel laude quorumcumque malorum; in altissimum, qui non movetur laude bonorum.

Capitulum XV.

Gradus largitatis.

Altus gradus largitatis est hilariter dare temporalia, [Dist. I.] ut fecit Abraham [9]; altior, dare spiritualia, ut Apostolus, qui *sapientibus et insipientibus debitorem se fecit;* altissimus, qui dat corpus suum, ut Christus dedit dicendo: *Hoc est corpus meum.*

Item, in altum ascendit qui dat quidquid ab eo pe- [Dist. II.] titur, iuxta illud [10]: *Qui petit a te, da ei;* in altiorem, qui plus dat, quam ab eo petatur, ut Naaman Syrus Giezi, servo Elisei; in altissimum, qui arguit non petentes, inducens, ut petant, ut Christus; Ioannis decimo sexto: *Usque modo non petistis quidquam; petite et aceipictis.*

Item, in alto stat qui dat aliquid, habens spem re- [Dist. III.] compensationis; Isaias [11]: *Omnes diligunt munera, sequuntur remunerationes;* in altiori, qui dat sine spe recompensationis, ut Apostolus dans spiritualia, dicens: *Non quaero vestra, sed vos;* in altissimo, qui gratias refert accipientibus dona sua; Chrysostomus [12] de Christo: « Pro omnibus, quae tribuisti nobis, Christe, nihil a nobis petis quam salvari, hoc ipsum tribuens et accipientibus gratias agens ».

Item, in alto stat qui dat bona consanguineis indi- [Dist. IV.] gentibus; in altiori, qui dat indigentibus extraneis; in altissimo, qui dat ingratis indigentibus, ut Deus, *qui solem suum oriri facit super bonos et malos* [13].

---

[1] Homil. 29. in Epist. ad Hebr. n. 4. (secundum ed. Venet. 1583): Nihil enim sic salutem, nihil sic sensuum acumen operatur, nihil sic aegritudinem fugat sicut moderata refectio.

[2] Cfr. Rom. 7, 15. seqq. et Gal. 5, 17. — Inferius pro *in caelo* B *in patria.*

[3] Cfr. supra pag. 649, nota 9. — Cod. B C D E omittunt *nec inferat... fieri;* D E primum et secundum gradum transponentes legunt: Item altus est paribus benigne...; altior, inferioribus parcere.. afflicti fuerint.

[4] Ioan. 6, 38.

[5] Iob 1, 21. seq.; Tob. 1, 2. et 22; I. Mach. 2, 17. seqq. (de Mathathia) et II. Mach. 7, 1. seqq. (de septem fratribus). In fine allegatur Act. 21, 13.

[6] Cfr. Act. 7, 54. seqq. — Sequitur Iob 27, 6. Post *qui dixit amicis* B addit *iniuriantibus.*

[7] Codd. B C hic et paulo inferius *sed tantum.*

[8] Libr. II. Reg. 6, 16. seqq.

[9] Cfr. supra pag. 648, nota 12. — Subinde allegantur Rom. 1, 14. et Matth. 26, 26.

[10] Matth. 5, 42. — De Naaman cfr. IV. Reg. 5, 23, ubi ipse petenti Giezi unum talentum dedisse duo exhibetur. — Subinde allegatur Ioan. 16, 24. — Primo gradui codd. cum A addunt: *sicut Herodes fecit, qui filiae dixit: Quidquid petieris, dabo tibi* [Marc. 6, 23.]. Hanc additionem Oudinus (cfr. supra pag. 646, nota 1.) ut indignam S. Bonav. impugnat.

[11] Cap. 1, 23. — Subinde allegatur II. Cor. 12, 14. — Pro *recompensationis*, quod bis occurrit, D *remunerationis.*

[12] Cfr. Homil. 11. (alias 10.) in Ioan. n. 2. circa finem.

[13] Matth. 5, 45.

Capitulum XVI.

Gradus compassionis.

Dist. I. Altus gradus compassionis est medullitus condolere amico afflicto; altior, condolere inimico afflicto; altissimus, condolere Deo de contumelia illata.

Dist. II. Item, in alto est qui condolet sanis in afflictione eorum; in altiori, qui condolet infirmis; in altissimo, qui condolet purgandis in purgatorio.

Dist. III. Item, in alto stat qui afflictis condolet in corde, sicut dicit Apostolus [1]: *Quis scandalizatur*, scilicet « aliqua molestia tribulationis », *et ego non uror?* scilicet « igne compassionis »; in altiori, qui ore conqueritur incommodum afflictorum, ut David de morte Saul et Ionathae [2]; in altissimo, qui plorat super afflictos, ut David lugebat Absalom, inimicum suum, et Iob, qui dixit: *Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et anima mea compatiebatur pauperi;* et Christus flevit super civitatem Ierusalem.

Dist. IV. Item, altus est qui compatitur afflictis corporaliter; altior, qui compatitur afflictis spiritualiter; altissimus, condolere omnibus in defectibus spiritualibus.

Dist. V. Item, altus, condolere afflictis ad breve tempus; altior, ad longum tempus; altissimus, condolere ad longissimum tempus.

Capitulum XVII.

Gradus congratulationis.

Dist. I. Altus gradus congratulationis est congratulari omnibus hominibus, quod *ad imaginem et similitudinem Dei* facti sunt [3], et congratulari eis in omnibus bonis, quae a Deo perceperunt; altior, congratulari Angelis, quod *signaculum Dei* sunt; altissimus, congratulari Deo de aeterna et immensa beatitudine, quam habet a se ipso per naturam.

Dist. II. Item, altus, congratulari in omni beneplacito suo, quod perficitur in caelo et in terra ab hominibus; altior, congratulari Deo de beneplacito suo, quod perficitur ab Angelis in caelo; altissimus, congratulari singulis personis Divinitatis in beneplacito, quod perficitur unicuique personae a duabus [4] personis.

Dist. III. Item, altus est congratulari omnibus hominibus in omnibus bonis iustis fortunae; altior, congratulari in donis naturalibus, scilicet et corporis et animae; altissimus, congratulari eis in omnibus donis spiritualibus et virtutibus.

Dist. IV. Item, altus, congratulari consanguineis in omni profectu; altior, congratulari extraneis; altissimus, congratulari inimicis.

Dist. V. Item, altus, cum ad congratulandum instigat natura; altior, cum Scriptura; altissimus, cum hoc facit inspiratio divina.

Capitulum XVIII.

Gradus abstinentiae.

Dist. I. Altus gradus abstinentiae est vitare superflua oblectamenta corporis in victu et in vestitu; altior, vitare oblectamenta carnis, quae subito veniunt et subito transeunt, ut luxuriari vel audire detractiones et similia; altissimus, vitare delectabilia spiritus, quae cito veniunt et diu permanent, sicut amicitia temporalis et gaudium mundanum.

Dist. II. Item, altus est libenter vitare illicita oblectamenta, quae homo difficulter habere potest; altior, vitare delectabilia, quae faciliter habere potest; altissimus, vitare licita delectabilia, quae habet et quibus meritorie uti potest; unde poeta [5]:

Virtus est licitis abstinuisse bonis.

Dist. III. Item, altus est fugere consolationem transitoriam in omnibus visibilibus propter Deum; altior, fugere consolationem Angelorum propter Deum, ut Magdalena, quae non curavit videre Angelos propter Christum, quem amiserat [6]; altissimus, vitare ad tempus consolationem, quae potest haberi in ipso Creatore, propter salutem proximorum sicut Apostolus, qui dixit: *Optabam esse anathema a Christo pro fratribus meis.*

Capitulum XIX.

Gradus concordiae.

Dist. I. Altus gradus concordiae est concordare cum sanctis hominibus in sancta conversatione; altior, concordare cum Angelis in vita pura et laude Dei; altissimus, concordare cum Deo in perfecta voluntate.

Dist. II. Item, altus est concordare cum subditis, defectibus eorum compatiendo; altior, concordare cum paribus, profectibus eorum congaudendo; altissimus, concordare cum praelatis, voluntati eorum in omnibus obtemperando.

Dist. III. Item, altus est concordare cum sanctis et bonis, praecepta Dei servando; altior, cum perfectis, consilia Dei perficiendo; altissimus, cum perfectis, divinis se moribus conformando.

Dist. IV. Item, altus est concordare cum omnibus hominibus propter quietem propriam, ne homo in se ipso affligatur; altior, concordare cum omnibus, ne bona societas dissolvatur [7]; altissimus, concordare cum omnibus, ne propter inquietudinem cordis Deus a te, vel tu a Deo ad breve, vel ad longum tempus alienetur.

Capitulum XX.

Gradus gratitudinis.

Dist. I. Altus gradus gratitudinis est digne ponderare naturalia dona corporis, scilicet quinque sensus et membra;

---

[1] Epist. II. Cor. 11, 29. Explicatio est secundum Glossam *interlinearem* apud Petr. Lombard. et Lyranum in hunc locum; cfr. August., Enarrat. in Ps. 101. serm. 1. n. 4. In fine post *compassionis* D E addunt *dicit Glossa.*

[2] Libr. II. Reg. 1, 18. seqq. Ibid. 18, 33. de planctu David super Absalom. — Subinde allegatur Iob 30, 25. et respicitur Luc. 19, 41: Videns civitatem flevit super illam.

[3] Gen. 1, 26. seq. et 5, 1. — Inferius respicitur Ezech. 28, 12: Tu signaculum similitudinis etc. — Superius et inferius pro *quod* B *eo quod.*

[4] Cod. B addit *reliquis.*

[5] Ovid., Epist. 17. v. 8, ubi pro *licitis* textus originalis *placitis.*

[6] Ioan. 20, 12. seq., ubi dicitur, quod ipsa, Angelis respondens: « Quia tulerunt Dominum meum, et nescio, ubi posuerunt eum », *conversa est retrorsum et vidit Iesum stantem* etc. — Subinde allegatur Rom. 9, 3.

[7] Ita B; D E *ne quis propter inquietudinem cordis sui de te habeat querulari.* Inferius post *ad longum tempus* B addit *vel aeternaliter.*

altior, digne ponderare naturalia dona animae, scilicet memoriam, intelligentiam et voluntatem; altissimus, digne ponderare dona gratuita animae, scilicet virtutes et dona Spiritus sancti.

Item, altus est ponderare dona temporalia a Deo col- Dist. II. lata; altior, ponderare tempus collatum ad bene vivendum; altissimus, digne ponderare dona aeterna a Deo percipienda.

Item, altus est gratias agere de Scripturis veteris Dist. III. testamenti; altior est gratias agere de septem Sacramentis; altissimus, gratias agere de doctrina Christi, eius moribus et exemplis.

Item, altus est gratias agere de omnibus creaturis Dist. IV. in terra; altior, gratias agere de sanctis Angelis, qui sunt in caelis et nobis ministrant in terris; altissimus, gratias agere de omnibus bonis, quae sunt in Deo.

Capitulum XXI.

Gradus religionis.

Altus gradus religionis est cognoscere omnia impedi- Dist. I. menta religionis et ea odire, sicut est otium, dissolutio, mala societas, curiositas, nimia libertas; altior, cognoscere omnia incitamenta religionis et ea desiderare, ut est maturitas, solitudo, taciturnitas, bona societas, bona exempla; altissimus est se exercere in operibus, quae pertinent ad religionem, ut virtutes etc.

Item, altus est servare omnia praecepta religionis; Dist. II. altior, servare omnia vota religionis, non solum maxima, sed et minima; Ecclesiastici decimo nono[1]: *Qui minima negligit paulatim decidet;* altissimus, imitari optimos in religione et ipsis se conformare.

Item, altus est relinquere res temporales; altior, re- Dist. III. linquere omnes amicos; altissimus, relinquere propriam voluntatem.

Item, altus est amare et servare religionem propter Dist. IV. poenam mandati, quae debetur irreligiosis; altior, propter spem gratiae in praesenti et gloriae in futuro; altissimus, amare simpliciter[2] propter Deum.

Item, altus, niti ad proprios defectus vincendos, qui Dist. V. semper pullulant; altior, semper niti ad crescendum in virtutibus et donis spiritualibus; altissimus, semper dolere, quod non potest omnes defectus devincere nec semper virtutes augere.

Capitulum XXII.

Gradus contritionis.

Altus gradus contritionis est ex corde dolere de omni- Dist. I. bus peccatis mortalibus; altior, dolere pro venialibus magnis; altissimus, dolere pro minimis.

Item, altus, vehementer dolere pro peccatis operum; Dist. II. altior, pro peccatis verborum; altissimus, pro peccatis cogitationum et affectionum.

Item, altus, dolere de commissione malorum; altior, Dist. III. de omissione bonorum; altissimus, de perditione temporum.

Item, altus, dolere de peccatis manifestis; altior, de Dist. IV. peccatis occultis; Psalmus[3]: *Ab occultis meis munda me, Domine;* altissimus, dolere de peccatis, quae Deus solus scit; Apostolus: *Nihil mihi conscius sum* etc.

Item, altus, dolere de damno, quod homo sibi per Dist. V. peccatum intulit; altior, quod communitati intulit; altissimus, pro contumelia, quam Deo intulit.

Item, altus, cum contritione deletur culpa; altior, Dist. VI. cum deletur culpa et pars poenae; altissimus, cum culpa deletur et omnis poena.

Item, in alto est qui dolorem mentis indicat in ore Dist. VI[I]. pure confitendo; in altiori, qui indicat oculis lacrymando; in altissimo, qui indicat in opere, ieiuniis, vigiliis et disciplinis carnem affligendo.

Capitulum XXIII.

Gradus confessionis.

Altus gradus confessionis est declarare secundum prae- Dist. I. ceptum Apostolici[4] semel in anno omnia peccata illius anni; altior, confiteri singulis mensibus; altissimus, confiteri semel in die, cum scriptum sit: *Septies in die cadit iustus et resurgit* per confessionem.

Item, in alto est quem ad confitendum movet horror Dist. II. et foetor peccati; in altiori, quem movet desiderium regni caelestis; in altissimo, quem movet amor Dei.

Item, in alto est qui confitetur, ut a maculis emun- Dist. II[I]. detur; in altiori, ut per munditiam Sanctis assimiletur; in altissimo, ut per munditiam Deo habitaculum praeparetur.

Capitulum XXIV.

Gradus satisfactionis.

Altus gradus satisfactionis est digne emendare pec- Dist. I. cata propria; altior, peccata bonorum hominum; altissimus, emendare peccata malorum.

Item, altus, emendare peccata consanguineorum; al- Dist. I[I]. tior, extraneorum; altissimus, inimicorum.

Item, altus est emendare peccata in domo propria; Dist. I[II]. altior, in peregrinatione; altissimus, in Monasterio vel eremo.

Item, altus est emendare peccata in claustro rigido; Dist. I[V]. altior, emendare in claustro rigidiori; altissimus, in rigidissimo claustro.

Item, altus gradus est emendare peccata eleemosynis; Dist. [V]. altior, bonis operibus corporis, scilicet ieiuniis, orationibus, peregrinationibus; altissimus, passionibus corporis, scilicet lacrymis, disciplinis, ciliciis. Maior enim est perfectio adversa tolerare patienter quam bonis operibus insudare.

---

[1] Cap. 19, 1: Qui spernit modica paulatim decidet.

[2] Cod. B *amare religionem prae omnibus.*

[3] Psalm. 18, 13. Codd. D E *altior, de peccatis, quae occulte fecit; Psalmus* etc. — Subinde allegatur I. Cor. 4, 4. — Inferius pro *quae Deus solus scit* B *soli Deo cognitis.*

[4] Innocentii III. in Concilio Lateran. IV. c. *Omnis utriusque sexus* (V. Decret. Gregor. IX. tit. 38. c. 12.). — Subinde allegatur Prov. 24, 16. — Inferius pro *semel in die* edd. cum A *semel in septimana,* quae deinde tres alios gradus confessionis ab Oudino impugnatos (cfr. supra pag. 646, nota 1.) exhibent: Item, altus gradus est confiteri tantum uni sacerdoti iuxta illud [Matth. 8. 4.]: *Vade, ostende te sacerdoti* [Vat. cum ed. 2 *sacerdotibus*]; altior est confiteri pluribus sacerdotibus saecularibus, iuxta illud [Luc. 14, 17.]: *Ite, ostendite vos sacerdotibus;* altissimus, confiteri pluribus sacerdotibus religiosis, qui diligentes sunt circa confessionem et confitentes.

CAPITULUM XXV.

Gradus contemplationis.

Dist. I. Altus gradus contemplationis est cognoscere Deum in creaturis; altior, in Scripturis; altissimus, in sua potentia, sapientia et bonitate.

Dist. II. Item, altus, cognoscere Deum in hominibus, qui *ad imaginem* eius creati sunt; altior, cognoscere ipsum in Angelis, qui sunt *signaculum similitudinis Dei* [1]; altissimus, cognoscere Deum in sua substantia.

Dist. III. Item, altus, cognoscere Deum in suis operibus; altior, in suis moribus; altissimus, in claritate sua; Ioannis decimo septimo [2]: *Ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi, priusquam mundus fieret.*

Dist. IV. Item, in altum tendit qui abstrabit animam suam ab omnibus transitoriis et colligit eam ad se ipsam; ad altiorem, qui cognoscit, qualis sit in se anima collecta super corpus et sine corpore et secundum quem imaginata [3]; ad altissimum tendit qui cognoscit Deum, ad cuius imaginem factus est, et pro *posse* suo illi se conformat.

CAPITULUM XXVI.

Gradus discretionis.

Dist. I. Altus gradus discretionis est secundum ordinationem Dei uti donis temporalibus; altior, uti donis naturalibus in corpore et anima; altissimus, uti gratuitis donis in anima.

Dist. II. Item, altus, servare praecepta Scripturae; altior, consilia Scripturae; altissimus, servare doctrinam, et quantum possibile est, mores Iesu Christi.

Dist. III. Item, altus est cognoscere varia Dei beneficia; altior, de beneficiis eius gratias agere; altissimus, laudare divinam bonitatem, quae se ipsam cogit ad dandum beneficia.

Dist. IV. Item, altus est cautum esse coram saecularibus, ne scandalizentur; altior, coram Religiosis, ut aedificentur; altissimus, coram Deo iudice, ne offendatur.

CAPITULUM XXVII.

Gradus spei.

Dist. I. Altus gradus spei est exspectare caelestem hereditatem, quam daturum se nobis obligavit per pignus, scilicet Spiritus sancti in baptismo [4]; altior, exspectare beatitudinis hereditatem, quam nobis se daturum iuramento firmavit; Lucae primo: *Iusiurandum, quod iuravit* etc.; altissimus, exspectare eandem, sicut nobis in Lege et Prophetis promisit; Isaias: *Regem in decore suo videbunt;* et iterum: *Oculus non vidit, Deus absque te, quae praeparasti exspectantibus te.*

Dist. II. Item, in alto est qui exspectat beatitudinem ex operibus misericordiae et iustitiae, in quibus se diu exercuit; in altiori est qui eam exspectat ex passione Christi, qui nobis eam promeruit; in altissimo, qui eam exspectat ex mera bonitate et misericordia Dei, qui nos ad eam creavit.

Dist. III. Item, in alto est quem certificat de aeterna beatitudine bene discussa conscientia; in altiori, quem certificat de ea veteris et novae legis Scriptura; in altissimo, quem certificat inspiratio divina.

Dist. IV. Item, altum tenet qui exspectat eam ex multiplici intercessione Sanctorum in via et illorum in patria; altiorem, qui exspectat eam ex diligenti custodia Angelorum; altissimum, qui eam exspectat ex diligentissima custodia divina; unde Augustinus [5]: « Perfectioribus adest ipse Deus ad custodiam, imperfectioribus vero Angeli ».

CAPITULUM XXVIII.

Gradus timoris.

Dist. I. Infimus gradus timoris est timere iudicem saecularem; altior, timere spiritualem; altissimus, timere iudicem aeternum.

Dist. II. Item, altus est timere iudicem Deum, qui potest punire corpus et animam in hoc mundo; altior, timere eundem, qui punire potest animam in purgatorio; altissimus, *qui potest corpus et animam mittere in gehennam* [6].

Dist. III. Item, in alto est, quem timor cogit fugere omnia, quae elongant a familiaritate Dei ad breve tempus; in altiori, qui fugit timore ea quae faciunt elongationem familiaritatis Dei longo tempore; in altissimo, quem timor cogit fugere, quae separant a fruitione Dei omni tempore.

Dist. IV. Item, in alto est, cui timor suadet semper requirere voluntatem Dei, iuxta illud [7]: *Qui timet Deum inquiret quae placita sunt ei;* in altiori, cui timor suadet nunquam negligere, sed semper perficere voluntatem Dei; in altissimo est, cui timor omnia bona conservat; Ecclesiastici vigesimo quinto: *Timor Domini omnibus se superponit,* quasi signaculum omnia conservans.

CAPITULUM XXIX.

Gradus doloris.

Dist. I. Altus gradus doloris est tristari ex corde de omni incommodo proximorum corporali; altior, tristari de eorum omni incommodo spirituali; altissimus, tristari de omni contumelia Dei.

Dist. II. Item, altus est tristari, quod animae continue peccatis venialibus maculantur; altior, tristari, quod animae mortalibus vulnerantur; Bernardus [8]: « Cogita, homo, quam aspera sunt peccatorum vulnera, pro quibus Dominum Iesum oportuit vulnerari »; altissimus, dolere, quod

---

[1] Cfr. supra pag. 651, nota 3.

[2] Vers. 24, ubi pro *priusquam mundus fieret* (cfr. ibid. v. 5.) Vulgata *quia dilexisti me ante constitutionem mundi.*

[3] Du Cange, Glossarium etc.: *Imaginare*, imaginem rei alicuius referre, effingere. — Pro *secundum quem* B *secundum quam* (scil. imaginem).

[4] Eph. 1, 13. seq.: In quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostrae etc. — Subinde allegantur Luc. 1, 73; Isai. 33, 17. et 64, 4.

[5] De Agone christiano, c. 8. n. 9: Sed quoniam mundas animas rationales per se ipse Deus curat, sive in optimis et magnis Angelis, sive in hominibus tota sibi voluntate servientibus, cetera vero per ipsos gubernat, verissime dici potuit etiam illud ab Apostolo [I. Cor. 9, 9.]: *Non enim de bobus cura est Deo.*

[6] Matth. 10, 28; Luc. 12, 5.

[7] Eccli. 2, 19: Qui timent Dominum inquirent quae beneplacita sunt ei. — Subinde in fine secundi gradus B addit Eccle. 7, 19: Nam *qui timet Deum nihil negligit* (cui edd. cum A subiungunt Eccli. 15, 1: *Qui timet Deum faciet bona*). Inferius allegatur Eccli. 25, 14: Timor Dei super omnia se superposuit.

[8] Meditat. piissim. de cognitione humanae conditionis (inter opera Bernardi), c. 3. n. 9: Agnosce, homo, quam nobilis est anima tua, et quam gravia fuerint eius vulnera, pro quibus necesse fuit Christum Dominum vulnerari. — Subinde respicitur Rom. 6, 3: An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus?

vulnera Christi quotidie innovantur, cum *baptizati in morte Christi* peccati mortalis vulnere sauciantur.

Item, altus, dolere de pronitate [1] cadendi in peccatum;
Dist. III. altior, de tarditate surgendi a malo; altissimus est dolere
de difficultate perseverandi in bono.

Item, altus est tristari de debilitate perficiendi bo-
Dist. IV. num; altior, de debilitate resistendi malo; altissimus, de
fortitudine perpetrandi malum [2].

Item, altus, dolere, quod tam parum curantur exem-
Dist. V. pla bonorum in terra; altior, quod tam parum curantur
exempla perfectiora Sanctorum in patria; altissimus, quod
tam parum curantur exempla perfectissima Iesu Christi,
per quatuor Evangelia nobis testificata.

Capitulum XXX.

Gradus gaudii.

Altus gradus gaudii est hic laetari et in futuro de
Dist. I. aeterna societate inferiorum Angelorum et Sanctorum; al-
tior, laetari de aeterna societate superiorum Angelorum et
Sanctorum, praecipue Virginis Mariae, quae est super omnes
Angelos et Sanctos; altissimus, de aeterna societate Dei.

Item, altus, laetari de mundissimo corpore Christi, Dist. II.
quod sibi sumsit de purissimo [3] sanguine Virginis Mariae,
quod videbitur a Sanctis in aeternum carnalibus oculis; al-
tior, laetari de perfectissima anima Christi omnibus virtuti-
bus et donis spiritualibus plena, quia non accepit *Spiri-
tum sanctum ad mensuram* [4]; altissimus, laetari de Divi-
nitate Christi, quam habet communem cum Patre et Spi-
ritu sancto aeternaliter.

Item, altus, laetari de meritoriis cogitationibus et Dist. III.
voluntatibus; altior, laetari de meritoriis locutionibus; al-
tissimus, de meritoriis operationibus.

Item, altus, laetari hic et in futuro de exteriori san- Dist. IV.
cta conversatione; altior, laetari de interiori affectionum
ordinatione; altissimus, laetari de mentis securitate; Pro-
verbiorum decimo quinto [5]: *Secura mens, quasi iugc con-
vivium.*

Item, altus, laetari de sanctae Trinitatis visione; al- Dist. V.
tior, de eiusdem aeterna fruitione; altissimus, laetari de
eiusdem aeterna unione, ad quam nos perducat qui per
infinita saeculorum saecula vivit et regnat. Amen [6].

Explicit Summa de gradibus virtutum.

---

[1] Codd. B C D E *promptitudine*.
[2] Cfr. Rom. 7, 14. seqq.
[3] Codd. D E *mundissimo*. Inferius pro *carnalibus* B *corporalibus*.
[4] Ioan. 3, 34.
[5] Vers. 15.
[6] Edd. cum A hic addunt: Propterea nos hortatur Augustinus [cfr. de Diligendo Deo, inter opera August., c. 3. seq. et Tract. de caritate, inter opera Bernardi, c. 22. n. 71.], dicens: « O anima, mirabilis creatura, quo te deiicis? Terram amas, melior es; solem miraris, pulcrior es; caelum contemplaris, altior es; solo creatore tuo inferior. Si vis ergo progredi in me, et ego transiens in te; exi totaliter de te, traham te in me, et introduc me, et sic nec in te nec in ulla creaturarum quidquam amabis praeter me ». Idem [cfr. II. de Genesi contra Manich. c. 9. n. 12; Epist. 55. alias 119. c. 5. n. 9; Epist. 140. alias 120. c. 2. n. 3. seq. et c. 23. n. 56; de Spiritu et anima, inter opera August., c. 47; vide etiam supra pag. 39, notam 1.]: « Anima inter Deum et creaturas media posita est, conversione ad Deum illuminatur, melioratur, perficitur; conversione autem ad creaturas obtenebratur, deterioratur, occiditur ». Item [IX. Confess. c. 1. n. 1.]: « Deus intrabit in animam omni voluptate dulcior, omni luce clarior, omni honore sublimior, omni secreto interior ». Gregorius [XVIII. Moral. c. 9. n. 16.]: « Esse quidem sine delectatione anima non potest, aut enim delectatur in summis, aut in infimis ». Glossa super Ecclesiasticum [Glossa *ordinaria* in Eccli. 2, 20.]: « Felix anima, quae quotidie mundat cor suum, ut recipiat habitatorem Deum, cuius possessor nullo eget bono, quia omnium bonorum auctorem in se habet ». Augustinus [cfr. de Vita christiana, inter opera August., c. 5.]: « Magna Dei pietas et ineffabilis bonitas, qui hominem ad vitam aeternam praedestinatum, mori non permittit, nisi in eo statu, quo melior futurus non est; tollit etiam damnandos, cum noscit eos peiores futuros, ut sic minus puniantur, et iusti eorum exemplo non corrumpantur ».

OPUSCULUM IV.

COLLATIO DE CONTEMPTU SAECULI[1].

1. Nota. Septem sunt in mundo, quae si homo bene perpenderet et attente consideraret, facile mundum contemneret, vinceret et fugeret et ad serviendum Deo se conferret. « Deo enim servire regnare est[2] », sed mundo servire est servitium perdere.

...tem sunt ...sideranda.

2. Primum est *labor amatores mundi fatigans*. « Quis enim in honore sine dolore, in praelatione sine tribulatione, in sublimitate sine vanitate esse poterit[3] » ? Unde damnati in fine dicent: *Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, ambulavimus vias difficiles.* « Reprobi hic fatigantur in desideriis, postea cruciantur in tormentis[4] ». « Magna est proinde securitas cordis nihil habere concupiscentiae saecularis. Nam si ad terrena adipiscenda inhiat, securum tranquillumque nullatenus esse potest, quia aut non habita concupiscit, ut habeat, aut adepta metuit, ne perdat ». *Nolite* ergo, carissimi, *diligere mundum neque ea quae in mundo sunt*[5], scilicet delicias et divitias. « Beatus homo, qui scit Christum Iesum, etiam si alia nescit; infelix, qui scit omnia alia, illum autem nescit ». Unde versus:

...e primo.

Hoc est nescire sine Christo plurima scire;
Si Christum bene scis, satis est, si cetera nescis.

3. Secundum est *negligentia melioris boni* ex amore mundi. Amatores enim mundi adeo intenti et diligentes sunt circa bona terrena acquirenda, quod omnes negligunt aeterna. Amator enim mundi huius quanto amplius Dei obliviscitur, tanto plus a Deo derelinquitur, et mens ipsius obdurescit. « Quanto quis malis adhaeret, tanto minus intelligit bona, quae perdit[6] ». Contemnentes etiam Deum minime sentiunt, quantum sit mali, quod ipsi agunt. « Sancti etenim viri, quia nihil huius mundi diligunt, sed caelestem patriam appetunt, magna tranquillitate vivunt[7] »; huius autem mundi felicitas magna est infelicitas. O quam felix est cui datum est mundum contemnere et Christo servire! Omni libertate melior est servitus Christi[8].

...ecundo.

4. Tertium, quod nos excitare debet ad contemptum mundi et rerum temporalium, est *vanitas ipsarum*. « Laetitia saeculi vanitas est: cum magna exspectatione speratur, ut veniat, et non potest teneri, cum venerit, et transeunt omnia et evolant omnia et sicut fumus evanescunt, et vae qui amant talia[9] »! Unde quidam:

De tertio.

Praeterit ista dies, nescitur origo secundi,
An labor, an requies; sic transit gloria mundi.

Ecce, *mundus transit et concupiscentia eius*[10]. « Quid ergo vis? An amare temporalia et transire cum tempore, an Christum amare et in aeternum vivere »? « Unde perfecti viri indesinenter brevitatem praesentis vitae respiciunt, quasi quotidie morientes vivunt, et tanto sollicitius ad ventura se praeparant, quanto et nulla esse transitoria semper ex fine pensant. Immensum est quod sine termino sequitur, et parum est quidquid finitur[11] ». « Et quo verius summa cognoscunt, eo subtilius terrena despiciunt, quia illuminatae mentis oculos considerationis in aeterna figunt[12] ». Et ideo « gaudia praesentis vitae, quae iniusti aestimant magna, ipsi deputant ut stercora », et ea quae saeculi amatoribus cara sunt, ipsi velut adversam rem fugiunt. Alienos enim sciunt esse a Deo, quibus hoc saeculum ad omne commodum prosperatur. *O gens sine consilio et sine prudentia! Utinam saperent et intelligerent*

---

[1] De auctore huius opusculi sive potius fragmenti nihil certi dici potest. Vide Prolegomena c. III. art. I. § 4.

[2] Vide supra pag. 210, notam 15; de Diligendo Deo (inter opera August.), c. 3. et Speculum (inter opera August.), c. 33. — Vat., refragantibus cod. et ed. 1, perperam omittit *regnare est, sed mundo servire,* in ipsa etiam superius desideratur *Nota.*

[3] Bernard., Serm. 42. de Diversis, n. 3; cfr. supra pag. 45, nota 1. Cod. *esse possit.* — Subinde allegatur Sap. 5, 7.

[4] Gregor., XV. Moral. c. 23. n. 28. Ibid. XXII. c. 16. n. 35. habetur seq. sententia.

[5] Epist. I. Ioan. 2, 15. — Sententia, quae sequitur, est secundum August., V. Confess. c. 4. n. 7; cfr. supra pag. 46, nota 11.

[6] Gregor., XX. Moral. c. 14. n. 37. — Inferius pro *quod ipsi agunt* (ita cod. et ed. 1) Vat. *quod sic agunt.*

[7] Gregor., IV. Moral. c. 30. n. 58. Pro *caelestem patriam* Vat. *caelestem gratiam.*

[8] Cassiodor., in Ps. 99, 2: O libera servitus! o servitium supra cunctas dominationes eximium, quibus talis laetitia tribuitur etc.

[9] August., in Ioan. Evang. tr. 7. n. 1; cfr. supra pag. 48, nota 4.

[10] Epist. I. Ioan. 2, 17. — Sequitur sententia August. in hunc loc. tr. 2. n. 10.

[11] Gregor., VII. Moral. c. 30. n. 45. Post *pensant* textus originalis plura interserit.

[12] Gregor., VIII. Moral. c. 27. n. 46. Textus originalis *in consideratione aeternitatis figunt.* Seq. sententia habetur ibid. XV. c. 4. n. 5.

ae novissima providerent [1]! *Saperent*, scilicet damnatorum multitudinem, salvandorum paucitatem et temporalium rerum vanitatem; *intelligerent*, scilicet peccatorum multitudinem, bonorum dimissionem et temporis amissionem; *providerent*, scilicet mortis periculum, extremum iudicium et aeternum supplicium. — Mors quasi ad oculum demonstrat, esse contemnenda quaecumque in hoc mundo ab impiis quaeruntur, scilicet *divitias*, *delicias* et *honores*. *Labor quaerentium divitias* vanus ostenditur, cum homo *nudus in terram revertitur* [2]; et *labor deliciarum* inutilis probatur, quia corpus nutritum deliciis vermibus esca paratur; *ambitio honoris* infructuosa cognoscitur, quia homo sub terra conditur, et homines et iumenta vadunt super eum. Augustinus [3]: *Nolite* ergo, carissimi, *diligere mundum neque ea quae in mundo sunt:* « Dimittamus haec vana et inania. Conferamus nos ad solam inquisitionem eorum quae finem non habent. Vita haec misera est, mors incerta, subito obrepit, et post haec negligenti supplicia luenda sunt ». « *Redite ergo, praevaricatores, ad cor,* et adhaerete illi qui vos fecit. State cum illo et stabitis » [4]; « fallax et vanus est mundus, finis dubius, exitus horribilis, iudex terribilis et poena infinibilis ».

Doctrina mortis.

5. Quartum nos ad mundi contemptum sollicitans est *fugacitas gloriae mundanae*. « Dum enim libenter ac iucundissime moratur homo in mundo diuque victurum se arbitratur, subito rapitur a morte, et anima segregatur a corpore pergitque miseriis plena, tremens ac dolens in regionem penitus ignotam, occursantibus sibi daemonibus [5] ». « Ubi sunt amatores huius saeculi, qui ante paucos dies nobiscum fuerunt? Nihil ex eis remansit nisi cineres et vermes. Attende diligenter, qui sunt vel fuerunt: homines fuerunt, sicut et tu, comederunt et biberunt, *duxerunt in bonis dies suos et in puncto descenderunt ad infernum.* Hic caro vermibus, illic anima sempiternis deputatur incendiis ». *Nolite* ergo, fratres, *diligere mundum* [6], sed sequimini Christum, qui dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Ad caelestem patriam toto mentis desiderio suspirate, ut ipsam finaliter consequamini. « Non sunt hic vera solatia, sed ibi potius est vera vita [7] », ubi nunquam mors timebitur.

De quarto.

6. Quintum, quod nos ab amore mundi retrahere debet, est *periculum*, in quo sunt homines existentes in mundo. Quid enim faciunt homines saeculares, secundum mundum viventes, quam quod implicant se peccatis et confodiunt animas suas magnis vulneribus suorum peccatorum in tantum, quod non possunt ea sentire [8]. Adulteria, fraudes, furta, mendacia et cuncta mala diffusa sunt. *A maximo usque ad minimum omnes sequuntur avaritiam* [9]. *Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* Quilibet, quomodo substantiam suam faciat ampliorem, excogitat; nullus vel pauci, qualiter animam suam salvent. O quantum nunc exsultat diabolus! Omnes in proclivo vitiorum sunt; nullus vel pauci convertuntur, cuncta nobis superflua sunt expensa, terrenis inhiamus, terrena sapimus, Deum et eius mandata contemnimus, terribilia iudicia Dei audientes, non obstupescimus. *Nolite* ergo, carissimi, *diligere mundum neque ea quae in mundo sunt* [10], quia iacula diaboli sunt, sed serviamus Christo; nihil est melius et utilius bona vita.

De quinto.

7. Sextum nos sollicitans ad fugiendum de mundo est *mutabilitas rerum temporalium.* Unde legitur, quendam Philosophum dixisse: « Quando cogito de pace et quiete, quae est in corde puro, et de delectatione, quae est in intellectu Deum contemplante, de securitate et de spe, quae est in corde Deum diligente; tunc iudico, quod talibus intendere nihil aliud est quam deiformiter vivere. Caecus est qui aliis deditus est, quia deificum est omne, quod creatum est ». « Quae est ista vita nostra nisi cursus ad mortem, et quid est vivere nisi diu torqueri [11] »? « Si enim subtiliter pensetur, omne, quod agitur, poena est, miseria est ». O amatores mundi, ad quem laboratis finem? Cur vosmetipsos affligitis circa nihil, cum Creatorem omnium possidere valeatis? Quid amplius quaeritis? Quid homini sufficit, cui Conditor ipse non sufficit? *O filii hominum, usquequo gravi corde! ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium* [12]? *Nolite diligere mundum neque ea quae in mundo sunt.* Quicumque ergo vult ad terram promissionis pervenire, id est gloriam supernae patriae obtinere, necesse est, ut per virgam crucis transeat mare rubrum, ab Aegypto intrans desertum, vitam deliciosam et tenebras peccatorum deserens, assumat vitam laboriosam et moriatur cum Christo in cruce poenitentiae, ut sic in hora mortis suae mereatur audire illud dulce verbum, quod dictum est latroni: *Amen, dico tibi, hodie meeum eris in paradiso* [13].

De sexto.

8. Septimum et ultimum, quod nos debet compescere ab amore rerum mundialium, est *occultum vulnus peccati,* quod bona mundi suis amatoribus infligunt. Difficile enim est, ut inter vanitates saeculi quis positus a vitiis maneat illibatus; proximus periculo diu tutus non eris [14].

De sept[imo].

9. Felix est ergo illa anima, quae huiusmodi delectationibus oblectatur, ubi turpitudine nulla inquinatur, sed veritatis securitate purgatur, quam ita delectat lex Dei,

---

[1] Deut. 32, 29. seq. Cfr. Speculum peccatoris (inter opera August.); Bernard., Epist. 292. n. 2. et Serm. 2. in Festo Ss. Petri et Pauli, n. 7. seq. — Inferius post *intelligerent* et *providerent* Vat. cum ed. 1 addit *tria.*

[2] Iob. 1, 21.

[3] Libr. VI. Confess. c. 11. n. 19: Pereant omnia, et dimittamus haec vana et inania; conferamus nos ad solam inquisitionem veritatis. Vita haec misera est, mors incerta. Si subito obrepat, quomodo hinc exibimus, et ubi nobis discenda sunt quae hic neglleximus? An non potius huius negligentiae supplicia luenda sunt? — Allegatur I. Ioan. 2, 15.

[4] August., IV. Confess. c. 11. n. 18. Allegatur Isai. 46, 8. — Seq. sententia est Petri Blesens. († 1200), Epist. 134. in fine; Serm. 49. in fine; Serm. 56. circa medium; Serm. 62. post medium.

[5] Meditat. piissim. de cognitione humanae conditionis (inter opera Bernardi), c. 2. n. 5. et 6. (de ultima parte vide etiam Bernard., Serm. 28. de Diversis, n. 6.). Ibid. c. 3. n. 9. est seq. sententia, in qua allegatur Iob 21, 13.

[6] Epist. I. Ioan. 2, 15. — Subinde allegatur Ioan. 18, 36.

[7] August., Epist. 130. (alias 121.) c. 2. n. 3.

[8] Cfr. Gregor., V. Moral. c. 38. n. 69. — Superius pro *mundum* Vat. cum ed. 1 *saeculum.*

[9] Ier. 8, 10. et deinde 5, 8.

[10] Epist. I. Ioan. 2, 15. — Superius post *terribilia iudicia* Vat. omittit *Dei;* cod. inferius *utilius illa vita* pro *utilius bona vita.*

[11] August., XIII. de Civ. Dei, c. 10, ubi prima sententiae pars habetur. Cfr. Serm. 108. (alias 39. de Verbis Domini) c. 3. n. 3: Ipsum autem diu vivere quid est nisi ad finem currere? Serm. 84. (alias 17. de Verbis Domini) n. 2: Quid est autem diu vivere nisi diu torqueri? — Seq. sententia est Gregor., XI. Moral. c. 49. n. 66.

[12] Psalm. 4, 3, post quem I. Ioan. 2, 15. August., Serm. 19. (alias 4. ex Sirmond.) n. 5. in fine: Avari, quid vobis sufficit, si Deus ipse non vobis sufficit?

[13] Luc. 23, 43. — Pro *dictum est* cod. et ed. 1 *dictum erat.*

[14] Eccli. 3, 27: Qui amat periculum in illo peribit.

ut omnes delectationes lasciviae vincat. Cui ergo sapit Christus, amarus est illi mundus, quia, « gustato spiritu Christi, desipit omnis caro [1] ». Unde beatus Augustinus ad Dominum: « Peto, ut omnia mihi amarescant, ut tu solus dulcis animae meae appareas, qui es dulcedo ineffabilis, per quam cuncta amara dulcorantur. Tua enim dulcedo Laurentio craticulam dulcem fecit. Pro tua dulcedine *ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati* [2]; ibat Andreas securus et gaudens, quoniam ad tuam dulcedinem properabat; pro hac emenda pellem propriam Bartholomaeus dedit; pro hac gustanda veneni poculum intrepidus Ioannes potavit; hanc ut gustavit Petrus, omnium inferiorum oblitus, clamavit quasi ebrius, dicens [3]: *Domine, bonum est, nos hic esse; faciamus hic tria tabernacula.* Hic moremur et contemplemur, quia nullo alio indigemus. Unam scintillam dulcedinis iste gustavit et omnem aliam dulcedinem fastidivit. Quid, putas, dixisset, si magnam illam *dulcedinis multitudinem* Divinitatis gustasset, *quam abscondisti timentibus te* [4]? Hanc dulcedinem tuam ineffabilem et illa gustaverat virgo Agatha, de qua legimus, quod ‚laetissima et gratulanter ibat ad carcerem, quasi ad epulas invitata'. Hanc, ut reor, et ipse gustaverat, qui dicebat [5]: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te!* et iterum: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus* ». Haec Augustinus.

10. Qui ergo nihil de ista dulcedine Dei gustat sor- (Conclusio.) didari terrenis desideriis non evitat. Magnum donum Dei est vitia et delicias huius mundi abdicasse. Ululate ergo, miseri dilectores huius mundi, qui corpus ante tempus destruitis et animam interficitis. Unde infirmitates multae et mors tam repentina nisi ex ciborum nimia copia et frequenti mulierum usu? Dum dulciter vivere creditis, certe deluditis vosmetipsos; pro corpore obliviscimini animam, et ecce, corpus simul cum anima ante tempus destruitis; epulamini et inebriamini, non enim post mortem amplius facietis; *seminate corruptionem* [6], et de corruptione colligetis divinam sententiam, quam iustus ille iudex dabit in magno iudicio Dei, dicens: *Ite, maledicti, in ignem aeternum.* Heu, cor lapideum! si, cum talem tibi cogitas ob huius mundi parva solatia imminere sententiam, non formidas.

11. Sed forte quis dicat, quod vir, qui in peccatis (Obiectio solvitur.) vixit toto tempore vitae suae, in mortis articulo, accepta poenitentia, a Deo veniam obtinebit. Heu, quam vana suspicatio et falsa meditatio! Raro accidit, ut in morte mereatur divinam obtinere indulgentiam qui, dum sanus est et validus, Deum offendere non formidat. Hoc teneo, hoc verum puto, quod ei non bonus est finis, cui semper fuit mala vita. *Pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum eius*, ait Psalmista [7]; *mors* vero *peccatorum pessima; nolite* ergo, carissimi, *diligere mundum neque ea quae in mundo sunt*, sed « *fugite de medio Babylonis* [8]. Exite *de Ur Chaldaeorum*, incendio scilicet vitiorum. *Fugite et salvate animas vestras.* Convolate *ad urbes refugii*, ad loca videlicet religiosa, ubi possitis de praeteritis agere poenitentiam, in praesenti obtinere gratiam et fiducialiter futuram gloriam praestolari » [9].

Explicit collatio de contemptu saeculi.

---

[1] Bernard., Epist. 111. n. 3: Gustato spiritu, necesse est, desipere carnem; affectanti caelestia terrena non sapiunt; aeternis inhianti fastidio sunt transitoria. — Seq. sententia Augustini habetur Soliloq. animae ad Deum (inter opera August.), c. 22. Textus originalis hinc inde aliqua interserit.

[2] Act. 5, 41.

[3] Matth. 17, 4.

[4] Psalm. 30, 20.

[5] Psalm. 30, 20 et deinde Ps. 33, 9.

[6] Gal. 6, 8: Qui seminat in carne sua de carne et metet corruptionem. — Subinde allegatur Matth. 25, 41.

[7] Psalm. 115, 15. (vel. 6.). — Duo seqq. loci sunt Ps. 33, 22; I. Ioan. 2, 15.

[8] Ier. 51, 6. De *Ur Chaldaeorum* cfr. Gen. 11, 31. et 15, 7. Secundum Hieron., Hebraic. Qq. in Gen. 11, 28, *Ur* interpretatur ignis sive incendium; *Chaldaei* secundum ipsum (de Nominib. Hebraic. vet. test. de Gen.) quasi daemonia, vel quasi ubera, aut feroces. — Subinde allegatur Ier. 48, 6, et respicitur Num. 35, 11. seqq., ubi de *civitatibus refugii.*

[9] Bernard., Serm. de conversione ad clericos, c. 21. n. 37; vide supra pag. 46, notam 1. Cfr. Petr. Blesens., Serm. 62, ubi Religiosos alloquens dicit: Semel existis de Iericho, fratres mei, ascendistis de Iericho in Ierusalem, de Babylone in Sion, de Aegypto in terram promissionis, de tenebris ad lucem, de loco dissimilitudinis, de loco horroris ad domum laetitiae et salutis. Venistis de terra salsuginis ad terram habitabilem, de Ur Chaldaeorum ad refrigerium, de fame spirituali ad refectionem, de praevaricatione ad gratiam, de mundanis anxietatibus ad quietem etc.

OPUSCULUM V.

COMPENDIUM DE VIRTUTE HUMILITATIS[1].

Divisio.

Ad altitudinem humilitatis videndam primo attendamus perfectionem, *quam in se comprehendit*. Secundo, perfectionem, ad *quam disponit* vel quam quodam modo introducit. Tertio, perfectionem exemplarem, *cui nos exemplares reddit*[2].

Capitulum I.

De perfectione, quam in se comprehendit.

1. Attendendo ad primum invenies, quod habet mirabilem ordinem ad *superiora, aequalia* et *inferiora*. Nam omnibus se subdit corde, ore et opere, omnes reveretur, omnibus obedit, nulli se praefert nec praeesse appetit, immo fugit.

De ordine ad Deum.

2. Hunc autem eius ordinem possumus attendere primo respectu *Dei*, cui se totam subiiciendo[3] reddit debitum timorem, reverentiam, famulatum, obedientiam, beneficiorum recognitionem et gratiarum actionem, servitutem latriae seu homagii vel adorationem. Omnia bona soli Deo et non sibi ascribit nec suae virtuti innititur nec sensum suum sequitur, sed soli virtuti et sapientiae Dei captivat et subiicit potentiam, intelligentiam et voluntatem suam[4], non in suam laudem aut gloriam, sed Dei reducit omnia, se nihil aestimat, sed solum Deum et opera eius.

Item, ad se et proximum.

3. Ex quo patet, quomodo se habeat ad *proprium subiectum*, reddendo ei quod debet, scilicet vilificationem, contemptum et subiugationem[5]; *proximo* autem humiliter condescendit et non solum honorem et gratitudinem, sed etiam omnis humilitatis obsequium subministrat.

Respec mali.

4. Respectu etiam *mali* vel culpae reddit quod debet, scilicet detestationem et aggravationem ex parte sui subiecti, totam qualitatem peccati sibi ascribens; aliorum vero defectus alleviat, immo vix videt nec curiose inspicit nec praesumtuose iudicat.

Item poena

5. Respectu vero *poenae* illatae vel inferendae sic se habet humilis, quod omni poena se dignum reputat; et ideo patienter et iucunde et sine commotione aut detractione omnia tolerat, immo abiectiones et ignominias appetit et in solis confusionibus et opprobriis gloriatur[6].

Item, b

6. Respectu vero *boni* sic se habet humilis, quod omni bono habito vel habendo se indignum reputat; nullum bonum dicit[7] se habere ex semetipso nec ex debito aut ex merito proprio; sed si aliqua bona in se videt, non ea iactanter extollit aut praesumtuose magni pendit, sed pro *posse* minuit et occultat; aliorum vero bona *toto posse* exaltat.

Item omniu actuu

7. Respectu vero *omnium actuum* suorum et respectu totius status sui, tam exterioris quam interioris, non patitur quidquam transcendere metas suae mensurae. Ideo nullum excessum[8], nullum signum ultra proportionem suam aut suam condignitatem in se esse permittit.

Conclu

8. Patet igitur, quod ipsa est radix et mater omnis ordinis, mensurae et moderationis; et ultra hoc, vere sentiendo, mater est omnis veritatis[9]. Existimat enim omnia, prout sunt; et hoc est sibi tanquam proprium, eo quod nihil aliud videtur esse vera humilitas nisi iustitia et iusta et vera existimatio omnium secundum suum valorem, rem nullam plus, quam valet, existimans aut minus. Ex quibus patet, quod est mater omnis prudentiae et discretionis[10].

Mater v tatis

Item, p dentia

---

[1] De hoc opusculo vide Prolegomena c. III. art. I. § 5.

[2] Infra c. 3. n. 1: *perfectionem, cui nos conformat.*

[3] Bernard., Serm. 26. de diversis n. 2: Porro totius humilitatis summa in eo videtur consistere, si voluntas nostra divinae, ut dignum est, subiecta sit voluntati, sicut ait Propheta [Ps. 61, 2.]: *Nonne Deo subiecta erit anima mea?* — Du Cange, Glossarium etc.: *Homagium*, obsequium, cultus. — Codd. A C E F *se totum subiiciendo.*

[4] Epist. II. Cor. 10, 5: In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Cfr. Bonav., Comment. in Luc. 9, 23. n. 37. Vide etiam Opusc. VI. de Perfectione vitae ad Sorores, c. 2. n. 2; ibid. n. 4. de seq. numero. — Ed. omittit *se nihil aestimat, sed solum Deum et opera eius.*

[5] Cod. C hic subnectit ex libro de Similitudinibus (est Eadmeri inter opera Anselmi), c. 100. seqq. septem humilitatis gradus, quos alii codd. in fine huius opusculi referunt; cfr. infra pag. 662, nota 9.

[6] Ed. addit Gal. 6, 14: Mihi autem absit gloriari etc.

[7] Ed. *scit.*

[8] Codd. *incessum.*

[9] Cfr. infra c. 2. n. 9. seq. — Bernard., Serm. 14. in Ps. *Qui habitat*, n. 10: Profecto iustus, qui non modo non ipse sibi accipere gloriam, quae Dei est, sed ne ab alio quidem recipere velit oblatam; si tamen ille sit iustus, qui iuste quod iustum est exsequatur, qui *iustitiam suam non faciat coram hominibus* [Matth. 6, 1.], qui denique, etsi iustus fuerit, caput non levet. Haec enim virtus specialiter in humilitate consistit, haec intentionem purgat, haec quoque meritum omne eo veracius et efficacius obtinet, quo minus arrogat sibi. Cfr. Serm. 50. in Cant. n. 6, ubi de sapientia in *veritate* fundata dicit: Est enim sapientia, per quam utique quaeque res sapiunt, prout sunt, ut, verbi gratia, quae pluris natura habet pluris quoque ipsa affectio sentiat, minora minus, minima minime. — Ed. *mater est, custos et decor omnis virtutis.*

[10] Cfr. supra pag. 518, nota 6. et infra c. 2. n. 8.

ıtinatio.

9. Ex praedictis autem patet quoque, humilitatem sibi totum cor colligere et facere ipsum infra se stabiliter assistere et inhabitare; quia per intellectum *nihileitatis* [1] suae et omnis creaturae ab omni vanitate speciei creatae mentem abstrahit, abstrahendo simplificat et depurat, et conspectui lucis aeternae sive entitati primae et summae animam reddit mundam, serenam, liberam, perviam et propinquam, eo quod nihil sibi ascribit nec in aliquo sibi innititur. Semper secum fert [2] intimum sensum vel intellectum principalium operum Dei, scilicet creationis, reparationis et aeternae glorificationis.

Capitulum II.

De perfectione, ad quam disponit.

1. Attendendo autem secundum, scilicet *perfectionem, ad quam disponit* et introducit, et etiam *contrarium eius, quod expellit* perfecta humilitas; videamus primo de *expulsione contrarii*. Si enim superbia secundum Sanctos [3] est caput et regina omnium vitiorum; ergo cum contraria contrariis sanentur seu deleantur, non immerito humilitas habet quendam primatum inter virtutes; nam per ipsam solam Deus regnat in corde. — Propter hoc etiam probatur esse mater *poenitentiae* quantum ad tres eius partes, scilicet contritionem, confessionem et satisfactionem, ad quae nullus sine humilitate potest pervenire, et ad quae perfecta humilitas perfecte adducit.

xpellit trarium.

ıter poenitentiae.

2. Est etiam radix *activae* et *contemplativae* vitae: *activae* quidem, quoniam per illam currit homo ad obsequia humilitatis et ad omnes actus propriae vilificationis; *contemplativae*, quia summus actus contemplationis est in universali abnegatione omnium, quae sunt in mundo [4]; quae abnegatio, prout spectat ad contemplationem viatoris sive Sanctorum, oportet, quod fiat per contemptum seu affectum omnia respectu Dei pro nihilo ducentem et nihileitatem omnium spiritu intimo sentientem. Hic autem affectus proprie spectat ad humilitatem. — Valet etiam ad contemplationem per hoc, quod tenet cor unitum et recollectum et abstractum et super omnia creata elevatum [5] et ad omnia recte pensanda, libranda et aestimanda facit exacutum et rectificatum et, ut ita dicam, sapientificatum. — Rursus, quia de primis et universalibus aspectibus contemplationis est recta consideratio sui et suorum defectuum ac periculorum et comparatio suae modicitatis ad magnitudinem omnium, sive collective sive distributive sumtam; et quia est etiam recta comparatio suarum obligationum et obnoxietatum ad omne, cui est aliquo modo debitrix [6]: constat, quod nullus libenter et affectuose et assidue et pure praedictis considerationibus immoratur nisi perfectus humilis, cuius est proprietas illa libentius ac familiarius intueri, quae superbiam reprimunt et humilitatem nutriunt et intendunt. — Valet etiam ad eam per hoc, quod vult magis esse discipula quam magistra et plus divinae sententiae inhaerere quam opinioni aut rationi propriae; et ideo nulli opinioni humanae vel propriae pertinaciter inhaeret, divinas autem sententias reverentissime colit.

dix vitae ctivae.

contemlativae.

o prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

3. Est etiam humilitas vas et vehiculum ac nutrix *caritatis et pietatis*, tum quia suum amorem privatum penitus exstinguit, quia per eam homo *abnegat semetipsum* [7] et se pro nihilo ducit; tum quia immediate et solidissime homo subiicitur suo superiori, id est Deo; caritas autem non unit creaturam Creatori per modum superioritatis aut aequalitatis, sed solum per modum subiectionis, quasi materiam formae et tanquam mobile suo motori et tanquam sponsam Sponso; tum etiam, quia nihil est ita proprium amori, sicut excessive amare, aestimare et appretiari [8] amatum, et omnia alia respectu eius pro nihilo ducere seu abominari, si sunt contraria illi; unde illud: *Omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam*. En, vere [9] humilitas habet hoc, quia respectu Dei potens est eius connexio ad caritatem. Quare? Quia omnia restringit ad ultimum finem, qui finis est obiectum proprium caritatis; cui obiecto est annexa caritas, quae caritas nulla est sine illa humilitate. Constat autem, quod hoc non potest fieri, nisi homo contemnat omnia respectu finis ultimi, scilicet quod illum praeferat omnibus et omnia toleret propter ipsum et propter ipsum se omnibus subiiciat.

Nutrix caritatis erga Deum.

4. Sic etiam valet humilitas illa ad *amorem proximi*, tum quia nullus est perfecto pius et misericors ad proximum tam in condonandis iniuriis quam in supportandis eorum [10] peccatis et miseriis, nisi qui se longe putat inferiorem et qui se totum censet obnoxium proximo suo ad supportandum ipsum in omnibus tanquam dominum suum et imaginem Domini sui.

Erga proximum.

---

[1] Du Cange, Glossarium etc.: *Nihileitas*, qua quid nihil censetur, apud Henr. de Hassia in Spec. animae, pag. 7. Cfr. Bonav., Qq. disput. de perfectione evangelica (tom. V.), q. 1. in corp.: Ille vere sapiens est, qui veraciter recognoscit suam et aliorum *nihilitatem* et primi principii sublimitatem etc. — Superius pro *patet* A C D E *competit*, omisso *quoque*, *humilitatem* (quod etiam B F omittunt). Inferius pro *sive entitati* ed. *ipsi entitati*, quae etiam subinde omittit *ascribit*.

[2] Ed., hanc propositionem cum praecedente coniungens, *sed semper fert*. Inferius pro *reparationis* C D E F *conservationis*, ed. omittit *aeternae*.

[3] August., in Ioan. Evang. tr. 25. n. 16; Enarrat. in Ps. 18. enarrat. 2. n. 15; Gregor., XXXI. Moral. c. 45. n. 87. (cfr. supra pag. 439, nota 4.); Isidor., II. Sent. c. 38. n. 7. — Aristot., II. Ethic. c. 3: Medicationes per contraria fieri consueverunt; cfr. Gregor., XXIV. Moral. c. 2. n. 2. et II. Homil. in Evang. homil. 32. n. 1. — Inferius pro *Deus regnat* ed. (quae in nota adiecta allegat Opusc. VI. de Perfectione vitae ad Sorores, c. 2. n. 1.) *regnat virtus*.

[4] Cfr. Bonav., Comment. in Luc. 9, 28. n. 46: *Et ascendit in montem, ut oraret. Mons* enim est locus eminens et a terrenis ad caelestia porrectus, et ideo contemplationi et orationi idoneus. Talis erat hic mons; unde dicitur Matth. 17. [v. 1.], quod *duxit eos in montem excelsum seorsum*, ut scilicet sequestrati essent a turba et a terrenis. Et tales sunt divinis revelationibus apti etc. — Inferius pro *viatoris* C E *viatorum*, ed. ibi legit: *ad contemplationem, sane Sanctorum opus est, quod faciat contemptum* etc.

[5] Cfr. Bonav., Itinerar. mentis in Deum (tom. V.), c. 7. n. 5. — Superius pro *tenet* ed. *scilicet* et inferius *faciat* pro *facit*.

[6] Vide Bonav., Opusc. VI. de Perfectione vitae ad Sorores, c. 1. n. 1. seqq. — Superius pro *aspectibus* et *periculorum* ac *distributive* ed. *operationibus* et *peccatorum* ac *disiunctive*, quae etiam omittit *recta*.

[7] Matth. 16, 24; Luc. 9, 23. (cfr. Bonav., Comment. in hunc loc.). Ed. legit: *exstinguit, tum quia per eam homo abnegat semetipsum, tollit crucem suam quotidie et se pro nihilo ducit, ut sequatur Christum, tum quia* etc.

[8] Du Cange, Glossarium etc.: *Appretiari*, laudare, commendare. *Appretiare* (adpretiare, *appretiari*), pretium rei cuipiam imponere. Ed. *appretiare*. — Subinde allegatur Phil. 3, 8.

[9] Codd. C E addunt *vera*; B legit *Si vere*, qui etiam subinde cum aliis codd. pro *hoc* substituit *haec*; ed. legit: *tum vero humilitas vera habet hoc*. Inferius pro *Quare* A B C D F *Quare igitur*, ed. *et quare*, quae insuper pro *annexa* substituit *connexa* (ita etiam B F) et *Constat enim* pro *Constat autem*; vocibus *proprium caritatis* C interserit *voluntatis seu*.

[10] Ed. *aliorum*. Inferius pro *inferiorem* E *viliorem*.

Radix patientiae.

5. Est[1] etiam radix *patientiae* et *magnanimitatis* et *constantiae*, tum quia iniurias et contemptum sui amat et quaerit tanquam proprium obiectum et tanquam suum nutrimentum convenientissimum; tum quia[2] se dignum pluribus malis reputat, et ideo quasi nulla ducit ea quae patitur respectu eorum quae pati deberet; tum quia[3] omnia in quantum nihil pro nihilo ducit, et ideo tanquam praesidens conculcat totam nihileitatem entium sub pedibus suis *et omnem magnitudinem* et superbiam *extollentem se contra veritatem*[4] velut nihil reputat. — Sed etiam in illo respectu *magnanimus* agendo magnanimiter invenitur sicut in re, quae ei recte[5] opponitur. Et ideo magnanimus per quandam altitudinem laudabiliter transcendentem fertur in omnia contemnenda; cum etiam non timeat amittere honorem aut dignitatem aut quodcumque commodum temporale, tanquam lutum omnia abiiciens et aspernans, non habet, unde debeat formidare aut contristari contra adversarios; cum nec moveatur adulationibus aut blandimentis aut vulgari rumore vel fama, quin[6] potius omnia huiusmodi horreat tanquam insidiantia vitae suae, non habet, unde flectatur ad laetitiam vanam aut ad aliquod vanum; cum etiam sciat, *Deum adesse humilibus*[7], et tota innitatur Deo et non alteri, nisi in quantum Dei sunt, semper vadit armata singulari fiducia auxilii divini et intimo sensu virtutis Dei.

Item, magnanimitatis et constantiae.

Item, rigiditatis.

6. Est etiam humilitas radix omnis *rigiditatis* et severitatis in semetipsum, tum quia[8] omnia inferiora penitus vult subiici et *pro posse* subiicit suis superioribus; tum quia timore divinae maiestatis tota configitur et concutitur et carnem suam cum carnalitatibus acriter compescit.

Item, honestatis et puritatis.

7. Est etiam nutrix et conservatio *honestatis* et *puritatis*, tum quia omnem humanam pulcritudinem abiicit velut stercus[9] et humanam gloriam aspicere dedignatur et illam tanquam fumum volatilem et tanquam gravem et veram immunditiam esse sentit — constat autem, quod incentiva carnis ex obiectis oriuntur et nutriuntur; ideo sunt fugienda; sed humilitas recolligendo cor ad unitatem et ad intima[10] et abstrahendo ab omnibus reddit illud absconsum et impervium omni tentationi carnali — tum quia *componendo* et debite ordinando omnes actus et gestus, omnia verba et signa, omnem vagationem sensuum et omnes inhonestates excludit. Quod autem praedicta *compositio* spectet ad humilitatem ipsam, patet ex praemissis.

Item, dis- cretionis maturit

8. Est etiam radix et nutrix *discretionis* et *maturitatis*, tum quia semper facit sentire proprios defectus; nam in omnibus eligendis est timorata et circumspecta; tum quia nihil praesumit de propriis viribus, et ideo non est praeceps nec temeraria, cum in omnibus sequatur solum consilium Dei et Sanctorum, quia vanorum[11] hominum levitates, impetus et eorum consilia fugit et horret; tum quia nullo privato amore aut humano timore vel favore impellitur aut praecipitatur; tum quia serenissima facie omnia diiudicat, et cum se sentiat in omnibus de facili posse deficere, ideo in omnibus cautissime procedit; tum quia, sicut iam dictum est[12], tota Dei timore configitur, et ideo *cum Dei timore et tremore salutem suam operatur*, cernens, se omnia agere in conspectu Dei *omnia cernentis* et nullum defectum impune relinquentis; tum quia perfecta humilitas non solet nasci nisi post experientiam multorum casuum et calamitatum, quorum multiplex experientia non modicum iuvat ad discretionem et maturitatem.

Item, plicita iustitia verita

9. Est etiam radix et mater *simplicitatis* ac *iustitiae* et *veritatis*[13]. Humilitas enim fugat omnem hypocrisim et simulationem et duplicitatem ac mendacitatem. Haec unicuique quod suum est reddit, scilicet Deo gloriam et dominium, sibi vero subiectionem et opprobrium, proximo autem pietatem et obsequium. Et ut altius inferam, ipsa est radix illius divinissimae stultitiae, de qua Apostolus prima ad Corinthios[14] tractat, loquens de stultitia crucis, postmodum dicit: *Nos stulti propter Christum;* qua stultitia Christus nimium fuit infatuatus.

Item omni virtut

10. Et ut uno verbo, pertranseundo multa, breviter concludam: nullum est exercitium, quod ita repente et ita perfecte universitatem omnium virtutum introducat, sicut est perfecte se exercere ad sui contemptum secundum circumstantias humilitatis praemissas. Unde egregie a quodam sapiente[15] dictum est, quod humilitas est ianua

---

[1] Ed., hanc propositionem cum praecedente coniungens, *unde est*, quae subinde post *tum quia* prosequitur: *ei facile est diligere inimicos et orare pro persequentibus et calumniantibus* [Matth. 5, 44.]; *iniurias enim et contemptum sui* etc.

[2] Ed. continuat: *aquae multae tribulationum non possunt exstinguere caritatem humilis, nec flumina obruere illam* [Cant. 8, 7.]; *se enim dignum pluribus malis reputat, et ideo quasi nulla ducit ea quae ab aliis patitur.*

[3] Ed. prosequitur: *nihil est, quod impedire possit eius erga proximum caritatem; omnia enim quasi nihil et pro nihilo* etc.

[4] Epist. II. Cor. 10, 5; ed. cum Vulgata: *et omnem altitudinem* [ed. addit *id est superbiam*] *extollentem se adversus scientiam Dei* [ed. addit *scilicet contra veritatem*].

[5] Intellige *directe*. Cfr. Bonav., Collat. in Hexaëm. (tom. V.) collat. 5. n. 10. et S. Thom., Sum. II. II. q. 129. a. 3. ad 4. — Ed., post *Sed etiam* addito *humilis*, omittit *agendo... et ideo magnanimus*, quae etiam subinde pro *honorem* substituit *huiusmodi* et voci *tanquam* praefigit *sed.*

[6] Ed. *Et quoniam*, quae inferius post *vitae suae* etiam addit *spirituali.*

[7] Cfr. Iac. 4, 6. et I. Petr. 5, 5. — Ed.: *Et cum etiam humilis sciat, Deum superbis resistere, humilibus autem dare gratiam.* Inferius pro *tota*, scilicet humilitas, A *totaliter*, ed. *totus*, quae et subinde *armatus* pro *armata.*

[8] Ed. addit *humilis* ipsaque inferius post *tum quia* annectit *secundum Psalmum* [118, 120.]: *Confige timore tuo carnes meas* et substituit *totus* pro *tota* ac *a carnalitatibus* pro *cum carnalitatibus*, omisso subinde *acriter.*

[9] Phil. 3, 8: Omnia... arbitror ut stercora etc.; cfr. supra pag. 659, nota 8. — Superius post *tum quia* ed. addit *humilis.*

[10] Ed., superius pro *humilitas* posito *humilis*, hic addit *sive unum necessarium* [cfr. Luc. 10, 42.]. Pro *ad unitatem*, quod E omittit, A B C D F *ad veritatem.* Inferius pro *praedicta* A B C F *praemissa.*

[11] Ed. *vanas*, quae etiam subinde pro *impetus* substituit *respectus* et *serenissime facit omnia diiudicare* pro *serenissima facie omnia diiudicat.*

[12] Num. 6. — Inferius allegantur Phil. 2, 12: Cum metu et tremore vestram salutem operamini; Esther 16, 4: Sed Dei quoque cuncta cernentis etc. — Inferius pro *quorum* ed. *quarum.*

[13] Cfr. supra c. I. n. 8. — Inferius post *Haec* ed. addit *quoque* et pro *reddit* substituit *tribuit.*

[14] Cap 1, 18. seqq. et dein 4, 10: Nos stulti etc. Ed. legit: loquens de stultitia crucis: *Nos praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam* [v. 23.]; et post modicum [v. 27.]: *Sed quae stulta sunt mundi elegit Deus;* et iterum: *Nos stulti propter Christum;* qua stultitia Christus nimium fuit secundum mundi sapientiam infatuatus.

[15] Prov. 11, 2: Ubi autem est humilitas, ibi et sapientia. Chrysost., Homil. 47. (alias 48.) in Matth. n. 3: Haec [humilitas] est sapientiae mater. Si quis illam habeat, reliqua habebit. Libr. V. de Vitis Patrum, libell. 15. n. 22: Dixit abbas Ioannes Brevis: Quia ianua Dei est humilitas. Eccli. 3, 20: Quanto magnus es, humilia te in omnibus et coram Deo invenies gratiam. — Ed. *humilitas est ianua seu clavis sapientiae et aula seu templum gratiae Dei. Et ratio est, tum quia, sicut Deo placet honorari, ita omnia* etc. Post *concavam Deo* D addit *et Sanctis eius*, pro *tum quia, sicut Deo* C *unde sicut Deo*, et pro *Necesse est enim* E *Necesse est ergo.*

sapientiae et aula seu templum gratiae, tum quia reddit mentem totam vacuam et concavam Deo et donis eius recipiendis; tum quia, sicut Deo placet honorari, et omnia in gratiarum actione recognosci et reddi. Humilitas autem ad nihil aliud vacat nisi ad praedicta et ultra hoc ad contemnenda omnia contraria. Necesse est enim, quod mens humillima sit Deo grata, tum quia humiliter novit supplicare et petere et beneficia Dei veraciter recognoscere et detestari offensam et prosterni ante pedes Domini sui et servorum suorum; ideo super omnia impetrat veniam et gratiam et longe plus quam quaerat. Et certe, sicut in centrum omnium stellarum et caelorum aspectus et influentiae rectissimo ac per consequens solidissimo incessu concurrunt; sic omnes gratiosi aspectus Dei intensissime currunt ad humiles corde. Unde de Altissimo dicitur [1]: *Excelsus Dominus et humilia respicit et alta a longe cognoscit.* Et etiam regina humilitatis, virgo Maria, Mater Christi cantat Deo: *Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles* [2].

Capitulum III.

De perfectione, cui nos exemplares reddit.

(templaria imilitatis.) 1. Attendendo autem ad tertium, scilicet *perfectionem, cui nos conformat*, patet, quia nos *Deo* summe conformat et *Iesu Christo* et *Matri eius* et *omnibus perfectis* exemplaribus sanctitatis [3]. Licet enim in *Deum* non cadat humilitas, prout sui contemptum dicit, tamen in eo liberalissimam condescensionem, prout decet Deum, ad omnes eius creaturas, limpida consideratione cognoscere possumus. Deus enim tantae condescensionis est, ut non dedignetur assistere infimis creaturis, etiam vermiculis, immediate in se *omnia portans* [4], continens et conservans, in omnibus suam similitudinem et bonitatem pro earum capacitate diffundens. Quis etiam tantus condonator iniuriarum sicut *Christus?* De quo vere humiliato *usque ad crucem* [5] et usque ad inferos, et hoc pro suis inimicis et pro suis servis, non oportet loqui.

2. Si quaeratur: quare ita difficile est ad humilitatem attingere [6], cum actus eius non inferat passionem sensui, et tota conditio nostra clamet, nos esse viles et quasi nihil? — Sciendum, quod istud provenit in genere ex tribus: (aestio incidens solvitur.) (tio prima.) primo, ex sua propria arduitate, quia omnis virtus quanto magis ardua et perfecta, tanto ceteris paribus est inaccessibilior nostris viribus, et ideo tanto oportet [7] cum maiori conatu assurgere ad eam. — Secundo, ex forti impulsu (Secunda.) et multa appetibilitate sui contrarii vehementer contradicentis in natura rationali, quae non est plena, sed vacua Deo, et per consequens est inflata et plena ventosa aestimatione sui ipsius. Altitudo enim prioritatis et praesidentiae et singularis praecellentiae et [8] nulli subesse nulliusque legibus coarctari, sed in omnibus propriam voluntatem sequi, haec, inquam, se exhibent menti tali, et quoddam divinum *esse* et *posse* et quaedam gloria quasi Dei; et ideo est difficillimum sensus [9] et radices in tali medullitus inhabituatos a se eradicare. — Tertio, ex hoc, quod (Tertia.) contemptus sui praefert quandam imaginem ineffabilis [10] mortis et annihilationis; et ideo grandem contemptum sui homo talis reputat sicut sui annihilationem. Tantum enim homo se sentit esse et vivere in cordibus aliorum, quantum se sentit appretiari ab eis; et similiter tantum se sentit homo vivere sibi, quantum occurrit sibi ut gloriosus et ut res magna aut alicuius [11] valoris. Quantum autem huiusmodi appretiatio et fama tollitur vel minuitur et a quot cordibus sentit se non reputari; etiam a tot cordibus sentit se homo mori et annihilari [12]. Contemptus autem addit ultra hoc deiectiones et conculcationes et tanquam abominabile facit; et hoc est quodam modo peius esse quam nihil. Haec igitur causa est tantae difficultatis ad tolerandum vel ad amandum grandem contemptum vel infamiam sui, et ideo perfecta humiliatio est summum genus martyrii [13] et holocausti apud Deum.

3. Si vero quaeratur, quomodo homo veraciter se (Alia quaestio.) possit reputare omnibus hominibus inferiorem et viliorem, scias, quod hoc potest fieri multiplici via: primo comparando id *quod tibi est proprium* ad *reliqua*, secundum (Via 1. respondendi.) quod sunt opera Dei. Tibi enim proprium est esse de nihilo, et quantum est de se, redire in nihilum, insuper, esse nihil propter peccata [14]; et omnes defectus tui sunt tibi proprii; reliqua vero, in quantum sunt opera Dei et ipsum participantia, non habent propriam rationem mali. Si autem hoc modo compares te illis, invenies te in infinitum viliorem illis. Et hanc viam docet Anselmus [15].

4. Secundam ponit beatus Augustinus, et habetur in (Via 2..) Glossa super illo verbo Apostoli ad Philippenses secundo

---

[1] Psalm. 137, 6. — Superius ed., posito *in creatis* pro *in centrum* (C *in centro*), post *concurrunt* prosequitur: *ad terram fecundandam et aquae ad valles; sic gratiosi aspectus Dei et aquae gratiarum eius concurrunt ad humiles corde.*

[2] Luc. 1, 52. Ed. addit: *unde: Respexit humilitatem ancillae suae* [v. 48.].

[3] Cfr. Bonav., Opusc. VI. de Perfectione vitae ad Sorores, c. 2. n. 7, ubi Christus, Virgo Maria, S. Franciscus et Clara tanquam magistri humilitatis proponuntur. — Superius pro *quia nas Deo summe conformat* ed. *quod nos Deo summo conformat*, omisso subinde *perfectis;* codd. inferius ante *prout decet* addunt *et.*

[4] Hebr. 1, 3. — Inferius pro *suam similitudinem* ed. *suum vestigium, aut similitudinem* et *eorum* pro *earum.*

[5] Respicitur Phil. 2, 8. Ed.: *usque ad mortem, mortem autem crucis* et *non opus est* pro *non oportet.*

[6] Ed. *pertingere*, quae etiam inferius pro *ex tribus* substituit *ex talibus.*

[7] Ed. *opus est.*

[8] Ed. *et sui etiam praecellentiae est*, subinde pro *haec, inquam* substituens *habet, in quantum.*

[9] Ed. *sentes has* et inferius *inolitas eradicare* pro *inhabituatos a se eradicare.*

[10] Ed. *infamis.* Inferius pro *homo talis reputat* E *horret homo.*

[11] Cod. F et ed. *virtus.*

[12] Ed. addit: *unde Psalmus* [30, 13.]: *Oblivioni datus sum, tanquam mortuus a corde* subindeque vocibus *et abominabile* interserit *tanquam vas perditum* [Ps. 30, 13.], *id est.* Pro *deiectiones et conculcationes* E *sensum conculcationis et deiectionis.*

[13] Ed. *ministerii.*

[14] August., in Ioan. Evang. tr. 1. n. 13: Peccatum quidem non per ipsum [Verbum] factum est, et manifestum est, quia peccatum [quatenus privatio est] nihil est, et nihil fiunt homines, cum peccant — Superius pro *quantum est de se* ed. *quantum est de te* et inferius *defectus tuos, qui sunt* pro *defectus tui sunt.*

[15] Potius Eadmer., de S. Anselmi similitudinibus (inter opera Anselmi), c. 110: Si enim nos aliis volumus comparare, ea tantum debemus considerare quae a nobis sunt in nobis, non a Deo quasi praestita nobis; sic namque agit qui de bonis a Deo sibi praestitis super alium extollitur, velut qui vestibus alienis indutus gloriatur. Non ergo haec aliorum bonis comparare debemus, sed mala tantum nostra, quae a nobis in nobis habemus. Quod si fecerimus — mala videlicet nostra bonis aliorum ut conferamus — nos inferiores esse ceteris omnibus nobis ipsis videbitur etc. — Pro *compares* A B C D *comparares.*

capitulo [1]: *In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes*, ubi dicit: « Non debemus ficta aestimatione hoc facere, sed vere aestimemus, posse esse aliquod bonum occultum in alio, quo nobis superior sit; etiam si bonum nostrum, quo ipsi videmur superiores, non sit occultum ». Dicit etiam Ambrosius in libro de Virginitate [2], quod quidam plerumque habent multa bona exteriora, sed intus minora; quidam vero habent pauca exterius, sed habent multa occulta bona interius, quae praevalent omnibus istis, utpote aliquis coniugatus habet habitum martyrii, id est virtutem sufficientem ad sufferendum martyrium, quam aliunde virgo non habet, aut non tantam, quantam alius. Et ideo Gregorius super illud Iob [3]: *Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea*, dicit: « Semper minus debet homo aestimare bona sua quam alterius ».

5. Tertio [4] fit hoc per fortem affectum et gustum
Via 3. suorum defectuum. Sicut enim patiens dolorem dentium se aestimat prae aliis pati, non quod tantum videat dolorem suum esse maiorem, sed quia intimius et fortius dolorem suum quam alium advertit; sic etiam in proposito debet esse. Et hoc tertio modo *vas electionis* [5], beatus Paulus, *doctor gentium*, dicit se *primum*, id est maximum peccatorem.

6. Quarto modo potest fieri istud, comparando illud quod ipse reddidit Deo respectu gratiarum, quas ipse sibi Via 4.
fecit, ad id quod alius reddidit respectu eorum quae a Deo recepit, aut ad id quod Deo alius redderet, si tanta et talia a Deo recepisset, sicut ipse. Et hoc modo beatus Pater Franciscus dicebat et sentiebat se maximum peccatorem, quia aestimabat, quod non esset ribaldus, qui non gratior fuisset Deo, si tanta beneficia gratiarum recepisset a Deo, sicut ipse acceperat [6].

7. Quinto modo, consideratione divinorum iudiciorum, Via 5.
quia secundum beatum Gregorium vigesimo quinto Moralium [7] super illud Iob trigesimo quarto capitulo: *Conteret multos et innumerabiles et faciet alios stare pro eis*, dicitur: « Saepe contingit, ut ii qui stare videntur humano iudicio, iam in conspectu aeterni iudicis iaceant, et qui adhuc coram hominibus iacent, iam in conspectu aeterni iudicis stent ». Et dat exemplum de Iuda de apostolatu cadente et de latrone in cruce pendente; et addit illud Apostoli [8]: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam;* et illud beati Pauli: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* Et « fortasse illi quos despeximus, et tardius poterunt surgere et vitam malam ferventioribus studiis expiare » etc.

Explicit compendium de virtute humilitatis [9].

---

[1] Vers. 3. Glossa est *ordinaria*, sumta ex August., 83 Qq. q. 71. n. 5. In fine pro *quo ipsi* Augustin. *quo illo,* et post *non sit* A B C F addunt *coram se,* D E *nobis.* Ed. omittit *et habetur in Glossa.*

[2] Intellige de Institutione virginis, c. 3. n. 17. seq., ubi docet, Deum ideo hominem non statim post ipsius creationem laudasse, quia eius dignitas cum aliis rebus comparata non in corpore visibili et donis extrinsecis consistit, sed in anima imagine Dei intrinsece ac occulte insignita et virtutibus exornanda. Ex his allegat ed. haec: in libro de Virginitate, laudem hominis esse ponendam « non in forensi pelle, sed in interiore homine, quem praeclare definivit Apostolus Petrus [I. c. 3, 4.] dicens: *absconditum esse cordis hominem in incorruptione quieti et modesti spiritus, qui est ante Deum locuples* ». Dein ed. prosequitur: *Et vero contingit, quod quidam plerumque* etc. Inferius pro *martyrii* et *martyrium* ed. *matrimonii* et *matrimonium.*

[3] Cap. 9, 21, quem Gregor., IX. Moral. c. 25. n. 37, ita exponit: Plerumque, si scimus bona, quae agimus, ad elationem ducimur; si nescimus, minime servamus... sed contra utraque quid superest, nisi ut recta, quae agimus, sciendo nesciamus, ut haec et recta aestimemus et minima, quatenus et ad custodiam sensificet animum scientia rectitudinis, et in tumorem non elevet aestimatio minorationis? Pro *bona sua quam alterius* codd. *dona sua quam dona alterius.*

[4] Ed. *Tertio modo*, quae etiam inferius voci *videat* praefigit *patiatur aut* et substituit *in casu proportionate* pro *in proposito.*

[5] Act. 9, 15. — Subinde allegantur I. Tim. 2, 7. et 1, 15: Quorum [peccatorum] primus ego sum.

[6] Cfr. Bonav., Opusc. XXIII. Legenda S. Francisci, c. 6. n. 6. — Du Cange, Glossarium etc.: Usurpata deinde *ribaldorum* vox pro hominibus vilissimis, abiectis, perditis etc. Pro *quod non esset ribaldus* ed. *non esse ribaldum.*

[7] Cap. 8. n. 19, ubi explicat Iob 34, 24. Pro *aeterni iudicis*, quod bis occurrit, codd. *divini iudicii,* et pro *qui adhuc* A B D E F *qui hic.*

[8] Apoc. 3, 11, apud Gregor., loc. cit. n. 20. in fine; ibid. n. 21. illud I. Cor. 10, 12: Qui se existimat stare etc., cui Gregorius propositionem inferius insinuatam praemittit: Hi vero, quos fortasse despicimus, et tarde possunt incipere, et tamen vitam nostram ferventioribus studiis anteire. Timendum itaque est, ne, etiam nobis cadentibus, surgat qui a nobis stantibus irridetur, quamvis stare iam non novit qui non stantem novit irridere.

[9] Codd. hic, ut iam supra pag. 658, nota 5. insinuavimus, vel praemittunt vel addunt: Anselmus in libro de Similitudinibus ponit septem gradus humilitatis: primus est, se peccatorem et contemptibilem cognoscere; secundus est, affectualiter ita sentire; tertius est, hoc aliis confiteri; quartus, hoc ab aliis ita velle credi; quintus, hoc ab aliis dici; sextus, iniurias et persecutiones cum patientia tolerare; septimus, gaudere, cum ab aliis contemptibiliter tractatur, et eosdem diligere. Bonaventura ponit decem gradus humilitatis: primus, vere humilis credit, se dona Dei inficere [C se dono Dei inferiorem]; secundus, omnibus credit se viliorem; tertius, ab omnibus vult vilissimus reputari; quartus, omnibus bonis credit se indignum; quintus, omni poena se credit dignum; sextus, se ipsum horret; septimus, omnia vult sibi contrariari et soli Deo placere; octavus, vilia et gravia desiderat; nonus, vult stultus et insipiens reputari; decimus, credit, aliis mala propter se evenire.

OPUSCULUM VI.

EPISTOLA AD QUENDAM NOVITIUM

INSOLENTEM ET INSTABILEM[1].

In Christo Iesu sibi carissimo fratri salutem, in Domino confortari[2].

Occasio cribendi.

1. Vidi, carissime, faciem tuam apud Montium Castrum, venerabili Patre ministro provinciali praesente. Tunc te mihi praesentia corporalis exhibuit, nunc memoria repraesentat, et quem praesentem allocutus sum et hortatus ad bonum, absentem nunc duxi litteraliter alloquendum. Tu vero, si sapiens es, patienter audies alloquentem. Stulti et insani est non posse pati sermonem auresque more aspidis obturare[3]. Audit cum omni mansuetudine prudens ac deinde audita diiudicat. — Accepi iam dudum cum gaudio, quod Religionis sanctae habitum assumsisti, et utinam Religionis animum simul assumsisses! Siquidem non multum habitus religiosus prodest, si adsit adhuc animus saecularis. Non vestium, sed *spirituum ponderator est Dominus*[4]. At si utrumque simul, religiosa scilicet vestis et animus, melius erit; pluris Deo sunt plura quam unum. *Concupiscit rex decorem* cordis; sed vestis sancta et eum cuius amore suscipitur et defertur, honorat et proximum simul aedificat ipsum denique deferentem ad virtutem inducit et quadam interdum congruitate compellit. Quando, inquam, vestis et animus in bono conveniunt, tunc Deo in nobis maxime complacet, tunc ei *deliciae sunt esse cum filiis hominum*[5]. Intus Deum mens devota oblectat, extra vestis religiosa honorat et praedicat. Ubi autem animus malus est, vestis sancta plus gravat quam iuvat. Ergo, carissime, ex quo iam te Dominus sancto habitu decoravit, age, ut ei animus et vita concordet.

...otandum.

Via perfectionis quaerenda.

2. Quaeris, *quomodo* vivendum sit tibi, aut quae perfectionis sit via. Utinam quaeras! Nempe quaerens invenit. Qui vero stare *super vias* et interrogare de *semitis antiquis* non curat[6] nec se dirigentibus acquiescit, profecto errandum est sibi. Porro negligenter erranti imputandus est error. *Est via, quae videtur homini iusta, et novissima eius deducunt ad mortem*[7]. — Dicas forsitan: nota mihi via est, et ductore non indigeo. Nequaquam hoc ego tibi concesserim; stultae praesumtionis est eius quam nondum perambulaveris viae tibi scientiam arrogare. Stulte omnino sibi vindicat inexpertus quod vix experti praesumunt. Nec ego hanc dilectioni tuae praesumtionem impono, sed conditionaliter exhortationis gratia loquor, quod prudentiam tuam et in ceteris verbis meis intelligere volo.

...biicitur.

Vita vera Religiosi.

3. Paucis nunc tibi vitam Religiosi describam. Subiectionis humilitas, obedientiae promptitudo, abrenuntiatio temporalium et propriae voluntatis, patientiae virtus, devotionis fervor, orationis instantia, conscientiae puritas, constans propositum, exterioris conversationis modestia et honestas iugisque ad meliora profectus Religiosi vitam constituunt. Si tuum in his studium est, Religiosus es; sin alias, scias, te necdum, secundum Apostolum[8], *veterem hominem deposuisse*, sed adhuc in vetustate perduras, qui tamen in Religionis ingressu *novum hominem, qui secundum Deum creatus est, induere* debuisti. Non dico, novitium mox posse in virtutibus esse perfectum, sed debere esse in earum exercitio studiosum. Divinae studium servitutis devotis quidem perfacile, immo delectabile est, sed reprobis et perversis difficile. Difficultas haec causatur maxime a duobus, *superbia* scilicet et *tepore*. Si[9] *superbia* regnat et *tepor*, ibi Religio locum habere non potest.

Vitia duo fugienda.

Primo, contra superbiam.

4. *Superbus*, ad omne bonum inutilis et ineptus, non est susceptibilis disciplinae, gratiae seu virtutis, *quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*[10]. In tantum est Deo superbia odiosa, ut, ubi deprehenderit eam esse, ibi nec ipse habitet nec sua dignetur dona infundere. Haec est superbia, quae ita omnium spiritualium sensuum usu privat, ut hac peste laborans, Religionis sanctae pulcritudinem et virtutem audiens, non attendat, videns, non reputet, odorans, non sentiat, affectu non gustet nec ex operationis tactu discernat, recteque illi conveniat quod de simulacris dicitur[11]: *Oculos habent et non*

---

[1] De hac Epistola vide Prolegomena c. III. art. 1. § 6. — Cod. C omittit *insolentem et instabilem*.
[2] In C haec propositio desideratur.
[3] Psalm. 57, 5: Sicut aspidis surdae et obturantis aures suas. Pro *auresque* B *aurem*. — Superius pro *litteraliter* C *per litteras*.
[4] Prov. 16, 2. — Subinde allegatur Ps. 44, 12.
[5] Prov. 8, 31. — Superius pro *Quando* C *Cum*, qui etiam inferius pro *ut ei animus* substituit *ut animus*.
[6] Ier. 6, 16: State super vias et videte et interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis refrigerium animabus vestris. — Superius pro *aut quae* C *et quae*.
[7] Prov. 14, 12.
[8] Eph. 4, 22. et deinde v. 24. — Inferius post *Non dico* C addit *tibi*.
[9] Cod. C *Ubi*, omisso subinde *ibi*.
[10] Epist. I. Petr. 5, 5. et Iac. 4, 6.
[11] Psalm. 113, 13. seq.

videbunt, aures habent et non audient, nares habent et non odorabunt.

Admonitio.

5. Quamobrem, dilectissime frater, si Dei gratiam promereri, si Religionis sanctae odoribus delectari et videre, quanta sit domus Domini pulcritudo, si denique in aliquo fundari bono desideras, humilitatem amplectere, quae est bonorum omnium fundamentum. Non es Christi discipulus, nisi *corde humilis et mitis* moribus esse contendas [1]. Abiice a te, si tamen nondum abieceris, omnem superbiam, omnem praesumtionem et fastum, desine voluntati tuae et proprio sensui adhaerere, seniorum monita cum omni mansuetudine suscipe, omnem ad omnes reverentiam habe.

Cavendum ab irreverentia.

6. Rogo discretionem tuam, ut ab his [2] maxime caveas. Turpe nimis est *irreverentiae vitium* et discreto viro prorsus incongruum. Religiosi maxime viri ampliori nimirum reverentia digni sunt. Canis seu porcus et homo irreverens comparantur. Nec templum canis, nec Religiosum impudens reveretur. Et quidem vilipendere vel parvi ducere servos Dei quaedam est nativae probatio vilitatis. Hos magni praelati et principes venerantur, quos tamen viles interdum scurrae [3] non reputant.

Item, ab inobedientia.

7. Esto quoque in omnibus ad nutum *obediens* propter Deum nec te, quamdiu [4] in Ordine es, ab Ordinis obedientia putes exemptum. Alioquin, cui, obsecro, nunc subes nisi Ordini? Quis tuae nunc animae curam gerit? Quis, rogo, a tuis nunc offensionibus te absolvit, aut unde, si non es subditus, te absolvit? Inepte novitius contra obedientiam libertatem allegat. Liber quidem est, ut infra probationis annum, si vel ad saeculum, vel ad laxiorem statum voluerit apostatare, discedat, sed quod existens in Ordine sit inobediens vel rebellis, nequaquam eum liberum dixerim. In omni statu maiorum pro statu obedientia servanda est. Sed humilitas de subiectione non disputat, sponte obedit, gratis se subiicit, repugnare obedientiae nescit. Superbus vero, dum obedientiam refugit, efficitur *filius Belial*, quod dicitur *sine iugo* [5], et luciferum imitatur. Dicatur itaque disputanti: superbia tantum est, quiesce! — Sed ut ad propositum redeam, obedientia simplex, humilis et devota tibi necessaria est. Non decet modestiam tuam agere fastuose propriaeve levitatis in pluribus pueriliter agitari, sed sanctae magis obedientiae freno regi. Non valet equus, qui frenum non patitur, sed minus homo, qui obedientia non tenetur. Ignobilium personarum et vilium solet esse, ut, quasi magnum aliquid fuerint, se impudenter extollant, subiici dedignentur, renuant obedire et ingrati ad omnia, quo eos amplius beneficio vel honore allexeris, eo intolerabilius intumescant. Unde et vulgo dicitur: Qui servit rustico perdit eum. Verum animus generosus gratiam recognoscit et erubescit quam maxime de fastu vel rebellione notari.

Secundo, contra teporem.

8. Dissuasi *superbiam,* dissuadeo et *teporem.* Virtutes superbia non admittit, tepor admissas negligenter admittit [6]. Tepidus enim, dum per inertiam a sancti propositi et devotionis fervore remittitur, paulatim a virtute deflectens et in quandam accidiae dissolutionem evadens, piger et carnalis efficitur; *quae sua sunt* [7] propriaeque deserviunt voluntati amplectitur; quae Dei et Religionis sunt negligit et fastidit. Non amat, ut filius, non timet, ut servus. Talem pronuntiat Dominus ex ore suo evomendum, dicens [8]: *Utinam frigidus esses, aut calidus,* sed, *quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo,* hoc est, iuxta quod ibi exponitur, non solum a dilectione mea te evomam, sed etiam *ex ore meo*, id est de collegio Sanctorum, qui sunt *os meum*, per quos ego loquor. Per quos, obsecro, loquitur Deus? Nonne per illos, maxime qui praedicant verbum eius? Scriptum est [9]: *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris;* et iterum: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Notanda

Laudat... praedic...

9. Vocavit te ad hoc collegium Dominus, ubi, iuvante ipso, sancto potes et apostolico praedicationis officio sublimari et in conversione hominum et salute Salvatoris ipsius fieri particeps et collega. *Qui* enim *converti fecerit peccatorem ab errore viae suae salvabit animam suam a morte* [10]. Quem sanae mentis non moveat tanti officii dignitas, meritum et corona? An non dignitas, praecipuum Christi officium exercere? Quid vero maioris est meriti, quam emptas Christi sanguine animas a diaboli fraudibus revocare? Unde et praedicator fidelis non solum communi Sanctorum gloria, sed et honore *aureotae* coronandus erit [11]. Vide nunc, quanto tibi cavendum sit studio, ne propter desidiam et teporem a tantae dignitatis statu velut indignus et reprobus evomaris!

Ingratit... causa ... ris.

10. Nec te lateat, quod maxima teporis causa *ingratitudo* est. Qui gratiam non ponderat beneficii ab amore tepet beneficii. Liberat Deus a mundi periculis et tumultu, sed *ingratus sensu derelinquit liberantem se* [12]. Vocat Dominus ad sui familiare obsequium, sed ingratus et stultus vocantis misericordiam non attendit. Absit a te, frater, tam exsecrabile vitium, tuae potius vocationis gratiam ceteraque Dei beneficia meditare, ut *in meditatione tua ignis exardescat* [13] amoris. Torporis accidiaeque ignaviam excute, carnalitates abscinde et paulatim te ipsum virtutibus assuesce. Pro certo noveris, quod *cum* ex animo *vias fueris* perfectionis *ingressus, non arctabuntur gressus tui, et currens offendiculum non habebis.* Si difficile aliquid tibi iam incipienti videtur, Notan... noli pusillanimis fieri; profecto, ait sanctus Benedictus [14], « processu conversationis et fidei, *dilatato corde,* inenarrabili dilectionis dulcedine *curritur via mandatorum Dei* ».

De te... tionil...

11. Nunc parvulus es, sed crescens solidaberis in virtute. Modo forsitan in tentationum conflictu es. Solet enim diabolus ad meliora conantes maxime impugnare. Sed ubi maius est proelium, ibi gloriosior est triumphus. Et licet hostis reprobos quosdam et instabiles superet, a

---

[1] Matth. 11, 29: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. — Superius pro *si denique in aliquo fundari bono* C *si denique pulcro fundari dono.*

[2] Cod. C *ab irreverentia,* omisso subinde *irreverentiae.*

[3] Cod. C *servi.*

[4] Cod. C *qui.*

[5] Hieron., Comment. in Epist. ad Eph. 4, 27: *Belial,* hoc est absque iugo.

[6] Codd. A B, pluribus omissis: *Virtutes tepor non admittit.*

[7] Phil. 2, 21.

[8] Apoc. 3, 15, ubi Glossa *interlinearis* apud Lyranum: « *Incipiam,* excommunicando, *te evomere,* de consortio Sanctorum removere, *ex ore meo,* per praedicatores meos, in quibus loquor ». Pro *de collegio Sanctorum* C *de collegio filiorum.*

[9] Ier. 15, 19; deinde Matth. 10, 20.

[10] Iac. 5, 20, ubi pro *animam suam* Vulgata *animam eius.*

[11] Cfr. Bonav., IV. Sent. d. 33. a. 2. q. 3. in corp. et Breviloq. p. VII. c. 7. — Superius pro *fraudibus* C *faucibus.*

[12] Eccli. 29, 22.

[13] Psalm. 38, 4. — Subinde allegatur Prov. 4, 12.

[14] In fine Prologi Regulae. Respicitur Ps. 118, 32. Codd. A B omittunt *et fidei.*

probis tamen et constantis animi viris facile superatur. Novos autem Christi milites bello tentator impetit acriori et eorum saluti et Dei gloriae invidens, ut quem[1] apud homines suae conversionis exemplo glorificant sua turpius prolapsione blasphement. Nempe vilis apostata et nomen Dei et Religionem sanctam, etsi non voce, actu tamen ignominioso blasphemat. Maximum apostasiae scelus est, quod et Deum inhonorans[2], persequitur homines ab eius obsequio detrahendo, Religionem infamat et actori suo perpetuam maculam ingerit.

elus apo- stasiae.

12. Verum malevolus hostis quos ad saecularia prorsus revocare non potest saltem ad inferiora nititur inclinare. *Ascensiones in corde*[3] fidelium Dominus, *descensiones* in corde instabilium diabolus suggerendo procurat. Qui ab alto cecidit ad ima diabolus instabiles pertrahit, de quibus per Prophetam dicitur: *Transierunt de monte in collem.* — Sed esto, quod ad alium transiens Ordinem, non descendas nostroque non inferiorem alium quemlibet asseveres; non est mei propositi, Religionibus aliis pro nostrae recommendatione detrahere. Satis per se sancta Religio sibi ad laudum merita sufficit. Penuria meritorum est laudem ex aliorum infamia mendicare. Veritas et conscientia tua, si tamen conscientiam habes, et *lumen oculorum tibi est*[4], de hac tibi satisfaciant quaestione. Sed confidenter hoc dixerim, quod Religioni nostrae maxime tenearis, quae te de saeculo fugientem excepit, initiavit ad bonum et spiritualis, si pastus es, consolationis lactavit uberibus tuaque in Christi servitio mater et nutrix est. Qualem te habuerit filium usque modo, tu videris. In corporalibus quoque obsequiis non puto Fratres tuae indigentiae defuisse pro exigentia status tui. Licet Ordo hic sit altissimae paupertatis, nescit tamen indigentibus pauper esse et providentia caritatis extendit terminos paupertatis. Quid igitur matri retribues? Quid nutrici? Pessima retributio, pro gratia scandalum, pro beneficio vituperium reddere.

nsitus ad iferiora.

a difficul- solvitur.

13. Esto, ut dixi, quod ad paria transeas, locum tamen, quem elegeras, deseris, propositum mutas efficerisque de instabilitatis levitate vel certe de aliqua iniquitate notabilis. *Peccatum peccavit Ierusalem, propterea instabilis facta est*[5]. Non sic Sapiens consulit: *Si spiritus,* inquit, *potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris.* Habet diabolus potestatem paleas, id est leves et instabiles, tentationum impulsu de area Domini exsufflare, sed grana, id est fideles et stabiles, retinent locum suum nec eum pro diabolici spiritus flatu dimittunt. *Flant venti, irruunt flumina, et domus supra petram* Christum *fundata* perstat immobilis, at super *arenam fundata* ruit continuo[6].

abilitatis nota.

14. Noli locustam loco stare nescientem in saltibus imitari. Vereor tamen, ne primus saltus ad alium te impellat. Qui unum audet saltum audet interdum et duos. Tenet homo instabilis pilae typum, quae ab arduo semel impulsa cessare a saltibus nescit. Saltasti semel, cave, ne cervicem iterum saltando elidas. Saltum facere et debitum suggerit locum mutare qui suum apostatando mutavit, suum ipse locum non tenuit, et ideo tenentibus invidens, non tenere suadet. Sed Dominus aliter: *Tene,* inquiens[7], *quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Praeterea ad Ordinem istum vocavit te Dominus et docet Apostolus, ut *unusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*[8]. *Posuit te Dominus in paradiso voluptatis,* id est Ordinis huius, ubi scilicet ipse excellentis humilitatis, caritatis, puritatis aliarumque virtutum fragrantia delectatur; et tu non es contentus positione divina? An tu de te melius disponere putas quam ille qui *disposuit omnia in numero, pondere et mensura*[9]*?* Cave, ne Eva, id est caro, ab hoc te Domini paradiso expellat. — Si rigorem metuis, ubi putas maiorem, ne dicam tantam, misericordiam invenire; si maiorem alibi quaeris, alium quaere mundum. Habet namque Religio misericordiam cum rigore, ut qui rigorem non potest misericordiam ferre possit.

tinuatur.

Confirmatur.

Notandum.

15. Noli, frater, noli occasionibus frivolis niti. *Occasiones quaerit qui vult recedere ab amico*[10]. Dic verius cum Apostolo: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Si per Prophetam iubetur *infirmus dicere, quia fortis est*, quid fortiori agendum est? *Iacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet.* Fac quod potes, ipse perficiet quod non potes. Non es puer aut inscius agendorum, ut propter aetatem vel ignorantiam excuseris. Adultus et sciens vitium nequit obtegere levitatis. Age, re adhuc integra existente, age, inquam, ut prudens et stabilis, abscinde a te cogitationes inutiles, fige in uno cor tuum. *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis*[11]. Non dicatur de te: *Iste homo coepit aedificare et non potuit consummare.* Qui Ierusalem muros aedificant aemulos habent, qui eos impedire conantur, sed, ut legimus[12], *altera manu aedificant, altera tenent gladium ad pugnandum. Aedificat* servus Dei virtutum operibus insistendo, *pugnat* vero vitiis et tentationibus resistendo. Gravat interdum pugna, sed sine pugna victoria non habetur. Porro victori corona promittitur: *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.*

Admonitio.

16. Age ergo strenue, age constanter. Certaminis campum ingressus es, iam adversarium provocasti; de cetero fortiter tibi agendum est. Non evades deinceps alterum e duobus: aut maximam, si fugeris, ignominiam; aut maximam, si viriliter egeris, gloriam. Qui semel fugisti, qua fronte iterum fugias? An fugiendo putas effugere persequentem? Fugat adversarius fugientem, resistentem fugit, iuxta quod scriptum est[13]: *Resistite diabolo, et fugiet a vobis*, et ut Sancti verbis utar, « securus potes pugnare, ubi securus es de victoria ». O vere tuta cum Christo et pro Christo pugna, in qua nec vulneratus nec prostratus nec conculcatus nec millies, si

Suadetur constantia.

---

[1] Scilicet *Deum.*
[2] Cod. C *inhonorat,* qui et inferius *infamant* pro *infamat.*
[3] Psalm. 83, 6. — Subinde allegatur Ier. 50, 6. — Inferius pro *ad ima diabolus* C *semper* et pro *instabiles* A B perperam *stabiles.*
[4] Psalm. 37, 11: Et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum.
[5] Thren. 1, 8. — Subinde allegatur Eccle. 10, 4.
[6] Matth. 7, 25-27.
[7] Apoc. 3, 11. — Superius pro *impulsa* C *impulsu.*
[8] Epist. I. Cor. 7, 20. — Sequitur Gen. 2, 8.
[9] Sap. 11, 21.
[10] Prov. 18, 1. — Tres seqq. loci sunt Phil. 4, 13; Ioel 3, 10: Infirmus dicat: Quia fortis ego sum; Ps. 54, 23, de quo cfr. supra pag. 511, nota 7.
[11] Iac. 1, 8. — Sequitur Luc. 14, 30.
[12] Libr. II. Esdr. 4, 17. — Subinde allegatur Iac. 1, 12.
[13] Iac. 4, 7, post quem sententia Bernardi, Epist. 1. n. 13.

fieri posset, occisus fraudaberis a victoria, tantum non fugias; sola causa, qua perdere victoriam possis, fuga est. Fugiendo potes illam amittere, moriendo non potes. Et beatus, si pugnando moriaris, quia mortuus mox coronaberis. Vae autem, si, declinando pugnam, perdis et victoriam simul et coronam! Avertat hoc a te, carissime, qui vocavit et revocavit te et in aeterna vita, si vocationem

Notandum. eius non feceris irritam, coronabit. Non erubescas, te fuisse vel esse tentatum; etenim cum Christo *ductus es in desertum, ut tenteris a diabolo* [1], qui tibi quomodo parcat, qui nec Salvatori pepercit? Quanto plures habes impulsus ad casum, nec cadis; tanto maiorem gloriam promereberis, et tanto amplius tibi congaudebimus triumphanti. *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.*

17. Humilitas autem superbum hostem maxime conterit

Commendatur humilitas. et confundit. Nihil adeo superbiae ducem fugat, sicut humilitas. Quamobrem, si triumphare desideras, *humiliare sub manu potenti Dei* [2] et praepositorum ipsius, videlicet praelatorum, obediendo eis simpliciter et devote. Tentationes tuas humiliter aperi, ut orationum suffragia merearis, nec ab aliis erubescas aut respuas erudiri. Grandis stultitia et superbia non ferenda, seniorum monita spernere et rabido praesertim ore repellere monitorem. *Viro, qui corripientem se dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus, et cum sanitas non sequetur* [3], sed *verbum suscipiens filius extra perditionem erit.* Itaque si humilis fueris, omnes diaboli laqueos et tentationes evades.

Notandum. Humilitas enim in omni tentatione custodit omnemque inimici virtutem elidit. Unde et haec est studium *quaerentium Dominum* [4], haec servorum Dei philosophia, haec sapientia Sanctorum est. Hanc qui habet, quantumlibet idiota vel simplex, vere sapiens est; hac qui caret, quantumlibet sciolus, quantumlibet carnis suae sensu inflatus, insipiens et vilis est. Haec est *sapientia, quae desursum est* [5], quae a malis liberat, bonis ditat suosque cultores apud Deum et homines glorificat et exaltat. *Sapientia humiliati exaltabit caput illius.*

18. Dabit hanc sapientiam tibi qui *dat omnibus affluenter et non improperat* [6], si tamen hanc toto affectu quaesieris, si hanc iugi et humili postulaveris prece; vult enim Dominus, sua desiderari bona et desiderata cum instantia postulari. Qui vero negligit petere non est dignus accipere. Unde et frequentius orare debes et de bonis acceptis gratias Deo agens, cor tuum ad ipsum dirigere totaque mentis intentione deposcere, ut quod *coepit in te ipse perficiat* [7]. Item, o

Det tibi cor ad ista, carissime, ipse Omnipotens, a quo *omne datum optimum et omne donum perfectum est* [8]. Scripsi dilectioni tuae familiariter, saluti tuae consulens et honori. Tuum erit devote suscipere, attente perlegere et cum interpretatione benevola diligenter animadvertere quae scribuntur, agnitaque consilii aequitate, humiliter amico acquiescere consulenti. Opto, ut in Christo valeas, et in eius amore semper proficias. Amen. Conclus

EXPLICIT EPISTOLA AD QUENDAM NOVITIUM INSOLENTEM ET INSTABILEM.

---

[1] Matth. 4, 1. — Subinde allegatur II. Tim. 2, 5.
[2] Epist. I. Petr. 5, 6.
[3] Prov. 29, 1. et deinde v. 27: Verbum custodiens filius etc. — Libr. V. de Vitis Patrum, libell. 15. n. 3: Dixit iterum abbas Antonius: Vidi omnes laqueos inimici tensos in terra et ingemiscens dixi: Quis putas transiet istos? Et audivi vocem dicentem: Humilitas. — Codd. A B omittunt *et tentationes*.
[4] Respicitur Ps. 23, 6.
[5] Iac. 3, 17. — Subinde allegatur Eccli. 11, 1.
[6] Iac. 1, 5, ubi etiam dicitur: Si quis autem vestrum indiget sapientia, *postulet* a Deo; v. 6: *Postulet* autem in fide nihil haesitans etc.
[7] Phil. 1, 6.
[8] Iac. 1, 17.

OPUSCULUM VII.

RHYTHMICA [1].

I. LAUDISMUS DE SANCTA CRUCE [2].

1. Recordare sanctae crucis
Qui perfectam vitam ducis,
Collaetare [3] iugiter.
Sanctae crucis recordare
Et in ipsa meditare
Insatiabiliter.

2. Stes in cruce, Christo duce,
Donec vivis in hac luce
Modo procul dubio.
Non quiescas, non tepescas,
In hoc crescas, ut calescas
Cordis desiderio.

3. Ama crucem, mundi lucem,
Et habebis Christum ducem
Per aeterna saecula.
Cruce corpus circumcinge,
Hac constringe, manu pinge,
Consignando singula.

4. Cor in cruce, crux in corde,
Absque sorde sit in [4] corde
Quae tranquillum faciat.
Lingua crux efficiatur,
Crucem promat et loquatur
Et nunquam deficiat.

5. Crux in corde, crux in ore
Quodam intimo sapore
Det tibi dulcedinem.
Crux in membris dominetur
Et ubique situetur
Intra totum hominem.

6. Cor a cruce sorbeatur
Et in illam rapiatur
Amoris incendio.
Dissipata carnis rixa,
Mens sit tota crucifixa
Spiritali gaudio.

7. Specialem fer amorem
Et praecipuum honorem
Cruci salutiferae.
Cum fervore medullarum,
Nisu [5] virium tuarum
Velis hanc diligere.

8. In praeclara cruce stude
Et in ipsa te reclude
Magna cum laetitia.
Christo sis confixus cruci,
Ut sic [6] valeas perduci
Secum ad caelestia.

9. Quaere crucem, quaere clavos,
Quaere manus, pedes cavos,
Quaere fossa lateris.
Ibi plaude, ibi gaude
Sine fraude, summa laude,
Quantumcumque poteris.

---

[1] **Praenotanda.** Constat, S. Bonaventuram scripsisse non tantum in soluta oratione, sed etiam versus; vide supra inter genuina Opusculum III. et IX. De aliis carminibus, quae tum in tom. VII. ed. Vaticanae tum a Bonelli in tom. III. *Supplementi* exhibentur, ab eruditis diverse indicatur. De illis primis Oudinus et editores Veneti censent, omnia illa carmina esse *indigna* et *spuria;* Sbaralea non excipit ab hac reprobatione nisi quatuor; Bonelli vero omnia vindicare vult Bonaventurae ut *certa*, excepto uno alterove, quod inter *verisimilia* reponit (vide plura in Prolegomenis c. III. art. 1. § 7.). — De singulis his carminibus *certum* iudicium ferre eo minus audemus, quia his novissimis annis circa poemata, praesertim religiosa medii aevi gravissimae disquisitiones institutae ac fere innumera hucusque ignota ex pulveribus bibliothecarum eruta et in multis magnisque voluminibus publicata sunt continuoque publicantur; insuper arduae de auctoribus horum carminum quaestiones, multiplicatis novis documentis, melius quam antea solvuntur. Viris magis expertis in his studiis sententiam definitivam cedentes, opinamur, primum hymnum de *sancta cruce* esse dignissimum, qui Bonaventurae *certo* possit attribui, tum propter eius pretium tum propter auctoritatem plurium codicum, quorum duo sunt saec. XIV; de aliis quatuor proxime sequentibus carminibus non ita certi sumus; denique nonnulla neque inter *dubia* opuscula, sed inter *spuria* ponenda esse putamus. — Visum est opportunum, uno hoc Appendicis loco omnia haec rhythmica coniungere, exceptis spuriis.

[2] Huic titulo, quem habet Vaticana, C et ed. 1 addunt: *quem cecinit venerabilis Bonaventura, episcopus et cardinalis, cordis de visceribus;* sed D habet: *Incipiunt versus sancti Bernardi de laudibus sanctae crucis.*

[3] Ita A D; Vat. *Delectare.*

[4] Fide D substituimus *sit in* pro *sic cum.*

[5] Vat. *nixu.*

[6] Codd. A B C et ed. 1 *tu.*

10. Istud [1] pactum non sit fractum,
Crux praecedat omnem actum,
Ut succedant prospera.
Crux est optima medela,
Contra zabulonis [2] tela
Valde salutifera.

11. Sis in cruce Christi totus,
Prompto animo devotus,
Iubilo dulcedinis.
Servum Dei crux defendit,
Comprehendit et ostendit
Vitam rectitudinis.

12. Cum tentatus et afflictus,
Derelictus, quasi victus
Es [3] inter angustias;
Non sis piger neque lentus,
Sed sollicite intentus,
Cruce frontem munias.

13. Cum quiescis, aut laboras,
Quando rides, quando ploras,
Doles sive gaudeas,
Quando vadis, quando venis,
In solatiis, in poenis
Crucem corde teneas.

14. Crux in omnibus pressuris
Et in gravibus et duris
Est tutum [4] remedium.
Crux in poenis et tormentis
Est dulcedo piae mentis
Et verum refugium.

15. Crux est porta paradisi,
In qua Sancti sunt confisi,
Qui vicerunt omnia.
Crux est mundi medicina,
Per quam bonitas divina
Fecit [5] mirabilia.

16. Crux est salus animarum,
Verum lumen et praeclarum
Et dulcedo cordium.
Crux est vita Beatorum
Et thesaurus perfectorum
Et decor et gaudium.

17. Crux est speculum virtutis,
Gloriosae dux salutis,
Tota [6] spes fidelium.
Crux est decus salvandorum
Et solatium eorum
Atque desiderium.

18. Crux est navis, crux est portus,
Crux deliciarum hortus,
In quo florent omnia.
Crux est fortis armatura
Et protectio secura,
Conterens daemonia.

19. Crux est arbor decorata,
Christi sanguine sacrata,
Cunctis plena fructibus,
Quibus animae fruuntur [7],
Cum supernis nutriuntur
Cibis in caelestibus.

20. O quam felix permanebis,
Nunc in cruce si studebis,
Donec mundo vixeris!
Sine fine laetus eris
Tu, qui sanctam crucem quaeris,
Si perseveraveris.

21. Crucem quaere, crucem gere,
Christi crucem intuere,
Ut amore langueas.
Summa fide crucem vide
Et plenissimo confide,
Donec vitam habeas.

22. Circa crucem exercere,
Mente debes huic placere
Et hanc corde gerere [8].
Hoc est opus salutare
Circa crucem laborare
Corde, ore et opere.

23. Recordare, frater pie,
Septem vicibus in die
Passionis Domini,
Per quam sumus liberati
Et aeternae vitae dati
Et supremo [9] lumini.

24. Hanc si amas et honoras,
Dicas illi certas horas,
Adhibendo studium:
Horam primam, matutinam,
Tertiam [10], sextam, vespertinam,
Nonam, Completorium.

25. Quando sedes, stas et iaces,
Quando loqueris et taces,
Fessus cum quieveris,
Christum quaeras, in quo speras,
Crucifixum corde geras,
Ubicumque fueris.

26. Diligenter pone mentem
Super Christum patientem
Et sibi condoleas.
Christi mortem, Christiane,
Plange sero atque mane
Et in planctu gaudeas.

27. Quam despectus, quam deiectus
Rex caelorum est effectus,
Ut salvaret saeculum!
Esurivit et sitivit,
Pauper et egenus ivit
Usque ad patibulum.

28. Recordare paupertatis
Et extremae vilitatis
Et gravis supplicii.
Si es compos rationis,
Esto memor passionis,
Fellis et absinthii.

---

[1] Cod. B *Illud.*
[2] Cod. A *zabulonum*, B et ed. 1 *zabulontis.*
[3] Cum D substituimus *Es* pro *Et.*
[4] Cum D substituimus *tutum* pro *totum.*
[5] Ita A B C D et ed. 1, Vat. *facit.*
[6] Ita D; in aliis *Cuncta.*
[7] Ita A B D et ed. 1, Vat. perperam *eruuntur.*
[8] Hi duo versus leguntur in D sic: *Debes omnibus placere Et hanc semper gerere.*
[9] Cod. D non male *superno;* et paulo post pro *illi certas horas* idem *illi cruci horas.*
[10] Ita D, C *Ternum*, in aliis *Trinam.* — Post vocem *Completorium* D adiungit *Amen.* Cetera desunt.

29. Cum deductus est immensus
Et in cruce tunc suspensus,
Fugerunt discipuli.
Manus, pedes perfoderunt,
Et aceto potaverunt
Summum Regem saeculi.
30. Cuius oculi beati
Sunt in cruce obscurati,
Et vultus expalluit.
Suo corpori tunc nudo
Non remansit pulcritudo,
Decor omnis aufugit.
31. Propter hominum peccata
Sua caro cruciata
Fuit inter verbera.
Membra sua sunt distenta
Propter aspera tormenta
Et illata vulnera.
32. Inter magnos cruciatus
Est in cruce lacrymatus
Et emisit spiritum.
Suspiremus et fleamus,
Toto corde doleamus
Super Unigenitum.
33. Qui baec audis ingemisce
Et in istis planctum misce
Et cordis moestitias.
Corpus ange, corde plange,
Mentem frange, manu tange
Christi mortis saevitias.
34. Virum respice dolorum,
Et novissimum virorum,
Fortem ad supplicia.
Tibi gratum sit et aequum
Iam in cruce mori secum,
Compati convitia.
35. Quando vides te afflictum,
Desolatum, ita victum,
Quod [1] quasi deficias;
Christi cogites dolores,
Graves poenas et moerores,
Sputa, contumelias.
36. Bone frater, quidquid agas,
Crucifixi vide plagas,
Et sibi compatere.
Omni tempore sint tibi,
Quasi spiritales cibi,
His gaudenter fruere.
37. Crucifixe, fac me fortem,
Ut libenter tuam mortem
Plangam, donec vixero.
Tecum volo vulnerari,
Te libenter amplexari
In crnce desidero.
38. Da dolorem quasi rorem,
Ut te plorem Redemptorem
Christum, qui me refoves [2].
Non te plices, sed felices
Cicatrices mille vices
Tuas in me refoves.
39. Totum sit, quod ego dixi,
Ad honorem Crucifixi,
Ad laudem et gloriam,
Ut meorum peccatorum
Gloriosus Rex caelorum
Mihi donet veniam. Amen.

EXPLICIT LAUDISMUS DE SANCTA CRUCE.

II. PHILOMENA [3].

Poeta ad avem.

1. Philomena, praevia temporis amoeni,
Quae recessum nuntias imbris atque coeni,
Dum demulces [4] animos tuo cantu leni,
Avis praedulcissima, ad me, quaeso veni.
2. Veni, veni, mittam te, quo non possum ire,
Ut amicum [5] valeas cantu delinire,
Tollens eius taedia vice dulcis lyrae,
Quem, heu! modo nequeo verbis convenire.
3. Ergo, pia [6], suppleas meum imperfectum,
Salutando dulciter unicum dilectum
Eique denunties, qualiter affectum
Sit cor meum iugiter eius ad aspectum.
4. Quodsi quaerat aliquis, quare te elegi [7],
Meum esse nuntium; sciat, quia legi
De te quaedam propria, quae divinae legi
Coaptata mystice placent summo Regi.

---

[1] Sola Vat. perperam omittit *Quod*.

[2] Vat. perperam *te renoves*, et etiam infra iterum *te refoves* pro *me renoves*. — In C post *Amen* ab alia manu est additamentum in forma orationis, sed nullius valoris.

[3] Hoc canticum devotum et a multis laudatum tribuitur ab Oudino et Sbaralea et Fabricio (Biblioth. med. et inf. aetat. tom. IV. p. 85) erronee Ioan. Hoveden, ab aliis Fr. Ioan. Pecchamo, ab Hauréau (Notices et Extraits de quelques Manuscrits, Paris 1893, tom. VI. pag. 273) auctori incerto, sed diverso a Bonaventura, a Bonelli (Prodrom. col. 660) cum editionibus Operum Bonaventurae huic vindicatur. Vide etiam Repertorium hymnologicum Ulyssis Chevalier, Louvain tom. II. pag. 314 n. 14898. Hoc loco tantum dicimus, inter 26 codices fine saeculi XV. anteriores, quos descriptos habemus, maiorem partem non exhibere nomen auctoris, *quatuor* vero nominare Bonaventuram, *duos* Bernardum, *duos* Pecchamum (unus a manu recentiori), *unum* Alanum. Nihilominus fatemur, modum loquendi sive stilum secundum iudicium nostrum ita apparere differentem, ut canticum hoc non audeamus vindicare S. Bonaventurae. Vide Prolegomena c. III. a. 1. § 7.
Usi sumus lectionibus codicis nobis non noti, quem edidit Carolus Hamann Hamburgi 1887 (ed. 1); alias sumsimus ex cod. Moguntino saec. XIV (A), mutilo (habet tantum 12 primas strophas), denique ex Hauréau (loc. cit.), qui ex cod. bibl. Paris. National. 1544. quatuor primas et quatuor ultimas strophas edidit (B). — Verbo *philomena* significatur φιλομήλα, luscinia; cfr. Du Cange.

[4] Ita codd. A B et ed. 1, Vat. legit *mulcescis*, quae etiam immediate post habet *Ave, prudentissima* loco *Avis praedulcissima* (ita codd. A B et ed. 1). Ed. 1 supra pro *imbris atque coeni* habet *nivis, pruine, ceni*.

[5] Cod. A *dilectum*. Inferius cum codd. et ed. 1 substituimus *taedia vice dulcis* pro *tristia voce dulcis*, quod habet Vat., quae etiam in versu seq. legit *nescio* pro *nequeo*.

[6] Pro *pia* cod. B habet *precor*, substituens postea cum cod. A *eius ad profectum* loco *eius ad aspectum*, pro quo ed. 1 legit *eius in prospectum*. Cod. A et ed. 1 ponunt *cordi praedilectum* vice *unicum dilectum*.

[7] Ita codd. et ed. 1, Vat. habet *legi*. In fine strophae iterum cum codd. et ed. 1 substituimus *Coaptata mystice placent*, pro quo Vat. *Et optato munere placent*.

Ad amicum de hac ave.

5\. Igitur, carissime, audi nunc attente,
Nam si cantus volucris huius serves mente
Et secutus fueris, Spiritu [1] docente,
Te caelestem musicum faciet repente.

6\. De hac ave legitur, quod cum deprehendit
Mortem sibi proximam [2], arborem ascendit
Cantus avis ad matutinum. Summoque diluculo sursum rostrum tendit
Diversisque cantibus totam se impendit.

7\. Cantilenis dulcibus praevenit [3] auroram,
Ad primam horam. Sed cum dies rutilat circa primam horam,
Elevat praedulcius vocem in canoram,
In cantando nesciens pausam sive moram.

Tertiam. 8. Circa vero tertiam quasi modum nescit,
Quia semper gaudium cordis ei [4] crescit;
Fere guttur rumpitur, sic vox invalescit,
Et quo cantat amplius, magis inardescit.

Sextam. 9. Et [5] cum in meridie sol est in fervore,
Tunc dirumpit viscera nimio clamore;
Oci, oci clamitans illo suo more,
Sic, quod sensim deficit cantus prae labore.

10\. Sic quassatis organis [6] huius philomenae,
Rostro tantum palpitans fit exsanguis pene.
Nonam. Sed ad nonam veniens moritur iam plene,
Cum totius corporis dirumpuntur venae.

Applicatio horum mystica. 11. Ecce, dilectissime, breviter audisti
Factum [7] huius volucris; sed si meministi,
Diximus iam primitus, quia cantus isti
Mystice conveniunt legi Iesu Christi.

12\. Restat, ut intelligas [8], esse philomenam
Animam virtutibus et amore plenam,
Quae, dum mente peragrat patriam amoenam,
Satis favorabilem texit cantilenam.

13\. Ad augmentum etenim suae sanctae spei,
Quaedam dies mystica demonstratur ei,
Porro beneficia, quae de manu Dei
Homo consecutus est, Horae sunt diei.

Generaliter quoad singulas Horas. 14. Mane vel diluculum hominis est status,
In quo mirabiliter Adam [9] est creatus.
Hora prima, quando est Christus incarnatus,
Tertiam dic spatium sui incolatus.

15\. Sextam, cum a perfidis voluit ligari,
Trahi, caedi, conspui, dire cruciari [10],
Crucifigi denique, clavis terebrari
Caputque sanctissimum spinis coronari.

16\. Nonam dic, cum moritur, quando consummatus
Cursus est certaminis, quando superatus
Est omnino zabulus et hinc conturbatus [11].
Vespera, cum Christus est sepulturae datus.

17\. Diem istum, anima, meditans [12] in hortis, *Medita specialis Matutino[…]*
Suae facit terminum spiritalis mortis,
Scandens crucis arborem, in qua Leo fortis
Vicit adversarium, fractis portis mortis.

18\. Statim cordis organa sursum elevando,
Suum a diluculo cantum inchoando,
Laudat et glorificat Deum, replicando,
Sibi quam mirificus fuit hanc creando.

19\. Pie [13], inquit, conditor, quando me creasti,
Quam sit tua pietas larga, declarasti.
Nam consortem gloriae tuae cogitasti
Facere gratuite, gratis quam amasti.

20\. O quam mira dignitas mihi est concessa,
Cum imago Domini mihi est impressa!
Sed crevisset amplius dignitas possessa,
Nisi iussum Domini fuissem transgressa.

21\. Nam tu, summa caritas [14], tibi cohaerere
Me volebas iugiter sursumque habere
Dulce domicilium tecumque manere,
Et me velut filiam alere, docere.

22\. Ex tunc disposueras me coadunare [15]
Caelicis agminibus teque mihi dare;
Sed pro tanta gratia quid recompensare
Possim, prorsus nescio, nisi te amare.

23\. Unica suavitas, unica dulcedo,
Cordium amantium salutaris praedo,
Totum, quidquid habeo vel sum, tibi dedo,
Denique depositum meum [16] tibi credo.

24\. Oci, cantat tale cor gaudens in pressura,
Dicens, quia dignum est, ut a creatura
Diligatur opifex talis mente pura,
Ei cum exstiterit de se tanta cura [17].

25\. Sic mens hoc diluculum transit meditando,
Se ad Primam transferens vocem exaltando, *Ad Prima[…]*
Tempus acceptabile pie ruminando,
In quo venit Dominus, carne se velando.

26\. Tunc liquescit anima tota per amorem,
Pavida considerans omnium auctorem,
Vagientem parvulum [18] iuxta nostrum morem,
Ut curaret veterem suorum languorem.

---

[1] Ita cod. A, Vat. cum ed. 1 et cod. B habet *Eius imitatio, Spiritu.* Inferius pro *Te caelestem musicum* ed. 1 habet *Scire suam musicam.*

[2] Loco *proximam* (ita cod. A et ed. 1) Vat. habet *propiam.*

[3] Ita A et ed. 1, Vat. substituit *praeviat*, et infra non bene *insonoram* pro *in canoram.* Loco *Elevat praedulcius* cod. A, ponens infra *canendo* pro *cantando*, cum ed. 1 habet *Elevatur altius.*

[4] Vat. pro *ei* (ita ed. 1) habet *eius.* Immediate post cum cod. A et ed. 1 substituimus *Fere* pro *Vere* et paulo inferius *cantat amplius* (ita A et ed. 1), *magis* (ed. 1) *inardescit*, pro quo Vat. *cantat altius, plus et inardescit.*

[5] Pro *Et* (ita cod. A et ed. 1) Vat. habet *Sed.* Infra loco *dirumpit viscera* A legit *discerpit viscera;* deinde cum cod. A posuimus *clamitans* (ita etiam ed. 1) pro *clamitat*, et *Sic, quod sensim deficit* loco *Sicque sensu deficit.*

[6] Vat. *quassato organo* contra cod. A et ed. 1, et deinde habet *tamen* pro *tantum* (ita ed. 1).

[7] Cod. A legit *Cantum.*

[8] Ita cod. A et ed. 1, ex quibus etiam inferius posuimus *Satis favorabilem*, Vat. habet *intelligo* et *Satis delectabilem.* Pro *mente peragrat* ed. 1 substituit *mente cogitat.*

[9] Pro *Adam* et *Christus* (ita ed. 1) Vat. habet *homo* et *Deus;* paulo inferius loco *sui incolatus* ed. 1 habet *eius incolatus.*

[10] Hunc versum ed. 1 ita legit: *Flagellari, conspui, spinis coronari*, quae etiam post *terebrari* continuat *Atque cum latronibus stans felle potari. Est nona, cum* etc.

[11] Pro *zabulus, et hinc conturbatus* ed. 1 substituit *satanas, et hinc effugatus.*

[12] Ed. 1 *commorans*, quae etiam in seq. stropha ponit *Sicque cordis organum* pro *Statim cordis organa*, et deinde *Ei, quam* pro *Sibi quam.*

[13] Ed. 1 *Clemens.*

[14] Pro *summa caritas* ed. 1 habet *summa bonitas*, ex qua etiam supra posuimus *fuissem* pro *fuisset.*

[15] Ita ed. 1, Vat. legit *disposueras, in id adunare.* In fine huius strophae adhuc cum ed. 1 supposuimus *Possim* vice *Possum*, ut legit Vat.

[16] Ed. 1 habet *Meumque depositum*, interserendo *pater* verbis *tibi credo.*

[17] Ed. 1 legit hunc versum hoc modo: *Cum de ipsa fuerit illi tanta cura.*

[18] Loco *parvulum* et *Ut curaret veterem suorum languorem*, quod habet ed. 1, Vat. substituit *puerum* atque *Et curare veterem velle se languorem.*

27. Plorans ergo clamitat: O fons [1] pietatis,
Quis te pannis induit dirae paupertatis?
Tibi quis consuluit sic te dare gratis
Nobis nisi vehemens ardor caritatis?
28. Digne zelus vehemens est hic ardor dictus,
Per quem sponte Dominus est caelorum victus [2],
Cuius sanctis vinculis captus et constrictus,
Pauperis infantuli pannis est amictus.
29. O praedulcis parvule, puer sine pari,
Felix, cui datum est, te nunc amplexari,
Pedes, manus lambere, de te [3] consolari,
Tuis in obsequiis iugiter morari.
30. Heu me! cur non licuit mihi demulcere
Vagientem parvulum et cum flente flere [4],
Illos artus teneros sinu refovere
Eiusque cunabulis semper assidere?
31. Puto, pius parvulus haec non abhorreret
Nec se a pauperculo tangi prohiberet [5];
Immo more parvuli forsan arrideret
Et petenti veniam facile praeberet.
32. Felix, qui tunc temporis Matri singulari
Potuisset precibus ita famulari,
Ut in die sineret semel osculari
Pedes sui parvuli [6] eique iocari.
33. O quam libens balneum ei praeparassem!
O quam libens humeris aquam apportassem,
In hoc libens Virgini semper ministrassem,
Pauperisque parvuli pannulos lavassem [7]!
34. Sic affecta, pia mens sitit paupertatem,
Cibi parsimoniam, vestis vilitatem,
Labor ei vertitur in iucunditatem [8],
Vilem esse saeculi dicit venustatem.
35. Ergo sic infantiam Christi retexendo,
Horae Primae canticum strenue psallendo [9]
Tertiam. Transitum ad Tertiam facit, recolendo,
Quantum Christus passus est, homines docendo.
36. Tunc cum fletu replicat [10] illius labores,
Famem, sitim, frigora, aestus et sudores,
Quae dignanter pertulit propter peccatores,
Dum illorum voluit innovare mores.
37. Vox amoris facibus [11] tota concremata,
Oci, oci clamitat avis haec beata,
Mundo mori cupiens, quia via lata
Ei foetet saeculi, sic est delicata.
38. Clamas ergo, Domine [12], dulcis praedicator,
Exsulum refugium, pauperum amator,
Qui es poenitentium pius consolator,
Post te debent currere iustus et peccator.
39. Iusti quippe regula, vitae es doctrina,
Peccatorum speculum, mira disciplina [13],
Fessis et debilibus efficax resina,
Aegris et languentibus potens medicina.
40. Primus in hoc saeculo caritatis scholam
Instaurasti, quaerere docens Dei solam
Gloriam, deponere gravem mundi molam,
Et sic posse perditam rehabere stolam.
41. Sed hanc scholam temere mundus irridebat,
Spernens et annihilans, quidquid promittebat,
Tua vero bonitas vices non reddebat,
Immo poenitentibus totum ignoscebat.
42. Quippe cui proprium erat misereri,
Diligi desiderans magis, quam timeri,
Verba, sed non verbera proferens, austeri
Praeceptoris noluit [14] more revereri.
43. Hoc [15] in adulterio novit deprehensa,
Quam sit tua pietas dulcis et immensa.
Magdalena sensit hoc, ei cum offensa
Est dimissa, gratia multiplex impensa.
44. Et quid multa referam? Quotquot sunt secuti [16]
Tuum magisterium, a suis abluti
Vitiis, sunt moribus optimis imbuti,
Et ab hostis invidi fraude facti tuti.
45. Felix [17], cui licuit, sub hoc praeceptore
Conversari iugiter et ab eius ore
Mel caeleste sugere, cuius prae dulcore
Amarescunt cetera, plena sunt foetore.
46. Haec et multa talia dum [18] mens meditatur,
Ad reddendas gratias tota praeparatur,
Ad laudandum Dominum magis inflammatur,
Sicque Horae tertiae cantus terminatur.
47. *Oci, oci* anima clamat in hoc statu,
Crebro fundens lacrymas sub hoc incolatu,
Laudans et glorificans magno cum conatu
Christum [19], qui tot pertulit suo pro reatu.

---

[1] Ed. 1 pro *O fons* habet *dic, fons*, legens paulo inferius *nostrae* pro *dirae;* ex qua ed. in ultimo versu posuimus *Nobis, nisi vehemens* pro *Nisi zelus vehemens*, ut habet Vat.
[2] Ita textum correximus ex ed. 1, Vat. versum in hunc modum exhibet: *Cuius est dominio rex caelorum victus.*
[3] Verba *de te*, pro quibus Vat. legit *flentem*, sumsimus ex ed. 1, quae etiam supra ponit *te tunc amplexari* loco *te nunc amplexari* et in ultimo versu substituit *et* pro *in* et *digne mancipari* pro *iugiter morari.*
[4] Ed. 1 hunc versum ita exhibet: *Istum dulcem parvulum blandeque tenere;* deinde ex eadem ed. substituimus *sinu refovere* loco *sive confovere*, quod habet Vat.
[5] Ita ed. 1, Vat. hunc versum omittens post *arrideret* sic continuat: *Et flenti pauperculo fletu condoleret, Et peccanti facile venia faveret;* textus exhibet lectionem ed. 1.
[6] Pro *Pedes sui parvuli*, quod habet ed. 1, Vat. legit *Suum dulcem parvulum.*
[7] Ed. 1 duos ultimos versus proponit hoc modo: *O quam Matri Virgini pie ministrassem, Ac eius infantuli pannulos lavassem!*
[8] Ed. 1 *suavitatem.*
[9] Pro *canendo* (ita Vat.) substituimus ex ed. 1 *psallendo*, quae ed. supra pro *retexendo* habet *recolendo*, infra loco *recolendo* subrogans *revolvendo* ac ponens *Quanta Christus pertulit* pro *Quantum Christus passus est.*
[10] Ita ed. 1, Vat. *recitat.* Infra ed. 1 legit *aestus et dolores* pro *aestus et sudores*, postea *dignanter passus est* pro *dignanter pertulit* et deinde *emendare* loco *innovare.*
[11] Pro *facibus*, quod substituimus ex ed. 1, Vat. habet *flatibus.* Infra ed. 1 legit *clamitat mente sublevata* loco *clamitat avis haec beata.* Post *cupiens* Vat. legit: *cuius vita lata, Cui foetet saeculum.*
[12] Ed. 1 habet *Clamat ergo Domino* substituens in ultimo versu *debet* pro *debent.*
[13] Duos primos versus ed. 1 sic exhibet: *Iusto nempe regula tua est doctrina, Sanctitatis speculum, vitae disciplina.*
[14] Loco *noluit* ed. 1 habet *renuens.*
[15] Ex ed. 1 substituimus *Hoc*, pro quo Vat. habet *Haec*, et infra *dulcis et* loco *scilicet*, quod habet Vat.
[16] Initium huius strophae in Vat. ita proponitur: *Et quid multa dicerem, quot sunt consecuti Eius magisterium* etc. Textus sumtus est ex ed. 1.
[17] Verbo *Felix* ed. 1 praemittit *Quam* substituens postea *Pompa mundi vilis est plenaque foetore* loco *Amarescunt cetera, plena sunt foetore.*
[18] Ed. 1 loco *Haec et multa talia dum* legit *Hoc et multa talia cum* et deinde ponit *Ac sic horae* pro *Sicque horae*, praemisso paulo antea *Et laudando* pro *Ad laudandum.*
[19] Ed. 1 habet *Illum*, ex qua etiam in stropha seq. posuimus *amoris iaculo* pro *amoris stimulis*, quod legit Vat. Paulo ante ed. 1 verbis *hora anima* substituit verba *hora pia mens.*

48. In hac hora anima ebria videtur,
Ad Sextam. Sed circa meridiem calor cum augetur,
Ut amoris iaculo magis perforetur,
Mox ab illa passio Christi recenseatur.

49. Plorans ergo respicit Agnum delicatum,
Agnum sine macula, spinis coronatum,
Lividum verberibus, clavis perforatum
Ac per cuncta corporis loca cruentatum [1].

50. Tunc exclamat millies [2]: *oci* cum lamentis,
Oci, oci miseram, quia meae mentis
Statum turbat pallidus vultus morientis
Et languentes oculi in cruce pendentis.

51. Siccine decuerat, inquit, te benignum
Agnum mortis exitum pati tam indignum?
Sed sic disposueras vincere malignum,
Et hoc totum factum est ob amoris signum.

52. Haec amoris signa sunt, et postrema primis
Copulans associat, summa figens imis;
Monstrans, quod sic moriens, nos amares [3] nimis,
Dum te totum funderes tot apertis rimis.

53. Tu amicus novus es, tu es novum mustum,
Sic te vocat Sapiens, et est satis iustum,
Totus enim affluis, reddens dulcem gustum,
Fundens carnis dolium, licet vas venustum [4].

54. Tantis signis monitus, poenitens iam credat,
Quod [5] praecordialiter Christus ei se dat.
Ista signa recolam, ne me satan laedat,
Nam peccati rabiem nihil ita sedat.

55. Ista signa recolens, *oci, oci* clamo,
Dulcis Iesu querulor [6], quod te minus amo,
Stringi tamen cupio disciplinae camo,
Sicut pro me captus es caritatis hamo.

56. Quantum hamum caritas tibi praesentavit,
Mori cum pro homine te sollicitavit,
Sed et esca placida hamum occupavit [7],
Cum lucrari animas te per hoc monstravit.

57. Te quidem aculeus hami non latebat,
Sed illius punctio te non deterrebat,
Immo hunc impetere tibi complacebat,
Quia desiderium escae te trahebat [8].

58. Ergo pro me misera, quam tu dilexisti,
Mortis in aculeum sciens impegisti,
Cum te Patri victimam sanctam obtulisti
Et in tuo sanguine sordidam lavisti [9].

59. Quis miretur igitur, pro te si suspiro,
Iuncta sine meritis tam zelanti viro?
Nam affectum allicis meum modo miro,
Pro me vitam finiens exitu tam diro.

60. Vere iam non debeo tantum suspirare,
Immo, iuxta verbum Iob, *carnes lacerare*,
In caverna lateris nidulum parare [10]
Et extremum spiritum illic exhalare.

61. Plane, nisi moriar tecum, non quiescam,
Oci, oci clamitans nunquam conticescam,
Ab hoc desiderio certe [11] non tepescam,
Quantumcumque saeculo propter hoc vilescam.

62. Tunc, ut demens clamitat [12]: Veniant lanistae,
Qui affigant miseram cruci tuae, Christe,
Erit enim exitus mihi dulcis iste,
Si amplector moriens propriis ulnis te.

63. Vere sic [13], non aliter, rabies doloris,
Qua cor meum singulis terebratur horis,
Deliniri poterit, nisi tu, dulcoris
Fons abundans, medicus mei sis doloris.

64. Plane, dulcis medicus es, qui nunquam pungis,
Sed a corde vitium leniter emungis,
Nam quos tibi firmiter per amorem iungis,
Tuis charismatibus semper eos ungis [14].

65. Heu, quam damnabiliter mundus est caecatus!
Qui cum sit ab hostibus dire vulneratus,
Hunc declinat medicum, cum adsit paratus [15],
Languido aperiens suum dulce latus.

66. Heu! cur beneficia Christi passionis
Penes te memoriter, homo, non reponis?
Per hanc enim rupti sunt laquei praedonis,
Per hanc Christus maximis te ditavit bonis.

67. Suo quippe corpore languidum te pavit,
Quem in suo sanguine gratis balneavit,
Demum [16] suum dulce cor tibi denudavit,
Ut sic innotesceret, quantum te amavit.

68. O quam dulce balneum, esca quam suavis!
Quae sumenti digne fit paradisi clavis,
Et ei quem reficis, nullus labor gravis,
Licet sis fastidio cordibus ignavis.

---

[1] Ultimum versum Vat. ita exhibet: *Per tot loca lateris fossa cruentatum.* Textum praebet ed. 1, quae post *cruentatum* adhuc seq. stropham subiungit: *Alapas, arundinem, cernit et flagella, Sputa, vestem, lanceam in carne tenella, Fel, acetum, quod ei dedit gens misella; Tunc affectat condolens mortem quasi mella.*

[2] Ita ed. 1, Vat. huic verbo substituit *pia mens.* — Infra post *pendentis* ed. 1 sic continuat: *Quare sic oportuit, inquit, te.*

[3] Pro *amares* (ita ed. 1) Vat. habet *animales*, substituto ab eadem antea *ut* pro *quod* (ita ed. 1).

[4] Duos ultimos versus ed. 1 ita exhibet: *Totus enim affluis* [Vat. *filius*] *reddens dulcem gustum Et mentem inebrians vatis cor venustum.*

[5] Ed. 1 habet *Quam* et infra inepte *nam precandi rabiem* pro *Nam peccati rabiem.*

[6] Loco *querulor, quod te* ed. 1 habet *querula, nam te.*

[7] In ed. 1 hic versus sic proponitur: *Sed hunc hamum placida esca palliavit*, substituens antea *Quasi hamum* pro *Quantum hamum* et infra *per eum animos monstravit* vice *animas te per hoc monstravit.*

[8] Verba *te trahebat* substituimus ex ed. 1 pro *attrahebat,* quod habet Vat. Superius pro *Sed illius* ed. 1 ponit *Aut illius* et *Sed si hunc competere* pro *Immo hunc impetere.*

[9] Ed. 1 hunc versum ita legit: *In cruce meque tuo sanguine lavisti*, quae etiam in stropha seq. habet *igitur, si post te suspiro* pro *igitur, pro te si suspiro.*

[10] Pro *lateris nidulum parare* ed. 1 ponit *lateris iam nidificare.* Supra Vat. *crines* pro *carnes* (ed. 1 *carnem*), quod legitur Iob 13, 14; et inferius ed. 1 *illuc exhalare* loco *illic exhalare.*

[11] Ita ed. 1, Vat. legit *vere.*

[12] Hic versus in ed. 1 ita proponitur: *En, ut amens clamito: ,veniant laniste‘*, ex qua etiam inferius correximus *Si* ante *amplector* pro *Sic*, quod habet Vat.; sed pro *amplector* ed. 1 legit *complectar* et superius *configant* pro *affigant.*

[13] Ed. 1 praemittit *et* ante *non*, substituto antea *Sic* pro *Vere*, quae etiam in ultimo versu habet *languoris* loco *doloris.*

[14] Hunc versum ed. 1 ita exhibet: *In pressuris, gaudiis supernis inungis*, superius legens *Sane* pro *Plane* et *fortiter* pro *firmiter.*

[15] Ita corrigendum esse putavimus; Vat. legit *praeparatus,* ed. 1 vero duos ultimos versus hoc modo format: *Hunc devitat medicum, cum huic dulce latus Tam libens aperiat, semper sanare paratus.*

[16] Pro *Demum* ed. 1 habet *Post haec*, quae etiam in stropha seq. ponit *cibus quam* pro *esca quam* et *Ei quem tu reficis* pro *Et ei quem reficis,* substituens postea *Quamvis* pro *Licet.*

69. Cor ignavi siquidem minime perpendit,
Ad quid Christus optimum suum cor ostendit
Super alas positum crucis, nec attendit,
Quod reclinatorii vices hoc praetendit [1].

70. Hoc reclinatorium quoties monstratur
Piae menti, toties ei glutinatur,
Sicut et accipiter totus inescatur
Super carnem rubeam, per quam revocatur.

71. Post hoc clamat anima quasi dementata:
O reclinatorium, caro cruentata
Per tot loca propter me! cur non [2] vulnerata
Tecum sum, dum moreris, non sum colligata?

72. Licet [3] tamen miserae sit istud negatum,
Mihi quidem eligam novum cruciatum,
Gemitum videlicet iugemque ploratum,
Donec mundi deseram gravem incolatum.

73. Post hoc [4] dulcis anima, plus et plus fervescens,
Sensu toto deficit, corpore tabescens.
Iam vix loqui sufficit, sed affectu crescens,
Suo lecto decubat, utpote languescens.

74. Ergo dulcis gutturis organo quassato,
Lingua tantum palpitat [5], sonitu sublato,
Sed pro verbis pia mens fletu compensato,
Lamentatur Dominum, corde sauciato.

75. Sic languenti siquidem nil nisi plorare
Libet et satagere corde suspirare [6].
Suos enim oculos nescit revocare
A Christi vulneribus, aut cor separare.

76. Sic est autem [7] animus illius illectus,
Quasi ei praesens sit moriens dilectus,
Et a cruce minime retrahit aspectus,
Quia ibi oculus, ubi est affectus.

77. Gemitus, suspiria, lacrymae, lamenta
Sibi sunt deliciae, cibus, alimenta,
Quibus nova martyr est iugiter intenta,
Suoque martyrio [8] praebent incrementa.

78. In hoc statu respuit, quidquid est terrenum,
Mundique solatium reputat venenum,
Sed ad Nonam veniens moritur ad plenum, **Ad Nonam.**
Cum amoris impetus carnis rumpit filum.

79. Nam cum *consummatum est* recolit clamasse
Hora nona Dominum et sic exspirasse,
Quasi simul moriens clamat, penetrasse
Vocem istam suum cor atque lacerasse [9].

80. Ferre quidem [10] impotens iaculum tam forte,
Moritur, ut dictum est, sed felici morte,
Nam panduntur protinus ei caeli portae,
Dignam, ut intelligat, se Sanctorum sorte.

81. *Requiem* pro anima tali non cantamus,
Immo est introitus Missae *Gaudeamus*,
Quia si pro Martyre Deum exoramus,
Ut Decretum [11] loquitur, Sancto derogamus.

82. Eia dulcis anima, eia dulcis rosa,
Lilium convallium, gemma pretiosa,
Cui carnis foeditas exstitit exosa [12],
Felix tuus exitus morsque pretiosa!

83. Felix, quae iam frueris requie cupita,
Inter Sponsi brachia dulciter sopita,
Eiusque spiritui [13] firmiter unita,
Ab eodem percipis oscula mellita.

84. Iam quiescant [14] oculi, cessent aquaeductus,
Nam ex parte recipis spei tuae fructus,
Quia per quem saeculi evasisti fluctus
Tuos inter oscula consolatur luctus [15].

85. Dic, dic, dulcis anima, ad quid ultra fleres?
Habens caeli gaudium tecum, cur lugeres?
Nam salus est omnium, cui tu adhaeres,
Et si velles amplius, certe non haberes [16].

86. Sed iam metrum finio, ne sim taediosus,
Nam si vellem scribere, quam deliciosus
Sit hic status animae quamque gloriosus,
A malignis dicerer fallax et mendosus [17].

---

[1] Ed. 1 hunc versum sic legit: *Ei qui sic moriens in ligno pependit.* Superius substituit *Quare Christus homini suum* pro *Ad quid Christus optimum suum* et male legit *ignave* pro *ignavi.* — In seqq. strophis duabus vicibus ea erronee ponit *reclamatorium* loco *reclinatorium.*

[2] Post *cur non* ed. 1 ita continuat *cruciata Tecum sum et moriens tibi colligata?*

[3] Ed. 1 habet *Quamvis* et infra legit *quendam* vice *quidem.*

[4] Ita ed. 1, Vat. *haec.* Immediate post pro *plus et plus* ed. 1 habet *plus plusque* et *sed amore crescens* pro *sed affectu crescens.*

[5] Pro *palpitat,* quod habet ed. 1, Vat. legit *palpitans.*

[6] Hic versus in ed. 1 ita exhibetur: *Potest satisfacere sive suspirare;* infra substituit *nequit* loco *nescit.*

[7] Ed. 1 pro *Sic est autem* habet *Est namque sic* et *Nec a cruce* pro *Et a cruce.*

[8] Textum ita correximus ex ed. 1, Vat. hic legit *martyr est interim inventa, Sic suo martyrio.* Superius ed. 1 substituit *Hinc fletus* pro *Gemitus* et *Dapes sunt* vice *Sibi sunt.*

[9] Ultimum versum ed. 1 sic exhibet: *Clamat ista, suum cor atque perforasse,* substituto superius *sentit penetrasse* pro *clamat penetrasse* et in fine strophae praecedentis *rumpit carnis frenum. Nam dum* pro *carnis rumpit filum. Nam cum.* — Post stropham 79. ed. 1 addit tres seqq. strophas:
Vitam namque mortuam videt condolendo,
Pro suis defectibus hoc esse credendo;
Videt matrem virginem astare lugendo,
Sed et multos alios magistrum deflendo.
Post hec Ioseph respicit ire ad Pylatum,
Domini deposcere corpus sibi gratum,
Ad crucem accedere virum tam beatum
Et corpus deponere totum cruentatum.
Petram, mirram, sindonem lugens contemplatur,
Magdalene lacrimas et conlacrimatur;
Nichodemi gemitus gemens memoratur,
Hec et hiis similia tractans laceratur.

[10] Ita ed. 1, Vat. *tandem.*

[11] Libr. III. Decret. Gregor. IX tit. 41. c. 6: *Cum Marthae* § ult. estque Innoc. III. Cfr. August., Serm. 159. (alias 17. de Verbis Apostoli) c. 1. n. 1.

[12] Pro *foeditas exstitit exosa* ed. 1 legit *exstitit voluptas exosa,* quae etiam superius pro *pretiosa* substituit *gratiosa* et in fine strophae praeced. *ei* loco *Sancto.*

[13] Post *spiritui* ed. 1 continuat sic: *fortiter unita Ab eo nunc recipis oscula* etc.

[14] Ita correximus ex ed. 1, Vat. habet *quiescunt* et immediate post *cessant* pro *cessent,* ed. 1 *cesset.* Vat. postea ponit *Nam aperte percipis spei tuae fructus* pro *Nam ex parte recipis spei tuae fructus,* ut legit ed. 1, quae deinde ita prosequitur: *Sed cum carne seculi post istius fluctus Plenum erit gaudium, nullus prorsus luctus.*

[15] Post stropham 84. ed. 1 adiungit seq.:
Cum ad plenum tedia cessabunt malorum,
Cum coniuncta fueris choris angelorum,
Ubi salus, gaudii fons, durat bonorum,
Ibi tunc cum gaudio eris dominorum.

[16] Haec stropha in ed. 1 hoc modo transformata est:
In tali silencio ad quid ultra fleres?
In tanto solacio quomodo lugeres?
Nonne salus enim est, cui iam adheres?
Utinam solacium diu hoc haberes!
Postea adiungit duas seqq. strophas:
Sed hora dimidia vix hic tam letaris.
Cito, heu! impelleris fluctibus amaris;
Seiuncta ab oculis viatori raris,
Mundo, carne, demone nam sepe turbaris.
Dulcem Dei filium supplex memorare,
Eius actus ruminans tuosque narrare
Actus, verba satage, mentemque mundare
Et sic solicicius te mundum servare.

[17] Strophae 86. ed. 1 praemittit stropham 89, ad calcem mittit strophas 88. et 90.

87. Quidquid tamen alii dicant, frater care,
Istam novam [1] martyrem libens imitare,
Cumque talis fueris, Christum deprecare,
Ut nos cantus Martyrum doceat cantare.
88. Frequentemus canticum istud, soror pia,
Ne nos frangat taedio vitae huius via,
Nam laetantem animam in hac melodia
Post hanc vitam suscipit Iesus et Maria.
89. Ergo, soror, tuum [2] cor ita citharizet,
Se baptizet lacrymis, planctu martyrizet,
Christo totis viribus sic nunc organizet,
Ut cum Christo postea semper solemnizet.
90. Tunc cessabunt gemitus et planctus dolorum,
Cum adiuncta fueris cheris Angelorum,
Nam cantando transies ad caelestem chorum,
Nupta felicissimo Regi saeculorum. Amen.
Deo gratias.

EXPLICIT PHILOMENA.

III. DE SEPTEM VERBIS DOMINI IN CRUCE [3].

Primum Verbum.

Iesu, salutis hostia, salutis sacrificium,
Iesu, salutis gratia, salutis beneficium,
Iesu, tuta fiducia et tutum nostrum [4] refugium!
Tu pro humano genere, ut captivum redimeres,
Tu pro humano scelere, ut culpas nostras tolleres,
Tu pro divino munere, ut nos Deo coniungeres,
Non recusasti vincula, non flagella, non verbera,
Non latronum patibula, non livores, non vulnera;
Sed dum crux te susciperet, et hostis in te fremeret,
Dum malleus percuteret, et clavus carnem scinderet,
Dum sensum dolor angeret, et sacer sanguis flueret,
Dum passio te premeret, angustiaque cresceret,
Patrem rogasti precibus, ut tanquam ignorantibus
Tuis ignoscat hostibus ac te crucifigentibus,
Dicens [5]: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.*

ORATIO.

O mitis patientia! o mansueta mititas!
O immensa clementia! o immensa benignitas!
Qui ut ovis mitissima [6] non promis querimoniam,
Qui ut mater carissima iam excusas iniuriam,
Ut anima dulcissima tenes benevolentiam,
Ut voluntas piissima praebes misericordiam.
Ad te vadit spes animae, ad te clamant suspiria,
Ad te decurrunt lacrymae, et pulsant desideria,
Confidenter dicentia: Ignosce nobis, Domine.

Secundum Verbum.

Iesu, largitor veniae, Iesu, solamen tristium,
Iesu, laus poenitentiae, Iesu, spes poenitentium!
Dum penderes innoxius, horum in poena socius
Dum te unus argueret et stulte reprehenderet,
Dum insultans insurgeret et blasphemando diceret [7]:
Si tu es Dei Filius, salva temetipsum et nos,
Esto tibi propitius, sicut salvasti alios,
Dum alter hunc corriperet et hunc stultum ostenderet,
Dum se malum concederet et te iustum assereret,
Dum ad te se converteret et supplex tibi diceret [8]:
Memento mei, Domine, dum ad tuum perveneris
Regnum plenum dulcedine; dum te regem ostenderis,
Tu, amans poenitentiam, corda trahens per gratiam,
Non solum hanc memoriam concessisti, sed gloriam,
Dicens: *Amen dico tibi, hodie mecum eris laetus* [9] *in paradiso.*

ORATIO.

O prompta Dei caritas, prompta misericordia!
O prompta liberalitas, prompta munificentia!
Ad te currit devotio, ad te redit memoria,
Coram te fit confessio, tibi patent praecordia,
Ideo cum fiducia tibi precamur, Domine,
Qui es sine malitia solus et sine crimine:
In tua patientia memento nostri, Domine.

Tertium Verbum.

Iesu, lux et rex gloriae, Fili Dei et hominis,
Iesu, flos pudicitiae, fili Mariae Virginis!
Dum haec Virgo sanctissima, tota plena doloribus,
Genitrix amantissima, tota [10] confecta moeroribus,
Tua Mater carissima, tota percussa fletibus,
Nutrix diligentissima, tota fracta singultibus,
Iuxta crucem assisteret et te pendentem cerneret,
Dum tormenta conspiceret neque [11] luctu deficeret,
Tu videns Matrem flebilem, pressam amaritudine,
Matrem tam venerabilem, dignam beatitudine,

---

[1] Ita correximus ex ed. 1, Vat. legit *Istum novum.* Primum versum ed. 1 ita exhibet: *Ergo, quicquid alii dicant, frater care,* finiens post *libens imitare* hoc modo: *Atque supplex Dominum meeum deprecare, Ut nos huius martiris cantum sit cantare, Det, quod secum iugiter possimus regnare. Amen.*

[2] Pro *Ergo, soror, tuum* ed. 1 habet *Eñ predicto cantico,* substituens inferius *Et crebris suspiriis nunc sic* pro *Christo totis viribus sic nunc.*

[3] Hoc devotum canticum contra Oudinum et Venetas ut genuinum defendunt Sbaralea (Supplementum etc., pag. 149 col. I.) et Bonelli (Prodrom. col. 662). Idem invenitur in cit. Repertor. hymnolog. tom. I. pag. 585. n. 9676, ubi nullus alius auctor indicatur quam Bonaventura, qui etiam solus nominatur in pluribus msc. recentioribus et uno saec. XV. — Paucas tantum varias lectiones invenimus in codice Parisiensi et in ed. Bonelli (Supplement. tom. III. col. 1163), quibus addidimus nonnullas a Sbaralea (loc. cit.) ex codice Assisiensi descriptas. — Cod. Parisiens. in initio habet: *Incipit opus seraphici Doctoris sancti Bonaventure valde devotum de septem verbis Domini Iesu Christi in cruce.*

[4] Ita Sbaralea; in Vat. et cod. omittitur *nostrum,* et in Bonelli desunt verba: *salutis beneficium, Iesu, tuta fiducia.*

[5] Luc. 23, 34.

[6] Isai. 53, 4.

[7] Luc. 23, 35. seqq. et Matth. 27, 40. seqq.

[8] Luc. 23, 42; seq. locus est ibid. v. 43.

[9] Ex Sbar. supplevimus *laetus;* Bonelli post *mecum eris* prosequitur: *laetus, iucundus, beatus in paradiso Domini.*

[10] Vat. et Bonelli *tot.*

[11] Ita Bonelli; in aliis *et prae.*

Videns quoque discipulum amatum et amabilem,
Fidelem Dei famulum, Ioannem vita nobilem,
Alloquens ambos dulciter piae vocis oraculo,
Commendasti benigniter Matrem Christi discipulo,
Dicens haec[1] Matri: *Mulier, ecce, Filius tuus;*
Deinde discipulo: Ecce, mater tua.

ORATIO.

O qualis permutatio! o quanta inaequalitas!
O qualis desolatio! o quae Matris acerbitas!
Dum custos Matri traditur pro magistro discipulus,
Dum per Matrem suscipitur pro Deo vir pauperculus,
Dum Matri custos mittitur pro rege simplex famulus.
Sic tuae, Iesu, gratiae me commendo humiliter
Tuaeque providentiae me committo perenniter,
Ut, exorante Virgine pro nobis te[2] suppliciter,
A peccatorum turbine simus securi iugiter.

Quartum Verbum.

Iesu, Patris ingeniti virtus et sapientia,
Iesu, cuiusque conditi tenor et consistentia,
Tu virtute mirabili panes multiplicaveras,
Tu virtute consimili stellam infans duxeras,
Defunctos suscitaveras, opera mira feceras,
Morbos omnes sanaveras, totum orbem formaveras,
Tu virtute terribili daemonia eieceras,
Tu virtute consimili hostes tuos prostraveras,
Sed affixus patibulo, Patri factus obediens,
Iussu Patris, ut vinculo vinctus manens et patiens,
Qui vult, quod hanc angustiam ut infirmus sustineas,
Nec praedictam[3] potentiam, te liberans, exerceas;
Quapropter tuo sensui condolens naturaliter,
Clamorem confers planctui, dicens lamentabiliter:
Eli, Eli, lama sabacthani, hoc est, Deus meus,
Deus meus, ut quid dereliquisti me?

ORATIO.

O lamentum mirabile, salutem agens hominum!
O innocens cor humile, poenas deplorans criminum!
Ad te fert me compassio, pro me te pati sentio,
Ante te me proiicio tecumque luctum facio,
Nam iste luctus utilis est mihi pro solatio,
Qui mihi praemiabilis[4] sit in aeterno gaudio.

Quintum Verbum.

Iesu, dulcis memoria, sitibunda dilectio!
Iesu, dulcis fiducia, laetabunda refectio!
Dum extensus existeres super aram patibuli,
Dum immolatus ageres redemptionem populi,
Dum te nudum aspiceret mundus instar spectaculi,
Dum lamentum ostenderet super te vultus saeculi,
Dum hostes de te luderent, et noti tui fugerent[5],
Dum clavi membra tenderent, et nervi se contraherent,
Dum vulnera tumescerent, et humores defluerent,
Dum carnes contremiscerent, et virtutes arescerent,
Sitim subisti fervidam, sitim amore languidam,
Sitim virtutum cupidam, nostrae salutis avidam,
Benigne dicens[6]: *Sitio*, hominum fidem cupio
Salutemque desidero, pro qua pati me offero.

ORATIO.

O sitis saluberrima, exoptans amicitias!
O sitis cordis intima, frangens concupiscentias!
Praesta, ut ad te sitiam et ista siti ut ardeam,
Pravam sitim effugiam, dum[7] ad te fontem transeam
Potumque vitae hauriam, quo felix semper maneam
Et Deum meum videam, sanctam ingressus patriam.

Sextum Verbum.

Iesu, nostra redemptio, Iesu, Redemptor omnium!
Iesu, nostra dilectio, Iesu, salus credentium!
Dum per crucis mysterium diligenter perageres
Redemptoris officium, ut hominem redimeres,
Sustinendo supplicium, ut inde nos eriperes,
Consummans sacrificium tuae carnis et sanguinis,
Consummans pacis proelium salutaris certaminis,
Consummans transitorium cursum *huius imaginis*[8],
Consummans opificium redemptionis hominis,
Dum mortis horam cerneres, dum hac vita deficeres,
Dum finem iam contingeres, dum omnia perficeres,
Ut in summa concluderes, dixisti[9]: *Consummatum est.*
Nam Iesus crucifixus est, et Agnus immolatus est,
Sanguis eius effusus est, et pretium solutum est;
Diabolus devictus est, et bellum consummatum est,
Chirographum deletum est, et homo iam redemptus est.

ORATIO.

O bonitas, bone Iesu, qui es nostra iustitia[10]!
O veritas, vere Iesu, qui es nostra scientia!
O caritas, care Iesu, qui es nostra redemptio!
O sanctitas, sancte Iesu, nostra sanctificatio!
Consumma nobis gratiam et consumma iustitiam,
Consumma conscientiam et consumma laetitiam.

Septimum Verbum.

Iesu, via rectissima, Iesu salutis ostium,
Iesu, porta tutissima, Iesu protector omnium,
Iesu, salubris veritas et lux mentem illuminans,
Iesu, vitae felicitas, dulcor in corde iubilans,
Dum in extremis ageres, ut animam deponeres,
Dum hanc vitam desereres, ut ad limbum descenderes,
Volens viam ostendere, per quam debemus pergere,
Volens cunctos instruere, qui facti sunt de pulvere,
Volens illum ostendere, qui potest nos defendere,
In quo debent confidere qui mortem debent capere,
Tuum sacratum spiritum tuo Patri sanctissimo

---

[1] Ioan. 19, 26. seq. — Ex Sbar. et Bonelli supplevimus *haec;* Bonelli etiam addit *nunc* ante *Filius tuus* ac *nunc haec* ante *mater tua.* [2] Sbar. *stet* pro *te.*
[3] Ita Sbar.; Vat. et Bonelli *Neque dictam*, cod. *Nec dictam.* — Locus Scripturae seq. est Marc. 15, 34; Matth. 27, 46.
[4] Vat. *praemiatis.*
[5] Matth. 26, 56. Infra ex Bonelli substituimus *Sitim subisti* pro *Sitim sumsisti.* Bonelli dein omittit *sitim amore languidam, Sitim virtutum cupidam.*
[6] Ioan. 19, 28.
[7] Ita Sbar.; Vat. et cod. *donec* pro *dum*, Bonelli *et.*
[8] Psalm. 38, 7: Verumtamen in imagine pertransit homo.
[9] Ioan. 19, 30, et infra Col. 2, 14.
[10] Cfr. I. Cor. 1, 30.

Commendasti per gemitum sermone devotissimo,
Dicens [1]: *Pater mi, in manus tuas commendo spiritum* [*meum.*
Et *inclinato capite*, fixus in crucis stipite,
Acriter cruciante te, turpiter et indebite,
Tu emisisti spiritum, et orbis talem fremitum,
Quod quisque per circuitum tuum percepit obitum,
Ut cuncta fletum facerent, et elementa tremerent,
Ut saxa se dirumperent, et sepulcra se panderent,
Ut terraemotus fieret, velum templi se scinderet,
Ut luna retrocederet, solque contenebresceret,
Ut mundus ingemisceret, et natura flens diceret:
Ego lugens deficio, vel Deo inest passio [2].

ORATIO.

O mors, mors lacrymabilis! super quam plorant omnia,
O mors, mors lamentabilis! super quam flent innoxia,
O mors, mors admirabilis! qua suscitantur mortui,
O mors, mors amicabilis! qua exaltantur strenui,
O mors sacra, mors nobilis! per quam delentur scelera,
O mors pia, mors utilis! per quam donantur praemia,
Praesta, ut haec memoria nos teneat continue
Et stimulet praecordia corque pungat assidue,
Ut menti lumen influat et in agendis instruat,
Ut nos a culpis exuat et vitae donum tribuat. Amen [3].

EXPLICIT HYMNUS DE SEPTEM VERBIS DOMINI IN CRUCE.

IV. MEDITATIO DE PASSIONE IESU CHRISTI [4].

1. Plange, fidelis anima,
Amica crucis intima,
Cerne Iesu gravissima
Tormenta, crudelissima.

2. Geme, dole, paupercula
Crucifixi discipula,
Plange nimis et eiula
Christi tormenta singula.

3. Cerne Iesu convitia
Et valida supplicia,
Inter ipsius brachia
Quaere tua solatia.

4. Attende caput inclytum,
Caesum et sputis illitum,
Pro te flagellis subditum,
Morti crucis expositum.

5. Iesum plagatum videas
Et cum dolente doleas,
Ibi cor totum habeas,
Ut in aeternum gaudeas.

6. Ad Crucifixum propera,
Cerne clavos et vulnera,
Nervos et tensa viscera,
Venas, ossa connumera [5].

7. Plange membra pendentia,
In cruce tam dolentia,
Pro te poenas ferentia
In tanta patientia.

8. Attende Dei Filium
In cruce tam propitium,
Fudit cruorem proprium
Nec timuit opprobrium.

9. Attende rivos sanguinis,
Quos fudit Proles Virginis,
Iesus, fons veri luminis,
Dulcis amator hominis.

10. Plange pedes amabiles,
Fossos, in cruce stabiles
Et manus venerabiles
Iesu desiderabiles.

11. Pedum fixuras aspice
Et manuum non [6] modice,
Te Crucifixo adiice,
Bibens eodem calice.

12. Plange latus dominicum
Crucifixi, mirificum,
Pro te passum non modicum
Fudit [7] rorem salvificum.

13. Si Crucifixum sequeris,
Cur sibi non compateris?
Surge cito, ne steteris,
Curras ad plagam lateris.

14. Ibi latens abscondere,
Si vis mortem evadere,
Ut possis hostem vincere
Et in aeternum vivere.

15. In tam venerabilibus
Crucifixi vulneribus
Stude tibi pro viribus,
Si vis frui caelestibus.

16. Attende Christum nobilem [8],
Crucifixum mirabilem,
Stantem in cruce flebilem,
Quasi leproso similem.

17. Cerne vultum et oculos
Et lacrymarum rivulos,
Si vis ferre manipulos
Et thesaurorum cumulos.

18. Vide linguam totaliter
Amaricatam graviter,
Quam teneas memoriter
Et secum dole pariter.

---

[1] Luc. 23, 46. — Post *Pater* ex Sbar. supplevimus *mi;* deinde respicitur Ioan. 19, 30: Et inclinato capite etc. — Infra ex Bonelli substituimus *cruciante* pro *cruentato.*

[2] Verba similia dixisse fertur Dionysius Areopagita. Supra respiciuntur Marc. 15, 33; Luc. 23, 44.

[3] Cod. post *Amen* habet: *Explicit opus sancti Bonaventure valde* etc. ut supra.

[4] Hic hymnus in praecedentibus editionibus Operum S. Bonaventurae desideratur. Inventus est in codice Romano bibliothecae Corsiniorum saec. XIV. membr. in 4. parvo, sign. Col. 41. E. 28, ubi est fol. 114. v. Collatus est cum eo alius Romanus cod. Collegii S. Isidori, cod. 1/88, chart. in fol. 104. r., qui paucas lectiones varias praebuit et hymnum tribuit Bernardo. Primus signatus est littera A, alter B. — Annotatus est hic hymnus in praeallegato Repertor. hymnolog. tom. II. pag. 318 n. 14954, secundum msc. Gratianopolit. et Massilien., et assignatur saec. XIV, sed tacito nomine auctoris.

In A hymnus inscribitur: *Incipit meditatio domini Bonaventure de passione Domini nostri Iesu Christi.*

[5] Cod. B *considera.*

[6] Ita B, A omittit *non.*

[7] Cod. B *fundens.*

[8] Cod. B *humilem.*

19. Te Crucifixo iungere
Et intime compatere,
Quasi pendenti loquere
Et verbis istis utere:
20. Dulcis Iesu, cur moreris
Pro reprobis et miseris?
Quidquid in cruce pateris,
Totum fuit pro ceteris.
21. Cur pendes [1] in patibulo,
Tactus amoris stimulo,
Mortis percussus iaculo
Pro liberando populo?
22. Cur es in cruce sitiens
Et tam despecte moriens,
Iesu [2], fons indeficiens,
Qui es perfectus Oriens?
23. Iesu, vita dulcissima,
Lux animae clarissima,
Cur in cruce vilissima
Pendes [3] morte turpissima?
24. Quod pateris nos fecimus,
Quod bibis nos infudimus,
Tu, Rex innocentissimus,
Nos sumus, qui peccavimus!
25. Dulcis Iesu, quem sitio,
Praesta mihi quod cupio,
Ut sanctae crucis nimio
Me pascas desiderio.
26. Fac mihi delectabile
Signum crucis mirabile,
Tam dulce, tam amabile,
Quod sit inenarrabile.
27. Fac, ut in cruce gaudeam,
Crucis amore langueam
Nec satiari valeam,
Donec in carne maneam.
28. Et fac, ut non praeteream
Crucem, clavos et lanceam,
Sputa, coronam spineam,
Tuam vestem purpuream.
29. In his mihi satietas
Et dulcor et ebrietas,
Mei cordis iucunditas
Sit Crucifixi pietas.
30. Sanctae crucis memoria
Sit mihi pro victoria,
Qua mala vincam omnia,
Sim in caelesti [4] gloria.
31. O tu, qui legis talia,
Tam gesta triumphalia,
Pone crucis magnalia
Ad cordis penetralia.
32. Intende spiritualibus
Beatae crucis laudibus,
Ut Angelorum coetibus
Iungaris in caelestibus [5]. Amen.

EXPLICIT MEDITATIO DE PASSIONE IESU CHRISTI.

V. CORONA B. MARIAE VIRGINIS [6].

Cum iucunditate memoriam nominis Mariae celebremus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum nostrum Iesum Christum. Amen.

I. Gaude, Virgo [7], Mater Christi,
Quae per aurem concepisti,
Gabriele nuntio.
Iesus, fructus ventris tui,
Per te detur nobis frui
In perenni gaudio. Amen.
Antiph. Ave Maria. *Psalm.* Magnificat [8].

Mediatrix Dei et hominum,
Tu digne magnificas Dominum,
Quae sola concepisti Filium,
Qui est vera salus humilium;
Hinc omnium Deum quaerentium
Generatio te beatam dicere
Et devote salutare debet, dicens:

Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

℟. Et beatus venter, qui te portavit, Domine Iesu Christe, et beata ubera, quae suxisti.

---

[1] Ita B, A *pendens.*
[2] Ita B, A *Iesus.*
[3] Ita B, A *pendens.*
[4] Ita B, A *caelestiali.*
[5] Cod. B *Coniungaris caelestibus.*
[6] Titulum hunc cum editoribus Venetis male intellexit Oudinus (Comment. III. col. 408), asserens: « Hae preces coronarum etc. temporum novissimorum sunt, nempe saeculi XV. inchoantis » etc. Quidquid sit de hac sententia, hoc loco illa *Corona* non est nisi quoddam parvum Officium de quinque gaudiis B. Mariae Virginis secundum numerum quinque litterarum nominis *Mariae.* Haec corona similis est illi quam B. Iordanus a Saxonia, electus an. 1222 Magister Generalis Ord. Praed., recitare solebat, teste Echardo (Scriptores Ord. Praed. tom. I. pag. 98). Ab ipso enim refertur inter Iordani opera « *Corona B. Virginis* ex his constans: primo, hymno *Ave maris stella* cum quinque Psalmis: *Magnificat, Ad te, Domine, levavi, Retribue, In convertendo, Ad te levavi,* adiecta singulis *Salutatione Angelica* » (cfr. Sbaralea, Supplem. pag. 149; Bonelli, Prodrom. col. 587). — Quinque strophae huius Officii de 5 gaudiis sine aliis huius Officii partibus saepe inveniuntur in codicibus, sed auctae aliis strophis, plerumque ita, ut *septem* gaudiis B. Mariae respondeant, qui numerus ab initio saeculi XV. tum doloribus tum gaudiis B. Mariae vulgo tribuebatur. Interdum numerus stropharum usque ad 15 auctus invenitur, de quo cfr. Mone, *Hymni latini medii aevi,* tom. II, praesertim n. 454 et 460. Certum esse videtur, numerum *quinque* gaudiorum et stropharum cum quinque Psalmis eisdem, quos habet B. Iordanus, antiquius tempus indicare, et ideo quinque strophae cum repetitis versibus: *Iesus, fructus ventris tui* etc. primi auctoris esse videntur, postea multipliciter auctae et mutatae. Cum Sbaralea et Bonelli nihil obstare nobis videtur, ut totum hoc Officium S. Bonaventurae tribuatur. — Sbaralea (loc. cit.) ex codice bibliothecae Florentinae S. Crucis (nunc in Laurentiana, Plut. XVII. dext. cod. 11.) transcripsit 8 strophas sine nomine auctoris, quarum sex conveniunt cum nostris; alias duas minus bonas cum finali oratione ad calcem posuimus.
[7] Vat. addit *Maria.* — Quoad seq. versum Mone (loc. cit. pag. 164) annotat, hanc phrasim usitatam esse in antiquis hymnis e. g. ab *Ennod.* hymn. 10, 11: Concepit aure Filium. Idem significat ac *fide concepit.*
[8] Luc. 1, 46.

ORATIO.

O igitur, mediatrix nostra Maria, mater gratiae, mater misericordiae, pro nobis, quaesumus, intercede, ut verae compunctionis et devotionis gratiam nobis inspirare dignetur dilectissimus Filius tuus, Dominus noster Iesus Christus, qui cum Patre etc.

II. Gaude, quia, Deo plena,
Peperisti sine poena,
Cum pudoris lilio.
Iesus, fructus ventris tui etc.

Antiph. Alma. *Psalm.* Ad Dominum, cum tribularer [1].
Alma Redemptoris Mater eximia,
Qui tua egressus claustra virginea,
Cum his *pacificus factus est* incola,
A quibus dura perpessus est verbera;
Unde digna es, o Virgo puerpera,
Ut omnis creatura te veneretur et benedicat, dicens: Ave Maria, *usque* tui.

℟. Et beatus venter, qui te portavit etc.

ORATIO.

O igitur alma Virgo Maria, Mater Dei dignissima, pro nobis, quaesumus, intercedere digneris, ut sanctum propositum, quod Deo inspirante concepimus, ad effectum salubriter perducere valeamus, praestante eodem Domino nostro Iesu Christo, benedicto Filio tuo, qui cum Patre et Spiritu sancto etc.

III. Gaude, quia tui Nati,
Quem dolebas mortem pati,
Fulget resurrectio.
Iesus, fructus ventris tui etc.

Antiph. Regina caeli. *Psalm.* Retribue servo tuo [2].
Regina caeli, laetare cum iubilo;
Nam qui pendebat in crucis patibulo
Surrexit vere summo diluculo,
Omni ablato contemptus opprobrio.
Unde digne omnis homo cum gaudio
Tibi congratulari et benedicere debet, dicens: Ave Maria, *usque* tui.

℟. Et beatus venter etc.

ORATIO.

O igitur Regina caeli dignissima! ora pro nobis Deum et Dominum nostrum Iesum Christum, ut nos resurrectionis suae participes efficiat in praesenti per gratiam et in futuro per gloriam, qui cum Patre etc.

IV. Gaude, Christo ascendente,
Qui [3] in caelum, te vidente,
Motu fertur proprio.
Iesus, fructus ventris tui etc.

Antiph. Imperatrix. *Psalm.* In convertendo [4].
Imperatrix et mundi Domina,
Tuus Natus cum quanta gloria,
Nostrae carnis sumta materia,
Capta praeda, conscendit aethera;
Hinc os cordis plenum laetitia,
Et lingua nostra exsultatione te collaudet et benedicat, dicens: Ave Maria, *usque* tui.

℟. Et beatus venter etc.

ORATIO.

O igitur imperatrix et Domina nostra benignissima, iure matris impera tuo dilectissimo Filio, Domino nostro Iesu Christe, ut mentes nostras ab amore terrestrium ad caelestia desideria erigere dignetur qui vivit et regnat etc.

V. Gaude, quae post Christum scandis,
Et est honos tibi grandis
In caeli palatio.
Iesus, fructus ventris tui etc.

Antiph. Advocata. *Psalm.* Ad te levavi oculos meos [5].
Advocata miserorum,
Ad te sunt oculi servorum,
Te assumsit Rex caelorum
Super choros Angelorum,
Ubi coetus Beatorum
Te digne veneratur et benedicit in aeternum, dicens: Ave Maria, *usque* tui.

℟. Et beatus venter etc.

ORATIO.

O igitur gloriosissima Domina, excelsa super sidera, piissima advocata nostra! suscipe laudum pia precamina, quae ad honorem quinque vulnerum Filii tui et ad laudem sancti nominis tui decantavimus, et pro nobis, quaesumus, intercedere festina, quatenus dulcissimus Filius tuus, Dominus noster Iesus Christus per suam magnam misericordiam a vinculis peccatorum nostrorum nos eripiat et in suo sancto servitio nos conservet, confortet ac finaliter perseverare faciat; nam te nihil negans honorat qui cum Deo Patre [6] etc.

EXPLICIT CORONA B. MARIAE VIRGINIS.

---

[1] Psalm. 119. Infra respicitur Ps. 119, 6. 7: Multum incola fuit anima mea. Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.

[2] Psalm. 118, 17. seqq.

[3] Ita Mone n. 460, Vat. *Et.*

[4] Psalm. 125.

[5] Psalm. 122.

[6] Cod. Florentinus supra memoratus post 2. stropham sequentem addit: « Gaude, quia Magi dona Tuo Nato ferunt bona, Quae tenes in gremio » (eandem stropham habet Mone in tom. II. pag. 162, hymnus n. 454.); deinde post 4. stropham addit: « Gaude, cui Filius misit Paracletum, quem promisit Sanctorum collegio » (apud Mone vero: « Gaude, flamma descendente, Spiritus sancti repente De caelesti solio »). Octavo loco habet illam stropham: « Iesus, fructus » etc., quae in nostro textu quinquies repetitur. In fine habetur: « Oremus. Deus, qui beatissimam semper Virginem Mariam, in conceptu et in partu virginitate servata, duplici gaudio laetificasti, cuique gaudia, Filio resurgente et in caelum ascendente, multiplicasti: praesta, quaesumus, ut ad illud ineffabile gaudium, quo assumta gaudet in caelis, eius meritis et intercessione pervenire valeamus. Per eundem Dominum nostrum » etc.

INDEX ALPHABETICUS

PRAECIPUARUM RERUM ET SENTENTIARUM

QUAE

IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Primus numerus arabicus indicat paginam, secundus paragraphos, littera *a* primam, *b* secundam columnam.

A

ABGARUS — rex sanatus a Thaddaeo Apostolo 283 33

ABNEGATIO — sui triplex est 394 5

— perfecta sui ipsius, quam sit necessaria 497 b — Christi militia a sui ipsius victoria inchoanda est 507 4. sq. *Vide v. Voluntas.*

ABRAHAM — non se expropriavit 295 5

ABRENUNTIATIO — omnis possessionis difficilis ex arduitate et nobilitate generis operis 248 15

— Licitum est dimittere propria 294 23 — rerum temporalium propter Deum est laudabilis *ib.* 1 — Loculos non habere non solum laudabiliter, sed laudabilius fit quam oppositum 237 6

— Nuditas cordis per exspoliationem spiritus ab omni perverso affectu avaritiae praecepta est omnibus Christianis 279 21 — Renuntiare omnibus convenit omnibus, relinquere vero est perfectorum 284 23

— Abdicatio omnis transitoriae facultatis competit Apostolis et apostolicis viris 280 22 — Abdicatio proprietatis necessario requiritur ad perfectionem status Religionis 251 23 — Abdicatio potestatis possidendi proprium competit regularibus 279 22

— Nuditas cordis et corporis per abiectionem omnis superfluitatis et proprietariae possessionis non est de necessitate, sed de congruentia status clericalis 279 22

— Evangelicae paupertatis est possessiones terrenas quantum ad dominium et proprietatem relinquere, usum vero non omnino reiicere, sed arctare 273 3 — Christus primo invitat ad perfectam abdicationem temporalium possessionum 246 8 — Christus consulit viris perfectis omnia vendere 278 18. 291 16 — Omnia relinquere est secundum dictamen divini consilii 294 23

— Relinquere omnia temporalia consulitur ad perfecte declinandam concupiscentiam oculorum quantum ad occasionem 245 5 — Substantiae terrenae illecebrosa possessio spiritualiter et corporaliter abdicanda est ad perfectam avulsionem cupiditatis quantum ad occasionem et fomentum 272 2 — Abdicatio mundi et concupiscentiae eius est, qua radix omnium malorum perfecte amputatur et Babylonis fundamentum evertitur *ib.* 3

— Quamvis possessiones et pecunias habere de se non sit peccatum, sed licitum, est tamen perfectum eas abdicare et voluntarie pro Christo eis carere 281 26 — Abdicationis temporalium sola causa non est proprietas ad cupiditatem exstirpandam 294 2. 295 3 — Omnia relinquere est perfectum in genere 238 8 — Omnia sua relinquere requiritur ad fundamentum perfectionis 242 10 — Omnia dimittere ad Christum sequendum est perfectionis 244 15 — Omnia vendere oportet eum qui vult sequi Christum in perfectione 272 3 — Relinquere divitias communes et proprias perfectionis est 295 4

— Quamvis census perfectis non tam vehemens nec tantorum sit peccatorum occasio, tamen perfecta rerum temporalium abdicatio perfectis consulitur, non imperfectis, nisi velint esse perfecti 281 28 — Abrenuntiationis forma perfectior est omnia relinquere 277 15

— Abrenuntiare omnibus et simul omnia largiri est perfectius quam paulatim dare pauperibus 249 17 — Sua dimittere actus est unus et uniformis, qui perfectioni non consonat, si diminute et

secundum partem, non secundum totum fiat 242 10 — Contingit rerum temporalium abdicare dominium privatum, retento communi, vel etiam dominium commune 273 4

— Dimittentibus omnia promittuntur temporalia recipienda per modum caritativae communionis, vel per modum caelestis provisionis, non per modum possessionis 282 30. sq. — Relinquere sua modica, ut quis accipiat bona ecclesiastica maiora, est perfectum in genere et imperfectum ex circumstantia 238 9

— Ad abdicationem proprietatis minime astringuntur praelati ecclesiae 251 23

ABSOLUTIO — Pretiosa est auctoritas absolvendi a peccatis confessis 371 a

— Quando absolutio neganda sit usurariis et raptoribus 467 a

— non debet principaliter impendi pro alimento corporis 371 a

ABSTINENTIA — duplex est 216 135 — Abstinentiae modus duplex est, a quali et a quanto 265 26 — Regulae variae abstinentiae 482 1. sq. 483 3. sq.

— Morem sacrum abstinendi impugnans est Iovinlani discipulus 260 10. 262 18. 263 19 — non praesumtuose vilipendenda, sed religiose veneranda 264 23 — Non parvi periculi res est abstinentiae perfectioni detrahere ac per hoc animos perfectae virtuti studentium ab ea revocare 262 15

— Pro abstinentiae commendatione vir fidelis non est accusandus erroris Manichaeorum 260 10. sq.

— Transcensus vitae communis aut venit ex sublimitate virtutis, sicut in viris magnae auctoritatis, aut ex superstitione erroris, vel ex praesumtuosa singularitate modi vivendi 265 27

— Sanctum est ab aliquibus abstinere, quae occasionaliter concupiscentiam excitant 261 14

— necessaria est ad edomationem carnis, ad exercitationem virtutis et satisfactionem pro culpis commissis 265 26 — Abstinere a deliciis necessarium est ad vacandum sapientiae studiis 258 4 — Abstinere ab appetitu gulae necessarium est ad resistendum in bello spirituali *ib.* 3. sq.

— Temperandum a cibis aut ad concupiscentiam refrenandam, aut ad infirmitati alterius parcendum 260 11 — valet ad servandum pudicitiae sanctae nitorem et ad custodiam paupertatis altissimae et ad conquirendam animi fortitudinem et ad obtinendam mentis serenitatem 260 9 — Per abstinentiam vigor attenuatur in corpore, et augmentatur virtus in animo in viro perfecto *ibid.*

— a licitis est perfectionis 244 15. 266 31. 281 26 — Abstinentiae sanctae rigor pernecessarius est his qui perfectionem adipisci et defensare conantur 257 1 — Abstinentiae necessitas contra dogma perversum subintroductum probanda per exempla et documenta Sanctorum *ibid.* — viris perfectis et caelestibus competit ad perfecte cavendam libidinem et edomandam carnem 260 8 — promovet ad perfectam virtutem *ib.* 9 — Abstinentiae rigor opus est perfectae virtutis 258 2. sq.

— Abstinere est opus maxime competens viris perfectis 258 4 — necessaria viris perfectis, non solum imperfectis 262 15 — non competit magis imperfectis quam perfectis 261 12 — imperfectis non magis convenit quam perfectis 266 31

— falso et impie astruitur tanquam spiritualium medicamentum morborum maxime competere imperfectis 235 2 — si solis competeret imperfectis, ei praeferretur usus moderatus et sobrius ciborum 263 18, 20

— falso dicitur imperfectis non praecipi, sed indulgeri 266 31 — praecipitur perfectis 263 20 — competit senibus et perfectis *ib.* 21

— in toto vel in parte potest recompensari per pietatis officia 264 23

— restringenda pro debilitate corporum 264 23

— Abstinere a carne et delicatis cibariis actum dicit consonum perfectioni de genere operis 258 4. 259 7 — Perfectorum est abstinere a carnibus 259 8 — Ecclesia iubet abstinere a carnibus 260 10

— Abstinere, cum apponuntur delicata cibaria, difficilius est ex circumstantia extrinsecus annexa 248 17 — Abstinere a delicatis est difficile et arduum et supererogatorium, ideo de natura sui generis est perfectum tanquam ad perfectionem praeparans et ipsam promovens et conservans 259 8

— Abstinere a cibis delicatis salutare est, quia per excitationem concupiscentiae dant occasionem peccandi 259 8 — perfectior est quam vesci delicatis 262 17. 263 19 — Abstinentes discernere inter cibaria delicata et aspera non repugnat, sed consonat religioni christianae 261 13

— Abstinere potest fieri imperfecte 259 7 — Quinque abusiones contra abstinentiam explicantur 217 135. sqq. — ridiculosa est carnes non tangere et pisces quaerere cariores 406 26

— **Exempla** abstinentiae 257 1. 258 2. 262 17. 263 19 — Strictior vita probatur exemplis Sanctorum 265 27

— perfecta in Christo 259 6 — Quomodo Christus nobis exemplum abstinentiae dederit 216 134 — Recordatio passionis Christi facit omnem abstinentiam facilem 483 3

— eminens in Ioanne praecursore laudatur 257 1. 259 5 — Ad abstinentiam provocatur exemplo agonistarum 258 1 — sanctorum Aegyptiorum *ib.* 2 — anachoretarum et coenobitarum 263 21 — admirabilis S. Francisci 516 1. sqq.

— magna et mira in viris clarissimis 260 10 — Viri sancti abstinuerunt propter macerationem carnis ad edomandum concupiscentias, propter cavendum scandalum infirmorum et propter evitanda idolothyta 265 29

— Exempla abstinentiae Iudaeorum et philosophorum non spernenda 264 22

— Abstinere a cibis Lege prohibitis erat obligatio omnium 265 30

— a Ioviniano non aequatur gulositati, sed usui ciborum 263 18

Absurda — sequuntur ex erroneis 268 6

Abusus — sinceritatem Religionis inficiunt, perfectionis celsitudinem deprimunt et sanctitatis claritatem obfuscant 470 1 — Redarguuntur tres abusus magis communes *ib.* 2

Accessoria — Concesso principali, accessoria etiam omnia conceduntur 400 9

Accidia — quid sit 197 66

— facit animam nequam 5 6 — Ex nequitia accidiae oriuntur suspiciones malae, cogitationes blasphemae, detractiones malignae *ibid.*

— Qui sint effectus et remedia huius vitii 197 66

— Frigiditas accidiae summo studio depellenda est 495 a

— Hoc vitio religiosi homines maxime affliguntur 197 66 — quando vigeat in Religioso 109 4

Accipere — et dare opponuntur relative 417 16 — comparatum ad dare, licet de genere operis minus sit beatum atque perfectum, potest tamen ex superadiecta circumstantia esse beatius atque perfectius 327 33

Acror — Eius furtum secundum litteralem sensum accipitur in malo et secundum moralem intellectum in bono 442 15

Actio — sequitur ex ordine et scientia in hierarchia 397 1

Activa — vita debet deservire contemplativae 334 9 — Non est aeque perfectum in persona privata per extrinsecas occupationes turbari, sicut per contemplationem quiescere 294 22

— In vita activa est condescensio ad proximum 246 6

Acto — iuvenis quidam per S. Franciscum a lepra mundatur 561 5

Actus — Alia est comparatio actuum, alia personarum 268 6 *Vide* etiam *v. Hierarchia* et *v. Virilitas.*

Adam — A principio conditionis naturae collocati sunt parentes primi in paradiso 71 2 — propter esum ligni vetiti per divini decreti severitatem expulsi sunt e paradiso *ibid.* — lignum scientiae boni et mali praetulit ligno vitae 69 5

— per gustum ligni suavis et vetiti totius nostrae perditionis causa exstitit 78 28

— Deus non distulit hominem errabundum revocare ad poenitentiae viam spem veniae dando per repromissum Salvatoris adventum 71 2

Adamas — solo haedi sanguine potest emolliri 180 2

Admiratio — Prae magnitudine admirationis homo deducitur in mentis alienationem 119 6, 8

— Christi patientis 13 3

— Admiratio in exhibenda Deo reverentia praecedit tanquam propositio maior 11 12

Adoptio — Privilegium adoptionis divinae est donum mirum et inaestimabile 6 13

Adoratio — Dei requiritur in exhibitione latriae 9 4

Adulatores — seducunt hominem, ut magis de se, quam expedit, praesumat 147 20

— Ab eis cavendum est 147 20

— Adulatio non est adhibenda errantibus 234 2

Adultera — Iesus tentatur circa mulierem adulteram 162 1

Adversitas — Triplex est utilitas adversitatum 139 8. 140 9. sq. — Adversitatis iugum collum praesumtionis humiliat 140 9

— Devotio contra adversa constantiam praestat 148 2

Aedificatio — proximi facit ad perfectionem exercitii virtutis 249 19 — proximi consistit in exhibendis exemplis virtutum, documentis Scripturarum, remediis Sacramentorum, praesidiis regiminum, iudiciis iustitiarum et beneficiis miserationum 250 20

— Imperfectum de suo genere ad perfectionem reducitur per utilitatem aedificationis fraternae, scil. per caritativam condescensionem 259 4

Aedificiorum — constructio sumtuosa et curiosa diversa mala causat 469 2 — ad excelsa porrectio prostrationem parit animarum 470 2

Aeger — indiget duplici refectione 137 5

Aegidius — erat tertius discipulus S. Francisci 510 4 — erat vir Deo plenus et celebri memoria dignus *ibid.* — fuit virtutum sublimium exercitatione praeclarus *ibid.* — ad excelsae contemplationis sublimatus est verticem *ibid.* — adeo crebris

in Deum rapiebatur excessibus, ut magis censeretur inter homines vitam angelicam agere quam humanam *ibid.*

Aegyptius — Sanctorum Aegyptiorum abstinentia 258 2

Aemulatio — Per aemulationem Veritas est apprehendenda ad imitationem Virtutum 18 14

Aequalitas — est in veritate et pulcritudine 17 12

Aër — mitigat ignis internam caliditatem 32 7

Aestus — Homines, cum magnum aestum habent, consueverunt se denudare et spoliare 114 8

Aetas — In veteri testamento ab Abel usque ad Ioannem Baptistam quinque aetates distinguuntur 71 2 — in principio sextae aetatis advenit Christus *ib.* 3

— Morum maturitas aetatis defectum supplet 360 a

Aeternitas — habet consequentiam et connexionem cum simplicitate 16 11

— In tempore comparandum est meritum, quo in aeternitate vivatur 53 4

— Transitoria contraria sunt aeternis 489 1

Affectus — inflammatur et elevatur dilectionis igniculo 88 1 — Calor affectionis sequitur ad splendorem illuminationis caelestis 6 10 — Devotio affectuosum facit 148 2

— Affectus caritatis debet esse dilatatus ad exteriora 15 9 — Per affectum caritatis debet fieri extensio circa nos per appetitum deliciarum caelestium, per amplexum rationabilium, per contemptum voluptatum carnalium 16 9

— In similitudine est affectus caritatis erectus ad Deum, extensus ad proximum et exinanitus ad mundum 16 10 — Per pios affectus anima fit unus spiritus cum Deo 149 10

— Affectiones sunt margaritae 163 3

— Affectiones omnium terrenorum sunt sarcina onerosa 491 2

— contemplantis, a quibus purgandus sit 56 1

— pii ad Christum 121 4. 122 6. 189 4 — pii ad Iesum crucifixum 174 4. 187 2. 189 4

Affirmatio — Negatio praeexigit affirmationem 17 13

— in divinis incompactae sunt 17 13

Affluentia — habita illicit animum possidentis 423 16

Agathon — exemplum silentii 116 4

Agenda — Omnia agenda sunt oratione, saltem mentali, praevenienda 150 14 — In omnibus agendis semper plus orationi fidendum est quam propriae industriae vel labori *ibid.* — Agenda omnia sunt nobis a Domino salubriter inspiranda *ibid.*

Agonistarum — abstinentia 258 1

Agricultores — officiis suis intendentes stipendia sua iuste merentur 321 14

— Agricola saepe seminat et plantat in spe, quod omnia convalescant, quod tamen plerumque in aliquibus deficit 347 b

Alaudae — multae hora transitus S. Francisci veniunt supra tectum domus 547 6

Albertus — quidam per S. Franciscum e carcere liberatur 557 3

Albus — Vicus Albus 555 12

Alemannia — 553 8

Alexander — hamata sagitta percussus non se ligari permisit 165 1

— Papa quartus erat episcopus Ostiensis 554 4 — ut talis, praesente Romana curia, praedicavit in ecclesia B. Francisci apud Assisium 554 4 — in praedicatione affirmavit, se stigmata sacra S. Francisci suis oculis conspexisse 544 8

— quidam alios a devotione beati Francisci removens lingua privatur 562 4

Alienatio — Tres sunt causae alienationis mentis 119 6

Alisia — 557 4

Allegoricus — intellectus respondet actui illuminationis 3 1

Allocutio — In mutua allocutione Sponsi et sponsae cor elevatur ad Deum colendum 9 4 — In mutua allocutione Sponsi et sponsae, si recto ordine fiat, mira est exsultatio et iubilatio, et ipsa ducit animam in excessum *ibid.*

— ad Iesum Christum 189 4. 213 112

Alternis — uti delectabile est 55 11

Altissime — de Deo sentiendum est, et quomodo hoc fiat 128 2

Altitudo — appropriatur Patri propter unitatem et potestatem 17 12 — Patris est singularis et unica potestas *ibid.* — In Deo est altitudo terribilis *ibid.*

Alverna — 537 9 — S. Franciscus hic celebrat Quadragesimam in honorem Michaelis Archangeli 529 10 — S. Franciscus ultimo accedit ad Montem Alvernae 542 1

— Antequam vir sanctus ibi contraheret moram, grandinis violenta tempestas fructus terrae consuetudinarie devastabat 543 7

Alvianum — est castrum quoddam 540 4

Amaritudo — In terris est amaritudo 438 1

— Anima debet amaricari recordatione peccatorum 5 6 — est necessaria post lapsum propter medicinam 15 9

— In amaritudine debet esse ponderatio malorum propter proprias nequitias, memoratio dolorum propter Christi angustias, postulatio remediorum propter proximi miserias 15 9 — In amaritudine est contritio respectu sui, compassio respectu Christi et commiseratio respectu proximi 15 10

— In amaritudine est purgatio 16 10 — Amaricatus compunctione pro se expiatur a reatu sceleris 76 21 — Amaricatus compassione ad Christum expiatur a reatu *ibid.*

Ambitio — non est fovenda exemplo honoris comitantis pastorale officium 296 8. 297 11 — honorum ecclesiasticorum est superbiae vitium 297 11 — personarum ecclesiasticarum est vitium abominabilius omnibus et occasio simoniae 304 a

Ambrosius — Omnipotens Dei virtus Ambrosium, sacrum antistitem, tumulationi gloriosi concessit interesse Martini 515 10

Amiantum — in igne non consumitur 271 19

Amicitia — creaturae rationabiles sunt amplectendae affectu caritatis 16 9

— Quomodo amicus diligendus sit 200 77 — dereliquendi sunt propter Christum 47 7

— Amico exasperanti non irascendum exemplo Christi 75 17

— singulares fugiendae sunt 495 b

— divina perditur per peccatum 12 2

— Amicus spiritualis, quis sit 354 a, b

Amiternum — 563 3

Amor — est vis transformativa 252 2 — est vis liberaliter diffusiva 253 2 — Ubi perfectus est amor, ibi et perfecta diffusio vel actu, vel desiderio pleno *ibid.* — est vis unitiva 252 2

— Quid sit amare Deum 43 44 — Quid sit amare Deum ex toto corde 124 2 — ex tota anima *ib.* 3 — ex tota mente 125 4

— naturalem timorem non superans est imperfectus 255 11. sq.

— verus et falsus, unde oriatur 47 8 — Dei, unde oriatur 105 17 — Dei, quomodo in nobis excitetur 123 9 — Dei accenditur per devotionem 148 2 — praecipue consideratione duorum accenditur 102 10

— Amoris donum emanat a mente et verbo 17 11

— gratuitus, debitus et ex utroque permixtus est in complacentia Deo debita 9 8 — gratuitus caritatis fortior est amore carnali 425 26

— ecstaticus facit animam excedere et egredi extra desiderio amati 10 9 — ecstaticus est in supererogativa sursumactione mentis in Deum 246 6

— Causae variae amoris Christi 214 115 — Christi erga nos quantus et qualis fuerit 182 1

— Ex conversione affectionis super amorem Sponsi inflammatur igniculus sapientiae 7 16 — Adhaerentia propter amoris Sponsi fortitudinem conglutinat 14 6. 15 8

— Ignis amoris Dei continue in nobis reaccendendus est 149 7

— Dei et proximi, ad quid tendere debeat 133 5

— rerum corporalium est prima radix vitiorum 299 16 — Amans res temporales miser est 44 45 — Ab amore creaturae debet affectio revocari, quoniam amor creaturae non proficit, non reficit, non sufficit 7 15 — Per reductionem affectionis ab omni amore creaturae congregatur igniculus sapientiae *ibid.* — rerum corporalium abscinditur per paupertatis tolerantiam 299 16

— Amoris signa non solum ad amicos, verum etiam ad inimicos benignitate largiflua protendenda sunt 246 6

— aliquo modo suavior sentitur cum reverentia mixtus 141 6

— inordinatus parentum et propinquorum exstinguendus est 200 77 — privatus ad feminas et leves personas vitandus est 141 7

— non est otiosus 250 19 — Amoris stimulus semper ad maiora perurget 545 1

— Quae sit perfecte amantis beatitudo 44 46 — Per amorem habetur ipsius summe desiderabilis praesentia 7 16 — perfectus Dei perfecte inclinat amantem ad omne illud, per quod convenientius, intimius et celerius amato possit uniri 252 2 — Per amorem suppleri potest omnis indigentia 7 16 — In amore consummatur via purgativa 6 9 — Meditationes circa amorem Dei suavitatem pariunt in corde 10 9

— Ex fervore divini amoris adversa magno desiderio praeoptare est supererogationis 246 7

— Dictum notabile S. Francisci de amore Dei 530 1

— Per amorem est in Beatis omnis boni abundantia 7 16 — Gaudium in caelo dependet a gradu amoris 127 8

— *Vide v. Caritas* et *v. Dilectio.*

Amplexus — Ad amplexum venitur in ultimo gradu caritatis 15 7

Anachoretarum — vitae auctor fuit Paulus, illustrator Antonius, princeps Ioannes Baptista 258 2 — vita fuit perfectionis exemplar *ibid.* — abstinentia *ibid.*

Anagnia — 560 7

Anagogicus — intellectus respondet actui perfectionis 3 1

Ancilla — impetens est caro 76 21

Ancona — 554 7. 555 11 — S. Franciscus de Sclavonia redit ad portum Anconae 531 5 — Quidam nautae Anconitani per S. Franciscum a naufragio liberantur 556 5

Andreas — corporali vocatione ad discipulatum a Christo praeventus esse legitur 397 2

Angeli — sunt spiritus viventes 103 12

— Cur caelestium Angelorum numerus nomine primogeniti censeatur 61 16 — sunt priores creatione et conversione ad Deum *ibid.* — hereditatem caelestis regni omnibus priores possederunt *ibid.*

— nunquam recesserunt per peccatum a Deo 61 16 — semper immobili caritate Deo Patri adhaeserunt *ibid.* — In conventu Angelorum ante confirmationem reperta est pravitas 135 13

— Angelorum ordines et singulorum ordinum officia 33 12 — Angelorum est advocare Veritatem 18 14 — Angelorum est laudare Deum 499 2

— in caelo assidue in praesentia Dei eius laudibus sunt intenti 148 5 — quocumque mittantur, tamen a divina contemplatione nunquam recedunt 150 12

— cibantur Verbo increato 103 12 — in patria pleno haustu bibunt de perenni et vivo fonte luminis *ibid.*

— De ferculis novem chororum Angelorum in convivio caelesti 61 17 — Unusquisque ordo Angelorum in convivio caelesti de eo quod excellentius recepit in munere, gaudia specialia administrat *ib.* 16

— cantabant in nativitate Christi 72 4 — magna benignitate permiserunt, crucifigi Dominum suum 13 4 — post resurrectionem Christi in vestimento albo et candido et aspectu fulgureo descendit, piis apparens blandus impiisque severus 81 34 — protervos perterruit milites et confortavit pavidas mulieres *ibid.*

— Eorum ministeria quoad homines 32 7 — fideliter nos custodiunt et ad aeternae beatitudinis patriam perducere totis viribus concupiscunt 61 17 — dantur ad patrocinium dono superabundantiae 6 13 — Angelorum ministrantium patrocinia diligenter imploranda 8 3

— Devotio Angelos invitat 148 2 — custodes peccato irreverenter tractantur 38 26

— Anima devota debet esse socia Angelorum per puritatem et innocentiam 51 17

— S. Maria de Angelis *vide v. Portiuncula.*

— Devotio S. Francisci erga Ss. Angelos 530 3

— de Tuderto per S. Franciscum ab infirmitate liberatur 560 2

Angustiae — vitae terrenae convertentur in gaudium caeleste 58 7

Anima — rationalis est vestigium et imago Creatoris 30 3 — invisibilis invisibili Deo conformis est 477 2 — est speculum beatissimae Trinitatis 32 7

— In quo consistat eius generositas et dignitas naturalis 30 3. sqq. — Eius generositas 55 11 — dignior et excellentior est omnibus creaturis irrationabilibus 32 7 — quodam modo est similis Angelis in natura et concivis eis erit in gloria *ibid.*

— Creaturae subiectae sunt potestati animae 31 7 — habet admirabilem potestatem super ceteras creaturas *ibid.* — Tota machina mundialis ordinata est ad eius ministerium 32 7

— Ad complementum naturae ex parte animae spectat ingenium clarum, iudicium rectum, animus bonus 6 11

— Sanguis est sedes animae 100 2

— Eius immortalitas 30 4 — Eius simplicitas 31 5 — Illabi in animam quis possit *ibid.* — Deus est intimior intimo esse animae *ibid.*

— potest dupliciter considerari 445 29 — quoad esse substantiale non habet contrarium; quoad esse morale peccatum est ei contrarium 446 29

— sine dilectione esse non potest 47 8 — Quibus trahatur et alliciatur 55 11

— est natura caelestis et naturaliter caelestem consolationem appetit et requirit 48 10 — potest tantum in summis satiari *ibid.* — Eius capacitas tanta est, quod nulla creatura desiderium ipsius satiat 31 6

— vacando et sabbatizando Deo gustat suavitatem in corde 10 9 — vehementissime Deum desiderans per aviditatem sursum fertur, et omne, quod deorsum est, vertitur ei in fastidium *ib.* 10 — avida dilectione Dei quasi saturata non potest refectionem invenire in aliquo citra ipsum dilectum *ibid.* — Nihil potest animam avidam dilectione Dei perfecte reficere, nisi Deum possideat perfecte *ib.* 9 — caritate saturata in omni terreno potius incurrit abominationem quam refectionem *ib.* 10

— non debet circa ista temporalia volitare 120 10 — avida dilectione Dei continue excedit et egreditur extra per amorem ecstaticum 10 9 — Per pios affectus anima fit unus spiritus cum Deo 149 10 — in modum arboris in altum cogitur elevari 477 2

— non potest in praesenti Deum possidere perfecte, quia longe est 10 9

— quae sentit, se tantum amare Deum, quod libenter sustineret propter ipsum omne damnum et omne opprobrium, concipit securitatem et spem, ut nullo modo existimet, se posse separari a Deo 10 11 — in tranquillitate quodam modo est in silentio et in somno et quasi in arca Noe collocata, ubi nullo modo perturbatur cupiditate nec timore *ibid.* — Nemo potest perturbare mentem, quam nullus cupiditatis stimulus inquietat, nullus timoris aculeus exagitat *ibid.* — In mente, quae habet tranquillitatem dilectionis, pax est et status ultimus et quies, et ibi requiescit Christus *ibid.* 11 12

— Liberalitas Dei erga animam piam 31 5 — Desiderium Dei ad animam sanctam *ibid.*

— est hospita Dei 31 5 — est filia Regis aeterni per naturae creationem, sponsa per gratiae adoptionem, regina per gloriae collationem 57 2 — Deus est Creator, rex, sponsus et amicus animae 32 7

— est insignita Dei imagine, decorata Dei similitudine, redempta Dei sanguine, capax beatitudinis 120 10 — Deus fecit animam christianam suam amicam per acceptationem, suam filiam per adoptionem, suam sponsam per desponsationem 6 13

— Cur anima Christo devota vocetur soror et sponsa et non uxor 164 5. sq.

— fidelis quotidie non cessat Sponso suo Christo bonorum operum sobolem generare 164 5

— Animae fragilitas ad peccandum magna est 36 20. 46 4 — Quanta sit animae infirmitas, perversitas et insensibilitas 492 4

— est longe in imo, quae fuerat prope in summo, foeda in luto, quae fuerat pulcra imago, ancilla, quae fuerat libera 8 2 — generose facta est a summo Artifice per naturam, vitiose a sua voluntate est deformata per culpam, gratiose a divina bonitate reformata per gratiam 30 2

— reformata est per gratiam profunda Dei clementia, alta Dei sapientia, mira Dei potentia 39 29 — carae Deo sunt redemptae, per gratiam magnificatae et similes effectae Angelis 103 12

— Pro salute animarum Christus sanguinem suum fudit 472 a — Christus

potius voluit mortem crucis subire, quam permitteret, animas perire 381 20

— Saluti animarum nihil praeferendum est 531 4 — Nihil pretiosius est salute animarum Christi sanguine redemptarum 410 13 — In salvatione animarum Deo gratissimum praestatur obsequium 143 3 — Incomparabiliter maius dispendium est, periclitari animas, quam res perire 145 12 — non est leviter praecipitanda in infernum 381 20

— Animarum salvatio procuranda est per orationum frequentiam, per sermonum informationem, per exemplorum incitamenta 130 10

— Quibus virtutibus animarum rector praeditus esse debeat 132 4. seqq. — Quibus virtutibus praediti esse debeant qui animabus praesunt 150 15

— saepe facilius ducitur lenibus et blandis quam terribilibus et adversis; saepe magis allicitur promissis consolatoriis, quam cogatur minis et terroribus 55 11

— S. Franciscus supernae illustrationis oraculo intellexit, se missum esse a Domino, ut lucraretur animas 513 2

— cur desiderat reassumere corpus glorificatum 64 21 — Quae sit stola nova animae glorificatae *ib.* 22 — beata non appeteret resumtionem corporis, si impediret divinam contemplationem 63 21

— debet esse socia Angelorum per puritatem et innocentiam, filia Apostolorum et Martyrum per caritatem et patientiam, Confessorum et Virginum per pietatem et continentiam 51 17 — debet esse illuminatrix per honestam conversationem, per virtuosam operationem et studiosam aliorum in bono informationem 91 2

— debet esse domina sensuum, carnalium concupiscentiarum et omnium operationum 91 2 — Tres animae vires bene reges dicuntur, quando carni principantur, sensibus dominantur, in solis divinis studiis, sicut decet, occupantur 93 1

— Animae rationali non est vita spiritualis sine incorporatione s. Eucharistiae 103 13 — rationalis frui debet Christo *ib.* 12 — rationalis per spiritum Christi pleno affectu et intellectu nutritur, vigoratur, inflammatur et vivificatur *ibid.*

— deficit in corpore robusto et vegeto, proficit in debili et infirmo 260 9

— In meditatione, qualiter Deus et anima sint invicem copulandi, est finis omnis cognitionis et operationis et vera sapientia 7 18 — Quomodo animae facultates purgandae sint ante contemplationem 56 1

— Morituri animam Patris aeterni manibus commendare debent, ne ab huius mundi principe comprehendantur 179 1

— Animae poenitentis contritio et confessio 32 8

— Animus distractus ad plura fit minor ad singula provide peragenda 145 14

Annus — Secundum multitudinem meritorum magis quam annorum quis est acceptior apud Deum 371 b

Antiochus — interpretatur silentium paupertatis 419 22 — templum Dei profanavit *ibid.*

Antonius — eremita fuit illustrator vitae anachoretarum 258 2

— de Padua erat egregius praedicator 515 10 — est Christi praeclarus confessor *ibid.* — praedicavit in Capitulo Arelatensi de titulo crucis Christi *ibid.* 545 10 — perfecte in vita sua secutus fuit S. Franciscum 559 1 — apparet cum S. Francisco cuidam caeco Fratri *ibid.*

Apes — significant animas contemplativas 221 149

— est a nobis imitanda ad conficiendum mel devotionis 187 1

— Apicula inter volandum semper quendam sonum vocis habet nec conticescit, donec intra florem intraverit, ubi mellis dulcedinem exoptati colligit et exsugit 188 2

Apex — dicit summitatem rei alicuius extremam et excelsam 291 16

Apologia — respondet obiectionibus et defendit ab impugnatione 234 2

Apostata — Quae quoad ipsos observanda sint 458 a

Apostoli — fuerunt duodecim 408 4

— Apostolorum propria nomina inscripta sunt superhumerali Pontificis Christi 293 19 — Nomina duodecim Apostolorum scripta in fundamentis supernae Ierusalem et in typico rationali ad commendationem paupertatis 302 23

— excellunt caritate et magna diligentia 62 18 — missi sunt toti mundo in sanctitatis exemplum 416 13

— Christus discipulos suos perfectionem evangelicam docuit, quos ad perfectionis culmen exaltare decreverat 246 8 — Christus in Apostolis posuit perfectionis evangelicae lumina 272 3 — non aliter vixerunt quam Christus et nullum aliud perfectionis exemplar habuerunt quam Christum 390 15

— erant Evangelii Christi perfectissimi observatores 342 a — omnia pro Christo reliquerunt *ibid.*

— Christus Apostolis imposuit extremae ac penuriosae paupertatis formam 273 5 — Christus sacris Apostolis tanquam suae sanctitatis imitatoribus perfectis extremae paupertatis formam servandam instituit 275 9 — Paupertatis forma, qua nihil possidetur et in summa rerum penuria vivitur, Apostolis fuit praecepta et ab eisdem servata 276 12

— Mandatum de paupertatis forma datum Apostolis est ad litteram intelligendum 278 20

— Ipsis carentia omnis iuris proprii vel communis imposita erat ad avaritiam exstirpandam 421 7 — Apostolis et apostolicis viris competit abdicatio omnis transitoriae facultatis cum penuria et indigentia opportunae sustentationis 280 22 — pauperrimi fuerunt, nihil sibi reservantes *ibid.*

— Apostolis impositum est, ut tanquam veri pauperes in summa rerum constituti penuria carerent pecuniis, alimenta non ferrent, simplici vestitu contenti essent et sine calceamentis incederent, ut sic paupertatem altissimam actu et habitu praeferrent 273 5 — Hanc vitam sancti Apostoli tenuerunt et ante et post passionem Domini 413 4. 417 15

— Paupertatis districtio non fuit imposita Apostolis ut praelatis, sed tanquam authenticis praedicatoribus 416 13 — Apostolis sicut certis personis primisque praedicatoribus evangelicae legis abdicatio temporalium intelligitur fuisse praecepta, receptio stipendiorum vero permissa 279 20 — obligabantur ad perfectam paupertatem non sicut fundatores christianae religionis, sed sicut exemplaria perfectionis obligatione voluntariae professionis *ibid.*

— Christus praecepit Apostolis non possidere aurum 275 9. 276 11. sq. — Ob septem rationes ipsis prohibitum est possidere aurum, argentum et pecuniam 412 3. sqq. — Apostolis in Evangelio inhibita fuit pecunia 315 14

— perfecti erant, et tamen fuit eis interdicta pecunia ad vitandam occasionem avaritiae 281 27 — Cur ipsis Christus loculos habere interdixerit 415 9

— Dominus in hac lege cum Apostolis pro tempore passionis dispensavit 415 10 — Tempore persecutionis Christus permisit Apostolis pecuniam ferre 285 39 — solum in aperta necessitate debebant ferre loculos *ibid.*

— Apostolis praeceptum erat nihil habere et permissum vivere de cibis et impendiis alienis 414 4 — Dominus ipsos informavit ad receptionem eleemosynarum 424 24 — Licet omnia ipsis deberentur, tamen ut pauperes receperunt ex misericordia sibi datum ad necessitatem *ibid.* — a fidelibus subsidium pro corporis necessitate etiam in futuro petebant et recipiebant 342 a — non a perfectione exciderunt in hoc, quod sustentabantur ab aliis 327 32

— debent ornare mensas saecularium bonis exemplis et auctoritatibus devotis 444 24 — Discipulis ad praedicandum missis Dominus dedit condescensionis aedificatoriae formam in victu 259 6

— Circa paupertatem apostolicam solvuntur quatuor obiectiones 414 5. sqq. — Triplex erat modus vivendi Apostolorum 416 10

— Apostolos Dominus nudos per saecula destinavit 424 94

— Ad regulam apostolicam pertinet nihil in via tollere et sine calceamentis incedere 388 8 — Christus Apostolis calceamenta inhibuit 402 17

— nudis pedibus incesserunt 306 6 — post institutionem apostolicae regulae sine calceamentis ad litteram incesserunt 389 11. 390 15 — discalceati incesserunt 386 1. sqq. — in omnibus picturis et caelaturis antiquarum imaginum vel cum soleis vel nudis pedibus exprimuntur 388 6. 389 10. 402 17

— Sandalia ipsis a Domino concessa erant 404 21

— Praecipue sex de causis Christus dedit Apostolis mandatum nudis pedibus incedendi 307 8 — Veri Apostoli calceamentis virtutum calceari debent 388 7

— Apostolos non signa mirabiles fecerunt, sed paupertas 301 22 — non habuerunt opulentiam sive affluentiam rerum, sed sufficientiam mentis 283 33 — habebant fiduciam ex paupertate 299 16

— In Apostolis, qui possessiones immobiles non habuerunt, consummatae perfectionis exemplum effulsit 290 14. 291 15 — Exemplum paupertatis Apostolorum comparatur superhumerali copulatum rationali exempli Christi 302 23

— Districtio de paupertate apostolica indifferenter omnibus proponitur volentibus eam imitari 416 14 — Haec perfectio apostolica non solum in itinere, sed domi etiam observanda est 417 15

— In ordine Apostolorum sub magisterio Christi reperta est iniquitas 135 13

— dispersi sunt et desolati in passione Christi 75 18 — Discipulorum dolor post comprehensionem Christi 76 20 — capto Magistro, fugerunt *ib.* 21

— repleti Spiritu sancto loquebantur variis linguis et docebantur omnem veritatem et ad omnem dilectionem accendebantur et in omni virtute firmabantur 82 39

— erant primi sacerdotes 75 16

— Dominus unum Apostolum praefecit ceteris, quia sine uno capite nulla respublica stare bene potest 427 2

— a Christo Ecclesiam regendam et dilatandam acceperunt 375 2

— in variis mundi partibus pontificium susceperunt 391 2 — missi sunt a Domino in mundum universum praedicare Evangelium, salutem promittendo credentibus, damnationem comminando incredulis, Domino signis confirmante sermonem 81 36

— adiuti gratia Spiritus sancti, illustrati doctrina et confortati potentia, cum pauci essent et simplices, per totum mundum plantaverunt Ecclesiam 82 39 — fuerunt primi fundatores religionis christianae et professores perfectionis excelsae, sive sicut privatae personae, sive sicut exemplaria quaedam 279 20 — Per Apostolos pauperes rebus et spiritu, quamquam numero paucos, diffusa est evangelica veritas in universum orbem 301 22 — Per ipsos multiplicatus est populus credentium spiritualiter 408 4

— universalem Ecclesiam, ut ordinatius gubernaretur, multipliciter distinxerunt 375 2 — statim in Ecclesiae principio instituerunt praelatos in curarum suarum custodiis residentes 416 13

— Apostolis praccipiebatur fuga in casu, ut alibi praedicarent 253 6

— aliam regulam vivendi pro se ipsis a Domino acceperunt, aliam multitudini primitivae simul habitantium virorum et mulierum dederunt 399 7 — gerebant pecuniae pretii rerum venditarum ad tempus sollicitudinem *ibid.* — hanc dimiserunt sicut impeditivam verbi Dei *ibid.*

— habuerunt usum rerum primorum fidelium sine dominio 422 10 — Cum rerum venditarum pretia ponebantur ad pedes Apostolorum, tamen nihil proprium vel commune possederunt, quia communitas illa non refertur ad Apostolos 283 32

— non solum de spiritualibus, sed et de temporalibus necessitatibus fidelium solliciti erant 138 2 — Apostolis in sua egestate manentibus, eorum dispositioni quoad res et personas primitiva Ecclesia suberat 283 32 — rerum dispositionem maluerunt committere aliis, ut distractionem ministrandi refugerent, non quia per illud ministerium aliquid possiderent *ibid.*

— Apostolorum erat signorum virtus 283 32 — in virtute nominis Iesu Christi imperabant omnibus creaturis et morbis 81 46

— Ad angelicum consortium pervenerunt 408 4

— Anima fit filia Apostolorum per caritatem et patientiam 51 17

— Devotio S. Francisci erga Ss. Apostolos 530 3 — accipit regulam Apostolorum 510 1

Apostolici — nominantur praedicantes Evangelium et pecuniam non accipientes et nudis pedibus incedentes 389 11

Apparentiae — falsae, quale malum afferant Religioni 138 3

Appellatio — nulla in Ordine fieri debet 457 b

Appetere — Dulcia, mollia et carnalia non solum reprehensibile est appetere cum consensu, sed etiam respuenda sunt primo motu 4 5

— Appetitus dulcium, mollium et carnalium est, ubi vivit concupiscentia voluptatis 4 5 — favoris, laudis et honoris est, ubi vivit concupiscentia vanitatis *ibid.*

Appropriata — sunt media inter communia et propria 16 11

— Patri appropriatur altitudo, Filio pulcritudo, Spiritui sancto dulcedo 17 12 — Unitas appropriatur Patri, quia origo, veritas Filio, quia imago, bonitas Spiritui sancto, quia connexio *ibid.* — Potestas appropriatur Patri, quia principium, sapientia Filio, quia Verbum, voluntas Spiritui sancto, quia donum *ibid.*

Appropriatio — Regulariter viventes nihil sibi debent appropriare 284 37

Apulia — 551 6. 552 2. 563 2

— Non bene intellecta visione, S. Franciscus disposuit in Apuliam ad quendam liberalem comitem se conferre 506 3 — transit per Apuliam 524 5

Aqua — mundat foetorem, mitigat sitis ardorem, fecundat terrae vigorem 32 7

— confluit ad valles 111 6 — tanto fortius fluit, quanto magis descendit *ibid.*

— Christus contulit aquis vim regenerativam suo baptismo 73 9

Arator — si manum deponit ab aratro, indirecte sulcat 441 13

— quare significet Religionem 441 13

Arbor — crucis. In prima et infima ramorum arboris imaginariae expansione Salvatoris origo describitur et vita, in media passio, et glorificatio in suprema 68 2 — Ex quolibet duodecim ramorum arboris imaginariae instar fructus unica pullulatio pendet, ut sint quasi duodecim fructus *ibid.*

— Ex arboris stipite duodecim rami frondibus, floribus et fructibus adornati consurgunt 69 3 — Verbum crucis est contra omne genus morbi medicamentum efficacissimum, tam praeservans quam reparans *ibid.*

— Arbor crucis irrigatur fonte et fluvio 68 3

— Flos arboris crucis coloris formositate et odoris suavitate corda refocillat et attrahit 69 3 — Fructus arboris crucis delectat edentes sine fastidio *ibid.*

Arca — inferius tricamerata, et bicamerata in medio et in cubito consummata significat perfectionem evangelicam 246 8 — Quasi in arca Noe collocatur anima, quae habet pacem et tranquillitatem in dilectione 10 11

Archangelorum — est audire veritatem 18 14

Ardor — Quomodo spiritus ardoris in anima servetur 130 8

— in appetitione martyrii ducit ad pacem 12 2 — Anhelandum ad martyrium propter bravium 15 8

Arduum — De se difficile et arduum de ratione sui generis est bonum et ad perfectionem ordinatum 266 2

Arelate — *vide v. Capitulum.*

Aretium — 541 11. 557 3. 558 5

— S. Franciscus per B. Silvestrum daemones ab hac urbe fugavit, qui civitatem velut obsidione vallaverant 522 9

Ariditas — humana fecundanda est sanguine crucis effuso 5 7 — Fomes ariditatis est desidia 12 2

— aeterna 162 2

Arius — dicit Filium minorem Patre in personalitate et natura divina 267 5

Arrha — Qua arrha Christus animam fidelem subarrhaverit 167 3

Arrogans — Arrogantium hominum tumidae mentes mundi huius vanitate pascuntur 310 1 — Mos eorum est simplicium sanctitatem ut simulationem dolosam arguere eorumque prudentiam spiritus ut insaniam reprobare *ibid.* — Quomodo hunc finem pessimum assequi studeant *ibid.*

— Pro arrogantia elatissima peccatorum Deum et hominem nobilissimum oportuit satisfacere per abiectissimam vilitatem 14 4

Ars — prius fuit quam instrumenta pro artificiis 144 7

— Artis ignarus non semper intelligit, ad quid valeant instrumenta adhibita 337 b

Arsenius — abbas 502 15

Articulus — Quod sunt lapides in aedificio, sunt articuli fidei in animo 317 3

Ascensio — Christi est causa specialis gaudii 227 172

— Ascensionis sublimitas fuit spiritualium charismatum diffusiva 69 4

Asinare — Christus non legitur equitasse, sed asinasse 444 23

Aspectus — Per aspectum veritatis debet fieri erectio supra nos per contemplationem divinorum, per circumspectionem universorum, per captivationem iudiciorum 16 9

— veritatis elevatus ad superiora debet esse in similitudine 15 9 — veritatis debet esse erectus ad incomprehensibilia mysteria summae Trinitatis per contemplationem 16 11 — veritatis primae in similitudine est erectus ad incomprehensibilia, expansus ad intelligibilia, exinanitus ad credibilia *ib.* 10 — veritatis primae est in similitudine *ibid.*

Asperitas — Recordatio passionis Christi facit omnes asperitates faciles 483 3 — Ad amorem asperitatis habilitat rigor severitatis 5 9

Assisium — 520 2. 537 8. 539 2. 554 4. 560 2

— est patria S. Francisci 505 1. 565 a

— Vir quidam de Assisio obvians S. Francisco pedibus ipsius sternebat vestimentum 506 1 — S. Franciscus in planitie, quae subiacet civitati Assisii, obviat leproso 507 5

— S. Franciscus visione nocturna admonitus Spoleto revertitur Assisium 506 3 — Fulginio redit Assisium 508 1 — a Domino confortatus, redit Assisium, postquam per plures dies timens iram patris in fovea occulta latuit *ib.* 2 — redit Assisium ad reparandam ecclesiam S. Damiani 509 7

— Vita S. Francisci eiusque sociorum in tugurio derelicto iuxta Assisium 513 3

— S. Franciscus praedicaturus intrat Assisium 513 4

— S. Franciscus, infirmitate gravatus, Noceria reducitur Assisium 525 10 — Cum hymnis et canticis defertur sacrum corpus Francisci ad civitatem Assisii 548 5 — Gregorius Papa nonus venit Assisium ad canonizandum S. Franciscum 549 7 — Capitulum generale celebratum Assisii 549 8

— B. Silvester in somnis videt civitatem Assisii a dracone magno circumdatam 511 5. 569 a

— Frater Iacobus de Assisio 559 1

Auctorem — damnati libelli innocentem asserere est damnantis iudicium reprobare 286 1

Auctoritas — Pro receptione ad Ordinem requiritur clavis auctoritatis 397 1

Auditus — acutus est beneficium spectans ad complementum naturae ex parte sensus 6 11

— decipitur per sonum fallacem creaturarum 34 15

Augustinus — excellet doctrina inter omnes Patres 335 12

— ponit contemplationem mysteriorum Trinitatis per positionem 16 11

— Quid docuerit de carentia loculorum et obligatione nudis pedibus incedendi 305 5 — non est dicendus evangelicae veritati et sibi ipsi contradicere 278 20

— Quaedam sententiae ipsius minus probabiles sunt 404 23 — In elucidatione problematum plus statur sententiae Augustini quam Hieronymi, in expositione tamen textus plus statur sententiae Hieronymi 405 23

— Qualem regulam sibi et suis clericis instituerit 399 7

— Minister provincialis vidit S. Franciscum ad caelum properantem 547 6 — in vita sua perfecte secutus fuit S. Franciscum 559 1 — cum ipso apparet cuidam caeco Fratri Roberto *ibid.*

Aula — caelestis non nisi mundos recipit 186 2

Aureola — virginum, quid sit 214 115

— Aureolae praemium non debetur habitui virtutis intrinseco, sed operi privilegiato 250 19 — debetur praedicationi, martyrio et virginitati *ibid.*

Aurum — praevalet inter omnia alia metalla 441 15 — Modicum pondus auri in pretio praevalet magno ponderi argenti vel alterius metalli 345 b

— quod per ignem probatur, fit pulcrius et pretiosius 140 10 — significat dilectionem ardentem 94 4

Avaritia — consistit in cupiditate rerum terrenarum non habitarum 433 6 — consistit in tenacitate rerum obtentarum quarumcumque in usum venientium *ibid.* — Cupiditas est amor divitiarum 329 40

— Avaritiae occasio sunt divitiae 280 24. 281 27 — augmentatur augmentatione temporalis substantiae 282 31 — radicatur in affectu mentis, occasio vere et fomentum sumitur a rebus extra possessis 272 2

— cur sit damnabilis 433 6 — Vitium avaritiae multum reprehensibile est, cum quis appetit scire occulta, videre pulcra et habere cara 4 5

— dirigit ad visibilia 439 5 — est radix, ex qua universa mala originem, fomentum et incrementum suscipiunt 272 13 — civitatis Babylonicae fundamentum est *ibid.* — est mater confusionis et damnationis 114 8

— Ex avaritia proveniunt cura et sollicitudo huius saeculi 433 6. 439 5 — Avarus per curam et sollicitudinem multis doloribus affligitur 439 5

— Avari tantum lucra terrena sequuntur et his animae suae ventrem cupiunt implere 198 70 — Avari omnes non tam fame corporalis inediae quam spiritualis nequitiae per insatiabilem avaritiae voracitatem torquentur 325 26 — Avaro etiam dare minuta difficile est ex vitiositate 248 16 — Avaris molesta est penuria 326 28 — more Pharisaeorum derident laudatores paupertatis *ib.* 29

— omnium malorum radicalis origo humanam mentem tam dura tyrannide premit, ut ad idolorum redigat servitutem et in bestialem transformet crudelitatem 304 1 — Hoc confirmatur exemplo Iudae *ibid.* — Cupiditas directe adversatur fidei, quae per caritatem operatur 272 1

— perniciosius serpit in bonis Ecclesiae, quam in aliis quibuscumque 421 7 — Cupiditas personarum ecclesiasticarum est vitium abominabilius omnibus et occasio simoniae 304 a

— Cupiditas non est excitanda exemplo opulentiae comitantis pastorale officium 296 8

— Religiosorum redarguitur 114 6, 8 — In culpam avaritiae incidunt omnes superfluitates 433 6 — Qualem mendicitatem pariat cupiditas 325 26

— Spiritus exspoliandus est ab omni perverso affectu avaritiae et cupiditatis 279 21 — Perfecta cupiditatis avulsio requirit, ut avaritiae rubiginosa affectio et substantiae terrenae illecebrosa possessio tam spiritualiter quam corporaliter abdicentur 272 2 — exstinguitur carentia omnis iuris proprii vel communis 421 7

— Pro cupiditate avidissima oportuit Christum satisfacere per exquisitissimam paupertatem 14 4

— Avaros deterrere debet exemplum Iudae 284 36

Aviditas — est esuries, quae nascitur, quando anima coepit assuefieri circa suavitatem dilectionis Dei 10 9

— Ex aviditate oritur saturitas 10 10

Avis — Pietas S. Francisci ad aves 528 9 — praedicat avibus 539 3. 540 4

B

Babylonia — S. Franciscus adire peroptabat praesentiam Soldani 532 7. sqq.

— Civitatis Babylonicae fundamentum est cupiditas 272 1, 3

Bactroperitae — philosophi contemptores saeculi arguuntur 275 10

Baculus — sustentans necessarius est infirmitati 136 1

Baptismus — est ianua Sacramentorum 73 9 — Gratia baptismali deletur culpa, restituitur innocentia, confertur iustitia 6 12 — Baptismo homo regeneratur in Christo 73 9 — In baptismo sumus renati spiritualiter per Spiritum sanctum 8 3

— Recenter baptizatus, quamquam nondum pervenit ad apicem perfectionis et meriti, nulla tamen est infectus labe peccati 244 15. 262 17 — Quo modo pueri baptizati boni dicantur 133 2

Baptista — *vide v. Ioannes.*

Barium — S. Franciscus transit iuxta Barium 524 5

Barnabas — cur a Paulo dissenserit de Ioanne discipulo 351 a

Bartholomaeus — puerulus quidam per S. Franciscum a mortis periculo liberatur 554 5 — postea factus est Frater Minor *ibid.*

— civis Caietanus etiam per Sanctum a morte liberatur 554 8

Bartholus — de Eugubio per S. Franciscum ab infirmitate liberatur 560 2

Barulitanus — portus 555 1

Basan — Filii Ruben et dimidia tribus Manasse petierunt terram Basan accipere in possessionem 351 b

Basilius — monachis inhibuit esum carnium 258 2

Beatitudo — est finis desideriorum omnium 85 48 — est status omnium bonorum congregatione perfectus *ibid.* — In Beatis per amorem est omnis boni abundantia 7 16 — Beati in patria perveniunt ad ultimatam perfectionem 249 18

— Duodecim sunt gaudia Beatorum 58 5. sqq. — Beatorum chorus duplex est *ib.* 7 — In paradiso est . fastigium totius gloriae, spectaculum omnis laetitiae, promptuarium omnis opulentiae 13 4 — Gaudium Beatorum est inenarrabile 60 13 — Beati in gloria habent triplicem dotem 11 1

— Perfectum gaudium Beatorum in Deo consistit 64 23. 65 25 — Beati ab aeterni solis splendore se nunquam possunt avertere 58 5

— Percipiunt speciale gaudium de visione B. M. V. 65 26 — et de visione humanitatis Christi 66 27 — vident claritatem Christi interius et exterius 81 35 — Christus Beatos fecit concives Angelorum et domesticos Dei 82 37 — Caelestes convivae potabuntur torrente voluptatis laetabunda ebrietate, qui procedit a Christo ut fonte 85 47

— In nuptiis Agni dulce resonabit epithalamium et Alleluia cantabitur 84 44 — Intrantes cum Sponso ad nuptias sedebunt in pace et requie *ibid.* — Beati omnes regnant cum Christo *ib.* 45

— Mentes Beatorum ab Angelis caelestibus gaudiis pascuntur 61 17 — Eorum gaudium de beatitudine propria *ibid.* — Quale sit gaudium Beatorum de gloria animarum 63 20

— Perfecta est caritas Beatorum et gaudium commune 60 13. 61 15. 62 18 — Eorum gaudium de beatitudine omnium electorum 67 27 — Mentes Beatorum a se invicem gaudium speciale accipiunt 62 18 — Beatorum fercula, quibus alios laetificant, sunt virtutum opera *ibid.*

— In statu patriae unus alteri praeponitur 249 18

— Loci speciositas speciale gaudium affert Beatis 59 10

— Beati dilatantur in perfecta speculatione omnium creaturarum 65 25 — Electi considerabunt tormenta damnatorum 84 43

— quomodo gratias agant Deo pro beneficiis acceptis 58 7

— Societas Beatorum super omnia est desideranda 57 4 — Ad statum beatitudinis nullus pervenit nisi per ultimam resolutionem in fontem et originem omnium bonorum 85 48 — Ad beatitudinem per merita pervenitur 12 1

— incipit in paupertate 299 17 — Beati pauperes et persecutionem patientes secundum Evangelium 235 2

— Anima beatificatur, perfecte adeptis pace, veritate et caritate 3 1 — Doctrinae evangelicae factor studiosus vere beatus est 107 1

— Beatorum triumphantium suffragia diligenter imploranda 8 3 — Beati orant pro his quos in Domino amaverunt, et pro his qui eos invocant, ut a malo serventur, a tentationibus liberentur, ab errore corrigantur et eis citius associentur 500 5 — qualiter orent *ibid.*

Vide v. Caelum, v. Gaudium et *v. Sancti.*

Beatrix — quaedam a periculo partus per S. Franciscum liberatur 558 2

Benedictus — ex humilitate sacerdotium fugit 426 3

— qualem Regulam imitatus sit 399 8 — Quid haec regula determinet quoad possessiones *ibid.* — sanis monachis carnium comestionem interdixit 258 2

— Sancta est vivendi forma, quam S. Benedictus instituit 400 8 — Suam Regulam quidam in nigris, quidam in albis a longe imitantur *ibid.*

Bellum — Perfectorum est satanae bellis victoriose resistere 258 3

Beneficia — Quae sint praecipua beneficia Dei erga hominem 118 3 — Quanta sint haec beneficia 499 a

— Ad donum superabundantiae spectat, quod Deus dedit totum universum, Filium et Spiritum S. 6 13 — commissa spectant ad complementum naturae, vel ad adiutorium gratiae, vel ad donum superabundantiae *ib.* 11

— Consideratione beneficiorum commissorum dilatatur radius intelligentiae 6 11 — Homo se omni beneficio indignum reputare debet 497 b

— omnia a Deo augenda et conservanda sunt 150 14

— omnia prosequi debemus gratiarum actione ac laude divina 150 14 — Quanto maiora sunt beneficia, tanto oportet, quod sint maiores gratiae 499 a — Admiratio beneficiorum debet esse in gratitudine propter creationem de nihilo 15 9

— Dei mira sunt et inaestimabilia, et in talium meditatione admodum anima debet esse Deo grata 6 13 — Pro donis superabundantiae debemus Deo maximam benevolentiam 9 7

— Propter beneficiorum utilitatem in gratitudine est vigilantia exsurgens ad canticum, propter donorum pretiositatem laetitia exsultans ad iubilum, propter dantis liberalitatem benevolentia accedens ad amplexum 16 10

— Pro beneficiis Dei iam receptis et adhuc recipiendis semper gratias reddere debemus 118 3. 149 6 — Beneficiorum Dei memores certis horis pro his laudando et orando gratias iugiter referre debemus 149 6

— non solum ad amicos, verum etiam ad inimicos benignitate largiflua protendenda sunt 246 6

— Vere caritativis solatium est reconciliari beneficio 326 28 — Gratitudo accipientis beneficium benefactori conciliat 325 28

— Christum suscipienti in paupere plus praestatur ex merito, quam suscepto confertur ex dono 328 35

— Quis non possit valide absque dispensatione acquirere beneficium ecclesiasticum 358 a

Beneventum — 551 1

Benevolentia — est in gratitudine accedens ad amplexum propter dantis liberalitatem 16 10

— Cor debet dilatari ad benevolentiam 9 4 — In benevolentia cor dilatatur sive extenditur, aperitur et effunditur 9 7

— Anima habilitatur ad benevolentiam per dulcorem benignitatis 5 9 — Cor dilatatur ad benevolentiam attendendo benignitatem divinam et indignitatem suam 9 5

— Benevolentiam magnam debemus Deo exhibere consideratione indignitatis nostrae, maiorem consideratione magnitudinis gratiae, maximam consideratione immensitatis suae misericordiae 9 7 — Benevolentiam magnam Deo debemus pro commissis, maiorem pro dimissis, maximam pro promissis *ibid.* — Benevolentiam magnam debemus Deo pro complementis naturae, maiorem pro indumentis gratiae, maximam pro donis superabundantiae *ibid.*

Benignitas — est quidam dulcor animae excludens omnem nequitiam et habilitans animam ad benevolentiam, tolerantiam et internam laetitiam 5 9

— Dei iustificantis diligenter consideranda est 41 41 — divina attendenda et comparanda indignitati propriae 9 5

— Christi tanto maior ostenditur, quanto pro nobis graviora et abiectiora sustinuit 123 9

— exhibenda est non solum amicis, verum etiam inimicis 246 6 — Studendum ad habendum habitum benignitatis ad proximum, imitatione Christi libentissime patientis 13 3 — Benignitatis condescensio configurat ad Christum 325 28

— contra nequitiam rectificat stimulum conscientiae 5 8

— est praecipue necessaria praelato 146 17

Bernardus — S. Francisci primogenitus esse meruit tam prioritate temporis quam privilegio sanctitatis 510 3

Bertrandus — contra libellum damnatum Gulielmi opusculum quoddam composuit, defendens paupertatis eximiae perfectionem 235 3

— a falso crimine defenditur 260 10

Bestiae — irrationales multum sitiunt sanguinem hominis 181 4

— Per bestias, quae tantum quae carnis sunt sequuntur, voluptas designatur 198 70 — Gloriam Dei mutant in similitudinem bestiarum, qui bona opera pro carnis implenda voluptate faciunt *ibid.*

Bethlehem — domus panis interpretatur 93 3
Bethsabee — si non se impudice vel incaute lavasset in solario, nequaquam in adulterium incidisset 207 97
Bevanium — 539 3. 541 19
Bladum — Definitiones quaedam quoad provisionem bladi 464 b
Blasphemia — Cogitationes blasphemae oriuntur ex nequitia accidiae 5 6
— Iudaei blasphemaverunt Dei Filium in crucis patibulo pendentem 123 10 — Peccatores ingrati blasphemant Christum in caelis sedentem *ibid.*
Bonaventura — per invocationem et merita S. Francisci in puerili aetate a mortis faucibus erutus est 505 3. 579 a
— Diversae rationes eum ad scribendam Legendam S. Francisci movent 505 3 — diligenti veritatis inquisitione Legendam conscripsit *ib.* 4 — non semper historiam secundum ordinem temporis texuit, sed servavit potius ordinem aptae iuncturae *ibid.*
— Frater quidam per S. Franciscum a mortis periculo liberatur 556 4
Bonitas — summa est in Deo iuncta cum voluntate 17 12 — Ubi est summa bonitas iuncta cum voluntate, ibi est summa caritas et summa dulcedo *ibid.*
— Dei etiam ad malos et indignos se extendit 106 5
— Dei ex sui communicatione non diminuitur nec ex alienae bonitatis additione augetur 52 19
— appropriatur Spiritui sancto, quia connexio 17 12
— aeterna perfecte diligenda est 66 27
— Omni bonitati favendum est 130 9
Bononia — 541 10
Bonum — Deus est fons et finis omnium bonorum et tantum bonum, quod excedit omnem petitionem, omne desiderium, omnem aestimationem 7 14 — Bonorum naturalium et gratuitorum, corporalium et spiritualium, temporalium et aeternorum fons et origo est primum principium et ultimus finis 85 48
— dicitur in genere, ex circumstantia et secundum se 237 7 — in genere est actus transiens super materiam debitam, bonum ex circumstantia est actus circumstantiis laudabilibus informatus, bonum secundum se est opus virtutis ex caritatis radice procedens 237 7 — de ratione sui generis est quod de se est difficile et arduum 266 2
— in genere et ex circumstantia depravari possunt per alicuius circumstantiae defectionem 237 7 — in genere potest fieri malum ex circumstantia 238 9 — secundum se nullo modo potest male fieri *ib.* 7
— Secundum variam summi boni participationem sunt diversae naturarum perfectiones 243 12
— non est simpliciter bonum, nisi bene fiat 142 2 — nisi fiat bene, est vitium *ibid.* — Eadem actio potest fieri bene et male secundum rationem diversorum finium et circumstantiarum 266 1
— Saepe sub specie boni latenter malum subintrat, et per hoc maius bonum destruitur et apertioribus malis aditus aperitur 138 3
— non ideo malum est, si illud mali seu stulti dicunt malum 362 b — Vix aliquid fit tam pure, quin possit ab aliquo sinistre interpretari, quasi male fiat *ibid.*
— spiritualia sunt utilia et honesta 290 11 — temporalia non sunt utilia et simul honesta *ibid.*, 12
— non solum sciendum, sed etiam opere exercendum est 132 2 — Maiori bono minus praeferri non debet 319 9
— Consideratione boni rectificandus est stimulus conscientiae 4 3. 5 8
— non amatur, nisi cognoscatur 47 9 — Devotio inflammat ad appetendum bonum 147 2 — Prosecutio bonorum est caritatis de conscientia bona 245 3 — Ad quaeque bona agenda salutifera excitatio est meditatio futuri iudicii et poenarum inferni 55 10
— Supererogativa prosecutio bonorum est pars perfectionis evangelicae 245 4, 6 — Bonorum impedimenta ad plenum succidere perfectionis est 281 26
— singularia celanda sunt 351 b
— Propter bona collata offerendum est Deo aurum dilectionis ardentissimae 94 4
— Per mala digni sumus bonis privari 6 10
— Nullum bonum irremuneratum 5 7
— **commutabile** est exterius, interius et inferius 245 5
— Circa res temporales quatuor consideranda sunt 312 5 — Circa temporalium bonorum possessionem contingit considerare dominium et usum 272 3 — Usus bonorum temporalium est necessario annexus vitae praesenti *ibid.*
— temporalia promittuntur a Domino ad haereticorum confutandam perfidiam et a cordibus fidelium diffidentiam omnem tollendam 282 30
— Quadruplex est communitas rerum temporalium 309 13. sqq. — temporalia pro aliis possidere ac dispensare nihil de ratione perfectionis diminuit 312 6
— Omnia sunt bona essentialiter, sed occasionaliter mala ex humana infirmitate 423 17 — Augmentatione temporalis substantiae cupiditas non abscinditur, sed augetur, et caritas potius perimitur, quam augetur 282 31 — In bonis communibus est periculum sicut in propriis 395 7
— Omne, sive commune, sive proprium, auferri potest et perdi 274 8
— Christus docuit temporalium bonorum affluentiam spernendam non sperandam 283 31 — Bona temporalia possidere non est praeceptum viris perfectis 291 15. sq. — temporalia, licet sint creaturae Dei, sunt spernenda a perfectis 261 12 — Bona temporalia quaerere est infirmorum 237 6
— delectabiliter possessa vilescunt in comparatione cum gaudio caeli 58 8
— Bona temporalia contemnere, quando offeruntur magna et pulcra, difficilius est ex circumstantia extrinsecus annexa 248 17
— Bonorum communicatio est in caelo 290 13. sq.
— Expedit **Ecclesiae** habere communia pro sustentatione ministrorum et etiam egenorum 421 7 — Ecclesia temporalia bona veraciter possidet iure divino pariter et humano 308 12 — Ecclesiae competit verum dominium rerum temporalium *ib.* 9. sqq. 312 4 — Ob quas conditiones expediens sit Ecclesiae facultates possidere 322 19
— De iure dotationis ecclesiae 309 16 — Distinctis ecclesiis distincta dominia competunt 308 12
— Ecclesia potest habere servos originarios et adscriptitios et decimas et oblationes iure divino accipit 308 11
— Illa quibus utitur Ecclesia, in nullius sunt bonis proprietarie quoad personam, sunt tamen propria communitatibus ecclesiarum 422 8 — ecclesiastica non sunt propria, sed communia, id est communi utilitati viventium destinata 285 38. 395 7
— Omnia bona Ecclesiae Christi et omnes superfluitates divitum sunt una respublica pauperum 424 23 — In participatione huius reipublicae tanto unusquisque minus alios laedit, quanto paucioribus est contentus *ibid.*
— ecclesiastica dispensanda sunt exemplo Christi ministris Ecclesiae et pauperibus 284 38
— Ecclesiae dispensari, sed non dilapidari possunt 322 19 — ecclesiastica non sunt per modum dilapidationis habenda contemptui 292 18 — Bona Ecclesiae diripi non licet 294 23
— Sacri doctores et Canones possessiones Ecclesiae commendant ut licitas, ut expedientes, ut perfectioni compossibiles 288 7 — Ecclesiastica praedia sine detrimento perfectionis haberi possunt 289 9
— Non repugnat perfectioni quantumcumque pauperis ecclesiastica bona, imperante Ecclesia, suscipere dispensanda 293 22. 422 7 — Dispensatio facultatum Ecclesiae a viris sanctis administrari potest absque detrimento perfectionis, sed perfectionem eis non contulit earum administratio, sed contemptus 293 21
— Ecclesia ditata possessionibus non crevit virtute 289 9 — Bona ecclesiastica, etsi utilia, non sunt per se honesta 290 11. sq.
— Haeretici perversi Ecclesiam Dei propter possessiones acceptas a statu iustitiae et perfectionis asserunt esse collapsam 288 7
— Statum modumque vivendi praesentium temporum vitae Christi et Apostolorum praeferre, est apertissime falsum 289 9
— Bonis ecclesiasticis hi quibus dispensatio ipsorum committitur, nullatenus debent alligari affectu 292 18 — ecclesiastica bene utentibus sunt materia exercendarum virtutum, abutentibus sunt fomentum multiformium perversitatum 290 14 — ecclesiastica habere non potest dici impium propter aliquorum abusum, nec

perfectum in se et absolute propter bonam dispensationem utentium *ibid.*

— ecclesiastica a personis non alligatis curae pastorali ratione securitatis sive perfectionis possunt pro Christi amore dimitti 292 18

— Avaritia perniciosius serpit in bonis Ecclesiae, quam in aliis quibuscumque 421 7 — Abusus bonorum Ecclesiae est sacrilegium *ibid.*

— In temporalibus Ecclesiae bonis honestum ab utili discernitur 290 12

— Qualis sit rerum communitas in ecclesiis collegiatis habentibus possessiones 309 16 — Talis communitas teneri potest salva perfectione *ibid.*

— Religiosorum sic sunt communia personis, quod tamen sunt propria communitati 395 8

Bonus — Tantum quisque bonus aestimandus est, quanto plus et purius odit malum 133 1

— Sunt quatuor genera bonorum hominum 133 1

— Diversae sunt utilitates mixtionis bonorum cum malis 135 14 — Bonis ex conversatione cum malis datur occasio exercendi novem actus virtutis 350 b

— A bonis omnibus quaerendum est subsidium 8 3 — Iustorum militantium meritis efficaciter imploratur divina misericordia *ibid.*

— Quidam nomine Bonus sanatur per S. Franciscum 561 5

Botrus — significat Christum 225 165

— Hic botrus habet quinque grana *ibid.*

— Innumeri sunt botri vitis mysticae 228 176

Bracarum — necessitas manifesta est in casibus innumeris propter humanae miseriae tegumentum 400 11

Breviaria — Ordinationes variae quoad Breviaria 333 6. 464 b. 465 b. 466 b

Brevitas — est caritas 430 12

— praedicationis et verbi Dei, quomodo sit intelligenda 430 12

Bruta — Ex eorum naturali solertia initium ad artificiales peritias processit 131 b

Burgum — situm est in provincia Massae 562 3

— Celani 554 3

C

Caecitas — regnat in mundo, qui lucem veram et summam non agnovit 13 4 — Propter caecitatem non intelliguntur divina charismata 56 12

— Quanta sit caecitas hominum appetentium mundi vanitatem 45 3 — Quae sit ratio huius caecitatis 47 8. sq.

— Christus deploravit caeci cordis humani caliginem, flendo super civitatem 74 14

— Caeco non debet offendiculum poni 337 a

Caelum — triplex distinguitur 109 6

— deservit homini per suum motum 32 7

— luget in morte Christi 79 22 — apertum est passione Christi 14 4 — Caeli porta aperta est in ascensione Christi 82 37

— Trinitatis aperitur cognoscenti Patrem et Filium et Spiritum sanctum 73 9

— Quanta sint gaudia intraturis aeternae iucunditatis nuptias 474 b — Quanta et qualia sint gaudia caeli 497 b — Merces caelestis, qualis sit 57 1

— Variae sunt excellentiae regni caelorum 490 3 — In caelo est varia materia exsultandi et nullius boni carentia 60 12

— In caelesti convivio non potest esse alicuius boni carentia 60 12 — In caelo est complementum omnium desideriorum 126 7. sq. — Gloria caeli exsuperat omnem loquelam 62 19

— In caelo ab ipso fonte totius boni, Christo Iesu, fluit omnis gloria Sanctorum 375 3 — Deus sua sapientia caelestium spirituum agmina illuminat et sua clementia omnium Beatorum collegia satiat 31 5

— Duodecim sunt gaudia caeli 56 1. 57 2. sqq. — Anima in caelo decoratur splendore claritatis deificae, coronatur dignitate felicitatis aeternae 57 2

— Felicitas aeterna est quid optimum, pulcherrimum, per se sufficientissimum, nullo extra se indigens 29 3 — Gaudii caelestis est inaestimabilis pretiositas, ineffabilis deliciositas, interminabilis aeternitas 28 2 — In caelo anima affluit deliciis in stupenda divinae claritatis visione, mirabitur in sui ipsius deliciosa consideratione dilatabitur in omnium creaturarum perfecta speculatione 65 25 *Vide v. Convivium.*

— In caelestibus est dulcedo 438 1 — In terra viventium est iucunditas et exsultatio aeternalis 442 18

— in caelo est pax imperturbabilis 59 10

— In caelo omnes sensus habent actus suos 63 20

— In caelis gaudium bonorum cumulatur visa poena damnatorum 351 a

— Ibi est perfecta plenitudo omnis boni in omnibus 61 15 — Ibi pro differentia meritorum quaedam dantur excellenter *ibid.* — Ibi nihil possidetur singulariter, sed omnia sunt omnibus communia *ibid.* 62 18 — Ibi unusquisque habiturus est in alio, quod non habet in merito proprio 61 15 *Vide v. Beati* et *v. Sancti.*

— Tria commoda obtinebunt virgines in caelo 211 108. sqq. — Tria in caelo parata sunt 126 3. sqq.

— non nisi mundos recipit 186 2 — Qui ad caelum trahi desiderat prius passionis vinculis suo capiti colligari debet 168 5 — In caelum ascendendum est cum aromatibus virtutum, cum thesauris bonorum operum, cum magno apparatu caelestium desideriorum 62 19

— In caelestis regni possessionem praeclaram intratur per spiritum paupertatis 449 b — Sunt domini caelorum qui cuncta dederunt propter Deum, quamvis nondum sint in eius possessione 425 95

— sola aperit caritas 124 1 — Gaudium caeleste pendet a gradu amoris 127 8

— Devotio facit desiderare caelestia 148 2

— Contemplatio gaudiorum caeli est stupenda et admirabilis, consideratio est deliciosa et delectabilis, speculatio gaudiosa et ineffabilis 65 25 — Meditatio caeli est remedium efficax contra tentationes, persecutiones, tribulationes 58 8 — Qui vult terrena bene contemnere semper debet caelestia meditari 490 2 — Contemplatio gaudiorum caeli facit omnem peregrinationem et omnem tribulationem patienter tolerare 62 17

— Anima semper mente in caelo esse debet 59 10 — Gaudia caeli quotidie contemplanda sunt 57 3 — Gaudia caeli super omnia desideranda sunt *ib.* 4

— Quae sit dispositio necessaria ad contemplanda gaudia caeli 56 1 — Caelestem vitam ducere est caelestia contemplari et diligere 49 12

Caietae — praedicat S. Franciscus in littore maris 540 6

— Bartholomaeus civis Caietanus per S. Franciscum a mortis periculo liberatur 554 8

Calamitas — qualem mendicitatem pariat 324 26

Calceamenta — Christus Apostolis alia calceamenta praeter sandalia inhibuit 402 17 — prohibita Apostolis 273 5 — Ad regulam apostolicam pertinet sine calceamentis incedere 388 8

— Christus calceamenta prohibuit discipulis nec ipse habuit 275 8 — Post institutionem apostolicae regulae Christus suique discipuli sine calceamentis ad litteram incesserunt 390 15

— Sex de causis Christus dedit Apostolis mandatum sine calceamentis incedendi 306 8 — Arctatio calceamenti significat solutionem a terrenis 444 23

— Calceatorum et discalceatorum habitus considerationibus et causis diversis Domino placent et multiformi varietate sponsam Christi decorant 307 8

— Testimonium de non portandis calceamentis ad litteram esse intelligendum, multiplici patet attestatione Doctorum 306 6 — Verba Domini de calceamentis portandis non solum spiritualiter, sed etiam ad litteram fuerunt observata 388 9. 389 10. sq.

— De calceamentis comportandis etiam persecutionis tempore nec textus innuit nec Glossa 388 8

— Veri Apostoli calceamentis virtutum calceari debent 388 7

— Quomodo intelligendum sit verbum Ioan. Bapt. de corrigia calceamenti non solvenda 307 7

— Monachi Indiae calceamentis non utuntur 389 11

— Constitutiones calceamenta concernentes 451 b

Caligae — iuxta Papiam sunt sandalia 402 17 — dicuntur quasi caligulae, quia super pedem colligantur, vel quia calce ligantur 388 6

— Petri, quid spiritualiter significent 387 6

Calix — Christus per calicem, quem bibiturus erat, passionem significavit 177 2

Calor — Splendor et lux producunt calorem, ita quod calor procedit ab utroque, licet non per modum prolis 17 11

— plus comprimit terrae glebas quam frigus 403 18 — findit et frangit graviter pedes nudos *ibid.*

Calumnia — est falsi criminis impositio 435 11

Caminus — ignis trium puerorum designat mendicitatem paupertatis 326 29

Campilium — Apud Campilium apparent S. Francisco tres mulieres pauperculae 524 6

Campania — 553 2. 559 3. 562 2

Canon — Omnes canonum leges emanant a Sede apostolica 338 b

Canticum — In Canticis Spiritus sanctus docet allocutionem Sponsi et sponsae 9 4

— novum et cantica vetera, quid sint 202 83. sq. — Cantica vetera cavenda sunt per omnem modum *ib.* 84 — Cantici novi imitatrix est Mater Christi 203 85 — Virgines ad Agni nuptias canticum novum afferunt 212 110

Capacitas — animae est tanta, quod nulla creatura infra Deum satiet eius desiderium 31 6

Caparo — secundum morem antiquorum Religiosorum distinguebat habitum novitiorum ab habitu professorum 400 11 — est novitiatus insigne 401 11 — ex defectu humilitatis paucissimis conceditur *ibid.*

Capilli — significant cogitationes 281 28

Capitulum — Apud Capitulum generale praecipua residet auctoritas Ordinis gubernandi 450 a — In Capituli huius exemplum congregati discipuli receperunt Spiritum sanctum 427 3

— generale, quoties sit celebrandum 427 3 — Qui mittendi sint ad Capitulum generale 462 b — Constitutiones quoad Capitulum generale *ibid.* 463 a, b

— primum generale apud Portiunculam 515 10 — generale celebratum Assisii 549 8 — Inter hoc Capitulum sacrum corpus S. Francisci defertur ad novam basilicam *ibid.*

— provinciale, quoties sit celebrandum 427 5 — cur praecipue in anno Capituli generalis celebrandum sit *ibid.*

— Constitutiones de Capitulo provinciali 461 a — Poenae statutae contra Capitula provincialia 465 a

— Capitulis provincialibus S. Franciscus per sollicitam curam regiminis, instantiam precis, efficaciam benedictionis spiritu praesens erat 515 10 — Mira Dei faciente virtute, aliquando etiam visibiliter apparuit *ibid.*

— In Capitulo Arelatensi Fr. Monaldus vidit S. Franciscum in aëre sublevatum, extensis velut in cruce manibus benedicentem Fratres 515 10. 538 14

— Guardiani, quando celebrandum sit 461 b

— culparum, quomodo habendum sit 454 a. 458 a, b

Cappa — designat exteriorem amictum 400 10

Capua — 552 5

Caput — singulari actione non occupatur, ut vacet omnium membrorum provisioni 145 13 — pro omnibus membris proficit, audit, odorat, gustat et loquitur *ibid.*

— Sine uno capite nulla respublica stare bene potest 427 2

Cardinalis — protector Ordinis Minorum licentiam habet bona Ordinis dispensandi 395 8 — debet esse gubernator in agendis, protector ab oppressionibus alienis et corrector in delictis 436 3

Caritas — fundamentum habet sui bonum infinitum, propter quod nihil finitum praevalet contra eam 425 26

— est donum Spiritus sancti, quod nemo scit, se habere 250 22

— est forma virtutum 124 1

— est radix, forma, finis, complementum et vinculum perfectionis 244 2 — est origo et radix perfectionis 249 19 — est vinculum perfectionis 293 19. 302 23 — comparatur fundamento et radici 272 1

— Secundum eius gradus est perfectio eminentior 249 19. 250 22 — non sufficit sine opere 250 19 — Status et gradus perfectae caritatis non est nisi in maxima 9 8 — aliqua est imperfecta 240 3

— habet statum infimum in observantia mandatorum legalium, medium in adimpletione spiritualium consiliorum, supremum in perfruitione sempiternalium iucunditatum 244 2

— Ad caritatis impletionem et observantiam referuntur omnia praecepta et consilia 245 3 — Caritatis actus est declinare mala, prosequi bona et patienter ferre adversa *ibid.* — Caritatis actus egreditur ab habitu virtutis vel secundum legem praecepti, vel secundum consilium *ib.* 4

— Legem continet in se totam 430 12 — Lex divina tota completur in caritate 309 14 — In cognitione caritatis pendet scientia totius sacrae Scripturae et meritum vitae aeternae 3 1 — Ad caritatem universa Dei documenta reducuntur 244 2

— Varii sunt effectus mirabiles caritatis 124 1 — fructus magnus est, sed occultus 43 45 — Secundum quod anima circa caritatem versatur, suscipit meriti incrementum 3 1 — Laus caritatis 43 45

— Actus difficilis a caritatis sublimitate procedens est perfectus secundum se 238 8 — Opus virtutis ex caritatis radice procedens est bonum secundum se *ib.* 7 — Motus fervidae et ecstaticae dilectionis in Deum et purae et plenae dilectionis ad inimicum est actus difficilis et perfectus, a caritatis sublimitate procedens *ib.* 8

— Sola ducit hominem ad perfectionem 124 1 — Profectus caritatis inducit perfectionem omnium bonorum 11 11 — perfecta facit actum de suo genere imperfectum perfectum, addendo illi aliquam circumstantiam 254 7 — Perfectum est quod ex perfecta caritate procedit 267 2

— Sine caritate non potest obtineri perfectio meriti 250 22 — ante assecutionem perfectae caritatis nemo debet se aestimare perfectum 9 8 — Caritate acquisita, facillimum est homini facere omne, quod est perfectionis 11 11

— quantumcumque parva efficit, ut peccatum non regnet in homine, sed non ad culmen perfectionis attingit 239 2 — Dei ad zelum iustitiae inflammare debet 136 1

— superat mortis innatum horrorem 425 26 — perfecta non excludit omnino naturalem timorem mortis, sed eius dominium 254 10. 255 11. sq.

— In dilectione Dei primo est gustus suavitatis, ex quo nascitur tanta esuries, ut nihil possit animam reficere, nisi eum quem amat, possideat perfecte 10 9 — In caritate complacentia quietat, laetitia delectat, adhaerentia conglutinat 14 6

— inflammat, propter celsitudinem excedentia elevat, propter pulcritudinem complacentia quietat, propter amoris eius plenitudinem laetitia delectat, propter amoris Sponsi fortitudinem adhaerentia conglutinat 14 6. 15 8

— Per profectum caritatis pervenitur ad perfectionem tranquillitatis 11 11, 12 — Caritate perfecte adepta anima beatificatur 3 1 — Dulcor caritatis in via habet similitudinem ad dotem fruitionis in gloria 12 1

— Caritati verae prae cunctis virtutibus est insistendum 124 1 — Studendum est ad proficiendum in caritate 11 11

— Ad caritatem ducit actus perfectionis 3 1 — Qui se excitat continue et intente per orationem proficiet in caritate usque ad perfectionem tranquillitatis 11 12 — nutritur devota consideratione crucis Christi 69 5

— minuitur multiplicatione temporalis possessionis 282 31

— In gradibus disponentibus ad dulcorem caritatis ordo est, nec status est ante ultimum, nec ad illum pervenitur nisi per gradus intermedios 15 7

— Ad caritatem ascenditur per tres gradus secundum viam unitivam 12 1

— Ad perfectionem in dilectione Dei sex gradibus paulatim et ordinate proceditur 10 9 — Gradus caritatis significantur per sex gradus, quibus ascendebatur ad thronum Salomonis *ib.* 11

— Ad perfectionem caritatis et ad amorem Spiritus sancti pertingitur septem

gradibus 14 6 — Ad caritatem ducit vigilantia sollicitans, confidentia confortans, concupiscentia inflammans, excedentia elevans *ibid.*

— Per gradus intermedios caritatis venitur ad copulam et osculum et amplexum 15 7

— In primo gradu disponente ad caritatem viget consideratio, quam honestum, quam conferens, quam delectabile sit diligere Deum, in ceteris vero sequentibus dominator affectio 15 7

— In quarto gradu caritatis tanto amore quis diligit Deum, ut iam non solum fastidiat solatium, sed etiam delectetur et quaerat tormentum, ut amore eius quem diligit, delectetur in poenis, opprobriis et flagellis 10 10 — Consummatio caritatis est in desiderio passionum et gaudio in eis sustinendis 246 7

— Perfecte amans desiderat uniri Deo per mortem, et cum hoc obtinuerit, perfecte laetatur 252 2 — Perfectae caritatis actus est mortem appetere pro Christo 252 1. 253 2. sq.

— divina recogitanda et conferenda cum tepiditate propria 9 5

— Ardor caritatis Christi erga nos homines fuit inaestimabilis 182 1 — Cor Christi est paradisus caritatis 187 1 — In corde Iesu latet thesaurus ineffabilis desiderabilis caritatis 188 3 — Commendatio caritatis Christi 183 2 — Christi contendit cum passione 186 1 — Quantae caritatis Christus fuerit erga nos 501 9

— Per caritatem collocatur Christus in affectu tanquam fundamentum 272 1

— Beatorum perfecta est 60 13. 61 15

— erga **proximum** in sex operibus misericordiae consistit 214 116. sqq. — Supererogativa condescensio caritatis ad proximum consistit in hoc, ut amoris signa et beneficia non solum ad amicos, verum etiam ad inimicos protendantur 216 6

— Tres sunt species caritatis 191 39

— mutua esse debeat 191 38

— fraterna, quomodo exercenda sit 494 a — Iure caritatis fraternae quae sunt propria singulorum fiunt universorum communia 309 14 — Quid sit efficax signum verae et purae caritatis 191 38

— proximi in omnibus amicis Dei et maxime in superioribus requiritur 134 6

— Omnia servitia, quae non radicantur in caritate, sunt sine merito apud Deum 484 1

— Vere caritativis solatium est reconciliari beneficio 326 28

— Per caritatem cognoscitur verus Christi discipulus 501 9 — facit hominem filium et discipulum Christi *ibid.*

— solet non obloqui, non detrahere, sed potius peccata aliena excusare 203 86 — correctionem necessariam facit non animo malignandi, sed corrigendi *ibid.*

— Proximus non est amabilis nisi propter Deum 10 8 — Ad perfectam dilectionem proximi non pervenitur, nisi prius perveniatur ad perfectam dilectionem Dei *ibid.*

— Perfectionem caritatis assequitur aliquis, quando cor semper invenit non solum voluntarium, sed etiam avidissimum ad moriendum pro salute proximorum 9 8

— Vires, quas imperitia denegat, caritas subministrat 50 15

— *Vide v. Amor.*

Carnales — Carnaliter sapiens spiritualia trahit ad carnem 262 18 — Appetitus carnalium est, ubi vivit concupiscentia voluptatis 4 5

— Carnales voluptates fugiendae 233 1. 246 8

— Carnales sub pietatis specie per antiquorum Patrum divitias falso paupertatem impugnant 288 6 — ignorant spirituale solatium paupertatis 326 29

Caro — Naturaliter omnis caro robea est 181 3

— non vivit sine sanguine 100 1

— est inimicus domesticus hominis, crudelior ceteris et causa deordinationis peccati 35 19 — est ancilla, ad cuius vocem negatur Christus 76 21 — Cedens carni negat Christum pro se passum vel voluntate vel actu *ibid.*

— non est fovenda, sed coercenda et crucifigenda 35 19 — rebellis et pigra disciplinis continuis et fructuosis laboribus est domanda 517 6

— perfecte edomanda a perfectis per abstinentiam 259 8. 265 25 — Carnalia vitia perfecte declinantur per ieiunium 270 15

— Christus non invitat ad solatia carnis 235 2

— Dicta notabilia S. Francisci quoad vitia carnis frenanda 517 3. sqq.

— Carnibus vesci est de se licitum 262 16 — Carnibus vesci non est aeque perfectum ac abstinere 261 12. 262 17. 263 18. sqq.

— Carnibus et vino uti potest fieri perfecte et imperfecte, sed perfecte ratione circumstantiae adiunctae, cum ex se magis declinet ad imperfectionem 259 7

— per excitationem concupiscentiae dant occasionem peccandi 259 8

— Carnium usus est concessus, sed abstinentia perfecta 258 3 — Carnium usus imperfectionem quandam importat, quantum est de sui generis natura, nisi ad perfectionem reducatur per circumstantiam superadiectam *ib.* 4. 259 7

— Perfecti possunt sobrie uti pro loco et tempore, vel quia requirit necessitas sustentationis propriae, vel utilitas aedificationis fraternae 259 4 — Carnis usus a perfectis potest admitti propter carnis infirmitatem, propter servandam consuetudinem communis vitae et propter scandali vitationem 264 25 — Perfectis non convenit comedere carnes propter infirmitatem communem omnibus 265 25

— vitandae sunt paupertatem et poenitentiam profitentibus 406 26

— Ecclesia temporibus poenitentiae solet a carnibus abstinere 406 26

— Carnium esus interdictus a Basilio et Benedicto 258 2

— Constitutiones quoad carnes non edendas 465 b

Carvium — 558 3

Casalis — mons situs est in provincia Massae 521 7

Castello — Civitas, de 541 10

Castigatio — corporis consistit in arctitudine vestium, victualium et verborum cum austeritate laborum, vigiliarum et aliarum corporalium afflictionum 250 20

— parit quatuor bona 135 12 — Castigatio austerior corporis comitans vota Religionis facit maiorem perfectionem status 250 20

Castitas — Quatuor castitati sunt necessaria 445 27

— triplex est 196 62 — Perfectae castitatis diversi sunt modi 277 16 — habet gradus honestatis et minus et magis recipit in diversis Religionibus 250 20 — duos habet gradus 396 9 — Perfectio castitatis potest esse maior et minor 291 16 — in maioris perfectionis statu constituit, quanto vovetur sublimius 250 20 — Etsi castitas Religiosorum gradus non habeat, multi tamen sunt gradus disciplinae eius honestatem inviolabiliter observandi 396 9

— Castitatis integritas non erat indicta levitis 288 5, 6 — competit perfectioni novae legis *ib.* 6

— Variis praerogativis castitatis Ecclesia ornatur 277 16

— Vere continentibus solatium est castificari 326 28

— Quomodo reprimendae sint tentationes contra castitatem 200 78. sq.

Castrum — Extra castra exire est extra concupiscentias huius saeculi exire 168 5

— Plebis 541 11. 560 1

— oppidum Campaniae 559 4

Catalaunia — 550 5. 555 11

Catortroma — dicitur perfectum officium 243 15

Cavere — Superiori principaliter cavenda sunt quatuor 134 9. sqq. — Cavenda sunt a praelato quinque in observatione iustitiae 135 12

Celanum — 554 3

— S. Franciscus Celanum praedicaturus accedit 536 4 — praedicit ibidem hospiti mortem vicinam *ibid.*

Celare — Tria ab homine solent celari et abscondi 351 b

Cenomanensis — civitas 562 2

Census — non est in culpa essentialiter vel causaliter, sed occasionaliter 423 16

Centenarius — Per centenarium numerum perfectio designatur 282 29

— Promissio centupli ad spiritualia bona refertur 281 29

Centurio — Christum crucifigens de divina misericordia praesumsit 38 27 — Christum verum Deum esse cognovit in eius morte 79 29

Ceperanum — 555 9

Cera — in se continet mel dulcissimum, mundificativum, descensivum 221 153

— apta est ad recipiendam formam sigilli et ad nutriendum ignem 221 153 — significat tenacem memoriam 222 153

Charismata — Dona charismatum sunt supererogationis 246 11
— divina desideranda sunt 129 7 — Sapor divinorum charismatum trahit animam 55 11
— Christus ex caritatis benevolentia diversa largitur charismatum dona 267 4
— divina propter caecitatem non intelliguntur et propter negligentiam perduntur 56 12
Cherubim — attribuitur visio veritatis 12 1 — est admirari veritatem 18 14
— ornant convivium caeleste splendore aeternae claritatis 61 17
Chore — est castrum quoddam 564 6
Christianus — Qualem vitam duxerint primitivi Christiani 399 7 — primi vendebant omnes possessiones suas et abdicabant dominium privatum seu personale et sustentabantur de communi 273 4 — Primitiva Ecclesia suberat dispositioni Apostolorum quoad res et personas 283 32
— Praeceptorie vovetur ab omnibus Christianis tantum id quod praeceptorie imponitur ex lege Dei 394 3 — Obedientia, in quantum est virtus contraria inobedientiae, omni Christiano convenit *ib.* 4
— Tentatio ipsis magis periculosa est proprio sensui inniti 146 18 — superbus est valde abominabilis 111 4
— Septem metaphoris describitur status plebis christianae a fide errantis 318 6
Christus — est **Filius** Dei altissimi 122 9 — est Verbum increatum et incarnatum 242 12 — est Unigenitus Patris pro nobis homo factus, crucifixus et glorificatus 86 49 — est inclyta proles summi Dei et fructus sublimis uteri virginalis 85 48
— Ab aeterna luce simul immensa et simplicissima, fulgentissima et summe arcana, coaeternus, coaequalis et consubstantialis splendor oritur 71 1 — est virtus et sapientia generantis *ibid.*
— credendus est veraciter esse Dei Filius, omnium rerum principium, Salvator hominum, retributor meritorum omnium 12 3
— De generatione Christi ex Deo nihil infirmum carnali cogitatione credendum est 71 1
— est Dominus universorum 312 4 — est Dominus Angelorum 113 5
— Salvatoris adventus **promissus** est primis parentibus statim post lapsum ad dandam spem veniae 71 2 — praenuntiatus est magnis et multis oraculis, ut excluderetur ignorantia et ingratitudo et augeretur fides et desiderium *ibid.*
— In quinque saeculi huius aetatibus Deus per Patriarchas, iudices, sacerdotes, reges et prophetas ab Abel iusto usque ad Ioannem Baptistam Filii sui adventum praenuntiare, promittere ac praefigurare non destitit 71 2
— **advenit** in plenitudine temporum, in principio sextae aetatis, quae respondet sextae diei, qua homo conditus est 71 3 — Virtute Spiritus sancti operante in instanti corpus Christi fuit formatum, anima creata et simul utrumque Divinitati in persona Filii counitum, ut idem esset Deus et homo, salva utriusque proprietate naturae 71 3
— Mirus conceptus virgineus exsultando et iubilando adorandus 71 3 — adorandus est cum reverentia 94 4 *Vide V. Conceptus.*
— Cum quietum silentium universalis pacis sub Caesaris Augusti imperio perturbata prius saecula serenasset, in tantum, ut per ipsius edictum describeretur, universus orbis rex pacificus processit de utero virginali absque omni corruptione 71 4
— in praesepio osculandus 72 4
— In Christi nativitate pastorum excubiae, Angelorum concurrens exercitus caelesti melodia decantans mente pertractari debent 72 4
— est caput humani generis 102 10 — est caput nostrum 164 4
— cum magnus esset et dives, pro nobis effectus parvus et pauper, extra domum in diversorio nasci elegit, panniculis involvi, lacte virgineo pasci et inter bovem et asinum in praesepio reclinari 71 4 — Summus factus est imus, immensus parvus et homo, putredo et vermis 141 4 — In incarnatione Dei celsitudo admisit abiectionem, iustitia subiit reatum, opulentia suscepit egestatem 13 4
— pro nobis assumsit vilissimi servi formam, in ea subiiciens se voluntarie hominum potestati 494 a — natus est in alieno loco, in media hieme, in medio noctis, extra diversorium, a Matre paupercula 183 1
— quomodo in incarnatione fuerit humiliatus 161 2. sq. — humanam assumendo naturam, in nostris factus est humilis, sed in propriis permansit excelsus 239 10
— A nativitatis Christi exordio nativitas crucis simul exorta est 183 1 — Crucis ignominia, dolor et paupertas maxima statim recenti ortui Christi copulabatur *ib.* 2 — A prima die nativitatis suae usque ad ultimum diem mortis semper fuit in passionibus et doloribus 122 8
— a principio ortus sui usque ad mortem durissimam, immo et post mortem sanguinem suum pro nobis effudit 187 2 — Tota Christi vita passio fuit 183 1. sq.
— homo visibilis factus est, ut a nobis visus amaretur 189 3
— Caro Christi est vestis de castissimis membris Virginis Spiritus sancti artificiositate contexta 80 31 — Caro Christi tota virginea fuit, quia de Spiritu S. concepta et de Virgine nata 121 5
— In Christo fuit similitudo carnis peccati 80 31 — hominibus assimilatus est per omnia praeter ignorantiam et peccatum 72 5
— solus est impollutus et carens peccato veniali 262 17 — non assumsit infirmitates nisi illas, quae communiter respiciunt statum humanae naturae, non specialem carnis infirmitatem 265 25
— quomodo spiritualiter nascatur ab anima devota 91 3
— S. Franciscus, cum quanta maiori solemnitate valeret, celebrat nativitatem Christi 535 7
— **Finis incarnationis** Christi fuit, ut nos Deitati suae uniret 179 1 — in praemium incarnationis et passionis suae nos ipsos vult habere 189 3
— In Christi nativitate illuxit nobis dies redemptionis 72 4 — nos conformaverat imagini Deitatis suae creando, et ipse conformatus est imagini humanitatis nostrae, ut nos reformaret 189 3
— Deus factus est homo vilis, miser et pauper ad restituendum nobis paradisum gloriae, laetitiae et opulentiae 13 4 — Altissimus Imperator accepit servitutem abiectam, ut sublimaremur in gloriam *ibid.*
— Filius Dei datus est in fratrem et amicum in incarnatione, in pretium in passione, et datur quotidie in cibum in consecratione 6 13
— Pater inenarrabili dono affluentissimae caritatis unicum Filium suum pro nobis tradidit 82 38 — Deus dedit Filium suum beneficio spectante ad donum superabundantiae in fratrem et amicum, in pretium et quotidie in cibum 6 13
— In Christo est ratio exemplaritatis aeternae et temporalis 242 12 — ut Verbum aeternaliter dictum est principium, per quod omnia producuntur 85 48 — Verbum increatum est speculum intellectuale et exemplar aeternum totius machinae mundialis 242 12 — ut Verbum increatum est splendor et speculum, in quo exemplaritate aeterna cuncta creata relucent *ibid.*
— Pater maior est Christo non quantum ad eius Divinitatem, sed tantummodo quantum ad eius humanitatem 240 5 — se dicit Patre minorem secundum naturam humanam 267 5
— Ex pluralitate et diversitate operationum non sequitur pluralitas personarum nisi secundum Nestorium, sed pluralitas virtutum et naturarum 267 5 — Ex minoritate operationis in Christo respectu operum Patris non sequitur minoritas in personalitate divina, sed in natura assumta, nisi secundum Arium *ibid.*
— **circumcisus** est non quod indigeret, sed ut consolaretur dolores nostros 160 1 — innocens non abhorret circumcisionis cauterium 72 5 — propter similitudinem circumcisionis accepit signaculum, sicut et veniens apparuit in similitudine carnis peccati, ut nobis fieret salus et sempiterna iustitia *ibid.*
— octavo die circumciditur et vocatur Iesus, ut sanguinis sui pretium non tardans effundere, se verissimum Salvatorem ostendat, Patribus repromissum tam verbo quam signo 72 5 — se submisit Legi, ut nos redimeret a servitute *ib.* 7 — Sanguinis effusio in circumcisione Christi significat, quod futurus erat verus Iesus, id est Salvator 183 1
— se ipsum, omnium Redemptorem, ut primogenitum voluit redimi, in templo Dei **offerri** et hostiam pro se dari 72 7

— cum esset Dominus Legis et omnium, non ex tentione aliqua neque scandalo Iudaeorum, sed ex condescensione Legis figuralia observabat 265 28

— infans in ulnas accipiendus et tenendus 72 7 — In adventu Christi exsultandum cum iustis et procedendum in eius occursum *ibid.*

— auro, thure et myrrha Christus rex ut verus Deus et homo venerandus et humilis Deus in cunis iacens adorandus, confitendus et laudandus 72 6

— Quomodo ab anima devota inveniatur 93 3 — Cum dilecta quaerente dilectum ab inquisitione Christi non cessandum 73 8

— Altiori permittente consilio, Herodes impius parvulum regem quaerit, ut perdat 72 8 — revelationis oraculo in **Aegyptum** transfertur ut peregrinus et pauper *ibid.* — in coaetaneis parvulis ipsius causa occisis occiditur et quasi in quolibet trucidatur *ibid.*

— Herode defuncto, iuxta divinum imperium reducitur in terram Iuda 72 8

— fugiens in Aegyptum comitandus 73 8

— duodecim factus annorum remansit in Ierusalem, non sine multo Matris dolore quaesitus nec sine immenso gaudio reinventus 73 8

— conversatus et crescens aetate et gratia, cohabitabat parentibus et erat **subditus** illis 72 8 — magister humilitatis perfectae, cum Patri esset aequalis, se subdidit humillimae Virgini et Legi 72 7

— parentum suorum voluntati subditus fuit ad docendam obedientiam 394 5 — Exemplum Christi facilem reddit obedientiam 488 3

— cum ad trigesimum aetatis suae annum pervenisset, coepit operari salutem nostram 73 9 — coepit prius facere quam docere *ibid.* — **baptizari** voluit a Ioanne, ut exemplum monstraret perfectae iustitiae et vim regenerativam aquis conferret contactu mundissimae carnis suae 73 9 — In baptismo Christi in voce Pater, in carne Filius, in columba Spiritus sanctus intelligitur *ibid.* — ductus in desertum **tentatur** a diabolo, ut nos humiles faceret et viriles 73 10 — duram ac solitariam vitam constanter assumsit, ut fideles ad perfectionis aggressionem erigeret et ad gravia perferenda firmaret *ibid.* — in deserto ieiunavit quadraginta dierum spatio 406 26. 409 7 — quadraginta diebus continue ieiunavit 409 7

— Ieiunium Christi significat ieiunium gaudii 409 7

— discipulos suos non ieiunantes excusavit 410 9

— puriori modo in se ipso abstinuit et aliis ex perfectiori caritate condescendit 259 6 — abstinuit non propter concupiscentias proprias refrenandas, quia nullas habuit, sed ut exemplum refrenandi daret aliis 266 30. 269 9. sqq.

— in vita monstravit miram abstinentiam et condescensionem caritativam ad imperfectos, cum comedit et bibit 259 5 — in cibo et potu condescendit Iudaeis infirmis mente, pro eorum salute 237 a

— hominibus dedit exemplum ieiunandi et pugnandi 269 10. sq. — ieiunando non solis perfectis et comedendo non solis imperfectis exemplum dedit 266 4

— pro tempore ieiunavit, ut austeritatis vitae praeberet exemplum, pro tempore ieiunia solvit, ut humanae infirmitati praestaret solatium; et primum fuit rigoris, secundum condescensionis, utrumque tamen perfectum in Christo, quia ex perfectissima caritate processit 266 2

— hostilem pugnam humiliter perpessus et victoriam assecutus est 73 10 — tentatus compatitur infirmis recurrentibus ad ipsum in tentationum discrimine *ibid.*

— fons totius misericordiae pro nobis miseris pluries flevit pro summae pietatis reseranda dulcedine 74 14 — flevit ad omnium expiationem peccatorum *ibid.* — deploravit humanae infirmitatis miseriam, caeci cordis caliginem et obduratae malitiae pravitatem 74 14

— lacrymans considerandus et cum eo plangendum 74 14

— **transfiguratus** est ad confirmandam mentem humanam per spem retributionis aeternae 73 12

— tribus discipulis assumtis Trinitatis sacramentum aperuit et passionis abiectionem praedixit 73 12 — resurrectionis futurae gloriam in transfiguratione monstravit 74 12

— Christo contestantur et Prophetae in apparitione Moysis et Eliae et Pater et Spiritus sanctus in voce et in nube 73 12 — Christo Scriptura testimonium perhibet 72 6

— Unigenitus Dei ut Verbum increatum est **sapientiae** liber et lux in mente summi Artificis plena rationibus viventibus et aeternis, ut Verbum inspiratum in intellectibus angelicis atque beatis, ut Verbum incarnatum in hominibus 85 46

— est liber vitae, in quo scripta est sapientia aeterna, secundum quam omnia disponuntur 84 46 — Ex Christo et in Christo multiformis sapientia Dei per totum regnum refulget tanquam a speculo et in libro omnium contentivo 85 46

— est stella oriens et praeiens, a cuius fulgore non est declinandum 72 6 — est superessentialis radius emanans a claritate Dei 85 47 — cum sit unus, omnia potest, et in se permanens, omnia innovat *ibid.*

— lux vera et summa non est agnita a mundo, tanquam infructuosus despectus est, et Deus et Dominus et amicus et innocens a mundo inique damnatus et interfectus est 13 4

— In Christo in omni plenitudine requievit Spiritus gratiae septiformis 86 49

— Christo dolus aliquis non potuit occultari, quia oculatus est ante et retro 162 1 — praeterita et futura quasi praesentia intuetur *ibid.*

— est summus legislator 314 11 — est iuris naturalis, civilis, canonici ac divini principalis origo 314 11

— omnes **virtutes** sine diminutione aliqua habuit 193 55 — Christi sacratissimam vitam expressum constat esse perfectionis exemplar 518 7

— ante dedit vitam, quam virtuti contrairet 14 4 — Christi virtus in ipsis contumeliis relucebat *ibid.*

— nobis dedit formam abstinentiae, obedientiae et iustitiae 216 134 — est Magister veritatis atque virtutis 323 20 — specialiter est auctor evangelicae veritatis 386 1

— non fuit magister imperfectionis ordinando, ut perfectionis evangelicae doctores ab aliis sustentarentur et hoc per proprium exemplum ostendendo 327 32

— Ad testimonium veritatis eius exemplum et consilium sufficiunt 314 11

— commisit alia discipulis procuranda, sibimet retinuit praedicationis et curationis officium 145 11 — **bonus pastor** propter gregem pascendum labores sollicitudinis et inediae passus, inter insidias et pericula evangelizabat regnum Dei 74 13 — circuibat evangelizando, noctibus in oratione vigilabat *ibid.* — per diem occupabatur in doctrina populi et aegrotantium cura, in noctibus orationi in monte vacabat 338 b

— turbas, quas verbo salutis pavit, etiam pane corporali in deserto refecit 138 2

— piissimus pastor sollicitudinis curam ad perditas oves et clementiam parabola pastoris expresse declarat 74 13

— pius pastor oves tenero complexabatur affectu 75 18 — publicanis erat affabilis 74 13 — ad poenitentes paternum ostendebat affectum *ibid.*

— **Doctrinae** Christi validae sunt sicut sagittae acutae 470 6 — Doctrina Christi magis moribus et exemplis quam verbis praedicanda est 142 9 — Quod docebat verbo confirmavit exemplo 314 11

— in mundi vespera incarnatus dies factus est et sibi duodecim horas in duodecim Apostolis copulavit 409 6 — homines ad suum discipulatum recipiens, plures corporali vocatione praevenisse legitur; quidam ipsum corporaliter praevenerunt se eius consortio offerendo 397 2

— intendebat, ut Apostoli ornarent mensas saecularium bonis exemplis et auctoritatibus devotis 444 24

— est magister **humilitatis** 112 7. 123 54 — ab humilitate sumsit initium in conversatione 72 5 — de altitudine sinus paterni ad nostra despicabilia descendit, ut tam exemplo quam verbo Dominus et Magister humilitatem doceret 519 1 — se exinanivit propter nos 279 22 — praebuit exempla humiliationis non solum spiritualis, sed et corporalis 298 12

— in cruce humillimus factus est 193 54 — In Salvatore nostro crucifixo nil fuit, quod saeculares glorias aut delicias saperet 285 40

— Quantum in se humilitatem commendaverit 195 58. sq. — quantum humiliatus fuerit 111 4. 195 59. sq. — non legitur equitasse, sed asinasse 444 23

— quare tantum humiliatus fuerit 195 61
— Salvator humilis imitandus et cum Magis adorandus 72 5. sq. — Rememoratio suae humilitatis est via ad humilitatem 111 4 — In Christo cum humilitate paupertas, patientia et obedientia refulgent 72 8
— verus iustitiae sol per **paupertatis** et humilitatis exempla radios suae lucis emisit 296 8 — Altissimus Deus benignissime condescendit ad extremae paupertatis inopiam ratione et causa permaxima, ut paupertatis perfectionem monstraret 297 9 — professus est paupertatem 299 16
— pauper in ortu, in vita et in morte 274 6. sq. — pauperrimus fuit in nascendo 113 3 — in conversando *ib.* 4 — in moriendo *ib.* 5
— fuit pauper quantum ad humanitatem assumtam, in qua perfecte vivendi nobis monstravit exempla, non quantum ad Divinitatis ipsius potentiam 289 8
— ut paupertatem perfectam amabilem redderet mundo, pauperrimam matrem elegit, paupertatis defectus voluntarie pertulit 274 7 — de pauperrima Matre pauperrimus prodiit 285 40 — pauper et inops discalceatus incessit 274 7. 275 8
— Christus natus pastum habuit lac virgineum et tegumen viles pannos; in vita, etsi tegumen habuit, saepius tamen in victualibus defecit; in morte nudus et sitiens invenitur 161 3
— in summa rerum penuria vixit 274 8. 276 13 — in paupertate vixit usque ad mortem 294 1 — Tota Christi vita caminus paupertatis fuit 286 40
— ut pauperrimus nudus in cruce pependit 285 40. 293 20. 302 23 — Paupertas Christi in morte 113 5 — ita pauper exstitit, quod diabolus eum non potuit spoliare 425 25
— verbo et exemplo docuit paupertatem 295 3. 299 15. 423 18 — Qualem paupertatis modum in se ipso monstraverit 323 20 — sacro suo sanxit eloquio temporalium rerum dominium abiiciendum esse perfectis, sed sufficientiam quantum ad usum eisdem concessit, promisit et persolvit 314 11
— noluit habere quidquam proprium, sive commune, sive proprium 274 8 — In pauperrimo Christo nil temporalium possessionum inveniri potuit 289 9 — nihil omnino possedit 291 15. 340 a
— paupertatis perfectae normam in se ipso servavit et Apostolis servandam instituit 273 56. 281 27 — consummatae perfectionis exemplum dedit 290 14
— **mendicus** fuit 423 22 — duodennis stipem per ostia mendicabat 274 6 — voluit alieno cibo sustentari 314 11 — alieno cibo sustentatus fuit 274 6 — vivit de cibis alienis et in aliorum mensis 415 8
— sustentabatur a suscipientibus, vel a mulieribus comitantibus eum, sed per Samariam transiens de loculis vixit 285 39
— In comitiva Christi inventi sunt panes hordeacei et hoc in deserto 406 26 — In civitate usus est pane triticeo, in quo et instituit Sacramentum *ibid.*
— adeo se peccatoribus in cibis et potibus conformabat, ut vorator et potator vini diceretur 406 26
— Quamvis eius omnia essent et ei ab omnibus deberentur, ipse talia non exegit per imperium auctoritatis, sed per modum mendici 424 22 — in exigenda annona non quaerebat proprium commodum, sed meritum alienum 328 35
— Nullum habuit titulum domicilii proprii 395 7 — in alienis domibus continue hospitabat 422 11 — non habuit proprium hospitium nec commune 273 6
— non solum hospitio, sed et pretio, quo illud conduceret, caruit 274 8 — necessitate compulsus de urbe exivit illo die, quo tanquam rex asello vectus intravit *ibid.*
— habuit **loculos**, ex misericordia infirmorum sive imperfectorum persona suscepta 237 a, b — duplici de causa loculos habuit 414 6. 416 11 — loculos fecit deferri ad consolandum infirmos, refellendum improbos, informandum perfectos 284 35. 285 40 — Habere loculos in Christo respectu infirmorum fuit actus condescensivus, respectu impiorum fuit actus commonitorius ad refellendum haereticos, qui loculos reprobant 284 35. sq.
— loculos habuit ad informandum perfectos et personas ecclesiasticas 284 37 — quantum ad modum dispensandi formam dedit perfectionis in Ecclesiae praelatis *ib.* 38 — et ipsis Apostolis ac ceteris paupertatem perfectam professis 285 39. sq.
— Loculi Christi non ad fomentum cupiditatis, sed ad exemplum pietatis et paupertatis trahendi sunt 285 40 — sic paupertatem tenuit, ut statum divitum non damnaret, sic divitibus conformem se reddidit, ut summae paupertatis formam perfecte servaret *ibid.*
— in suos usus nunquam pecuniam convertit 414 6 — Licet, ipso volente, loculi portati fuerint, non tamen videtur in eis aliquid iuris possessorii vindicasse 416 10
— Sicut Apostolos sine loculis et humana provisione misit, sic ipse per civitates circuivit 415 8 — in singularis perfectionis exemplum Apostolis loculos habere interdixit *ib.* 9 — ante passionem dispensavit cum Apostolis in hac lege *ib.* 10
— solvit didrachma de pecunia miraculose in ore piscis reperta 414 6
— locolorum custodiae illum deputavit discipulum, quem furem ac proditorem praesciebat 284 35 — ad mitigationem cupiditatis Iudae loculos commisit *ib.* 36 — hoc fecit ad deterrendum avaros *ibid.*
— ut pauperrimus **calceamentis** caruit et in cruce vestimentis 275 8 — nudis pedibus incessit 306 6 — discalceatus incessit 274 7. sqq. 386 1. sqq. 403 17 — Apostolos docuit sine calceamentis incedere 403 17 — Posito, quod ante trigesimum annum calceamenta habuerit, non tamen ea habuit, postquam eorum usum discipulis inhibuit 404 22 — post institutionem apostolicae regulae sine calceamentis ad litteram incessit 390 15 — non habuit quod non habendum docuit *ibid.* — Periculosum est asserere, aliter Christum, aliter Apostolos vixisse, et Apostolos aliud quam Christum habuisse perfectionis exemplar 390 15
— usus est vilissimis **vestibus** 405 24 — non se exhibuit purpuratum 406 24
— nunquam legitur aliquo laboris genere laborasse 420 3 — non laboravit stipendiarie, ne doctores non laborantes arguerentur *ibid.*
— est summus pontifex, ornatus rationali et superhumerali, dum sanctae paupertatis perfectionem verbo et exemplo docuit 293 19. 302 23 — non possedit iure sacerdotii bona et decimas levitarum 289 8
— Paupertas Christi **imitanda** a perfectis 276 14. 277 15
— factus est pro nobis pauper, abiectus et despectus 114 8 — non propter se, sed nostri causa paupertatem assumsit, ut perfectionem exemplo monstraret 275 9 — amore nostrae salutis effici voluit egenus et pauper 326 28 — in exemplum nostrum omnia mundana contempsit 442 17
— cupiditatis oppositum summo debuit affectu complecti, exemplo ostendere et verbo praedicare 272 2 — ad paupertatem evangelicam suo invitat exemplo *ib.* 3
— consulit perfectis omnia vendere 991 16 — consulit omnia temporalia relinquere, voluntatem propriam abnegare, omnem experientiam secundum actum generativae potentiae abscindere 245 5 — paupertatem penuriosam eis qui Apostolos cupiunt imitari, consulendo suasit 273 5
— invitat ad perfectam abdicationem possessionum, abnegationem voluntatum et ad fugam carnalium voluptatum 246 8 — non ad solatia carnis, sed ad supplicia crucis discipulos suos invitat 235 2 — nil docuit, per quod mundi divitias appetendas esse monstraret 285 40
— qua **castitate** floruerit 196 62. sq. — propter eximiam munditiam Agnus dicitur 181 2 — est omnium pulcherrimus et purissimus 164 4
— **fugit** mortem, ut opportunius et fructuosius pateretur, quod erat imperfectum in genere, sed perfectum ex circumstantia 238 9. 253 3 — credendus est fugisse non ex vehementia timoris, sed ex condescensione ad praebendum infirmis spei solatium 253 3. 4
— falso asseritur, Christum fugisse ex naturali timore mortis 254 10 — falso asseritur, fugiendo praebuisse exemplum infirmis infirmitate carnis 257 20 — Dicere, Christum fugisse ex timore naturali superante amorem, est ipsum blasphemare 255 12
— non fugit, ne persequentes gravius peccarent 256 18 — plures Iudaeos in se peccare permisit 257 18 — in solatium infirmorum fugit, ne desperent 416 11
— Asserens Christum ex humilitate se ad martyrii sustinentiam imperfectum

putasse per blasphemiam ponit in eo imperfectionem, aut ignorantiam 256 15

— **signis** mirificus elementa commutat, panes multiplicat, mare calcat, fluctus tranquillat, daemones compescit, languidos sanat, leprosos emundat, mortuos suscitat, caecis visum, surdis auditum, mutis eloquium, claudis gressum, paralyticis et aridis sensum restaurat et motum 73 11

— est **medicus** ab omni infirmitate curans 104 15 — significatur per Samaritanum 317 5

— Per Christum semper sunt parata patrocinia 16 10 — maxima benignitate invitat inimicos, hortatur reos, allicit ingratos 492 3 — Propter umbraculum approxima ad Christum 15 8

— Christi Redemptoris subsidium clamore implorandum 12 2 — Ad Christum peccatrix conscientia clamat more leprosi, centurionis, Chananaeae, sanguifluae et Mariae ac Marthae 73 11

— hospitio suscipiendus more Zachaei 74 13 — ungendus et osculandus more peccatricis *ibid.*

— A Christo desideranda sententia absolutionis 74 13 — A Christo speranda venia more latronis 78 27

— Christus interpellandus, ut misericorditer corrigat errantes 234 2

— fugit regnum ad dandum exemplum fugiendi gloriam, favorem et prosperitatem 297 11 — noluit fieri **rex** temporalis 297 10 — agnitus est rex a populo, odore famae eius resperso 74 15

— Christo tanquam regi Salomoni, Synagoga reverenter exhibuit honorem 74 15 — conscendens asellum inter applausus populorum praebuit humilitatis exemplum *ibid.* — inter laudantium voces humilitatis et pietatis non immemor, super aselli tergum sedere non erubuit et copiosos lacrymarum imbres effudit 297 10 — inter canticum laudis lamentum assumsit super excidium civitatis 74 15

— acceptavit honorem regalem ut verus rex Israel propter mysterium nostrae salutis et propter exemplum humilitatis ab iis, a quibus se crucifigendum sciebat 297 10

— mira bonitatis dulcedine cum pauperculis discipulis et proditore eadem mensa coenavit 75 16 — dedit mirum humilitatis exemplum, lavando pedes discipulorum *ibid.* — pedes Apostolorum tam spirituales quam corporales humiliter abluit 389 10 — ut magister et dominus discipulos inducere voluit ad imitationem ostensae humilitatis 297 10

— vice agni paschalis in **Eucharistia** ad edendum proponitur sub specie panis 75 16 — est panis habens omne delectamentum et saporem *ibid.* — in convivio Sacramenti mira dulcedine replet animam eum desiderantem *ibid.*

— praesentiae suae gratiam exhibet et sub forma Sacramenti nos se ipso spiritualiter pascit 149 6 — mira largitate discipulis et toti Ecclesiae corpus et sanguinem suum dedit in cibum et potum 75 16 — Corpus et sanguis Christi fuit sacrificium Deo placens, redemptionis pretium, nostrum viaticum et sustentamentum *ibid.*

— Christo pro sua sacramentali praesentia inter homines exhibenda est reverentia honoris et laudis 148 5 — Convivium finale inter omnia memorialia Christi praecipua recordatione dignissimum est 75 16

— infans natus, modico diversorio et praesepio contentus fuit; sed ad celebrationem paschalis convivii sibi parari coenaculum grande stratum quaesivit 343 a

— discipulos ante **passionem** dulci exhortatione confortavit in bono 75 16

— Iudas ipsum persecutus est 423 22 — mira mansuetudine proditoris osculum non renuit, ut pravi cordis pertinaciam emolliret 75 17 — Iudam a concepta malitia familiaritate convivii, humilitate obsequii et suavitate colloquii studuit revocare *ibid.* — Iudae omnia commiserat et eum ad culmen apostolici honoris provexerat *ibid.* — dolo proditus et vilis mercedis pretio venumdatus est 75 17

— praescivit passionem suam 75 18

— ante passionem oravit 75 18 — in oratione ante passionem infirmis et imperfectis condescendit 237 b — infirmis spiritu condescendens oravit 253 4

— dedit exemplum martyrii desiderandi 252 1

— expositus fuit fluctibus passionum 83 40 — instante mortis agone, horribilis in natura sensibili fuit imaginatio mortis 75 18 — **sudor** sanguineus non distillavit, sed guttatim decurrit 169 3 — Secunda sanguinis effusio invenitur in sudore sanguineo 184 1 — Hoc mysterium pie contemplandum est 183 2

— Ob diversas causas fuit haec vehemens anxietas 75 18 — voluntarium omnino sacrificium obtulit, sed oratione et sudore sanguineo expressit naturalem carnis infirmitatem et veram nostrae mortalitatis naturam *ibid.*

— tristatus est in passione ad condescendendum non tantum carne, sed etiam mente infirmis 237 a — Tristitia Salvatoris fuit ex infirmitate maxima cum pietate ad tempus suscepta *ibid.* — in formidine passionis suscepit personam infirmorum sive imperfectorum *ibid.*

— in passione trepidare, quamquam sit imperfectum, tamen in Christo condescendente nullam imperfectionem ponit 253 3

— a diversis traditus et percussus est 170 5 — Filius Dei traditus est pro nobis summa misericordia 13 4

— in exemplum fortium se sponte obtulit passioni 416 11 — prompto ad passionem spiritu quaerentibus se ultro occurrit 76 19

— Humana praesumtio nihil poterat adversus Christum, nisi quantum ipse permitteret 76 19 — omnipotentis virtutis suae verbo improbos satellites terrae allisit *ibid.*

— pietatis dulcedine aurem servi sanavit et invadentium laesionem prohibuit 76 19

— Comprehendentium Iesum furor pertinax nec maiestatis miraculo nec pietatis beneficio potuit refrenari 76 19

— Cultro timoris amputati sunt ab eo amici et proximi 161 4 — Nullum consolatorem habuit in suo dolore 167 4 — Amputata fuit ab ipso gloria cultro ignominiae, potentia cultro abiectionis, voluptas cultro doloris, divitiae cultro paupertatis 161 3

— innocens vinculis ligatus et tanquam agnus mansuetissimus ad instar latronis ad victimam ductus est 76 20 — Per haec vincula derogatum fuit eius libertati et potentiae 166 1

— Quibus vinculis ligatus fuerit 165 1 — Dura et immitia fuerunt haec vincula 166 1

— ligatus est, ut nos a miseriis faceret absolutos 166 1 — Prius in corde caritatis nexibus fuit constrictus *ibid.* — vinculis caritatis tractus est in terram ad suscipienda vincula passionis 168 5

— Vinciri debemus vinculis passionis Christi, ut etiam vinculis caritatis eius vinciri possimus 168 5 — Gratias agendum est vinculis Christi, quae nostra vincula tam potenter dirumpunt 166 1

— pontifex noster praesentatur concilio malignantium pontificum 76 22

— negatur a discipulo 76 21 — respexit praedilectum discipulum respectu miserationis et gratiae *ibid.*

— Hora prima ad pontifices et tyrannos ductus, in tertia accusatus et iudicatus est 408 6

— asserens, se esse Filium Dei, quasi pro blasphemia adiudicatus est morti et innumera perpessus opprobria 76 22

— Vultus Iesu venerabilis et caelos adimplens laetitia sputis inquinatur, sacrilegis manibus caeditur, velo in derisionem obtegitur 76 22 — vultu placidissimo et sermone submisso servum dantem alapam blande corripuit *ibid.*

— cum patientia admirabili et imitanda genas lacerandas praebuit 185 1 — Vellicatio genarum Christi dupliciter intelligi potest 184 1

— Christi anima impio iudici tanquam rabido cani deglutienda exponitur 77 23 — vinctus ante faciem Pilati perducitur, ut innocens crucifigeretur *ibid.* — quasi agnus ante iudicem mansuetus stabat, tacens ad accusationes *ibid.*

— auctor vitae petitur ad mortem, lupus praefertur agno, mors vitae, luci tenebrae 77 23

— Nulla in Christo invenitur vel modica causa mortis 77 24

— piissimus Rex crudelis Herodis iudicio subditur 77 24 — ab Herode ludibrio habetur et ad Pilatum remittitur *ibid.*

— non solum formam servi suscepit, ut subesset, sed etiam mali servi, ut vapularet 121 4 — crudeli mandato nudus in conspectu derisorum astare praecipitur, ut atrocissime flagellaretur 77 24

— sine causa flagellatus fuit 185 1 — Christi sanguis spargitur, nullo in eo reperto reatu 77 24

— Sanguis eius in flagellatione fuit tam copiose effusus, ut columna guttis illius aspersa adhuc rubra servet vestigia 166 2 — Flagellatio Christi crudelis et saeva fuit 185 1

— flagellatus est, ut nos flagellis aeternis liberaret 185 1 — His flagellis erudimur, ut flagella Dei discamus aequanimiter tolerare *ib.* 2

— Christi flagellatio deflenda a peccatore, quia est causa 77 24

— iniusto iudicio praeelegit condemnari propter peccatores a sententia iustae damnationis eripiendos 77 24 — magis elegit crucem et mortem quam temporaliter gloriari 80 31

— Milites eum in purpura quasi in veste insolita illuserunt 405 24

— Corona spinea in opprobrium et supplicium coronatus est 185 1 — Quae passus fuerit in coronae spineae impositione 166 3

— rex per coronam spineam demonstratur, in spinis vero coronantium malitia exprimitur 185 1

— significatur per regem Salomonem 166 3 — Qualis sit dies desponsationis Christi cum anima 167 3

— cruentatus est sanguine proprio primum sudore, dehinc flagellis et aculeis, post clavis et lancea copiose effuso 80 31 — habuit vestem pontificalem rubricatam sanguine, sicut Ioseph *ibid.* — a Iudaeorum invidia tanquam a fera pessima devoratus, et vestimentum eius cruore inquinatum est *ibid.* — sponte dimisit carnem sicut pallium in manu synagogae et in carcerem mortis descendit *ibid.* — vestes corporis sanguinis sui sanctissimi effusione purpuravit 167 3 — Purpuram corporis sui ter sanguinis torrente pertinxit *ibid.*

— illuditur a militibus 77 25 — indutus purpura et corona spinea imposita et arundine in manu, irridetur, conspuitur et percutitur arundine *ibid.* — servi despectissimi confusione repletur *ibid.* — est servus servorum diaboli factus 121 4 — quasi leprosus et novissimus virorum aestimatus est, ut nos ab aeterna confusione eriperet et a superbiae peste sanaret 77 25

— spretus praeclarum est humilitatis speculum 77 25 — tanto amplius ab hominibus omni honorificentia dignus est, quanto magis indigna sustinuit *ibid.*

— totus in aquas passionis demergitur, ut nos de illis passionibus extraheret 78 26 — Coronatus spinis, crucis onus portare iubetur *ibid.* — post irrisionem vestibus suis indutus, baiulans crucem ducitur ad Calvariam 77 26

— exutus et super lignum crucis dire proiectus et extensus, clavis cruci affixus et durissime sauciatus est 78 26 — in loco supplicii nudatus carnis livoribus quasi leprosus videbatur *ibid.* — post plurimas illusiones tam Iudaeorum quam gentium, post sanguinis plurimas effusiones clavis simul in manibus et pedibus ligno crucis configitur 186 1

— Quae passus fuerit in clavorum transfixione 186 1 — In tantum in cruce distentus fuit, ut numerari possent omnia membra eius 172 2 — clavis transfossus propter nos sanandos concisus est vulnere super vulnus 78 26

— Ad confusionis et doloris augmentum extra portam in loco punitionis sceleratorum, in die solemni, hora meridiana, in medio latronum super crucem quasi ad spectaculum elevatur 78 26

— Vestes eius dantur in praedam et dividuntur in partes 78 26 — Eius tunica inconsutilis non fuit de serico vel purpura 405 24

— **Septem verba** Christi sunt quasi septem folia semper virentia 172 1. sqq. — in cruce nobis cithara factus est *ibid.* — Verba Christi refrigerium nobis praestant ab aestu vitiorum 190 29

— Passiones carnis et animae Christi a Matre cognitae 77 28 — Christi anima erat omnis amaritudinis felle repleta, spiritu fremens, pavens et taedens, agonizans, anxiata, turbata, omni tristitia et dolore moestissima *ibid.* — tristis fuit propter passionis corporeae vivacissimum sensum, propter divini honoris per peccatum subtracti ferventissimum zelum, propter effusum in miseros miserationis affectum, propter compassionem ad Matrem *ibid.*

— piis oculis Matrem conspexit et blandis allocutus est sermonibus 79 28 — Affectus ad Matrem suam in vita et morte 174 1 — Matrem suam, ne moriendo deficeret, confortavit intrinsecus et extrinsecus 175 2 — commendando Matrem Ioanni mutuae caritatis affectum commendat 191 38

— Verbum quartum Christi est ex persona hominis assumti 176 2 — ut caput nostrum clamavit se derelictum pro toto corpore *ibid.* — in cruce clamavit, ut fortius audiretur 175 1

— Aceto et fellis potatione totius amarissimae passionis consummata est plenitudo 78 28 — Singulis membris passionibus affectis, os et lingua potu fellis amaritudine replentur *ibid.* — tantum gustavit vinum myrrhatum 176 1 — per gustum aceti et fellis invenit remedium pro peccatis gustus 78 28

— verbo *Sitio* commendavit immensitatem caritatis suae 177 2 — Cur ante passionem calicem omnino auferri petierit et post passionem adhuc dixerit: Sitio *ibid.*, sq.

— Quia perfectum et consummatum fuit testimonium Scripturae, clamavit: Consummatum est 178 1

— in cruce irridetur ab hostibus et ab altero latronum 78 26 — pro crucifigentibus et irridentibus pietatis dulcedine interpellat ad Patrem *ib.* 27 — oravit non solum pro amicis, sed etiam pro occisoribus suis 173 2 — in omnibus pressuris suis nec semel os suum aperuit adversus inimicos, sed novae benedictionis verbum super eos effudit 78 27 — latroni confitenti ac supplicanti liberalissima caritate repromisit paradisum *ibid.*

— cur orando pro persecutoribus nomine Patris usus sit 173 3 — se a Patre semper audiri sciebat *ibid.* — Hasta orationum suarum non est aversa 170 6 — Christo Pater nihil negare potest 104 15

— est imitandus orando pro persecutoribus 173 2

— animam suam Patri commendavit, ut nos erudiret 179 1

— Conveniens fuit, Christum in cruce elevari 172 2 — non elevatus est in cruce, ut se difficilem praeberet accedere ad ipsum volentibus, sed ut omnibus paratior inveniretur 187 1 — in cruce elevatus animas ad se invitat *ibid.* — maxima caritate in cruce affixus, invitat peccatorem ad conversionem 41 39 — cum magna longanimitate exspectat peccatorum reversionem *ibid.* — quadruplici ratione movet peccatorem ad revertendum *ib.* 38. sq. — Quid indicent brachia Christi in cruce extensa 187 1

— in amarissima passione patientiam sustinuit, sed et magnitudinem doloris ostendit 175 1

— cum trium horarum spatio pependisset in cruce, omnibus consummatis, fons ipse vitae hora nona siccatur 79 29 — formosus, caligantibus oculis et pallentibus genis, pro filiis hominum deformis apparuit *ibid.* — cum clamore valido et lacrymis ad miserationis manifestandum affectum et Divinitatis declarandam potentiam, exspirat *ibid.* — Mors corporalis accessit ad Iesum et vicit ad tempus, ut vinceretur in aeternum 163 2

— Septima effusio sanguinis fuit in lateris apertura 187 2 — Christi latus lancea perfossum est, ut sanguine cum aqua manante, pretium effunderetur nostrae salutis 79 30 — Latus Christi perfossum est habitaculum columbinum *ibid.* — In hoc vulnere habitandum sicut columba, passer et turtur *ibid.* — Ad eum accedere et in corde suo habitare debemus 164 4

— Sanguis a latere Christi hauriendus 79 30 — Hic sanguis est fons in corda devota diffusus, fecundans et irrigans universam terram 80 30 — In sanguine Christi est copiosa redemptio *ib.* 31 — Saluberrimus sanguis Christi liberat de peccatis contractis 181 4 — Christi sanguine durities cordis emollienda est 180 2 — Septem sunt effusiones sanguinis Christi 183 1. sqq. *Vide v. Sanguis.*

— De latere aperto Christi dormientis in cruce formata est Ecclesia 79 30

— Signa in morte Christi 79 29 — Transitum Christi caelum luget et terra *ibid.*

— hora sexta crucifixus et hora nona mortuus est 409 6 — sexta feria voluit crucifigi *ib.* 8 — natus est in nocte ex Maria Virgine, mane iudici passurus sistitur, diluculo resurrexit, hora tertia flagellatur et postea Spiritum S. misit, sexta crucifixus, nona in cruce pro nobis mortuus, vespere coenans corporis et sanguinis sui Sacramenta tradidit et Completorio sepultus est 149 6

— Passio Christi ignominiosissima, acerbissima, generalissima, diuturnissima 120 3 — Acerbissimam passionem sustinuit, ut nos ad amorem accenderet 122 9 — mortem omni morte confusibiliorem elegit, ne nos similia pati formidaremus 121 4 — non parcit sibi qui suis parcere novit 186 1

— Passio crucis erat multo fortius et ferocius ceteris poenis 167 4 — Crux fuit ipsi lectus immitis mortis 172 3 — Sacrilegi agricolae occiderunt Christum non subito, sed longo crucis tormento confectum et multis vulneribus flagellorum et clavorum cruciatum 170 5

— quanta passus sit in tota vita 169 2 — in ultima nocte *ib.* 3 — in crucifixione *ib.* 4 — diversimode percussus est 170 5 — Mira est passio talis ac tanti patientis *ib.* 6

— Eius corpus in passione fuit trituratum, molatum et pistatum, decoctum et assum igne divini amoris in camino et ara crucis 100 2

— passus est innocentissimus, mitissimus, nobilissimus et amantissimus 12 3 — Passione Christi immensa potestas annihilatur, speciositas decoloratur, felicitas tormentatur, aeternitas moritur 13 3

— In dedecore extrinseco decorem simul et decus retinebat intrinsecus 171 7 — De deformitate Redemptoris nostri manavit pretium decoris nostri *ibid.*

— passus est vincula ut impotens omnipotentia, convitia ut vilis bonitas, ludibria ut stultus sapientia, supplicia ut iniquus iustitia 13 3

— passus est libentissime respectu proximi, severissime respectu sui, obedientissime respectu Dei, prudentissime respectu adversarii 13 3

— habuit confidentiam in periculo passionis, exhibuit patientiam in illatis iniuriis et contumeliis, constantiam servavit in ipso cruciatu et dolore crucis, victoriam assecutus est in conflictu et transitu mortis 69 4

— **Causa** mortis Christi fuit necessitas nostrae redemptionis 102 10 — toleravit mortem propter iustitiam et obedientiam divinam 124 9 — pro omnibus ex amore se obtulit ad mortem pro nostrae mortis redemptione 102 10

— mori minime tenebatur 394 4 — peccato nihil debebat, immo peccata tollere advenerat 179 1 — crucifixus est propter genus humanum 13 4 — pro nobis in cruce cor suum obtulit Patri 474 a — se dedit pro nobis in pretium 189 3

— vita nostra moritur non pro necessitatibus suis, sed nostris 167 4 — non pro se, sed pro nobis doluit et vulneratus est 160 1 — mortem non pro suis, sed nostris peccatis sustinuit 122 7 — pro nobis absque meritis, immo cum multis nostris demeritis mortuus est 123 9

— serviens pessimis infima peccata peccatorum expurgavit 121 4 — nostras tollere venerat infirmitates 184 2 — necesse fuit, Christum pati egestatem, vilitatem, ignominiam, calamitatem et miseriam propter peccati satisfactionem 13 4

— pro salute animarum sanguinem suum fudit 472 a — potius voluit mortem crucis subire, quam permitteret, animas perire 381 20 — Christi redemptoris ignita dilectio 477 4 — mirabilis caritatis fuit erga nos 40 33. 501 9 — Christi caritas commendatur 183 2 — Christi caritas inaestimabilis fuit 182 1 — Quare tantam caritatem nobis exhibuerit 146 17 — gallinae se comparavit ad exprimendum incomparabilem affectum caritatis 190 21

— ex caritate nimia voluit crucifigi 542 2 — Maximam caritatem in passione nobis exhibuit 186 1 — quanta et quali benignitate pro nobis passus sit 123 9 — Ardor eius caritatis in rubore sanguinis effusi refulsit 187 1

— est leone fortior et aquila velocior 170 6 — nullis adversantium hostium tentamentis potuit a nostrae salutis cura revocari 40 34 — Quo magis nobis ostenditur eius dilectionis aemulatio, eo gravior nos sequitur, si hanc spernimus, damnatio *ibid.*

— factus est holocaustum suavissimi odoris, ut Patri reconciliaremur 79 29 — se offert hostiam, quam Pater respiciens placatur *ibid.* — est viva et rationabilis hostia absque peccato 102 10 — dicitur haedus, quia naturam gestabat plenam in nobis immunditiis peccatorum 181 2 — in ara crucis est verissimum, gratissimum et saluberrimum holocaustum 220 146

— pro nobis obtulit se in cruce in terra, apparet vultui Dei Patris in caelo in gloria, offertur in Sacramento a matre Ecclesia 8 3

— Christi sacrificium est unicum 102 10 — unam hostiam sui corporis moriens reliquit quotidie pro residuis delictorum offerendam *ibid.* — Christi mors et passio repraesentatur in s. Missa 103 10 — Christi mors memoranda in s. Missa 105 19

— redemit nos per proprium sanguinem 15 9 — passionem sustinuit in proprio corpore, quod assumsit de Virgine 176 2

— Retinere debemus formam humanitatis Christi nobis impressae in nostra recreatione 189 3. sq.

— Cur per Deum et non per simplicem hominem vel aliam creaturam redempti simus 225 165. sq. — Deum et hominem nobilissimum oportuit satisfacere pro arrogantia peccati per vilitatem, pro cupiditate per paupertatem, pro lascivia per acerbitatem 14 4

— **Fructus** praecipuus passionis Christi est redemptio 224 160. sqq. — Triplex est beneficium redemptionis 39 30. sqq. — Multus fructus incomparabilem praecisionem Christi subsecutus est 161 4

— uno usu perfecto virtutis infernum spoliavit, caelum aperuit, terram restauravit 14 4 — cruce totum mundum simul et infernum subiugavit 183 2 — Deus in passione Christi summa sapientia decepit diabolum 14 3

— patitur pro nostra redemptione, illuminatione, sanctificatione, glorificatione 13 3 — Christi mors satisfecit pro omnibus peccatis factis et fiendis 102 10 — destruxit inimicitias amicitiasque reformavit inter Deum et hominem 166 3 — Christi mors vivificat mortuos 79 29

— mortuus pro omnibus dat fiduciam spei 8 3 — Per Christum crucifixum habetur fiducia spei 11 12

— Per passionem Christi septem signacula clausa aperta sunt 13 3

— Circa passionem Christi credendum, condolendum, admirandum, regratiandum, assimilandum, amplexandum, contemplandum 15 8 — Christo compatiendum 12 3. 77 22 — Christo compatiendum ut capiti nostro 168 5 — Christo solvenda devotionis gratitudo et compassionis affectus 77 24 — Per compassionis affectum debemus Christo coniungi 12 3 — Fletus et instrumenta passionis eius nos saltem ad lacrymas emollire debent 180 1

— est lignum vitae, cuius fructus sunt sapores vivifici 86 49 — Lignum vitae ad considerandam passionem Christi collectum est ex Evangelio tanquam myrrhae fasciculus 68 2 — In Evangelio diffuse tractatur de vita, passione et glorificatione Christi *ibid.*

— est fructus, qui de virginali utero traxit originem et in ligno crucis ad maturitatem saporosam pervenit 69 3 — est fructus unus et indivisus, tamen multiformis secundum eius multiplices status, dignitates, virtutes et opera *ib.* 4

— est fructus degustandus in paradiso caelesti 69 3 — secundum duodecim status, dignitates, virtutes et opera consideratus est fructus quasi sub duodecim saporibus degustandus *ib.* 4 — Mysteria Christi sunt fructus suavitate delectantes et virtuositate confortantes animam meditantem *ib.* 5 — De Christo **meditandum** praeferendo rationi fidem, investigationi devotionem, curiositati simplicitatem, carnali sensui crucem Christi *ibid.* — est liber vitae scriptus intus et foris 188 2

— pro nobis passus est paradisus animae 187 1. 188 2 — Quomodo hunc paradisum introire possimus *ibid.*

— Singula, quae de Iesu dicuntur, diligentius discute, attente considera et morose pertracta 70 b — Crucifixus attente et pie contemplandus est 39 33. 40 34. 41 39 — pendens in cruce considerandus 79 29 — in cruce pie contemplandus est 172 3 — Attente contemplari debemus voluntariam Christi deformationem exteriorem cum decore interiore 171 7 — Christi crucifixi passio, labor, dolor et amor consideranda memoria, intellectu et affectu 68 1 — Ad Christum egrediendum est per admirationis aspectum, attendendo, quod immensus est potestate, speciositate, felicitate, aeternitate 13 3

— Ad rememorationem piaculi mortis Christi cor humanum terrore concutiendum 79 29 — Quomodo Christi passiones contemplandae sint 188 2 — Alis fidei et spei

anima elevatur ad contemplandam passionem et caritatem Christi 187 1. sqq. — Considerans causam passionis Christi, te ipsum obliviscere per devotionis excessum 13 3 — Christi angustiae memorandae in amaritudine viae purgativae 15 9 — Gradus illuminationis in consideratione passionis Christi *ib.* 8

— Solum in Christi passionibus laetandum est animae 493 b — Christi passio grata memoria recolenda est 122 7

— Plurima sunt eius praecipua beneficia erga hominem 118 3 — est semper benedicendus et magnificandus pro beneficiis suis 40 35 — Beneficia Christi semper certis horis recolere debemus 149 6

— Triplex vae profertur contra ingratos pro Christi passione 123 10 — Christi passio accusabit peccatores in iudicio finali 53 5

— Multiplex est utilitas contemplationis passionis Christi 120 1. 123 11 — Triplex est fructus memoriae passionis Christi 222 154. sq. — Memoria passionis Christi nutrit et conservat devotionem 120 1 — Consideratione passionis Christi formamur ad fidem, erigimur ad spem in tribulationibus et stimulamur ad amorem 75 18

— Considerans Christum crucifixum desiderat totus mente et carne transfodi et cruci affigi cum dilecto 78 26 — Memoria passionis Christi deflendum peccatum, ut flentem respiciat velut Petrum 76 21

— Meditatione passionis Christi exercitus daemonum effugatur 483 1 — Daemoni resistendum est recurrendo ad Christum 486 1. sqq. — Debemus respicere in faciem Crucifixi, si volumus a daemonum suggestionibus liberari 223 159 — Passio Redemptoris est armatura et medicina efficax 486 2 — In tentatione Christus crucifixus ante oculos ponendus *ib.* 3 — Unicum remedium contra tentationes invenitur in solo Christo 199 75 — Recordatio passionis Christi omnia aspera facit levia 483 3 — doloribus suis nostros dolores consolari et suis vulneribus eisdem mederi voluit 160 1

— in sanguine suo vinctos eduxit e limbo 81 33 — In descensu Christi ad limbum diu exspectata novae lucis claritas radiavit *ibid.* — Divinitatis potentia ut Leo fortissimus a forti armato praedam diripuit *ibid.* — diabolo abstulit quod videbatur habere in corpore *ibid.* — verus Samson moriens hostilem prostravit exercitum *ibid.* — Corpus Christi depositum de cruce, conditum aromatibus, involutum sindone, in monumento novo cum omni reverentia sepelitur 80 82 — Christum crucifixum et mortuum considerans eundem compassionis affectum percipit, quem Maria et Magdalena senserunt *ibid.*

— tertio die quietis in sepulcro et primo hebdomadis, mortis prostrato auctore, etiam ipsam mortem devicit, dum **resurgendo** se a mortuis divina potentia suscitavit 81 34 — suscitatus aeternitatis aditum nobis aperuit et notas fecit vias vitae *ibid.* — In resurrectione factus est terraemotus, et Angelus descendit de caelo *ibid.* — resurgens primum apparuit mulieribus devotis *ibid.* — multiformiter apparuit discipulis *ibid.*

— Resurrectionis novitas miris dotibus adornatur 69 4 — est flos pulcherrimus, qui in incarnatione floruit, in passione defloruit, in resurrectione refloruit 81 35 — eductus ad imperium Dei caeli de carcere mortis et inferorum, commutavit vestem carnis in immortalitatis decorem 82 36 — Christi corpus gloriosissimum subtile, agile, immortale et claritatis supervestitum gloria est exemplar suscitandorum corporum humanorum 81 35

— post resurrectionem argumentis nos illuminavit ad fidem, promissis erexit ad spem, donis caelitus datis accendit ad amorem 81 34

— quadragesimo die post resurrectionem coram discipulis **ascendit** in caelum 82 37 — ascendens exsules introduxit in regnum *ibid.* — introducens iustos in regnum Patris, se triumphatorem ostendit et Dominum exercituum *ibid.* — Tanquam verus Moyses de aquis mortalitatis assumtus, Pharaonis subnervavit imperium *ib.* 36 — psallentibus Angelis et exsultantibus Sanctis, ascendit super caelos 82 38 — sedet ad dexteram Patris super Angelos exaltatus *ibid.* — iugiter interpellat pro nobis ut Pontifex, Patri vulnerum cicatrices ostendens *ibid.* — est fidelis advocatus coram Patre *ibid.* — Ascensio Christi est causa specialis gaudii 227 172

— sublimatus honore ab omnibus adorandus 82 36 — Christo a Patre collata est omnis potestas 81 36

— est christianae **religionis institutor** 430 10 — et fundamentum 272 1 — fundamentum in nostro intellectu collocatur per fidem, in affectu per caritatem *ibid.* — est novae civitatis Ierusalem fundamentum et fundator *ib.* 2

— est unus Pontifex praesidens in Ecclesia tanquam summus hierarcha 83 40 — est summus princeps pastorum 146 17 — primo solus vocavit et informavit discipulos, secundo per alios Ecclesiam dilatavit 430 10 — ascensurus in caelum, Ecclesiam Apostolis regendam et dilatandam commendavit 375 2 — potestate suprema misit discipulos 81 36

— commendavit unitatem et caritatem, quam ad Ecclesiam, suam sponsam, habuit 176 2 — Sponsus Ecclesiae tanto copulatur foedere, ut sit unus spiritus 84 44 — in cruce nuptias suas celebravit 175 2 — Valde munificus fuit in his nuptiis *ibid.* — Opera Christi non deficiunt, sed proficiunt 336 13

— quinquagesimo die a resurrectione misit **Spiritum S.** 82 39

— est originale principium **gratiae** 243 12 — est uberrimus fons gratiarum 85 48 — tribuit gratiam et peccata dimittit per Sacramenta 83 40 — septem instituit Sacramenta *ibid.*

— est torrens refocillans arentia corda 85 47 — est fons et origo omnium bonorum *ib.* 48. 272 2 — In Christo anima invenit omnia bona 492 4

— est creator in naturalis vitae formatione, redemptor in spiritualis vitae reformatione, remunerator in aeternae vitae collatione 94 4 — est libertas captivorum, gloria Angelorum, vita hominum 121 4 — est humani generis Recreator 267 4 — vere dictus est Iesus, quia in eius nomine obtinetur salus 85 48 — ut verus Salvator ubique dominari cognoscitur, cum in virtute nominis eius fiant signa 84 36

— est redemptor perditorum, salvator redemptorum, spes exsulum, laborantium fortitudo, anxiatorum solatium 85 48 — ut verus Salomon requiescit in mente, in qua est pax per tranquillitatem dilectionis 10 11 — est verus Iosue 393 1

— est triumphantium corona, merces et laetitia Beatorum 85 48 — est summum bonum 126 6 — est ipse fons totius boni in caelo, a quo fluit omnis gloria Sanctorum 375 3 — est fons vitae et luminis 85 47 — Ex hoc fonte procedit fluvius olei laetitiae et torrens laetabundae ebrietatis *ibid.*

— Per Christum omnia dona descendunt in affluentia 85 47 — Eius candidissima humanitas et excellentissima Divinitas praebent Beatis fercula nobilissima 59 11. 66 27 — Visio claritatis Christi interius et exterius beatificat 81 35 — est pincerna summi Regis 59 12

— est ipse sol iustitiae 81 35 — est verus sol iustitiae 79 29 — est decor praecipuus 81 35 — vestietur omni pulcritudine electorum 84 44

— est testis veritatis in iudicio 83 41 — iudex universorum reprobis iratus videbitur *ib.* 42 — vincet omnes inimicos suos 84 43 — Quis et qualis sit dies Christi 178 2 — est rex regum, cuius potestas et regnum est aeternum 84 45 — est rex pacificus *ibid.*

— Per Christum ut Verbum carni unitum omnia reparantur, promoventur et finiuntur 85 48 — est finis, in quo obtinetur salus *ibid.* — desiderandus ut finis omnium et in eum per fidem, spem et amorem tendendum *ibid.* — solus sufficit, solus salvat *ibid.* — solus bonus et suavis est requirentibus et diligentibus *ibid.*

— Tota vita Christi **exemplum** fuit et martyrium 169 2 — semper exemplo suo nos erudivit 141 2 — est magister omnium 244 2 — est universorum magister et dominus 298 12 — est magister perfectionis 239 11. 245 5. 294 1 — est magister perfectionis omnimodae et supportator infirmitatis nostrae 259 5 — est universae perfectionis exemplar 420 3 — est totius nostrae salutis exemplar et originale principium 242 13 — est exemplar omnimodae perfectionis 236 5. 242 12 — est perfectae virtutis exemplar et finis 247 10 — est omnis virtutis exemplar 266 2

— est totius perfectionis splendor, speculum et exemplar 246 8 — est speculum, in quo et a quo omnis sanctitas et sapientia

refulget 243 12 — est omnis perfectionis splendor et speculum 285 40 — exemplum est irreprehensibile 113 2 — perfectionis arcanum exemplo monstravit in se ipso tanquam in monte sublimi et Apostolos docuit 246 8 — Nihil magis informat ad salutem quam exemplum Christi 123 9

— maiorem docuit perfectionem, quam fuit in Lege 287 3 — informavit ad vitam perfectam paupertatem servando, virginitatem custodiendo, Deo et hominibus se subiiciendo, noctibus vigilando, pro crucifixoribus exorando et morti se etiam pro inimicis offerendo 243 13 — attrahit ad iustam et piam et condescensivam proximorum supportationem 246 8

— aliquando dedit exemplum asperae correctionis 431 2 — Petrum carnali sensu ductum et Pharisaeos durissime increpavit *ibid.*

— intuendus et iugiter comitandus pietatis operibus et virtutibus 74 15 — Christi exempla imitanda 288 6 — Vestigia Christi sequenda 86 49 — Exemplum Christi imitandum ex amore 494 a — perfecte sectandus 74 13 — Christum sequi requiritur ad perfectionem 242 10. 276 13 — imitandus a perfectis 236 4 — Imitari Christum in actibus informantibus ad vitam perfectam est perfectum 243 13 — in quinque virtutibus imitandus est 499 3. 500 4. sqq.

— in cruce ad poenitentiam et sui imitationem invitat 188 1, 3 — Imitanda est Christi perseverantia in passione 178 2 — in passione imitandus 13 3 — Christi patientis vestigia sequenda 78 27 — Verus Dei cultor Christo pro se crucifixo perfecte configurari desiderat 68 1 — Deformari debemus cum deformato Iesu, ut reformemur interius 171 7 — primo in se pro nobis, nunc nobiscum in nobis pati dignatur 176 2 — Crucifixum non est possibile homini sic perfecte sectari, quin aliquas contrahat sordes 518 8

— Christi sectator debet contemnere laudis praeconium, iactantiae comprimere fastum et simulationis mendacium confutare 520 2

— Christum debemus induere per assimilationis studium 13 3 — Infidelibus molesta est conformitas ad Christum 326 28 — vere credentibus solatium est configurari Christo *ibid.* — Solus Christi odor sic mentes inebriat Sanctorum, ut totis viribus currant post ipsum 161 3 — Configuratio ad Christum optatur a perfecte amantibus 252 2 — Configuratio ad Christum attenditur secundum assimilationem in passione et morte 253 2 — Ad hanc assimilationem inflammat caritas *ibid.* — Condescensio benignitatis configurat ad Christum 325 28

— Conformitas viatoris ad Christum est perfectio evangelica 245 4 — Discordare a Christi operibus potest esse veniale, vel nullum peccatum 240 3 — Nullus tenetur conformari Christo secundum possibilitatem conditionis humanae *ibid.* — Velle Dominum sequi in aliquibus est magna praesumtio *ibid.* — Non possumus Christum in omnibus sequi *ibid.*

— in Christi sermonibus recte distinguendum est explicando et interpretando 240 5 — Actus Christi sunt multiformes et in comparatione ad Christi personam perfecti, tamen secundum naturam proprii generis quidam sunt excellentes, quidam mediocres, quidam condescensivi 242 10 — A Christo refulgent quidam actus respicientes sublimitatem potentiae, quidam sapientiae lucem, quidam severitatem iudicii, quidam officii dignitatem, quidam condescensionem miseriae, quidam informationem vitae perfectae 243 13

— Imitari Christum in actibus excellentiae est impium sine privilegii specialis dono, in actibus severitatis et dignitatis est praesidentium et praelatorum, in actibus condescensionis, quantum ad actum extrinsecum, est imperfectorum 243 13 — Summa perfectionis non consistit in universali imitatione Christi, sed tantum illorum actuum, qui vitae perfectae informationem respiciunt *ibid.*

— Omne opus Christi operans est perfectissimum, quia est actus perfectissimae caritatis, voluntatis et virtutis 238 10 — Opus vero eius exterius in se consideratum aliquando fuit perfectum de genere actus, aliquando imperfectum, sed relatum ad suam caritatem, personam, rationem et causam operandi perfectissimum *ibid.* — Qui Christum imperfectum dicit in Deum blasphemat 256 15 — Christi perfecta sunt omnia opera ad ipsum relata 239 11 — est supra omnem hominem quantumcumque perfectum *ibid.*

— sua eloquia et exempla pro illis qui ea capiebant, proponebat 241 8 — consilia evangelica consulit ad perfectionem nitentibus 247 12 — proposuit aliqua imitanda perfectis 267 4 — Quaedam opera Christi proponuntur imitanda perfectis, non imperfectis 241 8 — non omnibus omnia revelavit sine invidia *ibid.* — nullis semitam perfectionis praecludit invidia, sed gradum statuit competentem his qui ad perfectionem satagunt provehi, non his qui volunt in imperfectione versari 267 4

— diversa largitur charismatum dona, diversa revelat mysteriorum arcana, diversa dat graduum et praelationum officia, diversa praebet virtutum exempla, uni imitandum unum, alteri alterum, non solum absque invidia, sed etiam ex multa caritatis benevolentia 267 4 — in quantum Verbum incarnatum exemplar est omnium gratiarum, virtutum et meritorum, ad cuius imitationem erigendum est tabernaculum Ecclesiae 243 12

— Ab ipso tanquam ab originali principio gratiae et speculo sanctitatis et sapientiae diversi status, gradus et ordines exemplariter derivantur 243 12 — Multimoda Christi perfectio in diversis statibus Ecclesiae reperitur secundum plus et minus *ibid.* — In exemplis ac verbis Christi potest esse gradus et distinctio, et quaedam fecit opera tantum imitanda a perfectis 241 8 — Christi actus non omnes propositi sunt ad imitandum perfectis 242 10. sq. — dedit exemplum imperfectis, suscipiens infirmitates, quae respiciunt naturam lapsam nec habent foeditatem annexam 241 9 — fecit quaedam imitanda imperfectis secundum naturam assumtam 267 5

— aliqua fecit opera, infirmorum suscipiens personam et ad nostra condescendendo imperfecta 239 11 — Nullus tanta caritate ascendit ad opera perfecta, quanta Christus descendit ad nostra infirma *ibid.* — ex caritate condescendit ad nostros defectus suscipiendos 238 10 — aliqua egit non in summae perfectionis ostensionem, sed in imperfectorum condescensionem, cuius contrarium aliquando perfectis facere licet 236 5

— Excludere a Christo opera condescensionis est fontis misericordiae venas salutisque vias praecludere et eius clementiam blasphemare 236 5 — Quidam Christi condescensivam ignorantes iustitiam et inflexibilem ei attribuentes perfectionis rigorem verae iustitiae contrarii sunt 239 11 — condescendens infirmis exemplum praebuit absque detrimento perfectionis 266 30 — infirmis et imperfectis ex sublimitate caritatis condescendit 238 10

— summa caritate ad actus nostrae imbecillitati conformes deprimitur, sed a perfectionis rectitudine non curvatur 239 10 — perfectius egit condescendens imperfectis, quam alii facientes perfecta 259 6

Cibus — Non est vita corpori absque incorporatione cibi convenientis 103 13 — Corpus per cibum vigoratur, impinguatur, calefit, vivificatur *ib.* 12 — corporalis transit in substantiam et nutrimentum comedentis 104 13

— bonus non est delectabilis sine condimento salis 142 2

— Per cibum prostravit nos diabolus in paradiso 444 25

— simplex et naturalis homini datus ab initio 258 1 — Usus ciborum licitus et illicitus 259 7. sqq. — non contemnendi ut creatura Dei 260 11. 261 13 — Cibis delicatis pro loco et tempore uti possumus absque peccato 259 7. 262 16 — non est in culpa, sed gula 259 7. 262 16 — non sunt immundi causaliter vel formaliter, sed tantum occasionaliter 261 14

— Quaerere cibaria saporosa est concupiscentia voluptatis 4 5

— Cibaria magis provocantia ad gulam quam ad sustentationem sunt devitanda 482 2 — Parcitati ciborum studendum 453 b — viles valent ad custodiendam paupertatem 260 9

— In cibis discernendis reprobatur Pharisaeorum superstitio 261 13 — a Christianis non sunt discernendi more Iudaeorum 265 28 — Discernere inter cibaria delicata et aspera, pretiosa et vilia non est superstitionis, sed consonat religioni christianae 261 13 — Discretio ciborum non respicit religionem christianae fidei, sed disciplinam regularem *ibid.*

— Licentiam comedendi de omnibus cibis Evangelium concedit ob praedicationis ministerium 411 15 — Non est modus curandi animas delicatioribus uti cibariis *ibid.*

Cilicinus — Prophetae usi sunt sacco cilicino 405 24

Cingulum — funiculus est 400 11

Circumfossio — vitis caelestis fraus insidiantium intelligitur 162 1

Circumspectio — sui triplex est 145 15. 146 16. sqq.

— sui est semita perveniendi ad humilitatem 111 5 — Circumspectione sui exacuendus est stimulus conscientiae 4 3. 5 7 — Homo debet circumspicere diem mortis, sanguinem crucis et faciem iudicis 5 7 — Circumspectione ubique circumvolandum est, videndo, quid et qualiter sit agendum 150 15 — Quomodo ad eam perveniatur 111 5 *Vide v. Discretio.*

Circumstantiae — debitae et laudabiles servandae in bonis 237 7 — Defectus circumstantiae depravat bona *ibid.*

Cisternae — castrum 560 2

Cithara — Christus nobis in cruce cithara factus est 172 1

Civilitas — mundana, quale ius tribuat 309 15

Civitas — caelestis splendida 59 10

Clamor — per confidentiam debet esse in commiseratione respectu proximi 16 10 — debet esse in imploratione subsidii 12 2 — Clamore implorandum subsidium propter remedium 15 8

Clara — erat prima virginum per S. Franciscum ad coelibatum conversarum 514 6 — filia fuit Francisci pauperculi et mater Pauperum Dominarum *ibid.* — per Franciscum a Spiritu S. edocta est 474 a

— cum virginibus suis inclusa morabatur ad ecclesiam S. Damiani 548 5 — fuit exemplar humilitatis 112 7 — tanquam flos vernans odorem dedit et tanquam stella radiavit 514 6 — glorificata in caelis ab Ecclesia digne veneratur *ibid.* — superno ei revelante Spiritu, cognovit, beneplaciti esse divini, quod Franciscus ad praedicandum exiret 539 2 — vidit cum ceteris Sororibus post mortem S. Francisci eius stigmata 544 8

— **Moniales** S. Clarae clausae manent sub uniformi conversatione 369 b — prae ceteris mulieribus ab humanis colloquiis excluduntur 435 3 — non recipiunt personam propter pecuniam, licet aliquando recipiant pecuniam cum personis 369 b. 370 a — sunt paupertatis evangelicae imitatrices 114 7 — Cur Fratres Minores curam earum habeant 369 b — Officia ab Ordine ipsis exhibita sunt gratuita, non debita 472 b — Ordinatio ipsas concernens 467 b — Ordinationes quoad officia in earum Monasteriis celebranda 471 b — Quibus et qua de causa liceat earum Monasterium ingredi *ibid.* — Instrumentum, quod ab ipsis postulavit S. Bonaventura quoad officia ab Ordine exbibita 472 b

Claustrum — Multi superbi sunt in claustro, qui certe non nisi humiles fuissent in mundo 112 7 — Claustralibus pax est summe necessaria 115 1 — Imperfectis necessaria est distinctio exterior officinarum claustralium 341 b

Clavis — *vide v. Discretio* et *v. Scientia.*

Clavus — De transfixione clavorum 186 1 — in manibus et pedibus Christi pie contemplandi 188 2 — Per incudes clavorum cor scindi debet ad effundendas lacrymas 180 1 — Tres clavi ferrei ter percussi validiores sunt ad aquam eliciendam quam percussio virgae Moysi geminata *ib.* 2

Clemens — Papa quartus per S. Bonaventuram tres abusus cavendos monet 470 2

Clementia — appropriatur Spiritui sancto 28 1 — consolatur *ibid.* — quomodo peccatori exhibenda sit 144 8

Clerici — sine titulis non debent ordinari 328 34 — sustinendi bonis ecclesiasticis 284 38 — Clericis nisi studii causa turpe est mendicare 328 34

— De congruentia status clericalis, quamquam non de necessitate, est abdicatio superfluitatis et possessionis 279 22 — informantur Christi et Apostolorum exemplo nihil sibi appropriandi 284 37 — pauci omni se denudant proprietate 310 18 — Secundum antiqua iura clericis habere proprium non licebat, licet habere potuerint peculiaria propria 395 7

— Quomodo differat perfectio clericorum sola necessaria retinentium a perfectione Religiosorum pauperum 310 17. sqq. — Quantoscumque reditus ecclesiae quaerere non est perfectum per se *ibid.* — Status clericorum ecclesiasticis reditibus affluentium non est praeferendus statui pauperum pro Christo nihil habentium 312 4 — Per receptionem pecuniae et denariorum plures e clero viluerunt Deo et hominibus 419 22

— nullus potest habere duas ecclesias curam animarum habentes 358 a — praecipue propter sex causas non possunt acquirere beneficium curam animarum habens *ibid.* — recipiens stipendia Ecclesiae, quam non deservit, peccat 359 a — inordinate excommunicantes incidunt in suspensionem et irregularitatem 358 b

— Clericis obediendum est tanquam Christi vicariis 373 a — Clerus totus tenetur apostolico Domino obedire 396 11 — Pax cum clericis semper servanda est 471 4

— Prae multitudine populi nec clerici nec Religiosi plene sufficiunt omnibus 378 11 — pauci sunt idonei ad regimen animarum 358 a, b — illitterati facile subvertuntur ab haereticis *ib.* a — Si populus perdit fidem in clericis, facile ab haereticis attrahitur 357 b — saepe variis vitiis sunt irretiti 378 13 — plures tam iniuste vivunt, quod laicos scandalizant 373 a — Per mala exempla clericorum in tota Ecclesia gravissima mala sequuntur 359 a

— diversimode sacrilegium admittere possunt 358 b — Oratio clerici in peccato positi inefficax est *ibid.* — lubricus et male expendens res Ecclesiae, quo plura habuerit, plus peccat *ibid.* — Decretum speciale contra clericos sollicitantes moniales 385 12

— Quosdam defectus clericorum convenit publice reprehendere et quosdam tacere 357 a, b — Sex mala clericorum utilius tacenda sunt 358 a

— nonnulli plus oderunt Religiosos quam Iudaeos 373 a — Si tamen saperent, potius diligerent eos pluribus de causis *ibid.* — habent in Religiosis stimulum correctionis *ib.* b — Religiosi sunt eorum coadiutores in sublevando onere *ibid.*

— Quas qualitates habere debeat recipiendus pro clerico ad Ordinem Minorum 398 4

Coemeterium — parochiale 466 a

Coenobitae — vocantur qui habent omnia communia 273 4 — Ipsis competit abdicatio potestatis possidendi et abnegatio voluntatis 279 22 — ad exemplum Christi et discipulorum eius non debent sibi quidquam appropriare 284 37

— Coenobitarum abstinentia 258 2. 259 5 — debiles et infirmi vino et cibis delicatioribus utebantur 259 5

— Coenobitica vita habet laudes proprias, cui non adversatur laus solitudinis 236 3

Coesse — Differentia magna est inter subesse, coesse et praeesse 131 1

Cogitationes — diabolicae, mundanae et carnales, quid sint 196 64 — Cogitationum malarum insultus continuo sunt reprimendi 196 65 — Qui vult a daemonum suggestionibus liberari debet respicere in faciem Crucifixi 223 159 — Perfectis competit etiam superfluas cogitationes rescindere 281 28 — De minima cogitatione ratio reddenda est 489 2

Cognati — sunt despiciendi et derelinquendi 47 7 — Amor inordinatus cognatorum est exstinguendus 200 77

Cognitio — per veram experientiam est in sapientia 7 18

— sui ipsius est necessaria 29 2. 32 9. 209 103 — vera sui ipsius necessaria est ad perfectionem conscendere cupienti 108 1. sqq. — Magnum periculum est in Religioso non habere cognitionem sui ipsius 109 6 — sui ipsius hostem interiorem et exteriorem fugat 494 a

— Impedimenta huius cognitionis 109 6 — Quomodo ad eam perveniatur 108 1. sqq. *Vide v. Contemplatio.*

Collegiata — ecclesia *vide v. Ecclesia.*

Collegium — Sanctorum famosum 60 13

Colloquium — susurronum, murmuratorum, bilinguium et detractorum semper abhorrendum est 485 1 — Quid sint suspecta colloquia mulierum 435 2 — Ubi maius est periculum colloquii, ibi prudentius obvietur 435 3

Columba — significat Spiritum S. 73 9

Columna — flagellationis Christi adhuc servat vestigia sanguinis 166 2

Comedere — fieri potest perfecte et imperfecte, sancte et impie secundum diversos fines et circumstantias 266 1 — non semper est imperfectum, cum necessarium et commune sit perfecto et imperfecto, malo et bono 267 6 — Non omnis comedens est imperfectus 268 6 *Vide v. Ieiunium.*

— Differentia inter comestionem corporalem et spiritualem 104 13

— Exercitia ante comestionem peragenda 481 1 — Regulae servandae in comestione *ib.* 2 — In comestione est abstinentiae studendum 482 1. sq. 483 3. sq.

Commiseratio — respectu proximi debet esse clamorosa per confidentiam propter patrocinia semper parata 16 10 — debet esse in amaritudine *ibid.*

Commotio — commotione non sedatur 139 5

Commune — In statu innocentiae omnia fuissent communia 413 3 — Expedit praelatis habere communia pro sustentatione ministrorum et egenorum, expedit aliis nil habere in proprio vel communi 421 7 — Communitas rerum prius instituta est in caritatis incentivum *ibid.*

— Communitas quadruplex rerum temporalium 309 13. sqq.

Communio — Ad communionem digne recipiendam instituenda est praeparatio remotior, proximior et proxima 480 1. sq. — Gratiarum actio 481 3 — quotidiana *ib.* 4 *Vide v. Eucharistia.*

Compassio — vel est veniae vel providentiae 447 38 — Compatiendum est tam corporaliter quam spiritualiter miseris 215 117. sq. — vera ad subditum 447 38 — Multi modica compassione moventur erga subditos *ibid.* — non debet inclinari carnali affectu, sed recta intentione et fraternae caritatis pietate in altum erigi 150 15 — degenerat sine discretione 142 2 — infunditur per Deum 147 1 — in afflictis discitur in corde Iesu 188 3 — Ad compassionem informat fraterna dilectio 136 1

— respectu Christi debet esse timorosa propter iudicia latentia 16 10 — debet esse in amaritudine *ibid.* — Compatiendum est Christo, quia est caput nostrum 168 5

Complacentia — Per complacentiam Deo debitam unicuique debet placere, quod solus Deus placeat sibi, et ipse placeat soli Deo, et in hac complacentia communicent ceteri 9 8 — In maxima complacentia est status et gradus perfectae caritatis *ibid.* — In complacentia est amor gratuitus, debitus et ex utroque permixtus *ibid.* — In complacentia crucifigitur mundus homini, homo mundo et pro mundo, ut omnes placeant Deo *ibid.* — propter Sponsi pulcritudinem quietat animam 14 6. 15 8

— Cor debet elevari ad complacentiam 9 4 — Cor elevatur ad complacentiam recogitando caritatem divinam et tepiditatem suam *ibid.* — divina per largam immissionem Spiritus S. vehementer desideranda 130 7

Completorium — omnium consummationem insinuat 409 6

Comprehensio — divina per apertam visionem Patris aeterni vehementissime desideranda 130 7

Compunctio — surgit ex consideratione multiplicis defectus et modici profectus 116 3 — inducitur silentio *ibid.* — generat devotionem 434 9 — Deo rependit spiritus contribulati sacrificium 130 7

Conceptus — spiritualis Christi in mente devota 88 1 — Effectus huius conceptus 89 1. sq. — Specialis beatitudo huius status *ib.* 2

Concubitus — sola causa generandi in nuptiis inculpabilis est, alia causa secundum veniam conceditur 241 7

Concupiscentia — voluptatis est appetitus dulcium, mollium, carnalium 4 5 — vanitatis est appetitus favoris, laudis et honoris *ibid.* — est triplex 108 3

— triplex est origo omnis mali 245 5 — voluptatis, curiositatis et vanitatis sunt radices omnis mali 4 5 — est incentivum voluptatis exstinguendum rigore 12 2 — augetur, cum impletur 282 31 — excitatur cibis delicatis 259 8 — Fere omnium mortalium appetitus et sensus proni sunt ad concupiscentiam oculorum 291 17 — Secundum concupiscentiam oculorum est conversio ad bonum exterius, secundum concupiscentiam carnis ad bonum inferius 245 5

— multiplex recogitanda 4 4. sq. — vitanda quantum ad actum, consensum et occasionem 245 5 — non debet regnare in eo qui cogitat se perfusum sanguine Christi 5 7 — Plene domare concupiscentias magis competit perfecto quam imperfecto 269 9 — refrenandae etiam ab imperfectis 266 31

— Concupiscentiae actus et consensus vitantur per virtutes oppositas 245 5 — oculorum quantum ad occasionem perfecte declinatur relinquendo omnia *ibid.* — carnis perfecte declinatur omnem experientiam actus generativae potentiae abscindendo *ibid.* — restringitur rigore severitatis 5 9 — Contra concupiscentias certandum per ieiunium 269 10 — purgatur circumspectione diei mortis 5 7

— Nullus cupiditatis stimulus inquietat mentem, quae plenam habet pacem in dilectione 10 11 — Ardor concupiscentiae non urit requiescentes in sopore pacis 12 2 — propter Sponsi dulcedinem inflammat 14 6. 15 8 — nascitur ex fiducia et parit excedentiam 15 7

Concupiscibilis — allicitur monitione 410 11

Condescensio — ad infirma et imperfecta mortalium non solum ad membra Christi fortia pertinet, sed etiam ad caput 237 6 — Perfecti debent condescendere ad infirma et imperfecta exemplo capitis *ibid.*

— In condescensione ad proximum consistit supererogativa prosecutio bonorum secundum vitam activam 246 6 — Ratione condescensionis fraternae imperfectum de se potest fieri perfecte 266 2 — — caritativa facit de imperfecto perfectum 259 4, 6 — perfectum conformem efficit Deo, ut quasi ala Seraphim in divina feratur 247 10 — adornat vires animae et reducit ad Deum, ut habeant esse decorum et perfectum 246 9 — cadit sub desiderio ut complementum perfectionis *ibid.* 247 10

Conditor — *vide v. Creator.*

Confessarius — novem qualitates habere debet 160 b — Officium confessionis notitiam requirit sacrae Scripturae 339 b — Opus confessionis ampliori indiget scientia Scripturarum 378 12 — Doctor et medicus animarum diligenti examine indiget 361 a — indigni et impudenter se ingerentes ad hoc officium temerarii, superbi, stulti et invidi sunt *ib.* b — Promoventes insufficientes Ordini confusionem, animabus nocumentum, ipsis promotis detrimentum, sibi culpam non parvam procurant *ib.* a — Tales insufficientes in multis saepe offendunt *ibid.* — Ob varias rationes interdum iuniores et immaturi ad hoc officium promoventur 360 a, b

— Officium confessionis est occasio variarum tentationum 361 b — Observanda quoad confessiones audiendas 456 a — Maius periculum est istam non ministrare prout expedit quam alia 378 12

— Pretiosa est auctoritas absolvendi a peccatis confessis 371 a — Haec auctoritas non est danda pro corporis alimento *ibid.* — datur pro subveniendo omnibus 370 b — illi non sunt excusandi a peccato, qui magis quaerunt commodum corporis et nolunt pro salute fraterna divertere ad pauperes *ibid.* — Indignos se faciunt hoc officio qui hoc pro commodo temporali vel muneribus vendunt *ibid.*

Confessio — est pars poenitentiae et necessaria ad salutem 380 18. 382 2 — Per confessionem lapsi extrahi debent e peccatis 378 12 — Duplici ratione necessaria est 380 18 — Ad confessionis lavacrum saepe recurrendum 497 a — Cum dolore et gemitu propriae accusationi saepissime insistendum *ibid.* — frequens esse debet 480 2

— qualis esse debeat 480 2 — Tria sunt confitenda 497 a — debet esse integra, verax et pura *ibid.* — Bonam confessionem debet contritio et satisfactio comitari 497 a — Ad Sacramentum confessionis requiritur contritio amara, confessio pura, satisfactio condigna 479 1 — quae sit vera et utilis, quae falsa et inutilis 106 1 — Quomodo confessio communis et prolixior instituenda 479 1. sq.

— In foro conscientiae cuilibet pro se et contra se est credendum 429 8 — Sigillum confessionis directe et indirecte stricte servandum 467 a, b

— paschalis sex de causis statuta est 376 7 — Secundum statutum Ecclesiae quisque semel ad minus in anno iubetur confiteri 380 18 — Haec confessio facienda est proprio sacerdoti vel alteri de eius licentia *ibid.*

— Confessarius legitimus necessarius est pro valida confessione 382 2 — Non est confitendum laicis 384 11

— Fideles subditi etiam boni plebani in sex casibus apud alios confiteri possunt 379 14 — Quando quis possit et debeat alteri confiteri, non proprio sacerdoti 379 15. sqq. — Prohibitio plebani non confitendi apud alios triplici de causa irrita est 382 1 — In decem septem casibus fideles licentiam habent confitendi aliis 380 19 — Praecipue propter quatuor casus etiam honestae personae timent suis sacerdotibus confiteri 381 20

— Ipse pudor confitendi plerosque a peccato deterret 376 7 — Confitendo multi discunt, aliquid esse peccatum, quod se putabant innoxie perpetrare *ibid.* — Ex humilitate confessionis merentur homines in caelo exaltari et a peccatis citius purgari *ibid.* — veridica Deo rependit sacrificium cordis contriti 130 7 *Vide* etiam *v. Poenitentia.*

Confessores — eminent pietate et clementia 62 18 — imitari debemus per pietatem et continentiam 51 17

Confidentia — cunctis praecipitur 324 23 — in misericordiam Dei nunquam amittenda 492 6 — cur sit habenda 324 24 — Fiducia nascitur ex vigilantia et parit concupiscentiam 15 7 — propter Sponsi certitudinem confortat 14 6. 15 8

— debet esse in commiseratione respectu proximi propter patrocinia semper parata 16 10

Conformitas — Omnes affectiones et voluntates semper conformandae sunt divinae voluntati 495 a — Conformari debemus Christo 189 3. sq. — divina acquiritur per imitationem Christi crucifixi 130 7 — ad Christum acquiritur condescensione benignitatis 325 28

— Vere credentibus solatium est configurari Christo 326 28 — ad Christum molesta est infidelibus *ibid.*

Confusio — est inimica intelligentiae et memoriae 450 a

Congregatio — omnis impossibile profitens est superstitiosa et fatua, ac per hoc reprobanda 304 3 *Vide v. Religio.*

Coniugati — tria incommoda sentiunt in praesenti 209 104. sqq.

Conscientia — Secundum usum stimuli conscientiae anima exercetur ad purgationem 3 2. 5 9 — Stimulus conscientiae exasperandus est recordatione triplicis vitii 4 3. sqq. — et ex recordatione peccatorum 5 6 — acuitur contra omne malum circumspiciendo diem mortis, sanguinem crucis, faciem iudicis *ib.* 7 — rectificatur in acquisitione strenuitatis, severitatis et benignitatis *ib.* 8 — munda laeta est et iucunda 5 9 — quando sit secura et munda 146 16 — boni operis exercitatione quietatur 338 b

— Clamor conscientiae accusat coram Deo 9 6 — Libri conscientiarum pandentur in iudicio et contestabuntur veritatem 83 41 — septies in die examinanda 496 6

— testificando in meditatione infert conclusionem 7 19

Consideratio — sequitur admirationem, ut exhibeatur latria 11 12 *Vide v. Contemplatio.*

Consilia — Dei sunt suavia auribus 34 15

— sancta et salutifera devota mente accipienda sunt 58 4 — virorum spiritualium quaerenda 89 3 — libenter audienda et humiliter quaerenda sunt 146 18 — Triplex est utilitas in consiliis quaerendis 147 19 — Tribus de causis requirenda sunt *ib.* 20 — Qui in his causis consulendi sint *ibid.*

— pravorum fugienda sunt ob perniciosos effectus 89 3 — Inconstantia in consilio vitanda est 141 8

— **evangelica**, quo sensu ab Evangelio distingui possint 396 10 — ponuntur in liberae voluntatis arbitrio et omitti possunt absque peccato 240 3 — de se non obligant nisi voluntarie ea profitentes 279 20 — Ad consilium nemo astringitur, nisi velit 294 23 — Consilii obligatio est spontanea et specialis 245 4

— non solis iam perfectis proponuntur, sed omnibus, qui ad perfectionis culmen conscendere volunt 241 8 — Illud consulitur, quod est promotivum in merito et expediens ad salutem 245 5 — referuntur ad caritatis impletionem et observantiam *ib.* 3 — In adimpletione spiritualium consiliorum constat medius status caritatis 244 2

— praeceptis non contrariantur, sed potius addunt ad perfectionem iustitiae 288 6 — includit praeceptum et superaddit, quantum possibilitas viatoris admittit 245 4 — cum praecepto dicitur perfectum *ibid.* — In ipsis maior difficultas reperitur ratione generis operis quam in via divini praecepti 248 15

— Dono consilii rectis semitis inceditur post vestigia Christi 86 49 — Tribus consiliis evangelicis perfecte declinatur triformis origo omnis mali, et in ipsis consistit prima pars evangelicae perfectionis 245 5 — Supererogatio divini consilii facit perfectionis evangelicae culmen 253 5 — cadunt sub voto quasi fundamenta perfectionis 246 9. 247 10 — separant animae vires ab universitate malorum, ut habeat esse purum et distinctum 246 9 — Tribus consiliis vir perfectus crucifigitur mundo 247 10

Consolatio — divina, quid sit 49 13 — valde pretiosa et delicata est 56 12 — Eius effectus 50 16 — raro tribuitur 56 12 — non omnibus indifferenter tribuitur *ibid.* — Cur aliquando desit animae devotae 51 17 — saepe ob multiloquium denegatur 489 1

— Anima anhelat ad plenitudinem consolationis divinae 51 19 *Vide v. Dulcedo* et *v. Ebrietas.* — divina non est praesumtuose postulanda 51 18 — Praeparatio requisita ad eam obtinendam 50 15. sq. 56 12. sq. — quomodo acquiratur 49 14. 50 15. sq. — non gustatur, nisi bene dispositis affectibus 56 12 — a multis limpide in hac vita speculatur, sed minime degustatur *ibid.* — divinitus infunditur laborantibus pro Christo 50 16 — superinfunditur pauperibus 301 20 — capitur ex meditatione felicitatis aeternae 55 11 — Animae devotae multiformibus consolationibus cibantur in variis considerationibus de Christo 69 4 — occulte tenendae 495 b

— mundana vana est 49 13 — mundi penitus reiicienda est 493 b

Consortium — suspectum mulierum, quid sit 435 2 — Constitutiones quoad ipsa 457 b

Conspiratio — Constitutionibus prohibetur 457 b

Constantia — perfectae virtutis acquiritur ieiunio 271 18 — Devotio parit constantiam contra adversa 148 2

Constantinopolis — 554 7

Constantini — imperatoris conversio ad fidem plus profuit Ecclesiae quam multorum aliorum 353 b

Constitutiones — suffragantur ad spiritualis vitae concordiam, decorem et custodiam 449 b — innumeris deordinationibus viam praecludunt 471 5 — ut in pluribus intra perfectionis et puritatis Regulae promissae substantiam includuntur 449 b — Absque periculo parvipendi non possunt 450 a — Earum neglectus multa mala producit 470 3

Consuetudo — Quomodo tractandi sint subditi inveteratam mali consuetudinem habentes 144 10

Consulere — Qui in tribus causis sint consulendi 147 20

Consummatio — *vide v. Perseverantia.*

Contemplatio — Eius obiectum est quadruplex 28 2 — Multiplex est materia considerationis 496 a — Quinque quotidie consideranda sunt 497 a

— Ad eam requiritur potentia supernaturaliter confortans, sapientia regulans, clementia consolans 28 1 — Aquilino intuitu perspicaciter contemplandum 71 1 — A quibus purgandus sit affectus contemplantis 56 1 — Nemo potest ascendere ad Dei contemplationem, nisi prius descendat per sui humilitatem 477 3 — Contemplationis radius obtenebratur per peccatum 39 29 — Quo ordine inchoanda sit 29 1 — Indebito ordine procedendo eius meritum perditur *ibid.* — Per contemplationem ascendendum est secundum triplicem viam et plures gradus in qualibet 12 1 — Contemplando fit exercitium circa triplicem viam 3 1

— Per contemplationis oculum intuendus veritatis radius 13 3 — Per contemplationem Veritas est admiranda ad imitationem Cherubim 18 14 — divinorum fit intelligentia 16 9 — Per contemplationem divinorum fit erectio super nos per aspectum veritatis *ibid.*

— Secundum legem mentalis munditiae et pacis mens devota per amorem ecstaticum in divinos splendores et ardores sacros sentit excessum 246 6 — Per sursumactiones quiescere perfectius est, quam per extrinsecas occupationes turbari 294 22 —

Christus allicit ad sursumactionem in intellectu et affectu 246 8

— Tali sursumactione anima Ierusalem conformis efficitur 246 8 — Contemplando caeli palatium conscenditur 29 2 — Fructus eius est felicitas aeterna *ib.* 3 — Per contemplationem transit mens in supernam Ierusalem 11 1 — Contemplationis perfruitio desideranda ab anima, ut in caelesti sopore et ecstasi audiat arcana verba 74 12 — Dulcedo contemplationis caelestium a triplici potentia animae participatur 438 1 — Ad mysteria Trinitatis erigimur contemplando per positionem vel ablationem 16 11 — Quomodo instituatur erectio per viam negationis 17 3 — Hic modus ascendendi est tanto vigorosior, quanto vis ascendens est intimior, tanto fructuosior, quanto affectio proximior, et ideo utile est in illa exerceri *ibid.* — per viam negationis est eminentior quam per viam affirmationis *ibid.* — Per ablationem veritatis aspectus fertur in mentis caliginem et profundius ingreditur, quia excedit se et omne creatum *ibid.* — Hic modus est nobilissimus, sed ut sit perfectus, praeexigit modum affirmationis *ibid.*

Contemplativa — Activa debet deservire contemplativae 334 9 — Suavitas vitae contemplativae 205 91 — Haec suavitas generat taedium mundani colloquii *ibid.* — Contemplativi apibus designantur 221 149

Contemptus — rerum est voluntatis interius 298 14. 299 17 — Ad contemptum excitat vituperium 303 28 — perfectus mundanorum maxime valuit ad dilatandum Evangelium 302 22 — aequanimiter patiendus 72 8

Contentio — Studio contentionis alterum vulnerare satagens semetipsum prius configit 266 31

Continentia — Ab omni actu libidinis abstinere est perfectum in genere et imperfectum ex circumstantia 238 9 — Se ipsum castrare per votum continentiae est perfectum 249 18 — Ab omni se castrare concubitu est difficile ex arduitate et nobilitate generis operis 248 15

— assueto voluptatibus carnis difficilius est ex vitiositate personae agentis 248 16 — difficilius est in consortio feminarum ex circumstantia extrinsecus annexa 249 17 — Vere continentibus solatium est castificari 326 28

— Christus eunuchizari docet propter regnum caelorum 244 15 — Christus docet omnem experientiam secundum actum generativae potentiae abscindendam 245 5 — per Christum introducta Legem non solvit, sed implet 288 6

— Votum continentiae virginalis est consilii et omitti potest absque peccato 240 3 — virginalis est perfectior viduali 249 18 — virginalis comparatur fructui centesimo, vidualis sexagesimo *ibid.* — Pudicitia coniugalis est imperfecta respectu virginalis 268 6 — Castitati coniugali anteponitur vidualis et utrique virginalis 244 15

Contrahere — in dolore membra solet afferre quoddam solatium 121 5

Contritio — est pars integralis poenitentiae 382 2 — semper confessionem comitari debet 497 a — afflictiva necessaria est ad deletionem peccatorum per delectationem perpetratorum 15 9

— respectu sui est in amaritudine 16 10 — respectu sui debet esse dolorosa per tristitiam propter mala prementia se ipsum, Christum et proximum *ibid.* — lacrymosa, in quo consistat 91 2 — Per contritionis lavacrum caligo mentis detergitur 38 29 — Contritionis lavacro purgandus est intellectus 88 1

Conventus — est, ubi tredecim Fratres et supra possint continue commorari 461 a — magni prae parvis duas utilitates afferunt Religiosis 367 b. 368 a

Conversatio — mundana gravis et periculosa est 46 4 — Quanto magis quis a mundo se abstrahit, tanto familiarius se bonis hominibus amicabilem reddit 89 2 — malorum tanto magis desipit, quanto dulcius bonorum conversatio affectum afficit *ibid.* — Forma interius conversandi 453 a, b — Modus exterius conversandi 454 b. 455 a, b

Conversio — Ex conversione inordinata ad triplex bonum commutabile omne peccatum trahit originem 245 5

— Periculum magnum est differre conversionem 34 16 — Conversi antiquitus induebantur sacco 444 23

Convivium — Initium caelestis convivii 59 12 — Eius iucunditas et miranda excellentia 60 12. *ib.* 15. 61 16. sqq. — caeleste ornatur a novem choris Angelorum 61 17

Copula — Ad copulam venitur in ultimo gradu caritatis 15 7

Cor — Deo triplex cordis sacrificium pro peccatis offerendum est 130 7 — Deo exhibendum est cor humile, devotum et illibatum 129 3 — humile recuperatur timendo, cor devotum desiderando, cor illibatum dolendo *ib.* 5 — Devotio cor humiliat 148 2

— ad gratiam impetrandam debet incurvari ad Dei reverentiam, dilatari ad benevolentiam et gratiarum actionem, elevari ad complacentiam et mutuam allocutionem 9 4 — dilatatur in consideratione indignitatis nostrae, aperitur in consideratione gratiae, effunditur in consideratione divinae misericordiae *ib.* 7

— durum increpatione dignum est 180 2 — durum saltem sanguine Christi emolliendum est *ibid.* — est excitandum, abluendum et mollificandum sanguine crucis effuso 5 7

— Os nostrum est ostium et nuntius cordis nostri 204 87 — summa diligentia custodiendum est 4 4. 108 2 — Negligentia cordis custodiendi recogitanda 4 3 — sollicite custodiendum ab affectione terrenorum 491 2. 495 a — cautissima sollicitudine tuendum est 496 b

— Libertas cordis magnam praestat spiritualis vacationis studiosis opportunitatem 338 a

— Cordis occulta ignoramus 371 b — Nulli commissum est occulta cordis iudicare 487 1

— Duplex est vulneratio cordis Iesu 163 2 — uno vulnere tactum emoritur et fit quodam modo insensibile *ibid.* — quare duplici modo vulneratum sit 164 5 — Utriusque huius vulneris causa est soror et sponsa *ibid.* — Mors prima cordis Iesu est dilectio multorum mortuorum 163 2 — Haec mors non potest expelli a corde Iesu *ibid.* — invenitur, fosso agro corporis sui 163 3 — Accedendum est ad cor Iesu per ianuam lateris lanceati 188 3 — Habitandum est in hoc corde 163 3 — comparandum est omnibus cogitationibus et affectionibus *ibid.* — In ipso adorandum, quia est sancta Sanctorum et arca testamenti *ib.* 4 — est paradisus caritatis 187 1 — est bonus thesaurus et pretiosa margarita 163 3 — In hoc corde latet thesaurus ineffabilis desiderabilis caritatis 188 3 — Ibidem invenitur devotio, lacrymarum gratia, mansuetudo, patientia, compassio et cor contritum et humiliatum *ibid.* — redamandum est 164 6 — est cor regis Domini, fratris et amici nostri 163 4 — est etiam cor nostrum 164 4

Core — voluit sibi sacerdotium vindicare 361 b

Cornetum — 554 5

Corona — proprie regum est 185 1 — spinea Christi est corona doloris et dedecoris 166 3 — spinea Christo opprobrium et supplicium attulit 185 1 — Christus rex corona imposita demonstratur, in spinis vero coronantium malitia exprimitur *ibid.* — Christi devote contemplanda 166 3 *Vide v. Christus.* — Iesus, quorum vocetur corona 166 3

— gloriae, quid sit 125 2 — stellarum 12 significat 12 gaudia caeli 57 2 — Ad eam adipiscendam inflammari debet desiderium 125 2 — Christus invitat ad eam accipiendam *ibid.*

Corpus — ex quatuor elementis est compositum 62 20 — Ad complementum naturae spectat membrorum integritas, complexionis sanitas, sexus nobilitas 6 11

— Varia sunt corporum robora 402 16 — mulieris tenerius est corpore viri 121 5 — Non vivit absque incorporatione cibi 103 13 — animale per cibum vigoratur, impinguatur, calefit, vivificatur *ib.* 12 — Modus corpori necessaria acquirendi praedicationis et doctrinae laboribus 420 2 — Dum uni membro putrido parcitur, in totius corporis sospitatem corruptio diffunditur 470 4

— Cur anima beata desideret reassumere corpus 64 21 — Gaudium animae de unione cum corpore glorificato 63 21 — quatuor dotibus remuneratur 62 20 — erit subtile, agile, immortale, clarum et fulgens 81 35 — In corpore glorificato tot fulgebunt gemmae, quot sunt virtutes in mente 64 22 — In caelo omnes sensus erunt in actibus suis 63 20 — erit perfecte obediens et spirituale *ib.* 21 — erit animae in contemplationis solatium et in

felicitatis augmentum *ibid.* — est stola nova et splendida animae 64 22

Correctio — Cum quis est viator, corrigi potest per Dei clementiam 234 2 — Quanta sit necessitas correctionis 447 37 — Peccantem non corrigere est animam eius ad interitum mittere 142 2 — fraterna requirit sollicitudinem, aptitudinem, rectitudinem 447 37 — In correctione debet esse humilitas ex parte correcti, caritas ex parte corrigentis *ibid.* — ex caritate procedere debet, non ex rancore *ibid.* — facienda non animo malignandi, sed corrigendi 203 86 — caritate tranquillae mentis facienda 234 2 — Melius est dura increpatione ferire protervos quam adulari *ibid.* — Constitutiones de correctione delinquentium 457 a, b. 458 a, b — Quomodo tractandi sint correctionem debitam non recipientes 144 10

Crapula — semper fugienda 482 1

Crastinus — Prohibetur sollicitudo de crastino, non provisio 342 a

Crates — abiecit pondus auri 299 17

Creator — quomodo diligendus sit 124 2 — Amor Dei cum reverentia mixtus est suavior 141 6 — omnia propter hominem fecit 7 18 — homini triplex beneficium commisit 6 11. sqq. — Creatura irrationalis est vestigium, rationalis etiam imago Creatoris 30 3

Creatura — Omnia creata prius imperfecta fuerunt 268 6 — cunctae spiritualiter vel sensibiliter productae relucent in Verbo increato ut exemplari 242 12 — Ab hoc exemplari uno et indiviso diversae manant naturae et perfectiones secundum variam ipsius participationem 243 12 — Hoc exemplar perfecte ab una creatura capi non potest *ibid.* — In creatione nobis impressa est forma Deitatis Christi 189 3 — Homo creatus est ad imaginem Dei 15 9 — rationalis ex se ad nihilum tendit et ad mortem sempiternam 103 12 — ex participatione bonitatis Dei vivere et ad beatum esse pervenire debet *ibid.*

— Omnia ordinantur ad Dei gloriam 71 1 — omnis bona et munda est 261 14 — Amor creaturae non proficit, non reficit, non sufficit 7 15 — Falsus amor creaturarum est ratio peccati 33 12. sqq. — In omnibus creaturis invenitur tantum una gutta pulcritudinis, dulcedinis et suavitatis Dei *ibid.* — Beati dilatantur in speculatione creaturarum 65 25 — subiectae sunt potestati animae 31 7 — Pietas S. Francisci erga creaturas 527 6. 528 7. sqq.

Credere — Credendum est per firmum rationis assensum 12 3 — Credendo captivatur intellectus 15 8 — Intellectus redigendus est in Veritatis obsequium, nec ullus falsitati praebendus assensus 233 1 — Columbino intuitu simpliciter credendum 71 1 — Credentibus promittitur salus 81 36 — Credentibus solatium est configurari Christo 326 28

Creditoris — procurator 314 13

Crimen — deletur per devotionem 148 2 — Non participandum cum praevaricatore in crimine 411 15

Crocus — significat abstinentiam 216 134

Cruciferorum — Ordo 514 8

Crux — Crucis ignominia statim ortui Christi copulabatur 183 2 — Mors crucis erat magis acerba, vituperosa et inhonesta omni morte 502 12 — signatur lignorum strue, super quam vites elevantur 172 2 — comparatur camino et arae 100 2 — Christi de quatuor generibus arborum facta fuit 224 163 — fuit lectus immitis mortis Christi 172 3 — membra Christi contrahi non permisit 121 5 — thronus Christi fuit 174 2 — imperii nomine significatur 183 1 — est signaculum regium 221 153 — totum mundum et infernum subiugavit 183 2 — manifestat Dei sapientiam, iustitiam, misericordiam 13 4 — manifestat, quantum virtus sit pretiosa, speciosa, fructuosa 14 4 — manifestat, quantum reatus sit detestabilis *ibid.* — Cruce manifestatur benignitas Angelorum, dignitas hominum, crudelitas daemonum; caecitas, sterilitas et iniquitas mundi; paradisi gloria, laetitia et opulentia; inferni egestas, vilitas, ignominia, calamitas et miseria 13 4 — Per crucem caritas nutritur, et septiformis gratia diffunditur 69 5 — Crucis mysterio charismata gratiarum, merita virtutum, thesauri sapientiae et scientiae velantur 564 8 — est clavis, porta, via et splendor veritatis omnia manifestans 14 5

— Christi devote contemplanda 167 3. sq. — Fructus meditationis Crucifixi 123 11 — Efficacia memoriae Crucifixi 130 10 — Crucifixi imago consolatur impatientes 123 11 — Christus invitat ad supplicia crucis 235 2 — amplectenda per passionis desiderium plenae iniuriis in rebus, convitiis in verbis, ludibriis in signis, suppliciis in tormentis 13 3 — circumferenda iugiter mente et carne 68 1 — carnali sensui praeferenda 69 5 — Perfectus crucifigitur mundo tribus consiliis 247 10 — Mundus crucifigitur homini, et homo mundo per complacentiam 9 8 — Per malleum crucis cor scindi debet ad lacrymas 180 1 — Hic malleus validior est ad feriendum virga Moysi *ib.* 2 *Vide v. Arbor.* — in finali iudicio portabitur in testimonium contra peccatorem 53 5 — Explicatio tituli crucis 222 153. 225 163 — Praedicatio S. Antonii de titulo crucis 515 10 — De virtute crucis in S. Francisco 513 3. 515 9. 545 10. 549 1. 564 7. sq. — *Vide* etiam *v. Franciscus.*

Culpa — Eius gravitas dependet a nobilitate peccantis et excellentia offensi 32 8 — deformat hominem 28 2 — Unde cognoscatur culpae deformitas 32 8. 33 10 *Vide v. Peccatum.* — deletur per gratiam baptismalem 6 12 — Propter culpam est plorandum cum dolore, pudore, timore 8 2 — Qui labitur in culpam difficulter corrigitur 132 2 — Incertitudo diei mortis monet, ne quis remaneat in culpa 5 7 — Affectus contemplantis purgandus est a culpa, culpae sequela et occasione 56 1 — Reprehensus culpam suam dicere debet 485 2 — Capitulum culparum 454 a. 458 a, b

Cultea — ignominiae, abiectionis, paupertatis 161 3 — timoris *ib.* 4

Cultus — Dei, in quo consistat 250 20 — magis et minus perfecte exhiberi potest *ibid.* — latriae est pars orationis 8 1 — latriae debet habere reverentiam et adorationem, benevolentiam et gratiarum actionem, complacentiam et mutuam allocutionem *ib.* 4 — latriae exhibetur per admirationem et considerationem 11 12 — Latriae cultum sine gratia non possumus Deo exhibere 8 1 — maiestati aeternae debitus sic est reddendus, quod idolorum cultura vitetur 233 1

Cupiditas — *vide v. Avaritia.*

Cura — provenit ex avaritia 433 6. 439 5 — generat inquietudinem 338 b — obest puritati devotionis *ib.* a — pastoralis non est dominium, sed dispensatio et officium ecclesiasticae potestatis 428 4

Curiositas — quando in homine vigeat 108 3 — appetit scire occulta, videre pulcra, habere cara 4 5 — est radix mali *ibid.* — in sapientia saeculari cohibenda est 433 6 — Curiositati praeferenda simplicitas 69 5 — declinatur verbis simplicibus, consuetis et rudibus 68 2 — prohibetur variis constitutionibus 452 b

Custodia — vigilantiam insinuat pastoralem 419 22

Custos — Nomen custodis actum dicit, non gradum 427 4 — Samaritanus custos interpretatur 418 22 — Quae in eius electione observanda sint 461 a — habent sollicitudinem partialem de Ordine 447 36 — Ipsis imponitur procuratio necessariorum 419 22 — debent curam gerere infirmorum 418 22 — dispensative temperare possunt rigorem Regulae 419 22 — non sustinere debent, labefactari puritatem Ordinis *ibid.* — Nomine Custodis etiam Guardiani intelliguntur *ibid.*

D

Daemon — est inimicus fortis, crudelis et callidus 36 20 — est draco cruentus et leo rabidus 80 33 — sunt vulpes fraudulentiis seducentes 84 43 — falsa persuasione decipit 95 3 — est auctor mortis 81 34 — est humani generis adversator 486 1 — nititur fidelibus obviare latenter *ibid.* — impedit, ne sursum quis ascendat 117 4 — libentius insidiatur meritis

maioribus 146 18 — fortius machinatur in studiosos perfectionis 426 2 — sub specie boni se ingerit 146 18 — ex nimia securitate minus cavetur 517 5 — si de suo capillum habet, cito excrescere facit in trabem *ibid.* — causat instabilitatem 441 12 — Eius iugum amarissimum est 95 3 — Sequentes diabolum amant divitias et delicias et ibunt in aeternum supplicium 47 6 — Dominus maiorum daemonum eiectionem sibi reservavit 426 2 — Eorum crudelitas manifestatur in passione Christi 13 4 — deceptus est in passione Christi *ibid.* — aestimabat, se de Christo assecutum esse victoriam 80 33 — a Christo victus, alligatus et exspoliatus est 81 33 — a Christo prostratus est *ib.* 34 — perdidit ius in hominibus *ib.* 33 — sanctae Ecclesiae partui insidias parat 316 1 — nihil possunt sine permissione superna 522 10 — fugantur in peccati dimissione 92 3 — Ei resistendum, recurrendo ad Christum 486 1. sqq. — effugatur meditatione passionis Christi 483 1 — fugantur per devotionem 148 2 — fugiunt virtutes humilium 522 10 — asperitate terrentur, deliciosis et mollibus ad tentandum fortius animantur 517 2 — atrociter insurgunt in S. Franciscum 517 2. 522 10. 533 3. 538 11. 571 b — stetit super collum Fratris inobedientis 538 11

Damianus — Ecclesia S. Damiani minabatur ruinam 507 1 — In ipsa S. Franciscus audit praeceptum de renovanda domo Dei 508 1 — S. Franciscus ibidem moratur *ibid.*, sq. — Haec ecclesia reparatur a S. Francisco 509 7 — Ibi morabatur S. Clara 548 5

Damiata — Eventus pugnae ad Damiatam praedicitur a S. Francisco 536 3

Damnatio — comminatur incredulis 81 36 — finalis est iudicium timendum 12 2 — Damnati in iudicio ab omnibus expugnabuntur 83 42 — Damnati latere non poterunt *ibid.* — Damnati perpetuae exponentur voracitati flammarum 84 43 — Damnati in igne nunquam deficient, sed urentur in aeternum *ibid.* — Damnati tradentur daemonibus *ibid.* — Damnati iuste patiuntur 13 4 — Corpora damnatorum sunt mortua morte poenae 84 43

Damnum — Non deplorat damnum, nisi qui timet divinum iudicium 12 2 — Deploratio damni disponit ad implorandum subsidium *ibid.* — Poena damni 55 9

Daniel — non sua vendidit 295 5 — Ipsi oranti Angelus restitit 351 b

Dare — et accipere opponuntur relative 417 16 — respicit translationem dominii et privationem dantis *ibid.* — summe honorificum est 423 21 — Summa privatio honoris est constituere se in dandi impossibilitate *ibid.* — ex genere operis est perfectius quam accipere, sed ex circumstantia minus perfectum 327 33. 424 24

David — erat rex nobilis 307 8 — secundum cor Dei electus erat 140 9 — erat rex sanctissimus 38 27 — erat strenuus pugnator 321 16 — est Prophetarum eximius 538 14 — factus est pastor Synagogae *ibid.* — factus est S. Spiritus eruditione illustris *ibid.* — in adversis devotissimus fuit, in prosperis incidit in culpam 140 9 — adulterio et homicidio peccavit 38 27 — per poenitentiam melior effectus est non lapsis 348 b — est poenitentiae et humilitatis exemplar 307 8 — non se expropriavit 295 5

Debiles — Debilibus est omnis humanitas exhibenda 136 3 — indigent duplici refectione 137 5 — Omnibus debilibus aequaliter est subveniendum *ibid.* — quomodo in Ordine religioso debeant curari 343 a, b — Eos non reficere est contra misericordiam, caritatem, discretionem *ib.* b — saepe consilio, zelo et pietatis exemplo sustentant Ordinem *ibid.* — Propter ipsos Deus administrat eleemosynam abundantem 344 a

Debitoris — procurator 314 13

Decimae — Domino debentur et iure divino deputantur Ecclesiae 308 11

Decor — religionis christianae conservatur per Officium divinum 149 9

Defectus — aliorum benigne supportari debent 137 9 — Spiritum aut proficere aut deficere necesse est 260 9

Definitor — Constitutiones quoad Definitores generales 463 a — quoad Definitores provinciales 461 b. 462 a

Defunctus — Ultima voluntas defunctorum est immobilis 418 18 — Suffragia defunctorum 464 a

Deitatis — forma nobis impressa 189 3

Delectatio — est propter Sponsi plenitudinem 14 6 — est causa peccati 15 9 — creaturarum modica demonstratio delectationis Dei 33 13

Deliberatio — Voluntas praeeligendo defert solutionem in deliberatione 7 19

Delicatum — Propter debilitatem delicatis cibariis uti non est imperfectum 259 4. sq.

Deliciae — Quaerere vestimenta deliciosa et oblectamenta luxuriosa est concupiscentia voluptatis 4 5 — mundi non satiant animam 34 13 — carnales plenae sunt vanitate et periculis 46 6 — Christus non docuit delicias appetendas 285 40

Delinquentes — Tria sunt genera delinquentium 144 9. sqq. — Delinquentibus caute caveri debet ab occasione peccandi et monendi sunt, ut resipiscant 144 9 — Constitutiones de correctionibus delinquentium 457 a

Derelictionis — divinae duae causae 51 17

Desiderium — Triplex est ardor desiderii 129 7 — in bono proficiendi est munus grande 492 7 — Quomodo spiritus desiderii servetur 130 8 — Affluentiam desiderii habemus a Spiritu S. 8 3 — Omnium desideriorum impletio promissa credentibus et diligentibus 7 14 *Vide v. Aviditas.*

Desidia — est fomes ariditatis exstinguenda rigore 12 2 — locum non habet, ubi est amor 545 1

Despectus — octo utilitates affert 352 b — mundi Deo efficit pretiosum 405 24 — Humilibus solatium est despici 326 28

Desperatio — in quo consistat 324 23 — Cur non sit desperandum 203 86 — reprobatur ex liberalitate Dei 51 19 — Desperatis molesta est elevatio mentis in Deum 326 28 — Iudae 76 20

Desponsatio — Christi cum anima 167 3

Detractio — inchoata est in paradiso 203 86 — Detractor est qui verbo laedit alium, praecipue in absentia 433 8 — Talis aut mentitur aut dicit verum, licet malum, et hoc fit tripliciter *ibid.* — praecipue oritur ex invidia et odio *ib.* 6 — oriuntur ex accidia 5 6 — in peccatum perducit 203 86 — contraria est caritati *ibid.* — inimica est pietati et gratiae 527 4 — Detractor animarum sanguine pascitur *ibid.* — excaecationem inducit 236 5 — inducunt praelatum, ut suspicando male sentiat et innocentes condemnet 147 20 — multum virus infundit Religiosis 639 6 — A detractore cavendum est 147 20 — Pro detractoribus orandum est 173 2 — magis calumniari desiderant quam agnoscere veritatem 343 a — dolent, si materia subtrahitur detrahendi *ibid.* — Hoc vitium S. Franciscus maxime abhorrebat 527 4 — Dictum notabile S. Francisci de hoc vitio *ibid.*

Deus — est essentia prima, natura perfecta, vita beata 16 11 — est aeternitas praesens, simplicitas replens, stabilitas movens *ibid.* — est lux inaccessibilis, mens invariabilis, pax incomprehensibilis, essentiae unitas et perfectissima Trinitas 17 11 — vere lux est, producens splendorem et calorem, qui sunt substantia et hypostasis Filii et Spiritus S. *ibid.* — In divino esse est principium primum, Verbum aeternum, Donum perfectum *ibid.* — In divinis est vera pax et nexus, prima origo, eius imago, utriusque connexio *ibid.* — In divinis non possunt duo esse a tertio eodem modo *ibid.* — In divinis sunt quaedam communia, quaedam propria, quaedam appropriata 16 11

— Deus inhabitat in triplici ordine supremae hierarchiae 12 1

— Deo nihil est maius, nihil ditius, nihil fortius 182 1 — est immensus et infinitus 438 2 — est rex magnitudinis admirabilis 31 5 — Potentia Dei est immensa 128 2 — In Deo est altitudo terribilis, pulcritudo mirabilis, dulcedo desiderabilis 17 12 — Deus est summa sapientia, iustitia et misericordia 13 4 — immensa potentia cuncta de nihilo creavit et supportat 128 2 — omnia potest operari 377 8 — dignatur in quibusdam habere coadiutores *ibid.* — In hoc dat exemplum Ecclesiae rectoribus *ibid.*

— Sanctitas eius est inexplicabilis 128 2 — Cur ter Sanctus nominetur 129 2 — diligit sanctitatem et abhorret eius oppositum *ibid.* — peccata reprobat et punit *ibid.* — interminata iustitia cuncta iudicat et retribuit 128 2 — colendus cultu latriae 105 16 — Deo debetur reverentia sicut Patri, Domino, Iudici 9 6 — debet timeri, honorari et amari triplici consideratione 105 17 — timendus est, cum irascitur et

cum blanditur 52 20 — Triplici de causa nomen Dei sanctificandum est 105 18 — glorificandus est in omnibus donis suis et bonis nostris 94 3 — ci omnis spiritus confitetur 182 1 — de Deo sentiendum est altissime, piissime, sanctissime 128 1. sq. — Ipsum honorare debemus offerendo cor humile, devotum et illibatum 129 3

— omnia in sapientia fecit 268 6 — infinita sapientia cuncta gubernat et ordinat 128 2 — nihil inordinatum relinquit 71 1 — omnia valde bona fecit 203 86 — In Deo omnia ordinata sunt 440 9 — Pater in Filio omnia disposuit, fecit, gubernat et ordinat per naturam, gratiam, iustitiam, misericordiam 71 1

— est creator, redemptor, consolator, remunerator 41 38 — a Deo sumus formati, reformati, educati, eruti de ore inimici, redempti de inferno, conducti in vineam Domini *ibid.* — fecit hominem ad imaginem suam et postea factus est secundum hominem 203 86 — Imago Dei in cunctis hominibus consideranda 495 a

— est fons pulcritudinis 33 12 — est speciosior creaturis *ibid.* — Perfectiones Dei in creaturis relucent *ibid.* — Pulcritudo creaturarum scintilla pulcritudinis Dei *ibid.* — est melle dulcior *ib.* 13

— est fons omnis boni 6 14 — omnium bonorum auctor 110 2 — Deo omne bonum tribuendum *ibid.* — Plurima sunt beneficia Dei 118 3 — Grandia sunt haec beneficia 478 4 — Dei operatio non in omnibus proficit ad salutem 440 10 — Bonitas Dei ad indignos se extendit 106 5 — valde liberalis est 31 5 — Dei liberalitas non diminuit suam bonitatem 52 19 — Dei liberalitas exaltatur 51 19

— Eius misericordia summe benigna, viscerosa, liberalis 128 2 — Ardor caritatis suae erga nos est inaestimabilis 182 1 — Misericordia Dei semper ad meliora vocat 34 16 — est pius exauditor, velox promissor, promptus redditor 174 2 — Dei subsidium clamore implorandum 12 2 — servis suis auferre vel alleviare solet tormenta 186 1

— Per Dei inspirationem bonum propositum concipitur 94 2 — accendit zelum iustitiae, infundit pietatem compassionis, patientiam roborat, condit exemplum bonum, discretionem clarificat 147 1

— quomodo diligendus 124 2 — Gradus amoris pendet a gradu reverentiae 141 6 — solus debet nobis placere et nos Deo 9 8 — quantum diligendus 42 43 — diligendus et appetendus super omnia et propter se 7 14 — In Deum cum omni desiderio, affectu et benevolentia tendere debemus *ibid.*

— desiderat inhabitare in anima 31 5 — in praesenti non potest perfecte possideri 10 9 — Praesentia Dei habetur per amorem 7 16 — Iugis Dei memoria retinenda 150 12 — ubique sit in memoria 496 a — est intimior intimo nostro esse 31 5 — omnia nostra videt 150 13 — non obliviscitur boni ad praemiandum nec mali ad puniendum *ibid.* — Ad videndum Deum requiritur intellectus purgatus et affectus bene dispositus 56 12 — A multis limpide speculatur, sed non degustatur *ibid.* — Ad Dei contemplationem ascenditur humilitate 477 3 — Consideratio Dei est semita ad humilitatem 110 2 — Fastidiens terrena Deo appropinquat 490 1 — Perfecte Deo servire cupiens debet se a mundo dissolvere 491 1 — non est sensibilis, sed totus desiderabilis 7 17 — cur non sit imaginabilis et intelligibilis *ibid.*

— Perfectum gaudium Beatorum in Deo consistit 64 23. 66 27 — sua sapientia Beatos illuminat et clementia satiat 31 5 — solus satiat desiderium animae *ib.* 6 — est omnis desiderii finis et complementum 29 4

Devotio — est virtus ordinans in Deum 439 7 — est unctio Spiritus docens de omnibus 147 1 — Spiritus devotionis est spiritus Domini 434 9 — determinata vel indeterminata 440 7. sq. — triplex est 148 4. sqq. — specialis consistit in tribus 149 10 — assidua triplex est 150 12. sqq.

— conficitur contemplatione passionis et caritatis Christi 187 1. 188 2. sq. — nutritur et conservatur passionis Christi memoria 120 1 — hauritur de 5 vulneribus Christi *ibid.* — ex compunctione generatur 434 9 — Quomodo sit excitanda et conservanda 149 7 — Perturbatio devotionis cavenda 134 10 — Devotioni speciali saepius intendendum 149 11 — praeferenda investigationi 69 5 — Commendatio devotionis 205 90 — est sexta ala praelatorum 147 1 — Moyses et Christus exempla devotionis specialis 149 11 — non debet necari laboribus manualibus 334 9 — Devotionis puritati plus obsunt curae temporales quam exercitatio virtuosarum actionum 338 a — solet gemitibus inenarrabilibus Christi clementiam implorare 434 9 — per multiloquium exstinguitur 453 b

— 24 fructus producit 147 2 — Ex ea fulcitur omnis Religio et omne virtutis exercitium impinguatur 134 10 — informat, quid faciendum sit, adiuvat, ut possis, conservat, ne devies 148 3 — Devotionis magnitudo ducit in mentis alienationem 119 6. sq. — Excessus devotionis ad Christum patientem 13 3 — Effectus mali omissionis devotionis 134 10

Diabolus — *vide v. Daemon.*

Didrachma — 414 6

Dies — Operibus sex dierum correspondet senaria perfectio animae 249 8. sq. — Tria prima opera sunt mundi fundamenta, tria sequentia complementa *ibid.* — Opera trium dierum primorum pertinent ad distinctionem *ibid.* — quadraginta magnum designant mysterium 82 37 — Iesu, quis et qualis sit 158 2

Difficultas — proveniens ex arduitate et nobilitate generis operis meritum auget 248 15 — maior invenitur in via divini consilii quam praecepti *ibid.* — veniens ex vitiositate agentis non auget meritum, sed miseriam *ib.* 16 — veniens ex circumstantiis extrinsecis per accidens auget meritum, sed de se est via ad ruinam *ibid.* — Difficilia sunt aggredienda strenuitate 16 9

Diffidentia — duplex est 324 23 — abscedere debet a praedicatoribus veritatis Christique discipulis 323 22. 324 23

Diffusio — est in amore actu, vel desiderio 253 2 — amoris maxime ostenditur in morte pro alio *ibid.*

Dignitates — mundi transeunt et cadunt 442 18 *Vide v. Honor.*

Dilectio — Anima sine dilectione esse non potest 47 8 — Quanta sit vis dilectionis 58 4 — fortior est morte 163 2 — Gradus doloris dependet a gradu dilectionis 133 1

— Per dilectionem Veritas est amplectenda 18 14 — Deo offerenda est propter bona collata 94 4 — Quid sit obiectum dilectionis Dei 43 44 — Dei, quanta et qualis esse debeat 42 43. 124 2 — Quid sit diligere Deum ex toto corde 124 2 — ex tota anima *ib.* 3 — ex tota mente 125 4 — Qui Deum optat perfecte diligere debet se elevare supra sensum, imaginationem et intellectum 7 17 — Diligentes Deum super omnia digni reputantur summo Bono *ib.* 14 — Motus fervidae dilectionis in Deum et purae ad inimicum est perfectus secundum se 238 8

— proximi duplex est 446 32 — quoad amicos debet habere familiaritatem, communicabilitatem, pronitatem, infatigabilitatem 446 32 — fraterna informat ad pietatem 136 1 — Nomen dilectionis optime sonat in eloquiis hierarchicis 392 2

Diligentia — necessaria est in corde custodiendo, tempore expendendo et fine praefigendo 4 4

Dionysius — ponit contemplationem Trinitatis per ablationem 16 11

Discendum — a perfectis 303 27

Disciplina — exterior, cur sit statuta 135 11 — quomodo servanda sit 130 8. 135 11 — In observantia disciplinae quinque sunt cavenda 135 12 — Ad disciplinae observantiam convenit quinque considerare 497 a — Efficacia disciplinae religiosae 134 7 — eius desertio est signum neglectae conscientiae et levitatis 135 11 — eius neglectu insolentiae crescunt 470 3 — facile negligitur et omittitur 497 a — Perfectis omnis locus aptus est pro disciplinae internae exercitiis, sed non imperfectis 341 b

Discipulus — Dominus pascebat discipulos sine omni sollicitudine 114 7 — Christi in tribulationibus perseverare debent 416 12 — gradatim in artis apices se extendat *ibid.*

Discreti — quomodo eligendi sint 461 b

Discretio — duplex est 142 2 — comparatur clavi 397 1. 398 4 — sequenda ut auriga virtutum 518 7 — in omnibus optanda est 206 92 — necessaria est superioribus 397 1. 398 4 — praelati omnia agenda provide prospicere debet 145 14 — est necessaria rectori animarum 142 1 — necessaria est praelato quoad quatuor *ib.* 2 — requirit quatuor officia 143 3. sqq. — necessaria est in observatione silentii 204 87 — clarificatur per Deum 147 21

Dispensatio — necessaria est secundum varios status 419 22

Dissensio — ob duas rationes inter bonos accidit 351 a, b — Quo sensu Sancti a Deo dissentiant *ib.* b

Dissimulare — Quomodo dissimulandi sint defectus subditorum 144 9 — Haec dissimulatio multa discretione indiget *ibid.*

Dissipatio — operis est indicium timendum 12 2

Distinctio — Operibus distinctionis respondet triplex perfectio animae 249 9

Distortio — a regula iustitiae est peccatum 240 3

Distractio — impedit cognitionem sui ipsius 109 6 — facit ineptum ad singula peragenda 145 14

Divinitas — Christi in caelo ministrat gaudia nobilissima 59 11 — Desiderium habendi odorem et gustum Divinitatis 51 18

Divisio — Statuta contra machinantes divisionem 448 a

Divitiae — sunt vel caelestes vel terrenae 418 20 — iniquitatis, quid sint 190 29 — fere ab omnibus appetuntur 291 17 — competebant statui testamenti veteris 288 5. sq. — in nova lege despiciendae 287 4 — abdicandae, quia illecebrosae 295 3 — relinquendae animo 296 6 — Expedit divitias non amplecti, sed fugere 249 17 — de se non sunt peccatum, sed eas abdicare est perfectum 281 26 — Possidere divitias non est perfectum 286 2 — non competunt perfectis 261 12 — caelestes sunt appetendae 16 9 — Divites non sunt pauperibus perfectiores 249 17 — Status divitum non est dignior statu pauperum 235 2 — Divitiis falso tribuitur perfectio 291 15 — Divitias fugere non competit magis imperfectis quam perfectis 281 27 — vix possunt sine amore possideri 272 2. 280 24 — Divitias habere et amare infructuosum est, amare et non habere periculosum, habere et non amare laboriosum est 114 9 — nec habere nec amare utile, securum, delectabile et virtutis perfectae est *ibid.* — Divitias non amare nec habere perfectum est 276 13 — Redarguuntur earum amatores 113 6 — nihil sunt 292 17 — non sunt verae divitiae 280 24 — In divitiis non est securitas 300 18 — Securum est divitias fugere 295 4 — plenae sunt periculis et vanitate 46 6 — sunt plenae periculis 281 26 — augent occasiones peccandi 298 15 — fovent vitiosas radices 299 16 — spinis comparantur 281 25. sq. — sunt occasio distractionis a bono *ib.* 25 — vim rationalem distrahunt, irascibilem extollunt, concupiscibilem illiciunt *ib.* 26

— sunt occasio cupiditatis, vanitatis, superbiae 280 24. sq. — fugiendae ut fomenta superbiae 72 8 — sunt occasio avaritiae, etiam perfectis 281 27 — augent cupiditatem 284 24 — impedimenta sunt ad beatitudinem 290 11 — impediunt elevationem mentalem 293 20 — expeditionem iustitiae praepediunt 295 4 — Divites saepe sunt valde incurii salutis aeternae 353 a — Divites frequentioribus et diligentioribus indigent consiliis salutis 353 b — Paucissimi Sancti fuerunt divites 423 18 — Divites in singulari et cum conditione commendantur, sed pluraliter damnantur *ibid.* — Divites temporaliter remunerantur 298 14 — Divites habent affluentiam, gloriam, apparentiam et consolationem 422 15 — Haec omnia divitiis comparari possunt *ibid.* — effeminatorum cordium phantasiis commendantur 316 1 — Divites valorem paupertatis experiri nolunt 303 27 — propriae magis sunt illecebrosae quam communes 295 3

— Divites honorandi sunt 4 de causis 353 a, b — Potentis subversio est multorum detrimentum *ib.* b — Contemptus divitiarum est exstirpatio vitiorum et insertio virtutum 303 28 — Vilificatio divitiarum doctrinae competit Christi *ibid.* — Census non est in culpa causaliter vel formaliter, sed occasionaliter 280 24. 281 26 — sunt occasio inclinationis ad malum et distractionis a bono 280 24 — non sunt utiles utilitate intrinseca, sed extrinseca 290 11. sq. — Non ex amatis divitiis, sed contemptis proveniunt bona 303 27 — Tria sunt genera iniuste possidentium 355 a — ecclesiasticae sunt periculosae 303 29 — quid prosint sacerdoti 322 19 — Dotatio ecclesiae promeretur caelum 291 17 *Vide v. Bona-ecclesiastica.*

Doctrina — sacra habet triplicem intellectum spiritualem 3 1 — evangelica significatur per rete 377 11 — evangelica est panis caelestis 93 3 — In doctrina dispensatur verbum vitae 6 12 — Christi valida est 170 6 — superat omnem aliam 107 1 — facit beatum et sapientem *ibid.* — Christi hauritur dono scientiae 86 49 — quomodo accipienda sit 93 3 — non tantum foris quaerenda in littera, sed devotae mentis affectu 107 1 — In exhibenda doctrina est aedificatio proximi 250 20 — Dispensator doctrinae est sacerdos 6 12 — Multi indigent doctrina salutis, sed pauci sunt doctores idonei 370 b — Doctor omnes virtutes eminenter habere debet 132 4 — verborum sine exemplis est invalida 142 9 — operum tenacius inhaeret quam verborum *ibid.* — etiam forma visibili in moribus praedicanda est *ibid.* — Pii doctores virtutes, quibus carent, docent et in aliis praedicant 277 17. 278 19 — Doctor fidelis correctioni et aedificationi debet intendere, non confusioni vel infamationi 360 a

— Doctores salutis non possunt stipendiarie laborare 420 3 — Doctrinae laboribus iuste corpori necessaria acquiruntur *ib.* 2 *Vide v. Praedicator.* — Dogmata falsa in suboriendo convellenda sunt 233 1 — Ad confutandos haereticos quinque auctoritates eligendae sunt 236 6 — Doctor plus laborat in indocili discipulo 140 10 — Doctores solent rudium imperitiae ignoscere 137 9

Dolor — Quomodo actus doloris eliciatur 479 8 — debet esse in deploratione miseriae propter damnum 8 2 — debet esse in aestimatione damni 12 2 — debet esse in contritione propter mala prementia nos ipsos, Christum et proximum 16 10 — oritur ex memoria praeteritorum 8 2 — Via purgativa exercetur in dolore 6 9 — Quomodo spiritus doloris servetur 130 8 — de peccatis triplex est 129 6 — animi habet duos comites *ib.* 5 — Christus doloribus suis nostros consolatur 160 1

Dolus — Christo non potest abscondi 162 1 — Dolo decipere est foveam fodere *ibid.*

Dominationes — dominantur 33 12 — quomodo ornent caeleste convivium 61 17 — Earum est associari Veritati 18 14

Domini — utuntur rebus auctoritate propria 422 14 — Talis usus non differt a dominio *ibid.*

Dominicae — orationis expositio 407 3

Dominium — rerum est privatum, vel commune 273 4 — non obtinetur sine animo acquirendi 313 9 — Usus non potest perpetuo a dominio separari 312 7 — temporalium potest relinqui 272 3 — privatum abdicari potest, retento communi iure 273 4 — temporalium perfectis est abiiciendum 314 11

Dona — Dei non ex invidia, sed dispensatione sapientiae dividuntur 241 8 — varie distribuuntur 243 12

— est proprium tertiae personae 17 14 — Imploratio 7 donorum Spiritus S. 69 6 — septem petuntur in oratione dominica 86 49 — Donatum accipere nemo compellitur 313 9

Dormitio — Regulae servandae pro dormitione 483 1. sq.

Dos — gloriae triplex 11 1 — quadruplex corporis glorificati 62 20

Draco — Assisium circumdans 511 5 — fugatur cruce procedente a S. Francisco *ibid.*

Dubitatio — est infirmorum 237 6 — Non dubitandum de misericordia Dei 203 86

Dulcedo — summa et desiderabilis est in Deo, et in hoc est status 17 12 — appropriatur Spiritui S. *ibid.* — invenitur in caelestibus 438 1 — caelestium tripliciter participatur *ibid.* — creaturarum modica demonstratio dulcedinis divinae 33 13 — invitat ad dulcedinem aeternam *ibid.* — facile decipit gustum *ibid.* — Appetitus dulcium est concupiscentia voluptatis 4 5 — contraria Deo est afflictio 34 13 — est humiliter accipienda, non praesumtuose postulanda 51 18 *Vide v. Consolatio.*

Dulia — non est cultus nec adoratio, sed subrogatio et invocatio 105 16 — est Sanctis exhibenda *ibid.*

Durities — cordis increpatur 180 2 — saltem sanguine Christi emollienda est *ibid.*

Dux — cum militibus laborem certaminis tolerare debet 141 2

E

Ebrietas — spiritus est quartus gradus caritatis et oritur ex saturitate 10 10 — Ex ebrietate oritur securitas *ib.* 11 — Anima anhelat ad ebrietatem spiritualem 51 19 — quomodo quaerenda sit 52 20 — Ebrius se ipsum denudat sine pudore et sustinet plagas sine dolore 10 10

Ecclesia — est sponsa Christi 84 44. 176 2 — est sponsa Christi et mater fidelium 311 2 — est corpus Christi 83 40. 176 2 — est corpus Christi mysticum 100 2. 103 13 — est corpus Christi spirituale 184 2 — dicitur columba 309 14 — Christus est caput Ecclesiae 103 13 — vegetatur a capite *ibid.* — significatur navicula Petri 377 11 — significatur populis Christo tanquam regi occurrentibus 74 15 — Christus in cruce pro Ecclesia se derelictum clamavit 176 2 — formata est de latere Christi 79 30 — collecta est ex fidelibus tanquam ex granis et racemis 100 2 — fideles congregat instar arcae Noe 322 19 — congregata est per Spiritum S. 8 3 — militans conformatur triumphanti 11 1 — gemina stola vestita, in caelum traducetur ad nuptias Agni 84 44 — Ecclesiae triumphantis subsidium implorandum 12 2

— incepit a piscatoribus simplicibus et profecit ad doctores clarissimos 336 13 — Christus ascensurus Ecclesiam Apostolis commendavit, principaliter Petro 375 2 — plantata ab Apostolis, S. Spiritus virtute purgata, illuminata atque perfecta, amabilis facta est Sponso suo, satanae terribilis 82 39 — ut ordinatius gubernaretur, multipliciter eam distinxerunt Apostoli 375 2 — Haec distinctio 3 de causis instituta est *ibid.* — Distinctio curarum et collatio iurisdictionum processit ab Ecclesia Romana 429 6 — Ecclesiae rectores onus sollicitudinis et aliis impartiri debent 377 8 — Ad hoc ipse Deus dat exemplum *ibid.* — Moyses in typo dispositionis Ecclesiae sibi retinuit plenitudinem potestatis 375 4 — Tabernaculum Ecclesiae erigendum est ad imitationem Christi 243 12 — habet diversos gradus et status 241 8. 297 9 — Diversi status Ecclesiae commendantur laudibus propriis, non tamen dissonis 236 3 — Quilibet status aliquid praerogativae specialis obtinet 250 20 — praerogativis diversorum statuum varie decoratur *ibid.* 277 16 — Diversi status et ordines exemplariter derivantur a Christo 243 12 — Christi perfectio reperitur in his omnibus secundum plus et minus 83 40 — Christus dispensat in ea dignitatum officia et charismata *ibid.* — multiformiter est distincta et uniformiter coniuncta *ibid.* — Petrus est Ecclesiae fundamentum 375 2. 392 2 — Necessitas unius capitis 392 2 — Summus Pontifex vice Christi est caput Ecclesiae 132 3

— Plenitudo potestatis est apud Ecclesiam Romanam 375 2 — Ipsi Petrus praecedit et successoribus eandem potestatem reliquit *ibid.* — Ipsa immediate subest caelesti curiae, a Domino instituta et a Ss. Patribus gubernata fuit 407 2 — Triplex plenitudo Romani Pontificis 375 3 — Ipsi incumbit sollicitudo Ecclesiae universalis 407 2 — elevata est ut omnium mater, regina et magistra 315 16 — utitur prolixo Officio et propria translatione psalterii 407 2 — distinguit in modo accipiendi Evangelium quoad perfectos et imperfectos 305 5 — Christo bonorum operum sobolem generat 164 5 — est hortus et paradisus virens multiformitate virtutum 317 3 — Modo plures sunt Sancti in Ecclesia quam antea 349 b — Cur universalis status Ecclesiae tam facile deficiat *ibid.* — In Ecclesia rectitudinem iustorum decorat deformitas iniquorum 351 a

— Rationale Ecclesiae 292 18 — Ecclesiae partui diabolus insidias parat 316 1 — est quasi navis tempestate concussa 378 13 — ad probationem et purgationem tribulari permittitur 83 40 — sanguine Martyrum erat rubricanda 184 2 — Hoc signatur sudore sanguineo Christi *ibid.* — Hic sanguis effusus est ad sanitatem Ecclesiae *ibid.* — iuvatur per s. Missam 105 19 — Eucharistia est nutrimentum Ecclesiae 103 13 — Effectus huius nutrimenti *ibid.* — Ab unitate Ecclesiae non discedendum 309 14 — In fide et unitate Ecclesiae relaxantur peccata 83 40 — Praecepta Ecclesiae sunt inviolabilia 134 9 — paucos habet veros episcopos et pastores 339 a — temporibus poenitentiae a carnibus abstinet 406 26 — potest habere possessiones 284 36 — Bona Ecclesiae dispensari, non dilapidari possunt 322 19 — *Vide v. Bona-eclesiastica.* — Dignitati Ecclesiae non adversatur laus paupertatis 235 3 — Nullus clericus duas ecclesias habere potest 358 a — Quis non possit legitime acquirere ecclesiam *ibid.*

— collegiatae habent bona communia 297 9 — Qualis sit haec communitas 309 16 — excludunt personalem proprietatem, non collegialem 310 16 — Difficile est, sola ecclesiastica communitate esse contentum *ib.* 17 — nulla dedicatur ante dotationem 328 34 — In ecclesia est genuflectendum 485 2

Eiecti — ex Ordine 458 a

Electus — Numerus electorum est inenarrabilis 60 13 — Reprobi sunt electis virtutis exercendae materia 350 b

Eleemosyna — est bonum in genere et ex circumstantia 237 7. 238 9 — fit imperfecte ex circumstantia *ibid.* — In dando eleemosynam sunt variae circumstantiae observandae 237 7. 356 b — danda est libenter 442 a — Perfectius est dare omnia simul quam paulatim 249 17 — ubi sit melius 356 b — non danda est eis qui sibi sufficiunt de suo 285 38 — fieri potest per se ipsum vel per alterum 314 12 — recipitur sine violatione voti paupertatis 332 3 — quando quaeri debeat 342 b — superflua non quaerenda *ib.* a — Receptio stipendiorum Apostolis non fuit praecepta, sed permissa 279 20 — perpetuae Ordini Minorum inhibitae sunt 466 a

Elementa — accusabunt peccatores 53 5

Elevatio — mentis est abstractio animi a terrenis 50 16 — est per excedentiam propter Sponsi celsitudinem 14 6 — meretur paupertate 293 20 — Eius effectus 50 16 — molesta est desperatis 326 28

Elias — 40 diebus ieiunavit 409 7 — Quid significet eius ieiunium *ibid.* — Eliae abstinentia 262 17 — ieiunio acquisivit virtutem ad ardua 271 18 — a corvis pascitur 324 24 — carnes comedit 265 25

Eligere — Quod melior eligit magis est eligendum 423 18

Elisabeth — significat divina sapientia illuminatos et dilectione inflammatos 89 2

Elisei — abstinentia 262 17

Eloquia — Dei sunt suavia auribus 34 15 — Castitas eloquii 430 11

Emenda — praestanda spiritu virtutis 129 4

Emptor — solutione facta, acquirit ius in re 424 25

Engaddi — Vineae Engaddi nocte nativitatis Christi floruisse dicuntur 95 b

Episcopi — sunt vicarii Summi Pontificis 377 9 — quomodo succedant Apostolis 416 13 — habere possunt bona Ecclesiae *ibid.* — dioecesanus est ordinarius pastor ecclesiarum sub ipso constitutarum 376 8 — Inferiores praelati curam animarum ab ipso habent *ibid.* — suam potestatem aliis committere potest *ibid.* — non iniuriatur sacerdoti mittendo ipsi alios in opitulationem 377 9. 429 5 — veri sunt pauci 339 a — saepe dissimulant transgressiones cleri 378 13 — cur tot sint sancti 139 6 — in iudicio rationem reddere debent de regimine 365 b

Equitatio — Christus non equitavit 444 23 — Disponit ad lasciviam 411 14 — Equitans plus vigilare debet extensive, itinerans plus intensive *ibid.* — Constitutiones quoad equitationem 455 b

Erectio — supra nos fit per aspectum veritatis 16 9

Eremus — In eremo vitantur occasiones peccandi 249 17

Erroneum — est, ex quo falsa sequuntur 287 3

Error — A recta via veritatis discedens per devia vagatur errorum 297 10 — Etiam inter errores lumen veritatis radiat 265 29 — Errantes testimoniis veritatis perverse intellectis ipsam veritatem

impugnant 261 12 — Perversi certitudinem trahere solent ad sensum repugnantem 294 1 — Falsa dogmata repugnant fidei 261 13 — Approbare errorem est malum secundum se 238 7 — Nullus falsitati praebendus assensus 233 1 — sunt reprobandi *ibid.* 244 1 — semper et ubique vitandus 257 20 — detegendus, ut possit evitari 234 2 — Perversorum dogmata diligenter convellenda sunt *ibid.* — Quomodo errans a veritate tractandus sit 234 2 — Pro ipso orandum, ut corrigatur *ibid.* — Obcaecatus malitia non purgatur ab errore 244 b

Erubescentia — humiliat 325 28 — molesta est superbis 326 28

Esculum — 556 4

Esse — Quod non habet esse a se tendit in non-esse 349 b

Esther — spiritualis 315 15. sq.

Eucharistia — est bona gratia 104 15 — continet fontem gratiarum et sanctificationum et auctorem salutis *ibid.* — est hostia placationis *ibid.* — est Sacramentum unitatis et pacis 103 13 — Quare Christus detur velatus 100 4 — In eucharistia dispensatur verbum vitae 6 12 — Res huius Sacramenti est Christi gratia et Divinitas caritatis eius 101 5 — Quid sit accipere tantum Sacramentum, sed non rem Sacramenti *ibid.* — Quatuor de ipsa credenda sunt 99 1 — non est perscrutanda 100 3 — Multis testibus roborata est fides huius Sacramenti *ibid.* — Forma convenientior est panis et vinum 103 12 — Quatuor rationes pro congruitate specierum 100 2 — data est ad salutem 104 14 — est alimentum vivificans, maxime congruum et utile 103 12 — est nutrimentum totius Ecclesiae *ib.* 13 — mortales homines cibat Verbo incarnato *ib.* 12 — nutrit spiritu et amore Christi *ib.* 13 — Christus sub forma Sacramenti nos se ipso pascit 149 6 — Animae non est vita spiritualis sine incorporatione huius cibi 103 12. sq. — Comedens hoc Sacramentum incorporatur Christo et transit in unitatem et amorem spiritus Christi 104 13 — Ad ipsam non est accedendum indevote 484 1 — non est accipienda tepide et inordinate 102 8 — Quomodo homo ad eam se praeparare debeat 99 1. sqq. — Quo proposito et qua dispositione mentis suscipienda sit 101 5. sqq. — Cum quali munditia corporali accedendum sit *ib.* 7 — Quanta caritate et quali fervore sit accipienda *ib.* 8. 102 9. sqq. — Accedendum est ad eam puro affectu, desiderio sancto, debita intentione et proposito 104 14 — Vitandus est affectus et desiderium vanum *ibid.* — Ad congruam perceptionem requiritur profunda humilitas et compassio mortis Christi 106 4

— Decem affectus et desideria digne accedentis 104 15 — Dispositio debita minuitur venialibus 101 8 — Multi abutuntur hoc Sacramento 104 14 — indigne sumitur, si non accipitur reverenter, circumspecte et considerate 102 8 — Dispensator eucharistiae est sacerdos 6 12 — Varii sunt effectus sacrae communionis 102 9. 103 12. 104 15 — Per hoc Sacramentum stat Ecclesia, roboratur fides, viget christiana religio et divinus cultus 100 3 — Consideratio cibationis huius Sacramenti inflammat ad amorem 103 12 — non praestat influxum vitae membris mortuis et abscissis 101 5 — Post communionem non sentire spiritualem refectionem est signum spiritualis infirmitatis vel mortis 106 5 — Christo pro sua sacramentali praesentia exhibenda est reverentia honoris et laudis 148 5 — Devotio S. Francisci erga Ss. Sacramentum 530 2

Eugubium — 509 6. 527 6. 541 10. 560 2

Eva — Duae maledictiones Evae 209 105. sq.

Evangelium — est perfectius Lege 286 3 — successit imperfectioni Legis 287 3 — est in veteri testamento sicut in figura et umbra *ibid.* — continet perfectionem omnimodam 436 3 — quomodo differat a consiliis evangelicis 396 10 — Distinguendum in modo accipiendi Evangelium quoad perfectos et imperfectos 305 5 — Aliqua Evangelii documenta perfectis conveniunt 306 5 — Quomodo perfectio evangelica sit attingenda 390 16 — Evangelici viri pecuniam non possideant 314 13 — Apostolis pecuniam inhibuit 315 14 — est lux clarissima 389 12 — Doctrina evangelica significatur per rete 377 11 — peccata detestatur 357 a — non est conculcandum tortis expositionibus 390 16 — Cui competat Evangelium docere 335 11 — quomodo praedicari debeat 430 11 — Forma aptior Evangelium propagandi 403 18 — Qui possint de Evangelio vivere 321 16. sq. 420 3 — tractat de vita, passione, glorificatione Christi 68 2

Eventus — omnes dirigendi sunt ad salutis profectum 150 14 — Ad eos homo se debet oratione praemunire *ibid.*

Excaecatio — rationis est iudicium timendum 12 2

Excellentia — mundana est vana et mutabilis 28 2. 45 2 — extollit 371 a — quoad excellentiam caelestem nihil est 60 14

Excessus — provenit ex collatione caritatis divinae et tepiditatis propriae 9 5 — est in sursumactione in Deum 246 6 — oritur ex concupiscentia 15 7 — est in allocutione Sponsi et sponsae 9 4 — propter Sponsi celsitudinem elevat 14 6. 15 8 — Per excessum Veritas est admiranda 18 14 — enormis, quis sit 457 a

Excommunicatio — sex modis fit nulla 383 8 — Poena inordinate excommunicantis 358 b

Excusatio — in peccatis cavenda 203 86

Exemplar — aeternum est unum et indivisum, a quo diversae naturae et perfectiones manant 243 12 — In ipso totus mundus exemplariter relucet 242 12 — In Christo est ratio exemplaritatis aeternae et temporalis *ibid.* — Exemplaria correcta et corrupta 142 9

Exemplum — bonum conditur per Deum 147 1 — In exhibendis exemplis virtutum consistit aedificatio proximi 250 20 — Exemplaritas vitae in tribus requiritur 140 1 — sine discretione fit inefficax 142 2. 146 17 — Per exemplum annuntiatur Veritas 18 14 — certificat doctrinam 273 6 — Sanctorum, quomodo sequenda 254 7 — bonum in omnibus reperitur 495 a — Multi fierent meliores, si eis exempla bona proponerentur 142 9 — Christi est irreprehensibile 113 2 — Christi in patiendo nos excitat ad similia patienda 121 4 — Exemplo Christi invitamur ad ipsum amandum et amatum imitandum 122 9

Exemptionis — privilegium 467 a

Exercitium — circa triplicem viam fit meditando, orando, contemplando 3 1 — meditationis in hac via, quomodo instituatur *ib.* 2 — Diligentissime exercendum in oratione, lectione, bono opere 4 4 — virtutum requiritur ad perfectionem 247 11 — Exercitatio intra nos debet esse per actum virilitatis 16 9 — operis plenius imprimit menti peritiam 132 2

Exinanitio — quaedam praecisio est 161 2

Expositio — Tortis expositionibus Evangelium conculcatur 390 16

Exsultatio — ducit in mentis alienationem 119 6 — In exsultatione complacentiae oratio debet terminari 9 4

Exsuperius — episcopus exemplum fuit paupertatis 293 21

Extensio — circa nos fit per affectum caritatis 16 9

F

Facile — est imperfectum de se 266 2

Facundus — Oppidum S. Facundi 563 2

Falco — S. Franciscum ad divina Officia excitat 529 10

Falli — est facile 146 18

Familiaritates — pariunt suspiciones, infamationes, scandala 469 2 — Devotio familiarem efficit Deo 148 2

Fanum — 561 5

Fastidium — Desideranti Deum omne terrenum vertitur in fastidium 10 10

Faustus — quomodo erraverit 306 5

Favor — Appetitus favoris est concupiscentia vanitatis 4 5

Febris — saepe est incentivum alterius gravioris 132 2

Fecunditas — spiritualis, quid sit 201 79

Felicitas — aeterna est quid optimum, pulcherrimum, per se sufficientissimum, nullo extra se indigens 29 3 — aeterna consolationem ingerit animae 55 11

Feminae — cur sint fugiendae 249 17

Fenestrae — animae sunt sensus 191 29

Fercula — novem chori Angelorum 61 17 — Beatorum 62 18

Ferrum — convertitur ab igne in eius similitudinem 104 13

Fetus — spirituales sunt bona opera 210 105

Ficulnea — sterilis est figura anni novitiatus 401 12

Fideles — quomodo ad praelatos se habere debeant 372 b — primitivi possidebant in communi, non proprietarie 399 7. 422 8, 10 — Apostoli usum rerum ipsorum habuerunt 422 10 — non professi fuerunt apostolicam paupertatem 423 19

Fides — Christus per fidem in intellectu collocatur ut fundamentum 272 1 — est christianae religionis fundamentum et radix *ibid.* — praeferenda est rationi 69 5 — amore praecipuo desideranda ac quaerenda 233 1 — Mens est captivanda sub iugo fidei 100 3 — Fide sunt iudicia captivanda 16 9 — Sine fide nemo salvatur 339 b — Quod sunt lapides in aedificio sunt articuli fidei in animo 317 3 — Fidei inconstantia facit imbecillem 102 8 — pia veritati assentitur 236 6 — dirigit ad invisibilia 439 5 — complectitur omnia, quae ipsi fidei obsequuntur 398 4 — ex Scripturis hauritur 339 b — Intelligentia ad fidem erigitur per prophetias 71 2 — Fidei pietas aedificatur verbis simplicibus, consuetis et rudibus 68 2 — Pro intelligentia fidei philosophia est necessaria 335 12 — Devotio scientiam fidei dulcem reddit 148 2 — non ficta dicitur propter tolerantiam adversorum 245 3 — est similis vino 223 159 — Religio christianae fidei communis est perfectis et imperfectis 261 13 — haeresibus scinditur 378 11 — Descriptio status defectuosi populi christiani 318 6 — excitanda est pro s. eucharistia recipienda 99 1. 100 3. sq. — In fide obediendum definitioni Vicarii Christi 235 1

Fiducia — Cur in Deum sit fidendum 174 2 — Causa fiduciae est divina promissio 323 22 — Fiduciam spei habemus a Christo 8 3. 11 12 — Cum fiducia accedendum ad Iesum crucifixum 187 1 — Devotio in fiduciam erigit 148 2

Figura — In testamento veteri est praefiguratio novi 287 3 — transierunt, revelata veritate 296 7

Filius — est Deus genitus de Deo, coaeternus et consubstantialis ei, de quo est 160 2 — generatur a Patre sicut splendor a luce 17 11 — est proprium divinae personae *ibid.* — Filio appropriatur veritas, quia imago, sapientia, quia Verbum, pulcritudo, propter veritatem et sapientiam *ib.* 12 — Ut maiorem fructum faceret, homo factus est 160 2 — inspiratione conceptum propositum opere perficit 94 2 — glorificandus est 95 3 — Laus filiorum amplificat laudem patrum 236 3 — Filiusfamilias in peculio profectitio usum habet, non proprietatem 312 7

Finis — debitus omni operi praefigendus 108 2 — diligenter intendendus 4 4 — Ratione finis aliquid fit bene vel male 266 1 — omnium est gloria Dei 71 1

Fistula — causatur a vulnere 132 2

Flagella — Deus se per flagella repraesentat 205 91 — toleranda exemplo Christi 185 2 — Consideratio praemii minuit vim flagelli 58 8

Flagitium — iteratum duplo displicet 537 5

Flere — Deploratio debet fieri pro perpetratione culpae, amissione gratiae, dilatione gloriae 8 2 — Mala commissa deflenda 4 4. 108 2 — Humana miseria deflenda 74 14 — Christus pluries flevit 74 14 — Te ipsum defle exemplo Petri 76 21

Flores — delectant 221 149 — Sine flore non pervenitur ad fructum 179 1 — serviunt ad mel faciendum 221 149 — significant virtutes 180 1 — Effectus floris ligni vitae 69 3

Foenum — significat temporalia 327 32

Folia — vitis aliis praestantiora sunt 171 1 — ligni vitae est verbum crucis, quod est medicamentum praeservans et reparans 69 3

Fomes — ariditatis est desidia, perversitatis malitia, voluptatis concupiscentia, vanitatis superbia 12 2 — exstinguitur rigore *ibid.* — exstinguitur implorando subsidium *ibid.* — Expugnanda propter adversarium 15 8

Fons — irrigans arborem crucis 68 3 — egrediens de medio paradisi est sanguis Christi 80 30 — gratiarum omnium est Christus 85 48

Fora — 560 2

Fornicatio — Quae cavere debeat suspectus de fornicatione 365 a — Clericus notorius fornicator est suspensus 358 a

Fortitudo — est virtus omnium tentationum sustinens insultus 199 73 — hostium violentias enervat 86 49 — est valde necessaria 199 73 — corrumpitur accidia *ibid.* — acquiritur abstinentia 260 9 — Christus ad gravia perferenda erigit 73 10

Forum — conscientiae 429 8

Foveam — fodere est dolo decipere 162 1

Franciscus — de Assisio traxit originem 505 1. 565 a — Ioannes nominatur a matre 396 11 — Eius iuventus 505 1 — in ecclesia S. Georgii litteras didicit, primitus praedicavit et locum primum quietis accepit 548 5 — Varia praeludia sanctitatis 506 1 — Vir quidam ipsius pedibus sternet vestimentum *ibid.* — diutinis languoribus affligitur *ib.* 2 — Somnium de palatio et armis 506 3. 565 b — se subtrahit a negotiatione 506 4 — quaerit loca solitaria *ibid.* 507 5. 571 b — perfecte convertitur ad Deum 507 1. 508 2. sqq. — doctorem habuit Christum 507 1 — leproso dat pecuniam cum osculo *ib.* 5 — Christus ei apparet cruci confixus *ibid.* — Eius conspectu memoria passionis Christi ipsi impressa est 566 a — Renovatio sui interioris hominis 507 6 — pauperibus sua et se ipsum cupit impendere 506 1. 507 6. sq. 565 a — pauperi militi donat sua vestimenta 506 2 — sacerdotibus pauperibus subveniebat *ibid.* — visitat limina S. Petri *ibid.* — servit leprosis et pauperibus *ibid.* 509 6. 566 b — audit praeceptum de reparanda domo Dei 508 1. 566 a — Falso intelligens hoc praeceptum, pannos vendidit et pecuniam obtulit sacerdoti 508 1 — moratur ad S. Damianum *ibid.*, sq. 566 b — timens iram patris se abscondit 508 2. 566 a — a Domino confortatus redit Assisium 508 2. 566 b — ut surdus pertransit insultationes *ibid.* — a patre verbis, verberibus, vinculis angitur *ibid.* — mater eum abire permisit 508 3 — se offert patri furenti *ibid.* — renuntiat facultatibus paternis, restituit etiam vestimenta 508 4. 566 b — ab episcopo vestitur 508 4 — a quodam amico tunicula paupere contectus est 509 6 — latronibus se exhibet ut praeconem magni Regis 509 5. 566 b — testimoniis septem ostenditur ut praeco Christi 579 b — Osculando sanat leprosum 509 6 — divina providentia dirigebatur *ib.* 8 — Hoc nutu tres ecclesias erexit *ibid.* — a sensibilibus ad intelligibilia, a minoribus ad maiora ordinate conscendit *ibid.* — quid esset facturus opere praesignavit 510 8. 567 a — reparat ecclesiam S. Damiani et S. Petri 509 7. 567 a — et Portiunculae 509 8. 567 a — accipit regulam Apostolorum 510 1. 567 a — coepit evangelicae perfectionis aemulator existere 510 2. 567 b — ad poenitentiam invitat 510 2. 567 b — Quidam viri ei coniunguntur 510 3. sqq. 567 b — B. Patris primogenitus est B. Bernardus 510 3 — sibi associat alios viros *ib.* 4 — Crux aurea ex eius ore procedit 511 5 — scribit primam Regulam *ib.* 8 — Visio miraculosa quoad primam Regulam 516 11 — bis scribit Regulam *ibid.* — Regulam accepit in monte contemplationis 438 2 — Regulam condendo se fundabat super Christum 444 24 — Spiritu S. revelante Regulam condidit 389 11 — in Regula omne vitium relegavit ab Ordine 439 4 — Ordinem in summa puritate fundavit 371 a — tria proponit vovenda ut fundamenta, tria commendat ut desideranda 246 10 — perfectionem Evangelii servavit et docuit 247 10 — erat Regulae observator perfectissimus 334 9. 389 11 — Cur novam Regulam instituerit 338 a. 400 9 — Petit a Papa Innocentio tertio Regulae confirmationem 511 8. 512 9. sq. 567 b — insinuat Papae parabolam de rege cum muliere paupere contrahente 512 10 — Visio et prophetia de futuro statu Ordinis 511 6. 667 b — Mardochaeo comparatur 315 17 — Secundum datam ab eo formam, Regulam et doctrinam triformiter renovanda erat Ecclesia 510 8. 567 a — Alii quatuor viri ei adhaerent 511 7 — Prima missio discipulorum *ibid.* — De profectu Ordinis sub manu ipsius 513 1. sqq. — Roma revertitur ad vallem Spoleti

513 1. 568 a — In via providentia Dei miraculose mittit panem 513 1 — moratur ad Portiunculam 514 5 — moratur in tugurio iuxta Assisium 513 3. 568 a — mentali potius quam vocali orationi intendit *ibid.* — praecipue amavit Portiunculam et Fratribus commendavit ut Virgini carissimam 509 8 — Ibi humiliter coepit, virtuose profecit, feliciter consummavit *ibid.* *Vide v. Portiuncula.* — demonstratur in curru igneo 513 4. 568 b — evangelicum volebat observari silentium 518 6 — Salutatio ipsius 510 2 — instituit Ordinem de poenitentia et S. Clarae 514 6 — Relatio ipsius ad Ordinem Poenitentium 369 a — apparet duobus ensibus signatus 515 9. 569 a — Magnum thau in eius fronte conspicitur 515 9. 569 a — convocat Capitulum generale ad Portiunculam 515 10 — Capitulis provincialibus per sollicitam curam regiminis, instantiam precis et efficaciam benedictionis praesens erat *ibid.* — aliquando Dei virtute visibiliter apparet *ibid.* — in Capitulo Arelatensi in aëre sublevatus conspicitur 515 10. 538 14. 572 a — quaerit consilium de eligenda vita contemplativa sive activa 539 1. sqq. — intellexit se missum ad lucrandum animas 513 2. 568 a — animarum salutem viscerose appetit 526 3. 571 a. 577 b — saluti animarum nihil praefert 531 4 — sitiebat cum Christo multitudinem salvandorum 531 4. 545 1. 571 a — Martyres aemulatur 531 5. sqq. 571 b — ad Syriam transfretare disposuit 531 5 — ventis contrariis ad Sclavoniam compellitur *ibid.* — iterum martyrium quaerit 531 6. 532 7. sqq. — versus Marrochium iter arripit 531 6 — in Hispania infirmitate detinetur 532 6 — ad partes Syriae pergit *ib.* 7 — gaudebat de bono fructu Fratrum 526 3 — anxiatur de scandalo pusillorum 527 3 — in hac anxietate confortatur a Domino *ibid.* — Zelus eius in praedicando 539 2 — praedicat sine respectu humano 540 8 — Praedicatio ipsius mire efficax *ib.* 7. sq. — Praedicatio miraculis redditur authentica 542 12 — praedicat coram Papa 540 7 — praedicat avibus 539 3. 540 4. 574 b

— anhelabat ad apicem perfectionis 545 1 — erat perfectionis omnis amator 327 32 — positus est perfectis in exemplum 504 2 — est imitator Christi praecipuus 315 15 — est evangelicae perfectionis professor, dux et praeco 504 1 — claris vitae et doctrinae micavit fulgoribus *ibid.* — designatur Angelo signum Dei vivi habente *ibid.* — signum in se dominici foederis repraesentavit *ibid.* — est gloriosus Christi signifer 389 11 — est signum reducens ad Christum 247 10 — erat angelus verae pacis 504 1 — erat vir angelicus 542 1 — imitator fuit puritatis angelicae 504 2 — Caro spiritui et spiritus Deo concordavit 519 9 — Mira carnis ad spiritum concordia 545 1 — certificatur de remissione delictorum 511 6. 567 b — lacrymis oculos mentales iugiter expiavit 518 8. 570 a — malebat corporalem visum quam lacrymas amittere 518 8. 570 a — Vita eius similis est initio et perfectioni Ecclesiae 336 13 — triplici desiderio flagravit 338 a — est omni imitatione dignissimus 505 3 — Post ipsius doctrinam et vitam proficisci est tutissimum 514 4 — Quale officium habuerit 504 1. sq. 569 a — Praeconium praeclarum S. Francisci 504 1. 547 1 — est Dei nuntius amabilis Christo, imitabilis nobis, admirabilis mundo 504 2

— est totius humilitatis amator 509 6 — admirabilis fuit humilitate 110 1 — erat magister humilitatis 112 7 — in propria reputatione erat peccator 519 1. 520 3. 521 6. 570 a — in veritate erat speculum sanctitatis 519 1. 570 a — stultum iudicabat mundanis extolli favoribus 520 1 — gaudebat de opprobriis, de laudibus tristabatur *ibid.* — humilitatem praeferebat honoribus 521 6 — humiliat se ipsum *ibid.* — in praedicatione manifestat suos defectus 520 2 — humilitatem penitentiae acceptat 522 11 — humilitatis et pietatis amore leprosis servivit 561 5 — ex humilitate sacerdotium fugit 426 3 — subesse voluit, non praeesse 520 4. 570 a — studebat bona Domini abscondere 520 3 — episcopum licentiam praedicandi negantem humilitate vicit 522 8 — Digne sectanda est eius humilitas 522 11 — Humilitas Francisci miram dignitatem obtinuit 522 11 — Visio cuiusdam Fratris de gloria caelesti S. Patris 521 6 — Detractionem valde abhorrebat 527 4 — Afflictis mira compassione condescendit 527 5. 571 a — nunquam a bono cessavit 542 1 — otium summopere fugiebat 517 6 — de labore manuum parvam vim faciebat nisi propter otium declinandum 334 9 — de labore manuum vix lucratus fuit 12 denarios *ibid.* — erat litterarum imperitus 334 10. 538 14 — factus est S. Spiritus eruditione illustris 538 14 — in Ordine orando et legendo in litteris profecit 334 10 — habuit supernaturalem intelligentiam Scripturae 535 1. 536 2. 572 a — Multum ipsi placuit studium s. Scripturae 334 10 — commendabat studium cum devotione 535 1 — Magnam reverentiam habuit erga clericos, sacerdotes et doctores 334 10. 335 10 — claruit spiritu prophetiae 536 3. sqq. 572 a — cognoscebat longinqua et secreta cordium 572 b. 573 a — daemonum pugnas horribiles sustinuit 522 10. 533 3. 571 a, b — Daemon intrat in cervical Sancti 517 2 — per B. Silvestrum fugat daemones de Aretio 522 9

— Mirabilis Sancti austeritas 516 1. sqq. — in foveam glaciei se immersit 517 3. sq. 569 b — sensus summe custodivit 517 5. 569 b — se subiicit ustioni oculorum 518 9. 573 b — infirmitates sorores nominabat 577 b — omni tempore per ieiunium corpus et per ardorem desiderii spiritum immolabat 531 3 — celebrat Quadragesimam in honorem Archangeli Michaelis 529 10 — ieiunat ab Epiphania usque ad Quadragesimam Paschae 530 2 — servat tria alia ieiunia *ib.* 3 — Non placebat ei districtio sine discretione 518 7 — altissima paupertate imitatur Christum 523 1 — venditis omnibus, margaritam emit evangelicam 538 14 — in paupertate ceteros cupiebat excedere 524 6. 570 b — ex paupertate inferiorem se omnibus reputat 524 6. 570 b — Sua mira exercitia paupertatis 524 7 — se immiscet pauperibus ante fores ecclesiae S. Petri 507 6 — Amor eius ad pauperes 506 1. 565 a — iucundum dicebat sub Fratrum Minorum titulo mendicare 525 8. sq. — Factum notabile, ex quo apparet meritum paupertatis 525 10 — Paupertas in discipulis eius magnae erat efficaciae 514 7 — Totum suum studium circa crucem Domini versabatur 549 1 — erat crucis baiulus et minister 515 10 — signum crucis magno venerabatur affectu et frequenter commendabat 513 3. 515 9 — crucem corde et corpore circumferebat 507 6 — crucis amore sensuales appetitus arcebat 516 1. sqq. 569 b — librum crucis continuo revolvebat 513 3 — sociis iugiter sermonem faciebat de cruce *ibid.* — docet filios librum crucis revolvere et Deum laudare in omnibus et ex omnibus *ibid.* — ad crucem baiulandam plurimos animat 516 1 — Virtus crucis in Sancto manifestata 564 7. sq. — crucis vestigia sequebatur, crucis dulcedinem sapiebat, crucis gloriam praedicabat *ib.* 8 — a cruce incepit, secundum crucis regulam processit, in cruce perfecit *ib.* 9 — In ipso 7 apparitiones crucis Christi monstratae et impletae sunt 545 10. 549 1

— Affectio eius ad creaturas 518 9. 527 6. 570 b — Ei applausit etiam natura brutorum 528 6. sqq. — Creaturae imperio eius subiacebant 519 9, 12 — Falco ipsum excitat ad Officia celebranda 529 10 — peculiari virtute orationis enituit 533 1. sqq. 574 b — instruit socios in modo orandi 513 3 — potissime ad orationem monebat 334 9 — hortatur filios ad conformitatem contemplationis et uniformitatem professionis 438 1. sq. — Pietas quadruplex ipsum repleverat 526 1 — divini amoris flamma absorptus videbatur 530 1 — ex omnibus excitabatur ad amorem divinum 530 1. 570 b — contemplabatur in cunctis Deum 530 1. 570 b — optabat totaliter in Christum transformari 530 2 — celebrat nativitatem Christi 535 7 — Amor eius erga eucharistiam 530 2 — Eius devotio erga Matrem Christi, Angelos et Sanctos *ib.* 3 — et sacras reliquias 521 7 — Varia miracula Sancti 572 a. 573 a, b. 574 a, b — Fr. Moricum sanat 514 8. 568 b — Creatoris providentia ei condescendebat ad placitum 519 11 — Angeli obsequio in infirmitate perfruitur *ibid.*, sq. — superna luce corporaliter dirigitur et spiritualiter confortatur 519 12 — Capillis Sancti muri scissura mirabiliter concluditur 525 11 — miraculo deficienti potum praebet 525 12 — Per merita ipsius Christus cibos multiplicat 526 13. 531 5. 575 a — aquam in vinum convertit 574 a. 519 10, 12 — navicula, cui insedebat, sine remige movetur 540 6. 574 a — sanat

aegrotos, caecos, obsessos et alios 541 9. sqq. — Miracula facta usu chordae eius 541 11 — supra lepra curanda praecellentem virtutem habuit 561 5

— ultimo accedit ad Alvernam 542 1. 575 b — Ei revelatur proxima similitudo cum Christo 542 2 — Seraph crucifixus ei apparet 542 3. 575 b — Stigmata ei imprimuntur 133 4. 543 3. 575 b — Stigmatibus insignitus erat 315 15. 470 3 — Christus ei stigmata tanquam sigillum approbativum impressit 247 10 — Stigmata ei impressa sunt ad confirmationem Regulae et commendationem auctoris 516 11 — Stigmata ipsi impressa fuerunt non a natura vel arte, sed potentia Spiritus Dei vivi 505 2 — *Vide v. Stigmata.* — coepit infirmitatibus graviter laborare 545 2. 546 3. 577 b — Videbatur quasi alter Iob 546 2 — mortem suam praescivit 546 2. 578 a — ad Portiunculam se deferri poposcit 578 a — in morte ostendit amorem paupertatis 546 4 — voluit per omnia Crucifixo confermis esse *ibid.* — hora transitus consolatur et benedicit Fratres 546 5. 578 a — Morienti legitur passio Christi 547 5. 578 a — cunctis in eum completis mysteriis obdormivit in Domino 547 6. 578 b — post mortem ter apparet 547 6. 578 b — Hora transitus veniunt multae alaudae 547 6 — quando mortuus sit 548 6 — Pulcritudo corporis mortui 548 3 — Mirae exsequiae *ib.* 5 — continuo miraculis coruscavit *ib.* 6 — Alia miracula 549 1, 2, 9. 550 3. sqq. 578 b. 579 a — Translatio s. corporis 549 8 — Miracula in translatione *ibid.* — Canonizatio 549 7 — ascriptus est catalogo Sanctorum et ab Ecclesia veneratur 315 15 *Vide v. Minores et v. Regula.*

Fructus — provenit ex flore 179 1 — bonus dandus oratione, lectione, bona operatione 4 4 — centesimus designat virginalem continentiam, sexagesimus vidualem 249 18 — 12 ligni vitae 68 2 — ligni vitae est Christus, qui in paradiso caelesti degustatur 69 3 — ligni vitae sunt sapores vivifici 86 49 — ligni vitae habet in se omne delectamentum et omnem suavitatem 69 3 — sic domesticis Dei ad gustandum proponitur, ut salientur et nunquam fastidiant *ibid.* — sua suavitate delectant et virtuositate confortant meditantem *ib.* 5 — ligni vitae licet unus sit, quasi sub 12 saporibus degustatur 69 4

Frugalitas — molesta est lascivis 326 28

Fruitio — plena summae bonitatis et caritatis est in gloria 11 1 — In fruitione sempiternalium iucunditatum constat supremus status caritatis 244 2

Fugere — mortem est voluntarium et timoris naturalis 254 10 — Sex modi fugae *ib.* 9 — est imperfectorum 254 6. sq. — est imperfectum in genere, ad quod humana infirmitas inclinatur 238 8. sq. — fit perfectum ex circumstantia *ibid.* 253 3 — persecutionem in se est imperfectum 238 10 — Latere in persecutione in Christo respicit condescensionem 243 13 — non est perfectum ratione praecepti Domini 253 5 — praeceptum est Apostolis in casu *ib.* 6 — non convenit perfectis nisi in casu 257 20 — non est simpliciter praeceptum 254 6 — falso extollitur ut actus competens perfectis 235 2 — ex timore mortis non stat cum perfectione caritatis 255 10. sqq. — falso dicitur perfectum *ib.* 12. 257 20 — ex timore naturali est mercenarii 255 12 — Amor superat timorem *ibid.* — ex consideratione propriae infirmitatis non est perfectum *ib.* 13. sq. — pro loco et tempore est absque peccato 254 7 — ex prudentia circumspecta licitum est 256 16 — Sed hoc non est virtutis, sed infirmitatis *ibid.* — infirmis magis competit quam perfectis *ibid.* — ne persequentes gravius peccent, falso dicitur perfectum *ib.* 18 — ad solatium infirmorum potest esse perfectorum 257 19 — non est infirmorum carne tantum *ib.* 20 — peccata est donum Spiritus S. 254 9

Fulginium — 508 1. 561 4

Fundamentum — est fides per caritatem operans 272 1 — christianae religionis est Christus *ibid.* — collocatur in intellectu per fidem, in affectu per caritatem *ibid.* — Ecclesiae sunt perfectionis evangelicae lumina *ib.* 3 — virtutum est perfecta iustitia 73 9 — civitatis Babylonicae est cupiditas 272 1, 3

Fundus — Cautela circa fundum 467 a

Funiculus — est cingulum 400 11

Funi — cinguntur sacci 400 11

Futurum — Ex providentia futurorum oritur timor 8 2

G

Gabriel — missus ad Virginem 71 3

Gad — Filii Gad fuerunt fratrum suorum propugnatores 373 b

Galiani — castrum 562 1

Gallina — pro pullis se obiicit milvo 138 1 — compassione ad pullos commendatur 190 21 — Christus ob incomparabilem caritatem gallinae se comparavit *ibid.*

Garganus — mons 547 6. 559 5

Gaudium — debet esse cum tremore 497 a — Subiectum mundani gaudii est anima peccatis deformata 48 9 — mundanum est flagellum incognitum 47 9 — non perfecte cognoscitur, nisi perfecte despicitur *ibid.* — est despiciendum 48 10 — propter 5 causas contemptibile habendum 47 9 — caeleste quaerendum 48 10 — caeli super omnia desiderandum 57 4 — caeli quotidie meditandum *ib.* 3 — Effectus huius contemplationis *ibid.* sq. 62 17 — 12 gaudia caeli 56 1. 57 2. sqq. — singulorum Beatorum sunt communia omnibus 60 13. 61 15, 17. 67 27 — Perfectum gaudium in Deo invenitur 64 24 — Quantum sit gaudium de propria beatitudine 66 27 — caeleste dependet a gradu amoris 127 8 — Propter gaudia praeparata offerenda est Deo devotio 94 4 *Vide v. Laetitia.*

Gedeon — compescuit spiritum virorum Ephraim 139 5 — praebendarius quidam sanatur a S. Francisco 536 5 — relapsus incurrit mortem praedictam 537 5

Gehenna — *vide v. Infernus.*

Gemini — castrum 541 10

Geminiani — castrum 555 10. 557 5.

Gemitus — Per gemitum Veritas est advocanda 18 14

Gena — Vellicatio genarum Christi dupliciter intelligi potest 184 1 — Patientia Christi in hac laceratione est imitanda 185 1

Generalis — *vide v. Minister.*

Generare — In actu generativae potentiae est concupiscentia 245 5

Generositas — animi 55 11

Gentiles — conventicula faciunt, profana commercia celebrant, ritus perfidiae observant 149 9

Geometria — figurarum demonstrationibus melius capitur 140 1

Georgius — In ecclesia S. Georgii S. Franciscus puerulus litteras didicit, primitus praedicavit, locum primum quietis accepit 548 5

Gerardus — est discipulus auctoris libri damnati 286 1 — scripsit in defensionem libri damnati 235 1. 286 1 — toto libro impiam doctrinam disseminat 235 2. 236 5 — Eius liber a diabolo trahit originem 236 4 — est calumniator, non doctor 235 1. sq. 236 5. 260 10. 266 1. 267 3, 6. 294 23 — est omni veritate et scientia nudus 240 3. 241 6. 254 9. 264 24. 289 8. 292 18. 297 10 — est contentionis amator 261 1, 31 — a perfectione revocat *ibid.* 234 3. 304 29 — intorquet Scripturam ea abutendo 239 1. 234 2. 261 12. sq. 296 5. 297 9, 11 — exempla Christi obscurat 239 11. 242 11. 253 5. 266 30. 296 8. sq. — blasphemat Christum et Sanctos 236 5. 255 12. 256 15. 263 20. 265 27. 266 30. 292 19 — misericordiae salutisque vias praecludit 236 5 — est contrarius Christi iustitiae 239 11. 293 20 — callide pietatem praefert 234 2 — contradicit fidei, Ss. Patribus, sibi ipsi 239 1. 240 3, 5. 241 6. 265 29. 266 31. 269 10. 286 1 — incidit in multos errores 252 26 — Iovinianum sequitur 240 3. 241 6. sq. 260 11. 263 18. 270 13 — fidelium mentes inficit moresque corrumpit 260 11 — errat circa abstinentiam et ieiunium 257 1. 262 18. 263 18. sqq. 264 24. 266 1. sqq. 268 7. 270 13 — errat ut Nestorianus et Arianus 267 5 — errat circa fugae liceitatem 254 6. 255

12. 257 20 — est hostis paupertatis 286 1. sqq. 290 15. 292 19. 294 1. 296 8. 303 27 — Religiosos mendicantes impugnat 235 2. 236 4 — falso extollit divitias et honores ecclesiasticos 288 7. 290 12. 291 16. 303 27, 29

Gerlandinus — a S. Francisco a mortuis suscitatur 553 7

Girardus — per S. Franciscum recepit lumen oculorum 560 7

Gloria — maior et minor respondet imperfectioni et perfectioni 243 14 — vana figuratur per volucres 198 70 — vana oritur ex incredulitate 222 157 — oritur ex superbia 432 6. 439 4 — Quando non sit mortale gloriam quaerere 433 7 — mundana est vana, falsa et miserabilis 45 2 — Christus docuit gloriam fugere 285 40. 297 11 — Christus patitur pro nostra glorificatione 13 3 — Per servitutem Christi sublimamur *ib.* 4 — Fastigium gloriae est in paradiso *ibid.* — Opera glorificationis sunt meditanda 7 18 — Ad gloriam pervenitur per passiones et poenas, per persecutiones et tribulationes 443 20, 22 — Ad gloriam, de qua superbus eiicitur, humilis exaltatur 521 6 — sequitur fugientes 303 28 — Dilatio gloriae deploranda 8 2 — Dei est finis omnium 71 1

Glorificatio — *vide v. Corpus.*

Gradus — sex throni Salomonis 10 11 — sex caritatis *ibid.*

Graeci — quales praedicatores apostolicos nuncupent 389 11 — Graecus quidam per S. Franciscum e carcere liberatur 556 1

Graecium — 528 8. 529 11. 538 12 — Ibi S. Franciscus celebrat festum nativitatis Christi 535 7

Gratia — Originale principium gratiae est Verbum incarnatum 243 12 — Gratiae principium est misericordia 11 12 — Deus dedit gratiam baptismalem, poenitentialem, sacerdotalem 6 12 — baptismalis delet culpam, restituit innocentiam, confert iustitiam *ibid.* — facit dignum vita aeterna *ibid.* — septiformis Spiritus S. datur per Sacramenta 83 40 — septiformis diffunditur per Christi crucem 69 5 — haurienda de 5 vulneribus Christi 120 1 — sine sollicitudine non acquiritur 497 b — Ad gratiam impetrandam exhibenda est latria 8 4 — confluit ad humiles 111 6 — oratione hauritur de fonte Trinitatis 119 5 — datur deplorantibus miseriam et indigentiam 8 1 — fecundans et illuminans, quomodo acquiratur 444 23 — In gratia proficitur per caritatem 124 1 — Deus habitat in anima per gratiam 497 b — est primordialis in perfectione 11 12 — In esse gratiae est senaria perfectio hominis 246 8 — reformat hominem 28 2 — revocat a peccato 41 37. sq. — Mortui suscitantur in gratiae collatione 93 3 — animam adiuvat, consolatur, reficit 95 3 — necessaria est ad cultum Deo exhibendum 8 1 — Amissio gratiae deploranda *ib.* 2. 12 2 — Pro gratia Deo magna benevolentia reddenda est 9 7 — Non omnibus datur aequalis gratia 348 a — maxima est vocatio a mundi miseriis 499 2 — spirituales occulte tenendae 495 b — Deus quaedam ordinat per gratiam 71 1

Gratitudo — necessaria ad proficiendum 15 9 — necessaria propter gratiam *ibid.* — pro quo exhibenda sit 6 10. 118 3. 499 1 — omnia beneficia prosequi debet 150 14 — debet esse coniuncta illuminationi 6 10 — Anima debet esse Deo grata *ib.* 13 — iugiter Deo referenda 149 6 — Cor debet dilatari ad gratiarum actionem 9 4 — toto corde exhibenda 492 7 — In gratitudine debet esse admiratio beneficiorum, annihilatio meritorum, gratiarum actio propter ereptionem de inferno 15 9 — In gratitudine est vigilantia exsurgens ad canticum, laetitia exsultans ad iubilum, benevolentia accedens ad amplexum 16 10 — correspondere debet beneficio 499 1 — In gratitudine est perfectio 16 10 — dignum reddit divinis muneribus 118 3 — benefactori conciliat 325 28 — utilis et necessaria est in oratione 118 3 — molesta est indevotis 326 28 — Quomodo sit instituenda gratiarum actio post s. communionem 481 3

Gratuita — per Spiritum S. collata sunt 220 147 — amittuntur a peccatore 8 2

Gregorius — cum monachis de possessionibus communibus vixit 278 19 — Officii divini institutor 407 2 — Papa nonus 557 4 — Hic erat episcopus Ostiensis, Ordinis Minorum protector et promotor 521 5 — erat divino et humano iure peritus 314 13 — Ipsi S. Franciscus praedixerat dignitatem apostolicam 521 5. 550 2 — declaravit Regulam Minorum 391 1. 395 7 — quid statuerit circa proprietatem et usum rerum Ordinis 312 6 — mentem Francisci plenius noverat 314 13 — Ipsi apparet S. Franciscus 550 2 — Franciscum catalogo Sanctorum ascripsit 549 7

Guardiani — nomine Custodis intelliguntur 419 22 — Quomodo eligi debeant 461 a — habent sollicitudinem partialem de Ordine 447 36 — habent custodiae pastorali intendere 419 22 — Ipsis imponitur procuratio necessariorum *ibid.* — dispensative temperare possunt rigorem Regulae *ibid.* — non sustinere debent, labefactari Ordinis puritatem *ibid.* — Quando Capitulum instituere debeant 461 b

Guidollotus — a S. Francisco protegitur 557 5

Gula — edomanda 258 3 — Guloso difficilius est ieiunare ratione vitiositatis 248 16

Gulielmus — Religiosos mendicantes impugnat 286 1

Gustus — ligni vetiti nostrae perditionis causa exstitit 78 28 — decipitur dulcedine creaturarum 33 13 — Suavitas Dei gustatur in meditatione 10 9 — Gustare sapores vivificos est doni sapientiae 86 49

Gyrovagi — 319 11

H

Habere — cara est curiositatis 4 5

Habitus — mutatur in Religione 261 13 — novitiorum distinctus ab habitu professorum 400 11 — Fratrum Minorum, qualis esse debeat 400 10. 451 a — Sex de causis prohibitum est, ne deferatur ab aliis 363 b. 364 a

Haeretici — scindunt fidem 378 11 — Scripturam depravant 339 b — refellendi sunt per Scripturas *ibid.* — populum a clero abalienare student 357 b — per callidas expositiones Scripturae et promissiones clericos subvertere nituntur 358 a — clericos infamant, ut populum sibi attrahant 373 a — Dominus inhibet haeresim et omnem errorem 398 4 — In quo consistat haeresis nudis pedibus ambulantium et Manichaeorum 305 4 — Haeresis Massalianorum cavenda 434 9 — errantes circa dotationem ecclesiae refellendi sunt 322 19

Hasta — est oratio 170 6

Hausorium — est oratio 119 5

Heli — ob negligentiam punitur 135 12

Hereditas — Hereditatem nemo adire compellitur 313 9 — solo animo acquiritur et repudiatur *ibid.*

Herodes — Eius malitia declinanda 72 6 — erat crudelis tyrannus 77 24 — Christum ludibrio habuit *ibid.*

Hesebon — 351 b

Hierarchia — dicit universorum sacrorum ornatum 251 23 — est sacer ordo 393 1 — In hierarchia est ordo et scientia 397 1 — est potestas ordinata ad disponendum omnia sacrae potestati subiecta 428 4 — consistit in sanctis perfectionibus et in ordine perficiendorum 393 1 — dividitur in sanctas perfectiones et perfectores et perfectos 397 1 — Influxus septiformis hierarchicus 317 3. sqq. — Actus hierarchici sunt purgatio, illuminatio, perfectio 3 1 — est caelestis vel subcaelestis 319 9 — caelestis laudat Deum intellectualiter, subcaelestis per sensibilia symbola 408 5 — Hierarchia habet totam potestatem in se adunatam 428 4 — Hierarcha suam potestatem aliis committere potest *ibid.* — In eloquiis hierarchicis optime sonat nomen dilectionis 392 2

Hieronymus — habet magnam auctoritatem in exponendis Scripturis 405 23 — miles miraculo de veritate stigmatum S. Francisci affirmatur 548 4

Hilarionis — ieiunium 269 9

Hispania — 563 2 — S. Franciscus ibidem infirmatur 532 6

Hoedus — est animal immundum 181 2 — significat peccatores 80 31 — significat Christum 181 2

Holocaustum — Christi verissimum, gratissimum, saluberrimum 220 146

Homicidium — Occidere maleficum est bonum ex circumstantia 238 9 — Dominus inhibet homicidium et iniustam laesionem 398 4

Homo — est imago Dei et creatura dignissima 309 13 — sexta die conditus est per divinam virtutem et sapientiam 71 3 — Propter ipsum omnia creata sunt 7 18. 309 13 — Ipsi data sunt inferiora ad obsequium, paria ad meritum, superiora ad patrocinium 6 13 — Deus hominem prae creaturis aliis exornavit 203 86 — Complementum naturae ex parte corporis, sensus et animae 6 11 — Variae sunt hominum conditiones, qualitates et mores 344 b — revocatus est ad poenitentiam repromissione Salvatoris 71 2 — in peccatis conversatus hereditati caelesti deputatus est 186 2 — Deus primo fecit hominem secundum se, et postea ipse factus est secundum hominem 203 86 — nobilitatus est incarnatione Christi 71 3 — Hominis dignitas manifestatur per crucem 13 4 — sunt a Deo formati, reformati, educati, eruti de ore inimici, redempti de carcere inferni, conducti in vineam Domini 9 6 — creatus est ad imaginem, redemptus per sanguinem, ereptus ab inferno ad caeli altitudinem 15 9 — Christus crucifixus est propter genus humanum 13 4 — in praesenti non potest Deum perfecte possidere 10 9 — debet esse socius Angelorum per puritatem, filius Apostolorum et Martyrum per caritatem et patientiam, Confessorum et Virginum per pietatem et continentiam 51 17 — viator conformari debet Beatis 11 1 — se debent reputare parvos, minimos et nullos 9 6 — crucifigitur mundo, cum desiderat placere soli Deo *ib.* 8 — appetentes vanitatem mundi sunt caeci et miseri 45 3 — omnis pro sui status gradu reverendus est 398 4. 410 12 — Homini non debet satisfieri cum offensa Dei 145 13

Honestum — ad aedificationem proximi ordinatur 392 3 — idem est ac utile 289 9. 290 11 — Honestas sensuum exteriorum est ornativa virtutum 485 1 — Honestas semper observanda est 130 8. 290 12. 485 1 — Honestas maturitatis triplex est 141 6. sqq. — Media ad eam servandam 130 8. 485 1 — Quomodo honestas regulanda sit 392 3

Honor — Dei, unde oriatur 105 17 — Effectus huius honoris *ibid.* — divinus per peccatum subtrahitur 79 28 — Dominus omnem hominem honorari praecipit 398 4 — octo modis exhibendus proximo 371 a — exterior non sufficit *ibid.* — Appetere honorem est vanitatis 4 5 — est vanus et reddit vanum *ibid.* — comitatur officium pontificale 296 8 — annexus praelationi est periculosus 251 25 — fugitur ab humilibus 297 11. 410 12 — appetitur a superbia 77 25. 297 11 — ecclesiastici sunt fugiendi 303 29 — parvipendendi *ib.* 28 — fugiendi, salvo zelo animarum et obedientia 297 11 — In fuga ecclesiastici honoris est imitatio Christi *ibid.* — Quae sit summa privatio honoris 423 21

Honorius — Papa tertius confirmavit Regulam Minorum 391 1. 438 2. 516 11

Hospites — quomodo suscipiendi et tractandi sint 453 b. 454 a

Humanitas — Christi praebet Beatis fercula nobilissima 59 11. 66 27

Humilitas — significatur flore violae 192 53 — quid sit 410 12 — est magnum bonum et donum Dei 500 6 — est virtus omnium summa 194 57 — Sine ipsa nemo pervenit ad salutem 72 5 — est magna virtus 111 4 — Sine ipsa virtus non existit *ibid.* — est fundamentum omnium virtutum 110 1 — est radix et custos omnium virtutum 72 5 — est omnium virtutum custos et decor 519 1 — est fundamentum patientiae 434 10 — Christus humilitatis speculum 77 25 — Christus est magister humilitatis 112 7. 519 1 — Christus verbo et exemplo humilitatem commendavit 194 58. 195 59. 500 4. 519 1 — Christi quanta fuerit 111 4 — Christus ab humilitate sumsit initium 72 5 — Christus voluit nos facere humiles hostilis pugnae humili perpessione 73 10 — maxime discenda a Christo 72 6. 110 1. 297 10. 298 12. 494 a — in omnibus servanda 485 2. 494 a — Varia exempla humilitatis 112 7 — mansuetudinis triplex est 141 3. sqq. — habenda ad Deum 13 3 — sola placet Deo 110 3 — Deus est amator humilium 521 6 — Ad Dei contemplationem ascenditur per sui humilitatem 477 3 — Proficere in Deum est humiliare se ipsum 501 6 — verax acquirenda est 110 1 — In corde et opere humilitati studendum 485 2 — Quilibet ex humilitate se imperfectum reputare debet 255 13. 257 20 — Humilitate supplendus est defectus rigoris 264 23 — Variae causae se humiliandi 194 58. 195 61. 207 98. 209 102. 477 3 — via ad humilitatem 110 2. sqq. 501 6 — Via ad humilitatem est rememoratio humilitatis Christi et circumspectio sui ipsius 111 4. sq. — acquiritur consideratione proprii defectus 110 1 — Devotio cor humiliat 148 2 — Humiliatio debet esse spiritualis et corporalis, interior et exterior 298 12 — Humiliatio exterior plurimum confert ad perfectionem verae humilitatis *ibid.* — exercenda amplexu humilium 16 9 — non debet quaerere curiosa, pretiosa, excelsa 141 5 — Paupertas est humilitatis fomentum 523 1 — adornari debet comitatu paupertatis, patientiae, obedientiae 72 8 — comprobatur et perficitur patientia 111 7 — Ad humilitatis custodiam Deus permittit tentationes 522 10 — Humilibus convenit se ipsos despicere et despicabiles reputare 406 26 — Humilibus solatium est despici 326 28 — adulationibus impeditur 147 20 — in statu sublimi est ornamentum nobile 392 2 — nullum honorem appetit et gloriam fugit 410 12 — non est vilificanda exemplo honoris pontificalis 296 8 — honores ecclesiasticos fugit 297 11 — Propter humilitatem non est diminuenda auctoritas et evigilantia 419 22 — Non est magnum se humiliare superiori vel aequali, sed inferiori 500 4 — praecipue necessaria est virginibus Christi 110 3. 207 98 — unienda est virginitati 112 8 — minuitur vanitate 401 11 — Pedissequae humilitatis sunt quies et timor 193 55 — Per eam obtinetur tranquillitas et pax 494 a — Humilitate acquiritur gratia et amor Christi 500 4. sqq. — Gratia Spiritus S. confluit ad humiles 111 6 — Humilis propinquat ad Dominum et invenit gratiam *ibid.* — divinam mitigat iram et invenit gratiam 111 6 — caritati locum praeparat et mentem a vanitate evacuat *ibid.* — In humilitate animae lucrum est 521 5 — Humilis meretur illuminari a Deo 147 19 — exaltat 500 4. 522 11 — ab omnibus promeretur honorem 522 11 — Ad excellentiam gloriae, de qua superbus eiicitur, exaltatur humilis 521 6 — etiam ab ipsis superbis exaltatur 193 54 — Nonnunquam de laude humilium auditores emendantur *ibid.* — Daemones fugiunt virtutes humilium 522 10 — Dictum notabile S. Francisci de humilitate 521 5. sq.

Humores — noxii affluunt, ubi est laesio 145 14

Hymni — de passione Domini 151. sqq.

Hypocrita — nunquam respicit defectus suos 487 1 — praesumens de se, alios iudicat, detrahit et condemnat *ibid.* — quidam despiciunt statum vitae communis 265 27

I

Iacob — patriarcha filiis Ioseph benedixit 318 8 — non est exemplum voluntariae expropriationis 295 5

Iacoba — de Septem-Soliis 528 7

Iacobus — Reatinus 556 3 — de Assisio 559 1 — de Isco 560 2

Iactantia — habet quatuor species 208 98. sqq.

Idea — Multitudo idearum includitur in sapientia divina 17 12

Idolorum — cultura vitanda 233 1 — Idolothyta ab omnibus vitanda 266 31 — Dominus inhibendo idololatriam inhibet omnem superstitionem 398 4 — Cupiditas est idolorum servitus 304 1

Ieiunium — est vel necessitatis vel voluntatis 444 25 — est vel moeroris vel gaudii 409 7 — moeroris duplex est *ibid.*

— Moyses, Elias et Christus 40 diebus ieiunarunt *ibid.* — Quid significet ipsorum ieiunium *ibid.* — Christus ieiunando dedit exemplum austeritatis 266 2 — Christi imitandum 73 10 — Per ieiunium contra concupiscentias certandum exemplo Christi 269 10. sq. — Ieiunii defensor 266 1 — commendatur a sacris doctoribus 270 13 — attribuitur innocentiae paradisi *ib.* 14 — comparatur vitae caelesti *ibid.*, 15 — Cur sit ieiunandum 444 25 — quantum nobis imponere debeamus 482 2 — praeferendum saturitati 258 4. 260 11. 268 6 — Quis excusetur a ieiuniis 269 12 — quomodo fiat delectabile 409 7 — difficilius est guloso ex vitiositate agentis 248 16 — Sex differentiae ieiunii 268 9 — Ieiunare potest fieri perfecte et imperfecte, bene et male 266 1 — Ieiunans non est universaliter comedente perfectior 268 6 — depravatur per defectum circumstantiae 237 7 — coniungi debet cum abstinentia a sensibili voluptate 410 9 — Ieiunii arctitudo est abstinentiae culmen 266 1 — de ratione sui generis est bonum et ad perfectionem ordinatum *ibid.* — de se est difficile et arduum et efficax ad repressionem libidinis et exercitationem virtutis *ib.* 2 — Perfectius est ieiunia servare quam solvere *ibid.* — licet ex rationabili causa salva perfectione intermitti possit, tamen est de perfectionis integritate 268 7 — solvere facile est, carni suave, secundum inclinationem mentalis infirmitatis et imperfectum de se 266 2 — dupliciter fieri potest perfecte *ibid.* — Fraudulenta commendatione solutionis ieiunii carnalis lasciviae venena propinantur 267 3 — servare competit viris perfectis 270 13 — solvere non est perfectorum 235 2 — concupiscentiae refrenandae causa magis competit perfectis quam imperfectis 269 9 — a perfectis observari debet ad superandum hostem domesticum *ib.* 12 — pro exhibenda aliis misericordia non competit imperfectis, sed perfectis *ib.* 11 — non competit solis perfectis 235 2. 266 1 — Ieiunii effectus 271 20 — est medicamentum spiritualium morborum 235 2 — — ordinat hominem ad se ipsum 407 1. 409 7 — solatium carnale procul pellit 434 9 — perducit ad purgationem, illuminationem et perfectionem 270 15. 271 1 — impetrat intelligentiam divinae legis in operandis et veritatis in speculandis 270 16 — Ieiunio obtinetur perfecta custodia sanctitatis *ib.* 15 — est reconciliationis sacrificium, virtutis incrementum *ibid.* — dat constantiam perfectae virtutis ad faciendum ardua et ad superandum adversa 271 18. sq. — Per ieiunium obtinetur perfectio sanctitatis, sapientiae et virtutis *ib.* 20 — evangelicae perfectioni praestat munimen 266 1 — Cur Dominus discipulos non ieiunantes excusaverit 410 9 — De ieiunio parum expressum est in Evangelio *ibid.* — Cur institutum sit ieiunium Quadragesimae 409 7 — quomodo in Ordine Min. servandum sit 453 a. 464 b — S. Franciscus duas Quadragesimas praecepit, tertiam suasit 409 7

Ieremias — officium suum sollicite adimplevit 361 a

Ierusalem — interpretatur visio pacis 246 8 — Novae Ierusalem fundamentum et fundator est Christus 272 2 — In supernam Ierusalem mens transit per contemplationem 11 1

Iesus — proprie dicitur, quia in hoc nomine obtinetur salus 85 48 — salutaris vel salvator interpretatur 219 141 — est salvator 92 1. 183 1 — Cur congruenter in circumcisione ipsi hoc nomen aptatum fuerit 183 2 — Varii effectus huius nominis 92 1. sqq. 93 1 — Hoc nomen B. Mariae magnam attulit dulcedinem 92 3 — Nomen Iesus nutrit 219 141 — pascit et fovet *ib.* 143 — In hoc nomine est delectandum et salus requirenda 219 141 — Dominus, frater et amicus noster est 163 4 — est agnus beatissimus, mundus et immaculatus 59 11 — est sapientia Patris altissimi 182 4 — Sine ipso est nullus sapiens 159 a — est aeterni Patris sapientia *ibid.* — est fons sapientiae, auctor scientiae, seminator casti consilii 34 15 — est lux vera 159 b — est clavis David reserans obscura *ibid.* — est sol iustitiae, lucens in virtute sua 178 2 — est lex devotorum, lux caecorum, dux miserorum, vita morientium, salus aeterna 93 2 — est optimus medicus, dux non seducens, rex suos erigens, athleta fortissimus, in suis et pro suis pugnans et vincens et victores coronans 199 75 — est omnia, quae velle potes et debes *ibid.* — est benedictus flos et fructus Virginis castissimae 159 a — est flos deliciosus caeli 187 1. sq. — floruit omni virtutum specie 180 1 — est lignum vitae 159 a — est benigna vitis *ibid.* — est vitis caelestis *ib.* 1 *Vide v. Vitis-mystica.* — vocatur panis bis coctus 221 148 — cur dicatur hoedus 181 2 — est fons omnis pulcritudinis 33 12 — est fons universae dulcedinis et pietatis 34 13 — est fons universae dulcedinis et suavitatis 35 17. 93 1 — est fons odoris 34 14 — Suavis est amplexus eius, honestus attactus et deliciosus convictus eius 35 17. sq. — est ipse fons totius boni in caelo 375 3 — Ab ipso fluit omnis gloria Sanctorum *ibid.* — semetipsum perseverantibus reddet in praemium 178 2 — De ipsius humanitate et Divinitate Sanctis in caelo ministrantur fercula nobilissima 59 11 — quorum vocetur corona 166 3 — Cor Iesu est bonus thesaurus et pretiosa margarita 163 3 — Pium est gaudere pro Iesu et flere pium Iesum 167 3 — cito exaudit, cito promittit, cito dat 174 2 — Dies Iesu nubilum non habet 178 2 — in die sua solus singularis sol erit *ibid.* — Quis et qualis sit dies Iesu *ibid.* — Meditatio Iesu, quales effectus producat 88 a — ut omnium bonorum auctor, fons et principium est laudandus, glorificandus et benedicendus *ib.* b — est prae omnibus et in omnibus desiderandus 93 2 — Affectus pii ad Iesum 35 18. 213 112 — Affectus ad Iesum passum 187 2. 189 4 — quomodo spiritualiter concipiatur 88 1 — quomodo spiritualiter nascatur 91 1. 94 1 — Quid sit haec nativitas 91 1 — Effectus huius nativitatis *ibid.* — quomodo spiritualiter nutriendus et fovendus sit *ib.* 3 — quomodo sit nominandus 92 1. sqq. — nominatur per caelestium dulcedinum degustationem 94 1 — cum Magis est quaerendus et adorandus 93 1. sqq. — Quaerendus est meditationibus, requirendus affectionibus, interrogandus cogitationibus *ib.* 1 — Ubi inveniatur ab anima devota *ib.* 3 — adorandus est, quia est creator, redemptor, remunerator 94 4 — Quae munera ei offerenda sint *ibid.* — in templum praesentatur per spiritualium munerum praesentationem *ib.* 1 — Domino offertur per gratiarum actionem *ibid.* — quaerendus est cum doctoribus, ut det veram sapientiam 96 a — quaerendus cum sponsa in horto deliciarum *ib.* b

Iethro — erat socer Moysi 147 19 — Moyses eius consilium ratum habuit et servavit *ibid.*

Igniculus — *vide v. Sapientia.*

Ignis — temperat aëris frigiditatem 32 7 — ferrum in sui similitudinem convertit 104 13 — mundiales concurrent ad orbis conflagrationem 83 42 — Per ignem intelligitur Spiritus S. intellectui ministrans lucem et affectui ardorem 82 39

Ignorantia — impedit salutem 71 2

Ilerda — 550 5

Illabi — in animam potest solus Deus 31 6

Illuminatio — est actus hierarchicus 3 1. 271 20 — est actus hierarchiae caelestis 270 15 — praeexigitur ad perfectionem 17 13 — Via illuminativa ducit ad splendorem veritatis 12 1 — ad veritatem ducit 3 1 — In via illuminativa homo se exercere debet ad radium intelligentiae 3 2. 6 10 — coniuncta esse debet gratitudini affectionis 6 10 — Illuminativa consistit in imitatione Christi 12 1. *ib.* 3. 15 8 — est in similitudine 16 10 — Christus patitur pro nostra illuminatione 13 3 — meretur ieiunio 270 14 — Mens illuminatur per sapientiam 271 20 — acquiritur laudum divinarum frequentatione 407 2 — Anima debet esse illuminatrix per honestam conversationem, virtuosam operationem, studiosam aliorum in bono informationem 91 2

Illuminatus — erat socius S. Francisci 532 8 — erat vir luminis et virtutis *ibid.* — Sua admonitione S. Franciscus refert sociis impressionem stigmatum 543 4 — puer quidam per S. Franciscum lumen oculorum accepit 559 6 — postea Ordinem Min. ingressus est 560 6

Imaginatio — iuvat intelligentiam 68 2 — Imaginabile est terminabile, figurabile, numerabile, circumscriptibile, commutabile 7 17

Imago — in divinis est proprium personae 17 14 — Anima est imago Trinitatis 30 3 — divina in cunctis hominibus consideranda est 495 a

Imitari — debemus Christum in quinque virtutibus 499 3. 500 4. sqq. — In

imitatione Christi consistit illuminativa 12 4 — Per imitationem Christi pervenitur ad splendorem veritatis *ib.* 3 — Secundum varium modum imitationis Christi sunt diversi status, gradus et Ordines in Ecclesia 243 12

Immensitas — divina admiranda et reverenda 9 5

Immortalitas — animae 30 4

Immunditia — humana abluenda est sanguine Christi 5 7

Imola — 522 8

Impatientia — Superbia est fundamentum impatientiae 434 10 — facit octo mala 438 5 — producit murmurationem 433 6 — in sustinenda penuria ob tres causas accidit 343 b

Impedimenta — falsa perfectionis studio obiici solent 89 3. 90 4. sq.

Imperator — Auctoritas imperialis potestatis 313 10

Implorandum — subsidium Dei Patris, Christi, Virginis, Ecclesiae triumphantis 12 2 — Implora subsidium propter remedium 15 8 — Non implorat subsidium, nisi qui deplorat damnum suum 12 2

Imperfecti — sunt infirmi mente 137 7 *Vide v. Infirmitas-mentis.* — segniter se in virtutibus exercent 132 2 — Imperfectis sufficit peccata maiora vitare per mandatorum observantiam 281 28 — ab alio ad virtutum studia compelli debent 132 2 — non sunt urgendi in exercitio virtutum supra gratiam 137 9 — Eorum imperfectiones aequanimiter tolerandae sunt *ib.* 8. sq. — Non omnis imperfectus caritate caret 262 17 — Quis dicendus sit imperfectus 241 6

— Imperfectis non magis competit abstinentia et ieiunium quam perfectis 235 2. 263 18 — non magis tenentur divitias fugere quam perfecti 281 27. sq. — Imperfectorum est uti concessis ac licitis 244 a, b — Imperfectis competit cura rei familiaris 281 28 — astringuntur ad observantiam mandatorum 241 6 — Imperfectis non est indulta transgressio mandatorum 254 9 — adhuc concupiscentiis agitantur 266 30 — debent concupiscentias suas refrenare *ib.* 31 — Imperfectorum est latere in persecutione, trepidare et contristari in morte 243 13 — astringuntur ad idolothyta vitanda 266 31 — non debent alios scandalizare *ibid.* — significantur per turbas 246 8 — ad statum Religionis admittuntur 251 25

Imperfectio — Imperfectum in genere dicitur actus facilis, ad quem humana infirmitas inclinatur 238 8. 266 2 — Imperfectum perfecte fieri potest ratione circumstantiae superadditae 238 9. sq. 253 3. 254 7. 258 4. 259 7. 266 2 — Perfectum in genere potest fieri imperfectum ex circumstantia 238 9 — secundum se non potest stare cum perfectione *ib.* 8 — Imperfectum ex circumstantia est actus informatus circumstantia inclinante ad infimum iustitiae statum *ibid.* — Aliquid fit imperfecte ratione finis et circumstantiarum 266 1

— non tollitur per praeceptum 253 5 — a perfectione deficit 242 12 — non est omne, quod est citra apicem perfectionis 291 15. sq. — Perfectio et imperfectio non differunt sicut maius et minus bonum 243 14. 244 b — falso dicitur cadere sub indulgentia 241 7 — de se non dicit culpam 256 17. 295 4 — nullum dicit peccatum 243 15 — non dicit quid reprehensibile nec peccatum 244 b — non est peccatum mortale 239 2 — non est iniustum 240 3. 256 17 — non est culpa mortalis nec venialis 262 17 — non requirit veniam 244 a — falso dicitur quaedam mors 241 6 — non est animae pollutio 262 17 — non includit peccatum 254 7 — falso dicitur reatus, mundo conformis et Deo displicens 268 6 — in recenter baptizato non est peccatum 244 b — Imperfectionis non est declinare ab honestate 289 9 — non est distortio a regula iustitiae 240 3 — non potest dici quaedam claudicatio 241 7 — non consistit in difformitate cum Christi operibus vel mandatis 240 3 — non dicit quamcumque dissonantiam ab operibus Christi 242 11 — simul cum innocentia stat 244 a — erronee dicitur damnum virtutis 264 25 — est virtus secundi et inferioris status et gradus 244 b — potest procedere ex omnibus virtutibus 256 17

— Non omnis faciens imperfectum de genere operis est imperfectus 267 6 — Faciens imperfectum propter circumstantiam potest ab omni imperfectione excusari 268 6 — Faciens imperfectum potest esse perfectior quam faciens perfecta *ibid.* — Opus imperfectum nullam imperfectionem ponit in condescendente, sed in eis quibus condescendit, vel in ipso genere actus 253 3. 267 2 — Imperfectum a viro perfecto fit ratione debilitatis propriae, vel condescensionis fraternae 266 2 — Facere imperfecta ad imperfectorum condescensionem non est contrarium rectitudini perfectae 236 5 — Christus perfectissime fecit imperfecta 267 2 — Christus supportavit imperfectionem nostram 259 5 — Imperfectis Christus condescendit, cum tristatus est 237 6 — Vix reperiri potest persona vel status ab omni imperfectione immunis 311 1. 497 a — Praelatus condescendere debet imperfectioni subditorum 137 9 — Omnia a Deo creata prius imperfecta fuerunt quam perfecta 268 6 — Haec imperfectio non displicuit Deo nec repugnat eius sapientiae *ibid.*

Incarnatio — In incarnatione Christi homo Divinitati coniuncta est 71 3. 79 1 — In incarnatione fuit nobilitatio humani generis et condescensio Maiestatis 71 3 — Christus in incarnatione infra Angelos et homines humiliatus fuit 161 2. sq. — Christus incarnatus est, ut superbos humiliaret 39 30. sqq.

Incipientes — ob quatuor rationes indigent magistro 132 2

Incomprehensibilia — sunt mysteria summae Trinitatis 16 11

Inconstantia — in proposito et consilio vitanda est 141 8

Incontinentia — vel est in facto et verbo, vel in occasione et familiaritate 445 27

Incorporare — Non est vita corpori absque incorporatione cibi 103 13 — Non est vita animae sine incorporatione cibi spiritualis 104 13

Incorrigibiles — Constitutionum ordinatio quoad ipsos 458 a

Incredulitas — Hoc vitio urgebantur qui in deserto a serpentibus occisi sunt 222 156 — Ex incredulitate oritur vana gloria, avaritia, iracundia, accidia, luxuria, gula *ib.* 157

Indevotis — molesta est gratiarum actio 326 28

India — Monachi Indiae 389 11

Indifferens — in se licite et bene fieri potest 371 b

Indigentia — omnis potest suppleri per amorem 7 16

Indignitas — propria consideranda 9 5 — Consideratione indignitatis nostrae debemus Deo magnam benevolentiam *ib.* 7

Indulgentia — dispensatur per gratiam sacerdotalem 6 12 — Quod indulgetur includit peccatum 241 7

Indurare — Quales peccatores Deus indurare soleat 355 b

Industria — qualem mendicitatem pariat 325 27

Inferior — regulatur quatuor modis quoad superiorem 445 28 — Inferiora data sunt homini ad obsequium 6 13

Infernus — est plenus egestate, vilitate, ignominia, calamitate et miseria 13 4 — Poena infernalis est intolerabilis 28 2. 54 6. sqq. — Tormenta inferni sunt varia, aspera, horribilia et intolerabilia 54 6 — Poena damni est omnibus aliis poenis gravior 55 9 — In inferno mors quaeritur et non invenitur 54 7 — In inferno punitur aeternaliter quod committitur temporaliter *ibid.* — debetur damnatis 13 4 — timendus a peccatoribus 8 2 — clauditur sola caritate 124 1 — Meditatio inferni est valde salutifera 55 10 — Propter ereptionem ab inferno gratiae agendae 15 9 — Christus infernum spoliavit virtute crucis 14 4

Infidelibus — molesta est conformitas ad Christum 326 28

Infirmitas — duplex est, et utraque indiget compassione 136 2 — mentis triplex est 137 7 — sunt passiones vitiorum 132 2 — humana inclinatur ad imperfecta 238 8 — mentalis inclinat ad facilia et imperfecta 266 2 — quaedam communiter respiciunt naturam lapsam 242 9 — carnis est in omnibus 237 6. 311 1 — Ab infirmitate carnis perfecti non sunt immunes 237 6 — Mala aliquando committuntur infirmitate 6 10 — Tria remedia triplici infirmitati adhibenda sunt 137 8 — Infirmitati necessarius est baculus sustentans 136 1 — Condescensione infirmorum mentes confirmantur 237 6 — communes humanae naturae assumtae sunt a Christo, non

autem speciales 265 25 — Christus suscepit personam infirmorum infirmitate carnis et mentis 237 6 — Christus condescendit infirmis carne et spiritu 253 3. sq. 284 35 — Christus humanae infirmitatis deploravit miseriam 74 14 — Infirmi Christum imitari debent in his quae condescensionis sunt quantum ad actum extrinsecum 243 13 — Infirmis competit provide fugere 256 16 — Infirmo opus est lacte 182 4

— est adversitas ab intra 434 10 — est passio intrinseca 443 20 — corporis triplex est 136 2 — Infirmis est triplici pietate subveniendum *ibid.* — Infirmis omnis humanitas est exhibenda *ib.* 3 — Infirmi triplici ratione magis indigent subsidio pietatis *ib.* 5 — Infirmi possunt uti cibariis delicatis sine imperfectione 259 5 — Quomodo infirmi in Religione tractandi sint 343 a, b — Cur omnibus infirmis aequaliter subveniendum sit 137 6 *Vide v. Debiles.* — Expedit, praelatum experiri infirmitates, ut discat compati 137 56 — Ad patientiam in infirmitate pertinet paucis obsequiis et remediis contentum esse 434 10

Inflammare — Concupiscentia inflammat propter Sponsi dulcedinem 14 6. 15 8

Ingenium — clarum pertinet ad complementum naturae 6 11

Ingratitudo — est magnum peccatum 40 34. sq. — est causa totius mali 499 1 — impedit salutem 71 2 — In animabus ingratorum mors Christi nullum effectum habet 123 10 — Ingratis pro Christi passione triplex vae infligitur *ibid.* — Propter ingratitudinem gratia orandi elongatur 150 11 — Gradus ingratitudinis pendet ab excellentia beneficiorum 32 8. 40 34 — est detestanda 499 1 — excitat pudorem 12 2 — triplex subditorum requirit in praelato multam patientiam 139 4

Inimici — Ad inimicos protendenda sunt signa amoris et beneficia 246 6 — fabricant nostram coronam 446 33 — causas maledicendi quaerunt 343 a

Iniquitas — regnat in mundo, quia Christum interfecit 13 4

Iniuria — Non omnia, quae fiunt contra voluntatem alicuius, ad iniuriam eius fiunt 365 a — Fugere iniuriam est imperfectionis 238 8

Iniustus — Supplicia parata iniustis quotidie consideranda 497 a

Innocentia — restituitur gratia baptismali 6 12 — De perditione innocentiae dolendum 12 2 — In statu innocentiae omnia fuissent communia 413 3 — Uti licitis est innocentia 244 a — Innocens gravius sentit poenam 122 5

Innocentius — tertius vidit basilicam Lateranensem proximam ruinae et a paupercula quodam sustentatam 512 10. 568 a — approbat Regulam primam S. Francisci 391 1. 438 2. 512 9. sq. 515 11. 568 a — Declaratio Innocentii quarti manet suspensa 465 a

Inobedientia — est proles superbiae 522 11

Inopia — voluntaria non est causa malorum, sed infinitorum bonorum 329 40 — qualis delinquere faciat *ibid.* — nimia Religiosos proprietarios facit 350 a *Vide v. Paupertas.*

Inquisitores — debent esse viri discreti et maturi 467 a

Insania — est effectus iusti Dei iudicii 311 3

Insipiens — magna pro parvis et levia pro maximis reputat 134 8

Insolentiae — crescunt, dum disciplina negligitur 470 3

Inspiratio — occulta Dei revocat a peccato 41 37

Instabilitas — causatur a spiritu maligno 441 12

Instrumenta — utilia sunt pro artificiis 144 7 — Prius fuerunt artes quam instrumenta pro artificiis *ibid.*

Intellectus — redigendus est in summae veritatis obsequium 233 1 — non debet falsitati assensum praebere *ibid.* — Dono intellectus mentis contuitus illustratur 86 49 — contemplantis, a quibus purgandus sit 56 1 — purgatur per contritionem 88 1 — moralis, allegoricus et anagogicus sacrae Scripturae repraesentat vestigium Trinitatis et respondet triplici actui hierarchico 3 1

Intelligentia — Eius est contemplatio divinorum 16 9 — Ad intelligentiae radium verte te, ut illumineris 3 2 — Radius intelligentiae est protendendus ad mala dimissa, dilatandus ad beneficia commissa, reflectendus ad praemia commissa 6 10. 11 12 — spiritualis est in Evangelio 287 3 — veritatis impetratur per ieiunium 270 16. 271 17 — uniuscuiusque falli potest 146 18

Intentio — pura esse debet 146 16 — Necessitas rectae intentionis 198 70 — recta facile corrumpitur *ibid.* — inordinata depravat bonum 237 7

Interducum — 563 3

Interitus — Christus mortem sustinuit, ut animas ab interitu liberaret 381 20

Invidia — in aliena prosperitate tabescit, in aliena adversitate hilarescit, in aliena mendicitate refrigescit 5 6 — triplex, quando vigeat 109 4 — superbiam comitatur 432 6. 439 4 — facit animam nequam 5 6 — Ex invidia oritur detractio 433 6

Ioannes — Baptista in salutatione Virginis servulus Dominum, praeco Iudicem, vox Verbum agnovit 71 3 — solitaria loca quaesivit 242 11 — Vita Ioannis austera et pauper 264 24 — vixit secundum arctissimam abstinentiam 259 5 — Eius ieiunium 270 14 — abstinuit a vino 242 11 — non manducabat carnes 264 24 — non abstinuit principaliter propter aetatem iuvenilem 263 19, 21 — laudatur propter asperitatem vestis 516 2 — magnus praedicatur propter abstinentiam 257 1 — est evangelicae perfectionis praecursor *ibid.* — fuit princeps vitae anachoretarum 258 2 — Humilitas eius admirabilis fuit 389 13 — non se dignum reputabat solvere calceamenta Christi 306 7. 389 13. 390 14 — Evangelista recubuit ad pectus Iesu recubitu iucundo et sacro 75 16 — perfectam paupertatem servavit 283 33 — non possedit pecuniam 413 4 — Sua Legenda utitur Ecclesia Romana *ibid.*

— cognominatus Marcus fuit causa dissensionis inter Barnabam et Paulum 351 a

— cardinalis et episcopus Sabinensis erat omnis sanctitatis amator et adiutor pauperum Christi 512 9 — defendit Regulam S. Francisci *ibid.* — Ioanni cardinali commissus erat Ordo S. Clarae 472 a — de Graecio 535 6 — de Fora 560 2

Iob — cum divitiis servavit perfectionem solo contemptu mentis 296 6 — et septem filii eius significant Deum et Beatos 60 14. 61 16. sqq. — Ipsorum convivium significat convivium caeleste *ibid.*

Ioseph — Cur fratres eum oderint 141 7 — est figura Christi 80 31 — ut salvator et dominans Aegypti est figura Christi 81 36 — providentia Dei descendit in Aegyptum 316 2 — Deus ipsum crescere fecit in terra paupertatis suae *ibid.* — non est exemplum voluntariae expropriationis 295 5 — nudatus chlamyde Aegyptiam fugit 399 6 — Qui sint eius imitatores *ibid.* — Filii eius benedicti sunt a patriarcha Iacob 318 8

— ab Arimathaea corpus Christi cum omni reverentia sepelivit 80 32

Iosue — iratus fuit filiis Ruben et dimidiae tribui Manasse pro constructione altaris 351 b — significat Christum 393 1

Iovinianus — Ioviniani error 241 6 — usum ciborum aequavit abstinentiae 263 18. 270 13

Ira — est habitus cum assensu liberi arbitrii in malevolentiam 426 4 — Nequitia irae consistit in animo, in signo, in verbo, vel in corde, in facie, in clamore, sive in affectu, in affatu, in effectu 5 6 — triplex est 109 4 — facit animam nequam 5 6 — Iracundus est qui non servat debitum modum in irascendo 440 9 — Irasci facile est, sed irasci cum debitis circumstantiis difficile *ibid.* — Vitare omnino iram non est in hominis potestate 426 4 — Motus irae cohibendi sunt *ibid.* — Non prohibetur ira per zelum *ibid.*

Irascibilis — excitatur per exhortationem 410 11

Irregularis — Quo in casu clericus fiat irregularis 358 a

Irreprehensibilis — vita sibi prodest et alios aedificat 337 a

Isaac — monachus pro usu Monasterii possessiones accipere recusavit 278 19 — respuit possessiones ad Monasterium constituendum 399 8

Isaias — indutus est sacco et discalceatus incessit 444 23

Iseum — 560 2

Israelitae — Quanto magis opprimebantur, tanto magis crescebant 443 20 — Deus ipsis miraculose alimoniam subministravit 342 b — in terra promissa distinctas et proprias portiones acceperunt 295 3 — spirituales, qui sint 316 1

Itineratio — diversas praerogativas habet prae equitatione 411 14 — aliquem

habet defectum *ibid.* — Equitans plus vigilare debet extensive, itinerans plus intensive *ibid.* — In itinerantium solatium Dominus ipse voluit ambulans fatigare 411 14 — In itineratione malum est vitandum et bonum tenendum 410 10. sqq.

Iucunditas — spiritualis animum promptum facit ad sursum tendendum 6 9 — spiritualis oritur ex serenitate *ibid.* — Ad fruitionem iucunditatis internae valet voluntaria paupertas 300 18. sq. 301 20 — spiritualis medetur vitio accidiae 197 66 — convenit virginibus sacris *ibid.*

Iuda — confitens interpretatur 93 3

Iudaei — omnes Lege tenebantur 265 30 — Iudaeorum fuga non est exemplum perfectionis 255 13 — erant duri et increduli 114 7 — erant infirmi mente 237 6 — erant fratres Christi secundum carnem 80 31 — sunt Christi adversarii 373 a — sunt populus reprobatus 79 30 — adversus Iesum invidia commoti erant 77 24 — — Christum deriserunt 76 22 — iniuriis Christo illatis satiari non potuerunt 77 23. 80 31. 184 1 — postulaverunt, Christum crucifigi 77 23. 257 18 — blasphemaverunt Christum in cruce 79 29. 123 10 — Paulum apostolum perimere cupiebant 366 b — conventicula faciunt, profana commercia celebrant et ritus perfidiae observant 149 9 — spirituales, qui sint 316 17

Iudas — Domino volente, portabat loculos 145 11. 284 35. 416 10 — Cur Dominus Iudam toleraverit 75 17. 144 9. 145 12. 348 b — Christum persecutus est 423 22 — pro pecunia Dominum tradidit 304 1. 412 1 — Dominum pretio parvo venumdedit 284 36 — Non penuria, sed nequitia cupidae mentis causa fuit huius impietatis 75 17. 284 36 — nec familiaritate convivii nec humilitate obsequii nec suavitate colloquii a concepta malitia revocari potuit 75 17 — Eius impietas inexplicabilis exsuperata fuit Christi mansuetudine *ibid.* — osculo accepto pravi cordis pertinacia non est mollita *ibid.* — ad tam singulare facinus non potuit subito proruere 144 9 — non ad fontem misericordiae rediit, sed desperavit 76 20 — loculos portans periit ad deterrendos avaros 284 36

Iudex — Ad ipsum spectat correctio delinquentium 359 b — Quae ad hoc assequendum facere debeat *ibid.*

Iudicium — rectum est beneficium pertinens ad complementum naturae 6 11 — Praesumtuose et maligne iudicat qui dicenti verum impingit mendacium 267 6 — Cavendum est a iudicio definitionis 406 25 — suspicionis vel haesitationis non potest faciliter vitari *ibid.* — aliorum, cur sit vitandum 487 1. sq. — Regula de non iudicando alios *ibid.* — Se ipsum iudicare licet, non alterum 443 22 — Ex iudiciorum temeritate procedit murmuratio 433 6 — Qui iudicat alios, etiam ab aliis severe iudicatur 147 19 — iustitiae sunt exhibenda proximo ad aedificationem 250 20 — quadruplex timendum 12 2 — Triplex est timor divinorum iudiciorum 129 5 — Propter iudicia latentia timendum per reverentiam 16 10 — Non timet iudicium, nisi qui recordatur et erubescit flagitium 12 2 — Non deplorat damnum, nisi qui timet divinum iudicium *ibid.*

— Iudicii finalis descriptio 53 5. 83 42 — Austeritas huius iudicii est formidabilis 28 2 — In iudicio errores peccatoris manifestantur 53 5 — Deus in iudicio cordium iudicabit occulta et illuminabit abscondita 83 41 — In iudicio aperientur libri conscientiarum et liber vitae *ibid.* — In iudicio simul et in instanti omnium secreta omnibus patescent *ibid.* — Omnes simul iudicabuntur *ibid.* — Duplex est sententia 54 5 — Iudicii finalis est ineffabilis aequitas 53 5. 83 41 — Sententia est indeclinabilis 83 41 — Aequitas divini iudicii est fructus ligni vitae 69 4 — Iudex est infallibilis, inflexibilis, infugibilis 5 7 — Deus ut iudex est reverendus reverentia maxima 9 6 — iudicis cuncta cernentis timendum 83 41 — malorum timendum *ib.* 42 — inevitabile, sed iustum timendum a peccatoribus 8 2 — De statu iudicii finalis cogitare est formidabile 53 5 — Circumspectione iudicis acuitur stimulus conscientiae 5 7

Iudith — ieiunans devicit hostes 270 15

Iugum — Differentia inter iugum diaboli et iugum Christi 95 3

Iuliana — per S. Franciscum a periculo partus liberata 558 3

Iulianus — Eius error 294 23 — illicite bona Ecclesiae diripiebat *ibid.*

Iunior — Cur iuniores aliquando ad officia praedicationis et confessionis moveantur 360 a, b — aliquando magis discretus est quam senior *ib.* a

Iurisdictio — universalis Papae competit 392 2 — Formula petendi iurisdictionem 385 13

Ius — Christus est iuris naturalis, civilis, canonici ac divini principalis origo 314 11 — Rigor iuris positivi, ubi expedit, servandus, ubi salutem impedit, remittendus est 391 20 — De iure suo cedere licet 279 20

Iustitia — est rectitudo voluntatis 240 3 — est observantia omnium, quae saluti vel profectui animae necessaria sunt 134 6 — est perfecta vel imperfecta 240 3. 295 4 — Dei summa et irreprehensibilis manifestata est per crucem 13 4 — summa quaesivit redemptionis pretium *ibid.* — Christus monstravit exemplum perfectae iustitiae 73 9 — Christi alta et condescensiva, vera et pia 239 11 — confertur gratia baptismali 6 12 — Gratia iustificationis est inaestimabilis 41 41 — Deus revocat ad beneficium iustificationis *ib.* 37. sqq. — Benignitas Dei iustificat *ib.* 41 — Per punitionem Christi iustificamur a culpa 13 4 — Deus quaedam ordinat per iustitiam 71 1 — Dei cuncta iudicantis et retribuentis est interminata 128 2 — perfecta est fundamentum virtutum 73 9 — non stat cum transgressione divini praecepti 291 15 — Iusti gradiuntur per viam divini praecepti 248 15 — Iusti sunt impolluti 262 17 — Propter iustitiam necessaria est similitudo 15 9 — Non omnes iusti sunt perfecti 262 17 — Nemo sic iustitiam servat, ut nihil negligat 497 a — dignum facit vita aeterna 6 12 — Praemia iustis parata quotidie consideranda 497 a — Homo se exercere debet ad iustitiam integram, ordinatam, perfectam 130 9 — nutritur ex silentio 115 1 — Iustitiae zelator quinque cavere debet 135 12 — Iustitiae zelus non potest aliquid iniustum sustinere 133 1 — Zelus iustitiae infunditur per Deum 147 1 — Ad zelum iustitiae inflammat caritas Dei 136 1 — Secundum legem iustitiae obligamur amicis et inimicis 246 6 — Esuries iustitiae consistit in iusta et condescensiva proximorum supportatione *ib.* 8 — qualem mendicitatem pariat 325 27

Iuvenilis — facies saepius maiorem celat aetatem 360 a

L

Labor — Gratia laborandi dicit vires corporis, habitum artis acquisitum ac habilitatem artem acquirendi 419 1 — Tres sunt rationes laborandi *ibid.* — Omnis homo ad laborem obligatur 420 4 — Qui ad maiora apti non sunt labore corporeo exerceri debent *ibid.* — quibus et quam ob causam praecipiatur 320 12 — Labore manuum victum quaerere licitum est perfectis 279 20 — Fideliter et devote est laborandum 419 1. 444 26 — in Dei gloriam dirigi debet 419 1 — corporalis excludit otium a corpore, sed non a corde *ibid.* — sapientiae melior est corporeo labore 420 3 — Studium sapientiae manualem laborem plene recompensat 320 13 — mechanicus condigne certo pretio compensatur, non autem spiritualis 420 2 — stipendiarius necessarius esse potest praedicanti *ib.* 3 — Cum paupertate et exercitio studii spiritualis labori manuum intendere est opus supererogationis 327 32 — Quibus competat ab aliis pasci sine labore 321 16 — facit ad castigationem corporis 250 20 — In laboribus patientia est necessaria 138 2 — Quae difficilius elaborantur carius venduntur 140 10 — Terra Laboris 538 13. 547 6

Lac — Infirmo opus est lacte 182 4

Lacryma — Perfectioni invigilantes quotidianis lacrymis se emundare debent 518 8 — Poenitens non debet habere modum in lacrymis 118 2 — Lacrymarum gratia

hauritur ex corde Iesu 188 3 — et ex 5 vulneribus Christi 120 1 — mundant oculum interiorem 518 8

Lacus — Perusinus 528 8 — Reatinus *ibid.*

Laetitia — saeculi, in quo consistat 48 9 — Cor durum in suis miseriis laetatur et ridet 74 14 — interna est in conscientia munda 5 9 — Ad ipsam anima habilitatur dulcore benignitatis *ibid.* — est in gratitudine exsultans ad iubilum propter donorum pretiositatem 16 10 — In laetitia interna est terminus purgationis 5 9. 6 9 — propter amoris Sponsi plenitudinem delectat 14 6. 15 8 — In paradiso est spectaculum omnis laetitiae 13 4 — Beatorum desideranda 85 47 *Vide v. Gaudium.*

Laicus — Vitia laicorum liberius argui possunt 359 a — Laicis confiteri non est de necessitate, sed est tantum signum contritionis 384 11

Lancea — aperuit latus Christi mortui 79 30 — Saulis *ibid.*

Languor — locum non habet, ubi est amor 545 1

Lapis — Lapidum in rationali positorum mystica interpretatio 143 3. sqq. — duri in morte Christi quasi naturali compassione scinduntur 79 29

Lapsus — Tria sunt genera delinquentium 144 8. sqq. — Cum clementia ipsis remedia adhibenda sunt *ibid.*

Largitas — Medium largitatis politicae 322 18. 323 21 — politica circa negotia mundana versatur 322 19. 323 21 — non suadet possessionum abrenuntiationem, sed dilectionem moderatam et dispensationem largam et piam 322 19. 323 21

Lascivia — Lascivis molesta est frugalitas 326 28 — Pro lascivia Christus satisfecit per amarissimam acerbitatem 14 4

Lateranus — est sedes imperialis Christi nomini consecrata 437 2

Latria — est honor debitus impensus summo Creatori ex debito servitutis 105 16 — Cultus latriae soli Deo est debitus *ibid.* — Deo exhibenda in oratione 8 1, 4. 11 12

Latro — Latrones involuntarie patiuntur 326 29 — Iudaei latronem praetulerunt Christo 77 23 — non abstinuit ab irrisione Christi 78 27 — in cruce veniam impetravit 38 27 — Latroni confitenti et supplicanti Christus repromisit paradisum 78 27 — ex hoste factus est amicus, ex alieno familiaris, de extraneo proximus, de latrone confessor 173 1

Latus — Septima effusio sanguinis fuit in apertura lateris Christi 187 2 — Iesu pro nobis perforatum est, ut nobis pateat introitus 164 5 — Per latus lanceatum accedendum est ad cor Iesu 188 3

Laus — alicuius rei excitat ad illius amorem 303 28 — Actus laudabilium fit magnanimitate 16 9 — unius non derogat laudi alterius 236 3 — filiorum amplificat laudem patrum *ibid.* — Per laudationem Veritas est adoranda 18 14 — Clarissimum est laudum divinarum meritum 407 2 — Brevitas laudum brevitatem arguit meritorum *ibid.* — Laudis divinae frequentatio proficit ad salutem *ibid.*

Lavare — pedes aliorum est actus humilitatis 298 12

Lazarus — Christus flevit super Lazarum 74 14 — Lazari ulcerosi mendicitas 325 26

Lectio — Legendo exercendum est in triplici via 3 1 — In lectione homo se debet diligentissime exercere et negligentiam in ea recogitare 4 4. 108 2 — Per lectionem Veritas est audienda 18 14 — sine oratione et bono opere non sufficit ad fructum bonum dandum 4 4

Legenda — S. Ioannis Evangelistae 283 33. 413 4 — S. Marci 406 24 — S. Martini *ibid.* — Ss. Simonis et Iudae 413 4 — S. Francisci *vide v. Bonaventura* et *v. Franciscus.*

Lentinum — 554 6

Leo — cardinalis invitat S. Franciscum 522 10 — socius S. Francisci 473 b

Leonardus — socius S. Francisci 537 8

Leprosus — S. Franciscus servit leprosis 507 6. 509 6 — quidam osculo a S. Francisco sanatur 509 6

Leviathan — exstirpandus est praedicatione 427 1

Levita — Dominus dicitur ipsorum possessio 287 5 — Quo sensu bona ipsorum Domino dedicata fuerint *ibid.* — In levitis non praecessit forma perfectionis evangelicae 286 2. sq. — Levitis non erat indicta castitatis integritas nec consulta paupertas 288 5 — uxores habebant et filios et propria possidebant 295 3 — bona sua proprietatis iure ad suos heredes transmittebant 286 2. 288 5

Lex — data est Moysi ieiunanti 271 16 — obligabat omnes 265 30 — est minus perfecta quam Evangelium 286 3 — Statui veteris testamenti divitiae competebant et nuptiae 288 5. sq. — Legis observantia pro maiori parte abolita est ab Evangelio 287 3 — non est in Evangelio per litteralis observantiae aequitatem, sed per spiritualis intelligentiae praefigurationem *ibid.* — aeternae a luce sapientiae indecepte manant 84 46 — divina est veritas in operandis 271 16 — Dei est immaculata, irreprehensibilis, convertens animas ad salutem 107 1 — Quid doceat lex Domini *ibid.* — iubet exhibere Deo cor humile, devotum, illibatum 129 3 — Dei desideranda in spiritu et virtute 107 1 — Quomodo legis doctrina quaerenda sit *ibid.* — divina tota completur in caritate 309 14 — Quis legem Dei docere debeat 107 1 — Aversio a lege est conversio ad tenebras 437 3 — Legem interpretari est legislatoris 240 4

Liber — vitae est Christus 84 46 — Libri vitae excellentia 85 46 — signatus est universalis rerum notitia, reserata per passionem Christi 13 3 — vitae et libri conscientiarum aperientur in iudicio 83 41

Liberalitas — Dei promittentis erigit spem 51 19 — Dei suam infinitam bonitatem non diminuit 52 19

Libertas — voluntatis est donum divinum 261 12 — cordis magnam opportunitatem praestat pro exercitio spirituali 338 a — Libertatis licentia facile mentem extollit 140 9 — nolenti acquiri non potest 313 9

Libido — domanda abstinentia 260 8 — Assueto voluptatibus carnis continere difficilius est ex vitiositate agentis 248 16 — Dictum S. Francisci de libidine 517 3

Licitum — Perfectorum est se a licitis restringere 281 26

Lignum — vitae est Christus 86 49 — vitae vocatur Christus 159 a — Opus Lignum vitae 68 1. sq. *Vide v. Christus.* — scientiae boni et mali non praeferendum ligno vitae 69 5 — Propter esum ligni vetiti parentes primi expulsi sunt e paradiso 71 2

Lilium — Triplex est proprietas radicis lilii 196 64. sqq. — Pulcritudo lilii materialis et spiritualis 206 93 — Duplex est albedo lilii *ib.* 95 — figurat virginitatem 196 62. sq. — Flos lilii semper reclinatur ad terram 207 98 — Per hoc docet humilitatem *ibid.*

Lingua — est verbi vehiculum 78 28 — Multa mala causat 115 1 — Praecipua vitia linguae sunt detractio, dissolutio, murmuratio et inhonesta locutio 489 2 — Ab his maxime cavendum est *ibid.* — Non servare linguae disciplinam est magnum dedecus 115 1 — Loquendum est raro, pauca, breviter, cum timore et pudore 116 5 — Semper utilius est tacere quam loqui 117 5 — specialiter custodienda est a virgine Christi 212 111 — In linguis apparuit Spiritus S. dans ori verbum 82 39

Litigantes — ad pacem reducere perfectum est 242 11

Loculi — Non est peccatum loculos habere 284 36 — Loculos quis habere potest vel cum imperfectione vel sine imperfectione 415 7 — Loculis carere est perfectum 304 1. sqq. — Loculos habere est imperfectorum 237 6 — Abrenuntiandum loculis, ut Christo quis configuretur perfectius 304 3 — In Evangelio fit mentio de loculis sexta die ante passionem Christi 415 9 — Christus Apostolos sine loculis misit et ipse civitates circuivit 415 8 — Ante passionem Christus cum Apostolis in hac lege dispensavit *ib.* 10 — In loculis a Iuda portatis Christus non aliquid iuris possessorii vindicavit 416 10 — Christus duplici de causa loculos habuit 414 6. 416 11 — Dispensans loculos in habendo et habendi modo conformis esse debet Salvatori 422 7 — Quomodo intelligendum sit verbum Evangelii de carentia loculorum 305 5 — Qualis in hac re fuerit intellectus S. Augustini *ibid.* — Loculos habentium et non habentium professiones diversimode Domino placent et sponsam Christi decorant 307 8 — Praelati loculos habere possunt ad relevandum necessitates pauperum 414 6 — Religio loculis carentium ab errore defenditur 304 1. sqq

Locustae — erant cibus pauperum 264 24

Lombardia — 519 12

Longanimitas — Dei exspectat peccatoris conversionem 41 39 — necessaria est perseverare volentibus 201 80

Loquacitas — est manifestum indicium impudicitiae 205 89 — vitanda ab eo qui virtutem pudicitiae servare vult *ibid.* — inducit iniuriam Dei et proximi 115 1

Lot — ab excidio Sodomorum confugit ad parvulam Segor 373 b — in Segor parvula salvatur 346 b

Lucerna — ut clarius luceat, offendiculum auferendum est 337 b. 344 b

Lucifer — superbia a caeli gloria exclusus est 110 2 — non considerabat se de nihilo factum, sed aspiciebat suum decorem *ibid.* — deiectus est in locum extremae vilitatis *ibid.* — prius fuerat inter Angelos nobilissimus, postea factus est inter daemones miserrimus *ibid.* — Filii superbiae sunt imitatores luciferi *ib.* 3

Luctus — consistit in perfecta fuga carnalium voluptatum 246 8

Lumen — divinum animam illustrat et movet 32 9

Luna — illuminat noctem 32 7

Lupi — oves invadunt 357 b

Lux — tanquam parens generat splendorem 17 11 — producit calorem, sed non per modum prolis *ibid.* — et tenebrae non simul cohabitant 439 4 — tantum bonum est, quantum eius absentia mala 140 10 — augebitur, mundi facie innovata 84 44 — Deus est lux inaccessibilis 17 11 — Ab aeterna luce immensa et simplicissima oritur splendor coaeternus 71 1 — sapientiae est Christus 85 46 — Mundus lucem veram et summam non agnovit 13 4 — Spiritus S. intellectui lucem ministrat 82 39 — Opera nostra lux esse debent 337 a — Etiam ratio actionis in lucem ponenda est *ib.* b

Luxuria — *vide v. Libido.*

M

Macarius — 503 16

Magi — sunt primitiae gentium vocandarum ad fidem 72 6 — stella ducti ad domum humilis Regis eum adoraverunt *ibid.* — Exemplum Magorum sequendum *ibid.* — Quid significent eorum munera 94 4

Magister — Boni magistri bonos discipulos facere consueverunt 142 9 — plus laborat in indocili quam in docili discipulo 140 10 — Magistrorum pompa reprobatur, officium commendatur 335 11 — Incipientes ob quatuor rationes indigent magistro 132 2 — Non indigentes magistro quinque virtutes habere debent *ib.* 3 — Non sufficit discipulo, ut sit sicut magister eius infirmis condescendens 416 12

Magnanimitate — fit actus laudabilium 16 9

Magnificentia — mundana est miserabilis 28 2 — caelestis 60 14. sqq.

Maiestas — summa Dei possidetur in caelo 66 27 — Poena laesae maiestatis 102 10

Maledicus — Pro maledicente rogandum est 311 1 — Tripliciter aliquis potest dicere malum de aliquo 433 8

Malitia — est fomes perversitatis 12 2 — Mala committuntur voluntatis perversitate 6 10 — Obduratae malitiae pravitatem Christus deploravit in cruce 74 14 — Omni malitiae mente, verbo et opere adversandum est 130 9

Malum — in genere dicitur actus transiens super materiam indebitam, malum ex circumstantia dicitur actus informatus circumstantia deordinata 238 7 — secundum se est quod nullo modo potest bene fieri *ibid.* — Omnia sunt bona essentialiter, sed mala occasionaliter 423 17 — in genere potest fieri bonum ex circumstantia 238 9 — Bonum in genere potest fieri malum ex circumstantia *ibid.* — Quae sint radices omnis mali 4 5. 108 3 — universa originem, fomentum et incrementum suscipiunt ex cupiditate et superbia 272 1 — fere omnia possunt reduci ad negligentiam, concupiscentiam et nequitiam 4 4 — sub specie boni latenter subintrat 138 3 — Aliqua mala committuntur necessitate 6 10 — nullum remanet impunitum 5 7 — Ab omni malo receditur dono timoris 86 49 — Declinare mala est actus caritatis 245 3 — Anima tribus consiliis evangelicis separatur ab universitate malorum *ib.* 5. 246 9 — Omnium malorum amotio promissa est credentibus et diligentibus 6 14 — non devitatur, nisi intelligatur 47 9 — Pro dimissione malorum gratiae agendae sunt 6 10 — Malorum dimissorum multitudo et magnitudo sollicite pensanda *ibid.* — Considerandum, in quanta mala incidissemus, si Dominus permisisset *ibid.* — terrena non timenda, sed sustinenda exemplo Christi 252 1 — Meditatio inferni est salutifera excitatio ad mala sustinenda 55 10 — vilescunt in comparatione cum caelo 58 8 — De malis prementibus se ipsum, Christum et proximum dolendum 16 10 — Multa rationabilia et iusta pro malis habentur 354 a

Malus — Expedit, bonos malos secum habere ob maioris meriti occasionem 135 14 — Bonis ex conversatione cum malis datur occasio novem virtutes exercendi 350 b — Ex malis iuxta se positis virtutes iustorum clarius elucent *ibid.* — non sunt diligendi seu fovendi, sed tolerandi 135 15 — Qui mali tolerandi et quomodo tractandi sint *ibid.* — Malorum consortia fugienda 89 2 — Quos malos Deus induret 356 a — Multi sunt mali in se et alios malos esse desiderant *ibid.* — Malevoli magis facta alterius calumniari desiderant quam agnoscere veritatem 343 a — dolent, si detrahendi eis materia subtrahitur *ibid.*

Manasse — Dimidia tribus Manasse petiit terram Basan et Hesebon in possessionem 351 b — Tribus Manasse construxit altare super ripam Iordanis *ibid.* — Filii Manasse fuerunt fratrum suorum propugnatores 373 b

Manasses — plus quam omnes reges Israel peccavit 38 27 — veniam impetravit *ibid.*

Mandatum — est obligationis necessariae et universalis 245 4 — est necessitatis *ib.* 3 — omnia referuntur ad caritatis impletionem *ibid.* — In observantia mandatorum legalium est infimus status caritatis 244 2 — In observantia mandatorum nullum est peccatum 243 15 — Discordare a Christi mandatis est peccatum mortale 240 3 — Transgressores divini praecepti sunt iniusti 291 15 — non efficiunt perfectos nec imperfectos 241 6. 253 5 — tam imperfectos quam perfectos astringit 241 6. 253 5 — obligat etiam imperfectos 254 9 — Mandatorum observantia sufficit imperfectis 281 28 — Praeceptum non obligat ad perfectionem implendam 253 5 — sunt media officia, quibus aliquid deest 243 15 — includitur in consilio 245 4 — quamquam sine consilio sit perfectum, tamen respectu consilii dicitur imperfectum *ibid.* — Dei sunt levia 34 15 — In via divini praecepti est minor difficultas ex genere operum 248 15 — non ex timore, sed amore adimplendum est 55 11 — Mandatis alienis parendum obedientia 72 8

Manichaei — Eorum haeresis 305 4 — non distinguunt in modo accipiendi Evangelium quantum ad perfectos et imperfectos *ib.* 5 — ad paupertatis extremae formam omnes obligant 279 20 — docent, censum esse in culpa causaliter vel formaliter 280 24 — loculos reprobant et detestantur 284 36 — simulant, se non habere quod habent 308 9 — condemnant Ecclesiae statum propter possessiones temporales 284 36 — docebant, temporalia bona a principe tenebrarum creata esse et dari 282 30 — Eorum error de abstinentia 260 10. sq. 261 13. 265 26. sq. — prohibebant nubere 260 11

Manna — certo tempore colligi debuit 342 b

Mansuetudo — respicit proximum 440 9 — discitur in corde Iesu 188 3 — Christi est exemplum sustinendi amicos infideles 75 17 — Mansuetus non est impetuosus 410 12

Manus — Munditia manuum omni tempore servanda est 101 7 — praecipue servanda in Missae celebratione *ibid.* — Ludus manuum cavendus 485 1 — praelati sunt instantia in agendo et patientia in sufferendo 139 7

Maranum — 551 1

Marchia — de Ancona 554 7. 563 3 — Tarvisina 519 12

Marcus — 560 1 — *Vide* etiam *v. Ioannes.*

Mardochaeus — 315 17

Mare — significat saeculum 377 10. 391 2

Margarita — significat paupertatem evangelicam 302 23 — significat cogitationes et affectiones 163 3 — pretiosa est cor Iesu *ibid.*

Maria — interpretatur amarum mare, illuminatrix, domina 91 2 — fuit sine peccato veniali 262 17 — Virgine praebente Angelo assensum, supervenit in eam Spiritus S. mentem eius inflammans carnemque sanctificans 71 3 — Mariae e caelo immissum est incendium, collatum refrigerium, infusum solatium *ibid.* — in incarnatione sublimata fuit *ibid.* — est benedicta virga et Virgo Mater castissima 159 a — est Mater Christi 79 28. 80 31. 203 85 — est Dei genitrix 38 28 — Christus proprium corpus assumsit de Virgine 176 2 — est beatissima terra 190 a — In hac terra plantatus est Christus, ut maiorem fructum faceret 160 2 — est benedicta terra, benedictionem omnium gentium proferens *ibid.* — aqua Spiritus S. irrigata fuit *ibid.* — Aperta fuit haec terra per fidem *ibid.* — Mariae cantus cum iubilo, ascensus in montana, salutatio Elisabeth 71 3 — est cantici novi imitatrix 203 85 — cum Ioseph Bethlehem profectus est 71 4 — absque omni corruptione peperit, sicut absque omnis libidinis contagione concepit *ibid.* — legem purificationis observavit 72 7 — oculis piis cum lacrymis aspicienda ut peregrina 73 8 — cum multo dolore Christum quaesivit et cum immenso gaudio reinvenit *ibid.* — dulciter increpavit Filium *ibid.* — est domina nostra 116 2 — est Mater misericordiae, Regina pietatis et clementiae 65 26 — est Regina mundi dignissima, defensatrix pauperum, humilium advocata, longe sublimius quam Esther exaltata in populis 315 17 — est virtutum speculum 116 2 — est omnis perfectionis exemplar 315 17 — est forma vivendi *ibid.* — Anima debet imitari Mariam tripliciter 91 2. sq. — virginum prima, sanctissima et castissima fuit 194 57 — est vere lilium 203 85 — est lilium praecipuum et Mater summi lilii *ib.* 86 — licet omnes virtutes habuerit, tamen sola humilitate Mater Christi effici meruit 193 56 — non fuisset Mater Dei effecta, si superbiam in se habuisset 110 3 — summam gloriam ponit in humilitate 194 57 — regina omnium fuit magistra humilitatis 112 7 — Quanta fuerit eius paupertas 315 17 — pauper electa est Mater Christi 274 7. 285 40 — est exemplum taciturnitatis 116 2 — cum quatuor tantum personis habuit sermonem et septem verba locuta est *ibid.* — est refugium peccatoris 37 23 — Ad Mariam confugiendum, ut nobis veniam postulet 80 31 — prae omnibus aliis Sanctis invocanda est 38 28 — Virginis subsidium implorandum 12 2 — est honoranda et cum fiducia invocanda 494 b — offendi non potest sine iniuria Filii 37 24 — Devotio S. Francisci erga Mariam 530 3 — Suffragia B. M. V. confirmant animam et ad spem erigunt 38 28 — Qualiter Iesus cum Maria conversatus sit 174 1 — desolata in passione Christi 78 28 — astitit omnibus passionibus Christi earumque particeps fuit 79 28 — contritissimo corde, manibus complosis, oculis lacrymarum torrente fluentibus, vultu contracto, voce querula et totis corporis viribus viriliter astitit Christo in cruce pendenti 174 1 — Animam Mariae compassionis gladius amplius transfixit, quam si in proprio corpore pateretur 79 28. 174 1 — Commoritur Christo vivens, vivendo ferens dolorem morte crudeliorem 175 1 — ne moriendo deficeret, a Filio confortata est intrinsecus, extrinsecus vero verbis et factis consolata 175 2 — Christus circa Matrem compassione nimia affectus fuit 174 1 — Christus Mariae compatiens eam blande alloquitur 79 28 — Quantus fuerit in Christo caritatis affectus ad Matrem 174 1 — Ultimum verbum Christi ad Mariam *ibid.* — Mariae affectus ad Christum crucifixum imitandus 80 32 — Visio Reginae caelestis mirabiliter Beatos laetificat 65 26 — Ipsi in caelo omnes chori Angelorum famulantur ut dominae *ibid.*

— S. Maria de Angelis *vide v. Portiuncula.*

— Magdalena ad pedes Iesu prostrata paterno suscepta est affectu 74 13 — ungens, abluens et osculans pedes Christi imitanda *ibid.* — ex famosa et immunda peccatrice facta est specialis Christi amatrix 38 27 — qualis ante et post conversionem fuerit 90 6 — Mariae occupatio melior erat quam Marthae 244 a — divina dilectione incensa ad Christi sepulcrum stabat 80 32 — Eius affectus in passione Christi imitandus *ibid.*

— Mariae cuidam ad invocationem S. Francisci aqua mirabiliter exhibetur 562 1

Marius — puer sanatus per S. Franciscum 561 6

Marrochium — S. Franciscus iter versus Marrochium arripuit 531 6

Martinus — Eius tumulationi S. Ambrosius interfuit 515 10 — docet, Christum non se exhibuisse purpuratum 406 24

Martyrium — nullum est, nisi fiat in ecclesiastica unitate 436 1 — nihil valet sine fide catholica *ib.* 3 — Martyres eminent amore et fortitudine 531 5 — violenter infligitur, quamquam voluntarie perferatur 326 29 — Martyrio debetur aureola tanquam operi privilegiato 250 19 — Martyrum stabilitas et patientia speciale gaudium praebet Beatis 62 18 — Imitari debemus Martyres per caritatem et patientiam 51 17 — appetendum propter bravium 15 8 — appetendum propter perfectionem remissionis offensae, purgationis maculae, satisfactionis poenae, sanctificationis in gratia 12 2 — Ad appetitionem martyrii non pervenitur nisi per exstinctionem incentivi *ibid.* — Per appetitionem martyrii pervenitur ad soporem pacis *ibid.* — Desiderium martyrii est praecipuum propugnaculum perfectionis 252 1 — Perfecti prompti sunt ad martyrium 237 6. 256 14 — Martyres non sunt immunes ab infirmitate carnis 237 6. 256 14 — In perfectis non est praesumtuosum ad martyrium aspirare 255 13 — Se voluntarie morti exponere non est peccatum, sed gloria Martyrum 254 6 — Martyres non debuerunt fugere ad peccatum persecutorum impediendum 257 18 — S. Franciscus martyrium super omnia peroptabat 531 5. sq. 532 7. sq. — Recipiendi ad Ordinem Minorum parati esse debent ad martyrium 398 5

Massa — 521 7. 557 2. 562 3

Massalianorum — haeresis cavenda est 434 9

Mater — Invalidam prolem foveri et gementem lacte potari matri est desiderabile, carum et placitum 318 7

Matrimonium — est Sacramentum 261 12 — non est indultum, cum non sit peccatum 241 7 — non est peccatum nec indiget venia 244 a — non est peccatum, sed imperfectum 258 3 — de sua ratione est imperfectum, non tamen culpabile et displicens Deo 268 6 — non competit magis perfectis quam imperfectis 261 12 — Ducere uxorem non potest stare cum perfectione evangelica 238 8. 244 a. 254 7 — Non est adversarius coniugii qui commendat virginitatem 236 3 — a Manichaeo falso negatur a Deo institutum 268 6 — Nuptiae competebant statui testamenti veteris 263 20. 288 5. sq.

Matta — 115 9

Matthaeus — poenitens benigne susceptus est a Christo 74 13 — erat peccator et publicanus 38 27 — assumtus est in discipulum *ibid.* — Christum perfecte sectatus imitandus 74 13 — clericus per S. Franciscum a morte liberatus 555 12

Maturitatis — honestas perpenditur in tribus 141 6. sqq.

Mechanici — solent turpissimos sermones eructare 419 1

Medicamentum — efficacissimum praeservans et reparans est verbum crucis tanquam folium ligni vitae 69 3 — non sicut expedit, aegro porrectum laedit 381 a — ad sanandum et reparandum, non ad sauciandum vel destruendum reperta sunt *ibid.*

Medicus — corporalis et spiritualis diligenti examinatione indiget 361 a — aegros docet a sibi noxiis abstinere 359 b — Medico obedienter obtemperandum est 132 2 — Aegrotus sine praeiudicio unius medici etiam alios adhibere potest 378 12

Meditatio — quomodo instituenda sit 478 7. sqq. — In meditatione ratio percunctando offert propositionem, synderesis sententiando profert definitionem, conscientia testificando infert conclusionem, voluntas praeeligendo defert solutionem 7 19 — In meditatione tota anima debet esse intenta secundum omnes vires *ibid.* — Meditando exercitandum est circa triplicem viam 3 1. sq. 7 18. 11 12 — in via purgativa 6 9 — omnis aut est circa opera

humana, aut circa opera divina, aut circa utrorumque principia 7 18 — Varia materia meditationis 478 7. 496 a — stare debet in unione Dei et animae 7 18 — In sacris meditationibus consistit specialis devotio 149 10 — Per sanctas meditationes gustatur suavitas Dei 10 9 *Vide v. Contemplatio.*

Mel — est dulcissimum, mundificativum, descensivum 221 153

Melior — Quod melior eligit magis est eligendum 423 18 — in affectu praeferendi sunt minoribus 141 7

Membra — in dolore contrahi solent 121 5

Memento — in Missa, pro quibus sit faciendum 106 3

Memoria — est praeteritorum 8 2 — adiuvatur verbis ordinatis 68 2 — iugis praesentiae Dei 150 12

Mendacium — fugiendum a virginibus 203 86

Mendicare — Mendicantium pauperum accusatio 235 2. 286 1 — Mendicitas est de genere honestorum et laudabilium 326 29 — Mendicitas vera nobilis est et Christo accepta *ib.* 30. sq. — Mendicitas annexam habet evangelicam beatitudinem, non mentalem imperfectionem *ibid.* — Quintuplex mendicitatis differentia 324 26. 325 27 — Qualis modus mendicandi sit approbandus 326 29. 330 41 — cui non liceat 328 34 — Mendicitas inter omnia petitionum genera verecundissima est 423 21 — Mendicitas designatur per caminum ignis trium puerorum 326 29 — Mendicitati verae annexus est extrinsecus cruciatus et intrinsecum gaudium *ibid.* — Ad mendicitatem inopia rerum et exigentia naturae compellit *ibid.* — Mendicus, si recusat ea quae offeruntur, remanebit inanis 344 a — Aliquando lautiores cibos et potus habere est proprie mendicorum *ibid.* — Mendici non reservant in posterum *ibid.* — Mendici solent necessaria petere, quando promptius a dantibus habentur 342 b

Mens — tanquam principium concipit et producit ex se verbum et amoris donum 17 11 — captivanda est sub iugo fidei 100 3 — in superna elevatur per devotionem 148 2 — tripliciter praeparata esse debet ad divinam consolationem 50 15. sq. — per devotionem illuminatur ad cognoscendum, quid sit melius 147 2 — Varii effectus mentis elevationis 50 16 — Elevatio mentis in Deum molesta est desperatis 326 28 — Tribus de causis mentis alienatio accidit 119 6 — Deus est mens invariabilis 17 11 — Mentis infirmitas triplex 137 7

Mentiri — nullo modo potest bene fieri 238 7

Mercatio — spiritualis a mundi contemptu sumit initium 507 4

Mercenarius — fugit propter dominium timoris 255 12

Merces — Pro mercede laboris datur corona gloriae 125 2 — caelestis, qualis sit 57 1 — vitae aeternae, quam sit magna, multa et longa 125 2 — Ad eam accipiendam invitamur a Christo *ibid.* — Ad eam adipiscendam inflammari debent omnes Christiani *ibid.*

Meritum — augetur difficultate, quae est ratione generis operis 248 15 — non augetur difficultate veniente ex vitiositate agentis *ib.* 16 — per accidens et indirecte augetur difficultate orta ex circumstantiis annexis 249 17 — conformantur praemiis 11 1 — Perfectio meriti obtineri non potest sine caritate 350 22 — Executio fidelis officii ad alta merita perducit 139 7 — omnia in patientia consummantur 545 2 — Devotio merita sublimat 148 2 — faciunt acceptum apud Deum 371 b — Per merita pervenitur ad beatitudinem 12 1 — In tempore comparandum meritum pro aeternitate 53 4 — vitae aeternae pendet in cognitione pacis, veritatis et caritatis 3 1 — augetur, secundum quod anima circa haec versatur *ibid.* — Omnium meritorum exemplar et speculum est Verbum incarnatum 243 12 — Diabolus maioribus meritis libentius insidiatur 146 18 — Meritorum annihilatio propter reparationem de peccato 15 9

Michael — Limina beati Michaelis 561 4 *Vide v. Garganus.* — S. Franciscus Quadragesimam celebrat in honorem Archangeli Michaelis 529 10. 542 1

Miles — alacrius certat in acie, si ducem secum cernit in certamine 141 2 — officiis suis intendentes stipendia sua iuste merentur 321 14 — sacrilegi illuserunt Christum 77 25 — deputati ad custodiam sepulcri 80 32 — protervi perterriti aspectu severo Angeli 81 34

Militia — Christi a victoria sui ipsius inchoanda est 507 4. sq.

Minae — Homo magis allicitur promissis, quam cogitur minis 55 11

Minister — Nomen Ministri commendatur in Evangelio 398 3 — unus tantummodo esse debet 427 2 — generalis est unum caput Ordinis 447 36 — semper debet Ordini praesidere *ibid.* — eligendus sine personarum acceptione ac nationum exceptione 427 4 — eligendus a Ministris provincialibus et Custodibus 447 36 — humilis esse debet 427 2 — omnium necessitatibus obedire debet *ibid.* — Eius auctoritas tangitur in nomine generalitatis *ibid.* — generales de toto Ordine habent sollicitudinem generalem, et partialem Ministri provinciales 447 36 — Clavis auctoritatis Ministris tantum reservatur 398 2 — Hoc factum est ob duplicem rationem *ib.* 3 — Ipsis competit clavis auctoritatis et ordo potestatis 397 1. sq. — et clavis scientiae et discretionis 398 4 — Arctatio facultatis generalium et provincialium Ministrorum 458 b — provinciales recipiunt influentiam regiminis a Ministro generali 447 36 — sunt Ministri in spiritualibus et servi in temporalibus 431 2 — se quasi servos Fratrum aliorum reputare debent 432 5 — omnia verba imperium resonantia vitare et facta dominatum praetendentia deserere debent 432 5 — sunt servi Fratrum in his quae ad salutem pertinent animarum *ibid.* — Ministrorum est ministrare et non ministrari 418 22 — Eorum humilitas non debet esse nimia 432 5 — provinciales soli habent potestatem et multiplicem obligationem quoad receptionem novitiorum 447 36 — dispensative temperare possunt rigorem Regulae 419 22 — non sustinere debent, labefactari Ordinis puritatem *ibid.* — sint prompti ad exstirpanda mala, promovenda bona, refovenda debilia et fortia confortanda 468 1 — ad bene faciendum monere debent humiliter, non imperiose, et caritative, non contumeliose 431 2 — Fratres visitare debent socialiter et iudicialiter *ibid.* — debent esse refugium afflictorum vice Domini 432 4 — Quales se exhibere debeant Fratribus ad ipsos recurrentibus *ib.* 5 — Ministro provinciali quinque peccata reservantur 457 a — Constitutiones observandae in electionibus Ministrorum 460 a, b. 461 a *Vide v. Minores.*

— Ministrantes sustentari de bonis Ecclesiae est iustitiae 290 13

Minores — Fratrum Minorum Ordo a S. Francisco divinae revelationis instinctu inchoatus est in ecclesia Portiunculae 509 8 — Meritis Matris Dei Ordo sumsit initium et suscepit incrementum 514 5 — B. V. Maria est Ordinis peculiaris defensatrix et advocata 315 17 — Status Minorum statui Virginis est consimilis et speciali germanitate coniunctus *ibid.* — Hic Ordo non fuit hominum prudentia inventus, sed per Christum 336 13 — Visio et prophetia S. Francisci quoad multiplicationem Ordinis 511 6 — Descriptio veri Fratris Minoris 521 5 — Ordo similis est initio et perfectioni Ecclesiae 335 13 — cur dicantur Minores 393 2. 521 5 — non debent assumi ad dignitates ecclesiasticas 521 5 — Ordo Minorum vocatur Ordo, quia nihil inordinatum in se patitur 346 b — tanquam viri a Domino electi festinant ad terram promissionis 393 1 — sibi eligunt 12 capitula Regulae ad imitationem 12 Apostolorum *ibid.* — Tota Fratrum conversatio Regulae applicatur *ib.* 2 — S. Franciscus in summa puritate Ordinem fundavit 371 a — non debent gloriari nisi in humilitate et caritate Christi *ibid.* — Huius Religionis puritas in tribus consistit 399 6. sqq. — Ordo debet esse totius sanctitatis speculum 468 1 — in Regula docentur servare omnem virtutum perfectionem 431 1. sqq. — Qualis fuerit puritas priorum Fratrum 342 b — Mira efficacia paupertatis in primis Fratribus 514 7 — servare debent leges divinas et consilia evangelica 320 11 — promittunt et servant consilia evangelica *ib.* 12 — sunt perfectionis evangelicae professores 114 7 — vitam illam profitentur, quam Dominus Apostolis ad praedicandum missis commendavit 393 3 — Evangelii observata perfectio Fratres spectabiles et amabiles mundo omnique favore ac reverentia dignos reddit 470 1 — Professio eorum non parum distat a professione aliorum monachorum 319 10 — Nullus status huic perfecte comparari potest 311 3— Omnis alia Religio huic es

retro 401 13 — vovent obedientiam, castitatem et paupertatem strictiorem quam alii Religiosi 345 b. 396 9 — Ipsis prohibetur omne commercium scandalosum ad mulieres 436 3 — quatuor de causis novitios recipere solent 347 b — Circa receptionem novitiorum tria concurrunt 397 1. sqq. — Quoad receptores duo consideranda sunt *ibid.* — Cui competat receptio novitiorum *ibid.* 398 3 — Recipiendorum idoneitas in duobus consistit *ib.* 5 — Clericus recipiendus habere debet doctrinae fidei conveniens fundamentum *ib.* 4 — Non expedit omnes indifferenter recipere 344 b — De quolibet Ordine et Religione quis transire potest ad Ordinem Minorum 345 a — Obligati ad hanc Religionem intrandam non excusantur ab ingressu per assumtionem ad ecclesiasticam dignitatem 402 15 — Religionis huius propositum nulli necessitate imponitur nec carne et sanguine suggeritur, sed a Deo inspiratur 397 2 — Licet Fratribus non venientes exhortationibus praevenire *ibid.* — Qualis debeat esse qualitas habitus novitiorum 400 10 — Novitii in anno probationis possunt experiri afflictiones frigoris et caloris 401 12 — Novitiatus debet durare per annum completum *ibid.* — Quomodo tractandi sint novitii in saeculo delicate nutriti 344 a — profitentur Regulam per obedientiam salutarem 438 2 — in professione vovent totam Regulam, sed quaedam ut praecepta, quaedam ut consilia 401 12 — Tota Religio reducitur ad hierarchiam Ecclesiae principalem 396 11 — summe revereri debent Papam et alios in ecclesiasticis officiis constitutos *ibid.* — S. Ecclesiae humiliter subesse debent 320 11 — peculiari iure sunt Summi Pontificis obedientiae subditi et curae commissi 312 7 — sunt tanquam parvuli et filii familias totaliter ipsius regimini deputati *ibid.* — Ecclesia Romana speciali modo gerit curam Fratrum 315 16 — Cur S. Franciscus Romanae Ecclesiae Religionem suam copulaverit 407 2 — oneroso et prolixo Officio onerati sunt *ibid.* — semper orantes accidiam a se excludunt et ieiunio omne carnale solatium procul pellunt 434 9 — sine dispensatione Sedis apostolicae ad aliam Religionem transire non possunt 345 b — Apostatae sunt omnes ab hac Religione ad aliam transeuntes 401 13 — Explicantur varii casus quoad egressum ex Religione *ib.* 14. sq. — Utrum liceat Ordini eiicere aliquem et egresso denuo petenti receptionem denegare 345 a. 346 a, b — Tribus de causis non eiiciunt omnes dyscolos 348 b — cur interdum aliqui sustinendo penuriam sint impatientes 343 b. 344 a — Cur aliqui sint distorti moribus et rudes 347 b. 348 a — Difficile est Ordinem sub una forma vivendi et multiplici custodia in suo vigore conservare 369 a — Ministri eorum regulariter sunt sacerdotes 426 3 — In Ordinis principio erat raritas sacerdotum *ibid.* — Ministri habent curam animarum et debent eos in fide et moribus ordinare *ibid.* — Praelati eorum nominantur Ministri et Custodes 418 22 — cur toties mutent praelatos 361 b. 362 a — pro peccatis notoriis ad Ministros recurrere debent 426 2 — Ad finem Ordinis obtinendum requiruntur quatuor 337 a, b — vocati sunt pro salute animarum 338 a. 379 13 — vocati sunt propter suam salutem et aliorum aedificationem per exempla, consilia et salubria hortamenta 450 b — dati sunt ad aedificationem fidelium in fide et moribus 337 a — sibi et proximis intendunt secundum septiformem operationem hierarchicam 320 13 — ad animarum curam astricti sunt non ex necessitate, sed ex caritate 338 b. 380 17 — cur praedicent et audiant confessiones, cum ordinarie non habeant curam animarum 338 b. 339 a — saluti animarum intendere debent 320 11 — non quaerunt nisi salutem animarum 410 13 — Praedicare est de perfectione Regulae 333 6 — Nullis aliis Religiosis plus competit praedicare ex ratione sui status quam ipsis 431 13 — ad fidei doctrinam vocati sunt 398 4 — Multi in maiorem fervorem poenitentiae excitantur ex praedicatione et exemplis Fratrum quam plurium aliorum 429 7 — praedicando et confessiones audiendo maxime prosunt fidelibus 337 a — officio praedicationis et confessionis fideles illuminant 357 b — pro aedificatione Ecclesiae missi sunt 344 b. 364 a — Ordo approbatus est per Sedem apostolicam et in subsidium animarum destinatus 318 8. 365 b. 366 b — Pro pace cleri et aedificatione populi missi sunt 357 a — propugnatores esse debent contra haereticorum versutias *ib.* b — missi sunt, ut defectus clericorum suppleant et indigentiae fidelium subveniant 380 17 — vocati sunt in adiutorium cleri et populi 339 a — Hoc fit sine praeiudicio plebanorum *ibid.* 378 12 — missi sunt cooperatores sacerdotum 316 2 — auctoritatem praedicandi et absolvendi habent a Papa, aut ab episcopo 366 b — Ipsis commissa est praedicatio et confessio ob triplex bonum 378 12 — quomodo se habeant in praedicatione quoad iura plebanorum 372 b. 373 a, b — cur vitia aliquando publice corripiant 359 b. 360 a — ob varias rationes frequentius praedicant in oppidis quam in abditis locis 370 b — Quale privilegium habeant quoad confessiones audiendas 429 6 — in 17 casibus confessiones audire possunt 380 19 — Utrum qui ipsis confessi sunt teneantur plebanis suis iterum confiteri *ib.* 18. sq. — Consilium quoad confessiones audiendas 429 9 — quomodo se habeant, si parochus nolit admittere Fratres canonice missos 428 4 — Ob quinque rationes clerici ipsos magis odio habent quam laici 355 b — cur a clericis accusentur, quod eis detrahant et praeiudicent 356 a, b. 357 a, b — Quid tenendum de eis qui ipsos ut pseudopraedicatores, seductores, gyrovagos et penetrantes domos repudiant 320 11 — praedicaturi duplici egent auctoritate 319 11. 428 2. sq. 429 10 — cur ad officia praedicationis et confessionis saepe iuvenes promoveant 360 a, b — cur intendant studio litterarum 339 b. 430 13 — Non debent praedicare fabulas, sed verba divina 333 6 — Fratribus laicis prohibitum est litteras discere 433 6 — Licet ipsis libros habere 333 6. sq. — Neque in breviariis Ordo habet ius dominii 396 8 — Ordinationes quoad Breviaria 464 b. 465 b. 466 b — Constitutiones de libris scribendis et habendis 457 a — prudenter et inculpabiliter saepe scripta sua difficulter aliis communicant 371 b

— Paupertas est Ordinis praerogativa sublimis 470 4 — profitentur extremam et perpetuam paupertatem 370 b — sunt professores altissimae paupertatis 312 5. 395 7. 422 15. 424 25. 442 18 — Eorum paupertas transcendit cacumina omnium temporalium dignitatum 442 18 — sunt ceteris arctiores in paupertate 425 25 — Eorum paupertas est a mundo remotissima et regno caelorum summe vicina 424 25 — affluentia, gloria, apparentia et consolatione divitum in summo carere debent 422 15 — Res Fratrum altissimam paupertatem praedicare debent 422 15. 425 25. 471 4 — Quae ipsis habere non conveniat 423 15 — S. Franciscus omnes res mobiles et immobiles ab ipsis exclusit 396 8. 442 16. sq. — in terra nihil quaerunt 425 25 — nec dominium nec possessionem acquirunt 313 8. sq. — nec proprietate personali nec generali aliquid possidere possunt 310 1. 311 2. sqq. 312 6. 313 8. 359 8. 421 1 — nihil sibi vindicare possunt per modum dominii communitati proprii 395 8 — in domibus vivunt alienis *ib.* 7 — Res, quibus utuntur, sunt iuris alieni 312 5. 395 7 — sicut servi utuntur rebus in aliena potestate positis 421 1 — pro Christo serviles effecti sunt 395 7. 422 11 — utuntur rebus, quas usu consumunt, nec tamen eis dominantur *ibid.* — Utensilium usus licitus est Ordini proprietas prohibita 332 6. 353 b. 422 10 — Quis habeat dominium rerum Ordinis 333 6. sq. 354 a — et specialiter pecuniae 354 b — Proprietatem rerum Papa sibi et Ecclesiae retinuit, usum Fratrum necessitati concessit 312 6. 313 8. 395 8. 422 9 — Bona Ordinis dispensari possunt a cardinali protectore 395 8 — ex professione Regulae sunt mendicantes 363 b. 364 b — cur mendicent, nihil proprium possidendo 340 a — S. Franciscus iucundum dicebat sub Fratrum Minorum titulo mendicare 525 8 — Multis de causis Ordo nihil proprium possidet 340 a — Ordo ipsorum sic paupertati innititur, ut ipsius firmitate firmetur et eversione evertatur 523 3 — Ordo approbatus est a vicario Christi 311 2 — Ad status eorum impugnationem nec allegari possunt iura civilia nec iura canonica nec Pontificum statuta 313 11 — In contemptu omnium terrenorum et mendicatione assimilantur Christo 442 17 — Eorum modus vivendi sine omni proprio est rationabilis et non contra naturam 323 22 — Solvuntur quatuor obiectiones circa paupertatem ab ipsis servatam 414 5. sqq.

— eleemosynas accipiendo non sunt viri sanguinum, sed viri misericordiae 328 37 — digni sunt, ut ab Ecclesia sustententur 329 37 — Sustentatio ipsis debetur lege misericordiae *ib.* 38 — et lege iustitiae *ib.* 39 — eleemosynam petendo nullum pauperem defraudant et nulli iniuriantur *ib.* 37 — toti mundo mittunt praedicatores et propterea a toto mundo possunt accipere necessaria vitae 424 23 — in hoc nulli iniuriantur *ibid.* — sustentantur, ut evangelizent, non evangelizant, ut sustententur 329 30 — sustentationem exigere possunt non iure fori, sed iure poli *ibid.* — Fideles non teneantur ipsis in corporali provisione nisi ex libera pietate 380 17 — Sustentare ipsos ut pauperes evangelicos opus est pietatis permaximae 329 40 — Ipsos persequendo calumniari scelus est non parvae perfidiae *ibid.* — cur eleemosynam petant ab illis qui iniusta lucra sectantur 355 a, b — privilegium habent in terris excommunicatorum commorandi et ab eis eleemosynam accipiendi *ib.* b — Tria sunt genera eleemosynarum, quae Fratribus dantur 367 a — Tres viae ab ipsis servandae sunt, ne sint transgressores Regulae recipiendo pecuniam *ibid.* — Deus saepe indulgentius ipsis necessaria ministrat quam aliis, qui lata praedia habent 344 a — sine iactura profectus spiritualis proprii vel aliorum sibi necessaria providere possunt 342 b — Definitiones quoad provisionem bladi 464 b — quare plura congregent vel conservent, cum sint pauperes 342 a — cur mendicent plura quam olim 367 b — ob quatuor causas modo plura petunt quam olim 342 b. 343 a — quomodo habere possint domos, areas et hortos 353 b. 354 a — cur habeant magnas domos, oratoria sumtuosa et areas latas 341 a, b — ob duas rationes non habitant pauci in domibus pauperculis 367 b. 368 a — cur recipiant domos vel areas non contiguas propriis domibus 364 a, b — Quintuplicis peccati rei sunt qui superflua in aedificiis et aliis procurant 341 b. 342 a — usum domorum et aedificiorum non sibi possunt appropriare nisi pro voluntate concedentium 333 8 — Ad quem pertineat proprietas aedificiorum Ordinis *ibid.* — quomodo se habere debeant quoad census domorum legatarum 365 a — ob tres causas manent frequentius in civitatibus et oppidis 340 b — domos et oratoria non recipiunt in damnum plebanorum, nec sine licentia episcoporum, nec inconsultis dominis terrarum 365 a, b — alios Religiosos vel clericos non eiecerunt ex propriis locis 366 a — cur impediant, ne alii Religiosi sint vicini conventui ipsorum 363 a, b

— Pecunia est Ordinis paupertati super omnia inimica 418 17. 468 2 — Interdum a quibusdam pecunia avide petitur, incaute recipitur et incautius reservatur *ibid.* — depositum nullum servare debent 452 a — Possessio et contrectatio pecuniae ipsis prohibita est 315 15. 412 1. sqq. — quomodo se habere debeant quoad pecuniae receptionem 332 5. 354 a, b. 454 b — Quid sit persona interposita in sensu Regulae 314 12 — Quomodo mediante pecunia necessitatibus Fratrum subveniri possit 332 3. sq. — per amicos spirituales necessaria procurare possunt 354 a — quomodo rerum necessariarum provisionem permittere possint 314 13. 323 22 — Conditor Regulae magis intendit Fratribus praecludere viam avaritiae, quam obstruere opportunitatem necessaria procurandi 354 b — quare recipiant aliqua, quae postea venduntur pro pecunia 367 a — Quid tenendum de dominio pecuniae Fratribus oblatae 314 12 — Dominium talis pecuniae apud mittentes remanet, donec pro Fratrum necessitatibus commutata sit 417 16. sq. 418 18. sqq. — Non est eis inhibitum recipere custodiam pecuniae alienae 418 17 — Quomodo se habere debeant quoad exsecutionem testamenti *ib.* 18 — Quid tenendum sit de pecunia pro Fratribus legata *ib.* 19 — nullo modo recipiunt pecuniam *ib.* 20. sq. — Fratrum Regula non discordat a vita nec vice versa 314 13 — Ordinationes contra receptionem pecuniae 467 a

— debent esse ceteris in virtutibus celsiores 425 25 — debent esse imitatores sui sancti fundatoris 338 a — debent humilitatem summam custodire 371 b — sunt poenitentiae perpetuae professores 406 26 — De quantitate et qualitate vestimenti Fratrum 402 16. sqq. 405 24 — Fratribus nulla vestimenta pellicea conceduntur 406 24 — Vestimento ipsorum additur benedictio Dei 405 24 — Ob sex rationes alii vestes Fratrum deferre prohibentur 363 b. 364 a — nudis pedibus adierunt remotissimas partes mundi 403 18 — Nuditas pedum non est eis impedimento verbi Dei *ibid.* — in pedum nuditate imitantur Dominum et Apostolos 305 4. 404 20 — S. Franciscus vult, Fratres laborare, et ipsum opus multipliciter describit 444 26 — Quomodo praescriptus sit a S. Francisco labor manuum 334 9 — ad laborem manualem moderate ac prudenter inducuntur 327 32 — cur ad hoc non sint universali praecepto astricti *ibid.* — omnes praeter infirmos suo modo laborant 345 a — ad qualem laborem teneantur 320 12. 419 1. sq. 420 3. sq. — Constitutiones occupationes Fratrum regulantes 455 b — cur non laborent manibus pro victu 345 a — Cautela ab ipsis observanda in exactione mercedis 420 4 — Qualis debeat esse districtio victus Fratrum 406 25. sq. 453 b — Quomodo intelligenda sit licentia de omnibus cibis comedendi 411 15 — ob tres rationes magis frequentant mensas divitum quam pauperum 352 b — quatuor de causis plus honorant divites quam pauperes 353 a — debent ornare mensas saecularium bonis exemplis et auctoritatibus devotis 444 24 — Fratribus depauperatis necessaria est fraterna consolatio 425 26 — cur non habeant consuetudinem praecedentiae 371 a, b — Nulla appellatio in Ordine fieri debet 457 b — vitare debent iudicium temerarium, aliorum contemptum ac praesumtionem 406 25 — Constitutiones contra machinantes Ordinis divisionem 458 a — an debeant semper improbitatibus cedere 410 13 — a Sede apostolica obtinuerunt iudices et conservatores, ut privilegiorum ipsorum iura defendant 366 a, b — secundum voluntatem S. Francisci debent esse Rechabitae 442 17 — se peregrinos reputare debent in hoc mundo 333 8 — cur toties mutentur de loco ad locum 362 a, b. 371 b. 442 17 — Dictum notabile S. Francisci quoad conversationem Fratrum 511 7 — Ob decem abusus splendor Ordinis obfuscatur 468 2 — Dictis abusibus a Ministris provincialibus obveniendum est 469 4 — Praecipua causa scandalorum est libera transgressio constitutionum 470 1. sqq. — quanto magis oppressi fuerint, tanto magis crescent 316 1 — Ex iure communi unusquisque sepulturam apud ipsos eligere potest 366 a — praemium quadruplex exspectant 442 18 — cur dicantur heredes et reges regni caelorum 425 25 — quare curam habeant Ordinis S. Clarae 369 b. 370 a — ob multiplices rationes non promovent Ordinem Poenitentium 368 a, b. 369 a *Vide v. Regula.*

Miracula — non fecerunt Apostolos mirabiles sine sanctitate 301 22

Miramolinus — 531 b

Miser — Misero miseratio est adhibenda 346 b — Miseria est perpetratio culpae, amissio gratiae, dilatio gloriae 8 2 — Miseria deploranda in oratione ad obtinendam gratiam *ib.* 1. sq. 11 12 — Propter proximi miserias remedia postulanda 15 9 — Consideratio miseriae humanae est via ad humilitatem 111 5

Misericordia — est principium gratiae et pacis 11 12 — Septem sunt misericordiae Dei 42 41 — summa et inenarrabilis Dei manifestata est per crucem Christi 13 4 — Deus quaedam ordinat per misericordiam 71 1 — multiplex erga peccatorem 41 37. sqq. — Dei semper ad meliora vocat 34 16 — aperta est poenitentibus 74 13 — Dei est summe benigna, viscerosa et liberalis 128 2 — Ad fontem misericordiae per spem veniae redeundum 76 20 — De misericordia Domini nunquam desperandum est 90 6. 492 6. sq. — imploranda in oratione 8 1 — postulanda cum affluentia desiderii, fiducia spei, diligentia implorandi subsidii *ib.* 3. 11 12 — Dei ad dandam gratiam inflectitur per deplorationem et expositionem nostrae miseriae 8 1 — Consideratione misericordiae divinae benevolentia est exhibenda 9 7 — perfecta consistit in pia et condescensiva proximorum supportatione 246 8 — abundans non competit imperfectis, sed perfectis 269 11 — exercetur dono pietatis 86 49 — Misericordiae est sustentare egentes 290 13 — misero adhibenda est 346 b — exhibenda amicis et inimicis 246 6 — Opera misericordiae de caritatis radice procedunt 214 116 — Necessitas misericordiam exhibendi *ibid.* 215 117 — crudelis est parcere

membro putrido cum damno totius corporis 470 4 — Miseratio crudelis est, unde plures et meliores graviter offenduntur 346 b — Ex misericordia potest fieri aliquod opus imperfectum 257 19 — Quanti sit sceleris prohibere quemquam ab operibus misericordiae 319 9

Missa — est passionis et mortis Christi repraesentatio 103 10. 105 19 — quotidie pro residuis delictorum celebranda est 102 10 — Missae celebratio est magnae dignitatis obsequium, officium debitae servitutis Dei et iniuncta sacerdoti *ib.* 9 — Omittens Missam ex negligentia varia damna causat et contra se ipsum quinque mala facit *ibid.* — Negligentia ad eam celebrandam expellenda est per exercitium boni operis, lacrymarum contritionem et devotionis flammam *ibid.* — Effectus s. Missae *ibid.* 149 6 — iuvat totam Ecclesiam 105 19 — Ipsi contritio et confessio praemittenda est *ib.* 1 — In quo consistat praeparatio immediata ad s. Missam 106 2 — Oratio praeparatoria ad Missam 103 10 — Sacerdos praecipue decem affectibus et desideriis trahi debet ad sacra mysteria celebranda 104 15 — Celebraturus Missam tria intendere debet 105 16 — Pro quibus orandum sit in Missa *ib.* 19 — Qualiter se habere debeat sacerdos in ipsa celebratione 101 7. 106 3 — Oratio mentaliter dicenda in communione 106 4 — Quomodo facienda sit gratiarum actio post Missam *ib.* 5 — Celebrans Missam in peccato mortali mortaliter peccat et rursum Christum crucifigit 358 b — Missam celebrantibus serviendum est cum profunda cordis devotione et corporis reverentia 484 1

Missale — Ordinationes quoad Missalia 464 b

Missionarii — ministerium non ex levitate, impetuositate vel astutia subterfugiendae disciplinae, sed divina inspiratione suscipiendum est 436 2 — officium non est involuntariis imponendum *ibid.* — Suscipiendi ad hoc munus debent esse robusti corpore, constantes in fide, probati virtute et irreprehensibiliter conversati *ibid.*

Mititas — consistit in abnegatione propriae voluntatis et sensus 246 8 — respicit animum 440 9 — Mitis cedit improbitatibus 410 12

Modestia — factum respicit 440 9 — se extendit circa se per contemptum voluptatum 16 9 — Modestus servat disciplinam sensuum, operum et verborum 410 12 — Modestus est qui nec est superfluus nec diminutus 440 9 — Homo se exercere debet ad triplicem modestiam 130 8

Modicitas — propria intuenda ad exhibendam reverentiam 9 5

Modicum — Negligens modica paulatim cadit ad maiora 490 3

Moechia — a Domino inhibetur 398 4 — Dominus, prohibendo moechiam, minorem lapsum et omnem maiorem turpitudinem prohibet 435 2

Mollia — Appetitus mollium est a concupiscentia voluptatis 4 5

Monachi — sunt vel collegiati vel solitarii 435 3 — iuxta nominis interpretationem solitariae vitae deputati intendere debent saluti propriae, non alienae 319 10 — Vita monastica est schola perfectionis 143 6 — orando Deo assistunt et ad proximos praedicando condescendunt 321 14 — Valde conveniens est, ipsos ad opus praedicationis assumi 319 10 — Nobilius est opus monachorum quam agricultorum et militum 321 14 — iuste stipendia sua merentur *ibid.* — laici nec praedicationi nec saluti animarum intendentes debent corporaliter operari nec possunt ab aliis sumtus accipere *ib.* 15 — Eorum obedientia duobus constringitur 395 6 — non debent quaerere possessiones in terris 278 19 — antiqui non quaerebant possessiones 399 8 — non possunt habere aliquid proprium 313 8. 395 7. sq. — in communi possidere possunt 395 7. sq. — Monachorum Aegypti paupertas 277 17 — perfecti nudis pedibus incedebant 387 5 — Indiae calceamentis non utuntur 389 11 — antiqui languentes aqua frigida vix ad sufficientiam utebantur 434 10 — Monachis inhibitus est carnium esus 258 2 — non debent implicari curis ecclesiasticis 248 13 — Monachis prohibetur fieri compatres 436 3 *Vide v. Religiosus.*

Monaldus — in Capitulo Arelatensi vidit S. Franciscum 515 10. 545 10

Moniales — sunt vel collegiatae, vel solitariae 435 3 — sunt vitandae *ibid.*

Moralis — Intellectus moralis respondet actui purgationis 3 1

Morbus — parvus paucioribus et levioribus indiget remediis 378 13 — peccatorum subtiliores, periculosiores et incurabiliores sunt passionibus corporalibus 361 a

Moricus — Religiosus de Ordine Cruciferorum a S. Francisco mirabiliter sanatus est 514 8. 568 b — postea Religionem Sancti ingressus vitae austeritate excelluit 515 8. 569 a

Mors — est incerta 497 a — est inevitabilis 28 2 — est indeterminabilis, inevitabilis, irrevocabilis 5 7 — est indeclinabilis, investigabilis, immutabilis 52 2 — Mortis horror communis est omnibus, perfectis et imperfectis 237 6 — Mortem timere est imperfectorum 253 3 — Timere mortem est naturale, sed fugere est voluntarium 254 10. 255 11. sq. *Vide v. Fugere.* — Morti se offerre est perfectum de genere actus 238 10 — Mortem appetere est actus perfectae caritatis 252 1. sq. 253 3. 257 20 — Sustinentia mortis illatae propter honorem Dei desideratur a perfectis, ut celerius et intimius uniantur Deo 252 2 — Traditio sui in mortem pro aliquo est diffusionis permaximae et perfectae caritatis 253 2 — Homo ex perfecta complacentia vult pro omnibus mori 9 8 — Per mortem spiritus hominis unitur immortali et impassibili Deo 252 2 — In passione et morte attendenda est configuratio ad Christum *ibid.* — bonorum est beata, mors peccatorum infelix et misera 53 4 — Quomodo gratia bonae mortis obtineatur 192 a — Circumspectione diei mortis exacuendus est stimulus conscientiae 5 7 — De morte meditari est horribile 53 5

— est poenalis, aut culpabilis 241 6 — culpabilis est culpa mortalis *ibid.* — improprie dicitur venialis culpa *ibid.* — animarum declinanda est per pugnam 257 20 — aeterna est stipendium peccatoris 8 2 — In inferno non erit mors naturae, sed poenae 84 43 — Christi 69 4 — crucis erat magis acerba, magis vituperosa et inhonesta omni morte communi 502 12 — prima cordis Iesu est dilectio multorum mortuorum 163 2 — corporalis accessit ad Iesum et vicit ad tempus, ut vinceretur in aeternum *ibid.* — devicta est in resurrectione Christi 81 34 — Pro morte nostra vivificanda effusus est sanguis Christi 5 7

Mortificatio — Per mortificationem sui Veritas est associanda 18 14 — affert animae in caelo magnum gaudium, stupendam gloriam, incomprehensibilem laudem 64 22

Mos — Veritas morum desideranda et quaerenda 233 1 — non sint leves 141 6 — Devotio mores exterius componit 147 2 — Morum maturitas aetatis defectum supplet 360 a

Motus — rectus mentium divinarum, quid sit 396 11

Moyses — de aquis assumtus et Pharaonis imperium subnervans significat Christum resurgentem 82 36 — erat Propheta eximius 38 27 — erat mitissimus et Deo familiarissimus 138 2 — quadraginta diebus ieiunavit 409 7 — Ieiunium Moysi significat moerorem pro deletione culpae *ibid.* — ieiunans accepit Legem 271 16 — videns populum ebrium tabulas fregit *ibid.* — Legem accepit in monte Sinai 438 2 — Legem acceptam tradidit filiis Israel *ibid.* — consilium Iethro gratum habuit et servavit 147 19 — in plures onus populi regendi divisit 138 2. 375 4. 447 36 — elegit viros idoneos in praefectos populi 131 1 — retinuit sibi plenitudinem potestatis in typo futurae dispositionis Ecclesiae 375 4 — sollicitudinem habuit generalem de populo 447 36 — Ad ipsum referebantur maiora iudicia 446 31 — crebro in tabernaculum foederis ad Dominum recurrit, familiare ipsius colloquium expetens 149 11 — officium suum primo humiliter refugiebat, sed ad hoc tractus per obedientiam, sollicite adimplevit 361 a — desperavit de divina potentia 38 27 — Silex a Moyse percussus emisit aquas largissimas 181 2 — iratus fuit filiis Ruben et dimidiae tribui Manasse 351 b

Mulier — formata est a Deo 261 12 — Corpus mulieris tenerius est corpore viri 121 5 — Tam animis quam corporibus mulieris quaedam infirmitas et debilitas perseverantiae contraria naturaliter inserta est 201 80 — Mulierum familiaritates, colloquia et aspectus sunt occasio ruinae 517 5 — Per huiusmodi debilis frangitur et fortis infirmatur *ibid.* — Spiritualia in

consortio mulierum observari nequeunt 432 4 — Mulierum consortium et contactum vitare perfectum est 242 11 — sollicitius evitandae sunt 487 2. 494 b. 517 5 — Nunquam respiciendum est in faciem mulieris 487 2 — Frivolum est mulieris colloquium, excepta confessione vel instructione brevissima 517 5 — Verba ipsius citissime circumcidenda sunt 487 2 — Quid sit suspectum consortium mulierum 435 2

— in adulterio deprehensa poenitens paterno affectu a Christo suscepta et absoluta est 74 13 — concomitantes sustentabant Christum 285 39. 415 8 — Christo mortuo pietate officiosa famulabantur 80 32 — pavidae confortatae aspectu Angeli 81 34 — Mulieribus Dominus resurgens primum apparuit propter devotionis intensae affectum *ibid.*

Multiloquium — exstinguit devotionis fervorem 453 b — vitandum est 484 2

Munditia — mentalis est in sursumactione in Deum 246 6, 8 — corporalis et spiritualis pro s. eucharistia recipienda 101 7 — rerum ad sacrificium Missae spectantium *ibid.*

Mundus — sex diebus in esse naturae productus est 246 8 — Mundi fundamenta sunt opera trium priorum dierum, trium sequentium sunt complementa *ib.* 9 — Ad universi completionem constitutae sunt diversae rerum species 243 12 — Totum universum datum est homini dono superabundantiae 6 13 — ordinatus est ad ministerium hominis 32 7 — Omnia mundana creata sunt propter hominem 309 13 — Res mundanae sunt vel mobiles, vel immobiles 442 16 — conflagrabit, concurrentibus ignibus 83 42 — innovabitur in melius 84 44 — Mundana sunt instabilia, mutabilia, miserabilia 28 2 — Mundi pompa in comparatione caelestis magnificentiae nihil est 60 14 — Mundana cito transeunt et evanescunt 34 15 — Rerum mundanarum vanitas triplex est 44 2. 45 3. sqq. *Vide v. Temporalia.* — subministrat multiplicem passionem 443 20 — Anima de mundanis vanitatibus paucam consolationem, multam amaritudinem et desolationem, exilem laetitiam, sed variam et magnam cordis tristitiam sumit 49 13 — Gravis et periculosa est mundana conversatio 46 4 — In prosperis saeculi nimis insidiae inimicorum latent 199 74 — miser est, et miserrimi qui sequuntur ipsum 48 9 — Homines mundani pessimi sunt 441 14 — Multi mundani excaecantur 47 8. sq. — Mundi gloriam quaerentes sunt excaecati 45 3 — Mundi sensibilis caecitas, sterilitas et iniquitas manifestata est per crucem 13 4 — lucem veram et summam non agnovit *ibid.* — Christum despexit *ibid.* — Deum et Dominum suum interfecit *ibid.* — despiciendus est 44 1. 48 10 — relinquendus et fugiendus est 54 5 — Gaudia mundana sunt venena mortifera 51 18 — Consolationes mundi penitus reiiciendae sunt 51 18. 493 b — Homo non potest facile mentem a falsitate et instabilitate mundi avertere 46 4 — Spiritualis mercatio a mundi contemptu sumere debet initium 507 4 — Sperantibus solatium est a mundo sequestrari 326 28 — Nemo perfecte Deo servire potest, nisi a mundo se dissolvat 41 1. 491 1 — quomodo a Religiosis derelinqui debeat 114 8 — Mundanis nemo se implicare debet 443 22 — crucifigitur homini, cui solus Deus placet 9 8 — Devotio mundum vilescere facit 148 2 — Status mundi modo deterior quam olim esse videtur 378 13

Murmuratio — ex impatientia et iudiciorum temeritate procedit 433 6 — quando sit peccatum mortale *ib.* 8 — multum virus infundit Ordini, quia turbat pacem 439 6

Mutuum — contrahere prohibitum est in Ordine Minorum 452 b

Myrrha — significat contritionem 94 4

Mysteria — sua Deus simplicibus et parvulis pandere solet 538 14 — Ad mysteria Trinitatis erigimur contemplando 16 11

N

Narnium — 541 9. 549 10. 561 4

Nativitas — Quid sit nativitas spiritualis Christi in anima 91 1 — Effectus eiusdem *ibid.* — Requisita ad eam perveniendi *ib.* 2. sqq. — Beatitudo huius status *ib.* 3 — De variis signis, quae acciderunt in nativitate Christi 95 a, b — Quomodo haec signa spiritualiter innoventur 96 a — Christi solemniter celebratur a S. Francisco 535 7

Natura — Naturarum nobilitates sunt variae secundum magis et minus in diversis rerum generibus 267 4 — Beneficia spectantia ad complementum naturae consideranda 6 11 — Pro complementis naturae magna benevolentia exhibenda est 9 7 — De vulneratione naturae dolendum 12 2 — Propriissime secundum naturam vivere est in terris caelestem vitam ducere 49 11 — Deus quaedam ordinat per naturam 71 1

Natus — illegitime nullum beneficium acquirere potest 358 a

Nauta — providens tempestatem, festinat ingredi portum securum 150 14

Navicula — Petri significat Ecclesiam 377 11 — significat varias sortes discipulorum 391 2 — Duae fuerunt naves propter circumcisionem et praeputium *ibid.*

Nazaraeorum — abstinentia 263 19 — Eorum ritus significat cogitationes superfluas resecandas 281 28

Neapolis — 559 1

Necessitas — manifesta includit vel gravem infirmitatem, vel defectum virtutis in labore inevitabili 409 8 — corporales relevandae sunt supportando patienter, consolando amicabiliter, subministrando humiliter, hilariter et misericorditer 130 10 — Quale ius in rebus temporalibus tribuat necessitas extrema 309 13 — In articulo necessitatis extremae quilibet est sacerdos proprius 379 14. 383 7

Negationes — licet minus videantur dicere, plus dicunt 17 13 — praeexigit affirmationem *ibid.* — In negationibus circa divina fit supereminentis positionis inclusio *ibid.* — in divinis sunt verae *ibid.*

Negligentia — generatim triplex est 108 2 — cordis custodiendi, temporis expendendi et finis intendendi 4 4 — multiplex recordanda *ibid.* — in oratione, in lectione, in boni operis exsecutione *ibid.* — ad poenitendum, ad resistendum, ad proficiendum *ibid.* — Plures in pluribus negotiis saepe fiunt negligentes 139 8 — A negligentiis purgari necesse est in vita *ibid.* — in aeternitate durius puniuntur *ibid.* — Propter negligentiam divina charismata perduntur 56 12 — Pro negligentia Deo ratio reddenda est 135 16 — omnis excutitur strenuitate 5 9 — expellenda est per exercitium boni operis, lacrymarum contritionem et devotionis flammam 102 9

Negotia — a praelato tripliciter disponenda sunt 145 11. sqq. — crescunt ad exstinctionem spiritus *ibid.* — Nimia occupatio negotiorum diversa mala causat 350 a — superflua praecidenda sunt 145 14

Nequitia — triplex est 108 4 — multiplex recordanda 4 4 — est iracundia, invidia et accidia 5 6 — omnis est detestanda *ibid.* — omnis excluditur dulcore benignitatis *ib.* 9

Nestorius — posuit duas personas in Christo 267 3, 5

Nexus — Perfecte necti non possunt nisi similes 17 11 — In divinis est nexus duorum tanquam proprium *ibid.*

Nicodemus — deposuit corpus Christi de cruce 80 32

Nicolaus — In ecclesia S. Nicolai S. Franciscus ter librum Evangeliorum aperuit ad cognoscendam divinam voluntatem 510 3 — quidam per S. Franciscum a mortis periculo liberatur 555 9 — sacerdos de Sucano 560 2

Noceria — 552 3 Ibidem S. Franciscus infirmitate gravatur 525 10

Noe — Arca Noe est typus Ecclesiae 322 19 — Non omnia facta eius adducenda sunt in exemplum perfectionis 262 17

Nomen — Reverentia S. Francisci erga nomina sacra 535 6

Nominationes — quando sint consulendi 147 20

Nona — Christus hora nona mortuus est 409 6

Novitiatus — Constitutiones de informatione novitiorum 450 b. 451 a — Novitii quatuor de causis recipi solent 347 b

Nox — Tempore noctis sacrificium laudis Deo et Angelis est acceptissimum 408 4

Nuditas — spiritualis triplex 399 6

Numerus — senarius est perfectionis 285 40 — senarius est primus perfectus numerus sui generis perfectione, constans ex suis partibus aliquotis 132 4 — Quid significet numerus vigesimus quartus, octonarius, ternarius 408 4 — Numero octavo octava gratiae et gloriae commendatur 437 2 — septuagesimus septimus significat remissionem peccatorum et generatur per ductum septenarii in undecimum 409 6 — centenarius significat perfectionem 282 29 — electorum inenarrabilis est 60 13

Nursia — 561 3

Nutrimentum — Panis et vinum sunt optimum nutrimentum totius hominis 100 2

Nutrix — Invalidam prolem foveri et gementem lacte potari est nutrici desiderabile, carum et placitum 318 7

O

Obduratio — voluntatis est iudicium timendum 12 2

Obedientia — est virtus comitans humilitatem in alienis parendo mandatis 72 8 — est vinculum 165 1 — consecrat Deo sacrificium altissimum 394 5. 502 13 — Omnino se alienae voluntati propter Deum subiicere est difficile ex arduitate et nobilitate generis operis 248 15 — subditorum duplex est 394 4 — Tres sunt gradus obedientiae *ib.* 6 — Perfectio obedientiae potest esse maior et minor 250 20. 291 16 — universalior facit ad maiorem perfectionem quantum ad votum Religionis 250 20 — In quo consistat perfectio obedientiae 488 3 — Qualis obedientia altior sit 395 6 — non est aequalis in omnibus Religionibus *ibid.* — monachorum duobus constringitur 395 6 — Voluntate aliena gubernari non competit magis imperfectis quam perfectis 261 12 — cadit sub voto tanquam fundamentum perfectionis 247 10 — Christus Deo et hominibus se ipsum subiecit ad informationem vitae perfectae 243 13 — in quantum est virtus contraria inobedientiae omni Christiano convenit 394 4 — erga omnes exercenda 495 b — Toto tempore vitae omnibus humiliter subiacere debemus 488 2 — Obedientiam ad superiores requirit iustitia ordinata 130 9 — Libentius obeditur ei qui diligitur, quam qui timetur 141 4 — dilectionis proprie est voluntaria, timoris autem est magis coacta *ibid.* — Subditus praelatum suum non hominem considerare debet, sed Deum 520 4 — Quanto contemptibilior praesidet, tanto magis humilitas obedientis placet *ibid.* — Verus obediens non quaerit, quis praecipit, sed quia praecipit 488 2 — nunquam neque per se neque per alios extorquenda est *ibid.* — Quandocumque aliqua gravis obedientia conturbat, citissime cogitandum est de Iesu *ib.* 3 — Vere obedientibus nil temporis sine lucro transit 520 4 — Ad viam salutis nihil est tutius quam humilis obedientia 488 1 — separat animae vires a malo 246 9 — In obedientia vir perfectus crucifigitur mundo 247 10 — Per obedientiam habetur mira victoria contra hostes 489 1 — Ipse Deus per obedientiam vinci potest *ibid.* — Qui vult multum proficere, exaltari et Deo placere studeat pure obedire 502 12. sq. — Corpus mortuum est exemplum vere obedientis 520 4 — Ex obedientia honores ecclesiastici licite suscipiuntur 298 11

Oblationes — Domino debentur et iure divino deputantur Ecclesiae 308 11

Obligatio — superinducitur ex voto emisso, vel ex officio iniuncto 247 11 — Per consilia evangelica non obligantur nisi qui voluntarie vovent 279 20 — superinducta per votum de perfectione non minuit, sed potius culmen adducit 247 11. sq.

Observantia — Triplex est observantiae qualitas 143 4. sq. — Regularium, quales sint 250 20 — faciunt ad maiorem perfectionem status Religionis *ibid.* — Onus observantiae regularis singulis imponendum est, secundum quod unicuique expedit 143 4 — regularis semper inculcanda est a Superioribus 470 4 — Inter omnes exteriores observantias maior debet diligentia Officio divino adhiberi 149 9

Obstinatus — Quid faciendum sit de subdito obstinato 144 10

Occasiones — peccati praecidendae sunt 497 a — peccati apparent delectabiles, etiam si multum displiceant earum effectus *ibid.* — Quod de se est via ad ruinam est fugiendum 249 17 — peccatorum succidendae sunt a perfectis 281 26 — Vitare occasionem superbiae et concupiscentiae est promotivum in merito et expediens ad salutem 245 5 — Difficilius est inter peccandi occasiones peccata vitare 248 15. 249 17 — peccandi crescunt affluentia divitiarum et voluntaria paupertate minuuntur 298 15

Occidere — se ipsum nefas est 332 3

Occulta — scire appetit concupiscentia curiositatis 4 5 — cordis sunt nobis ignota 371 b

Occupationes — exteriores facile pessimas sequelas progignunt 145 14 — exterior impedit sui considerationem 251 25 — exterior est fugienda, non appetenda *ibid.* — Patientia maxime necessaria est in occupationibus diversimode emergentibus 138 2 — Per extrinsecas occupationes turbari non est perfectum in persona privata, sicut interdum in praelato 294 22

Octava — gratiae et gloriae numero octavo commendatur 437 2

Oculatus — Christus dicitur oculatus ante et retro 162 1

Oculus — est lux totius corporis 142 1

Odire — veritatem nullo modo potest bene fieri 238 7

Odor — creaturarum decipit olfactum hominis 34 14 — Iesu est super omnia aromata *ibid.* — nobilis divinae suavitatis sentitur inter lacrymas et gemitus 51 18

Offendicula — non debet poni caeco 337 a

Offensa — De divina offensa compatiendo et timendo ex intimo corde dolendum est 494 a — Hominibus non est satisfaciendum cum offensa Dei 145 13 — hominum sunt cum patientia tolerandae *ibid.* 485 2

Officina — Imperfectis necessaria est distinctio exterior officinarum claustralium 341 b

Officium — est medium, aut perfectum 243 15 — perfectum vocatur catorthoma *ibid.* — medium consistit in observantia mandatorum *ibid.* — medium est imperfectum *ibid.* — Sublimitas officii facile mentem extollit 140 9 — **divinum** est opus Domini 148 4 — quinque de causis institutum fuit *ib.* 5. 149 6. sqq. — in maiori parte a S. Gregorio et aliis Sanctis institutum fuit 407 2 — prolixum observatum est a sanctis Patribus et ab Ecclesia Romana *ibid.* — Nulli pro Ecclesiae ministerio aut studio congruit hoc Officium abbreviare *ibid.* — In divino Officio assistimus Deo, intendimus Deo, alloquimur eum et ipse nos et pro nostris necessitatibus eius auxilium postulamus 149 9 — Inter omnes exteriores observantias maior diligentia divino Officio adhiberi debet *ibid.* — multam requirit devotionem 440 7 — Circa Officia divina triplex diligentia devotionis habenda 148 4 — quomodo sit celebrandum 494 b — dicendum est cum profunda cordis humilitate, reverentia et timore 475 1 — Reverentia externa in Officio celebrando studiose servanda est 476 2. sqq. — Inter ipsum cavendum est omne, quod ad risum provocat *ib.* 3 — non solummodo prolatione vocis exterioris dicendum est *ibid.* — Quomodo ipsum persolverit S. Franciscus 534 6 — B. Virginis, quando sit dicendum 476 2 — Explicatio singularum eius partium 408 4. sq. — Ordinationes variae Officium spectantes 464 b. 465 b. 466 b

Oletti — 562 2

Oleum — spiritum premit 148 2

Olfactus — decipitur per odorem creaturarum 34 14

Oliva — Rami olivarum significant opera pietatis 74 15

Omissio — praeceptorum iustitiae recordanda 8 2

Operarius — Magnus defectus est operariorum evangelicorum 319 8. sq.

Opes — faciunt homines carnales, superbos et multipliciter vitiosos 350 a

Opprobrium — Superbia refugit opprobria 77 25

Opulentia — mundana est instabilis 28 2. 45 2

Opus — interius dicitur opus operans, exterius opus operatum 238 10 — significantur ramis 74 15 — nostra lux esse debent 337 a — bona sunt fetus spirituales 210 105 — Ecclesia et anima fidelis quotidie Sponso suo bonorum operum sobolem generant 164 5 — In operis exsecutione homo se ipsum diligentissime exercere debet 4 4. 108 2 — Negligentia in bono opere recogitanda est 4 4 — Boni operis exsecutio non sufficit sine lectione et oratione ad fructum bonum dandum *ibid.* — Circa opera humana tria cogitanda sunt 7 18 — Omni operi finis debitus praefigendus est 4 4 — divina facienda sunt vigilanter, confidenter, eleganter 5 9 — Omne opus bonum a Deo originaliter progreditur, exemplariter producitur, finaliter ad eum reducitur 28 1 — In initio operis boni Deus est invocandus *ibid.* — Devotio omnia opera bona delectabilia facit 148 2 — Operationis sublimitas facit ad perfectionis complementum 249 19 — Genus et nobilitas operis multum facit ad perfectionem virtutis 250 19 — Operi privilegiato debetur praemium aureolae *ibid.* — Per opera misericordiae caritas proximi demonstratur 214 116 — Boni operis exercitatio conscientiam quietat et elevat in superna 338 b — Deus non obliviscitur bonorum operum ad praemiandum nec malorum ad puniendum 150 13 — De operibus misericordiae iusti praemiantur et propter eorum defectum reprobi damnantur 214 116 — In operibus supererogationis coactio necessitatis non est praeferenda promptitudini voluntatis 326 29 — Boni operis placentia facile mentem extollit 140 9 — divina sunt conditionis, reparationis et glorificationis 7 18 — Dei purissima in se saepe sunt rudibus et infidelibus occasio scandali 337 b — Ex pluralitate operationum non sequitur pluralitas personarum in Christo 267 4 — Christi non deficiunt, sed proficiunt 336 13

Opulentia — In paradiso est promptuarium omnis opulentiae 13 4

Oratio — est conversio mentis in Deum 119 5 — est ascensus intellectus ad Deum 476 1 — dicit Spiritus operationem 434 9 — duplex est 440 7. sq. — In oratione homo diligentissime se ipsum exercere debet 108 2 — Homo non debet ab oratione spiritum relaxare 119 5 — In oratione frequenter et morose persistendum est cum profunda cordis devotione et humilitate 476 1 — Omnia agenda oratione praevenire, ad omnes eventus nos oratione praemunire, omnia beneficia laude divina prosequi debemus 150 14 — Semper plus orationi fidendum est quam propriae industriae *ibid.* — Deus in periculis et tribulationibus frequentius orandus est 177 3 — Homo debet esse amicus orationis 502 14 — Pauperi non oranti aeterna supplicia promittuntur 478 6 — Cui maiora beneficia conferuntur, debet etiam ferventius et morosius orare *ibid.* — assidua necessaria est Religioso 117 1 — Orationis studium Superiores excitare debent 470 4 — Triplex est modus continue orandi 434 9 — Ille semper orat, cuius devotio non interrumpitur 440 8 — Omne opus atque exercitium mentis et corporis oratio esse debet 495 b — In devotis orationibus consistit cultus Dei 250 20 — Per gemitum et orationem Veritas est advocanda 18 14 — Orando exercendum est circa triplicem viam 3 1 — In oratione homo se debet diligentissime exercere et negligentiam in ea recogitare 4 4 — non sufficit sine lectione et boni operis exsecutione ad fructum bonum dandum *ibid.* — In omni oratione perfecta est deploratio miseriae, imploratio misericordiae et exhibitio latriae 8 1. 11 12 — quomodo instituenda sit 478 7. sqq. — Ad perfectam orationem tria requiruntur 117 2. 118 3. sqq. — Tentare Deum in oratione est absque praeparatione ad orationem se conferre 477 1 — Ad praeparationem necessariam tria requiruntur *ib.* 2. sqq. — debet esse humilis et sapiens 28 1 — Orationis principium esse debent lacrymosae meditationes 118 2 — Orandum est familiariter, humiliter, lacrymabiliter, hilariter, dulciter, fiducialiter 205 90 — debet esse secreta, verecunda, iusta, lacrymosa et frequens 476 1 — Omnis oratio volvenda est circa Dei beneficia collata et circa propria et proximorum scelera perpetrata 478 6 — In omni oratione gratiarum actio est necessaria 118 3 — non tantum est vocis, sed etiam desiderii 190 29 — cum fiducia impetrandi coniuncta et in excelsa caritate fundata esse debet 476 1 — Cum homo stat in oratione, totum debet se ipsum colligere et tota devotione se levare supra se 119 5 — Ad bonam orationem necessarium est silentium 502 15 — Devotio orationem impinguat 148 2 — In oratione magis studere debemus ad devotionem quam ad consummationem 478 5 — debet terminari in excessu complacentiae nec ante exsultationem debet desistere 9 4 — Tribus de causis in oratione deducimur in mentis alienationem 119 6. sqq. — *Vide v. Contemplatio.* — In oratione speculanda est caelestis Ierusalem triumphans 478 4 — In orationibus determinatus numerus retinendus est *ib.* 5 — Fructus multiplex orationis 533 1 — est hausorium, quo Spiritus S. gratia hauritur 119 5 — hastae comparatur 170 6 — est portus securus 150 14 — Oratione omnes periculorum collisiones evadere possumus *ibid.*

— sola vincit maligni hostis tentamenta 147 1 — Semper orantes accidiam a se excludunt 434 9 — Eius effectus 94 3 — facit humilem, patientem, obedientem, habere omnia bona 502 14 — nos facit habere Deum *ibid.* — ad omnia valet et in omni tempore homo per eam lucrari potest 117 1 — Quandoque una hora homo lucratur plus orando, quam valeat totus mundus *ibid.* — Modica oratione devota homo acquirit regnum caelorum *ibid.* — Ex studio devotionis fulcitur omnis Religio, et omne virtutis exercitium impinguatur 134 10 — devota comparatur oleo 135 10 — Exauditio orationis ex duplici ratione saepe protrahitur 56 13. sq. *Vide v. Devotio.* — Pro quibus sit orandum 479 9 — praeparatoria ad Missam 103 11 — Pro quibus praecipue sacerdos orare debeat in Missa 105 19 — mentalis dicenda in communione 106 4 — Excellens gratia orationis in S. Francisco 533 1. sqq. — Dictum notabile S. Francisci de gratia orationis *ib.* 1 — De eius efficacia 539 1 — S. Franciscus instruit socios suos in modo orandi 513 3 — Christus noctes in oratione pervigiles ducebat ad informationem vitae perfectae 243 13 — devota Christi imitanda 73 10 — Expositio orationis dominicae 407 3 — Oratione dominica petuntur septem dona Spiritus S. 86 49

Ordo — Deus omnia in mundo ordinat 71 1 — triplex distinguitur in suprema hierarchia 12 1 — confertur ad purgandum, illuminandum, perficiendum 250 21 — Ordinis sublimitas facit ad maiorem perfectionem officii praelationis *ibid.* — religiosus vocatur Ordo, quia nihil in se inordinatum patitur 346 b — Diversi sunt gradus perfectionis Ordinum religiosorum 340 a — Qualem finem intendant Ordines antiqui 338 a — Voto superveniente, fortificatur sacri Ordinis vinculum 396 11 — Circa receptionem ad Ordinem tria concurrunt 397 1 — Quadruplex est forma recipiendi ad Ordinem qualemcumque respectu pecuniae 369 b. 370 a — Simonia est recipere aliquem ad Ordinem propter pecuniam 370 a — Magna et multiplex gratia est receptio in Ordinem 346 a — Professio in Ordine religioso duo importat 401 12. sq. — et profitens in professione vice versa se obligant ad invicem 346 a — Ob excessus graves et notorios quandoque licet aliquem eiicere ex Ordine *ib.* b — Quid taliter eiecto faciendum sit *ibid.* — Constitutiones quoad eiectos ex Ordine 458 a — Constitutiones contra machinantes Ordinis divisionem *ibid.* — Quinque sunt causae communes et sex speciales, cur in vita religiosa Ordines deficiant 349 b. 350 a, b — Ob duas rationes in Ordinibus pauci Sancti esse videntur 349 b — spiritualium virorum se promptum exhibere debet ad divinum honorem, animarum salutem et naturali pietati consona procuranda 472 a — Quomodo debiles et aegroti in Ordine religioso tractandi sint 343 a, b — Cruciferorum 514 8 — Ordo S. Clarae *vide v. Clara.* — de poenitentia 514 6 — de poenitentia novis se poenitentiae legibus vinciebat *ibid.* — clericos et laicos,

virgines et coniugatos in utroque sexu admittit *ibid.* — quanti sit meriti apud Deum *ibid. Vide* etiam *v. Minores, v. Regula et v. Religio.*

Origenes — multis annis nudis incessit vestigiis 403 17

Origo — prima est in divinis tanquam proprium personae 17 11

Ornatus — Tria opera ornatus sequentia distinctionem 246 9 — Animae vires adornantur supererogativa condescensione ad proximum, sursumactione in Deum et perpessione adversi, ut habeant esse decorum et perfectum *ibid.*

Orte — 541 9

Os — est vehiculum cibi 78 28 — est ostium cordis 204 87 — verbis prudentibus et utilibus est reserandum, pravis vero claudendum *ibid.*

Osculum — Ad osculum pervenitur in ultimo gradu caritatis 15 7 — Per osculum Veritas est amplectenda 18 14

Ostiensis — dioecesis 564 6 — Gregorius Papa nonus erat episcopus Ostiensis 521 5 — episcopus erat Ordinis Minorum protector et promotor *ibid.* — S. Franciscum praecipuo complexabatur affectu 524 7 — invitat Sanctum ad mensam *ibid.* — — Alexander Papa quartus erat episcopus Ostiensis 554 4

Otium — omnium malarum cogitationum sentina est 517 6 — est sentina omnium vitiorum 469 1 — multis est occasio delinquendi 484 1 — Otiosos diabolus frequenter praecipitat ad peccata *ibid.* — in solitudine valde periculosum est 502 15 — Otiosus nihil boni facit, sed benefacta inficit 518 6 — vilem et abominabilem se omnibus reddit *ibid.* — aufert homini se ipsum 412 1 — Otiosus in nullo est sibi fructuosus *ibid.* — est summopere fugiendum 517 6 — Otiosi castigandi et ad opera compellendi sunt 321 17 — Constitutiones otium prohibentes 455 b

Ovis — Bonus pastor oves perditas multa cura et clementia quaesivit et inventas reportavit 74 13 — Pietas S. Francisci ad oves 527 6. 528 7

P

Pacificus — erat saecularium cantionum curiosus inventor 515 9 — ab imperatore fuit coronatus et rex versuum dictus *ibid.* — vidit S. Franciscum duobus transversis ensibus signatum *ibid.* 545 10. 569 a — Hac visione et verbis S. Francisci compunctus B. Patri cohaesit 515 9. 569 a — postmodum in omni sanctitate profecit 515 9. 569 a — meruit magnum thau in fronte Francisci videre 515 9. 569 a — primus in Francia ministerii gessit officium 515 9. 569 a

Padus — 519 12

Palaestra — fuit ludus nude luctantium 143 6 — similatur luctamini Religiosorum *ibid.*

Palentia — 563 2

Palma — Rami palmarum significant virtutum triumphos 74 15

Panis — nutrit carnem 100 2 — Usus panis pro nutrimento est principalior, communior, mundior et minus fastidiosus *ibid.* — hordeacei in comitiva Christi inventi sunt in deserto 406 26 — Christus in civitate usus est pane triticeo, in quo et instituit Sacramentum *ibid.*

Papa — est Christi vicarius Petrique successor 318 8 — in nova lege plenitudinem potestatis habet 235 1 — habet pleniorem in omnes sibi commissos potestatem quam ceteri omnes 339 a — Eius auctoritas omnia iura humana transcendit 313 10 — in Ecclesia potest ordinare, quodcumque ei videtur ad salutem fidelium expedire 429 6 — potest alteri committere, quidquid potest ex ordinaria potestate 428 4 — sine praeiudicio plebanorum curam animarum etiam aliis committere potest 377 9 — Eius definitioni contraire nullatenus licet 235 1. 313 10 — Iudicium Papae non reprobatur sine iniuria Sedis apostolicae 286 1

— Tantae auctoritati recte profundissima humilitas sociatur 392 2 — est servus omnium et singulorum *ibid.* — Omnes fideles sunt Summi Pontificis filii, sed peculiariter Fratres Minores 312 7 *Vide v. Pontifex.*

Paradisus — Ante eius fores Cherubim est collocatus cum gladio flammeo 188 2 — Quomodo hic Cherubim amoveatur *ibid.* — caritatis est cor Christi 187 1 — Cum fiducia ad hunc paradisum accedendum est *ibid.*

Parentes — propter Deum sunt despiciendi et derelinquendi 47 7 — Quomodo inordinatus amor parentum exstinguendus sit 200 77 — Dominus praecipit honorem parentum 398 4

Parisii — Constitutiones quoad mittendos Parisios ad studium 456 b — De visitatione domus studii Parisiensis 460 a

Parma — 540 5

Parochia — Distinctio parochiarum triplici de causa instituta est 375 4 — nulla invenitur, quin habeat aut idoneum plebanum, aut insufficientem, aut nullum 379 14

Parocrus — *vide v. Plebanus.*

Parsimonia — Modestia parsimoniae servanda est in victu et vestitu, in somno et vigilia, in otio et labore 130 8 — castificat 325 28

Participare — Summum bonum varie participatur a diversis rerum speciebus 243 12

Parvulis — Deus sua mysteria pandere solet 538 14

Paschalis — confessio sex de causis statuta est 376 7

Pascere — Praelati debent pascere gregem commissum exemplo, verbo et temporali subsidio 250 21 — Quatuor genera hominum merentur ab aliis pasci 321 16

Passio — est vel extrinseca vel intrinseca 443 20 — extrinseca est persecutio, intrinseca infirmitas *ibid.* — intrinseca causatur ab inaequalitate et corruptione humorum corporis, passio extrinseca ab inimico *ibid.* — Mundus subministrat multiplicem passionem *ibid.* — utraque patienter sustinenda est *ibid.* 246 7 — Adversa secundum legem Dei declinari non possunt 246 7 — Adversa magno desiderio praeoptanda et cum gaudio magno sustinenda sunt *ibid.* — In hoc consistit consummatio perfectionis *ibid.* — Tolerantia adversorum est actus caritatis 245 3 — Amans Deum libenter sustinet omne damnum et opprobrium 10 11 — Perfecte amans quaerit tormentum et delectatur in poenis, opprobriis et flagellis *ib.* 10 — Ad passionem securum et hilarem currere perfectum est 242 11 — In passione perfecti exsultant, imperfecti conturbantur 237 6 — Tolerantia adversorum est desideranda tanquam complementum perfectionis 247 10 — Per passionis desiderium crux Christi est amplectenda 13 3 — In tribulationum perpessione erigimur ad spem 76 18 — supererogativa adversi ornat animae vires et reducit ad Deum 246 9 — Tolerantia adversorum vir perfectus conformis efficitur Deo 247 10 — Per passionem tribulationum purgatur et probatur Ecclesia et membra Christi electa 83 40 — Per passiones venitur ad gloriam 443 20 — Passionis infirmitas cum immortalitate spiritus seraphici non convenit 543 3 — vitiorum sunt infirmitates hominis 132 2

— Passione dominica redempti sumus 476 3 — Christi accusabit peccatores in die novissimo 53 5 — Christi rememoranda a peccatore 76 21 — Recordatio passionis Christi facit quaslibet passiones faciles ad sustinendum 483 3

Pastor — Officium pastorale circa septem versatur 376 5 — Eius cura non est dominium, sed dispensatio et officium ecclesiasticae potestatis 428 4 — Quae sint de substantia officii pastoralis 145 13 — Pastoris est docere virtutes 139 6 — gregem aedificat verbo et exemplo 322 19 — est lux gregis commissi 142 1 — non fugit 255 12 — non debet esse durus, sed compassivus 137 9 — debet condescendere teneritudini et imperfectioni sibi subiectorum *ibid.* — sapiens etiam absque divitiis utiliter pascit, sed cum pia dispensatione divitiarum pascit utilius 322 19 — Non in diminutionem potestatis, sed in adiutorium inferiores pastores superioribus subrogantur 377 9 *Vide v. Praelatus et v. Rector.* — Christus est summus princeps pastorum 146 17 — Pastor bonus est Christus

74 13 — Pastorum excubiae considerandae 72 4

Pater — Pueri patres aliquid orantes ipsos paterno nomine appellare solent 173 3 — Filium pauperculum sustentari est patri desiderabile, carum et placitum 318 7 — Sepelire patrem est magnae pietatis opus 319 9

— in Deo est proprium personae 17 11 — est primum principium et origo *ibid.* — generat Filium sicut lux splendorem *ibid.* — Patri attribuitur unitas, quia origo *ib.* 12 — Patri appropriatur potestas, quia principium *ibid.* — Patri appropriatur altitudo propter unitatem et potestatem *ibid.* — cognoscitur in voce delapsa de caelo 73 9 — in voce contestatus est Christo 74 12

— Sunt 24 Patres utriusque testamenti 408 4 — Sancti Patres habebant sapientiam et iudicia et secundum prolixum Officium laudaverunt Altissimum 407 2 — Sponsae Ecclesiae convenit in spiritualis Patris potestatem transire 398 5 — spiritualis, qualis eligendus sit 494 b — Quod sit eius officium *ibid.*

Pati — Quanto quid tenerius, tanto patitur gravius 121 5 — Christus primo in se pro nobis, nunc nobiscum in nobis pati dignatur 176 2

Patientia — est virtus adornans perfectam humilitatem in aequanimi perpessione contemptus 72 8 — Ad patientiam in infirmitate pertinet paucis obsequiis paucisque remediis contentum esse 434 10 — merita omnia consummat 545 2 — contegit a perturbationum iaculis et a nuditate inopiae meritorum 150 15 — quasi armis defendit et quasi sacra veste adornat *ibid.* — frangit omnes insidias inimici 501 11 — Scutum patientiae triplex est 139 5 — praelatu propter tria necessaria est 138 1. sqq. — roboratur per Deum 147 1 — in adversis discitur in corde Iesu 188 3 — Fundamentum patientiae est humilitas 434 10 — Medium efficax patientiam conservandi est cogitatio de peccatis commissis 485 2 — sine discretione remissum facit in regiminis vigore 142 2

Patriarchae — fuerunt duodecim 408 4 — Per ipsos populus credentium carnaliter multiplicatus est *ibid.* — ad angelicum consortium pervenerunt *ibid.* — eminent humilitate et simplicitate perfectissima 62 18 — Homo fit socius Patriarcharum per humilitatem et fidei confidentiam 51 17

Patrocinium — Propter patrocinia parata confidendum 16 10

Paula — erat mulier eximiae virtutis 326 29 — Eius extrema paupertas 280 23. 326 29 — Eius abstinentia 263 21

Paulus — anachoreta fugit ut imperfectus 255 14 — est auctor vitae anachoretarum 258 2 — Eius abstinentia *ibid.* 263 21

— lapidans Stephanum electus est in Apostolum 38 27 — fuit vas aeternae electionis, sacrarium divinae sanctificationis, speculum supernae contemplationis 28 1 — in tertium caelum raptus Deum facie ad faciem contemplabatur 90 6 — non sine peccatis vixerat *ibid.* — erat Spiritu S. repletus 147 19 — habuit spiritum in plenitudine et sapientiam sine studii labore 420 3 — affluebat quantum ad sufficientiam mentis 283 33 — Evangelium, quod per revelationem Christi didicerat, cum coapostolis contulit 147 19 — fidelibus praelatis exemplum dedit consilium requirendi *ibid.* — cur dissenserit a Barnaba pro Ioanne discipulo 351 a — Silam ut socium sumsit pro fortioribus laboribus *ibid.* — Corinthios non ex levitate, sed pro eorum utilitate visitare promiserat 141 8 — instruxit Timotheum in officio regiminis commissi 131 1 — ex perfecta caritate desiderabat mori pro salute proximorum 9 8 — per securitatem non timuit separari a Deo 10 11 — fugit mortem, ut se reservaret ad gloriosiorem triumphum 253 3. 256 16 — fugit mortem, ut gloriosius et fructuosius pro Domino pateretur 238 9 — paratus erat omnia adversa subire pro Christo 366 b — Caesarem appellavit *ibid.* — suo exemplo hortatur ad desiderium martyrii 252 1 — est nobilis christiani exercitus dux *ibid.* — est perfectionis praecipuus sectator 259 6 — imitabilem se praebet in austeritate vitae et in pia ad proximos condescensione *ibid.* — penuriosam vitam duxit 283 33 — non fuit perfectior Christo 237 6. 238 10 — quamvis perfectus, habebat infirmitatem carnis 253 4 — non erat immunis ab infirmitate carnis 237 6 — Eius abstinentia 257 1. 262 15. 264 21 — castigavit corpus suum pro superando hoste domestico 269 12 — perfectam humilitatem habuit 448 40 — Eo usque infirmabatur, ut praesentia eius esset despectabilis 189 20 — Eius paupertas 276 12. 283 33 — omnia, quae mundi erant, tanquam mortua reputabat 189 20 — servavit mandatum Domini de non possidenda pecunia 413 4 — non ferebat pecuniam 283 34 — nihil habebat, sed non solum sibi sufficiebat, verum etiam in alios abundabat 284 34 — stipendiarie laboravit 420 3 — victum labore quaerebat 279 20 — corpori necessaria aliquando ab auditoribus accepit, aliquando laboribus acquisivit 414 4. 415 7 — pro acquirendis necessariis sibi et sociis suis laboravit manibus 342 b — cum paupertate et exercitio studii spiritualis labori manuum intendit 227 32 — non ubique, sed tantum alicubi laboravit 420 3 — non quaesivit sustentari alieno ministerio 236 6. 242 11 — non fuit imperfectus recusando quod Christus habuit 242 11 — Necessaria recipere ab aliis quodam modo infirmum videtur respectu perfectionis Pauli 415 9 — pro aliis mendicavit 424 23 — mandavit, collectas fieri pro pauperibus sustentandis 342 b

Paupertas — electa a Christo 287 4 — Christus se exhibuit doctorem paupertatis verbo et exemplo 293 20. 423 18 — Paupertatem Christus summo affectu complectit, exemplo ostendit et verbo praedicavit 272 2 — Christus exemplo suo paupertatem amabilem reddidit 274 7 — Paupertatis extremae normam Christus servavit et consuluit 273 5 — Vita Christi fuit extremae paupertatis 340 a. 501 7 — Christus pro fortibus in paupertate informandis caruit loculis 416 11 — Christus paupertatem assumsit, ut perfectionem exemplo monstraret 275 9 — Christus suscepit egestatem extremam, ut locupletaremur in copia 13 4 — Christus per exquisitissimam paupertatem satisfecit pro avidissima cupiditate 14 4 — altissima est rationale summi Pontificis Christi 293 19. sq. — Qualis paupertatis forma Apostolis praecepta et ab eisdem servata fuerit 273 5. 275 9. sq. 276 12. 278 20. 295 3 — Christus paupertatem extremam consulendo suasit 273 5. 276 13. 277 15 — summa indicta est Apostolis 293 19 — Apostoli et praedicatores paupertatem altissimam actu et habitu praeferre debent 273 5. 280 22 — Paupertatis extremae exemplar in vita praecessit Apostolorum 273 5 — Paupertatis consilium non fuit ante Evangelium 296 6 — Evangelicae paupertatis perfectio novae legi proprie convenit 287 4. 288 5. sq. — non erat consulta levitis 288 5 — in vetere lege contemnebatur 299 16 — est odibile bonum 286 1 — deridetur et contemnitur 300 19 — Ante Christi adventum vix perfecti pretiositatem ipsius agnoverunt 286 1 — post adventum Christi in tanta fuit admiratione, ut vix quantumcumque perversus haereticus ipsius dignitati derogaret *ibid.* — Paupertatis consilium Legem non destruit, sed consummat 288 6 — Perfectionem paupertatis legalis observantia non oppugnat *ibid.*, sq. — In paupertate sunt diversi gradus 288 7. 312 4 — gradus habet et maius et minus recipit 250 20. 291 16 — Tres sunt gradus paupertatis 395 7 — Quid observandum sit circa differentias et gradus paupertatis 311 1 — In quo consistat perfectio paupertatis 326 28. 327 33 — spiritus consistit in perfecta abdicatione temporalium possessionum 246 8. 415 9 — Duplex est paupertatis perfecta professio 273 4. 277 16 — Evangelicae paupertatis est dominium et proprietatem relinquere, usum rerum vero non reiicere, sed arctare 273 3 — Nulla potest esse professio omnino temporalium rerum abdicans usum 312 5 — Pauperibus, quantumcumque extremam voverint paupertatem, licet recipere eleemosynam 332 3 — spiritus dicitur abdicatio mundi et concupiscentiae eius 272 3

— Paupertatis evangelicae est sustentari de non suo 273 4 — Alieno suscipi tecto ei competit, qui perfecte Christum imitari cupit 276 14 — Qui habet unde sustentetur, proprie non dicitur egere 277 15 — Pauper est qui plura portat in via, quam domi habeat 285 39 — Pauperes solum in aperta necessitate loculos ferre debent *ibid.* — Perfectae paupertatis summa non consistit in vivendo de decimis et oblationibus 279 21

— est fundamentum christianae religionis 304 29 — est initium et fundamentum perfectionis evangelicae 272 3. 288 6 — est virtus ad perfectionis integritatem necessaria 112 1 — est totius spiritualis aedificii primarium fundamentum 450 b. 489 1 — cadit sub voto tanquam fundamentum perfectionis 246 9. sq. — magis ducit ad perfectionem quam aliquid aliud 501 8 — est humilitatis fomentum et perfectionis radix 523 1 — in tanto maioris perfectionis statu constituit, quanto vovetur sublimius 250 20 — est virtutum regina 523 1 — est via specialis salutis *ibid.* — est consulta, quia in ea consistit perfectio 295 3 — Qui vult esse perfectus debet omnia vendere 276 13 — qua omnia relinquuntur, est perfecta 293 21. 295 3 — In paupertate per se est maior perfectio quam in amplitudine possessionis 294 22 — Spiritus paupertatis temporalia bene administrantes facit perfectos 293 21 — Refugere paupertatem non potest stare cum evangelica perfectione 238 8 — fugitur ab insipientibus 302 24 — maximum bonum est 299 15. sq. — Paupertatis mira pulcritudo 302 24 — est magnae opulentiae et honoris *ib.* 25 — altissima transcendit cacumina omnium temporalium dignitatum 442 18 — est Ordinis praerogativa sublimis 471 4 — est thesaurus absconditus 303 26 — voluntaria et penuriosa designatur per margaritam 302 23 — designatur per duodecim margaritas in portis Ierusalem *ibid.* — evangelica est margarita pretiosa, pro qua emenda distrahenda sunt omnia 298 13 — Paupertatis pretiositas est inaestimabilis 514 7 — Horrendum scelus est, hanc margaritam conculcare *ibid.* — Dicta notabilia S. Francisci de paupertate 523 1. sqq. — Paupertatis pretiositas est magna et incomparabilis omni pretiositati terrenae 302 23 — Quomodo pretiositas paupertatis cognosci possit *ib.* 26. 303 27 — Pauperum hostis 236 4 — Paupertatis oppugnatores Vigilantius et eius discipulus 286 1 — a cupidis sub pietatis specie impugnatur 288 6 — Religiosorum mendicantium impugnata 235 2 — pauperum Christi falsis criminationibus infamata abominabilis redditur 234 3 — Paupertatis eximiae perfectio defensa 235 3 — Status nihil habentium non est periculosus et imperfectus *ib.* 2 — Paupertatem extremam sectari est licitum, laudabile et perfectum 277 16 — Pauperes Christi, qui nihil possidere volunt, non possunt dici imperfecti nec superstitiosi et impii 286 1. 291 15. 212 19 — Pauperibus falso imponitur crimen praesumtionis 236 4. sq. — Perfectioni pauperum repugnare impiae praesumtionis est 278 19 — Commendatio paupertatis doctrinae competit Christi, et huius contrarium doctrinae antichristi 303 28 — Laus paupertatis non adversatur perfectioni christianae nec est in iniuriam Christi nec ecclesiasticae dignitatis 235 3 — Commendatio spiritualium pauperum est exaltatio et glorificatio, non depressio praelatorum 236 3 — Laudatores paupertatis extremae non sunt imitatores Iuliani apostatae 294 23 — Vivendi modus in extrema paupertate a Romana Ecclesia approbatus est 292 19

— facit similem et propinquum Christo 501 7 — est opus perfectionis, securum et Christo crucifixo conforme 276 13 — ea ad perfectionis attingit fastigium, qua quis expressius et conformius nuditatem crucis amplectitur 280 23 — In paupertate vir perfectus crucifigitur mundo 247 10 — Paupertatis extremae forma consulitur, non praecipitur 279 20. 416 13 — multipliciter commendatur 114 7 — consulitur omnibus volentibus eam amplecti 416 14 — praefertur divitiis secundum exemplum Christi 296 8. 297 9 — consulitur divitibus tanquam perfectior 249 17 — est virtus adornans humilitatem in fugiendo divitias 72 8 — Paupertatem servare est perfectorum 243 13 — evangelica voluntarie assumitur et voluntarie perfertur 326 29 — voluntaria laudabilior est quam coacta *ibid.* — quae est urgentis necessitatis non est perfectionis 295 5 — apprehendenda est totis viribus 490 3 — Toto studio et toto conamine inhaerendum est paupertati 114 9 — Ad perfectae paupertatis amorem accendit exemplum Christi 113 2. sq. 114 9. 285 40 — Ad amorem paupertatis accendere debet divinum promissum 113 2. 115 10 — Exemplum B. V. M. amori paupertatis fomentum praebet ipsiusque declarat praerogativam 315 17 — Sancti, qui communia possederunt, extremam formam paupertatis docuerunt, eam in aliis mirando et praedicando 277 17. 278 18. sq. — Quantum S. Franciscus paupertatem amaverit 523 1. sqq. — Ad amorem paupertatis habilitat severitas 5 9 — Ad custodiam paupertatis altissimae valet abstinentia 260 9 — Quo sensu omnes pauperes esse possint 297 9 — Religiosorum excludit omne proprium pro quacumque persona privata, et paupertas Ord. Min. etiam pro tota Religione 313 8 — Regulariter viventes nihil habere debent sine superioris licentia 284 37 — Religiosi observantes paupertatem omnibus bonis abundant 114 7 — Religiosi contemnentes paupertatem omnium bonorum egent *ibid.* — A professionis excellentia vitae observantia non debet discordare 277 15. 471 4 — a Religiosis in omnibus stricte servanda est 490 2. sq. — est contemptus affluentiae et amor penuriarum 329 40 — Paupertatis perfectae est egere 277 15 — Aerumna est in paupertate ratione penuriae temporalis in corpore 299 17 — Quaecumque sunt in usu verorum pauperum iuxta paupertatis regulam mensuranda sunt 322 20. 405 24 — Parvitas, vilitas et asperitas paupertatem altissimam naturaliter consequuntur 422 15. 493 b — altissima carere debet affluentia, gloria, apparentia et consolatione in summo 423 15 — Magnae difficultatis est ignotas regiones sine stipendiis peragrare 315 14 — quanto vovetur altius, tanto et arctior debet esse victus 406 26 — Paupertatem profitentibus carnes sunt vitandae *ibid.* — Constitutiones observantiam paupertatis concernentes 452 a, b. 465 b — Vere pauperibus solatium est penuriam pati 326 28 — In veris pauperibus mendicitati annexum est cum extrinseco cruciatu intrinsecum gaudium 300 19. 326 29 — habet omnia et abundat non quantum ad opulentiam rerum, sed quantum ad sufficientiam mentis 283 33 — voluntaria maxime utilis est ad perfruitionem internae iucunditatis 300 18. 301 20 — Valde difficile est, omnibus abdicatis, in sola paupertate gaudere 310 17 — A pauperibus Christi diffidentia omnis abscedere debet 526 13 — Pauperes Christi quanto magis oppressi fuerint, tanto magis excrescent 316 1 — Pauperes evangelicos sustentare est opus pietatis permaximae 329 40 — Ipsos persequendo calumniari scelus est non parvae perfidiae *ibid.* — Ipsos sustentare non minoris est meriti quam aedificare basilicas *ibid.* — Aliud est medium largitatis politicae, aliud paupertatis evangelicae 322 18 — Perfectionem paupertatis extremae non oppugnat affluentia facultatum Ecclesiae 288 7 — Pauperum miseriae sublevandae sunt bonis ecclesiasticis exemplo Christi 284 38 — Omnia bona Ecclesiae et omnes superfluitates divitum sunt una res publica pauperum 424 23 — Expedit praelatis Ecclesiae habere communia pro sustentatione ministrorum et egentium 421 7 — Expedit aliis nil habere in proprio vel communi 422 7 — Pauperes sunt filii praelatorum 236 4 — Ratione praelationis quivis Religiosus a statu paupertatis ad dispensationem temporalium potest assumi 293 21 — non parvipendenda est sub specie sanctitatis officii praelatorum, quod opulentia comitatur 296 8 — Status pauperum nihil habentium praeferendus est statui clericorum ecclesiasticis reditibus affluentium 312 4

— Effectus et fructus paupertatis evangelicae 325 27. sq. — Eius fructus est multiplex, sed occultus 523 1 — parvo labore magna lucratur 300 17 — Penuriosae paupertatis sunt duodecim utilitates eximiae 315 15 — altissima magis elevat ad Deum quam possessio communis 293 20 — evangelica ad aeterna spiritum sublevat 322 20 — in caelis thesaurizat *ibid.* — Pauperes habent tabernacula propria in caelis 292 17 — In caelestis regni possessionem intratur per spiritum paupertatis 449 b — Per paupertatem terrenorum pervenitur ad gloriam Beatorum 490 2 — Pauperes sunt valde divites 328 35 — Qualis merces pauperem suscipienti promissa sit *ibid.* — non est malum, sed nolle pauperem esse 300 18 — penuriosa dat securitatem in hoc saeculo et in futuro iudicio *ibid.* — Paupertatem in iudicio comitatur laetitia mentis *ib.* 19 — Pauperibus promittitur potestas iudiciaria 328 35 — Per paupertatem abscinditur corporalium rerum amor et timor 299 16 — maxime dat fiduciam *ibid.* — amatorem suum reddit amabilem Deo et securum 115 9. 300 18 — cunctorum est origo bonorum

spiritualium 329 40 — valet ad quatuor 298 13. sqq. — docet ferre contumelias 302 24 — virilem producit spiritum 316 1 — facit ad omnem obedientiam promptum, robustum ad labores et ad itinera expeditum 514 7 — Pauperes evangelici sunt ubique securi, nulla cura distracti, et absque mentis turbatione vivunt *ibid.* — voluntaria magis credibilem, efficacem et acceptabilem facit evangelicam praedicationem 301 21. sq. — separat animae vires a malo 246 9 — voluntaria minuit occasiones peccandi 298 15 — abscindit vitiosas radices 299 16 — Nihil penitus habentes sunt in summo gradu a mundi periculis et illecebris absoluti 414 6 — Amare pauperiem est exstirpatio vitiorum et insertio virtutum 303 28 — purgat a peccatis 298 14 — de se non est causa impietatis 284 36 — Ex paupertate occasionaliter multa mala oriuntur 299 15. 303 27. 329 40 — Contemnere paupertatem est eradicatio virtutum et insertio vitiorum 303 28

— Pauper, si melior est divite, plus debet honorari et diligi in affectu, dives plus in exteriori effectu 353 a — Pauperis salus sibimet tantum prodest *ib.* b — Pauperes facilius expediuntur in causa salutis quam divites *ibid.* — Pauperibus valet bona voluntas pro facto 300 17 — Dictum et factum notabile S. Francisci quoad pauperes 527 5 *Vide v. Minores.*

Pax — est virtus ordinans in proximum 440 9 — Pacificus servat minoritatis suae ordinem 410 12 — includit nexum plurium 17 11 — Pacificus verbis se ostendit 440 9 — triplex est 441 10 — est duplex 447 39. 448 40. sq. — animae, quomodo acquiratur 494 a. 497 b — tam cordis quam corporis conservatur silentio 115 1 — Quomodo pax interioris hominis acquiratur 91 1 — universalis sub Augusti imperio 71 4 — relicta Apostolis a Domino optanda tanquam complementum 11 12 — optanda est secundum doctrinam Christi 411 15 — Optando pacem optamus omnem liberationem a malo et promotionem in bono *ibid.* — claustralibus est summe necessaria 115 1

— Deus est pax incomprehensibilis 17 11 — summa aeternaliter tenetur a Beatis 11 1 — In caelo est pax imperturbabilis 59 10 — animam perfecti viri reddit conformem Ierusalem supernae 246 8 — In sopore pacis est status et requies 12 2 — perfecta beatificat animam 3 1 — Sopor pacis in via comparandus, secundum quod possibile est 12 1 — Ad pacem ascendendum est per viam purgativam *ibid.* — Ad pacem ducit actus purgationis 3 1 — est in sursumactione mentis in Deum 246 6. sq. — sine perturbatione est in tranquillitate amoris Dei 10 11. 11 12 — Ad pacem non pervenitur nisi per appetitionem martyrii 12 2 — Ad soporem pacis pervenitur septem gradibus *ibid.*

Peccator — Tria sunt genera peccatorum 144 8. sqq. — quomodo a medico spirituali tractandi sint *ibid.* — Qui mali tolerandi et quomodo tractandi sint 135 15 — qui est viator, corrigi potest 234 2 — non est leviter praecipitandus in interitum 381 20 — Christus pro peccatoribus mortem crucis subiit *ibid.* — potest ieiunare, orare, plangere, carnem propriam maccrare, sed non potest Domino esse fidelis 520 3 — seducuntur fraudulentiis daemonum 84 43 — amittit gratuita vitae 8 2 — ingrati Christum blasphemant 123 10 — licet in omnibus deliciis iniquis tormenta inveniat, tamen non mutat voluntatem 34 13 — Quadruplex est ratio motiva revertendi a peccato 41 38 — Magna est longanimitas Dei erga peccatorem 130 7 — Peccatori Christi patientis vestigia sequenti datur spes veniae 78 27 — se debet amarissime deflere, ut a Christo respiciatur 76 21 — debet amaricari compunctione pro se et compassione ad Christum *ibid.* — debet disperdi, aut lamentis poenitentiae purgari 7 19 — properat ad infernum, inveniet iudicium inevitabile, assequetur mortem aeternam 8 2 — in iudicio ab omnibus expugnabuntur 83 42 — Peccatorem coram iudice accusat clamor conscientiae, convincit evidentia vitae, confitetur aspectus divinae sapientiae 9 6 — Peccatorem in iudicio finali accusabunt omnia elementa et passio Christi 53 5 — Peccatoris errores manifestantur in iudicio *ibid.* — iusta retributione et recompensatione puniuntur in inferno 13 4

Peccatum — est circa prohibita, vel praecepta 244 b — nec mortale, nec veniale est omissio eius, ad quod quis non tenetur 240 3 — mortale est discordare a Christi mandatis *ibid.* — In omni voluntaria transgressione praecepti legis divinae et disciplinae mortaliter peccatur 426 2 — In omni genere capitalium peccatorum aliquid est mortale et aliquid veniale 433 7 — Mortale est omne peccatum, quo aliquid appetitur supra Deum *ibid.* — Peccati gravitas dimetienda est ex nobilitate naturae peccantis et excellentia offensi 32 8 — Non omnis venialiter peccans a perfectione decidit 241 6. 262 17 — quotidie multiplicantur 339 a — Nemo in statu viae est sine peccato veniali nisi Christus et Virgo gloriosa 262 17 — Penitus peccare non posse non est naturae, sed gratiae 38 27 — Nullus quantumcumque iustus est omnino immunis a venialibus 241 6 — Perfectus non est sine peccato in hac vita 239 2. 241 6 — est etiam in perfectis, sed non regnat 239 2 — non debet regnare in homine 5 7. 239 2 — non potest regnare in nobis, nisi cum sumus in peccato mortali 239 2 — Peccatis non acquiescere est perfectio necessitatis 245 4 — Qui sint radices omnis peccati 108 3. 245 5 — fere omnia possunt reduci ad negligentiam, concupiscentiam et nequitiam 4 4. 108 1 — Ratio peccati est deceptio per falsum amorem creaturarum 33 12. sqq. — Mala possunt committi necessitate, infirmitate et voluntatis perversitate 6 10

— Effectus peccati originalis 39 30 — Multiplex est effectus peccati 38 26. 129 6 — est tenebra totius interioris hominis 39 29 — hominem deformat et tenebrosum facit 475 a — grave sauciat animam 102 8 — Per peccatum mortale anima efficitur mortua 101 5 — Culpa mortalis est mors culpabilis 241 6 — Culpa venialis improprie dicitur mors *ibid.* — mortale abscindit a radice Christi et Ecclesiae 101 5 — impedit ad Christum purissimum accedere 164 4 — trahit semper ad deterius 132 2 — Anima peccando vendit multa bona pro vili pretio 33 10. sq. — Per peccatum est amissio divinae amicitiae, perditio innocentiae, vulneratio naturae, dissipatio vitae praeteritae 12 2 — Per peccatum subtrahitur honor divinus 79 28 — Per peccatum anima longe fit a Deo, ei dissimilis, valde turpis et foeda 117 2 — Per peccatum homo tendit ad portas inferni, occurret ei dies iudicii, dabitur ei aeternae mortis incendium *ibid.* — privat gloria Beatorum et condemnat ad horribilia supplicia damnatorum 486 1 — venialia non occidunt animam 101 8 — venialia reddunt hominem tepidum, gravem, obnubilatum et indispositum et ineptum ad s. communionem *ibid.* — Morbi peccatorum subtiliores, periculosiores et incurabiliores sunt quam passiones corporalium infirmitatum 361 a — scandali gravius est quam occultum, et ideo gravius puniendum 426 2 — Qui facit aliquem peccare, ipse peccat 358 b — Qui peccato aliquem scandalizant duplici reatu obligantur 352 a — occultum facile sanari potest per secretam poenitentiam 134 9 — scandali vix avelli potest a corde omnium, ad quos pervenit *ibid.* — celanda sunt, ne percipientes scandalizentur 351 b — secreta non sunt publicanda 426 2 — Constitutiones quoad peccata contra proximum 457 b — Deus peccata reprobat et punit 129 2 — Peccati castigatio quatuor bona parit 135 12 — Evangelium omnium peccata detestatur 357 a — Christus propter peccati deletionem subiit reatum poenalissimum 13 4 — Christus serviens nequissimis infima peccata expurgavit 121 4 — Peccati deformitas manifestata est per crucem 14 4 — indiget venia 244 a — Liberatio a peccato fit per multiplicem misericordiam Dei 34 16. 41 37. sqq. — Propter peccata perpetrata offerenda est Deo myrrha contritionis 94 4 — commissa cum summa diligentia debent defleri 4 4 — De peccato aliorum compatiendo et timendo ex intimo corde dolendum est 494 a — delentur amaritudine contritionis 15 9 — Recordatione peccati exasperandus est stimulus conscientiae 4 3. 5 6 — Ponderatio malorum debet esse propter proprias nequitias 15 9 — Ex memoria praeteritorum malorum oritur dolor 8 2 — Peccatorum recordanda magnitudo, multitudo, turpitudo, ingratitudo 12 2 — Quatuor genera peccatorum sunt cavenda et dolenda 134 9 — Recordatio peccatorum ducit ad cognitionem sui ipsius 108 1 — Propter flagitium erubescendum 15 8 — Recordando et erubescendo flagitium pervenitur ad

timorem divini iudicii 12 2 — Triplex debet esse dolor de peccato commisso 129 6. 130 7 — Homo poenitere debet pro peccatis suis cum David, cum publicano et cum Maria Magdalena 117 2 — Quando anima peccatum suum agnoscit, a planctu se continere non valet 36 21 — Mentales oculi a peccati tenebra per compunctionis lacrymas expurgandi sunt 39 29

— Magis dolendum est de gravioribus transgressionibus 134 8 — Peccati detestatio respondere debet voluntatis delectationi 37 22 — Homo peccatum ex se sufficienter plangere non valet *ibid.* — sunt integre, veraciter et pure confitenda 497 a — dimittuntur per Sacramenta 83 40 — nunquam relaxantur nisi in fide et unitate Ecclesiae *ibid.* — S. eucharistia ab omni peccato purgat 104 15 — Quomodo peccata venialia expientur 102 8 — et poena peccati deletur per devotionem 148 2 — purgantur in igne tribulationis 83 40 — Peccati expulsio fit in via purgativa 12 1 — perfecte remittitur martyrio 12 2 — Omnis culpa purganda ab homine, qui certus non est de die crastina 5 7 — Qui labitur in culpam difficulter per se corrigitur 132 2 — dimissa sollicite pensanda 6 10 — Pro dimissis magna benevolentia exhibenda est 9 7 — Propter reparationem de peccato gratitudo exhibenda 15 9 — Contra omne malum acuit consideratio iudicii 5 7 — Meditatio inferni est medela peccatorum 55 10 — Devotio facit horrere peccata 147 2 — Sanctitatis est non tantum peccata cavere, sed etiam occasiones peccatorum 315 5 *Vide v. Culpa.* — subditorum imputantur praelato, si ea non corrigit et praecavet 136 16 — in Ordine reservata 465 a. 467 b — quinque Ministro provinciali reservata 457 a

Pecunia — terrenum nomen est, magis redolens avaritiam quam nomen divitiarum 422 2 — a pecoribus est appellata 420 3 — Pecuniae nomen terram et possessionem sonat 418 20 — Iovi nomen pecuniae impositum est *ibid.* — Triplex est genus pecuniae 420 3 — large dicitur quidquid temporaliter possidetur 412 2 — stricte accepta est mensura commutationis rerum *ibid.* — in Evangelio inhibita fuit 315 14 — prohibetur Apostolis 273 5. 412 2. 417 15 — Evangelici viri pecuniam non possidere debent 314 13 — Hoc praeceptum indifferenter omnibus proponitur Christum perfecte volentibus imitari 416 14 — Qui huius perfectionis regulam imitantur nullum depositum pecuniae habere debent 417 15 — Documentum Christi ad Apostolos de non ferenda pecunia intelligendum est ad litteram 305 4 — Pecuniis carere est perfectum 277 16 — Per carentiam pecuniae accrescit meritum virtutis et sanctitatis 314 14. 315 14 — Pecuniam possidere est imperfectum in genere 238 8 — est maxime illecebrosa et de facili illectiva et distractiva 315 15 — Maxima cupiditas pecuniae haberi solet 413 3 — aufert homini Deum 412 1 — Per possessionem pecuniae omnis Religio suffocatur 354 b — servis Dei nihil aliud est quam diabolus et coluber venenosus 524 5 — Per receptionem pecuniae plures in clero et claustro Deo et hominibus viluerunt 419 22 — est domini, etiam cum committitur personae intermediae 332 3 — a procuratore debitoris perdita ipsi debitori perditur 314 13 — data Fratribus Minoribus non est servanda a servitoribus Fratrum 464 b *Vide v. Minores.* — Quoad pecuniam distingui potest quadruplex forma recipiendi ad Ordinem qualemcumque 369 a — Simonia est recipere aliquem ad Ordinem propter pecuniam 370 a

Penuria — Varii effectus penuriae 325 28 — molesta est avaris 326 28 — Vere pauperibus solatium est penuriam pati *ibid.*

Per se — Locutio per se vera 252 2 — Quae aliquibus competunt per se loquendo consimilem habent comparationem 263 18

Perfectio — significatur per centenarium numerum 282 29 — est virtus, quae pervenit usque ad finem 245 2 — formalis consistit in habitibus et actibus virtutum 396 10 — materialis consistit in aggregatione consiliorum vel legum docentium ad statum perfectionis *ibid.* — Perfectum est aliquid ex proprio genere, vel ratione circumstantiae 259 7 — Perfectum potest esse aliquid ex circumstantia 254 7 — Aliquid fit perfecte ratione finis et circumstantiarum 266 1 — Perfectum in genere est actus difficilis et excellens, perfectum ex circumstantia dicitur actus difficilis debitis circumstantiis adornatus 238 8 — Perfectum secundum se est actus difficilis a caritatis sublimitate procedens *ibid.*, 10 — est actus perfectae voluntatis et virtutis *ib.* 10 — Perfectum de natura sui generis est quod est difficile, arduum et supererogatorium 259 8. 266 2 — Perfectum est quod ex perfecta caritate procedit 267 2 — Perfectum in genere potest fieri imperfectum ex circumstantia 238 9 — Non omne, quod est infra perfectionis apicem, est imperfectum 291 16 — Opus perfectionis intermitti potest, ipsa perfectione servata 268 8

— evangelica est in litterali observantia mandatorum legalium sicut in figura et umbra 287 3 — evangelica non fuit in levitis 286 2. sq. 287 4. 288 6 — vera allegorice descripta est ab Ezechiele 287 4 — Christus discipulos suos perfectionem docuit 246 8 — tota monstratur exemplo Christi 236 5. 246 8 — Christi vita est expressum perfectionis exemplar 518 7 — Ad perfectionis aggressionem erigit vita Christi 73 10 — Consummatae perfectionis exemplum effulsit in Christo et Apostolis 290 14 — Apostoli sunt perfectionis evangelicae fundamenta et lumina 272 3 — docetur exemplo S. Francisci 247 10 — Homo potest esse perfectus 241 6 — Dictum notabile de perfectione evangelica 512 9 — inter dona Dei locum praecipuum tenet 291 15 — Perfectionis evangelicae impugnatio 234 3 — Reprobatio eorum quae studio perfectionis obiici solent 89 3. 90 4. sqq. — Falsitas sub specie sanctitatis a virtutum culmine revocat 257 20 — habet diversos gradus 340 a — vitae et patriae habet gradus 291 16 — In perfectione sunt diversi status 244 1. 249 18. sq. — multimoda Christi secundum plus et minus reperitur in omnibus statibus Ecclesiae 243 12 — Non omnes possunt aequaliter esse perfecti 137 9 — Nemo debet se alteri in perfectione praeferre 250 22 — Perfecti praeferuntur imperfectis 263 18 — In statu viae nemo est omnino impollutus 262 17 — Non omnis habens virtutem est perfectus 256 17 — Beatificati in patria ad ultimatam perfectionem pervenerunt 249 18 — est actus hierarchiae caelestis 270 15

— Homo non tenetur ex divino praecepto esse perfectus 239 2. 253 5 — Omnibus, qui ad perfectionis culmen conscendere volunt, proponuntur consilia evangelica 241 8 — Consilia perfectionis suadentur, non imperantur 143 6 — Ad perfectionem iustitiae addunt consilia 288 6 — Ad perfectionis culmen conscendere est paucorum 241 8 — Quaedam Christi exempla proponuntur solis perfectis 240 6. 241 8 — Christus nullis semitam perfectionis praecludit 267 4 — Christus diversa dedit virtutum exempla *ibid.* — Qui vult ad magnam perfectionem pervenire debet Christum in quinque virtutibus imitari 499 3. 500 4. sqq. — Per perfectionem evangelicam Christo configuramur et complantamur 272 3 — Perfectorum vestigia imitanda sunt 89 3 — Perfectionis evangelicae apex licet non attingatur usu, attingendus est affectu pio, affatu veridico et catholico intellectu 390 16

— Nullus est perfectus sicut Christus 239 11 — Nullus tanta caritate facit opera perfecta, quanta Christus condescendit ad infirma *ibid.* — Perfecti non debent Christum imitari in omnibus actibus 242 10. sq. 243 13 — Summa perfectionis non consistit in universali imitatione actuum Christi 243 13 — Multa sunt perfecta, quorum contraria Christus fecit per condescensionem 236 5. 239 11. 242 11 — Rectitudini perfectae non contrariatur condescensio cum imperfectis 236 5 — est necessitatis, vel supererogationis, vel ultimatae plenitudinis 245 2 — necessitatis est libertas a peccatis *ibid.* — supererogationis est consilii, perfectio necessitatis est praecepti *ib.* 3 — In perfectione necessitatis et supererogationis consistit meritum, in perfectione plenitudinis praemium *ibid.* — evangelica consistit in his quae sunt supererogationis *ib.* 4. 247 11 — Vera perfectionis notificatio 245 4 — Cum evangelica perfectione non potest stare quod est imperfectum secundum se 238 8 — evangelica non consistit in hoc, quod peccatum non regnet in homine 239 2 — dicitur consilium cum praecepto 245 4 — Perfecti astringuntur ad observantiam mandatorum 241 6 — in esse gratiae est senaria 246 8 — Quae sint officia et effectus

singularum partium huius perfectionis 245 5. sq. 246 6. sqq. 247 10. sqq. — Arca est figura perfectionis 246 8 — In statu perfectionis collocat votum Religionis 248 13 — Status Religionis perducit ad perfectionem 251 25 — supererogationis consistit in exercitio virtutis, in voto Religionis, in officio praelationis 249 19 — Comparatio perfectionis ad perfectionem in eodem et in diverso genere *ibid.* 250 20. sqq. — Qualis status religiosus sit perfectior aliis *ib.* 20 — Diversi sunt gradus perfectionis quoad officium praelationis *ib.* 21 — Differentia quoad perfectionem Religiosorum et clericorum sola necessaria retinentium 310 17. sqq. — In quo consistat differentia inter perfectionem status religiosi et praelationis 251 23. sqq. — Ad perfectionem status Religionis requiritur abdicatio proprietatis 251 53 — Viris perfectis non est praeceptum possidere bona Ecclesiae 291 15. sq. — status sine perfectione meriti pro modico habenda est 250 22 — evangelica requirit exercitium virtutum 247 11 — modi vivendi supremum tenet locum in aliquo statu 286 3 — non tantum dicit iustitiae rectitudinem, sed etiam expeditionem 295 4 — In statu et ordine perfectionis existens ad actus perfectos astrictus est 247 11 — maxima congruit praelationis statui 251 23 — Ad perfectionem praelatus sibi commissos attrahere debet, non cogere 143 6

— Qui est in statu perfectiori non est semper perfectior eo qui est in statu imperfecto 268 6 — Inter perfectionis evangelicae professores perversi sunt aliqui et imperfecti quam plurimi 311 1 — Non omnes actus Patrum antiquorum trahi possunt in exemplum perfectionis 296 6. sq. — Non omne, quod viri perfecti faciunt, est perfectum 253 5. 254 7. 262 17 — Perfectis omnis locus aptus est pro disciplinae internae exercitiis 341 b — Actus ad perfectionem spectantes quidam sunt intrinseci et essentiales, quidam exteriores et ad perfectionis complementum adminiculantes 268 8 — Quidam actus exteriores perfectionis possunt intermitti, salva perfectione, quidam, nisi pro loco et tempore intermittantur, cum perfectione stare non possunt *ibid.* — Forma perfectionis quantum ad quasdam virtutes semper retinenda est, quantum ad quasdam intermitti potest 285 39 — Mens perficitur per virtutem 271 20 — In viris magnae auctoritatis est transcensus vitae communis ex sublimitate virtutis 265 27 — praeexigit illuminationem 17 13 — Qui vult perfici se ad sapientiae igniculum vertere debet 3 2 — Ad perfectionem conscendere cupiens a se ipso incipere debet 108 1 — Quae virtutes spectent ad exercitium altioris perfectionis 143 6 — Quae virtutes conducant ad acquisitionem et conservationem perfectionis *ib.* 7 — Medium efficax perfectionis 501 10 — spiritualibus propugnaculis munita est 252 1 — Actus ad perfectionem praeparans, promovens vel conservans 259 8 — Virorum perfectorum est satanae resistere et sapientiae vacare 258 4 — Perfecto concupiscentias domare magis competit quam imperfecto 269 9 — Perfecti iam concupiscentias domuerunt 266 30. 269 12 — Perfecti debent se a licitis restringere 281 26 — Perfectionis est non solum peccata, sed etiam occasiones et bonorum impedimenta vitare *ibid.* — Perfectis competit superfluas cogitationes rescindere *ib.* 28 — Perfectioni attestatur mentis tranquillitas 260 9 — Perfectionis radix, forma, finis, complementum et vinculum est caritas 244 2

— Ad consequendam perfectionem nihil est melius caritate 124 1 — meriti obtineri non potest sine caritate 250 22 — Omne, quod est perfectionis facillimum est homini, acquisita tranquillitate caritatis 11 11 — Culmen perfectionis non attingit minima caritas 239 2 — ducit ad caritatem 3 1 — Perfectorum est excessus in Deum per amorem ecstaticum 246 6 — Profectus caritatis inducit perfectionem omnium bonorum 11 11 — Perfectis competit misericordia abundans 269 11 — Perfectis competit miserabilium curam gerere 284 38 — caritatis est mori pro proximo 9 8 — Devotio roborat ad perficiendum 147 2 — Perfectioni invigilans quotidianis lacrymis se emundare debet 518 8 — est in gratitudine 16 10

— Perfectionis radix et fundamentum est paupertas spiritus 272 3. 523 1 — Ad perfectionem requiritur relinquere omnia et sequi Christum 242 10. 276 13. 314 11 — Abdicatio proprietatis est initium evangelicae perfectionis 286 2 — Paupertas est virtus ad perfectionis integritatem necessaria 112 1 — Paupertas ducit ad perfectionem 501 8 — Perfectionis insigne est paupertas altissima 273 5 — Virtutis maximae est concessa praeterire 244 a, b — mentis acquiritur contemnendo temporalia 282 29 — Perfectis competit fugere divitias 281 27. sq. — Multa sunt utilia, quorum retentione cumulus perfectionis non accrescit 289 11 — Perfectionis culmen maius est in paupertate quam in possessionibus 294 22, 1 — Perfecti debent sua dimittere secundum totum 242 10 — non est in possidentibus propria nec communia 290 14 — Qualis communitas rerum temporalium non repugnet perfectioni 309 16. 310 17

— Viris perfectis non competit fuga persecutionis et mortis 235 2 — Qui ieiunia solvunt, reditibus affluunt et honoribus extolluntur non sunt perfecti *ibid.* — His qui perfectionem adipisci et defensare conantur, necessaria est abstinentia 257 1. 258 3. sq. 259 8. 261 13. 262 15. 263 18, 21 — Qui cupiunt esse perfecti maxime debent servare et appetere ieiunium 266 1. 270 14. 271 20

— diversae naturarum manant ab aeterno exemplari secundum variam summi Boni participationem 243 12 — variae naturarum, virtutum et operationum manifestant bonitatem Creatoris 267 4

Pericula — In imminentibus periculis frequentius orandum est 177 3

Perones — dicuntur sandalia 388 6

Persecutio — est adversitas ab extra 434 10 — est passio extrinseca 443 20 — — Vita praesens nunquam caret persecutionibus *ib.* 22 — sustinendae sunt patienter *ibid.* — perducunt ad gloriam caeli *ibid.* — Persecutores fabricant nostram coronam 446 33 — non sunt aliud nisi aeterni gaudii materia 58 8 — In tentationibus gaudia caeli contemplanda sunt *ibid.* — Persequens iustum peccare iuste permittitur 256 18

Perseverantia — est omnium virtutum consummatrix 125 1 — Perseveranti datur corona gloriae et honoris *ib.* 2 — Praemium datur soli perseveranti 398 5 — Bonorum consummatio sola coronat 441 12 — Haec consummatio tria requirit *ibid.* — in omnibus adversitatibus a membris Christi servanda est 178 2 — Virtus longanimitatis perseverare volentibus summe necessaria est 201 80

Persona — Quid sit persona interposita quoad usum pecuniae 314 12 — Quae iura et officia habeat *ibid.*

Perspicacitas — contra diabolum acquirenda imitatione Christi 13 3

Perusinus — lacus 528 8

Perversitas — Perversi quaerunt pervertere, impedire et desideria Spiritus S. lacerare 89 3 — Deus nostram perversitatem corrigere potest 492 5

Pes — Nuditas pedum est de se afflictiva et despicabilis 307 8 — Pedum nuditas est aspera poena 403 18 — Quomodo intelligendum sit verbum Evangelii nudis pedibus ambulandi 305 5 — Praecipue sex de causis Christus Apostolis hoc mandatum dedit 307 8 — Quos obliget hoc praeceptum 404 21 — Solvuntur quaedam obiectiones de pedum nuditate 403 20. 404 21. sq. — Haeresis nudis pedibus ambulantium 305 4 — Ad iram Dei placandam consuetudo ecclesiastica in processionibus pedes nudat 307 8

Petramala — in Apulia 563 2

Petrus — a petra dictus est 391 2 — ad discipulatum a Christo corporali vocatione praeventus est 397 2 — erat litterarum imperitia simplex 538 14 — factus est Spiritus S. eruditione illustris *ibid.* — a Christo specialiter ad fidei robur praemonitus est 75 16 — secutus est Christum in atrium 76 21 — ad vocem ancillae Christum ter negavit *ibid.* — respectu miserationis et gratiae commonitus flevit amare *ibid.* — expiatus a reatu sceleris, repletus est spiritu sanctitatis *ibid.* — Navicula Petri significat Ecclesiam 377 11 — replevit sagenam Ecclesiae multiformitate credentium 538 14 — a Domino hoc saeculum gubernandum suscepit 391 2 — positus est Ecclesiae fundamentum *ibid.* — est princeps Apostolorum 538 14 — recepit super alios Apostolos ordinariam potestatem 392 2 — B. Petro Ecclesia regenda et dilatanda principaliter a Christo commendata est 375 2 — Romanae

Ecclesiae praesedit et successoribus suam potestatem reliquit *ibid.* — Dominus Petrum a carnali sensu ductum dure increpavit 431 2 — non habebat aurum 275 9, 11. 276 12. 282 32. 299 16 — non verecundatur, sed decoratur in paupertate 275 9 — cur reprehensus sit a Paulo 265 28 — perfectus, tamen habuit affectum naturalem timoris 255 11 — non fugit, reputans se imperfectum ad martyrium 253 13 — Quid caligae Petri significent 387 6 — in carcere infirmis exemplum praebuit *ibid.* — Solea Petri Romae servatur 388 6

— S. Franciscus reparavit ecclesiam S. Petri iuxta Assisium 509 7 — quidam blasphemans S. Franciscum a Deo punitur 552 3 — de Alisia 557 4 — de Sicilia 560 2 — de Fulginio 561 4 — Massa S. Petri 557 2

Phantasma — Intellectus contemplantis purgandus est a vanis et inutilibus phantasmatibus 56 1

Pharisaeus — etiam cum pro acceptis virtutibus gratias egit, peccavit 208 101 — publicanum contempsit *ibid.* — erant hypocritae 431 2 — Pharisaeorum superstitio in discernendis cibis 261 13

Philosophia — Quomodo philosophiae studendum sit 335 12 — valet ad intelligentiam veritatis et confutationem errorum *ibid.* — Multae quaestiones fidei sine philosophia non possunt terminari *ibid.* — Philosophorum gentilium abstinentia 264 22

Pictavia — 561 1

Pietas — est cultus Dei 392 3 — Pium est quod ad Dei gloriam est directivum *ibid.* — Quomodo piissime de Deo sentiendum sit 128 2 — quadruplex est 526 1 — triplex est 130 10 — Summae pietatis actus est condescensio cum imperfectis 236 5 — summa est in Christo *ibid.* — consolatrix appropriatur Spiritui S. 28 1 — Opera pietatis significantur ramis olivarum 74 15 — mitigans comparatur oleo 136 1 — Dono pietatis induimus viscera misericordiae 86 49 — Gravis est sceleris quemquam prohibere ab operibus pietatis 319 9 — Pietatis officia districtionem abstinentiae recompensant 264 23 — compassionis infunditur per Deum 147 1 — Devotio pium facit 148 2 — Ad pietatem informat fraterna dilectio 136 1 — fidei aedificatur verbis simplicibus 68 2 — suspecta est, quae affectum Ecclesiae se putat transcendere 407 2

Pigritia — qualem mendicitatem pariat 325 26

Pilatus — impius iudex Christum condemnavit 77 23 — asseruit Christi innocentiam *ib.* 24 — humano timore devictus, Christum derisum flagellari praecepit *ibid.* — adiudicavit, impiorum vota compleri *ib.* 25

Pileus — Castrum Pilei 562 2

Pincerna — Christus est pincerna summi Regis 59 12

Pisae — 560 2

Plebanus — Officium plebanorum circa septem versatur 376 5 — habent officium docendi et corrigendi 380 17 — pro animabus Deo rationem reddere debent 377 10.— Quatuor sunt conditiones boni plebani 379 14 — tribus modis insufficiens dici potest *ib.* 15 — Quis sit plebanus nullus *ib.* 16 — Cur pauci sint idonei plebani 383 9 — sunt vicarii episcoporum 377 9 — Papa et episcopi sine praeiudicio plebanorum curam animarum etiam aliis committere possunt *ibid.* — potest alteri vicem suam committere 339 a. 376 8 — Religiosi sua officia exercent in solatium et sublevamen, non in praeiudicium plebanorum 377 9. sqq.

— Quando ab eis fideles Sacramenta requirere non debeant 356 b — Subditi etiam boni plebani in sex casibus ad alios pro confessione recurrere possunt 379 14 — Prohibitio plebani non confitendi apud alios triplici de causa irrita est 382 1 — In quibus maxime consistat obedientia populi ad plebanos 376 6 — Saepe nimis amplificant iura super subditos 372 b — non debent populo nova statuta imponere 376 6 — Quales defectus ipsorum in praedicatione reprehendere et quales tacere conveniat 357 a, b

Plebs — Castrum Plebis 541 11. 560 1

Plura — Animus distractus ad plura fit minor ad singula peragenda 145 14

Pluvia — significat doctrinam mentium 327 32

Poena — ab innocente gravius sentitur 122 5 — est tanto acerbior, quanto generalior *ib.* 6 — aliquae descendunt ex praevaricatione primorum parentum 295 3 — Per poenam debemus venire ad gloriam 443 20 — peccati deletur per devotionem 148 2 — Quis absolvere possit a poenis per Superiores latis 458 b — statutae contra Capitula provincialia 465 a

Poenitentia — agenda est iuxta praeceptum Domini 380 18 — Poenitentiae via omnibus communis est 514 6 — voluntarie assumenda a peccatore 7 19 — Per poenitentiam deflenda sunt mala commissa 4 4 — Homo poenitere debet cum publicano, David et Maria Magdalena 117 2 — Poenitens non debet habere modum in lacrymis 118 2 — Superna misericordia hominem lapsum revocat ad poenitentiam 71 2 — Deus dedit gratiam poenitentialem quantum ad temporis opportunitatem, animi voluntatem, religionis sublimitatem 6 12 — vera non est sine spe veniae 76 20 — Poenitentes paterno affectu suscipiuntur a Christo 74 13 — Poenitentibus apertus est sinus divinae misericordiae *ibid.* — Pars poenitentiae est confessio facta sacerdoti 380 18 — Tria requiruntur ad Sacramentum poenitentiae 479 1 — Contritio, confessio et satisfactio sunt integrales partes poenitentiae 382 2 — Necessarium est ad poenitentiae lavacrum recurrere 497 a — *Vide v. Confessio.* — Multi lapsi per poenitentiam surgentes meliores fiunt, quam qui lapsi non fuerunt 348 b — Ecclesia temporibus poenitentiae a carnibus abstinet 406 26 — Poenitentiam profitentibus carnes et pretiosi pisces vitanda sunt *ibid.*

— Ordo de poenitentia institutus est a S. Francisco 514 6 — S. Franciscus ad poenitentiam invitat 510 2. sqq. — Cur Ordo Poenitentium non promoveatur a Fratribus Minoribus 368 a, b. 369 a — Magistri Ord. Poenitentium sunt laici et aliquando uxorati 369 a — In quo consistat difficultas hunc Ordinem bene regendi *ibid.* — Quomodo haec res se habuerit quoad S. Franciscum *ibid.*

Politica — virtus tenet medium et fugit extrema 322 19 — Largitas politica duas conditiones requirit *ibid.*

Pomaricum — est castrum Apuliae 552 2

Pompa — saeculi vana et periculosa est 46 6 — huius mundi in comparatione caelestis nihil est 60 14

Pontifex — agit causas hominum apud Deum et causas Dei apud homines 317 4 — Pontificale officium describitur sub septiformi metaphora *ib.* 3. sqq. — ingrediens sanctuarium rationale iudicii ferre debet 143 3 — Bonorum pontificum est desideranter appetere cooperatores evangelistas 317 7. 320 11 *Vide v. Sacerdos.* — Pontificis veteris legis sententiae adversari malum erat morte mulctandum 235 1

— Triplex est plenitudo potestatis **Summi** Pontificis 375 3 — vice Christi est caput totius Ecclesiae 132 3 — est episcopus totius universitatis 391 2 — Ipsi tota ecclesiastici gregis cura commissa est 376 8 — ubique habet potestatis plenitudinem 377 8 — ita omnium ecclesiarum sollicitudinem gerit, ut ea quae singulis necessaria probantur, illius providentia suppleantur *ibid.* — quando aliis vices suas committere soleat *ibid. Vide v. Papa.*

Popiis — 553 2. 559 3

Populus — ecclesiasticus est hortus et paradisus virens multiformitate virtutum 317 3

Portiuncula — 528 7. *ib.* 9. 534 5 — cur S. Maria de Angelis vocetur 509 8 — Ecclesia Portiunculae reparata est a S. Francisco *ibid.* — specialiter amabatur a S. Francisco *ibid.* — In hoc loco Minorum Ordo institutus est *ibid.* — Ibi meritis Matris Dei Minorum Ordo sumsit initium et suscepit incrementum 514 5 — Hic S. Franciscus humiliter coepit, virtuose profecit, feliciter consummavit 509 8. 546 3 — Hunc locum S. Franciscus Fratribus tanquam Virgini carissimum commendavit 509 8 — S. Franciscus ante mortem ad Portiunculam portatur 546 3 — Visio cuiusdam Fratris quoad hanc ecclesiam 509 8 — Capitulum ad Portiunculam 515 10 — In loco S. Mariae de Portiuncula erat magna inopia 523 4

Possessio — Circa possessionem consideratur dominium et usus 272 3 — Perfectius possidet qui possidet quoad usum et proprietatem quam qui quoad usum tantum 247 12 — Veraciter habemus ea quae possidemus tanquam nostro iure mancipata 308 9 — non potest acquiri sine animo acquirendi 313 9 — Tria sunt genera iniuste possidentium 355 a — Possessionum septiformis perfectio 290 13. sq.

— Divitiae possideri possunt absque peccato 295 4 — sunt utiles ad sustentamenta naturae et ad opera industriae 290 12 — non ex se ipsis, sed ex parte utentis sunt utiles ad exercitia virtutis perfectae *ibid.*, 14 — Possessione rerum vita mortalium carere potest 312 5 — Possessionibus carere est perfectum 277 16 — Possessionum affluentia non est perfectionis 293 20. 303 27 — Periculosum est possessionum affluentiam praeconiis desiderabilem reddere 291 17. 292 18 — Temporalia possidere non est praeceptum viris perfectis 291 15 — temporales sanctorum Patrum non possunt trahi in exemplum perfectionis 296 6. sq. — Possessiones Ecclesiae possidere et sancte dispensare est perfectioni compossibile 288 7 — Non repugnat perfectioni ecclesiastica bona, imperante Ecclesia, suscipere dispensanda 422 7 — Possessiones suscipere potest esse perfectionis in praelatis, sed non in quibuslibet privatis personis 294 22 — Possidere bona Ecclesiae non est perfectum in se vel perfectius quam carere 290 14. 291 15. 294 22 — ecclesiasticae non faciunt ad perfectionis cumulum nec sunt secundum exemplum Christi et Apostolorum 288 7. 289 9. sq. — In accumulando possessiones latet magnum periculum 291 17. 303 29 — Perfectionis est relinquere possessiones ecclesiasticas 289 10 — Possidere in communi competit vitae coenobiticae 273 4 — Abdicatis rerum proprietatibus, possidere aliquid in communi non est imperfectum 277 16 — Possidere bona in communi non est aeque perfectum quam paupertas cum extrema penuria 295 3 — communes falso dicuntur perfectionem complere 290 14 — communes non elevant altius ad Deum quam extrema paupertas 293 20 — etiam communes sunt potius contemnendae quam amandae 292 18 — Cur bona levitarum dicantur Domino dedicata 287 5 *Vide v. Divitiae.*

Potentia — sita est in Apulia 551 6

Potestas — appropriatur Patri 17 12. 28 1 — immensa Dei cuncta de nihilo creavit et supportat 128 2 — excellens requiritur ad gloriam regni 84 46 — ecclesiastica data est praelatis in aedificationem, non in destructionem animarum 381 20 — Qui ea utitur in destructionem virtutem suam amittit *ibid.* — In potestatibus ordinatis quidquid potest inferior, potest etiam superior, sed non e converso 428 4 — sine exsecutionis efficacia vacua est 377 8 — Potestatis auctoritas facit praelatum timendum subditis 146 17 — Anima habet potestatem super ceteras creaturas 31 7

— Potestates sunt in secunda hierarchia 18 14 — ornant caeleste convivium de auctoritate malignos spiritus coercendi 61 47

Praeceptum — Virtutum actus sunt in praecepto 394 3 — Quatuor sunt differentiae praeceptorum 134 7 — Cavenda et dolenda est quadruplex transgressio praeceptorum *ib.* 9 — Ad divinorum praeceptorum observantiam convenit quinque considerare 497 a — Praecepta Ecclesiae sunt inviolabilia 134 9

Praecisio — est vel corporalis vel spiritualis 160 1. sq. — Ipsa exinanitio quaedam praecisio est 161 2

Praeco — S. Franciscus praeco magni Regis 509 5. 566 b

Praedestinatio — aeternaliter facta est a Patre per Spiritum S. in Filio 8 3

Praedicatio — est Ecclesiae necessaria, in se pia et Deo accepta 319 9 — Difficultas et sublimitas praedicationis 320 13 — Quae pertinent ad praedicationis utilitatem describuntur quoad causam efficientem 430 11 — et quoad causam finalem, materialem et formalem *ib.* 12 — Praedicator loqui debet ex Deo contra falsitatem, coram Deo per maturitatem, in Christo per intentionem puritatis *ib.* 11 — In praedicatione quaedam observanda sunt ex parte praedicatoris, quaedam ex parte auditoris, quaedam ex parte sermonis 443 21 — Per praedicationem Veritas est annuntianda 18 14 — Praedicator informare debet fideles, quid credere et qualiter vivere debeant 378 12 — Praedicator diversi generis auditores debet instruere 359 b — ut virtutes magis reddat commendabiles, vitia opposita, quam sint nociva et detestabilia, ostendit *ibid.* — pertinet ad leviathan exstirpandum 427 1 — Praedicator non debet sibi usurpare officium iudicis, sed doctoris 359 b — Praedicator debet in genere omnes arguere peccantes et non descendere ad specificationem personarum, sed vitiorum vel statuum vel officiorum *ibid.* 360 a — correctioni et aedificationi intendere debet, non confusioni vel infamationi 360 a

— Quid sit castitas eloquii in praedicatione 430 11 — verbi Dei debet esse brevis *ib.* 12 — Doctrina Christi magis moribus quam verbis praedicanda est 142 9 — Ex moribus praedicantium vilescit doctrina verborum 361 a — Ad efficaciam praedicationis omnis suspicio excludi debet 412 3 — fit magis efficax per paupertatem evangelicam in praedicante 301 21. sq. — Praedicatoribus Christus extremae paupertatis formam imposuit 273 5 — Praedicare se ipsum est propriam gloriam quaerere et malis exemplis se potius quam Christum imitandum ingerere 142 9 — Praedicatores vani plangendi sunt 526 2 — Modus laudabilissimus corpori necessaria acquirendi est in praedicationis laboribus exerceri 420 2 — Praedicatores non possunt sine detrimento salutis animarum stipendiarie laborare *ib.* 3 — In casu labor stipendiarius necessarius esse potest praedicanti *ibid.* — Pro praedicatione non est accipiendum pretium 275 10. sq. — Pretiosa sunt verba Dei 371 a — non debet principaliter impendi pro alimento corporis 370 b. 371 a — Praedicatores illi non sunt excusandi, qui quaerunt commodum corporis et nolunt ad pauperes divertere 370 b — Hoc officio omnibus subveniendum est *ibid.* — Conveniens est, monasticam vitam professos ad opus praedicationis assumi 319 10 — Auctoritas Evangelium docendi praecipue competit eis qui Evangelium profitentur et servant 335 11 — Praedicator diligenti examine indiget 361 a — Praedicator novem qualitates habere debet 360 b. 361 a — Officium praedicationis notitiam requirit s. Scripturae 339 b. 378 12 — Cur saepius iuniores ad praedicationis officium promoveantur 360 a — Promoventes insufficientes ad hoc officium Ordini confusionem, animabus nocumentum, ipsis promotis detrimentum et sibimet culpam procurant 361 a — Tales insufficientes in multis saepe possunt offendere et scandalizare *ibid.* — Indigni et impudenter se ingerentes ad officium praedicationis sunt temerarii, superbi, stulti et invidi *ib.* b — Officium praedicationis est occasio variarum tentationum *ibid.* — Magnum periculum est hoc officium non bene administrare 378 12 — Magnae impietatis est divini verbi ministris impedimenta praebere 319 9 — Dictum S. Francisci de praedicatoribus 526 1. sq. 539 1 — Praedicationi debetur aureola 250 19

— Ordo Praedicatorum ex officio praedicationis et confessionis fideles illuminat 357 b

Praedium — Ratione praediorum tributa solvenda sunt 309 12 — humano iure possidentur *ibid.*

Praeesse — Difficile est aliis utiliter praeesse 131 1

Praelatus — est vicarius Dei 135 15 — est vicarius superni iudicis *ib.* 12 — debet gerere vicem Christi in tribus 142 9 — spritualis est ecclesiasticus Seraph 136 1. 138 1. 150 15 — est rector animarum 133 1 — est dux gregis sibi commissi 142 1 — Ipsis sunt greges commissi 428 2 — Ecclesiae a Christi discipulis instituti sunt 416 13 — Qualis status praelationis sit perfectior 250 21 — In praelato requiritur perfectionis eminentior sublimitas *ibid.* 293 22 — Status praelationis in perfectione est altior statu Religionis 251 23, 25 — Opulentia et honores praelatorum non sunt adducenda in exemplum perfectionis 296 8 — Quomodo status praelationis alios status praecellere debeat 251 24 — Praelatio sine culmine virtutis non est sublimatio, sed deiectio et periculosa ruina 250 22 — Status praelationis exponit multis periculis 251 25 — Status praelationis simul est excelsus et periculosus *idid.* — Hunc statum appetere est praesumtuosum et stultum *ibid.* — Ad praelationis statum non congruit accedere nisi perfectum *ib.* 24 — Praelatio a viris probatae virtutis potest cum formidine suscipi, a peccatoribus et infirmis debet vitari, a nullis appeti et ab omnibus honorari *ib.* 26 — Praelatio a perfectis suscipi potest ex obedientia et zelo salutis animarum 297 11 — Praelatio fugienda est 46 4 — indignum se reputare debet, ut aliis praesit 448 40 — Ad officium praelatorum requiruntur undecim conditiones 362 a — Hinc pauci possunt esse stabiles praelati *ibid.* — Quidam sunt boni subditi, sed

inutiles pro praelatis *ibid.* — Multa sunt necessaria, ut praelatus officium suum bene exsequatur 132 3. 136 17 — Frequens mutatio praelatorum ex parte bona est et ex parte nociva 350 a — Quatuor sunt praelati officia cum tribus observantiis 143 3. sqq. — Praecipue sex virtutibus ornatus esse debet: zelo iustitiae 133 1 — pietate 136 1 — patientia et longanimitate 138 1 — exemplaritate vitae 140 1 — circumspecta discretione 142 1 — devotione ad Deum 147 1 — non humana laude nec compassione carnali inclinari debet 150 15 — Ad quid inducat praelatum amor Dei et proximi 133 5 — Ipsum continua cura urget de providentia spiritualis disciplinae 138 2 — Praelato quatuor cavenda sunt 134 9. sqq. — Ipsi quinque cavenda sunt in observatione iustitiae 135 12

— malos non diligere et fovere, sed tolerare debet 135 15 — quomodo pacem in correctione delinquentium servare debeat 447 39. 448 40 — Praelato negligenti triplex Deo reddenda est ratio 135 15 — Negligentia exempli melioris vitae districte ab eis in iudicio requiretur 142 9 — Quae peccata subditorum ipsi imputentur 136 16 — se liberat a peccato negligentiae officium suum implendo 135 12 — Duae sunt rationes ipsum consolandi, si conatus sui non in omnibus proficiunt 140 10 — Praelatorum est imitari Christum in operibus severitatis et dignitatis 243 13 — Praelatis reverentia exhibenda est 471 4 — Subditi ei obedire debent vice Domini 135 15. sq. — Subditus praelatum suum non hominem considerare debet, sed Deum 520 4 — Quanto contemptibilior praesidet, tanto magis humilitas obedientis placet *ibid.* — Praelatorum acta non sunt publice sugillanda 470 2. 471 4 — magis benignitate quam auctoritate uti debet 146 17 — Potestatis auctoritas facit praelatum timendum subditis *ibid.* — etsi magis diligendus sit, expedit tamen, ut ab insolentibus timeatur 141 6 — bonus fratrum suorum se reputat patrem, non dominum; medicum, non tyrannum 136 4 — Expedit, praelatum experiri infirmitates, ut discat compati 137 6 — Adversitates praelato triplicem utilitatem afferunt 139 8. 140 9. sq. — Praelato propter tria necessaria est patientia 138 2. sqq. 139 4. sqq. — patientia quasi armis defenditur et adornatur 150 15 — Cur tot praelati sanctificati sint 139 6 — Manus praelati sunt instantia in agendo et patientia in sufferendo *ib.* 7 — Eius impatientia octo mala facit *ib.* 5 — tenetur non solum ad ea quae sunt salutis propriae, sed etiam subditorum 251 23 — spiritualiter et temporaliter sibi commissos greges pascere debet 285 38 — debent formam Christi visibilem in se ipsis ostendere 142 9 — ceteris debet esse norma vivendi 140 1 — subditos in omnibus virtutum exemplis praecedere debet, specialiter in tribus *ibid.* — pluribus cogitur vivere ad exemplum et satisfacere singulis et placere omnibus 146 17 — quomodo hoc efficere possit *ibid.* — aliis magis quam sibimet deservire debet *ibid.* — sibi commissos christiformes facere studeat 142 9 — fidelibus providere debet iuxta dictamen largitatis politicae 322 19 — curam habent quantum ad perfectos et validos et infirmos et imperfectos 294 22 — Sub praelato bene regulato crescunt subditi in fide et aliis virtutibus 448 41 — bene regulatus magnificatur in praesenti per gratiam et in futuro per gloriam *ibid.* — per sua mala exempla excludit subditos ab imitatione Christi 142 9 — si ipse errat, grex in dispersione interibit *ib.* 1

— Potestas ecclesiastica data est praelatis in aedificationem, non in destructionem 381 20 — onus sollicitudinis et aliis impertire debent 377 8 — triplici maturitatis honestate excellere debet 141 6. sqq. — gerit vicem capitis in corpore fraternitatis 145 13 — indiget magna discretione 142 1. sq. 144 7 — Varii mali effectus sequuntur, si fuerit nimis rigidus vel nimis remissus *ibid.* — non debet recipere adulatores et detractores 147 20 — non sit levis in proposito 141 8 — facile a recta intentione et bono proposito declinat 198 71 — est persona communis, cui competit extrinsecis implicari negotiis 293 22 — Occupationes variae ipsi ex domesticis curis et extraneis causis emergunt 138 2 — circa quatuor vigilare debet 143 3. sqq. — negotia gerenda tripliciter disponere debet 145 11. sqq. — Triplici circumspectione sibi invigilare debet *ib.* 15. 146 16. sqq. — Circumspectione agenda praevidere debet 150 15 — Pessimae sequelae oriuntur, si praelati exterioribus negotiis nimis implicentur 145 14

— non potest semper omnibus placere 146 17 — non sit sapiens in oculis suis *ibid.* — Duplex est defectus multorum praelatorum 147 19 — studiosus esse debet habere devotionem 148 3 — Devotione ad ipsum Deum accedere debet 150 15 — Ipsi necessaria est devotio assidua triplex *ib.* 12. sq. — Non solum pro se orare necesse habet, sed etiam pro sibi commissis 148 3 — est mediator inter Deum et subditos *ibid.* — debet gerere negotium Dei apud subditos et negotia subditorum apud Deum *ibid.* — pro aliis debet ex officio orare 150 11 — quandoque propter alios copiosiorem accipit orandi gratiam *ibid.* — furtim et raptim ad orationis studium se conferre debet 149 11

— Ecclesiae minime astringuntur ad abdicationem proprietatis 251 23 — salva perfectione, suscipiunt possessiones ad sustentationem pauperum et ministrorum Ecclesiae 284 38. 294 22. 312 6 — debent habere loculos pro necessitatibus pauperum relevandis 414 6 — bona Ecclesiae sibi necessaria ac pauperibus eroganda habere possunt 416 13. sq. — Suam sustentationem ex lege iustitiae et iure fori exigere possunt 329 39 — Acceptio stipendiorum pro ipsis non est mendicitas, sed potestas *ibid.* — Praelatis non adversatur qui laudat paupertatem 236 3 — sunt pauperum spiritualium patres, tutores, nutritii et patroni *ib.* 4

Praemia — parantur iustis 497 a — datur soli perseveranti 398 5 — respondent meritis 11 1 — diligentium Deum est ipsum summum Bonum 7 14 — Perfectio praemii consistit in dote tentionis, visionis et fruitionis 11 1 — promissa sollicite et frequenter pensanda 6 14 — Consideratio praemii minuit vim flagelli 58 8 — Pro promissis maxima benevolentia exhibenda est 9 7

Praescriptio — ab auctoritate principum saecularium et Papae trahit originem 309 12

Praesentia — Semper et ubique in praesentia Dei ambulandum est 496 a — Christi sacramentalis et spiritualis requirit reverentiam honoris et laudis 148 5 — Ex intelligentia praesentium oritur pudor 8 2

Praesepium — fuit tertium vinculum, quo Christus ligatus fuit 165 1

Praesumtio — Praesumtuosus etiam ubi errat, se recte sentire deceptus putat 146 18 — quorundam imperitorum 303 27 — Praesumtuosi in Ecclesia tanquam luciferiana tumescentes superbia, ex hac et aeterna vita sunt delendi 236 5 — adversitatibus humiliatur 140 9

Pravorum — societates et consortia sunt fugienda 54 5

Praxedis — sanata per S. Franciscum 561 7

Prima — In Prima Dominus ad pontifices et tyrannos ductus est 408 6

Primatus — Figura primatus explicatur 391 2 — Cur Dominus unum Apostolum ceteris praefecerit 392 2. 427 2 — residet apud Romanam Ecclesiam 375 2 — In primatu est triplex plenitudo potestatis *ib.* 3 *Vide v. Pontifex.*

Primogenitus — Cur Angelorum numerus hoc nomine designetur 61 16

Principale — Concesso principali, accessoria etiam conceduntur 400 9

Principatus — sunt in prima hierarchia 18 14 — ornant caeleste convivium de principandi inferioribus magnificentia 61 17

Principium — In divino esse est principium primum tanquam proprium personae 17 11

Processio — ecclesiastica 307 8

Procurator — debitoris et creditoris 314 13

Producere — Sapienter operans non producit quod sibi displicet 268 6

Profectitium — peculium filiifamilias 312 7

Profectus — Spiritus semper proficit, aut deficit 260 9 — Unusquisque debet cum summa diligentia proficere in virtute 4 4. 108 2 — Gradus proficiendi secundum triplicem hierarchiam 15 9 — Proficere in Deum est humiliare se ipsum 501 6 — Ad proficiendum in gratia nihil est melius caritate 124 1 — Proficere volentibus necessaria est devotio assidua triplex 150 12. sqq. — spiritualis, a quibus impediatur 134 7. sqq. — Qui vult multum proficere studeat pure obedire 502 13 —

Proficere volens convertit ad lucrum suum aliorum detrimentum et defectus 350 b — spiritualis in omnibus reperiri potest 495 a — Desiderium in bono proficiendi est munus grande 492 7 — spiritualis saepe crescit, dum non sentitur, et roboratur, cum infirmari putatur 140 10 — exiguus subditorum magnam patientiam in praelato exigit 138 3

Professio — in Ordine religioso duo importat 401 12. sq. — ante annum completum probationis est invalida *ib.* 12 — quomodo facienda sit 451 a — A professionis excellentia vitae observantia non debet discordare 471 4 — Nulla potest esse professio omnino temporalium rerum abdicans usum 312 5 — Professorum habitus more antiquorum Religiosorum distinguebatur ab habitu novitiorum 400 11

Prohibere — Generaliter prohibitum nulli est indultum 254 9

Promissa — Homo magis allicitur promissis, quam cogatur minis 55 11

Promotio — praepropera multa mala affert 138 3

Promptitudo — Propter Sponsi promptitudinem sollicite vigilandum 14 6. 15 8

Prophetae — excellunt credulitate et fidelitate certissima 62 18 — Sumus socii Prophetarum per humilitatem et fidei confidentiam 51 17 — usi sunt sacco cilicino 405 24

Propinquus — Inordinatus amor propinquorum exstinguendus est 200 77

Propositum — novae vitae, quomodo excitetur in anima 37 22. 88 1 — Novo vivendi proposito anima a Deo spiritu gratiae fecundatur 89 1 — bonum exsurgit e radice bonae cogitationis 198 69 — Triplex est proprietas boni propositi *ibid.*, sqq. — Inconstantia in proposito est vitanda 141 8 — Pravae suggestiones corrodunt bonum propositum 199 76 — Remedia contra has suggestiones 200 76. sqq.

Proprietas — sine animo acquirendi acquiri non potest 313 9 — rei per propriam manum, vel per alienam recipi potest 314 12 — Appropriatio descendit ex peccato primorum parentum 295 3 — Propria licite possidentur *ibid.* — Appropriatio non est culpa, sed occasio culpae *ibid.* — Proprietate rerum vita mortalium carere potest 312 5 — Possessiones terrenas quantum ad dominium et proprietatem relinquere est evangelicae perfectionis 254 7. 273 3 — Propria potius contemnenda sunt quam communia 295 3 — non est sola causa abdicationis temporalium ad excludendam cupiditatem 294 2. 295 3 — Abiectio possessionis proprietariae non est de necessitate, sed de congruitate status clericalis 279 22 — Nihil proprium habere est perfectionis in ecclesiasticis personis, maxime coenobitis 284 37 — Constitutiones de proprietariis 457 b

Proprium — differentia in Deo 16 11

Prospera — In prosperis latent insidiae inimici 198 7 — Multi Deum nolunt imitari in prosperis 55 12

Providentia — Propter caelestem providentiam omnis terrena sollicitudo exstirpanda est 412 3 — Dei animali cuicumque cibum convenientem procurat 103 13 — providet Ecclesiae de nutrimento convenienti *ibid.*

Proximus — diligendus est propter Deum 10 8 — Quomodo exercenda sit caritas ad proximum 130 10. 495 a — In cunctis hominibus imago et similitudo Dei consideranda est 495 a — Proximo commiserandum 16 10 — Dilectio erga proximum operibus misericordiae demonstratur 214 116 — Amor proximi desiderat eius temporalem sospitatem et aeternam salutem 133 5 — Pro salute proximorum mori est perfectae caritatis 9 8 — Devotio proximos maxime aedificat 148 2 — Pax est virtus ordinans in proximum 440 9 — Septem modis ipsi honorem exhibere debemus 371 a — Honor tantummodo exterior non sufficit *ibid.* — Constitutiones quoad peccata contra proximum 457 b

Prudentia — Prudentiae est cautela futurorum 290 13 — est magistra directionis in via salutis 256 16 — necessario est annexa omnibus virtutibus 256 17 — de perfecto non facit imperfectum *ibid.* — Non omne opus prudentiae est perfectum *ibid.* — qualis sit adhibenda in correctione delinquentium 144 8. sqq. — Prudentiae carnis praeferenda est crux Christi 69 5 — *Vide v. Discretio.* — Quando prudentiores consulendi sint 147 20

Psalterium — Ecclesia Romana alia utitur translatione psalterii, quam communiter habeatur 407 2

Pudicitia — Aliud est medium pudicitiae coniugalis, aliud sanctimoniae virginalis 322 18 — conservatur abstinentia 260 9

Pudor — oritur ex intelligentia malorum praesentium 8 2 — est de miseria propter opprobrium sive inhonestum *ibid.* 11 12 — est in recordatione flagitii 12 2. 15 8 — flagitii ducit ad timorem divini iudicii 12 2

Pueri — baptizati, quo modo boni dicantur 133 2 — Puerorum mentibus frequenter inculcandum est martyrium innocentis Iesu 183 1 — patres affectuosius orantes ipsos paterno nomine appellare solent 173 1 — in camino ignis caelitus irrorari meruerunt 326 29

Pugna — In pugna Christi agitur pro declinanda morte animarum 257 20 — In ipsa non est timendum *ibid.* — Christus dedit exemplum pugnandi contra tentationes 269 11

Pulcritudo — est aequalitas numerosa 17 12 — Videre pulcra appetitur a concupiscentia curiositatis 4 5 — mirabilis est in Deo 17 12 — Creatoris supereminet incomparabiliter creaturis 33 12. 66 27 — Contemplatio pulcritudinis Creatoris facit despicere omnem aliam 66 27 — appropriatur Filio propter veritatem et sapientiam 17 12 — Propter Sponsi pulcritudinem complacendum 14 6. 15 8

Pulvis — Qui pulverem detergit ipse respergitur 146 16

Punire — Quomodo puniendi sint mali et peccatores 135 15

Purgatio — est actus hierarchiae caelestis 260 14 — necessaria est propter peccatum 15 9 — In tempore homo se purgare debet ab omni negligentia, concupiscentia, nequitia 5 7 — Gradus purgationis 12 2. 15 8 — In purgatione est contritio dolorosa respectu sui, compassio timorosa respectu Christi, commiseratio clamorosa respectu proximi 16 10 — Via purgativa incipit a stimulo conscientiae 3 2. 5 9 — Via purgativa consistit in expulsione peccati 12 1 — fit per passionem tribulationum 83 40 — Ad purgationem pervenitur per ieiunium 270 14 — Mens purgatur per sanctitatem 271 20 — Via purgativa exercetur in dolore, sed consummatur in amore 6 9 — Purgationis terminus est in interna laetitia 5 9 — In exercitio viae purgativae tamdiu est immorandum, quousque tranquillitas et serenitas percipiatur *ibid.* — ad pacem ducit 3 1

Purpura — bis tingitur 167 3

Pusillanimitas — aestimat, Deum in se sperantibus sua beneficia negare posse 51 19

Q

Quadragesima — hiemis refertur ad peccata praeterita expianda, Quadragesima veris ad futura praecavenda 409 7 — S. Franciscus Fratribus suis tertiam Quadragesimam suasit *ibid.* — Quadraginta dies magnum designant mysterium 82 37

Quiricus — Apud S. Quiricum apparent S. Francisco tres mulieres pauperculae 524 6

R

RAD

Radius — superessentialis et fontalis Patris est Christus 85 47

Radix — prima vitiorum est corporalium rerum amor, et radix secunda timor male humilians 299 16 — omnis mali est triplex concupiscentia 4 5 — omnis peccati sunt concupiscentia voluptatis, curiositatis, vanitatis 108 3

Ragusia — 553 7

Raho — fuit Frater Ordinis Minorum 552 4

Raptoribus — absolutio neganda est, donec restituant 467 a

Ratio — Virtus omnis est ratio recta 240 3 — Rationi praeferenda est fides 69 5 — in meditatione percunctando offert propositionem 7 19 — satisfactoria, cur reddenda sit 337 a

Rationale — Ex rationali Ecclesiae iudicium cum veritate resplendere solebat 292 18 — Lapidum in rationali positorum spiritualis interpretatio 143 3. sqq. — Duodecim lapides in typico rationali significant nomina duodecim Apostolorum 302 23 — Typici rationalis duodecim lapides designant duodecim utilitates paupertatis 315 15 — significat perfectionem et paupertatem altissimam 293 19

Rationalis — 410 11

Reate — 525 11. 536 5. 541 9. 556 3 — S. Franciscus infirmus iacuit in eremitorio prope Reate 525 11. 536 5 — Lacus Reatinus 528 8. 556 4

Rebelles — appellant ad illos quos sciunt sibi in sua rebellione favere 350 b

Rechab — Filii Rechab magis de obedientia quam de abstinentia laudati sunt 263 19 — S. Franciscus voluit, filios suos esse Rechabitas 442 17

Receptio — Circa receptionem ad Ordinem religiosum tria concurrunt 397 1 — Quas qualitates habere debeant recipiendi in Ordinem 450 a, b

— Recipere et dare opponuntur relative 417 16 — respicit dominii acquisitionem *ibid.* — Nullus recipit proprie, nisi qui intendit sibi dominium rei acquirere *ibid.* — Dare simpliciter est beatius quam recipere 424 24 — Cum circumstantia humilitatis recipere est beatius quam dare *ibid.* — Dominus discipulos suos ad receptionem informavit *ibid.*

Reclinatorium — Salomonis 396 11

Recollectio — interna necessaria est in oratione 118 4 — quomodo acquiratur *ibid.* 119 5

Rectificare — Conscientia rectificatur in acquisitione strenuitatis, severitatis et benignitatis 5 8

Rectitudo — virtutum deiformium approbanda est 233 1 — In rectitudine perfectissima nequaquam medium discordare debet ab extremis 285 40

Rector — est dux gregis sibi commissi 142 1 — subditos in omnibus virtutum exemplis praecedere debet, specialiter in tribus 140 1. sqq. — ad quid potissimum invigilare debeat 143 3. sqq. 470 a — praecipue ad hoc studere debet, ut sibi commissos faciat christiformes 142 9 — debet habere discretionem *ib.* 1. sq. — Ipsi devotio valde necessaria est 148 3 *Vide v. Praelatus.*

Redemptio — fuit per sanguinem Christi 13 3. 15 9 — Per Redemptorem homo liberatus est a peccato, Patri aeterno reconciliatus et venditus reparatus 39 30. sqq. — Summa iustitia requisivit redemptionis pretium 13 4 — Beneficium redemptionis cum gratiarum actione frequenter ruminandum est 480 2 — contemplanda est oculis mentalibus purgatis 38 39 — Quanto beneficia redemptionis agnoscimus digniora, tanto peccata ingratitudinis sunt deteriora 40 34 — Cur per Deum et non per alium redempti simus 225 165. sq.

Reditus — Qui reditibus affluunt ab Evangelio non praedicantur perfecti et beati 235 2

Refectio — mensae divinae, qualis sit 126 4 — Nihil reficit animam Deum desiderantem nisi ipse Deus 10 9. sq.

Refectorium — Regulae servandae in refectorio 481 1. sq.

Reformari — debemus ad imaginem Divinitatis Christi 189 4

Refugium — Per refugium Veritas est adeunda 18 14

Regimen — In praesidiis regiminum consistit aedificatio proximi 250 20 — Finis officii regiminis est sibi commissos ad vitam aeternam dirigere 141 4

Reginaldus — sacerdos B. Francisco devotus 561 1

Regio — Multum differentes sunt diversarum regionum intemperies 402 16

Regnum — a rege trahit originem 84 45 — Dei aeternum est gloriosum et nobile *ibid.* — Ad perfectam gloriam regni requiritur potestas excellens et sapientia fulgens *ib.* 46 — In regno aeterno est copia omnium donorum per Christum 85 47 — Dei intra nos negligimus, cum ad inania et vana fundimur 58 4

Regula — aeterna est rectificatio et directio omnium incurvatorum 447 35 — pro lege datur 437 3 — idem est quod norma 439 3 — dicitur a regulando, quia subiectum regulat quoad Deum *ibid.* — Sine observatione Regulae, quam vovit, nemo salvari potest 469 5

— **Fratrum Minorum** ex hoc dicitur regula, quia recte ducit 393 2 — est vita, ut tota Fratrum conversatio Regulae applicetur *ibid.* — profitentes ipsam quadrupliciter regulat 439 3. sqq. 440 8. sqq. — est perfectio Evangelii renovata 393 3

REG

— de fonte trahitur evangelicae puritatis 333 6. 393 3 — perfectissime fundata est super vitam evangelicam 441 15 — est eadem, quam Dominus Apostolis constituerat 400 9 — Voventes hanc Regulam non vovent omnem Evangelii perfectionem 393 3 — Multo magis non vovent quod non exprimitur in eadem *ibid.* — vovetur partim ad observantiam, partim ad reverentiam specialem 394 3 — defenditur a cardinali Ioanne 512 9 — evangelica et apostolica sententia est confirmata 393 1 — Trina est eius approbatio 391 1 — prima approbata est per Papam Innocentium tertium 391 1. 438 2. 512 9. sq. 515 11. 542 12 — Visio S. Francisci circa Regulam primam 516 11 — secunda bis scripta fuit a S. Francisco *ibid.* — Francisco fuit divinitus revelata *ibid.* — Ad confirmationem omnimodam Regulae impressa sunt S. Francisco s. stigmata *ibid.* — confirmata est ab Honorio tertio 391 1. 438 2. 516 11 — tota est mandatum apostolicum et per consequens tota est authentica 392 3 — ratione pietatis et honestatis a Papa confirmata est *ibid.* — declarata est a Gregorio nono 391 1. 395 7 — Eius declaratio adhaerentibus ei est solatium, et adversantibus directio 391 1 — Adversantes eidem lumini attribuunt vitium suarum tenebrarum *ibid.* — Asserentes, Regulam servari non posse, sunt impii, haeretici et schismatici 392 3 — Detractores Regulam ipsam, Regulae declarationem et Fratrum conversationem trino ordine dentium lacerant 437 1

— Tres sunt partes Regulae 391 1. sq. 392 3 — apte continet duodecim capitula 393 1 — Horum capitulorum divisio et subdivisio *ibid.* — cur condita sit et in quo eius essentia consistat 338 a — recte vocatur aurea, quia praevalet inter omnes Regulas 441 15 — Non invenitur Regula ista altior vel strictior vel aequalis 345 b. 394 3 — Regulam istam professis non licet transire ad aliam 345 b. 347 a — pene omnia in ea posita sunt praecepta 436 1 — tria genera praeceptorum distinguit *ibid.* — Non est in ea aliqua contrarietas vel falsitas 333 6 — In quibusdam praeceptis Regulae Ordo potest dispensare 436 2 — Omnia Regulae verba cum reverentia recipienda sunt, eiusque transgressio penitus devitanda est 437 3 — Contra Regulam non facit qui vult sublimius ambulare 411 15 — voventibus ipsam non est laqueus perplexitatis, licet indigeant diligenti cautela, ut non offendant contra eam 354 b — excludit omne vitium ab Ordine 439 4 — Observans Regulam est lumen fratris sui et altitudo 442 15 — Magna est eiusdem professoribus materia solatii 393 3 — est renovativa gaudii, quod annus benignitatis

Domini introduxit 437 2 — Regulae observantia est vigilia praeambula ad thronum iudiciarium cum gloria possidendum *ibid.* — Observantes Regulam consequuntur pacem temporis et aeternitatis 448 41

— Quid praecipiat quoad uxoratos volentes Ordinem intrare 398 5 — In isto impedimento omnia alia intelliguntur *ibid.* — ex similibus similia dat intelligere et minora in maioribus implicat *ibid.* — quid praecipiat quoad res venientium ad Ordinem 400 9 — quid praescribat quoad qualitatem habitus *ib.* 10

— docet paupertatem mundissimam observare 393 2 — usum rerum concedit, proprietatem vetat 333 6 — solum in necessitate concedit calceamenta portare 402 16 — non prohibet usum sandaliorum *ib.* 17 — in victu et vestitu facit mentionem de speciali benedictione 409 8 — cur minus imponat de ieiunio moeroris 410 9. sqq. — duas Quadragesimas praeceptorie imponit, tertiam suadet 409 7 — quid praecipiat et prohibeat quoad pecuniam, laborem manuum, magistros et studium 332 2. sqq. — quomodo praescribat laborem manuum 334 9 — expresse imponit Fratribus officium praedicandi 332 2 — exprimit formam praedicandi 542 12 — prohibet familiaritates 469 2

Religio — Religionis christianae fundamentum est Christus 272 1 — Eius fundamentum et radix est fides *ibid.* — christianae fidei perfectis et imperfectis competit 261 13 — Victus non impedit religionem christianae fidei *ibid.* — sapientiae sectatorem erudit *ibid.* — Ad decorem religionis christianae multum confert Officii divini celebratio 149 9

— Segor parvula significat humilem Religionem 373 b — cur significetur aratro 441 13 — cur monti comparetur *ib.* 14 — Religionis sublimitas est beneficium spectans ad adiutorium gratiae poenitentialis 6 12 — peccatores et imperfectos admittit, ut iustos efficiat et ad perfectionem perducat 251 25 — Religionis votum in statu perfectionis collocat 248 14 — adminiculatur ad perfectae virtutis exercitium, custoditionem et complementum *ibid.* — consilium omnia relinquendi et Christum sequendi adimplet 247 12 — Status Religionis ab omnibus licite potest appeti, a nullis debet contemni, ab his qui vocantur divinitus, secure suscipi et studiose servari 252 26 — Beneficium Religionis cum gratiarum actione frequenter ruminandum est 480 2

— impossibile profitens est superstitiosa et fatua ac per hoc reprobanda 304 3 — Tria principalia omnis Religionis sunt obedientia, castitas et paupertas 345 b — Quale votum Religionis sit perfectius 250 20 — non sunt pares in tribus votis 396 9 — In multis singularum Religionum observantiae variantur 134 7 — Saepe in aliquibus unus Ordo praecellit alterum 250 20. 349 a — Varii status Religionis Ecclesiam decorant et deiformem efficiunt 250 20

— Status Religionis est securior et morbis nostris curandis expedientior, sed praelationis status est altior in perfectione 251 25 — Religiosi tenentur firmiter Papae obedire 396 11 — Vigilantius eiusque sequaces statum saecularem statui religioso praeferre vel aequare conabantur 249 17 — Religiosos persequendo calumniari scelus est magnae perfidiae 329 40 — Tribus modis saeculares iudicant Religiosos 352 a — Religiosi a vulgo rusticano dicuntur antichristi praenuntii et seminatores guerrarum *ibid.* — Nonnulli de clero plus oderunt Religiosos quam Iudaeos 373 a — Si tamen saperent, potius eos diligerent pluribus de causis *ibid.* — Quasdam iniurias Religiosi tolerare possunt, quasdam non 366 b — Ubi Religiosi domos recipere possint 365 b — Melius est in diversis locis esse domos religiosas quam in uno plures 363 a — Diversas utilitates Religiosis afferunt magni conventus prae parvis 367 b. 368 a

— intrare Religionem est perfectum in genere et actus difficilis et excellens 238 8 — Clericis liber est ingressus ad Religionem 247 13. 248 14 — Innumeri Sancti de clericali statu ad Religionem transierunt 248 14 — Constitutiones agentes de Religionis ingressu 450 a, b. 451 a — — More antiquorum Religiosorum habitus novitiorum distinguitur ab habitu professorum 400 11

— Peccatores in Religione reformantur et luminosi fiunt 475 a — est schola virtutum 347 b — Quinque de causis non omnes Religiosi sunt virtuosi 348 a — Permanentes in Ordine districtiores, cautiores et devotiores efficiuntur 441 14 — Apostatae a Religione in condimentum stantium vertuntur *ibid.* — Dupliciter exiri potest de Religione 401 13 — Ad inferiorem Regulam non licet transire altiora professis 347 a

— Religionis ingressus inchoandus est ab expropriatione terrenorum 523 3 — Ad perfectionem status Religionis requiritur abdicatio proprietatis 251 23. 279 22 — Religiosi relinquunt mundum, divitias mundi et ecclesiastica beneficia et paupertatem voluntariam profitentur 373 b — Per possessionem pecuniae omnis Religio suffocatur 354 b — Religiosi per receptionem pecuniae viles fiunt Deo et hominibus 419 22 — carentium loculis ab errore defenditur 304 1. sqq. — Possessio privata repugnat essentiae status religiosi 313 8 — Ad Religionis perfectionem sufficit nil habere proprium in speciali et habere possiones pro necessitate in communi 340 a — Hunc modum tenent omnes Religiones antiquae *ibid.* — In diversis Religionibus, excepta ea Fratrum Minorum, bona sic sunt communia personis, quod sunt propria communitati 395 8 — Quod datur monacho transit in dominium totius collegii 313 7 — Quomodo Religiosus rebus necessariis uti debeat *ibid.* — Quomodo differat perfectio Religiosorum a perfectione clericorum sola necessaria retinentium 310 17. sqq. — Religiosi debent sustentari de eleemosynis non potestative requisitis, sed pie et humiliter postulatis 329 39 — Quale meritum sit Religiosos pauperes sustentare *ib.* 40 — Religiosi ob quatuor rationes plus honorant divites quam pauperes 353 a — Aliqui Religiosi paupertatem avaritia commutant, appetentes quae non licent 114 6 — Avaritia in Religiosis est mater confusionis et damnationis *ib.* 8 — Religiosi superflua procurantes quintuplicis peccati rei sunt 341 b — Religiosi amantes paupertatem omnibus bonis abundabunt 114 7 — Religiosi negligentes paupertatem omnium bonorum egentes erunt *ibid.* — Cur aliqui Religiosi impatientes sint sustinendo penuriam 343 b

— Quibus virtutibus Religiosus adornatus esse debeat 150 15 — In quibus praecipue consistat decor Religionis 143 7 — In Religioso semper opera bona Religionis videri debent 441 13 — Fideles bona fama Religiosorum aedificari et doceri debent 134 9 — Votum Religionis sine exercitatione perfectae virtutis non est perfectio, sed perversio 250 22 — Quomodo Religiosi cum saecularibus conversari debeant 486 1 — Religiosi corpore et mente et desiderio mundum relinquere debent 114 8 — Religiosus debet fugere consortia hominum et vitam solitariam ducere 116 3 — Religiosi a tumultu saecularium sese separare et in solitudinibus habitare student 340 b — Religiosi tria celare solent 351 b — Religiosus debet se levare supra statum hominum 116 3 — Religiosus non debet habere consolatorem et collocutorem nisi solum Deum *ibid.* — Necessarium est pro Religiosis servare silentium *ib.* 1 — Religiosis necessaria est abnegatio propriae voluntatis 279 22 — Religiosus se ipsum habet regere 150 15 — Religiosus de sui ipsius regimine rationem Deo est redditurus *ibid.* — Magni periculi res est in Religioso multa velle scire et se ipsum nescire 109 6 — Religiosus semper se gerere debet, quasi in proximo sit tribunali Iudicis praesentandus 150 13 — Orationis gratia est Religiosis super omnia necessaria 150 14. 533 1 — omnis fulcitur devotione 134 10 — Proficere volentibus in Religionis virtute necessaria est devotio assidua triplex 150 12. sqq. — Religiosus in omnibus agendis plus orationi fidat quam propriae industriae 150 14 — Religiosus oratione omnes periculorum collisiones evadere potest *ibid.* — In Religione, ubi devotio tepuerit, omnes virtutes incipiunt deficere et propinquare ruinae 135 10 — Religiosus tepidus et orationem non frequentans est miser et inutilis et mortuam fert animam in vivo corpore 117 1 — Religiosi rari sunt, qui meditationibus vacent et corde et animo conversentur in caelis 120 10 — Religiosi sunt intercessores apud Deum et ipsum sibi et aliis placabilem faciunt 373 b — Cur Religiosorum Ordines instituti sint 377 9, 11 — Religiosi contra haereticos et

alios oppressores fidelium se opponere debent 373 b — Religiosi sunt coadiutores clericorum in sublevando onere eis imposito *ibid.* — Religiosus ex Religionis voto non astringitur ad curam subditorum 251 23 — Cur Religiosi in prioribus temporibus Ecclesiae non fuerint vocati ad officia praedicationis et confessionis 378 13

— Quivis Religiosus ad dispensationem temporalium assumi potest 293 22 — Non omnes Religiosi sunt immunes a peccato 135 13. 348 a — Religiosi maxime accidia affliguntur 197 66 — Religiosi superbi sunt abominabiles 111 4 — Multi Religiosi incipiunt in claustro superbire 112 7 — Cur aliqui Religiosi sint distorti moribus et rudes 347 b — Cur aliquando inter Religiosos videantur dissensiones et invidiae 351 a, b — Causae praecipuae degenerationis vitae religiosae 138 3. 349 b. 470 1. sqq. — Religiosus maxime cavere debet scandalum 134 9 — sacra non debet contaminari vita Religiosi scandalosi 145 10 — Religiosus scandalizans fideles ex Ordine eiiciendus est 145 10 — Melius est, Religiosos ibi non esse, ubi non possunt vel nolunt vivere ut Religiosi 143 5. 344 b — Quid tenendum de observantiis exterioribus vitae religiosae 134 7

— Quomodo Religiones laudabiles a dilapsis differant 135 13 — bona malos odit, non fovet, sed tamen triplici de causa non omnes pravos eiicit 348 b — Cui Religiosi confiteri possint 382 4 — Omnes pene Religionum institutores strictius vixerunt quam eorum consocii 265 27

Relinquere — omnia est perfectum in genere 238 8 — divitias gaudenter et ad aedificationem proximi est perfectum ex circumstantia *ibid.*

Reliquiae — Devotio S. Francisci erga reliquias 521 7

Remuneratio — merenda virtute 51 17

Reparare — Omnia reparantur per Verbum incarnatum 85 48 — Congrue per viam contrariam inventum est salutis nostrae remedium 78 28 — Senaria est perfectio reparationis correspondens senariae productioni mundi in esse naturae 246 8 — Opus reparationis meditandum 7 18 — Pro reparatione de peccato debet esse gratitudo 15 9

Repetere — sua non est mandatum, sed indultum 241 7 — sua imperfectis est licitum *ibid.*

Reprehensibile — propter humanam infirmitatem in omni fere persona et statu reperitur 311 1

Reproborum — tormenta sunt varia, aspera, horribilia et intolerabilia 54 6

Requies — est in dilectione Dei per tranquillitatem 10 11. 11 12 — Deus requiescit et inhabitat in sopore pacis, in splendore veritatis et in dulcore caritatis tanquam in proprio solio 12 1 — est per soporem pacis in obumbratione Christi *ib.* 2 — Complacentia te quietet propter Sponsi pulcritudinem 14 6. 15 8 — animae invenitur humilitate 194 58 — animae est unica causa laboris et certaminis nostri *ibid.*

Res — Circa res temporales consideranda sunt proprietas, possessio, ususfructus et simplex usus 312 5 — Duplex est usus rerum 422 11 — Quadruplex est rerum temporalium communitas 309 13. sqq. — mundanae sunt mobiles aut immobiles 442 16

Resistere — Cum summa diligentia resistendum est diabolicis tentamentis 4 4 — Negligentia ad resistendum recogitanda *ibid.* — Non resistentes malis culpabiles sunt 469 3

Respublica — sine uno capite non potest bene stare 427 2

Restaurare — Terra restaurata est per usum perfectum virtutis in Christo 14 4

Resurrectio — Christi probata est multiformi apparitione 81 34 — dominica magnam habet dulcedinem 226 170 — Omnes resurgent divinae iussionis virtute 83 41 — Resurrectionis futurae gloria monstrata est in transfiguratione Christi 74 12

Rete — significat doctrinam evangelicam 377 11

Revelare — Deus non omnibus sapientiae suae arcanum revelat 241 8

Reverentia — est exhibitio honoris procedens a timore filiali et humili affectu 396 11 — humilitatis est actus *ibid.* — Cor debet incurvari ad Dei reverentiam ob gratiam impetrandam 9 4. 11 12 — acquiritur ex admiratione immensitatis divinae et modicitatis propriae 9 5. 11 12 — magna exhibenda est Deo sicut Patri ad modum inclinationis, maior sicut Domino ad modum genuflexionis, maxima sicut Iudici ad modum prostrationis 9 6 — exhibenda propter iudicia latentia 16 10 — exhibetur aeternae Maiestati dono timoris 86 49 — Omnis homo pro status sui gradu reverendus est 410 12 — Qualis reverentia proximo sit exhibenda 371 a — sola exterior non sufficit *ibid.* — Amor aliquo modo suavior sentitur cum reverentia mixtus 141 6

Rex — Christus est rex regum 84 45 — Quanta sit regalis potestas 313 10 — Regum est proprie corona 185 1 — Tres animae vires bene reges dicuntur 93 1

Rigor — debet esse in exstinctione fomitis ariditatis, perversitatis, voluptatis et vanitatis 12 2 — Expugna adversarium propter incentivum 15 8 — pro utilitate animarum interdum est servandus et interdum laxandus 381 b

Robertus — per S. Franciscum lumen oculorum recepit 559 1

Rodulphus — Fratres Minores suo recepit hospitio 553 1

Rogata — per S. Franciscum a fluxu sanguinis liberata 561 6

Rogerus — clericus sanatus a S. Francisco 551 6

Roma — 528 7. 550 4. 552 4. 557 4. 558 2. 561 7

Romania — 556 1. 559 2

Rosa — per frigus noctis clausa solis ardore aperitur et in rubore demonstrat ardorem iucundum 187 1 — Floret in Christo rosa rubens sanguine passionis, ardens igne caritatis, roscida effusione lacrymarum 180 1. 182 a, b — caritatis in passione rubescit et rosa passionis igne caritatis ardescit 182 1 — Unde ardor rosae caritatis cognoscatur *ibid.*

Ruben — Filii Ruben fuerunt fratrum suorum propugnatores 373 b — petierunt terram Basan et Hesebon in possessionem 351 b — Iosue eis iratus erat pro constructione altaris super ripam Iordanis *ibid.*

S

Sabina — Ioannes, episcopus Sabinensis, defendit Regulam S. Francisci coram Papa et cardinalibus 512 9 — Dioecesis Sabinensis 563 4

Saccus — dicitur omnis vestis vilis 405 24 — est vel lineus vel laneus *ibid.* — funibus cingi solent 400 11 — Prophetae usi sunt sacco cilicino 405 24 — Conversi antiquitus sacco induebantur 444 23

Sacerdos — Sacerdotium veteris testamenti non coaequatur sacerdotio Evangelii 287 3 — veteris testamenti virginem ducere debebat uxorem et in sacrificio agnos et vitulos offerre *ib.* 4 — levitici generis habuerunt uxores et filios, ad quos bona sua transmittebant 286 2 — In sacerdotibus veteris legis nullo modo invenitur forma perfectionis evangelicae 287 4. 288 6 — Sacerdotibus, filiis Aaron, vinum fuit prohibitum 286 2 — Sacerdotium leviticum ante Christi passionem et resurrectionem translatum non fuit 289 8 — Quo spiritu ducti multi ad sacros ordines et divina mysteria accedant 104 14 — Sacerdotalis officii est reductio plebis in Deum per septiformem influxum hierarchicum 317 3 — Quis dicatur sacerdos proprius 376 8 — Per gratiam sacerdotalem homo fit dispensator doctrinae, indulgentiae et eucharistiae 6 12 — In articulo necessitatis quilibet est sacerdos proprius 379 14. 383 7 — Affectus sacerdotis ad plebem debet esse sicut affectus patris ad filium, matris ad prolem, nutricis ad infantem 318 7 — quomodo possit cognoscere vultus pecorum suorum 429 8 — possunt alios sibi adiungere in coadiutores *ib.* 7 — Episcopus ob duas causas ipsis alios sacerdotes in adiutorium mittere potest *ibid.* — non admittens in sua parochia canonice missum peccat mortaliter 428 4 — Episcopus mittendo opitulationem ipsi non iniuriatur 429 5 —

Neque opitulans ipse iniuriatur tali sacerdoti *ibid.* — Tanto minuitur sacerdoti curam habenti pondus in districto iudicio Dei, quantum ab alio supportatur *ibid.* — Omnibus sacerdotibus magnum debet esse solatium, quoties salus subiectorum procuratur 318 7 — Vita sacerdotalis debet esse sanctior et sublimior vita plebis 317 4 — Magnus est defectus operariorum idoneorum 319 8. sq. — De defectibus plurium sacerdotum 382 3 — quomodo ad divina mysteria celebranda accedere debeat 104 14 — in celebrando munditiae totius corporis studere debet 101 7 — peccatis mortalibus laqueatus absque contritione ac confessione ad altare accedere nullatenus praesumat *ib.* 5 — abominationibus contaminati corpus Christi sumentes non sunt sacerdotes, sed sacrilegi, non Christiani, sed haeretici *ib.* 6 *Vide v. Pastor, Plebanus* et *Pontifex.*

Sacramenta — septem data sunt secundum gratiam Spiritus S. septiformem quasi septem medicamenta morborum 83 40 — Per ea Christus gratiam sanctificantem tribuit et peccata dimittit *ibid.* — Sacramentis a sanguine Christi vis data est ad vitam gratiae conferendam 79 30 — Christus Sacramentis efficaciam indidit suae passionis 409 6 — eucharistiae continet fontem gratiarum et auctorem salutis, cetera vero sunt fluenta et rivuli gratiarum 104 15 — Sub forma Sacramenti nos Christus se ipso pascit 149 6 — Ritus Sacramentorum procedit ex humana institutione vice Dei 134 7 — In exhibendis Sacramentorum remediis consistit aedificatio proximi 250 20

Sacrificium — Per sacrificium Veritas est adoranda 18 14 — Christi est unicum 102 10 — omnia veteris testamenti erant figurae et umbra sacrificii Christi *ibid.* — Missae *vide v. Missa.* — triplex Deo rependendum est pro peccatis 130 7 — altissimum est voluntatem Domino consecrare 394 5

Saeculares — rudes sunt et proni de Religiosis sinistra suspicari 352 a — triplici modo iudicant Religiosos *ibid.* — quidam stolidi ex defectu unius omnes Religiosos despiciunt 348 a — Expedit ipsis quaedam abscondere non ex simulationis palliatione, sed pro cautela 337 b — De modo conversandi cum saecularibus 486 1 — Ex frequentia inter saeculares oritur multarum tentationum carnalium et teporis materia 350 a — Vigilantius statum saecularem statui Religionis praeferre vel aequare conabatur 249 17

Saeculum — significatur per mare 377 11. 391 2 — Petro datum est gubernandum 391 2

Sagitta — significat doctrinam validam 170 6

Sal — Bonus cibus non est delectabilis sine condimento salis 142 2

Salomon — praetermissis omnibus, petiit sapientiam 142 1 — sapientissimus idola vana et pessima adoravit 38 27 — Reclinatorium Salomonis 396 11 — Ad thronum veri Salomonis in tranquillitate mentis ascenditur sex gradibus 10 11 — verus requiescit in mente, in qua est pax per tranquillitatem *ibid.*

Salsamentum — In salsamento sanguinis Christi intingenda est quaecumque asperitas in cibo vel potu 124 11

Salus — non potest obtineri nisi in nomine Iesu 85 48 — promissa est credentibus Evangelio 81 36 — Qui vult ad salutem pervenire debet subsequi humilem Salvatorem 72 5 — Sola caritas tribuit spem salutis 124 1 — In opere salutis principaliter spem in Deum iactare debemus 342 b — Quae saluti expediunt docentur a Spiritu S. 147 1 — Dei operatio non in omnibus hominibus proficit ad salutem ipsorum 140 10 — Salutem proximorum avide desiderare est perfectae caritatis 9 8 — animarum procuranda est per orationum frequentiam, sermonum informationem, exemplorum incitamenta 130 10 — Pro salute animarum Christus mortem crucis subiit 381 20 — animarum ita procuranda est, ut salutis propriae dispendium non incurratur 130 10

Salutatio — S. Francisci 510 2

Salvator — noster nullis adversantium hostium tentamentis a nostrae salutis cura revocari potuit 40 33 — Quo magis eius nobis ostenditur dilectionis aemulatio, eo gravior nos sequitur, si hanc spernimus, damnatio *ibid.*

Samaritanus — custos interpretatur 418 22 — curam habuit semivivi relicti *ibid.* — vulneribus semivivi infudit vinum et oleum 136 1 — significat ipsum medicum Christum et eos qui tenent locum eius in expurgatione vitiorum 317 5

Samson — Christus ut verus Samson moriens hostilem prostravit exercitum 81 33

Sanctificatio — Pro nostra sanctificatione Christus passus est 13 3 — Perfectio sanctificationis est in martyrio 12 2

Sanctitas — Dei est inexplicabilis 128 2 — Deus in se ipso sanctitatem summe ac purissime habet 129 2 — Cur Deus ter Sanctus nominetur *ibid.* — vera non consistit in exercitatione corporali, sed in virtutibus mentis 349 b — Sanctitatis est peccata et occasiones peccatorum refugere 315 15 — Non est evangelicae sanctitatis participare cum praevaricatore in crimine 411 15 — maior et minor non differunt sicut duo contraria 243 14 — Sine ipsa impossibile est, quemquam salvari 339 b — Omnis sanctitatis plenitudo et pulcritudo refulget in et a Verbo incarnato 243 12 — Solus odor Christi sic mentes inebriat Sanctorum, ut et mundi praesentis et sui ipsorum obliti totis viribus currant post ipsum 161 3 — vitae e Scripturarum fonte hauritur 339 b — Sanctorum diligentia in ruminatione Scripturarum commendatur *ibid.* — Sancti non erraverunt circa intellectum S. Evangelii 305 3

— Multa, quae non discimus per philosophos et de dictis philosophiae, discimus per Sanctos 335 12

— Perfecta custodia et perfectio sanctitatis obtinetur per ieiunium 270 15. 271 20 — Sancti per multas tribulationes transiere 83 40 — Sancti tentationibus probati et perfecti sunt 199 74 — Deus sanctitatem servantibus gratiae dona et gloriae praemia non denegat 129 2 — Paucissimi Sancti fuerunt divites 423 18 — Multi Sancti officium, quo prodesse debebant proximis, humiliter refugiebant, et tamen, ad hoc tracti per obedientiam, sollicite adimplebant 361 a — Sancti non quaerunt videri ab hominibus, sed occultant bona, quae habent 349 b — Licet olim communiter omnes boni et sancti fuerint, tamen modo plures sunt Sancti in Ecclesia Dei *ibid.* — Cur pauci Sancti in Ecclesia esse videantur *ibid.* — Quo sensu Sancti quandoque a Deo dissentire videantur 351 b

— Omnis pulcritudo electorum ornabit Christum 84 44 — Sancti in caelo assidue in praesentia Dei eius laudibus sunt intenti 148 5 — Omnis gloria Sanctorum in caelo fluit a Christo 375 3 — Sancti gloriam caeli differenter participant pro captu suo *ibid.* — Omnium Sanctorum collegium divina clementia congregatum est ad cumulum beatitudinis 60 13 — De illorum beatissima societate nunquam discedere est gaudium inenarrabile *ibid.* — Eorum caritas perfecta est et gaudium commune *ibid.* 61 15. 62 18 — Quilibet status Sanctorum suam habet praerogativam 236 3 — Associatio omnium Sanctorum promissa est credentibus et diligentibus Deum 7 14 — Sancti orant pro his qui eos invocant, ut a malo serventur, a tentationibus liberentur, ab errore corrigantur et eis celerius associentur 500 5 — Illorum orare est cruciatus corporis vel bene gesta pro Christo Deo repraesentare *ibid.* — Beatorum suffragia et iustorum merita aliis prosunt 8 3 — Per Sanctorum suffragium semper parata sunt patrocinia 16 10 — Sanctorum suffragia erigunt ad spem 38 28 — Sanctorum subsidium quaerendum 8 3 — Devotio invitat Sanctos 148 2 — Devotio S. Francisci erga Sanctos 530 3 — Sancti in caelo vel peccaverunt vel peccare potuerunt 38 27

Sandalia — sunt soleae vel perones 388 6 — Caligae sunt sandalia 402 17 — Apostolis a Domino concessa erant 404 21

Sanguis — est sedes animae 100 2 — Humano sanguini magna dulcedo inest 181 4 — Bestiae, quanto plus gustaverunt, tanto plus sitiunt sanguinem humanum *ibid.*

— Septem numerantur effusiones sanguinis Christi 183 1. sqq. — Christi fundi coepit in circumcisione, qui in completione salutis totus fuerat effundendus *ib.* 2 — Christus a principio ortus sui usque ad mortem, immo et post mortem sanguinem suum effudit 187 2 — pluries effusus rubricavit vestem pontificalem Christi 80 31 — Christi est vita nostra 181 4 — Christi effusus est de suo latere tanquam pretium nostrae salutis 79 30 — effusus a cordis arcano per Sacramenta Ecclesiae vitam gratiae confert, et est poculum fontis vivi *ibid.* — est fons paradisi fecundans et irrigans corda devota 80 30 — Cur

sanguis Christi sitiendus sit 181 3. sq. — Christi effusus est pro humano corde excitando, abluendo et mollificando, vel pro humana immunditia abluenda, morte vivificanda, ariditate fecundanda 5 7 — Christi inebriat perfectos ut vinum et nutrit parvulos ut lac 182 4 — Christi emendus est commutatione morum et conversatione vitae *ibid.* — Quicumque semel illo sanguine fuerit inebriatus magis ac magis sitiet 181 4 — In salsamento sanguinis Christi intingenda est quaelibet asperitas in cibo vel potu 124 11 — Christi aspiciendus, ut acuatur stimulus conscientiae contra omne malum 5 7

Sanitas — complexionis spectat ad complementum naturae ex parte corporis 6 11 — Sanus indiget sustentamento, ut quod habet conservet 137 5

Sapientia — est sapida scientia 148 2 — est cognitio per veram experientiam 7 18 — includit multitudinem idearum 17 12 — cuncta gubernantis et ordinantis est infinita 128 2 — regulatrix appropriatur Filio 28 1 — appropriatur Filio, quia Verbum 17 12 — Omnis sapientiae plenitudo et pulcritudo refulget in et a Verbo incarnato 243 12 — multiformis Dei ex Christo et in ipso per totum regnum refulget 85 46 — Patris est Filius 71 1 — aeterna scripta est in Christo tanquam in libro vitae 84 46 — summa et imperscrutabilis Dei manifestata est per crucem 13 4 — summa Christi decepit diabolum *ibid.* — Sapientiam summi iudicis nullus potest fallere 5 7. 9 6

— superna nil inordinatum dimittit 351 a — A luce sapientiae emanant aeternae leges 84 46 — regulat 28 1 — Sapiens quasque res ponderat, prout sunt 134 8 — Sine sapientia populus non potest bene regi 142 1 — Labor sapientiae excitat summae devotionis affectum 419 2 — Per conversionem ad sapientiae igniculum anima perficitur 3 2. 7 15 — Per sapientiam fit extensio affectus per appetitum deliciarum caelestium 16 9 — Spiritu sapientiae sapores vivifici ligni vitae degustantur 86 49 — In quo consistat studium sapientiale 320 13 — Studium sapientiae cor ipsum occupat 419 1 — Difficultas huius studii totum hominem requirit 320 13. 321 17 — Labor sapientiae simpliciter melior est corporeo labore 420 3 — Hoc studium est magis sublime in se, difficile menti, expediens Ecclesiae et necessarium plebi quam labor manualis 320 13 — Compellere homines studio sapientiae aptos ad opera manualia non est aliud quam a sapientia revocare et divinorum eloquiorum arma praeripere 321 17 — Studium sapientiale necessarium est ad Scripturarum intelligentiam 320 13 — Studendum est verae sapientiae 46 5 — Sapientiae studiis quiete vacare competit perfectis 258 4 — Non est immoderate studendum in sapientia saeculari 433 6 — mundi periculosa est 46 5

— Vere sapiens non est nisi ille quem Spiritus S. docuerit unctio 107 1 — Deus non omnibus sapientiae suae revelat arcanum 241 8 — Perfectio sapientiae obtinetur per ieiunium 271 20 — Igniculus sapientiae est congregandus per reductionem affectionis ab omni amore creaturae, inflammandus ex conversione affectionis super amorem Sponsi, sublevandus supra omne sensibile, imaginabile et intelligibile 7 15. sqq. — In vera sapientia est cognitio per veram experientiam *ib.* 18 — Sapientis est meditari opera humana et divina et utrorumque principia *ibid.* — Sapientes ex naturali brutorum solertia artificiales peritias excogitant 131 b — Sapiens ex levi occasione sumit materiam altioris sapientiae *ib.* a — Sapiens per alterius stultitiam fit eruditior *ibid.* — fulgens requiritur ad gloriam regni 84 46

Sapor — Cibaria saporosa quaerere est appetitus carnalium 4 5

Sarabaitae — 319 11

Saracenus — quidam se offert ad ministrandum Fratribus Minoribus omnia necessaria 514 7 — S. Franciscus ipsis christianam fidem et poenitentiam praedicare disposuit 531 5

Sarcinae — gravi onera plura non necessaria adiungere imprudens est 145 14

Sareptana — vidua pavit Eliam 324 24

Sarthianum — In eremo apud Sarthianum S. Franciscus graviter a diabolo tentatur 517 4

Satrianum — 525 10

Satisfactio — Christus passus est propter peccati satisfactionem 13 4 — Christum oportuit satisfacere pro peccato per summam vilitatem, paupertatem et acerbitatem 14 4 — est pars integralis Sacramenti poenitentiae 382 2 — semper confessionem comitari debet 497 a — qualis pro peccato imponenda sit 144 8 — Ad satisfactionem pro culpis commissis multum valet abstinentia 265 26 — Perfectio satisfactionis poenae est in martyrio 12 2

Saturitas — spiritualis oritur ex aviditate 10 10 — Anima saturata in omnibus terrenis non invenit refectionem, sed abominationem *ibid.* — Ex saturitate oritur ebrietas *ibid.*

Saturninus — Dies festus S. Saturnini est prima solemnitatum anni secundum revolutionem Romani officii 437 2

Scala — Iacob ascendentibus et descendentibus adornatur 396 11

Scandalum — est gravius peccatum quam alia 426 2 — gravius puniendum est *ibid.* — Scandalizantes duplici reatu obligantur 352 a — difficulter curatur 134 9 — Peccatum scandali vix avelli potest a corde omnium, ad quos pervenit *ibid.* — omnia vitanda sunt *ibid.* — maxime vitari debent a Religiosis *ibid.* — Habenda est duplicis scandali sollicitudo 446 34 — cur et quomodo sit vitandum 337 a, b — Imperfectis non indulgetur alios scandalizare 266 31 — Ipsa opera Dei purissima rudibus et infidelibus saepe sunt occasio scandali 337 b

Scientia — omnis gerit Trinitatis insigne 3 1 — Per scientiam fit erectio supra nos per circumspectionem universorum 16 9 — Dono scientiae replemur fulgoribus sacrae doctrinae ad discretionem boni et mali 86 49 — non sufficit sine bono opere 132 2 — Appetere scire occulta est vitium curiositatis 4 5 — Lignum scientiae non praeferendum ligno vitae 69 5 — perfecta constituit gaudium speciale Beatorum 65 24 — Excellentia et perfectio huius scientiae *ibid.*

Sclavonia — 558 1 — S. Franciscus ad Sclavoniam venit 531 5

Scripta — sua aliis non communicare quandoque est reprehensibile, quandoque inculpabile 372 a, b — Constitutiones de scriptis publicandis 456 b

Scriptoris — intentio, qualis esse debeat 244 1

Scriptura — Sensus Scripturae est vel mysticus, vel litteralis 389 12 — habet triplicem intellectum spiritualem respondentem triplici actui hierarchico 3 1 — Scientia totius s. Scripturae pendet in cognitione pacis, veritatis et caritatis *ibid.* — S. Scripturae continentia est circa viam purgativam, illuminativam et perfectivam 7 18 — Iudaeorum Christo testimonium perhibet 72 6 — Per passionem Christi testimonium Scripturae consummatum fuit 178 1 — Veritas fidei et vitae sanctitas ex Scripturarum fonte hauritur 339 b — Documenta Scripturarum sunt alimenta spirituum 316 2 — Virtutes irrigandae sunt per documenta Scripturarum 317 3 — Anima variis exemplis Scripturae ad spem erigitur 38 27

— Scientia Scripturarum necessaria est pro praedicationis et confessionis officio 339 b. 378 12 — Sine scientia s. Scripturae nec secure nec utiliter quis alios docere potest 337 a — Scientia s. Scripturae utilis est ad aliorum eruditionem et ad propriam instructionem 339 b — sacra in plerisque locis subtili indiget expositione *ibid.* — sacra non potest intelligi sine aliarum scientiarum peritia 335 11 — Ad Scripturae intelligentiam perveniri non potest nisi per studium sapientiale 320 13 — Sancti diligentes fuerunt in ruminatione Scripturarum 339 b — S. Franciscus commendat studium s. Scripturae 334 10. 535 1 — In exhibendis documentis Scripturarum consistit aedificatio proximi 250 20 — Quidam docent Scripturas, quas non intelligunt 303 27 — Haeretici in Scripturis sanctis occasionem erroris per falsas interpretationes assumunt 261 12. 339 b — Quod de Scripturis auctoritatem non habet eadem facilitate contemnitur, qua probatur 256 18 — Prudentius silentio tegitur quod Scripturarum testimoniis non probatur 296 5

Secreta — Christi scrutanda 73 9 — Constitutiones de secretis non publicandis 457 b

Securitas — In securitate foras mittitur timor et concipitur spes de adiutorio divino 10 11 — oritur ex ebrietate *ibid.* — Penuriosa paupertas dat securitatem in hoc saeculo et in futuro iudicio 300 18 —

Ex nimia securitate minus cavetur hostis 517 5

Sedes — apostolica habet plenitudinem potestatis ecclesiasticae 375 2 — Triplex est haec potestatis plenitudo *ib.* 3 — Acta Sedis apostolicae toti Ecclesiae diiudicanda et veneranda exponuntur 354 b — Praesul Sedis apostolicae est generalis omnium pauperum provisor et specialiter Ordinis Minorum 354 a *Vide v. Pontifex.*

Segor — In Segor parvula Lot liberatus est ab excidio Sodomorum 346 b. 373 b — significat humilem Religionem 373 b

Senae — 528 7. 536 2. 537 7 — S. Franciscus se confert ad civitatem Senensem 524 6

Senarius — Numerus senarius est primus perfectus numerus sui generis perfectione, constans ex suis partibus aliquotis 132 4

Sensus — spectat ad complementum naturae 6 11 — Deus non est sensibilis 7 17 — sunt fenestrae animae 191 29 — Sensui carnali praeferenda est crux Christi 69 5 — summa vigilantia custodiendi sunt 494 a. 517 5 — Quomodo quinque sensus laudent Deum 408 5 — omnes in caelo habebunt actus suos 63 20

Sentire — Triplex est modus de Deo sentiendi 128 1. sq.

Septem-Soliis — Iacoba de 528 7

Sepultura — Sepulturarum litigiosa et avida invasio varia mala producit 470 2 — Sepulturam ex iure communi quis eligere potest, ubicumque velit, sine praeiudicio parochialis ecclesiae 366 a — alienae in locis Fratrum Minorum caveantur 453 a — Sepelire patrem est magnae pietatis opus 319 9 — Christus sepultus in monumento novo 80 32

Seraphim — Nomen Seraphim actum dicit, non ordinem 427 4 — est ordo in suprema hierarchia caelesti, cui convenit summae bonitatis plena fruitio 12 1 — sunt praeeminentiora caelestium spirituum agmina 133 4 — Eorum est amplexus Veritatis per osculum et dilectionem 18 14 — immediatius Deum contemplantur et bonis aeternis perfectius perfruuntur 61 17 — cur ter Sanctus canent 129 2 — Passionis infirmitas cum immortalitate spiritus seraphici nullatenus convenit 543 3 — convivium caeleste ornant ardore divinae caritatis 61 17 — Cur Dominus S. Francisco in similitudine Seraphim apparuerit 133 4 — ecclesiasticus est praelatus spiritualis 136 1. 150 15

Serenitas — percipitur in fine viae purgativae 6 9 — mentis obtinetur ieiunio 260 9

Sermo — discretus spectat ad complementum naturae ex parte sensus 6 11 — carnales tanquam exhalationibus foetidis mentes pudicas inficiunt moresque corrumpunt 260 11

Serpentes — terram comedentes designant avaros 198 70 — Gloriam Dei in similitudinem serpentum mutare est opera bona pro terrenis divitiis operari *ibid.*

Servi — utuntur rebus auctoritate aliena 422 11 — Dei debet esse caecus, surdus, mutus et insensibilis ad omnia, in quibus non invenit animae lucrum 497 a

Servitium — Dei non debet esse sine timore 497 a — In servitio Dei nemo proficit, nisi sit amicus orationis 502 14 — necessitatis et utilitatis libentius facienda sunt quam alia 484 2 — omnia radicari debent in caritate, alioquin sunt sine merito *ib.* 1 — Tempore servitiorum laborandum est, quantum quis potest et cum silentio 502 15 — Completo servitio, statim fugiendum est ad solitudinem *ibid.*

Servitus — Ubi est vera servitus, ibi est verum dominium 308 11

Severinus — Oppidum S. Severini 554 7 — Ibi praedicat S. Franciscus 515 9

Severitas — est quidam rigor mentis, restringens concupiscentiam et habilitans ad amorem asperitatis, paupertatis et vilitatis 5 9 — habenda est ad se ipsum exemplo Christi patientis 13 3 — In acquisitione severitatis contra concupiscentiam rectificatur stimulus conscientiae 5 8

Sexta — Christus hora sexta crucifixus est 409 6

Sexus — nobilitas spectat ad complementum naturae ex parte corporis 6 11

Sicera — interpretatur ebrietas 257 1 — significat omne poculum inebrians *ibid.*

Sicilia — 560 2. 561 6

Sigillum — confessionis stricte servandum est 467 a, b

Signaculum — Crux vocatur signaculum regium 221 153

Silas — a Paulo ut socius assumitus est 351 a

Silentium — In verborum arctitudine consistit castigatio corporis 250 20 — Duplex est utilitas silentii 116 3 — Per silentium conservatur pax cordis et corporis et nutritur iustitia 115 1 — cooperatur ad perfectionem religiosam *ibid.* — claustralibus valde necessarium est *ibid.* 116 4 — maxime necessarium est virginibus Deo dicatis *ibid.* — amandum est 502 15 — quomodo servandum sit 204 87. 489 1. sq. — Tempore servitiorum operandum est cum silentio 502 15 — Semper melius et utilius est tacere quam loqui 117 5 — arcanum Christi imitandum 73 10 — Exempla varia taciturnitatis 116 2, 4. 204 88 — necessitas observandi silentium confirmatur dictis et exemplis Ss. Patrum 502 15 — necessarium est ad orationem *ibid.* — est puri cordis custodia et non modica virtus 518 6 — Ad conservandum silentium oportet fugere consortia hominum et ducere vitam solitariam 116 3. 502 15 — quomodo in Ordine servandum sit 453 b — Definitiones quoad silentium servandum 464 b. 467 b

Silvester — erat vir honestae conversationis et sacerdos civitatis Assisii 510 5. 569 a — erat vir columbinae simplicitatis 522 9. 569 a — visione de dracone permotus, Ordinem S. Francisci ingressus est 511 5. 569 a — iussu S. Francisci daemones fugat de Aretio 522 9 — vidit crucem egredientem de ore S. Francisci 539 2. 555 10. 569 a — in monte supra Assisium iugi orationi vacabat 539 2 — superno ei revelante Spiritu cognovit, beneplaciti esse divini, quod S. Franciscus ad praedicandum exiret *ibid.*

Similitudo — consona hierarchiae caelesti necessaria est propter iustitiam 15 9 — In similitudine debet esse aspectus veritatis elevatus ad superiora, affectus caritatis dilatatus ad exteriora, actus virilitatis ordinatus ad interiora *ibid.* 16 10 — Similes non sunt nisi duo, qui ambo sunt a tertio, vel unus ab altero 16 11 — Similia similibus congaudent 141 5

Simonia — Qui recipit ecclesiam per quamcumque simoniam nullum ius habet in ea 358 a — est recipere aliquem ad Ordinem propter pecuniam 370 a

Simplicitas — Deus est simplicitas replens 16 11 — est dignitas admirabilis animae 31 5 — praeferenda est curiositati 69 5 — Simplicibus Deus sua mysteria pandere solet 538 14

Simpliciter — Non omne verbum simpliciter dictum est universaliter intelligendum 240 4

Sinai — Moyses Legem accepit in monte Sinai 438 2

Singularitas — Transcensus vitae communis in quibusdam venit ex praesumtuosa singularitate 265 27 — Amicitiae singulares fugiendae sunt 495 b

Sinistre — Vix aliquid fit tam pure, quin possit sinistre interpretari 362 b

Sinus — Virginis fuit secundum vinculum Christi 165 1

Sitis — Ab homine sitiente multo ardentius potus desideratur quam cibus ab esuriente 177 2 — Christus verbo *Sitio* ostendit immensitatem caritatis suae *ibid.* — cordis refocillatur fonte laetitiae procedente a Christo 85 47

Sociabilitas — ad pares praescribitur ab iustitia ordinata 430 9

Societas — spiritualium, quomodo inveniatur 88 2 — malorum, quando desipiat *ibid.* — superborum fugienda est velut virus mortiferum 112 8 — caeli est dulcis et praeamicabilis 126 5 — Miserabilis est qui tam nobilissimae societati non fuerit sociatus *ibid.* — Valde mortuum habet desiderium qui huic societati iungi non desiderat *ibid.*

Sol — causat diem 32 7 — factori suo compatiens, lucis suae radios in morte Christi occultavit 79 29

Solatium — *vide v. Consolatio.*

Soldanus — Babyloniae crudele edictum emisit contra Christianos 532 7 — S. Franciscus eum ad fidem convertere peroptabat *ibid.*, sqq. — magnam devotionem erga S. Franciscum concepit et ei multa munera pretiosa obtulit *ib.* 8

Soleae — dicuntur sandalia 388 6 — S. Petri Romae servatur *ibid.*

Solitudo — semper desideranda est 494 b — Solitaria vita quaerenda est a Religioso 116 3 — Solitudinis secreta perquirenda cum Christo 73 10 — Completo

servitio, statim fugiendum est ad solitudinem 502 15 — Vitia omnia solitudine vitantur 249 17 — invenitur, consortia hominum fugiendo 116 3 — necessaria est pro oratione 502 15 — Otium in solitudine est valde periculosum *ibid.* — Laudans solitudinem non est adversarius coenobiticae vitae 236 3

Sollicitudo — de crastino prohibita est 342 a — notat curae anxietatem, illicitam conquisitionem, avaram superfluorum provisionem *ib.* b — In corporali subsidio sollicitudinem Deo committere debemus *ibid.* — huius saeculi provenit ex avaritia 433 6. 439 5 — Quaenam incidant in culpam sollicitudinis 433 6 — saecularis ita perimenda est, ut sollicitudo spiritualis non excludatur *ibid.* — spiritualis praecipue exercetur in procuranda animarum salute *ibid.* — Vigilantia te sollicitet propter Sponsi promptitudinem 14 6. 15 8 — Sollicitum ambulare cum Deo est strenuitatis 5 8

Solutione — facta pro re, ius emptori acquisitum est in re empta 424 25

Sopor — pacis est in obumbratione Christi protegente ab ardore concupiscentiae et timore poenae 12 2

Soranum — 561 6

Soror — Cur anima Deo devota vocetur soror et sponsa et non uxor 164 5. sq. — nequaquam carnaliter amantur *ib.* 6

Species — Deus ad universi completionem diversas constituit rerum species 243 12. 267 4 — Congruentia specierum sacramentalium quatuor rationibus probatur 100 2

Speculum — Christus est speculum decoris omnium specierum et luminum contentivum 85 46 — Christus ut Verbum increatum est speculum intellectuale totius machinae mundialis 242 12 — In hoc speculo exemplariter cuncta relucent, quae spiritualiter et sensibiliter producuntur *ibid.* — Beati in speculo aeternitatis omnia praeterita, praesentia et futura apertissime speculantur 65 24

Spelli — castrum 560 2

Spes — tota figenda est in Domino 493 a — debet esse in imploratione misericordiae 8 3. 11 12 — quae procedit ex meritis propriis et divinae clementiae confidentia, meritoria est, laudabilis et sancta 52 20 — veniae data est homini per repromissum Salvatoris adventum 71 2 — Christus promissis erexit ad spem 81 34 — Per spem retributionis aeternae confirmatur mens humana 73 12 — Christi agonia nos erigit ad spem in tribulationum perpessione 76 18 — Fiduciam spei habemus a Christo pro nobis mortuo 8 3. 11 12

— Anima ad spem erigitur exemplis s. Scripturae 38 27 — Suffragia Sanctorum et B. M. Virginis erigunt ad spem 38 28 — in fiduciam erigitur per devotionem 148 2 — veniae datur peccatoribus non abhorrentibus sequi vestigia Christi 78 27 — Per spem veniae reditur ad fontem misericordiae 76 20 — de adiutorio divino concipitur in securitate spirituali 10 11 — Sperantibus solatium est sequestrari a mundo et iungi Deo aeterno 326 28

Spiritualia — semper et ubique omnibus praeponenda sunt 475 1 — ab ipso praelato et animarum custode procuranda sunt 145 13 — Non est digna compensatio receptio corporalium spiritualia seminanti 420 2 — Studium spirituale vires corporis desiccat et consumit 344 a — Spiritualium consilia quaerenda sunt 89 3 — Spiritualium conversatio affectum afficit et inflammat 89 2 — Spiritualium societas acquiritur a mundo se abstrahendo *ibid.*

Spiritus — est proprium in divinis 17 11 — S. procedit a Patre et Filio sicut calor *ibid.* — Spiritui S. appropriatur voluntas, quia Donum *ib.* 12 — Spiritui S. appropriatur dulcedo propter voluntatem et bonitatem *ibid.* — Spiritui S. appropriatur bonitas, quia connexio *ibid.* — Ei appropriatur pietas consolatrix et clementia 28 1

— supervenit in Virginem sicut ignis divinus mentem eius inflammans et carnem sanctificans 71 3 — in omni plenitudine requievit super Christum 86 49 — intelligitur in columba 73 9 — contestatus est Christo in transfiguratione 74 12 — missus est quinquagesimo die post resurrectionem 82 39 — apparuit in linguis igneis tanquam ori ministrans verbum, intellectui lucem et affectui ardorem *ibid.* — fecit discipulos loqui variis linguis *ibid.* — inebriavit Apostolos caritatis igne 227 173 — discipulos edocuit omnem veritatem et ad omnem dilectionem accendit et in omni virtute firmavit 82 39 — docet de omnibus, quae expediunt saluti 147 1 — Deus dedit Spiritum S. dono superabundantiae in signaculum acceptationis, in privilegium adoptionis, in anulum desponsationis 6 13 — Spiritus S. virtute Ecclesia purgatur, illuminatur et perficitur 82 39

— Per Spiritum S. sumus praedestinati, renati et in Ecclesia congregati 8 3 — Gratuita per Spiritum S. nobis collata sunt 220 147 — Per largam immissionem Spiritus S. acquiritur conformitas divina 130 7 — Quomodo anima fiat unus spiritus cum Deo 149 10 — Per susceptionem Spiritus S. septem gradibus venitur ad dulcorem caritatis 14 6 — A Spiritu S. habemus affluentiam desiderii 8 3. 11 12 — Dei inhabitans in anima ostendit se in operatione extra 440 8 — Spiritus S. gratia misericorditer animam adiuvat, dulciter consolatur et reficit et in bono confortat 95 3 — septiformis incipit et dirigit et meritum consummat 409 6 — Per Spiritus S. consolationem in bono exercitio persistitur 94 2 — In ipsum refundenda sunt omnia opera 95 3 — intelligentiae est stabilis in Deo et mobilis ad omne opus bonum 441 12 — causat stabilitatem vitae *ibid.* — malignus causat instabilitatem *ibid.* — gratiae septiformis invocandus 86 49 — semper est benedicendus et sanctificandus 95 3

— S. per cupiditatem et ambitionem personarum ecclesiasticarum emi et vendi solet 304 29

— Documenta Scripturarum sunt alimenta spirituum 316 2 — intelligibilis manifestatus est per crucem secundum triplicem differentiam 13 4

Splendor — generatur a luce tanquam parente 17 11 — coaequalis et consubstantialis oritur ab aeterna luce 71 1 — cum luce producit calorem 17 11 — Dei Patris est substantia et hypostasis *ibid.* — Splendorem sempiternum nullus adipisci potest, nisi qui perseveraverit in finem 178 2 — Qui eum recipiunt in ipso assidue felices laetantur *ibid.* — veritatis in via comparandus secundum similitudinem ad summae veritatis visionem in beatitudine 12 1

Spoletum — 513 1. 563 5. 565 a

Sponsa — Anima christiana est sponsa Dei desponsata per Spiritum S. 6 13 — Christi intrare debet in locum angeli repudiati 110 3 — Christi, quomodo ad perfectionem tendere possit 108 1. sqq. — Quae ipsi sint fugienda *ib.* 3. 109 4 — Christi valde humilis esse debet 110 3 — Magnum dedecus est sponsae Christi cum alio quam cum Christo sermonem habere 116 4

— Sponsae Ecclesiae convenit transire in patris spiritualis potestatem 398 5 — Cur anima fidelis vocetur soror et sponsa et non uxor 164 5. sq. — solent ardentius amari, coniugio adhuc recenti, quam postea *ib.* 5 — carnaliter diliguntur *ib.* 6

Sponsus — noster Christus est 164 6 — cur animam fidelem sororem et sponsam et non uxorem vocet *ib.* 5. sq. — Amor ipsius semper novus est *ib.* 5 — In amore ipsius nihil carnale sapiendum est *ib.* 6

Stabilitas — Deus est stabilitas movens 16 11 — Spiritus S. causat stabilitatem 441 12

Status — In Ecclesia universali Deus diversos status esse decrevit 297 9 — diversi secundum variam distributionem donorum et varium imitandi modum exemplariter derivantur a Verbo incarnato 243 12 — Est gradus et distinctio in exemplis ac verbis Christi respectu statuum diversorum 241 8 — diversi in Ecclesia Christi commendari possunt laudibus praecelsis et propriis, non tamen dissonis 236 3 — quilibet suam habet praerogativam specialem *ibid.* 244 1 — qualis sit perfectior 248 15 — Vigilantius eiusque sequaces statum saecularem statui Religionis vel praeferre vel aequare conabantur 249 17 — In statu sublimi est ornamentum nobile humilitas profunda 392 2

Statuta — *vide v. Constitutiones.*

Stella — Magis in oriente apparuit et eos praevia claritate duxit 72 6 — oriens et praeiens est Christus *ibid.* — Corona stellarum duodecim significat duodecim gaudia caeli 57 2

Sterilitas — regnat in mundo, quia Christum tanquam infructuosum despexit 13 4

Stigmata — passionis Christi S. Francisco impressa fuerunt 470 3 — S. Francisco impressa fuerunt non per naturae virtutem vel ingenium artis, sed per admirandam potentiam Spiritus Dei 505 2 — S. Francisco impressa sunt ad confirmationem Regulae et commendationem auctoris 516 11 — S. Francisco tanquam sigillum approbativum impressa fuerunt 247 10. 542 12 — Descriptio impressionis sacrorum stigmatum in corpore S. Francisci 543 3 — Testes varii pro sacris stigmatibus 544 8. 548 4. sq. 545 9 — Apparitiones et virtutes sacrorum stigmatum 549 2. 550 3. sqq. — Deus stigmata variis miraculis comprobat 543 5. sqq. 550 2. sqq. 576 b. 577 a — Descriptio sacrorum stigmatum 547 2. 576 a

Stola — gemina decorabit Ecclesiam post iudicium 84 44 — Quae sit stola nova animae glorificatae 64 22 — gloriosa perpetuae immortalitatis 497 b

Strenuitas — est quidam vigor animi, excutiens omnem negligentiam et disponens animas ad faciendum omnia opera divina vigilanter, confidenter, eleganter 5 9 — Strenuitatis est aggressus difficilium per actum virilitatis 16 9 — viam praebet ad omnia bona 5 9 — In acquisitione strenuitatis contra negligentiam rectificatur stimulus conscientiae *ib.* 8 — A strenuitate inchoanda est rectificatio conscientiae *ib.* 9

Studium — Per studium Veritas est audienda 18 14 — S. Franciscus commendat studium cum devotione 535 1 — Ordinationes quoad domum studii Parisiensis 456 b. 460 a

Stultitia — alterius sapiens fit eruditior 131 a — Stultus sibimet non confidens quaerit consilium a sapientibus 146 18 — Qui se stultum et despicabilem exhibet mundo Deo efficitur pretiosus 405 24

Suavitas — paritur in corde vacando Deo per meditationes circa amorem Dei 10 9 — Ex suavitate nascitur aviditas *ibid.*

Subditus — quatuor modis regulatur quoad superiorem 445 28 — in praelato non hominem, sed Deum considerare debet 520 4 — Meritum salutis subditorum magna ex parte consistit in obedientia et reverentia erga praelatos suos 372 b — qualis esse debeat, ut commendetur a praelatis et a Deo donis et virtutibus operiatur 447 35 — facilius reguntur, et singulis expeditius potest satisfieri per plures ministros quam per paucos 375 4 — Qualis sit vera compassio ad subditos 447 38 — Multi modica compassione moventur erga subditos *ibid.* — Quomodo facienda sit correctio triplicis generis subditorum delinquentium 144 8. sqq. — Quae peccata subditorum imputentur praelato 136 16 — rebelles appellant ad illos quos sciunt sibi in sua rebellione fovere 350 b — In subdito debet esse duplex malae conscientiae poenitudo 446 30 — etiam boni plebani in sex casibus ad alios pro confessione recurrere possunt 379 14

Subesse — Differentia magna est inter subesse, coesse et praeesse 131 1

Subsidium — diligenter implorandum a Sanctis et bonis omnibus 8 3. 11 12 — Subsidium Sanctorum implorandum cum clamore 12 2 — Implora subsidium propter remedium 15 8 — Non implorat subsidium nisi qui deplorat damnum suum 12 2

Sucanum — 560 2

Sudor — sanguineus Christi, quam copiose perfusus sit 169 3. 184 1 — Christus sudavit sudore sanguineo ad convalescentiam et sanitatem Ecclesiae 184 2 — sanguineus Christi signabat, quod in Ecclesia sanguis Martyrum effundendus erat *ibid.*

Suessa — 552 6

Sufficientia — mentis 283 33

Suffragia — Sanctorum et B. M. Virginis confirmant animam 38 28 — Ordinationes variae quoad suffragia defunctorum 464 1

Suggestio — Aspectus Crucifixi liberat a daemonum suggestionibus 223 159

Superabundantia — Donum superabundantiae triplex 6 13

Superbia — Quatuor sunt species superbiae 208 98. sqq. 432 6 — est respectu superioris, inferioris et paris 439 4

— luciferum exclusit a caeli gloria 110 2 — Superbi sunt imitatores luciferi *ib.* 3 — est mater vitiorum 439 4 — est omnium malorum origo 522 11 — est fundamentum impatientiae 434 10 — Inobedientia est eius pessima proles 522 11 — Ex superbia oritur vana gloria et invidia 432 6. 439 4 — est incentivum vanitatis exstinguendum rigore 12 2 — Superbi mundi vanitate pascuntur 310 1 — annexa est cupiditati 272 1 — Ex his duabus universa mala originem, fomentum et incrementum suscipiunt *ibid.* — Fomenta superbiae sunt divitiae 72 8. 280 25 — Superbi sanctitatem ut simulationem arguere et prudentiam spiritus ut insaniam reprobare solent 310 1 — Superbiae vitium est ad honores ecclesiasticos aspirare 297 11 — opprobria refugit et ad honores aspirat 77 25 — Superbus, cum sit peccator, praetendit se iustum 72 5 — Ventus superbiae semper quaerit alta corda 193 55 — potentibus periculosius insidiatur 140 9 — Omne signum superbiae in gestu, habitu et sermone deserendum est 433 7 — vitae est declinanda 245 5 — Herodiana non sectanda 72 6 — Superborum societas fugienda est ut virus mortiferum 112 8

— praecipue abominabilis est in sponsa Christi 111 4 — A superbiae peste sanat exemplum Christi despecti 77 25 — Adversitatis iugum a superbiae voragine defensat 140 9 — Ad perfecte declinandum superbiam voluntas propria abneganda est 245 5 — Superbis molesta est erubescentia 326 28 — Superbo difficilius est se alteri subdere 248 15

Supererogatio — Perfectio evangelica consistit in his quae sunt supererogationis 247 11 — Quae sunt supererogationis non solum respiciunt dona charismatum, verum etiam exercitia virtutum *ibid.* — Exercitia virtutum supererogantium tripliciter fiunt *ibid.* — Supererogationum opera non solis perfectis, sed omnibus proponuntur, qui ad perfectionis culmen conscendere volunt 241 8 — In operibus supererogationis coactio necessitatis non est praeferenda promptitudini voluntatis 326 29

Superflua — sunt praecidenda et removenda 145 14 — Religiosi superflua procurantes quintuplicis peccati rei sunt 341 b — Constitutiones superfluitatem prohibentes 452 b

Superhumerale — 292 19 — significat exemplum duodecim Apostolorum 302 23

Superiores — sunt vicarii Dei 134 6 — Quatuor sunt genera superiorum 133 2. sqq. — Quale sit eius officium 470 1, 3 — alios bonos facere debent 131 1 — praesunt, ut per eos subditi emendentur 132 2

— omnes virtutes eminenter habere debent 132 4 — moveri debent amore iustitiae et odio iniquitatis 134 6 — quatuor modis regulatur ad inferiorem 447 36. sqq. — aliorum defectus benigne supportare debent 137 9 — condescendere debet teneritudini et infirmitati subditorum *ibid.* — fideliter subditos a turbine peccati defendentes diversas adversitates excipere debent 138 1 — multi modica compassione moventur erga subditos 447 38 — liberius et largius possunt vices suas committere quam inferiores 376 8 — gnari et idonei eligendi sunt 131 1 — in omnibus vitam communem sequi debet 461 a *Vide v. Praelatus.*

Supplicia — parantur iniustis 497 a

Sursumactio — mentis in Deum, in quo consistat 246 6 — Per sursumactionem limpidam in intellectu et tranquillam in affectu anima perfecti viri Ierusalem similis efficitur *ib.* 8. 247 10 — Per intimas, fervidas et iucundas sursumactiones secus pedes Domini quiescendum est cum Maria 294 22

Susanna — cur in mortis periculum inciderit 207 97

Suspensus — Clericus suspensus, qui celebrat et officiat ecclesiam, fit irregularis 358 a

Suspiciones — malae oriuntur ex nequitia accidiae 5 6

Symo — est villa in Pictavia 561 1

Synagoga — habebat unum summum pontificem, qui omnes discordias poterat terminare 392 2 *Vide v. Iudaei.*

Synderesis — in meditatione sententiando profert definitionem 7 19

Syria — S. Franciscus ad partes Syriae transfretavit 531 5. 532 7

T

Tabernaculum — 138 1 — militantis Ecclesiae erigendum est ad imitationem exemplaris Verbi incarnati 243 12

Taciturnitas — *vide v. Silentium.*

Tarvisina — Marchia 519 12

Tectum — excipit in se pulveres et imbres et ventorum impulsus, ut interiora munda maneant 138 1

Temporale — Circa res temporales quatuor consideranda sunt 312 5 — Quadruplex est rerum temporalium communitas 309 13. sqq. — Cur temporalia ita diligantur 52 2. 114 8 — Ex nimia occupatione temporalium pessimae sequelae oriuntur 145 14 — Amor temporalium facit miserum 44 45 — sunt fugienda 120 10 — significantur per foenum 327 32 — Praelatus humilis esse debet in usu rerum temporalium 141 5 — Quomodo a praelato temporalium cura agenda sit 145 12 *Vide v. Mundus.*

Tempus — est incertum 16 10 — utiliter expendendum est 4 4. 108 2 — ita expendendum est, ut sit Deo honorificum, homini fructuosum, proximo aedificatorium 37 22 — expendendum est in oratione, lectione, bona meditatione et in servitiis 476 1 — In tempore diligentissime purganda est anima 5 7 — Temporis opportunitas ad poenitendum est beneficium gratiae 6 12 — Inutiliter in hoc tempore vivitur, nisi comparetur meritum pro aeternitate 53 4 — Propter temporis brevitatem vix necessariis negotiis sufficimus disponendis 145 14

Tenebra — et lux non cohabitant 439 4

Tener — Quanto quid est tenerius, tanto patitur gravius 121 5

Tentatio — Diabolus incessanter per tentationes fidelibus latenter obviare nititur 486 1 — Sancti omnes tentationibus probati et perfecti sunt 199 74 — magis periculosa est proprio sensui nimis inniti 146 18 — Diabolus ibi libentius insidiatur, ubi maiora merita cernit inquiri *ibid.* — Post acceptam Spiritus S. gratiam contra diabolum arctius accingi debemus 269 10 — Imminentia discrimina tentationum sunt quasi gladius superveniens 317 5 — annuntiari debet a sacerdote suae curae commissis *ibid.* — cum summa diligentia repellendae sunt 4 4. 108 2 — Perfectis competit satanae bellis victoriose resistere 259 4 — Quomodo tentationibus resistendum sit 486 1. sqq. — Hostium violentiae enervantur dono fortitudinis 86 49 — In omni tentationum discrimine ad Christum recurrendum est 73 10 — Christus imitandus in trina conflictatione cum hoste *ibid.* — Medela contra tentationes est meditatio caeli 58 8 — non sunt aliud nisi aeterni gaudii materia *ibid.* — Propter tentationum gravitatem periculosam spiritualia saepe non possunt observari 432 4

Tentio — obligationem sonat in divinis 410 8 — obligationem importat, non tamen ita districte sicut verbum praecepti 436 2 — aeternalis summae pacis est dos, in qua consistit perfectio praemii 11 1

Tepiditas — est virus pietatis 89 3 — propria consideranda et conferenda cum caritate divina 9 5

Terra — sustentat sua soliditate, recreat sua fertilitate, delectat sua amoenitate 32 7 — In terris est amaritudo 438 1 — In terra est tantum iucunditas momentanea, in terra viventium aeternalis 442 18 — Affectiones terrenorum sunt sarcina onerosa 491 2 — Cor sollicite a terrenis custodiendum est *ibid.* — Multiplex rerum labentium varietas plus debito ruminata, pravos effectus in anima producere solet 491 2 — Quanto quis fastidit terrena, tanto Deo propinquius est 490 1 — Qui vult terrena contemnere caelestia meditari debet *ib.* 2 — Ad terram promissam pervenitur proficiendo in virtutibus 4 4 — mota est et luxit in morte Christi 79 29 — mota in resurrectione Christi 81 34 — Laboris 538 13. 547 6

Tertia — In Tertia Dominus accusatus et iudicatus est, et Spiritus S. descendit 408 6

Testamentum — inofficiosum 313 10 — Testamentorum litigiosa et avida invasio varia mala producit 470 2

Thaodaeus — Apostolus servavit districtionem voluntariae et penuriosae paupertatis evangelicae 283 33

Thamarit — villa in Catalaunia 555 11

Tharsilla — erat amita S. Gregorii Papae 264 21 — ad culmen perfectionis excrevit. virtute continuae orationis, gravitate vitae, singularitate abstinentiae *ibid.*

Thau — Hoc signum S. Franciscus magno venerabatur affectu 515 9. 564 7

Thebae — in Romania 559 2

Theutonia — 385 12

Thomas — credidit, cum palpavit 81 34 — quidam per S. Franciscum a mortis periculo liberatus 553 2

Thronus — Ad thronum Salomonis ascendebatur sex gradibus, per quos significantur gradus caritatis 10 11 — Throni est ordo in suprema hierarchia caelesti, cui convenit summae pacis aeternalis tentio 12 1 — Thronorum est adoratio Veritatis per sacrificium et laudationem 18 14 — ornant caeleste convivium aequitate divinae maiestatis 61 17

Thus — significat contemplationem devotam 94 4

Tiburis — 558 3

Tiburtinus — episcopus 557 4

Timor — oritur ex providentia futurorum 8 2 — Omni tempore vivendum est in timore 494 a — Deus sub triplici consideratione a nobis in immensum timeri debet 105 17 — Sponsus animae reverenter

timendus est 52 20 — Deus non solum timendus est, cum irascitur, verum etiam cum suavissime blanditur *ibid.* — Propter iudicium contremisce 15 8 — Non timet divinum iudicium nisi qui recordatur et erubescit flagitium 12 2 — debet esse in circumspectione iudicii quadruplicis *ibid.* — iudiciorum divinorum triplex est 129 5 — debet esse in contritione propter indicia latentia 16 10 — est in deploratione miseriae propter periculum sive reatum 8 2. 11 12 — Dei, cur sit necessarius 55 12 — Qui se non tenet in timore Dei citò corruet 497 b — Dono timoris receditur ab omni malo 86 49 — Donum timoris tranquillat *ibid.* — non exagitat mentem, in qua est pax per tranquillitatem 10 11 — poenae non urget eum qui habet soporem pacis in obumbratione Christi 12 2 — foras mittitur per securitatem in dilectione Dei 10 11 — servilis est donum Spiritus S. 254 9 — servilis non est prohibitus *ibid.* — non docet fugere corporalia bella, sed spiritualia peccata *ibid.* — Spiritus timoris in anima conservatur per omnimodam modestiam, iustitiam, pietatem 130 8

— male humilians est radix secunda vitiorum 299 16 — Timere mortem est naturale 254 10. 255 12 — Omnes timore mortis urgentur 255 12 — Nullus mortis timore in fugam convertitur, nisi timor huiusmodi in eo dominetur *ibid.* — Aliud est timere, aliud ex timore fugere *ib.* 11 — Caritas non excludit omnino naturalem timorem, excludit tamen illius dominium 254 10. 255 11

Timotheus — a Paulo Ephesi episcopus electus fuit 131 1 — a S. Paulo instructus est, quomodo sancte vivere et aliis utiliter et meritorie praeesse possit *ibid.*

Titulus — Clerici sine titulis non debent ordinari 328 34

Tonsura — Constitutiones tonsuram concernentes 454 a

Tormenta — Deus servis suis vires tormentorum vel auferre vel alleviare consuevit 186 1

Torpor — expellendus est per exercitium boni operis, lacrymarum contritionem et devotionis flammam 102 9

Tranquillitas — percipitur in fine viae purgativae 6 9 — Ex tranquillitate oritur spiritualis iucunditas *ibid.* — vera et perfecta oritur ex securitate, in qua est pax et requies 10 11. 11 12 — Ad tranquillitatem non est possibile pertingere nisi per caritatem 11 11 — iucunda mentis attestatur perfectioni 260 9 — Varii eventus fortunae eam non auferunt *ibid.*

Transitoria — sunt vana et insipida 51 18 — contraria sunt aeternis 489 1 *Vide v. Mundus.*

Tribulatio — Vita praesens nunquam caret pondere tribulationum 443 22 —

Multi ad tantam tribulationem veniunt, ut a Deo penitus derelicti esse videantur 176 2 — sustinendae sunt patienter 443 22. 493 b — perducunt ad gloriam 443 22 — In tribulationum sufferentia viriliter perseverandum est exemplo Christi 177 3. 416 12 — Meditatio caeli erigit in tribulationibus 58 8 — non est aliud nisi aeterni gaudii materia *ibid.* — ab omnibus abscondendae sunt 496 a

Tributa — solvenda ratione praediorum 309 12

Trinitatis — insigne repraesentatur in omni scientia 3 1 — Laus sanctissimae Trinitatis 95 4

Tristitia — semper summo studio depellenda est 495 a — In tristitia latet via confusionis *ibid.* — debet esse in contritione 16 10

Tudertum — 560 2

Tunica — In Evangelio unius tunicae nomine designantur vestitus necessarii 400 10. 404 21 — Christi non fuit de serico vel purpura 405 24 — Christi erat de viliori genere vestium Palaestinae 406 24 — inconsutilis Christi indivisa data est per sortem 78 26

Turpitudo — flagitiorum recordanda cum pudore 12 2

Tuscanella — 541 9

U

Ulmi — mons 563 3

Unctio — Spiritus S. docet de omnibus, quae expediunt ad salutem 147 1

Unguentum — Mali et peccatores ungendi sunt fomentis exhortationum, consolationum, orationum et promissionum 135 15 — Quid sit trahi odore caelestium unguentorum 55 11

Unio — Anima et corpus Christi Divinitati in persona Filii counita sunt, ut idem esset Deus et homo, salva utriusque proprietate naturae 71 3 — Via unitiva consistit in susceptione Sponsi 12 1 — Gradus viae unitivae 14 6. 15 8 — Amor est vis unitiva 252 2 — Sustinentia mortis propter honorem Dei unit Deo immortali *ibid.* — In meditatione unionis Dei et animae est finis omnis cognitionis et operationis et vera sapientia 7 18

Unitas — appropriatur Patri, quia origo 17 12

Universum — Deus ad universi completionem diversas constituit rerum species 243 12

Urbanus — Apud eremum S. Urbani S. Franciscus aegritudine gravissima laborabat 519 10

Usurariis — absolutio neganda est, donec restituant 467 a

Usus — non potest perpetuo a dominio separari 312 7 — Per facultatem utendi habere dicimur omne, quo utimur, etsi non sit nobis proprium 323 20 — rerum temporalium necessario annexus est vitae praesenti 272 3 — Nulla potest esse professio omnino temporalium rerum usum abdicans 312 5 — Evangelicae perfectionis est usum rerum temporalium non omnino reiicere, sed arctare 273 3

Usufructu — rerum vita mortalium carere potest 312 5

Utile — idem est quod honestum 290 11

Uva — comeditur et bibitur 228 174 — non colliguntur de spinis 419 22

Uxor — quomodo, marito intrante in Religionem, voveat continentiam 398 5 — An uxorati intrare possint in Ordinem Minorum *ibid.*

V

Vae — triplex contra ingratos profertur 123 10

Vagantes — Poenae statutae contra vagantes 454 b. 455 a

Valvensis — dioecesis 562 1

Vanitas — Concupiscentia vanitatis est appetitus favoris, laudis et honoris, quae sunt vana et reddunt hominem vanum 4 5. 108 3 — Triplex est rerum mundanarum vanitas 44 2. sqq. — quando non sit peccatum mortale 433 7 — Incentivum vanitatis est superbia 12 2 — Vana gloria oritur ex superbia 432 6. 439 4 — Divitiae sunt occasio vanitatis 280 25 — Crescente vanitate, humilitas minuitur 401 11

Velum — templi scissum est in morte Christi 79 29

Venetiae — S. Franciscus ambulavit per paludes Venetiarum 528 9

Venia — Absurdissime dicitur, eos non peccasse, quibus venia datur 244 15 — De accepta venia gratum esse oportet 537 5

Verbum — producitur a mente 17 11 — nostra nuntiant, quid intus agatur in corde 204 87 — Verbi vehiculum est lingua 78 28 — De verbis habenda est cura permodica, magis autem discutienda est verbi sententia 240 3 — Verbis simplicibus, consuetis et rudibus declinatur curiositatis vitium, fovetur devotio et aedificatur fidei pietas 68 2 — nostra mensurata esse debent 443 22 — virginis, qualia esse debeant 201 82 — Variae regulae in verbis servandae 485 2 — De frequentia et parcitate verborum 204 88 — Quae verba resecanda sint 201 82. 203 86 — Studendum est verbis caritatis, humilitatis et pacis 203 86 — otiosa et inhonesta vitanda sunt 485 1 — Verborum prolixitas eorumque occasiones praecidendae sunt 494 b — Arctitudo verborum pertinet ad castigationem corporis 250 19 — De verbis otiosis, nocivis et periculosis ratio reddenda in die iudicii 489 2 — Qui vult vitare verba nociva debet vitare otiosa *ibid.* — Devotio exterius componit verba 147 2

— Verba vitae dispensantur a sacerdotibus in dispensatione doctrinae, indulgentiae et eucharistiae 6 12 — Angeli cibantur Verbo increato et mortales homines Verbo incarnato in Ss. Sacramento 103 12 — Pretiosa sunt verba Dei 371 a — Non debent principaliter impendi pro corporis alimento *ibid.* — Magnae impietatis atque perfidiae est divini verbi ministris impedimenta praebere 319 9 — Praedicatio verbi Dei brevis esse debet 430 12 — aeternum est in Deo tanquam proprium personae 17 11 — Christus est Verbum increatum et incarnatum 242 12 — increatum est sapientia et lux in mente summi artificis, inspiratum in mentibus angelicis atque beatis, incarnatum in mentibus rationalibus carni unitis 85 46 — increatum est speculum intellectuale et exemplar aeternum totius machinae mundialis 242 12 — Per Verbum aeternaliter dictum omnia producuntur et per Verbum carni unitum reparantur, promoventur et finiuntur 85 48 — incarnatum in assumtae humanitatis conversatione exemplar est et speculum omnium gratiarum, virtutum et meritorum 243 12 — incarnatum est originale principium gratiae *ibid.* — septem Christi in cruce: primum 172 2. 173 3 — secundum 173 1. 174 2 — tertium 174 1. sq. — quartum 175 1. 176 2 — quintum 176 1. 177 2. sq. — sextum 178 1. sq. — septimum 179 1 — septem Christi sunt quasi septem folia semper virentia 172 1 — De praestantia verborum Christi 190 28. sq. — Commendatio verborum Christi 192 50

Verecundus — Monasterium S. Verecundi 527 6

Veritas — includit aequalitatem 17 12 — appropriatur Filio, quia imago *ibid.*

— in prima hierarchia est advocanda per gemitum et orationem, audienda per studium et lectionem, annuntianda per exemplum et praedicationem 18 14 — in secunda hierarchia est adeunda per refugium et commissionem, apprehendenda per zelum et aemulationem, associanda per sui contemptum et mortificationem *ibid.*

— in tertia hierarchia est adoranda per sacrificium et laudationem, admiranda per excessum et contemplationem, amplectenda per osculum et dilectionem *ibid.* — summa manifeste videtur in gloria 11 1 — In cognitione veritatis pendet scientia totius s. Scripturae, meritum vitae aeternae et animae beatificatio 3 1

— Virtus veritatis est invincibilis 266 30 — semper vincit et invalescit 265 29 — Eius lumen etiam inter densas errorum tenebras radiat *ibid.* — Amatores veritatis bonorum operum exercitatio et malorum perpessio nunquam frangit 50 16 — Veritatis reseratione sollicita radius verae lucis infulget 244 1 — evangelica est lux clarissima 389 12 — velut scuto circumdat 234 3 — Intellectus creatus in summae veritatis obsequium sic redigendus est, quod nullus falsitati praebeatur assensus 233 1 — Omni veritati assentiendum est 130 9 — Veritatem fidei et morum amore praecipuo desiderare ac quaerere debemus 233 1 — Non omnes agnoscunt aequaliter veritatem in omnibus 351 a — Qui a recta veritatis via discedit per devia vagatur errorum 297 10 — Ad veritatem ducit actus illuminationis 3 1 — Ad splendorem veritatis pervenitur per imitationem Christi 12 3 — Via et splendor veritatis est crux 14 5 — Per ieiunium impetratur perfecta intelligentia veritatis 270 16

Vermis — Poena vermis in inferno est intolerabilis 54 6

Vesperae — pro hora duodecima celebrari debent 409 6

Vestigium — Creatoris sunt omnes creaturae 30 3

Vestimentum — Vestimentis necessariis Christus carere non potuit 275 8 — Christi sanguine suo rubricatum est 80 31 — Apostoli et praedicatores veritatis simplici vestitu contenti esse debent 273 5 — Vestimenta deliciosa quaerere est concupiscentia voluptatis 4 5 — Quae a FF. Minoribus sint observanda quoad vestimentorum vilitatem, procurationem et superfluitatem 451 a, b — Dictum notabile S. Francisci quoad vestitus asperitatem 516 2 — Propter sex rationes per privilegium apostolicum prohibitum est, ne alii deferant vestes Fratrum Minorum 363 b. 364 a — Vestes sacrae, quales esse debeant 453 a

Via — arcta ducit ad vitam 235 2 — purgativa consistit in expulsione peccati, illuminativa in imitatione Christi, unitiva in susceptione Sponsi 12 1 — quaelibet habet gradus, quibus ascenditur *ibid.* — purgationis, illuminationis et perfectionis ducit ad meritum et beatitudinem, adipiscendo pacem, veritatem et caritatem 3 1

Viaticum — Corpus Christi est viaticum nostrae peregrinationis 102 9

Vicarius — Ordinatio quoad Vicarium provincialem 463 a — Conventus, quis et quomodo instituendus sit 467 b

Victoria — Christus victoriae assecutione nos facit viriles 73 10

Victus — *vide v. Cibus.* — non impedit religionem christianae fidei 261 13

Vicus — Albus 555 12

Videre — Appetere videre pulcra est vitium curiositatis 4 5

Vidua — Sareptana pavit Eliam 324 24 — paupercula offerens duo minuta a Christo laudatur *ibid.* — paupercula totum dando nihil sibi reservavit atque ita in extrema se nuditate constituit 280 22

Vigilantia — est in gratitudine exsurgens ad canticum propter beneficiorum utilitatem 16 10 — te sollicitet propter Sponsi promptitudinem 14 6. 15 8 — considerat, quam honestum, quam conferens, quam delectabile sit diligere Deum 15 7 — Ex vigilantia nascitur fiducia *ibid.*

Vigilantius — solus haereticorum paupertatis dignitati derogavit 286 1 — contra paupertatis professionem et sustentationem pauperum Sanctorum virus evomuit *ibid.* — statum saecularem statui Religionis praeferre conabatur 249 17

Vigiliae — Omni tempore operatio vigiliarum pretiosa habenda est 494 b

Vilesii — 563 2

Vilitas — Vilia summo studio quaeritantes nobilia per incuriam perdunt 470 2 — Ad amorem vilitatis habilitat severitas 5 9

Vincula — Vinculis caritatis devinctus, Christus ad suscipienda vincula passionis de caelo in terram tractus fuit 168 5 — Quatuor vinculis Christus ligatus fuit 165 1 — Valde dura et immitia fuerunt haec vincula 166 1 — Christus propter misericordiam suam ligatus fuit *ibid.* — Vinculis Christi gratias agendum est, quia nostra vincula potenter dirumpunt *ibid.* — Qui de terris trahi desiderat ad caelum prius passionis vinculis suo capiti colligari debet 168 5 — Per caritatis vincula unum cum Christo efficimur *ibid.* — mentis, quae sint 46 4

Vindictam — summi iudicis nullus potest effugere 5 7

Vinum — transit in sanguinem 100 2 — Usus vini pro nutrimento est principalior, communior, mundior et minus fastidiosus *ibid.* — significat sanguinem Christi *ibid.* — bibere non est peccatum 258 3 — Conceditur vini usus, sed eius abstinentia consilio perfectiore suadetur *ibid.* — Qui cupiunt Domino absque impedimento servire a vino abstinent *ibid.* — Tam abstinere a vino quam eo uti, potest fieri perfecte et imperfecte 259 7 — filiis Aaron tanquam sublimiora adeptis prohibitum fuit, cum ministrarent 263 20 — Viri perfecti tribus de causis ad vinum se relaxaverunt 264 25 — virgo Christi fugere debet pro veneno 261 14 — semper aqua miscendum est 482 2 — Definitiones quoad provisionem vini 464 b — Cur Christus in cruce vinum myrrhatum tantum gustaverit 177 1

Viola — humilitatem significat 192 53. 193 54

Virga — feriens debetur vitiis 136 1

Virgo — a viriditate nomen habet 204 87 — Virginitas figuratur per lilium 196 63 — Aliud est medium pudicitiae coniugalis, aliud sanctimoniae virginalis 322 18 — Virginitas est perfectior quam coniugium 258 4. 268 6 — non est semper perfectior coniugata 268 6 — Virginitas praefertur cuilibet gradui pudicitiae 311 3 — Status sacrarum virginum non praefertur statui praelatorum vel virorum quorumlibet *ibid.* — Iovinianus virginitatem et pudicitiam coniugalem aequalis apud Deum meriti censuit 263 18 — Quanta sit pulcritudo virginitatis 206 93. sq. — Varii sunt gradus virginitatis 206 95. 207 96. sq. — in Ecclesia Dei excellunt tanquam flores in gramine 194 57 — sunt quasi quidam adeps et medulla totius Ecclesiae 206 94 — Bonos virgines esse summum bonum est et summa gratia 204 89 — Laus virginitatis 196 63

— se totam Sponso caelesti consecrare debet 215 119 — eminent castitate et continentia 62 18 — in terra angelicam vitam ducunt 297 98 — Votum continentiae virginalis est consilii et in nostrae ponitur liberae voluntatis arbitrio, ac per hoc omitti potest absque omni peccato 240 3 — Virginitatem custodire pertinet ad vitam perfectam 243 13 — ad gradum virginitatis non ex praecepto cuiusquam, sed propria voluntate viriliter ascendunt 207 98 — Virginitati ut operi privilegiato debetur aureola 214 115. 250 19 — Virginitas vovenda et appetenda est ad tria incommoda vitae praesentis vitanda et tria commoda futurae gloriae acquirenda 209 104. sqq. 211 108. sqq. — Nunquam qui commendat virginitatem adversarius censendus est coniugii 236 3 — Christum omnium virtutum itinere imitari debet 212 109 — Ipsi devotio est valde necessaria 205 90 — praecipue humilitati studere debent 194 57. 207 98 — Virginitas non placet Deo sine humilitate 110 3 — Virginitas servanda est humilitate 112 8 — Virginitas mixta humilitati est sicut gemma auro superaddita *ibid.* — sacrae debent esse humiles spiritu, incessu, sensu, habitu 111 6 — Utilius est perdere virginitatem et per hoc consequi humilitatem, quam propter virginitatis meritum superbire 207 96 — — vinum fugere debet pro veneno 261 14 — Innumerabiles et subtilissimas tentationes diabolus ipsis parat 215 119

— linguam sollicite custodire debet 212 111 — sacrae maxime silentio studere debent 115 1. 116 2, 4 — disciplinatae esse debent in verbis 204 88 — nunquam, nisi in magna necessitate loquantur 116 4 — loqui debent raro, pauca, breviter, cum timore et pudore *ib.* 5 — Earum verba debent esse pia et fructuosa 201 82 — Nullum verbum proferatur ab ore virginis Christi, quod nihil virtutis in se contineat *ibid.* — Quae verba ab ore virginis resecanda sint *ibid.* 203 86 — studere debent verbis caritatis, humilitatis et pacis 203 86 — Os virginis virginitatem suam perdit, quoties scienter loquitur mendacia *ibid.* — Magnum dedecus sponsae Christi est cum alio quam cum Sponso

suo sermonem habere 116 4 — perseverantiae studere debent 201 80 — non debent deficere in exspectatione Christi *ib.* 81 — mites esse debent 197 67 — nihil terrenum quaerere debent 198 72 — impediuntur a solo maligno hoste, ne sursum ad caelum ascendant 117 1 — Quomodo virginitas servetur et perdatur 196 65. 207 96. sq. — tria commoda obtinebunt in caelo 211 108. sqq. 212 110 — Magna est multitudo virginum Deo consecratarum 201 81 — Anima fit filia virginum per pietatem et continentiam 51 17 *Vide v. Sponsa.*

Viri — spirituales se promptos exhibere debent ad divinum honorem, animarum salutem et naturali pietati consona procuranda 472 a

Virilitas — In similitudine debet esse actus virilitatis ordinatus ad interiora 16 9 — Per actum virilitatis debet esse exercitatio intra nos per aggressum difficilium, per actum laudabilium, per amplexum humilium *ibid.* — Actus virilitatis est in similitudine erectus ad commendabilia, extensus ad communicabilia, exinanitus ad contemptibilia *ib.* 10

Virtus — omnis est ratio recta 240 3 — perfecta est ratio perveniens usque ad finem, quem beata vita consequitur 245 2 — consistit circa magis difficile 248 15 — Virtutum actus sunt in praecepto 394 3 — purae procedunt a lege aeterna 134 7 — Sine his nullus poterit salvari *ibid.* — est vel ordinans in Deum per mentis elevationem, vel ordinans in proximum per pacificam conversationem 439 7 — ordinans in Deum est devotio *ibid.* — Non omnis virtus est perfecta, neque omnis virtutem habens est perfectus 256 17 — Secundum exercitium perfectae virtutis illa perfectio est eminentior, in qua radix caritatis est pinguior, sublimitas operationis excelsior et fraternae aedificationis fructus uberior 249 19 — Aureolae praemium non debetur habitui virtutis intrinseco, sed operi privilegiato 250 19 — Virtutum deiformium approbanda est rectitudo 233 1 — Cum summa diligentia proficiendum in virtutibus 4 4

— Veri Apostoli calceamentis virtutum calceari debent 388 7 — pedes spirituales muniunt 402 17 — in sandaliis designantur *ibid.* — Insipientes fugiunt virtutes 302 24 — Imperfecti segniter se in virtutum studiis exercent 132 2 — Interior negligentia circa exercitationem virtutum exterius procedit in scandalum aliorum per patentem ruinam 470 3 — Ex malis iuxta se positis virtutes iustorum clarius elucent 350 b — Opus virtutis intermitti potest, virtute salva 268 8 — Quidam actus virtutis sunt intrinseci et essentiales, quidam exteriores et ad perfectionis complementum adminiculantes et exercitativi *ibid.* — Quaedam virtutes semper tenendae, quaedam tempore locoque provida discretione mutandae sunt 285 39 — Propter salutem corporis non debet fieri in animo damnum virtutis 268 8 — politica tenet medium et fugit extrema 322 19 — Medium virtutis non eodem modo sumendum est 323 21 — theologicae semper sunt exercendae 497 b — Exercitia virtutum supererogantium fiunt tripliciter 247 11 — Octo sunt exercitia virtutum quasi quaedam scalae salutis 493 a — ut margaritae fulgentes possessorem suum Deo et Angelis et hominibus gratiosum faciunt *ibid.*

— Verbum incarnatum est omnium virtutum exemplar et speculum 243 12 — laudabilis manifestata est per crucem, quantum sit pretiosa, speciosa, fructuosa 14 4 — est pretiosior quam vita *ibid.* — in ipsis contumeliis Christi relucebat *ibid.* — Usus perfectus virtutis in Christo fuit fructuosissimus *ibid.* — Cum virtutum triumphis Christus comitandus est 74 15

— Varia sunt media ad felicitatem virtutum servandam 485 1 — Virtutum perfectio non melius consequi potest quam per caritatem 124 1 — Opus virtutis ex caritatis radice procedit 238 7 — Virtutum omnium principium est caritas 125 1 — Virtutum omnium consummatrix est perseverantia *ibid.* — Exterior rerum penuria valet ad exercitium perfectae virtutis 299 17 — Penuria virtus acquisita probatur et probata custoditur *ibid.* — Ad exercitationem virtutis multum valet abstinentia 265 26 — Per ieiunium obtinetur constantia perfectae virtutis faciendi ardua et superandi adversa 271 18. sq. — et ipsa perfectio virtutis *ib.* 20 — Humilitas est omnium virtutum custos et decor 519 1 — Devotio actiones ordinat ad virtutes 147 2 — Omnibus virtutibus necessario prudentia est annexa 256 17 — irrigandae sunt per documenta Scripturarum 317 3 — Ad perfectae virtutis exercitium, custoditionem et complementum adminiculatur votum Religionis 248 14 — Perfectio evangelica non sine virtuosorum habituum exercitatione possidetur 247 11 — debilitat vitium oppositum 132 2 — Virtutum praerogativas, quibus homo caret, in aliis mirari et praedicare debet 277 17 — Impiae praesumtionis est virtutem non habitam spernere 278 19 — Virtuosi benigne supportant defectus aliorum 137 9 — mentis non apparent exterius nisi modice ex quibusdam signis 359 b — spirituales occulte tenendae sunt 495 b

— Magistri discipulos suos in diversis virtutum exercitiis occupare solent 132 2

— Virtutum est zelus et aemulatio 18 14 — Virtutes ornant caeleste convivium de potestate miracula faciendi 61 17

Visio — Triplex est visionis beatificae obiectum 65 24. sqq. — manifesta summae veritatis est dos, in qua consistit perfectio praemii 11 1 — Divinae visionis fulgida claritas est perfecta dies 245 2 — Eius effectus in anima glorificata 65 24. sq. — claritatis Christi beatum facit 81 35 — humanitatis Christi et eius Matris Beatis affert gaudium plenum omni suavitate 65 26. 66 27

Visitatio — Quomodo visitationis munus sit exsequendum 458 b. 459 a, b 472 a — Quoties visitatores sint mittendi 458 b — Visitatorum facultas 459 a, b — Visitatores munuscula recipere non possunt 460 a

Visus — perspicuus spectat ad complementum naturae ex parte sensus 6 11 — decipitur per falsam pulcritudinem creaturarum 33 12

Vita — nostra brevis est 497 a — est brevis et fallax 52 3. sq. — praesens nunquam caret persecutionibus et tribulationibus 443 22 — Miseriae huius vitae convertentur in gaudium caeleste 58 7 — temporalis, cur tam diligatur 52 2 — Tria facienda sunt per totam vitam 484 2 — In vita praesenti vita caelestis comparanda est 53 4 — De vitae praeteritae dissipatione dolendum 12 2

— mortalium potest carere proprietate, possessione et usufructu rerum, eget vero tanquam necessario simplici usu rerum 312 5

— est vel activa vel contemplativa 245 6 — activa debet deservire contemplativae 334 9 *Vide v. Activa.* — communis a praelato semper servari debet 140 2 — communis tam a praelatis quam a subditis servanda est 461 a — Qui non servat vitam communem non potest eligi Superior 461 a — exemplaris, quales effectus producat in praelato 150 15 — irreprehensibilis maxime sibimet prodest et alios aedificat 337 a — A professionis excellentia vita discordare non debet 471 4 — Caelestem vitam ducere est caelestia contemplari et diligere 49 12 — Secundum naturam vivere est in terris caelestem vitam ducere *ib.* 11 — solitaria quaerenda est a Religioso 116 3 — solitaria invenitur consortia hominum fugiendo et de caelestibus meditando *ibid.*

— Quales sint corona et merces vitae aeternae 125 2 — Ad hanc vitam percipiendam invitamur a Christo *ibid.* — Christus ante dedit vitam, quam virtuti contrairet 14 4

Viterbium — 558 4

Vitis — deforme corpus habet 168 1 — est figura Christi *ibid.* — Iesus vocatur vitis benigna 159 a — Varia sunt nomina huius vitis 219 141 — duplex est genus proprietatum vitis 159 1. sq. 160 1. sqq. — solet plantari et non seminari 159 2 — primo nata de vite est Deus genitus de Deo, et Filius de Patre, coaeternus et consubstantialis ei, de quo est 160 2

— fructifera solet praecidi 160 1 — De praecisione corporali et spirituali vitis caelestis *ibid.*, sq. — minuitur, quando conciditur 161 2 — caelestis infra Angelos et omnes homines humiliatus fuit *ibid.*, sq. — Incomparabilem praecisionem vitis caelestis multus fructus subsecutus est *ib.* 4 — Eius fructus incorruptibilis est *ibid.* 165 1 — Varii sunt fructus huius vitis 224 160. sqq. — circumfoditur 162 1 — Diversae sunt fossiones vitis verae *ibid.*, sqq. — Vitem caelestem maligni agricolae non tantum circumfodere, sed et perfodere laborabant *ib.* 2 — Circumfossio vitis caelestis insidiantium fraus intelligitur *ib.* 1

— ligantur, ne iacentes in terra minuatur aut corrumpatur fructus earum 165 1 — caelestis quatuor vinculis ligatus fuit *ibid.* — nostra elevata est in cruce 172 2. sq. — Folia vitis pene omnium arborum foliis praestantiora sunt 171 1 — Praestantia foliorum vitis mysticae *ibid.* 190 a — De iucunditate florum vitis mysticae 180 1. sq. 192 51. sqq. — Odor huius vitis est inaestimabilis 219 141 — Odor huius vitis duplex est 221 148 — Magna est eius attractio 219 144

Vitium — est tenebra 439 4. 493 b — Passiones vitiorum sunt infirmitates 132 2 — impedit elevationem ad caelestia 493 b — Deformantium vitiorum pravitas reprobanda est 233 1 — Vitiis debetur virga feriens 136 1 — Ad mortificandum vitia nihil melius est quam caritas 124 1 — vitio non sanatur 139 5 — omnia solitudine vitantur 249 17 — Prima radix vitiorum est corporalium rerum amor et radix secunda timor male humilians 299 16 — malorum quandoque sunt arguenda, quandoque tacite sufferenda 197 68 — Insolentium vitia reprehendens praeconia laudum meretur 314 1 — celanda sunt, ne percipientes scandalizentur 351 b

Vituperium — alicuius rei excitat ad eius contemptum 303 28

Vivificare — Mors Christi vivificat mortuos 79 29

Vocatio — ad Religionem est praecipuum beneficium Dei 499 2

Volucres — vanam gloriam figurant 198 70 — Quid sit gloriam Dei in similitudinem volucrum mutare *ibid.*

Voluntas — Dei dicitur bona quantum ad remissionem culpae deformantis, beneplacens quantum ad infusionem gratiae reformantis et perfecta quantum ad fruitionem gloriae praemiantis 475 b — appropriatur Spiritui S., quia Donum 17 12

— praeeligendo defert solutionem 7 19 — propria est impretiabile bonum et maxime carum et intimum 247 11 — ubi deest possibilitas, pro facto reputatur 300 17

— Altissimum in homine est voluntas rationalis 394 5 — Altissimum sacrificium est eam totaliter Domino consecrare 247 11. 394 5

— propria est omnis illa, quae divino imperio non ligatur et superiori regulae non adhaeret 432 3 — propria malum est 488 2 — propria immitem et protervum efficit 246 8 — semper conformanda est divinae voluntati 125 3. 495 a — propria nunquam sequenda est 488 2 — propria abneganda est ad perfecte declinandam superbiam 245 5 — Perfectis magis competit gubernari voluntate aliena quam propria 261 12 — Voluntatis propriae abnegatio competit regularibus et coenobitis 279 22 — ad poenitendum est beneficium gratiae 6 12 — Non omnia, quae fiunt contra voluntatem alicuius, ad iniuriam eius fiunt 365 a

— ultima defunctorum est immobilis 418 18

Voluptas — est appetitus dulcium, mollium et carnalium 4 5. 108 3 — designatur bestiis 198 70 — Gloriam Dei mutant in similitudinem bestiarum, qui bona opera pro carnis implenda voluptate faciunt *ibid.* — Incentivum voluptatis est concupiscentia 12 2 — carnales perfecte fugiendae sunt 246 8 — A voluptatum carnalium servitute feriandum est vacando sanctificationi spirituum 233 1 — Contemptus voluptatum carnalium est modestiae 16 9

Votum — est consilii et in nostrae ponitur liberae voluntatis arbitrio 240 3 — omitti potest absque peccato *ibid.* — Opus voventis opere non voventis Deo acceptabilius est 247 12 — emissum specialem obligationem superinducit *ib.* 11 — A voto resilire non licet *ibid.* — Quae ex voto proprio proveniunt homo observare debet velut ex praecepto Dei 134 7 — Praeceptorie vovetur ab omnibus Christianis id quod praeceptorie imponitur ex lege Dei 394 3 — Voto superveniente, fortificatur sacri Ordinis vinculum et meritum geminatur 396 11 — Religionis in statu perfectionis collocat 248 14 — adminiculatur ad perfectae virtutis exercitium, custoditionem et complementum *ibid.* — uxoris, marito intrante in Religionem, quando solemnizetur 398 5 — Nazaraei est super omne votum, quia Nazaraeus vovet semetipsum 248 13

Vox — In voce de caelo emissa intelligitur Pater 73 9. 74 12

Vulnus — generat fistulam 132 2 — Cor Iesu dicitur vulneratum a sorore et sponsa 164 5 — carnale cordis Iesu vulnus spirituale ostendit *ibid. Vide v. Cor.*

Vulpes — sunt daemones fraudulenti 84 43

Vulturnus — 552 5

Z

Zachaeus — susceptus est a Christo paterno affectu 74 13 — Christum hospitio suscipiens imitandus *ibid.*

Zachantum — est castrum iuxta Anagniam 560 7

Zelus — Per zelum Veritas est apprehendenda 18 14 — Per zelum divini honoris exercetur anima ad iustitiam 130 9 — iustitiae non potest aliquid iniustum sustinere 133 1 — disciplinae dormire non debet ad malum consequens praecavendum 135 11 — fervens comparatur vino 136 1 — animarum duplex est 441 10 — iustitiae duplici caritate rutilat 133 5 — Zelo iustitiae potest quis dicere malum vel ut corrigatur, vel ut caveatur 433 8 — Nullus est Deo gratius sacrificium quam zelus animarum 143 3 — Non prohibetur ira per zelum 426 4 — Virtus zeli est necessaria in peccatis corrigendis *ibid.* — salutis animarum ita debet exerceri, ut salutis propriae dispendium non incurratur 130 10

— non humanae laudis fervore deprimi debet, sed recta intentione et fraternae caritatis pietate in altum erigi 150 15 — Ad zelum iustitiae inflammat caritas Dei 136 1 — iustitiae accenditur per Deum 147 1 — Differentia inter zelum proprium et zelum Dei 134 8 — Quomodo zelator bonus se gerere debeat 136 17 — Zelator iustitiae quinque cavere debet 135 12 — Ita foris exercendus est zelus disciplinae, ut lenitas non perdatur in mente 197 68 — sine discretione praecipitat 142 2 — invidiae in Iudaeis 77 24

INDEX GENERALIS



PROLEGOMENA.

Cap. I. De genuinis operibus spectantibus ad theologiam mysticam sive asceticam generatim sumtam . . . . pag. IX
§ 1. Opusculum I. De Triplici Via, alias Incendium amoris. . . . . » ib.
» 2. Opusc. II. Soliloquium . . . . » XXV
» 3. Opusc. III. Lignum vitae . . . . » XXXIX
» 4. Opusc. IV. De Quinque Festivitatibus pueri Iesu » XLIX
» 5. Opusc. V. De Praeparatione ad Missam . . » LI
» 6. Opusc. VI. De Perfectione vitae ad Sorores. » LVII
» 7. Opusc. VII. De Regimine animae . . . . » LIX
» 8. Opusc. VIII. De Sex Alis Seraphim. . . . » LX
» 9. Opusc. IX. Officium de passione Domini. . » LXI
» 10. Opusc. X. Vitis mystica . . . . » LXIII
Cap. II. De genuinis operibus, quae ad res Ordinis Fratrum Minorum spectant. . . . . » LXV
§ 1. Opusc. XI. Apologia pauperum . . . . . » LXVI
» 2. Opusc. XII. Epistola de tribus quaestionibus ad magistrum innominatum. . . . . . » LXVIII
» 3. Opusc. XIII. Determinationes quaestionum circa Regulam Fratrum Minorum . . . . » LXIX
» 4. Opusc. XIV. Quare Fratres Minores praedicent et confessiones audiant . . . . . . » LXXI
» 5. Opusc. XV. Epistola de sandaliis Apostolorum » ib.
§ 6. Opusc. XVI. Expositio super Regulam Fratrum Minorum . . . . pag. LXXI
» 7. Opusc. XVII. Sermo super Regulam Fratrum Minorum . . . . » LXXIII
» 8. Opusc. XVIII. Constitutiones Generales Narbonenses. . . . . » ib.
» 9. Opusc. XIX. Epistolae officiales . . . . . » LXXIV
» 10. Opusc. XX. Regula novitiorum. . . . . » LXXV
» 11. Opusc. XXI. Epistola continens viginti quinque Memorialia . . . . » LXXX
» 12. Opusc. XXII. Epistola de imitatione Christi » LXXXV
» 13. Opusc. XXIII. Legenda sancti Francisci . . » ib.
» 14. Opusc. XXIV. Legenda minor S. Francisci. » XCII
Cap. III. De tractatibus asceticis incertis vel plane illegitimis, quae S. Bonaventurae attributi sunt . . . . » XCIV
Art. I. De dubiis vel illegitimis opusculis, quae continentur in Appendice huius voluminis. » XCV
» II. De operibus Bonaventurae attributis, quae a viris eruditis iam saeculo praeterito communiter ut illegitima repudiata sunt » CX
» III. De aliis opusculis asceticis non legitimis, de quorum auctore praedicti critici dissentiunt . . . . » CXII
Tabulae collatorum codicum et editionum omnium opusculorum . . . . » CXVII

OPUSCULA MYSTICA.

OPUSC. I. DE TRIPLICI VIA, ALIAS INCENDIUM AMORIS.

Prologus . . . . pag. 3
Cap. I. De meditatione, qua anima purgatur, illuminatur et perficitur . . . . » ib.
§ 1. De via purgativa et triplici eius exercitio . . . » 4
» 2. De via illuminativa et triplici eius exercitio . . » 6
» 3. De via perfectiva et triplici eius exercitio . . . » 7
» 4. Corollarium . . . . » ib.
Cap. II. De oratione, qua deploratur miseria, imploratur misericordia, exhibetur latria . . . . . . » 8
§ 1. De triplici deploratione miseriae . . . . . . » ib.
» 2. De triplici imploratione misericordiae. . . . . » ib.
» 3. De triplici exhibitione latriae. . . . . » ib.
§ 4. De sex gradibus dilectionis Dei. . . . . . pag. 10
» 5. Recapitulatio . . . . » 11
Cap. III. De contemplatione, qua pervenitur ad veram sapientiam . . . . » ib.
§ 1. Praeambulum. . . . . » ib.
» 2. De septem gradibus, quibus pervenitur ad soporem pacis. . . . . » 12
» 3. De septem gradibus, quibus pervenitur ad splendorem veritatis . . . . » ib.
» 4. De septem gradibus, quibus pervenitur ad dulcorem caritatis. . . . . » 14
» 5. Recapitulatio . . . . » 15
» 6. Alia distinctio novem graduum proficiendi . . . » ib.
» 7. De duplici contemplatione rerum divinarum . . » 16

Additamentum I. . . . . pag. 18
» II. . . . . » ib.
» III. . . . . » 19
» IV. . . . . » 23

OPUSC. II. SOLILOQUIUM DE IV MENTALIBUS EXERCITIIS.

Prologus . . . . » 28
Cap. I. Quomodo anima per mentale exercitium debeat radium contemplationis reflectere ad interiora sua, ut videat, qualiter sit formata per naturam, deformata per culpam et reformata per gratiam . . . . » 29
§ 1. Praeambulum . . . . » ib.
» 2. Quam generose a summo Artifice formata sit anima per naturam . . . . » 30
» 3. Quam vitiose a voluntate deformata sit anima per culpam. . . . . » 33
» 4. Quam gratiose a divina bonitate reformata sit anima per gratiam . . . . » 38
Cap. II. Quomodo anima per mentale exercitium debeat radium contemplationis convertere ad exteriora, ut cognoscat, quam instabilis sit mundana opulentia, quam mutabilis mundana excellentia, et quam miserabilis mundana magnificentia . . » 44
§ 1. De triplici rerum mundanarum vanitate. . . . » ib.
» 2. De ratione, quare multi mundani excaecantur. . » 47
» 3. De consolatione divina et de dispositione ad eam obtinendam . . . . » 49
Cap. III. Quomodo anima per mentale exercitium debeat radium contemplationis convertere ad inferiora, ut intelligat humanae mortis inevitabilem necessitatem, iudicii finalis formidabilem aequitatem, poenae infernalis intolerabilem asperitatem. . . . . » 52
§ 1. Primo, de mortis inevitabili necessitate . . . . » ib.
» 2. Secundo, de iudicii finalis ineffabili aequitate . . » 53
» 3. Tertio, de poenarum infernalium intolerabili asperitate . . . . » 54
Cap. IV. Quomodo anima per mentale exercitium debeat radium contemplationis reflectere ad superiora, ut videat duodecim gaudia caeli orta ex contemplatione vel inferiorum, vel exteriorum, vel interiorum, vel superiorum. . . . . . . » 56
§ 1. De gaudio caelesti in genere . . . . » ib.
» 2. De gaudio caelesti in specie, et primo de triplici gaudio orto ex conversione contemplationis ad ea quae infra sunt. . . . . » 58
» 3. Secundo, Beati convertunt radium contemplationis ad ea quae iuxta se sunt, et triplici obiecto gaudent . . . . » 59
» 4. Tertio, Beati convertunt radium contemplationis ad ea quae intra se sunt, et tripliciter gaudent . » 62
» 5. Quarto, Beati convertunt radium contemplationis ad ea quae supra se sunt, et in summo Bono perfecte et secundum tres animae vires gaudent » 64

OPUSC. III. LIGNUM VITAE.

Prologus . . . . » 68

De mysterio originis.

Fructus I. Praeclaritas originis . . . . pag. 71
» II. Humilitas conversationis . . . . » 72
» III. Celsitudo virtutis . . . . » 73
» IV. Plenitudo pietatis . . . . » 74

De mysterio passionis.

Fructus V. Confidentia in periculis . . . . » 75
» VI. Patientia in iniuriis . . . . » 76
» VII. Constantia in suppliciis . . . . » 77
» VIII. Victoria in conflictu mortis . . . . . . » 79

De mysterio glorificationis.

Fructus IX. Novitas resurrectionis. . . . . » 80
» X. Sublimitas ascensionis. . . . . » 82
» XI. Aequitas iudicii. . . . . » 83
» XII. Aeternitas regni . . . . » 84
Additamentum . . . . » 86

OPUSC. IV. DE QUINQUE FESTIVITATIBUS PUERI IESU.

Prologus . . . . » 88
Festivitas I. Quomodo Filius Dei, Christus Iesus a mente devota spiritualiter concipiatur . . . . . » ib.
» II. Quomodo Filius Dei in mente devota spiritualiter nascatur . . . . » 91
» III. Quomodo infans Iesus a devota anima spiritualiter sit nominandus. . . . . . . » 92
» IV. Quomodo Filius Dei a devota anima cum Magis sit spiritualiter quaerendus et adorandus . . . . » 93
» V. Quomodo Filius Dei a devota anima spiritualiter praesentetur in templo . . . . » 94
Additamentum I. . . . . » 95
» II. . . . . » 96

OPUSC. V. TRACTATUS DE PRAEPARATIONE AD MISSAM.

Prologus . . . . » 99
Cap. I. De praemittenda quadruplici sui ipsius probatione . . . . » ib.
§ 1. Primo, quisque se ipsum probare debet, qua fide accedat ad altare . . . . » ib.
» 2. Secundo, quisque se ipsum probare debet, cum quali proposito et dispositione accedat. . . . . » 100
» 3. Tertio, quisque se ipsum probare debet, ex quanta caritate et quali fervore accedat . . . . . » 101
» 4. Quarto, quisque se ipsum probare debet, propter quid accedat. . . . . » 104
Cap. II. De contritione et confessione, de praeparatione immediata et de ipsa celebratione . . . . » 105

OPUSC. VI. DE PERFECTIONE VITAE AD SORORES.

Prologus . . . . » 107
Cap. I. De vera sui ipsius cognitione . . . . . . » 108
» II. De vera humilitate. . . . . » 110
» III. De perfecta paupertate . . . . » 112
» IV. De silentio et taciturnitate . . . . » 115
» V. De studio orationis. . . . . » 117
» VI. De passionis Christi memoria . . . . . . » 120

Cap. VII. De perfecta Dei caritate. . . . . . . pag. 124
» VIII. De finali perseverantia. . . . . » 125

OPUSCULUM VII.

De regimine animae. . . . . » 128

OPUSC. VIII. DE SEX ALIS SERAPHIM.

Prologus . . . . » 131
Cap. I. Seligendi apti Superiores inter multos; incipientes indigent magistro; magistro non indigentes debent habere quatuor perfectiones. . . . . » ib.
» II. De prima ala praelatorum, quae est zelus iustitiae » 133
» III. De secunda ala praelatorum, quae est pietas. » 136
» IV. De tertia ala praelatorum, quae est patientia. » 138
» V. De quarta ala praelatorum, quae est exemplaritas vitae . . . . » 140
» VI. De quinta ala praelatorum, quae est circumspecta discretio . . . . » 142
» VII. De sexta ala praelatorum, quae est devotio ad Deum . . . . » 147
Additamentum . . . . » 151

OPUSCULUM IX.

Officium de passione Domini. . . . . » 152

OPUSC. X. VITIS MYSTICA
SEU TRACTATUS DE PASSIONE DOMINI.

Prologus . . . . » 159
Cap. I. De proprietatibus vitis . . . . » ib.
» II. De praecisione vitis. . . . . » 160
» III. De circumfossione vitis . . . . » 162
» IV. De ligatura vitis . . . . » 165
Cap. V. De similitudine ipsius vitis, et primo quoad eius corpus. . . . . pag. 168
» VI. De secunda similitudine sive de foliis vitis, et primo in generali . . . . » 171
» VII. De foliis vitis in speciali, et de primo verbo Christi in cruce. . . . . » 172
» VIII. De secundo folio vitis sive verbo Christi in cruce . . . . » 173
» IX. De tertio folio vitis sive verbo Christi in cruce. » 174
» X. De quarto folio vitis sive verbo Christi in cruce. » 175
» XI. De quinto folio vitis sive verbo Christi in cruce. » 176
» XII. De sexto folio vitis sive verbo Christi in cruce. » 178
» XIII. De septimo folio vitis sive verbo Christi in cruce . . . . » 179
» XIV. De tertia similitudine vitis quoad flores. . » ib.
» XV. De flore rosae rubentis et ardentis in genere. » 180
» XVI. De rosa caritatis . . . . » 182
» XVII. De rosa passionis . . . . » ib.
» XVIII. De prima effusione sanguinis Iesu Christi. » 183
» XIX. De secunda effusione sanguinis. . . . . » 184
» XX. De tertia effusione sanguinis. . . . . . » ib.
» XXI. De quarta effusione sanguinis . . . . . » 185
» XXII. De quinta effusione sanguinis . . . . . » ib.
» XXIII. De sexta et septima effusione sanguinis. . » 186
» XXIV. Hortatio ad contemplandam passionem et caritatem Christi . . . . » 187
Additamentum I. . . . . » 189
» II. . . . . » 190
» III. . . . . » 191
» IV. . . . . » 192
» V. . . . . » 216
» VI. . . . . » 221

OPUSCULA AD ORDINEM SPECTANTIA.

OPUSC. XI. APOLOGIA PAUPERUM CONTRA CALUMNIATOREM.

Prologus . . . . pag. 233
Cap. I. Primae responsionis prima particula primumque capitulum, in quo calumniatoris intentio perversa detegitur, et verae condescensionis Christi sublimis perfectio declaratur . . . . . » 235
» II. Primae responsionis secunda particula secundumque capitulum, in quo capitalis error circa notificationem perfectionis et imperfectionis eliditur, et verae perfectionis exemplaritas et differentia ipsius ad imperfectionem reseratur. . . . . » 239
» III. Primae responsionis tertia particula tertiumque capitulum, in quo evangelicae perfectionis integritas panditur, eiusque status sublimis et gradus multiformis aperitur . . . . . . » 244
» IV. Secundae responsionis prima particula quartumque capitulum, in quo appetitus martyrii de se perfectus ostenditur, et e contrario fuga martyrii de se imperfecta monstratur . . . » 252
» V. Secundae responsionis secunda particula quintumque capitulum, in quo abstinentiae laus et perfectio declaratur, et eiusdem impugnatio calumniosa refellitur . . . . pag. 257
Cap. VI. Secundae responsionis tertia particula sextumque capitulum, in quo ieiunii arctitudo ut consona perfectioni defenditur, et eius multiplex commendatio subinfertur. . . . . » 266
» VII. Tertiae responsionis prima particula septimumque capitulum, in quo voluntaria et penuriosa paupertas fundamentum evangelicae perfectionis astruitur, et quae huic videri possunt contraria dissolvuntur. . . . . . » 272
» VIII. Tertiae responsionis secunda particula octavumque capitulum, in quo possessionum leviticarum et ecclesiasticarum affluentia monstratur perfectioni paupertatis non esse contraria, sed et commendatio divitiarum ostenditur non esse secura . . . . » 286
» IX. Tertiae responsionis tertia particula nonumque capitulum, in quo abrenuntiationis ratio falsa eliditur, et penuriosae paupertatis duodenaria praerogativa monstratur. . . . . » 294

Cap. X. Quartae responsionis prima particula decimumque capitulum, in quo Religio carentium loculis ab errore defenditur, et verum ius possessionis ecclesiasticae declaratur . . . . pag. 304
» XI. Quartae responsionis secunda particula undecimumque capitulum, in quo professio Fratrum Minorum veraciter carere ostenditur et appropriatione rerum immobilium sive mobilium et proprietate pecuniarum tam in proprio quam in communi . . . . » 310
» XII. Quartae responsionis tertia particula duodecimumque capitulum, in quo evangelizantium pauperum fructificatio multiformis ostenditur, eorumque status a multiplicibus cavillationum versutiis defensatur . . . . » 316

OPUSCULUM XII.

Epistola de tribus quaestionibus ad magistrum innominatum . . . . » 331

OPUSC. XIII. DETERMINATIONES QUAESTIONUM CIRCA REGULAM FRATRUM MINORUM.

Pars I.

Prologus . . . . » 337
Quaestio I. Cur sanctus Franciscus novam Regulam instituit . . . . » 338
» II. Cur Fratres praedicent et audiant confessiones, cum ordinarie non habeant curam animarum . . . . » ib.
» III. Cur Fratres intendant studio litterarum . » 339
» IV. Cur Fratres mendicent . . . . » 340
» V. Cur Fratres frequentius maneant in civitatibus et oppidis . . . . » ib.
» VI. Cur Fratres habeant magnas et latas domos et oratoria sumtuosa et areas latas . . » 341
» VII. Quare Fratres plura congregent vel conservent, cum sint pauperes. . . . . . . » 342
» VIII. Cur Fratres modo plura petant quam olim . . . . » ib.
» IX. Cur Religiosi impatientes sint sustinendo penuriam. . . . . » 343
» X. Cur non omnes indifferenter recipiantur ad Ordinem . . . . » 344
» XI. Cur Fratres non laborent pro victu . . » 345
» XII. Quaeritur, si de quolibet Ordine et Religione possit quis transire ad Regulam et Ordinem beati Francisci, Fratrum scilicet Minorum. » ib.
» XIII. Quaeritur, si de ista Religione possit aliquis ire ad aliam post factam professionem in ea . . . . » ib.
» XIV. Quaeritur, si liceat Ordini isti eiicere aliquem pro meritis et egresso petenti receptionem denuo denegare. . . . . » ib.
» XV. Cur inutiles personae recipiantur ad Ordinem . . . . » 347
» XVI. Quaeritur, cur aliqui Religiosi sint distorti moribus et rudes . . . . » ib.
Quaestio XVII. Quaeritur, quare dyscoli non eiiciantur, per quos Religionis puritas deformatur. . pag. 348
» XVIII. Quaeritur, in quibus signis bona Religio cognoscatur, et una melior altera iudicetur. » ib.
» XIX. Quas ob causas in vita religiosa Ordines deficiant, etsi in quibusdam caeremonialibus proficere videantur . . . . » 349
» XX. Quaeritur, quare inter Religiosos videantur dissensiones et invidiae. . . . . . . » 351
» XXI. Quaeritur, cur Religiosi celent facta sua. » ib.
» XXII. Quaeritur, cur Fratres magis frequentent mensas divitum quam pauperum . . . » 352
» XXIII. Quaeritur, quare Religiosi plus honorent divites quam pauperes . . . . . . » 353
» XXIV. Quaeritur, quomodo Fratres habeant domos, areas, hortos . . . . » ib.
» XXV. Quaeritur, si Fratres debeant habere et recipere pecuniam. . . . . » 354
» XXVI. Quaeritur, cur Fratres recipiant vel petant eleemosynam ab illis qui iniusta lucra sectantur . . . . » 355
» XXVII. Quaeritur, quae sit ratio, quod clerici magis oderunt vos et persequuntur quam laici et simplices saeculares . . . . » ib.

Pars II.

Quaestio I. Cur Fratres a clericis accusentur, quod eis detrahant et alias praeiudicent. . . . . . » 356
» II. Cur Fratres in praedicatione alicuius vitia corripiant. . . . . » 359
» III. Cur Fratres ad officia praedicationis et confessionis tam iuvenes et immaturos promoveant . . . . » 360
» IV. Quas qualitates habere debeat assumendus ad officium praedicationis et confessionis . . » ib.
» V. Cur Fratres toties mutent praelatos Ordinis. » 361
» VI. Cur toties mutentur Fratres de loco ad locum . . . . » 362
» VII. Cur Fratres impediant, ne alii Religiosi sint vicini conventui proprio . . . . . . » ib.
» VIII. Cur Fratres prohibeant, ne alii deferant vestes suis similes. . . . . » 363
» IX. Cur Fratres recipiant domos vel areas non contiguas propriis domibus. . . . . . . » 364
» X. Cur Fratres recipiant domos vel in damnum plebanorum, vel sine licentia episcoporum, et inconsultis dominis locorum . . . . » 365
» XI. Cur Fratres aliquoties alios Religiosos vel clericos eiecerint ex propriis locis . . . . » 366
» XII. Cur Fratres a Sede apostolica obtineant iudices et conservatores. . . . . » ib.
» XIII. Quare Fratres recipiant aliqua, quae postea venduntur pro pecunia. . . . . . » 367
» XIV. Cur Fratres mendicent plura quam olim, etiam necessaria pro futuro et ut commutentur . . . . » ib.
» XV. Cur Fratres non habitent pauci in domibus pauperculis . . . . » ib

QUAESTIO XVI. Cur Fratres non promoveant Ordinem Poenitentium. . . . . pag. 368
» XVII. Cur tamen Fratres curam habeant Ordinis sanctae Clarae . . . . » 369
» XVIII. Cur Fratres permittant, ut plures praedictarum non recipiantur sine pecunia. . . » ib.
» XIX. Cur Fratres frequentius praedicent in oppidis quam in abditis locis . . . . . . » 370
» XX. Cur Fratres non habeant consuetudinem praecedentiae . . . . » 371
» XXI. Cur Fratres scripta sua tam difficulter aliis communicent . . . . » ib.
» XXII. Quare Fratres populo non praedicent iura plebanorum . . . . » 372

OPUSCULUM XIV.

QUARE FRATRES MINORES PRAEDICENT ET CONFESSIONES AUDIANT . . . . » 375
Additamentum . . . . » 381

OPUSCULUM XV.

EPISTOLA DE SANDALIIS APOSTOLORUM SIVE DE EO QUOD CHRISTUS ET APOSTOLI ET DISCIPULI EIUS INCESSERUNT DISCALCEATI . . . . » 386

OPUSC. XVI. EXPOSITIO SUPER REGULAM FF. MINORUM.

Confirmatio Regulae . . . . » 391
CAP. I. In nomine Domini incipit Vita Minorum Fratrum. » 392
» II. De iis qui volunt vitam istam accipere et qualiter recipi debeant. . . . . » 397
» III. De divino Officio et ieiunio, et quomodo Fratres debeant ire per mundum . . . . » 406
» IV. Quod Fratres non recipiant pecuniam . . . » 411
» V. De modo laborandi. . . . . » 419
» VI. Quod nihil approprient sibi Fratres, et de eleemosyna petenda et de Fratribus infirmis . . » 420
» VII. De poenitentia Fratribus peccantibus imponenda » 425
» VIII. De electione generalis Ministri huius Fraternitatis, et de Capitulo Pentecostes . . . . . » 426
» IX. De praedicatoribus. . . . . » 427
» X. De admonitione et correctione Fratrum . . . » 431
» XI. Quod Fratres non ingrediantur Monasteria Monacharum. . . . . » 435
» XII. De euntibus inter Saracenos et alios infideles. » 436
Conclusio . . . . » ib.
Confirmatio Regulae . . . . » 437

OPUSCULUM XVII.

SERMO SUPER REGULAM FRATRUM MINORUM. . . . . . » 438

OPUSC. XVIII. CONSTITUTIONES GENERALES NARBONENSES.

Prologus . . . . » 449
RUBRICA I. De Religionis ingressu . . . . » 450
» II. De qualitate habitus . . . . » 451
» III. De observantia paupertatis . . . . . . » 452
» IV. De forma interius conversandi . . . . » 453
» V. De modo exterius exeundi . . . . . . » 454
» VI. De occupationibus Fratrum. . . . . . » 455
RUBRICA VII. De correctionibus delinquentium. . . pag. 457
» VIII. De visitationibus Provinciarum . . . . » 458
» IX. De electionibus Ministrorum . . . . . » 460
» X. De Capitulo provinciali . . . . » 461
» XI. De Capitulo generali . . . . » 462
» XII. De suffragiis defunctorum . . . . . . » 464
Definitiones . . . . » ib.
Rubricae Breviarii . . . . » 466
Additamentum . . . . » 467

OPUSC. XIX. EPISTOLAE OFFICIALES.

EPISTOLA I. S. Bonaventura, electus Minister generalis, ad omnes Ministros provinciales et Custodes Ordinis Fratrum Minorum . . . . » 468
» II. Ad omnes Ordinis Ministros provinciales . » 470
» III. Ad Fratres Custodem et Guardianum Pisarum . . . . » 471
» IV. Ad Fratrem Laurentium. . . . . . . » ib.
» V. Ad Fratres universos . . . . » 472
» VI. Ad abbatem sanctae Mariae Blesensis . . » 473
» VII. Quam sanctus Bonaventura misit abbatissae et Sororibus sanctae Clarae Monasterii de Assisio . . . . » ib.

OPUSC. XX. REGULA NOVITIORUM.

Praefatiuncula . . . . » 475
CAP. I. De divino Officio. . . . . » ib.
» II. De oratione . . . . » 476
» III. De confessione . . . . » 479
» IV. De communione . . . . » 480
» V. De comestione . . . . » 481
» VI. De abstinentia . . . . » 482
» VII. De dormitione. . . . . » 483
» VIII. De servitiis. . . . . » 484
» IX. De otio fugiendo . . . . » ib.
» X. De honestate servanda . . . . » 485
» XI. De tentationibus, et qualiter resistendum sit eis » 486
» XII. De modo conversandi cum saecularibus . . » ib.
» XIII. De non iudicando alios. . . . . » 487
» XIV. De humili obedientia . . . . » 488
» XV. De silentio . . . . » 489
» XVI. De paupertate. . . . . » ib.

OPUSC. XXI. EPISTOLA CONTINENS XXV MEMORIALIA.

Prologus . . . . » 491
Memorialia generalia . . . . » 493
Memorialia specialia . . . . » ib.

OPUSCULUM XXII.

EPISTOLA DE IMITATIONE CHRISTI . . . . » 499

OPUSC. XXIII. LEGENDA S. FRANCISCI.

Prologus . . . . » 504

Vita beati Francisci.

CAP. I. De conversatione ipsius in habitu saeculari . . » 505
» II. De perfecta conversione eius ad Deum et de reparatione trium ecclesiarum . . . . . . » 507

Cap. III. De institutione Religionis et approbatione Regulae . . . . pag. 510
» IV. De profectu Ordinis sub manu ipsius et confirmatione Regulae prius approbatae . . . » 513
» V. De austeritate vitae, et quomodo creaturae praebebant ei solatium . . . . » 516
» VI. De humilitate et obedientia et de condescensionibus divinis sibi factis ad nutum . . . » 519
» VII. De amore paupertatis et mira suppletione defectuum. . . . . » 523
» VIII. De pietatis affectu, et quomodo ratione carentia videbantur ad ipsum affici. . . . . » 526
» IX. De fervore caritatis et desiderio martyrii . . » 530
» X. De studio et virtute orationis . . . . » 533
» XI. De intelligentia Scripturarum et spiritu prophetiae . . . . » 535
» XII. De efficacia praedicandi et gratia sanitatum. . . . . » 539
» XIII. De stigmatibus sacris . . . . » 542
» XIV. De patientia ipsius et transitu mortis. . . » 545
» XV. De canonizatione et translatione ipsius. . . » 547

Miracula beati Francisci.

§ I. Et primo de virtutibus sacrorum stigmatum . pag. 549
» II. De mortuis suscitatis . . . . » 551
» III. De his quos a mortis periculo liberavit. . . . » 553
» IV. De naufragis liberatis. . . . . » 555
» V. De liberatis a vinculis et carceribus . . . . . » 556
» VI. De liberatis a periculo partus . . . . » 558
» VII. De caecis illuminatis. . . . . » 559
» VIII. De liberatis a variis morbis . . . . » 560
» IX. De non observantibus festum et inhonorantibus Sanctum . . . . » 561
» X. De quibusdam aliis miraculis diversimodi generis. » 562

OPUSC. XXIV. LEGENDA MINOR S. FRANCISCI.

De conversione ipsius . . . . » 565
De institutione Religionis et efficacia praedicandi . . » 567
De praerogativa virtutum . . . . » 569
De studio orationis et spiritu prophetiae . . . . . » 571
De obedientia creaturarum et condescensione divina . » 573
De stigmatibus sacris . . . . » 575
De transitu mortis . . . . » 577

APPENDIX DUBIORUM OPUSCULORUM.

OPUSC. I. SPECULUM DISCIPLINAE.

Prologus . . . . pag. 583
Pars I. *Primo, de praeparatoriis ad disciplinam* . . » 584
Cap. I. De vetustatis depositione . . . . » ib.
» II. De constantia mentis et cautela contra tentationes diabolicas . . . . » ib.
» III. Quomodo necessaria sit ad disciplinae susceptionem humilitas . . . . » 585
» IV. De captivatione propriae voluntatis . . . . » ib.
» V. De praesumtione tam in re quam in signo vitanda . . . . » 587
» VI. De vitio irreverentiae fugiendo . . . . . » 589
Secundo, de ipsa disciplina . . . . » 591
Cap. VII. De disciplina in generali . . . . » ib.
» VIII. De disciplina in speciali circa spiritualia inter Fratres, et primo respectu amotionis mali. . » ib.
» IX. De disciplina circa confessionem privatam . » 592
» X. De disciplina circa confessionem publicam. . » ib.
» XI. De disciplina quoad positionem boni . . . » 593
» XII. De disciplina circa cordis informationem, et primo de oratione. . . . . » ib.
» XIII. De disciplina in lectione . . . . » 594
» XIV. De disciplina circa divinum Officium addiscendum . . . . » 595
» XV. De disciplina circa divinum Officium in choro. » ib.
» XVI. De disciplina circa divinum Officium extra chorum . . . . » 597
» XVII. De disciplina circa altaris ministerium . . » 598
» XVIII. De disciplina circa ea quae ad corpus sunt. » 600
» XIX. De disciplina in gestu . . . . » ib.
» XX. De disciplina in locutione servanda . . . » 601
» XXI. De disciplina in comestione . . . . . . » 602
Cap. XXII. De disciplina in opere manuali. . . . pag. 604
» XXIII. De disciplina in incessu. . . . . . . » 606
» XXIV. De disciplina in gestu membrorum . . . » ib.
» XXV. De disciplina circa habitum. . . . . . » 607
» XXVI. De disciplina in officinis . . . . . . » 608
» XXVII. De disciplina inter extraneos, et primo de disciplina in villa . . . . » 609
» XXVIII. De disciplina in itinere . . . . . . » ib.
» XXIX. De disciplina in ecclesiis . . . . . . » 610
» XXX. De disciplina in hospitio. . . . . . . » 611
» XXXI. De disciplina locutionis. . . . . . . » 612
» XXXII. De disciplina in comestione . . . . . » 613
Pars. II. *De generali exhortatione* . . . . . . » 615
Cap. I. De ordinatione respectu Dei . . . . » ib.
» II. De ordinatione respectu sui . . . . » 616
» III. De ordinatione respectu proximi . . . . . » 617
» IV. De custodia rerum. . . . . » 619
» V. De differentia conversorum . . . . » ib.
» VI. De novis professis. . . . . » 620

OPUSC. II. SPECULUM CONSCIENTIAE

ALIAS SPECULUM ANIMAE.

Prooemium . . . . » 623
Cap. I. De radice superbiae. . . . . » 625
» II. De radice concupiscentiae oculorum . . . . » 631
» III. De radice concupiscentiae carnis . . . . . » 635
Epilogus praedictorum. . . . . » 643

OPUSC. III. SUMMA DE GRADIBUS VIRTUTUM.

Prologus . . . . » 646
Cap. I. Gradus caritatis . . . . » ib.
» II. Gradus obedientiae. . . . . » 647

Cap. III. Gradus humilitatis . . . . pag. 647
» IV. Gradus castitatis. . . . . » ib.
» V. Gradus patientiae . . . . » 648
» VI. Gradus misericordiae . . . . » ib.
» VII. Gradus veritatis . . . . » ib.
» VIII. Gradus paupertatis . . . . » ib.
» IX. Gradus prudentiae. . . . . » 649
» X. Gradus fortitudinis. . . . . » ib.
» XI. Gradus iustitiae. . . . . » ib.
» XII. Gradus temperantiae. . . . . » ib.
» XIII. Gradus pacis . . . . » 650
» XIV. Gradus constantiae . . . . » ib.
» XV. Gradus largitatis . . . . » ib.
» XVI. Gradus compassionis . . . . » 651
» XVII. Gradus congratulationis . . . . » ib.
» XVIII. Gradus abstinentiae . . . . » ib.
» XIX. Gradus concordiae . . . . » ib.
» XX. Gradus gratitudinis . . . . » ib.
» XXI. Gradus religionis. . . . . » 652
» XXII. Gradus contritionis. . . . . » ib.
» XXIII. Gradus confessionis . . . . » ib.
» XXIV. Gradus satisfactionis . . . . » ib.
» XXV. Gradus contemplationis . . . . » 653
Cap. XXVI. Gradus discretionis . . . . pag. 653
» XXVII. Gradus spei. . . . . » ib.
» XXVIII. Gradus timoris . . . . » ib.
» XXIX. Gradus doloris . . . . » ib.
» XXX. Gradus gaudii . . . . » 654

OPUSCULUM IV.

Collatio de contemptu saeculi . . . . » 655

OPUSC. V. COMPENDIUM DE VIRTUTE HUMILITATIS.

Cap. I. De perfectione, quam in se comprehendit . . » 658
» II. De perfectione, ad quam disponit. . . . . » 659
» III. De perfectione, cui nos exemplares reddit. . » 661

OPUSCULUM VI.

Epistola ad quendam novitium insolentem et instabilem. » 663

OPUSC. VII. RHYTHMICA.

I. Laudismus de sancta cruce . . . . » 667
II. Philomena. . . . . » 669
III. De septem verbis Domini in cruce . . . . . . » 674
IV. Meditatio de passione Iesu Christi . . . . . . » 676
V. Corona B. Mariae Virginis . . . . » 677

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Pro *Cremisani* et *Medelcii* semper legendum est *Cremifani* et *Mellicii.*

Pag. LXX col. II. n. 2. post *cod. Helm.* addendum *680.*

» LXXVI col. II. lin. 32. pro *singulorum novitiorum* lege *singulorum vitiorum.*

» XCVII col. I. lin. 8. ab infra pro *Brixiae 1504* lege *Brixiae 1495.*

» 24 nota 2. Locum Bernardi postea invenimus Serm. 22. de Diversis, n. 5. et Serm. 20. in Cant. n. 3: Amicus dulcis, consiliarius prudens, adiutor fortis; cfr. Scala Claustralium (inter opera Bernardi), c. 13. n. 15. Vide supra pag. 41 in nota lineam 4.

» 30 nota 4. lin. 2. addendum *c. 5. n. 14.*

» 31 nota 10. pro *vide infra n. 41.* legendum *vide infra n. 42. notam 2. in fine.*

» 38 nota 6. in fine pro *infra n. 38.* substituendum *infra n. 39.*

» 39 nota 1. pro locis ex Augustino ibi allatis substituatur Epist. 55. (alias 119.) c. 5. n. 8.

» 41 nota 3. verba ibidem ex Augustino allegata inveniuntur Serm. 32. ad Fratres in eremo (inter opera August.).

» 41 notae 4. addendum *Bernard.* Instruction. sacerdotis (inter opera Bernardi), p. I. n. 12: Pervola manus, pervola pedes, invola latus!

» 50 nota 4. circa finem pro *Serm. 2.* legendum *Serm. 32.*

» 64 col. I. lin. penultima pro *fugendo* lege *fugiendo.*

» 72 col. II. lin. 4. pro *in cuno iacentem* lege *in cunis iacentem.*

» 128 nota 1. lin. 19. pro *c. 1. § 7 et 8* lege *c. 1. § 6 et 7.*

» 185 col. II. lin. 6. a fine pro *indicarent* lege *iudicarent.*

» 223 n. 158. lin. 1. pro *vitium credulitatis* lege *vitium incredulitatis.*

» 244 col. II. lin. 4. pro *ad Hebidiam* lege *ad Hedibiam.*

» 245 col. II. lin. 22. pro *ad salutem perfectionis: magister* lege *ad salutem: perfectionis magister.*

» 246 col. II. lin. 20. pro *reddit* lege *redit.*

» 249 col. I. lin. 29. pro *imbecillitaalitem* lege *imbecillitatem.*

» 249 col. I. lin. 31. pro *quando* lege *aliquando.*

» 274 nota 3. pro *Rievalis* lege *Rievallis.*

» 280 nota 4. pro *Allegantur* lege *Allegatur.*

» 280 nota 8. pro *notam 2.* lege *notam 7.*

» 300 nota 8. sententia Bernardo attributa occurrit Serm. in natali S. Benedicti abbatis, n. 11.

» 338 nota 12. pro *5, 11* lege *5, 1.*

» 413 col. I. lin. 15. pro *discalceatos?* lege *discalceatos?».*

» 416 col. I. lin. 15. pro *auferret.* lege *auferret».*

» 432 nota 7. lectio plurium codd., qua *Augustinus* pro *Gregorius* substituitur praeferenda est; sententia enim allegata invenitur in *Regula ad servos Dei, n. 10.*

» 446 nota 4. in fine pro *ibid. V. 11.* lege *ibid. V. 22.*

» 483 nota 4. sententia Gregorio ascripta invenitur verbotenus in libro de Conflictu vitiorum et virtutum (inter opera August.), c. 9.

» 483 nota 9. locis ex Bernardo allegatis addendum *Formula honestae vitae* (inter opera Bernardi), n. 2, ubi prima pars sententiae insinuatur, integra tamen habetur Serm. 32. ad Fratres in eremo (inter opera August.).

» 484 col. II. lin. penultima pro *in caelis a* lege *in caelis, a.*

» 509 col. I. lin. 40. pro *atiuls* lege *latius.*

» 525 nota 6. pro *Sathianum* lege *Sarthianum.*

» 526 nota 2. pro *n. 4.* lege *n. 5.*

» 590 nota 12. pro *Ita ed. 1* lege *Ita ed. 2.*

» 612 col. II. lin. 9. sententia *Impius est* etc. invenitur apud Petr. Blesens., Epist. 11.

» 616 nota 13. lin. penultima expungendum est *et ed. 2.*

IMPRIMATUR

Datum Florentiae die 9 Maii 1898.

† Fr. AUGUSTINUS Cardinalis BAUSA Archiepiscopus.

Date Due

JUN 22 1988			
9/27/04			
	PRINTED	IN U. S. A.	






BOSTON COLLEGE
3 9031 01236307 3